PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD USQUE INNOCENTII III TEMPORA FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE, Cursuum Completorum IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS XI.

S. S. ZENONIS ET OPTATI TOMUS UNICUS.

PARISIIS, EXCUDEBAT VRAYET,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRES LA BARRIERE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1845.

Digitized by Google

BR
60
.M4
t. 11

PHILADELPHIA
DIVINITY SCHOOL

Digitized by Google

SANCTORUM

ZENONIS ET OPTATI,

PRIORIS VERONÆ, ALTERIUS MILEVI EPISCOPORUM,

OPERA OMNIA,

NUNC PRIMUM CURA QUA PAR ERAT REDACTA :

FACEM PRÆFERENTIBUS, QUOD AD ZENONEM ATTINET, ILLUSTRISSIMIS BALLERINIIS, QUORUM DILIGENTIA DISSERTATIONIBUS, ANNOTATIONIBUS PERPETUIS, NEC NON DUOBUS OPUSCULIS FRANCISCI BONACCHI, SACERDOTIS PISTORIENSIS, TEXTUM ILLUSTRAVIT, PLURIMORUMQUE CODICUM OPEM ADHIBUIT, INTER QUOS REMENSIS, SCRIPTUS ANTE ANNOS CIRCITER MILLE, PER MARCHIONEM SCIPIONEM MAFFEIUM IN GALLIA COLLATUS ;

QUOD AUTEM AD OPTATUM SPECTAT, SUAM ACCURATISSIMAM EDITIONEM PRÆBENTE ELLIA DUPINIO, EJUSDEM NEC NON GAB. ALBASPINÆI, MER. CASAUBONI, CASP. BARTHII, ET ALIORUM NOTIS, SIMUI ET VARIANTIBUS LECTIONIBUS LOCUPLETATAM : CUI ACCESSERE HISTORIA DONATISTARUM, UNA CUM MONUMENTIS AD EAM PERTINENTIBUS ET GEOGRAPHIA EPISCOPALI AFRICÆ.

TOMUS UNICUS.

PARISIIS, EXCUDEBAT VRAYET,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRES LA BARRIERE D'ENFER.
OU PETIT-MONTROUGE.

1845.

Digitized by Google

ELENCHUS

OPERUM QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

S. ZENO.

Epistola dedicatoria.	col.	9
Ballerinorum Præfatio.		11
Dissertationes de tractatibus, doctrina et cultu S. Zenonis.		25
Monumenta de S. Zenone.		189
Tractatus S. Zenonis.		253
Appendix prima complectens opera S. Zenoni perperam tributa.		527
Appendix secunda complectens duos de Sermonibus et Martyrio S. Zenonis libros, cum duplici dissertatione ipsis subjuncta.		599

S. OPTATUS.

Præfatio Dupinii.	759
Testimonia de Optato.	769
Historia Donatistarum.	771
S. Optati libri septem de Schismate Donatistarum.	883
Præfationes Francisci Balduini ad primam editionem Optati.	1103
Annotationes ejusdem.	1133
Albaspinæi observationes.	1160
Monumenta vetera ad Historiam Donatistarum pertinentia.	1179
Gesta Collationis Carthaginensis, quam sequuntur Historia ejusdem Collationis, auctore Balduino, nec non Indices analytici cum Zenonis tum Optati operum.	1223

Digitized by Google

OPERUM SANCTI ZENONIS

PROLEGOMENA.

[I-VIII] EPISTOLA DEDICATORIA.

Eminentissimo ac reverendissimo Principi Dominico Passioneo S. R. E. Cardinali Petrus et Hieronymus Fratres Ballerinii Presbyteri Veronenses.

Sermonum Sancti Zenonis Episcopi Veronensis inter omnes Latinos Patres, quorum conciones supersunt, antiquissimi collectionem multis antea semper nominibus apud doctos et eruditos, nedum catholicos, sed heterodoxos etiam mirifice commendatam; nunc autem, quacumque per nos facultate ac diligentia licuit, plurium antiquorum codicum, quos invenire et conferre fortunate obtigit, ope a pluribus purgatam mendis, aliquot in lacunis suppletam, et segregatis genuinis a spuriis, primigeniæ nativæque fidei redditam, a non nullorum tandem censuris vindicatam luculenter, sistimus ante te, Eminentissime Princeps; et ut in eam conjicias humaniter oculos, eamdemque in patrocinium ac fidem tuam recipias, etiam atque etiam petimus et obsecramus. Si porro consilii nostri rationem aperire fas est, illud cogitavimus, ab editoribus librorum ejusmodi Patronos optari, qui non minus ob dignitatem et auctoritatem patrocinio sint, quam ob eruditionem atque doctrinam cognoscere et judicare de nova editione possint, susceptique patrocinii, si opus sit, rationem afferre. Sed duplicem hanc laudem desiderare quidem in uno facile est, sperare autem, et invenire difficillimum. Ejusmodi enim plerumque res humanæ sunt, ut qui ob egregiæ naturæ dotes optimis in studiis proficere, et ob dignitatum gradus iisdem patrocinari possent; ii alterum sane, ad patrocinium quod pertinet, facile præstent, alterum vero rerum gerendarum procuratione impediti æque præstare non possint. Nobis autem sedulo inquirentibus, numquis esset, qui nostra hac ætate utramque eam laudem sit consecutus, tu statim occurristi, in quo summis cum dignitatibus eximius semper studiorum amor et cultus emicuit. Enimvero jam a prima adolescentia politioribus, ac subinde sacris præsertim in disciplinis versatus summa cum laude; in quibus multa ingenii ac doctrinæ specimina præbens, doctorum variæ quoque nationis hominum, queis utebaris familiariter, commendationem et amorem tibi conciliasti, cum maximis muneribus obeundis apprime idoneos inventus esses, perdifficili provincia tibi a Romano pontifice statim commissa, in Belgium submissus es: ubi cum præconceptam de te, et magnam quidem, spem non implevisses solum, at superasses; legatio apostolica primum apud Helvetios, dein apud Carolum VI, Cæsarem Augustum tibi credita fuit: in qua dici vix potest, quot subieris labores, quot prudentiæ et diligentiæ documenta reliqueris, quot denique et varietate dissimillima, et amplitudine difficillima, et rebus ipsis incurrentibus impeditissima negotia summa cum facilitate ac felicitate transegeris. Neque enim iis in muneribus honorem, vel otium, sed opus, sollicitudinem, curasque tibi proponens, illud assidue volvebas animo, qua via posses aliquid in dies efficere, quod in Romanæ sedis, in catholicæ Ecclesiæ, ac religionis decus et utilitatem rediret. Acta Apostolicæ Legationis Helveticæ Tugii edita an. MDCCXXIX, *in quibus priscorum Patrum zelus, gravitas, sanctitas, ac disciplina a te impensius excultæ relucescunt, si quis attente legerit; specimen eorum, quæ innuimus, satis idoneum inveniet. At nihilo minus (quis crederet?) tot et tam diuturnæ, ac propemodum assiduæ cogitationes te non ita distraxerunt, ut studiis quietum et vacuum animum postulantibus, nihil tribueres: sed quidquid a muneribus publicis supererat temporis, te totum in studia colligere, et nunc legendo, nunc commentando et scribendo proficere semper aliquid naviter studuisti, ut ex oratione in funere magni Eugenii Sabaudiæ principis a te lucubrata, summisque laudibus a litteratis doctisque viris suscepta, nec non ex laudatis nuper legationis Helveticæ Actis aliquot insignia tui ingenii, eloquentiæ, doctrinæque monumenta continentibus conjicere licet. Hinc etiam nulli industriæ, nulli sumptui parcens, exquisitis undequaque cujusque generis et codicibus et editis libris, insignem, immensam, et ab ipso quidem Bernardo de Montfaucon (1) jam ante triginta annos, ob ducentos præsertim Græcos lectissimos Codices eximie commendatam, et subinde magis magisque auctam bibliothecam tibi comparasti, non ad ostentationem et ornamentum, quemadmodum plerique magnæ dignitatis viri id temporis faciunt, sed ut in ea subcisivis horis, somno potius quam officio decerptis, vitam traduceres: indeque pro egregia mentis tuæ facultate miram plane non tam librorum, quam rerum, quæ in iisdem continentur, notitiam præ te fers, adeo ut, quod gravium virorum testimonio accepimus, ipsam bibliothecam, quam parasti, in tuam mentem transtulisse quodnes se habet, vel amicorum ope nancisci potest, quibusvis litterariæ rei operam dantibus, nec rogatus offerat.* Item in præfatione pag. XXII, ubi recensentur variæ bibliothecæ, in quibus habentur Græci Codices, *Bibliotheca Illustrissimi Abbatis Dominici Passionei, librorum copia et delectu insignis, ducentos circiter Græcos Codices continet: aliquorum specimina dedimus lib. IV et in Appendice Calligraphorum subscriptiones non nullas.* Similia leguntur in Appendice pag. 510.

(1) In Palæographia Græca editionis Parisiensis anni 1708, lib. IV, cap. 5, pag. 290, hæc leguntur: *Prima Tabula specimina septem exhibet ex Bibliotheca Illustrissimi nobisque amicissimi viri, Dominici Passionei; qui annos viginti quatuor vix emensus, incredibili fulget rerum disciplinarumque notitia, Græcis Latinisque litteris apprime eruditus, Bibliothecamque numerosam Manuscriptorum editorumque exemplarium comparavit, librorum delectu cum paucis numerandam. Litteratorum commodis sic advigilans, ut quæ vel pe-*

Digitized by Google

327

dam modo videaris ; ita prompte et copiose non tam libros de quaque re tractantes indicas, quam ipsis etiam de rebus sermocinaris et disseris. Postquam vero Romam accitus, ad eminentissimum illud, unde toti Ecclesiæ præfulges, fastigium evectus es, quo te non antiquissimæ ac celeberrimæ tuæ familiæ nobilitas, non officia (his enim commendationibus, quæ tibi in Patrum doctrina apprime instructo nequaquam probantur, nihil indiguisti) sed tua in Christianam rempublicam merita promoverunt ; postquam, inquam, hoc in dignitatis gradu locatus es, etsi pluribus, quam unquam antea, publicis curis sis assidue distentus ; non tamen propterea valedixisti penitus litteris, sed veterem morem retinens, in bibliotheca et in lectione frequens es, nihilque jucundius tibi accidit, quam de libris, et humanioribus, eruditis, sacrisque disciplinis cognoscere et scribere. Hæc itaque omnia fuerunt in causa, cur nos hanc S. Zenonis editionem tibi nuncupandam duxerimus, sperantes fore, ut tu pro tam præclaro in optima studia ac libros præsertim antiquos amore munus hoc suscipias libentissime, et te patronum ejusmodi exhibere velis, qui et præ auctoritate patrocinium eidem accommodes, et præ doctrina legens atque intelligens auctorem antiquum, disertum, elegantissimum, patrocinii quoque rationem, si occasio incidat, sis allaturus. Unum illud nos haud modicum sollicitos habet, non auctorem solum, de cujus probatione nihil ambigimus, sed ea pariter, quæ pro eodem sive vindicando, sive illustrando adjecta a nobis sunt, te lectorem et judicem esse nactura. At cum hoc in metu nos recreat et reficit humanitas tua, præclaraque illa indoles, quæ præstantibus quidquid possunt, animos acuit, opem et subsidium exhibet ; tum vero quæ pro infirmitate nostra ad S. Antistitis vindicias vel explicationem huic editioni deerunt, ea per te pro summa peritia tua posse cognosci et suppleri nihil dubium est. Accipe igitur, Eminentissime Princeps, hoc quod tibi exhibemus opus, obsequii nostri et devinctissimæ in te voluntatis testem ; idemque si minus ex nostro, certe ex auctoris nomine ac meritis dignum est, quod sicut olim Sixto V, summo pontifici, cui primo dicatum fuit, ita nunc tibi cardinali Amplissimo approbetur.

[IX-XXVI] BALLERINIORUM PRÆFATIO.

I. Inter antiquos Ecclesiæ Patres, quorum pauca quædam opera ad nos pervenerunt, perpauci admodum sunt, qui viris doctis ac eruditis æque laudentur ac S. Zeno episcopus Veronensis, in cujus Sermonibus alii eloquentiæ vim ubertatemque dicendi admirantur, alii latinæ elocutionis puritatem prædicant ac elegantiam, plerique vero omnes acumen ingenii, antiquitatem, gravitatem, pietatem, ac sententiarum doctrinæque præstantiam commendant. At vero criticis ad vivum omnia et singula resecantibus, nemo unus est omnium, cujus operibus (ad auctorem præcipue statuendum quod pertinet) tot difficultates objectæ fuerint, quot adversus eorumdem Sermonum collectionem hinc atque hinc eductas et propositas legimus : adeo ut, aliquot licet eruditi in iis dissolvendis naviter laboraverint, tamen non solum nihil potuerint conficere, sed conficiendi etiam quidpiam, quod ratum sit, spem aliis fere omnem præcidisse videantur. Id autem (quod hactenus nemini in suspicionem venisse deprehendimus) ex accuratæ editionis defectu originem ducit. Prodierunt quidem Zenonis tractatus primum Venetiis an. MDVIII, ex *vetustissimo* codice, quem jamdiu ante in Episcopii Veronensis bibliotheca Guarinus vir celeberrimus nactus fuerat ; hæc enim in fronte ejus editionis leguntur : *Eximii et excellentis viri præclarissimi doctoris sancti Zenonis episcopi Veronensis sermonum elegantissimorum ad populum, excerptorum ex vetustissimo volumine Veronæ a Guarino Veronensi viro eloquentissimo in episcopii Veronensis bibliotheca reperto.* In tres illa dispertita libros fuit, quorum primus sermones complectitur XVII, *qui sunt de virtutibus et vitiis* ; secundus sermones XXXVIII, *qui sunt de rebus Veteris Testamenti* ; tertius sermones L, *de rebus Testamenti Novi* : in hanc enim rationem, suam quisque liber inscriptionem præfert. Subjectæ porro in eadem editione Zenonis tractatibus homiliæ S. Cæsarii Arelatensis, et alia quædam pauca : hæc autem mox clausula appenditur nobis nequaquam omittenda, cum verum editionis prodat auctorem, Guarinum a multis, qui ipsam editionem ob raritatem non viderant, perperam existimatum, nihilominus atque eum ante annos ferme quinquaginta obiisse aliunde constare potuerit : *Ad laudem et gloriam summæ et individuæ Trinitatis, et beatissimæ Virginis Mariæ, et beatorum pontificum Zenonis et Cæsarii et omnium sanctorum, sermones in hoc volumine positi, et nunquam alias impressi, solertissime recogniti, et studiosissime per venerabilem Patrem Albertum Castellanum Ordinis Prædicatorum correcti, ac per Magistrum Jacobum de Leuco impensis Domini Benedicti Fontana Venetiis diligentissime impressi anno Domini* MCCCCCVIII, *die* XXIV *januarii feliciter expliciunt.* Hæc autem editio suscepta statim a multis, quamdiu non accurate perpensa fuit. At cum Sixtus Senensis *Bibliothecam* elaboraturus, in qua de singulis ecclesiasticis scriptoribus judicium tulit, editos Zenonis sermones ad calculos revocavit, tot difficultates eduxit, ut de editionis defectu nihil suspicatus, Zenonem ab ecclesiasticorum auctorum albo expungendum contenderit. Etenim cum ea editio tractatus aliquot aliorum Scriptorum inter Zenonianos insertos ac internistos exhibeat, ita ut non solum nihil discriminis afferat, quo alteri ab alteris internosci queant, sed omnes etiam pæne pro Zenonis fetibus venditet, uno excepto, qui S. Gaudentii Brixiani episcopi nomine prænotatur,

Digitized by Google

vehemens, seu potius evidens, quod pro quibusdam a Zenone abjudicandis sermonibus subolevit argumentum, causam satis æquam præbuit, ut cæteris quoque omnibus in dubium vocatis, ea moveretur quæstio, utrum S. Zeno Veronensis fuerit vere scriptor aliquorum sermonum inter scriptores ecclesiasticos recensendus, seu *cujusnam vere sint opera sancti hujus nomini adscripta*, ut P. Mabillonius loquitur in Elencho præcipuarum difficultatum sæculi III, quas eximio operi *de studiis Monasticis* subjecit.

II. Hæ quidem editæ primum a Sixto Senensi, et dein ab aliis, qui in ejus transierunt sententiam, susceptæ atque inculcatæ difficultates ut diluerentur ab iis, qui pro S. Zenonis gloria laborabant, alia subinde ejusdem editio sub cardinali Augustino Valerio Veronensi antistite præstantissimo Veronæ curata fuit anno MDLXXXVI, quam Raphael Bagata et Baptista Perettus auctores aliis operibus noti ad *codicis vetusti*, quem ter in præfatione appellant, exemplar alicubi emendatum, vindiciis satis fusis præmuniendam putarunt: eaque mox in quatuor Bibliothecæ Patrum editionibus, at negligentius aliquanto, repetita fuit, ac tandem separato volumine enucleatius recusa Patavii an. MDCCX. At multa licet pro vindiciis scripta fuerint, cum tamen ipsa in editione præter alium sermonum ordinem, quo isti in duos libros distributi cernuntur, nihil occurrat novi, sed omnes tractatus æque sint perturbati, permisti, ac pro Zenonianis divenditi, ii etiam, quos alienos esse Sixti argumenta manifestum fecerant: quæcumque in tam malæ causæ patrocinium dici potuere, non solum nihil profecerunt, sed ad indignationem potius exstimularunt non nullorum animos, causamque ipsam, quæ imbecillibus valde argumentis suffulciri ac sustentari debuit, imbecilliorem multo deterioremque esse, quam antea fuerat, aliquibus persuasere. Ad difficultatum porro cumulum hac in editione accessit etiam tempus, quo S. Zenonem floruisse editores statuerunt: quod cum aliquot sermonum testimoniis adversetur manifeste, pro sedandis repugnantium criticorum animis, eos in majora dissidia exacuerunt. His omnibus ad quæstionem de Auctore pertinentibus adde alia non nulla, quæ ad editionis ipsius decus extenuandum non minimum conferunt. Vetustus codex, quem ter in præfatione appellatum notavimus, idem ille videtur, quem inter testimonia *vetustum codicem manuscriptum monasterii sancti Zenonis* editores vocant, cum ex eodem Anonymi fragmentum *de Veronæ laudibus* proferunt. Hic autem codex in ejusdem Monasterii bibliotheca hactenus custoditus, præter quam quod recentioris multo est ætatis (scriptus enim fuit sæculo XV), editoribus adeo modico usui fuisse deprehenditur, ut pauca quædam loca, quæ in prima editione erant corruptissima, emendare contenti, in aliis non solum nihil confecerint, sed cum eam sibi edendi rationem imitandam præstituerint, qua usi fuerant ii, qui sub auspiciis Sixti V, S. Ambrosii opera nuper ediderant (hæc autem cujusmodi fuerit, omnibus doctis viris jam notum est atque ex novissima S. Ambrosii editione cognosci potest), et ipsius codicis et primæ editionis fidem in non nullis deserendam putarint, ut ex adnotandis suo loco palam fiet. Hinc ergo in Veronensi editione ac cæteris inde derivatis præter confusam perturbatamque alienorum tractatuum cum Zenonianis mistionem, arbitraria aliquot locorum interpolatio, nemini cæteroquin, quod hactenus viderimus, ob primæ editionis raritatem observata, plurimum offendere debet. Tandem alia cum primæ, tum reliquis editionibus communia identidem incidunt, quæ etsi ad Auctorem dignoscendum, vel editores reprehendendos, si quidem in culpa non fuerint, nihil pertineant, tamen accuratæ editionis commendationi plurimum detrahunt, aliquot nimirum errata non levis momenti, quæ cognoscere facile est, corrigere ex auctoris mente difficillimum, luxationes non paucæ, quæ nunc obscuram, nunc mancam et forte etiam alienam ab auctore sententiam referunt; ut proinde dici jure possit, inter tot editiones, quæ Zenonis nomen præferunt, nullam hactenus prodiisse, quæ Zenonis editio vere sit ac appellari debeat.

III. His omnibus ut remedium afferretur, nova paranda fuerat editio, in qua, ut accuratarum editionum ratio postulat, separatis alienis a genuinis Zenonis sermonibus, suppletis lacunis, mendis correctis sancto Episcopo sua opera redderentur, et auctoritas vindicaretur. Nos itaque editionem id generis a doctis jamdiu expetitam, et S. Zenonis honori in integrum restituendo pernecessariam parare, ante aliquot annos volvebamus in animo: at cum in rebus ejusmodi sine manuscriptis confici nihil possit, inter legendum autem in notitiam venissemus antiquissimi codicis, quem Remensium Benedictinorum bibliothecæ ante annos ferme nongentos ab Hincmaro episcopo dono datum, P. Ruinartius in acta S. Arcadii, et P. Constantius in Veterum Codicum vindiciis pag. 293, ac in editione Hilarii pag. 463 editionis Veronensis, aliique etiam alibi commemorant: illud cogitavimus, quæcumque diligentia in aliis recentioribus quidem multo manuscriptis libris a nobis collocaretur, eam nihili, vel minimi habitum iri, si tam antiquum codicem orbi litterario jam notum præteriret. Itaque tamdiu a præconcepto opere duximus supersedendum, quoad ejus codicis consulendi et conferendi copia per aliquem fieret. Interim contigit, ut Marchio Scipio Maffeius totius litterariæ reipublicæ decus clarissimum, eruditum iter in Galliam susciperet. Hanc ergo occasionem peropportunam rati in spem venimus fore, ut ille codex quam diligentissime conferretur cum editis, indeque variantes lectiones ac cætera notatu digna describerentur. Itaque litteratus ille eximius omniumque politiorum artium ac disciplinarum fautor præstantissimus, ac S. Zenonis apprime studiosus, cui nostrum consilium maxime probabatur, cum Lutetiam Parisiorum accessisset, egit statim cum docto et nobili viro Joanne *Levesques de Burigny*; is autem cum D. Francisco *Maillefer* a Bibliotheca Remensis monasterii, ut eum codicem

Digitized by Google

liceret inspicere ; et cum ejus legendi perhumanissime facta fuisset facultas, Maffeius noster, eodem Joanne collationi opem ferente, variantes lectiones aliaque consideratu digna summa cum diligentia e codice descripsit, ac ut primum Veronam repetiit omnia nobis communicavit, et ut operi tandem manus imponeremus, acriter impulit. Dici vix potest qua alacritate depositum ac ferme abjectum jamdiu opus statim suscepimus. Alios codices, qui etsi recentiores, non nihil tamen adjumenti sæpissime afferunt, mox hinc atque hinc exquirendos, et cum editis conferendos curavimus ; fortunateque accidit, ut multis huic editioni faventibus, alios octo non infimæ plerumque notæ libros præter omnem spem collatos acceperimus variis ex partibus, qui cum magnum huic editioni decus addituri sunt, tum nostrum in ea naviter elaborandi studium incitarunt. Hic autem antequam dicimus, quid per nos præstitum sit, de ipsis codicibus, ut omnes eruditi hisce in operibus desiderare solent, dicenda sunt aliqua : cumque inter hos antiquissimus Remensis totius fabricæ futurus sit veluti basis ac fundamentum, accuratiorem ejus descriptionem in primis exhibendam nobis esse intelligimus.

IV. Liber est membranaceus in folio parvo paginarum 140, charactere ad typographicum accedente scriptus, ac duplici manu, quarum altera totum librum primum, et item secundum usque ad tract. XXX, latioris diametri litteris descripsit, altera vero litteris diametri paulo angustioris reliquos tractatus undecim subjecit. Primo folio majusculis et grandioribus litteris hæc verba inscripta leguntur : *Hincmarus Archiepiscopus dedit Sancto Remigio :* ita tamen ut duo prima verba inscripta fuerint ad unius paginæ vacuæ calcem, tria vero reliqua ad calcem alterius, quæ e regione posita et scripta cernitur ; eademque formula eodem charactere ac in eamdem rationem quater repetita alibi legitur, nimirum ter in operis decursu, postremum in fine. In fronte libri recentiori manu et minoribus litteris hæc scripta apparent : *Liber Sancti Remigii Remensis vol. XXXI*, et dein alia, ac forte vetustiori manu : *Librum Sancti Remigii qui ei abstulerit, anathema sit.* Præcedit *sermo venerabilis Coronati notarii de Vita S. Episcopi et Confessoris Zenonis*, quam inter monumenta dabimus ; et in hujus fine altera posteriorique manu additum : *Translatio ejus restat :* quæ verba translationem corporis S. Zenonis nono sæculo ineunte peractam, nec a Coronato in vita descriptam insinuant. Sequitur inscriptio Zezoniani operis his verbis : *Tractatus S. Zenonis Veronensis Episcopi.* Tractatus autem in duos libros dispertiti sunt, præfixa singulis tractatuum tabula. Primus continet tract. 62, secundus autem 41, ex quibus undecim postremi alio minoris diametri charactere ab alio posteriori scriptore subjecti fuere, ut nunc nuper monuimus. Tituli autem majusculo rubroque charactere depicti sunt. In fine autem codicis memorata notatio litteris majusculis expressa legitur : *Hincmarus archiepiscopus dedit S. Remigio.* Hæc descriptio codicis.

V. Nunc de codicis antiquitate et præstantia ut non nulla animadvertamus, rubricas quasdam marginales aliquot tractatibus antiqua, sed secunda manu appositas considerare maxime interest, quæ etsi suis quæque locis in subjectis adnotationibus recitabuntur explicabunturque, earum tamen hic catalogum oculis objicere, et gratum lectoribus, et nostro consilio perutile futurum putamus. Hæ nimirum ejusmodi sunt, ut eum codicem, antequam in Hincmari Remensis manus veniret, ad Ecclesiam Veronensem pertinuisse, ejusque in usu inter publica ecclesiastica officia jamdiu fuisse exploratum faciant, quod ad commendandam hujusce codicis antiquitatem, originemque præstantissimam demonstrandam plurimum confert. Eas autem notas non pro tractatuum, quibus affixæ sunt, serie, sed pro festorum ac feriarum, in quibus aliquot Zenonis tractatus inter sacra officia recitandi notantur, ordine describemus, indicatis tractatibus, quibus easdem suo loco subjectas et commentariis illustratas invenies.

Tractatus III, lib. II, hæc ad marginem habet : *In Natali Domini fratribus legenda in cubiculo post diaconorum ingressionem ante pontificem.*

Tractatus XIII, lib. I : *In octava Domini, pontificis nona lectio.*

Tractatus LXXII, lib. II : *Sabbato primo primi mensis coram Pontifice ante processionem recitanda.*

Tractatus XXX : *In primo symbolo in ambone a pontifice pueris recitanda.*

Tractatus XXXVI : *Recitanda pueris ante baptisma a pontifice.*

Tractatus XXXVIII : *In pascha pueris post baptisma a pontifice recitanda.*

Tractatus LV : *In paschate coram pontifice in cubiculo recitanda post diaconorum ingressionem ipso die paschatis.*

Tractatus XLV : *Recitanda in conventu a diacone ipso die paschæ coram pontifice, postquam ipse cum diaconibus a cubiculo descenderit et sederit, porrectis secundum morem malis cum pace præstita dicente pontifice : Surrexit Christus.* ℟. *aliis : Et ill.*

Tractatus XLIV : *A subdiacono in ambone recitanda, dum cum fratribus pontifex in conventu sederit.*

Tractatus LII : *Secunda feria paschatis in conventu fratribus coram pontifice recitanda ante stationem.*

Tractatus XLIII : *Ad S. Stephanum ad martyres secunda feria paschæ legenda in ambone, antequam pontifex consignationem sancti Spiritus celebrare incipiat.*

Tractatus L : *Tertia feria paschæ in conventu fratribus coram pontifice recitanda ante stationem.*

Tractatus LI : *In paschate quarta feria in conventu fratribus*, etc., ut in superiori rubrica.

Tractatus XLVII : *Quinta feria paschæ in conventu*, etc., ut supra.

Tractatus XXXV : *Recitanda pueris ante baptisma a pontifice in Pentecoste.*

Digitized by Google

Tractatus LXX : *In festivitate Sanctorum Firmi et Rustici fratribus recitanda.*

Ex his rubricis perspicuum sane fit, Remensem codicem ad usum publicum fuisse alicujus Ecclesiæ, ut statis quibusdam diebus sacra lectio in sacris cœtibus habenda exinde peteretur. Ecclesiam autem, cui ille usui fuit, non aliam esse quam Veronensem, præter conjecturam, quæ ex ipso Zenone ejusdem urbis episcopo duci potest, duæ præsertim rubricæ demonstrant, altera in tractatum XLIII, lib. II, ubi memoratur ecclesia *S. Stephani ad Martyres*, altera in tractatum LXX, ubi *festivitatis SS. Firmi et Rustici* fit mentio; quæ duo simul juncta Veronensi ecclesiæ unice conveniunt, in qua celebris et antiqua est ecclesia *S. Stephani ad Martyres*, et sanctorum martyrum *Firmi et Rustici*, quorum corpora hic requiescunt, festus dies solemni ritu colitur, ut in observationibus ad easdem marginales rubricas suo loco fusius docebimus. Patet igitur codicem hunc Veronensis Ecclesiæ jamdiu inservisse, antequam Hincmarus eo potiretur. Hinc autem antiquitatem ejusdem codicis colligere licet. Si enim hic codex ante Hincmarum in usu fuit Veronensis Ecclesiæ, jam etiam archiepiscopi ætate antiquiorem fuisse palam est; neque enim codici, qui in Hincmari gratiam recens transcriberetur, eas rubricas marginales alia manu apponere necesse fuisset, uti sane appositæ aliis in codicibus non leguntur. Itaque aliquo saltem sæculo ante Hincmari ætatem idem codex videtur fuisse scriptus, ut proinde ad sæculum saltem octavum pertinere jure credatur : et hinc forte post S. Zenonis vitam a Coronato Notario scriptam translationis ab eo omissæ fit mentio illis verbis : *Translatio ejus restat;* quam additionem cum secunda, sed antiqua tamen manu, sæculo nono ineunte, cum vix peracta fuisset translatio, et antequam codex in Hincmari manus veniret, Veronæ appositam satis credibile est; tum vero ipse codex prima manu octavo saltem sæculo exaratus dici debet. Cum porro hac in ecclesia, in qua S. Zeno sedit, tanto usui fuerit; maxima profecto cura ex exemplaribus antiquioribus exscriptus credendus est, quod præstantiam ejusdem cum tanta antiquitate conjunctam maxime commendat. De antiquissimo Remensi codice hactenus. Nunc de reliquis singillatim quidem, sed brevius.

VI. Cum apud Jacobum Philippum Thomasinum in Biblioth. Veneta mss. pag. 57 mentionem nacti essemus codicis Zenoniani, qui in bibliotheca Clericorum Regularium Tolentinatum, uti Venetiis vocant, servabatur, rem indicavimus Jo. Francisco Seguierio Nemausensi, indiviso illi Marchionis Maffeii in litteratis itineribus comiti, qui cum nuper ea in urbe esset, opem ferente P. Francisco Berlendis clerico regulari ejusdem loci, illum cum editis diligentissime contulit. Membranaceus codex est pulcherrimique characteris, quique ad XIII circiter sæculum pertinere putatur. Lectiones ad Remensem multum accedunt, at a librario minus perito et indiligenti scriptus apparet, cum, eadem voce alicubi recurrente, frequentes saltus occurrant. Hoc porro codicis initium est : *Capitula libri primi Sanctissimi Zenonis hujus almæ civitatis Veronæ Episcopi et Doctoris eximii.* Vox *hujus* ipsum codicem aut scriptum Veronæ, aut a Veronensi aliquo antiquo codice derivatum prodit. Deest primi tractatus *de Pudicitia* prima pagina, et a verbis *lubrica utilitate* initium fit. In tractatum *de Patientia* uno contextu insertum est longum quatuor paginarum fragmentum ex tractatu *in Psalm.* CXXVIII, quod subinde in hoc tractatu sub finem codicis descripto omittitur. Id autem ex eo videtur profectum, quod hic codex ex aliquo exemplo fuerit sumptus, in quo quaterniolum tractatus *in Psalm.* CXXVIII, extra suum locum transpositum, et tractatui *de Patientia* errore aliquo fuerit inligatum, ut ne id Tolentinatis manuscripti amanuensis adverterit. Equidem id ipsum plane in ms. Vaticano accidisse videbimus paulo post. Liber secundus uno eodemque charactere, quo totus codex scriptus est, additionem habet undecim illorum tractatuum, quos in Remensi alia manu adjectos observavimus; et solum in his tractatus *de Livore et Invidia* divisus est in duos, quod ipsum in Vaticano deprehenditur. Hos tractatus undecim, qui ob memoratam divisionem evadunt duodecim, sequitur tractatus *de signo sanctæ Crucis :* est autem hymnus octo stropharum, quem e Prudentii longiori hymno decerptum in præfatione ad Appendicem ostendemus : et hæc additio in duobus aliis Vaticano atque Pompeiano codicibus reperitur. Tum vero secundus liber hac clausula terminatur : *Expliciunt S. Zenonis sanctissimi civitatis Veronensis Episcopi, et pastoris ipsius civitatis diligentissimi.* Hæc autem clausula in alio solum monasterii S. Zenonis manuscripto legitur. Adduntur tandem in eo codice tractatus duo, qui in duobus aliis Zenonianis mss. item describuntur, alter de Vita, alter de Translatione S. Zenonis, et sunt illa duo monumenta a quodam monacho Zenoniano conscripta, quæ marchio Scipio Maffeius inter alia diplomaticæ Historiæ subjecta edidit pag. 320, et utraque in mss. Pompeiano ac Zenoniano similiter prostant.

VII. In Vaticana bibliotheca quatuor S. Zenonis codices esse accepimus : at cum numeri, quibus notati sunt, non nisi duorum suppeterent, duorum tantum collationem nobis procuratam a P. Josepho Blanchinio accepimus, Vaticani 1235 et Vaticani Urbinatis 150, quos in editione S. Gaudentii indicaverat Paulus Galeardus Canonicus Brixianus, qui præterea testantibus sibi Francisco Blanchinio, et Carolo Majello Romanis prælatis eruditissimis, eos XIII sæculo scriptos affirmavit. Hos autem accurate collatos habere maxime intererat. Cum enim hi utrique insertum habeant sermonem S. Gaudentii, qui in prima quoque S. Zenonis editione libro tertio penultimum locum obtinet (unde codicem a Guarino in episcopii Veronensis bibliotheca inventum duobus illis persimilem agnoscimus) maximum desiderium incessaret videndi, utrum illis in codicibus idem

Digitized by Google

tractatuum ordo esset, an diversus, ac in codicibus reliquis, idque cognoscere ad controversiam hac in re potissimam non temere decidendam plurimum pertinebat. Vaticanus, quem sæculo XIII scriptum censet etiam P. Josephus Blanchinius, membranaceus est, et Veneto illo PP. clericorum regularium Tolentinatum multo emendatior, qui tamen cum eas quatuor paginas in sermonem *de Patientia* perperam trajectas, eumdemque Basilianum tractatum in duos dispertitum similiter referat, ex eodem Veneti illius codicis fonte profectus apparet. Idem cæteroqui in hoc, perinde ac in reliquis mss. exsistit tractatuum ordo, et solum tractatibus undecim in Remensi alia manu sub finem descriptis, et tractatui *de signo Crucis* subjicitur, pag. 197, memoratus sermo *S. Gaudentii Brisciani de Petro et Paulo*, tum pag. 198, alia additio sic : *Incipit S. Vigilii episcopi de laudibus beatissimorum martyrum Sisinnii, Alexandri et Martyrii, quorum reliquiæ per Jacobum virum Illustrem ad Episcopum Joannem urbis Constantinopolitanæ pervenerunt.* Hæc S. Vigilii episcopi Tridentini epistola illa est ad S. Joannem Chrysostomum scripta, quam Bollandistæ ex alio Vaticano codice 5374 ediderunt. Vaticani nostri initium hoc est : *Tractatus S. Zenonis nobilissimæ ac magnificæ civitatis hujus Veronensis Episcopi et Pastoris sanctissimi;* ex quibus is codex aut Veronensis, aut e Veronensi antiquiore olim descriptus agnoscitur.

VIII. Manuscriptus liber Urbinas 150, qui Vaticano hactenus descripto posterior aliquanto, et forte sæculo XIV exaratus P. Josepho Blanchinio videtur, membranaceus item est, ac incipit sic : *Zenonis Veronensis Episcopi Viri sanctissimi atque doctissimi sermo* I *de Pudicitia.* Alicubi paginæ quædam desiderantur, at idem prorsus tractatuum ordo, nec additio habetur Hymni *de signo Crucis*, sed hæ pag. 163 tergo sermo Sancti Gaudentii, et pag. 148 S. Vigilii Tridentini epistola iisdem cum titulis, quos ex Vaticano descripsimus, et præterea quinque opuscula S. Hieronymi nomine inscripta, quæ partim genuini ejus sunt fetus, partim supposititii : tum hæc clausula in fine libri apposita : *Finis Operis S. Zenonis Episcopi et quarumdam aliarum rerum.* Duæ hujus codicis rubricæ duobus S. Zenonis tractatibus præfixæ prætermittendæ non sunt. Prima in tractatum 14 lib. II : *Dominica* III *in Quadragesima, Lectio* I, II, III *Tractatus de Juda.* Altera in tract. 15 ejusdem lib. II : *Tractatus de Job Lectio B. Zenonis hujus Sedis Episcopi.* Cum vero ex hac postrema rubrica liquet, hunc quoque codicem ad Veronensem Ecclesiam pertinuisse, vel potius exscriptum ex aliquo vetustiore, qui eidem Ecclesiæ usui esset : tum vero ex utrisque titulis palam est, hos sermones inter sacra officia fuisse aliquando in hac Ecclesia publice lectos, idque posterius invectum, quam scilicet Remensis codicis rubricæ, quæ inter plures id generis adnotationes nihil ejusmodi referunt, exsoleverint : et hinc forte Ratherius hujus sedis episcopus ex sermone *de Juda* ter quoddam Zenonis testimonium sumpsit, ut adnotat. 32 in eum tractatum pluribus observabimus. Hisce duobus Romanis codicibus addendus ms. Basilicæ S. Petri in Vaticano scriptus ineunte XIII sæculo, vel ineunte XIV, signatus littera F. 33, quem cum prostremum nobis suggesserit humanissime Josephus Blanchinius, nec procedente jam editione, totius operis collationem exspectare per tempus liceret, aliquot solum tractatuum et difficiliorum locorum variantes lectiones postulavimus et obtinuimus. Cæterum idem in hoc quoque codice tractatuum ordo cernitur, eadem Appendix ac in Remensi; tituli autem soli alicubi discrepant. De mss. externis satis.

IX. De Veronensibus autem ut nonnulla dicamus, inter mss. monasterii S. Zenonis ille inventus non est, quem Petrus Calo ordinis Prædicatorum ineunte sæculo XIV se ibidem vidisse in mss. Collectaneis ab Henschenio laudatis testatur. Unum tamen posteriorem aliquanto ex membranis compactum, et scriptum, ut videtur, sæculo XV, in ejusdem monasterii bibliotheca reperimus, et idem ille est, quem editores Veronenses *vetustum* appellant, ut hac in præfatione paulo ante indicavimus. Idem in hoc codice ac in cæteris ordo, idem tractatuum additorum numerus ac in Remensi, et solum tituli, seu inscriptiones tractatuum alicubi variæ, cujusmodi plures in prima editione, non autem in mss. memoratis leguntur. Tractatus excipit S. Zenonis Vita et Translationis historia, quam Zenonianus monachus exaravit; deinde ea clausula, qualem in fine codicis Veneti innuimus; ac tandem aliena manu fragmentum apponitur Rhythmi *de Veronæ laudibus*, quem a quodam Anonymo scriptum Pipini temporibus alibi dicemus. P. Varescus ejusdem cœnobii monachus et a bibliotheca codicis copiam fecit, eidemque conferendo opem impendit.

X. Alius codex chartaceus sub finem XV sæculi pessimo charactere exaratus, miscellanea quædam variorum auctorum continens, septem sermones ex aliquo codice Zenoniano excerptos primo loco exhibet, ex quibus sex Zenonem habent auctorem, alius autem ex Appendice sumptus fuit : hi autem sunt hoc ordine scripti : *De Adtende tibi*, ex Appendice; *— de Pudicitia; — de Continentia; — de Nativitate Domini; — de Humilitate; — de Jona propheta; — de Resurrectione.*

XI. Manuscriptus liber, quem Sparaverianum appellabimus, nobis inspectus non fuit, sed illum perceleber et nobilis vir Franciscus Sparaverius olim cum editis contulit, variantesque ejus lectiones notavit in observationibus ad Zenonis sermones, quas cum novam hujus scriptoris editionem meditaretur, sub vitæ exitum lucubravit, imperfectasque morte interceptus reliquit. Cujus ille codex fuerit, et ubi nunc sit, ignoramus; nisi forte idem ille haberi debeat, qui in Sebastiani Pisani junioris, Veronensis episcopi, et Sparaverio coævi libris exstitisse proditus est, nec tamen quo post ejus mortem transierit invenire licuit. Sparaverii autem codex ejusdem fere generis fuisse videtur, ac membranaceus monasterii S. Zenonis, cum easdem sæpe tractatuum inscriptio-

Digitized by Google

nes præferat. Cum tamen *in* aliquibus discrepet, et diversas lectiones non nullibi exhibeat, ut in adnotationibus suo loco apponendis monebimus, e diverso exemplo descriptus satis proditur. Hujus autem lectiones variantes Sparaverio debemus, ejusque ex observationibus in fine præsentis voluminis referendis illas excerpsimus.

XII. Tandem recentioris quidem ætatis, sed accuratioris librarii codicem suppeditavit Comes Alexander Pompeius, ut proinde Pompeianus appellandus deinceps sit. Ex Pellegrinæ Familiæ stemate, quod in fronte depictum affabre cernitur cum inscriptione *Peregrini Peregrinii*, ad eum hujus familiæ illustrem virum olim pertinuisse cognoscitur, qui post medium XV sæculum floruit, et sub idem tempus codex exaratus apparet. Ordo numerusque tractatuum idem ac in Remensi. Additur hymnus *de signo Crucis*, qui tamen sine ulla inscriptione, uno contextu cum postremo addititio tractatu prima manu scriptus, secunda manu distinctus exhibetur. Præterea Vitam ac Translationem S. Zenonis a monacho Zenoniano lucubratas, et Anonymi Pipiniani fragmentum, ut in ms. monasterii S. Zenonis, postremæ paginæ suggerunt. Mirum videri possit in præstantissima capituli Veronensis bibliotheca, in qua tot vetusti codices diligenter servantur, nullum S. Zenonis potuisse reperiri; at cum alii non pauci, quos olim ibidem exstitisse memoriæ proditum est, vicissitudine temporum deperierint, inter hos transvolasse ms. libros S. Zenonis nihil ambigimus. Fuisse quidem ibidem aliquem id generis codicem non tantum conjici potest ex Joanne presbytero, mansionario Ecclesiæ Veronensis, quem (ut pluribus adnotabimus dissertatione, prima c. 3, § 1) non alibi Zenonis codicem vidisse et legisse satis probabile est; sed palam etiam fieri videtur ex editione Veneta S. Zenonis, quæ cum codicis meminerit a Guarino inventi *in Episcopii Veronensis bibliotheca*, nec alia episcopii bibliotheca tradita sit, quam capituli cathedralis ecclesiæ, in hac procul dubio codicem illum inventum exstitisse arbitramur.

XIII. Novem itaque sunt codices, quos habere contigit, et eo utiliores fuere, quod (si Zenonianum chartaceum excipias) omnes S. Zenonis sermones singuli contineant, sicque sermones omnes cum octo codicibus conferre licuit, præter tractatus aliquot, quorum variantes nec Basilicæ Vaticanæ codex sero indicatus, nec Sparaverius, imperfectum opus relinquens, suppeditarunt. Etsi autem hi omnes codices, non modo eumdem, qui in antiquissimo Remensi cernitur, sermonum ordinem sequantur, sed uno etiam charactere transcriptos præferant tractatus, qui duplici manu in Remensi exarati leguntur: nemo tamen ex hoc Remensi tamquam ex fonte cæteros profluxisse idcirco existimet. Imo vero cum in Remensi præter variantes lectiones et titulos variantes, aliquot idemtidem sententias suo quasque loco notandas librarius per saltum præterierit, quas in aliis manuscriptis suppletas nacti sumus; alios procul dubio codices integros et Remensi antiquiores, ex quibus illæ supplerentur sententiæ, ab aliquo saltem antiquo amanuensi adhibitos palam est; quod quantum conferat tum ad collectionis hujus antiquitatem probandam, tum ad ostendendum veterum exemplarium numerum, nemo est qui non videat.

XIV. Quod si de ipsa collectionis origine valde probabiliter conjicere liceat, quod ad multa utile futurum est, eam paulo post S. Episcopi mortem, ipso quarto sæculo exeunte vel ineunte quinto, ex schedis ejus Veronæ relictis eductam atque expressam credimus. Auctorem quidem eam nec parasse, nec edidisse, sermones quidam imperfecti, repetiti, ac mutili prorsus suadent. Una nimirum vel præcipua apud veteres Ecclesiæ Patres cura fuit, opera adversus Gentes, vel hæreticos lucubrata, aliaque historica, catechetica, vel aliis nominibus utilia ac necessaria litteris mandare et edere; de sermonibus autem, qui a quovis Episcopo ad populum familiariter habebantur, non tanta exstitit cogitatio, quippe quos nullis litteris consignatos illi fere recitabant ex tempore, vel, si committerent litteris, non tanto studio edolabant, ut in publicum emittendos censerent. Hinc inter infinitos propemodum episcoporum, quos antiquitas eloquentiæ etiam laude commendat, sermones, pauci admodum scripti ad nos pervenere, et ex iis non omnes ab ipsis auctoribus collecti et editi; sed quidam in schedis relicti, alios habuere, qui illos post auctorum mortem colligendos et edendos curarunt. Illud autem inter sermones collectos et editos ab ipsis auctoribus, aut ab aliis interest, quod primi generis sermones integri, æquales, elaborati, et perpoliti inveniuntur; cum nemo nihil nisi perfectum et enucleatius lucubratum emittere soleat: at alterius generis orationes sæpe rudes, nonnumquam mutilæ imperfectæque cernuntur. Itaque etsi S. Zeno primus sit Latinorum Patrum cujus sermones prodierunt, ut in proœmio ad dissert. 2 ostendetur, ipse tamen hanc collectionem haud parasse et edidisse credendus est; sed quæ in usum sermonum, quos ad populum frequentissimos habuit, post mortem in schedis reliquit, ea ab aliis inventa, ob eximiam Sancti viri existimationem colligenda naviter visa sunt, idque tanta factum diligentia, ut quidquid reperiri potuit, sive perfectum, sive minus, totum, collectione et editione dignum judicatum sit, fragmentum licet exiguum esset, vel exordiolum, vel unica etiam periodus. Quæ animadversio necessaria omnino fuit ad vindicanda non pauca, quæ in Zenonis tractatibus imperfecta, vel paucis additis, seu mutatis, totidem verbis repetita meminimus: quæ si ipsemet Auctor edenda cogitasset, nihil dubii est, quin suppressisset repetita, cætera autem ad umbilicum perduxisset perpolisseque. Hinc etiam de corruptis non nullis locis, quibus nulli codices remedium adferre potuerunt, conjectatio exoritur, id non omnium amanuensium in eumdem errorem conspirantium vitio evenisse, sed quadam primi forte Collectoris necessitate, qui cum omnia Zenonis, quæ-

Digitized by Google

cumque essent, etiam fragmenta, colligenda sibi sumpsisset, idque ex schedis non nullibi deletis, vel in quibus superductæ, ut in primo exemplo fieri solet, essent voces, aut lineæ; alicubi necesse fuit exscribere, quæ non bene legerentur, vel in quibus deesset forte aliquid: quibus de rebus alicubi eumdem collectorem errare, unam vocem pro alia legere, mutilum etiam sensum exhibere oportuit, quos defectus alii posteriores librarii exceperunt, ut spes nulla sit fore, ut ulli alii codices, qui forte alicubi exstant, quibusdam locis medeantur. Itaque si hac in editione pauca quædam loca minus satisfaciant, nemo id neque Auctori vitio det, ac si non ille sit disertissimus et perspicuus orator, qualem aliis ex tractatibus cognoscimus; nec nobis, qui si minus correximus, codicibus nihil opitulantibus, ex arbitrio manus inferre in textum nequaquam debuimus: sed ad collectionis rationem, quam diximus, animum revocet, et æquum cum de Auctore, tum de nobis, imo etiam de ipso antiquo collectore judicium ferat.

XV. Hinc autem cognitis quæ ad codices pertinent, quantum nihilominus ex his profecerimus tum ad internoscendos genuinos S. Zenonis sermones a suppositiiis, tum ad multa loca emendanda, variantesque lectiones insigniores in adnotationibus cuique tractatui subjectis describendas, ex dissertationibus atque adnotationibus ipsis patebit. Nunc ut de totius editionis partitione ac ordine deque aliis per nos præstitis dicamus, si primo neque codicum, neque editorum divisionem ac ordinem secuti sumus, nemo succenseat. Editorum distributionem et ordinem si essemus secuti, spuria genuinis inserta edenda fuerant; illisque separatis, minus æqualis librorum moles erat futura: ac præterea tractatuum inscriptiones, quæ in editis mutatæ fuerant, exactæ ad codicum fidem, alium non numquam postulare ordinem videbantur. Codicum vero seriem, quæ in omnibus eadem est, ne teneremus, ea cogitatio deterruit, quod in mss. non tantum breves tractatus cum longis admisti sint, quod non minimum videbatur offendere; sed tractatus etiam ejusdem tituli ac argumenti, qui una edendi fuerant, hac illac dispersi ac separati inveniantur, ut ne qua ratio cur id factum fuerit satis occurrat, nisi quod primus collector, quidquid quocumque ordine venit in manus, transcripsit, nulla alia in scribendo ratione sibi præstituta, quam ut omnia Zenoniana in schedis inventa referret in codicem. Igitur hac in deliberatione dubitatio non levis diu nos ancipites tenuit; cum præsertim quidquid aliam in rationem constituendum menti obversabatur, exorientibus mox variis undequaque difficultatibus, displicere inciperet, nec satis tuta aperiretur partitionis atque ordinis ratio, quæ nullo ex capite laboraret. Cum vero decidendum aliquid fuerit, ea minori reprehensioni obnoxia ratio visa est, ut repetitis fere codicum inscriptionibus, quæ cuique tractatui præfiguntur, ejusdemque inscriptionis tractatibus in unum collectis universos sermones divideremus in libros duos. In primum longiores tractatus conjecimus (quibus si inseruimus unum brevissimum *de Avaritia*, ideo inseruimus, quod illum a duobus ejusdem argumenti sejungere æquum non fuit) et hi sunt omnes tractatus de virtutibus et vitiis, cum quatuor aliis longioribus, quos sub finem ejusdem libri dabimus. In secundo autem libro breviores tractatus describentur, qui etsi plures numero, brevitatis tamen causa longioribus illis mole æquales fere sunt: et primo quidem ponentur qui ad Christum Deum et hominem pertinent, tum illi de Sanctis Veteris Testamenti, ac tandem tractatus de S. Arcadio, qui unus ex Novi Testamenti Martyribus a S. Zenone laudatus invenitur. Sequentur tractatus non nulli in aliquod Scripturæ testimonium; ac postremo subjicientur Paschales multi et breves tractatus, quos præcipua admonitione omnino legenda præmuniendos censuimus. Ne quis vero codicum et editionis Veronensis, quæ vulgo allegatur, ordinem desideret, utrumque cum novo collatum distinctis tabulis ante ipsos sermones dabimus.

XVI. Duos hosce libros, qui sinceros Zenonis tractatus continent, excipiet Appendix, in quam undecim tractatus ipsi perperam adscriptos, ac suis auctoribus restitutos, quos ex peculiari præfatione cognosces, rejecimus. *Tractatuum* potius quam sermonum, ut erat in antea editis, nomen ipsis sermonibus præscripsimus, cum eam inscriptionem omnes codices constanter præferant, eaque appellatio antiquæ ecclesiasticæ locutioni propria, ac frequentius usurpata inveniatur. Etsi enim *tractatus* olim vocarentur Episcoporum collocutiones de aliquo Ecclesiæ negotio, ut liquet ex Cypriani epist. 51 et 52, apud Zenonem autem *tractatus* nonnumquam appellentur disputationes de fide per ea tempora scriptæ et editæ, ut palam fiet ex adnotatione 26 in tractatum 1 lib. I; tamen sicuti *tractare* (*quod est episcoporum*, ut Optatus testatur libro VII in Parmenianum) a Cypriano primum epist. LVI, ac dein ab aliis frequenter accipitur pro concionem habere in publicis Ecclesiæ cœtibus; ita *tractatus* vox pro episcopali concione ad populum solemni formula invaluit, eodemque sensu passim quamplurium antiquorum Patrum concionibus præfigitur, ut ex SS. Gaudentii, Augustini, Leonis Magni, etc.. codicibus, et nonnullis etiam exactis ad fidem codicum editionibus discimus. De adnotationibus porro, quas cuique tractatui subjecimus, illud lectores præmonemus, nos nobismet haud proposuisse solummodo vel correctionum rationem adferre, vel selectas variantes lectiones apponere, vel difficiliora loca explicare, sed prospexisse etiam alia nonnulla, quæ tum ad confirmandam auctoris ætatem, tum ad Latinæ locutionis puritatem vindicandam necessaria fuerunt. Igitur in gratiam nonnullorum, qui præjudiciis aliquot jam inolitis devincti tenentur, oportuit, pares quasdam aliorum IV vel sequioris etiam sæculi Patrum sententias alicubi recitare, quibus aliquas Zenonis for-

Digitized by Google

nulas, seu testimonia non nulla, antiquioris multo ætatis vulgo existimata, in quartum quoque, vel posterius etiam sæculum cadere probaretur. Voces, seu loquendi rationes aliquot minus usitatas, quæ exoticæ vel infimæ latinitatis videri possent, probatiorum, si fieri potuit, scriptorum indicatis exemplis purgare studuimus, adeo ut perpaucæ illæ, quas apud neminem reperimus, satis ex cæteris vindicatæ maneant, cum præsertim non omnes Romanæ et antiquæ voces in libris veterum inveniantur. Quædam præterea non numquam attigimus, quæ cum peritis nota sint, prætereunda fortasse quispiam duxerit. Sed hunc, quisquis est, rogatum volumus, consideret, nos minus eruditis quoque, a quibus etiam Zenonis editio desideratur, debuisse consulere.

XVII. Trium porro dissertationum, quæ *prolegomena Zenoniana* conficiunt, ratio hæc est. In prima separatis genuinis Auctoris tractatibus a spuriis, genuinorum defensio ac vindiciæ suppetent adversus ea quæ a criticis objecta fuerunt, simulque certa Auctoris ætas, unde difficultates potiores impactæ fuerunt, adeo luculenter, ut nobis quidem videtur, probabitur, ut nemo nisi morosus nimis judex non sit assensurus. In altera præjactis in procœmium non nullis de horum tractatuum ad dogmata veterisque disciplinæ præcipua quædam capita cognoscenda utilitate et præstantia, quæ nisi opportunum ibi locum nacta fuissent, hic non erant prætermittenda, his, inquam, præjactis quædam Auctoris paulo duriores vindicabuntur sententiæ; ibique præsertim Arianæ hæreseos Zenoni objecta a Petavio suspicio, explicatis nova quadam interpretatione aliquot ejus non bene hactenus intellectis testimoniis, luculentissime diluetur atque disjicietur. Tertia autem dissertatio, quidquid ad vitam, mortem, cultumque sanctissimi Episcopi aliquo in lumine collocandum pertinebit, quatuor capitibus proponet. Cæterorum, quæ in hanc editionem perficiendam contulimus, rationem (cum ex ipsorum lectione obvia futura sit), ne morosiores simus, prætermittimus. Unum nunc restat, ut Joannem Bragadenum Episcopum nostrum meritissimum, et Joannem Franciscum Muselium cathedralis Ecclesiæ archipresbyterum, qui huic editioni quam maxime faverunt, eamque ex Seminarii typographia, utrorumque consilio et ope recens instituta et exstructa, voluerunt prodire, honoris causa nominemus, quos ut Deus Optimus Maximus non minus hujus Ecclesiæ, quam Rei litterariæ bono diu incolumes sospitesque conservet, adprecamur.

DISSERTATIONES

DE S. ZENONIS OPERIBUS, ACTIS, CULTU ET ÆTATE (1).

[XXXIII] DISSERTATIO PRIMA.

DE GENUINIS TRACTATIBUS S. ZENONIS ET DE EJUSDEM ÆTATE.

PROŒMIUM.

In quo variis Criticorum censuris ac difficultatibus recensitis, ac separatis subinde certo codicum indicio suppositiis tractatibus, qui potiorum difficultatum origo fuerunt, quidquid de cæteris genuinis hac in dissertatione statuendum est, proponitur.

Antequam genuina S. Zenonis opera secernimus ab iis, quæ ipsi perperam tributa fuerunt, eumque certum ipsorum auctorem statuimus: quid hac super re eruditi homines senserint, quæque eos moverint argumenta, proponendum nobis esse intelligimus. A Sixto Senensi, qui difficultates non exiguas primus objecit, cæterisque facem prætulit, exordiendum. Hic ergo lib. IV Bibliothecæ enumeratis sermonibus, qui in editione Veneta an. 1508 recensentur, hoc de iisdem judicium tulit: *Constat hos sermones majori ex parte collectos esse ex diversis auctoribus, qui ducentis pene annis fuere posteriores.* Hujus autem judicii rationem subjiciens ait: *Nam sermones, qui psalmos a nobis enumeratos* (LXXIX, C, CXXVI, CXXVII, CXXVIII, CXXIX, CXXX) *exponunt, descripti sunt ex commentariis Hilarii ne verbo quidem immutato: sermo de Attende tibi una cum alia concione de Livore et invidia, quæ in eodem volumine hunc subsequitur, D. Basilii est. Cæteri vero sermones, sive magis fragmenta sermonum, ob styli diversitatem varios arguunt auctores. Sed et auctor sermonis de Continentia, qui hoc opere continetur, affirmat se a Christi ortu abfuisse annis quadringentis et eo amplius.* Idem porro fretus auctoritate Petri de Natalibus Equilini episcopi, qui in Catalogo sanctorum Zenonis vitam describit, nihil ambigit, quin idem Sanctus sub imperatore Gallieno floruerit; et hac in hypothesi memoratos sermones indicatis jam rationibus ab eodem abjudicandos existimavit.

Post Sixtum Cæsar Baronius, postea cardinalis, in prima Martyrologii Romani editione eadem persuasione occupatus, adeo ut secutus Galesinii sententiam, Zenonem martyribus, qui sub Gallieno passi sunt, in eodem Martyrologio accensendum nihil du-

(1) In editione Balleriniana præcedunt indices intra paginas XXVI et XXXIII contenti consultoque a nobis prætermissi, ut pote nihil utilitatis nostræ editioni conferentes. EDD.

Digitized by Google

bitaverit, non hunc, sed Zenonem alium Veronensi Ecclesiæ, ut putabat, cognitum, qui paulo ante S. Ambrosium vixerit (ut ex hujus epistolis colligi sibi videbatur) eorum sermonum auctorem censuit, cum præsertim serm. 5 lib. III, ex prima Veneta editione, nunc autem tract. 7 lib. II, Arii hæresis aperte notetur, id quod auctorem sæculo IV citius adscribendum ostendit.

Hæc cum ita se haberent, S Zenonis sermones Veronæ jubente cardinali Augustino Valerio Raphaelis Bagatæ et Baptistæ Peretti studio iterum prodeunt; hi autem intelligentes *Veronensis Ecclesiæ perpetua traditione* nullum alium Zenonem episcopum ei cognitum unquam fuisse *præter Zenonem episcopum et martyrem*, ut hunc, qui sub Gallieno martyrium obiisse tradebatur, sermonum auctorem esse defenderent, Sixti Senensis aperte, Baronii autem suppresso nomine argumenta diluere in præfatione conati sunt. Ad id igitur, quod ex Ambrosii epistolis Baronius objecit, reposuerunt nihil esse, quod Zenonem ibidem memoratum [XXXIV] Veronensem episcopum esse convincat. Arianismi porro errores satis aiunt potuisse a Zenone impugnari adversus Origenem, qui ex Epiphanio Arii pater fuit. Quod autem ex quadrigentorum annorum notatione in tract. 5 de Continentia Sixtus Senensis collegit: mendum irrepsisse in numerum nihil dubitant, ac proinde eo in tractatu *ducentos* pro *quadringentos* supposuere. De quatuor vero sermonibus, qui inter S. Basilii homilias Græce scripti reperiuntur, argumenta sibi non deesse inquiunt, *quibus probare liceret eos quoque* Græcos *sermones ad S. Zenonem nostrum pertinere*, ex eo scilicet, quod hunc multo ante S. Basilium in Oriente prædicasse existiment. Sed hac re derelicta, quod *contentiosi esse nolint*, transeunt ad quinque tractatus, qui in S. Hilarii commentariis totidem verbis recensentur; cumque præter hos quinque unus alius exstet *in psalmum* CXXX ab ipsis inscriptus (a nobis autem ex mss. *de Humilitate*, tract. 7 lib. I) qui dubio procul Zenonianus est, quippe qui in Hilarii operibus non legitur: Zenonianum quoque esse alium tractatum similem in eumdem psalmum nequaquam ambigunt, propterea quod easdem sententias eademque non nunquam verba refert, et sicut hunc, ita et alios quatuor eidem auctori tribuendos colligunt, omnesque in Hilarii commentarium ab aliquo fuisse insertos arbitrantur. Omnes vero tum Basilii, tum Hilarii, uti a censoribus vocabantur, tractatus, cum in vetusto, quem appellant, codice una cum Zenonianis repererint, *defraudare*, inquiunt, *S. Zenonem debitæ suæ laudis possessione ausi non sumus*. Quæ porro objectio ex stylo et brevitate a Sixto urgetur, satis bene diluitur. Tandem confirmaturi sanctum Zenonem III sæculi auctorem eos sermones scripsisse, quædam ex iisdem antiquitatis indicia colligere student, quorum præcipuum persecutionum martyrumque mentionem spectat, Petrique de Natalibus episcopi Equilini ac Flavii Blondi, qui primæ editioni præcesserunt, testimonia allegant. Perettus vero in Latinis scholiis ad Zenonis vitam subinde editam an. 1597 suffragia addidit Guillelmi Pastrengi et Michaelis Fossati, qui omnes ante eamdem editionem Zenonis sermonum mentionem fecerant.

Hanc præfationem cum legisset Baronius, intelligens a Veronensi Ecclesia unum tantum agnosci Zenonem episcopum, eumdemque esse illum, qui sub Gallieno martyr colitur, sermonumque auctor habetur, priorem repudiavit sententiam, decrevitque Martyrologii notationes ea in parte emendare, idque ipsum se facturum cardinali Valerio Romæ tum degenti recepit, ut liquet ex hujus epistola ad editores Veronenses data die 17 januarii an. 1587, cujus fragmentum Perettus in scholiis ad vitam Zenonis edidit. Enimvero id, quod pollicitus est, præstitit in additionibus ad Martyrologii notationes, quæ secundæ editioni insertæ sunt, ubi Zenoni martyri sub Gallieno tractatus omnes ejusdem nomine inscriptos vindicare non ambigit, iis tantummodo exceptis, qui contra Arianos explorate disserunt, et hos quidem inter Zenonianos ab amanuensibus perperam intrusos opinatur, *cum novum non sit in operibus unius veteri scriptoris aliquid alterius admisceri*. Hæc autem opinio ita Baronii animo inhæsit, ut scripserit, *errare certe illos sibi videri, qui unum adserentes Zenonem, eum Ambrosii temporibus vixisse volunt, eaque potissimum ratione, quod auctor in serm. de Pudicitia* (melius de Continentia) *numeret ab apostoli Pauli ad Corinth. primam scribentis epistolam tempore annos, ut ait, ferme* CCCC *et eo amplius*. Cui oppositioni responsurus addit: *Certe si quis numeret annos quadringentos ab an. Domini* 57 *quo illam esse a Paulo scriptam epistolam in Annalibus demonstravimus; oportuit auctorem eum scripsisse an.* 457, *post obitum vero Ambrosii, qui, ut habet Marcellinus in Chronico, obiit an. Domini* 397. *Quamobrem cum illa numeri nota nec, ut volunt, Ambrosii temporibus aptari possit, mendosam esse neminem puto jure posse negare*: et ita emendationem *ducentos* ab editoribus Veronensibus factam probat. Zenonem autem tertii, non quarti sæculi scriptorem fuisse tribus argumentis confirmare nititur. Primo quod auctor invehatur vehementer in feminas gentilibus nubentes, idolorumque templa tunc fuisse patentia, victimasque immolari solitas prodat, quæ Constantini et Constantii legibus vetita, et Ambrosii proinde ævo aliena Baronius censet. Dein idololatriæ signa ipsaque idola in nummis sculpta colligit ex serm. 2 de Avaritia, qui nunc est tr. 10 l. I, quod ad ætatem, in qua ethnici imperatores dominarentur, referendum indubie [XXXV] statuit: nam a *Constantino Magno*, inquit, *jussum esse, ut nummus Crucis signo imprimeretur, testatur Sozomenus lib.* I, *cap.* 8, idque ex aliis aliorum Constantini successorum numismatibus, quæ exstant, multo luculentius demonstrari affirmat. Hanc tandem animadversionem tertio loco urget: *Cum auctor in sermone de Spiritu Ædificat. domus Dei plane demonstret, eo tempore nullum templum, aut perrarum fuisse erectum, quod posset comparari cum ædibus idolorum, prorsus significat,*

Digitized by Google

se ante Constantini tempora claruisse, cujus opera certum est tum in Occidente, præsertim vero Romæ, quam in Oriente, ut Hierosolymis, Antiochiæ, et Constantinopoli, aliisque in locis augustissimas erectas esse basilicas. Ejusmodi est postrema cardinalis Baronii sententia, ut mirum sit maxime, hunc a P. Labbeo inter eos accenseri, qui Zenoni Veronensi hos sermones falso tribui opinati sunt. Vossius quidem de Hist. Latinit. lib. III, p. 4, cap. 2, id exploratum habens, *Hic* Baronius *tamen*, inquit, *complures saltem sermones esse genuinos haud diffitetur.*

Ut Possevinum prætereamus omnia fere exscribentem ex Sixto, venimus ad Bellarminum, qui præmittit nullam de Zenone fieri mentionem sive ab Eusebio in Historia, sive ab Hieronymo in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis; tum vero Hilarii Basiliique sermonibus notatis, de reliquis quid dicat, nihil habere se ait, præter aliorum brevitatem, et repetitionem aliorum ac obscuritatem. Illud tandem penes se omnium maxime valere testatur, *de his sermonibus nullam exstare apud veteres mentionem*, primumque, qui illos invenerit, esse Guarinum oratorem Veronensem.

Barthius, qui Zenonis sermones legerat, eosdemque plurimi faciebat, censuit, lib. XLII cap. 18 Adversar., *tantam esse sermonum illorum diversitatem, ut multos inesse operi illi non solum non ejus eloquentissimi Antistitis existimet, sed etiam longe recentiores quam quilibet de grege cæterarum concionum.*

Augustus Buchnerus, qui Zenonem item legit, diss. 389, pag. 257, non modo tractatus ejus laudat, sed vindicandos etiam pluribus contendit, adductis inter cætera testimoniis non solum Bagatæ et Peretti atque cardinalis Baronii, *sed ipsius Casauboni etiam, qui hunc Zenonem vetustissimum Patrem nominat, et Deciorum tempore scripsisse diserte tradit.*

Robertus Cocus, heterodoxus Anglicanus in libro Londini edito an. 1623, cui titulus: *Censura quorumdam scriptorum, quæ sub nominibus sanctorum Patrum et veterum auctorum citari solent*, p. 84, dictatorio more hæc de Zenonis sermonibus pronuntiat: *Zeno Veronensis est suppositilius:* et Sixti, Baronii, Bellarminique difficultates inculcat.

Andreas Rivetus pariter heterodoxus lib. IV Critici sacri cum Sixti Senensis mentem non bene assecutus esset, hoc unum de suo adjecit, quod *neque ejus Zenonis scriptorum aliquid exstabat ante an.* 1508, *quo tempore sub ejus nomine editi sunt sermones non pauci a Guarino Veronensi Oratore Venetiis:* ac si Guarinus eo anno vivens sermonum ejusmodi auctor et editor fuerit, quam sententiam alii subinde exscripsere.

Ughellius, tom. V Italiæ sacræ in Veronensibus episcopis antiquam Baronii opinionem repetens, duos Zenones recensuit, quorum alter sub Gallieno, alter vero Ambrosii ævo floruerit; et hunc postremum sermonum auctorem esse opinatus est.

P. Labbeus (ut mittamus reliquos intermedios, qui plerumque Sixtum, Baronium ac Bellarminum secuti, nihil novi intulerunt), etsi præviderit eos tractatus *a quibusdam doctis* Zenoni Veronensi adjudicari, nihilo tamen minus ea opinione impeditus, qua Gallieno imperante, Zeno vixisse traditur, editores Veronenses in adserendis eidem sermonibus *oleum operamque apud idoneos judices perdidisse*, nec ad eorum sententiam se posse accedere confessus est. Nonaginta eosdem sermones esse ait, cum sint multo plures, aliorumque criticorum censuras repetit et statuit, eo potissimum præjudicio innixus, quod Zeno obierit martyr sæculo III. Dein observat, et recte quidem, Zenonem episcopum Veronensem illum videri, qui in Ambrosii epistola nominatur, quique idcirco ad tertium sæculum evehi non potest (id quod probavit etiam cum recentioribus pene omnibus P. Henschenius ad diem 12 Aprilis); at hoc satis probabilibus argumentis præter rem suam constituto, proposito [XXXVI] proprii velut oblitus, intactam reliquit controversiam, utrum huic sermones adjudicari possint, ac debeant nec ne.

Cuveus Labbeum in omnibus sequitur. Solum postquam cum eo scripsit: *Nec de his umquam vel levissima mentio habita est, antequam eos primus ediderit Guarinus*, hæc adjecit de suo: *Nuperrime vero monente D. Alixio didici Zenonis Veronensis Episcopi sermonem laudari a Ratherio Veronensi decimi sæculi scriptore apud D. Acherium Spicileg. tom.* II. At subinde indecisum reliquit, an hic *ex illorum numero sit qui sub ejus nomine hodie circumferuntur.*

Ludovici Ellies Dupinii censura omnium acerbissima totidem verbis exscribenda est ex interpretatione Latina: *Certum est conciones, quæ sub nomine Zenonis exstant non posse esse illius, quem sub Gallieno martyrio fuisse affectum supponunt: earum enim Auctor in concione quinta* (hanc allegasse videtur ex Baronio, quæ nunc est tract. 7 lib. II) *loquitur de Divinitate Christi adversus hæreticos, qui Verbum esse Deum fatentes, non credebant Patri esse coæternum, putabantque tempus fuisse, quo non exstiterat, quod aperte ostendit Arianorum hæresim ejus temporibus jam tum obtinuisse. Hæ conciones ne quidem esse possunt Zenonis Veronensis, qui sub Constantio et Juliano vixit, quia fragmenta sunt ex multis auctoribus deprompta. Quatuor ex illis integræ Basilii sunt. Omnes homiliæ in Psalmos ad verbum ex Commentariis Hilarii depromptæ sunt:* id quod explicans in subjectis adnotationibus, *Conciones*, inquit, *in psalmos* CXXVI, CXXVII, CXXVIII, CXXIX, *et* CXXX, *sunt Hilarii. Conciones in psalmos* XLIX, LXXIX, et C, *illius etiam esse possunt, quia hujus Patris Commentaria in hos psalmos perierunt.* Tum sequitur in textu: *Unde liquet has conciones Zenoni Veronensi adscriptas, collectionem esse concionum plurimorum auctorum incomposite factam. Aliæ sunt brevissimæ, aliæ vero longæ; quædam stylo pleno et accurato, non nullæ demisso et incompto scriptæ sunt; aliæ sunt claræ, aliæ obscuræ; denique nihil inæqualius. In concione de Continentia plures quam 400 annos numerat, ex quo Paulus epistolam suam ad Corinthios scripserat, et tamen in aliis homiliis de templis*

Digitized by Google

martyribus (sic reddendum, non autem *de templis martyrum*, ut in interpretatione Parisiensi ob defectum virgulæ editionis Gallicæ legitur, quod in rem præsentem quid sit, nemo divinet) *et catechumenis mentionem facit* (ac si catechumeni non ultra IV etiam sæculum processerint). *Ex his omnibus patet has conciones, toti antiquitati ignotas, indigestam esse collectionem concionum ex pluribus auctoribus variorum temporum et regionum desumptarum ab aliquo imperito librario factam.* Hic autem in subjectis adnotationibus addit, conciones non nullas, quæ prolixæ sunt, *ex auctoribus Græcis desumptas, alias vero brevissimas ex auctoribus Latinis et homiliarum fragmentis.*

P. Coutantius, monachus Benedictinus, editor Hilarii operum celebris, in Admonitione, quam præmisit quinque tractatibus Hilarianis inter Zenonis opera editis pag. 463 tom. I edit. Veron., antiquam haud esse non inficiatur collectionem tractatuum qui Zenoni tribuuntur, at Hilarii tamen ævo posteriorem affirmat, aut saltem, *si quis*, inquit, *contenderit illam ejus Zenonis esse, qui Gallieno imperante vixerit, certe concedat necesse est, eam postmodum alienis opusculis auctam, cum non Hilarii modo, sed et Basilii tractatibus aliquot constare prudens quisque non negaturus sit.*

Agnovit Tillemontius Protestantium doctissimos maximi fecisse hosce tractatus ob auctoris pietatem et elegantiam, iisdemque aperta inesse antiquitatis indicia; at ob sermones, qui Hilarium Basiliumque certos habent auctores, de auctore cæterorum pariter ambigit, nec quidquam esse ait, quod ullum tractatum Zenoni Veronensi explorate vindicandum persuadeat. Sic ille in Persecutione sub Valeriano, art. 7, tom. IV, pag. 16, in adnotationibus porro, pag. 587, adnot. 6, allatis fuse Baronii, Bellarmini, Labbei, Sixtique sententiis, miratur in editione Veronensi *ducentos* nullo codice suffragante emendatum pro *quadringentos*, Baroniique argumentum ex publicis ethnicorum sacrificiis pro hac correctione statuenda allatum luculenter refellit. At concludit hos sermones collectionem esse ex diversis auctoribus IV et V sæculi, ex quibus aliqui Zenonis esse possunt, quos tamen internoscere et designare non licet.

[XXXVII] Tandem postremus omnium Jo. Albertus Fabricius tom. III Bibl. Latinæ, lib. IV, c. 3, p. 420, etsi pugnantes criticorum sententias paucis subindicet, et in Sixti Senensis sententiam inclinet, nimirum *hos sermones majori ex parte collectos esse ex variis auctoribus*; affirmare tamen non dubitat: *Sane quosdam illius Zenonis esse valde videtur credibile.*

Itaque inter tot et tam severas de Zenonianis tractatibus percelebrium criticorum censuras, præter extremas utrinque et compugnantes illas, quæ Zenoni sermones omnes, vel nullos tribuendos contendunt, æquior multo et probabilior illa videtur eorum, qui ita eos tractatus collectionem esse censent ex variis auctoribus compactam, ut ne tamen idcirco Zenonem quorumdam saltem auctorem esse inficientur. Id judicium sane quantum ad veritatem accesserit, ex dicendis hac in dissertatione patebit; adeo ut irrito conatu laboraturus semper sit, non minus qui Zenoni eripere conetur omnes tractatus, quam qui eidem omnes velit adserere. Interim vero ex tot criticorum censuris injecta dubitatio plures movit, ut cum veros tractatus a spuriis internoscere non liceat, de singulis ambigant. Cur autem genuini Zenonis fetus a supposititiis dijudicari nec potuerint, nec possint, editorum (ut in præfatione monuimus) vitio factum est, qui supposititios Zenonianis subjectos in fine codicum, haud separatim dedere, imo nec in manuscriptorum fine positos monuerunt quidem (quæ monitio ad omnem litem dirimendam eruditis satis fuisset), sed eos cum genuinis permistos, nullaque distinctos notatione exhibuere, ac uti Zenonianos promiscue venditarunt; iique cum Zenonem auctorem habere nequeant, omnes quoque Zenonianos in dubitationem conjecere. Hoc vitium nos ut declinaremus, præcideremusque eodem tempore præjudicium gravissimum, Zenonianos codices octo, quotquot tum in Italia tum in Gallia reperire potuimus, vix consulturi adivimus, occurrit statim, non quinque illos solum tractatus qui Hilario, et quatuor qui Basilio vindicantur creditos, sed et duos præterea alios inter Hilarii et Basilii medios in fine omnium codicum constanter legi subjectos cæteris, quos Zenonianos indubie credimus. Quod etsi satis esse potest ad additionem posteriori manu factam manuscriptorum peritis persuadendam, cum frequens aliis quoque in codicibus acciderit, ut si quæ folia post descriptum aliquem auctorem vacarent, alienis opusculis replerentur: tamen ne quid dubitationis hac de additione in Zenonianis mss. superesset, codex Remensis antiquissimus eam alio posteriori charactere descriptam exhibuit, ut ex characterum specimine in præfatione inserto, qui Basiliani tractatus initium præfert, cuique perspicuum fiet. In Vaticano porro et Urbinate mss. post memoratorum additionem tractatuum alius sermo legitur S. Gaudentii Brixiani, qui proinde in Veneta Zenonis editione inter Zenonianos insertus reperitur, aliaque subinde aliorum auctorum opuscula in utrisque sub finem addita inveniuntur, ut in præfatione monuimus, ubi additionem aliam alterius tractatus, vel hymni *de signo Crucis* tribus in codicibus inventam pariter innuimus: adeo certum est Zenonianos codices ab additionibus ejusmodi immunes non fuisse. Illos autem variorum auctorum tractatus in fine codicum omnium additos, qui numero undecim sunt, in Appendicem rejecimus, eorumque auctores in præfatione, quam ibidem præmittemus, designabuntur, ac luculentissime statuentur. Itaque nunc, cum de genuinis Zenonis tractatibus sermo sit, difficultas de his XI quos ab illo vel ex ipsorum indicio codicum ultro ablegamus, nulla amplius est. De reliquis tantum controversia superesse potest. Hos autem ut Zenonianos plane esse statuamus et convincamus, cum ad tria capita redeant, quæcumque adversus illos objecta sunt, et objici possunt, scilicet num unius omnes auctoris sint; cui ætati, vel sæculo congruant: ac tandem num auctor hujus, quodcum-

Digitized by Google

que fuerit, sæculi, sit S. Zeno episcopus Veronensis : tria hæc tribus distinctis capitibus plenissime statuenda aggredimur : primo omnes tractatus XCIII qui præter undecim in Appendicem rejectos sunt reliqui, unius esse scriptoris; dein hunc ex iisdem tractatibus demonstrari scriptorem sæculi IV; demum hunc scriptorem sæculi quarti eorum omnium tractatuum auctorem non alium esse, quam sanctum Zenonem episcopum Veronensem. Hæc tria si evidenter docuerimus rejectis, quæcumque [XXXVIII] adversus singula capita a Criticis objecta sunt, ad vindicanda S. Zenonis scripta nihil, ut videtur, desiderari amplius poterit; simulque dirempta erit illa, quæ de S. Zenonis ætate vertitur quæstio, quæque fere dirempta ex contrario vulgarique sensu Veronensis Ecclesiæ, uti fertur, traditioni innixo, maximum in hanc rem præjudicium apud eruditos creaverat.

CAPUT I.

UNUM ESSE AUCTOREM TRACTATUUM XCIII QUOS AB UNDECIM ADDITITIIS SEPARAVIMUS, MULTIS STATUITUR.

§ I.—*Proponuntur argumenta ex codicibus petita.*

Tractatus XCIII, qui in duos libros omnibus in codicibus distributi, unus post alium describuntur, unius auctoris esse, plura in iisdem codicibus indicia suadent. Exstant nimirum tituli quibusque tractatibus præfixi cum quibusdam clausulis, et tabulæ etiam singulorum tractatuum in antiquissimo ms. Remensi, ex quibus id palam conficitur. In titulis enim et tabulis, in quibus singulorum tractatuum tituli recitantur, quinque postremi tractatus libri secundi, qui addititios proxime antecedunt, alternatim inscribuntur sic : *Tractatus cujus supra.*

En ipsa tabulæ verba.

XXVI. *Item Tractatus Paschæ cujus supra*, nunc est tract. LIV lib. II.

XXVII. *Tractatus Danielis in Pascha*, nunc tract. LXIX.

XXVIII. *Invitatio fontis cujus supra*, nunc tract. XXXI.

XXIX. *Tractatus Paschalis*, nunc tract. XLII.

XXX. *De Genesi cujus supra*, nunc tract. XX.

Formula *cujus supra* aperte indicat non hos solum, sed intermedios quoque tractatus, nulla licet ejusmodi formula signatos, ejusdem auctoris esse, *cujus supra*, id est cujus vel initio librorum, vel in clausulis, de quibus mox dicemus, expressa mentio facta est, ac proinde omnes unicum eumdemque auctorem habere. Mirum fortassis erit, quid hæc formula istis postremis solum apposita sit, et in nullo ex præcedentibus LXXXVIII occurrat. At id a primo amanuensi non casu, sed consulto factum videtur, cum finis esset tractatuum ejusdem auctoris. Ne scilicet dubitare in eo quispiam aliquando posset, ejusdem ne omnes essent auctoris, an vero quidam, uti solet, ex aliis auctoribus additi essent; hos postremos ea formula, quæ dubium omne præcideret, notandos censuit. Porro hæc eadem formula in ipsis titulis, qui postremis tractatibus immediate præfiguntur, repetita legitur, non in ms. solum Remensi, sed in aliis similiter; nec ea amplius occurrit in undecim tractatibus sequentibus (sic enim inscribuntur : *Interpretatio Psalmi* CXXVI, *de Psalmo* CXXVII, et similiter reliqui), quod satis indicio est, hos ejusdem auctoris ab amanuensibus non fuisse agnitos, uti cogniti fuerunt præcedentes, qui proinde a primo librario relative illa formula notati et in titulis, et in titulorum tabula fuerant. Quid quod sermo XXX lib. II, quem omnium postremum esse ante addititios nunc nuper notavimus, in Remensi manuscripto, præter memoratam tituli formam *de Genesi cujus supra*, hac alia plane simili clauditur, *Explicit de Genesi cujus supra* (supra autem aliis tractatibus hæc eadem clausula signato aliquotiens ipso auctoris nomine subjicitur, ut ex adnotationibus in tractatus singulos suo loco monebimus), quæ clausula eumdem auctorem mirifice confirmans, in sequentibus non [XXXIX] apparet; concludunturenim his verbis : *Finit Psalmus* CXXVIII, *Finit Psalmus* CXXIX, *Finit Psalmus* CXXX, *feliciter*, quarum clausularum nullas in præcedentibus notatas reperire licebit. Observandum tandem est aliquid præcipuum in Pompeiano codice, quippe in titulo tractatus XXX, qui est postremus libri II, ante additiones, hac singulari et insueta alias formula utitur : *S. Zeno Veronensis de Genesi;* qua monere librarius voluisse videtur, omnes tractatus huc usque descriptos ad eumdem auctorem initio nominatum pertinere. Equidem inter undecim sequentes tractatus, quos trium esse auctorum in præfatione ad Appendicem videbimus, nimirum duos Potamii, quinque ex Hilario, ex Basilio quatuor, omnes cujusque auctoris simul descriptos, non autem alios aliis insertos manuscripti præferunt · quod si in ipsis additionibus constanter servatum est, cæteros quoque duobus libris distinctos unique auctori tributos, eamdem in rationem continue scriptos multo est probabilius.

§ II. — *Urgetur argumentum ex stylo. Proferuntur exempla ex iis præsertim tractatibus, quos Coutantius adjudicat Hilario. Hunc Auctor alicubi imitatus ostenditur. Insignium scriptorum exempla, qui alios imitati, totidem quandoque verba exscripsere.*

Hæc omnia ex styli similitudine, quæ inter hos universos intercedit, plane confirmantur. Qui enim ad varios asserendos auctores styli discrimen objecere, ii recte quidem, et jure hoc argumentum intenderunt, quamdiu Appendicis quoque tractatus uni auctori adscribendi putabantur, quorum undecim tractatuum genus scribendi non tam alienum multo est a stylo cæterorum XCIII, quam varium in ipsis quoque inter se esse facile deprehenditur. Enimvero hi non unius, sed trium auctorum sunt fetus, quorum alter Hilarius plano facilique stylo delectabatur; Rufinus vero, qui interpres quatuor Basilii homiliarum a nobis probabitur, diligentiori liberiorique calamo usus est : Potamius tandem duorum tractatuum auctor stylo plane inculto, obscuro difficilique laborat, qualem in epistola ab Acherio edita, et in Appendice recudenda

Digitized by Google

cognoscere licet. Itaque cum hos omnes tam diversorum scriptorum tractatus uni auctori tribuere et asserere ex editorum forma quidam conarentur; justa de styli discrimine objectio ingesta est, quam miramur quosdam fecisse minimi, aut levissimis de causis eludendam putasse. At si undecim memorati tractatus secernantur, ut nos hac in editione jam fecimus; quid objiciendum supersit de stylo cæterorum, plane nihil est. Si quis sane in iis volvendis ac revolvendis se se aliquandiu exerceat, ut Auctoris ingenium scriptionisque genus incipiat degustare atque distinguere: is profecto nihil inveniet, quod sive in sententiarum, sive in verborum, aut syntaxeos ratione unum eumdemque auctorem ubique non referat.

Proferamus ex. gr. tractatus duos, olim in psalm. c et CXXX, nunc autem tract. 21 lib. II et tract. 7 lib. I, quos P. Coutantius in Admonitione ad Hilarii Commentarium in psalmos, num. 23, huic Pictaviensi episcopo vindicandos suspicatus est, propterea quod easdem quandoque, ac totidem non numquam verbis expressas Hilarii sententias continent, quæ in ejus Commentario in eosdem psalmos leguntur; *ex quo dijudicare*, inquit, *licet, quales ille*, id est Hilarius, *ad plebem suam tractatus dixerit, qualesve postmodum in commentarium redegerit*. Cum nimirum in Veronensi editione duo tractatus recenserentur in psalmum CXXX, quorum alterum iisdem verbis, ac in Commentario Hilarii continetur, expressum, in nostrorumque codicum fine una cum aliis Hilarianis descriptum, suo auctori redditum in Appendicem rejecimus, alterum, quoque similia continentem eidem auctori vindicandum Coutantius existimavit, id conjiciens, hunc prius scriptum ab Hilario, ut eo *sermonis in morem ad Fratres* uteretur, alterum vero esse hunc eumdem, sed auctiorem factum ab eodem Hilario, cum varios tractatus ad populum habitos super psalmos, in commentarii [XL] corpus digessit. Id ipsum ergo alii tractatui in psalmum c accidisse, opinio ejus est. At quod pertinet ad sententiam verborumve similitudinem, quæ inter Hilarii commentarium et nostri Auctoris tractatus in psalm. c et CXXX intercedit, capite sequenti ostendemus luculenter, nostrum Auctorem vixisse aliquanto post Hilarium sæculo IV; quod cum Coutantius ne cogitaverit quidem, ex eo præjudicio, quod de Zenonis antiquitate ferebatur, jam prævidere et suspicari non potuit, eumdem nostrum auctorem præ oculis habere potuisse Hilarii commentarium in Psalmos, ex eoque non nihil profecisse, ut non sententias solum aliquas, sed eadem quandoque verba in suis tractatibus expresserit. Enim vero non in laudatis solum tractatibus 7 lib. I et 21 lib II Auctor Hilarium in eam rationem imitatus invenitur, sed duobus etiam in aliis, nimirum tract. 8 lib. I, cui titulus *de Timore*, et tract. 17 lib. II, qui *de Jona* inscribitur (ut in adnotationibus utrique tractatui subjectis, ubi Hilarii verba descripsimus, palam fiet), quos sane tractatus Hilarianos esse nemo unquam opinatus est; cumque commentarium in Psalmos non referant, sed aliquid ex Psalmis obiter attingant, quod in Hilarii commentario legitur; haud probabiliter haberi queunt tractatus ejusmodi, quales ab Hilario ad populum primo habitos, dein vero in Commentarium relatos Coutantius suspicatus est. Similiter quidem quatuor alios nostri Auctoris tractatus observavimus, nimirum tractatus 3, 12 et 16 lib. I, ac tract. 2 lib. II, in quibus aliquot ex Lactantio sententias, totidemque alicubi verba expressit, ut ne tamen hos ab ipso Lactantio scriptos quisplam dixerit, imo ne somniarit quidem. Quod si ex hoc satis perspicitur Auctoris indoles imitationem id generis haud quaquam refugientis; quis de simili imitatione ex Hilarii commentario amplius ambigat?

Ne vero de uno eodemque omnium auctore dubitetur amplius, stylus idem in omnibus locuples testimonium præstat; de qua re hujus capitis maxime propria nunc fusius dicendum est. P. Coutantius Hilarium vindicaturus, quem ex Origene non nulla derivasse in Commentarium Psalmorum notum est, hac excusatione utitur ps. CLXVII Admonitionis in idem Commentarium num. 13: *Aliud enim est imitari, aliud interpretari, aut exscribere: nec interpretis officio fungitur, qui alia addit, resecat alia, et cætera proprium in stylum convertit*. Notat præterea Hieronymum hac ipsa ratione eumdem ab ea censura purgasse, quod scilicet *Origenis libros ita exposuerit, ut in stylo proprio placens, pater verbi sit potius, quam interpres*. Id ipsum prorsus fecisse Auctor noster deprehenditur, cum ex Hilario, vel Lactantio quædam protulit. Aliis additis, resecatis aliis, quædam solum et pauca proprium in stylum convertit, ut in stylo proprio placens, pater verbi sit potius, quam servilis exscriptor. Quod de additis et resecatis diximus, ex collatione et adnotationibus nostris satis patebit. Stylum autem, qui lectis hinc Hilarii Commentario (de hoc enim uno movetur difficultas), hinc Auctoris nostri tractatibus, non statim distinguat, is omni Latinæ locutionis palato prorsus caret. Hilarii stylus planus, facilis, et fere concisus; nostri autem sublimis quandoque, quandoque floridus et numeris certis cadens, ac allegoricis dictionibus libenter indulgens, potissimum autem syntaxi quadam singulari præditus, quam non in Hilario solum, sed ne in alio quidem scriptore latino hactenus deprehendimus. Ad verborum sententiarumque exprimendarum flores, allegorias, ubertatemque dicendi multo fecundiorem, quod pertinet, nulla melior via ad id cognoscendum patet, quam utriusque lucubrationum collatio, de qua in adnotationibus ipso Auctoris textui subjectis satis indicasse nobis videmur. De syntaxi vero aliquot membra hic apponemus, quæ præcipuam Auctoris syntaxim aliis in tractatibus frequentem exhibent. Tract. 7, de Humilitate, lib. I, qui olim erat sermo in psal. CXXX, num. 1: *De quibus Scriptura divina quid pronuntiet, audiamus, cujus ista sunt verba*. Num. 2: *Ut possimus merito mereri, Scriptura quod dicit*: pro *quod Scriptura dicit*. Rursum: *Dominus ipse vos pro promisso quid hortetur accipite*. Et item paulo post: *De quibus Joannes discipulis quid prædicet, omnibus est in usu*. Illa

Digitized by Google

vero præcipue considerandæ num. 5 : *Intonat lingua, caret quæ numquam veneno serpentis :* ubi *quæ* relativum post verbum, quod regit, ponitur, sicut alibi frequens post aliam vocem collocatur. Sic tract. 3, num. 2 : *Utræque cujus exaggerare opulentiam velocitate mira contendunt*, pro *cujus opulentiam utræque contendunt*, etc. [XLI] Sic tract. 4, num 6 : *Quavis versutia qui fallitur numquam.* Tract. 5, num. 4 : *Observantiæ qua perfectione Dei cultus debeat custodiri.* Tract. 12, num. 6 : *Mortemque ipsam, perennis cui beatitudo succedat.* Tract. 7 lib. II, num. 4 : *Nec tamen desiit esse, ante quod fuerat :* cui simile illud tract. 16 lib. I, num. 4 : *Odit jam sine causa, ante quod amaverat.* Tract. 62 lib. II : *Propter vos qui est occisus.* Reliqua mittimus. Vide porro eodem tract. 7 lib. I, de quo nunc loquimur, rarissimam syntaxim sub finem, quam in adnotationibus plane Zenonianam ostendemus. Similia aliquot deprehendes tract. 21 lib. II, *de Psalmo centesimo*, uti illud statim post initium : *Igitur in præsenti psalmo propheta cum dicat*, ac præsertim in tract. 8 lib. I, *de Timore*, et tract. 17 lib. II, *de Jona*, ubi idem syntaxeos genus, idem Auctoris ingenium ubique visitur. Quod si huic tam præcipuæ syntaxi addas cæteras locutionum, allegoriarum, sententiarumque proprietates ab Hilarianis plane dissimiles, nonne statim alium ab Hilariano istorum tractatuum stylum auctoremque cognosces, eumdemque sane, ac est stylus et auctor tractatuum reliquorum, in quibus eadem indoles, locutio, et syntaxis perpetuo elucescit?

Hinc jam evanescit profecto audax illa Dupinii opinatio, qui *conciones in psalmos* XLIX, LXXIX et C, *Hilarii esse posse* affirmavit, *quia hujus Patris commentaria in hos psalmos perierunt.* Nam præter quam quod primi duo tractatus, olim in ps. XLIX et LXXIX, nunc autem 15 lib. I, et 27 lib. II, in mss. omnibus non inscribuntur *de psalmo*, cui inscriptioni Dupinii argumentum innititur; etiamsi daremus, S. Hilarium in omnes psalmos Commentaria scripsisse, quæ injuria temporum interciderint, ut satis probabilibus conjecturis Coutantius statuit : adhuc tamen omnes tractatus memorati aliam elocutionis rationem aliamque syntaxim adeo explorate exhibent, ut quantum ab Hilariana absint, si quis non agnoscat, utriusque auctoris opera plane non legerit.

Sed hic fortasse quispiam non de sententiarum imitatione apud alios auctores frequenti, sed de transcriptione eorumdem verborum, quæ ex Hilario excerpta alicubi noscuntur, difficultatem movebit, si non ut unum omnium ejusmodi tractatuum auctorem statuat Hilarium (ubi enim stylus nimis aperte discrepat, quævis imitatio verborumque descriptio ad unum auctorem asserendum frustra confertur), saltem quod nostro id Auctore minus dignum ac decorum existimet. At qui in antiquorum lectione versati sunt, id minime novum, nec a gravium quoque scriptorum consuetudine alienum cognoscent. Dinosthum inter Græcos ex oratione Demosthenis contra Cononem in priorem suam adversus Cleomedontem multa ad verbum transtulisse notavit Porphyrius apud Eusebium lib. X, cap. 3, de Præparatione Evangelica. Mittimus plura e Græcis, tacitis eorum nominibus, traducta, suisque operibus totidem verbis inserta a Tertulliano, Hieronymo, Ambrosio, et aliis Latinis, quæ in accuratis horum editionibus designantur. Ut autem dicamus de Latinis, qui ex aliis item Latinis auctoribus similiter profecerunt, antiquus auctor librorum *de Sacramentis* ex Ambrosii libro *de Mysteriis* non tam sententias, sed plerumque etiam verba delibavit, ut Benedictinus editor in præmissa *Admonitione* observavit. Sanctum quoque Maximum Taurinensem, cum laudati Ambrosii opera sedulo evolveret, magna fragmenta ex iisdem, ac potissimum ex Commentario in Lucam excerpta, suis sermonibus inseruisse, idem Benedictinus Ambrosii editor in Admonitione ad sermones huic Patri adscriptos animadvertit. Quid plura? S. Cyprianus licet disertus et doctus, nonne in opusculis, quæ contra Gentes lucubravit, ex Minucii Felicis libello quædam ad verbum exscripsit, uti propositis utrorumque sententiis ob oculos ponitur tom. II Apparatus ad Bibliothecam maximam Patrum a pag. 34 ad pag. 57. Quis itaque miretur amplius, si noster elegantissimus auctor pauca quædam aliquando sumpsit ex Hilario, ex illo, inquam, magno ac celebri episcopo, qui, ut Hieronymi verbis utamur ex epist. 34 ad Marcellam, *temporibus suis disertissimus, et confessionis merito et vitæ industria et eloquentiæ claritate, ubicumque Romanum nomen est, prædicabatur?*

[XLII] § III. — *Aliæ objectiones explosæ.*

Alia hic objectio diluenda est, quæ cum varietatem quamdam mirificam in hisce XCIII tractatibus exaggeret, varios auctores arguere videtur. Quibusdam nimirum criticis visum est, hisce tractatibus nihil esse inæqualius. Alii longi, alii breves, plures repetiti, alii clari, obscuri alii; et Dupinius longiores e Græcis traductos, breves autem ex Latinis auctoribus et homiliarum fragmentis compactos judicavit. At de brevitate aliorum, vel longitudine si quis urgeat, numquid id diversos auctores statuit? Nonne S. Leo, qui sermones satis prolixos plures scripsit, breves etiam, et auctori nostro fere pares habet? vide serm. 5, 6, 7 et 12. Nonne breves item leguntur in Augustino, qui cæteroqui longos plerosque lucubravit? Dicet fortasse quispiam, adeo breves, uti quidam ex nostris sunt, nullo alio exemplo uspiam reperiri. Quid ergo? Hoc si quid probat, non probat solum illos nostri auctoris non esse, sed nulli etiam antiquo scriptori vindicandos probat; quo nihil dici potest absurdius. Quis crederet, S. Joannem apostolum jam senem, ipso senio impeditum, conciones habuisse tam breves, ut diceret solum, *Filioli, diligite alterutrum*, idemque sæpius repetivisse, nisi id S. Hieronymus ex antiquorum traditione litteris mandasset? Quidni alii aliqua de causa impediti, quominus longius concionarentur, breves sermones ad populum habere potuerunt? qui si minus collecti in-

Digitized by Google

veniuntur, uti tractatus nostri scriptoris, id forte eam habuit causam, quod illi nihil tale scripserint, noster vero auctor scripserit quoque hos, quos sane rebus gravissimis refertos et præcipuo studio elaboratos videmus, ejusque in schedis reperti ab antiquo collectore digni sunt habiti, quos una cum aliis referret in codicem, posteritatique ob scriptoris præsertim, quæ obtinebat, existimationem mandaret. Cur autem Auctor brevitatem tam raram hisce in tractatibus secutus sit, in Admonitione ad tractatum xxx lib. II, fusius dicemus, ubi in hanc rem conjecimus plura, quibus hos præsertim tractatus præter cæteros Zenonis esse ex ms. Remensis adnotationibus demonstrabitur. Nunc id unum in nostrum propositum adjiciemus, quod cum res ipsæ, quæ isti licet breves tractatus continent, antiquum Scriptorem præferant, nihil plane est, cur eos a cæterorum auctore eripiamus, cum stylum eumdem apertissime exhibeant.

Quidam fragmenta sermonum sunt, non autem sermones: fatemur ultro, et in adnotationibus observatum est. Quid porro? Aliumne igitur auctorem habent? Quid quæso argumenti istud est? Inter S. Petri Chrysologi opera aliquot sermones mutili inveniuntur, quos tamen alteri auctori idcirco addicendos suspicatus est nemo. De repetitionibus autem, quæ in pluribus id generis tractatibus observantur, quid addamus? Plura similium repetitionum exempla in aliis quoque Patribus suppetunt, quæ tamen nemo ad varios auctores statuendos traduxit. S. Ambrosium aliquotiens eadem ingerere, jamdiu observarunt editores Benedictini pag. 1045 tom. II, *quod ei*, inquiunt, *subinde usuvenire animadvertimus;* et pag. 1048, *totidem pene verbis* eadem alicubi repetita commemorant. S. Leo magnus nonne integra quædam capita iisdem verbis ex uno in aliud opusculum non numquam transcripsit? Epistola celebris ad Flavianum, cap. 3 et 4, plures sententias continet, quas ex variis sermonibus de Nativitate Christi desumptas ad verbum postremus editor ad marginem notavit. In epist. 97, ad monachos Palæstinæ, septem capitula habentur, quæ totidem verbis, paucis exceptis, leguntur in epistola 134, ad Leonem Augustum, et in utrisque his epistolis longus invenitur locus ex serm. 61, de Passione Domini, qui duo integra capita complectitur. Tandem, quod mirum maxime accidet, duæ epistolæ ad Pulcheriam, epist. 27 et 30, pleraque repetita continent, quemadmodum et duæ ad Theodosium Aug., ep. 39 et 40, licet eisdem personis et exiguo quidem intervallo traditæ fuerint. Quod si hasce ob repetitiones alium ab Ambrosio, Leone, vel aliis id generis, quos [XLIII] brevitatis gratia prætermittimus, repetitarum lucubrationum Auctorem nemo opinatus est; nemo item urgeat repetitionem et similitudinem aliquorum ex brevibus nostri Auctoris tractatibus, de qua videsis, quæ in Admonitione ad tract. 30 lib. II, pag. 238, præterea observamus.

Venimus jam ad discrimen illud, quod ex aliorum perspicuitate tractatuum, aliorum obscuritate colligitur. Id autem totum ex argumenti, non ex Auctoris discrimine proficiscitur. Aliud est de virtutibus et vitiis, aliisque morum, vel sacræ historiæ argumentis agere, ubi fusior dicendi campus patet, et uberior calamo licentia conceditur: aliud autem tractare de mysteriis, quæ non simplici locutione, sed per allegorias et Scripturarum figuras exponere breviter placuit. In primi generis tractatibus apertior est Auctoris sermo; in secundo autem genere, quod Paschalium festorum lectiones functionesque, nec non Auctoris ingenium postulasse videntur, ne auditores eadem mysteria omnibus jam nota, si plano modo traderentur, fastidirent, ad eorum animos continendos et oblectandos, ea mysteria figuris et allegoriis exprimenda Auctor judicavit; ex quibus aliqua subinde obscuritas obtruditur. Hinc sane in rebus ipsis, non in verbis nec in stylo, qui ubique est æqualis, obscuritas inest; ex styli autem, ut sæpe diximus, non ex rerum discrimine varietas colligitur. Tandem ex his obscurioribus, seu, ut proprius loquamur, allegoricis tractatibus plerique ex illis sunt, quos æque ac alii ex nitidioribus atque accuratioribus, tamquam ejusdem auctoris, in hac Veronensi Ecclesia inter sacra officia ante nonum sæculum lectos in præfatione animadvertimus.

Unica jam objectio restat ex rebus, quæ in hisce tractatibus continentur, petita, ex quibus aliquæ cum nec uni sæculo, ita nec uni scriptori videntur posse congruere. Sed hanc objectionem latissime patentem dirimere sequentis erit capitis, in quo horum omnium tractatuum auctorem, quem hactenus asservimus unicum, quarti sæculi fuisse ostendemus; ibi enim quæcumque aliud tempus prospicere non nullis visa sunt, quatenus in idem sæculum commode cadant, statuendum erit.

CAPUT II.

DEMONSTRATUR AUCTOREM SCRIPSISSE QUARTO SÆCULO, EIDEMQUE OMNIA CONGRUERE, QUÆ IN OMNIBUS TRACTATIBUS CONTINENTUR.

§ I. — *Expenditur insignis locus, ubi* quadringenti ferme anni *ab Auctore recensentur. Arbitraria editorum Veronensium emendatio notatur. Cardinalis Baronii objectio aliis exemplis diluitur: ac S. Philastrii testimonium arbitrarie item emendatum in editione Fabricii, ex fide codicum restituendum ostenditur. Alia quædam ejusdem loci verba considerantur.*

Cum de auctoris ætate non aliunde cognosci, quam ex aliquot ipsorum tractatuum testimoniis possit, nec ea nisi singillatim afferri, et considerari queant; veremur, ne, dum ex aliquo tractatu argumenta elicientur, quæ quartum sæculum aperte prodant, si ex his subinde omnium tractatuum auctorem eidem sæculo affigendum arguamus, illationem lectores non legitimam regerant. Hos itaque statim hoc initio prænonitos volumus, meminerint primo, nos jam superiori capite demonstrasse unum esse omnium tractatuum auctorem, ita ut quidquid de unius tractatus auctore

Digitized by Google

probetur, satis probetur de auctore [XLIV] omnium; ac deinde consilii nostri esse, non ex unius tantum, sed ex plurium invicem concinentium tractatuum testimoniis, quæ subinde afferemus in medium, integram capitis demonstrationem conficere : quam tamen ipsam non plane confectum iri intendimus, nisi posteaquam testimonia aliquot, quæ in aliud tempus transferenda putantur, eidem sæculo nihil repugnare sub finem capitis docuerimus.

Itaque *quadringentorum ferme annorum* notatio, qui a tradita Corinthiis Epistola Pauli ad Auctoris ætatem recensentur tract. 5, lib. I, evidens argumentum est eum sæculo quarto scripsisse : sic enim ibi habetur : *At cum ante annos ferme quadringentos, vel eo amplius Apostolicum hoc operetur edictum, quo et vivaciores fuere homines, et rarissimi Christiani; cur ego christiano orbe ipso penè jam toto, hominumque vivacitate mundo senescente detrita, obtundam verbis palpantibus aciem veritatis*, etc. Quæ quidem chronica notatio tum in mss. omnibus, tum in editione prima Veneta palam ac distincte posita est, nec nisi in posteriori editione Veronensi ex qua aliæ profectæ sunt, ab editoribus numerorum mendum incusantibus proprio Marte mutata eo uno præjudicio movente, quod Auctorem tertio sæculo vixisse opinarentur. *Quod objicitur*, inquiunt, *sermonem de Continentia non esse S. Zenonis martyris, cum in eo legatur Auctor abfuisse a S. Pauli doctrina divulgata annis quadringentis et eo amplius..... dicimus textum, sicuti multis in locis est mendosus, ira, ut sæpe fit in numeris, ibi esse depravatum.* Quam corrigendi rationem nullo codice innixam, imo, contra fidem codicum usurpatam (qui præterea non per numerales litteras cccc, sed voce *quadringentos* numerum exprimunt) Tillemontius considerans annot. 6 in persecutionem Valeriani, illam satis certam et tutam esse ait, ut se quis a gravissimis difficultatibus facile subducat atque expediat.

Hanc correctionem adeo arbitrariam atque nutantem ut suffulciret sustentaretque Cardinalis Baronius secundis in Martyrologium curis illud opposuit, quod si *quadringentos et eo amplius* retinendum sit, Auctoris ætas non ad quartum solum, sed ad medium circiter quintum sæculum proroganda erit : siquidem Paulus primam ad Corinthios Epistolam circa medium primum sæculum scripsit. Ipsa Baronii verba in proœmio præsentis dissertationis recitata invenies. At qui hæc cum Baronio obtrudunt non satis animadvertisse se ostendunt ejus quarti sæculi monumenta, in quibus eadem chronica notatio in eamdem qua a nostro Auctore rationem usurpata legitur. Arnobius, qui, Diocletiano imperante, id est sub initium quarti sæculi, floruit Hieronymo teste, nonne hæc ethnicum adversus Christianos loquentem induxit lib II, pag. 94 : *Ante quadringentos annos religio*, inquit, *vestra non fuit?* In formula fidei, quam pseudo-synodus Antiochena scripsit an. 345, et recitatur ab Athanasio in libro de Synodis, hæc de Paulinianistis leguntur : *Christum autem ipsum et Filium Dei, et mediatorem, et imaginem non ante sæcula fuisse contendunt, sed eo ex tempore eum Christum et Filium Dei factum esse, ex quo nostram carnem ex Virgine assumpsit, non totis abhinc quadringentis annis.* Eusebius Cæsariensis ejusdem sæculi scriptor, qui diem obiit an. 340, sic effatur lib. II contra Marcellum Ancyranum, cap. 1 : *In primis paradoxum illud est incœpisse hoc Verbum non ab annis hinc retro quadringentis* impletis. Pseudo-synodus Sardicensis in decreto apud Hilarium fragm. 3, num. 2, tom. II, pag. 648, editionis Veronensis, eumdem Marcellum Ancyranum reprehendit inter cætera, propterea quod *initium*, inquit, *regnandi accepisse Dominum dicat ante quadringentos annos.* Hæc autem pseudo-synodus habita est an. 347. S. Hilarius Pictaviensis libro II adversus Constantium scripto sub an. 355 vel 356 : *Post quadringentos annos*, ait, num. 5, pag. 537, *postquam Dei Unigenitus generi pereunti subvenire dignatus est..... novella nunc et teterrima lues..... Ariana effusa est.* S. Philastrius Episcopus Brixianus, qui S. Ambrosio coætaneus scripsit ante an. 391, in omnibus editis ante editionem Hamburgensem a Jo. Alberto Fabricio elaboratam, hæc tradit cap. 3 : *Et inde a Domino usque nunc anni* CCCCXXX *plus. Sed Philastrius*, addit mox in subjecta annotatione Fabricius, *ante A. C. 391 scripsisse se significavit cap. 83, atque interfuit concilio Aquileiensi A. C. 387..... Hinc numerum manifeste corruptum ita restituendum esse judicavit Latinus Latinius, cui alii viri eruditi assentiuntur* : et in textu, proinde Hamburgensis editionis [XLV] emendavit sic : *Et inde a Domino usque nunc anni* CCCLXXX *plus.* Hæc tamen ex non satis observata ejus sæculi consuetudine in annis annotandis pendent. Equidem non hoc uno capite eadem notatione Philastrius usus legitur, sed et capite 106, pag. 206, ubi scribitur : *Quod contrarium invenitur, si ita qui senserint : nam quadringentos jam plus annos transisse cognovimus ex quo venit Dominus, atque completos* : ubi arbitrarie nimis legendum Fabricius censet *quadringentos jam plus minus annos*, cum, si hoc significare voluisset S. Episcopus, haud addidisset *atque completos.* Hæc autem tam expressa additio priorem quoque chronicam notationem haud corrigendam confirmat, imo satis innuit eam opinionem id temporis vulgo obtinuisse, ut anni quadringenti a Christo nato ducti, ante annum 39 completi putarentur. Enimvero in antiquo Corbeiensi codice, cujus variantes lectiones, accurate descriptæ, in calce novissimæ editionis Brixianæ recitantur, pag. 163 palam legitur : *Et inde a Domino usque nunc anni* CCCCXXX *plus minus.* Quæ formula *plus minus* cum Fabricii correctionem expungit, tum vero nostram interpretationem mirifice statuit. Cedimus jam aliud testimonium ex Hieronymi epistola 129, ad Dardanum, num. 7, quod tametsi pertineat ad an. 414, quo ea epistola tradita fuit, tamen cum ab anno post Christum natum 70, *quadringentos annos paulo minus* numeret, eodem recidit : *Post eversionem*, inquit, *templi* (nimirum Tito imperante, post an. 70) *paulo minus per qua-*

Digitized by Google

dringentos annos et urbis et templi ruina permaneat.

Ex his omnibus textibus aliisque, quæ in eamdem rationem afferri possent, perspicuum fit quinquaginta annis circiter hanc quadringentorum annorum notationem excedere. Quem quidem excessum non hujus solum quarti sæculi proprium deprehendimus, sed cum aliis communem. Tertullianus adversus Nationes lib. I, quem ineunte circiter tertio sæculo scripsit, *tercentos* ferme annos pro *ducentis* Christianæ religioni vindicat cap. 7 : *Igitur ætati nostræ nondum anni* CCC (sic scribendum ex testimonio sequenti, pro eo quod in editis est CCL, mutato C in L); et cap. 9 : *Ut supradiximus ætati nostræ nondum anni tercenti.* S. Petrus Chrysologus, qui circa medium quintum sæculum floruit, serm. 145, de Generatione Christi in fine, *annos quingentos circiter* a Christo nato enumerat : *Humanæ leges*, inquit, *intra triginta annos litigiosas interimunt quæstiones; et Christus circa quingentos annos nativitatis suæ causas præsiat, ortus sui lites patitur, status sui sustinet quæstiones.* In antiqua canonum Collectione, quam S. Leonis editor e duobus mss. publicavit, capiti 35, canonum concilii Chalcedonensis habiti an. 451, hæc chronica notatio præfigitur : *Anno quingentesimo ab Incarnatione Domini, indictione* V, Felix III, in tractatu seu epistola adversus Acacium, nunc primum a marchione Maffeio nostro edita, tom. V. Conciliorum Venetæ editionis: *Post quingentos annos constituta Christi eos velle subvertere, cum triginta annorum lex hominum non possit abrumpi.* Addemus alterius licet generis testimonium ex Procopio, qui medio circiter sexto sæculo historiam de Bello Gothico scribens, ab Appio consule ad Belisarii ætatem *nongentos annos* exactos recenset, cum non nisi anni 863, excurrissent. *Ille Belisarius*, inquit, lib. I, cap. 14, *via Latina exercitum duxit, relicta ad lævam Appia, quam Appius, consul Romanus, ante annos nongentos munit, ac suo donavit nomine.*

Post tot scriptorum et diversi quidem sæculi testimonia, quæ in ea annorum computatione 50 circiter annorum excessu conveniunt, quem Baronii objectio amplius moveat, ut in nostri Scriptoris tract. 5, de Continentia, per summum mendum *quadringentos* annos scriptos velit? Ea ætate, qua anni per consules, non per certam a Christi nativitate epocham computabantur, in hac epocha notanda non ita accuratus calculus adhibebatur, sed rotundus aliquis numerus, qui ex vulgari opinione, vel traditione quinquaginta fere annis excessisse cognoscitur. Quamquam in Scriptore nostro præter rotundum numerum *quadringentos*, qui sæpissime non uti omnino accuratus scribitur, observandæ sunt etiam voces *ferme* et *vel eo amplius*, quæ contradicentes primo aspectu videri possunt: nam si anni sunt *ferme quadringenti*, nihil *eo amplius*, sed potius *eo minus* aliquid fuisse intelligitur. At ne in unius lineæ finibus contradictionem Auctori obrepsisse credamus, *vel* particula satis monet, ex qua palam est *ferme* et *vel eo amplius* scriptum ab Auctore fuisse pro *circiter*, ut [XLVI] significaret se non præcisam annorum notationem signare voluisse, sed A pingui, ut aiunt, Minerva annos vulgo computatos circiter annotasse, quos *quadringentos* quidem quarto sæculo ex vulgari quadam epocha a celebribus quoque scriptoribus annotatos vidimus.

Ab hoc autem Auctoris textu antequam transimus, alia non minoris momenti observatio subjicienda est, qua eadem ipsius ætas idemque sæculum confirmatur. Animadvertenda nimirum sunt verba quibus orbem *pene jam totum christianum* suo ævo fuisse pronuntiat; quod de Romano quidem imperio acceptum, ut in annotatione ostensum nobis est, non nisi in quartum sæculum cadit, cum data Ecclesiæ pace per Constantinum, christiana fides per totum Romanum imperium palam propagata incrementum ubique maximum habuit. Cujus rei luculentissimam probaB tionem si quis flagitet, adeat auctorem licet ethnicum Ammianum Marcellinum, qui l. XXI, c. 2, ipsos quoque Romani imperii milites christianos fuisse prodit; unde Julianus Augustus in Galliis acclamatus : *Ut omnes, nullo impediente, ad sui favorem ilficeret, adhærere cultui Christiano fingebat; nam verebatur*, ait Zonaras lib. XIII, num. 11, *milites, quos prope universos christianos esse norat.* Neque moveat quod Tertullianus in Apologetico, cap. 37, suo tempore omnes Romanas urbes Christianis impletas testetur: nam ibi aperte ex contextu liquet, oratorie illum loqui, non ut Romanum *orbem pene jam totum* (quemadmodum ait Auctor noster) affirmet *Christianum*, sed ut in toto orbe Romano tot Christianos, licet dispersos, fuisse innuat, ex quibus adversus Ethnicos, C si vi et armis uti voluissent, exercitus componi potuisset. Eamdem in sententiam in lib. contra Judæos cap. 7, variis in provinciis quas recenset, *Christi nomen regnare* affirmans, non illas *totas* christianas fuisse ait, sed in illis Christianos indicat, in quibus Christi nomen regnaret. Eadem interpretatione intelligendus Serapionis Antiocheni locus apud Eusebium, lib. V, cap. 19, ubi christiana fides per *universum orbem* diffusa traditur, quemadmodum et testimonium Bardesanis apud eumdem lib. VI de Præpar. Evangel. cap. 8, quo Christiani *in omni pene civitate* inventi feruntur. Hinc porro nihili facienda apparet violenta editorum Veronensium interpretatio, qui argumentum ex nostri Auctoris textu ductum ut eliderent, seu potius eluderent : *Jam vero*, inquiunt in præfaD tione, *cum disseminatum per omnes provincias esset Evangelium a multis receptum, eo in loco Auctor ponit, ut fit, totum pro parte;* quam explicationem Auctoris verba nequaquam ferunt, cum præsertim is *totum pene orbem* stricte dixisse cognoscatur, non tropologice, ad Christianorum quidem multitudinem toto jam orbe florescentem significandam, ut illam *rarissimis* olim *Christianis*, quos ibidem appellat, opponeret.

§ II. — *Auctor contra Arianos disserens, sæculoque quarto proinde adjudicandus pluribus testimoniis convincitur. Editorum Veronensium responsio contrita.*

Alterum argumentum, quod pro quarto sæculo

Digitized by Google

validissimum, pluribusque tractatibus commune est, spectat voces sententiasque, *quas* (ut Baronii verbis utamur in primis ad Martyrologium notis, die 12 aprilis) *numquam ante auditas, quam post Arii emergentem hæresim, nemo est qui nesciat, qui illorum temporum res gestas calleat.* Hæc autem sunt ejusmodi, ut, licet idem auctor secundis in Martyrologium curis sententiam mutarit, adhuc tamen hac de causa *negandum non esse*, inquiat, *nonnullos sermones inter opuscula S. Zenonis impressos, martyri, qui sub Gallieno coronatus est, convenire non posse, in quibus arbitramur eos esse, qui Arii hæresim confutant manifeste; quod, ni fallimur, multis rationibus et optimis conjecturis probari posset, si id notationis angustiæ paterentur.* Harum locutionum vocumque præcipuarum vis ut manifestior fiat, quid Ariani ex una parte senserint, quid ex alia Auctor contra regerat, certis quibusdam capitibus exponere perutile fuerit, unde vel illi, qui non plane eruditi in hisce materiis sunt, Auctorem contra Arianos ex proposito disserentem agnoscant. Hi hæretici [XLVII] ex Athanasio in lib. de Decretis Nicænis num. 18, pag. 223, de Filio Dei loquentes, hujusmodi formulis utebantur: *Ex non existentibus, non erat antequam genitus est, fuit aliquando cum non esset:* quibus significare volebant, divinum Verbum *ex non existentibus*, id est ex nihilo, ut cæteræ creaturæ, conditum, *non fuisse antequam genitus est*, unde et *fuit aliquando, cum non esset.* His ut contrairet noster Auctor cum catholicis primum docuit tract. 3 lib. II, Deum Patrem *alium se*, id est Filium Deum, *genuisse ex se ex innascibili sua illa substantia, in qua beatus manens in sempiternum, omnibus quæ habet habentem Filium paria procreavit;* et tract. 2 lib. II, *Totum se*, inquit, Pater *reciprocavit in Filium:* quibus divinum Verbum non *ex nihilo*, seu *ex non exstantibus*, sed ex ipsa Patris substantia genitum aperte prodidit. Dein ut exploderet, alteram formulam, *Non erat antequam nasceretur*, seu alteram eo recidentem, *Fuit aliquando, cum non esset*, quibus divino Filio æternitatem Ariani negabant, *coæternitatis* vocem sæpius inculcat, tract. 2 lib. II, *una originali coæternitate*; tract. 6 lib. II, n. 4, *cum quo originalis perpetuique regni una possessio, coæternitatis omnipotentiæque una substantia, una æqualitas, una virtus majestatis augustæ.* Huc etiam illa pertinent tract. 55, ubi Filium *paternæ antiquitatis solum conscium*, id est coæternum Patri fatetur, et, ut alia dimittamus, tract. 7, exploratissime eam hæresim notat, quæ *modestius, sed mordacius nocens, dicit quidem Dei Filium Deum, sed non ex Patre nobilitatis perpetuitate progenitum; fuisseque tempus, quando non fuit.* Hæc præcipue verba Baronium moverant, cum Arianam hæresim directe ferirent: nemo enim ante Arium similia docuit, nemo ante hoc tempus adeo expresse hæresim hujusmodi notavit et refellit, nec notare et refellere quidem potuit.

Ariani æqualitatem Filii cum Patre inficiabantur, inferioremque Patre Filium prædicabant. Auctor *æqualem* Patri Filium *in omnibus*, tract. 3 et 4 lib. II, *æqualitatemque* amborum *unam* urget tract. 6, n. 4, et formulis quidem adeo expressis ac repetitis sæpius aliis vocibus statuit, ut non casu aliquo, sed ex consilio contra errorem jam dominantem hæc se profiteri subindicet; unde tract. 1 lib. II, *Deum Dei Filium æqualem Patri a Catholicis prædicari* distincte affirmat, quæ prædicatio non nisi in quartum sæculum contra *Arii* hæresim cadit. Hanc porro æqualitatem non asseruit solum Auctor, sed pluribus statuere et confirmare etiam integris quandoque tractatibus voluit, objectiones rejiciens quas Ariani solum commoverant. Vide totos tract. 1 et 6 lib. II.

Nihil porro Arianis solemnius, quam ὁμοούσιον græcum, latinum autem nomen *unam substantiam* refugere, quippe quod uno ictu ipsorum errorem præcidebat: unde ea ipsorum erat celebris lex, quam Phœbadius commemorat pag. 301 tom. IV Biblioth. PP. edit. Lugdunensis: *Nemo unam substantiam dicat.* Catholici e contra sicut apud Græcos voce ὁμοούσιον ita apud Latinos *unius substantiæ* confessione ab Arianis secernebantur, iisdemque ut se se objicerent, nullam potiorem formulam ingerebant. Hanc Latinam professionem ac formulam apud Auctorem sæpe leges, et unam substantiam Patris ac Filii præcisis terminis explicatam etiam invenies; uti tract. 6 lib. II, num. 4, verbis paulo ante recitatis, nec non tract. 7, num. 2, ubi hæc habet: *Si enim Verbum in Deo est, et Deus est Verbum, et hoc est, in quo est, quod ille est, qui inest, duplex persona, duplex vocabulum: sed originalis perpetuitatis ac deitatis est una substantia.* Iterum tract. 12, num. 1, *unam substantiam, virtutem, deitatem, majestatem, voluntatemque Patris et Filii.* Tandem, ut alia sileamus, explicandæ aliquatenus rei causa tract. 2 duorum marium per fretum medium inter sese communicantium similitudinem ingerit, *quæ licet sui proprietate locis vocabulisque discreta sint, tamen trini profundi vaporis una virtus, una substantia, una est fluendi natura.* Quod si *consubstantialis* vocem apud Auctorem non reperias, nihil refert: hæc enim vox eo sæculo cui Auctorem affigimus, inter Latinos vix, aut ne vix quidem reperies, nisi apud Marium Victorinum, tom. IV laudatæ Bibliothecæ PP., quem unum et primum omnium ea voce usum deprehendimus. Cæteri autem constanter per eam tempestatem Latine *unam substantiam* dixere, quod pro Nicæna et Græca voce ὁμοούσιον redditum et acceptum fuit, ut videre est in ipsis Latinis interpretationibus Græcarum formularum fidei, quas in fragmentis S. Hilarius edidit. Hinc illud Luciferi Calaritani in libro *De non parcendo in Deum peccantibus*, p. 237 t. IV Bibliothecæ [XLVIII] PP. ejusdem editionis: *Homousion quod Græci dicunt, nos vero Romani dicimus unius substantiæ cum Patre*: quod iterum repetit pag. 243 in libro *Moriendum esse pro Filio Dei.* Hilarius quoque lib. IV de Trinit., num. 4: *Unius substantiæ, quod Græce Homousion dicitur*: cui similia prodit Auctor tractatus *de Fide orthodoxa* contra Arianos tom. II Appendicis Ambrosii pag. 345 et alii, quos vel allegare nimis esset longum. Itaque

Digitized by Google

cum Auctor *unam substantiam* acriter inculcet, quam cæteri ejusdem ævi Patres adversus Arianos ex proposito dimicantes inculcarunt, consubstantialis licet vocem nequaquam adhibeat, satis se nihilominus adversus eam hæresim decertantem prodit. Sed pergamus ad alia.

Hanc unam substantiam ut Ariani de medio tollerent, objiciebant hac ratione de Patris substantia aliquid fuisse demptum, ut Filius gigneretur, sicque imminutum et imperfectum Patrem a Catholicis admittendum dictitabant. Quibus ut se se objiceret Auctor, tr. 2, hac locutione usus est : Pater *suo manente integro statu, totum se reciprocavit in Filium, ne quid sibimet derogaret.* Et tract. 5 : *De Deo nascitur Deus, totum Patris habens, nihil derogans Patri : alter renitet in altero, cujusvis gloria communis est honor, quia quod est Filii, Patris est : quod Patris amborum* : quod ipsum repetens tr. 3 alias formulas Arianis e diametro oppositas ingerit : *De toto totus, de vero verus, de perfecto perfectus. Totum Patris habens, nihil derogans Patri.* Item tract. 13 lib. II, numer. 3 : *Indeminutæ deitatis paterna substantia, paternaque voluntas.* Et in fine tract. 2 lib. I : *Tu cum in tribus una sis, nullo pacto divideris : nulla humanæ curiositatis calumnia commoveris. A paterno fonte in Filio tota refunderis, et tamen tota ubi refunderis nec recedis.* Præoccupaturus vero alteram Arianorum objectionem, qua Sabellianismum catholicis impingebant, ac si unam substantiam indeminutam confitentes Patris et Filii, unam item utrorumque personam fateri deberent, præclare adversus Sabellium sese explicavit tract. 7 lib. II, num. 9, ubi post allatum locum Joannis x, 30 : *Ego et Pater unum sumus*, hæc addit : *Quod non utique sic ait, ut in unum duos redigendo confunderet, sed ut duorum unam divinitatis potestatisque esse omnipotentiam nos doceret.* Hæ et aliæ plures ejusdem generis formulæ, quas brevitatis gratia prætermittimus, pluribusque in tractatibus adversus Arianos ex proposito recitatis, ac in librum secundum ferme simul editis reperiuntur frequentissimæ, nonne manifeste convincunt nostrum Auctorem post natam Arii hæresim vixisse? Aliquæ sane ejusmodi locutiones in Antenicænis Patribus reperiri queunt, ut inter Latinos unus Tertullianus semel *unam substantiam* et *coæternitatem* scripsit, non in eam tamen vim qua errorem aliquem ferire voluisse significet. At tot simul formulas, et Arianis erroribus e diametro ac directe oppositas, totiensque repetitas in nemine Antenicæno quispiam ostenderit.

Editores Veronenses huic oppositioni se satisfecisse crediderunt, cum hæc scripta pronuntiarunt adversus errores Origenis, qui Arii pater ab Epiphanio traditur. Unusne Auctor noster notasset in Origene hæresim, quam nemo umquam ante Arianos in eo notasse reperitur; et tam repetitis in locis ac pro concione notasset, ac si Origenes, vel Origenistæ palam hic in Occidente apertam hæresim tuerentur, in quam invehere acriter catholicis episcopis necesse esset? Incredibile id sane est, si præsertim consideres, Origenis græci antiquique scriptoris opera Occidentalibus ignota fuisse, antequam celebris controversia de Origenis libris sub finem prorsus quarti sæculi excitaretur. Illud autem certum est hoc primum tempore non ab Epiphanio solum, sed a Theophylo Alexandrino aliisque compluribus Origenem tamquam Arii patrem traduci cœpisse; ante quod tempus cum nemo unus inventus sit qui Origeni eum errorem affixerit, satis probabilis nonnullis visa est eorum qui Origeni patrocinium accommodarunt excusatio, Origenis libros ab Arianis fuisse corruptos, sicuti adulterasse eos S. Methodii Symposion, eique Arianas opiniones inseruisse testatur Photius cod. 223, idque ipsum accidisse suspicamur Theognosto, quem Arianis locutionibus scatentem idem Photius sua ætate reperit, cum eum inter locupletiores antiquos catholici dogmatis testes adversus Arianos, adductis ejus verbis Athanasius allegaverit. Equidem si Origenes præcinuisset Arianis, qui potuissent [XLIX] auctores adversus illum ante exortam Origenistarum controversiam multa scribentes, et accusantes in ejus operibus multa, uti Methodius, Eustathius Antiochenus, Apollinaris (hi duo postremi acerrimi fuere Arianorum impugnatores) qui potuissent, inquam, nihil ejusmodi notare, quod in Arianismi errores deflecteret. *Illum minime reprehenderunt*, inquit Socrates, lib. VI, cap. 13, *tamquam de S. Trinitate male sentientem;* propterea quod, ut idem ait lib. VII, cap. 6, Origenes *passim in suis libris Filium Patri coæternum confitetur.* Quid si Origenes Arianismum docuit? Aetius Eunomii præceptor Arianorum ferocissimus illum contempsit, eodem Socrate teste, lib. II, cap. 35. Quod si ex Arianis alii ejus libros ad suæ hæresis, uti putabant, confirmationem allegare conati sunt, illos statim Basilius et Gregorius Nazianzenus *redarguerunt*, inquit idem Socrates lib. IV, cap. 26, *et Origenis doctrinam ab ipsis nequaquam intelligi demonstrarunt.* Imo Athanasius in epist. de Decretis Nicænis num. 27, pag. 232, Origenem pro se appellare non dubitavit adversus Arianos sentientem, locumque ejus ibidem allegat quo Arianismi fundamentum et basis, a nostro quoque Scriptore indicata tract. 7 lib. II, num. 1, plane evellitur. *Intelligat enim* (Origenis verba sunt ab Athanasio recitata) *qui dicere audet, fuit aliquando, cum non esset Filius.*

Ex hoc solum Origenis testimonio potius intelligimus, fuisse id quoque temporis alium aliquem, qui id diceret, quod Ariani subinde docuere. In Ægypto quidem exstitit S. Dionysius Alexandrinus Origenis discipulus; qui non ut Arianis præcineret, sed ut Sabellianæ hæresi in Lybia finitimisque locis grassanti sese opponeret, eam locutionem incaute usurpavit, ut liquet ex fragmento epistolæ ejusdem ad Euphranonem et Ammonium, quod S. Athanasius recitat in epist. de Sentent. Dionysii, num. 4, pag. 246. *Etenim*, ait, *cum sit res facta, non erat antequam fieret.* Hac de causa Dionysius Alexandrinus Romam delatus est

Digitized by Google

ad S. Dionysium summum Pontificem, qui litteras statim rescripsit, in quibus eam locutionem valde reprehendit. *Non levis igitur, sed summa est impietas, Dominum aliquo modo manufactum dicere; nam si factus fuit Filius, fuit aliquando cum non esset; atqui fuit semper* : sic Dionysius Romanus in fragmento apud eumdem Athanasium de Decretis Nicænis, num. 26, pag. 232. Alexandrinus vero Apologiam mox reddidit, in qua consilium suum contra Sabellianos patefaciens, ut se ab eo errore quem Ariani subinde arripuere, probaret alienum, multa scripsit, quæ adversus Arianos catholicis magno usui fuere. Hac ergo ex historia exploratum fit, tertio quidem sæculo eam formulam a nonnullis in sola quoque Ægypto adhibitam (unde paucis tantum in monumentis Alexandrinam Ecclesiam spectantibus legitur) et ea adhibitam mente, ut Sabellianam hæresim catholico sensu refellerent, non ut novam inducerent atque defenderent; ex quo Dionysius Alexandrinus commonitus eam formulam displicere, in Apologia catholicum dogma ita diserte confirmavit, ut qui ex antiquis Arii errorem Dionysio vehementius luculentiusque rejecerit, inventus sit nemo. Quis itaque contra hunc, vel alium aliquem ejusdem generis et loci hominem tamquam Arii errores propugnantem, istis in Occidentis regionibus unum nostrum Scriptorem pro concione pluries et acriter disseruisse existimet; et non potius intelligat, ab hoc palam impugnari Arianos sæculo quarto ubique, ac præsertim in hisce Italiæ finibus duce Auxentio debacchantes; cum præsertim non eam solam, quæ in S. Dionysio Alexandrino reprehensa fuit, sed alia plures locutiones ex proposito et sæpius impugnet, ante Arium nemini unquam auditas? Socrates enim lib. I, cap. 6, *novas et inauditas* Arii *assertiones* vocavit, et Sozomenus, lib. I, cap. 15: *Quod a nemine unquam dictum fuerat, ipse in Ecclesia ausus fuerit prædicare;* ante quos utrosque Rufinus, lib. x Hist., cap. 1: *Prava quædam de fide Christi proferre, et quæ antea in quæstionem numquam venerant, cœpit;* unde et Hilarius Arianam *noram hæresim* vocat, lib. VII de Trin., num. 3, *hæresim novellam*, num. 5, *et novellam luem post quadringentos fere annos nuper inventam*, lib. I, ad Constantium num. 5, quam scilicet ante Arium docuit et propugnavit nemo; quidquid sit, si cuipiam similis aliqua formula, alio tamen et catholico sensu intellecta, adversus Sabellianos exciderit.

[L] Sed ut Arianos, non autem antiquum aliquem errorem Auctorem nostrum impugnasse prorsus evidenter demonstretur, satis erit tractatum primum primi libri ejusque annotationes legere: in eo enim Arianorum de altissimo divinæ generationis mysterio philosophicis rationibus disceptantium curiositatem nulli alii sectæ propriam (de quo videsis dissertat. II, cap. 2) explorate reprehendit; varias notat *fides*, seu fidei formulas, *tractatus* varios, qui fidem in sectas multas discinderent, quod ad unas Arianorum formulas atque tractatus referri potest; officia hæreticorum designat perspicue apud *reges*, id est imperatores eosque Christianos, ut ex contextu colligemus, apud *judices*, id est magistratus, apud *divites* et *aliquotiens* solum apud *Gentes* : quæ quatenus solis Arianis conveniant, ex annotationibus simul sumptis cognosces. Quid pluribus opus est, ut Auctorem adversus Arianos tam præcise loquentem quarto sæculo floruisse intelligas?

§ III. — *Aliæ quarti sæculi hæreses ab Auctore impugnatæ ætatem ejus confirmant.*

Addemus jam ad confirmationem alia, quibus alias hæreses quarto solum sæculo genitas idem auctor impugnat. Primum tr. 1, num. 5, lib. I, præter eos, qui in Dei Filium errores sparserunt, illos etiam reprehendit qui in Spiritus sancti divinitatem subtilius ratiocinantes peccabant. *Sub sono legis*, inquit, *ac fidei, sæcularis amore jactantiæ accensus, nascentis Dei de Deo, Spiritusque sancti inæstimabilem incomprehensibilemque divinitatis perpetuitatem, jure ipso, quo ex sese est, argumentis te cogere, examinare, metiri ac discernere posse præsumis.* Et contra hos Spiritus sancti æqualitati præjudicantes, tract. 13, num. 1, lib. II, præclaram illam professionem edidit : *Spiritus sanctus,..... habens unam substantiam, virtutem, deitatem, majestatem, voluntatemque Patris et Filii.* Qui autem ex antiquioribus hæreticis Spiritui sancto detraherent atque decerperent una cum Filio, ut Auctoris textus fert, nemo unus est omnium. Ariani fuerunt primi, qui cum in Filium errarent, eodem argumento in Spiritum sanctum errare consequenter debebant. Quam tamen consecutionem primi Arianorum de uno Filio disputare contenti non inculcarunt; unde in eo errasse notati non sunt, nec in Nicæna synodo hic error damnatus. Posteriores solum Ariani, seu potius Semiariani id erroris invexere, quem proinde confutatum videre est apud Hilarium lib. II de Trinitate, et apud Ambrosium lib. III, de Spiritu sancto, damnatumque in Constantinopolitana synodo an. 391. Hanc sane hæresim uno eodemque sæculo quarto, quo Ariana, et ex Ariana natam diserte affirmavit Sozomenus lib. VI, cap. 23 : *Eodem tempore*, Valente scilicet imperante, inquit, *rursus nata est quæstio, utrum Spiritus sanctus ejusdem cum Patre et Filio substantiæ censendus esset; quæ quidem quæstio cum jampridem*, id est jam inde a Semiarianorum ortu, *cœpta fuisset, tunc maximum incrementum acceperat. Anomiani*, id est puri Ariani et Semiariani, *consenserunt. Utrique enim Spiritum sanctum ministrum esse, et ordine atque honore tertium, et substantia dissimilem asseverabant.* Itaque cum hos palam noster auctor recitatis ex tract. 1 verbis pungat; procul dubio ante medium sæculum quartum scribere nequaquam potuit.

Est et hæresis alia, quam distincte notat tr. 7 lib. II his verbis : *Una denique asserit Jesum Christum ab utero Virginis Mariæ sumpsisse principium, Deumque exinde ob justitiam factum esse, non natum.* Imo subinde post impugnatos Arianos eam sub ejusdem tractatus finem ita confutat, ut utrasque

Digitized by Google

hæreses eodem ævo vigentes satis ostendat. Idcirco adversus hanc iterum, antequam Arianos impugnat, sic effatur tract. 6 ejusdem lib. II : *Si hominem solum, sicuti quidam putant, ab utero Virginis eum sumpsisse principium, quæ spes*, etc., ubi animadvertenda potissimum verba, *sicut quidam putant*, quæ hunc errorem æque ac Arianum præsentem indicant. Porro, etsi hæreticorum veterum plures hunc errorem tradiderunt (de quibus vide annot. 3 in tr. 6), nulli tamen eodem, quo Ariani sæculo, eum defensarunt, [LI] nisi Photiniani, qui ut ab Arianis longe abirent, in eam hæresim incidere : unde non minus Ariani Photinianos quam Photiniani Arianos aversabantur. Catholici autem inter utrosque medii utrumque errorem coarguebant, et hinc noster Auctor utrosque contraria docentes una reprehendens, sub utriusque hæresis post medium quartum sæculum simul compugnantis ætatem se vixisse prodit.

Quem auctorem habuerit error, quo Dei imago non in anima, sed in corpore collocabatur, illo Geneseos testimonio in hanc rem perperam traducto : *Faciamus hominem ad imaginem*, etc., prodit Epiphanius hær. 70, Audium, vel Audæum nominans quarto sæculo viventem, quem quidem errorem eodem sæculo rejicit S. Hilarius in psalm. CXXIX, et Philastrius c. 97. Hunc ergo errorem noster quoque auctor non cursim, sed ex proposito et fuse refellens duobus in tractatibus 19 et 20, lib. II, eodem procul dubio sæculo vixisse convincitur.

Tandem Mariam ante partum, in partu, et post partum virginem tr. 8 lib. II, asserit præcisis adeo formulis, ut eas reperire non liceat in quopiam, antequam B. Mariæ virginitas quarto sæculo oppugnaretur. Vide in hanc rem plura annot. 5 in tr. 5 libro I, ubi alia quoque Auctoris in eamdem rem testimonia alibi repetita indicantur, quæ ad catholicum dogma contra nascentem hæresim vindicandum vel promovendum dicta fuisse videntur.

§ IV. — *Novum argumentum ex publica urbana ecclesia petitum. Editorum Veronensium ac Baronii objectiones dilatæ. Alia conjiciuntur ex publicis Episcopi concionibus, quibus [illegible] et ex [illegible] quotannis baptizandis [illegible]*

Insigne in [illegible] etiam [illegible] Dei inscriptum, [illegible] Auctore [illegible] rum nova [illegible] Hinc [illegible]

privatis in locis sacros cœtus haberent, quos ecclesias vocabant, *novas* tamen publicasque in eum usum ædes ædificare illis non licuit. Solum per Constantinum imperatorem, qui Christo nomen dedit, publicarum ecclesiarum construendarum facultas quarto primum sæculo facta fuit : ac proinde Auctorem de nova publica ecclesia tam explorate disserentem ante id sæculum vixisse perperam dixeris. Miramur autem editores Veronenses hæc in præfatione scribentes : *De spirituali ædificatione domus Dei Auctor demonstrat tunc non fuisse jam templa Christianis constructa.* Si unum *templi* nomen Auctori non usurpatum dixissent, nihil repugnaremus : id enim nomen idolorum ædibus tribui solitum, Christiani ad ecclesias traducere veriti sunt ante S. Ambrosium atque Theodosium Junioren, qui ea voce pro Christianorum ecclesiis significandis primum usi inveniuntur, ut pluribus animadvertimus annot. 26 in tract. 5 lib. I. At cum de materiali ædificatione illi editores intelligant, de qua tribus in testimoniis nuper recitatis tam aperta fit mentio, admiratio incessit plurima, quod illud inde argumentum intenderint, unde se plane devictos fateri debuissent. Quid porro si animadvertantur hæc alia ejusdem tractatus verba num. 1 : *Aut nullum, aut perrarum est per omnem Ecclesiam Dei orationis loci membrum, quod possit quavis ruina in se mergentibus idololatriæ ædibus nunc usque aliquatenus comparari.* Auctor non negat *nullum* omnino, aut *perrarum* orationis locum, id est ecclesiam [LII] Christianorum fuisse, sed multa potius orationis loca, seu ecclesias Christianis fuisse supponit, inter quas tamen *nulla*, aut *perrara* esset, quæ ob magnificentiam cum idololatriæ ædibus comparari posset.

Baronius in annotationibus ad Martyrologium ex hoc testimonio colligit Auctorem ante Constantini tempora claruisse, quippe quod hujus imperatoris opera, Romæ præsertim, augustissimæ basilicæ erectæ fuerunt. Optime quidem, *si nullum* tantum *orationis locum* cum idolorum ædibus comparari posse Auctor affirmasset, non vero cum *vel perrarum* addidit : hinc enim aliquam alicubi ecclesiam magnificentissimis idolorum templis nequaquam cedere satis indigitat. Interim vero cum multas hic ecclesias, etsi non magnificas, variis in locis ædificatas ostendat, jam magis multo Veronensium editorum hallucinatio patet, qui hoc in tractatu nulla; tunc templa a Christianis constructa viderunt : quod si vidissent, [illegible] Auctorem ante quartum sæculum collocari non posse facillime cognovissent.

Has autem ecclesias publicas fuisse vel inde patet, [illegible] eo consilio ædificatæ palam fuerunt, ut essent ecclesiæ, cum olim privatæ ædes in ecclesiasticorum conventuum usum clam fuissent traductæ, ut ne quid exterius in Gentium notitiam pateret. Publicæ quidem illæ saltem fuere, *perraræ* licet ecclesiæ, quæ cum idol[illegible] inferri alicubi poterant, id qu[illegible] inferiores mole et [illegible] Præterea tract. 7 ab [illegible] tur, cum nova illa ec-

Digitized by Google

clesia *primum patens dedicata fuit* : quod ad ostendendam eam *publicam plurimum* confert. Huc quoque conducit *locus ex tract.* 10 lib. I, num. 3, ubi mulieres *ad ecclesiam Dei totum inauratæ corpus* palam processisse indicantur, nec non ille alius ex tract. 5 ejusdem libri, num. 8, *in quo de* Christianis uxoribus ethnico nuptis Auctor *loquens*, non minus isti idolorum templum, quam illi ecclesiam eodem die palam petita perinde notat, ut publica utraque æque fuisse intelligantur. Unum tandem extra omnem dubitationis aleam considerandum subjicimus ex tractatu 3 lib. I, ubi statim ab initio Auctor *doctos* viros sibi concionanti præsentes appellans, ethnicos intellegit, quos facundia ejus captos ei interfuisse frequentes, dum sacras conciones haberet, ibidem annot. 2 ostendimus, simulque colligimus Auctoris ætatem, qua ethnicorum præsentiam nihil metueret; id quod solum accidit sæculo quarto, cum persecutionibus Gentium per Christianos imperatores deletis, religionem christianam sine ullo metu publicis in ecclesiis profiteri licuit, ut ad sacras conciones ipsi quoque ethnici admitterentur. Neque moveat quod, tract. 5, num. 8, pagani viri *sacrificium publicum* affirmet, uxoris autem Christianæ *secretum* : ex iis enim, quæ ibidem annotavimus liquet vocem *secretum* ad ecclesias transferendam non esse, sed unum spectare Eucharistiæ sacramentum, quod ex antiqua disciplina, nedum a Paganis, ne a catechumenis quidem ipsis videri poterat, qui omnes post Evangelii lectionem concionemque ab ecclesia arcebantur; unde ibidem Auctor statim sese explicans subdit : *Illius*, id est pagani conjugis, sacrificium *a quovis libere tractari potest : tuum* (uxorem christianam alloquitur) *etiam a Christianis ipsis minime consecratis*, id est catechumenis, *sine sacrilegio videri non potest.*

Veronenses editores, quos in neganda sacri templi, seu ecclesiæ constructione nimium multum deceptos vidimus, errorem errori addentes, exiguum Christianorum numerum eodem in tractatu 7, ab Auctore demonstratum produnt. *Demonstrat tunc non fuisse jam templa Christianis constructa, sed novum populum, et minimum numero exstitisse.* Nihil falsum magis : siquidem eo loci etsi ecclesiam novam magno sumptu constructam in fidelium commodum valde *capacem* fatetur, *angustam* tamen adhuc ob incredibilem eorum multitudinem fuisse inventam palam affirmat. *Exultate igitur, fratres; ædificationem vestram æde ista de novella cognoscite, cujus quoque capacitatem felici numero fecistis angustam.* Tantus autem fidelium numerus in quartum quoque sæculum commode cadit, quippe cum antea ob persecutiones impedimenti plurimum objectum esset, tum ne prædicatio perveniret in publicum, tum ne satis multi ad fidem transirent. In quam rem alia non levis confirmatio ex iis tractatibus suppetit; qui complures cujusque *generis*, *ætatis*, *sexus*, *conditionis*, imo et *nationis* catechumenos sacro baptismate ab Auctore in paschali [LIII] festo simul ablutos tradunt. Vide tractatus 33 et 38, 42 et 43, lib. II, qui singuli cum idem circiter repetant, eum numerum singulis annis in paschate baptismatis lavacro tingi solitum insinuant; quod profecto non nisi post redditam Ecclesiæ pacem accidisse credibile est.

§ V. — *Interdicta Gentibus templorum ædificatio, et publicus nihilominus idololatriæ cultus, de quibus Auctor meminit ætatem ejus post medium quartum sæculum certioribus limitibus definiunt. Baronii objectio explosa. Quid circa ethnicum cultum a Juliani obitu decretum ad annum usque* 391.

Argumento ex publicis Christianorum ecclesiis ducto subjiciendum aliud sumptum ex idolorum templis, quæ etsi paterent, ædificari tamen Auctoris ævo nequaquam poterant. Is nimirum eodem tract. 7, num. 1, postquam *haud præcipuum* esse dixit de novæ ecclesiæ ædificatione *laudibus geminare*, quippe *quod id cum Gentibus, vel Judæis potest esse commune*; hanc hujus postremæ sententiæ rationem subdit : *Nam et illis si liceat, vel si velint, fortassis cultius synagogas ædificent, cultius erigant capitolia*; ubi *capitolia* scriptum pro *templa* annotat. 3 in hunc tractatum probavimus. Nunc adverte duas sententias disjunctive positas, *si liceat, vel si velint* : quarum prima ad Judæos pertinere minime potest, siquidem *Judæorum secta nulla lege prohibita* traditur a Theodosio, l. IX *de Judæis*, an. 393; et solum an. 421, leg. 21 ejusdem tit. cautum fuit, *ne deinceps ullas facerent condi synagogas* : quod ipsum confirmatum legitur an. 423, lib. XXV et XXVII. Itaque Judæos respicit secunda sententia *si velint*; prima autem *si liceat* palam pertinet ad Gentiles, quibus proinde templa ædificare Auctoris ætate non licuisse exploratum est : quod non nisi in quartum sæculum cadere potest, cum per christianos imperatores idolorum templa vel ante Julianum interclusa fuerunt, vel post Julianum ita tolerata, ut nova tamen construi non permitterentur. Hoc autem postremum tempus post Juliani mortem ab Auctore spectari constat ex tract. 5, ubi non minus ecclesiæ a Christianis, quam templa ab Ethnicis publice adita, et istorum *sacrificium* quidem *publicum* traditur num. 8. Tempus nimirum aliud sub christianis imperatoribus, quo paterent templa idolorum, simulque ea ædificare non liceret, assignari nullum potest.

Atqui hæc patentium templorum publicorumque sacrificiorum mentio Baronio de interdicta eorumdem templorum ædificatione nihil animadvertenti suasit, ut Auctorem ante quartum sæculum florentem defenderet : *Dum Auctor apertissime monstrat, idolorum templa tunc fuisse patentia, et victimas solitas immolari; aliud prorsus ab Ambrosii temporibus illud fuisse sæculum Auctor aperte significat, cum constet jam olim non tantum a Constantino... et a Constantio..... victimas fuisse vetitas, et templa jussa claudi, sed eo tempore nec Romanos obtinere potuisse vel aram unam erigere Victoriæ, ut plurimum ad Valentinianum scribit Ambrosius, et adversus Symmachum disputat*

Digitized by Google

tat. At quamquam sub Constantino et Constantio templa aperire ac sacrificare non licuerit, post Julianum tamen, qui ethnicæ superstitionis cultum in integrum restituit, ad Magnum Theodosium et Valentinianum Juniorem usque, qui omnem ethnicum cultum iterum sustulere, non ita. Ne autem moveant quæ de Victoriæ ara ex Ambrosio et Symmacho Baronium moverunt, vel quæ afferri etiam possent ex Socrate et Theodoreto, quorum alter lib. III cap. 24, alter vero lib. V cap. 20 Hist., Joviano Juliani successore imperante templa ubique occlusa diserte scribunt : hanc propositionem, qua adhuc post Juliani mortem ethnicum cultum aliquandiu licuisse contra Baronii hypothesin affirmavimus, luculenter nobis statuendam intelligimus, cum præsertim exinde Auctoris ætatem certioribus limitibus circumscribere maxime pendeat. Id autem ut statuatur, quidquid a Juliani morte ad Magnum Theodosium de templis ac sacrificiis decretum est, paucis colligere et animadvertere oporteret.

[LIV] Jovianus optimus christianus statim ac post Julianum imperator renuntiatus fuit, *cum experimento didicisset*, inquit Sozomenus l. VI cap. 3, *ira Dei ob decessoris sui impietatem invectas esse calamitates imperio Romano, nihil cunctatus scripsit rectoribus Provinciarum, ut in ecclesias convenirent, et divinum numen studiose colerent, solamque Christianorum fidem Romanis esse venerandam.* Cum hoc Sozomeni testimonio concinit, quod in Historia ad Athanasium ac res Alexandrinas pertinente et quarto sæculo scripta, quam e ms. Capituli Veronensis concivis noster Maffeius publicavit tom. III Observat. Litter., num. 8, pag. 71, de hoc eodem Joviani edicto traditur his verbis : *Sequente mense Toth* XVIII, id est die 14 septembris an. 363, *imperatoris Joviani litteræ advenerunt ad Olympum præfectum, ut tantum Deus excelsus colatur et Christus, et ut in ecclesiis colligentes se populi celebrent religionem.* Hæ autem Joviani litteræ, etsi pro Christianis datæ, non tamen lex adversus paganos edita dici possunt, unde nihil ex illis in Theodosianum codicem titulo de *Paganis* insertum fuit. At imperatoris mente satis hinc cognita, quantum scilicet christianæ soli fidei adversus ethnicum cultum deferret, fieri potuit, ut gentiles adversum se leges ab eodem imperatore brevi ferendas, vel veteres restituendas timerent : et hinc forte evenit, ut *eodem tempore* (quod tradit Socrates libro III, cap. 24) *cuncta gentilium templa ubique occluderentur : ipsique dæmonum sacerdotes variis in locis, ubi quisque poterat, sese abderent* (quod tamen non sine exaggeratione aliqua dictum accipito ; *cuncta* enim, et *ubique* stricte sumpta falsissima sunt, ut ex dicendis patebit). Eadem quoque de causa factum videtur ut Christiani in honore essent, Pagani autem contemptui habiti, ethnicaque templa nonnullorum, ut opinamur, Christianorum zélo alicubi everterentur, uti Libanius orat. 12 memoriæ prodidit. Cæterum ut nulla in lege ab eo imperatore adversus idolorum ædes lata factum pateat, Themistius ethnicus orator oratione 5 ante ipsum Jovianum recitata, paulo antequam is e vivis excederet, hanc inter ejus laudes ponit, quod legem promulgaverit in qua cuique religionis, quæ magis placeret, facultatem fecerit, et unis magicis sacris, quæ maleficia continebant, interdictis, cætera sacrificia nequaquam prohibuerit. Quam sententiam repetit idem Socrates, quem templa sub Joviano clausa testantem audivimus ; et hanc rationem præterea affert, nam Jovianus lib. III, cap. 25, *id sibi proposuerat, ut dissidentium jurgia blanditiis et leni verborum persuasione exstingueret : aiebatque se nemini omnino, qualiscumque fidei esset, molestiam exhibiturum.*

Anno nondum evoluto Jovianus diem obiit, eique Valentinianus suffectus, qui Valentem fratrem imperii comitem assumpsit. Ille autem teste Zosimo lib. IV, cap. 3, initio imperii sui *nocturna sacra fieri prohibuit* (ut sane factum videmus primo imperii ejus anno 364, lege 7 *de Maleficis et Mathematicis* Cod. Theod.), at hortante Prætextato *peragi ea rite, vi legis suæ cessante, permisit : ita tamen ut omnia secundum patrias consuetudines, quales ab initio fuissent, perficerentur.* Equidem Socrates lib. IV, cap. 29, Valentinianum *nulli sectæ, nec religioni molestiam exhibuisse* prodidit. Idem tradit expressius coætaneus Valentiniano scriptor Ammianus Marcellinus lib. XXX, cap. 9 : *Postremo hoc moderamine principatus inclaruit, quod inter religionum diversitates medius stetit, nec quemquam inquietavit, neque ut hoc coleretur imperavit, aut illud : nec interdictis minacibus subjectorum cervicem ad id quod ipse coluit, inclinabat, sed intemeratas reliquit has partes, ut reperit.* Quin ipse quoque imperator L. 9 Cod. Theod. *de Malef. et Mathem.* : *Aruspicinam,* inquit, *ego nullam cum maleficiorum caussis habere, consortium judico : neque ipsam, aut aliam præterea concessam a majoribus religionem genus esse arbitror criminis. Testes sunt leges a me in exordio imperii mei datæ, quibus unicuique, quod animo imbibisset, colendi libera facultas tributa est.* Hinc laudatur a Symmacho gentili homine in Relat. ad Valentinianum Juniorem, num. 3 et 17, et S. Ambrosius epist. 17, num. 16, Valentiniano seniori objectum refert, quod *Gentilibus conniventiam præstitisset ;* et in ep. 18 Symmachi relationem refellens, qua Juniori Valentiniano prædecessorum conniventiam imitandam proposuerat : *Si enim,* inquit n. 39, *pro suis dumtaxat partibus eorum dissimulationem Principum prædicarunt, qui cum essent Christiani, decreta tamen gentilium minime removerunt, quanto magis amori debes fraterno?* Valentiniani Junioris frater hic appellatus est Gratianus, christiani autem [LV] principes plurali numero vocati, quibus Occidens, de quo erat quæstio, pareret, non alii profecto esse possunt quam Jovianus atque Valentinianus Senior, qui utrique *decreta Gentilium minime removisse* traduntur, Gentiumque cultum minime interdicentes, templa ac sacrificia permisisse convincuntur. Valens, cui a Valentiniano fratre Orientis imperium tributum fuit, iisdem fratris vestigiis institit ad aliquod tempus; quoad Christianis

Digitized by Google

præsertim monachis vehementer urgentibus, sacrificia ita abstulit, ut non tamen in eodem oriente intercluserit penitus templa, nec thurificationem interdixerit. Hinc Libanius in oratione pro Templis ad Theodosium Magnum, qui post Valentem id temporis in solo Oriente imperabat, pag. 473, inter Opera minora Jacobi Gothofredi : *Juliano mortuo apud Persas,* inquit... *mansit certe sacrificiorum usus ad tempus aliquod. Novatoribus autem quibusdam exortis, a duobus equidem fratribus* (Valente et Valentiniano) *prohibitus fuit, at non et thurificatio :* quin hanc ab ipso quoque Theodosio lege firmatam subdit. Equidem in Oriente ineunte Theodosii imperio Gentes *adadhuc facultatem habebant adeundi fana, patriisque ritibus numina placandi* Zosimo teste lib. IV, cap. 29, quo spectans in oratione memorata Libanius, Theodosium his alloquitur : *Tu igitur neque templa occludi, neque ullum aditu arceri jussisti, neque ignem, neque thurificationem, neque alios fumigationum honores templis arisque ejecisti :* quibus nihil repugnant ejusdem Theodosii leges 7 et 9 tit. *de Paganis*, in quibus sola sacrificia vetita traduntur, et sacrificandi consilio templa fanaque adeuntes gravi pœna mulctantur.

Sed ab Oriente ad Occidentem revertamur. Valentiniano Seniore vita *functo*, Occidentis imperium ad Gratianum et Valentinianum Juniorem pervenit. Gratianus autem legem tulit ab Honorio laudatam, L. 20 *de Paganis*, qua templis et sacrificiis intactis unum *publicum sumptum superstitioni deterrimæ exhiberi inhibuit.* Hinc S. Ambrosius epist. 18, ad Valentinianum II, num. 16, de Gratiani lege sermonem faciens, nihil per eam superstitioni ethnicæ detractum testatur præter sumptus, qui e prædiis redibant. *Nemo tamen donaria delubris et legata haruspicibus denegavit, sola sublata sunt prædia* : et num. 31, eodem imperante Gratiano, *sacrificia ubique concelebrata* palam docet. Quod si Victoriæ aram a Romana curia removit, id ex eo factum prodit ibidem Ambrosius, quod haud ferendum esset sacrificium, ubi *plures conveniunt Christiani;* plerique enim senatorum Christo nomen dederant. Itaque sub Gratiano et Valentiniano fratribus in Occidente idolorum templa patuere, atque in his non thurificatio sola ut in Oriente contigit, sed et sacrificia celebrata fuerunt : unde Libanius in oratione laudata, pag. 484, *Romæ* in Occidentis metropoli *sacrificia relicta* Theodosio imperatori Orientis affirmavit. Hinc autem tota Baronii cadit objectio, qui ex una Victoriæ ara Romæ Gratiani jussu sublata, de qua nunc nuper diximus, sub Ambrosii quoque ætatem et templa clausa et sacrificia interdicta existimans, Auctorem nostrum templa et sacrificia commemorantem ab eo tempore excludendum certissime pronuntiavit.

Primus qui in Occidente templis et sacrificiis bellum indixit, fuit, Gratiano fratre jam exstincto, Valentinianus Junior, leg. 10 tit. *de Paganis*, data an. 391, III Kal. Martii; eodemque pariter anno XV Kal. Julii Magnus Theodosius, qui ejus legis condendæ auctor A fuisse videtur, id ipsum decrevit leg. 11 ejusdem tituli, quas utrasque in Theodosiano Codice legere poteris. Hæ porro leges anno sequenti, cum jam obiisset Valentinianus Junior, a Theodosio universum Romanum imperium moderante confirmatæ fuerunt, novisque ac severissimis pœnis auctæ : quibus nemo idolorum ædes sive in urbibus, sive in pagis ingredi, sacrificiaque offerre nemo ne in itinere quidem poterat. Quæ leges cum alicubi non omnino observarentur (ut in quibusdam Africæ pagis remotissimis evenit, in quibus sacrificia celebrata liquet ex Augustino et can. 3 concilii Carthaginensis an. 401) novæ leges editæ subinde inveniuntur, quibus pagorum fana deleri jussum fuit, de quibus vide Cod. Theod. tit. *de Paganis*. Hæc de ethnicorum templo- B rum sacrificiorumque fato fuse dicenda fuerant, non tam ut Baronii hallucinato pateret, quam ut nostri Auctoris certior ætas statueretur. Cum enim is ex una parte id temporis scripserit tractatum 14 l. I, quando Gentibus nova templa condere non licebat, quod soli Christianorum imperatorum [LVI] ætati convenit: ex alia vero scripserit tract. 5, cum impune et templa adire et sacrificia celebrare Gentes possent (quæ quoque sacrificia in agris facta, ab eodem memorantur tr. 15 ejusdem libri, num. 5) quarum rerum potestas sub Christianis imperatoribus saltem in Occidente facta est solum a Juliani obitu usque ad an. 391, quo templa clausa et sacrificia omnia ubique interdicta fuerunt : consequens fit hoc intermedio tempore laudatos tractatus ab Auctore scriptos fuisse, ex qui- C bus ætas ejus certissima colligi potest. Quod si quis objiciat sacrificia in Africæ pagis habita ineunte sæculo quinto, ut nuper ex Augustino et Carthaginensi synodo monuimus, reponemus statim (ne hinc forte Auctoris ætatem post an. 391, posse protrudi quispiam suspicetur) quod etsi post id tempus in aliquo pago Ethnicorum quorumdam licentia eo devenerit, ut imperatorem repetitas etiam leges contemnerent : nemo tamen inveniri poterat, qui de paganorum templorum jure legibus ageret, quibus non jus templorum modo, sed ipsa quoque templa, vel fana cum sacrificiis sublata jam fuerant. Porro Auctor tract. 15 nuper allegato præter sacrificia in pagorum fanis celebrata, lites quoque de templorum jure *quotidie* motas testatur, ut videre est ex annot. 15 in ea verba : D *Jus templorum ne quis vobis eripiat quotidie litigatis.* Itaque licet ætas alterius auctoris, qui sacrificia commemoraret, prorogari possit ultra annum 391, nostri profecto non potest.

§ VI. — *Auctor non tam Lactantium, sed et Hilarium imitatus, post medium quartum sæculum vixisse demonstratur.*

Hisce temporis finibus, quos superiori paragrapho Auctori præscripsimus inter Juliani imperium et an. 391 optime congruunt illa quæ de Hilarii imitatione subjicimus; quod novum invictissimumque argumentum habendum est, ut idem Auctor quarto sæculo vindicetur. Ex annotationibus in tr. 8 lib. I

Digitized by Google

et tr. 17 ac 21 lib. II quos genuinos nostri Auctoris demonstrasse nobis videmur, cap 1, § 2, perspicuum plane est, hunc, dum eosdem tractatus scripsit, præ oculis habuisse Hilarii commentarium in Psalmos, ex quo nedum sententias aliquot, sed eadem quandoque verba excerpsit. Porro hic commentarius, Benedictinis editoribus probantibus, postremum Hilarii opus fuit, scriptum post annum 364 et ante annum 368 quo ille jam e vivis excesserat. Saltem post libros de Trinitate editos in exilio ante annum 360 ille commentarius lucubratus certissime fuit, postquam solutus exilio ex Oriente in Occidentem rediit, quod ipso anno 360 factum est. Itaque noster Auctor, qui hunc commentarium tam commode legit, ut ex eo quasdam sententias totidem nonnunquam verbis excerpserit, post medium quartum sæculum collocandus est, quod temporis limitibus superiori paragrapho positis mirum in modum respondet. Ad quartum porro sæculum statuendum conducerent etiam, quæ de Lactantii imitatione eodem cap. 1, § 2 innuimus, cum ad quartum quoque sæculum Lactantius pertineat. At cum imitatio Hilarii arctius et serius tempus prospiciat, ex ea hoc loco argumentum præcipue ducendum rati sumus : quod adeo est evidens, ut nemo respondere probabiliter possit, nisi qui tres ab Auctore tractatus ableget, ut Hilario tribuat quos ab Hilarii stylo nimis aperte discrepantes nostroque Auctori vindicandos ibidem ostendimus : eademque ratione quatuor alios tractatus ibidem recensitos, in quibus Auctor in eamdem rationem Lactantium imitatus, et totidem quandoque verbis secutus est, ab eodem erunt abjudicandi, ut tribuantur Lactantio; quod tamen si quis dixerit, ne Auctorem post Lactantii ætatem collocet, cum Lactantium e laico adversus Gentes scribente episcopum concionantem faciet, eruditorum risu excipietur.

[LVII] § VII.—*Insignis Auctoris locus de captivorum redemptione cum aliis duobus S. Ambrosii mirifice congruens, spectare ostenditur captos a barbaris post Hadrianopolitanam pugnam an.* 378. *Auctoris ætatem prorogari non posse ultra quartum sæculum aliquot argumentis statuitur.*

Auctorem non quarto solum sæculo, sed post annum quoque 360 et ante annum 391 floruisse hactenus dicta convincunt. Nunc postremo loco factum aliud historicum ab Auctore indicatum animadvertendum proponimus, ex quo id ipsum tempus mirifice confirmabitur. In fine tract. 10, lib. I, liberalitatem suorum auditorum Auctor commendans: *Sed hæc*, inquit, *non ad vos, fratres, quorum largitas provinciis omnibus nota est, quorum pia semina totius quodam modo orbis per membra jactantur; a vobis multi redempti : multi edictis ferulibus liberati : multi conditionibus duris exuti gratias agunt.* Hic de captivorum redemptione sermo est, quorum alii, nisi redimerentur, duris conditionibus premebantur, alii etiam editis feralibus obnoxii mortem cogebantur oppetere, ut ibidem in annotationibus statuimus.

Illos porro captivos tot tantisque ex partibus dispersos esse oportebat, ut qui in ipsorum redemptionem conferrent, eorum *largitas provinciis omnibus nota esset*, eorumque *pia semina*, id est eleemosynæ, *totius quodam modo orbis per membra*, per provincias scilicet Romani imperii, *jactarentur*. Sub Constantio quidem ac sub Valentiniano Seniore aliisque quarti sæculi principibus, barbaros subinde irruisse in Romani imperii fines legimus, ex quibus Christianos ab iisdem in captivitatem subductos nihil dubii est; at inter varias id generis incursiones nulli illa congruere omnino possunt, quæ ab Auctore indicantur, nisi ei, quæ Hadrianopolitanam pugnam consecuta est, in qua una cum duplici exercitus parte ipse Valens imperator miserrime periit. Cæteræ siquidem incursiones, ut ex Marcellino singulas accurate describente cognoscimus, leves et angusti spatii fuerunt, nec integras provincias deprædatæ sunt, citiusque a Romanis sopitæ, barbaris plerumque pacem petere coactis ea conditione ut captivos in integrum restituerent, uti de quadam irruptione sub Juliano Zosimus expresse prodidit lib. III, cap. 5. At non ita de illa, quam Valenti feralem diximus. Ex Ammiani Marcellini lib. XXXI rem paucis describamus.

Cum Hunni Gothorum genti vastitatem intulissent, hi ut Hunnorum impetum diffugerent, domicilium ab omni illorum notitia remotum quæsituri, in Thraciam sese recipere cogitarunt. Oratoribus ad Valentem missis, multa pollicentibus imperator annuit, ita tamen ut sine armorum deportatione in eam Romanam provinciam ingrederentur. Id quidem ita præstitum an. 376. At illi subinde ob ministrorum cupiditatem fame oppressi et ad rebellionem compulsi, ferociam induentes, universam Thraciam non strage solum et incendiis, sed ingenti quoque captivorum numero depopulati sunt. Hoc audito Valens rebus quoquomodo compositis cum Persarum gente, in Thraciam cito contendit, et an. 378 apud Hadrianopolim, commisso cum barbaris prælio, res infelicissime cessit. Nam *constat*, inquit Marcellinus, *vix tertiam evasisse exercitus partem. Nec ulla annalibus præter Cannensem pugnam ita ad internecionem res legitur gesta.* Hac in victoria dici vix potest quot variarum provinciarum milites captivitatem subierint. Sed quid milites unos memoramus! Exinde enim Gothi elati, nec non Romanis magis terribiles, *digressi sunt effusorie per Arctoas provincias, quas peragravere licenter adusque radices Alpium Juliarum, quas Venetias appellabat antiquitas :* sunt ipsa Marcellini verba. Qua tot provinciarum in vastitate non Macedoniam solum atque Thessaliam, de quibus Zosimus lib. IV, cap. 31, subegere, sed præter internecionem quamplurium innumeros ex aliis quoque Marcellino memoratis provinciis deduxerunt captivos, ex quorum servitute, venditione, vel redemptione proficerent. Horum autem captivorum, qui a suis redimi non poterant, calamitas tanta erat, ut duræ servituti vel [LVIII] morti etiam addicerentur : cujus calamitatis tanta Christianis incessit miseratio, ut pecu-

Digitized by Google

nia undique conferretur, in eamque rem nonnulli quoque Ecclesiarum antistites ipsa sacra vasa conflare non dubitarint, ex quorum venditione pecuniam cogerent, unde plures redimerentur. Recitanda hoc loco sunt duo S. Ambrosii testimonia ex lib. II de Officiis Ministr. quæ de hac redemptione certo loquuntur; et ex iis apparebit, quanta captivorum fuerit infelicitas, quantaque sit ejus scriptoris cum Auctore nostro consensio. Primum itaque S. Ambrosius cap. 15, num. 70: *Summa etiam liberalitas captos redimere, eripere ex hostium manibus, substrahere neci homines, et maxime feminas turpitudini; reddere parentibus liberos, parentes liberis, cives patriæ restituere. Nota sunt hæc nimis Illyrici vastitate et Thraciæ: quanti ubique venales erant toto captivi orbe, quos si revoces, unius provinciæ numerum explere non possint!* Barbari enim (prosequitur num. 71) *nihil deferebant humanitatis ad misericordiam, nisi quod avaritia reservaverat ad redemptionem.* Aliud testimonium cap. 28, num. 136, ejusdem libri II, his verbis exprimitur: *Nos aliquando in invidiam incidimus, quod confregerimus vasa mystica, ut captivos redimeremus..... Quis autem est tam durus, immitis, ferreus, cui displiceat quod homo redimitur a morte, femina ab impuritatibus barbarorum, quæ graviores morte sunt: adolescentulæ vel pueruli vel infantes ab idolorum contagiis, quibus mortis metu inquinabantur?* Advertistin, *toto captivos orbe*, quos qui redimeret, *substraheret neci?* Quid cum Auctoris nostri verbis magis consentiens? Igitur ut ad argumenti summam tandem redeamus, cum noster Auctor liberalitatem suorum auditorum in redimendis captivis munificentissime demonstratam commendans, redemptionem eorumdem captivorum, de quibus scripsit Ambrosius, spectet, qua una verum fieri potuit, ut id generis *largitas provinciis omnibus nota esset, ejusque pia semina totius quodam modo orbis per membra jactarentur*, ut idem Auctor prodit: haud dubie tractatus 10 lib. II habitus patet post annum 378, quo barbari tantum captivorum numerum partim ex Romanis militibus jam devictis, partim ex tot Romanis provinciis subactis deduxere.

Sed cum pro statuenda Auctoris ætate argumentorum finis tandem aliquis esse debeat, quam mirifice omnia ex variis licet tractatibus collecta temporis indicia in sæculum quartum conspirant, et quidem ita ut ex iis alia non ante medium idem sæculum, alia vero non sæculo posteriori Auctorem scripsisse plane convincant! In priorem partem, de qua una cum pluribus quæstio est, pleraque ex pluribus tractatibus conjecta sunt: de secunda autem, quam nemo impugnavit, aperta sunt, quæ ex Theodosiani Codicis legibus allegavimus § 5, unde Auctor tractatum septimum libri primi scripsisse statuimus ante annum 391, quod testimonium etsi in re præsertim minime contentiosa satis superque esse debeat; nihilo tamen minus duas animadversiones paucis suggerere placet ex aliis tractatibus, ut cohærere omnes idemque tempus omnes spectare cognoscas. Primo secundas nuptias Auctor persequitur acerbe tr. 5 et lib. I, *quod antiquis licet sæculis frequens fuerit, non tamen ultra quartum sæculum adeo acriter reprehensum facile invenies.* Exinde eodem libro tract. 4, num. 1, et tract. 5, *num.* 6, *virginum* apud ethnicos tum florentium meminit, quas Vestales esse nihil dubii est. Has autem *quarto quoque sæculo* florentes ex aliis auctoribus in annotationibus nostris ostendimus: at quinto sæculo nullæ fuerunt, cum post sublatos eisdem redditus, et prædia item sublata a Gratiano, post Theodosii Magni victoriam de Eugenio relatam an. 394, eodem Theodosio, imperante unica *vetula quædam ex virginibus Vestalibus reliqua* memoretur a Zosimo lib. V, cap. 38, ex quo Vestales animam traxisse ad ultimum usque Theodosii senioris ævum, tum vero extinctas plane fuisse probat Lipsius in Syntagm. de Vestalibus, cap. 14. Sed de argumentis quæ pro definienda seu circumscribenda Auctoris ætate expiscari potuimus, jam nimis fortasse multa. Ad objectiones statim accedamus.

[LIX] § VIII.—*Objectio de persecutionibus et martyribus disjicitur. Brevis historia persecutionum quarti sæculi.*

Quæ Baronium moverunt, cum ad res superioribus paragraphis agitatas pertineant, ibidem rejecta nobis sunt, uno illo excepto de idololatriæ signis in numismatibus, quod tamen ex tract. 10 ductum annotatione 11 satis dilutum invenies. Quæ porro editores Veronenses in præfationem contulerunt argumenta, ut Auctorem antiquissimum persuaderent, omnia non tribus solum primis Ecclesiæ sæculis conveniunt, sed etiam quarto, et nonnulla item quinto, quod partim ex dictis fit apertum, partim ex annotationibus opportune apponendis patebit. Unum tantummodo, quod ex memoratis ab Auctore persecutionibus atque martyribus ducitur, vehementius videri cuipiam potest; ut ad istud subruendum non satis sint, quæ nostras in annotationes conjecimus. Itaque de hoc nonnulla. Non duobus tantum quæ ab iisdem editoribus allegantur, sed tribus in locis persecutionum, vel martyrum præsentis tum temporis occumbentium fit explorata mentio. Tr. 6, de Patientia, lib. I, n. 8: *Tu quotidiana martyrum mater es et corona.* Tract. 27 lib. II, n. 3, *persecutionem* sub vindemiæ allegoria fuse depingit et martyres memorat, quibus *violenta*, inquit, *infertur manus*, quique *ad supplicii locum deducuntur.... summa omnium contumelia illusi a persecutoribus jugulantur*, etc. Tandem tract. 45 ejusdem libri: *Autumnus quoque martyrii locus est, in quo non vitis, sed fossoris sanguis effunditur.* Quibus in locis cum persecutiones et martyres indicentur præsentes, imo et *quotidiani*, qui in quartum sæculum a Christianis imperatoribus occupatum cadere nequaquam creduntur; Auctoris ætas ad persecutionum tempus evehenda colligitur.

At primo animadvertendum est, id generis locutiones in aliis quarti quoque sæculi auctoribus legi; inter quas audienda illa Hilarii ex Commentario in psal. CXXII, n. 10, de fidelium injuriis loquentis: *Cædimur, maledicimur, fugamur, necamur ferro, flammis,*

Digitized by Google

profundo, desævitur in nostram verecundiam, desævitur in corpora: dolor nobis est injuriis. Alia testimonia videsis annot. 20 in tract. 27 lib. II. Quid porro, si falsa inolevit opinio, nullas quarto sæculo persecutiones, martyres nullos fuisse? Nonne Constantio imperante magno Arianorum patrono dira in Catholicos Nicænæ fidei defensores persecutio desæviit, qua alii in exilium deportati, alii equuleo torti, alii etiam morte mulctati fuerunt? Hinc Hilarius in libro adversus Constantium n. 1, Catholicos ad martyrium hortatur; et Liberius in epistola ad *Confessores* ante exilium suum scripta, quæ exstat apud Hilarium frag. 6, his verbis utitur n. 1: *Jam ad futuram gloriam martyres vos designavit.* Similiter Athanasius in Apolog. ad Constant. n. 32, pag. 316: *Nam si ii qui adversus me subscribere recusabant, tot tantisque malis sunt affecti; si laici, qui cum Arianis communicare noluerunt, capitis damnati sunt*, etc. Quibus similia tradens Hilarius in libro adversus Constantium, n. 11, Tolosanæ Ecclesiæ *clericos fustibus cæsos, diacones plumbo elisos* testatur. Huc revocandæ illæ cædes in Alexandrina Ecclesia Georgio invadente peractæ, quas Athanasius considerans in epist. ad Orthodoxos, *ne multus sim in scribendo*, inquit, *persecutio adest, qualis numquam antea adversus Ecclesiam oborta est*; unde eminentissimus Annalium parens cardinalis Baronius iis relatis quæ ad Constantii persecutionem pertinent, jure concludit n. 87, ad an. 355: *Ex iis, quæ dicta sunt de quarumdam Ecclesiarum vexatione, quid cæteræ passæ sint, licet potius existimare quam scribere: si enim tot tantaque esse memorantur, quæ ex diversorum temporum scriptorum fragmentis collecta nuper recensuimus; qualia quantave reliqua fuisse putanda sunt quæ sepulta silentio remanserunt, cum si vel unius Ecclesiæ, cui catholicus in communione catholica cleri* [LX] *atque populi præesset Episcopus, res conscriptæ fuissent, grande volumen ex illatis ab Arianis cladibus procul dubio diligens historicus confecisset.*

Deinde eodem Constantio imperante Sapor Persarum rex Romanis infestus magnam adversus Christianos persecutionem commovit, in qua plura Christianorum millia obierunt, Hieronymo teste in Chronico. Sozomenus lib. II, a capite primo ad decimum tertium, hanc persecutionem fuse describit, pluresque e martyribus nominat, in eoque solummodo erat, quod illam ad Constantini ævum referat, dum ex antiquiori Hieronymi testimonio aliisque a Valesio adductis in notatione ad caput 13 exploratum est, id generis persecutionem cœpisse an. 347, productamque fuisse usque ad Regis ejus mortem, qui diem obiit an. 380, uti Ruinartius in *Actis sinceris* rectissime probat, ubi præter memorata a Sozomeno aliorum acta martyrum ea in persecutione functorum suppeditat.

Constantium Julianus excepit, qui tametsi nullam in Christianos apertam persecutionem indixit, non pauci tamen, ipso imperante, martyrii palmam consecuti probantur ex iis actis quæ laudatus Ruinartius inter sincera publici juris fecit; ut illum proinde in persecutorum catalogum jure retulerit Augustinus lib. XVIII de Civ. Dei, cap. 52. Juliano interfecto an. 363, post breve Joviani imperium Valentinianus successit, qui subinde Valentem fratrem in imperii societatem assumpsit. Hic autem postremus Constantio multo vehementior fuit in tuenda Arianorum hæresi, fideque catholica oppugnanda per Orientem, cui præerat; de qua persecutione Augustinus eodem libro cap. 52, hæc scripta reliquit: *Postremo nostra memoria Valens . . . Arianus, nonne magna persecutione per Orientis partes catholicam vastavit fidem*; et lib. II contra litteras Petiliani n. 206: *Quærant quid Catholica in Oriente perpessa sit, quando Valens imperabat Arianus.* Hinc procul dubio S. Ambrosius lib. II de Fide, cap. 16, persecutiones appellans, quas ab Arianorum perfidia, nimirum sub Constantio et Valente, Catholici passi sunt, n. 140 sic loquitur: *Non libet confessorum neces, tormenta, exilia recordari*, et num. 141: *Sed jam satis superque, omnipotens Deus, nostro exitio nostroque sanguine confessorum neces, exilia sacerdotum, et nefas tantæ impietatis eluimus*, bello scilicet Gothico, ex quo tanta in Romanum imperium pernicies manavit; et lib. III de Fide, cap. 15, num. 128: *Librum sacerdotalem* (id est Nicænam fidem) *quis nostrum resignare audeat, signatum a confessoribus, et multorum jam martyrio consecratum? quem . . . qui violare non ausi sunt, confessores et martyres exstiterunt. Quomodo fidem eorum possumus denegare, quorum victoriam prædicamus?*

Dum Valens Arianus in Oriente Catholicos persequebatur, Athalaricus Gothorum rex in Occidente contra eosdem pugnabat. Habemus etiam nunc præstantissimas Ecclesiæ Gothicæ litteras ad Ecclesiam Cappadocem scriptas anno 372, in quibus S. Sabæ martyrium describitur. De hac persecutione a variis coævis auctoribus firmata, quorum testimonia Ruinartius in acta S. Sabæ martyris allegat, Augustinus lib. XVIII de Civitate Dei, cap. 52, hæc scripsit: *Non est persecutio computanda, quando rex Gothorum in ipsa Gothia persecutus est Christianos crudelitate mirabili, cum ibi non essent nisi Catholici, quorum plurimi martyrio coronati sunt?* Præterea Christianos barbarorum illorum captivos *idolorum contagiis, metu mortis inquinatos* didicimus ex Ambrosio, lib. II de Offic., cap. 28, et ex his eos morti affectos intelligimus, qui christianæ fidei non valedixissent, nec idolis immolassent.

Tandem Pagani cum vel imperatorum mandato, vel Christianorum zelo, templa idolorum everti, simulacra comminui, vel etiam propinquos veteri superstitione relicta Christo nomen dare, sibique quodam modo eripi viderunt, nonne furore quodam perciti, seditione facta, in Christianos quoslibet impetum fecere, pluresque interfecerunt? Legantur acta martyrum Anaunensium Vigiliique Tridentini episcopi, qui sub finem quoque sæculi quarti in finitimo Tridentino agro a Paganis occisi sunt. Huc spectant illa S. Ambrosii [LXI] l. I de Officiis ministrorum, c. 42, n. 17: *Cavendum etiam reor, ne dum aliqui nimia gloriæ cu-*

Digitized by Google

piditate, insolentius abutantur potestatibus, et plerumque aversos a nobis animos Gentilium in studia persecutionis excitent atque inflamment ad iracundiam. Itaque illi ut perseverare possint, et supplicia vincere, quantos perire faciunt! ubi persecutores et martyres indicatos vides. Quæ verba procul dubio persecutiones spectant excitatas a catholicis quibusdam clericis, vel monachis, qui dum nimio Christianæ religionis zelo *potestates* adversus idolorum templa, in Oriente præsertim, commovebant, Gentium indignationem adversus Christianos concitarunt, in quibus aliquos quidem per hæc tempora a Paganis tumultuose concurrentibus occisos sacri Annales testantur. Post tot persecutionum quarti sæculi testimonia quis persecutiones vel martyres aliquot in tractatibus ab Auctore nostro memoratos urgere amplius ausit, ut contra evidentissima argumenta superioribus paragraphis proposita illum a quarto sæculo excludendum contendat?

CAPUT III.

PROBATUR AUCTOREM TRACTATUUM, QUEM VIXISSE OSTENDIMUS SÆCULO IV, ESSE S. ZENONEM EPISCOPUM VERONENSEM.

§ I. — *Memoratos tractatus huic Zenoni semper attributos, et codicibus, et antiquis testibus, et Veronensis Ecclesiæ traditione ostenditur.*

Sed jam tempus est ut ad tertium controversiæ caput, quod propositi nostri potissimum est, accedamus : nimirum num is, quem unicum omnium indicatorum tractatuum auctorem esse capite primo, et auctorem quidem quarti sæculi capite secundo hactenus demonstravimus, num is, inquam, sit S. Zeno episcopus Veronensis. Quod ut probetur, duo nobis probanda esse intelligimus; primum laudatos tractatus huic uni Zenoni semper fuisse attributos, tum vero ejus ætatem in quartum sæculum commode cadere. Ad primum autem quod pertinet, Zenoni quidem hos tractatus nominatim adscribunt manuscripti omnes codices non tam generali illa inscriptione, quæ codicibus præfigitur, quam nonnullis formulis in capite, vel in fine aliquot tractatuum appositis, quibus unicus omnium auctor, quem cap. 1 statuimus, S. Zeno aperte nominatur, ut ex dictis eodem capite, § 1, colligere licet. Solum cum prima editio e Guarini schedis sumpta prodiisset an. 1508, nec codices essent cogniti; nonnulli, qui non codices modo, sed nec editionem ipsam viderunt, ex non bene intellectis Sixti Senensis verbis perperam opinati sunt, Guarinum ipsum hos tractatus Zenoni affixisse, eorumque procurasse editionem, unde de illis *nulla exstet apud veteres mentio;* quæ postrema animadversio cardinali Bellarmino gravissima visa est, memoratis inter cæteros Eusebio atque Hieronymo, apud quos de Zenone Veronensi summum silentium.

At de somnio, quo tractatuum suppositio et editio Guarino impingitur, nihil attinet dicere, cum illud præter fidem codicum ipsa editionis verba in generali præfatione relata satis disjiciant. Quod vero Bellarminum movit Eusebii Hieronymique silentium, facile [LXII] expungitur. Eusebius enim de Zenone non potuit scribere, cum is aliquanto post Eusebii ætatem floruerit. Ipse vero Hieronymus, qui de scriptoribus ecclesiasticis catalogum texuit an. 392, paulo post nostri Scriptoris obitum, responsionem satis idoneam suppeditat in ejusdem operis prologo, ubi plures præsertim id ætatis scriptores omissum iri præsentiens, ne ob id in invidiam devocaretur, his sese verbis excusat: *Si qui autem de his qui usque hodie scriptitant, a me in hoc volumine prætermissi sunt, sibi magis quam mihi debebunt imputare. Neque enim celantes scripta sua de his, qui longe sunt, nosse potui, et quod aliis forsitan sit notum, mihi in hoc terrarum angulo fuerit ignotum. Certe cum scriptis suis claruerint, non magnopere nostri silentii dispendia suspirabunt.* Enimvero quis spuria umquam venditavit Athenagoræ et Commodiani opera, de quibus Hieronymus nihil meminit? qui Julii item Firmici Materni et Philastrii libros ob materiam multo celebres eodem auctoris nostri sæculo ac ætate scriptos prætermisit, ut nemo tamen illos in dubium vocaverit. Adde quod tractatuum seu concionum auctores ab antiquis raro nominati leguntur. Quis mentionem fecit S. Gaudentii, episcopi Brixiani, qui tamen ipse Zenoni suppar, tractatus magis elaboratos vivens collegit et edidit? Quis umquam memineral sermonum S. Petri Chrysologi, antequam a P. Pezio ederetur Anonymus Mellicensis, qui unus ex antiquis eum idcirco inter ecclesiasticos scriptores retulit? Gennadius, qui epistolarum S. Leonis testimonium locuples profudit, de sermonibus ne verbum quidem. Alia id generis multa dimittimus, cum ad similia refellenda pluribus necesse non sit.

Mirum porro maxime accidit inventos esse, qui de Zenone nostro scriberent, nullam sermonum ejus factam fuisse mentionem, antequam illi ederentur Venetiis an. 1508, cum a Veronensibus jamdiu aliquot antiquiores ea editione testes prolati fuerint. Baptista Perettus in latinis scholiis ad Vitam S. Zenonis ab ipsomet italice conscriptam edidit Carmen Michaelis Fossati lucubratum an. 1482, in quo hi versus leguntur :

> Zeno sacer, patriæque pater, tua musa tuorum
> Sermonum codex quanta docet fuerit.

Ne vero ejus opusculi raritas obtrudatur, editores Veronenses in præfatione, qui in Bibliothecis quoque Patrum Zenonis operibus præfigitur, duos alios testes allegarunt, Flavium Blondem sæculi XV scriptorem in Ital. Ill. reg. 9, et Petrum de Natalibus episcopum scriptorem sæculi XIV, lib. I Catalog. Sanctorum cap. 43. Perettus porro in scholiis memoratis addidit Guillelmum Pastrengum, qui medio circiter sæculo XIV floruit. Ilic autem in perraro opere in editis inscripto *de Originibus rerum*, sed perperam, dum (ut optime animadvertit Scipio Maffeius lib. II de Scriptoribus Veronensibus) hæc inscriptio ad secundum solummodo Pastrengi libellum pertinet; primus autem illi præmissus ex auctoris

Digitized by Google

cum Auctor *unam substantiam* acriter inculcet, quam cæteri ejusdem ævi Patres adversus Arianos ex proposito dimicantes inculcarunt, consubstantialis licet vocem nequaquam adhibeat, satis se nihilominus adversus eam hæresim decertantem prodit. Sed pergamus ad alia.

Hanc unam substantiam ut Ariani de medio tollerent, objiciebant hac ratione de Patris substantia aliquid fuisse demptum, ut Filius gigneretur, sicque imminutum et imperfectum Patrem a Catholicis admittendum dictitabant. Quibus ut se se objiceret Auctor, tr. 2, hac locutione usus est : Pater *suo manente integro statu, totum se reciprocavit in Filium, ne quid sibimet derogaret.* Et tract. 5 : *De Deo nascitur Deus, totum Patris habens, nihil derogans Patri : alter renitet in altero, cujusvis gloria communis est honor, quia quod est Filii, Patris est : quod Patris amborum* : quod ipsum repetens tr. 3 alias formulas Arianis e diametro oppositas ingerit : *De toto totus, de vero verus, de perfecto perfectus. Totum Patris habens, nihil derogans Patri.* Item tract. 13 lib. II, numer. 3 : *Indeminutæ deitatis paterna substantia, paternaque voluntas.* Et in fine tract. 2 lib. I : *Tu cum in tribus una sis, nullo pacto divideris : nulla humanæ curiositatis calumnia commoveris. A paterno fonte in Filio tota refunderis, et tamen tota ubi refunderis nec recedis.* Præoccupaturus vero alteram Arianorum objectionem, qua Sabellianismum catholicis impingebant, ac si unam substantiam indeminutam confitentes Patris et Filii, unam item utrorumque personam fateri deberent, præclare adversus Sabellium sese explicavit tract. 7 lib. II, num. 9, ubi post allatum locum Joannis x, 30 : *Ego et Pater unum sumus*, hæc addit : *Quod non utique sic ait, ut in unum duos redigendo confunderet, sed ut duorum unam divinitatis potestatisque esse omnipotentiam nos doceret.* Hæ et aliæ plures ejusdem generis formulæ, quas brevitatis gratia prætermittimus, pluribusque in tractatibus adversus Arianos ex proposito recitatis, ac in librum secundum ferme simul editis reperiuntur frequentissimæ, nonne manifeste convincunt nostrum Auctorem post natam Arii hæresim vixisse? Aliquæ sane ejusmodi locutiones in Antenicænis Patribus reperiri queunt, ut inter Latinos unus Tertullianus semel *unam substantiam* et *coæternitatem* scripsit, non in eam tamen vim qua errorem aliquem ferire voluisse significet. At tot simul formulas, et Arianis erroribus e diametro ac directe oppositas, totiensque repetitas in nemine Antenicæno quispiam ostenderit.

Editores Veronenses huic oppositioni se satisfecisse crediderunt, cum hæc scripta pronuntiarunt adversus errores Origenis, qui Arii pater ab Epiphanio traditur. Unusne Auctor noster notasset in Origene hæresim, quam nemo unquam ante Arianos in eo notasse reperitur; et tam repetitis in locis ac pro concione notasset, ac si Origenes, vel Origenistæ palam hic in Occidente apertam hæresim tuerentur, in quam invehere acriter catholicis episcopis necesse esset? Incredibile id sane est, si præsertim consideres, Origenis græci antiquique scriptoris opera Occidentalibus ignota fuisse, antequam celebris controversia de Origenis libris sub finem prorsus quarti sæculi excitaretur. Illud autem certum est hoc primum tempore non ab Epiphanio solum, sed a Theophylo Alexandrino aliisque compluribus Origenem tamquam Arii patrem traduci cœpisse; ante quod tempus cum nemo unus inventus sit qui Origeni eum errorem affixerit, satis probabilis nonnullis visa est eorum qui Origeni patrocinium accommodarunt excusatio, Origenis libros ab Arianis fuisse corruptos, sicuti adulterasse eos S. Methodii Symposion, eique Arianas opiniones inseruisse testatur Photius cod. 223, idque ipsum accidisse suspicamur Theognosto, quem Arianis locutionibus scatentem idem Photius sua ætate reperit, cum eum inter locupletiores antiquos catholici dogmatis testes adversus Arianos, adductis ejus verbis Athanasius allegaverit. Equidem si Origenes præcinuisset Arianis, qui potuissent [XLIX] auctores adversus illum ante exortam Origenistarum controversiam multa scribentes, et accusantes in ejus operibus multa, uti Methodius, Eustathius Antiochenus, Apollinaris (hi duo postremi acerrimi fuere Arianorum impugnatores) qui potuissent, inquam, nihil ejusmodi notare, quod in Arianismi errores deflecteret. *Illum minime reprehenderunt*, inquit Socrates, lib. VI, cap. 13, *tamquam de S. Trinitate male sentientem ;* propterea quod, ut idem ait lib. VII, cap. 6, Origenes *passim in suis libris Filium Patri coæternum confitetur.* Quid si Origenes Arianismum docuit? Aetius Eunomii præceptor Arianorum ferocissimus illum contempsit, eodem Socrate teste, lib. II, cap. 35. Quod si ex Arianis alii ejus libros ad suæ hæresis, uti putabant, confirmationem allegare conati sunt, illos statim Basilius et Gregorius Nazianzenus *redarguerunt*, inquit idem Socrates lib. IV, cap. 26, *et Origenis doctrinam ab ipsis nequaquam intelligi demonstrarunt.* Imo Athanasius in epist. de Decretis Nicænis num. 27, pag. 232, Origenem pro se appellare non dubitavit adversus Arianos sentientem, locumque ejus ibidem allegat quo Arianismi fundamentum et basis, a nostro quoque Scriptore indicata tract. 7 lib. II, num. 1, plane evellitur. *Intelligat enim* (Origenis verba sunt ab Athanasio recitata) *qui dicere audet, fuit aliquando, cum non esset Filius.*

Ex hoc solum Origenis testimonio potius intelligimus, fuisse id quoque temporis alium aliquem, qui id diceret, quod Ariani subinde docuere. In Ægypto quidem exstitit S. Dionysius Alexandrinus Origenis discipulus; qui non ut Arianis præcineret, sed ut Sabellianæ hæresi in Lybia finitimisque locis grassanti sese opponeret, eam locutionem incaute usurpavit, ut liquet ex fragmento epistolæ ejusdem ad Euphranonem et Ammonium, quod S. Athanasius recitat in epist. de Sentent. Dionysii, num. 4, pag. 246. *Etenim*, ait, *cum sit res facta, non erat antequam fieret.* Hac de causa Dionysius Alexandrinus Romam delatus est

Digitized by Google

ad S. Dionysium summum Pontificem, qui litteras statim rescripsit, in quibus eam locutionem valde reprehendit. *Non levis igitur, sed summa est impietas, Dominum aliquo modo manufactum dicere; nam si factus fuit Filius, fuit aliquando cum non esset; atqui fuit semper* : sic Dionysius Romanus in fragmento apud eumdem Athanasium de Decretis Nicænis, num. 26, pag. 232. Alexandrinus vero Apologiam mox reddidit, in qua consilium suum contra Sabellianos patefaciens, ut se ab eo errore quem Ariani subinde arripuere, probaret alienum, multa scripsit, quæ adversus Arianos catholicis magno usui fuere. Hac ergo ex historia exploratum fit, tertio quidem sæculo eam formulam a nonnullis in sola quoque Ægypto adhibitam (unde paucis tantum in monumentis Alexandrinam Ecclesiam spectantibus legitur) et ea adhibitam mente, ut Sabellianam hæresim catholico sensu refellerent, non ut novam inducerent atque defenderent; ex quo Dionysius Alexandrinus commonitus eam formulam displicere, in Apologia catholicum dogma ita diserte confirmavit, ut qui ex antiquis Arii errorem Dionysio vehementius luculentiusque rejecerit, inventus sit nemo. Quis itaque contra hunc, vel alium aliquem ejusdem generis et loci hominem tamquam Arii errores propugnantem, istis in Occidentis regionibus unum nostrum Scriptorem pro concione pluries et acriter disseruisse existimet; et non potius intelligat, ab hoc palam impugnari Arianos sæculo quarto ubique, ac præsertim in hisce Italiæ finibus duce Auxentio debacchantes; cum præsertim non eam solam, quæ in S. Dionysio Alexandrino reprehensa fuit, sed alia plures locutiones ex proposito et sæpius impugnet, ante Arium nemini unquam auditas? Socrates enim lib. I, cap. 6, *novas et inauditas* Arii *assertiones* vocavit, et Sozomenus, lib. I, cap. 15: *Quod a nemine umquam dictum fuerat, ipse in Ecclesia ausus fuerit prædicare;* ante quos utrosque Rufinus, lib. X Hist., cap. 1: *Prava quædam de fide Christi proferre, et quæ antea in quæstionem numquam venerant, cœpit;* unde et Hilarius Arianam *noram hæresim* vocat, lib. VII de Trin., num. 3, *hæresim novellam*, num. 5, *et novellam luem post quadringentos fere annos nuper inventam*, lib. I, ad Constantium num. 5, quam scilicet ante Arium docuit et propugnavit nemo; quidquid sit, si cuipiam similis aliqua formula, alio tamen et catholico sensu intellecta, adversus Sabellianos exciderit.

[L] Sed ut Arianos, non autem antiquum aliquem errorem Auctorem nostrum impugnasse prorsus evidenter demonstretur, satis erit tractatum primum primi libri ejusque annotationes legere: in eo enim Arianorum de altissimo divinæ generationis mysterio philosophicis rationibus disceptantium curiositatem nulli alii sectæ propriam (de quo videsis dissertat. II, cap. 2) explorate reprehendit; varias notat *fides*, seu fidei formulas, *tractatus* varios, qui fidem in sectas multas discinderent, quod ad unas Arianorum formulas atque tractatus referri potest; officia hæreticorum designat perspicue apud *reges*, id est imperatores eosque Christianos, ut ex contextu colligemus, apud *judices*, id est magistratus, apud *divites* et *aliquotiens* solum apud *Gentes* : quæ quatenus solis Arianis conveniant, ex annotationibus simul sumptis cognosces. Quid pluribus opus est, ut Auctorem adversus Arianos tam præcise loquentem quarto sæculo floruisse intelligas?

§ III. — *Aliæ quarti sæculi hæreses ab Auctore impugnatæ ætatem ejus confirmant.*

Addemus jam ad confirmationem alia, quibus alias hæreses quarto solum sæculo genitas idem auctor impugnat. Primum tr. 1, num. 5, lib. I, præter eos, qui in Dei Filium errores sparserunt, illos etiam reprehendit qui in Spiritus sancti divinitatem subtilius ratiocinantes peccabant. *Sub sono legis*, inquit, *ac fidei, sæcularis amore jactantiæ accensus, nascentis Dei de Deo, Spiritusque sancti inæstimabilem incomprehensibilemque divinitatis perpetuitatem, jure ipso, quo ex sese est, argumentis te cogere, examinare, metiri ac discernere posse præsumis.* Et contra hos Spiritus sancti æqualitati præjudicantes, tract. 13, num. 1, lib. II, præclaram illam professionem edidit : *Spiritus sanctus..... habens unam substantiam, virtutem, deitatem, majestatem, voluntatemque Patris et Filii.* Qui autem ex antiquioribus hæreticis Spiritui sancto detraherent atque decerperent una cum Filio, ut Auctoris textus fert, nemo unus est omnium. Ariani fuerunt primi, qui cum in Filium errarent, eodem argumento in Spiritum sanctum errare consequenter debebant. Quam tamen consecutionem primi Arianorum de uno Filio disputare contenti non inculcarunt; unde in eo errasse notati non sunt, nec in Nicæna synodo hic error damnatus. Posteriores solum Ariani, seu potius Semiariani id erroris invexere, quem proinde confutatum videre est apud Hilarium lib. II de Trinitate, et apud Ambrosium lib. III, de Spiritu sancto, damnatumque in Constantinopolitana synodo an. 391. Hanc sane hæresim uno eodemque sæculo quarto, quo Ariana, et ex Ariana natam diserte affirmavit Sozomenus lib. VI, cap. 23 : *Eodem tempore,* Valente scilicet imperante, inquit, *rursus nata est quæstio, utrum Spiritus sanctus ejusdem cum Patre et Filio substantiæ censendus esset; quæ quidem quæstio cum jampridem*, id est jam inde a Semiarianorum ortu, *cœpta fuisset, tunc maximum incrementum acceperat. Anomiani*, id est puri Ariani et Semiariani, *consenserunt. Utrique enim Spiritum sanctum ministrum esse, et ordine atque honore tertium, et substantia dissimilem asseverabant.* Itaque cum hos palam noster auctor recitatis ex tract. 1 verbis pungat; procul dubio ante medium sæculum quartum scribere nequaquam potuit.

Est et hæresis alia, quam distincte notat tr. 7 lib. II his verbis : *Una denique asserit Jesum Christum ab utero Virginis Mariæ sumpsisse principium, Deumque exinde ob justitiam factum esse, non natum:* Imo subinde post impugnatos Arianos eam sub ejusdem tractatus finem ita confitetur, ut utrasque

Digitized by Google

hæreses eodem ævo vigentes satis ostendat. Idcirco adversus hanc iterum, antequam Arianos impugnat, sic effatur tract. 6 ejusdem lib. II : *Si hominem solum, sicuti quidam putant, ab utero Virginis eum sumpsisse principium, quæ spes*, etc., ubi animadvertenda potissimum verba, *sicut quidam putant*, quæ hunc errorem æque ac Arianum præsentem indicant. Porro, etsi hæreticorum veterum plures hunc errorem tradiderunt (de quibus vide annot. 3 in tr. 6), nulli tamen eodem, quo Ariani sæculo, eum defensarunt, [LI] nisi Photiniani, qui ut ab Arianis longe abirent, in eam hæresim incidere : unde non minus Ariani Photinianos quam Photiniani Arianos aversabantur. Catholici autem inter utrosque medii utrumque errorem coarguebant, et hinc noster Auctor utrosque contraria docentes una reprehendens, sub utriusque hæresis post medium quartum sæculum simul compugnantis ætatem se vixisse prodit.

Quem auctorem habuerit error, quo Dei imago non in anima, sed in corpore collocabatur, illo Geneseos testimonio in hanc rem perperam traducto : *Faciamus hominem ad imaginem*, etc., prodit Epiphanius hær. 70, Audium, vel Audæum nominans quarto sæculo viventem, quem quidem errorem eodem sæculo rejicit S. Hilarius in psalm. CXXIX, et Philastrius c. 97. Hunc ergo errorem noster quoque auctor non cursim, sed ex proposito et fuse refellens duobus in tractatibus 19 et 20, lib. II, eodem procul dubio sæculo vixisse convincitur.

Tandem Mariam ante partum, in partu, et post partum virginem tr. 8 lib. II, asserit præcisis adeo formulis, ut eas reperire non liceat in quopiam, antequam B. Mariæ virginitas quarto sæculo oppugnaretur. Vide in hanc rem plura annot. 5 in tr. 5 libro I, ubi alia quoque Auctoris in eamdem rem testimonia alibi repetita indicantur, quæ ad catholicum dogma contra nascentem hæresim vindicandum vel promovendum dicta fuisse videntur.

§ IV. — *Novum argumentum ex publica urbana ecclesia petitum. Editorum Veronensium ac Baronii objectiones dilutæ. Alia conjiciuntur ex publicis Episcopi concionibus, quibus Gentes quoque aderant, et ex magna catechumenorum frequentia, qui quotannis baptizabantur in paschate.*

Insigne in rem præsentem testimonium suppeditat etiam tractatus 14 lib. I, qui *de Ædificatione domus Dei* inscriptus, procul dubio habitus ab Auctore fuit, cum nova ædificata in urbe ecclesia primum patuit. Hinc festivum illud principium : *Vellem, fratres dilectissimi, triumphali quodam modo uti sermone, novique operis arcem sacram laudibus geminare.* Rursus n. 2, *ædem istam novellam* memorat, eamque *ædificationem vestram* vocat, quod *divitum*, ut ait num. 5, *prærogationibus crebris deberetur.* Tandem num. 6, *sacræ orationis iste locus novus* appellatur, quem *terrestre domicilium* sub finem nominat. Porro etsi tribus primis Ecclesiæ sæculis Christiani quibusdam privatis in locis sacros cœtus haberent, quos ecclesias vocabant, *novas* tamen publicasque in eum usum ædes ædificare illis non licuit. Solum per Constantinum imperatorem, qui Christo nomen dedit, publicarum ecclesiarum construendarum facultas quarto primum sæculo facta fuit : ac proinde Auctorem de nova publica ecclesia tam explorate disserentem ante id sæculum vixisse perperam dixeris. Miramur autem editores Veronenses hæc in præfatione scribentes : *De spirituali ædificatione domus Dei Auctor demonstrat tunc non fuisse jam templa Christianis constructa.* Si unum *templi* nomen Auctori non usurpatum dixissent, nihil repugnaremus : id enim nomen idolorum ædibus tribui solitum, Christiani ad ecclesias traducere veriti sunt ante S. Ambrosium atque Theodosium Juniorem, qui ea voce pro Christianorum ecclesiis significandis primum usi inveniuntur, ut pluribus animadvertimus annot. 26 in tract. 5 lib. I. At cum de materiali ædificatione illi editores intelligant, de qua tribus in testimoniis nuper recitatis tam aperta fit mentio, admiratio incessit plurima, quod illud inde argumentum intenderint, unde se plane devictos fateri debuissent. Quid porro si animadvertantur hæc alia ejusdem tractatus verba num. 1 : *Aut nullum, aut perrarum est per omnem Ecclesiam Dei orationis loci membrum, quod possit quavis ruina in se mergentibus idololatriæ ædibus nunc usque aliquatenus comparari.* Auctor non negat *nullum* omnino, aut *perrarum* orationis locum, id est ecclesiam [LII] Christianorum fuisse, sed multa potius orationis loca, seu ecclesias Christianis fuisse supponit, inter quas tamen *nulla*, aut *perrara* esset, quæ ob magnificentiam cum idololatriæ ædibus comparari posset.

Baronius in annotationibus ad Martyrologium ex hoc testimonio colligit Auctorem ante Constantini tempora claruisse, quippe quod hujus imperatoris opera, Romæ præsertim, augustissimæ basilicæ erectæ fuerunt. Optime quidem, *si nullum* tantum *orationis locum* cum idolorum ædibus comparari posse Auctor affirmasset, non vero cum *vel perrarum* addidit : hinc enim aliquam alicubi ecclesiam magnificentissimis idolorum templis nequaquam cedere satis indigitat. Interim vero cum multas hic ecclesias, etsi non magnificas, variis in locis ædificatas ostendat, jam magis multo Veronensium editorum hallucinatio patet, qui hoc in tractatu nulla, tunc templa a Christianis constructa viderunt : quod si vidissent, profecto Auctorem ante quartum sæculum collocari non posse facillime cognovissent.

Has autem ecclesias publicas fuisse vel inde patet, quod eo consilio ædificatæ palam fuerunt, ut essent ecclesiæ, cum olim privatæ ædes in ecclesiasticorum conventuum usum clam fuissent traductæ, ut ne quid exterius in Gentium notitiam pateret. Publicæ quidem illæ saltem fuere, *perrarae* licet ecclesiæ, quæ cum idololatriæ templis conferri alicubi poterant, id quod alias quoque publicas, licet inferiores mole et magnificentia, fuisse suadet. Præterea tract. 7 ab Auctore habitus profecto videtur, cum nova illa ec-

Digitized by Google

clesia primum patens dedicata fuit : quod ad ostendendam eam publicam plurimum confert. Huc quoque conducit locus ex tract. 10 lib. I, num. 3, ubi mulieres *ad ecclesiam Dei totum inauratæ corpus* palam processisse indicantur, nec non ille alius ex tract. 5 ejusdem libri, num. 8, in quo de Christianis uxoribus ethnico nuptis Auctor loquens, non minus isti *idolorum templum*, quam illi ecclesiam eodem die palam petita perinde notat, ut publica utraque æque fuisse intelligantur. Unum tandem extra omnem dubitationis aleam considerandum subjicimus ex tractatu 3 lib. I, ubi statim ab initio Auctor *doctos* viros sibi concionanti præsentes appellans, ethnicos intellegit, quos facundia ejus captos ei interfuisse frequentes, dum sacras conciones haberet, ibidem annot. 2 ostendimus, simulque colligimus Auctoris ætatem, qua ethnicorum præsentiam nihil metueret; id quod solum accidit sæculo quarto, cum persecutionibus Gentium per Christianos imperatores deletis, religionem christianam sine ullo metu publicis in ecclesiis profiteri licuit, ut ad sacras conciones ipsi quoque ethnici admitterentur. Neque moveat quod, tract. 5, num. 8, pagani viri *sacrificium publicum* affirmet, uxoris autem Christianæ *secretum* : ex iis enim, quæ ibidem annotavimus liquet vocem *secretum* ad ecclesias transferendam non esse, sed unum spectare Eucharistiæ sacramentum, quod ex antiqua disciplina, nedum a Paganis, ne a catechumenis quidem ipsis videri poterat, qui omnes post Evangelii lectionem concionemque ab ecclesia arcebantur; unde ibidem Auctor statim sese explicans subdit : *Illius*, id est pagani conjugis, sacrificium *a quovis libere tractari potest : tuum* (uxorem christianam alloquitur) *etiam a Christianis ipsis minime consecratis*, id est catechumenis, *sine sacrilegio videri non potest*.

Veronenses editores, quos in neganda sacri templi, seu ecclesiæ constructione nimium multum deceptos vidimus, errorem errori addentes, exiguum Christianorum numerum eodem in tractatu 7, ab Auctore demonstratum produnt. *Demonstrat tunc non fuisse jam templa Christianis constructa, sed novum populum, et minimum numero exstitisse.* Nihil falsum magis : siquidem eo loci etsi ecclesiam novam magno sumptu constructam in fidelium commodum valde *capacem* fatentur, *angustam* tamen adhuc ob incredibilem eorum multitudinem fuisse inventam palam affirmat. *Exultate igitur, fratres; ædificationem vestram æde ista de novella cognoscite, cujus quoque capacitatem felici numero fecistis angustam.* Tantus autem fidelium numerus in quartum quoque sæculum commode cadit, quippe cum antea ob persecutiones impedimenti plurimum objectum esset, tum ne prædicatio perveniret in publicum, tum ne satis multi ad fidem transirent. In quam rem alia non levis confirmatio ex iis tractatibus suppetit; qui complures cujusque *generis*, *ætatis*, *sexus*, *conditionis*, imo et *nationis* catechumenos sacro baptismate ab Auctore in paschali [LIII] festo simul ablutos tradunt. Vide tractatus 33 et 38, 42 et 43, lib. II, qui singuli cum idem circiter repetant, eum numerum singulis annis in paschate baptismatis lavacro tingi solitum insinuant; quod profecto non nisi post redditam Ecclesiæ pacem accidisse credibile est.

§ V. — *Interdicta Gentibus templorum ædificatio, et publicus nihilominus idololatriæ cultus, de quibus Auctor meminit ætatem ejus post medium quartum sæculum certioribus limitibus definiunt. Baronii objectio explosa. Quid circa ethnicum cultum a Juliani obitu decretum ad annum usque* 391.

Argumento ex publicis Christianorum ecclesiis ducto subjiciendum aliud sumptum ex idolorum templis, quæ etsi paterent, ædificari tamen Auctoris ævo nequaquam poterant. Is nimirum eodem tract. 7, num. 1, postquam *haud præcipuum* esse dixit de novæ ecclesiæ ædificatione *laudibus geminare*, quippe *quod id cum Gentibus, vel Judæis potest esse commune*; hanc hujus postremæ sententiæ rationem subdit : *Nam et illis si liceat, vel si velint, fortassis cultius synagogas ædificent, cultius erigant capitolia*; ubi *capitolia* scriptum pro *templa* annotat. 3 in hunc tractatum probavimus. Nunc adverte duas sententias disjunctive positas, *si liceat, vel si velint* : quarum prima ad Judæos pertinere minime potest, siquidem *Judæorum secta nulla lege prohibita* traditur a Theodosio, l. IX *de Judæis*, an. 393; et solum an. 421, leg. 21 ejusdem tit. cautum fuit, *ne deinceps ullas facerent condi synagogas* : quod ipsum confirmatum legitur an. 423, lib. XXV et XXVII. Itaque Judæos respicit secunda sententia *si velint*; prima autem *si liceat* palam pertinet ad Gentiles, quibus proinde templa ædificare Auctoris ætate non licuisse exploratum est : quod non nisi in quartum sæculum cadere potest, cum per christianos imperatores idolorum templa vel ante Julianum interclusa fuerunt, vel post Julianum ita tolerata, ut nova tamen construi non permitterentur. Hoc autem postremum tempus post Juliani mortem ab Auctore spectari constat ex tract. 5, ubi non minus ecclesiæ a Christianis, quam templa ab Ethnicis publice adita, et istorum *sacrificium* quidem *publicum* traditur num. 8. Tempus nimirum aliud sub christianis imperatoribus, quo paterent templa idolorum, simulque ea ædificare non liceret, assignari nullum potest.

Atqui hæc patentium templorum publicorumque sacrificiorum mentio Baronio de interdicta eorumdem templorum ædificatione nihil animadvertenti suasit, ut Auctorem ante quartum sæculum florentem defenderet : *Dum Auctor apertissime monstrat, idolorum templa tunc fuisse patentia, et victimas solitas immolari; aliud prorsus ab Ambrosii temporibus illud fuisse sæculum Auctor aperte significat, cum constet jam olim non tantum a Constantino... et a Constantio..... victimas fuisse vetitas, et templa jussa claudi, sed eo tempore nec Romanos obtinere potuisse vel aram unam erigere Victoriæ, ut plurimum ad Valentinianum scribit Ambrosius, et adversus Symmachum dispu-*

Digitized by Google

tat. At quamquam sub Constantino et Constantio templa aperire ac sacrificare non licuerit, post Julianum tamen, qui ethnicæ superstitionis cultum in integrum restituit, ad Magnum Theodosium et Valentinianum Juniorem usque, qui omnem ethnicum cultum iterum sustulere, non ita. Ne autem moveant quæ de Victoriæ ara ex Ambrosio et Symmacho Baronium moverunt, vel quæ afferri etiam possent ex Socrate et Theodoreto, quorum alter lib. III cap. 24, alter vero lib. V cap. 20 Hist., Joviano Juliani successore imperante templa ubique occlusa diserte scribunt : hanc propositionem, qua adhuc post Juliani mortem ethnicum cultum aliquandiu licuisse contra Baronii hypothesin affirmavimus, luculenter nobis statuendam intelligimus, cum præsertim exinde Auctoris ætatem certioribus limitibus circumscribere maxime pendeat. Id autem ut statuatur, quidquid a Juliani morte ad Magnum Theodosium de templis ac sacrificiis decretum est, paucis colligere et animadvertere oporteret.

[LIV] Jovianus optimus christianus statim ac post Julianum imperator renuntiatus fuit, *cum experimento didicisset*, inquit Sozomenus l. VI cap. 3, *ira Dei ob decessoris sui impietatem invectas esse calamitates imperio Romano, nihil cunctatus scripsit rectoribus Provinciarum, ut in ecclesias convenirent, et divinum numen studiose colerent, solamque Christianorum fidem Romanis esse venerandam.* Cum hoc Sozomeni testimonio concinit, quod in Historia ad Athanasium ac res Alexandrinas pertinente et quarto sæculo scripta, quam e ms. Capituli Veronensis concivis noster Maffeius publicavit tom. III Observat. Litter., num. 8, pag. 71, de hoc eodem Joviani edicto traditur his verbis : *Sequente mense Toth* XVIII, id est die 14 septembris an. 363, *imperatoris Joviani litteræ advenerunt ad Olympum præfectum, ut tantum Deus excelsus colatur et Christus, et ut in ecclesiis colligentes se populi celebrent religionem.* Hæ autem Joviani litteræ, etsi pro Christianis datæ, non tamen lex adversus paganos edita dici possunt, unde nihil ex illis in Theodosianum codicem titulo de *Paganis* insertum fuit. At imperatoris mente satis hinc cognita, quantum scilicet christianæ soli fidei adversus ethnicum cultum deferret, fieri potuit, ut gentiles adversum se leges ab eodem imperatore brevi ferendas, vel veteres restituendas timerent : et hinc forte evenit, ut *eodem tempore* (quod tradit Socrates libro III, cap. 24) *cuncta gentilium templa ubique occluderentur : ipsique dæmonum sacerdotes variis in locis, ubi quisque poterat, sese abderent* (quod tamen non sine exaggeratione aliqua dictum accipito ; *cuncta* enim, et *ubique* stricte sumpta falsissima sunt, ut ex dicendis patebit). Eadem quoque de causa factum videtur ut Christiani in honore essent, Pagani autem contemptui habiti, ethnicaque templa nonnullorum, ut opinamur, Christianorum zélo alicubi everterentur, uti Libanius orat. 12 memoriæ prodidit. Cæterum ut nulla in lege ab eo imperatore adversus idolorum ædes lata factum pateat, Themistius ethnicus orator oratione 5 ante ipsum Jovianum recitata, paulo antequam is e vivis excederet, hanc inter ejus laudes ponit, quod legem promulgaverit in qua cuique religionis, quæ magis placeret, facultatem fecerit, et unis magicis sacris, quæ maleficia continebant, interdictis, cætera sacrificia nequaquam prohibuerit. Quam sententiam repetit idem Socrates, quem templa sub Joviano clausa testantem audivimus ; et hanc rationem præterea affert, nam Jovianus lib. III, cap. 25, *id sibi proposuerat, ut dissidentium jurgia blanditiis et leni verborum persuasione extingueret : aiebatque se nemini omnino, qualiscumque fidei esset, molestiam exhibiturum.*

Anno nondum evoluto Jovianus diem obiit, eique Valentinianus suffectus, qui Valentem fratrem imperii comitem assumpsit. Ille autem teste Zosimo lib. IV, cap. 3, initio imperii sui *nocturna sacra fieri prohibuit* (ut sane factum videmus primo imperii ejus anno 364, lege 7 *de Maleficis et Mathematicis* Cod. Theod.), at hortante Prætextato *peragi ea rite, vi legis suæ cessante, permisit : ita tamen ut omnia secundum patrias consuetudines, quales ab initio fuissent, perficerentur.* Equidem Socrates lib. IV, cap. 29, Valentinianum *nulli sectæ, nec religioni molestiam exhibuisse* prodidit. Idem tradit expressius coætaneus Valentiniano scriptor Ammianus Marcellinus lib. XXX, cap. 9 : *Postremo hoc moderamine principatus inclaruit, quod inter religionum diversitates medius stetit, nec quemquam inquietavit, neque ut hoc coleretur imperavit, aut illud : nec interdictis minacibus subjectorum cervicem ad id quod ipse coluit, inclinabat, sed intemeratas reliquit has partes, ut reperit.* Quin ipse quoque imperator L. 9 Cod. Theod. *de Malef. et Mathem.* : *Aruspicinam,* inquit, *ego nullam cum maleficiorum caussis habere, consortium judico : neque ipsam, aut aliam præterea concessam a majoribus religionem genus esse arbitror criminis. Testes sunt leges a me in exordio imperii mei datæ, quibus unicuique, quod animo imbibisset, colendi libera facultas tributa est.* Hinc laudatur a Symmacho gentili homine in Relat. ad Valentinianum Juniorem, num. 3 et 17, et S. Ambrosius epist. 17, num. 16, Valentiniano seniori objectum refert, quod *Gentilibus conniventiam præstitisset ;* et in ep. 18 Symmachi relationem refellens, qua Juniori Valentiniano prædecessorum conniventiam imitandam proposuerat : *Si enim,* inquit n. 39, *pro suis dumtaxat partibus eorum dissimulationem Principum prædicarunt, qui cum essent Christiani, decreta tamen gentilium minime removerunt, quanto magis amori debes fraterno?* Valentiniani Junioris frater hic appellatus est Gratianus, christiani autem [LV] principes plurali numero vocati, quibus Occidens, de quo erat quæstio, pareret, non alii profecto esse possunt quam Jovianus atque Valentinianus Senior, qui utrique *decreta Gentilium minime removisse* traduntur, Gentiumque cultum minime interdicentes, templa ac sacrificia permisisse convincuntur. Valens, cui a Valentiniano fratre Orientis imperium tributum fuit, iisdem fratris vestigiis institit ad aliquod tempus ; quoad Christianis

Digitized by Google

præsertim monachis vehementer urgentibus, sacrificia ita abstulit, ut non tamen in eodem oriente intercluserit penitus templa, nec thurificationem interdixerit. Hinc Libanius in oratione pro Templis ad Theodosium Magnum, qui post Valentem id temporis in solo Oriente imperabat, pag. 473, inter Opera minora Jacobi Gothofredi : *Juliano mortuo apud Persas,* inquit... *mansit certe sacrificiorum usus ad tempus aliquod. Novatoribus autem quibusdam exortis, a duobus equidem fratribus* (Valente et Valentiniano) *prohibitus fuit, at non et thurificatio :* quin hanc ab ipso quoque Theodosio lege firmatam subdit. Equidem in Oriente ineunte Theodosii imperio Gentes *adadhuc facultatem habebant adeundi fana, patriisque ritibus numina placandi* Zosimo teste lib. IV, cap. 29, quo spectans in oratione memorata Libanius, Theodosium his alloquitur : *Tu igitur neque templa occludi, neque ullum aditu arceri jussisti, neque ignem, neque thurificationem, neque alios fumigationum honores templis arisque ejecisti :* quibus nihil repugnant ejusdem Theodosii leges 7 et 9 tit. *de Paganis*, in quibus sola sacrificia vetita traduntur, et sacrificandi consilio templa fanaque adeuntes gravi pœna mulctantur.

Sed ab Oriente ad Occidentem revertamur. Valentiniano Seniore vita functo, Occidentis imperium ad Gratianum et Valentinianum Juniorem pervenit. Gratianus autem legem tulit ab Honorio laudatam, L. 20 *de Paganis*, qua templis et sacrificiis intactis unum *publicum sumptum superstitioni deterrimæ exhiberi inhibuit.* Hinc S. Ambrosius epist. 18, ad Valentinianum II, num. 16, de Gratiani lege sermonem faciens, nihil per eam superstitioni ethnicæ detractum testatur præter sumptus, qui e prædiis redibant. *Nemo tamen donaria delubris et legata haruspicibus denegavit, sola sublata sunt prædia* : et num. 31, eodem imperante Gratiano, *sacrificia ubique concelebrata* palam docet. Quod si Victoriæ aram a Romana curia removit, id ex eo factum prodit ibidem Ambrosius, quod haud ferendum esset sacrificium, ubi *plures conveniunt Christiani;* plerique enim senatorum Christo nomen dederant. Itaque sub Gratiano et Valentiniano fratribus in Occidente idolorum templa patuere, atque in his non thurificatio sola ut in Oriente contigit, sed et sacrificia celebrata fuerunt : unde Libanius in oratione laudata, pag. 484, *Romæ* in Occidentis metropoli *sacrificia relicta* Theodosio imperatori Orientis affirmavit. Hinc autem tota Baronii cadit objectio, qui ex una Victoriæ ara Romæ Gratiani jussu sublata, de qua nunc nuper diximus, sub Ambrosii quoque ætatem et templa clausa et sacrificia interdicta existimans, Auctorem nostrum templa et sacrificia commemorantem ab eo tempore excludendum certissime pronuntiavit.

Primus qui in Occidente templis et sacrificiis bellum indixit, fuit, Gratiano fratre jam extincto, Valentinianus Junior, leg. 10 tit. *de Paganis*, data an. 391, III Kal. Martii; eodemque pariter anno XV Kal. Julii Magnus Theodosius, qui ejus legis condendæ auctor A fuisse videtur, id ipsum decrevit leg. 11 ejusdem tituli, quas utrasque in Theodosiano Codice legere poteris. Hæ porro leges anno sequenti, cum jam obiisset Valentinianus Junior, a Theodosio universum Romanum imperium moderante confirmatæ fuerunt, novisque ac severissimis pœnis auctæ : quibus nemo idolorum ædes sive in urbibus, sive in pagis ingredi, sacrificiaque offerre nemo ne in itinere quidem poterat. Quæ leges cum alicubi non omnino observarentur (ut in quibusdam Africæ pagis remotissimis evenit, in quibus sacrificia celebrata liquet ex Augustino et can. 3 concilii Carthaginensis an. 401) novæ leges editæ subinde inveniuntur, quibus pagorum fana deleri jussum fuit, de quibus vide Cod. Theod. tit. *de Paganis.* Hæc de ethnicorum templo- B rum sacrificiorumque fato fuse dicenda fuerant, non tam ut Baronii hallucinato pateret, quam ut nostri Auctoris certior ætas statueretur. Cum enim is ex una parte id temporis scripserit tractatum 14 l. I, quando Gentibus nova templa condere non licebat, quod soli Christianorum imperatorum [LVI] ætati convenit: ex alia vero scripserit tract. 5, cum impune et templa adire et sacrificia celebrare Gentes possent (quæ quoque sacrificia in agris facta, ab eodem memorantur tr. 15 ejusdem libri, num. 5) quarum rerum potestas sub Christianis imperatoribus saltem in Occidente facta est solum a Juliani obitu usque ad an. 391, quo templa clausa et sacrificia omnia ubique interdicta fuerunt : consequens fit hoc intermedio tempore laudatos tractatus ab Auctore scriptos fuisse, ex qui- C bus ætas ejus certissima colligi potest. Quod si quis objiciat sacrificia in Africæ pagis habita ineunte sæculo quinto, ut nuper ex Augustino et Carthaginensi synodo monuimus, reponemus statim (ne hinc forte Auctoris ætatem post an. 391, posse protrudi quispiam suspicetur) quod etsi post id tempus in aliquo pago Ethnicorum quorumdam licentia eo devenerit, ut imperatorem repetitas etiam leges contemnerent : nemo tamen inveniri poterat, qui de paganorum templorum jure legibus ageret, quibus non jus templorum modo, sed ipsa quoque templa, vel fana cum sacrificiis sublata jam fuerant. Porro Auctor tract. 15 nuper allegato præter sacrificia in pagorum fanis celebrata, lites quoque de templorum jure *quotidie* motas testatur, ut videre est ex annot. 15 in ea verba : D *Jus templorum ne quis vobis eripiat quotidie litigatis.* Itaque licet ætas alterius auctoris, qui sacrificia commemoraret, prorogari possit ultra annum 391, nostri profecto non potest.

§ VI. — *Auctor non tam Lactantium, sed et Hilarium imitatus, post medium quartum sæculum vixisse demonstratur.*

Hisce temporis finibus, quos superiori paragrapho Auctori præscripsimus inter Juliani imperium et an. 391 optime congruunt illa quæ de Hilarii imitatione subjicimus; quod novum invictissimumque argumentum habendum est, ut idem Auctor quarto sæculo vindicetur. Ex annotationibus in tr. 8 lib. I

Digitized by Google

et tr. 17 ac 21 lib. II quos genuinos nostri Auctoris demonstrasse nobis videmur, cap 1, § 2, perspicuum plane est, hunc, dum eosdem tractatus scripsit, præ oculis habuisse Hilarii commentarium in Psalmos, ex quo nedum sententias aliquot, sed eadem quandoque verba excerpsit. Porro hic commentarius, Benedictinis editoribus probantibus, postremum Hilarii opus fuit, scriptum post annum 364 et ante annum 368 quo ille jam e vivis excesserat. Saltem post libros de Trinitate editos in exilio ante annum 360 ille commentarius lucubratus certissime fuit, postquam solutus exilio ex Oriente in Occidentem rediit, quod ipso anno 360 factum est. Itaque noster Auctor, qui hunc commentarium tam commode legit, ut ex eo quasdam sententias totidem nonnunquam verbis excerpserit, post medium quartum sæculum collocandus est, quod temporis limitibus superiori paragrapho positis mirum in modum respondet. Ad quartum porro sæculum statuendum conducerent etiam, quæ de Lactantii imitatione eodem cap. 1, § 2 innuimus, cum ad quartum quoque sæculum Lactantius pertineat. At cum imitatio Hilarii arctius et serius tempus prospiciat, ex ea hoc loco argumentum præcipue ducendum rati sumus : quod adeo est evidens, ut nemo respondere probabiliter possit, nisi qui tres ab Auctore tractatus ableget, ut Hilario tribuat quos ab Hilarii stylo nimis aperte discrepantes nostroque Auctori vindicandos ibidem ostendimus : eademque ratione quatuor alios tractatus ibidem recensitos, in quibus Auctor in eamdem rationem Lactantium imitatus, et totidem quandoque verbis secutus est, ab eodem erunt abjudicandi, ut tribuantur Lactantio; quod tamen si quis dixerit, ne Auctorem post Lactantii ætatem collocet, cum Lactantium e laico adversus Gentes scribente episcopum concionantem faciet, eruditorum risu excipietur.

[LVII] § VII.—*Insignis Auctoris locus de captivorum redemptione cum aliis duobus S. Ambrosii mirifice congruens, spectare ostenditur captos a barbaris post Hadrianopolitanam pugnam an.* 378. *Auctoris ætatem prorogari non posse ultra quartum sæculum aliquot argumentis statuitur.*

Auctorem non quarto solum sæculo, sed post annum quoque 360 et ante annum 391 floruisse hactenus dicta convincunt. Nunc postremo loco factum aliud historicum ab Auctore indicatum animadvertendum proponimus, ex quo id ipsum tempus mirifice confirmabitur. In fine tract. 10, lib. I, liberalitatem suorum auditorum Auctor commendans: *Sed hæc*, inquit, *non ad vos, fratres, quorum largitas provinciis omnibus nota est, quorum pia semina totius quodam modo orbis per membra jactantur; a vobis multi redempti : multi edictis ferulibus liberati : multi conditionibus duris exuti gratias agunt.* Hic de captivorum redemptione sermo est, quorum alii, nisi redimerentur, duris conditionibus premebantur, alii etiam editis feralibus obnoxii mortem cogebantur oppetere, ut ibidem in annotationibus statuimus. Illos porro captivos tot tantisque ex partibus dispersos esse oportebat, ut qui in ipsorum redemptionem conferrent, eorum *largitas provinciis omnibus nota esset*, eorumque *pia semina*, id est eleemosynæ, *totius quodam modo orbis per membra*, per provincias scilicet Romani imperii, *jactarentur*. Sub Constantio quidem ac sub Valentiniano Seniore aliisque quarti sæculi principibus, barbaros subinde irruisse in Romani imperii fines legimus, ex quibus Christianos ab iisdem in captivitatem subductos nihil dubii est; at inter varias id generis incursiones nulli illa congruere omnino possunt, quæ ab Auctore indicantur, nisi ei, quæ Hadrianopolitanam pugnam consecuta est, in qua una cum duplici exercitus parte ipse Valens imperator miserrime periit. Cæteræ siquidem incursiones, ut ex Marcellino singulas accurate describente cognoscimus, leves et angusti spatii fuerunt, nec integras provincias deprædatæ sunt, citiusque a Romanis sopitæ, barbaris plerumque pacem petere coactis ea conditione ut captivos in integrum restituerent, uti de quadam irruptione sub Juliano Zosimus expresse prodidit lib. III, cap. 5. At non ita de illa, quam Valenti feralem diximus. Ex Ammiani Marcellini lib. XXXI rem paucis describamus.

Cum Hunni Gothorum genti vastitatem intulissent, hi ut Hunnorum impetum diffugerent, domicilium ab omni illorum notitia remotum quæsituri, in Thraciam sese recipere cogitarunt. Oratoribus ad Valentem missis, multa pollicentibus imperator annuit, ita tamen ut sine armorum deportatione in eam Romanam provinciam ingrederentur. Id quidem ita præstitum an. 376. At illi subinde ob ministrorum cupiditatem fame oppressi et ad rebellionem compulsi, ferociam induentes, universam Thraciam non strage solum et incendiis, sed ingenti quoque captivorum numero depopulati sunt. Hoc audito Valens rebus quoquomodo compositis cum Persarum gente, in Thraciam cito contendit, et an. 378 apud Hadrianopolim, commisso cum barbaris prælio, res infelicissime cessit. Nam *constat*, inquit Marcellinus, *vix tertiam evasisse exercitus partem. Nec ulla annalibus præter Cannensem pugnam ita ad internecionem res legitur gesta.* Hac in victoria dici vix potest quot variarum provinciarum milites captivitatem subierint. Sed quid milites unos memoramus! Exinde enim Gothi elati, nec non Romanis magis terribiles, *digressi sunt effusorie per Arctoas provincias, quas peragravere licenter adusque radices Alpium Juliarum, quas Venetias appellabat antiquitas :* sunt ipsa Marcellini verba. Qua tot provinciarum in vastitate non Macedoniam solum atque Thessaliam, de quibus Zosimus lib. IV, cap. 34, subegere, sed præter internecionem quamplurium innumeros ex aliis quoque Marcellino memoratis provinciis deduxerunt captivos, ex quorum servitute, venditione, vel redemptione proficerent. Horum autem captivorum, qui a suis redimi non poterant, calamitas tanta erat, ut duræ servituti vel [LVIII] morti etiam addicerentur : cujus calamitatis tanta Christianis incessit miseratio, ut pecu-

Digitized by Google

nia undique conferretur, in eamque rem nonnulli quoque Ecclesiarum antistites ipsa sacra vasa conflare non dubitarint, ex quorum venditione pecuniam cogerent, unde plures redimerentur. Recitanda hoc loco sunt duo S. Ambrosii testimonia ex lib. II de Officiis Ministr. quæ de hac redemptione certo loquuntur; et ex iis apparebit, quanta captivorum fuerit infelicitas, quantaque sit ejus scriptoris cum Auctore nostro consensio. Primum itaque S. Ambrosius cap. 15, num. 70: *Summa etiam liberalitas captos redimere, eripere ex hostium manibus, substrahere neci homines, et maxime feminas turpitudini; reddere parentibus liberos, parentes liberis, cives patriæ restituere. Nota sunt hæc nimis Illyrici vastitate et Thraciæ: quanti ubique venales erant toto captivi orbe, quos si revoces, unius provinciæ numerum explere non possint!* Barbari enim (prosequitur num. 71) *nihil deferebant humanitatis ad misericordiam, nisi quod avaritia reservaverat ad redemptionem.* Aliud testimonium cap. 28, num. 136, ejusdem libri II, his verbis exprimitur: *Nos aliquando in invidiam incidimus, quod confregerimus vasa mystica, ut captivos redimeremus..... Quis autem est tam durus, immitis, ferreus, cui displiceat quod homo redimitur a morte, femina ab impuritatibus barbarorum, quæ graviores morte sunt: adolescentulæ vel pueruli vel infantes ab idolorum contagiis, quibus mortis metu inquinabantur?* Advertistin, *toto captivos orbe*, quos qui redimeret, *substraheret neci?* Quid cum Auctoris nostri verbis magis consentiens? Igitur ut ad argumenti summam tandem redeamus, cum noster Auctor liberalitatem suorum auditorum in redimendis captivis munificentissime demonstratam commendans, redemptionem eorumdem captivorum, de quibus scripsit Ambrosius, spectet, qua una verum fieri potuit, ut id generis *largitas provinciis omnibus nota esset, ejusque pia semina totius quodam modo orbis per membra jactarentur*, ut idem Auctor prodit: haud dubie tractatus 10 lib. II habitus patet post annum 378, quo barbari tantum captivorum numerum partim ex Romanis militibus jam devictis, partim ex tot Romanis provinciis subactis deduxere.

Sed cum pro statuenda Auctoris ætate argumentorum finis tandem aliquis esse debeat, quam mirifice omnia ex variis licet tractatibus collecta temporis indicia in sæculum quartum conspirant, et quidem ita ut ex iis alia non ante medium idem sæculum, alia vero non sæculo posteriori Auctorem scripsisse plane convincant! In priorem partem, de qua una cum pluribus quæstio est, pleraque ex pluribus tractatibus conjecta sunt: de secunda autem, quam nemo impugnavit, aperta sunt, quæ ex Theodosiani Codicis legibus allegavimus § 5, unde Auctor tractatum septimum libri primi scripsisse statuimus ante annum 391, quod testimonium etsi in re præsertim minime contentiosa satis superque esse debeat: nihilo tamen minus duas animadversiones paucis suggerere placet ex aliis tractatibus, ut cohærere omnes idemque tempus omnes spectare cognoscas. Primo secundas nuptias Auctor persequitur acerbe tr. 5 et

A 16 lib. I, quod antiquis licet sæculis frequens fecerit, non tamen ultra quartum sæculum adeo acriter reprehensum facile invenies. Exinde eodem libro tract. 4, num. 1, et tract. 5, num. 6, virginum apud ethnicos tum florentium meminit, quas Vestales esse nihil dubii est. Has autem quarto quoque sæculo florentes ex aliis auctoribus in annotationibus nostris ostendimus: at quinto sæculo nullæ fuerunt, cum post sublatos eisdem redditus, et prædia item sublata a Gratiano, post Theodosii Magni victoriam de Eugenio relatam an. 394, eodem Theodosio, imperante unica *vetula quædam ex virginibus Vestalibus reliqua* memoretur a Zosimo lib. V, cap. 38, ex quo Vestales animam traxisse ad ultimum usque Theodosii *senioris* ævum, tum vero extinctas plane fuisse probat B Lipsius in Syntagm. de Vestalibus, cap. 14. Sed de argumentis quæ pro definienda seu circumscribenda Auctoris ætate expiscari potuimus, jam nimis fortasse multa. Ad objectiones statim accedamus.

[LIX] § VIII.—*Objectio de persecutionibus et martyribus disjicitur. Brevis historia persecutionum quarti sæculi.*

Quæ Baronium moverunt, cum ad res superioribus paragraphis agitatas pertineant, ibidem rejecta nobis sunt, uno illo excepto de idololatriæ signis in numismatibus, quod tamen ex tract. 10 ductum annotatione 11 satis dilutum invenies. Quæ porro editores Veronenses in præfationem contulerunt argumenta, ut Auctorem antiquissimum persuaderent, omnia non tribus solum primis Ecclesiæ sæculis conveniunt, C sed etiam quarto, et nonnulla item quinto, quod partim ex dictis fit apertum, partim ex annotationibus opportune apponendis patebit. Unum tantummodo, quod ex memoratis ab Auctore persecutionibus atque martyribus ducitur, vehementius videri cuipiam potest; ut ad istud subruendum non satis sint, quæ nostras in annotationes conjecimus. Itaque de hoc nonnulla. Non duobus tantum quæ ab iisdem editoribus allegantur, sed tribus in locis persecutionum, vel martyrum præsentis tum temporis occumbentium fit explorata mentio. Tr. 6, de Patientia, lib. I, n. 8: *Tu quotidiana martyrum mater es et corona.* Tract. 27 lib. II, n. 3, *persecutionem* sub vindemiæ allegoria fuse depingit et martyres memorat, quibus *violenta*, inquit, *infertur manus*, quique *ad supD plicii locum deducuntur.... summa omnium contumelia illusi a persecutoribus jugulantur*, etc. Tandem tract. 45 ejusdem libri: *Autumnus quoque martyrii locus est, in quo non vitis, sed fossoris sanguis effunditur.* Quibus in locis cum persecutiones et martyres indicentur præsentes, imo et *quotidiani*, qui in quartum sæculum a Christianis imperatoribus occupatum cadere nequaquam creduntur; Auctoris ætas ad persecutionum tempus evehenda colligitur.

At primo animadvertendum est, id generis locutiones in aliis quarti quoque sæculi auctoribus legi; inter quas audienda illa Hilarii ex Commentario in psal. CXXII, n. 10, de fidelium injuriis loquentis: *Cædimur, maledicimur, fugamur, necamur ferro, flammis,*

Digitized by Google

profundo, desævitur in nostram verecundiam, desævitur in corpora: dolor nobis est injuriis. Alia testimonia videsis annot. 20 in tract. 27 lib. II. Quid porro, si falsa inolevit opinio, nullas quarto sæculo persecutiones, martyres nullos fuisse? Nonne Constantio imperante magno Arianorum patrono dira in Catholicos Nicænæ fidei defensores persecutio desæviit, qua alii in exilium deportati, alii equuleo torti, alii etiam morte mulctati fuerunt? Hinc Hilarius in libro adversus Constantium n. 1, Catholicos ad martyrium hortatur; et Liberius in epistola ad *Confessores* ante exilium suum scripta, quæ exstat apud Hilarium frag. 6, his verbis utitur n. 1: *Jam ad futuram gloriam martyres vos designavit.* Similiter Athanasius in Apolog. ad Constant. n. 32, pag. 316: *Nam si ii qui adversus me subscribere recusabant, tot tantisque malis sunt affecti; si laici, qui cum Arianis communicare noluerunt, capitis damnati sunt*, etc. Quibus similia tradens Hilarius in libro adversus Constantium, n. 11, Tolosanæ Ecclesiæ *clericos fustibus cæsos, diaconos plumbo elisos* testatur. Huc revocandæ illæ cædes in Alexandrina Ecclesia Georgio invadente peractæ, quas Athanasius considerans in epist. ad Orthodoxos, *ne multus sim in scribendo*, inquit, *persecutio adest, qualis numquam antea adversus Ecclesiam oborta est*; unde eminentissimus Annalium parens cardinalis Baronius iis relatis quæ ad Constantii persecutionem pertinent, jure concludit n. 87, ad an. 355: *Ex iis, quæ dicta sunt de quarumdam Ecclesiarum vexatione, quid cæteræ passæ sint, licet potius existimare quam scribere: si enim tot tantaque esse memorantur, quæ ex diversorum temporum scriptorum fragmentis collecta nuper recensuimus; qualia quantave reliqua fuisse putanda sunt quæ sepulta silentio remanserunt, cum si vel unius Ecclesiæ, cui catholicus in communione catholica cleri* [LX] *atque populi præesset Episcopus, res conscriptæ fuissent, grande volumen ex illatis ab Arianis cladibus procul dubio diligens historicus confecisset.*

Deinde eodem Constantio imperante Sapor Persarum rex Romanis infestus magnam adversus Christianos persecutionem commovit, in qua plura Christianorum millia obierunt, Hieronymo teste in Chronico. Sozomenus lib. II, a capite primo ad decimum tertium, hanc persecutionem fuse describit, pluresque e martyribus nominat, in eoque solummodo erat, quod illam ad Constantini ævum referat, dum ex antiquiori Hieronymi testimonio aliisque a Valesio adductis in notatione ad caput 13 exploratum est, id generis persecutionem cœpisse an. 347, productamque fuisse usque ad Regis ejus mortem, qui diem obiit an. 380, uti Ruinartius in *Actis sinceris* rectissime probat, ubi præter memorata a Sozomeno aliorum acta martyrum ea in persecutione functorum suppeditat.

Constantium Julianus excepit, qui tametsi nullam in Christianos apertam persecutionem indixit, non pauci tamen, ipso imperante, martyrii palmam consecuti probantur ex iis actis quæ laudatus Ruinartius inter sincera publici juris fecit; ut illum proinde in persecutorum catalogum jure retulerit Augustinus lib. XVIII de Civ. Dei, cap. 52. Juliano interfecto an. 363, post breve Joviani imperium Valentinianus successit, qui subinde Valentem fratrem in imperii societatem assumpsit. Hic autem postremus Constantio multo vehementior fuit in tuenda Arianorum hæresi, fideque catholica oppugnanda per Orientem, cui præerat; de qua persecutione Augustinus eodem libro cap. 52, hæc scripta reliquit: *Postremo nostra memoria Valens . . . Arianus, nonne magna persecutione per Orientis partes catholicam vastavit fidem*; et lib. II contra litteras Petiliani n. 206: *Quærant quid Catholica in Oriente perpessa sit, quando Valens imperabat Arianus.* Hinc procul dubio S. Ambrosius lib. II de Fide, cap. 16, persecutiones appellans, quas ab Arianorum perfidia, nimirum sub Constantio et Valente, Catholici passi sunt, n. 140 sic loquitur: *Non libet confessorum neces, tormenta, exilia recordari*, et num. 141: *Sed jam satis superque, omnipotens Deus, nostro exitio nostroque sanguine confessorum neces, exilia sacerdotum, et nefas tantæ impietatis eluimus*, bello scilicet Gothico, ex quo tanta in Romanum imperium pernicies manavit; et lib. III de Fide, cap. 15, num. 128: *Librum sacerdotalem* (id est Nicænam fidem) *quis nostrum resignare audeat, signatum a confessoribus, et multorum jam martyrio consecratum? quem . . . qui violare non ausi sunt, confessores et martyres exstiterunt. Quomodo fidem eorum possumus denegare, quorum victoriam prædicamus?*

Dum Valens Arianus in Oriente Catholicos persequebatur, Athalaricus Gothorum rex in Occidente contra eosdem pugnabat. Habemus etiam nunc præstantissimas Ecclesiæ Gothicæ litteras ad Ecclesiam Cappadocem scriptas anno 372, in quibus S. Sabæ martyrium describitur. De hac persecutione a variis coævis auctoribus firmata, quorum testimonia Ruinartius in acta S. Sabæ martyris allegat, Augustinus lib. XVIII de Civitate Dei, cap. 52, hæc scripsit: *Non est persecutio computanda, quando rex Gothorum in ipsa Gothia persecutus est Christianos crudelitate mirabili, cum ibi non essent nisi Catholici, quorum plurimi martyrio coronati sunt?* Præterea Christianos barbarorum illorum captivos *idolorum contagiis, metu mortis inquinatos* didicimus ex Ambrosio, lib. II de Offic., cap. 28, et ex his eos morti affectos intelligimus, qui christianæ fidei non valedixissent, nec idolis immolassent.

Tandem Pagani cum vel imperatorum mandato, vel Christianorum zelo, templa idolorum everti, simulacra comminui, vel etiam propinquos veteri superstitione relicta Christo nomen dare, sibique quodam modo eripi viderunt, nonne furore quodam perciti, seditione facta, in Christianos quoslibet impetum fecere, pluresque interfecerunt? Legantur acta martyrum Anaunensium Vigiliique Tridentini episcopi, qui sub finem quoque sæculi quarti in finitimo Tridentino agro a Paganis occisi sunt. Huc spectant illa S. Ambrosii [LXI] l. I de Officiis ministrorum, c. 42, n. 17: *Cavendum etiam reor, ne dum aliqui nimia gloriæ cu-*

Digitized by Google

piditate, insolentius abutantur potestatibus, et plerumque aversos a nobis animos Gentilium in studia persecutionis excitent atque inflamment ad iracundiam. Itaque illi ut perseverare possint, et supplicia vincere, quantos perire faciunt! ubi persecutores et martyres indicatos vides. Quæ verba procul dubio persecutiones spectant excitatas a catholicis quibusdam clericis, vel monachis, qui dum nimio Christianæ religionis zelo *potestates* adversus idolorum templa, in Oriente præsertim, commovebant, Gentium indignationem adversus Christianos concitarunt, in quibus aliquos quidem per hæc tempora a Paganis tumultuose concurrentibus occisos sacri Annales testantur. Post tot persecutionum quarti sæculi testimonia quis persecutiones vel martyres aliquot in tractatibus ab Auctore nostro memoratos urgere amplius ausit, ut contra evidentissima argumenta superioribus paragraphis proposita illum a quarto sæculo excludendum contendat?

CAPUT III.

PROBATUR AUCTOREM TRACTATUUM, QUEM VIXISSE OSTENDIMUS SÆCULO IV, ESSE S. ZENONEM EPISCOPUM VERONENSEM.

§ I. — *Memoratos tractatus huic Zenoni semper attributos, et codicibus, et antiquis testibus, et Veronensis Ecclesiæ traditione ostenditur.*

Sed jam tempus est ut ad tertium controversiæ caput, quod propositi nostri potissimum est, accedamus : nimirum num is, quem unicum omnium indicatorum tractatuum auctorem esse capite primo, et auctorem quidem quarti sæculi capite secundo hactenus demonstravimus, num is, inquam, sit S. Zeno episcopus Veronensis. Quod ut probetur, duo nobis probanda esse intelligimus ; primum laudatos tractatus huic uni Zenoni semper fuisse attributos, tum vero ejus ætatem in quartum sæculum commode cadere. Ad primum autem quod pertinet, Zenoni quidem hos tractatus nominatim adscribunt manuscripti omnes codices non tam generali illa inscriptione, quæ codicibus præfigitur, quam nonnullis formulis in capite, vel in fine aliquot tractatuum appositis, quibus unicus omnium auctor, quem cap. 1 statuimus, S. Zeno aperte nominatur, ut ex dictis eodem capite, § 1, colligere licet. Solum cum prima editio e Guarini schedis sumpta prodiisset an. 1508, nec codices essent cogniti; nonnulli, qui non codices modo, sed nec editionem ipsam viderunt, ex non bene intellectis Sixti Senensis verbis perperam opinati sunt, Guarinum ipsum hos tractatus Zenoni affixisse, eorumque procurasse editionem, unde de illis *nulla exstet apud veteres mentio;* quæ postrema animadversio cardinali Bellarmino gravissima visa est, memoratis inter cæteros Eusebio atque Hieronymo, apud quos de Zenone Veronensi summum silentium.

At de somnio, quo tractatuum suppositio et editio Guarino impingitur, nihil attinet dicere, cum illud præter fidem codicum ipsa editionis verba in generali præfatione relata satis disjiciant. Quod vero Bellarminum movit Eusebii Hieronymique silentium, facile [LXII] expungitur. Eusebius enim de Zenone non potuit scribere, cum is aliquanto post Eusebii ætatem floruerit. Ipse vero Hieronymus, qui de scriptoribus ecclesiasticis catalogum texuit an. 392, paulo post nostri Scriptoris obitum, responsionem satis idoneam suppeditat in ejusdem operis prologo, ubi plures præsertim id ætatis scriptores omissum iri præsentiens, ne ob id in invidiam devocaretur, his sese verbis excusat : *Si qui autem de his qui usque hodie scriptitant, a me in hoc volumine prætermissi sunt, sibi magis quam mihi debebunt imputare. Neque enim celantes scripta sua de his, qui longe sunt, nosse potui, et quod aliis forsitan sit notum, mihi in hoc terrarum angulo fuerit ignotum. Certe cum scriptis suis claruerint, non magnopere nostri silentii dispendia suspirabunt.* Enimvero quis spuria umquam venditavit Athenagoræ et Commodiani opera, de quibus Hieronymus nihil meminit? qui Julii item Firmici Materni et Philastrii libros ob materiam multo celebres eodem auctoris nostri sæculo ac ætate scriptos prætierivit, ut nemo tamen illos in dubium vocaverit. Adde quod tractatuum seu concionum auctores ab antiquis raro nominati leguntur. Quis mentionem fecit S. Gaudentii, episcopi Brixiani, qui tamen ipse Zenoni suppar, tractatus magis elaboratos vivens collegit et edidit? Quis umquam meminerat sermonum S. Petri Chrysologi, antequam a P. Pezio ederetur Anonymus Mellicensis, qui unus ex antiquis eum idcirco inter ecclesiasticos scriptores retulit? Gennadius, qui epistolarum S. Leonis testimonium locuples profudit, de sermonibus ne verbum quidem. Alia id generis multa dimittimus, cum ad similia refellenda pluribus necesse non sit.

Mirum porro maxime accidit inventos esse, qui de Zenone nostro scriberent, nullam sermonum ejus factam fuisse mentionem, antequam illi ederentur Venetiis an. 1508, cum a Veronensibus jamdiu aliquot antiquiores ea editione testes prolati fuerint. Baptista Perettus in latinis scholiis ad Vitam S. Zenonis ab ipsomet italice conscriptam edidit Carmen Michaelis Fossati lucubratum an. 1482, in quo hi versus leguntur :

> Zeno sacer, patriæque pater, tua musa tuorum
> Sermonum codex quanta docet fuerit.

Ne vero ejus opusculi raritas obtrudatur, editores Veronenses in præfatione, qui in Bibliothecis quoque Patrum Zenonis operibus præfigitur, duos alios testes allegarunt, Flavium Blondem sæculi XV scriptorem in Ital. Ill. reg. 9, et Petrum de Natalibus episcopum scriptorem sæculi XIV, lib. I Catalog. Sanctorum cap. 43. Perettus porro in scholiis memoratis addidit Guillelmum Pastrengum, qui medio circiter sæculo XIV floruit. Illic autem in perraro opere in editis inscripto *de Originibus rerum*, sed perperam, dum (ut optime animadvertit Scipio Maffeius lib. II de Scriptoribus Veronensibus) hæc inscriptio ad secundum solummodo Pastrengi libellum pertinet; primus autem illi præmissus ex auctoris

Digitized by Google

mente et materia ipsa *de Viris Illustribus* inscribendus fuerat; Pastrengus, inquam, in hoc de Viris Illustribus libello pag. 77, S. Zenonis tractatibus recensitis, hæc subjicit : *Omnia hæc opuscula memorabilis Joannes presbyter, majoris ecclesiæ mansionarius, se vidisse et legisse testatur.* Præter hos autem a Veronensibus allegatos testes alii antiquiores multo et omni exceptione majores suppetunt. Petrus Calo, ordinis Prædicatorum, qui duo volumina de Vitis Sanctorum collegit ineunte sæculo XIV, a Petro de Natalibus laudata, in fine Historiæ elevationis corporis S. Zenonis, editæ ab Henschenio ex ms. Barberino, tom. II, Aprilis, pag. 76, non solum memorat Zenonis tractatus, sed testatur etiam eos *pulchro et subtili stylo editos se vidisse in duobus voluminibus* (id est duobus libris dispertitos, ut in mss. visuntur) *apud. S. Zenonem de Verona*, id est in monasterio S. Zenonis Veronensi. Eodem ineunte sæculo XIV, imperialem Historiam, ex qua Panvinius noster in Antiquitatibus Veronensibus conscribendis non nihil profecit, Joannes quidam ab eodem Panvinio diaconus Veronensis, a Pastrengo autem fere cœvo *presbyter mansionarius* nuncupatus, scripsit. Is autem lib. I ejus [LXIII] historiæ, ex qua adhuc nunc manuscripta Hieronymus Tartarotius quædam excerpta ad nos perhumaniter misit, eumdem tractatuum Zenonis indicem texit, quem tum Guillelmus Pastrengus, tum Petrus de Natalibus totidem verbis transcripsisse noscuntur, et addit : *Hæc ipsius scripta et tractatus ipse legi et vidi.* E regione hujus indicis hæc marginalis notatio in eodem codice legitur, quæ aliud Scriptoris nostri testimonium profert. *Hos omnes supra scriptos libros* (sermones S. Zenonis a Joanne presbytero designatos intelligit) *ego Leonardus Judex de Quinto de Verona habeo, qui sunt elegantissimo stylo.* Hic autem Leonardus Judex *de Quinto*, qui nominatur in documento anni 1379, apud Ughellium, tom. V, pag. 885, Veronæ florentissimam bibliothecam habuit, quam sub an. 1588 Venetias transtulisse proditur a Mazagagia in opere ms. Musellianæ bibliothecæ inscripto *de Modernis gestis* lib. III, cap. 8. Ante hocce tempus in antiquissimo Veronensis capituli manuscripto, qui Hieronymi et Gennadii catalogum continet *de Viris Illustribus*, Zenonis nomen posteriori manu additum legitur, propterea quod is scriptores inter ecclesiasticos vel tum temporis recenseretur. Sæculo XI aut ad summum XII, anonymus quidam, Veronensis cœnobii monachus, S. Zenonis vitam scribens, ejus sermones se legisse aperte ostendit; illum enim inducit loquentem duplici concione, quarum altera initium et finem tract. 6, *de Patientia*, lib. I, iisdem verbis exprimit, altera vero in eamdem rationem sumpta est ex tract. 32 et 42 lib. II. Vide monumenta Historiæ diplomaticæ subjecta, et edita a marchione Maffeio, pag. 326. Sæculo decimo Ratherius Veronensis episcopus, plurium operum scriptor id temporis præstantissimus, S. Zenonem prædecessorem suum sermonum auctorem palam novit, quippe qui quater ex ipsius tractatu *de Juda* testimonium recitat, quod in eo quidem tractatu nunc 14 lib. II exhibetur; et hic tractatus ille est quem in Veronensi Ecclesia olim publice lectum dominica tertia Quadragesimæ ex Urbinate codice annotat. I observavimus. His autem formulis Zenonem Ratherius appellat. Primo part. I *de contemptu Canonum*, pag. 552 tom. I Spicilegii Acheriani novissimæ editionis : *Utar ut hic auctoritate Zenonis beati, in sermone videlicet, quem de Juda patriarcha et Thamar nuru ipsius more suo luculentissime fecit, dicentis*, etc.; rursum post pauca, *Ut Zeno sanctus affirmat;* tertio in fine serm. I de Quadragesima, p. 391, *Zeno beatus ille e contrario ait ;* ac tandem expressius in Synodica ad presbyteros, pag. 377 : *Cum specialis noster doctor atque provisor, beatus utique Zeno, dicat*, etc.

Sed quid in recensendis antiquis testibus immoramur diutius, si omnium vetustissimum præstantissimumque testimonium suppetit ex ms. Remensi, quem Hincmari archiepiscopi nomine prænotatum, monasterioque S. Remigii dono traditum in præfatione vidimus? ubi etiam animadvertimus hunc codicem, antequam in Hincmari manus veniret, in Veronensis Ecclesiæ usum jamdiu fuisse, ut ipsa Hincmari ætate, id est sæculo IX antiquior aliquanto habendus sit. In hoc autem perspicue, non minus ac in aliis posterioris ævi codicibus, et in inscriptione et in formulis paulo ante laudatis S. Zeno tractatuum auctor pluries asseritur. Quid quod hic idem codex in Veronensi Ecclesia olim adhibitus, ejusdem Ecclesiæ antiquam de S. Zenone auctore traditionem suppeditat? In pluribus nimirum ejus codicis annotationibus antiquo charactere ad marginem appositis, quas in præfatione descripsimus plures tractatus jamdiu olim inter sacra ecclesiastica officia a nostris episcopis vel diaconibus ex eodem codice publice lecti traduntur. Quis porro in tam antiquo et explorato Veronensis Ecclesiæ ritu non plane agnoscat, horum tractatuum, qui tam præcipue, vetusto ac solemni liturgiæ Veronensis usu adoptati fuerunt, auctorem ab eadem Ecclesia semper habitum S. Zenonem episcopum, cujus merita sicut eum huic urbi dederunt patronum, ita et sermones successoribus adeo commendarunt, ut ex iis plures in quasdam sacrorum mysteriorum formulas in annos singulos statis diebus recitandas transierint? Sane si alterius externi vel minus digni antistitis fuissent auctoris, incredibile plane est sub S. Zenonis nomine in propriam quodammodo hujus unius Ecclesiæ liturgiam potuisse commigrare, et diutius in eadem Ecclesia publice legi. Itaque quis dubitare amplius queat tractatus XCI [LXIV] quos unius esse auctoris capite primo ostendimus, non alium habere auctorem quam S. Zenonem episcopum Veronensem, cui illos et tot variarum urbium ac provinciarum codices, et tot scriptorum testimonia, et Veronensis etiam Ecclesiæ traditio vindicat?

§ II. — *Vulgare præjudicium de S. Zenonis ævo sub Gallieno, quod unum hactenus constitutis opponitur,*

Digitized by Google

ad examen revocatur. Baronii Ughelliquè sententia de duplici Zenone, quorum alter sub Gallieno floruerit, alter quarto sæculo tractatuum auctor sit, omnino nova. Unus tantum Zeno episcopus Veronensi Ecclesiæ ex omnibus documentis agnitus, unde Baronius sententiam retractavit. Præjudicii memorati origo et fundamentum.

Iis argumentis definito Auctore nihil de ætate ejus addere oporteret. Si enim auctor tractatuum quarto sæculo floruisse demonstratum nobis est evidenter cap. 2, palam sequitur Zenonem, quem tot et codicibus et testibus et Veronensis ipsius Ecclesiæ antiqua traditione eorumdem tractatuum auctorem esse hactenus ostendimus, quarto quoque sæculo florere debuisse, ac inter eos profecto ejusdem sæculi limites, quos ex certissimis tractatuum notis jam præstituimus. At huic argumento licet exploratissimo unum illud vulgare præjudicium opponitur, quo S. Zeno, Gallieno imperante seu tertio sæculo vixisse creditur; cui præjudico traditionis nomine Veronensis Ecclesiæ a nonnullis divendito, ne se objicerent cardinalis Baronius in prima editione Martyrologii, et Ferdinandus Ughellius tom. v Italiæ sacræ, duos Zenones Veronenses episcopos admittendos putarunt, quorum alter sub Gallieno, uti tradebatur, obierit, alter vero, qui tractatuum sit auctor, floruerit sæculo quarto. At si exploratum omnino fecerimus, unicum Zenonem, cui sermones vindicari possint ac debeant, ab Ecclesia Veronensi semper agnitum, et hunc quidem non tertio, sed quarto sæculo claruisse, nihil erit amplius quod reponatur.

Ante Baronium (qui primus duos Zenones nullo documento intulit, eo solo argumento ductus, quod unum Zenonem quarti sæculi auctorem sermonum certissime cognosceret, alium autem sub Gallieno a Veronensi Ecclesia cultum de Veronensibus accepisset) de duobus Zenonibus hujus urbis episcopis nemo umquam audierat. Huic quidem opinioni ipsa Veronensis Ecclesiæ traditio refragatur aperte, quæ non nisi unum Zenonem semper agnovit, et ita quidem ut, quem sanctum et magnum urbis patronum coluit, eumdem quoque sermonum scriptorem perpetuo habuerit. Id liquet ex universis variorum sæculorum auctoribus, quos paulo ante allegavimus, et ex manuscriptis item omnibus, quorum tres decimo tertio sæculo scripti fuerunt, unus autem ante nonum exaratus fuit, ut Ecclesiæ ipsi Veronensi in publicis officiis usui esset. Inter hæc Veronensis Ecclesiæ testimonia animadvertenda præcipue sunt illa Ratherii et ms. Remensis, quæ majorem antiquitatem et auctoritatem præferunt. Ratherius ter, ut supra innuimus, Zenonem ejusdem tractatus auctorem allegat, et ubique eum aut *Beatum*, aut *Sanctum* appellat, quod is tum haberetur sermonum auctor, qui ab hac Ecclesia inter Sanctos colebatur. Advertenda autem potissimum illa Synodicæ: *Cum specialis noster doctor atque provisor, beatus utique Zeno, dicat in sermone utique, quem de Juda filio Jacob et Thamar nuru ipsius elegantissime composuit.* Hic autem Zeno *specialis doctor et provisor* seu patronus *noster* et fuit semper, et adhuc est S. Zeno, quem id Ratherius simili formula in Apologetico p. 366 t. 1 Spicilegii Acheriani, ubi *basilicam* ejus memorat, *peculiarem nostrum patronum* appellat. Ex manuscripto porro Remensi, qui aliquot tractatus inter sacra Veronensis Ecclesiæ [LXV] mysteria ab episcopis, vel diaconibus lectos memorat, nonne et Veronensem episcopum, et Sanctum, ut ibidem inscribitur, auctorem ab eadem Ecclesia habitum palam cognoscimus? Neque vero audiendus Ferdinandus Ughellius, qui ut hæc forte conciliaret, secundum quoque Zenonem, auctorem, uti putatur, tractatuum, sanctis adscripsit, cum unum tantum Zenonem inter sanctos episcopos Veronensis Ecclesia recensuerit semper, atque recenseat. Quin mirandum maxime est, quod cum ille alterum hunc Zenonem Veronensi Ecclesiæ incognitum, in episcoporum Veronensium seriem intruserit Baronio duce, qui primus et unus hanc sententiam in prima Martyrologii editione indicaverat, eumdemque præterea ipse *Sanctum* ex arbitrio finxerit: Baronium potius ducem secutus non sit, qui Veronensis traditionis admonitus ab iis, qui Veronensem Zenonis editionem curarunt, priorem de duplici Zenone sententiam jamdiu abjecerat, et secundis in Martyrologium curis retractaverat his verbis: *Ex quo autem, ut accepimus, non recipit Veronensis Ecclesia duos Zenones, a priori nostra sententia haud inviti recedimus.*

Atqui huic Veronensi traditioni, quam hactenus ostendimus, alia opponi videtur ejusdem Ecclesiæ traditio, qua idem Zeno sub Gallieno martyr proditur, quod cum ætate Auctoris sermonum conciliari non potest. Zenonis martyrium hic expungere consilium nostrum non est, de quo plura dissert. 3, cap. 2, sed cum ætatem, quæ ad Gallieni imperium evehitur. Cui traditioni, seu potius præjudicio unus Coronatus Notarius, septimi vel octavi sæculi scriptor, fundamentum posuit, ex quo alii subinde antiquitatem, non Zenoni solum, sed Veronensi etiam Ecclesiæ honorificam prædicarunt. Hoc vero Coronati fundamentum ut exscindamus, duo antiqua monumenta omni exceptione majora primum consideranda proponemus, quibus Zeno, quem non nisi unicum ecclesia Veronensis agnovit, vixisse ostenditur sæculo quarto: tum vero ipsius Coronati opusculo ad calculum revocato, ex pluribus ejus hac in historia lapsibus præsentis quoque fabellæ elevabimus fidem, ejusque occasionem vel originem, si fieri poterit, expiscari et indicare conabimur.

§ III. — *Zenonem vixisse quarto sæculo convincitur ex S. Ambrosii epistola ad Syagrium. Id ipsum statuit antiquus ordo episcoporum Veronensium, quem ex diptychis manasse palam est.*

Primum documentum sit epistola 5 S. Ambrosii ad Syagrium, quem Veronensem episcopum tum fuisse ipsius epistolæ contextus plane convincit. In hac autem epistola num. 1 Ambrosius Indiciæ virgi-

Digitized by Google

nis mentionem facit, quam *puellam Zenonis sanctæ memoriæ judicio probatam, ejusque sanctificatam benedictione* testatur. Hæc autem virgo, quæ Syagrii jurisdictioni subjecta tota epistola proditur, Veronensis utique virgo fuit; et *Zeno sanctæ memoriæ*, qui eam probavit et benedixit, est procul dubio S. Zeno episcopus Veronensis, cum exploratum sit non alium id temporis benedixisse ac sacrasse virgines, nisi qui summo sacerdotio fungeretur. Neque opponat quispiam cum editoribus Veronensibus, Indiciam alius urbis civem ab alio Zenone velari, subindeque Veronam accedere potuisse, ut una cum sorore, quæ Maximo Veronensi nupserat, vitam exigeret. Hæc enim dicere facile est, probare autem non item. Si vero cum adversus præjudicia quædam apertum aliquod documentum proferatur, ejusdem commenta in præjudicii gratiam liceret ingerere, quid adeo firmum et certum umquam esset, ut evelli et eludi hac ratione non posset? Jure itaque hoc argumentum, quod ex Ambrosii epistola ducitur, post P. Labbeum omnino convincens et evidens omnibus visum est, ut nihili faciendam putarint editorum [LXVI] Veronensium responsionem, eamque ne mentione quidem dignam eruditi judicarint. Quid si ex iis ipsis, quæ in Ambrosii epistola narrantur, Indiciam virginem Veronensem fuisse luculentius confirmemus? Etenim Maximus sororis vir, postquam lite adversus Indiciam mota, de quibusdam bonis *judicia attentasset;* cum vehementer angeretur, *quod virgo in agro affinitatis suæ refugisset consortium, muro interjecto* (in eadem utique domo) *discretas ædes uxoris suæ ac virginis, divisamque germanitatis inter sorores societatem* esse jusserat, uti traditur num. 17, p. 769, quod argumentum est evidens, mediæ domus partem ad Indiciam spectasse; si enim ex alia urbe Veronam advenisset, Maximus pro hostili et averso in illam animo eam domo et urbe pellere, ac in suam patriam remittere potuisset. Sed transeamus ad alia.

Secundum documentum colligitur ex antiqua octo priorum Veronensium antistitum serie, quam pluribus monumentis custoditam diligenter accepimus, quoad ex præjudicata Zenonis ævo sententia aliam seriem recentiores proprio marte compingere non dubitarunt. Ea series Panvinio teste Antiquit. Ver. lib. IV, cap. 3, legebatur in Historia imperiali Joannis, cujus § 1 mentionem fecimus; et pars quidem ejus in rem nostram præcipua, quæ posteriorum quinque episcoporum ordinem prodit, continetur in eo fragmento, quod ex illa imperiali Historia manuscripta nobis excerpsit Hieronymus Tartarotius in hæc verba: *Beatus Zeno episcopus Veronensis, doctor egregius, octavus ejusdem civitatis episcopus. Nam post S. Proculum, qui quartus fuit episcopus, pontificatum suscepit S. Saturninus, cui Lucillus successit, post quem S. Gricinus doctor, cui B. Zeno successit.* Hunc eumdem ordinem in vetustiori auctore legimus, qui rhythmum de Veronæ laudibus scripsit. Id opusculum in ms. Lobiensis monasterii inventum (quo allatum credi potest a Ratherio episcopo, cum a Verona exsul in illud monasterium, unde exierat, sese recepit) primus in solutæ orationis rationem publici juris fecit Mabillonius in Analectis, tum vero noster marchio Maffeius in rhythmi formam recusit inter monumenta, quæ ad calcem diplomaticæ Historiæ edidit. Hic rhythmus integer erat etiam in ms. cœnobii Ariminensis Cœlestinorum, ejusque fragmentum (ad Zenonem ordinemque quod pertinet) transcriptum cernitur in fine codicis monasterii Zenoniani sancti Zenonis tractatus continentis, et integer item Veronæ habebatur in alio codice apud Jesuatos monasterium S. Bartholomæi in monte olim incolentes, scriptus in fine Pentateuchi, quem in codice membranaceo litteris antiquissimis exaratum Bagata et Perettus testantur in libro inscripto: *Sanctorum episcoporum Veronensium antiqua monumenta*, pag. 14, et ex eodem codice priorem rhythmi ejus partem Hieronymus a Curte in Historiæ Veronensis librum I transtulit. In ms. Zenoniano hic rhythmus *ex Isidori dictis* sumptus traditur, idque se credere Hieronymus a Curte, nec non Bagata et Perettus memorati satis insinuant; cui errori illud occasionem dedisse videtur, quod in secundo rhythmi versu *Isidorus* nominetur. At rhythmus multo post Isidorum scriptus palam proditur ex contextu, dum scilicet Veronæ Pipinus degeret, id est octavo sæculo exeunte, vel saltem ineunte sæculo IX (Pipinus enim Italiæ rex dictus fuit an. 781, et diem obiit supremum an. 810), unde Anonymum Pipinianum hujus rhythmi auctorem nominaturi deinceps sumus. Itaque hic Anonymus his versibus octo priorum Veronensium episcoporum ordinem prodit:

Primum Veronæ prædicavit Euprepus episcopus,
Secundus Dimidrianus, tertius Simplicius,
Quartus Proculus confessor pastor egregius,
Quintus fuit Saturninus, et sextus Lucillus,
Septimus fuit Gricinus doctor et episcopus,
Octavus pastor et confessor Zeno martyr inclytus.

[LXVII] Hæc episcoporum series plurimi facienda est, quippe cum custodire diligenter Ecclesiis maximæ fuit, curæ cum illos in diptychis ex ordine scribere, et inter missarum solemnia ad secundum *Memento* omnes, etiam sanctos, recitare ex antiqua disciplina mos fuerit tum in Oriente, tum in Occidente in eam fere rationem, quam discimus ex libro Sacramentorum S. Gregorii edito a Menardo e ms. Corbeiensi, ubi hæc habentur *in Missa pro defuncto episcopo, infra actionem* tom. III Operum S. Gregorii pag. 215: *Super diptycha. Memento etiam, Domine, famulorum tuorum Ill., qui nos præcesserunt et dormiunt in somno pacis.* Post quæ nomina scripta in diptychis recitabantur; unde sequitur: *Item post lectionem*, nimirum diptychorum: *Istis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus*, etc. Hic autem ritus post Anonymi quoque Pipiniani ætatem viguit, ut ex testimoniis liquet allatis a P. Martene, tom. I, de antiquis Ecclesiæ Ritibus lib. I, cap. 4, art. 7, num. 24, pag. 408. Inter hæc maxime memorandum videtur illud ex Romano ordine Ecclesiæ Ambianensis anno 1120, ubi scriptum legitur: *Memento, Domine, et eorum, nempe*

Digitized by Google

Firmini, etc., ubi XXXI episcoporum ejusdem urbis nomina recensentur; nec non aliud ex Missali Mozzarabico cardinalis Ximenii, in quo longa Toletanorum antistitum series describitur apud eumdem Martene, art. 12, pag. 460. Neque difficultatem faciat, si non in omnibus Missalium antiquorum Canonibus ad *Memento* omnium cujusque ecclesiæ antistitum nomina describantur: nam alibi plerumque adnotas *Ill. et Ill. memento* insertas, pro quibus nunc *N. et N.* suffectum est, ex diptychis ipsis, vel alio simili monumento nominabantur ejus loci omnes propriæ sedis episcopi, unde in ms. Colbertino 2585, apud eumdem Martene post hæc verba, *Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum Ill. et Ill.* additur, *episcoporum præsentis ecclesiæ*. Ex ejusmodi diptychorum ordine Anonymus Pipinianus genuinam priorum Veronensium antistitum seriem rescire et scribere potuit, sicut illam descripsisse credimus Rampertum episcopum Brixianum, qui sequiori ævo in sermone de Translatione S. Philastrii longiorem multo episcoporum Brixianorum ordinem, et diptychis utique cognitum, solis nominibus prodidit. Hæ igitur ejusmodi quoque monumentorum series, quæ ex ritu tam antiquo ac simplici proficiscuntur, non uti in posterioris ævi catalogis inventæ, sed perinde ac si ex ipsis antiquis diptychis essent sumptæ, verum antiquorum quoque episcoporum sibi succedentium ordinem continere credendæ sunt, ac ex iisdem plures errores corrigi tutissime possunt, ut correxisse quidem nobis videmur recentiorem Ravennatum episcoporum ordinem, tom. IV Operum card. Norisii, pag. 976, aliaque jamdiu emendavimus in aliis aliorum episcoporum ordinibus in opere *de Originibus antiquiorum Italiæ ecclesiarum ac Metropoleon*, quod multos ante annos lucubratum, cum licebit perficere, publici juris faciemus, ibique de ejusmodi catalogorum ac diptychorum auctoritate et usu plura fuse disputata invenies. Neque vero si quæ falsa posterioribus catalogis inserta sunt, objiciantur, ut ex iis ordinis etiam episcoporum fides elevetur; nam sola episcoporum nomina in ordinem distributa sumi potuerunt ex diptychis in quibus nihil præter eorum nomina legebantur, ut proinde hæc series satis tuta et vera habenda sit; ad historica autem facta vel chronicas etiam notas quod pertinet, cum hæc aliunde sumi debuerint, pro monumentorum e quibus ea petita fuerunt, ratione vel vera, vel fabulosa episcoporum ordini potuerunt interseri, et sæpe ex opinione vulgi fabulis leviter adsentienti intrusa sunt nonnulla, quæ ab eruditis falsissima demonstrantur. Quod monitum præcipue volumus, ne quis omnibus præter episcoporum ordinem Anonymi Pipiniani dictis fidem accommodandam existimet; cum ea quæ de Gallieni Cæsaris filia inseruit, falsa sint, ut sequenti paragrapho ostendemus.

Cæterum hujus Anonymi seriem e diptychis derivatam ne quis amplius dubitet, luculentissimo, ut nobis quidem videtur, argumento confirmare placet. In ea serie S. Proculus ante S. Zenonem ponitur: in recentiorum vero sententia, ut Zeno ad Gallieni ætatem pertingat, hic ante S. Proculum statuendus est, cum Gallieno posterior S. Proculi ætas aliunde statuatur, ut mox videbimus. Porro S. Proculum ante Zenonem semper agnitum pluribus aliis hujus ecclesiæ monumentis liquet: quippe S. Proculus ante S. Zenonem memoratur [LXVIII] constanter in omnibus antiquis missarum Canonibus, orationibus, epigrammatis ac litaniis. Ita ex. gr. in Canone quatuor vetustorum codicum nostræ Veronensis ecclesiæ: *Proculi et Zenonis;* in litaniis autem alterius ms. capitularis ejusdem ecclesiæ: *S. Procule, S. Zeno, S. Theodore*, etc. Eodem ordine iidem sancti describuntur in quibusdam orationibus, quas hic postremus capitularis codex exhibet, nec non in Romano Ordine sæculi noni, quem ex alio ms. capituli Veronensis Franciscus Blanchinius edidit in Prolegomenis ad Anastasium, tom. III, pag. 51, ac tandem in inscriptione ejusdem ætatis in S. Helenæ templo adhuc existente, quam apud Ughellium legere quisque poterit tomo quinto pag. 781. Idem ordo deprehenditur etiam in antiquis litaniis e ms. Floriacensi nongentorum annorum editis a P. Martene part. 3 de Antiq. Ecclesiæ Ritibus, lib. III, cap. 15, pag. 592. Id autem cur factum fuerit, nulla alia occurrere potest ratio, nisi quod S. Proculus ætate præcesserit S. Zenonem, qui cæteroqui, cum Veronensis civitatis sit magnus patronus, et universa in Ecclesia multo celebrior, ut dissert. 3 ostendemus, si non impedisset ætas, nominari primo loco debuisset. Ex his missarum Canonibus et litaniis fragmenta huc pertinentia dabimus eadem dissert. 3, cap. 4, ubi ad cultum Zenonis ostendendum opportunior erit locus. Hoc autem argumentum, quod ex antiqua quidem traditione et vero ordine originem ducit, Anonymi quoque Pipiniani seriem genuinam confirmat mirifice, et eos apertæ novitatis et erroris coarguit, qui, veteri hoc ordine derelicto vel contempto, novum alium ad præjudicia tuenda invehendum putarunt.

Porro ut ad Zenonis ætatem ex hac Anonymi serie statuendam veniamus, S. Proculus ibidem quartus est, sextus autem S. Lucillus, quorum utrorumque ætatem ex aliis monumentis exploratam habemus. S. Proculus quarto sæculo ineunte in vivis erat, cum Maximiano imperante Veronam ducti fuere SS. Firmus et Rusticus, qui subinde martyrio coronati sunt, ut palam fit ex antiquis ipsorum actis a marchione Maffeio editis in calce diplomaticæ historiæ, pag. 303. In nonnullis quidem actorum mss. pro Maximiano Maximinus legitur, ad cujus proinde imperium Proculi ætatem evehendam quidam opinati sunt: at cum ex actis pateat imperatorem id temporis Mediolani fuisse, Maximinus autem ea in urbe nunquam fuerit, quippe qui vix Italiam ingressus, in Aquileiæ obsidione mortem oppetiit, ut recte probavit noster P. Petrus Paduanus ex ordine Conventualium, apud Ughellium tom. V Italiæ sacræ, pag. 685, cumque pluribus exemplis liqueat hæc duo nomina Maximiani et Maximini in codicibus promiscue scribi

Digitized by Google

facileque confundi; potior imo et genuina apparet aliorum codicum *Maximianum* scribentium lectio, quæ quidem in antiquis mss. quos viderunt et allegarunt Bollandi socii ad diem 24 martii in S. Proculi, inventa est; Maximianum enim Mediolani fuisse, persecutionemque intendisse adversus christianos notissimum est; ac jure propterea S. Proculus et SS. Firmus ac Rusticus in antiquis Martyrologiis omnibus, necnon in Romano, referuntur ad Diocletiani Maximianique persecutionem, quæ desævire cœpit an. 303. Quartus itaque Veronensis episcopus quarto ineunte sæculo floruit.

Accedamus ad sextum, cui nomen Lucillus, seu ut in metri Rhythmici causam scripsit Anonymus Pipinianus Lucillius, sicut *Isidorius* pro *Isidorus* eadem de causa scribendum versu tertio Maffeius noster ostendit. Apud S. Hilarium in Fragmento 2, pag. 632, post synodicam Sardicensem ad Julium Papam leguntur subscriptiones episcoporum LIX, in quibus vigesimo loco, *Lucius ab Italia de Verona*. Idem habetur inter subscriptiones ab iisdem Sardicensibus episcopis subjectas S. Athanasii litteris ad clerum Mareotidis, quas ex antiquissimo ms. capituli Veronensis clarissimus doctissimusque noster civis nuperrime produxit in lucem, tom. III Observat. Litter., pag. 38. *Lucii* pro *Lucilli* nomen ne moveat, S. Athanasius eumdem qui in synodicis subscribitur Lucius, duobus in locis *Lucillum* appellavit: in Apologia ad Constantium, numero 3, pag. 297, Λούκιλλος ὁ ἐν Βερωνί, *Lucillus Veronæ*, quam urbem licet non designet in altera Apologia, num. 50, p. 168, tamen *Lucillus* ibidem [LXIX] nono loco appellatus inter eos episcopos qui Sardicensi vel interfuerunt, vel consenserunt, Veronensis esse cognoscitur, distinctus a *Lucio*, qui sexagesimo loco descriptus est, alterius urbis episcopus, ut in ipsa quidem synodica Sardicensi alter a Veronensi eodem nomine subscribitur. Igitur Lucius hic (Lucillus forte ob parvam staturam diminutive vulgo dictus) inter Sardicenses Patres fuit an. 347, imo ex Athanasianæ Apologiæ verbis ad Constantium inter vivos adhuc fuisse videtur, cum Athanasius eum librum scripsit, id est anno 356, vel saltem id temporis cum Athanasius vivum appellans, de ejus morte nihil audierat. *Hujusce rei testis est*, inquit, *Fortunatianus Aquileiæ episcopus. Hoc ipsum potest patris Hosii testimonio confirmari. Testis item Crispinus Patavii, Lucillus Veronæ, Dionysius Leidis, et Vincentius in Campanio episcopus. Et quia defuncti sunt Maximinus*, etc., quibus Athanasius Lucillum a defunctis distinguens, vivum aperte credidit. Nunc si quartus Veronensis episcopus Proculus ineunte quarto sæculo floruit, sextus autem Lucillus vivebat adhuc post medium idem sæculum, anno 356, quis non statim intelligat (cum de catalogi ordine ambigendum ex dictis non sit) Zenonem, qui octavus recensetur, aliquanto post hunc annum, ut intermedio septimo Antistiti Gricino aliquid temporis licet brevissimi tribuatur, in Veronensem cathedram ascendisse; quod sane tempus optime congruit cum ætate ejus Zenonis, qui a S. Ambrosio memoratur, et cum ea, quam tractatuum auctori superiori capite asserendam evidentissime demonstravimus; ac propterea error manifestus esse cognoscitur ille, quo Zenonis ejusdem ætas ad Gallieni imperium evehitur. Quem errorem, cum Coronatus Notarius, ex quo cæteri acceperunt, primus sparserit, ut superius monuimus; ne quem auctoritas hujus vel leviter moveat, etsi satis esse deberent, quæ documentis hactenus propositis constituimus, majoris tamen roboris gratia ipsius historiam huc pertinentem ad examen vocare libet: quam si aliis capitibus fabulosam et falsam evidenter ostendemus, palam profecto fiet ebibisse eum ex turbido aliquo fonte, ut nihil ei cogamur fidere in chronica temporis notatione, cum præsertim hac in parte tot antiqua documenta jam considerata palam repugnent.

§ IV. — *Coronati Notarii narratio qua Gallieni imperatoris ætas Zenoni attribuitur, expensa, fabulis scatere ostenditur.*

Coronatum Notarium Vitam S. Zenonis septimo vel octavo sæculo scripsisse in admonitione ad *Monumenta* videbimus. Hic autem de S. Zenonis vita proprie sumpta nihil fere prodit, adeo ut de Zenonis ipsius gestis nihil litteris traditum accepisse videatur. Sed quemadmodum Ratherius, decimi sæculi episcopus Veronensis, de S. Metrone aliquid dicturus, de quo nihil scriptum fuisse conqueritur, id dicere coactus fuit, *quod plebs indocta canebat*, ut liquet ex opusculo ejusdem Ratherii novissime edito in calce *Libri Juris civilis urbis Veronæ*: ita Coronatus, scripturus aliqua de S. Zenone, de quo nihil exaratum calamo repererat, ea solum prodere debuit quæ ob celebritatem et admirationem populi animis impressa, populari quadam traditione ferebantur quædam nimirum insignia miracula, de quibus diuturnior vigere solet memoria, quæ tamen ipsa ex populi ingenio multis additis, aliis demptis, vel mutatis a nativo statu multum deficere, et falsis nonnullis additamentis ita contaminari consueverunt, ut quid verum falsumve sit, internosci et statui sæpissime nequeat. Hanc Coronati narrationem, quæ Gallienum tangit, legere poteris num. 4 et seq. in ipsa Vita, quam inter Monumenta integram primo loco dabimus. In eam vero, ut [LXX] quam improbabilia multa contineat, quisque perspiciat, hæc nunc adnotare placet. Primo mirum illud factum quo unica Gallieni filia, Zenone ad imperatorem per nuntios accito, a dæmone liberata mirifice traditur, adeo insigne et solemne esse debuit, ut incredibile plane sit quod per quinque circiter sæcula nihil de illo litteris quispiam prodiderit, primusque qui ejus fecerit mentionem, septimo vel octavo sæculo Coronatus Notarius fuerit. Dein num. 5, monasterium in quo S. Zeno cum pluribus aliis et eodem quidem Zenonis nomine appellatis degeret, Veronæ publicum fuisse indicatur, quod de tribus primis sæculis, cum Christiani persecutionum causa latitantes, nihil publicæ ædificationis præse-

Digitized by Google

rebant, incredibile omnino est. Præterea imperatoris nomine Zeno rogatus ut filiam ejus a dæmone vexatam sanaret, cum eo profectus ejecisset dæmonium, *coronam regalem*, quam ipse Gallienus imperator *capite suo gestabat*, ab eodem accepisse traditur, quam mox pauperibus distribuit : cum ante Aurelianum id generis ornamentum Romanis imperatoribus non fuerit in usu. Quis deinde tueri probabiliter poterit ethnicum imperatorem Zenoni concessisse ut *idola omnia destrueret, et in Christi nomine ecclesias fabricaret;* idque, cum is Veronam repetiisset, factum fuisse ? ita ut cum ne una quidem publica alibi christianis ecclesia fuerit, Veronæ per Zenonem imperatoris ejus mandato plures fuerint constructæ, uti proditur n. 7. Sed plura alia, quæ considerari possent, omittamus : hæc enim ad narrationis hujus figmentum demonstrandum apud idoneos judices satis superque sunt. Si vero aliquid veri inter improbabilia latet, illud unum conjicere possumus, hæc Coronatum ex vulgi traditione sine ullo examine litteris prodidisse. Traditum fortassis fuerat antiquitus Zenonem cujusdam Gallieni filiam a dæmone liberasse, et cum vulgo notus esset Gallienus imperator, Galheni imperatoris filiam a Zenone liberatam tradi cœpit. In scriptoribus ævi posterioris ejusmodi lapsus frequentes occurrunt, ut cum quædam ex. gr. præsidum nomina imperatorum nominibus similia reperierint, imperatores ex præsidibus fecerint. Forte Gallienus ille, cujus *unicam* filiam S. Zeno curavit, *Palatii* (locus est inter Tridentum et Veronam in Antonini Itinerario memoratus) degebat, ut marchio Scipio Maffeius in epistola ad Coletum inserta tom. v Italiæ sacræ, pag. 675, observavit : et cum idem ille ob nominis similitudinem ex additione vulgi in imperatorem migrasset, alia improbabilia ei historiæ subinde fuerunt addita, quæ a Coronato suscepta et scripta inveniuntur. Sed plura in his conjectationibus insumere, vanum plane et indignum credimus. Quidquid igitur est de origine hujus fabulæ, quæ Gallienum imperatorem inculcat ; cæteri omnes licet quamplures, at ævo quidem posteriores, qui illam e Coronato excepisse noscuntur (ita ut ex eodem totidem sæpe verbis repetatur, ac in ipsas antiphonas, responsoria et hymnos inde immigraverit) non majorem fidem merentur : et hac ratione evulsum tandem et eversum penitus vides fundamentum, cui inolitum de Zenonis ætate Gallieni imperium attingente præjudicium innititur. Hoc autem posito, quis hac narratione atque præjudicio neglectis, non magis assentiendum putet iis documentis quibus S. Zeno sæculo quarto vixisse convincitur ? ut sic altero Zenone excluso, quem Veronensis Ecclesia nunquam agnovit, ille eorum tractatuum auctor habeatur, cui isti ut in mss., et a pluribus scriptoribus, et ipsius ecclesiæ Veronensis traditione constantissime vindicantur.

[LXXII] § V. — *S. Zenonis ætas certis finibus clausa, qua cum omnia convenire monstrantur.*

Ex hactenus constitutis Scriptoris nostri episcopatum certioribus annorum limitibus circumscribere licet. Sextum Veronensem episcopum Lucillum vixisse an. 356, aut saltem (siquidem obierit paulo ante) vivum eo anno ab Athanasio judicatum fuisse luculenter probavimus § 3. Lucillo autem Gricinus, seu Grichinus ex catalogorum ordine septimus successit : hunc autem octavus excepit S. Zeno, quem quidem Brichini, uti appellat, successorem ipse etiam Andreas Dandulus in Chronico prodidit, lib. IV, cap. 5, tom. XII Rerum Italic., pag. 35. Porro Zenonem vita jam functum, cum S. Ambrosius ad Syagrium scripsit, eadem tertio paragrapho ostendimus. Hanc autem Ambrosii epistolam editores Benedictini affigunt anno circiter 380, ita tamen ut in ordine chronologico epistolarum advertant eos qui hunc annum ingerunt et inculcant, *nullam opinionis suæ rationem reddere.* Nos quidem aliquanto post hunc annum, non autem citius, eas litteras ab Ambrosio datas inde conjicimus quod Zenonis mors non citius, sed serius collocanda aliunde videatur. Non citius, ut idoneum statuatur tempus, quo S. episcopus Veronensium liberalitatem in captivorum redemptione insignem commendare potuerit tract. 12 lib. I, quæ quidem redemptio tam celebris executioni mandari non potuit, nisi aliquandiu post Hadrianopolitanam pugnam, in qua Valens diem obiit mense Augusto anni 378, ut ex disputatis, cap. 2, § 7, colligere quisque potest. Serius vero eo an. 380, vel anno sequenti, Zenonis mortem accidisse illud non improbabiliter suadet, quod in frequentissimo Occidentis concilio Aquileiæ habito an. 381, ubi plures finitimarum præsertim urbium episcopi interfuerunt, Veronensis non appareat : quod etsi aliis de causis evenire potuit quin ad mortem referamus (alii enim aliquot similiter abfuere) tamen id eam forte habuit causam, quod Zenone mortuo, id temporis hæc sedes vacaret. Sic enim æquum memoratæ redemptioni tempus relinquitur. Quidquid autem id est, procul dubio inter annum 356 et 380 circiter Zenonis episcopi ætas statuenda est.

Huic ætati quam belle congruant omnia quæ præsertim ex tractatibus aliqua temporis nota signatis animadvertimus capite secundo, antequam declaramus, liceat, quæso, sine ulla audaclæ censura episcopatus ejus initium (de fine enim certiora documenta suggessimus) conjectatione quadam, quæ menti occurrit, indicare, ita tamen ut non affirmare quidquam velimus, sed id unice proponere quod alii consultius examinent, melioribusque, si reperierint, edocti monumentis, sive respuant, sive confirment. Ex memorata Ambrosii epistola num. 21 patet, Indiciam virginem jam benedictam a Zenone episcopo, *habitasse* una cum Marcellina, ipsius Ambrosii sorore, *Romæ in domo nostra*, inquit Ambrosius, *nobis absentibus*, id est cum Ambrosius nondum episcopus Romanas ædes domum suam agnosceret, in quibus habitare de more soleret ; secus præteriisset et formulas *in domo nostra*, cum domus episcopi non alia sit nisi episcopalis domus ; et illas *absen-*

Digitized by Google

tibus nobis, quibus indicare videtur se ab ea domo tum veluti casu abfuisse, quod non nisi in tempus ante episcopatum ejus cadit. Atqui S. Ambrosius episcopatum adiit an. 374. Igitur ante annum 374 Indicia a Zenone episcopo consecrata, Romæ fuerat. Itaque Zenonis episcopi initia ante hunc annum 374 collocanda sunt; ac præterea, ut æquum tempus detur et Romano Indiciæ itineri ac moræ in Ambrosii ædibus, et insuper consecrationi ac probationi ejusdem Veronæ per Zenonem, ut ne a Zenone vix creato antistite paucis [LXXII] mensibus probata, et virginali velo impósito benedicta fuerit, quod Ambrosii verba sensusque non recipiunt; Zeno aliquanto ante annum quoque 373 episcopatum adeptus dici debet. Dein in omnibus antiquis Veronensis ecclesiæ libris tres notantur dies, in quibus Zenonis memoria sacris officiis celebrabatur : *Pridie idus aprilis depositio S. Zenonis*, XII *kal. junii translatio S. Zenonis*, VI *id. decembris dedicatio ecclesiæ S. Zenonis*. In uno monasterio basilicæ S. Zenonis monumenta omnia, quæ reliqua sunt, licet non multum antiqua, quatuor dies festos adnotant; additur enim festum ordinationis S. Zenonis, hoc uno discrimine ut quo die VI *id. dec.* aliis signant *dedicationem ecclesiæ S. Zenonis*, hi libri qui ad eamdem basilicam pertinent, majusque de ejus dedicatione officium celebrare, cæterisque præferre debuissent, celebrandam notent *ordinationem S. Zenonis*, et duobus diebus post, id est IV *id. decembris*, basilicæ dedicationem designent. Vide paschalem Cyclum solarem mobilem, an. 1455, compositum, qui in ambulacro ejus monasterii visitur, nec non breviarium monasticum ms. qui in ejusdem bibliotheca servatur, et libros membranaceos, qui choro inserviunt, quique cæteris monumentis videntur antiquiores. Quid, amabo, soli Zenoniani monachi ad quos ea basilica pertinebat, ipsius dedicationis festum, quod cæteris præferendum erat, transferebant in aliam diem, ut locum darent officio de ordinatione S. Zenonis, de qua alii nihil celebritatis peragerent? Si id antiquo peculiari aliquo ex ritu manabat, nec noviter fuerat inventum (antiquum sane insinuant quæ subjiciemus), profecto ita dedicatio ecclesiæ S. Zenonis VI id. decembris collocanda est, ut in eumdem quoque diem ejus ordinatio inciderit, quam sane nunc eo die ex postrema Romani Martyrologii recensione Veronensis Ecclesia celebrat. Equidem in pariete chori nunc nuper demoliti antiquæ insignis parochiæ Brixianæ S. Zenonis, quæ Patroni festum jam inde ab antiquis temporibus ad nostrorum memoriam hominum celebrabat VI id. decembris ritu Confessoris Pontificis, pictura cernebatur sæculi circiter XIV, quæ consecrationem, seu ordinationem S. Zenonis referebat cum hisce subjectis versiculis :

Sacratur Zeno, renovat solemnia templum.
Vos date tura, pii : sint pia tura preces.

Quibus duobus picturæ et versiculorum testimoniis eam diem S. Zenonis ordinationi sacram vetusta traditione fuisse habitam plane significatur. Quid quod in veteri libro Sacramentorum ecclesiæ Ambrosianæ, quem Pamelius edidit, cum VI idus decembris S. Zenonis missa describitur, tum in ea oratio legitur pag. 438, quæ de ordinatione ejusdem S. episcopi meminit apertissime his verbis : *Omnipotens sempiterne Deus, qui beatum Zenonem confessorem tuum Pontificalibus infulis decorasti*, etc. Eodem quoque die ordinationis festum notabatur in ms. martyrologio Veronensis ecclesiæ an. 1274, quod Bagata et Perettus allegant in monumentis antiquis SS. episcoporum Veronensium, pag. 16, et præterea in ipsis vetustioribus hujus ecclesiæ monumentis, qui eodem die basilicæ dedicationem notant, non omnia in sacris officiis de ecclesiæ dedicatione sunt, ut fere solent in cæteris libris, cum dedicationem alicujus ecclesiæ celebrandam designant, quod videre est in monumentis a venerabili Thomasio editis, et in Sacramentario S. Gregorii : sed pleraque, ac præsertim Missa eo ipso die signata ac recitata, ad Zenonis episcopi festum pertinent, ut ex documentis post dissertationes subjiciendis patebit. *Missa* quidem *S. Zenonis* (*S. Zenonis*, inquam, non *dedicationis basilicæ*) *quod est de mense decembris*, memoratur in duabus chartis an. 922, [LXXIII] pag. 732, apud Ughellium, tom. V, et an. 1038, pag. 754, et *festivitas S. Zenonis mense decembri* in alia charta an. 865, pag. 721. Tandem, quod pluris est omnium, in libro Sacramentorum, quem sub Ottone rege scriptum in *Admonitione ad monumenta* videbimus, nec non in alio Vaticano 3806, sæculi circiter IX, de quo ibidem erit sermo, duæ orationes diei VIII decembris adsignatæ, initi a Zenone pontificatus, seu ordinationis, mentionem similiter faciunt; in *Secreta* enim sic habetur : *Deus, qui fulgentibus margaritis clarum lumen infers mundo, qui beato Pontificato* (sic in laudatis manuscriptis, in editione autem Romana Sacramentarii Gregoriani ab Angelo Rocca procurata, ubi hæc eadem missa continetur, *Pontificatui*) *Zenonis æternam in cœlis coronam gloriæ præparasti*, etc., apertius autem in oratione *ad Communionem : Deus, qui tali ecclesiæ fecisti pontificem*, nimirum S. Zenonem pontificem consecrasti. Integras hasce orationes in Missis inferius describendis leges. Ex his autem erit non nemo, qui illud conjiciat, quod olim forte, antequam S. Zenonis basilica dedicaretur sæculo nono, VI kal. decembris ordinationis memoria in sacris officiis fieret. At eodem die consecrata subinde basilica, de qua facienda esset quotannis mentio, ita utriusque festi celebritas juncta fuisse videtur, ut aliquid quidem de dedicatione basilicæ diceretur in officiis, pleraque tamen adhuc de ordinatione, seu de Zenone uti episcopo retinerentur : interim vero dedicationis festum utpote recentius in libris ritualibus notari cœpit, ut a titulis et calendariis ordinationis mentio sensim deciderit. In ipsa autem basilica Zenoniana cum præcipuum dedicationis officium, non commemoratio simplex agenda esset; retento ea antiqua die ordinationis officio, officium dedicationis in diem aliam translatum fuit, quemadmodum aliis exemplis

Digitized by Google

fieri solitum probare possemus. Quæ conjectatio si cui probetur, posito jam quod S. Zenonis ordinatio in diem VI id. decembris incurrerit, eumdem an. 362 ordinatum Veronensem episcopum colligere licet. Enimvero ordinationes episcoporum Dominica die peractas exploratum est. Porro inter an. 356 et annum circiter 380, quo intervallo ex dictis collocari Zenonis episcopatus potest, in VI id. decembris Dominica dies ter incidit, nimirum ipso an. 356, an. 362, an. 373. Zeno autem ordinari episcopus non potuit an. 356, cum eo anno Lucillus viveret, vel ei mortuo vix Gricinus successerit : non anno 373, quippe ex Ambrosii epistola aliquanto ante hunc annum Indiciam consecraverat, ut superius ostendimus. Itaque solo an. 362, imp. Juliani postremo, VI id. decembris S. Zenonem episcopum consecratum fuisse satis credibile est.

Sed hæc, ut paulo ante diximus, per conjecturam, quam aliis examinandam, et respuendam, vel confirmandam relinquimus. Dum vero stet, quod ab initio paragraphi hujus posuimus, Zenonis ætatem pluribus documentis firmatam, inter annum 356 et 380 circiter esse constituendam; optime conveniunt omnia, ut nihil melius. Juliani imperium episcopatus ejus initia potuerunt attingere, quo tempore patebant idolorum templa, et de jure templorum licebat contendere, ut traditur tractat. 15 lib. I, quod tamen ipsum in aliorum quoque imperatorum ætatem cadere potuit ad annum usque 391, quo idolorum cultum severissimis legibus ubique plane sublatum vidimus cap. 2, § 5. Post Juliani mortem sub christianis imperatoribus nova ecclesia ædificari et patere palam potuit, in cujus dedicatione vel initiatione, quæcumque fuerit, S. Zeno tractatum 14 lib. I habuit. Potuerunt Zenoni concionanti interesse Gentiles, ut nihil metus inde injiceretur, quod tract. 3 ejusdem lib. I traditum vidimus. Ingens illa catechumenorum cujusque ætatis, sexus, conditionis, et nationis copia, quam quotannis baptismalibus undis dilutam plures tractatus testantur, et ingens ille christianorum quotidie excrescentium numerus, cui capiendo nova licet et ampla ecclesia, esset nimis angusta ex tract. 14 lib. I, num. 2, non est incredibilis. [LXXIV] Confer reliqua quæ notam aliquam chronicam præferre queunt, et si non omnia cum hac ætate concurrant, cum alia concurrant; nostram de Zenonis ævo sententiam abjicias, aliumque ab eo omnium tractatuum auctorem statuas per nos licet. Si vero huic ætati conveniant omnia, alii ætati non congruant, nihil superesse intelligimus quo minus S. Zenonem episcopum Veronensem, eadem ætate florentem, verum tractatuum, quos genuinos unius fetus secrevimus, agnoscas et fatearis auctorem, finisque tandem imponatur iis controversiis, quæ de Zenonis scriptis et ætate tot jam annis litteratorum animos distinuerunt.

[LXXV] DISSERTATIO SECUNDA,

ZENONIANÆ DOCTRINÆ VINDICIAS COMPLECTENS.

PROŒMIUM.

In quo de Zenonianorum tractatuum præstantia pauca quædam præmonentur.

Etiamsi, cum de Patrum concionibus sermo est, opus concipi soleat non magni momenti, nec tale quidem ut excitare eruditorum attentionem, et continere ipsorum animos utiliter possit : tamen cum sermones antiquorum præsertim Patrum ji sint in quibus et disciplina vetus, et morum fideique doctrina christianis antiquis tradita custoditur (quibus rebus præstabilius nihil esse potest) profecto rem ipsam diligentius consideranti concionibus ejusmodi præclarius nihil esse judicabitur. Quod si omnium id genus tractatuum hæc ratio habenda est, maxima haud dubie habeatur oportet eorum qui ab antiquiori scriptore lucubrati, primam et vetustissimam sermonum collectionem exhibeant. Ejusmodi autem esse tractatus quos nunc edimus, ut exploratum habeas, lector, illud considera, quod etsi jam inde ab apostolis omnes episcopi in pascendis divino verbo ovibus sedulam operam ponerent, nulla tamen sermonum id generis collectio suppetit, quam ob auctoris tempus nostra hac antiquiorem ostendere possis. Conciones nimirum veterum ex tempore pronuntiatæ, non scriptæ, aut a notariis saltem exceptæ fuerunt: vel si quid illi elaboratum attulerunt in medium, quod colligi posset, ipsi ex pluribus ejusdem sermonibus, qui aliquod argumentum spectarent, unum vel plures libros compegerunt, ut concionis vetus forma plane perierit. Sic Clementis Alexandrini opera ex multis concionibus ab ipso auctore simul subinde contextis et editis constant; et similiter commentaria S. Hilarii in Psalmos, pleraque S. Ambrosii opera de ministrorum Officiis, de Mysteriis, etc., eadem ratione ex variis tractatibus digesta noscuntur. Hi itaque Zenonis Veronensis tractatus antiquissimi sunt omnium inter Latinos, eoque nomine hæc collectio præter cæteras facienda maxima est.

Ad res vero ipsas quæ aliquo in opere continentur, si animum adjiciendum putes, ut nihil dicamus de iis quæ profanam ad eruditionem pertinent, e quibus multa in adnotationibus subinde considerabuntur; præclarum veteris disciplinæ imaginem ac insignia dogmatum præstantissimorum testimonia hisce in tractatibus prostant, e quibus et ecclesiasticæ disciplinæ scriptores, et fidei vindices proficere non modicum possint. Quam eximia illa disciplinæ capita, quibus et peccatorum confessionem, necnon pœnitentiam aliquam baptismatis sacramento olim

Digitized by Google

præmitti solitam prodit, et aquam baptismi calefactam, ac per canales continuo decurrentem in sacrum fontem, et denarium singulari plane testimonio baptizatis traditum indicat, præter alia multa quæ ad catechumenorum examen certo dierum numero definitum, ad sal, oleum, lac, vestem albam, aliaque apud alios in baptismatis ritu celebria pertinent. Eucharistiam sub utraque specie traditam, et domum adhuc eo sæculo deportatam sub specie panis, solemnitatis paschalis cæremonias affabre descriptas, jejuniorum Quadragesimalium observantiam, conjugum id temporis continentiam, cadavera christianorum in ecclesiis palam exposita, dum sacra officia peragerentur, et plura id generis multa prætermittimus quæ ex Indice facillime colliges. Vide præsertim quæ de [LXXVI] ritu ordinandi ministros, ac reconciliandi pœnitentes in paschate, antiquissimo plane omnium testimonio, imo et unico proditur tract. 50 lib. II, unde ignota hactenus disciplinæ ecclesiasticæ notitia elicitur, qua eruditorum aliquot communes cæteroqui sententiæ evertuntur, vel exceptione aliqua notandæ sunt.

Sed quæ ad insignia dogmata constituenda conferunt, frequentiora sunt. Pro peccato originali asserendo ita expresse, licet per figuras, loquitur, ut si S. Augustinus horum tractatuum habuisset exemplar, nihil dubitandum sit quin contra Pelagii hæresim hunc Patrem gravissimum auctoritatis ac traditionis gratia objecisset. Vide tract. 16 lib. I, num. 3, adnot. 16, ubi omnium pœnarum temporalium causam in priorum parentum culpam apertissime refert, et tract. 15 ejusdem libri num. 12, ac præsertim tract. 39 et 42 lib. II, ubi *mortuos* primum, qui ad baptisma accedunt, dein vero *vivos* redditos in baptismate affirmans, veterisque hominis in baptismate necati mentionem faciens, de originali culpa animam occidente aperte testatur. Exploratiora sunt, quæ de baptismatis virtute, in quo omnia quævis peccata plane delentur, de charactere qui in baptismo animæ imprimitur, nec deleri unquam potest (unde iterari id sacramentum nequit), de gratia, quæ in baptismate non eadem omnibus, sed pro vario meritorum discrimine major et minor confertur, de puerorum et infantium baptismo, de communione sanctorum, de virtute clavium Ecclesiæ, de sacrificio pro mortuis, de exhomologesi, seu confessione et pœnitentia peccatorum, de perpetua B. Virginis Mariæ virginitate, aliisque id generis pluribus Ecclesiæ dogmatibus frequentia et luculenta suppetunt testimonia, ut recensere jam pigeat. Sed hæc indicasse sufficiat: plura inveniet qui legerit.

Inter tot autem ac tam præstantia catholicæ fidei testimonia, negari non potest quin aliqua occurrant paulo duriora, quæ offendere non nullos potuere. At hoc cum omnibus antiquis commune est. Cum enim alia aliis temporibus et locis verba ac locutiones adhiberentur, nec exortæ essent hæreses quæ cautiores reddiderunt Patres, fixasque loquendi formulas *invexere*, *liberius* loquentibus nonnulla exciderunt, quæ tum temporis nihil offenderent, post natas vero hæreses fixasque formulas displicent, ac detorqueri in malum sensum possunt. Hinc in vindicandis exponendisque id generis locutionibus cum catholicorum magna semper cura fuit, tum editorum ea censetur præcipua, adeo ut si quis, ubi sit opus, ab ea deficiat, imperfectæ editionis jure accusetur. Itaque Zenonis locutiones ac sententias aliquas vindicare dissertationis hujus erit, quam pro vindicandarum numero in decem capita distinximus.

[LXXVII] CAPUT I.

QUÆDAM DE ÆTERNA VERBI DEI GENERATIONE S. ZENONIS FORMULÆ A PETAVII CENSURA VINDICANTUR, EARUMDEMQUE SENTENTIA EXPONITUR.

§ I. — *Proponitur Petavii censura.*

Si eam locutionem, qua divinum Verbum a Patre tum processisse traditum est, cum de creatione mundi consilium captum fuit, P. Dionysius Petavius Societatis Jesu insigne ornamentum apud unum vel alterum ex Antenicænis Patribus nactus esset; adhuc, quoad fieri licet, fuisset interpretanda, ne Arianum sensum continere videretur: vel si dubium esse potuisset, ne Arianæ sententiæ unus aut alter quibusdam locutionibus præcinuisset; cum non omnes iis primis temporibus definitæ et enucleate expositæ fuerint formulæ quibus catholici de generatione Verbi loquentes uterentur, parcendum Petavio crederemus, si errorem aut erroris periculum non excusans, sed prodens, cavendum monuisset. At cum non unus aut alter, sed plures Antenicæni iidemque præstantissimi Patres eam locutionem usurpasse inventi fuerint, abstinendum ipsi omnino erat ab ea nota quæ, si quid valeret, traditionis et Patrum auctoritati plurimum detraheret, nec aperiendus hæreticis aditus, ut hoc catholici doctissimique theologi testimonio adversus traditionem et Patres non sine magno catholicorum dogmatum præjudicio insurgerent. Cum porro non Antenicæni solum aliquot Patres, sed nonnulli etiam Nicæna synodo posteriores, qui adversus Arianos pro recta fide acerrime dimicarunt, eadem loquendi formula usi deprehendantur, videre profecto debeat ei locutioni rectum catholicumque sensum inesse oportere, qui ab Ariana hæresi plurimum distet; et cum in eo laborare debebat, ut hunc sensum, quicumque sit, erueret tum vero in eamdem sententiam tot Antenicænos Patres interpretari, non vero Ariani ferme erroris præcentores omnes traducere. At Petavius, Antenicænis aliquot Patribus male traductis, cum venit ad S. Zenonem episcopum Veronensem, eum, quem post Nicænam synodum florentem subindicat, nec non adversus Arianos testimonium dicentem alicubi allegat, una cum Mario Victorino, ejusdem sæculi scriptore, ob aliquot ejus generis locutiones in ejusdem erroris suspicionem inducere nihil dubitat. Recitemus totam ejus longiorem licet censuram, ne quid videamur importare, cum præsertim ea hoc capite refellenda nobis sit. Itaque

Digitized by Google

consideratis Patrum antiquiorum, quibus succensuit, testimoniis, Athenagoræ, Tatiani, Theophili Antiocheni, Tertulliani atque Lactantii, hæc de Zenone similia loquente mox subjicit lib. I de Trinitate, cap. 5, num. 7 : *Ac de antiquioribus quidem istis minus est mirandum, sic eos de divini Verbi productione sensisse. Zenonem Veronensem episcopum satis admirari nequeo, qui sermone tertio de æterna Filii Dei generatione* (nunc tract. 5 lib. II) *eadem cum priscis illis existimasse videtur.* Principium, fratres, *inquit,* Dominus noster incontanter est Christus : quem ante omnia sæcula Pater adhuc utcumque in semet ipso Deus, beatæ perpetuitatis indiscreta spiritus plenitudine nescio qua sua conscientia velatum, Filii non sine affectu, sed sine discrimine amplectebatur. Sed excogitatarum ut ordinem instrueret rerum, ineffabilis illa virtus incomprehensibilisque sapientia e regione cordis eructat verbum, omnipotentia se propagat. De Deo nascitur Deus, totum Patris habens, nihil derogans Patri, etc. Quomodo autem generatus sit qui processit, dementis est opinari. Namque temperat se propter rerum naturam Filius, ne æternæ majestatis Dominum possit mundi istius mediocritas sustinere. Cum imperat [LXXVIII] Pater orbem fieri, opus cum dicto completur a Filio. *Hic Zeno Verbum Dei ex omni æternitate in Patris sinu et essentia, velut indiscretum et affixum hæsisse, latuisseque demonstrat : postea vero cum designatam a se rerum universitatem moliri vellet, eum ipsum ex sese propagasse ac genuisse dicit; atque hanc primam e duabus esse nativitatibus quam in sequentibus sermonibus* (nunc tract. 7 et 8 lib. II) *exponit. Id ipsum et antecedentibus duobus sermonibus* (qui nunc sunt tract. 3 et 4 ejusdem libri II) *aperit, qui de æterna Filii Dei generatione inscripti sunt. Nam in primo* (nunc tract. 3) *paululum immutatis verbis, postquam principium dixit esse Christum, ita loquitur :* Quem ante omnia sæcula Pater in profundo suæ sacræ mentis arcano insuspicabili, ac soli sibi nota conscientia Filii non sine affectu, sed sine revelamine amplectebatur. Igitur ineffabilis illa incomprehensibilisque sapientia sapientiam, omnipotentia omnipotentiam propagat. De Deo nascitur Deus, de ingenito unigenitus, de solo solus, de toto totus, de vero verus, de perfecto perfectus; totum Patris habens, nihil derogans Patri. Procedit in nativitatem, qui erat antequam nasceretur in Patre. *Ergo Filium, antequam a Patre gigneretur, in Patre exstitisse significat, generatio vero et nativitas tum fuit, cum res omnes procreare voluit, quod in secundo sermone* (nunc tract. 4) *declarat :* Cujus ex ore, ut rerum natura, quæ non erat, fingeretur, prodivit unigenitus Filius cordis ejus nobilis inquilinus, exinde visibilis effectus, quia humanum genus visitaturus erat, etc. *Cujusmodi antiquorum fuit a nobis explicata illa sententia.* Hactenus Petavii censura, qui cum postremis verbis *antiquorum* appellat sententiam, eorum nuper memoratorum sententiam appellat, qua *ii*, ut eodem num. 7 dixerat, *ævo, dignitate ac potentia superiorem esse Verbo Patrem arbitrati sunt, ac tametsi de Patris esse substantia, sive natura, Filium assererent, qua una re ab cæteris, quæ creaturæ proprie vocantur, illius conditionem diversam faciebant; non minus tamen quam creaturas initium habuisse, hoc est minime ex æterno distinctam hypostasim fuisse putarunt :* ex quibus antiqui illi Patres, et Zeno cum ipsis consentiens, Dei Filium in tempore genitum, Petavio interprete, prodiderunt.

At quod is mirari se affirmat de Zenone, qui *eadem cum priscis existimasse videtur,* seu ut Victorini loca consideraturus ait num. 8, *esse etiam inter catholicos posterioresque Nicæna synodo Scriptores aliquos qui in eadem esse causa videntur;* id mirari nos æquius dixerimus de Petavio, qui Patres Arianam etiam hæresim impugnantes, ejusdem erroris, quem impugnant, reos traduxerit. Neque ad hunc tot Patrum censorem plane purgandum ea declaratio sufficit, quam Præfationi inseruit cap. 1, num. 12, ubi Patres, quos ita perstringit, non re, sed *loquendi duntaxat modo dissidere ab usitata præscriptione contendit;* quod idem fusius profitetur lib. I, cap. 6, num. 4. Quid enim profuit id semel et iterum monere, si ipsa illorum testimonia allegans, earum locutionum interpretandarum rationem non subjicit, sed ita ea recitat atque ingerit, ac si re, non loquendi duntaxat modo, illi dissentire videri possint? Hæretici quidem recentiores qui extremis hisce temporibus Arianam hæresim jamdiu sepultam exsuscitarunt, non ea, quam locis laudatis Petavius indidit, declaratione utuntur, quo eosdem Patres re sibi contrarios et solo loquendi modo faventes præferant, sed ipsas eorum locutiones, quas Petavius toto in lumine exposuit, unas arripiunt, ut eos, ipso Petavio teste, secum sensisse suadeant. Nostrarum quidem partium id tantummodo esset, unum Zenonem ab horum manibus eripere, ejusque locutiones vindicare; idque ipsum paucis proponere satis esset, siquidem quæ ab aliis in ejus vindicias scripta sunt, cum Nicænæ fidei traditionem defenderunt, ex Zenonis mente scripta fuissent. At cum ea non adamussim referant Auctoris sententiam, nec plane vindicent omnes ejus locutiones, longiori disputatione nobis erit utendum. Cum porro eædem fere locutiones sint cæterorum Patrum quos Petavius pungit, jam ex interpretatione quam dabimus, Zenone vindicato cæteros quoque una vindicatos habebis; idque ut clarius perspiciatur, de singulis sub finem dicenda erunt non nulla, ut collatione testimoniorum alteri ex alteris illustrentur et confirmentur.

[LXXIX] § II.— *S. Zenonis testimonia, quibus Nicænum dogma adversus Arianam hæresim diserte asseritur, indicantur.*

Ad Zenonem igitur quod attinet, illud principio Petavium rogatum volumus, quidni explorata illa ejus testimonia præmiserit, quibus eum catholicam doctrinam tenuisse palam est, illa autem tria tantum attulerit in medium, quæ difficultatem facessunt? Si quis nimirum, postquam multa legit collecta, quæ

Digitized by Google

manifestam ejus catholicam mentem produnt, in unum vel alterum testimonium paulo difficilius incurrat, nihil movebitur, cum hoc ex illis explicandum intelligat. At si hæc tria tantum legantur, nec alia clariora suppetere ex omissione quispiam colligat, dubia valde Auctoris sententia statim redditur, Arianisque eum favisse suspicio obtruditur. Itaque obscuriores Zenonis sententias antequam vindicemus, aperta ejus testimonia, quibus cum Nicænis Patribus pariter sensit, nobis hic recitanda intelligimus. At ætatem Auctoris probaturi, pleraque et insigniora collegimus dissertatione prima, cap. 2, § 2, ut Auctorem adversus Arianos apertissime dimicantem, quarto sæculo floruisse statueremus. Igitur ne actum agamus, ea ut hoc loco repetas ac relegas, lector, abs te etiam atque etiam petimus; non solum enim ejus ætatem, sed catholicam etiam, quam hic defendendam suscepimus, ejusdem sententiam plane demonstrant. Videbis enim eum præcipuis Arianorum effatibus contraria opponentem, inter quæ illa præsertim invenies disertissime proposita, quæ objectæ per Petavium erroris suspicioni e diametro adversantur, cujusmodi profecto sunt ea quibus Filium ab æterno a Patre genitum defendens, non tantum coæternum et coæqualem Patri confitetur, sed et unius cum Patre substantiæ; hæcque ita expresse ac ex proposito statuit, ut objecta etiam ab Arianis palam refellat ac diluat. Unum hoc loco ibidem prætermissum apponemus testimonium, quo nihil illustrius exsistit, ut Zenonem ab impacta Ariani dogmatis suspicione alienissimum cognoscas. Innuisse nimirum Auctor Petavio videtur, Dei Filium non ab æterno genitum, sed in tempore, antequam scilicet aliam ullam creaturam conderet. At nonne tract. 7 lib. II, eos confutaturus, qui hoc ipsum tradiderunt, qui nimirum, ut ipse ait num. 1, *Dicunt quidem Dei Filium Deum, sed non ex Patre nobilitatis perpetuitate progenitum, fuisse tempus, quando non fuit*, quam sententiam *hæreseos* aperte notat: nonne, inquam, hocce *tempus*, quod nativitati Filii tribuitur, palam rejicit num. 3, his verbis: *Videamus nunc, optime christiane* (sic per ironiam Arianum appellat) *quemadmodum inter Patrem et Filium tempus infulcias?* Credibilene est assertum uspiam alibi a Zenone hoc idem tempus, quod tam expresse hæreseos reprehendit? Quod si huic testimonio cætera addas in superioris dissertationis caput 2, § 2, conjecta, quibus et hunc errorem et alias Arianorum locutiones Auctor ex catholico sensu rejicit, tum ex omnibus palam fiet, eum disertissime catholicam adversus Arianos docuisse ac propugnasse doctrinam: jam iis in testimoniis, quæ Petavius una recensuit, alienam et ad Arianos accedentem contineri sententiam nemo suspicari jure possit, nisi eumdem auctorem sibi ipsi adversum et contradicentem existimet: sed potius cum universim pauca quædam obscura loca ex pluribus ac manifestis explicanda sint, non autem e contra; ex tot ac tam apertis S. Zenonis testimoniis evidens esse debet, alium prorsus, quam qui a Petavio tribus illis locis subjicitur, sensum subesse, quem nunc quidem expiscandum et exponendum aggredimur.

[LXXX] § III. — *Objecti a Petavio textus expenduntur. Interpretatio Bulli proposita et expensa.*

Petavii criminatio fuit eam Zenonis fuisse sententiam: *Verbum Dei ex omni æternitate in Patris sinu et essentia velut indiscretum et affixum hæsisse latuisseque: postea vero cum* (Pater) *designatam a se rerum universitatem moliri vellet, eum ipsum ex sese propagasse et genuisse, atque hanc primam e duabus esse nativitatem, quam S. Zeno in sequentibus sermonibus exponit.* Hæc ille; quæ censura duo complectitur: primum Zenoni haud agnitam fuisse æternam divini Verbi generationem, quippe qui docuit idem Verbum ab æterno in Patre quidem fuisse, sed ita indiscretum, ut una cum Patre non solum substantia, sed etiam persona fuerit unum et idem: alterum vero eumdem Auctorem existimasse, Verbum divinum tum solum processisse ex Patre, cum is mundum creare instituit, ut illo tanquam creationis ministro uteretur, quæ Arii et Arianorum sententia fuit: et hanc temporalem Filii processionem a Patre, quæ res creatas tantum spectat, eam Filii nativitatem esse Petavius existimat, quam Zeno tractatu præsertim octavo *primam* vocat, ubi distinctis duabus Christi nativitatibus ait: *Primæ itaque nativitatis Domini nostri in Patris et Filii tantum conscientia manet: nec quidquam habet interjectum, neque conscium, quod ex paterni oris affectu processit uno consensu.* At hæc duo censuræ capita, etsi videntur diversa, re tamen colligata sunt, alterumque ab altero ita pendet, ut qui primum ex ipso Zenone refellerit, satis refellerit et alterum, catholicamque sancti Antistitis mentem doctrinamque ab Ariano dogmate vindicatam præstiterit. Si enim primum statuas, probesque æternam ac propriam divini Verbi generationem a Zenone satis declaratam, dum idem Verbum adhuc in conscientia Patris velatum et abditum affirmavit, statim sequetur, alteram generationem, quæ eidem Verbo a Zenone tribuitur, primam non esse, eamque perinde explicandam, ut primæ æternæ generationi nihil repugnet, et Arianis nihil suffragii ferat.

Itaque ad primum quod pertinet, illud ipsum in primis testimonium ex tractatu octavo, quod *primam* Christi nativitatem ingerens, Petavius pro temporali allegavit, ad æternam statuendam luculenter conducit. Cum enim ibidem *prima* Christi nativitas illa esse dicatur, quæ *in Patris et Filii tantum conscientia manet, nec quidquam habet interjectum et conscium*; nativitas profecto indicatur divini Verbi pro eo æterno statu, cum *illum ante omnia sæcula Pater adhuc utrinque in semetipso Deus, beatæ perpetuitatis indiscreta spiritus plenitudine, nescio qua sua conscientia velatum, Filii non sine affectu, sed sine discrimine amplectebatur*, ut Zeno ait in priori textu, quem Petavius objecit ex tractatu 5, seu, ut loquitur secundo textu, ex tract. 4, cum *erat ante omnia manens unus,*

Digitized by Google

et idem alter ex semetipso in semetipsum Deus, secreti sui solus conscius : quibus utrisque in locis eamdem occultæ generationis sententiam inculcatam vides, quæ in tractatu 8, ubi proinde hanc priorem nativitatem *tibi non licet quærere*, inquit ; quod scilicet ea Filio *Patris conscientia velato* ex tr. 5, Deoque *secreti sui solo conscio*, ex tract. 4, *in Patris et Filii tantum conscientia manserit*, ex tr. 8. Itaque S. Zeno hoc tr. 8 explicans verba tractatuum 4 et 5, Petavio ipso locum indicante, iis in verbis *primam* Filii nativitatem agnoscit, quam Petavius ex Zenone non novit ; nec illam *primam* innuit, quam Petavius *primam* intellexit, cum scilicet *excogitatarum ut ordinem instrueret rerum, ineffabilis illa virtus incomprehensibilisque sapientia e regione cordis eructasse* Verbum proditur, sed illam, qua Filius *in Patris* licet *conscientia velatus*, a Patre tamen *Filii non sine affectu* amplexus diserte traditur. His porro ex verbis argumentum contra Petavium invincibile elicitur. Cum enim divinum Verbum pro eo *æterno* statu (*ante omnia sæcula*, inquit) utique antequam *excogitatarum ordo instrueretur rerum*, id est antequam (*prioritatem rationis*, ut scholæ vocant, intellige) de creando orbe decretum fieret ; cum, inquam, pro hoc æterno statu divinum Verbum, tametsi Patris conscientia velatum, affirmetur *Filius;* vere genitus, veraque generatio procul dubio asseritur ; nam, ut idem fatetur Petavius [LXXXI] lib. v de Trinitate, cap. 9, num. 11, *Filius sine generatione nullus est;* seu, ut loquitur Augustinus lib. v de Trin., num. 7, *Ideo quippe Filius, quia genitus; et quia Filius, utique genitus* Si ergo Filius ab æterno, et Filius quidem genitus ex Zenonis sententia exstitit divinum Verbum ; utique a Patre fuit etiam distinctum : et hinc jam tum *unum et alterum*, id est personas duas, Filium Patremque exstitisse idem Zeno palam fatetur tractatu 4, in quæ verba pluribus egimus admot. 2. Hæc ex ipsis locis, quæ a Petavio objiciuntur, satis aperta. His autem si addas reliqua testimonia superiori paragrapho indicata, quibus Auctor divinum Filium Patri coæternum, æqualem, ejusdemque substantiæ luculenter defendit, jam ad confirmandam, seu potius demonstrandam, satis licet obviam, explicationem horum textuum, ex quibus idem Filius a Patre ab æterno genitus solumque latens in Patris conscientia probatus nobis est, nihil præterea desiderabis.

At enim difficultatem Petavio fecerunt illa, quibus Pater Filium *indiscreta spiritus plenitudine et sine discrimine amplexus* eodem tract. 5 traditur. Sed hæc non unitatem personæ pro eo æterno statu, seu potius prioritate illa rationis insinuant, ut Petavii argumentum postularet (secus, Patrem et Filium vocare non potuisset, nisi forte in Sabellianorum et Patripassianorum sententiam, qui Patrem et Filium vocibus, non re distinctos tradidere : quo casu duarum inter sese pugnantium hæreseon adsertor uno eodemque tractatu S. Zeno argueretur a Petavio, Sabellianæ et Arianæ, quod nec possibile videtur, nec alteri contigisse unquam ullo exemplo probabitur), sed illud tantum innuunt, ita fuisse hanc Filii generationem abditam et velatam, ut pro ea rationis prioritate, antequam de orbe condendo deliberaretur, Filius nullo *discrimine* extrinsecus prodire potuerit ; ac propterea quidem, quod tract. 5 effertur per verba *sine discrimine*, id ipsum plane tract. 3 exponitur per hæc, *sine revelamine* ; quod ipsum luculentius confirmatur ex tractatu 4, ubi non alia de causa latentem in Patre ab æterno illo rationis signo divinum Filium agnoscit, quam quod nullo adhuc concepto condendi orbis decreto, visibilis esse non poterat, uti sane ex eo decreto *visibilis necessario* fieri debuit : *Cujus ex ore*, inquit, *ut rerum natura, quæ non erat, fingeretur, prodivit unigenitus Filius, cordis ejus nobilis inquilinus, exinde visibilis necessario effectus, quia orbem terræ erat ipse facturus, humanumque visitaturus genus : sic textum integrum ex* omnibus mss. *et editione prima dedimus. Hinc porro* ad explicandum alterum Petavianæ censuræ caput, Zenonisque mentem doctrinamque aperiendam aditus amplior patet. Cum enim hisce in verbis nativitatem quamdam divino Verbo tribuat in creandi orbis consilium, inquiens : *Prodivit unigenitus Filius*, etc., quibus concinunt alia ex tr. 5 : *Excogitatarum ut ordinem instrueret rerum, ineffabilis illa virtus incomprehensibilisque sapientia e regione cordis eructat verbum, omnipotentia se propagat ;* cum, inquam, hisce in verbis nova quædam nativitas divino Verbo tribuatur in creandi orbis consilium, præter illam, quam in sinu Patris latentem aliis præmissis verbis confessus est, duas quodam modo nativitates Verbi agnovisse videtur.

Itaque Georgius Bullus in defensione Fidei Nicænæ, sect. 3, cap. 9, § 6, cum æternam Dei Filii generationem prioribus verbis a Zenone adsertam contendit, tum vero posterioribus descriptam putat *nativitatem illam* in tempore, qua Filius ex Patre processit ad condendum universa : *Et hæc*, inquit, *nihil aliud est, quam Filii, quem Pater apud se et sibi soli, ut ita dicam, ex æterno amplectebatur revelatio, sive ejus ex Patre egressio et processio.... ad res quæ non erant, procreandum, seque rebus creatis, angelis nempe et hominibus, manifestandum.* Hanc quidem temporalem divini Verbi manifestationem aliis a Patribus etiam post Nicænum concilium nativitatem ac processionem quamdam fuisse vocatam, inficiari non possumus ; inter quos exploratissime omnium auctor tractatus de Fide orthodoxa contra Arianos in Appendice Ambrosii Operum inserti, qui Gregorius Bæticus probabiliter creditur, explicans illud Prov. VIII : *Dominus creavit, vel condidit me in initio viarum suarum*, hæc scribit cap. 2, pag. 349 App., tom. II, Ambrosii : *Non ita Deus sapientiam suam condidit, quasi aliquando sine sapientia fuerit ; sed cum initium viarum suarum dicat, initium motus operis alicujus ostendit, ut hoc initium habeat sapientia Dei, quod de Deo processit ad creanda omnia...* [LXXXII] *Creata est ergo sapientia, imo genita, non sibi, quæ semper erat, sed his, quæ ab ea fieri oportebat.* Et similiter etiam Pru-

Digitized by Google

dentius hymno 11 de ipsa creatione mundi aperte disserens,

Ex ore, *inquit*, quamlibet Patris
Sis ortus et verbo editus;
Tamen paterno in pectore,
Sophia calebat prius.

Quibus cum divinum Verbum *sophiæ* nomine designatum, in Patris pectore, antequam *ex ore Patris oriretur*, *et ederetur* in creatione mundi, jam ab æterno fuisse insinuet, juxta Bulli interpretationem cum Zenone videtur plane concinere.

Sed hanc generationem seu manifestationem externam a Zenone laudatis a Petavio locis ex tract. 4 et 5 fuisse appellatam, ut putavit Bullus, adsentiri non possumus. Si quis enim totos textus quos ex mss. præsertim integros edidimus, legerit; profecto Zenonem de æterna quadam ejusdem Verbi generatione, quæ alteri latenti prioribus verbis adsertæ hactenusque nobis demonstratæ non repugnet, utroque in tractatu quarto et quinto sermonem facere, exploratissime liquebit. Nam primum tractatu 5 agitur de illa nativitate Verbi, non solum qua *omnipotentia* quidem *se propagat*, vel, ut alii codices legunt, *repropagat;* sed simul qua *de Deo nascitur Deus, totum Patris habens, nihil derogans Patri*, etc. Hæc autem manifestationi mere externæ et temporali non congruunt, planeque respondent cum iis quæ totidem fere verbis de æterna procul dubio generatione recitantur tr. 3 : *Igitur ineffabilis illa incomprehensibilisque sapientia sapientiam, omnipotentia omnipotentiam propagat. De Deo nascitur Deus, de ingenito unigenitus, de solo solus, de toto totus, de vero verus, de perfecto perfectus, totum Patris habens, nihil derogans Patri;* hæc enim verba et formulæ Patrum catholicorum propriæ, identitatemque substantialem Patris et Filii palam prodentes, sicut cadere nequeunt in creaturam, quæ prima omnium in creationem orbis condita sit, ut Ariani sentiebant, eademque de causa convenire non possunt prolatitio verbo, quod etsi fuisset in creatione prolatum, ut nonnulli existimasse videntur (de quo vide quæ dicentur sub initium paragraphi sequentis) creatum tamen aliquid fuit : ita neque temporali et externæ congruere possunt æterni Verbi manifestationi, quæ cum externum aliquid significat, tum vero ut per id externum Filius Dei processisse dici potuerit ad creandum universa, non tamen affirmari perinde potuit *Deus natus de Deo, totus de toto, totum Patris habens*, etc., quæ locutiones iisdemque subjectæ sententiæ ad intimam consubstantialemque Filii æqualitatem cum Patre adstruendam a catholicis usurpatæ, uti ostendimus adnot. 6 in eumdem tract. 3 procul dubio ad internam æternamque ac proprie dictam divini Verbi generationem pertinent. Vide hac de re apud Petavium plura lib. VI de Trin., cap. 10. Deinde Zenonem loqui de illa generatione, qua idem Verbum prodivit, *excogitatarum ut ordinem instrueret rerum*, palam est ex tractatu 5. Hanc autem generationem fuisse æternam, non solum indicat illa vox *instrueret*, qua non ipsa mundi creatio, quæ in tempore accidit, sed consilium decretumque de creando orbe, quod ab æterno utique captum fuit, satis innuitur; sed apertius convincunt illa tractatus 4, ubi postquam divinus Filius hac generatione prodiisse traditus est : *Ut rerum natura quæ non erat, fingeretur, prodivit unigenitus Filius, cordis ejus nobilis inquilinus;* non statim idem Filius manifestatus idcirco affirmatur, uti Bulli hypothesis postularet (si quidem ea generatio idem ac manifestatio fuerit) sed *exinde*, additur, *visibilis necessario effectus, quia orbem terræ erat ipse facturus*, etc., ubi voces *exinde visibilis* manifestationem exinde consequentem, voces autem *erat facturus* manifestationem in creando postmodum orbe, seu statu tempore futuram satis declarant. Enimvero si generatio hic asseritur, ex qua Dei Filius in creando subinde mundo *visibilis* fieri debuit, *visibilis* autem et *manifestatus* idem sunt : generatio haud dubie asseritur, ex qua ipsa externa manifestatio subinde profecta est, et quæ idcirco ante ipsam manifestationem in ipsa creatione mundi effectam (neque enim ante res creatas, sed creatis jam rebus [LXXXIII] Dei Filius manifestari seu visibilis esse potuit) evenit. Equidem hanc eamdem generationem Auctor respiciens tract. 6 lib. II ait : *Unigenitus prodiendo de Patre ante originem rerum*, etc. ubi τὸ *ante* Verbi generationem, quæcumque illa sit, *origini*, seu creationi *rerum* præviam aperte prodit. Non ergo generationis nomine ipsam manifestationem, sed aliquid ab ea diversum Auctor accepit. Hæc si quis ex Arianis æternam Filii Dei generationem negantibus affirmasset, intelligerentur facillime de creatione Verbi, quod cum illi ab æterno genitum, et consubstantiale Patri negarent, creaturam prædicarunt quidem, sed ita ut primogenitum ante cæterarum omnium rerum originem creatum dicerent. At in catholico antistite, qui æternam Verbi generationem consubstantialitatemque cum Patre disertis testimoniis constituit, ut de Auctore nostro vidimus; nativitati id generis, seu verius creationi locus amplius non est : neque enim idem Verbum æternum et consubstantiale Patri nulla assumpta natura creari initio temporis simul potuit, quippe uti Deus verus et æternus, sicuti desinere nequit esse quod est, ita nec initium habere in tempore, neque in creaturam intrinsece mutari atque progigni. Itaque per hanc nativitatem aliud profecto ab Arianorum sensu alienum Auctor intellexit, quod tamen cum creationi ac proinde manifestationi externæ præcesserit, ab ipsa etiam manifestatione diversum esse necesse est. Si porro ex his non modo creationem Verbi, quam Ariani finxerunt, sed et manifestationem externam, quam Bullus subintellexit, excludas, temporale quidpiam nihil suppetit, cui hæc a Zenone asserta generatio, neque prolatitio verbo, ut paulo ante monuimus, congruens, tribuatur. Aliquid igitur æternum, et a prima illa generatione abdita et latente aliquatenus diversum accipiendum est, et tale quidem, ut idem divinum Verbum, etsi vere genitum, ut Filius Patris, in condendi tamen orbis consilium

Digitized by Google

prodire potuerit, ut *exinde visibilis necessario efficeretur* in tempore, cum scilicet *orbem terræ erat ipse facturus*. Quibus si addas quod Dei Filius *exinde*, quod prodiit e Patre, *visibilis necessario* effectus dicitur, non minus *quia orbem terræ erat ipse facturus*, quam quia *humanum visiturus erat genus*, cum scilicet humanam naturam induit : profecto in eo, per quod Dei Filius prodivit e Patre, *nihil* in creatione orbis genitum, vel prolatum, aut manifestatum, sed æternum aliquid adstruendum cognosces, unde non minus creatio mundi quam incarnatio Verbi derivaverit. Id autem æternam creationem præsertim orbis spectans, de qua et S. Zeno expressius ac repetite loquitur, et cum Arianis præcipua versabatur quæstio, et a Petavio contra Zenonem potissima difficultas ingesta est ; id, inquam, æternum cujusmodi sit, inquirere et constituere sequentibus paragraphis nitemur, interpretationem afferentes ex antiquorum quidem Patrum doctrina petitam, sed quæ non satis explicata ab aliis, per nos latius aliquanto exponenda est.

De hac vero ne quid prælidenter dicamus, subtiliorem quidem eam nonnullis videri posse sentimus, quæ in Zenonis mentem haud cecidisse, cum scripsit, primo aspectu credatur. Si vero non theologicum quamdam exquisitamque ejus explicationis declarandæ rationem, quæ recentiorum theologorum formulis ac methodo magis quam veterum Patrum simplicitati congruit, sed rem ipsam, quæ sub hac explicatione designabitur, quamque unam a Zenone, aliis licet verbis, præconceptam satisque indicatam ostendemus, diligentius consideres, lector ; idem et illud æternum creatione mundi prospiciens, quod manifestationi quidem externæ causam dedit, at ab ipsa externa manifestatione distinctum est, antiquis Patribus cognitum, et pro ipso divino Verbo, ac pro divina quadam Verbi generatione habitum perspicies, quod partim §. 4, sequenti, præsertim ex Augustino, partim § 7 et 8, ex aliis Patribus palam fiet : nihil difficultatis esse poterit, quo minus S. Zenonem similia sensisse ac tradidisse tibi persuadeas, cum potissimum ejus verba alia (ut mox diximus, et paulo post patebit etiam luculentius) explicari ratione non possint. Cæterum si quis adhuc Bulli interpretationem præferre malit, cum hæc satis in tuto ponat catholicam Auctoris sententiam, haud morosius reluctabimur. Explicatio tamen nostra haud inutilis pro illis fuerit, qui Bullo ex propositis per nos difficultatibus nequaquam acquiescendum existiment.

[LXXXIV] § IV. — *Vera Zenonianæ locutionis interpretatio exponitur.*

Huic interpretationi lucem præferant duæ illæ, quibus S. Zeno utitur, formulæ, quibus hanc secundam, ut ita dicamus, nativitatem explicat : altera tractu 4 : *Patris ex ore prodivit :* altera tract. 5 : Pater *e regione cordis eructat Verbum*. Hæ formulæ apud alios quoque Patres, cum de divino Verbo loquuntur, usitatæ, ex duplici sacræ Scripturæ testimonio, quod aperte in rem suam Zeno idem allegat tract. 7, num. 1, originem ducunt, prima ex illo Ecclesiastici XXIV, vers. 5 : *Ego*, id est Sapientia, *ex ore Altissimi prodivi*, altera ex illo psal. XLIV, vers. 1 : *Eructavit cor meum verbum bonum*. Quem utrumque locum cum sancti Patres interpretari fere solent de æterno Dei Filio, qui Patris sapientia et verbum est ; tum vero ad condendarum rerum creationem, de qua aperte Ecclesiastici præsertim est sermo, utrumque frequenter referunt. Et sane cum per divinum Patris Verbum omnia sunt condita, ut sacræ paginæ pluribus in locis testantur ; tum *ex ore Altissimi prodiisse* hoc Verbum jure dicitur, quo Pater per ipsum *dixit, et facta sunt*, et hoc verbum *fiat*, quod *ex corde eructavit*, est illud in quo et per, quod omnia facta sunt. Porro ut hoc verbum sit ipse Filius Dei, non illud prolatitium verbum *fiat*, quod quidem a Deo in mundi creatione prolatum nonnulli opinati sunt, externum sane, creatum, et tempore circumscriptum verbum, esse Dei Filium sancti Patres accepisse credendi sunt, ut recte monuit ac probavit Petavius lib. VI de Trinitate, cap. 1, num. 7 (Pauli enim Samosateni hæc hæresis fuit, *prolatitium, non substantivum verbum* Dei Filium dicere, ut patet ex Philastrio cap. 64, Epiphanio hæres. 65, Mario Mercatore in epist. de discrimine Pauli et Nestorii) ; sed intellexisse dicendi sunt aliud verbum inferius, et *substantivum*, uti vocat Phœbadius libro contra Arianos, pag. 304, tom. IV Bibl. P. P., quo scilicet Pater secum ipse in Filio loquens, de creando mundo ab æterno deliberavit : ex hujus enim mandati æterni locutione factum est, ut stato sublinde tempore mundus crearetur, ac Deus ipse ac Dei Verbum eidem mundo manifestaretur. Hoc vero decreti æterni Verbum *ex ore Altissimi prodiisse* per analogiam cæterorum verborum dicitur ; sed ex interno mentis, ut ita loquamur, ore prolatum, nihil est dubitandum ; ex eo scilicet ore divinæ mentis, ad quam Sapientia pertinet, cum scilicet Pater mundum conditurus, Sapientiam illam, quæ in mundi creatione maxime eluxit, quodam modo emisit, decretum illud, si ita loqui fas est, pronuntians, ut ex æternis illis rationibus et in eum ordinem, quem divina sapientia Verbo præcipue tributa protulit (de qua re lege Origenem tom. II, in Joan., pag. 165) mundus crearetur. Hoc porro Sapientiæ divinæ decretum *ex corde eructatum* jure etiam dicitur, cum quæcumque divina decreta res contingentes spectant, ex libera Dei voluntate prodeant, ac proinde cordi tribuantur.

Ne vero arbitrarium hoc nostrum inventum putes, lector, cum divinum hoc mandatum Dei Filium a Zenone habitum interpretati sumus ; illud primo considera non alia (ut nobis quidem videtur) quam hac explicari ratione melius posse, quod in Scripturis sæpius ingeritur, omnia facta fuisse in Verbo et per Verbum, quod et ex ore Altissimi prodiisse, et ex corde Patris eructatum ex indicatis item Scripturæ testimoniis quamplures Patres cum Zenone affirmarunt. Deinde notum est theologis, non ea solum, quæ

Digitized by Google

sapientiæ sunt, præcipua ratione tribui divino illo Verbo, quod Patris Sapientia in sacris Litteris dicitur (unde illud psalmi CIII : *Omnia in Sapientia fecisti* plures interpretantur *in Filio*, quem quidem *Sapientiam omnium artificem*, Sap. VII, 21, appellatum intelligunt), sed illa quoque, quæ ad potentiam pertinent, eidem Verbo vindicari, ut proinde omnia non modo *in ipso*, uti *Sapientia Dei* est, sed *per ipsum* etiam, uti *virtus* est Dei, condita in Scripturis dicantur, illudque propterea apostolus Paulus I Cor. I, 24, *Dei virtutem*, et *Dei sapientiam* speciali quodam nomine appellet. Plura Patrum testimonia in utriusque appellationis confirmationem, [LXXXV] vide apud Petavium lib. V de Deo cap. 8, num. 3, ubi de potentia disserit, et lib. IV, cap. 2, necnon lib. VI de Trinitate, cap. 9, ubi disputat de Sapientia; unde etiam rationem colliges cur hæc duo divinæ naturæ attributa tribus personis communia, divino Verbo præcipue tribuantur. Porro si mandatum illud æternum de creando mundo in *Sapientia* constitutum fuit, et *virtutem* habuit, qua omnia in tempore condita sunt; facile profecto intelligitur, divinum Verbum, quod *Dei virtus Deique sapientia* speciali ratione dicitur, præcipuo pariter nomine *mandatum* illud posse appellari, quod cum Pater ab æterno edidit, divinum Verbum quodam modo edidisse ac genuisse dici queat. Enim vero Augustinus serm. 120, num. 6, probat Dei Filium esse ipsum Patris mandatum, *non a tempore datum, sed mandatum natum. Quomodo enim non est mandatum Patris* inquit, *quod est Verbum Patris?* Et tractatu 21, in Joannem, num. 4: *Dicendo enim in Filio, quod facturus erat per Filium, ipsum Filium genuit, per quem faceret omnia.* Rursum in libro contra sermonem Arianorum cap. 3, testatur *jussionem Patris, ut fierent omnia, non esse nisi Verbum per quod facta sunt omnia:* et lib. I de Trinitate, cap. 12, num. 26: *Non aliud est mandatum Patris, aliud Verbum Patris;* et lib. II in Faustum, cap. 5: *Christus Verbum Dei est, in quo, antequam essent, dicta sunt omnia;* et lib. II in Maximinum, cap. 24: *Ipse Filius est mandatum Patris, quia ipse est Verbum Patris.* Mittimus alios ejusdem generis textus, in quibus idem S. Doctor divinum Verbum et mandatum esse Patris, et a Patre genitum pronuntiat. Huc respiciens Antiochena synodus contra Paulum Samosatenum in epistola synodica divinum Verbum *genitum* a Patre prodit tanquam *viventem actionem et subsistentem, efficientem omnia in omnibus:* quod sane ad mandatum illud, de quo hactenus diximus, pertinet. Pari ratione S. Jo. Chrysostomus homil. 2 in epistolam ad Hebræos Patrem *genuisse creatorem* ipsum Verbum affirmat; et S. Gregorius Magnus, lib. XXIII Moralium, cap. 19: *Loqui Dei,* inquiens, *est Verbum genuisse,* procul dubio locutionem illam complectitur, qua Pater de creatione mundi mandavit, Verbumque, cum de ea mandavit, genuit. Eodem pertinent illæ aliorum Patrum sententiæ collectæ diligenter a Petavio, lib. V de Deo, cap. 8, a n. 5, quibus ipsi mundi creationem spectantes, Dei Filium ipsam Dei *volitionem* Deique *consilium*, Græce autem βουλήν, sæpissime vocant: quod utrumque innuit decretum illud æternum, *mandatum* ab illis vocatum, quo omnia stato tempore in Filio et per Filium condita sunt: et sicut hoc decretum, ita et ipsum Verbum tum *de corde eructatum*, tum *ex ore Altissimi prodiisse* dici potuit. Utralibet autem formula utaris, processio et generatio quædam Verbi significabitur, propterea quod per hoc decretum Filius Dei relationem habuit ad creaturas, quam uti merus Filius in sinu Patris latens non habuit, vel habuisse non concipitur, de quo plura paragrapho sequenti; cujus æterni decreti virtute cum divinum Verbum nobis manifestatum sit suo tempore, hanc externam quoque manifestationem alii Patres generationem nativitatemque quamdam Verbi appellandam duxere, Chrysologo scribente serm. 62, de Symbolo: *Pater Filium generat nobis, dum nobis revelat.*

Itaque ut ad Auctorem revertamur, S. Zeno ea locutione, qua Patris Filium genitum licet a Patre, in condendi tamen orbis consilium prodiisse tradit ex Patris ore et corde, ut *exinde necessario visibiliis effectus sit, quia orbem terræ erat ipse facturus*, respexisse videtur ad hoc condendi orbis decretum; (et sane cum non prolatitii verbi, quod in creatione mundi editum probabilius nullum fuit, sed decreti æterni virtute mundus creatus fuerit, ut paulo ante monuimus, τὸ *exinde* unum hoc decretum respicere potest) et hoc ipsum decretum in Patrum sententiam, quam hactenus explicavimus, ab eodem Zenone habitum Dei Verbum apparet. Igitur hoc decretum in Verbo dictum a Patre, et per Verbum executioni mandatum suo tempore, ex quo idem Filius in condendo mundo *visibilis necessario* fuit, nativitatem quamdam eidem Verbo tribuit, æternam tamen illam et intimam Deo, ob quam *Deus de Deo* prodiisse a Zenone dici potuit, cum hoc æternum divinum Verbum vere sit Deus. Hinc porro etiam intelligere licet, quam percommode huc profecto respiciens auctor scripserit tract. 4, eumdem Dei Filium *exinde*, seu ex eo quod e Patre *prodivit, visibilem necessario* fuisse *effectum*, non solum *quia orbem* [LXXXVI] *terræ erat ipse facturus*, sed etiam quod *humanum visitaturus erat genus*, cum scilicet homo factus est, ut superiori paragrapho innuimus. In alia explicatione atque sententia, quam Bullus præsertim ingessit, nemo id æque percipiet; in nostra facillime et proprie: nam in decreto illo æterno, quo prodiisse Filium diximus, cum omnia futura dicta fuerunt, non minus creatio mundi quam ipsa Verbi incarnatio dicta fuit; ac idcirco hæc una, quæ per decretum explicetur, ejusdem Verbi æterna processio illa esse cognoscitur, ex qua utraque res, uti a Zenone traditur, derivaverit. Unum illud huic interpretationi ex Zenone ipso objici potest, quod Petavii animadversionem vindicare et confirmare videtur, nimirum quod si secundum hanc æternam divini Verbi generationem ea locutione quam consideravimus, significare auctor voluisset, non unam tantum Filii nativitatem æternam primo loco

Digitized by Google

recensuisset tractatu septimo et octavo, sed duas, alteram qua in Patris conscientia velatus latuit, alteram qua prodiit in creandi orbis consilium, de qua una Petavius difficultatem ingerit, nec secundam utrobique posuisset illam, qua in tempore de matre genitus fuit. Cum itaque utroque in tractatu unam tantum Filii nativitatem ex Patre, alteram ex matre constanter recenseat; duas ejusdem ex Patre nativitates hactenus descriptas non novit, sed illam unam tantum *primam* ab eo appellatam videtur agnovisse, qua in condendi orbis deliberationem ex ore Patris prodiisse, et e regione cordis eructatus traditur. Hæc etsi contra Zenonem modicum vel potius nihilum valeant, quippe quæ ex aliis ejusdem sententiis nativitatem Christi æternam ac in sinu Patris abditam diserte statuentibus satis superque diluantur; tamen ne in rem nostram quidquam desit, ad aliam ejus locutionis explicandæ rationem, quæ hanc primam non destruet quidem, sed potius statuet, luculentiusque explicabit, progrediamur, unde omnis difficultas plane disjicietur.

A

B

§. V. — *Eadem Zenonianæ locutionis interpretatio alia ratione explicatur apertius, atque statuitur.*

Inter plures voces quibus secunda Trinitatis persona ex sacrarum Litterarum auctoritate præcipuo nomine appellatur a Patribus, tres illæ tantum sunt ejusdem personæ ita propriæ et singulares, ut alteri ex divinis personis non conveniant, nimirum *Filius*, *Verbum*, *Imago*, ut diserte statuit Augustinus lib. v de Trinitate, num. 14, et lib. vii, num. 1 et seqq. De *Filii* nomine aperta res est, quippe *Filius* relativus est terminus secundæ personæ ita proprius, ut aliarum nemini congruat. Id ipsum autem de *Verbi* et *Imaginis* appellatione sentiendum palam ex eo fit, quod non minus *Filius* terminus sit relativus quam *Imago*, quam *Verbum*. Nam *Verbum non ad se dicitur*, ait Augustinus lib. vii de Trinitate, num. 3, *sed tantum relative ad eum, cujus Verbum est;* et similiter de *Imagine* loquens Hilarius in lib. de Synodis, num. 13: *Neque enim ipse sibi quisquam imago est, sed eum, cujus imago est, necesse est ut imago demonstret.* Tria hæc autem nomina, quibus secunda Persona significatur, re unum idemque sunt, non solum quod unus idemque est ille, qui tribus hisce nominibus appellatur, sed etiam quod secunda Trinitatis Persona idcirco est Patris Filius, quia Imago et Verbum est Patris; ideo Imago, quia Verbum et Filius; ideo tandem Verbum, quia Filius et Imago Patris est: neque enim aliud Pater genuit, cum genuit Filium, quam hoc Verbum, hanc Imaginem genuit, ut proinde non minus Filio quam Verbo et Imagini nativitas tribuatur. Porro Verbum dicitur Filius, quatenus Pater in eo gignendo dixit omnia: et hoc Verbum, quod dixit, cum dixit omnia, est ille Filius, quem genuit. Imago autem Patris idem Filius est, quatenus perfecta cum similitudine, quæ in res creatas non cadit, omnia Patris exprimit ac repræsentat: et hæc Imago, quæ adeo perfecte omnia Patris C representat ac exprimit, est *Imago genita Filius*, ut S. Basilius loquitur libro II contra [Lxxxvii] Eunomium, seu *Imago nata*, ut ait Augustinus lib. vii de Trinitate, cap. 7. Hoc tandem Verbum, quo Pater dixit omnia, omnia pariter perfecte repræsentat, ac proinde hoc Verbum est Imago, et hæc Imago est Verbum, utrumque autem Filius a Patre genitus est.

His præmissis illud hac super re quæri jam potest, utrum hic Filius sit Verbum Patris, quatenus divina omnia in eo dicta sunt, an etiam quatenus in eo dicta sunt quæ creanda fuere (quod ipsum ad Filium uti Imaginem divina et creanda repræsentantem transferri potest) ubi si possibilium mentionem omittimus, nemo succenseat; nam præterquam quod de possibilibus SS. Patres adversus Arianos disputantes non ita diserte ac distincte locuti inveniuntur, uti de divinis atque creatis; cum possibilia cognita dictaque necessario fuerint ex ipsis attributis divinis, cognita et dicta in attributorum divinorum rationem aliquatenus computari queunt. De Filio itaque, uti Verbum est, reponit Augustinus in libro Quæstionum 83, quæst. 63, omnia in Verbo dici debuisse a Patre, non tam quæ Patris sunt quam quæ ad res creatas pertinent; et idcirco quidem *Verbum* appellari Filium Dei melius, quam *rationem* testatur, *ut significetur*, inquit, *non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiam quæ per Verbum facta sunt, operativa potentia: ratio autem, etsi nihil per illum facit, recte ratio dicitur.* Nihil igitur est, quod Pater in Filio non dixerit, sive ad essentiam ac attributa notionesque alias divinas, sive ad res creandas spectet: secus si quid non dixisset in Filio, aliud Verbum a Filio distinctum genuisset Pater, in quo ea, quæ in Filio non dixit, dicerentur; et ita alium Filium habuisset, non unicum; *quia si multa verba, multi et Filii*, inquit Ambrosius de Incarnatione Domini, cap. 2. Porro etsi in æternitate nihil sit prius ac posterius, porro nostræ tamen mentis intelligentia prius quiddam et posterius concipiendum est. Prius enim quam Pater creandas res in Filio diceret, quæ a tota Trinitate libero decreto constitutæ fuerunt, concipiendus est Pater genuisse Verbum, quod cum genuit, dixit omnia divina, ac divina omnia repræsentavit: et hoc priori rationis signo Filius, Imago, et Verbum Patris natus vere fuit, at in una Patris conscientia latebat, D quod nihil foris creandum repræsentaret, nec diceret. Postea vero ut creandi orbis decretum ferretur, dixit Pater quæ creari volebat, et tum e paterno, in quo delitescebat sinu, prodivit Verbum creanda dicens atque respiciens, in quo omnia creanda repræsentabantur. Illud prius fuit Verbum Patris natum soli Deo, istud posterius fuit item Patris Verbum, sed genitum, quodam modo nobis, ut Gregorii Bætici formula § 3 recitata utamur. Cum vero hoc prius ac posterius, quod pro captu nostro duplex diximus Verbum, alterum divina, alterum creata respiciens (quam duplicem respectus distinctionem Augustinus nunc nuper laudatus suggessit) in divino Filio, qui simplicissimus est, non sit duplex Verbum, sed

Digitized by Google

unum (*quia Verbi, quo se dicit, et Verbi, quo creaturam dicit, una substantia est*, inquit Anselmus in Monol. cap. 31, nunc 33) hinc unus Filius, nativitas æterna unica, non duplex jure et stricte a Zenone memoratur tract. 7 et 8, licet pro humana facultate loquens tract. 4 et 5, distinctione quadam usus videri possit. Nunc quæ de divino creandi orbis decreto ex Augustino aliisque Patribus superiori paragrapho collegimus, huc transfer, si placet; et invenies ea de causa decretum illud dici Filium et Verbum Dei, quatenus in Verbo et Filio Dei dicta sunt omnia, quæ creanda fuere, ut jam hæc paragraphus non alteri illi contradicat (quod primo aspectu videtur), sed explicatio sit ejus melior, quæ tamen ex ibidem dictis illustrari mutuo lumine potest. Neque vero illud hic opponas, decretum istud divinum in quo divini Verbi proprie dictam generationem agnovimus, initiatum quidem in cognitione, at in amore fuisse completum, adeo ut non tam in repræsentatione Verbi elucescat, quam in Verbo et Patre amorem notionalem, ut aiunt, spirantibus, ac in ipso Spiritu sancto, qui amor est notionalis. Nam præterquam quod Patres, cum adversus Arianos Dei Filium impugnantes agerent, ad ejusdem Filii æqualitatem adstruendam nonnulla ipsi attribuere, quæ cæteris personis communia sunt, ac si ejus essent propria, ut ex ipsis Scripturis peculiari modo mundi creatio per Verbum patrata dicitur : etsi decretum illud tres divinas personas vere pertingat, idem tamen quatenus decretum [LXXXVIII] genitum, seu notionalem generationem dicit, uni Dei Filio potest congruere, qui solus genitus fuit; ut propterea Patres uni Filio jure tribuerint, quæ in decreto Filium, sive Filii, seu Verbi proprie dictam generationem significant. Sed his omissis, cum hoc Verbum, quo creandæ res a Patre dictæ fuere, idem sit illud Verbum, quo Pater omnia divina dixit; eademque sit utriusque Verbi nativitas, licet ratione quadam humana duplex Verbum, duplex nativitas distinguatur : jam profecto intelliges quo jure S. Zeno Verbi res creandas spectantis generationem commemorans dixerit tract. 5 : *Nascitur Deus de Deo, totum Patris habens, nihil derogans Patri*, etc., quæ generationi Verbi divinas res dicentis peræque conveniunt.

Illud tandem inquirere nobis liceat quod ad pleniorem rei præsentis confirmationem vel declarationem confert, cur S. Zeno utramque Verbi relationem tum ad divina, tum ad creata tract. 4 et 5 tangens, institerit nihilominus magis et expressius in statuenda generatione Verbi, quatenus res creatas respexit, ut de hac sola locutus nonnullis videri potuerit. Hoc autem ex Arianorum, quos præcipue sibi impugnandos sumpserat, impetitionibus factum credimus. Illi enim, ut æternitatem, eamdemque Filio substantiam adimerent, hæc prædicare frequenter solebant, Hilario teste in Fragmento 2, num. 26 : *Patrem Deum instituendi orbis causa genuisse Filium, et pro potestate sui ex nihilo in substantiam novam et alteram Deum novum alterumque fecisse*, quæ eadem commemorat Athanasius orat. 2 contra Arianos, num. 24 et 25. Itaque cum in inculcanda *instituendi orbis causa* Ariani laborarent, quo Filium Dei æternum æqualemque Patri inficiarentur; Zeno ut illis sese e diametro objiceret, in ea *instituendum orbem* spectante divini Filii generatione explicanda sibi potissimum insistendum ratus est, certus quod si hac in parte Arianos vinceret, ex altera parte, quæ generationem Verbi in sinu Patris latentem spectat, nihil esset quod metueret amplius. In priorem autem partem animadvertenda hoc postremo loco maxime sunt, quæ post assertam in creandi orbis consilium divini Verbi generationem utrisque in tractatibus subjiciuntur. Ea enim sunt ejusmodi, ut æqualitatem consubstantialitatemque Filii cum Patre, quas præsertim exinde læsas Ariani contendebant, Auctor diserte asserat atque defendat; eaque mens ejus in hac generatione potissimum urgenda fuisse proditur, ut Arianorum præcipuum conatum eliderct. Lege ipsa Auctoris verba, et quod dicimus palam fiet, simulque exploratius multo erit, eumdem Auctorem, qui in ea nativitate Filii asserenda tam ex proposito ipsius cum Patre æqualitatem consubstantialitatemque propugnat, longissime abesse ab ea nativitate ibidem adstruenda (ut Petavius credidit) qua nec æqualis Patri Filius fuisset, nec ejusdem substantiæ; sed eam potius ab eo assertam liquet, qua idem Filius ita in creandi orbis consilium genitus, ejusdemque consilii exsecutor proditur, ut nihil inde præjudicii in æqualitatem et consubstantialitatem redeat. Hinc quidem tract. 1, lib. 2, num. 2, eadem objectione Arianorum proposita, qua ex creato per Filium mundo, eum Patre inferiorem prædicabant : *At ille, cui jubetur, est, inquis, inferior*; executorem quidem Filium fatetur, *Unde processit, paterni cordis est exsecutor* : at æqualem nihil ominus defendens, hanc rationem subdit : *Non enim minus est facere magna quam dicere*, et præterea addit : *Quamvis et quod dictum est a Patre, vel dici potest, quia Verbum est Filius, sine Filio non est*, etc. In prioribus illis verbis, quibus Auctor concedit Filium *exsecutorem esse paterni cordis, unde processit*, τὸ *unde* processionem, seu nativitatem indicat Filii *e corde* Patris, quæ non alia esse cognoscitur, quam in eo æterno decreto, quo Deus dixit in Filio seu in Verbo quæcumque creanda fuerunt, sicque ipsum decretum seu dictum æternum a nostro quoque scriptore insinuatur ipse esse Dei Filius; qui subinde decretum illud, vi cujus e paterno corde processit, exsecutus est stato tempore, cum quæ facienda in Filio seu Verbo Pater dixerat, ipse Filius *exsecutor* fecit, nam *omnia per ipsum facta sunt.* Deinde responsionem adverte, qua ut hunc Filium exsecutorem licet operis, Patri tamen haud inferiorem Auctor probet, non tam ea ratione utitur, quia *non minus est facere magna, quam dicere*, sed illa in rem nostram [LXXXIX] præcipua, nam *quod dictum est a Patre, vel dici potest, quia Verbum est Filius, sine Filio non est* : quibus Filium uti *verbum* Patris ipsum esse

Digitized by Google

dictum seu decretum æternum Patris satis innuitur, quod cum Patre unus idemque Deus est; quæ omnem Arianæ cavillationis impetitionem prorsus retundunt ac dirimunt, interpretationesque a nobis hactenus expositas ex Zenonis mente esse plane confirmant.

§ VI. — *Explicatur quædam difficilis Zenonis locutio, unde proposita interpretatio mirifice confirmabitur.*

Addemus jam duriusculam quamdam Zenonis formulam, ex tractatu 3 lib. II, de æterna divini Verbi generatione loquentem, quæ in altero ex objectis a Petavio testimoniis continetur. Hæc autem sicut alia in sententia explicatu difficilis contradictionem videtur involvere, ita in nostra non solum facili negotio exponitur, sed ipsam interpretationem allatam hactenus, quacum una aperte congruit, mirifice statuit atque confirmat. Verba autem S. Zenonis de divino Filio hæc sunt: *Procedit in nativitatem, qui erat, antequam nasceretur, in Patre æqualis in omnibus.* Sermonem hoc loco esse de ea Christi nativitate, qua natus de Virgine est, aliqui existimarunt, ut sic intelligeretur cum ab æterno *fuisse, antequam* de Virgine scilicet *nasceretur, in Patre.* At cum toto eo tractatu, et ante et post recitata verba, de una nativitate Christi sermo sit, qua de Deo Patre processit, procul dubio illa *procedit in nativitatem* ad eamdem Verbi generationem e Patre pertinent, ut ne generationi de Virgine sit locus. Sed hoc opus, hic labor. Quid enim isthuc rei est: *erat antequam nasceretur?* Si Dei Filius erat, ergo natus erat, ac falsum est quod fuerit *antequam nasceretur?* Si vero nondum erat natus *antequam nasceretur*, jam nullo modo *erat in Patre.* Sed hæc in tractatu 4 et 5 in eam quam exposuimus sententiam facile conciliantur. *Processisse* enim dicitur *in nativitatem*, qua *ex ore* Patris *prodivit unigenitus Filius, ut rerum natura, quæ non erat, fingeretur*, cum scilicet Pater *excogitatarum ut ordinem instrueret rerum, e regione cordis eructavit Verbum*, ut superiori paragrapho explicavimus: *erat* autem nihilominus idem Filius, *antequam* sic *nasceretur, in Patre*, quatenus illum, uti Zeno hoc ipso tr. 3 ait, *ante omnia sæcula Pater in profundo suæ sacræ mentis, arcano insuspicabili, ac sibi soli nota conscientia, Filii non sine affectu, sed sine revelamine amplectebatur*, quibus similia initio tractatuum 4 et 5 recitantur. Itaque duas illas Verbi nativitates, quas nos superius pro communi intelligentia a Zenone distinctas adnotavimus tract. 4 et 5 hac formula indicatas vides: illam, qua erat in Patris conscientia Filius verus, sed Deo Patri revelatus, non nobis; alteram, qua in rerum creationem nobis natus subinde concipitur, cum de creando orbe Verbum Pater dixit: et *erat in Patre* ex prima, *antequam nasceretur* seu natus a nobis conciperetur ex secunda nativitate, quas licet distinctas nostra quadam ratione, re tamen una sunt nativitas, sicut et Verbum, quo in priori, ut ita loquamur, nativitate omnia divina et necessaria dicta sunt, et Verbum, quo in nativitate altera dicta sunt omnia creanda, est unum: ut pluribus superius ostendimus.

Ut autem, qua S. Zeno mente, quo sensu hac formula usus sit, magis magisque intelligatur, exploratumque plane fiat, hoc ipsum testimonium ad declarandam catholicam Zenonis mentem ab Arianorum dogmate maxime alienam valere plurimum; simulque præcidatur omnis, quæ cuipiam oboriri fortasse posset suspicio, idcirco ab Auctore dictum *erat, antequam nasceretur, in Patre*, quod crediderit Filium in sinu Patris primum fuisse ita indiscretum, ut nondum *natus* seu distinctus fuerit, dein vero fuisse natum in tempore, ut Pater in creandis rebus illo uteretur, quæ fuit Petavii censura: ut hæc, inquam, omnia præsteritur, animadvertendum est, solemnem fuisse apud Arianos formulam de Divino [xc] Filio: *Non erat, antequam nasceretur*, ut legitur in anathematismo Nicæno. Cujus formulæ verbis intelligebant, Dei Filium non fuisse ab æterno, sed tum solum, cum in mundi creatione a Patre conditus seu genitus fuit: id quod explicabant alia formula celebri eodem in anathematismo pariter recitata: *Fuit aliquando, cum non esset.* Hinc Arius apud Anathasium in Orat. I contra Arianos, num. 5, p. 409. *Nec erat*, inquit, *antequam fieret, sed habuit quoque creationis initium. Erat enim solus Deus, nondumque erat Verbum et Sapientia. Cum autem nos postea voluit creare, tunc profecto unum quemdam fecit, quem et Verbum et Sapientiam et Filium nominavit, ut nos per ipsum crearet:* quibus concinens Eunomius in fidei Confessione edita tom. I Antiq. Lect. Canisii novissimæ editionis pag. 178. *Non, antequam esset*, inquit, *sine generatione Filium nominavit.* Neque vero dubitabant affirmare, illum *ante omnia sæcula* genitum; sed id non ita accipiebant, ac si ab æterno genitus fuerit, sedita *ut factus* fuerit *ante* constitutionem mundi, in principio scilicet temporis: *res* autem *facta non erat antequam fieret*, objiciebant ex Dionysii Alexandrini epistola, cujus fragmentum Athanasius in hanc rem considerat in epist. de Sententia Dionysii, num. 4, p. 246. Huic ergo formulæ, cui anathema dixerat Nicæna synodus, anathema quidem dicere non dubitavit Eusebius Cæsariensis, in epistola recitata ab Athanasio, in calce libri de Decretis synodi Nicænæ, sed ita subinde se se explicavit, ut nihil ab Arianis alienum diceret: *Nec item*, inquit num. 9, *absurdum putavimus his vocibus, non erat antequam genitus est, anathema dicere, cum omnes fateantur Filium Dei fuisse, priusquam secundum carnem nasceretur:* cum quo stare poterat, quod Ariani sentiebant, eumdem Filium Patri coæternum non fuisse, cum eum ipsi quoque traderent genitum ante omnes creaturas, ut in his creandis eo ministro uteretur. Imperator Constantinus alia ratione Arianæ ejus formulæ proscriptioni assensus proditur ab eodem Eusebio in epistola memorata, ut affirmavit num. 10 eum fuisse antequam nasceretur in Patre, *quandoquidem antequam actu fuisset genitus, ipse potentia erat in Patre, licet non gigneretur;* quæ locutio Dei Filium non semper

Digitized by Google

actu fuisse, nec proinde genitum ab æterno significans. Arianis favet apertissime : nisi forte de illo priori originis accipiatur ea propositio, quo Filius in Patre prius *potentia*, dein *actu*, sed utrumque ab æterno fuisse concipiur. Alii e contra Arianis ut sese opponerent, eamdem, quæ hic a Zenone usurpatur, protulere formulam, *Erat, antequam nasceretur, in Patre :* sed ea interpretatione utebantur, qua dum unam (ut notavit Philastrius cap. 124), evadere conabantur hæresim, æternitatem unitatemque substantiæ divino Verbo detrahentem, incidebant in aliam, qua eum ingenitum ac proinde Filium ab æterno non fuisse affirmabant, quam hæresim sic Augustinus ex eodem Philastrio brevius describit Hær. 80, pag. 23, tom. 8 : *Alia sempiterne natum non intelligens Filium, putat illam nativitatem sumpsisse, a tempore initium : et tamen volens coæternum Patri Filium confiteri, apud illum fuisse, antequam de illo nasceretur, existimat ; hoc est, semper eum fuisse, verum tamen semper eum Filium non fuisse, sed ex quo de illo natus est, Filium esse cœpisse.* Itaque catholico viro catholicam adversus Arianos professionem edenti, vel omittenda prorsus hæc dicendi formula, licet eisdem opposita videri possit, ut placuit Hilario lib. XII de Trinitate, num. 31, vel cum de nativitate esset cum Arianis quæstio, ita de eadem explorate erat profitendum, ut ne quid suspicionis, vel ambiguitatis afferretur. In hoc autem duo prospicienda maxime fuerunt ; primum ut ita Filius ab æterno traderetur fuisse in Patre, ut simul fuerit distinctus a Patre, et Patris Filius fuisse indicaretur aperte ; præterea vero ut affirmaretur æqualis Patri ejusdemque cum Patre substantiæ, ut ne quis inferiorem Patri Filium colligere posset. Utrumque autem auctor hoc ipso, cui hæc formula inserta est, in tractatu præstitit. Primum satis in tuto posuit prima periodo, cum Filium in sinu Patris adhuc latentem, *Filium* vere fuisse affirmavit, eum a Patre ante omnia *Filii, non sine affectu, sed sine revelamine amplexum* scribens ; qua sane formula Filium in Patre fuisse vere Filium docuit, ac proinde Filium *actu*, non *potentia*, necnon Filium a Patre vere genitum atque distinctum, quem uti talem Pater *amplexus* dici potuerit. Ab altero autem satis superque cavit per illa, quibus eumdem tradidit *fuisse, antequam*, secunda scilicet nativitate, *nasceretur, in Patre æqualem in omnibus.* [XCI] His enim postremis verbis ad primam nativitatem pertinentibus et a Petavio omissis præterquam quod affirmans Filium *æqualem Patri*, eumdem a Patre distinctum affirmat (nemo enim sibi ipsi æqualis dici potest, cum æqualitas alterum necessario respiciat) addens subinde eumdem Patri æqualem *in omnibus*, profecto eamdem Patris æternitatem eamdemque substantiam Filio vindicat, sine quibus hic Patri æqualis *in omnibus* non fuisset. Quin cum hic Arianæ controversiæ scopus et caput esset, S. Zeno, ne quis sua de sententia posset ambigere, locupletem hanc assertæ æqualitatis rationem statim adjecit : *Quia Pater in ipsum alium se genuit ex se, ex innascibili scilicet sua illa substantia, in qua beatus manens in sempiternum, omnibus, quæ habet, habentem Filium paria procreavit.* Audin' Zenonem aperte fatentem Filium, distinctum a Patre, et unius cum Patre substantiæ existere ; quippe quem Pater *alium se genuit ex se*, videlicet *ex innascibili substantia* Patris, quæ si *innascibilis* est, et ex eadem nihilominus a Patre genitus fuit Filius, eadem procul dubio substantia communicari Filio debuit, alia nec debuit, nec potuit : unde *alium se* vere *genuisse* cognoscitur, *alium* scilicet, non *aliud*, quorum alterum τὸ *alium* personæ distinctionem innuit, alterum autem τὸ *se* adstruit identitatem, ut vocant, divinæ naturæ. Hinc quoque Pater procreasse traditur Filium *paria habentem in omnibus, quæ Pater habet*, ubi *paria* pro *eadem* dictum est, idque est *eamdem* plane Filii Patrisque *substantiam* confiteri, quam aliis testimoniis aperte declaratam a Zenone alibi ostendimus.

Dum porro tota hæc ratio atque præclara Zenonianæ confessionis professio ad eam Filii nativitatem pertineat, de qua dixerat : *Erat, antequam nasceretur, in Patre æqualis in omnibus ;* hic autem status ille idem sit ac qui a Zenone aliis verbis exponitur tract. 4 et 5, quum Filium in Patris conscientia velatum atque latentem prodidit : jam palam tandem est, Filium hisce quoque in tractatibus pro eo quoque statu et vere genitum atque distinctum a Patre, et Patri æqualem ac ejusdem planæ substantiæ a Zenone sese hoc loco satis superque explicante habitum assertumque fuisse. Eat nunc Petavius, et post recitatum textum : *Procedit in nativitatem, qui erat, antequam nasceretur, in Patre*, hanc consequentiam obtrudat : *Ergo Filium, antequam a Patre gigneretur, in Patre exstitisse significat ; generatio vero et nativitas tum fuit, cum res omnes procreare voluit*, etc. Integrum si recitasset et considerasset textum, nec omisisset verba ad eum statum, quo Filius in Patre exstitit, pertinentia, nimirum *æqualis in omnibus*, nec subjectam mox præteriisset hujus æqualitatis rationem : *Quia Pater in ipsum alium se genuit ex se* ; jam veram ac proprie dictam generationem pro illo quoque statu, quo Filius in Patre fuit, facillime cognovisset ; nec per verba, *Procedit in nativitatem*, vel per illa, *antequam nasceretur*, primam, sed alteram quamdam a nobis explicatam Filii nativitatem, quæ primæ nihil repugnat, significatam intellexisset. Quod si quis ea verba : *Quia Pater in ipso alium se genuit ex se* cum reliquis, non eorum rationem esse velit (uti nos hactenus præsumpsimus) postremorum verborum ad primam occultamque Filii nativitatem pertinentium : *Erat, antequam nasceretur in Patre æqualis in omnibus ;* sed illorum *Procedit in nativitatem*, in alteram scilicet, qua Filius in creandi orbis consilium ex ore, vel corde Patris processisse duobus aliis tractatibus 4 et 5 traditur : cum prima illa nativitas aliis ex verbis defensa satis fuerit, id nihil offendet, imo vero favebit multo magis ; palam enim fiet eumdem Filium, quem ex prima illa nativitate non minus a Patre distinctum, quam *æqualem in omnibus* Patri

Digitized by Google

aliunde deprehendimus, ex hac quoque altera nativitate æternum et æqualem Patri, ejusdemque cum Patre substantiæ ab Auctore pariter agnitum, ut ejus rationis verba ac sententiæ nuper animadversæ declarant: quo ad revincendam totam Petavii censuram, nostramque interpretationem constituendam luculentius afferri nihil potest.

[XCII] § VII. — *Antenicænorum Patrum a Petavii censuris breves vindiciæ.*

De Zenone jam satis superque. Nihil præterea de aliis Patribus, quia a Petavio simili censura perstringuntur, addere instituti nostri ratio postularet. At quoniam non solum interpretatio nostra aliis quoque Patribus explicandis plerumque inserviet; sed etiam ex simili tot Patrum locutione, quæ easdem ferme Zenonis formulas continet, nec aliam quam nostram explicationem idemtidem patitur, manifestum plane futurum est, et quo ex fonte Zenonis locutio manarit, et nostram interpretationem non ex ingenio eductam, sed re ipsa, si non verbis totidem, aliquot Patrum testimoniis traditam, iisdemque exponendis peropportunam, ne dicamus necessariam, habendam esse: de singulis aliqua paucissimis, quam licet, verbis animadvertere placuit. Petavii accusatio adversus Patres, qui Nicænæ Synodo præcessere, eidem fere nititur formulæ, ac quæ in Zenone reprehensa fuit. Audi ipsum de omnibus una loquentem lib. 1 de Trinitate, cap. 5, num. 7, postquam eorum testimonia consideravit: *Igitur non nulli veterum... tum a supremo Deo ac Patre productum esse dixerunt* Filium, *cum hanc rerum universitatem condere statuit, ut illum velut ministrum adhiberet: quam sententiam alii clarius, obscurius alii significant, sed isti fere, Athenagoras, Tatianus, Theophilus, Tertullianus, et Lactantius.* Pro Athenagora satis loquitur idem ille textus, quem Petavius opposuit lib. 1 de Trinit., cap. 3, num. 4; ibidem enim diserte adseruit Deum habere Filium, qui est *Verbum Patris in idea et efficientia*, ubi *idea* dicta est de Verbo, quatenus in eo omnia ab æterno dicta sunt, *efficientia* autem de actu externo, quo omnia per idem Verbum sunt condita. Illa vero, quæ urget Petavius, quibus Athenagoras hunc Filium vocat *primogeniam Patris progeniem*, *non quasi factus sit (a principio quippe Deus, qui est æterna mens, habebat in se ipso* λόγον, *id est rationem, cum æternum sit rationalis) sed ita ut cum materia concreta omnia, informisque natura, atque terra instar vehiculi subjiciantur, in iisque crassiora levioribus admista sint, ad hoc ut idea et actus illorum esset, prodierit:* hæc, inquam, nobis favent mirifice. In primis enim Filium hunc λόγον appellatum, quem *rationem* interpretatur, ab æterno in Patre fuisse affirmat, ut Pater *æternum rationalis* fuisse dicatur: quo eodem argumento et Athanasius et Gregorius Nyssenus et alii Patres usi sunt, ut divinum Verbum æternum fuisse Arianis demonstrarent: sed rursus prodiisse illud, inquit, creandi orbis causa, veluti *ideam* rerum creandarum, quæ ab æterno profecto fuit, cum Pater ab æterno dixerit in Verbo, quæcumque creanda deliberavit, et sine qua *actus* illorum esse non poterat, cum actum consequi, seu creari nihil potuerit sine Verbo, per quod omnia ab æterno dicenda, et in tempore creanda fuere. Quid ex his cum antea dictis non plane convenit? Cum Athenagoras Filium λόγον in Patre ab æterno fuisse scribit, ut Pater esset rationalis; Filium utique accipit pro eo statu, in quo Pater se ipsum ac divina omnia in Filio cognovit; ac proinde λόγον *rationem* interpretatur, non *Verbum*, propterea quod hoc in statu Pater consideretur uti rationalis, seu cognoscens omnia, quæcumque Deum respiciunt; at ad res creandas, *quod attinet*, nihil hactenus concipiatur; *qua sola* de causa λόγον *Verbum melius*, quam *rationem* interpretandum Augustinus censuit, ut vidimus § 5. Cum porro eumdem Filium Athenagoras ad res creatas refert; *ideam* illum appellat, qua scilicet in Filio res creandæ præconceptæ, æternumque in Verbo dictæ fuere: vi cujus dicti stato deinde tempore cum effectæ fuerint per Verbum, jure earum *efficientiam* ipsum Verbum appellat. Hæc si mente teneas, Petavii objecta legere poteris, et cuncta sua sponte cadere statim invenies, ut nihil præterea addere necesse sit.

[XCIII] Id ipsum plane ex illo Tatiani testimonio colligere licet, quem Petavius eodem capite latine reddit sic num 5: *Deus erat in principio; principium autem rationis esse potentiam accepimus. Etenim Dominus omnium cum ipse totius esset universi substantia, quatenus nulla adhuc erat facta creatura, solus exstabat. Quatenus vero tota vis et potentia, ac tam eorum, quæ videri possunt, quam quæ videri nequeunt, substantia erat ipse, cum eo erant omnia. Nam cum ipso per rationalem vim* λόγος *ipse, qui in illo erat, produxit. Voluntate porro simplicitatis ipsius* λόγος *erupit, qui quidem non in vacuum emanans, primogenium opus Patris fuit.* Cum Tatianus *principium* in Græco textu definiat λόγου δυναμὶν, vox autem λόγου quam *rationis* vocabulo Petavius vertit. *Verbum* ipsum significet (unde *Verbi potentiam* vulgatus Interpres reddidit pro *rationis potentiam*, et melius, siquidem vox Græca λόγος, cum res creatas respicit, *Verbum* potius quam *ratio* reddenda est ex Augustino nuper laudato), palam fit, *principii* nomine, uti a Tatiano explicatur, ipsum *Verbum* oportere intelligi, cujus quidem *potentia*, seu *virtute* (utrumque enim vox Græca δύναμις significare potest) omnia condita sunt, ut in Scripturis traditur; unde et *principium* rerum omnium rectissime dicitur, quod nomen ad *rerum originem* referri ipse Petavius observat. Itaque ubi Tatianus ait *Deum* fuisse *in principio*, cum *principium* sit ipsum *Verbum*, *Dei* nomine Patrem intelligens, hunc utique *in Verbo* fuisse fatetur, sicuti mox λόγον, id est *Verbum in ipso* Deo Patre fuisse aperte tradit; quibus utrumque et semper, et ejusdem substantiæ fuisse palam insinuat. Ita porro dictum hic a Tatiano et Patrem in Verbo, et Verbum in Patre *per Verbi virtutem* semper fuisse, quemadmodum superius Athenagoras proba-

Digitized by Google

vit Patrem semper habuisse λόγον, quia semper rationalis fuit. Fuit nimirum semper Pater in Verbo, cum sine Verbo non fuisset Pater; et principium ipse rerum fuit *per virtutem Verbi* omnia creanda dicens in Verbo, quo si caruisset, nihil dixisset creandum, ac proinde principium rerum creandarum nunquam fuisset. Porro loquitur, uti diximus, hoc in textu Tatianus de Verbo tamquam rerum creandarum principio; ac proinde præsumit, omnia, quæ creanda fuerunt, in hoc Verbo dicta ab æterno fuisse. Sic quidem intelligitur, quam idonea sit ejus dicti ratio, *Cum eo*, Deo scilicet, *erant omnia*, dum inquit: *Cum ipso enim per rationalem virtutem ipsum quoque Verbum, quod in ipso erat, produxit*; produxit scilicet omnia, quæ idcirco cum Deo fuerunt ab æterno, ut probandum Auctor sumpserat: recte, nam cum *per rationalem*, seu *locutivam virtutem* omnia, quæ postea facta sunt, a Deo Patre dicta et ita quodammodo producta fuerint in hoc Verbo, omnia in hoc Verbo erant cum Deo, et simul cum Deo erant et Pater, qui dixit omnia, et Verbum, in quo omnia dicta sunt. Quod si hæc æternitatem spectant, natum itaque a Patre Tatianus præsumpsit ab æterno hoc Verbum, sine quo non solum nihil creandum, sed nec Verbum fuisset, nec Pater. Et hæc quidem productio æterna rerum in Verbo illam Verbi generationem subindicat, quæ non rerum, sed Verbi propria generatio est, cum non tam divinorum, quam creandorum Verbum sit illud, quod Pater ab æterno proprie genuit, cum et divina et creanda dixit: quod utrumque etsi simul ab æterno dictum fuit, humano tamen loquendi more prius alterum, alterum posterius dictum concipitur, ut in Zenone explicavimus. Cum porro hæc generatio non rerum, sed Verbi propria sit; etsi res per illam ab æterno productæ, seu dictæ in Verbo, tum non *actu*, sed *virtute* solum exstiterint, quatenus per hujus Verbi ab æterno actu et vere editi virtutem creandæ fuerunt in tempore; ipsum tamen Verbum non peræque *virtute* solum, ut Petavio visum est, sed *actu* a Patre editum ab æterno Tatianus censuit, uti ex toto contextu hactenus explicato liquet. Id autem, quod dein addit: *Voluntate porro simplicitatis ipsius* λόγος, seu *Verbum erupit*, nihil moveat: hic enim illam externi verbi prolationem prospicit, quam in mundo creando editam non nulli putarunt per sensibilem quamdam vocem, qua ipse Deus *dixit*, *et facta sunt*: id quod ad aliam quæstionem pertinet. Quod si hoc Verbum non in vacuum emanans *primogenium opus Patris* fuisse idem Tatianus subdit: id spectat, ut videtur, ad sensibilem illam verbi prolationem, quæ si fuit rerum omnium causa, primum Dei opus fuit. Si vero non prolatitium, sed intimum Patris Verbum foras emanasse aliquo modo credidit; externam [xciv] eidem Verbo generationem tribuit, quæ nihil est aliud, quam externa ejusdem manifestatio, qua divina virtus jam inde ab æterno intime latens in Deo, foras tandem prodiit, unde illud Verbum *participatione*, non *abscissione* natum subinde affirmavit (μερισμὸν enim non divisionem puto significare, ut vertit interpres, ait ipse Petavius), ut *ne* tamen *Patrem sine Verbo relinqueret*; quibus verbis Tatianus se credidisse confirmat, Patrem semper fuisse cum Verbo, nec ab hoc se se communicante rebus creatis tam multis fuisse relictum, quippe quod ea communicatio Verbi, qua in tot res creatas manavit exterius, non *abscissio* fuerit ejusdem Verbi a Patre, seu divisio intimæ ejus substantiæ, qua, Verbum in Patre, et Pater in Verbo semper exstitit, sed mera fuerit ejusdem *participatio*, qua ipsum Verbum, et per Verbum Deus ipse in creatis rebus elucet. Sed de Tatiano nimis fortasse multa.

A Theophilo Antiocheno, quem Petavius suo modo commentatur eodem cap. 3, num. 6, brevius nos expediemus: nam λόγον *intimum in visceribus suis* Patrem habuisse palam fatetur; quem λόγον si *genitum* addit *cum sapientia sua eructantem ante omnia*; non idcirco ingenitum illum primum λόγον putavit, aut indiscretum in Patre, et solum genitum, cum in creationem mundi omnia in Verbo dicta sunt, ut interpretatur Petavius; sed λόγον illum priorem accepit de Verbo, quod erat intimum in Patre, in quo omnia divina Pater dixit, istum autem de Verbo res creandas dicente accepit, ut in Zenone pluribus explicavimus. Idem porro aliam quamdam *prolatitii* λόγου generationem, quam in Tatiano consideravimus, adstruit, quæ generationi æternæ nihil officit, ut ibidem innuimus, et confirmant etiam, quæ idem Theophilus subdit: Pater *hunc* λόγον *genuit prolatitium, primogenium omnis creaturæ, non ut Verbo vacuus ipse fieret, sed ut verbum gigneret*, id est prolatitium, *et cum Verbo suo*, id est intimo, *perpetuo versaretur*.

Eodem spectant illa Tertulliani lib. contra Praxeam cap. 5 quæ Petavius recitat cap. 5, num 2. Cum enim λόγον, seu *rationem* ab æterno penes Deum fuisse testatur, Verbum utique Dei intimum ab æterno genitum prodit, in quo Pater utique *rationalis ante principium*, id est ab æterno, secum ipse loquebatur, quæ Dei sunt; hanc enim putamus *rationem*, quam *suam* Tertullianus appellat. Cum porro idem Deus de creando mundo deliberans *cum ratione sua*, id est Filio, vel Verbo, *cogitabat* atque *disponebat sermonem*, seu, ut paulo ante explicatius dixerat, *cum ipsa et in ipsa ratione*, quam *intra* semetipsum *habebat*, *tacite cogitabat et disponebat secum*, *quæ per sermonem erat dicturus*, cum silicet mundum creandum præcepit; cum hæc, inquam, Deus secum in ratione seu Verbo cogitasse et disposuisse traditur, innuitur profecto ea generatio Verbi, qua Pater creanda in Verbo tacite ab æterno dixit atque decrevit. Tandem prolatitium verbum in ipsa creatione editum Tertullianus insinuat cap. 6 et 7, et hac formula nihil aliud nisi externam Verbi manifestationem significat, quam in Tatiano explicavimus. Hanc tamen postremam et externam nativitatem Verbi, quæ initio temporis contigit, primam et unicam a Tertulliano adsertam Petavius opinatur, id quod hisce ejus verbis confici existimat ex cap. 6: *Nam ut primum Deus voluit ea*,

Digitized by Google

quæ cum Sophiæ ratione et sermone disposuerat intra se, in substantias et species suas edere, ipsum primum protulit sermonem habentem in se individuas rationes Sophiam, ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata atque disposita, imo et facta jam, quantum in Dei sensu. Hoc enim eis deerat, ut coram quoque in suis speciebus atque substantiis cognoscerentur, et tenerentur. Tunc igitur etiam ipse sermo speciem et ornatum suum sumit, sonum et vocem, cum dixit Deus, Fiat Lux. Sed hæc commovere potuisse hominem eruditum miramur vehementer: nam primum cap. 5 jam ante diserte Tertullianus confessus fuerat, Deum ante mundum creandum jam inde ab æterno non fuisse *solum*, hac ratione addita: *Habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet*, quibus aperte *rationem*, id est Verbum, a Deo Patre distinctam ab æterno fuisse palam insinuat, secus *solus* fuisset Deus ab æterno, quod ille hac ratione negandum putavit. Hinc caput istud concludens: *Possum itaque*, inquit, [xcv] *non temere præstruxisse, et tunc Deum ante universitatis constitutionem solum non fuisse, habentem in semetipso proinde rationem, et in ratione sermonem, quem secundum a se faceret*, id est secundam personam, *agitando intra se;* ubi secundæ personæ a Patre distinctæ et ante mundi constitutionem genitæ disertissime meminit. Præterea haud scimus, an Petavius ea scribens, adverterit hæc Tertulliani verba, quæ post objectum abs se testimonium immediate leguntur, quæque ab eodem Petavio recitata invenimus eodem num. 2 cap. 3: *Hæc est nativitas perfecta sermonis (qua nimirum*, commentatur Petavius, *sermonem ipsum in specie ornatuque suo protulit, cum dixit, Fiat Lux) dum ex Deo procedit conditus ab eo primum ad cogitatum in nomine Sophiæ:* Dominus condidit me in initium viarum suarum: *dehinc generatus ad effectum:* Cum pararet cœlum, aderam illi simul. *Exinde eum parem sibi faciens, de quo procedendo Filius factus est; primogenitus, ut ante omnia genitus; et unigenitus, ut solus ex Deo genitus, proprie de vulva cordis ipsius.* Notavitne apertam distinctionem, *conditus ab eo primum ad cogitatum in nomine Sophiæ*, dehinc *generatus ad effectum?* Hic profecto duplicem Filii Dei nativitatem Tertullianus palam discernit: alteram, qua Pater in ipso de creandis rebus *cogitatu*, uti appellat, *sermonem* seu *Verbum Sophiæ nomine* edidit (*processit conditus*, inquit), et hæc nativitas est proprie dicta Verbi, quam *primam* appellat, cum ab æterno omnia creanda a Patre in Verbo dicta sunt: alteram vero, qua Deus in ipsa mundi creatione verbum *ad effectum* protulit; quæ etsi generatio sit Verbi minus proprie dicta, tamen nativitas *perfecta* idcirco appellatur, quod illa prior, licet propria nativitas, intra Deum latuit; hæc autem extra Deum prodiens, priorem illam latentem eduxit quodam modo, cum Verbum ipsum creaturis manifestum fecit; et hac ratione Dei Filius in creatione mundi *speciem et ornatum*, seu *sonum et vocem* quamdam accepit, sicque *perfecta* fuit ejus nativitas, non quoad Deum, in quo semper fuit perfectissima, sed quoad nos, quibus illa primum agnosci cœpit. Hanc eamdem duplicis nativitatis distinctionem idem Tertullianus non obscure subindicat lib. II adversus Marcionem cap. 27 de hoc sermone inquiens, *quem ex semetipso proferendo Filium fecit, et exinde dispositioni suæ voluntatique præfecit.* Cum ait *ex semetipso proferendo Filium fecit*, utique *prolationem*, seu nativitatem Filii æternam significat; secus duos Deos adstruxisset, unum æternum, non æternum alterum, atque ita in eum, quem in Marcione coarguit, errorem incidisset. Hanc quidem nativitatem spectans Apologetici capite 21: *Hunc*, similiter inquit, *ex Deo prolatum didicimus, et prolatione generatum, et idcirco Filium Dei, et Deum dictum ex unitate substantiæ;* quæ postrema verba præsertim ostendunt, agi de *prolatione* illa et nativitate interna Filii, qua *unam* cum Patre *substantiam* adeptus est, non de externa, cui hæc substantiæ paternæ *unitas* non convenit. Aliis porro verbis et *exinde dispositioni suæ voluntatique præfecit*, indicari nihil dubitamus nativitatem externam, de qua nunc nuper dictum est, eamque Tertullianus ipso adverbio *exinde* a priori satis distinguit. Cæterum aliis in locis a Petavio memoratis num. 4, quæque fusius explicantur a P. Le Nourry, tom. II Apparat. ad Bibliothecam Vet. PP., diss. 4 in Tertullianum, cap. 8, adeo explorate Filium a Patre distinctum, *uniusque* nihilo secius cum Patre *substantiæ* affirmat, ut in tuto omnino esse debeat nostra explicatio, quam obscurioribus testimoniis hactenus consideratis dedimus, et ex his apertis locis saltem Petavius moveri debuit, ne obscuriora quædam testimonia in alienum et contrarium plane sensum interpretanda putaret.

Tandem Lactantius a Petavio postremum accusatus cap. 3 num. 6, cum lib. II Institut. cap. 8, *similem sui spiritum* a Deo Patre *productum* tradit, *antequam ordiretur hoc opus mundi, ut ab eo bono tamquam rivus oriretur, semperque proflueret;* loquitur aperte de ea Verbi generatione, qua Pater *ab æterno* dixit in Verbo, quæcumque per idem Verbum subinde, divinæ bonitatis participatione, facta sunt. Equidem cum Verbum *consiliatorem* a Patre adhibitum ibidem testatur; hoc sane Verbum æternum fuisse significat, cum Dei consilium ac decretum æternum fuerit. Imo si *consiliatorem* illum habuit ab æterno, antequam quidquam de creando orbe decerneret; supponit illud Verbum verum Filium exstitisse in Patre, antequam is quidquam creandum in eodem Verbo decerneret, ac proinde generationem [xcvi] illam Verbi supponit, qua Pater se ipsum in Verbo dixit, antequam res creandas in ipso diceret. Quod si hoc Verbum Patri *similem spiritum* vocat, nemo offendatur; cum *similem spiritum* appellet eo sensu, quo id Verbum *imago Dei, et figura substantiæ ejus* in Scripturis vocatur, quod cum unitate substantiæ ab ipso Lactantio aliis testimoniis adsertæ nihil pugnat. Addit præterea aliquid lib. IV cap. 8 et 9, de prolatitio quodam *sermone* seu *vocali spiritu*, uti vocat, quem pro externo sono Petavius accepit. At cum *vocalem*

Digitized by Google

hunc spiritum, *non utero, sed mente conceptum*, et conceptum quidem a Patre *inexcogitabili quadam majestatis suæ virtute ac potentia* Lactantius palam affirmet; procul dubio generationem ejusdem Verbi non externam, sed intimam, ac Verbi æterni propriam aperte significat, quam quidem *nativitatem spiritalem* appellat cap. 13, et *nativitati carnali* opponit, quamque *inexcogitabilem* plane esse ipso capitis 8 initio monuit : unde et lib. II cap. 8 eum *ineffabiliter* a Patre *æternum* genitum prodit. Porro ex cap. 25 lib. IV manifestum fit *Deum de Deo* habitum a Lactantio hunc, quem *prolatione vocis ac spiritus generari* potuisse censuit; et vocem ac spiritum illum ab eo vocatum liquet locutione prophetarum, qui *sermonis* ac *spiritus* nominibus Dei Filium indicarunt. Itaque nihil vetat, quin *vocalis* quoque *spiritus* nomine, quo Petavius vocem sonantem accepit, Dei Filium Deum de Deo vere intelligamus in scriptis Lactantii, ac præsertim lib. IV cap. 8 et 9, ubi sane huic *vocali spiritui*, quem Pater *non utero, sed mente conceperat*, Dei Patris *effigiem*, seu *imaginem* tribuit cum Paulo, et substantialem quidem imaginem, quippe quæ, inquit, *proprio sensu ac sapientia vigeat*, quod in vocem sonantem a Petavio intellectam non cadit. Comparatio porro illa duplicis humani spiritus, quorum alterum homines e naribus tacitum emittunt, alterum ex ore cum strepitu edunt, cum loquuntur, valet quidem ad explicandum discrimen a Lactantio intentum inter spiritus angelicos, qui tamquam spiritus e naribus ductus, non ad docendum, sed ad ministrandum tacite conditi sunt, et spiritum Verbi, qui, tamquam spiritus ex ore prodiens, docere homines debebat : at in reliquis nihil valet; neque enim comparationem perfectam et adæquatam instituere ibidem Lactantius voluit; unde irrideri hanc ob comparationem a Petavio non debuit: neque *sonum vocatem*, quem ea in comparatione adhibet, transfert ad Verbum, quatenus e Patris mente ab æterno genitum fuit, sed *ea ratione*, inquit, *quia voce ejus ad populum fuerat usurus, id est, quod ille magister futurus esset doctrinæ Dei et cœlestis arcani ad homines perferendi*, quod spectat ad illam doctrinam, quam divinum Verbum humana subinde natura indutum expressis vocibus tradidit. Sed de Antenicænis Patribus hactenus, quos cum eidem omnes formulæ insistentes audisti, quam Zeno usurpavit, duo hæc statuta intelliges, hunc non nova, sed veteri usum formula, quam scilicet a tot Patribus traditam acceperat, in eorumque libris didicerat; illos autem non eam in sententiam adhibuisse hanc formulam, qua Arianis præcinerent, ut existimavit Petavius, sed in eam, qua Zeno Arianorum impugnator acerrimus, ipsos legens adeo recte intelligendos putavit, ut eadem formula sibi quoque utendum nihil ambigeret.

A

B

C

D

§ VIII. — *Marius Victorinus a Petavii censura vindicatus.*

De Mario Victorino, qui *in eadem esse causa* Petavio visus est, quid attinet dicere, cum ille adeo ex proposito totis quatuor adversus Arium libris catholicum dogma disertis verbis sententiisque defendat, ut si cui aliquam ob formulam a Petavio notatam videatur sensisse, divinum Verbum *tum foras generatione prodiisse, quando mundum procreavit Deus*, ut idem Auctor ex allatis abs se textibus colligit; is aut Victorini libros non legerit, aut si legit, sparsis a Petavio præjudiciis fortasse impeditus, non intellexerit sane ejus sententiam, quæ clarissimis aliis testimoniis explicata satis videtur. Cum enim generationem Verbi æternam pluribus locis disertissime fateatur, jam sicubi ejusdem Verbi generationem [XCVII] *manifestationem* appellat, seu *declarationem intus potentiæ*, ita ut *Pater* sit, *qui intus*, *Filius*, *qui foris*, (quæ fere sunt notatæ a Petavio formulæ) : vel de eadem generatione æterna hæ formulæ intelligantur necesse est, vel ita sunt de externa generatione accipiendæ, ut generatio hæc exterior in tempore, quæ manifestatio est, generationi illi intimæ et æternæ nihil præjudicii creet. Utroque sane modo scriptor ille eas formulas accipit. Primo modo generationem internam et æternam Verbi *manifestationem* vocat, quatenus Deus volens semetipsum videre et cognoscere, imaginem sui in qua se videret, genuit, et hanc imaginem, quæ utique Verbum est, *manifestationem* vocat, eamque *foris a Patre*, id est a Patre distinctam habuit, uti a Patre distinctus persona Filius est, licet semper in Patre fuerit. Hoc expresse docet lib. I, pag. 269, litt. h, tom. IV Biblioth. PP., Deo, quem *vitam perfectam* definit, *volente*, inquit, *videre semet ipsum*, *hoc est*, potentiam suam, Patrem scilicet (Patrem enim *potentiam* appellavit) *facta est ipsa manifestatio* sui (ubi *manifestationem* aperte vocat *imaginem Patris*, in qua Patris substantia manifesta fit ipsi Patri) *quæ generatio est et dicitur, et juxta hoc foris exsistens : omnis enim cognoscentia, secundum quod cognoscentia est, foris est ab illo, qui cupit cognoscere : foris autem dico sicut in inspectione, secundum quod est videre semet ipsum.* Intimam ergo æternamque hanc *manifestationem* et *generationem* agnoscit, sicut intima et æterna fuit Patris cognitio, qua se ipsum in Filio cognovit : quod luculenter probat multis in locis tum præsertim lib. II, pag. 273, f. Id ipsum fusius statuit lib. III, pag. 275, f et g, ex quo ex pauca transcribimus : *Intelligentia quod intelligit foris est, et id quod intelligit intus.* Hinc Patrem, qui intelligit, posuit *intus*, Filium autem, quem intelligit, seu in quo se ipsum intelligit, *foris*. Hac ratione motum quemdam in Patre agnoscit *interiorem* et *in se conversum*, ex quo Filius generatur; quem in rem præsentem explicat sic : *Semper motus ex substantia, et in substantia, vel potius ipsa substantia ; qui cum foras spectat, hoc est autem foras spectare, motum vel motionem esse ; quod ipsum hoc illud est se videre, se intelligere, ac nosse velle : cum autem se videt, geminus exsistit, et intelligitur videns, et quod videtur, ipse qui videt, ipsum quod videtur : quia se videt, hoc est foras spectans, foris genitus, vel exsistens, ut quid sit intelligat. Ergo si foris est, et si genitus, Filius :* quem tamen eadem cum Pa-

Digitized by Google

tre substantia præditum demonstrat. Hunc tandem motum, quo Pater Filium genuit, *operationem* et *actionem* vocat, et addit : *Hic partus, hic natalis.* Alia ejusdem generis plura adferre possemus præsertim ex libro IV, pag. 287 et 288 ; sed hæc satis visa sunt, ut quisque intelligat, *manifestationem operationemque*, qua *intus* Pater, et Filius *foris* esse traditur, ad generationem æternam intimamque Deo ex Victorini sententia referendam. Altero autem modo cum *manifestationem* et *actionem* idem Victorinus refert ad rerum creationem, animadvertendum est, eam ita referri, ut Filius Dei ab æterno fuerit λόγος *omnium quæ sunt* ex lib. I, pag. 260, b, f, cum scilicet Pater omnia futura decrevit in Verbo; *non enim*, inquit pag. 262, h, λόγος *locutio quædam est, sed potentia ad creandum aliquid confabulans iis, quibus futurum est esse.* Vide p. 270, d. Hinc autem Filium relate ad creaturas λόγον *et voluntatem Patris* ibidem vocat, quem ab æterno et unius cum Patre substantiæ fuisse adserit pag. 263, a. Tandem *voluntatem* hanc Dei stato tempore *progressam* tradit in *actuosam potentiam*, ibidem, cum scilicet *in effectionem eorum, quæ sunt*, progressa est p. 266, e. Qua in re cum manifestatum nobis sit Verbum, hæc manifestatio, seu *apparentia*, uti vocat, exterior Victorino natalis et generatio quædam habetur: inquit enim lib. IV, pag. 284, d : *Apparentia vero ab occultis ortus est, et ab occultis ortus, et natalis est, et ejus natalis, qui et antequam sic oriretur, exstiterit*, ubi expresse generationem metaphoricam Verbo tribuit in ipsa rerum creatione; *et antequam sic oriretur*, affirmat, ipsum ab æterno exstitisse ex illa generatione æterna et intima, de qua in superioribus satis dictum est. Negari quidem nequit hæc subtilius et obscurius scripta a Victorino, atque ex dialectices, in qua plurimum delectabatur, regulis derivata, id quod in eo reprehendit S. Hieronymus: sed aliud est obscuritatem dialecticenque in ejus libris adversus Arianos perstringere, aliud obscuras quasdam ipsius formulas deflectere in sententiam, quam disertissimis verbis ille totis quatuor iisdem libris impugnat, quod fecit Petav., ut ne de interpretatione cogitaverit quidem. Vides interim, [XCVIII] lector optime, qua cautione versandum sit in antiquorum voluminibus, ne qua fallamur ipsorum locutione, quam ex nostra vulgarive sententia explicandam putemus, cum illi non numquam aliam vel ævi vel scholæ alicujus propriam ei locutioni subjecerint ; id quod tum præsertim suspicari par est, cum ex obvia explicatione indignum aliquid cruitur, quod in errorem et dedecus sapientissimorum, vel etiam sanctissimorum hominum cedat. Hoc principio nos S. Zenonem, quem in perniciosi nimium erroris suspicionem devocatum a Petavio legeramus, accuratiori examine pervolventes, genuinam ejus sententiam satis eduxisse et explicasse nobis videmur, quæ ad Antenicænorum quoque Patrum Victorinique vindicias comparandas non nihilum contulit.

CAPUT II.

QUO CONSILIO S. ZENO DE ÆTERNA FILII DEI GENERATIONE HAUD SCRIBENDUM DUXERIT, QUOSQUE FIDEI TRACTATUS ET QUAS FORMULAS REPHREHENDERIT.

Difficultatem non modicam quibusdam injiciunt non nullæ sententiæ in tract. 1 *de Fide*, quibus primo adspectu videtur S. Zeno et fidei *didascaliam* negare, et reprehendere nec non impugnare illos, qui in tractatibus fidem exponunt, atque argumentis confirmant. Sed si quis S. Zenonis mentem, ac tractatus ejus scribendi occasionem probe calleat, quæcumque in hanc rem duriora occurrunt, facile intelliget. In concilio Sardicensi ad compescendam Arianorum audaciam, qui Nicænæ fidei formula non contenti, novas subinde explicationes, additiones, correctionesque commentabantur, illud cautum fuit, quod refert S. Athanasius in tomo ad Antiochenos, qui tamquam concilii Alexandrini synodica habetur: *Quamvis*, inquit num. 5, pag. 772, *non nulli postularint, ut quædam de fide scriberentur, quasi aliquid Nicænæ synodo deesset, atque id obtinere conati temere fuerint ; synodus tamen Sardicæ coacta rem indigne tulit, sancivitque, ut nullum ultra de fide ederetur rescriptum, sed sufficeret fides a Patribus Nicææ promulgata, quippe quæ in nullo deficeret, sed plena pietatis esset ; statuitque, ne altera ederetur fidei professio, ne quæ Nicææ scripta fuerat, imperfecta reputaretur, neque occasio iis daretur, qui sæpe numero de fide scribere ac definire volunt.* At hac cautione ab Arianis contempta, in eo quotidie laborabatur, ut quo quisquis suas partes (in quas ipsi inter se quoque erant divisi) augeret, simplicioresque deciperet ; varias ederet *fides*, seu *tractatus fidei*, in quibus suam quisque sententiam et errorem multis ratiocinationibus et argumentis statueret.

Harum formularum et horum tractatuum multiplicitatem ac pugnam præclare depingit coævus auctor S. Hilarius lib. II ad Constantium num. 4, pag 545, ubi postquam affirmavit Arianos, dum fidem requisiti, *sua scribunt, et dum quæ Dei sunt, prædicant, orbem æternum erroris et redeuntis in se semper certaminis circumtulisse. Sub cujus necessitatis tamquam improbabili occasione, scribendæ atque innovandæ fidei exinde usus inolevit. Qui postquam nova potius cœpit condere, quam accepta retinere ; nec veterata defendit, nec innovata firmavit : et facta est fides temporum, potius quam Evangeliorum, dum et secundum annos describitur, et secundum confessionem baptismi non tenetur. Periculosum nobis admodum atque etiam miserabile est, tot nunc fides exsistere, quot voluntates ; et tot nobis doctrinas esse, quot mores ; et tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt : tum aut ita fides scribuntur, ut volumus, aut ita, ut nolumus, intelliguntur.* [XCIX] *Et cum, secundum unum Deum et unum Dominum et unum baptisma, etiam fides una sit, excedimus ab ea fide, quæ sola est : et dum plures fiunt, ad id cœperunt esse, ne ulla sit ;* et num. 5, ubi contradictionum exempla subjicit : *Consecii enim nobis*, inquit,

Digitized by Google

invicem sumus, post nicæni conventus synodum, nihil aliud quam fidem scribi. Dum in verbis pugna est, dum de novitatibus quæstio est, dum de ambiguis occasio est, dum de auctoribus querela est, dum de studiis certamen est, dum in consensu difficultas est, dum alter alteri anathema esse cœpit: prope jam nemo Christi est. Incerto enim doctrinarum vento vagamur: et aut dum docemus, perturbamus; aut dum docemur, erramus. Jam vero proximi anni fides, quid jam de immutatione in se habet? Primum, quæ homousion decernit taceri: sequens rursum, quæ homousion decernit, et prædicat: tertium deinceps, quæ usiam simpliciter a Patribus præsumptam, per indulgentiam excusat: postremum quartum, quæ non excusat, sed condemnat. Et post pauca: *Annuas atque menstruas* (adeo frequenter mutabantur, et novæ subinde edebantur) *de Deo fides decernimus, decretis pœnitemus, pœnitentes defendimus, defensos anathematizamus; aut in nostris aliena, aut in alienis nostra damnamus; et mordentes invicem, jam assumpti sumus ab invicem.* Erant quippe plures fidei formulæ, tum variis Arianorum et Semiarianorum in synodis editas, tum quæ a quibusdam episcopis in suæ sectæ defensionem promulgabantur. Hæc itaque sunt *illi multi tractatus, multæ fides, et quidem novellæ, et litis labore et favore nutritæ*, quas S. Zeno commemorat tractat. 1 lib. 1, num. 3.

In his autem quanta subtilitate ingenii, quantaque argumentationum vi uterentur hæretici magno cum legentium periculo, patet ex Athanasii epistola ad Episcopos Ægypti et Libyæ pag. 278, num. 8, ubi catholicos ab ejusmodi scriptorum lectione deterrere conatur his verbis: *Nam etiamsi voces ex Scripturis mutuentur, scribentes nihilominus repellite, licet orthodoxæ fidei verba protulerint, nec sic loquentes velitis attendere. Nec etiam recta mente loquuntur, sed his verbis velut ovium pelle induti, intus eadem ac Arius sentiunt..... Itaque si quæ scriberent, ea scriberent orthodoxi, ut magnus Hosius*, etc. (alios catholicos recenset)..... *Si illi* (Ariani) *his* (catholicis) *essent similes, nullus profecto in illorum scriptis esset suspicionis locus: simplex enim ac candidum est virorum Apostolicorum ingenium.* Et numero 9: *Quia vero scripta auctores eos habent, qui pro propugnanda hæresis causa mercede sunt conducti..... evigilandum et cavendum est, fratres..... ne qua fraus ex verborum elegantia astutiaque oriatur.* Hanc Arianorum in rebus fidei perperam philosophantium calliditatem alii quoque Patres testantur. Vide plura Gregorii Nyssæni, Nazianzeni, Basilii, Epiphanii, Faustini, Cyrilli, et Ambrosii testimonia a Petavio collecta in Prolegomenis cap. 3, a num. 3. Hanc vero sophisticam calliditatem et humanam argumentorum ratiocinationem, quæ Arianos in tot errores sententiasque distraxerat, utpote periculi plenam catholici Patres maxime fugiendam putarunt: et hinc jam patet, quid in causa fuerit, cur S. Zeno fidei tractatus fieri prohiberet. *Frater* ille, quem tractatu 1 alloquitur, is erat, qui *ipsum fontem divinitatis philosophicis argumentis exhaurire conabatur*, num. 5: *qui sub sono legis ac fidei sæcularis amore jactantiæ accensus, nascentis Dei de Deo Spiritusque sancti inæstimabilem incomprehensibilemque divinitatis perpetuitatem, jure ipso, quo ex se est, argumentis cogere, examinare, metiri, ac discernere posse præsumebat.* Huic ergo, licet fortassis non mala mente hanc disputationem aggredi vellet, ut ab hocce curioso studio avocaret, periculum ejusmodi disputationum ante oculos posuit: et hac occasione tractatus fidei, qui similibus ratiocinationibus ab Arianis in dies edebantur, in invidiam vocat; quippe qui fidem, quam explicandam et argumentis confirmandam sibi sumpserant, discidisse et destruxisse convincebantur. In hanc rem *credulitatem*, seu fidem simplicem præ subtili doctrina commendat, quod ea una universim necessaria sit, hæc autem præsumptionis et periculi plena; unde ait numer. 1: *Manifestissimum puto, nimis astuto esse simplicem meliorem: quia simplex omnibus Dei verbis simpliciter credit; astutus autem nimia sapientia infatuatus, inquisitionibus vanis semet ipsum confundit.* Non itaque simplicem didascaliam fidei S. Zeno hoc loco reprehendit, quam non negat necessariam, ut quis sciat, quidquid credere debet; sed argutas fidei disputationes, quas vocat, seu nimium in fide [c] acumen, curiositatem, dialecticenque pluribus perniciosam unice condemnat: *Disputatio enim*, inquit n. 2, *sicut excolit fidem; ita, si versuta sit, eradicat fidem*, ut in Arianorum disputationibus atque tractatibus experientia docebat. Itaque similia, ac alii Patres, S. Zeno tradidit sive hoc sermone 1 *de Fide*, quem hactenus commentati sumus, sive alibi, et pluribus quidem in locis, quæ enumerare nimis esset longum; cum scilicet Arianorum petulans ingenium coercere, et nimiam arcanorum fidei investigandorum curiositatem reprimere studens, credendum quidem esse docuit, quidquid de Filii nativitate traditur; at *argumentationibus vanis opinari velle, non colentis, sed dementis esse* affirmavit. Vide tract. 8 lib. II, numero 1.

Quod si S. Zeno tract. fidei a catholicis etiam hominibus scribi adversatus vere fuit, fecit, quod cæteri Occidentales faciebant episcopi, qui proinde de Orientalibus non bene sentiebant, cum de fidei formulis seu tractatibus per eosdem editis auditum fuit. Hinc S. Hilarius ut catholicos Orientales Occidentalibus ea de re indignatis conciliaret, eorum mentem consiliumque ex necessitate purgare studuit in lib. de Synodis ad episcopos Galliæ num. 63: *Nihil autem mirum videri vobis debet, Fratres charissimi, quod tam frequenter exponi fides cœptæ sunt: necessitatem hanc furor hæreticus imponit.* Et mox: *Atque utinam penitus nescirent! cum procliviore enim venia ignorarent, quam obtrectarent. Sed horum Episcoporum dolor se intra silentium non continens, unitatem fidei hujus quærit, quæ jam pridem per alios amisit.* Interim tamen ipsos Gallicanos episcopos commendat, tamquam *beatos in Domino et gloriosos, qui*, ait, *perfectam atque Apostolicam fidem conscientiæ professione retinentes, conscriptas fides huc usque nescitis*: quibus

Digitized by Google

Zenonis mens Occidentalibus communis, et ipsi etiam Hilario pro Orientalibus disserenti commendata cognoscitur.

Verum displicebit fortasse, quod sub finem tr. *de Fide* inculcatur, ubi non modo universam divinorum mysteriorum investigationem disputationemque, sed ipsam pariter illorum adversus hæreticos defensionem improbare videtur. *Disputare devita. Negat quodam modo Deum, quisquis adserit* (id est vindicat et defendit) *Deum : defensio enim non nisi imbecilli præstatur.* Verum hic non aliam defensionem reprehendit, quam quæ philosophicis argumentis in Arianorum rationem hic frater aggredi volebat : eam vero, quæ ratiocinationibus omissis totum ingenium ad vindicandam fidem, et auctoritatem sacram explicandam transferebat, nequaquam reprobavit; nam num. 5, ait : *Si peritiam legis ostendere cupis, lectionum nubila disserena. Doce eam sibi non esse contrariam. Doce omnia, quæ canit, esse credenda.* Uni auctoritati sacræ in tractatibus, quos probat, voluit insisti; et solum repudiavit ratiocinationem philosophicam Arianis usitatam, ac errorum fontem; quæ, ut eadem in causa notavit Ambrosius lib. 1 *de Fide* cap. 5, num. 42, *non adstruendi vim habet, sed studium destruendi.* Quod si ad Arianorum tela retundenda ratiocinatione aliqua subtiliori uti opus esset; hic quoque S. Zenonem minime adsentientem ex periculi metu inveniremus : quem sane metum ipsi Hilario inessum videmus, cum ea necessitate ductus, inter Occidentales primus libros de Trinitate concinnare coactus est. *Compellimur*, inquit lib. II de Trin., num. 2, *hæreticorum blasphemantium vitiis, inlicita agere, ardua scandere, ineffabilia eloqui, inconcessa præsumere. Et cum sola fide expleri, quæ præcepta sunt, oporteret, adorare videlicet et venerari cum eo Filium, sancto Spiritu abundare; cogimur sermonis nostri humilitatem ad ea, quæ inenarrabilia sunt, extendere, et in vitium vitio coarctamur alieno : ut quæ contineri religione mentium oportuissent, nunc in periculum humani eloquii proferantur.* Et num. 5 : *Horum igitur infidelitas in anceps nos ac periculum protrahit, ut necesse sit de tantis ac tam reconditis rebus aliquid ultra præscriptum cœleste proferre..... Immensum est autem, quod exigitur, incomprehensibile est, quod audetur, ut ultra præfinitionem Dei sermo de Deo sit. Posuit naturæ nomina Patrem, Filium, Spiritum sanctum. Extra significantiam sermonis est, extra sensus intentionem, extra intelligentiæ conceptionem quidquid ultra quæritur : non enuntiatur, non attingitur, non tenetur. Verborum significantiam rei ipsius natura consumit, sensus contemplationem imperspicabile lumen obcæcat, intelligentiæ capacitatem, quidquid fine nullo continetur, excedit. Sed nos necessitatis hujus ab eo, qui hæc omnia est,* [ci] *veniam deprecantes, audebimus, quæremus, loquemur.* Si hac scriptione se Hilarius rem *inlicitam agere, in vitium cantare, in anceps et periculum protrahi* confitetur; et ecclesiastica licet necessitate premeretur, eam nihilominus non sine *venia deprecanda*, nec sine tam longa excusatione arripiendam duxit; quis jam hinc non pervideat, quo jure S. Zeno fratrem non ea utique necessitate, qua Hilarius premebatur, sed sola, uti apparet, curiositate ad disputandum adductum, ab hac scriptione deterrere et avertere conatus est; non quod vere inlicitum putaret de mysteriis divinis sana sententia disserere, sed quod quotidiano Arianorum experimento edoctus, ex hujusmodi disputationibus hæreseos incurrendæ periculum immineret; quod nemo prudens ne dum non reprehenderit, sed commendatione potius dignum putarit, vel ea ratione, quam idem S. Zeno suggerit num. 5, *sit quippe tutius imperitum videri, quam esse sacrilegum.* Quod quidem consilium etiam post Zenonem harum quoque in partium Episcopis præstitisse cognoscimus cum ex multis, tum præsertim ex S. Gaudentio, qui paulo post Zenonis obitum Brixianam rexit Ecclesiam : is enim, serm. 14, pag. 169, hæc scripta reliquit : *Credere itaque nos oportet non aliter esse Deum, quam se ipse proprio sermone revelavit esse credendum. Facta quoque ejus non debemus rebelli spiritu discutere, sed fideli studio admirari; quoniam rectus est sermo Domini; et omnia opera ejus in fide..... Desinamus ergo fide neglecta contumeliosis quæstionibus divinum pulsare mysterium.* S. Petrus Chrysologus, Ravennas archiepiscopus, sermon. 62 de Symbolo, *Adtende homo*, inquit, *qua reverentia tibi fides insinuatur et traditur; audi Patrem, ut sentias, intelligas, credas; non discutias Filium : et quia est confitearis; non unde et quando et quomodo sit, temerarius inquiras.* Plura ejusdem generis occurrunt, quæ referre nec vacat, nec opus est, cum satis ex dictis Zenoniana sententia explicata et vindicata videatur.

CAPUT III.

VARIÆ ZENONIS DE INCARNATIONE CHRISTI FORMULÆ VINDICANTUR.

Quæ de æterna divini Verbi generatione duriores visæ sunt Zenonis formulæ, capite primo explicatæ nobis sunt : nunc quæ ad temporalem ejusdem generationem pertinent, explanandæ supersunt. Tres autem hæ fere sunt. Prima cum Dei Filium *induisse, suscepisse, gestasse, vel adsumpsisse hominem* pluries dixit; quæ locutio idcirco reprehenditur, quod *hominis* nomine non tam natura, quam persona humana comprehendi solet, quam postremam a divino Verbo adsumptam nemo, nisi Nestorianus affirmat. Huic videtur accedere alia formula ex tractatu 16 lib. 1, num. 14, ubi *personæ hominis* mentio fit : *Dominus ex persona hominis, quem adsumpserat.* Altera ex tract. 6 lib. II, n. 1, cum Dei Filium *hominem mistum* vocat, ac si divina et humana natura in unum mistum coaluerint, quæ Eutychetis hæresis fuit. Cui locutioni accedit illa tract. 8 ejusdem lib. II, n. 2 : *Mistus itaque humanæ carni se fingit infantem.* Tertia ex tractatu 2 lib. 1, num. 9, cum Deum *in hominem demutatum* Auctor tradit, et tract. 12, *in homine inclusum*, seu *in tegumento carnis inclusum*, ut tract. 9 ejusdem libri loquitur num. 1. Sed duæ priores for-

Digitized by Google

mulæ, si rigide accipiendæ sunt, contradictoriæ inveniuntur, et contrariis plane hæresibus Nestorianæ et Eutychianæ favent. Hoc autem ipsum satis innuit, alio plane sensu, quam quem verba rigide accepta referunt, pronuntiatas fuisse. Id porro antiquitatem nostri Scriptoris maxime statuit : cum nondum natis sæculo V Nestorii et Eutychetis hæresibus, quibus illæ formulæ videntur favere, sancti Patres tutius loquerentur (quod sæpe, alia licet occasione, August. advertit) ut de hæretico sensu, qui eisdem postea subjectus fuit, ne cogitarent [CII] quidem : unde modo hac, modo illa etsi contraria formula liberius, in catholicum tamen eumdemque sensum utebantur.

Prima locutio *hominem adsumpsit, suscepit*, etc., solum post Nestorium displicuit, cum antea a sanctis Patribus recto sensu adhiberetur, ut animadvertit Agobardus adversus Felicem, num. 8 : *Videtur mihi etiam vestra charitas admonenda de hoc, quod Felix frequenter gaudet dicere hominem adsumptum vel formam servi. Quamquam enim et pie dici potuit, sicuti et frequentissime dictum a Sanctis Patribus invenitur : tamen considerandum est, quod in Nestorio hæc verba nostris displicuerunt :* quod sane verissimum est, si Victorinum excipias, qui ante Nestorii ætatem, lib. II adversus Arium pag. 272, tom. IV Bibl. PP. novissimæ editionis Lugdun., non *hominem*, sed *carnem* a Verbo adsumptam dici voluit. Cæterum antiquos Patres, qui eadem formula catholice usi sunt, si recensere omnes vellemus, nimis esset longum. Satis sit indicare Tertullianum, Lactantium, Hilarium, Hieronymum, Augustinum, et, quod pluris est, ipsum quoque S. Leonem, qui acerrimus licet Nestorianæ hæresis impugnator, sermone tamen 94 de Transfig. cap. 2, *suscepti hominis*, et serm. 33 seu 4 de Epiphania *unitus homini* scripsit. *Hominis* autem nomine hi omnes Patres *naturam*, non *personam hominis* acceperunt. Hinc S. Augustinus de Prædest. Sanctorum num. 31, postquam *susceptum hominem* dixit, addit mox *susceptam naturam hominis*. Similiter Hilarius, qui in cap. 3 Matthæi, num. 2, *hominem, quem adsumpserat*, scripsit; in psal. LXV, numer. 12, *adsumptæ ex Virgine carnis naturam ;* in ps. CXXIV, num. 4, *adsumptionem carnis nostræ ;* et in cap. IV Matth., num. 14, *materiem adsumpti corporis* memorat. Zeno pariter tract. 8 lib. II, num. 2, in fine ait : *Carnem ideo dignatus est induere.* Cæterum *adsumpti*, vel *suscepti hominis* locutio eo minus in antiquis reprehendenda, quod in posterioribus Nestorio adhuc eo recto, quo diximus, sensu usurpata invenitur in ipsis quoque fidei formulis, uti est illa a Martene edita tom. I de Antiq. Eccles. Rit. pag. 163, in Hymno *Te Deum*, qui Ambrosio et Augustino vulgo tribuitur, et apud plures scriptores, uti patet, vel ex uno Facundi Hermianensis testimonio sic scribentis lib. IX prope finem : *Antiqui Doctores dixerunt, quoniam Deus Verbum sit principaliter et secundum essentiam unigenitus Filius Dei : homo vero adsumptus ex unitate ejus personæ accepit, ut unigenitus Filius semper esset, et diceretur :* in quibus adeo perspicue *adsumptum hominem* de sola natura humana intellexit, ut unicam personam in Christo exstitisse diserte adserat. Quod vero Zeno ait *ex persona hominis*, vocem personæ non scholastico, sed vulgari sensu Latinis sacris Scriptoribus usitato accepit pro eo, quod dici alias solet *uti homo*, seu *tamquam homo*, quod aliis aliorum Patrum exemplis statuimus adnot. 75 in tract. 16 lib. I.

Altera autem formula *mistionem* exprimens, Patribus ante Eutychen frequens est; adeoque in ea nihil hæreseos deprehenderunt, ut Augustinus ep. 137, al. 3, num. 11, Verbi incarnationem definire non dubitarit : *Mistum Dei et hominis. Miscendi* autem verbum hoc loco divinæ humanæque naturæ non confusionem, sed unionem, seu conjunctionem significat in persona Verbi; unde Augustinus propositæ ibidem quæstioni, *quomodo Deus homini permistus sit* (hac enim voce utitur) postquam prius respondit per aliam quæstionem, *quomodo misceatur anima corpori*, eidem comparationi insistens reponit secundo sic : *Sicut in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit ; ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit :* ubi *uniendi* verbum pro eo, quod in quæstione propositum fuerat, *miscendi*, supposuit tamquam unum et idem : et dein monet, hoc audito nomine *recedendum a consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam*, etc. Leporius in libello *Emendationis* conjunctionem hanc miscendi verbo significatam intelligens, *Novit enim*, inquit, *sine corruptione misceri, et tamen in veritate misceri.* Eodem verbo in eamdem sententiam usi fuere Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Firmicus, Hilarius, et, ut mittamus cæteros, S. Leo Eutychetis damnator, serm. 22, de Nativ. 3, cap. 1; *Ut naturæ alteri altera misceretur;* et serm. 33, de Epiph. 4, cap. 4 : *Naturæ carnis immistus;* nec non [CIII] Vigilius lib. I contra Eutychen adhuc post hujus hæresis ortum, a qua hoc *mistionis* nomen alia significatione acceptum male audire cœperat. Perspicue autem Zeno mistionem pro conjunctione, quæ naturæ divinæ et humanæ integritatem non læderet, accepisse patet vel ex ipso tract. 8 lib. II, num. 2, ubi *mistum* quidem humanæ carni Dei Filium tradit, sed ita ut integra esset utraque natura : *Ibidemque solvo*, inquit, *quod erat, meditatur esse quod non erat :* quibus similia habet tract. 9, num. 2, et tract. 7, in fine. Christum porro *hominem mistum* aperte dixit tract. 6 lib. II, num. 1, eo consilio, ut nec purum hominem, nec Deum purum (quod duæ volebant hæreses ibidem notatæ), sed ex naturæ utriusque conjunctione compositum quoddam, seu ut, quod Lactantius ait lib. IV, cap. 13, *et Deum fuisse et hominem ex utroque genere permistum* doceret (*ex utroque genere concretum* dixerat Cyprianus lib. II Testim., cap. 10), in quo egregia catholicæ fidei professio continetur.

Tertii generis formulæ, singulæ licet separatim durissulæ sibique invicem aliquatenus adversantes videantur, cum tamen professioni nunc expositæ,

Digitized by Google

qua *salvum* in incarnatione declaratur, *quod erat*, ex auctoris mente haud opponi dicendæ sint; eo sane spectare nequeunt, ut mutatam in humanam insinuent divinam naturam, quæ est immutabilis, et ex ipso Zenone *salva*, id est integra, exstitit, nec *inclusam* illam *in homine*, quam *mundus mundique non capit magnitudo*, idem ipse testatur trac. 9 lib. II, num. 1. Eo igitur solum pertinent, ut Dei Filium vere hominem factum intelligamus, perinde ac si purus homo videri possit; abdita quodam modo *in carnis tegumento* divina illa majestate, quam, ut tr. 5 libri ejusdem insinuat, *non potest mundi istius mediocritas sustinere*. Hoc eodem sensu divinum Verbum *breviatum* vocavit cum Apostolo Paulo cap. IX ad Rom. v. 28: *Tu eum breviatum paulisper ab majestatis suæ immensitate peregrinari fecisti*, tract. 2 lib. I, num. 9. Et tract. 8 lib. II, num. 2: *Dei Filius tempore constituto, dissimulata interim majestate, ab ætherea sede profectus, in prædestinatæ Virginis templo sibimet castra metatur, quibus latenter infunditur in hominem gigniturus, ibidemque salvo, quod erat, meditatur esse quod non erat*: quæ adeo sunt aperta, ut nihil amplius addere necesse sit.

CAPUT IV.

DE PRIORUM PARENTUM PECCATO QUID AUCTOR TRADIDERIT.

Sanctum Zenonem cum communi Patrum sententia, quæ litterali Geneseos interpretationi prorsus convenit, priorum parentum peccatum in esu fructus vetiti collocasse palam est ex tract. 6 lib. I, num. 5, ubi Adam *sacræ arboris pomum male dulce delibasse* affirmavit: et similiter cum in tract. 13 ejusdem libri per letale lignum, quod *sola mulier contigit*, mortem in Adam et in Evam derivasse docet, idem confirmat. At hoc eodem tract. 13, num. 5, peccasse Adam indicat per virile, quod circumciditur, membrum; *Adam enim*, inquit, *cum inlicitum pomum hoc membro decerpsit, sic in genus humanum jus mortis induxit*; et Hebræorum populo circumcisionem idcirco præceptam subdit, ut *locum matricalis culpæ*, id est originalis, *cum denotat, etiam alia crimina fugienda cognoscat*. Id ipsum pressius exponit tract. 2, num. 8, cum de cupidine loquens, *Hic*, inquit, *facibus suis Evæ pectus incendit*; quibus verbis satis aperte innuit, priorum parentum culpam in venereæ conjunctionis voluptate sitam fuisse ac si lignum et pomum, quod ipsis a Deo vetitum est, fuerit ipsa conjunctio, quam illi contra vetitum præcipientes, peccarint graviter, et omne genus humanum in peccatum induxerint. Hoc autem quam et a litterali Genes. sensu, et a Patrum [CIV] interpretatione sit alienum, nemo non videt: idque tanto magis absonum videri debet, quanto est certum, concupiscentiæ carnali in paradiso terrestri nullum fuisse locum, ut pluribus in libris adversus Pelagianos Augustinus luculenter demonstrat. Hæc cum nos animo volveremus, Zenonianæ sententiæ originem indagaturi, comperimus simile quidpiam legi apud Clementem Alexandrinum lib. III Strom., pag. 466, ubi impugnans Cassianum quemdam Valentini discipulum et Docitarum principem, nonnullosque alios eidem hæresi addictos, qui cum Tatiano nuptias damnabant, hæc scripta reliquit: *Certum est Dominum quoque venisse.... ad eos, qui sensibus seu cogitationibus aberraverunt, ad nos, inquam, venit Servator: quæ quidem ex nostra in præceptis inobedientia corrupta sunt, dum nimis avide voluptatem persequeremur, cum forsitan protoplastus noster tempus prævenisset, et non in tempore matrimonii gratiam appetivisset, et aberrasset*: et paulo post, pag. 470: *Etsi*, inquit, *cum ex brutis animantibus insidiosi consilii rationem cepisset serpens, et persuasisset, dicat Adam adsensum esse cum Eva conjunctioni, nempe quod hac natura alias usi non essent protoplasti, ut non nulli existimant; rursus maledictis incessitur creatio, ut quæ rationis expertium animantium natura homines fecerit imbecilliores, quos consecuti sunt, qui a Deo primi formati fuere. Sin autem natura quidem eos, sicut bruta, deduxit ad filiorum procreationem; moti autem sunt citius, quam oportuit, fraude inducti, cum adhuc essent juvenes; justum quidem est Dei judicium in eos, qui non exspectarunt voluntatem.* Docet itaque Clemens ex non nullorum, quos sine propriis nominibus appellat, sententia, Adam et Evam in eo peccasse, quod nimis avide voluptatem appetentes, *non voluntatem* divinam, qua conjunctio præciperetur, exspectassent, sed *citius quam oportuit matrimonii gratiam appetivissent. Non nulli*, qui hanc sententiam ingererent, ipsi, quos refellit, forte fuerunt hæretici; quos tamen hac in re non omnino rejicit, sed per particulam *forsitan* eamdem sententiam posse defendi non abnuit, et solum nihil exinde colligi posse contendit, unde illi nuptias malas esse convincant. Unde porro sive illi, sive Clemens hanc sententiam collegerit, ignotum plane est; at ex libro aliquo apocrypho, vel potius ex Hebræorum quorumdam interpretatione dimanasse videtur, quos quidem indicatos putamus a Moyse Barcepha Syro episcopo, cum parte prima Commentar. *de situ Paradisi* cap. 19, pag. 464 tomi XVII Biblioth. PP. editionis Lugdunensis, hæc scribit: *Sunt quidam, qui existiment non fuisse arborem id, de quo gustavit Adam, sed venereum amplexum, quo cum uxore ille corpus miscuit.... neque aliud voluisse illud præceptum, ne edatis de illa arbore, quam non coeatis, sed sancte et absque omni venere vivatis, et quo die de illa ederitis, morte moriemini, id esse, quo die corpora miscebitis.* Huic sane interpretationi non nullos posterioris quoque ætatis Rabbinos subscripsisse satis colligimus ex Dialogo 3 *de Amore*, circa medium, quem Leo Hebræus Mutinensis sæculo XVI, italice edidit. Ut autem ex Hebræorum libris, aut certe ex Hebræorum id temporis sensibus hanc interpretationem ab Auctore nostro deductam probabilius judicemus, illud suadet, quod ille tract. 13 lib. I, *de Circumcisione* adversus Hebræos disserat, et ex præcipua, ut videtur, ipsorum sententia circumcisionem explodere nitatur. Equidem si non alienam, sed suam hic protulisset sententiam, qui tract. 6

Digitized by Google

lib. 1, num. 3, vulgatæ, ut initio monuimus, subscripsisset explicationi, qua Adam *sacræ arboris pomum male dulce delibasse* traditur? qui eodem tract. 13 lib. 1, num. 10, *letale lignum a sola muliere* tactum prodidisset, si in vetita, uti putabatur, matrimonii conjunctione utrique lignum et pomum attigissent? Itaque propterea hac interpretatione S. Zenonem usum esse nobis credibile est, ut Hebræos propria eorum hypothesi fortius convinceret. Cum vero hanc eamdem sententiam innuat tract. 2 lib. 1, ubi tamen adversus Hebræos nihil est; hanc sententiam non tantum Hebræorum, sed aliquorum etiam Christianorum propriam licet agnoscere, ita ut S. Zeno hanc prætermittendam non duxerit, ubi de perniciosis veneret amoris effectibus sermonem instituerat, licet ipse aliam veramque sententiam sequeretur.

[CV] CAPUT V.

QUAM RECTE DE DIVINA GRATIA S. ZENO SENSERIT.

Hoc præcipuum caput est, in quo cum S. Zeno alicubi duriuscule locutus videretur iis, qui Veronensem editionem curarunt, eam sibi licentiam sumpsere, ut non nullis verbis in textum insertis, quibus catholicus sensus perspicuus referretur, aliquot loca emollirent, seu explicarent, quemadmodum per eadem tempora evenit Romanis S. Ambrosii editoribus, quos illi in exemplum sibi proposuisse in præfatione fatentur. Durlora in primis visa sunt illa tract. 1 lib. 1, num. 1, ubi fidei naturam talem et tantam esse testatur, *ut unicuique homini non ab alio commodetur, sed ejus ex voluntate nascatur*; quibus cum voluntati totum videretur tribuere, ut ne divinam gratiam adstrueret, in editione Veronensi impressum fuit sic: *ut unicuique homini non ab alio, sed ejus ex voluntate, præveniente Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio, nascatur.* Similiter tract. 2 ejusdem libri, num. 3, illa sententia: *Fides itaque vel maxime res propria nostra est*, supplenda visa est in eadem editione hoc modo: *Fides itaque donum Dei vel maxime res propria nostra est.* Tandem tract. 12 libri ejusdem, num. 4, duplicem vitam distinguens corporis et animi: *Hanc*, inquit, *nos nobis ipsi hac in vita per fidem sacri fontis vivo de gurgite comparamus:* quæ cum timerentur accipienda, ut gratia exclusa, tota justificationis vis nobis tribueretur, edita similiter fuere cum additione, *nos nobis ipsi Deo movente et adjuvante.... comparamus.* Sed his emendationibus, quæ catholicos in invidiam vocant (sæpe enim aliquas id generis correctiones, quibus pauci quidam editores vano metu indulserunt, hæreticos nobis exprobrantes vidimus, ac si Patrum opera corrupissemus: quod catholicæ veritati magno præjudicio fuit); his, inquam, correctionibus nihil opus erat, cum satis ex quæstione, quæ id temporis agebatur, hæc loca, ut nihil gratiæ obsint, commode explicentur, aliis autem ex locis Zeno se recte de gratia sentientem prodat.

Itaque primum testimonium, quo sensu prolatum sit, ex quæstione, quæ tum agebatur, patebit. Eo in tract. 1 lib. 1, *de Fide* non illud quærebatur, utrum fides ex gratia, an ex voluntate sit, nec ne: quæ quæstio Zenoni ne in mentem quidem venit, et multo post a Pelagianis excitata fuit. In Arianos tota erat sancti Antistitis contentio, qui fidem variis tractatibus et argumentis exponendam rati, adeo in iis lucubrandis, edendis, legendisque laborabant, ac si absque hoc studio concipi fides non posset. Hos ergo ut refelleret S. Zeno, fidem homini *non ab alio* utique homine per tractatus memoratos *commodari, sed ejus ex voluntate nasci* prodidit: quibus unum improbum et periculosum tractatuum studium excludere mens illi et consilium fuit, ut ex sermone reliquo liquet; nihil vero contra gratiæ necessitatem voluit affirmare. Qui nimirum voluntatem laudat, quæ ad fidem concipiendam sane concurrit, non proinde gratiam excludere judicandus est; sicut qui gratiam adstruit, non idcirco voluntatem excludit. Solam autem voluntatem, non vero gratiam memoravit S. Zeno, quod nulla tum esset hoc ex capite quæstio, error nullus, cujus ex periculo tantum acui solet animus, ut in scribendo ac loquendo cautiores simus. Similis est interpretatio tertii testimonii, in quo vita animæ a nobismet ipsis comparata perinde dicitur, ac fidem ex nostra voluntate esse superius dixit: et idem est de testimonio secundo, quo fides *res maxime propria nostra esse* affirmatur. Quamquam hic *nostram* dixit, ut *alienæ* opponeret; subdit enim statim: *Igitur si nostra est, servemus ut nostram; ut jure speremus aliena*; quod ad controversiam de gratia nihil pertinet. Cæterum alii quoque Patres, qui ante Pelagiana tempora floruere, cum nondum ex hostium furore admoniti fuissent, ut cautius loquerentur, similes formulas, ut notavit Augustinus, non numquam usurparunt: quæ cum solius voluntatis meminerint, ad contundendos [CVI] quidem hæreticos nequeunt converti, at cum gratiam non proinde excludant, iisdem favere non possunt. Quid? Nonne et ipse Augustinus de se ipso testatur, se, antequam Pelagiana hæresis erumperet, pari locutione usum, quæ sano quidem sensu accipi poterat, sed cum Pelagianis similia loqui videbatur? Hinc cum in eamdem locutionem in Expositionibus Epistolæ Pauli ad Romanos scripsisset: *Quod ergo credimus, nostrum est*, et *nostrum est credere et velle;* nata subinde Pelagianorum hæresi, cui hasce locutiones favere judicari poterant, has cum minus recte scriptas affirmat lib. 1 Retract. cap. 23, tum vero ibidem notat, easdem posse recte explicari et intelligi; nam et credere et operari, ut ait num. 2, *utrumque nostrum est, propter arbitrium voluntatis; et utrumque tamen datum est per spiritum fidei et charitatis*; et n. 3: *Verum est quidem, sed eadem regula; et utrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem; et utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis.*

In hanc autem rationem cum cæteros Patres, tum vero etiam S. Zenonem voluntatis humanæ vim commendasse, ex aliis locis, quibus gratia commendatur et præfertur, manifestum est. Præclarum sane

Digitized by Google

illud, quod legitur tract. 6 lib. I, sub finem, ubi A postquam auctor plurium Sanctorum egregia opera commendavit, omnia Dei dono, id est divinæ gratiæ referenda perspicue confitetur his verbis : *Omnes omnino memorati, omnesque felices ejus* (Dei) *dono sunt tales.* Sed præstantissimum omnium, et mille testimoniis æquivalens est illud ex eodem ipso tractatu 1 lib. I, ubi voluntati ortum fidei attribuit his verbis num. 1 : *Non sub lege*, inquit, *sed sub gratia sumus, quæ nos diligere Deum, ac soli illi servire in sacramento semel creditæ unicæ Trinitatis non argumentis, non necessitate, sed voluntate compellit.* Quot verba, tot sententiæ. Hoc testimonio et fidem et charitatem et universa Christiana opera, quibus Deo servimus, complectitur; et hæc omnia gratiæ tribuit, quæ hæc præstare voluntatem *compellit.* Hoc autem B verbo *compellit*, ne nimium gratiæ tribuere videretur, ac si necessitate illata, libertatem voluntatis adimeret, explicavit se se inquiens : *non argumentis, non necessitate, sed voluntate compellit;* quibus insinuatur gratiæ efficacia, et simul libertas intacta relinquitur. Cum porro eodem tractatu de fide ex proposito sit sermo, hoc quoque testimonio, cum *argumenta et necessitatem* excludens, *voluntatem* adscrit, de fide potissimum loquitur, quam non argumentis, id est non ratione, non scientia, quæ necessitatem inferat, sed *voluntate* excipiendam intelligit eodem plane sensu, quo initio dixerat eam *non ab alio* per argumenta *commodari, sed ex voluntate nasci.* Cum ergo quæ voluntatem ad fidem citra necessitatem et rationes compellit, a S. Zenone esse dicatur C gratia; in eamdem plane sententiam primus quoque textus interpretandus est, ut ne gratia idcirco prætermissa credatur, ac si illam S. Zeno necessariam non agnoverit, sed quod illam ingerere opus semper non fuit, ut aliis quoque Patribus accidit.

Addemus etiam aliud, quod non levis fortasse momenti habebitur. Cum S. Episcopus, sicubi antithesibus utitur, *voluntatem necessitati* semper opponat, *voluntatem* pro *libertate* accepisse videtur, ita ut pene ipsum idem sit *voluntate, non necessitate*, ac *libere, non necessario.* Præter locum nunc nuper allatum ex num. 1 tract. 1 *de Fide*, ubi in hanc sententiam gratia ad fidem compellere traditur *non necessitate, sed voluntate*, tractatu 8 lib. I, *de Timore*, num. 1, duos timores distinguens, alterum, qui na- D turali vi necessario excitatur ob ea, quæ impendent pericula, mortem, etc., alterum, qui Dei timor est, et non *in trepidatione* naturali, sed *in doctrinæ ratione* libere a nobis concipitur, illum necessarium, hunc vero liberum significaturus, his verbis utitur; de primo quidem num. 2 : *Non devotionis, sed necessitatis est quod timetur;* de secundo autem num. ultimo : *Qui timet arte, non casu, voluntate, non necessitate;* ubi perspicue *voluntas* pro *ea libertate*, quæ *necessitati* contraria est, accipitur. Et *voluntatem* sane pro *libertate* Auctor jure accepisse cognoscitur, quatenus quæ libera sunt, ea ex ipsiusmet voluntatis motu nascuntur : unde ad id significandum de eodem libero Dei timore dixerat paulo ante : *Qui voluntate sua se parit*, id est nulla [CVII] vi externa cogitur, nulla necessitate compellitur. Similiter ergo cum fidem *ex voluntate nasci* docuit, libere genitam unice voluit innuere, quin propterea ad gratiam negandam, sed potius ad statuendam arbitrii libertatem ejus testimonium traduci possit.

CAPUT VI.

NUM S. ZENO DE FIDE VEL CHARITATE LOQUENS EXCESSERIT.

Alii tres tractatus exstant, in quibus nunc de fide, nunc de charitate duriuscule scripsisse visus est, et contraria ferme sententia; quæ loca ne occasionem erroris afferrent, Veronenses Editores vel mutatis vel additis terminis explicanda duxerunt. Fidem primo duobus tractatibus ita extulit solam, ac si sola ad salutem satis esset : nam tract. 12. lib. II, de Abraham num. 2, *Sola*, inquit, *fides præferenda;* et tract. 33, ac si sola sufficeret ad beatitudinem consequendam, addidit : *Quantum quis crediderit, tantum beatitudinis et habebit.* Utroque loco Editores additionem inseruere, qua opera quoque necessaria esse explicarentur, sicque intelligeretur fides illa viva, quæ, ut ait Apostolus, *per charitatem operatur :* unde primum textum sic edidere : *Sola fides præferenda, id est operibus ornata; qualis fuit Abrahæ :* secundum autem sic : *Quantum quis crediderit, et operatus fuerit, tantum beatitudinis et habebit.* Miramur autem non addidisse etiam aliquid tract. 31 lib. II, ubi soli fidei gratiæ augmentum Auctor videtur tribuere : *Qui plus crediderit, nobiliorem se ipse præstabit.*

Si porro hisce in locis fidem Zeno nimium extulisse videri potest, ac si sola vim salutis habeat; contraria plane ratione tract. 2 lib. I, charitatem ita effert, ut non solum nec fidem nec spem sine charitate quidquam posse affirmet (quod recte dici potuisset, quatenus illæ si charitate non ornentur, ad salutem nihil conferunt), sed etiam stare utrasque nequaquam posse sine illa bis pronuntiet, de fide et spe inquiens num. 1 : *Quibus si deneges charitatem, utraque cessabunt; et* num. 5 : *Utræque non stabunt.* Editores autem Veronenses liberiori manu pro *cessabunt* primo loco supposuerunt *inutiles erunt*, et pro *non stabunt* secundo loco scripsere *non proderunt.* Sed hæc tam libera Editorum correctio, vel additio Zenonem non vindicat, sed potius accusat, ac si illum sine additionibus, vel correctione æquam in sententiam explicare non liceat; idque hæreticis, quibus errandi occasionem subripere Editores putarunt, criminandi ansam adversus nos maximam dedit, ac si Patres, quos contrarios nobis sentimus, studiose corruperimus, ne contrarii nobis viderentur. Itaque alia ratio ineunda, qua S. Zeno per se ipsum satis explicetur. Primo autem hæc ipsa apparens sententiarum ejus pugna, qui modo fidei, modo charitati nimis tribuere videtur, satis argumento esse debet, nec fidei, nec charitati id dari, quod primo adspectu videtur, sed innui aliud quidpiam, ut ne contradictio inde redeat.

Digitized by Google

Porro ut de fide primum dicamus, cum ex tract. 3 lib. I, n. 4, certum est, iis solum immortalitatis præmium a Zenone attribui, qui veram justitiam colunt, obtritisque sæculi voluptatibus, *Dei præcepta custodiunt* : tum ex tract. 1 ejusdem libri palam est, Zenonem non aliam fidem saluti æternæ utilem commendare, quam quæ per charitatem operatur; perspicue enim num. 2, de fide loquens, eos, qui sine operibus inveniuntur, a fide damnatos testatur : *Qui ad se*, inquit, id est ad fidem, *veniunt, professionem credulitatis ab eis solam ideo, quia eorum fidem videre non potest, exigit : quam si abesse ex moribus deprehenderit*, [CVIII] *confestim, ut perfidum, punit irata, quem docuit;* et paulo post eodem num. fidem illam commendat, quæ non opera externa solum, sed etiam conscientiæ internæ munditiem præstat : *Fides conscientiam medullitus mundat, ne quid reatui vel intrinsecus debeat.* Videndus ejusdem tractatus finis, ubi se, quoties fidem commendat, eam commendare semper insinuat, qua quis *Deo fideliter servit, in ipso solo fiduciam gerit;* nam *a fidelitate et fiducia*, inquit, *fidelem se vocari cognoscat.* Itaque si fidelem eum vere ac perfecte habet, qui *fiducia*, id est spe, et *fidelitate*, id est fideli mandatorum observantia, se fidelem præstat; eam *solam fidem* utique laudat ac præfert, quæ a fiducia seu spe, et a fidelitate seu operibus disjuncta non est : et hinc sane tract. 13 lib. I, num. 11, *solam observantiam voluntatis Dei esse fideliter viventibus necessariam* disertissime affirmat. Cæterum tract. 2 lib. I, num. 4, charitatis elogium scribens, hanc *ita rebus universis præditam*, seu prælatam affirmat, *ut sit omnium, jure ipso, regina* (*divinarum omnium virtutum substantiam* vocat paulo post num. 5), quod de fide dici non potuit in tractatu de Abraham, nisi fidem ibi eam accepisset, quæ charitate circumsepta est atque vestita. Similiter igitur de hac pariter fide loquitur tract. 16 lib. I, num. 12, cum *meræ fidei* victoriam tribuit, vel *præmium*, uti tract. 2, num. 2, unde tract. 12, num. 4, ea ipsa in periodo, ubi *vitam per fidem comparatam* testatur, de fide cum operibus conjuncta id cupiens intelligi, hanc ejus dicti rationem subjicit : *quia animus, qui vicerit mundum, agnoscendo ac servando religionem veram veramque justitiam, immortalitatis necesse est pro laboris sui munere immortali beatitudine perfruatur.*

Quod vero tract. 2 lib. I, charitatem nimium efferre videtur, quatenus sine illa cæteras virtutes, ac præcipue fidem et spem *cessare*, vel *non stare* Auctor pronuntiat, duplici responsione explicatur. Primo *utræque*, id est fides et spes, *cessabunt*, a Zenone dictum patet, non quod perire semper illas putarit, si charitas abeat, sed quod, charitate deficiente, non numquam illæ deficiunt, uti probat hoc eodem tractatu, num. 6, proposito Judæ exemplo, qui *et spem, et fidem perdidit, quia charitas in ipso non mansit.* Vide quæ in eamdem rem ibidem subjiciuntur, num. 4. Cæterum posse fidem, posse alias virtutes sine charitate consistere, ita tamen ut ad salutem nihil prosint, Auctor satis novit et docuit ex Paulo, num. 6, qua eadem ratione de spei laudibus disserens, non negavit spe deficiente fidem non posse subsistere, sed utilem nihil esse, et vix reperiri posse in eo, qui mercedem æterni præmii nullam fore confidit : nam *quid Christianus*, inquit num. 1, spei necessitatem comprobaturus, *credit in Christum, si promissum sibi ab eo perpetuæ felicitatis tempus non credit esse venturum?* Lege quæ ibidem sequuntur, ubi Zenonem de hac spe æterni præmii, quod per fidem cognoscitur, loquentem pluribus invenies. Quæ interpretatio Zenonianæ mentis si recte teneatur, alia multa subinde obscuriora facile intelligemus. Deinde aliam rationem, quæ in Zenonis sententiam æquissima est, afferre possumus, cur sine charitate spes et fides vere *non stent, cessent, moriantur* : omnibus enim hisce verbis ille utitur. Cum scilicet nihil sine amore in hominis animo subsistere queat; profecto fides et spes, si non amentur, *non poterunt stare;* ac proinde sine omni amore *cessabunt* atque *morientur* : sicuti sane *sistent*, utique amantur, et aliqua semper in corde charitas seu amor est. Quam in sententiam S. Ambrosius, serm. 9 in psalm. CXVIII, num. 3 : *Quis est*, inquit, *qui sperat, nisi qui, quod sperat, optat et diligit?* Hac porro mente, hac notione Zenonem locutum, ita ut charitatis nomine non illam stricte acceperit, qua diligitur Deus vel proximus, sed aliam longe latius patentem, qua nos quidlibet, et ipsam etiam fidem ac spem suscipimus, et amamus aliquatenus, dum suscipimus; imo latiorem præterea multo, ut rerum etiam, quæ nullius veri amoris capaces sunt, metaphoricum quemdam amorem complectatur, palam ostendimus ex eodem tractatu incipientes a testimonio, quod difficultatem non levem sine hac charitatis præcipua notione injiceret. Scribit ergo num. 4 : *Fides paucorum est, charitas omnium.* Hunc locum cum de charitate Christiana accipiendum putasset Sparav., corrigendum duxit, ut contrario prorsus sensu legeretur : *Fides omnium est, charitas paucorum;* nam Christiana charitas in paucioribus est, quam fides. Sed præterquam quod [CIX] fides *omnium* dici non potuit, cum non omnes Christianam fidem teneant; Zeno autem de universis hominibus loquatur, ut ne de solis Christianis se loqui vel uno verbo subindicet; huic emendationi nulli codices, nullæ editiones suffragantur. Itaque alia notione Zenonem verissime locutum putamus, quod vere fides in paucis sit, quia Christiani pauci sunt præ cæteris infidelibus, qui licet fide careant, charitatem tamen aliquam habent, cum nemo sine aliquo amore esse possit; unde et Gentes se se invicem diligere, ac benefacere pluribus leguntur. Non itaque apud Zenonem de vera et Christiana charitate sermo est, sed de charitate pro amore aliquo latissime sumpta. Equidem id notionis in Auctoris mente insedisse, dum hæc scriberet, illud plane convincit, quod charitatis laudes fusius expositurus, quam late ea pateat ostendit, et *charitatis* nomine ubique utens, primo quidem illas ejus dotes commendat, quæ in Christiana

Digitized by Google

charitate enitent, at dein eas quoque subjicit, quæ omnium gentium, imo etiam et belluarum ac insensibilium pariter rerum charitati cuidam congruunt; unde num. 5, commemorata quadam charitatis specie, quæ ipsis elementis, dum inter se se continentur, inesse concipitur, concludit hac generali sententia : *Nihil est prorsus, quod sine hac charitate gratum, sine hac pacificum, sine hac fidele, sine hac securum, sine hac gloriosum, sine hac Deo junctum, sine hac possit esse perfectum.* Hinc itaque cognoscitur quanta circumspectione in explicandis antiquis Scriptoribus utendum sit, ne forte vocum notiones, quæ nostris temporibus obtinent, in ipsorum quoque tempora transferentes, ex iisque eorum voces interpretandas judicantes, errasse illos, vel scripturam codicum corruptam, ac ex nostro usu loquendi corrigendam putemus. Itaque si charitatem tam late S. Zeno accepit, ut quemcumque amorem belluis etiam et inanimatis rebus communem intelligeret; jure sine charitate deficere alias virtutes, idest fidem ac spem, affirmavit, quas sine aliquo ipsarum amore nec suscipi, nec foveri posse manifestum est; in qua charitatis notione S. Zeno cum S. Ambrosio similiter loquens, nullam erroris notam incurrere potest.

CAPUT VII.

DE SECUNDIS NUPTIIS, ET DE CHRISTIANORUM CUM INFIDELIBUS CONJUGIO.

Inter errores, quos ad infringendam, si fieri posset, SS. Patrum auctoritatem, Heterodoxorum non nulli ex ipsorum scriptis agglomerare et objicere student, ille est non minimus, quod a nonnullis secundæ, et multo magis, quartæ, et plures, successivæ licet, nuptiæ veluti criminosæ traduci videantur. Inter hos autem Patres cum. S. Zeno in easdem acriter peroraverit tractatu præsertim 5 lib. I, hujusce capitis vindiciæ prætermittendæ nobis non sunt : cum potissimum ex rationibus ab eo allatis aliquid novi afferri possit, unde sanum non tam ejus, quam cæterorum quoque Patrum consilium, ac satis æquæ vindiciæ colligantur, quibus omnes acquiescant, qui non præjudicato in Patres animo, sed ratione ducantur. Verum ut de nostro Auctore in primis ac præcipue dicamus, hic cum tract. 5, continentiam commendandam sibi sumpsisset; contemptis plurium oblocutionibus quas adnotatione 2 explicavimus, primo virginitatem persuadere studet; tum vero vidualem continentiam promoturus, contra secundas quidem nuptias num. 4 et 5 disserit aliquid; at eas rationes tantum inculcat, quibus eas viduæ, quæ filios habeat, quæque virum ex corde, non ficte dilexerit et conclamaverit, minus congruas, nec necessarias ostendat, [ex] non quibus inlicitas statuat. Imo vero sub init. num. 4, unum locum Pauli opponens ubi nihil nisi ex consilio præcipitur, unam *observantiæ perfectionem* in divino cultu custodiendam commendat: et ineunte num. 6 inter res *prope sanas* secundas nuptias aperte refert, in quibus immorari diutius noluit : ubi τὸ *prope* neminem moveat, cum id non nuptiarum earumdem culpam spectet, sed incontinentiæ defectum, qui cum ejusmodi nuptiarum causa esse plerumque soleat, easdem non omnino sanas reddit : qua etiam ratione vel primæ nuptiæ, si ob incontinentiæ remedium assumantur, defectu aliquo prorsus non vacant, ut S. Augustinus ex Pauli epistolis palam convincit. Nihil itaque adversus secundas nuptias S. Zeno ingerit, quod non sanam sententiam contineat.

In hoc alii aliquot Patres durius multo locuti inveniuntur; nam Athenagoras in Legatione pro Christianis, paulo ante finem, postquam de suæ ætatis Christianis tradit : *Vel, ut natus est unusquisque nostrum, manet, vel in unicis nuptiis;* subdit adversus secundas a Christianis alienas : *Secundæ quippe speciosum sunt adulterium;* ait enim : *Quicumque dimiserit uxorem suam, et duxerit aliam, mœchatur : neque illam dimittere concederis, cujus deleberis virginitatem, nec aliam ducere; nam qui se ipsum priori uxore privat, licet mortua, adulter occultus est.* Non minus æquus secundis nuptiis non nullis visus est S. Irenæus, cum lib. III de Hæres., c. 19, scriptum reliquit : *Samaritanæ illi prævaricatrici, quæ in uno viro non mansit, sed fornicata est multis nuptiis*, sed perperam; nam de Samaritana illa Evangelica hic sermo est, quæ non plures successivas nuptias inivit, sed plures viros simul habuit quorum nemini nupserat, ac proinde non secundas vel multiplices nuptias ibi reprehendit, sed mulierem plurium fornicationum ream : licet Auctor, quæst. 59 ad Antiochum inter Opera S. Athanasii, quinque priores ejus viros legitimos putet. Adde quod pro *nuptiis* alii codices legunt *impiis*, quo magis multo difficultas eliditur. Athenagoræ propius concinere videtur Clemens Alexandrinus, qui lib. II Stromat., pag. 421 : *Matrimonium est*, inquit, *prima, et secundum legem viri et mulieris conjunctio;* et lib. III, pag. 457 : *Unusquisque nostrum habet, si velit, potestatem uxorem legitime ducendi, in primis, inquam, nuptiis;* ex quibus locis apparet ei *primam* solum *conjunctionem* matrimonium haberi legitimum, non secundam, unde pag. 464 : *Fornicatio est ab uno matrimonio ad plura prolapsio.* Minucius Felix non absimiliter inter *adulteria* Gentium recensere videtur plures nuptias, quas non nulli apud illos inibant; sic enim in Dialogo, post medium num. 24 : *Alia sacra coronat univira, alia multivira, et magna religione conquiritur, quæ plura possit adulteria numerare;* ac num. 31, Christianos *unico* conjugio, aut *nullo* uti testatur. His addendus antiquus auctor Operis imperfecti in Matth. homil. 32, in cap. XIX, qui secundas nuptias *veram fornicationem* appellat, seu *fornicationem honestam;* sic enim ait : *Apostoli præceperunt secundas adire nuptias propter incontinentiam hominum : nam secundam quidem accipere, secundum præceptum Apostoli est; secundum autem veritatis rationem vere fornicatio est : sed dum permittente Deo publice et licenter committitur, fit honesta fornicatio.* Neque prætereundus esset Origenes homil. 17 in Lucam, cum bigamos et polygamos succes-

Digitized by Google

sivos *a Dei regno* exclusos tradit, inquiens : *Nunc vero et secundæ et tertiæ et quartæ nuptiæ, ut de pluribus taceam, reperiuntur ; et non ignoramus, quod tale conjugium ejiciet nos de regno Dei.* Sed si legantur cætera ; statim apparebit, Origenem *regni Dei* nomine intelligere perfectionem illam et coronam, quæ propria est virginum et continentium, qui unum conjugium servarunt ; nam sequitur : *Puto enim monogamum et virginem et eum qui in castimonia perseverat, esse de Ecclesia Dei ; eum vero, qui sit bigamus, licet bonam habeat conversationem, et cæteris virtutibus polleat, tamen non esse de Ecclesia, et de eo numero, qui non habet rugam aut maculam aut aliquid istiusmodi, sed esse de secundo gradu et de his, qui invocant nomen Domini, et qui salvantur quidem in nomine Jesu Christi, nequaquam tamen coronantur ab eo*, etc. Hinc homil. 19 in Jerem. non æterno addicendum tradit supplicio bigamum, sed salutis alicujus participem, non tamen tantæ, quantam qui continens vixerit, assequetur. Vide etiam hom. 27 in Joannem. Inter P. P. catholicos Tertullianum tandem non appellavimus, qui in libro de Monogamia bigamiam aperte damnat : nam, ut observavit S. Hieron. [cxi] in cap. 1 Epist. ad Titum, eum librum Tertullianus scripsit, cum esset hæreticus Montanista, cujus sectæ hic inter cæteros error fuit, eodem Hieronymo teste, ut *secunda matrimonia ab Ecclesiæ communione prohibenda* putarentur. Præterquam quod Tertulliano hæretico Tertullianus catholicus opponendus est, qui in lib. II ad Uxorem, ipsi, si continere post suum obitum non posset, ut secundas nuptias adiret, auctor fuit ; dummodo illas cum catholico, non cum pagano iniret. Non nullos movere possunt, quæ tradit Ratramnus lib. IV contra Græcos cap. 2, tom. I Spicilegii Acheriani pag. 109 et 111, cum ex Socrate refert, *Constantinopolitanos..... in recipiendo vel rejiciendo binubos non idem sentire, sed esse divisos ; quibusdam sentientibus eorum receptionem, quibusdam dissentientibus ratam esse.* Verum qui a Socrate lib. V, cap. 22, secundis nuptiis inimici memorantur, non sunt catholici, sed hæretici Novatiani, qui binubos non recipiebant. Itaque ex catholicis adversum secundas nuptias quatuor illi Patres tantum, quos memoravimus, acerbius aliquanto locuti inveniuntur, de quorum tamen sententia non nihil postea dicturi sumus : cæteri vero Patres cum catholica Ecclesia secundas quidem nuptias non bene acceperunt, iidemque quibuscumque possent argumentis, ab illis avocare conati sunt Christianos, ut S. Zeno studuit ; non tamen eas per se inlicitas ac inhonestas judicarunt umquam ; imo vero Montanistas primum, dein Novatianos, qui eas condemnabant, tamquam hæreticos habuerunt et proscripserunt.

Plures vero Patres, perinde ac S. Zeno, durius multo agendum putarunt cum iis, qui tertias et eo plures nuptias sequerentur. S. Zeno quidem num. 6, cum ait : *Sed sic ego in rebus demoror prope sanis* (nimirum in secundis nuptiis) *quasi quæ vere exsecranda sint, jam correcta sint crimina ;* ubi sermonem adversus tertias ac plures nuptias aggreditur, quas *crimina vere exsecranda* appellatas vides. Non multo absimiliter S. Basilius epistola prima canonica ad Amphilochium, can. 4, quidquid nuptiarum post bigamiam contrahitur, *non conjugium, sed castigatam fornicationem* vocat ; et can. 50 hasce multiplices nuptias *Ecclesiæ inquinamenta* nominat. S. Gregorius Nazianzenus orat. 37 in illud Evangelii : *Cum consummasset Jesus hos sermones*, expendens hæc Apostoli verba ad Ephes. 5 : *Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo et in Ecclesia*, ait : *Hac oratione secundas nuptias mihi deprecari videtur. Si enim duo Christi sunt, duo quoque viri ; si autem unus Christus unum Ecclesiæ caput, una etiam caro sit, secunda autem respuatur. Quod si secundum prohibet, de tertia quid dicendum est ? Primum lex est, secundum venia et indulgentia, tertium iniquitas : qui autem hunc numerum excedit, porcinus plane est.* Viden' secundas quidem nuptias primo reprehendi, at *venia et indulgentia* dignas censeri, tertias autem *iniquitati* verti, et de reliquis pejus multo judicari ? ex quo Nazianzeni testimonio nihil dubitamus, quin eam sententiam mutuatus sit Leo Sapiens in lege, quæ inscribitur *Feminæ C. de secundis nuptiis : Primæ nuptiæ lex, secundæ indulgentia, tertiæ porcina illegalitas, quartæ belluina vita.* Neque hic prætereundus Heraldus Turonensis Archiepiscopus, qui inter capitula ex antiquis scriptoribus excerpta an. 858 hoc recenset cap. 3 : *Nullus laicorum plusquam duas uxores habeat : quod vero extra est, ad adulterium pertinet.* Ipse S. Ambrosius, qui pro secundis nuptiis contra Novatianos calculum posuit, plures nuptias reprobare videtur lib. de Viduis, cap. 11, num. 68 : *Neque enim prohibemus secundas nuptias, sed non suademus..... plus dico, non prohibemus secundas nuptias, sed non probamus sæpe repetitas.* Videmus quidem aliud esse non probari, aliud reprobari, quorum alterum rei est non prorsus bonæ, alterum plane malæ ; sed hoc satis ostendit, quo animo in Ecclesia nuptiæ tertiæ et repetitæ ferrentur, quas neque illi, qui has licitas defendebant temperare sibi possent, quin sibi minus probatas prædicarent.

Hinc autem gradus patet ad Patrum mentem adsequendam, cum illas adulterio, vel fornicationi deputarunt. Hoc nomine non eas per se malas esse volebant intelligi [cxii] unde non absolute adulterii, aut fornic. accusarunt ; sed immoderatam in ipsis quamdam libidinem sibi videbantur deprehendere, quæ etsi dum in nuptiis consisteret, verum adulterium aut fornicatio dici non poterat ; tamen ob indomitum voluptatis affectum simile quidpiam præferre videbatur, ut *adulterium*, sed *decorum*, cum Athenagora, *fornicatio*, sed *castigata*, cum Basilio, et *honesta*, cum Operis Imperfecti auctore posset appellari, ut ne tamen idcirco seu bigamia, seu repetitæ nuptiæ vere ab iis Patribus damnatæ credantur. Qui enim, si malas ac damnatas putassent, *decoras, casti-*

Digitized by Google

gatas, et *honestas* potuissent affirmare? Argumentum id perspicuum est, *fornicationis* et *adulterii* vocibus eos usos formula antiquis usitata, qua non semper exprimebatur verum delictum quale illis verbis proprie acceptis intelligi solet, sed significabatur quandoque matrimonium non multum probatum; qua ratione adulteria videmus appellatæ primæ etiam nuptiæ, quas quis, servatis legitimis formulis, cum inferioris gradus muliere contraxisset, unde etiam concubinæ nuncupatæ inveniuntur privatæ ejusmodi mulieres, etsi quis eas uti uxores duxisset. Antequam de antiquorum testimoniis sententiam quispiam ferat, oportet consideret et intelligat verba, nec eis illam subjiciat sententiam, quam hodie præferunt, sed diligenter observet opus est, quam olim, cum a Scriptore prolata sunt, haberent, et quo consilio edita fuerint præterea cogitet: quod si minus fiat, multiplices in errores labamur necesse est, et intelligamus plane nihil, cum omnia intellexisse nobis videmur. Id totum ut in rem nostram plane liqueat, considerandus est præter cæteros Clemens Alexandrinus, cujus adversus secundas nuptias testimonia dedimus paulo ante, in quorum postremo. *fornicatio* expresse nominatur *ab uno matrimonio ad plura prolapsio*. In primis certum est ex lib. I Stromatum, pag. 428, eum secundas nuptias non condemnare; laudata enim monogamiæ honestate, *de secundis nuptiis* ait: *Si uraris, inquit Apostolus, jungere matrimonio*; et pag. 461 diserte fatetur ab Apostolo *propter intemperantiam et ustionem secundum concedi matrimonium: nam hic quoque non peccat quidem ex Testamento, non est enim ex lege prohibitum; non implet tamen universam illam perfectionem quæ agitur ex Evangelio*. Quid luculentius afferri posset, ut secundæ nuptiæ *sine peccato* contrahi persuaderentur? Cum itaque eas *fornicationem* appellat, *fornicationis* nomine aliud aliquid innuit, quam quod vulgo intelligi solet. Id autem quid sit, ex toto contextu cognosci potest. Sic autem ait pag. 464: *Ad eos autem pudore afficiendos et reprimendos, qui sunt proclives ad secundas nuptias, apte Apostolus alto quodam tono eloquitur. Inquit enim: Ecce omne peccatum est extra corpus: qui autem fornicatur, in proprium corpus peccat. Si quis autem matrimonium audet dicere fornicationem, rursus legem et Dominum insectans, maledictis impetit. Quemadmodum enim avaritia et plura habendi cupiditas dicitur fornicatio, ut quæ adverseatur sufficientiæ: et ut idololatria est ex uno in multos Dei attributio; ita fornicatio est ab uno matrimonio ad plura prolapsio*. Quid exploratius *fornicationis* significationem non stricte, sed late hoc loco acceptam declarare potest? quod ipsum et de adulterii voce sentiendum est; nam, ut idem Clemens notat, *fornicatio* et *adulterium* eodem sensu ab Apostolo mutuo sumuntur. Tria autem sunt, eodem Clemente auctore, quæ ab Apostolo *fornicationis* nomine appellantur: primo avaritia, qua quis sufficientibus non contentus, pluribus inhiat; secundo idololatria, qua unius Dei quis non satis habens, plures constituit; ac tandem eadem ratione bigamia *fornicatio* appellatur, qua quispiam ex unis nuptiis in plures dilabitur. Viden' latum *fornicationis* sensum, quem hac in re Patres præcepere, cum secundas aut plures nuptias *fornicationem* aut *adulterium* appellarunt: ut ne eas tamquam per se malas et illicitas condemnarent, sicuti neque eas damnavit Apostolus, licet fornicationis nomine illas donasse tradatur.

Sed ut ad S. Zenonem, a quo paulum divertimus, revertamur, cum is repetitas supra bigamiam nuptias inter *crimina vere exsecranda* recensuit, omnium acerbissime locutus videbitur, ut ægerrime interpretari possimus. Sed *crimina exsecranda* eas perinde appellavit, ut *iniquitatem* illas dixit Greg. Nazianzenus; qui tamen quo minus eas damnaverit, [CXIII] palam fit ex orat. 39, quæ *in sancta Lumina* inscribitur, ubi illas contra Novatianos aperte defendit. Hieronymum similiter si quis legat de secundis nuptiis disserentem in epist. 79 num. 11, ad Salvinam, ubi eas appellat *digamiæ præcepta non bona*, et *justificationes pessimas*, bigamiam verum crimen ab illo habitam judicabit. At nonne aperte eam se non condemnare subdidit in Apologetico librorum contra Jovinianum, seu in epist. 48, pag. 228 et 229 editionis Veronensis? Nonne in cap. I Epist. ad Titum eam Tertulliani hæresim notavit, quod digamiam condemnandam putaverit? Quin in epistola 123 ad Ageruchiam nonne se eo consilio in bigamos tam multa dixisse insinuat, ut continentiam suaderet, non quod plures nuptias malas opinaretur? Idem vero consilium S. Zenoni fuisse, licet expressis verbis non prodat, colligi facile ex dictis ejus potest, cum postquam num. 7 adversus nuptias cum infidelibus initas acrius disputasset, ut ab iis Christianas mulieres deterreret, tandem sub finem ita ad continentiam easdem hortatur, ut si minus continere possint, quin nubant, et pluries etiam nubant, nubant Christiano, non infideli: *Itaque deincepe fuge, virgo, fuge, vidua, nuptias tales*, id est cum infideli; *si continens esse non poteris, saltem noli tuas nuptias fenerare*, id est multiplicare supra binas: *ne in illa resurrectionis die inter plurimos maritos non possis, cujus fueris uxor, agnoscere*. Hæc contra plures nuptias, nulla tamen criminis nota. Sequitur autem hanc unam nuptiis pluribus, si contrahendæ sint, regulam præcipiens, ut ab infidelium conjugio caveant. *Noli esse sacrilega, noli proditrix legis. Profane cur nubas, cum possis nubere Christiano?* Hoc itaque unum inlicitum Zeno putavit, hoc maxime cavendum præmonuit. Quid, quod si consideremus, quæ in plures nuptias, num. 6, disserit, nihil occurret, unde veri nominis crimen arguatur. In primis advertendum est Zenonem non mulieres juniores alloqui, quibus sicuti ob incontinentiæ periculum ipse Paulus secundas nuptias permisit, ita etiam tertiæ et plures etiam æquius sunt permittendæ, si quidem vigente adhuc ætate binis, vel pluribus maritis orbentur, et idem incontinentiæ periculum subeant (quo quidem nomine S. Hieronymus in cap. I Epist. ad Titum

Digitized by Google

eas excusat, et quandoque majori laude dignas posse inveniri probat, quam quæ unis nuptiis ad senectutem usque potitæ sunt); sed *anus* alloquitur noster S. Antistes, *quæ sæpe videntur novæ nuptæ*, in quibus incontinentiæ periculum considerari non solet, sed merus libidinis amor, qui dubio procul damnandus est, et ob ipsum ejusmodi nuptiæ *vere exsecranda crimina* dici quodam modo potuere. Cætera porro, quæ addit, causæ congruæ et probabilis limites non egrediuntur, quibus honestas quædam civilis, non autem divina lex ab illis violata convincatur.

Unum sub finem considerandum maxime est, quod insignem ad Patres vindicandos aditum nobis aperuit. Postquam enim S. Episcopus contra repetitas hujusmodi nuptias disputavit, affectu quodam inopinato percitus, num. 6, in hæc erumpit: *Quid agam, quo me vertam, nescio : non enim video, quid in exhortationibus Divini ac veri cultus Gentibus prædicem. Felicitatemne virginitatis ? ac habent suas virgines : etsi non felices, habent tamen. Sin vero ad viduitatis sudorem gloriosum palmamque provocavero ; nobis fortassis insultent, quia nostræ sacræ virgines viduæque magno pro immortalitatis præmio, suæ autem gratis laborent. Verum hoc est solum nos in quo vincimus, quia pro sua sanctitate Christianæ plus nubunt.* Hæc autem nobis indicare videntur causam, cur Sancti Patres tanto studio per ea tempora adversus bigamiam et plures nuptias declamaverint; et cur, ut his obicem ponerent, pluribus canonibus laborarint, quibus bigamis (1) et sacerdotio interdixere, et eos pœnitentiæ (2) subjecere, et, quod ex Hieron. (3) discimus, prohibuere Ecclesiastica stipe, quæ in Christianorum subsidium [CXIV] distribuebatur; vetitumque præterea fuerit, ne ipsorum conviviis (4) adessent presbyteri, et ne sacra oblatio, benedictio, et corona seu velamen, quibus univirarum nuptiæ (5) sanctificabantur, iisdem adhiberetur. Apud Gentes nimirum ita sancte conjugalis tori castitas observabatur, ut post primi viri mortem alii nequaquam nubere mulieres religioni haberent. Exemplum hujusce rei luculentum est in Penelope, quæ ad secundas nuptias a multis sollicitata, strenue restitit, cum et mariti fidem et populi famam vereretur, ut ex ipsius verbis liquet apud Homerum Odyss. XVI. Quam in sententiam Dido, apud Virgilium, Æneid. IV, ut significaret se non nupturam amplius post primi conjugis obitum, multa adversum se primo imprecatur, vers. 27 :

Ante, pudor, quam te violem, aut tua jura resolvam.

Tum hæc de conjuge subjicit, vers. 28 :

Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores
Abstulit : ille habeat secum, servetque sepulcro :

Eaque tam fortis in hoc proposito fuit, ut cum *regis nuptias* ultro optare debuisset, ne tamen secundas eas experiretur, maluerit e contrario *uri quam nubere*, ut ex historicis a Servio allegatis Tertullianus memorat lib. de Monogamia cap. 17, qui præterea addit alias apud ethnicos fuisse, *quæ pro viris mori mallent, quam alteri nubere.* Vide etiam S. Hieronymum epist. 123 edit. Veron. ad Ageruchiam, num. 8. In antiquis Germaniæ populis licet barbaris plures civitates commemorantur a Tacito in libro de Morib. Germanorum, n. 6, *in quibus tantum virgines nuberent*, et secundæ nuptiæ nullæ audiebantur; nam *sic*, inquit, *unum accipiunt maritum, quomodo unum corpus, unam vitam, nec ulla cogitatio ultra, nec longior cupiditas.* Insigne in hanc rem Theutonicarum mulierum prodit exemplum laudatus Hieronymus loco allegato, quæ ne secundo nubere cogerentur, mortem sibimet ipsis consciverunt : quod ipsum testatur Valerius Maximus, lib. VI, cap. 1. Pausanias in Corinthiacis lib. II, c. 21, hoc olim apud Græcos *sanctum et solemne feminis fuisse* prodit, ut, *priore viro mortuo, secundis nuptiis abstinerent;* et similiter Euripides in Alcest., vers. 464, turpe et exosum apud eosdem fuisse ostendit, si vir, uxore mortua, aliam sibi junxisset ; sic enim ibi chorus loquens inducitur :

Si autem novum elegerit maritus torum,
Sane perquam mihi fuerit exosus.

Id ipsum penes Romanos antiquos viguisse refert Valerius Maximus, lib. II, cap. 1, num. 3, ubi matronis univiris pudicitiæ coronam ab antiquis impositam tradit : e contra vero intemperantiæ notam ac lasciviæ eas subiisse refert, quæ ad secundas nuptias transissent. *Quæ uno contentæ matrimonio fuerant, corona pudicitiæ honorabantur; existimabant enim eum præcipue matronæ sincera fide incorruptum esse animum, qui post depositæ virginitatis cubile, in publicum egredi nesciret, multorum matrimoniorum experientiam, quasi legitimæ cujusdam intemperantiæ signum esse credentes.* Idem etiam sensisse Romanos suæ ætatis satis indicat Publius Syrus, versu 284 :

Habent locum maledicti crebræ nuptiæ.

et versu 482 :

Mulier quæ multis nubet, multis non placet.

Has nimirum minus pudicas fuisse a Romanis habitas inde colligere licet, quod positum Romæ pudicitiæ signum attingere vetarentur. Nam *pudicitiæ signum*, inquit Festus ad verbum PUDICITIA, *nefas est attingi, nisi ab ea, quæ semel nupsit.* Apertius Martialis mulierum ejusmodi pluries nubentium intemperantiam *adulterii* nota inurere non dubitavit Epigram. 5 lib. VI :

Quæ toties nubit, non nubit, adultera lege est ;
Offendar mœcha simpliciore minus.

Et similiter Quinctilianus, declamat. 306, plures nuptias *nubendi quamdam impudicitiam* appellat. Hæc igitur cum apud ethnicos adversus plures nuptias

(1) Sic etiam apud Gentiles sacerdotes bigami esse non poterant. Servius in IV Æneidos ; Tertullianus, de Monogamia cap. 17.

(2) Concil. Neocæs. can. 3 ; Basilius ep. 2 canonic. ad Amphilochium, can. 4.

(3) Lib. adversus Jovinianum num. 14, pag. 265 tom. II edit. Ver. et epist. 123, ad Ageruchiam, num. 7.

(4) Concil. Neocæs. can. 7.

(5) Tertullianus lib. II ad Uxor. c. 9. Ambrosius ep. 19.

Digitized by Google

vigeret opinio; SS. Patribus, qui justitiam [CXV] multo ethnicis perfectiorem ex Christiana lege excolendam intelligebant, turpe nimium videbatur, si penes suos secunda ac repetita conjugia ethnicis ipsis male visa dominarentur, ac proinde primis quatuor illis præsertim Ecclesiæ sæculis, quibus Christiani cum ethnicis erant permisti, multo vehementius ejusmodi connubia ab iisdem avertere et sermonibus et scriptis et canonicis etiam pœnis conati sunt, ne (quod magno Gentibus fuisset scandalo) plurium nuptiarum intemperantiam, seu, uti vocabant, adulteria probare ac fovere viderentur. Itaque quæ in coercendis repetitis Christianorum nuptiis S. Zenonis aliorumque Patrum mens fuerit, jam tandem liquere arbitramur: et quam in sententiam adulterii, fornicationis, aut criminis nominibus apud Gentes usitatis uterentur, hinc magis magisque cognoscimus. Sed de secundis nuptiis nimis fortasse multa.

Quæ porro eodem tractatu 6 lib. I, num. 7, S. Zeno de matrimonio cum infidelibus conjungendo vehementius urget, apologia non indigent; nam non solum fuit constans Patrum sententia, ejusmodi connubia post baptisma cogi non posse, cum in his peccandi periculum, quod potissimum a S. Zenone effertur, plerumque immineat; sed ea ob periculum ejusmodi vel in ipsa veteri lege interdicta leguntur Deut. VII, 3: *Neque sociabis cum eis conjugia. Filium tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo, quia seducet filium tuum, ne sequatur me.* Idem habetur Exodi XXIV, 16. Quin non nulli censuere nuptias ejusmodi absolute ab Apostolo esse interdictas, tum cum, I Cor. VII, 39, ait: *Cui vult nubat, tantum in Domino*, id est, ut plerique explicant, *cum Christiano tantum*, in quam rem legendus Hieronymus lib. I in Jovinianum, num. 10, tum etiam cum, II Cor. VI, 14, præcepit: *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi*, etc., quam sane sententiam prospexit S. Zeno, ut adnotatione 25 animadvertimus. Hoc etiam spectans S. Cyprianus in libro de Lapsis, inter crimina, ob quæ Deus indignatus, ut Ecclesia persecutione afficeretur, permisit, hoc commemoravit, observante Augustino in libro de Fide et operibus cap. 19, quod Christiani cum infidelibus matrimonium inirent, idque affimabat *nihil aliud esse, quam prostituere gentilibus membra Christi.* Adde quod Concilia ejusmodi nuptias interdixerant etiam ante Zenonis ætatem, ut Eliberitanum can. 15 et 17, Laodicenum can. 10 et 13, et Arelatense I, can. 11. Solum in Africa, et forte etiam alibi, ex quadam non episcoporum quidem, sed populi sive simplicitate, sive ignorantia, sive alia quacumque de causa multo post S. Cyprianum sensim invaluit opinio, hæc conjugia licere, adeo ut vel non putarentur esse peccata, vel ut dubia res derelicta esset, ut loco allegato Augustinus testatur; et per hocce tempus S. Monica infideli marito nupsit, ex quo Augustinum ipsum concepit. At nuptiis istiusmodi nihilominus restitit idem S. Doctor, libro I de Adulterinis conjugiis, cap. 21, tametsi eas divino jure prohibitas non auderet definire cap. 25, et mox Carthaginensis Synodus an. 397, can. 12, quo ad clericorum filios et filias easdem prohibuit, idque ratum habitum est pluribus aliis in synodis et præsertim in Chalcedonensi can. 13, ac tandem universim dirimens impedimentum inde fuit matrimonio oppositum, cujus initia explorate statuere non licet. Hisce quidem in regionibus sub nostri Auctoris ætatem id matrimonii genus episcopis adeo displicuit, ut S. Ambrosius a S. Vigilio Tridentino rogatus, ut pro suæ Ecclesiæ regimine, quæ necessaria vel utilia viderentur, commoneret, rescripserit ep. 19, id præter cætera maxime cavendum, ne Christiani cum infidelibus conjugio copularentur. Itaque cum S. Zeno in hæc vehementer pro concione disseruit, et pericula quidem, quibus obnoxia sunt ob oculos posuit, id effecit, quod cæteros catholicos antistites fecisse deprehendimus.

[CXVI] CAPUT VIII.

SINGULARE S. ZENONIS TESTIMONIUM DE QUIBUSDAM ENERGUMENIS EXPENSUM.

Quanta libertate usi sint editores Veronenses in tract. 16 lib. I, num. 3, *de Resurrectione*, alia dementes, addentes alia, alia transponentes et efferentes, ut placuit; suo loco diligenter adnotavimus. Offendit autem ipsos, ut videtur, vel alios posse offendere credidere, quod hoc loco S. Zeno singulari plane sententia tradit, spiritus, qui energumenorum corpora obsident, non esse semper veros dæmones, sed animas non numquam esse hominum, *quos*, inquit, *in idololatria commorantes nuper vel maxime vi aliqua obiisse meminerimus.* Id autem editores movisse inde patet, quod hoc testimonium ita emolliendum putarint, ut rem a dæmonibus fictam ingererent, detractis, vel mutatis, iis quibus S. Zeno id factum a dæmonibus minime fictum indicavit. Quid autem offensionis hæc contineant, ignoramus. Non crediderimus veritos illos esse, ne si quædam malorum animæ, energumenorum corpora invadere proderentur, eas inferni pœnis ante extremi judicii diem haud puniri quispiam putaret: nam eadem esset de dæmonibus difficultas, qui *uri* se quidem confessi traduntur a Lactantio, lib. II, cap. 15, et lib. V, cap. 21, nec non a Firmico de Errore profanæ religionis pag. 100, at *orationis incendiis*, ut ait Minucius in Octavio cap. 27, et *sine ignibus uri*, ut Hilarius affirmat in libro contra Constantium num. 8, ut ne tamen proprio etiam supplicio careant, quod adjurationibus adauctum prodidit S. Cyprianus de Idolorum vanitate pag. 451. Igitur si quædam impiorum animæ, Deo permittente, quædam corpora invadunt, poterunt ibi, uti dæmones, pœnas propriis reatibus congruentes similiter pati, nihilominus atque in inferno aliquandiu non degant. Numquid editores illi timuerunt, ne Zenonis ea crederetur sententia, quam inter Tertulliani hæreses S. Augustinus re-

Digitized by Google

censet in libro de Hæresibus cap. 86 : *Dicit sane etiam ipse animas hominum pessimas post mortem in dæmones verti?* Hæc opinatio e Platonicis, ut videtur, derivata (nam simile quiddam Plotinus tradidit ex Augustino lib. IV de Civit. Dei cap. 11), quam apud Tertullianum reperire non licuit, sed Origeni quodam modo adscribitur a S. Hieronymo epist. 59, ad Avitum, error quidem est, siquidem malorum animæ post mortem naturam propriam exsuere atque abjicere et in dæmonum naturam immutari credantur : quo sensu hæc sententia tamquam hæresis damnata legitur a Philastrio cap. 121, nam *animæ natura non vertitur in naturam alteram.* At nihil tale Zenonis verba subindicant : imo tantum is abfuit ab ea sententia, qua scelestorum animæ in dæmones converti feruntur, ut animas eas vere esse, dum energumenos occupant, non autem dæmones, argumentum ejus evidenter ponat, cum exinde animarum immortalitatem, ac subinde resurrectionem colligat ; quod tamen ipsum fictione dæmonum, qui se pro animabus gerant, fieri posse non omnino inficiatur scribens : *At dicis, Hæc dæmones fingunt. Eo probatio melior*, etc. Cæterum si veras impiorum animas energumenos quandoque invadere, loco dæmonum, posse sensit ; quid, quæso, erroris huic sententiæ subest? Scimus magnam esse inter sacros Scriptores controversiam, num in iis visibus, in quibus piorum animæ viventibus apparuisse traduntur, animæ ipsæ sub alia specie sese illis objecerint, an angelorum opera omnia evenerint. De qua controversia Augustinus disserens in lib. de Cura pro mortuis cap. 10, 11, 15 et 16, inficiari verum visum non audet, nam *hæc si falsa esse responderimus, contra quorumdam scripta fidelium* (exempli gratia S. Ambrosii referentis inventionem corporum SS. Gervasii et Protasii, et Luciani illam corporis S. Stephani) *et contra eorum sensus, qui talia sibi accidisse confirmant, impudenter venire videbimur;* et post multa utrinque disputata, rem sub dubio relinquit, nec abnuit utrumque fieri potuisse, ut modo illa per ipsas justorum animas, modo per angelos fierent. Itaque cum tam exploratum Zenonis testimonium, quo res proditur, quæ eos ipsos habebat testes, qui ipsi dicenti aderant, quis sine temeritate factum neget? Sicut enim animæ piorum ad viventium utilitatem, Deo volente, poterant ex Aug. sententia hominibus apparere, et quædam edicere, confirmare, ostendere ; [CXVII] quidni, eodem permittente Deo, quædam impiorum animæ dæmonum vicem agere potuerunt, ut ex earum testimonio fidei ipsius veritas confirmaretur, ut sane ex iisdem resurrectionis veritatem S. Zeno confirmat? Factum saltem negari nequit, ac proinde nihil S. Zenoni potest succenseri, qui ex facto apud auditores explorato in rem suam argumentum fortissimum sumpserit, cum præsertim de fictione dæmonum sub finem numeri suspicionem injiciat ; quam in rem videndus etiam, si placet, Æneas Gazæus in dialogo, qui *Theophrastus* inscribitur, ubi de animarum statu luculentissime disputans, disserensque de operibus quibusdam, quæ sub animarum nomine circa sepulcra gerebantur, contendit, pag. 66 tom. VIII Biblioth. P. P., edit. Lugdunensis, ea, quæ id gererent, *esse mala dæmonia humanas animas repræsentantia;* quod S. Zenonis suspicionem confirmat.

CAPUT IX.

QUID AUCTOR SENSERIT DE NOVISSIMO JUDICIO.

De judicio novissimo Zeno non bene sensisse ex tract. 21 lib. II, in psalmum centesimum, videri potest, quippe qui ibidem tum fideles tum infideles ab eo judicio liberos facit. Recitatis enim ex Evangelio Joannis III, 18, Christi verbis : *Qui credit in me, non judicabitur : qui autem non credit, jam judicatus est ;* hæc subdit : *Hæc dicendo eximit judicio fideles, non admisit ad judicium infideles ;* quod deinceps luculentius confirmat, primo de fidelibus : *Quid enim necesse est judicare credentem? Judicium enim ex ambiguis rebus exsistit : adempta ambiguitate, judicii non desideratur examen.* Tum de infidelibus : *Ex quo nec infideles necesse est judicare ; quia jam sua sunt incredulitate damnati*, id quod comprobat ex illo psal. I : *Non resurgent impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum.* Et deinceps plura disserit, quibus judicium iis solum manere insinuat, qui inter infideles vel impios et fideles seu sanctos medii sunt, *quorum obliquæ ancipitisque vitæ necessario sunt discutienda secreta.*

Sed hæc ne quem offendant, animadvertendum primo est, plures antiquos similia tradidisse. Neque eos memorabimus, quos *simplicitatis* accusat Origenes tom. I pag. 42, eo quod ex verbis psal. I : *Non resurgent impii in judicium*, negarunt *malos resurrectionis compotes futuros, aut Dei judicio dignandos.* Patres Ecclesiæ doctissimos appellamus, quos ea simplicitate succensendos non credimus, quique vel ante Zenonem vixere, vel ei suppares ætate fuerunt, vel etiam postea similia docuere. Primo memorandus venit Lactantius, qui lib. VII Institut. cap. 20, postquam omnes in fine mundi resurrecturos affirmavit, *de quibus judicium magnum idem ipse rex ac Deus faciet*, num. 5 addit : *Nec tamen universi tunc a Deo judicabuntur..... nam qui Deum non agnoverunt, quoniam sententia de his in absolutionem ferri non potest, jam judicati damnatique sunt, sanctis Litteris contestantibus non resurrecturos esse impios in judicium.* S Hilarius in psal. I, eadem ferme ac Zeno habet, adeo ut hunc ex eodem pleraque id generis in suum tractatum transtulisse in adnotationibus monuerimus. Sanctus item Ambrosius in eumdem psalmum, ad ea verba : *Quoniam non resurgent impii in judicio*, similiter ait num. 51 : *Non enim dixit, Non resurgent, sed ait, Resurgunt quidem, sed non in judicio. Qui autem resurgit, est utique et manet, sed quia non credidit in Christum, jam judicatus est, et ideo non venit in judicium, quem peracti jam manet pœna judicii..... De eo autem, quod ait : Non resurgunt impii in judicio, secundum Evangelium absoluta sententia, quia non omnes judicabuntur ;* et allato textu Pauli : *Omnes autem oportet nos stare ante tri-*

Digitized by Google

bunal Christi, quod contrarium putabatur, respondet Christum de infidelibus locutum, *qui non crediderunt in Dominum Jesum*; et Apostolus *etsi dixit omnes, de iis utique dixit, qui crediderunt*. Hieronymus in Dialogo contra Pelagianos num. 28 textu psalmi ejusdem allato ait : *Jam enim in perditionem sunt præjudicati*. Auctor Breviarii in psal. I inter Hieronymi Opera, tom. VII Appendicis edit. Veron. cap. 4 : *Non quia non resurgunt, sed* [CXVIII] *quia in judicio non resurgunt, jam enim de iis præjudicatum est*. Auctor alterius Commentarii Hieronymo adscripti in codice Bobiensi eodem tom. VII, pag. 27, in præfatione ad laudatum Breviarium : *Non dixit absolute, Non resurgunt, sed addidit, In judicio; licet non resurgent ad examinationem, sed resurgent, ut statim sententiam damnationis accipiant* : rationem dedit paulo ante : *Impii ad pœnam resurgentes, non illam dilationem habebunt, quæ solet judicii vi in quæstionibus admoveri*. S. Paulinus Nolanus Poem. VII, pag. 346 edit. Veronensis :

> Idcirco tali dividentur ordine
> Hominum per orbem dissipatorum greges.
> Ut judicandi non resurgant impii,
> Qui denegarunt debitum cultum Deo,
> Sed puniendi : nam suum crimen videns
> Non indigebit quæstione detegi;
> Quoniam imminentem præferent mortis notam.
> Signum salutis non gerentes frontibus.
> Peccator autem, et non impius tamen,
> Quæ magna turba est, non resurget gloriæ,
> Verum resurget deputanda examini :
> Nec enim sedere cum piis judex potest,
> Causam suorum redditurus actuum,
> Varieque gestis aut probandus, aut reus.

Tandem, ut alios mittamus, S. Cæsarius serm. 77, Append. Augustini num. 4 : *Ad judicium enim non veniunt nec pagani, nec hæretici, nec Judæi, quia de ipsis scriptum est : Qui non credit, jam judicatus est.*

Quis tot Patres similia tradentes erroris accusare audeat, et non potius intelligat eam in sententiam eorum testimonia explicanda esse, ut vere non exemerint ab extremo judicio impios vel infideles, quos Deo judicanti adfuturos confessi sunt, sed aliud quidpiam innuerint, quod cum catholico dogmate non repugnet? Id sane sententiæ ex omnium testimoniorum collatione facile elicitur. Primo nec piorum nec impiorum resurrectionem negant, sed resurrecturos quidem aiunt, non tamen in judicium, quod de impiis diserte affirmant. Resurrectionem porro tum justorum, tum scelestorum hominum noster auctor luculenter adserit lib. I tract. 16, num. 11. Porro judicium cum negant, non illud negant, justos vel impios in novissimi judicii die ante Christi tribunal adfuturos, nec in eo alteros in æternam gloriam, in supplicium sempiternum alteros concessuros : sed *judicium* pro *causæ dubiæ examine* sumentes, hoc affirmant unum, in causa certa tum justorum fidelium, tum infidelium impiorum, *judicio* seu *examine* opus non futurum, quod ratio Zenoniana aperte probat : *Judicium enim ex ambiguis rebus exsistit*, etc. Hinc num. 2 jam inde a morte *justos vitæ perpetuæ, impios æterno supplicio destinatos* affirmans, *nulla eos*, inquit, *cognitio expectat ulterius, ubi cognitio* judicii genus, quod negatur necessarium, nolam significat, et id ipsum confirmant, quæ traduntur de peccatoribus mediis, quos ob ancipitem vitam examine *discutiendos* necessario pronuntiat : *Ambiguitas enim nisi fuerit discussa, jure non potest mereri sententiam*. Huc quoque aliorum Patrum sententiæ pertinent.

Itaque ex horum Patrum ac Zenonis mente resurgent quidem omnes, et omnes etiam ante Christi tribunal stabunt, justi, impii, et medii, et omnes etiam vel præmium æternum, quod pro meritis acquisierint, adibunt, vel pœnam; sed non omnes, ut hæc sententia justissima constet, judicio et examine indigebunt, nec justi nimirum, nec impii, quorum causa notissima est, sed medii solum, quorum vita dubia cum fuerit (dubia tamen non Deo, cui nihil latere potest, sed hominibus), ad vindicandam coram omnibus divinæ sententiæ justitiam, de his judicium seu examen et cognitio distincta habenda erit. Interim vero omnibus judex suum tribuet, justis, quos *honorabit ut filios*; impiis, quos *carnifici destinabit statim, non audiendos, sed competentibus pœnis amandandos*; peccatores autem medios ponderabit, non quod horum gesta statim post mortem ponderata non fuerint, nec tum sententiam sibi debitam retulerint (nam tr. 16 l. I, n. 2, *animas nostras suorum corporum* [CXIX] *exsuviis exsutos pro qualitate factorum*, quæ sane judicium de factis supponunt, *quasdam locis pœnalibus relegari, quasdam placidis sedibus refoveri* tradit), sed quod in totius mundi conspectu hæc eadem justitiæ divinæ æquitas publico judicii examine patere debeat. *Ita erit*, ipse S. Zeno concludit, *ut*, in ipso scilicet extremi judicii die, *justis corona, peccatoribus aut excusatis, aut emendatis indulgentia, impiis autem æterna pœna tribuatur*. In quibus si peccatorum tantum fit mentio, queis excusatis, vel emendatis *indulgentiam* tributum iri affirmatur, nemo idcirco peccatores medios inter justos et impios, vel, ut ex contextu liquet, Christianos peccatores indulgentiam in judicii die adsecuturos Zenonem sensisse colligat; quod in alium aliorum errorem declinaret : nam ex iisdem *peccatoribus*, seu Christianis mediis plures futuros, qui nec excusati, nec emendati impiorum, seu incredulorum finem adibunt, Auctor se novisse palam prodit tract. 16 lib. I, num. 11, cum de injustorum resurrectione loquens, eam esse ait, *quæ impios cum peccatoribus universisque incredulis gentibus perenni destinat pœnæ*. Perspicua etiam sunt, quæ de operibus et charitate una cum fide a Christiano jungendis, *ut immortali beatitudine perfruatur*, alibi docet : quæ cum cap. 6 præsentis dissertationis indicata a nobis fuerint, eo lectorem remittimus.

CAPUT X.

SENTENTIA S. ZENONIS DE JUSTARUM ANIMARUM STATU POST MORTEM.

Ex constitutis superiori capite una dubitatio suboriri potest, utrum Auctor, qui ita justis in judicii die *coronam tribuendam* affirmavit tract. 21 lib. II, num. 3, ut eorum animas post mortem *placidis sedibus refoveri* tradiderit tract. 16. lib. I num. 2, utrum, in

Digitized by Google

quam, ad eorum accesserit sententiam ab hetero- doxis quibusdam nostri temporis excitatam, qui justis post resurrectionem tantum præmium æternum in cœlis cum Dei visione impertiendum docuere, interim vero eorum animas placido aliquo in domicilio requiescere, quoad extremi judicii dies cœlum eisdem patefaciat. Huc conferri etiam videri potest aliud Zenonis testimonium ex tract. 12 lib. I, in fine, ubi: *Dubium non est*, inquit, *voluntatem nostram, cui se junxerit parti, præbere victoriam, ejusque in resurrectione aut præmio perfrui perenni, aut consimili pœna puniri.* At hic postremus locus ex hæreticorum manibus facile eripitur, si consideremus primo de justorum præmio perinde scribi, ac de pœna impiorum; quorum tamen animas statim post mortem *locis pœnalibus relegari* tract. 16 lib. I, num. 2, Auctor apertissime pronuntiavit. Deinde ut hujus mens atque scopus intelligatur, animadvertendum est eo in tractatu 12, sermonem esse non de anima, sed de carne, vel corpore, et affirmari fore ut ejus (utique corporis) *in resurrectione* voluntas nostra aut pœnas luat, aut præmio potiatur, propterea quod debitam corpori pœnam, vel præmium in corpore ante non senserit, quæ ante resurrectionem sine corpore, in anima tantum cruciatus sensit, vel præmio perfuncta est, ut aliis in locis mox indicandis Auctor aperte docuit. Quod autem pertinet ad alterum locum, ubi justorum animas exsuviis corporum solutas placidis sedibus refoveri scripsit, antiquis Patribus bene plurimis solemne fuit, cum *sinum Abrahæ*, *sedes placidas*, et alia id generis justorum animabus post mortem vindicant, Paradisum intelligere, ut Ludovicus Muratorius multis statuit in novissimo opere de Paradiso. Equidem placidas hasce sedes eadem significatione apud Zenonem locum esse deliciarum, verbum *refoveri* satis insinuat: quin Paradisum easdem esse innuit num. 5, ubi Latroni e cruce pendenti una cum Christo Paradisum post mortem conferendum ab eodem Christo promissum tradit, et num. 6, cum reprehensurus eos, qui mortuos deflent, *in meliora*, id est beatitudinis locum; *migrantes* haud planctibus prosequendos monuit. Adde quod tract. 21 lib. II, justos et impios statim post mortem aut præmium et quidem æternum, aut æternam pœnam pro meritis, vel peccatis adire et sustinere pronuntiat. *Ex hac* [CXX] *enim vita*, inquit, *quis secum aut coronam portat, aut pœnam:* et ne dilatum quidpiam credi possit, subjicit post pauca: *Justi vitæ perpetuæ, impii æterno sunt destinati supplicio.* Apertius tract. 27 lib. II, in fine proponens, quid martyribus post mortem accidat, his verbis utitur: *Martyr dominicæ habitationis in recondita adsumitur, ut ibidem ex homine in Angelum transfusus, æterna vitæ beatitudine glorietur.* Id ipsum confirmari potest ex tract. 18 ejusdem libri, ubi S. Arcadius martyr post mortem in cœlum adscendisse traditur: *O dignus gloriosi exitus finis! Adscensurus altitudinem cœli* (cum scilicet in eo esset, ut moreretur, quod ex contextu liquet), *corporis sui impedimenta præmittit, et exsequias funeris sui ipse præcedit..... Arcadius beatissimus martyr adhuc demoratur in sæculo* (nimirum corpore) *et jam martyr recitatur in cœlo*, quæ postrema verba respiciunt, ut videtur, illa Pauli Rom. XII, 23, ubi *primitivi*, id est electi, *conscripti dicuntur in cœlis*, quamdiu in terra degunt; cum autem hinc per mortem in cœlum adscendunt, eorum nomina ibidem recitari et celebrari non desinunt. At ne quis hoc de solis martyribus Zenonem sensisse existimet, ut alii proprium martyrum privilegium id esse perperam opinati sunt, eumdem episcopum de omnibus justis universim loquentem, perspicueque sese explicantem audiamus tr. 12 ejusdem libri II, n. 4, ubi angelos, quos Jacob per scalam in cœlum adscendentes vidit, justos in cœlum adscendentes interpretatur sic: *Adscendentes vero sunt justi, qui probis moribus per gradus divinorum observantiæ præceptorum quotidie spiritualis itineris gloria feruntur in cœlum*: in quibus observandum præsertim adverbium *quotidie*, quod accipiendum profecto de iis justis, qui de die in diem post mortem in cœlum abeunt, non nisi iniquus judex negaverit. Igitur *placidas sedes*, in quibus justorum animas *refoveri* S. Zeno prodidit, ex hujus mente ipsam esse cœlestem patriam, in qua Deus cernitur, nihil est dubitandum: quam in sententiam tract. 3 lib. I, num. 4, *liberas e carnis nexibus* (id est post mortem, et ante judicii ac resurrectionis diem) eorum animas, *qui præcepta Dei custodiunt*, id est omnium justorum, beatitudine repromissa, quæ utique in cœlis ex Dei visione proveniet, perfruituras pronuntiat. *Dei præcepta custodiens, hujusmodi officiis sæculares obterens voluptates, cum fuerit victor carnisque nexibus liber, repromissæ immortalitatis inæstimabili beatitudine perfruetur*, et luculentissime eodem tract. 16 lib. I, qui objectum testimonium continet, num. 14: *Cum autem mors, quæ putatur metuenda, gustatur: tunc ei*, id est animæ, *in æternum manentis gloriæ beatis in sedibus, nullas deinceps ærumnas mundi sensuræ, repromissa felicitas exhibetur.* Ubi et *sedes beatæ gloriæ in æternum manentis* sunt procul dubio cœlestis gloriæ locus, non autem sinus ille Abrahæ, in quo ad extremum usque judicii diem animabus manendum sit; et hæ quidem post gustatam mortem adeundæ designantur; cujus rei rationem Auctor dederat paulo ante eodem num. 14: *Aliter enim immortalitatis stola illa non sumitur, nisi primo istud carnale spolium, blandum animæ venenum, secundum Dei sententiam, unde sumptum est, refundatur.*

Digitized by Google

[CXXI] DISSERTATIO TERTIA,

DE ACTIS SANCTI ZENONIS ET DE EJUSDEM CULTU.

PROŒMIUM.

Etsi duæ satis prolixæ S. Zenonis Vitæ prodierunt in lucem, quarum alteram scripsit Coronatus Notarius, qui ante IX sæculum floruit, alteram vero Monachus Zenonianus, qui vixit sæculo circiter XI, modicum tamen ac fere nihil scire nos de nostri Auctoris gestis si quis pronuntiet, reprehendi non poterit. Enimvero inter ea, quæ Coronatus litteris consignavit, multa quidem de miris quibusdam, quæ per Zenonem Deus gessit prodigia, luculenter exposuit, at pauca prorsus de vita et virtutibus ejus tetigit; adeo ut palam sit, nihil eum ex antiquis monumentis hausisse, sed ea tantum perscripsisse, quæ ob prodigii celebritatem infixa memoriæ (*a*) populari fama tradebantur; unde etiam factum est, ut hæc ipsa falsis aliquot adjunctis circumvestita inveniantur, ut ex adnotationibus in eam Vitam inter monumenta inferius collocandam liquebit. Monachus Zenonianus per marchionem Maffeium editus, a Coronato, etsi illum non nominet, omnia accepit, nihilque eidem addidit præter alia miracula, quæ ad vitam cognoscendam nihil conferunt. Inter Zenonis Vitas non retulimus Jacobi Veronensis presbyteri carmen, quod versibus hexametris ducentis et quadraginta quatuor lucubratum ex ms. Zenionani monasterii edidit P. Henschenius tom. II, Aprilis, pag. 76; non enim is S. Antistitis vitam, sed miracula describenda sibi proposuit, eadem plane quæ in Zenoniano Anonymo monacho soluta oratione leguntur, præter tria quæ subinde perpetrata illis subjiciuntur. Anonymus Pipinianus IX sæculi scriptor in Rhythmo de Veronæ laudibus paucis versibus pauca quidem de Zenone cecinit, sed quæ præmemoratis Vitis pluris haberi queunt, ut ex dicendis constabit. Itaque in tanta probabilium monumentorum penuria Zenonis vitam nemo a nobis requirat: neque enim imitari placet Baptistam Perettum, qui in Vita Italice scripta et Latinis cum scholiis Veronæ primum edita an. 1597, et dein an. 1710 Patavinæ S. Zenonis editioni subjecta, nihil aliud effecit, quam Zenonianum monachum Italica lingua referre, et alia ex ingenio, vel populari fama adjicere, quæ minori fundamento nituntur. Ne tamen lectorum desiderium omnino fraudetur, quidquid ex tractatibus Zenonianis aliisque antiquis documentis colligere licuit, exponendum aggredimur.

[CXXII] CAPUT I.

DE ACTIS S. ZENONIS AD MORTEM USQUE.

§ I. — *Conjecturæ de Zenonis patria.*

In primis de Zenonis patria conjicere placet. Baptista Perettus primo scholio Latino ad Vitam nunc A nuper memoratam, Veronensem *eum fuisse* statuit ex Petro de Natalibus episcopo *Equilino lib.* I Catalogi Sanctorum, et ex *lectionibus quæ in festo* ejus Ordinationis *die* 8 Decembris legebantur Mediolani in Ecclesia *Cathedrali*. At hæc recentiorum *testimonia* de rebus antiquis cum nihil probent, ut *recte notavit* Cardinalis Baronius num. 12 tom. I *Annalium*, pag. 59 edit. Coloniensis, nullusque ante *Petrum de* Natalibus hoc subiudicasse inventus sit; Peretti sententiæ nemo prudens acquieverit, integrumque nobis relinquitur conjecturas nostras litteratorum oculis atque censuræ subjicere. Zenonis nomen inter Græcos receptum ac frequens, Græcum eum demonstrare videtur; et Græcum quidem illum censuit cum Buchnero Tillemontius adnot. 5 in Valeriani persecutionem tom. IV, pag. 587, ante quos Blasius Rosettus in ms. Saibanteo 658, Historiam episcoporum continente, id verum ratus, hanc rationem adjecit (quam totidem verbis scripsit Panvinius Antiquitatum Veron. lib. IV, cap. 6, cum hanc non nullorum allegavit sententiam), *quippe cujus sermonum phrasis*, inquit, *græcanicum nescio quid ac peregrinum redolere videtur.* Imo ex Anonymo Pipiniano colligere quispiam posset, cujus provinciæ fuerit, nimirum ex Syria, in qua Græcum quidem sermonem id temporis viguisse certissimum est; inquit enim ille:

> Non queo narrare hujus sancti opera,
> Quæ a Syria veniendo usque in Italiam,
> Per ipsum omnipotens Deus ostendit mirabilia.

Cui sententiæ respexisse videtur Auctor hymni, quem ex duobus mss. breviarii Benedictini codicibus editores Veronenses edidere, cum S. Zeno *gentes penetrasse marinas* ibidem tradatur.

Huic opinioni nostros quoque calculos facile adjiceremus, nisi duæ animadversiones obsisterent. Græcus auctor perinde Latine ac pure loqui et scribere nequit, ac S. Zeno, cujus stylus etsi idemtidem turgeat, ac pluribus flosculis inspergatur; a puritate tamen Latinæ locutionis nihilum deficit, tum si verba singula, tum si verborum collocatio et syntaxis consideretur, adeo ut a teneris unguiculis in Latinis auctoribus exercitatus, et inter Latine loquentes educatus, et Latinis in scholis excultus appareat. Versatissimum sane se prodit in poetis Latinis, quorum formulas et carmina ita commode adhibet, ut non per vim expressa, sed in succum sanguinemque ejus conversa cognoscantur. Virgilium legere assuetus proditur, cujus versus non numquam ejus decidisse e calamo intelliguntur, cujus generis auctores explicabantur et legebantur a pueris, ut Latina puriori lingua et locutione vividiore potirentur. Nemo sane ex ipsis Latinis quarti sæculi Scriptoribus Latina pu-

(*a*) Vide Admonit. in Monumenta num. 1, in fin., et adnot. 5 in ipsam Vitam.

Digitized by Google

ritate eidem par, vel magis latinus invenitur, adeo ut latinitatem ejus jure commendarint plures eruditi, et *elegantissimum* affirmarint Casaubonus et alii; Basilius autem Faber, qui *Thesaurum eruditionis* summo studio et infinita propemodum Latinorum lectione digessit, [CXXIII] ut Latinas quasque voces ex probatis Auctor. excerptas, et ad radices revocatas Latinæ linguæ studiosis accurata et perutili methodo proponeret, non dubitavit Zenonem sæpe allegare, eoque uno Auctore aliquot voces inter probatas inserere. Ex multis saltem Græcis, qui Latine aliquid scripsere, non solum nemo unus est, qui cum Zenone possit conferri, sed cum aliena, non nativa lingua scripserint, omnes parum Latine scripsisse inveniuntur, nec ambigendum quin S. Zeno scripsisset similiter, si eamdem Græcam originem et educationem sortitus fuisset. Hæc prima conjectatio vehemens satis nobis videtur, ut Auctor a Latinis parentibus ortus, vel inter Latinos saltem educatus ac institutus probetur. Aliam nunc adjiciamus, qua certior provincia statuatur. Exstat Auctoris tractatus de S. Arcadio martyre, cujus apud cæteros antiquos memoria nulla invenitur. Illum autem in Cæsarea Mauritaniæ passum ex Zenonianis codicibus liquet. Quid unus inter omnes Veronensis episcopus Zeno tanta cum religione natalitium ejus diem celebraret, nisi quod præcipua quadam devotione eidem esset addictus, et ex eadem forte provincia, in qua ille mortem oppetiit, originem duceret? Africanorum quidem scriptorum stylum in nostro Auctore deprehenderunt ii, qui ejus tractatus diligentiori cura evolverunt, Gaspar Barthius inter hos *Christianum Apuleium* in Zenone perspicere sibi visus est, ut fidem facit lib. XLIII Adversar. cap. 10, pag. 1944, et lib. V in Statii Silvam pag. 446. Enim vero plures Appulcii Afri locutiones, et verba item plura ejus ac aliorum Africanorum propria, Tertulliani, Cypriani, etc., in ejus tractatibus reperiuntur, quæ in aliis aliarum Latinarum provinciarum scriptoribus frustra requiras. Neque Africanum Veronæ episcopum creatum mireris; per id enim tempus episcopi et clerus sæpe ex alienis provinciis dabantur. Eodem sæculo Fortunatianum episcopum Aquileiensem Afrum fuisse ex Hieronymo discimus. Donatus, natione Afer, nonne Mediolanensis Ecclesiæ presbyter fuit adhuc post Ambrosii mortem? ut Paulinus in hujus vita testatur num. 54. Neque Anonymi Pipiniani sententia moveat; potuit enim Zeno, licet Afer, e Syria Veronam proficisci, cum iter in Orientem ea tempestate frequens esset. S. Philastrius Brixianus episcopus, cum esset presbyter: *Circumiens universum pene ambitum Romani orbis dominicum prædicasse verbum* similiter traditur a S. Gaudentio in tractatu de S. Philastrio pag. 241, et idem quoque Gaudentius se Philastrio in eamdem Brixianam cathedram suffectum, dum in Oriente versaretur, diserte prodit, tum in sermone de ordinatione sui pag. 181, tum in sermone de dedicatione Basilicæ, pag. 191. Zenonis tandem nomen, etsi inter Græcos frequens, ab Africanis nihilominus alienum non fuit. Zenonem martyrem Decio imperante inter Africanos reperimus, cujus corpus cum translatum fuerit Byzantium, ejus memoria apud Græcos celebrata legitur. Vide Acta Sanctorum Bollandi die 10 Aprilis tom. I.

A

§ II. — *Episcopatus S. Zenonis initia, ordinatioque ejus VI Idus Decembris peracta statuitur. Ejusdem in convertendis ad fidem Gentibus felicitas. In Arianis refellendis atque comprimendis quantum laboraverit. Verona ad Christianam religionem ab eodem conversa.*

Itaque post Orientis iter, cui sese ante episcopatum Zeno commisisse credendus est (episcopi enim non nisi gravissimis de causis proprias sedes relinquebant), Veronensi ecclesiæ post Cricinum præpositus fuit, idque sexto Idus Decembris an. 362, postremo Juliani anno, ut satis probabiliter conjecimus dissert. I, cap. 3, § 5. Cum vero de anno palam sit, si de die constet, ut ibidem ostendimus; ad hunc diem statuendum præter ea, quæ ibidem attulimus, alia argumenta novis subinde documentis et considerationibus indicata in confirmationem hic adjicere placet. Primo plures ecclesias per Italiam et alibi S. Zenonis [CXXIV] nomine dedicatas, festum ejus VI Idus Decem. celebrare cap. 4 videbimus. Porro hanc diem emortualem S. Antistitis non fuisse ostendemus § 3. Cum vero in transferendis festis Sanctorum ea cautio adhibita fuerit, ut impedito emortuali die, festum traduceretur in diem alium, quo vel translatio Sancti corporis, vel dedicatio basilicæ, vel ordinatio celebratur, ut eo paragrapho notabimus: etsi eo die VI Idus Decembris dedicatio ecclesiæ S. Zenonis in nostris libris signetur; tamen ob ordinationem ejusdem potius, quam ob Ecclesiæ dedicationem festum ejus aliis in Ecclesiis eidem diei fere adsignatum verisimillimum est, propterea quod ex Rabano et Wandelberto sæculi IX scriptoribus, nec non ex mss. Vaticano 3806 ejusdem sæculi, variis in locis ea dies celebris appareat jam inde a sæculo IX cum S. Zenonis basilica vix tum temporis dedicata fuerit. Quod si consideres Cæsenæ et Pistorii S. Zenonem ante nonum et octavum etiam sæculum magnum Patronum, vel titularem, uti vocant, electum eadem die cultum fuisse unico vel præcipuo festo, cujusmodi nunc quidem ex immemorabili earum Ecclesiarum consuetudine peragitur: jam ergo ante nonum et octavum etiam sæculum ea dies celebris erat, non utique ob dedicationem quæ posterius contigit, sed ob ordinationem quam proinde eo die apud Veronam quoque celebratam fuisse hoc argumento evidenter convincitur. His adde aliam observationem ex ipsis nostræ Ecclesiæ libris, e quibus id ipsum confirmatur. Licet enim in Calendariis non nullis eo die notetur *dedicatio ecclesiæ S. Zenonis*, in ipsis tamen Ecclesiasticis libris, et missa et officium de S. Zenone episcopo, non autem de dedicatione ecclesiæ designantur et describuntur. De Missa satis attigimus diss. I, cap. 3, § 5, et luculentius patebit ex Admonitione ad monu-

B

C

D

Digitized by Google

menta num. 5. Nunc ut de officio dicamus, in ms. Capitulari sæculi XIII, qui orationes, lectiones, et antiphonas de Sanctis per annum in Ecclesia Veronensi usitatas continet, et cum aliis mss. vetustioribus plane concinit, eædem antiphonæ, quæ uti propriæ S. Zenonis in tribus aliis libris ad *Laudes* dicendæ adsignantur, describuntur dicendæ etiam ad *Horas*, et describuntur quidem mense Decembri cum oratione *Deus qui nos* S. Zenonis episcopi item propria. Hinc autem colligere licet in Veronensi Ecclesia, cui ille codex publicis in officiis serviebat, mense quoque Decembri non missam solum, sed et officium de S. Zenone episcopo, non autem de dedicatione celebratum fuisse, adeo ut ordinatio S. Zenonis, non autem dedicatio basilicæ VI Idus Decembris ab ipsa Veronensi Ecclesia celebrata appareat; uti apud B monachos Zenonianos distincte eo die celebratam loco laudato diss. I meminimus. Itaque cum dedicatio basilicæ S. Zenonis, etsi eo die in aliquot mss. Calendariis notata, nullo tamen officio præcipuo celebrata probari apud Ecclesiam Veronensem possit; vel apud solos celebrabatur monachos duobus diebus post, seu (ut aliis in codicibus legitur) die sequenti, vel a Veronensi Ecclesia eo die sola commemoratione celebrabatur; et ad hanc commemorationem pertinere unice potest antiphona et responsorium, quæ in Carpso notatur sic: *In dedicatione S. Zenonis a et r de dedicatione*. Quod si minus placeat, cum Carpsi rubrica pugnet cum alio rituali Ecclesiæ Veronensis libro, nec cum Missis aliorum concordet, qui de uno S. Zenone, non de dedicatione ecclesiæ et officium C et missam VI Idus Decembris præferunt; Carpsi error apertus est, cujusmodi alii errores alibi in eodem libro notantur. Ex his autem si stet S. Zenonis ordinationem VI Id. Decembris celebratam et peractam fuisse, S. Zenonem hoc die an. 362 Juliani postremo ordinatum ex dictis diss. I, c. 3, § 5, palam omnino erit. Transeamus ad alia.

Hoc imperatore vita functo anno sequenti 363, cum Romanum imperium pervenisset ad eos, qui etsi idololatriam plane non sustulerunt, unam tamen Christianam religionem colebant, eidemque impense patrocinabantur; latus Zenoni aditus patuit, eamdem religionem Veronæ palam excolendi, et cum pietate, tum doctrina in ea excolenda profecit mirum in modum. Multi id temporis erant Pagani; inter Christia- D nos autem Ariani non pauci propter eam persecutionem, quam Constantius Juliani præcessor in catholicos et muneribus et fraudibus et minis adeo impense promoverat Valente et Ursatio Arianis [CXXV] Episc. impellentibus, ut totum orbem concusserit, et hisce in regionibus corruperit Fortunatianum Aquileiensem, ac in Mediolanensem sedem intruserit Auxentium, qui non hanc solum Ecclesiam ad an. 374 per annos viginti occupavit, sed totius etiam Italiæ fidem sua hæresi inficere ac discerpere studuit. S. Zeno Veronensi cathedræ insidens, frequentibus concionibus ac institutionibus Paganorum æque ac Arianorum impietati sese objecit. Quam naviter atque feliciter S. Episcopus laboraverit in gentibus, ex quibus etiam *doctos* facundia ac zelo ejus illectos ipsi concionanti interfuisse colligimus ex tract. 3 lib. I, adnot. 1, luculenter probat ingens ille hominum numerus, qui quot annis baptismate abluebantur. Tract. 33 et 42 lib. II, *genere, ætate, sexu, conditione*, et, ut additur tract. 38, *natione diversi* memorantur, qui, in paschalibus festis, sacris undis simul diluti sunt: cumque hi aliique tractatus diversis annis recitati id ipsum circiter repetant, magnam annis singulis baptizandorum fuisse frequentiam demonstrant: quod ad declarandum Episcopi ea in re procuranda laborem et diligentiam mirifice confert. Id ipsum etiam statuitur ex ea ecclesia, quam ab eodem Veronæ ædificatam dicemus; licet enim per se satis esset ampla et capax, tamen præ Christianorum, qui ni- mium multum excreverat, numero facta erat *angusta*, ut ipse prodit tract. 14 lib. I, num. 2. Itaque ea traditio, quam Anonymus Pipinianus litteris commisit, cum scripsit de Zenone:

Qui Veronam prædicando perduxit ad baptismum,

antiqua et genuina ex hisce tractatibus convincitur. Addit idem Anonymus, *multa idola destruxit*. Cum in urbe, quam Christianæ fidei acquisivit, id fecisse eum probabile est, tum vero est probabilius multo in pagis, ubi plura erant privata fana et simulacra, adversus quæ eum declamasse legimus tract. 15 lib. I, num. 3. Neque ethnicum solum cultum exstirpare ab his, quos ad fidem convertebat, sedulo studuit; sed pravos etiam, quos ex ethnica educatione mores contraxerant, ut pluribus ex tractatibus deprehendere licet.

Adversus Arianos porro frequentes sermones ex proposito habuit, ex quibus aliquot adhuc supersunt. Vide tractatum primum lib. I, et plures initio libri II. Iis autem concionibus non nullos illorum interfuisse palam est ex tractat. 77, et colligi etiam potest ex tractat. 1 lib. II, ac tract. 7 et 8 ejusdem libri. Quamquam vero quidam ex iisdem Arianis Veronæ adhuc fuerint sub Syagrio Zenonis successore, cum *invidiam ab Hæreticis* Indiciæ virgini, quam S. Zeno consecraverat, post hujus obitum conflatam tradat Ambrosius epist. V, num. 1, ad eumdem Syagrium; tamen plerosque a Zenone ad fidem revocatos veri- similimum est, ut dici de isto possit, quod de S. Philastrio testatur S. Gaudentius in sermone de ordinatione sui pag. 183: *Vox* Zenonis *per gratiam Spiritus sancti large effluens, hanc Ecclesiam in fide Trinitatis adorandæ fundavit, in vera spe et charitate perfecta constituit*. Etenim sicut S. Philastrius septimus episcopus Brixianus, teste eodem Gaudentio in serm. de vita Philastrii, pag. 241: *Non solum contra Gentiles et Judæos, verum etiam contra hæreses omnes, et maxime contra furentem eo tempore Arianam perfidiam* pugnavit: ita S. Zeno octavus Veronensis episcopus ac Philastrio coævus, non minus contra idololatriam, quam contra hæreses ac præcipue Arianam acriter dimicavit. Ita hic Veronam erroribus purgasse, et ad

Digitized by Google

veram religionem perduxisse cognoscitur, quemadmodum Brixia sub idem tempus per Philastrium erroribus purgata et ad catholicam fidem traducta legitur.

Quod ne mirum videatur iis, qui Italiæ præsertim urbes primis Ecclesiæ sæculis Christo nomen dedisse opinantur, considerent quæso (ne pluribus distrahamur) finitimas præsertim civitates Novocomum, Mutinam, Tridentum, idemque his invenient accidisse, quod Veronæ ac Brixiæ contigisse hactenus diximus. S. Felix Zenoni pene suppar Comensis primus episcopus (ut cognoscimus ex hymno de S. Abundio secundo ejusdem urbis episcopo [CXXVI] apud Ughel. t. v, pag. 258, et ex alio veteri hymno de S. Amantio tertio Comensi episcopo apud eumdem, pag. 259), primus quoque fuit, qui Novocomi ædificavit ecclesias, ac primus item qui Christi fidem ibidem seminavit hominesque Christo lucratus est, ut ex epist. IV S. Ambrosii ad eumdem cognoscitur, ubi hæc scripta leges n. 7 : *Multa messis Christi*, inquit, *sed pauci operarii, et difficile reperiuntur qui adjuvent..... Certe in illo ordine Comensium jam plerique cœperunt credere magisterio tuo, et doctrina tua verbum Dei receperunt : sed qui dedit credentes, et adjutores dabit*, etc., De S. Vigilio Tridentino præsule, qui post Zenonem aliquamdiu vixit, nonne hæc traduntur in Actis apud Bollandi socios tom. v Junii, pag. 165 : *Ubi totam civitatem catholice convertit, ecclesiam* (quod ante nulla fuisset) *infra muros civitatis Domino collocavit.* Auctor Vitæ S. Geminiani Mutinensis antistitis editæ ex ms. Veronensi tom. II, part. II, Rerum Italicarum, nonnè hæc de illo, qui Zenoni plane coævus fuit, scripta reliquit, pag. 691 : *Sane ad Christi culturam toto mundo confluente, jam dicta civitas* (Mutina) *per apostolorum successores Domini fidem recipiens, vanam Idolorum respuit fœditatem, ac sanctorum prædicatione sacerdotum amissam diu cœli recipere cœpit hæreditatem. In quorum catalogo confessorum Beatissimum Geminianum..... eadem, Domino jubente, suscepit civitas Mutinensium, temporibus Joviani Augusti totius Reipublicæ Principis. A quo cœlestis vitæ pabulo recreata, sanctæque purificationis fonte purgata, superfluam Idolorum servitutem reliquit, et suavi jugo Christi colla subegit.* In quæ verba animadvertens clarissimus editor, si alia simul aliarum urbium exempla prospexisset, quibus id ipsum plane contigisse deprehenditur; profecto hæc in præfationem non conjecisset, pag. 687 : *Quod est ad ejuratam a Mutinensibus gentilium superstitionem sub Joviano tantum Augusto* (Geminiani episcopi opera), *id nullo veritatis aut verisimilitudinis fulcro nititur atque ad fabulas amandandum.* Si Vitæ auctor sub Joviano tantum religionem Christianam a Mutinensibus per Geminianum primo susceptam prodidisset; jure quidem ab editore reprehenderetur. At non id ille innuit, imo per alios episcopos apostolorum successores fidem Mutinenses recepisse tradit : et solum sub Joviani imperium Geminiani laboribus idololatriam reliquisse eos narrat, quæ res illud unice insinuat, Mutinam, quæ jamdiu ante susceperat in aliquibus paucis fidem, per hanc tempestatem, qua libera fuit Christianæ professionis amplectendæ facultas, Christo, eversis prorsus Idolis, pene totam (quod ante non contigerat) nomen dedisse; quæ res eo minus reprehendenda est, quo magis ex aliis quamplurium civitatum Ecclesiis, quibus id ipsum obvenit, confirmatur. Cæterum fabulæ in res id generis populari fama invectæ et traditæ, ad elevandam, non vero minuendam alicujus Ecclesiæ antiquitatem et laudem pertinent : adeo ut quæ remissius ac minus gloriose de aliqua Ecclesia feruntur, ea nullius popularis fabulæ suspicionem ingerant, ratissimaque præter cætera haberi debeant.

§ III. — *Nova Ecclesia Veronæ ædificata. De Zenonis Clero. Duplex Virginum species Veronæ. Monasterium Veronæ primum in toto Occidente a Zenone institutum. Crapulæ et ebrietas in martyrum festis sublatæ.*

Cæterum Zenonem nostrum novam ecclesiam hac in urbe e fundamentis erexisse, primumque ea aperta Christianorum conventum magna cum celebritate prosecutum patet ex tract. 14 lib. I, et forte prima fuit in urbe ecclesia, quæ eum in usum ædificata fuit, cum antea in privatis ædibus huic usui accommodatis, vel saltem extra urbis pomerium sacra peragerentur. Veronensium divitum liberalitas sese hoc in opere commendavit, quippe quod *crebris et largis* illorum *prærogationibus* referatur, num. 3. Quamquam non hac solum, sed aliis quoque in occasionibus hi, episcopo præsertim impellente, liberales sese [CXXVII] præbuerunt, uti potissimum factum est in ea captivorum redemptione, quam ab ipso Zenone eximiis laudibus pro concione prædicatam videre poteris tract. 10, num. 5, lib. I.

Cæterum episcopus paupertatem profitebatur ex tract. 44 lib. II, ex quo etiam clerum illi fuisse patet; cujusdam enim rei testes appellat *operarios qui mecum sunt*, inquit. Hinc tract. 16 lib. I, num. 6, sacerdotes memorat, qui solemnibus divinis quiescentium animas Deo commendare solebant, et tract. 50 lib. II, mentionem facit ministrorum, qui episcopo inserviebant in sacris, nec non sacrarum ordinationum, quibus paschali tempore inferiores ministri ad superiorem ordinem promovebantur; piis autem sacerdotibus per idem tempus mercedem præstitam affirmans, piorum sane sibi cooperantium sacerdotum industriam indicat sive in instituendis catechumenis, sive in pœnitentibus præparandis, cujus merces ipsum erat baptismum, et reconciliatio, quæ paschali tempore solemni ritu peragebantur. In hanc quoque rem confert etiam locus S. Ambrosii ex epist. v, ad Syagrium Zenonis successorem, in qua cum Indiciam ab hoc benedictam *sacerdotes* invisisse tradantur, hoc sacerdotum Zenonis ævo ordinatorum non obscurum testimonium videtur. Horum quoque sacerdotum pudicitiam ac cœlibatum ab Auctore laudari tract. 5 lib. I, num. 7, satis credibile est.

Digitized by Google

Sed quis de clero in bonam disciplinam per Zenonem instituto dubitet, cum virginum quoque disciplinam ab eodem excultam ex eadem Ambrosii epistola manifestum sit? Ex ea nimirum palam colligitur Zenonis ætate Veronæ non solum fuisse virgines, quæ virginalis pudicitiæ voto obstrictæ post probationem velatæ suis in domibus pudice versabantur, cujusmodi Indicia fuit, de qua plura diximus diss. I, cap. 3, § 3, sed virgines etiam fuisse, quæ virginitatem professæ communem in monasterio vitam degebant; accusata enim, ut Ambrosius narrat, per calumniam Indicia, criminatores ejus impositum crimen perinde divulgatum ferebant ex num. 19: *Cucurrisse mulieres viles ad monasterium, jactasse partum virginis, et necem pignoris, de monasterio rumorem per populos sparsum.* Quamquam vero sub hujus quarti sæculi finem virginum monasteria in Occidente aliqua fuerint, ut ex aliis ejusdem Ambrosii locis colligitur; hoc tamen, quod Veronæ a Zenone institutum fuisse videtur, primum esse omnium credimus, vel primum saltem inter illa, *quorum memoria litteris* prodita superest. Ex hoc porro tanto virginum Veronensium numero, quæ partim in monasterio, partim privatis in domibus virginitatem colebant, Zenonis sermonum, quibus virginitas maxime commendabatur (uti nunc est tractatus 5 lib. I), fructum cognoscimus. Hunc eumdem antistitem inter eos accensendum opinamur Italiæ episcopos a S. Augustino epist. XXII, num. 4, laudatos, qui cum agapes in subsidium pauperum, martyrumque cultum institutas, in crapulas subinde et ebrietatem et luxuriam conversas animadvertissent, in eas perorarunt adeo feliciter, ut ex suis Ecclesiis totaque Italia illas excluserint, uti observavimus adnot. 18 in tract. 15 lib. I, ubi Auctor adversus illas invehitur, qui ut comessationibus et ebrietati impudicitiæque frequentius indulgerent, martyres sibi fingebant, in quorum cœmeteriis agapes agerent. Nec prætermittendum hoc loco videtur, quod tres XVI sæculi auctores prodiderunt, Paulus de Mildeburgo, episcopus Forosemproniensis in præfatione libri inscripti *Paulina de recta paschæ celebratione*, editi an. 1513, nec non ejusdem operis lib. primo; Joannes Stoefflerus in Calendario Romano edito an. 1518, prop. 17, et ex his Onuphrius Panvinius Antiquit. Veron. lib. IV, cap. 6. Illi nimirum paschalem canonem a Zenone editum vel restitutum produnt; quo autem documento plane ignoramus: quin id inter fabulas referendum nihil ambigimus.

A illum patratis celebriora fuisse videntur, quæque impressa profundius in populi mentibus, vanis subinde circumvestita adjunctis fuere, ut fit in iis, quæ a nemine scripta, per populum feruntur; et hisce cum adjunctis ab eodem Coronato excepta ac litteris prodita, non ita ob additiones falsas spernenda sunt, ut exinde veritas ipsa, quæ in rebus miris inesse aliqua solet (etsi discerni non facile possit), plane rejiciatur. Eadem repetit Anonymus Pipinianus tertio insigni miraculo addito; et is (si unum *Cæsaris* verbum demas) Coronato melius multo et sine ullis additis, quæ Criticis difficultatem ingerant, illa paucis describit. En ipsius integra verba, uti leguntur in calce mss. Zenoniani ac Pompeiani; nam in manuscripto Lobiensi, ex quo P. Mabillonius ejusdem
B Anonymi opusculum edidit, lacuna est aperta, ut recte monuit marchio Scipio Maffeius, pag. 179 Historiæ diplomaticæ, quam nos ex laudatis mss. supplemus.

Octavus pastor et confessor martyr inclytus,
Qui Veronam prædicando reduxit ad baptismium,
A malo spiritu sanavit Gallieni Cæsaris filiam;
Boves cum homine vergente reduxit a pelago.
Et quidem multos liberavit ab hoste pestifero,
E fluvio exemptum suscitavit mortuum,
Multa idola destruxit per crebra jejunia.
Non queo multa narrare hujus sancti opera,
Quæ a Syria veniendo usque in Italiam,
Per ipsum omnipotens Deus ostendit mirabilia.

Hæc autem aliaque mira Zenonis gesta, quæ plura quidem fuisse putamus, licet memoria populorum dilabente custodita ac tradita non fuerint; celebrem tamen eum jam inde ab antiquis temporibus apud quamplures externas etiam urbes, provincias, ac nationes exhibuere, de quo plura capite quarto.

Ut autem ad eum statum, quem diximus, ethnicis Arianisque obsistentibus, Veronensem Ecclesiam perduceret, aliquamdiu illam regere profecto debuit; ex iis autem, quæ dissertatione I, c. 3, § 5, conjecimus, non improbabile quidem videtur eidem Ecclesiæ præfuisse per annos XVIII, ab anno scilicet 362, usque ad annum circiter 380, quo in cœlum translatus, laborum suorum præmio donatus fuit, ut Veronæ ipsi, quam in Christiana religione aluerat, in patrocinium susceptæ præsto esset; unde factum etiam est, ut illa beneficiorum non immemor ipsum mox
D magnum Patronum sibi adscisceret atque deprecaretur. De anno nihil præterea laborandum ducimus, adjiciendum nihil; nisi forte indicare quispiam aveat illorum recentiorum sententiam, qui nullo allato documento Zenonem mortuum prodidere an. 301, de quo plura in *Admonitione* ad monumenta num. 3. Diem vero obitus Coronatus Notarius antiquissimus omnium, qui de ejusdem morte fecerunt mentionem, nequaquam signat. Solum memorans percelebre miraculum, quo aqua [CXXIX] fluvii Athesis ad magnam altitudinem repente exundantis, apertam eccl. S. Zenonis portam ac fenestras non ingressa est, quod miraculum a S. Gregorio Magno descriptum lib. III Dialogorum, cap. 19, quinquennio ante acciderat,

[CXXVIII] § IV. — *S. Zeno ob miracula celeber. De ejusdem emortuali die.*

Non a Coronato solum, sed ab Anonymo etiam Pipiniano magna fuisse Zenoni in dæmones potestas traditur:

Et quidem multos liberavit ab hoste pestifero.

Duo miracula describit Coronatus, quæ ex multis per

Digitized by Google

veram religionem perduxisse cognoscitur, quemadmodum Brixia sub idem tempus per Philastrium erroribus purgata et ad catholicam fidem traducta legitur.

Quod ne mirum videatur iis, qui Italiæ præsertim urbes primis Ecclesiæ sæculis Christo nomen dedisse opinantur, considerent quæso (ne pluribus distrahamur) finitimas præsertim civitates Novocomum, Mutinam, Tridentum, idemque his invenient accidisse, quod Veronæ ac Brixiæ contigisse hactenus diximus. S. Felix Zenoni pene suppar Comensis primus episcopus (ut cognoscimus ex hymno de S. Abundio secundo ejusdem urbis episcopo [CXXVII] apud Ughel. t. v, pag. 2*8, et ex alio veteri hymno de S. Amantio tertio Comensi episcopo apud eumdem, pag. 259), primus quoque fuit, qui Novocomi ædificavit ecclesias, ac primus item qui Christi fidem ibidem seminavit hominesque Christo lucratus est, ut ex epist. IV S. Ambrosii ad eumdem cognoscitur, ubi hæc scripta leges n. 7 : *Multa messis Christi*, inquit, *sed pauci operarii, et difficile reperiuntur qui adjuvent..... Certe in illo ordine Comensium jam plerique cœperunt credere magisterio tuo, et doctrina tua verbum Dei receperunt : sed qui dedit credentes, et adjutores dabit*, etc., De S. Vigilio Tridentino præsule, qui post Zenonem aliquamdiu vixit, nonne hæc traduntur in Actis apud Bollandi socios tom. V Junii, pag. 165 : *Ubi totam civitatem catholice convertit, ecclesiam* (quod ante nulla fuisset) *infra muros civitatis Domino collocavit.* Auctor Vitæ S. Geminiani Mutinensis antistitis editæ ex ms. Veronensi tom. II, part. II, Rerum Italicarum, nonnè hæc de illo, qui Zenoni plane coævus fuit, scripta reliquit, pag. 691 : *Sane ad Christi culturam toto mundo confluente, jam dicta civitas* (Mutina) *per apostolorum successores Domini fidem recipiens, vanam Idolorum respuit fœditatem, ac sanctorum prædicatione sacerdotum amissam diu cœli recipere cœpit hæreditatem. In quorum catalogo confessorum Beatissimum Geminianum..... eadem, Domino jubente, suscepit civitas Mutinensium, temporibus Joviani Augusti totius Reipublicæ Principis. A quo cœlestis vitæ pabulo recreata, sanctæque purificationis fonte purgata, superfluam Idolorum servitutem reliquit, et suavi jugo Christi colla subegit.* In quæ verba animadvertens clarissimus editor, si alia simul aliarum urbium exempla prospexisset, quibus id ipsum plane contigisse deprehenditur; profecto hæc in præfationem non conjecisset, pag. 687 : *Quod est ad ejuratam a Mutinensibus gentilium superstitionem sub Joviano tantum Augusto* (Geminiani episcopi opera), *id nullo veritatis aut verisimilitudinis fulcro nititur atque ad fabulas amandandum.* Si Vitæ auctor sub Joviano tantum religionem Christianam a Mutinensibus per Geminianum primo susceptam prodidisset; jure quidem ab editore reprehenderetur. At non id ille innuit, imo per alios episcopos apostolorum successores fidem Mutinenses recepisse tradit : et solum sub Joviani imperium Geminiani laboribus idololatriam reliquisse eos narrat, quæ res illud unice insinuat, Mutinam, quæ jamdiu ante susceperat in aliquibus paucis fidem, per hanc tempestatem, qua libera fuit Christianæ professionis amplectendæ facultas, Christo, eversis prorsus Idolis, pene totam (quod ante non contigerat) nomen dedisse; quæ res eo minus reprehendenda est, quo magis ex aliis quamplurium civitatum Ecclesiis, quibus id ipsum obvenit, confirmatur. Cæterum fabulæ in res id generis populari fama invectæ et traditæ, ad elevandam, non vero minuendam alicujus Ecclesiæ antiquitatem et laudem pertinent : adeo ut quæ remissius ac minus gloriose de aliqua Ecclesia feruntur, ea nullius popularis fabulæ suspicionem ingerant, ratissimaque præter cætera haberi debeant.

§ III. — *Nova Ecclesia Veronæ ædificata. De Zenonis Clero. Duplex Virginum species Veronæ. Monasterium Veronæ primum in toto Occidente a Zenone institutum. Crapulæ et ebrietas in martyrum festis sublatæ.*

Cæterum Zenonem nostrum novam ecclesiam hac in urbe e fundamentis erexisse, primumque ea aperta Christianorum conventum magna cum celebritate prosecutum patet ex tract. 14 lib. I, et forte prima fuit in urbe ecclesia, quæ eum in usum ædificata fuit, cum antea in privatis ædibus huic usui accommodatis, vel saltem extra urbis pomerium sacra peragerentur. Veronensium divitum liberalitas sese hoc in opere commendavit, quippe quod *crebris et largis* illorum *prærogationibus* referatur, num. 3. Quamquam non hac solum, sed aliis quoque in occasionibus hi, episcopo præsertim impellente, liberales sese [CXXVII] præbuerunt, uti potissimum factum est in ea captivorum redemptione, quam ab ipso Zenone eximiis laudibus pro concione prædicatam videre poteris tract. 10, num. 5, lib. I.

Cæterum episcopus paupertatem profitebatur ex tract. 44 lib. II, ex quo etiam clerum illi fuisse patet; cujusdam enim rei testes appellat *operarios qui mecum sunt*, inquit. Hinc tract. 16 lib. I, num. 6, sacerdotes memorat, qui solemnibus divinis quiescentium animas Deo commendare solebant, et tract. 50 lib. II, mentionem facit ministrorum, qui episcopo inserviebant in sacris, nec non sacrarum ordinationum, quibus paschali tempore inferiores ministri ad superiorem ordinem promovebantur; piis autem sacerdotibus per idem tempus mercedem præstitam affirmans, piorum sane sibi cooperantium sacerdotum industriam indicat sive in instituendis catechumenis, sive in pœnitentibus præparandis, cujus merces ipsum erat baptismum, et reconciliatio, quæ paschali tempore solemni ritu peragebantur. In hanc quoque rem confert etiam locus S. Ambrosii ex epist. V, ad Syagrium Zenonis successorem, in qua cum Indiciam ab hoc benedictam *sacerdotes* invisisse tradantur, hoc sacerdotum Zenonis ævo ordinatorum non obscurum testimonium videtur. Horum quoque sacerdotum pudicitiam ac cœlibatum ab Auctore laudari tract. 5 lib. I, num. 7, satis credibile est.

Digitized by Google

Sed quis de clero in bonam disciplinam per Zenonem instituto dubitet, cum virginum quoque disciplinam ab eodem excultam ex eadem Ambrosii epistola manifestum sit? Ex ea nimirum palam colligitur Zenonis ætate Veronæ non solum fuisse virgines, quæ virginalis pudicitiæ voto obstrictæ post probationem velatæ suis in domibus pudice versabantur, cujusmodi Indicia fuit, de qua plura diximus diss. I, cap. 3, § 3, sed virgines etiam fuisse, quæ virginitatem professæ communem in monasterio vitam degebant; accusata enim, ut Ambrosius narrat, per calumniam Indicia, criminatores ejus impositum crimen perinde divulgatum ferebant ex num. 19: *Cucurrisse mulieres viles ad monasterium, jactasse partum virginis, et necem pignoris, de monasterio rumorem per populos sparsum.* Quamquam vero sub hujus quarti sæculi finem virginum monasteria in Occidente aliqua fuerint, ut ex aliis ejusdem Ambrosii locis colligitur; hoc tamen, quod Veronæ a Zenone institutum fuisse videtur, primum esse omnium credimus, vel primum saltem inter illa, quorum memoria litteris prodita superest. Ex hoc porro tanto virginum Veronensium numero, quæ partim in monasterio, partim privatis in domibus virginitatem colebant, Zenonis sermonum, quibus virginitas maxime commendabatur (uti nunc est tractatus 5 lib. I), fructum cognoscimus. Hunc eumdem antistitem inter eos accensendum opinamur Italiæ episcopos a S. Augustino epist. XXII, num. 4, laudatos, qui cum agapes in subsidium pauperum, martyrumque cultum institutas, in crapulas subinde et ebrietatem et luxuriam conversas animadvertissent, in eas perorarunt adeo feliciter, ut ex suis Ecclesiis totaque Italia illas excluserint, uti observavimus adnot. 18 in tract. 15 lib. I, ubi Auctor adversus illas invehitur, qui ut comessationibus et ebrietati impudicitiæque frequentius indulgerent, martyres sibi fingebant, in quorum cœmeteriis agapes agerent. Nec prætermittendum hoc loco videtur, quod tres XVI sæculi auctores prodiderunt, Paulus de Mildeburgo, episcopus Forosemproniensis in præfatione libri inscripti *Paulina de recta paschæ celebratione*, editi an. 1513, nec non ejusdem operis lib. primo; Joannes Stoefflerus in Calendario Romano edito an. 1518, prop. 17, et ex his Onuphrius Panvinius Antiquit. Veron. lib. IV, cap. 6. Hi nimirum paschalem canonem a Zenone editum vel restitutum produnt; quo autem documento plane ignoramus: quin id inter fabulas referendum nihil ambigimus.

A

B

C

D

[CXXVIII] § IV. — *S. Zeno ob miracula celeber. De ejusdem emortuali die.*

Non a Coronato solum, sed ab Anonymo etiam Pipiniano magna fuisse Zenoni in dæmones potestas traditur:

Et quidem multos liberavit ab hoste pestifero.

Duo miracula describit Coronatus, quæ ex multis per illum patratis celebriora fuisse videntur, quæque impressa profundius in populi mentibus, vanis subinde circumvestita adjunctis fuere, ut fit in iis, quæ a nemine scripta, per populum feruntur; et hisce cum adjunctis ab eodem Coronato excepta ac litteris prodita, non ita ob additiones falsas spernenda sunt, ut exinde veritas ipsa, quæ in rebus miris inesse aliqua solet (etsi discerni non facile possit), plane rejiciatur. Eadem repetit Anonymus Pipinianus tertio insigni miraculo addito; et is (si unum *Cæsaris* verbum demas) Coronato melius multo et sine ullis additis, quæ Criticis difficultatem ingerant, illa paucis describit. En ipsius integra verba, uti leguntur in calce mss. Zenoniani ac Pompeiani; nam in manuscripto Lobiensi, ex quo P. Mabillonius ejusdem Anonymi opusculum edidit, lacuna est aperta, ut recte monuit marchio Scipio Maffeius, pag. 179 Historiæ diplomaticæ, quam nos ex laudatis mss. supplemus.

Octavus pastor et confessor martyr inclytus,
Qui Veronam prædicando reduxit ad baptismium,
A malo spiritu sanavit Gallieni Cæsaris filiam;
Boves cum homine vergente reduxit a pelago.
Et quidem multos liberavit ab hoste pestifero,
E fluvio exemptum suscitavit mortuum,
Multa idola destruxit per crebra jejunia.
Non queo multa narrare hujus sancti opera,
Quæ a Syria veniendo usque in Italiam,
Per ipsum omnipotens Deus ostendit mirabilia.

Hæc autem aliaque mira Zenonis gesta, quæ plura quidem fuisse putamus, licet memoria populorum dilabente custodita ac tradita non fuerint; celebrem tamen eum jam inde ab antiquis temporibus apud quamplures externas etiam urbes, provincias, ac nationes exhibuere, de quo plura capite quarto.

Ut autem ad eum statum, quem diximus, ethnicis Arianisque obsistentibus, Veronensem Ecclesiam perduceret, aliquamdiu illam regere profecto debuit; ex iis autem, quæ dissertatione I, c. 3, § 5, conjecimus, non improbabile quidem videtur eidem Ecclesiæ præfuisse per annos XVIII, ab anno scilicet 362, usque ad annum circiter 380, quo in cœlum translatus, laborum suorum præmio donatus fuit, ut Veronæ ipsi, quam in Christiana religione aluerat, in patrocinium susceptæ præsto esset; unde factum etiam est, ut illa beneficiorum non immemor ipsum mox magnum Patronum sibi adsciseret atque deprecaretur. De anno nihil præterea laborandum ducimus, adjiciendum nihil; nisi forte indicare quispiam aveat illorum recentiorum sententiam, qui nullo allato documento Zenonem mortuum prodidere an. 301, de quo plura in *Admonitione* ad monumenta num. 3. Diem vero obitus Coronatus Notarius antiquissimus omnium, qui de ejusdem morte fecerunt mentionem, nequaquam signat. Solum memorans percelebre miraculum, quo aqua [CXXIX] fluvii Athesis ad magnam altitudinem repente exundantis, apertam eccl. S. Zenonis portam ac fenestras non ingressa est, quod miraculum a S. Gregorio Magno descriptum lib. III Dialogorum, cap. 19, quinquennio ante acciderat,

Digitized by Google

nimirum an. 589, relatum autem eidem pontifici fuerat a Joanne Tribuno, qui cum Pronulpho Comite ipsi miraculo adfuerat, hoc, inquam, miraculum Coronatus commemorans, Auctoris obitum in eamdem hujus miraculi diem non obscure conjicit, inquiens num. 9 : *Dum die sancto natalis ipsius* (Zenonis)..... *convenirent ad missarum solemnia*, etc. Rabanus Maurus, qui sub medium nonum sæculum floruit, in Martyrologio per Canisium edito tom. II, part. II, novissimæ editionis hæc tradit : VI *Idus decembris. In Civitate Verona Natale S. Zenonis martyris, quando aquæ fluminis Athesis usque ad superiores tecti fenestras ecclesiæ illius excreverunt, nec in eam intrare potuerunt, virtutem martyris ostendentes.* At Paulus Diaconus Rabano antiquior, quippe qui Carolo Magno imperante sub initium ejusdem sæculi scripsit, lib. III de Gestis Longobardorum, cap. 23, idem miraculum affigit *sexto decimo Cal. Novembris :* et quamquam in ms. Medoetiensi, ac in editione Lindebrogii legatur *Cal. Novembris:* omissas tamen fuisse numerales litteras XVI, quæ in aliis mss. et editionibus cernuntur, palam est, idque ipsum confirmatur ex Landulfo in Additione ad Miscellam nuperrime editam tom. I Rerum Italicarum, pag. 181, qui Paulum Diaconum secutus, imo exscribens, XVI Cal. Novembris posuit. Verum hæc dies, in qua Athesis miraculum contigit, S. Zenonis emortualis esse, ut Coronatus innuit, nullo modo potest; cum hanc diem Zenonis festam nulla documenta signent, quæ cæteroquin dies alios Zenonis memoriæ dedicatos ac festos commemorant. Hinc quoque agnoscere licet, quæ Coronato auctoritas tribuenda sit : nec mirum esse debet, si monachus Zenonianus, qui sanctum Episcopum *pridie Idus Aprilis animam creatori suo reddidisse* scripsit (*Pag.* 329 *Hist. Diplom. Maffæii*), eumdem Athesis coerciti diem *natalitium* paulo post appellavit; id enim, perinde ac alia multa, eum ex Coronato sumpsisse exploratum est.

In multis Martyrologiis et Calendariis, nec non in Ecclesiis multis, quæ Zenonis festum quotannis celebrant, huic festo adscripta est dies VI Id. Decembris. At non hac idcirco die ille obiisse credendus est, ut videtur significare Rabanus laudatus : is enim emortualem Zenonis diem in eodem Martyrologio notaverat pridie Idus Aprilis. Neque nova hæc Rabani repetitio; nam postquam Translationem S. Zenonis posuerat XII Kal. Junii, quo die cætera omnia monumenta illam consignant, aperto lapsu eamdem iterum signavit XII Kal. Augusti, quod festum omnibus etiam Veronensibus monumentis ignotum est. Universa porro Veronensis Ecclesiæ documenta cum aliis aliorum auctorum et Ecclesiarum S. Zenonis mortem pridie Idus Aprilis constanter describunt, quæ sane dies uti emortualis Protectoris nostri nunc quoque a nostra Ecclesia celebratur. Die autem VI Idus Decembris in plerisque antiquis Veronensibus manuscriptis et in parvo Martyrologio (quod Franciscus Maria Florentinius ex ms. Lucensi Hieronymiano Martyrologio subjectum publici juris fecit) adnotatur *dedicatio ecclesiæ S. Zenonis :* in paucis autem *S. Zenonis dedicatio*, vel *Consecratio S. Zenonis ;* et solum in Zenoniani monasterii monumentis, quæ decimum quartum sæculum non excedunt, ea die signatur *ordinatio S. Zenonis*, et duobus diebus post *dedicatio ecclesiæ S. Zenonis :* de quo plura dissertatione I, cap. 3, §. 5. Difficultatem itaque nullam ingerant Ecclesiæ, quæ hac die VI Id. Decembris Zenonis festum peragunt. Cum enim dies XII Aprilis in Quadragesimam vel Paschalia festa sæpissime incidat, quibus diebus sanctorum natalitia olim non celebrabantur; hæc transferri consueverunt in alium diem, qui scilicet propria in Ecclesia vel translationi, vel ordinationi, vel dedicationi ecclesiæ ipsius esset adsignatus. Sic quidem Radulfo teste de Observ. can. cap. XVI : *Solemnitas S. Gregorii olim in diem, qua fuerat ordinatus, solebat transferri.* Id ipsum confirmatur tum ab auctore Vitæ S. Rudperti episcopi Salisburgensis, scriptæ sæculo XII, tum ex auctore capitis XXIV, quod adjectum fuit libello *de Donationibus* ejusdem Ecclesiæ : utrique enim loquentes de festa die ipsiusmet S. Rudperti, qui e vivis excesserat VI Cal. Aprilis, eam a S. Virgilio institutam monent pro diœcesi quidem die VIII Calendarum Octob. in [CXXX] quo Rudperti corpus ipse transtulerat, in urbe autem die VII Calendarum ejusdem mensis, cum octava Calendarum dies occupata esset festo dedicationis ecclesiæ, in qua ejus sancti corpus quiescit; et transducti hujusce festi extra obitus diem hanc adsignant causam, quod hæc dies *propter officia Quadragesimæ vel ipsius Paschæ raro, sicuti dignum est, contigisset celebrari :* verba sunt Auctoris vitæ, qui dein addit : *Etiam congruum ac religiosum est, ut quidquid alia observatio illius celebrationis diebus dormitionis illius ob reverentium quadragesimalis officii, vel paschalis observantiam gaudii ademit, qui auctor Sedis et apostolus exstitit religionis, hic saltem in domo requiei suæ illa adsumpta die translationis suppleatur.* Tandem ut exemplum intimum et æquale omnino proferamus, S. Proculus quartus Veronensis episcopus, eadem concurrentis Quadragesimæ vel Paschatis causa in multis aliarum Ecclesiarum Martyrologiis et Calendariis, sicut et in Romano; nec non Venetiis, ubi ipsius nomine dicata exstat ecclesia, signatus legitur V Id. Decembris, cum in antiquis monumentis X Kal. Aprilis notetur *Depositio S. Praculi Confessoris*, quinto autem Idus Decembris *Dedicatio ecclesiæ S. Praculi*, et eadem plane de causa (ut id etiam addamus) festum S. Ambrosii, qui obiit pridie Nonas Aprilis, ubique præter Mediolanensem Ecclesiam celebratur VII Idus Decembris, in quem ejusdem ordinatio incidit. Hinc ergo præclarum et verissimum illud Cardinalis Baronii monitum in adnotationibus ad Martyrologium die 18 Martii : *Nec mirum, si quod sæpe accidit, alio die in Romano Martyrologio, alio vero alibi de eodem agitur Sancto, siquidem alicubi translatio, vel ejus ecclesiæ dedicatio, vel, quod de Episcopis accidit, ordinatio celebratur.* Hoc igitur exterarum Ecclesiarum ritu S. Zenonis natale celebrantium die 8 Decembris

Digitized by Google

nihil impediente, eum die XII Aprilis vita functum, ut omnia Veronensis Ecclesiæ monumenta cultusque annis singulis referri solitus testantur, nihil est dubitandum. Nunc ad illud caput accedendum est, in quo de mortis genere quæritur, num scilicet S. Zeno Martyr, an confessor obierit; quod cum longiorem disputationem postulet, distincto capite, digerendum est.

CAPUT II.

CONTROVERSIA DE MARTYRIO S. ZENONIS UTRINQUE EXPENSA.

De martyris titulo, quo S. Zeno insigniri solet, disputaturi, rem invidiæ plenam ingredimur; in qua si affirmaveris martyrem, et non satis idoneis testimoniis probaveris, vulgatam opinionem fovere voluisse videberis, nec doctorum hominum reprehensionem effugies, et religiosorum multo minus, quippe quibus rem dubiam in iis, quæ ad Sanctorum prærogativas id generis pertinent, certo promovere piaculum est; si vero e contra negaveris martyrem, majorem fortassis non solum vulgi, quam piorum quamplurium offensionem paries, qui te et S. Protectoris cultui inimicum, et plurium sæculorum traditioni, uti vocant, nec non Veronensis Ecclesiæ officiis adversum, temeritatis reum, novitatis fautorem, et forte etiam religionis ac pietatis violatorem traducent. Hæc nos pericula utrinque impendentia diligenter considerantes, num ab hac disputatione abstinere oporteret, primo quidem aliquamdiu dubitavimus: tum vero cum id fieri non posse sensimus, ut ne celebris controversia intacta relinqueretur, et dissertatio de vita S. Antistitis imperfecta prodiret; quo utrumque declinaremus periculum, eam tandem ineundam duximus viam, ut allatis in medium documentis, quæ pro utraque parte suppetunt, eisque toto in lumine collocatis nos decidamus nihil, sed lectorum judicio, quod non difficile ferri poterit, omnia remittamus.

[CXXXI] § I.—*Proponuntur argumenta pro vindicando S. Zenonis martyrio, et contraria refelluntur.*

In primis quæ pro martyrio sunt, monumenta considerentur. S. Gregorius Magnus omnium testium antiquissimus, S. Zenonem *martyrem* bis appellat lib. III Dialogorum, c. 19, ubi indicatum Athesis exundantis, et ad januam ecclesiæ S. Zenonis apertam stantis miraculum describit. Primo his verbis: *Apud Veronensem urbem fluvius Athesis excrescens ad B. Zenonis martyris atque pontificis ecclesiam venit.* Deinde: *Stans autem ante januam, ad ostendendum cunctis meritum martyris, et aqua erat*, etc. Hæc omnium tum editorum, cum mss. est lectio; inter codices autem memorandus præsertim pervetustus ille nostræ bibliothecæ Capitularis, in quo *martyris* nomen palam legitur. Cum S. Gregorio neque ob antiquitatem, neque ob auctoritatem conferendus est Coronatus Notarius, qui aliis in rebus non nulla falsa et incredibilia iuseruit: ejusque testimonium, quo Zenonem non solum non appellat *martyrem*, sed *in pace receptum* (quæ formula confessorum mortem significare solet) testatur, nihil contra Gregorium potest; ac proinde nihilum pariter valent, quæ ex simili locutione sive Monachi Zenoniani, sive Petri de Natalibus, sive aliorum, qui a Coronato palam sumpserunt, colligi et obtrudi possent.

Paulus Diaconus, qui ineunte IX sæculo scripsit, idem Athesis miraculum describens lib. III de Gestis Longobardorum, cap. 23, S. Gregorii Magni auctoritatem, quam allegat, secutus, S. Zenonem *martyrem* pariter vocat: et *similiter Joannes Diaconus* in Vita ejusdem Gregorii, *post medium nonum sæculum* exarata, lib. I, num. 55, *totidem Gregorii verbis S. Zenonem martyrem atque pontificem* nominat. Rabanus in Martyrologio quater Zenonis meminit, quaterque *martyris* nomine eumdem nuncupat. Wandelbertus in Martyrologio Metrico scripto an. 842, quod integrum editum est tom. II Spicilegii Acheriani, die 8 Decembris Zenonem nostrum appellans, *martyrem* vocat. Eodem sæculo Notkerius in Martyrologio per Canisium promulgato tom. II Antiq. Lect., part. III, novissimæ editionis, tum pridie Idus Aprilis, tum XI Cal. Junii S. Zenonis mentionem faciens, ei *martyris* titulum semper apponit. Usuardus ex ms. S. Germani *martyrem* pariter vocat, in quo tamen Bollandistæ non levibus argumentis repugnant. Cum enim contendunt illum ms. non esse ipsum autographum, uti vulgo traditur, Usuardi librum; tum vero ex alio vetustiori codice additiones ms. Sangermanensi ab aliis insertas volunt, et inter has S. Zenonis nomen nec non Martyris titulum Zenoni appositum recensent, putantque Usuardum hujus sancti nullam mentionem fecisse, sicuti nullam faciunt nec Florus, nec genuinus Ado a Rosweido editus tom. XVI Bibliothecæ Patrum, nec authenticum Bedæ Martyrologium ab iisdem Bollandistis vulgatum, id quod confirmatur ex antiquo Capituli Veronensis codice idem Bedæ Martyrologium continente, in quo secunda manu S. Zenonis nomen additum liquet. Martyris tamen nomen legitur apud auctorem Martyrologii, quod Bedæ vulgo tribuitur, et die 8 Decembris in additionibus ad Martyrologium Adonis, et in plerisque codicibus, qui auctum et interpolatum præferunt Usuardi Martyrologium. In Calendario cœnobii Cassinensis edito tom. 7 Rerum Italicarum pag. 136, mense Aprili, Zeno *martyrio coronatus* dicitur, et similiter in alio Calendario, quod præmittitur Sacramentario Gregoriano ms. sæculi IX, inter Vatican. num. 3806, eodem mense legitur *Sancti Zenonis martyris.*

Hactenus constitutis magna opponi solet objectio, quæ maximam præter cæteras vim habere videtur. Dicitur ergo Veronensis Ecclesia, quæ de sui Patroni ac episcopi martyrio (si quidem martyr obiisset) præ omnibus rescire debuit, cum confessorem semper appellasse, non martyrem, et uti confessorem in officiis atque in missis coluit ad Aloysium [CXXXII] Lippomanum episcopum usque, qui circa medium sæculum XVI, veteri ritu commutato, officia et missas de mar

Digitized by Google

tyre celebrandas primus instituit : eidemque veteri ritui sese conformantes aliquot externæ quoque Ecclesiæ cap. 4, § 2 et 3, indicandæ, quæ diem S. Zenonis festum singulis annis ex antiqua disciplina concelebrant, confessoris, non vero martyris officia et missas id quoque temporis peragunt. At huic objectioni ductæ ex Veronensis præsertim Ecclesiæ ritu quem alias Ecclesias subsecutas apparet, facilis responsio est. Nam præter quam quod in Carpso ms. Veronensis Ecclesiæ nunc nuper memorando antiphonæ ad Introitum, Offertorium, et Communionem pro festo S. Zenonis in missa recitandæ, eæ indicantur, quæ vel nunc in missis martyrum Paschali tempore dici solent, et similiter in Lectionario S. Euphemiæ laudato in scholiis a Baptista Peretto, pro die translationis S. Zenonis adsignatur Evangelium *Ego sum vitis vera*, quod hodie pariter in iisdem missis Paschalibus martyrum recitamus, in eamdemque rem ex alio ms. Missali monasterii S. Zenonis discimus, idem Evangelium lectum fuisse, cum quæpiam ejusdem Sancti festivitas in Paschale tempus incidisset : præter hæc, inquam, nostra Veronensis Ecclesia eum antiquum tenuisse ritum videtur, quem Micrologus notavit in libro de Ecclesiasticis observationibus cap. 45, testimonium indicante Baptista Peretto in iisdem Scholiis ad Vitam S. Zenonis, legitur autem tom. XVIII Bibliothecæ Patrum, pag. 485 : *Nota autem*, inquit, *S. Gregorium papam primum in Graduali libro de his martyribus* (Romanis Pontificibus) *sicut de confessoribus Pontificalia instituisse officia, ut de S. Marcello Antiph. Statuit, et de S. Felice Antiph. Sacerdotes, et hoc utique satis congrue propter excellentiam dignitatis Apostolicæ. Hoc etiam attendendo majores nostri de iisdem sanctis confessorum officia ad cursum diei et noctis leguntur observasse : quæ et Pontificis dignitatem eodem modo insinuant, nec tamen in aliquo eorum martyrio præjudicant. Idem de S. Apollinare observandum esse Gradualis liber demonstrat.* Hactenus Micrologus. Equidem hunc ritum in hac præsertim Veronensi Ecclesia viguisse illud demonstrat, quod in antiquis ejusdem Ecclesiæ ritualibus libris Episcopi, etsi martyres, confessores tamen nominantur; et officium de confessoribus recitandum innuitur. Ut autem omittamus pauca eorum, qui ibidem recensentur, Romanorum Pontificum nomina quorum martyrium certis documentis non probatur, eos tantum episcopos commemorabimus, quos fuisse martyres exploratum est ; et ne singulos hujus Ecclesiæ rituales libros percurramus, satis erit ms. illum considerare *Carpsum* appellatum, qui post præfationem Auctoris a Scipione Maffeio editam in Addendis postremæ partis Veronæ Illustratæ, Calendarium exhibet, notatque subinde officiorum hac in Ecclesia celebrandorum ritum, nec non antiphonarum, responsoriorum, psalmorum initia, quæ cuique officio conveniunt. Hoc *Carpsum* a Stephano presbytero et cantore ejusdem Ecclesiæ scriptum fuit ante medium sæculum XII, cum in Calendario quinque hæ chronicæ adnotationes alia manu in margine adjectæ le-

A gantur inter dies VIII, VII et VI Cal. Julii : *Heic emergitur Oprandus Archipresbyter MCLXVI.*

VI. Id. Augusti ⊖ Beatrix MCLXXI.

V. Id. Octobris Nat. S. Placidiæ V. et in margine *Institutio..... MCLXXV.*

IV. Id. Aprilis electio Adriani Archipresbyteri MCLXXXVI.

VII. Id. Junii consecratio Adriani Archipresbyteri in presbyterum MCLXXXVI.

In hujus ergo *Carpsi* Calendario hæc in rem nostram scribuntur :

IV. Nonas Febr. Sancti Blasii conf.

VIII. Cal. Maji S. Adalberti conf.

Non. Junii S. Bonifacii Epi. et conf.

VI. Cal. Julii. Nat. Ss. Joannis et Pauli m. et

B *S. Vigilii conf.*

[CXXXIII] Hi itaque omnes certissimi martyres, ut aliunde supponimus, in ipsius *Carpsi* Calendario confessores vocantur. Porro licet in eo Calendario legatur: *VIII. Idus Augusti Natale Sixti, Felicissimi, et Agapiti martyrum ;* tamen in *Carpso* S. Sixti officium notatur *de Confessore Pontifice*, aliorum autem duorum antiphonæ *de Martyribus.* Itaque apud Veronensem Ecclesiam is ritus obtinuisse apparet, ut confessores dicerentur, qui cæteroqui veri sunt martyres, et de iisdem non uti martyribus, sed uti confessoribus officia celebrarentur. Ex ipso Ughellio, pag. 781, Veronensem inscriptionem referente id ipsum eruditi suspicari et conjicere poterant : in illa enim, quæ temporibus Andreæ Patriarchæ Aquileiensis, id est

C sæculo IX, in templo olim S. Gregorii, nunc autem vulgo *S. Helenæ* in dedicationis monumentum erecta adhuc cernitur, inter Sanctorum, quæ ibidem continentur, reliquias hæ recensentur *S. Vigilii confes., S. Proculi confes., S. Zenonis confes.* ubi non tam S. Zenonem cum Proculo, quam S. Vigilium utique Tridentinum episcopum, qui indubie martyr occubuit, confessores peræque appellatos vides, quam appellationem officiorum ac missarum ritus sequebatur. Ex hoc porro Veronensis Ecclesiæ ritu illud dimanasse videtur, ut S. Zeno in aliis quoque ejusdem Ecclesiæ monumentis confessor inscribatur, non martyr ; ut ne tamen id ad martyrium inficiandum traduci possit.

Etsi vero in plerisque monumentis Veronensibus unus confessoris titulus eidem vindicetur ; tamen

D quædam non desunt, in quibus martyr diserte asseritur. Henricus imperator, in privilegio quod an. 1055 abbati monasterii S. Zenonis concessum fuit, pag. 703 tom. V Italiæ Sacræ Ughellii, bis *martyrem* illum vocat : et in alio privilegio, quod rogante Vitali episcopo Vicetino Beringarius eidem S. Zenonis monasterio tradidit an. 901, quamquam bis appelletur *confessor*, tamen et *martyr* semel nominatur. Vide Ughellium in Vicetinis episcopis tom. V, pag. 1031. Anonymus Pipinianus, qui de Veronæ laudibus Rhythmum lucubravit, peritus quidem ejus Veronensis ritus, quem diximus, nonne adhuc S. Zenonem et confessorem et martyrem simul affirmandum putavit?

Digitized by Google

Octavus pastor et confessor Zeno martyr inclytus.

Guillelmus Pastrengus Veronensis inter sæculi XIV scriptores eruditissimus, cui eum ritum latuisse incredibile plane est, nonne de Zenone scripsit aperte *martyrium patitur?*

Neque opponatur S. Zenonem martyrio coronari non potuisse, si post Juliani imperium vixit, ut dissert. 1 ostendimus. Etsi enim post Julianum nullas in Italia adversus Christianos persecutiones fuisse conceditur, de quo satis eadem dissert., cap. 2, § ultimo; adhuc nihilominus S. Zeno occidi potuit in aliquo Paganorum, quibus sese imperterrite objecit, tumultu, quemadmodum simili de causa non multos post annos in finitimis Tridentinis vallibus gloriosam pro Christo mortem oppetierunt tres sancti martyres Anaunenses, et subinde S. Vigilius episcopus: vel tot tantasque pro fide propaganda persecutiones potuit obire et pati, quot quantasque passus fuit coævus Brixiæ episcopus sanctus Philastrius, de quo hæc litteris prodidit successor ejus S. Gaudentius in sermone de vita S. Philastrii pag. 241 et 242: *Contra gentiles atque Judæos... et maxime... Arianam perfidiam tanto vigore pugnavit, ut etiam verberibus subderetur, et in corpore suo stigmata Domini nostri Jesu Christi portaret.* In hanc sententiam Joannes Veronensis Ecclesiæ presbyter mansionarius in Imperiali Historia manuscripta hæc de Zenone scribit: *Post multa supplicia quievit in Christo* II *Idus Aprilis.* Licet enim mortem in illis persecutionibus atque suppliciis non obierit, nihil tamen id refert, quominus martyr appelletur, unde *martyres* a S. Cypriano appellantur et illi confessores, qui multa pro Christo passi nondum in suppliciis excesserant, et martyr æque confessor vocatur a S. Paulino Felix Nolanus, et martyres item prædicantur, ac officio martyris coluntur idem S. Felix Nolanus, S. Euseb. Vercel. atque alii, qui cæteroquin quædam solum pro fide passi, in pace mortui deinceps [CXXXIV] sunt. Itaque cum Aloysius Lippomanus an 1554 (Peretto teste in Latinis scholiis ad vitam S. Zenonis) universo clero Veronensis diœcesis præcepit, ut de uno martyre pontifice officium celebraretur, quod antea de uno confessore pontifice celebratum fuerat, haud reprehendendus est, neque iis succensendum Ecclesiis, quæ ut ad Veronensis exemplum sese conformarent, hunc eumdem ritum subinde arripuisse satis credibile nobis est, de quibus capite quarto dicemus. Hæc sunt, quæcumque pro martyrii Zenoniani sententia colligere potuimus, et hæc quidem majori, qua per nos licuit vi, proposita atque inculcata, lector, vides, ut ne quid roboris huic parti, quam Veronensis Ecclesia nunc sequitur, decerperetur. Nunc de iis, quæ pro contraria sententia suppetunt.

§ II. — *Asseruntur argumenta contrariæ sententiæ.*

Antiquissimus omnium, qui Zenonis meminerunt, testis est S. Ambrosius archiepiscopus Mediolanensis, auctor cum pluribus nominibus accuratissimus et maximæ fidei, tum vero Zenoni suppar, quem proinde Zenonis non latuisset martyrium, siquidem is, ipso jam episcopo, pro Christiana fide gloriosam mortem oppetiisset. Ambrosius ergo delata ad se Indiciæ Virginis a S. Zenone olim probatæ ac benedictæ causa, cum pro illa multa scripsit ad Syagrium Zenonis successorem, tum vero hujus sancti, qui illam approbaverat, judicium proferens, martyris titulum, qui ad auctoritatem contulisset plurimum, procul dubio non omisisset. At Zenonem *sanctæ memoriæ* episcopum unice appellat, non martyrem, inquiens: *Tu autem sine alicujus fratris consilio hoc judicium præjudicium feceris, ut puellam, Zenonis sanctæ memoriæ judicio probatam ejusque, sanctificatam benedictione, post tot annos sine auctore criminationis, sine accusatore, sine professore delationis, in periculum reatus deducendam arbitrarere.* Itaque nihil de martyrio ejus Ambrosium cognovisse palam videtur: et si Ambrosius nihil de illo rescivit, jam Zenonem non martyrio, sed naturali morte in pace functum probabilissimum est, nisi quo paris ætatis atque auctoritatis documento Ambrosii testimonium elidatur. Præ hoc autem Ambrosii testimonio sequior nimis est S. Gregorii Magni, quæ pro martyrio antiquior suppetit, auctoritas. Is enim qui duobus post sæculis vixit, cum Athesis miraculum recitans, martyrem illum appellavit, fieri potuit ut memoria lapsus eum martyrem dictum crediderit, quem Joannes, a quo de miraculo fuerat instructus, simplicem episcopum et confessorem pronuntiaverat: nisi forte ipse Joannes eo in titulo lapsus probabilius credatur. In S. Gregorio quidem defectus id generis sine exemplo non sunt: nam Molano animadvertente in secunda Usuardi editione, S. Juvenalis Narniensis episcopus, cujus festa dies V Nonas Maii in Romano martyrologio signatur, martyr dicitur lib. IV, cap. 12, a S. Gregorio, cum merus confessor fuerit. Aliud nos exemplum adserimus ex epistola olim 73 lib. IX, nunc 62 l. VI, ubi idem pontifex *beatissimum martyrem* vocat S. Leucium episcopum Brundusinum, qui in laudato Martyrologio nec non in Calendario ms. Bibliothecæ Casanatensis scripto ineunte sæculo IX, ad monasterium quoddam Beneventanum olim pertinente, III Idus Januarii *episcopus et confessor* nominatur, atque uti confessor quidem in ipsa ejus Ecclesia Brundusina nunc quoque temporis colitur. Verum quidem est Leontium in editionibus post Romanam illum appellari, non Leucium: at cum ejus corpus Brundusii requiescens ibidem tradatur, Brundusina autem urbs nullum cujusquam sancti Leontii corpus apud se requiescens umquam agnoverit, ut illud S. Leucii episcopi olim habuit, antequam Beneventum transferretur: melior videtur lectio priorum Gregorii editionum, quæ cum quinque mss. in Benedictina allegatis Leucium præferunt. Ex his autem duobus S. Pontificis lapsibus in martyris titulo Confessoribus tributo; haud temere similis lapsus suspicio exoritur, cum idem S. Pontifex Zenonem martyrem scripsit, quem S. Ambrosius martyrem non agnovit. Coronati Notarii Vita cum pluribus impro-

Digitized by Google

babilibus, quæ alibi consideravimus, adjunctis scatcat, [cxxxv] levissimæ quidem est fidei; at negari illud non potest, quod cum ille de Zenone affirmavit *receptus est in pace*, inter tot improbabilia, quæ ad exaggerandam S. Episcopi gloriam ex ipsa populari fama congessit, nihil de martyrio ejusdem audierat, nihilque id temporis, septimo scilicet vel octavo sæculo, non multo post S. Gregorii obitum, hac ipsa in Veronensi Ecclesia de eodem ferebatur. Adde quod Coronati Vitæ, quæ in perantiquo Remensi Codice legitur, ubi exponitur miraculum Athesis, inserta apparent ipsa S. Gregorii verba, ut in adnotatione 10 ad eamdem Vitam diximus: et in his pro eo quod apud S. Gregorium scribitur *ad ostendendum meritum martyris*, ibidem positum fuit *ad ostendendum meritum confessoris*; unde suspicio est Veronensem, quicumque fuerit, qui eam additionem in ms. illo olim Veronensi, nunc autem Remensi apposuit, ex Gregorii verbis *martyrem* in *confessorem* correxisse, sanctumque Pontificem in eo lapsum putasse, quod S. Zeno Veronæ *confessor* haberetur, non *martyr*: qua eadem de causa monachus Zenonianus Gregorium appellans, ejusque verba recitans, martyris nomine prætermisso *Sancti* supposuit scribens, *ad ostendendum meritum Sancti*, vel, ut in ms. lectionario Brixiano legitur, cujus mentionem facit Maffeius noster in præfatione ad Monachum Zenonianum, pag. 317 Hist. diplom., *ad ostendendum meritum confessoris*: nisi forte hoc ms. lectionarium Brixianum ipsam Coronati Vitam ex simili exemplo Remensi sumptam contineat, uti sane illam continet lectionarium aliud ms. Ecclesiæ Tridentinæ, quod eamdem additionem et formulam Gregorii verbis præfert. Si porro ex his probabile sit S. Gregorium, dum Zenonem appellavit martyrem, unius nominis errore defecisse, nihil prosunt Pauli Diaconi, Joannis item Diaconi, Rabani Mauri, Notkerii testimonia, quippe quos ex S. Gregorii Dialogis sicuti miraculum Athesis, quod memorant, ita et martyris titulum, quem Zenoni affigunt, derivasse manifestum est. Eadem ratione cadunt etiam cæteri posteriores, Wandelbertus, Usuardus, aut potius Usuardi additamentorum et Adonis auctores, et alii, qui adferri solent, quos vel ex S. Gregorio, vel ex aliis Gregorii asseclis profecisse satis credibile est. Duos tantum codices præcipua consideratione dignos in confirmationem adferre libet, Vaticanum 3806, superiori paragrapho allegatum, et alium Veronensem monasterii S. Spiritus. Vaticanus, qui Aprili mense *S. Zenonis martyris* in Calendario meminit, eodem mense in Sacramentario nihil ponit, et solum mense Decembri, in quo Calendarium de eodem Sancto nihil notat, ipsius Missam exhibet, eamdem quæ in nostris codicibus legitur, et in ea ille *confessor pontifex* unice dicitur, ut ex tertia missa videre poteris. Hæc non aliunde videntur profecta, quam quod martyris nomen mense Aprili in Calendario insertum, e S. Gregorio vel ex alio ejus exscriptore sumptum fuit; missa autem derivavit e Veronensi fonte, cui id nomen ignoratum mox videbimus. Simili plane ratione in ms. Martyrologio monasterii Veronensis S. Spiritus, mense Aprili brevis martyrii S. Zenonis descriptio fit in Martyrologiorum formam iisdem fere verbis, quæ in vulgato Usuardo leguntur, martyriique testimonium e S. Gregorii auctoritate ab aliis Martyrologiorum scriptoribus excepta deduxerunt; at subinde in duobus aliis festis S. Zenonis mense Maio et Decembri, quæ ex solis Veronensibus libris notata sunt, ille confessor pontifex solummodo appellatur.

Argumentum, quod ex antiquo Veronensis Ecclesiæ ritu ducebatur, ut S. Zeno, cujus festa dies ad Lippomanum usque confessoris, non martyris officio ac missa celebrabatur, et celebratur adhuc ex antiqua consuetudine apud plures externas Ecclesias, uti c. 4 videbimus, hoc, inquam, argumentum ex Veronensis præsertim Ecclesiæ ritu ductum, etsi ad martyrium a Zenone adjudicandum non tanti est, quanti illud plures cum Henschenio fecerunt et faciunt, quod superiori paragrapho latius ostendimus: certe tamen quæ ibidem attulimus in medium, non sunt ejusmodi, ut, cum aliquot certi martyres hac in Ecclesia confessorum ritu culti fuerint, martyr etiam convincatur S. Zeno, nisi aliunde probetur. Negari quidem non potest antiphonas missæ S. Zenonis pro paschali tempore in Carpso indicatas, nec non Evangelium ejusdem temporis duobus aliis in codicibus descriptum ejusmodi esse, quæ per id tempus de martyribus dici solent: at ea [cxxxvi] antiquis temporibus paschalis quidem temporis, non tamen martyrum propria fuisse videntur. Enim vero in *antiquis Missarum libris* a venerabili Cardin. Thomasio editis hæc rubrica, *In communi unius martyris, vel confessoris* apposita legitur tum in Antiphonario, pag. 281, tum in Lectionario, pag. 80, tum in Capitulare Evangeliorum, pag. 217, et id ipsum quoque notatur in Responsoriale et Antiphonario pro officio temporis paschalis, pag. 314, et pro officio communi, pag. 361, adeo ut quod ex id generis antiphonis et Evangeliis eruitur argumentum, ad statuendum cultum martyris potius, quam confessoris traduci non possit. Illud autem, quod ex missis certum elicere possumus cultus testimonium, sunt orationes, vel gradale responsorium, siquidem proprium Sancti nomen præferat; ibi enim martyris vel confessoris titulus nomini proprio additus, utrum confessor an martyr habitus fuerit, tute indicabit. Omnes vero orationes, quas in sex mss. Veronensis Ecclesiæ libris, et in omnibus quidem S. Zenonis missis inferius describendis legere licet, unum confessoris pontificis, non autem martyris titulum constanter ingerunt; et responsorium gradale subjectum epistolæ ipso in Carpso designatum, non alio titulo eumdem sanctum appellat: *Sancte confessor Zeno*, etc. Quis ergo ex antiphonis et Evangelio, quæ pro martyre vel confessore olim communia fuisse deprehenduntur, contra expressum orationum testimonium pro martyrio statuendo arguere velit? Imo hinc potius confirmare licet, eas antiphonas et Evange-

Digitized by Google

lium paschalis missæ S. Zenonis, quæ martyrum propriæ nunc habentur, confessoribus etiam communia olim fuisse, cum præsertim idem Carpsum et alii rituales libri officium etiam paschale S. Zenonis totum de confessore pontifice recitandum exhibeant, quod non fecissent profecto, si paschalis missa, quæ cum officio concordare debebat, martyris propria judicata fuisset. Hinc porro quod oppositum superiori paragrapho fuit ex Micrologo scribente officia Romanorum pontificum cæteroquin martyrum propter *excellentiam dignitatis Apostolicæ* peracta fuisse *de confessoribus*, inane prorsus cognoscitur: illi enim martyres explorate dicebantur in orationibus, ac præterea de iisdem, uti ipse Micrologus eodem loco notat, in officio *hymnus, invitatorium, versus Gloria et honore, Posuisti eum, Domine, magna est gloria ejus cantantur ut de martyribus*; cum e contra in S. Zenonis officio inter monumenta referendo, hymnus ipse, invitatorium, versus, omnia denique de confessore dicerentur. Equidem illi pontifices, qui certi sunt martyres, in orationibus quoque Sacramentariorum nostræ Veronensis Ecclesiæ martyres nominantur, et martyr, non autem confessor inter cæteros vocatur S. Sixtus in orationibus, quæ leguntur sane distinctæ ab illis SS. Felicissimi et Agapiti martyrum, perinde ac Carpsum distinctas ipsorum antiphonas posuit. Similiter etiam S. Blasius, qui confessor dicitur non tam in Calendario Carpsi, quam in alio alterius libri Sacramentorum sæculi XII, præter quam quod in aliis Calendariis mss. martyr inscribitur, in orationibus certe omnium librorum martyris appellatione constanter donatur. De cæteris autem tribus martyribus Adalberto, Bonifacio, Vigilio, quos confessoribus accenset Calendarium Carpsi, Vigilium autem inscriptio in S. Helenæ, rationem adferre nullam possumus, utrum in orationibus martyres dicerentur necne, cum in tribus memoratis Sacramentorum libris nullibi memorentur. Neque illud prætermittendum, quod in Carpso, unde totum argumentum pendet, aliquot errores occurrant, qui fidem ejus non nihil extenuant. Unum in rem præsentem commodum exempli gratia proponamus. In præmisso Calendario: *XV Cal. Augusti Nat. S. Mamæ et Filastri m.*; et in ipso Carpso: *In Nat. Sanctorum Mamæ et Filastri a. et ps. et R. et totum officium de pluribus martyribus.* In his mirum profecto accidere debet, S. Philastrium, qui et Brixiæ et ubique semper confessoris cultu prosecutus fuit, et *confessor* item appellatur a S. Gaudentio, qui eidem successit, et a Ramperto etiam Brixiano Antistite, nec non in inscriptione nuper memorata Veronensis Ecclesiæ in S. Helenæ, ubi legitur *S. Philastrii confess.*, hunc eumdem, inquam, S. Philastrium inter *martyres* nihilominus recenseri in Carpso, et in eo quidem Carpso, qui non nullos pontifices certo martyres confessorum nomine designat. Id ab errore purgari posse [CXXXVII] nemo dixerit. In hac autem parte si Carpsi auctor erravit, quis in aliis A errare similiter potuisse non statim intelligat? Sed transeamus ad alia.

Duo documenta Veronensis Ecclesiæ superiori paragrapho allegata pro martyrii titulo quis cum aliis quam pluribus contrariis comparet? His iisdem, quæ contrariam ejusdem Ecclesiæ traditionem luculentissime videntur statuere, infirmari quoque seu potius elidi videtur Anonymi Pipiniani et Guillelmi Pastrengi scriptorum licet Veronensium auctoritas, quos in appellatione *martyris* unum S. Gregorium secutos credibile est. Quin Anonymus Pipinianus cum S. Zenonem *martyrem* una et *confessorem* appellet, vel ex hoc apparet, eum inscium, martyrne, an confessor S. Zeno fuerit, utrique, quæ ferebatur, appellationi, ne erraret, voluisse satisfacere, et idcirco *martyris* titulum a S. Gregorio ita sumpsisse, ut *confessoris* tamen nomen ex antiqua totque testimoniis firmata suæ Ecclesiæ traditione prætermittendum nequaquam putaret; qua eadem de causa accidisse quispiam existimet, ut tum in ms. Medoetiensi Pauli Diaconi tom. I Rerum Italic. pag. 447, tum in uno e duobus objectis documentis utrumque nomen pariter jungatur. Monumenta autem Veronensis Ecclesiæ, quæ cum unum *confessoris* titulum præferant, traditionis Ecclesiæ ejusdem testes exsistunt, plura suppetunt apud Ughellium tom. V Italiæ sacræ a pag. 705, et alia non pauca, quæ ex archivils addi possent: quibus omnibus antiquitate præstat charta anno 769, in vico Campelione Mediolanensis diœcesis scripta, et edita a marchione Maffeio inter monumenta, quæ ipsi in Veronensi historia illustranda usui fuerunt part. I, pag. 575; in hac autem memoratur *Basilica beatissimi et confessoris Christi Zenonis.* His adde inscriptiones. Præter illam in S. Helenæ superius allegatam idem Scipio Maffeius aliam publici juris fecit tom. II Veronæ Illustr. pag. 515, quæ anno 1123, in ipso S. Zenonis monasterio collocata confessorem Zenonem solummodo nominat. Aliam addere licet in ecclesia Montis Aurei diœcesis Veronensis sitam, quam nondum hactenus editam, et a P. Josepho Blanchinio olim diligenter exscriptam hic appingendam putamus.

ĀN. D. M. LX. IN̄O. XIII. C̄
SEC̄R. E. H. ÆCCL̄A. XVI. CAL.
S̄EP. AD HON̄. S. † ET S. MHL.
ET. SC̄O R̄. MA R̄. CASTORII.
ET. VICTORIS. ET. SC̄O R̄. C F̄
MARTINI. ZENONIS
ET. REMIGII. A. T. V. E P̄O̅

id est: *Anno Domini* 1060, *indictione* 13, *consecrata est hæc ecclesia*, 16 *Cal. Septembris, ad honorem Sanctæ Crucis et S. Michaelis, et Sanctorum martyrum Castorii et Victoris, et Sanctorum Confessorum Martini, Zenonis, et Remigii a Teopaldo Veronensi episcopo.* Præterea in lectionibus, quæ ante Lippomanum in S. Zenonis festo lectæ fuerunt, nulla martyrii occurrit mentio; et solum ibidem legitur: Re-

Digitized by Google

quievit, aut *receptus est in pace*. In Veronensis civitatis Statutis, et in iis, quæ adhuc vigent, cum S. Zeno magnus urbis Patronus nominatur, *Confessor* tantum dicitur, id ipsumque accidit in cæteris civitatis decretis, quæ pro ejus cultu lata fuerunt. In omnibus litaniis tum nostræ tum aliarum Ecclesiarum, quas cap. 4 [CXXXVIII] indicabimus, ille inter confessores constanter recensetur, et in illis quoque litaniis adhuc post Lippomanum in commendatione animæ recitari solitis in Ecclesia Veronensi, quæ a Joanne Matthæo Giberto an. 1536 primum impressæ in *libro catechumenorum ad usum Ecclesiæ cathedralis Veronæ*, anno subinde 1573, Augustino Valerio episcopo nihilum immutante recusæ fuerunt : quam quidem mutationem solum anno 1609, sub Alberto Valerio factam legimus in Rituali Veronensis ecclesiæ, S. Zenone a confessoribus ad martyres in iisdem litaniis traducto pag. 86, et iterum in aliis post Psalmos pœnitentiales, pag. 209. Quatuor præterea Sacramentorum libri Veronensis Ecclesiæ, nimirum tres Capitulares, et unus Sodalitii S. Mariæ de Domo, in Canone missæ S. Zenonem inter confessores referunt, et tres ex his, nimirum Capitulares, ita S. Zenonem confessoribus addunt, ut SS. Firmum et Rusticum inter martyres recitent sic : *Communicantes.... Laurentii, Firmi et Rustici, Crysogoni, Joannis et Pauli, Cosmæ et Damiani, Hilarii, Martini, Augustini, Gregorii, Hieronymi, atque Benedicti, Proculi et Zenonis*, etc. Nullum, ut credimus, exemplum adferre quispiam poterit, quo aliquis martyr sive in litaniis sive in Canone missæ inter confessores positus ostendatur : et si S. Zeno noster vere fuisset martyr, sicut Sanctos Firmum et Rusticum inter martyres inserere non dubitarunt, ita S. Zenonem magnum Patronum inter eosdem multo magis recensendum judicassent. Simili quidem ratione in suffragiis, quæ vel olim hac in Ecclesia inter officia recitabantur, etsi Tebaldus an. 1305, in ipsa constitutione ab episcopo Petro Scaligero eodem sæculo confirmata, qua eadem suffragia indixit, de S. Zenone Patre et Patrono hujus Civitatis primum honorificentissimam mentionem faciat, tum vero SS. martyrum Georgii et Firmi ac Rustici : tamen suffragiorum ordinem adsignans, SS. martyrum primo loco, dein S. Zenonis commemorationem agendam insinuat, quod sane factum non fuisset, nisi quod hac in Ecclesia confessor haberetur S. Zeno, non martyr : commemorationes autem martyrum, confessorum commemorationibus semper præeunt. Hinc in vetustiori quoque codice Capitulari sæculi circiter XIII, in quo orationes, lectiones, et antiphonæ per annum et propriæ et communes Sanctorum continentur, hæc suffragia eodem ordine præscripta reperiuntur in matutinis et vesperis : ut primum de Cruce, tum de pace, dein de S. Maria (cujus quotidie mutabatur Antiphona) postea de S. Georgio, de SS. Hermagora et Fortunato, Firmo et Rustico, subinde de S. Zenone, et tandem de omnibus Sanctis ; et in ipsis quidem suffragiis, quæ ex eodem codice dabimus, S. Zeno solo *Confessoris* nomine gaudet. Adde quod nec Ratherius, qui S. Zenonem suis in operibus et honorificis quidem titulis allegat, nec manuscripti tractatus ejus continentes, inter quos Remensis antiquissimus huic ipsi Ecclesiæ inter sacra officia inservivit, nec Calendaria sive nostra, sive aliena, quorum plura vidit indicatque P. Henschenius cap. 1, num. 3, pag. 70, *martyrem* illum vocant, sed solo *confessoris* titulo insigniunt.

Videtur etiam difficile, S. Zenonem, qui Gratiano, Valentiniano Juniore, et Theodosio imperantibus e vivis excessit, persecutionibus jam consopitis, passum fuisse martyrium : quod si a Paganis tumultuantibus illi obvenisset, ut Anaunensibus martyribus ac S. Vigilio Tridentino episcopo accidit, id factum non minus fuisset celebre, quam in Tridentinis illis martyribus exstitit, ejusque mentio aliqua, ad genus mortis quod pertinet, posteritati transmissa fuisset. Probabile quidem est illum, ut Veronam ad fidem perduceret, dum sese Paganorum superstitioni fortiter opponens, idola destruenda fanaque subvertenda curavit, ab ethnicis præsertim rusticis multa fuisse perpessum, vel etiam ab Arianis, dum eorum artes detegere, impetusque reprimere, eorumque pestem a sua diœcesi arcere naviter laboravit, ut S. Philastrio episcopo Brixiano evenisse S. Gaudentius commemorat. At sicut S. Philastrius numquam idcirco martyr est habitus, ita nec S. Zeno; unde ab Ambrosio martyr dictus non fuit. Neque Carpsi opponatur auctoritas, qui eumdem Philastrium martyrem prodit; is enim, ut vidimus paulo ante, manifestus est error, quem ad Philastrii martyrium statuendum transferre non licet, et multo minus ad martyrium S. Zenonis, [CXXXIX] qui eodem in Carpso confessor solummodo traditur. Sed ut finis aliquis huic disputationi imponatur, hæc sunt argumenta, quæ utrinque adferri queunt, inter quæ nostrum judicium ne exquiras, lector; nobis enim hac in controversia illud unum jam ab initio proposuimus, omnia, quæ in utramque partem suppetunt, colligere et explicare, non autem sententiam dicere : ac proinde Patris Henscheni prudens consilium secuti, his ejus verbis concludimus, quæ ille propositis aliquot utrinque argumentis scripta reliquit sub finem cap. 2, pag. 73 : *Nos omnia judicio prudentium virorum permittimus*. Solum historicæ notitiæ causa addemus Franciscum Mariam de Aste, archiepiscopum Hydruntinum, qui luculentissimas disceptationes in Martyrologium Romanum Beneventi edidit an. 1716, sub auspiciis Cardinalis Ursini, qui postea fuit Benedictus XIII, hoc in opere laudato disertis litteris Clementis XI tum regnantis, Henschenii argumentis motum, noluisse controversiam decidere, et hoc interim tutius suggessisse consilium, ut in eodem Martyrologio *ad instar Molani*, inquit, *enuntietur : Veronæ S. Zenonis episcopi, qui inter procellas persecutionis eam Ecclesiam rexit, et multa passus vitam finivit;* quibus verbis et vocem *passio*, et has *Gallieni tempore martyrio coronatus est* ita subducendas putavit, ut *multa* tamen Sanctus noster *passus* non negetur. Sed hæc quoque cum eodem

Digitized by Google

archiepiscopo *saniorum placito* subjicimus.

CAPUT III.

DE IIS, QUÆ POST S. ZENONIS OBITUM INSIGNIORA FERUNTUR.

Cum ea, quæ ad mortem usque S. Zenonis contigerunt, hactenus prosecuti simus, subjicienda nunc sunt, quæ ipsius mortem excepere. Sancto itaque vita functo, cum non tam anteactæ vitæ merita, quam prodigia ac signa ipso cum vivente, tum mortuo peracta maximam eidem celebritatem peperissent, statim a morte ecclesia, ubi corpus ejus quiesceret, exstructa fuit *a quodam*, ut Coronatus appellat, num. 8, *ex genere Gallieni*, ejus nimirum Gallieni, cujus filiam S. Zeno a dæmone vexatam sanaverat : id quod verisimile satis est, si intelligatur consanguineus ejus Gallieni quarto sæculo viventis, de quo conjecimus aliquid diss. I, c. 3. §. 4; si vero intelligendus sit consanguineus Gallieni imperatoris, quem Coronatus perperam appellat, incredibile omnino fuerit iis, qui totam ejus imperatoris progeniem una cum ipso internecione deletam ex Aurelio Victore norunt. Hæc ecclesia Coronati ipsius ætate, septimo scilicet vel octavo sæculo, *haud procul a fluvio Athesis* sita erat, et *extra Veronensis urbis muros*, ut a Paulo Diacono traditur lib. III de Gestis Longobardorum, cap. 23, quam cum nonnulli eam fuisse censent, quæ nunc *S. Zenonis in Oratorio* vocatur, perperam opinantur, ut inferius videbimus, cum de Translatione erit sermo.

Ad illam autem ecclesiam, quam Athesi proximam e Coronato didicimus, duobus circiter sæculis post S. Episcopi obitum contigit percelebre illud miraculum, quod S. Gregorius Magnus ex Joannis Tribuni, qui cum rege Authari et Pœnulpho comite præsens aderat, testimonio auditum Dialogorum lib. III, cap. 19, inseruit. Cum scilicet quodam die eam in ecclesiam frequens populus convenisset, Athesis repente supra aggeres excrescens et erumpens, ad eamdem ecclesiam magno impetu pervenit, nec tamen in apertas fores ingressus est: quin ad fenestras usque ecclesiæ sensim ascendens, januam quidem totam aqua occupavit, atque interclusit, sed, ac si solida esset, nequaquam diffluit. Integram hujus miraculi descriptionem ipsis S. Pontificis verbis inter selecta testimonia dabimus. Porro [CXL] hujus miraculi diem fuisse XVI Cal. Novembris, quo quidem tempore exundationes fluminum solent contingere, ex Paulo Diacono statutum nobis est hac ipsa in dissertatione cap. 1, §. 4. Annus vero ut statuatur, cum S. Gregorius in eo miraculo describendo affirmet id evenisse *ante hoc ferme quinquennium*, quinque ferme annis antequam dialogorum libros ederet, miraculum evenisse exploratum est, eaque de causa cum Dialogorum libros editos P. Henschenius existimet an. 593, Athesis miraculum affigit anno 588. Verum etsi detur dialogorum libros anno 593 fuisse perfectos et editos; tamen Athesis miraculum XVI Cal. Nov. an. 589 contigisse nihil dubitamus, a quo quidem tempore ad an. 593 *ferme* A *quinquennium*, id est quinquennium inceptum, non completum, excurrit. Hunc autem annum alia Gregorianæ descriptionis nota certissime figit : tradit enim eam exundationem Athesis evenisse, *quando apud hanc Romanam urbem alveum suum Tiberis egressus est, tantum crescens, ut ejus unda super muros urbis influeret, atque inde jam magnas regiones occuparet*. Porro hujus Tiberinæ exundationis annum aperte colligimus ex coævo auctore Gregorio Turonensi, qui lib. II Hist. Franc., cap. 1, eam *mensi nono*, seu Novembris an. 389 distinctis characteribus tribuit. Itaque si in idem tempus Athesis exundatio ex Gregorio magno incidit, profecto XVI Cal. Novembris an. 389 adjudicanda est.

Hoc Athesis miraculum, multaque alia in dies perpetrata cum sanctum Episcopum quotidie magis B celebrem reddiderunt, tum Pipinum Italiæ regem, Caroli Magni filium, et Rotaldum nostrum episcopum moverunt, ut de ejus corpore in decentiorem locum transferendo cogitarent, quod ex Zenoniano monacho auctore opusculi *de Translatione S. Zenonis* intelligimus. Utrique enim dum *quadam die pariter S. Zenonis ædem ingrederentur, et tam de auditis, quam de visis mirabilibus hujus loquerentur, rationabiliter et digne proposuerunt, ut magnum thesaurum humilius quam oporteret positum, decentius et sublimius locarent, et ecclesiæ angustiam dilatarent*. Itaque amplam ac magnificentiorem inchoarunt ecclesiam, ac in ea *antrum opacum* (ut idem auctor appellat *Confessionem*, seu subterraneum illud, in quo nunc quoque sanctum corpus jacet) *columnis subnixum, et* C *lapidibus pavimentatum construxerunt, ubi eminentem aggerem* (sic vocat ipsum tumulum) *expolitis marmoribus ediderunt, quem sacrosancti tumulum corporis devoverunt*. Hac autem subterranea ædificatione perfecta, antequam ipsa perficeretur ecclesia (nam aliquid pecuniæ sibi ab Imperatore traditum, *ex quo perficere deberent Basilicam S. Zenonis*, Ratherius duobus ferme sæculis post in Apologetico, pag. 366, tom. I Spicileg. Acheriani testatur), ipsa sacri corporis translatio peracta est. Etsi vero hujus translationis scriptor posterior sit aliquanto, quippe qui sæculo XI exeunte, vel ineunte XII vixit, ut in Admonitione ad monumenta statuemus, in eadem autem describenda non nihil falsi potuerit inserere, ut in ejusmodi scriptis perfacile accidit : ex antiquo tamen documento rei ipD sius substantia proficiscitur eamdem plane in rationem, qua vita S. Zenonis ab eodem concinnata, a Coronato Notario in partem maximam sumpta est, ut ne tamen ejus mentionem uspiam fecerit. Equidem antiquo tempore eamdem translationem ab aliquo scriptam, subindicat manuscriptus liber Remensis, qui post medium IX sæculum, id est L circiter post translationem annos, in Galliam transiit : ibi enim post descriptam S. Zenonis Vitam, quam Coronatus lucubravit, hæc altera manu adjecta leguntur : *Translatio ejus restat*, quæ verba S. Zenonis translationem id temporis scriptam, eamque in Vita a Coronato lucubrata, ac ibidem descripta desiderari, ac subjiciendam superesse satis insinuant. Itaque trans-

Digitized by Google

lationis tempus, quod ab eo auctore definitur, Pipino scilicet regnante, ac Rotaldo, confirmant aliqua documenta apud Ughellium, in quibus unum an. 865, pag. 721, fuse recitatum festivitatem S. Zenonis memorans *de mense Madio*, translationem procul dubio respicit, quæ ex omnibus nostræ Ecclesiæ Calendariis ac ritualibus libris diei 21 Maii affigitur, eodemque die a Rabano et Notkerio ejusdem sæculi IX auctoribus in matyrologiis signatur. Hinc probabilia etiam sunt quæ de Pipino ac Rotaldo in id opus consentientibus traduntur. Quod porro auctor narrat Benignum et Carum pios ac sanctos viros prope Benacum in angusto et abrupto loco vitam degentes, ad transferendum sacrum corpus [CXLI] fuisse accitos, ab antiquo monumento manare videtur; reliqua vero, quibus historia ejusmodi circumvestitur, cum quædam fabulosa perperam inserta præferant, hic prætermittenda duximus, quæ tamen in ipso monumento deinceps ponendo legere quisque poterit. Illa Zenoniani monachi de ipsa sacri corporis elevatione, *Dum circa ecclesiam gestaretur*, idem corpus ab aliquo vicino loco in novam ecclesiam traductum suadent; sicque vulgatam explodunt opinionem, qua illud ab ecclesia S. Zenonis *in Oratorio* appellata translatum creditur. Hæc opinio, seu potius hic error ineunte XIV sæculo obtinuisse videtur, cum Joannes Veronensis in Imperiali historia ms. lib. I hæc scribat: *Cujus corpus primo in monasterio apud civitatem Veronam sepultum fuit, deinde tempore Pipini Regis Italiæ filii Caroli Magni Imperatoris ad ecclesiam S. Zenonis majoris cum gloria est reconditum.* Id ex eo præjudicio habuit originem, quo basilica S. Zenonis e fundamentis de novo erecta creditur, ubi ante nihil ecclesiæ fuerit, cum tamen *renovatam*, non de novo ædificatam constet ex Ludovici et Lotharii privilegio anni 847, apud Ughellium, pag. 718: *Qualiter Pipinus gloriosus Rex cum Rotaldo ipsius sedis episcopo ecclesiam S. Zenonis confessoris Christi renovasset:* quæ cum monachi Zenoniani verbis mirifice congruunt, scribentis Pipinum et Rotaldum episcopum ædificandæ ecclesiæ consilium iniisse, non ut novam alicubi construerent, sed *ut ecclesiæ*, utique veteris, *angustiam dilatarent*. Quin nec ecclesia solum, sed monasterium quoque eidem adjacens *reædificatum fuisse ac renovatum* proditur ex alio Ludovici pii Pipini fratris diplomate, pag. 705, ex quibus veteri illi ecclesiæ, in qua Zenonis exsuviæ primum quiescebant, antiquis quoque temporibus monasterium adjectum fuisse cognoscimus, quod de ecclesia S. Zenonis *in Oratorio* suspicari nemo potest. Neque difficultatem urgeas ex miraculo Athesis, ac si non alia ecclesia, quam quæ S. Zenonis *in Oratorio* appellatur, prope Athesim sita, ejusdem exundantis fluctibus obnoxia haberi queat. Nam præter quam quod in documento apud Ughellium, pag. 699., nominatur *monasterium S. Zenonis positum foris civitatem Veronæ, juxta ripam Athesis*, quod documentum etsi falsum habeatur, tamen ante sæculum XI confictum atque scriptum creditur. Athesis, quæ cursu rapido multa corrodens, in unam partem inclinat aliquantulum, declinat ab altera, ante decem vel undecim sæcula prope veterem S. Zenonis ecclesiam, cum eo nondum essent producta urbis mœnia, affluere non difficile poterat; ipsaque præterea vetus ecclesia, in qua S. Zenonis corpus primum jacebat, humiliori ac magis demisso, quam nunc nova basilica est, in solo consistere potuit, ut Athesis undæ in magna ingluvie ad ejus ecclesiæ fenestras commode pervenerint. Cæterum credibile est ecclesiam S. Zenonis *in Oratorio* illam esse, quæ in inscriptione Pacifici inter ecclesias ab eodem conditas vel renovatas recensetur:

Ecclesiarum fundator, renovator optimus
Zenonis, Proculi, Viti, Petri et Laurentii, etc.

Pacificus autem cathedralis nostræ ecclesiæ archidiaconus celeberrimus diem obiit anno 846, cum eodem jam ineunte sæculo S. Zenonis translatio contigisset. Porro omittendum non est hanc sacri corporis translationem, cum ex eodem, sed humiliori loco, ad altiorem et magnificentiorem facta fuerit, *elevationem* æquius appellari, unde ex Petri Cali Miscellaneis sic illam inscripsit P. Henschenius, pag. 75, *Historia elevati corporis S. Zenonis;* quamquam exempla non desint quibus translatio nuncupata fuit, quæ mera alicujus sacri corporis fuit elevatio. Tandem ecclesiam, ad quam S. Episcopi corpus translatum fuit, eodem translationis sæculo, vel paulo post dedicatam fuisse eo ipso die VI Id. Decembris, quo ejusdem Sancti ordinatio celebrabatur, ex pluribus antiquis Calendariis liquet, de quibus satis dictum est dissert. I, cap. 3, § 5, et hac ipsa dissertatione cap. 1, § 2. Hic autem prætermittimus aliquot miracula, quæ sive in ipsa translatione, sive post evenisse memorantur; ea enim partim apud monachum Zenonianum, partim apud Jacobum [CXLII] Presbyterum, inter monumenta quæ huic dissertationi subjicientur, legere quisque poterit.

Addemus solum nonnulla quæ ad S. Zenonis corpus pertinent. Primo Panvinius, qui plurima monumenta vicissitudinibus temporum nunc jam deperdita legit, et non pauca sumpsit ex Historia Imperiali Joannis Veronensis, lib. V Antiquitat. Veronensium, cap. 25: *Sub hoc episcopo, id est Adelberto,* inquit, *Hungarorum gens Italiam consumpsit, Veronam magno impetu invasit, ejusque suburbiis ferro flammaque consumptis, in his Basilicas divorum Zenonis, Proculi, Stephani, Nazarii et Celsi incendio consumpsit. In qua trepidatione, Abbas divi Zenonis et monachi cum eo corpus ejusdem divi penes se conditum (quod ne furto subriperetur magnopere metuerunt) una cum calice cruceque aurea maximi pretii, Pipini dono monasterio concessa, in ædem divæ Mariæ Majoris, in ejus sacrario asservanda deportarunt. Verum Veronæ rebus aliquot post annis in tranquillo constitutis, contra Canonicorum voluntatem, in priorem basilicam sunt reportata, ubi usque in hodiernam diem suis in locis integra asservantur.* Hoc idem factum memorat etiam Hieronymus a Curte lib. IV Hist. Veron., pag. 209. Porro triplex Hungarorum irruptio in Italiam a Luitprando coævo au

Digitized by Google

tore describitur: prima quæ incidit in mensem Martium an. 900, ex lib. II cap. IV, Hist., tom. II, Rer. Italicar. pag. 345; eam enim subjicit post Arnulfi mortem, quæ contigerat sub finem Novembris an. 899 : altera, quæ accidit biennio post ex eodem Luitprandi libro, cap. 11; hanc enim subsecutam prodit statim post Ludovici Bosonis filii obcæcationem, quæ Veronæ evenit an. 902 : tertia post mortem Berengarii I, vita functi an. 924, quo anno Ilungaros Ticinum incendisse prodit libro III, cap. 2. Cum vero harum irruptionum celeberrima sit prima, de qua quidem una an. 900 mentionem faciunt Annales Bertiniani eodem tom. II Rer. Italicar. pag. 576, et alii scriptores a Pagio memorati ad an. 900, num. 17 et seqq., cumque in ea Ilungaros *Veronam pervenisse* Luitprandus ipse testetur, hoc anno 900 S. Zenonis corpus ad ecclesiam cathedralem traductum opinamur : quo anno rexerit necne hanc Ecclesiam Adelbertus episcopus, ut e Panvinio proditur, inquirere et definire nostrum non est. Quo autem tempore idem sacrum corpus in suum locum restitutum fuerit, constituere non licet. Solum paucos post annos ibidem fuisse, et exinde ad hæc usque tempora eodem in loco fuisse religiose servatum, aliquot monumenta apud Ughellium locuples testimonium præbent, quæ indicare non inutile fuerit. Pag. 728, in Notkerii episcopi testamento, an. 922 memoratur cœnobium S. Zenonis, *ubi ejus corpus humatum quiescit*. Pag. 727, in diplomate Hugonis Regis Italiæ, an. 926, confirmantur jura eidem monasterio concessa, *ubi corpus ejus sanctum quiescit humatum*. Similis formula pariter legitur in documento an. 1021, apud Muratorium, Antiquit. Estens. pag. 129, necnon in aliis compluribus, de quibus mentionem facit marchio Maffeius, tom. I Veronæ Illustratæ, pag. 670, adeo ut in Missali monasterii S. Zenonis, scripto sæculo XIV, de eodem Sancto testimonium prodatur, *qui in præsenti requiescit Ecclesia*. Initio libri *Juris Civilis Veronæ* scripti an. 1228, et ms. e Capituli Veronensis nuper editi a Bartholomæo Campagnola S. Cæciliæ Archipresbytero hæc sunt : *Ad honorem Dei et gloriosissimæ ejus Genitricis, et beatissimi Zenonis, cujus sacratissimi corporis consolatione gaudemus, etc.* Hæc eadem sententia aliis verbis repetita legitur in procœmio *Statutorum Veronensium*, quod a Silvestro Lando, Veronensis civitatis cancellario, an. 1450 exaratum fuit : ut mittamus alia testimonia, quæ constantem ejusdem corporis Veronæ in ecclesia S. Zenonis servati traditionem ad nostram usque ætatem perducunt.

Hæc tamen omnia nihil prohibent, quominus aliquæ S. Zenonis reliquiæ alio pervenire potuerint. Ut prætereamus illas, quas aliquot in ecclesiis Veronensibus Bagata et Perettus commemorant in opere inscripto : *SS. Episcoporum Veronensium antiqua monumenta* ; Hermanus Contractus in Chronico ad an. 1052, tom. III, part. I, pag. 272 Canisii Antiquarum Lectionum ait : *Reliquiæ beati Zenonis Confessoris ex Waltario Veronensi episcopo in Alamaniam ad villam Ulmæ allatæ, plurimis per hæc tempora claruerunt miraculis.* Ita ille coævus et Germanus [CXLIII] Scriptor, qui duobus annis post, id est an. 1054, e vivis excessit : cui testi plus sane fidei habendum, quam posteriori cuiquam, qui ejus narrationem adaugens, pro reliquiis ipsum corpus Ulmam allatum supposuit. In ecclesia S. Salvatoris de Monte Amiato diœceseos Clusinæ S. Zenonis reliquiæ una cum reliquiis S. Proculi aliorumque Sanctorum an. 1036, in ejus basilicæ dedicatione conditæ traduntur in documento apud Ughellium tom. III, pag. 624. Tarvisina inscriptione an. 1082, ab eodem Ughellio edita pag. 515 tom. V, inter plurium Sanctorum reliquias in ecclesiam S. Nicolai apud Tarvisium conditas, recensentur etiam reliquiæ *S. Zenonis confessoris*. In diario reliquiarum, quæ in Pragensi Metropolitana ecclesia custodiuntur, notatur, testante P. Henschenio in additionibus ad tom. II Aprilis, pag. 958, *S. Zenonis episcopi frustum insigne allatum per Carolum Imperatorem, an.* 1370. Ticini in sancti Thomæ reliquias *S. Zenonis episcopi*, quem S. Zenonem Veronensem esse ex dicendis capite sequenti nihil dubii erit, inter alias aliorum sanctorum servatas tradit P. Romualdus a S. Maria in *Papia Sacra* part. III, pag. 85. Cæsenæ brachium S. Zenonis in antiquissima parochiali ecclesia de ipsius nomine appellata servari dicitur in Chronologia Cæsenæ Bernardini Manzonii, pag. 62. Alia id generis notare et inquirere non vacavit. Ad insignem autem sanctissimi episcopi cultum demonstrandum quod pertinet, diligentiori cura et inquisitione usi sumus ; et is cum nostro Auctori maxime gloriosus futurus sit, separato capite fusius statuendus visus est.

CAPUT IV.

DE ANTIQUISSIMO AC LATE PERVAGATO S. ZENONIS CULTU.

§ I. — *Antiquitas et propagatio cultus ad eximia sanctorum merita celebritatemque cognoscendam quantum conferant. Cultus S. Zenonis apud Veronensem Ecclesiam primum exponitur.*

Si quis antiquorum sanctorum virtutes et merita, quæ ex ipsis rebus gestis ob Actorum defectum cognoscere minime liceat, aliunde velit colligere; nullum certius et insignius monumentum suppetit, quam si antiquum longiusque pervagatum eorumdem cultum ostendere quispiam possit. Etsi enim sancti viri semper in tota Ecclesia venerationi fuerint, ibique præsertim, ubi præclaris laboribus pro Deo et Ecclesia functi sunt, obitus ipsorum dies solemni ritu celebrata sit; antiquis tamen temporibus non ita præcipuus eorum exstitit cultus, ut statim post mortem invaluerit, et extra solum proprium longius prodiret, nisi præcipua admodum ipsorum sanctitas et celebritas fuerit, quæ eo major esse debuit quo et citius a morte, et latius eorum cultus propagatus invenitur. Illinc plurium episcoporum, quos quævis antiqua sedes inter sanctos colit, memoria intra exiguos fines circumscripta olim fuit, nec nisi admodum paucis,

Digitized by Google

qui celebriores fuere, contigit, ut aliis quoque in urbibus atque provinciis colerentur. Ne cuipiam sanctorum ex comparatione injuria fiat, neminem nominamus : at quod affirmavimus, antiquitatum ecclesiasticarum peritis exploratissimum est. Illud unum in rem nostram nemini injuriosum constituere hujus est capitis, S. Zenonem inter illos fuisse, quos omnibus præcipui cultus testimoniis antiquitas longe lateque prosecuta [CXLIV] est : quod eo majorem ejus in gloriam cedit, si confessor tantum, non martyr fuit, cum vix ulli confessori, sed solum nonnullis martyribus fere contigerit, ut antiquis temporibus cultus extra proprium solum latiores limites produceret. Inter cultus testimonia quæ plura recenseri queunt, hæc præcipua sunt: ecclesiarum in Sancti nomine dedicatio, officia ac missæ propriæ, ejus nomen in Canonem ac litanias insertum, et id generis alia : quæ si de Zenone nostro omnia jam inde ab antiquis temporibus et Veronæ et alibi latissime propagata nonnullis antiquis et certis documentis statuerimus; ad cultum et sanctitatem ejus insignem demonstrandam nihil desiderabitur. De ejus cultu apud Veronam primum dicamus.

Multæ inprimis ecclesiæ tum in urbe, tum in diœcesi Veronensi S. Zenonis titulo nuncupantur, quas numerare nimis esset longum. Præterea tres festi dies in ejusdem Sancti memoriam celebres per plura sæcula in antiquis monumentis notantur, quos solemni ritu Veronensis Ecclesia quotannis peregit : pridie Idus Aprilis *depositio S. Zenonis*, XII Cal. Junii ejusdem *translatio*, et VI Id. Decembris in aliquibus monumentis *S. Zenonis dedicatio*, vel *consecratio*, in plerisque autem *dedicatio basilicæ S. Zenonis* ; in hac autem basilica quartum festum *ordinationis* adjectum, quod nunc dedicationis festo subrogatum celebratur, qua de re pluribus diss. I, cap. 3, § 5, et hac diss. cap. I, § 2, missæ, hymni, antiphonæ, benedictiones, suffragia, responsoriaque leguntur propria in nostræ Ecclesiæ mss. libris, quæ inter monumenta inferius describentur. In Sacramentariis autem tribus X sæculi missa S. Zenonis propria cum propria item ipsius præfatione continetur, quorum unum Rege Othone et Wolfango episcopo scriptum, missam S. Zenonis primo loco positam aureis characteribus descriptam præfert. Zenonis nomen Canoni inter confessores insertum quatuor Sacramentorum libri exhibent, quorum mentionem fecimus cap. 2, § 2, et tres ex his Capitulares non tam in *Communicantes*, quam post orationem Dominicam eumdem invocant sic : *Libera nos, quæsumus, Domine*, etc., *et Sanctis apostolis tuis Petro et Paulo atque Andrea, et Beatis confessoribus tuis Martino, Proculo, Zenone, atque Benedicto cum omnibus sanctis*, etc. In litaniis quoque, quas aliquot in mss. XIII et XIV sæculi tum in Bibliotheca Capituli Veronensis, tum alibi legimus, necnon in quibusdam orationibus ac benedictionibus, quæ iisdem in mss. continentur. S. Zeno inter cæteros sanctos confessores invocatur. In Romano Ordine Capitulari scripto temporibus Ludovici et Lotharii Augustorum et Ermingardis Augustæ, quem edidit Franciscus Blanchinius in Prolegomenis ad Anastasium, tom. III, pag. 51, hæc leguntur : *Exaudi, Christe... nostro ill, a Deo electo Pontifice Vita. III. S. Firme. Respondetur : Tu illum adjuva. S. Procule. Respondetur : Tu illum adjuva. Sancte Zeno. Tu illum adjuva.* Hunc Veronenses olim patronum sibi maximum elegerunt, unde a Ratherio episcopo in Apologetico pag. 366, tom. I Spicilegii Acheriani, *peculiaris noster patronus;* et in synodica ad presbyteros pag. 377, *specialis noster doctor atque provisor* vocatur. *Civitatis Veronæ patronus atque gubernator* similiter dicitur in Othonis imperatoris privilegio, an. 988. apud Ughellium pag. 745, uti et in alio an. 996, pag. 749, in quibus utrisque Veronensis episcopus *Vicarius S. Zenonis* honoris causa nominatur. In procœmio statutorum Veronensium *patroni, protectoris* et *defensoris* nominibus appellatur ; magnusque eidem cultus aliquot in capitibus ejusdem Statuti aliisque in *partibus*, uti vocant, quas in Civitatis cancellaria videre licet, decretus semper fuit. Tandem præcipuum Veronensis Ecclesiæ ritum nunc quoque vigentem notare libet, nimirum S. Zenonis commemorationem fieri a Clericis sæcularibus, et a Regularibus utriusque sexus in Matutinis et Vesperis, cum suffragia recitantur, nec non in Collecta *A cunctis* post Apostolorum Petri et Pauli commemorationem : qui ritus præceptus a Jo. Matthæo Giberto episcopo in Constitutionibus, tit. 2, cap. 2, duobus sæculis ante et eo amplius in Synodalibus mss. Theoldi episcopi constitutionibus a Petro Scaligero in alia Synodo confirmatis præscriptus legitur, ut ex monumentis subjiciendis patebit. Ex his satis, ut credimus, colligi potest, quanto in honore S. Zeno apud Veronenses olim fuerit ; eumdemque cultum nunc quoque iidem confoventes, processiones cum oblationibus ad [CXLV] ejus basilicam, ubi sacrum corpus quiescit, statis diebus faciunt, ac idemtidem eo tota civitas magna cum frequentia confluit, ut magni patroni opem sibi in egestatibus apud Deum interponat.

§ II. — *Cultus S. Zenonis quam late in aliis Italiæ Ecclesiis propagatus sit.*

At non Veronæ solum, de qua rebus præclare gestis benemeritissimus fuit, præcipuo cultu S. Zeno prosecutus est, sed apud alias non tam finitimas, quam remotas etiam civitates atque provincias, jam inde ab antiquis temporibus insignem cultum est consecutus, quo ad sanctitatis ejus magnitudinem celebritatemque comprobandam nihil reperiri potest illustrius. Cum Coronatus Notarius, descriptq miraculo Athesis, cujus alibi mentionem fecimus, scribat : *Unde accrevit veneratio et timor circa Christi sacerdotem;* post id miraculum quod a S. Gregorio pontifice in dialogis promulgatum fuit, cultum ejus extra Veronam propagari cœptum nonnulli fortasse existiment. Pistorii in Hetruria quidem cathedralis ecclesia S. Zenonis nomine dedicata traditur ab Ughellio post an. 595, cum ejus urbis flumen exundans,

Digitized by Google

Zenone invocato, coercitus mirifice fuit. Vide tom. III Italiæ sacræ, pag. 284, ubi Pistorienses ad invocandum eo in casu S. Zenonem ex recenti et divulgato vix id temporis miraculo Athesis excitati videntur. Sed Pistoriensis auctor, ex quo additiones in Ughellium excerptæ sunt, cum Ughelli sententiam nullo fundamento subnixam affirmare non dubitavit; et cum in ejus narratione quædam reprehendit, quæ hic referre nihil interest, tum vero antiquius aliquanto eam ecclesiam Zenoni fuisse sacram pronuntiat, ex quo factum subinde fuit, ut Pistorienses S. Zenonem sibi patronum delegerint, ejusque memoriam duobus diebus adhuc quoque colant, Prid. Id. Aprilis, et solemniori festo VI. Id. Decembris, quod quam nostro Antistiti perhonorificum sit nemo non videt. Equidem etsi post miraculum Athesis, quod incidit in an. 589, S. Zenonis cultum magis multo promotum fuisse nihil sit ambigendum: tamen ante id quoque tempus memoriam ejus cultumque extra Veronam late pervasisse illud demonstrat quod tradit Agnellus in Pontificali Ravennate edito primum a P. Bacchinio, nuper autem inserto Rerum Italicarum tomo secundo. Ne quid dubitationis ingeratur, res ab initio repetenda est. Gothi, Arianæ sectæ homines, Ravennam occupaverant an. 493. Licet autem eam urbem an. 540 Belisarius recuperaverit, tamen paulo post in Gothorum potestatem rediit, sub eorumque ditione stetit usque ad an. 552. Anno sequenti Agnellus, catholicæ fidei antistes, in ejus urbis cathedram ascendit, eique Justinianus imperator *quidquid ad eorum* Gothorum *jus, vel ritum pertinere potuit, condonavit et concessit.* Recenset autem inter cætera *aras et templa.* Tum vero hæc historicus subjicit cap. 2, pag. 113: *Igitur iste beatissimus omnes Gothorum ecclesias reconciliavit, quæ Gothorum temporibus, vel Regis Theodorici constructæ sunt.* Porro hasce ecclesias tum urbanas, tum rusticanas enumerans, recenset inter cæteras ecclesiam *Beati Zenonis in Cæsarea.* Hanc eamdem esse ac illam, quam Urbanus IV, in Bulla an. 1262 ad Canonicos Cardinales Ravennæ apud Rubeum lib. VI Hist. Raven., pag. 438, edit. 2, *ecclesiam S. Zenonis ad Puteum* vocat, illud indicio est, quod eodem in loco, ubi olim exstitit Cæsarea, via adhuc sit, quæ *Puteorum* nominatur. Porro S. Zenonem, cui hæc ecclesia nuncupata fuit, esse S. Zenonem episcopum Veronensem, etsi nulla documenta hactenus nobis cognita explorate tradant, colligere tamen licet ex eo quod veteres aliæ ecclesiæ, quæ alibi per finitimas Italiæ provincias de S. Zenonis nomine appellantur, omnes non alium quam Veronensem episcopum patronum agnoscant, ut ex dicendis patebit: ac præterea in eadem Ravennate diœcesi alia extra Hadrianam portam S. Zenonis ecclesia exstitit, quam eumdem nostrum episcopum patronum habuisse Jo. Ferretus Ravennas, Lavellinatium episcopus, diserte testatur. Is enim, qui sub medium XVI sæculum e vivis excessit, decades Historiæ Ravennatis ab Ughellio lectas, et memoratas tom. VII, pag. 743, in schedis reliquit, ex quibus [CXLVI] A nunc (quod sciamus) nihil superest nisi index, qui in bibliotheca Vaticana servatur cod. 5833, et in indice Decadis secundæ, pag. 281, habetur: *De templis D. Mercurialis episcopi Liviensis et Zenonis Veronensis extra portam Hadrianam.* Si vero ex his probabile sit *ecclesiam* quoque *S. Zenonis in Cæsarea* de eodem Veronensi episcopo nuncupatam fuisse; cum hæc ab Agnello archiepiscopo reconciliata tradatur, fuit procul dubio sub Gothorum potestate, ac inter eas quidem, quas Ariani Gothi, ac præsertim Theodoricus Gothorum primus in Italia rex ædificasse traditur. Itaque inter annum 493, quo Gothi Ravennam primo occuparunt, et annum 552, quo ab ea urbe penitus fuerunt exclusi, Ravennæ in Cæsarea in S. Zenonis Veronensis honorem ecclesia Deo dicata fuit; et forte Theodorico ipsi, qui Veronæ aliquamdiu regnavit, et ipso anno 493 Ravennam cœpit, ea ædificatio referenda est. Neque opponas credibile non videri Arianum regem ædificasse ecclesiam ejus nomine, qui Arianos impugnaverat acerrime; nam et S. Martino Arianorum item impugnatori præstantissimo ecclesia ab eodem rege Ravennæ exstructa, et ab Agnello similiter reconciliata eodem capite 2 traditur. Itaque centum annos et paulo amplius post S. Zenonis mortem, et ante ipsum Athesis miraculum, ipsius S. Zenonis cultus extra Veronam late propagatus est: quod cum nemini aliorum Confessorum contigerit præter S. Martinum Turonensem, cujus cultum Vitam ejus a Sulpicio scriptam promovisse plurimum credibile est (unde nemini alii confessori, sed solis martyribus reliquiæ Ravennatis ecclesiæ sacræ traduntur), jam S. Zenonem, si præsertim confessor unice fuit, multo per sese celebrem cognoscere licet, qui ad similem cultum pervenit, ut ne ulla Vitæ commendatione proveheretur. Quo respiscere videntur illa Ratherii in Proloquiorum lib. V, pag. 330, tom. IX, noviss. Collect. vet. Script. P. Martene, quibus nonnullos loquentes inducens, qui Sanctum aliquem celeberrimum nominare vellent, S. Zenonem ac S. Martinum nuncupare solitos prodit, ac si æquali celebritate in ore vulgi utrique versarentur. *Hic est, dicent, novellus propheta, recens apostolus, subito angelus effectus. Iste sanctus Martinus, Zeno est iste sanctus, modo de cœlis emissus.*

Sed a Ravennate urbe alio transeamus; plures enim ecclesiæ S. Zenoni alibi sacræ leguntur, quarum initia etsi non perinde constant, ut de Ravennate statuimus, tamen cum ab immemorabili pleræque conditæ fuerint, satis credibile est ad idem ferme tempus quasdam saltem pertingere. Cæsenæ quidem monasterium SS. Laurentii et Zenonis nominatur a S. Gregorio, ac ante VII proinde sæculum ædificatum fuisse discimus ex epist. 6 lib. XIV ejusdem Gregorii an. 604, ad Marinianum episcopum Ravennatem perscripta, ubi hæc habentur, pag. 1264 tom. II edit. novissimæ: *Fortunatus itaque lator præsentium, in monasterio Sanctorum Laurentii et Zenonis, quod in Cæsenati castro est constitutum, a Natali quondam episcopo officium sibi Abbatis asserens*

Digitized by Google

esse commissum, etc. Idem hoc SS. Laurentii et Zenonis monasterium memoratum pariter legitur in quibusdam documentis sæculo XI, et deinceps scriptis apud Ughellium in Episcopis Cæsenatibus tom. II Italiæ sacræ. Hunc porro S. Zenonem, qui cum S. Laurentio celeberrimo martyre copulatur (quod ad ejus celebritatem demonstrandam plurimum confert) non alium fuisse quam Zenonem Veronensem Episcopum non solum ea ratio suadet, quam pro Ravennate ecclesia S. Zenonis in Cæsarea allegavimus paulo ante; sed præterea Cæsenæ nunc quoque exstat ecclesia parochialis nostro Sancto nuncupata, cujus Bernardinus Manzonius meminit in Chronologia Cæsenæ pag. 62, quæ cum olim monasterium fuisse tradatur in aliquot monumentis Cæsenatibus, eadem illa profecto est, ac illa quæ S. Gregorii ævo celebris, de SS. Laurentii ac Zenonis nominibus appellabatur. Alia item erat ecclesia S. Zenonis extra portam quæ Cerviam ducit, memoratæ parochiali subjecta; quæ subinde titulo Visitationis B. Mariæ Virginis nuncupata fuit. Tres in laudata parochiali festi S. Zenonis dies nunc quoque celebrantur, quorum tamen præcipuus sexto Id. Decembris peragitur.

Pisis opulentissimum monasterium olim fuisse accepimus, quod S. Zenonis titulo donatur in documento sæculi XI, tom. III Ughellii, pag. 364. Hujus autem monasterii ecclesia [CXLVII] subinde in parochiam migravit, quæ eodem titulo nunc quoque gaudet, atque ut Zenonis nostri esse palam sit, diem festum celebrat VI Id. Decembris ritu confessoris pontificis, quæ dies nostro Episcopo sacra est. Neque vero Pisis eo solo in monasterio, nunc autem parochia, Zenonis memoria culta fuit, vel colitur, sed tota in Pisana Ecclesia die sequenti sub ritu semiduplici nunc celebratur, translato hujus Episcopi officio, ut Conceptionis S. Mariæ festo locus detur, quod profecto ex antiquissimo sancti Zenonis apud eam Ecclesiam cultu originem ducit.

Capella S. Zenonis posita in Castro Montis Casuli diœcesis Regiensis in Æmilia nominatur in documento Anselmi archiep. Ravennatis an. 1156, tom. II Ughelii, pag. 37.

Clusii in veteri ecclesia monasterii S. Salvatoris de monte Amiato S. Zenonem cultum fuisse verisimile est, cum an. 1036 ejusdem Sancti reliquias ibidem conditas observavimus, cap. 3, in fine, ac præterea ex ejus monasterii lectionario ms. Ughellius ediderit S. Zenonis Vitam a Coronato Notario exaratam, quæ inter sacri officii lectiones ex ipsius codicis ratione recitata apparet.

Ticini ecclesiam existere S. Zenonis Longobardorum saltem ætate exstructam tradit P. Romualdus a S. Maria in *Papia sacra*, part. III, pag. 86 : *Ubi dicitur in porta Palatii*, inquit, *adsurgere cernitur antiquum delubrum hoc, quod licet ex Breventano habeatur opus fuisse nobilium Ticinensium de Mediabarba Hist. Pap., fol. 95, id censendum est de restauratione... constans siquidem est apud Hieronymum Calcagnum Hist. manuscripta, Longobardorum tempore exstitisse, quod frequenter devote adibant.* Monet porro hanc ecclesiam olim nuncupatam titulo sanctorum Zenonis et Vitalis; *nunc vero temporis* inquit, *de S. Zenonis dumtaxat nomine appellatur.* Probat tandem ibi fuisse insigne Canonicorum collegium, cui Præpositus præsidebat, et chartas allegat sæculi X, in quibus hujus ecclesiæ mentio est. In diœcesi porro Ticinensi in loco, qui Lardiragus vocatur, exstat adhuc ecclesia S. Zenonis, cujus festum die 8 Decembris celebratur.

Mediolanensis ecclesiæ cultum ut exponamus, ab ecclesiis est exordiendum. Ex Mediolanensi archivio PP. Cisterciensium S. Ambrosii marchio Maffeius noster in Veronæ illustratæ parte I, duo documenta IV et V edidit, quorum alterum Aistulfi Longobardorum regis anno VIII, id est an. 757, alterum vero Desiderii anno XIII, et Adelchii anno XI, id est an. 769, scriptum fuit, et in utrisque mentio fit *basilicæ beatissimi et confessoris Christi Zenonis in vico Campellione, vulgo Campione*, quam in Mediolanensi diœcesi Magneradæ parentes ædificaverant, nonnullis autem subinde redditibus ipsamet Magnerada et Valderata ditaverant. Fortunate porro accidit inventum fuisse in bibliotheca Capituli metropolitani codicem membranaceum inscriptum : *De vitis, ecclesiis, et memorabilibus ecclesiæ et diœcesis Mediolanensis*, auctore Guffrido de Buxero, parocho Rodelli in plebe Applani, qui vixisse traditur circa annum 1300, in quo codice num. 456, exstat *Memoria ecclesiarum S. Zenonis*, quæ his verbis recensentur : *Decino ecclesia S. Zenonis. In plebe Roxate loco Vermezo ecclesia S. Zenonis. In plebe Cornaliano loco Albignano ecclesia S. Zenonis. In plebe Olzate loco Cayrate altare S. Zenonis et Syri in ecclesia S. Petri. In plebe Vatisio loco Lixago ecclesia S. Zenonis. In plebe Gallarote loco Crenna ecclesia S. Zenonis. Gerenzano altare S. Zenonis. In plebe Vilmercato loco Uxinate ecclesia S. Zenonis et Margaritæ. Vonate altare S. Zenonis in ecclesia S. Pauli. Marliano ecclesia S. Zenonis. Calugo ecclesia S. Zenonis. In plebe Alliate loco Zuccorino ecclesia S. Zenonis. In plebe Dayrago loco Castano ecclesia S. Zenonis. In plebe Travalia loco Locimo ecclesia S. Zenonis. In plebe incino loco Serzana ecclesia S. Zenonis. In plebe Brivio loco Porchera ecclesia S. Zenonis. In plebe Missalia loco Massaliora ecclesia S. Zenonis. In plebe Bollate loco Garbagnate ecclesia S. Zenonis. In plebe Pontirolo loco Oxio ecclesia S. Zenonis. Tretio altare S. Zenonis in ecclesia S. Protaxii. Item Mediolani ecclesiæ duæ.* [CLXVIII] Itaque præter altaria quatuor, duæ tunc temporis erant ecclesiæ in urbe Mediolanensi S. Zenonis nomine dicatæ, in diœcesi autem viginti : cum modo mutatis subinde, ut in novis ædificationibus, vel restaurationibus fieri nonnumquam solet, titularibus, ut vocant, nonnisi una ecclesia reperiatur in urbe, et in diœcesi novem, inter quas una posterius ædificata in recitato catalogo non continetur; sicuti neque illa, quam *in vico Campellione* sitam duo VIII sæculi documenta testantur. Hinc porro non

Digitized by Google

solum colligere licet, quantus, et quam antiquæ originis fuerit hujus sancti cultus, cui tot ecclesiæ in una diœcesi olim nuncupatæ inveniuntur, sed etiam nihil dubitamus, quin, si pares aliarum ecclesiarum codices ad nos fuissent transmissi, ecclesias Zenoni nostro dicatas plures similiter invenire liceret, quam quæ nunc ejus de nomine appellantur. Sed præter ecclesias alia antiqui cultus monumenta apud Mediolanum suppetunt. Ludovicus Muratorius tom. II Rer. Italicarum, part. II, duo Mediolanensis Ecclesiæ Calendaria edidit, in quibus utrisque S. Zenonis festum notatur ; et in primo quidem pag. 1029 : *Id. Aprilis S. Zenonis episcopi;* in altero pag. 1041 : VI *Id. Decembris S. Zenonis.* P. Mabillonius tom. I Musæi Italici, part. II, pag. 107, mentionem faciens ms. Antiphonarii bibliothecæ Ambrosianæ, in quo universorum sanctorum festivitates in Mediolanensi Ecclesia celebrandæ recensentur, has inter cæteras ibidem notatas se legisse testatur : *Decembris die* VII, *Ordinatio S. Ambrosii, postea S. Zenonis, S. Syri, S. Thomæ;* quibus satis innuitur, S. Zenonis festum VI Idus, seu die VIII Decembris Mediolani peractum, ut in uno e Calendariis a Muratorio editis signatur, post quod S. Syri festum V Id. Decembris agebatur. Cum porro hæc tantum quatuor festa mense Decembri ante diem Natalis Domini eo in Antiphonario notata fuerint, ac per pauca similiter aliis in mensibus describantur; paucissimos olim fuisse sanctos, quorum dies festi in Ecclesia Mediolanensi olim celebrarentur, observatu dignum censuit Mabillonius : *Minutiora sunt hæc*, inquit pag. 109, *et quæ fortasse relatu indigna quibusdan videbuntur; sed ex his saltem facile intelligitur, quantum creverint postremis temporibus solemnitates quæ longe pauciores erant in Ecclesia Mediolanensi ante quingentos annos, quo tempore codex ille calamo exaratus est.* At inter illos paucissimos S. Zenonem inveniri nonne eximium præcipuæ celebritatis ejus testimonium est? Sexto item Idus Decembris Zenonis nostri officium tribus cum lectionibus peragendum in antiquis ejusdem Ecclesiæ Breviariis præcipitur. Antiqui etiam missarum libri tum Mediolani, editi an. 1522, 1548 et 1560, tum ille a Pamelio publicatus tom. I Liturg. qui maximi penditur, necnon ms. Vaticano-Palatinus 506, XIII sæculo exaratus, eamdem omnes missam S. Zenonis propriam propria cum præfatione exhibent. Vide pag. 438 edit. Pamelii. Romæ autem in bibliotheca PP. Cisterciensium S. Crucis exstat Missale Ambrosianum editum apud Christophorum de Ratispona an. 1482, in quo pariter eo Decemb. die nostri Episcopi orationes et præfatio leguntur propriæ ; sed præfatio saltem, quod memoriæ nunc suggeritur, longe est alia ab ea quam Pamelius edidit, cum de Gallieni filia nihil prodatur. Hic tamen observatione dignum est, quod notatur in Breviario Ambrosiano edito an. 1549, in quo hæc VII Idus Decembris post secundas S. Ambrosii vesperas leguntur pag. 129 : *Deinde fit commemoratio S. Zenonis. Alii faciunt de Conceptione Virginis, ut in nativitate ejus cum psallen. S. Ambrosii, et psallen. S. Zenonis, unusquisque juxta devotionem suam faciat.* Ex his igitur patet cur S. Zenonis officium, quod VI Idus Decembris olim peragebatur, in commemorationem sensim transierit, cum officio Conceptionis B. M. V. locus dari cœpit; quod ipsum aliis in Ecclesiis usuvenit, et idcirco quidem in posterioribus officiis, atque in missa sola S. Zenonis commemoratio notatur, qualis nunc quoque legitur in Missalibus Mediolanensibus, atque in Ordinario ejusdem Ecclesiæ præcipitur, hoc etiam recens mutato, quod S. Zeno martyris titulo insignitur.

Novocomensis diœcesis tres Zenonis ecclesias nunc recenset, primam parochialem eo in loco qui *Mons Olompini* dicitur, alteram Mandeli, ac tertiam parochialem Salorini sub Helvetiorum ditione, ubi dies festus VI Idus Decembris sub ritu confessoris Pontificis, Balernæ Canonicis convenientibus, magna cum celebritate peragitur.

[CXLIX] De Brixiana urbe ac diœcesi si vellemus fuse dicere, quam latus campus pateret! Quindecim diœceseos ecclesiæ S. Zenonem patronum agnoscunt, nimirum ecclesiæ Iloni, Oduli, Ilæni, Goleoni inferioris, Brioni, Burgi S. Zenonis, Maclodii, Boldenigæ, Monticelli de Brusatis, Caini, Pastirani, Ronchi, Scarpizoli, Gratacasoli et Salarum Marasini. Ex his primæ novem confessoris ritu diem festum peragunt VI Id. Decembris, reliquæ ritu martyris Pridie Id. Aprilis. In ipsa porro urbe Brixiana duæ sunt S. Zenonis ecclesiæ, quarum altera olim parochialis antiqua, altera autem est adhuc insignis parochia, in qua ejus officium Confessoris ritu VI Id. Decembris celebratum, paucos vero ante annos in diem XII Aprilis translatum, confessoris ritu in ritum martyris commutato, traditur. At licet ad Veronensis Ecclesiæ exemplum non multo ante illa parochialis ecclesia ritum mutaverit, in Rogationum tamen stationibus cathedralis Ecclesia eo accedens, nunc quoque temporis de confessore collectam cum Antiphonis recitat. In hac autem sepultum fertur corpus S. Rusticiani episcopi Brixiensis vita functi an. 585, qui si ibi jam inde ab obitu sepultus fuit, vetustissima multum hæc ecclesia et S. Zenonis ibidem cultus vetustissimus exstitit.

In Tridentina diœcesi septem ecclesiæ Zenonem nostrum patronum venerantur ; una Tassuli in valle Anauniensi, in villa quæ de patroni nomine appellatur; secunda Lomasi in villa Flavæi ; tertia Thenni in villa *Cologna*, quæ omnes die octava Decembris festum cum solemni missa, frequentique populorum processione concelebrant. Duæ præterea ecclesiæ in parœcia Muriensi exstant, et ad alteram istarum in loco, qui dicitur *il Palu*, populus Muriensis ingruente calamitate aliqua, ac præsertim cum pluvia opus est, per æstatem processione indicta frequens confluit, et Sancti patrocinium sibi adesse experitur. Tandem in villa, quæ Nomi appellatur, necnon in parœcia Nogareti prope Roboretum, aliæ duæ perantiquæ S. Zenonis episcopi Veronensis ecclesiæ visuntur; et ad

Digitized by Google

harum postremam rector Pomaroli una cum populo sibi concredito, sacro processionis ritu, die S. Antistiti sacra proficiscitur. Pater Benedictus a Cavalesio strictioris observantiæ S. Francisci, qui nobis hasce notitias communicavit, monuit etiam in villa, quæ dicitur *Aldegno*, haud procul a Tridento sita, occidentalem plagam versus, tametsi alio titulari sancto nunc gaudeat, olim tamen veluti patronum principem agnovisse et coluisse S. Zenonem episcopum Veronensem, ut nuperus ejus ecclesiæ rector per litteras consultus asseruit : quod aliis quoque ecclesiis accidisse probabilissimum est, ut in ecclesiis Mediolanensibus notavimus. Idem porro P. Benedictus in bibliotheca episcopali diligenti inquisitione usus, præterea affirmavit ibidem reperiri ms. Breviarium cum hac notatione : *Iste liber fuit olim Domini Georgii de Liecthenstain, episcopi Tridentini* 1420. Huic autem Breviario Calendarium præmittitur, in quo secunda manu bis S. Zenonis fit mentio : *Pridie Idus Aprilis S. Zenonis episcopi Veronensis dies obitus ejus sive depositionis, et* VI *Idus Decembris S. Zenonis episcopi Veronensis translatio*, ubi per errorem *translatio*, pro *ordinatione*, vel *dedicatione* scriptum fuit. Id ipsum legitur in alio ms. Breviario, quod an. 1449 Joannis Inderbach, ep. Tridentini, fuit, necnon in aliis tum Breviariis, tum Missalibus mss. quæ in laudata bibliotheca servantur. In Martyrologio quoque ms. ad usum ecclesiæ S. Vigilii, scripto an. 1435, iisdem diebus notatur festum *S. Zenonis episcopi et confessoris*, ut ne tamen ulla translationis fiat mentio. Ex duobus porro monumentis in Tridentina Ecclesia S. Zenonis festum fuisse peractum liquet : primum ex Lectionario ms. Archivii capitularis, in quo S. Zenonis Vita in IX lectiones distributa legitur cum hac inscriptione : *In festo S. Zenonis episcopi et confessoris ;* alterum ex Calendario perpetuo ad Tridentinæ Ecclesiæ usum, edito an. 1551, a Donato Fætio, jubente cardinali Christophoro Madrucio, episcopo ejusdem Ecclesiæ, quod in regulas XXXV divisum concinnatumque, hæc die 16 Decembris singulis regulis constanter repetit. a fol. 11 ad fol. 250 : *Zenonis episcopi et confessoris* 8 *hujus, scilicet Decembris*, quæ ejus festum a die octava ad XVI Decembris transferendum notant. Denique S. Episcopi memoriam in litaniis ejusdem Ecclesiæ inter SS. Confessores Pontifices peractam codex Episcopalis bibliothecæ fidem facit.

[CL] Bergomi quinque ecclesias in S. Zenonis honorem dedicatas postremis his diebus accepimus : quatuor parochiales, Cœni, Tresollii, Albiveri, Senici, et quintum oratorium in parœcia Curnascensi.

In Vicetina diœcesi tres parochiales ecclesiæ, Coltii, Resegæ, et S. Zenonis in Bassanensi agro eidem Sancto nuncupatæ jam ab antiquo præter omnem memoriam hominum inveniuntur ; et duo præterea oratoria, alterum perantiquum in rupe cujusdam montis, ad Costam Fabricam insculptum, alterum campestre Arzignani parochiæ subjectum eodem titulo gaudent.

Neque Patavium S. Episcopi cultum ignorat, nam quinque antiquas ecclesias ejus nomine dicatas in Patavina diœcesi reperimus, Molvenæ, Montagnanæ, Zoliani, Altichieri, et Montis, Silicis, cujus postremi loci parochialis *S. Thomæ Apostoli et S. Zenonis Confessoris Christi* memoratur in pluribus documentis ad Venetum S. Zachariæ monasterium pertinentibus, eorumque vetustissimum an. 994 recitat Ludovicus Muratorius antiquit. Estens. pag. 128. In tota porro Patavina ecclesia ex antiquo utique cultu S. Zenonis officium ritu confessoris Pontificis nunc quoque temporis peragitur, assignata die 8 Decembris, a quo tamen ob Conceptionis B. Mariæ festum in primam diem non impeditam transfertur.

Mantuæ exsistit S. Zenonis parochialis ecclesia, quam a Mathilde exstructam in Mantuanæ Ecclesiæ historia tradit P. Donismondius, part. I lib. IV, pag. 225, qui etiam observat ante Mathildem, id est ante sæculum XI hoc in loco fuisse oratorium de ejusdem Sancti nomine nuncupatum, in quo S. Andreæ monachi officia celebrabant.

Ex Tarvisinæ Ecclesiæ monumentis a v. cl. Antonio Scotto Canonico editis in additionibus ad Ughellium, ecclesias tres in Tarvisina diœcesi S. Zenoni olim dicatas cognovimus. Subinde vero idem Canonicus, qui novis plurimisque documentis Tarvisinorum episcoporum seriem est illustraturus, monuit duas præterea S. Zenonis ecclesias in eadem diœcesi reperiri, aliaque documenta ad singulas quinque ejusdem Sancti ecclesias pertinentia suggessit, quæ prætermittenda non sunt. In litteris Eugenii Papæ III ad Bonifacium episcopum Tarvisinum, an 1152, apud Ughellium pag. 527, memoratur *plebs S. Zenonis de Ruvico*, qui pagus est ad Anassi ripas, atque ab immemorabili S. Zenonis patroni festum celebrat die 12 Aprilis de confessore Pontifice. Altera ecclesia in ejusdem Eugenii III litteris memorata in Asulano sita est, *castroque S. Zenonis* nomen dedit, in quo obsidione cinctus captusque fuit Albericus a Romano Ezzelini frater, quod Rolandinus narrat lib. XII, cap. 13, 14 et 15. Ea ecclesia est parochialis in Zenonis nostri honorem dicata, cujus solemnis festus dies VI Id. Decembris ritu confessoris Pontificis colitur. Die autem XII Aprilis devotionis, uti vocatur, festum peragitur in mortis ejusdem patroni memoriam, sicut et XII Cal. Junii in memoriam translationis simile festum celebratur, cum antea utroque die et officium et missæ solemni ritu fierent. In Brevi Alexandri III an. 1170, pro Tarvisinæ ecclesiæ Capitulo apud Ughellium, pag. 526, nominantur *terræ vicinæ, quas habetis*, inquit, *in S. Zenone*, at hujus ecclesiæ nulla nunc memoria superest. Intra fines parochialis ecclesiæ S. Martini, quæ a Tarvisio distat passibus ferme mille, invenitur adhuc parva ecclesia S. Zenoni sacra. Hanc autem perantiquam esse, et monasterium quondam fuisse Virginum, quæ Abbati magni Cœnobii S. Zenonis Veronæ exsistentis suberat, colligitur ex charta an. 1238, a laudato Canonico indicata, in qua *Domina Agnes*, ejus Tarvisini monasterii

Digitized by Google

S. Zenonis monialis, eodem Abbate consentiente *Fratri Matthæo Priori totius ordinis fratrum Heremitanorum* eas omnes rationes donavit, quæ in ea S. Zenonis ecclesia sibi erant, uno usufructu sibi, quoad viveret, retento, ita ut solum post ipsius mortem Heremitani fratres in earum rationum possessionem venirent: quod quidem suo tempore [CLII] factum ex alia charta ab eodem Canonico inventa atque collecta manifestum est. In hac porro ecclesia hodie quoque sacra de confessore Pontifice peraguntur. Posturnæ Tarvisinæ pariter diœcesis S. Zenonis ecclesia superest, in qua Pridie Idus Aprilis festum celebratur. Ibi autem idem Sanctus præcipuo honore populorumque finitimorum religione quadam singulari colitur, quippe singulis quartis Dominicis cujusque mensis per æstatem, processione indicta, ad eam ecclesiam frequentissimi confluunt, ut ejus apud Deum patrocinium pro agrorum reditibus sibi deprecentur.

Gradi sæculo nono ecclesiam S. Zenonis jamdiu fabricatam testatur documentum e ms. editum in novissima Ughelli editione *tom.* v, *pag.* 1102, ubi Fortunatus Patriarcha Gradensis, *qui obiit an.* 826, memorans, *quæ legavit ac fecit, recenset inter cætera in S. Zenone in circuitu altare et desuper palcum unum.*

Torcelli S. Zenonis cultum demonstrat ecclesia ejus de nomine nuncupata in diplomate Friderici I, dato Leonardo Torcellano episcopo, an. 1177, pag. 3 prodromi præfixi codici juris gentium diplomatico, quem Leibnitius edidit. Hic etiam addemus observationem non prætermittendam ex ms. membranaceo S. Mariæ de Domo urbis Veronensis. Hic enim codex scriptus, ut certis ex indiciis liquet, sæculo XI, etsi Veronæ nobis inventus fuit, ex Sanctis tamen, qui in Calendario præfixo ac in litaniis memorantur, patet proprium fuisse Ecclesiæ Torcellanæ, aut alterius ex iis, quæ in æstuariis Venetorum positæ erant. Hic ergo liber non solum S. Zenonis festum ea in Ecclesia seu Torcelli, seu alterius æstuariorum Venetorum urbis celebratum prodit VI Id. Decembris; sed ejusdem etiam nomen in litaniis inter Confessores incertum exhibet in Ordine ad dandam pœnitentiam sic: *S. Augustine, S. Nicolae, S. Zeno, S. Procule*, etc., quibus in litaniis cum temporum ordo in aliis Sanctis recensendis nequaquam teneatur, nihil mirum, si S. Zeno præter aliarum litaniarum rationem S. Proculo præfertur. Cum porro in laudato Calendario VI *Id. Decembris* Zenonis episcopi festum ponatur; inde factum credimus ut Petrus de Natalibus, episcopus Equilinus, iis in partibus degens, cum observasset in Ecclesiis sibi notis ejus Sancti memoriam eo die notatam, putaverit eumdem diem Zenonis emortualem fuisse, ac proinde in catalogo SS. lib. I, cap. 43, scripserit: *In pace migravit ad Dominum* VI *Id. Decembris.*

In Canali Forojuliensi pago sub imperatoris ditione S. Zenonis ecclesia exstat; et Breviarium ms. sæculi XIV, quod ad Forojuliensem ecclesiam pertinet, VI Idus Decembris hæc in Calendario notata præfert: *Conceptio S. Mariæ Virg. Zenonis episcopi et confessoris*, ex quibus ea Ecclesia Sancti ejusdem commemorationem post inductam Conceptionis festivitatem fecisse cognoscitur, cum antea (ut alibi accidit) de S. Zenone officium celebraret.

Quid de Aquileiensi Ecclesia dicamus? in cujus antiquo Calendario die VIII Decembris *festum S. Zenonis episcopi et confessoris cum tribus ad Matutinum lectionibus* celebrandum notari observavit P. Henschenius pag. 70. Venetiis quoque simile quidam olim peractum ad sæculum usque XVI ex Peretto liquet, qui Veneta Calendaria typis data allegat in Scholiis Latinis ad Vitam S. Zenonis, pag. 81, edit. 1598, ubi item alia Calendaria Brixiæ et aliarum Civitatum appellat etiam impressa, quæ die XII Aprilis præferebant *S. Zenonis episcopi Veronensis.* Canonicus Scottus, cujus nuper meminimus, per epistolas significavit, in manuscripto suæ Tarvisinæ Ecclesiæ Calendario an 1525, quod ab antiquiore exscriptum monet, die octava Decembris hæc legi: *S. Zenonis episcopi et confessoris* IX *lectio, Conceptio Beatæ Mariæ duplex.* Mutinensis Ecclesiæ Calendarium scriptum ineunte sæculo XI editum a Bachinio post Agnellum, novissime autem recusum [CLIII] tom. II, part. I, Rer. Italicar., pag. 218, VI *Id. Dec. Dalmatii et Zenonis* festum notans, officia de his Mutinæ habita satis indicat. In monasterio quoque montis Cassini nostri Sancti memoria in sacris officiis fiebat, ut ex Calendario ad illud monasterium pertinente, et edito tom. VII Rer. Italicarum, p. 936, in quo ejus festum notatur, licet cognoscere. Quin in universa congregatione Montis Cassini ejusdem Sancti memoriam peractam didicimus ex Calendario, quod præfixum vidimus *Psalterio Monastico ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis S. Justinæ de Padua*, Venetiis edito an. 1606, in quo hæc leguntur mense Decembris die octavo: *Conceptio B. Mariæ Virginis, duplex majus, et Zenonis episcopi et martyris commemoratio*; quæ quidem commemoratio, sed cum solo *sacerdotis et confessoris* titulo, item legitur eodem die in ms. Breviario Benedictino, scripto circa initium XV sæculi, quod ad Ticinense monasterium pertinebat. Hoc autem loco omittere nolumus in Calendario quoque Breviarii ms. Fratrum Minorum, quod in Tridentinæ Ecclesiæ bibliotheca prostat, similiter legi: VIII *Dec. Conceptio S. Mariæ Virginis, et S. Zenonis confessoris*: ex quibus ab ordine etiam Fratrum Minorum S. Episcopum extra Veronam cultum fuisse cognoscimus. Cum vero illud Breviarium ms. a celeberrimo Bernardo Clesio cardinali et episcopo Tridentino emptum fuerit Augustæ Vindelicorum: probabile est Breviarium illud ad aliquem Fratrum Minorum conventum in Germania pertinuisse, ut hoc testimonium ad S. Zenonis cultum extra Italiam propagatum constituendum propius spectet, de quo in sequenti paragrapho erit sermo. Sed ut ad scopum reveriamur, Breviaria et Calendaria, non autem Martyrolo-

Digitized by Google

gia allegavimus ; nam in Calendaria et Breviaria Ecclesiarum, vel Religiosorum ordinum plerumque eorum solummodo Sanctorum nomina relata fuerunt, quorum officia ibidem peragebantur (ex quo plerique dies in illis vacant, quo feriarum officia dicerentur), cum e contra in Martyrologiis discriberentur plerique, quibus nihil præcipui cultus deferretur. Cum itaque S. Zeno non solum in iis Ecclesiis, vel Civitatibus, quarum erat patronus, sed in aliis et Civitatibus, et Ecclesiis, et Religiosorum ordinum congregationibus universim vel officio proprio, vel propria saltem commemoratione (quam in Conceptionis Beatæ Mariæ gratiam veteri S. Zenonis officio suffectam credibile est) coleretur : quis præcipuum ejus cultum celebritatemque mirificam tanti Episcopi non statim intelligat?

Hæc sunt, quæ partim ex editis Italiæ monumentis, partim per litteras a nonnullis amicis de cultu S. Zenonis per Italiam colligere potuimus ; nihilque dubitamus, quin si majorem in exquirendo diligentiam collocare per tempus vel per amicos licuisset, aliis quoque in civitatibus ac provinciis, in quibus nulla inquirendi occasio, nec idoneum tempus patuit, aliæ Zenonis invenirentur ecclesiæ, aliaque antiqui cultus testimonia suppeterent, cum inter eas civitates, e quibus petitæ a nobis fuerunt notitiæ, nulla hactenus fuerit inventa, quæ aliquot id generis monumenta non suggesserit. Ex his igitur quæ de paucis Italiæ urbibus attigimus, reliqua lectores per se colligant : et cum antiquum lateque tota Italia pervagatum S. Zenonis cultum agnoscent, tum vero antiquam, perraram, paucisque sanctis communem Patroni nostri celebritatem admirentur.

§ III. — *De cultu S. Zenonis extra Italiam pervagato.*

Quid si non intra Italiæ solum, amplissimos cæteroquin fines, sed extra ipsos sancti Zenonis fama cultusque jam inde ab antiquis temporibus longe lateque propagatus est? Displicet quidem commodum non fuisse litterarum communicatione variis e partibus notitias exquirere, quibus eum et plurium ecclesiarum patronum et pluribus etiam in Calendariis vel litaniis insertum nos nacturos fuisse nihil ambigimus. Ex iis tamen paucis, quæ e nonnullis editis libris collegimus, arguere quisque poterit quanto plura afferre posse mus, si plurium extra Italiam ecclesiarum monumenta licuisset inspicere. Zenonis sane [CLIII] cultum in Germaniam olim pervagatum ex Frisingensi ecclesia in primis cognoscimus. S. Corbinianus, primus episcopus Frisingensis, qui diem obiit an. 730, teste Aribone quarto Frisingensi episcopo ejusdem sæculi octavi, in ejus Vita apud Mabillonium Act. SS. sæculi III, part. I, cap. 20, p. 48 Venetæ editionis, S. Corbinianus, inquam, apud Maias Frisingensis diœcesis in Baioaria *Basilicam ædificavit, et Valentini atque B. Zenonis in ea patrocinia collocavit, et in eorum dedicavit honorem :* et hinc *factum est*, animadvertente P. Meichelbeck, tom. I Hist. Frisingensis in Vita S. Corbiniani, § 8, pag. 16, *ut S. Zeno episcopus Veronensis a Corbiniano in Euergetam suum electus, in hunc usque diem annuo officio in Frisingensi Ecclesia colatur.* Neque S. Corbinianus solus in Germania exstitit qui S. Zenonem tam præcipuo honore coluerit : nam Josephus Tertius Frisingensis episcopus, electus an. 749, monasterium Isanense in honorem S. Zenonis Veronensis episcopi erexit, uti prodit idem P. Meichelbeck, pag. 50, et seqq., ubi duas donationum paginas recitat, quæ S. Zenonis ecclesiæ traditæ fuerunt. Ad locum quod attinet, animadvertit pag. 52 : *Nostra ætate Isana est municipium Frisingense ; et divi Zenonis Collegiatam, ut vocant, ecclesiam jam sæculares Canonici a multis sæculis obtinent.*

Dein Hallæ in diœcesi Salisburgensi, qui locus nunc dicitur Reichenhall, est celebre monasterium S. Zenonis, de quo plura Viguleius Hundius tom. I, pag. 9, Metropolis Salisburgensis, et tom. III, pag. 505, necnon PP. Franciscus et Paulus Mezgerii in Historia Salisburgensi, lib. IV, cap. 10, pag. 383, et lib. VI, pag. 1255, nonnulla vero P. Hansizius tom. II Germaniæ Sacræ. Olim erat parochia, quæ subinde, instituta Præpositura, a Conrado I, Archiepiscopo Salisburgensi, qui e vivis excessit anno 1147, canonicis Regularibus tradita fuit, ut idem Hansizius demonstrat. In hoc autem monasterio tres dies festi S. Zenonis hodie quoque celebrantur cum peculiaribus orationibus inter monumenta describendis, quæ ab antiquis tribus missis propriis originem ducunt. Exstat præterea ibidem argentea S. Zenonis statua, anno 1480 constructa, in cujus pectore pars quædam notabilis sacrarum reliquiarum ejusdem episcopi continetur cum hac epigraphe : *Mandibula cum uno dente S. Zenonis Episcopi.*

Nostri Antistitis nomen ad Helvetios etiam pervenit. Hartmanus enim monachus Sangallensis, qui sæculo IX floruit, litanias versibus scripsit, quæ diebus Dominicis ad processionem canerentur. Edidit has primo Henricus Canisius Antiquarum Lectionum tom. V, pag. 732, in novissima editione tom. II, part. II, pag. 193. Easdem non Echerardus solum memorat in Notkerii Vita, sed Metzlerus etiam Sangallensis Monachus Canisii amicus, qui suo quoque tempore easdem statis diebus adhibitas testatur : *Has litanias*, inquit, *canonizavit Nicolaus III, P. M. et nostri* (monachi Sangallenses) *in Rogationum diebus publice canunt.* Easdem rursum *hymni* nomine typis dedit venerabilis cardinalis Thomasius ex ms. ordine Vallicellano, in opere inscripto, *Antiqui libri Missarum Ecclesiæ Romanæ*, ad feriam secundam in litania minore pag. 118. In his autem litaniis S. Zeno inter Confessores cum S. Proculo nostro item episcopo recensetur ; et si S. Proculus Zenoni postponitur, id metri, non ætatis causa, factum nemo dubitet. En ipsa litaniarum verba :

Silvester, Damasus, Gregorius, Ambrosiusque,
Hilarius, Zeno, Maximus, atque Leo.
Martinus, Proculus, Cæsarius, Eusebiusque
Orent pro nostris criminibus variis.
Ordo sacratus Confessorum præcipuorum,
Auxilio tutos undique redde tuos.

Digitized by Google

Neque Gallos Zenonis celebritas latuit. In monasterio S. Benedicti Floriacensi nongentorum et eo amplius annorum codex reperitur, e quo P. Martene part. III de Antiquis Ecclesiæ ritibus, lib. III, cap. 15, edidit ordinem inter varios ritus ad juvandos morientes, et in eo litaniæ continentur quæ in agone recitandæ præcipiuntur. His autem in litaniis cum Proculo prædecessore suo Zeno insertus legitur, et ut ad usum Ecclesiæ [CLIV] Gallicanæ ille codex fuisse probetur, refertur inter episcopos Galliæ hoc ordine: *S. Remigi, S. Procule, S. Zeno, S. Anniane, S. Audoene*, etc. Reliqua, si placet, videsis apud Martene, pag. 592.

Cum ad Ecclesiam Andegavensem pertineret, ipsiusque usui esset Missale ms. in quo specialis missa S. Zenonis legitur (hujus codicis notitiam in *Admonitione ad Monumenta* fusius dabimus) S. Zenonis cultum eo propagatum non fit improbabile.

Alia aliarum regionum documenta, quæ possimus consulere, vel nondum sunt edita, vel ad manus nostras non pervenere: nec ex quo primum tempore hujus argumenti tractandi consilium cepimus, ea ipsa, quæ Veronæ sunt, documenta adire omnia, cum typographi urgeant, potuimus. Illud addimus in eorum subsidium, qui aliquando addere forte alia huic capiti velint, quod sicubi S. Zenonis ecclesiam vel documentum aliquod cultus in Occidente reperiatur; ut ad Zenonem nostrum hæc spectare certo concludat, non in illud solum adtendat, quamplurimas S. Zenonis per Occidentem ecclesias a nobis hactenus inventas non fuisse, nisi S. Zenonis episcopi Veronensis, et similiter S. Zenonem litaniis insertum alium non fuisse: sed ad ecclesias quod pertinet, festum diem in iisdem celebratum, si fieri potest, exquirat, et inveniet incidere vel in diem XII Aprilis, vel in diem VIII Decembris, vel forte alicubi in diem XXI Maii, qui tres dies non alio Zenoni quam nostro sacri sunt: in litaniis autem vel aliis similibus precibus cum S. Proculo Veronensi episcopo inter Confessores copulatus plerumque recensebitur; vel si A solius S. Zenonis episcopi seu Confessoris reperiatur mentio, ex toto monumentis in unius Zenonis Veronensis cultum conspirantibus concludi haud temere poterit, eum quoque non alium Zenonem esse habendum; uti sane affirmare simili ratione non dubitamus de iis altaribus, quæ variis in ecclesiis de S. Zenonis nomine appellata accepimus, a quibus tamen inquirendis ac referendis, ne longius nimis procederet caput, supersedendum putavimus.

Interim ut eo, unde egressa est, redeat oratio, seu potius ut exitum habeat, si cultus S. Zenonis tam est antiquus, ut hujus monumenta sæculo circiter post mortem tradita reperire licuerit, hæcque non Veronæ solum, sed aliis in civitatibus provinciisque Italiæ, in Germania, in Helvetiis, in Gallia, B ubi ecclesias percelebres, eximia monasteria, Canonicorum Collegia de S. Zenone noncupata, patrocinium ejus in litaniis ac publicis precibus apud Deum interpositum, eumdem pagorum urbiumque ipsarum præcipuum patronum ab antiquis temporibus adscitum, officiis, processionibus ac aliis piæ religionis significationibus, non in dicatis ejus nomine ecclesiis solum, sed in totis diœcesibus cultum nacti sumus, quæ præsertim aliis sanctis Confessoribus non nisi valde celebribus et paucissimis contigisse inveniuntur, quis non maximam de S. Zenonis Veronensis sanctitate ac celebritate tot veteris pervagati multiplicisque cultus testimoniis probata opinionem induat? Et, si eum vulgari quadam formula cum S. Martino episcopo Turonensi inter celeberrimos sanc- C tos semper habito copulatum sæculo decimo apud Ratherium in testimonio, quod superiori paragrapho recitavimus, repetet, nimium multum eidem a vulgo tributum nequaquam sentiet. Hæc diligentius considerare, atque consideranda proponere nobis curæ fuit, non ut quidpiam gloriæ ac venerationi alicui cæterorum sanctorum decerptum sit, sed ut excitetur promoveaturque tanti Patroni cultus, qui sensim, ut fieri solet in rebus antiquis, apud nonnullos vetustæ celebritatis minus conscios refrigui.

[CLV] MONUMENTA DE SANCTO ZENONE EPISCOPO VERONENSI.

ADMONITIO.

I. Antequam monumenta ad S. Zenonis vitam pertinentia cum missis et hymnis aliisque documentis liturgicis propriis ejusdem Sancti, quæ in antiquis libris reperimus, damus, nonnulla de aliquibus minus notis præfari libet. Coronatus Notarius primi monumenti auctor primus fuit, qui S. Zenonis Vitam litteris tradidit. Perettus in latinis scholiis ad Vitam D S. Zenonis, illum recentioribus scriptoribus accensuit, et fere parem fecit Petro de Natalibus, qui sæculo XIV floruit. At eumdem vixisse ante translationem corporis S. Zenonis, quæ sæculo IX ineunte facta fuit, non ex eo solum colligitur, quod ejusdem translationis nullam faciat mentionem, sed ex eo potissimum, quod et sacrum Zenonis corpus sua adhuc

Digitized by Google

ætate requiescens prodit num. 8, in ea basilica, in qua primo post mortem conditum fuerat, et Vita ab ipso scripta invenitur in Remensi codice, quem exaratum ante sæculum IX, in generali præfatione ostendimus. Cum porro miraculum Athesis inundationem spectans a S. Gregorio Magno descriptum referat, quod contigit anno 589, septimo vel octavo sæculo eum floruisse cum P. Henschenio statuendum est : *Venerabilis* nuncupatione donatur non tam in ms. Remensi, quam in Lobiensi, quem Molanus vidit ; et in hoc postremo *Christianissimus* præterea appellatur, sicut et a Joanne Veronensis Ecclesiæ presbytero et Mansionario, qui in manuscriptæ Imperialis Historiæ l. I, ejus meminit his verbis : *Coronatus, vir christianissimus, Veronæ claruit, qui Vitam beati Zenonis mediocri stylo composuit.* Hæc Vita antiquis lectionariis inserta legitur, uti in Tridentino capitulari membranaceo et in duobus Vallicellanis, III et VII, eaque in usu erat, antequam locupletiorem Vitam scriberet Monachus Zenonianus, de quo mox dicemus plura. Molanus in annotationibus ad Usuardum eam Lobii se vidisse testatur : *Lobii exstat narratio venerabilis Coronati, christianissimi notarii ;* et forte eo allata fuit a Ratherio episcopo Veronensi, qui sæculo X, Lobii sese recepit. Equidem cum hæc scripta a nobis fuissent, venerunt a Lobio litteræ ad Scipionem Maffeium, quibus in codice ipsa ejusdem Ratherii manu exarato inter multa *Sermo de Vita S. Zenonis episcopi* contineri traditur. Petrus Calo eamdem in sua Collectanea conjecerat, ut P. Henschenius in ms. Barberino annotavit, pag. 73. Bonimus Mombritius viginti circiter annos ante sæculi XVI initium primus illam edidit tom. II Vitarum SS. Deinde an. 1653, tom. V Italiæ sacræ ex ms. Abbatiæ S. Salvatoris Montis Amiati eamde mrecusit Ferdinandus Ughellius. Tandem e mss. septem [CLVI] P. Henschenius ipsam inseruit tom. II Aprilis pag. 70. Nos Remensis codicis antiquissimi lectionem secuti plerumque sumus. In hoc autem ms. sicut et in Lobiensi per Ratherium scripto, hæc Vita inscribitur *Sermo*, sed minus proprie. Coronati vero ætate parum admodum de S. Zenonis vita, quæ nullo antiquiore documento prodita fuerat, universim cognitum, ac populorum memoria conservatum fuisse satis superque probat illud, quod ille nihil fere de Zenone scribat nisi miracula quædam pauca, et hæc ipsa vulgari traditione prolata, ut ex annotatione 3 satis colliges : unde paucis vix attactis primo numero de vita Sancti, statim ad miracula fit transitus, his sub ejusdem numeri finem perscriptis : *Audiant populi omnes, qui ejus cupiunt miracula ;* et rursum in fine ex mss. Henschenii, Ughellii, et Mombritii : *Ecce de multis ejus miraculis ego inutilis Coronatus Notarius quod compertum tenui*, etc., quæ tamen, uti a populo conservata et relata, addititiis sæpe fabellis infarta esse solent. Dum antiquiora et magis genuina non suppetunt documenta, hoc omittendum nobis non fuerat. Postremo annotationes, quas in proœmio diss. III nos huic Vitæ apposituros recepimus, paucis dabuntur, ex quibus incredibilia quædam, vel falsa et populari rumore suscepta et veris immista cognoscentur, simulque palam fiet, quam pusilla auctoritate nitantur, qui ex hoc monumento Gallieno imperatori coævum S. Zenonem inculcant.

II. Hæc, quam Coronatus scripsit, S. Zenonis Vita ut primum apparuit in lucem, novitate sua rapuit statim et illexit hominum animos, qui nihil ad id usque tempus de S. Episcopo litteris consignatum legerant, et proinde illam judicarunt dignam, quam non solum in lectionaria referrent, ex eaque antiphonas sacrorum officiorum decerperent, sed quam etiam quispiam ignotus scriptor exponeret Rhythmo, quem, nullo licet versuum discrimine, in ms. Capitulari sæculi noni repertum communicavit Bartholomæus Campagnola ejusdem capituli cancellarius, a quo alia item e mss. Capitularibus ostensa nobis fuerunt. Hic autem Rhythmus cum eadem repetat, quæ Coronatus, Auctorque eadem sæpe Coronati verba in Rhythmi formam deflectens, parum felici calamo usus sit, amanuensemque sit sortitus valde negligentem, qui nonnulla corrupisse videtur, et duas fortassis etiam strophas (quot desunt, ut totidem strophæ totidem litteris alphabeti sibi ab Auctore in Rhythmo lucubrando præstituti respondeant) ; his, inquam, de causis in generis Rhythmus haud imprimendus videbatur. At ut manifestum fiat, quæcumque de Gallieni ævo Zenonem attingente prodita sunt litteris, ea a Coronato excepta fuisse ; omittendum hoc antiquum ignotum hactenus documentum non putavimus, cujus auctor Coronatum adamussim secutus apparebit, ut id ipsum de aliis quoque sequioris ævi monumentis sit judicandum. *Ignotas Patrias* legendum apud Coronatum, ut ex Remensi codice edemus, hic hymnus probat. Juverit etiam quædam Italicæ linguæ semina ibidem deprehendere, uti particulam *perque*, quam Italice *perche* efferimus. Notanda præterea erunt quædam præcipua, uti cum *imperii, imperium*, etc., pro *imperatoris, imperator* constanter scribitur.

]CLVII] III. Sequetur historia Translationis S. Zenonis, quæ nono incunte sæculo peracta fuit. Hujus historiæ auctor, qui S. Zenonis Vitam præmisit, monachum se prodere videtur, qui aliquamdiu in ipso S. Zenonis monasterio vixerit ; inquit enim paulo post initium Vitæ : *Neque prætereunda sunt quæ religiosi viri, quibuscum stetimus, fidelibus oculis viderunt ;* et hinc etiam peritum se in iis documentis ostendit, quæ non nisi in eodem monasterio legere potuerat : nec alia forte de causa in ejusdem cœnobii laudes eum excurrisse credibile est, quam quod id plurimum ad se pertineret. Solum verba *quibuscum stetimus, et locus ille*, quibus ipsum S. Zenonis monasterium intelligit, suspicionem ingerunt eum, cum hæc scriberet, eodem in monasterio amplius non fuisse : quæ tamen conciliari cum superioribus animadversionibus ea ratione possunt, si dicamus fuisse quidem eum monasterii Zenoniani monachum, at subinde in aliqua eidem monasterio subjecta cœnobiola migrasse, ubi hoc opusculum lucubrarit. His autem argumentis ducti, opusculi memorabili auctore

Digitized by Google

rem, ut distingueremus, Zenonianum monachum appellandum censuimus, ut ne tamen hac de re, si quis contra sentiat, velimus laborare. Ad statuendum vero hujus auctoris tempus, duo characteres manu ducunt. *Nostros Imperatores* primo appellans, si Veronæ opusculum scripsit, ut probabiliter credimus, vixisse se prodit cum Verona sub imperatorum ditione esset, a qua subducta fuit sub finem sæculi XII. Dein postremum miraculum narrans, mentionem facit inventi Mantuæ sanguinis Christi, qui bis inventus traditur, primum an. 804, et rursus an. 1049. Vide Donesmondi Hist. Eccl. Mant., lib. III, pag. 139 et seqq., et pag. 195 et seqq. Cum autem ad primum tempus, quo forte S. Zenonis translatio nondum contigerat, illud miraculum post translationem patratum pertinere nequeat, et minus multo Monachi ætas, qui plurium imperatorum dona post Pipinum S. Zenonis monasterio tradita memorat; jam alteram sanguinis inventionem postremum illud miraculum spectat. Equidem idem miraculum auctor narrans, meminit *excelsæ turris, quæ ædificabatur :* hujus autem turris ædificari cœptæ tempus perspicue docet inscriptio in ejusdem turris calce posita, in qua ea anno 1045 *inchoata* notatur, quod cum an. 1049, dum adhuc ædificatio procederet, optime congruit. Itaque monachi ætas inter medium XI sæculum, et ante finem XII collocanda est. Quod si postremum saltem illud miraculum ex illis fuit, quæ religiosi, quibuscum steterat, suismet oculis viderunt; æquius in finem sæculi XI ipsius ætas referenda videtur. Hæc quidem duo monachi opuscula descripta leguntur ms. lectionario sæculi XII, quod Bartholomæus Compagnola S. Cæciliæ archipresbyter possidet. Quod si Zeno ille præpositus monasterii, *quem ob religionis et sapientiæ meritum Salomonem agnominabant* (ut in uno e miraculis proditur) est ille Salomon, qui memoratur in inscriptione basilicæ S. Zenonis sculpta an. 1178, ac sita in pariete, ubi insigne vas prophyreticum servatur; sequior aliquanto hujus monachi ætas collocanda esset. At alius a Zenone præposito hic Salomon esse potest; et si in ordinem temporum miracula ab auctore prodita sunt, Zeno Salomon ab hoc memoratus, ante an. 1049, cum Mantuæ Christi sanguis inventus est, postremumque Zenone intercedente miraculum contigit, vivere debuit. Sed de monachi ætate satis. Translationis historiæ auctor vitam S. Zenonis præmisit, quæ e Coronato Notario in partem maximam sumpta, in mss. S. Zenonis, et in sacris officiis pro Coronati Vita locum fere occupavit. Legitur scilicet multis in mss. post sermones [CLVIII] S. Zenonis in Tolentinate, Zenoniano, Pompeiano, ac in duobus item Vaticanis 1233 et 1234, quorum notitiam nuper habuimus, ac præterea in mss. alterius generis Muselliano, Saibanteo, Maffeiano, et, ut mittamus alios codices, in lectionario Bartholomæi Campagnolæ, ac in altero monialium S. Mariæ de campo Martio. In lectionario Campagnolæ, cum ad marginem octo numeri appositi cernantur, Vita in octo lectiones divisa apparet : in ms. autem monialium ordinis S. Francisci in lectiones novem Vita, et in totidem Translatio dispertita legitur : ubi tamen advertendum est, in id generis libris omisso auctoris prologo, qui in aliis mss. legitur, Vitæ initium aliud esse in ms. monialium, in ms. Compagnolæ aliud, illud autem, quod prostat in ms. monialium, idem omnino reperiri in alio lectionario Brixiano, cujus meminit Scipio Maffeius, pag. 316 Hist. Diplomaticæ, necnon in lectionario Vallicellano signato num. III, quod sæculo XIII scriptum existimatur, atque in pervetusto lectionario membranaceo, quod in archivio capituli Ecclesiæ Tridentinæ servatur : quæ tamen tria lectionaria S. Zenonis Vitam a Coronato, non autem a *monacho scriptam exhibent.* Hanc monachi Vitam *eadem e Coronato repetentem* recudere nimium esset *molestum.* Satis itaque erit monere, quæ monachus præter Coronatum adjecit. Non Gallieni imperatoris solum, sed S. Dionysii Romani pontificis etiam temporibus Zenonem florentem prodit, et miraculum referens quo filia Gallieni a dæmone liberata fuit, nonnulla fusiori calamo addit, uti illud trium piscium, quos S. Episcopus e piscando redux, legatis ab imperatore missis dono dedit, et quarti per eosdem sublati, qui cum cæteris coqui non potuit. Mortuum fluvio abreptum vitæ redditum memorat, cujus miraculi, a Coronato licet prætermissi, testimonium profert Anonymus Pipinianus, ut nos ex duobus mss. restituimus. Tum Sanctum inducit loquentem, descripto pro prima concione toto tractatu 32, lib. II, et fragmento tractatus 42 ejusdem libri, pro secunda autem initio et fine tractatus 6 lib. I. Tandem multa sub vitæ exitum ab eo ad suos dicta fuse commemorat, eumdemque, quem Gallieno supparem fecit, obiisse prodit ex editione Maffeiana *pridie Idus Aprilis anno Domini tercentesimo primo ;* quæ tamen anni annotatio cum in codice Bartholomæi Compagnolæ necnon in Muselliano desit, in Pompeiani autem margine apposita posteriori manu legatur, eam non ab ipso monacho auctore scriptam, sed ex margine in textum aliquorum mss. irrepsisse satis credibile est, uti legitur in eo quo Maffeius est usus, necnon in Vaticano 1233. Hic vero annotare obiter libet, quod si etiam ab aliis hæc annotatio adjecta fuit, ut probabilius videtur, et in aliis etiam aliorum inferioris ætatis quidem auctorum codicibus eam nos legisse meminimus (uti in opere ms. Saibanteo 658, quod Blasius Rossetus *de Episcopis Veronensibus* ad Petrum Lippomanum inscripsit, ubi in Zenone hæc habet : *Obiit egregius pontifex et pater patriæ die sabbati, pridie Idus Aprilis anno a Christo nato* CCCI, et similiter in antiquiore ms. monasterii S. Zenonis scripto circa medium XV sæculum, in catalogo SS. episcoporum Veronensium hæc alterius posterioris manus annotatio legitur : *Moritur an.* 301, *cujus corpus requiescit in ea,* non omnino constans igitur exstitit de ætate S. Zenonis Gallieni imperium attingentis sententia, quin alii aliter senserint. Hinc etiam in ms. Bibliothecæ Mu-

Digitized by Google

sellianæ, qui inter cætera Ferreti carmen continet, quod exinde in Rerum Italicarum tom. IX editum est, S. Zeno Veronensis Ecclesiæ *episcopus octavus circa annum* 322 vixisse traditur ab auctore operis, [CLIX] quod ducentarum urbium brevem notitiam exhibet; ubi cum Irenæi Pacifici (non illius veteris archidiaconi, ut nonnulli crediderunt, sed alterius multo posterioris, quem *mansionarium Ecclesiæ majoris Veronæ* appellat) Lexicon quoddam, et Chronicon allegatur; tum vero non satis perspicitur utrum quæ de Zenone traduntur ad ipsius testimonium ex Lexico ibidem recitatum pertineant, necne. Præterea duos sæculi XV auctores reperimus, qui S. Zenonem quarto sæculo viventem, et Ambrosii coævum prodidere, nimirum Flavium Blondum, qui in Italia Illustrata regione 9 illius scripta *Ambrosianam, quam imitatus est, eloquentiam redolentia* pronuntiat, et S. Bernardinum Senensem, qui serm. 47, art. 2, cap. 3, pag. 214 tom. I, edit. Lugdun., lepidum quoddam exemplum recitans, quod S. Zenoni attribuit, hunc *S. Ambrosii clericum* (*a*) ante episcopatum vocat: quæ duo testimonia etsi Zenonem quam par est juniorem efficiant; ad ostendendum tamen, sæculi XV de S. Zenonis ætate sententiam non eam fuisse, quæ illum Gallieno imperante vixisse prædicat, multum conferunt. Sed ut ad Zenonianum monachum revertamur, si quis ea, quæ paulo ante indicavimus, et apud Coronatum non leguntur, penes ipsum monachum legere cupiat, adire poterit Historiam Diplomaticam Maffeii nostri: qui hujus monachi opusculum Zenonis Vitam ac translationem complectens, inter aliquot monumenta integrum edidit, omissis postremis miraculis quæ ab Henschenio ex Petri Calo collectaneis edita fuerant. Nos solam translationis historiam, quæ in Coronato deest, cum duobus mss. Muselliano et Pompeiano collatam et suppletam dabimus. De hac translatione fusius dictum nobis est diss. III, cap. 3, ubi monachus antiquiori aliquo documento usum conjecimus, etsi nonnulla minus credibilia vel fabulosa ex vulgi fama adjecerit, uti illud de merula, cui fabellæ occasionem dedisse antiquam christianam lucernam ex metallo, in columbæ formam in subterraneo Melsinensis ecclesiæ servatam, de qua vulgus adhuc fabulas nectit, marchio Maffeius satis probabiliter collegit pag. 319.

IV. Cum porro post Zenonianum Monachum *Miracula S. Zenonis* hexametro carmine Jacobus presbyter scripserit, in quibus præter ea, quæ ab eodem Monacho recensentur, adduntur alia tria, quæ subinde evenerunt; ne quid desiderari queat, quod ad Zenonem pertineat, fragmentum illud, quod tria hæc miracula continet, subjiciemus. [CLX] Hunc autem Jacobum presbyterum auctorem esse sæculi XV manifestum fit ex secundo, quod afferremus, miraculo, ubi mentionem facit litis, quam quidam Veronensis apud Senatum Venetum prosecutus, in ea victoriam obtinuit: hinc enim Veronam jam id temporis sub Venetæ Reipublicæ ditione fuisse liquet, quod non nisi sæculo XV accidit. Ex his etiam conjici potest Benedictum et Catharinam Saracenam, quos tertium miraculum memorat, esse parentes, vel consanguineos ejus Antonii Zenonis Saraceni, quem ex Veronensi clerico Sixtus IV archidiaconum elegit an. 1475, ex documento apud Ughellium pag. 945. Jacobi porro integrum carmen constans ex versibus 244, in tabula inscriptum olim fuerat; tum a Patre Cherubino Lazzaronio editum in libro, cui titulus *Pastor Veronensis*, necnon ab Henschenio tom. II Aprilis, pag. 76.

V. His monumentis ad vitam et miracula S. Zenonis pertinentibus subjiciemus Missas et alia ad diurnum nocturnumque officium spectantia, quæ S. Zenonis propria in liturgicis libris reperimus, de quibus indicare quædam necesse est. Missas sex nacti sumus. Prima legitur in tribus mss. vetustis libris Sacramentorum Veronensis Ecclesiæ in Capitulari bibliotheca custoditis, quorum unus inter cæteros integer et perdiligenter elaboratus, cum in quadam oratione *Regem nostrum Othonem* nominet, ante undecimum sæculum scriptus agnoscitur, missamque S. Zenonis primo loco, et aureis litteris elegantissime descriptam exhibet. Eadem missa, at sine præfatione et oratione ultima, invenitur etiam in alio libro Sacramentorum cujusdam scholæ S. Mariæ de Domo nuncupatæ, pag. CIII, die XII Aprilis, qui liber ex nonnullis characteribus exaratus apparet sæculo XI. Etenim pag. II describitur paschalis tabula, quæ cum incipiat ab anno 1061, circa eumdem annum scripta censeri potest: ut simili ratione venerabilis cardinalis Thomasius pag. 40 tempus constituit, quo ms. Antiphonarium bibliothecæ Angelicæ Augustinianorum lucubratum fuit. Equidem in margine ejusdem paginæ recentiori charactere adnotatio apposita legitur in qua fit mentio Pecorarii, qui fuit Veronæ potestas anno 1223, his verbis: *Anni Domini ducenti mille erant viginti et tres, cum ille regit Veronam.* Hæc quoque missa continetur sine præfatione pariter et sine ultima oratione in alio Missali capituli Veronensis scripto sub finem sæculi XII, et ponitur die VIII Decembris sub hoc titulo: *Dedicatio S. Zenonis*, nec in eo Missali aliæ Missæ alibi uspiam de S. Zenone

(*a*) *Bernardini verba hic apponenda ducimus, cum exemplum nullo alio documento, quod sciamus, indicatum proferant: non quod ei, falsæ saltem de disciplinatu S. Ambrosii hypothesi innixo, fides habenda sit, sed ne quid, quod ad S. Zenonem pertinet, ab aliis memoratum prætermittamus.* S. Zeno episcopus Veronensis, inquit, cum esset B. Ambrosii clericus et adolescentulus sanctus et purus, beatumque Ambrosium sequeretur per civitatem, cum esset morum gravitate maturus, insolita levitate risum fecit. Quod cum adverteret S. Antistes, et miraretur, causam levitatis quæsivit. Cui innocens adolescentulus ait: Vidi, Pater, dæmonem super caudam illius mulieris, quæ nos antecessit, dormientem. Dumque illa, ne in transitu illo lutoso inficeretur, caudam levaret, dæmon dormiens in lutum devolutus est, totumque coinquinatum prospicit eum. Quod considerans S. Ambrosius, munditiam cordis et perspicaciam intellectus in clerico suo cognoscens, Deo gratias egit, seque talem perspicaciam in videndo dæmonem non habuisse humiliter recognovit. *Hinc forte S. episcopus Zeno ridenti vultu insculpi et pingi solet.*

Digitized by Google

reperiuntur, propterea quod cum hæc dies VI Idus Decembris prima sit ex illis tribus, quæ S. Zenoni consecratæ sunt (Missale enim incipit ab Adventu), hæc eadem missa aliis quoque diebus legebatur. Exstat quoque Missale ms. sæculi XIV circiter, pertinens ad monasterium S. Zenonis majoris, in quo quatuor missæ ejusdem Sancti exhibentur, nimirum tres pro tribus diebus festis, una pro die depositionis, altera pro die translationis, tertia pro die ordinationis, quarta vero nulli festo assignata, communis satis proditur. In hoc autem prima hæc missa diei depositionis attribuitur cum titulo *Depositio S. Zenonis*. Itaque hæc prima Missa manuscriptis in sex libris Sacramentorum Veronensis Ecclesiæ continetur, ac proinde illa esse cognoscitur, quæ universim in nostra Ecclesia adhibita fuit. Missam secundam *in Translatione S. Zenonis* in solo ms. Missali monasterii Zenoniani reperimus. Missa vero tertia in Sacramentario sæculi X, Othone rege, ut antea diximus, scripto, et die quidem VI Idus Decembris legitur, [CLXI] cui præfigitur inscriptio : VI *Idus Decembris, Natalis S. Zenonis;* cum tamen ea die in Calendario præmisso annotetur : *S. Zenonis confessoris et episcopi dedicatio*. Reperitur etiam multo emendatior in laudato Missali monasterii S. Zenonis cum hac inscriptione : *In festo S. Zenonis in Adventu Domini nostri Jesu Christi*. Hæc eadem Missa per errorem V *Idus* pro VI *Idus Decembris* assignata, eodem titulo quo in Capitulari manuscripto, habetur etiam in codice Vaticano 3806, qui auro minioque conscriptus, uti judicatur, sæculo circiter IX, hanc inscriptionem præfert : *Liber Sacramentorum expositus a S. Gregorio papa Romano, editus ex authentico bibliothecæ cubiculi :* et hunc codicem eum fuisse credimus quo usus est Angelus Rocca, cum sacramentarium Gregorianum ex antiquissimo, uti vocat, ms. Vaticano in Romana S. Gregorii editione publicavit, ubi sane eodem errore eadem S. Zenonis Missa V *Idus Decembris* legitur tom. V, pag. 265. Hinc porro colligitur, hanc Missam, erroribus licet nonnullis vitiatam, valde antiquam esse, et ab aliis etiam Ecclesiis, ubi S. Zeno colebatur, fuisse susceptam. In hac autem Missa annotandum præcipue est, quod S. Zenonis pontificatus memoratur, ac si ea die S. Episcopi ordinatio celebraretur. Quartam Missam suppetit idem Missale monasterii S. Zenonis, quæ communis fuisse cognoscitur ; tum quod nullo titulo prænotata, nulli diei nullique festo adjudicatur, tum etiam quod prima ejus oratio *Propitiare* in alio ms. ejusdem monasterii S. Lupicino episcopo Veronensi in S. Zenonis basilica sepulto attribuitur; et in ms. capitulari XIII sæculi, qui lectiones, orationes, et antiphonas de Sanctis et per annum recitandas exhibet, eadem oratio legitur ante commune Confessorum cum hac inscriptione : *S. Zenonis vel alterius oratio*. Quinta missa in uno ms. scholæ S. Mariæ de Domo inter sanctos Decembris descripta, spectare cognoscitur ad diem octavam ejusdem mensis. Antequam a Veronensis Ecclesiæ Missis ad alia transimus, subjiciemur reliqua in Missis dicenda, quæ ex ms. toties laudato Zenoniano tribus prioribus Missis subjecta, iisdem videntur fuisse communia. At monachorum apparent propria; Ecclesia enim Veronensis alio introitu, etc., usa cognoscitur ex Carpso pluries memorato, qui ad diem depositionis hæc habet : *Ad introitum. a.* (id est antiphona) *Protexisti me Domine : p.* (id est psalmus) *Exaudi or. cum* deprecor : *all. de resurrectione. all. all.* ℟. (responsorium) *Suncte confessor Zeno : off.* (offertorium) *Posuisti Domine. co.* (communio) *Lætabitur justus.* Hæc excipiet Missa Ambrosiana, quam excerpsimus ex Missali Ambrosiano edito a Jacobo Pamelio, tom. I Liturgicon Ecclesiæ Latinæ pag. 438, necnon ex aliis tribus Missalibus Ambrosianis editis an. 1522, 1548, et 1560. P. Josephus Blanchinius, qui pro sua eximia in Patronum nostrum pietate in procurandis transmittendisque ad nos variis documentis ex nonnullis sacris codicibus, Romanis præsertim, naviter laboravit, hanc sextam Missam reperiri significavit in ms. Vaticano Palatino 506 scripto circa sæculum XIII, cui hic est titulus : *Missale yemale et æstivum Ambrosianum ad honorem beati Mauritii*, qui natione Mediolanensis, S. Ambrosii discipulus fuisse traditur. Hunc autem codicem pertinuisse ad Ecclesiam Andegavensem duo suadent. Primum in præfixo Calendario die 13 Septembris hæc leguntur : *Depositio S. Mauritii episcopi et confessoris. Et jacet in Civitate Andegavensi, quæ est in confinibus inter Franziam et Britaneam, cujus est istud Missale.* Dein in calce libri recentiori manu hæc annotatio apposita est : *Ego presbyter Gervasius de Bruzano Cappellanus* [CLXII] *Ecclesiæ S. Mauritii, et Maziconius Sanctæ Mariæ Majoris devovo hoc meum Missale Ecclesiæ Sancti Mauritii pro utilitate canendi Missam, eo tenore, ut officiales presbyteri hujus ecclesiæ semper habeant memoriam hoc parum beneficium factum a me, et non sit licentia alicui episcopo, sacerdoti, nec vicinis donandi, vendendi, pignorare, nec transmutare*, etc., ex quibus in usu ejusdem Andegavensis Ecclesiæ hoc Missale fuisse videtur. Illic autem illud præterea annotare libet, duas primas hujus sextæ Missæ orationes legi in Breviario Ambrosiano anni 1549. Addemus tandem orationes tres, quæ in tribus festis S. Zenonis in Collegio Canonicorum Regularium S. Augustini *Reichenhall* nuncupato nunc quoque recitantur, et ex antiquis Missalibus videntur excerptæ, ut dis. III, cap. 4, § 3, monuimus.

VI. De Missis hactenus. Ad officium vero quod attinet, primum dabimus antiphonas cum responsoriis ex ms. Capitulari sæculi circiter X, quæ eædem in ms. sæculi XV Monialium S. Mariæ de Campo Martio continentur, indicanturque etiam in Carpso : in quibus, si quid erit diversum, in subjectis adnotationibus innuetur. Dein ex alio ms capitulari sæculi X breves lectiones et hymnos duos S. Zenonis proprios, ac nostra in Ecclesia usitatos subjiciemus. Tum ex ms. monasterii S. Zenonis sæculi XV tres hymnos addemus ; qui Benedictinis Monachis usui fuere,

Digitized by Google

et hi sunt, qui paucis mutatis nunc in Veronensi officio adhibentur : tertium vero e duobus mss. Breviariis Monialium S. Luciæ jam promulgatum ab Editoribus Veronensibus, codicibus tractatuum S. Zenonis præmissum Barthius perperam credidit lib. II, Advers. cap. 12, et lib. XIV, cap. 20. Alium subinde edemus hymnum, qui in ms. Vaticano 1235 S. Zenonis tractatibus subjectus legitur. Orationem porro in Veronensis Ecclesiæ officio recitari solitam haud dabimus ; hæc enim etsi in laudatis mss. non indicetur, ex alio tamen ms. Capitulari, qui orationes ad horas continet, et ex Martyrologio Monialium de Campo Martio colligitur fuisse oratio *Deus qui nos*, quæ in prima Missa secundo loco describitur. Monachos vero Zenonianos primam orationem cujusque Missæ pro quoque festo propriam inter officia dixisse cognoscimus ex duobus mss. qui ad officia sacra monasterii Zenoniani spectant. Tandem dabimus antiqua suffragia de S. Zenone, ac alia nonnulla ; quæ unde sumpta fuerint, suo loco dicemus.

[CLXIII] SERMO VENERABILIS CORONATI NOTARII DE VITA SANCTI ZENONIS.

I. In diebus illis (*a*) in provincia (*b*) Italia, in civitate Verona, in qua beati Zenonis acta claruerunt, (*c*) evolvimus tanti viri virtutes. Sic enim est humana mens ad investigandas Sanctorum vitas, tamquam quis ille sitiens ardore solis adustus, concupiscat fontium fluenta, aut quis desideratissimum nuntium audire cupiat, vel etiam quis deliciarum epulis enutritus, in quodam longinquo itinere positus, ad rem pervenire suæ mentis satietatem cupiat. Ita et ego tanti viri, quamvis ad omnia quæque egit vel in conversatione, vel etiam in miraculis, explere non valeo ; attamen quantum attingere pro parte possum, enarrare non desisto, ne quis ille lector deroget, aut audiens legentem desidioso animo detrahat, cum scriptum sit : *Qui retribuunt mihi mala pro bonis, detrahunt mihi.* Et quia ipse Dominus dixit bona operantibus : *Priusquam te formarem in utero novi te, et antequam exires de ventre sanctificavi te.* Ille enim a cunabulis [CLXIV] benedictus, et (*d*) a ventre sanctificatus erat, et ad hoc pertingere meruit, ut per vitam sanctam pastor in populo esse mereretur ; et ideo quia in omnem terram exiit sonus conversationis ejus, et sanctitas emicuit : audiant populi omnes, qui ejus cupiunt miracula.

II. Erat enim sedens in (*e*) monasterio, in secretiori parte, in oppido Veronensi, continuis jejuniis et crebris orationibus a Domino petens, ut sibi dignaretur aditum prædicationis in populos aperire. Denique ad convertendos in Christi amorem animos hominum de die in diem deditus erat. Revera quia in ipso Spiritus sanctus doctor erat, sicut ipsa veritas per se loquitur dicens : « Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. » Et illud : « Ego sum pastor bonus, et animam meam pono pro ovibus meis. » Ita ergo in sermone affabilis erat, et in mansuetudine, et in habitu mitis, ut Deus in ipso collaudaretur ab omnibus venientibus ad se ; et ita alacer, ut mox relictis idolis Domino Jesu Christo crederent.

III. Per idem vero tempus cum juxta civitatem Veronam, quæ in propinquo erat itinere, et egrediente eodem viro a monasterio, in fluvio Athesi

(*a*) Ab hoc discrepat prologus apud Ughellium et Henschenium, qui postremus observat, eumdem in plerisque mss. diversa phrasi, sed absque ullo historiæ detrimento proponi. Lectio prologi apud Mombritium ad ms. Remensem plerumque accedit.

(*b*) Apud Mombritium perperam *Tusciæ*.

(*c*) Cave, ne ex hac voce *evolvimus* scriptum aliquid ante Coronatum existimes de Zenonis gestis, unde is, quæ litteris consignavit, ebiberit. Nam præterquam quod incertum est an hic prologus ipsius Coronati sit, cum in aliis mss. et editis nihil tale legatur, *evolvimus* pro *descripsimus* ex barbaro quodam loquendi genere positum videtur, ut ex contextu colligi potest. Cæterum in procœmio apud Ughellium tom. v Italiæ Sacræ, pag. 680, alia prorsus ratione nihil scriptum palam proditur, nisi in populi mentibus, e quibus tantum eruta, seu (ut memorato verbo utamur) *evoluta* apparent, quæ in hanc Vitam Coronatus conjecit. Integra ejus procœmii verba hic appendimus, cum præterea satis insinuent, confirmentque, quæ alibi diximus, nihil de S. Zenonis virtutibus proditum fuisse, sed de miraculis tantum, de quibus tamen ipsa sola populi memoria supererat. *B. Zenonis Veronensium Præsulis, licet omnia miracula, quibus claruit, idonei non inveniamur posse vobis narratione tradere competenti, magis tamen ut videretur ratum est, ut sermonis offensa serie, aliqua ex eo dicamus, quam tacitis virtutibus ejus, unde quondam satis micuerat, ignorantiæ tenebris habeatur obscurus. Scimus quippe, eum Sanctorum cœtui jure deberi, sed multo magis humanis obsequiis honorari, cum populorum intellectui ejus facta scripta fuerint, quæ debeant recitari.*

(*d*) Hæc apud Ughellium desunt : similia tamen apud alios leguntur, quæ nemini docto persuasum iri confidimus.

(*e*) Monasterium hoc, de quo pluries inferius mentio fiet, si Coronato credendum sit, multis monachis una cum S. Episcopo degentibus frequens erat. Monasteria autem cum non nisi quarto sæculo cœperint, Gallieni imperio non conveniunt. Neque vero IV sæculo S. Zenonem in monasterio degisse putamus. Licet enim mulierum monasterium Veronæ id temporis per Zenonem fuerit conditum, uti dissertatione III, cap. I, § 3, ostendimus : nihil tamen de monasterio virorum traditum accepimus : nec Episcopus tamquam monasterii Abbatem se gessisse, sed cum suo clero ad summum exstitisse dici potest. Neque opponat quis, in Actis SS. Firmi et Rustici *monasterii* esse mentionem, in quo S. Proculus S. Zenonis prædecessor sub ipsam Diocletiani et Maximiani persecutionem latitasse proditur : nam ibi monasterium locum remotum significat, in quo unus solitariam vitam exigebat : quam antiquam significationem

Digitized by Google

piscationem (6) dum ageret, erectis sursum oculis vidit de contra quemdam hominem, in plaustro sedentem, bubus subjunctis mergi in flumine. Tanta enim velocitate ferebatur, ut omnibus demonstraretur diaboli arte fuisse gestum. Et quidem sanctus vir, elevans oculos dum vidisset, [CLXV] cognovit hoc factum diaboli esse. Elevata sursum manu fecit sanctæ Crucis signum frequenti vice dicens : Revertere retro Satanas, ne perimas hominem, quem Deus creavit. Quod signum diabolus ut vidit, evanuit velut fumus, ita ut clamoribus ac stridore nefando, quasi de alta rupe irruperit, dicens : Etsi quidem nunc me non permittis animas hominum lucrari, tamen paratus sum in patrias (7) ignotas, quæ circumquaque sunt, ire ad impedimentum tuum. Tunc sanctus Dei Zeno ait : (8) Non te permittat Dominus agere adversus servum suum.

IV. His ita actis, cum ululatu et clamore discessit. Festinans dæmon ingressus est (9) domum Palatii Gallieni, comprehensam filiam ejus, quæ eo tempore parentibus (10) unica erat, cœpit crudeliter vexare. Tunc miserabilis pater simulque tota domus regia in tristitiam versa cruciatu affligebantur, eo quod sic crudeliter suffocaretur. Quæ dum crudeli vexatione correpta esset, cœpit per os infantulæ (11) Imperatoris filiæ dæmon clamare dicens : Non egrediar a corpore isto, nisi Zeno episcopus venerit, ac per ipsius imperium egrediar. Mox vero ut hoc imperator Gallienus audivit, missis apparitoribus ad perquirendum sanctum virum, cœpit sollicite investigare. Tunc ex jussu Imperatoris milites pergunt ad virum Dei. Ille enim sedebat super lapidem, qui in proximo monasterii erat, et piscabatur in flumine. Venientes vero milites, quia inscius illis erat, cœperunt sollicite interrogare sanctum Dei Sacerdotem dicentes : Quis es tu, homo Dei ? Indica nobis, si vidisti Zenonem episcopum, quem nos ex jussu Imperatoris perquirimus. At ille respondit dicens : Quamvis (12) plura sint nomina in [CLXVI] monasterio nostro de nomine isto, quem vos dicitis ; tamen quod missi estis dicite. Ego enim, quamvis tantillus, servus tamen Christi sum, Zeno vocor. Tunc vero conferentes milites ad invicem dicebant inter se : Quid multa colloquimur ? Indicemus pro qua re missi sumus ad virum istum. Respondentes vero dixerunt : Rogat te imperator, et te vult videre. Respondit Zeno : Quid meam vult humilitatem videre imperator, qui omnium Christianorum inimicus esse non desistit ? At illi dixerunt : Ita enim rogat te imperator, ut filiam ipsius, quæ a dæmonio vexatur, sanam reddas, quæ unica illi est. Ille vero dixit eis : Dominus Jesus Christus omnipotens est. Ite, inquit, ecce ego subsequor vos, quia Dei mirabilia oportet ut omnibus manifestentur. Quo dicto abierunt milites.

V. (13) Exsurgens vero sanctus Sacerdos fecit orationem, et perrexit ad palatium, ubi cruciabatur et affligebatur pro sua filia imperator : (14) quo sanctus Dei Episcopus, dum iter ageret, ante pervenit quam hi qui missi fuerant milites. Facto vero crucis signo, ingrediente Christi Sacerdote palatium, cœpit mox per os infantulæ dæmon clamare dicens : Ecce tu, Zeno, venisti ad expellendum me, et ego propter tuam sanctitatem stare non possum. Quo dicto tenens Sacerdos manum puellæ (15) dixit : In nomine Domini Jesu Christi præcipio tibi, exi ab ea, dæmon. At ille publica voce cœpit clamare dicens : Etsi hinc a te expulsus fuero, eo Veronam : invenies me et eos, in quibus habitem, stantes in platea exspectantes te. Christi itaque Sacerdos sanam restituit imperatoris filiam.

VI. Quod vero factum ut vidit imperator Gallienus, admiratione comprehensus, (16) coronam regalem,

Ducangius ex S. Hieronymo, Cassiano, et aliis confirmat. Oratoria etiam privata monasterii nomine nuncupata marchio maffeius ex Agnello animadvertit. Hæc autem Coronatus monasterii nomen ingessit ea forte de caussa, quod illi ecclesiæ, in qua sacrum Corpus ante translationem suo ævo quiescebat, monasterium adjecerit, quod, ut vulgus est ad antiquitatem prætexendam pronus, ipse S. Zeno condidisse et incoluisse diceretur ; et cum ætate posteriori plures ex iis, qui huic monasterio se se devoverunt, in S. Episcopi honorem Zenones appellarentur, Coronatus paulo post, ex vulgari certe fama, plures ejusdem nominis monachos una cum S. Zenone in eo monasterio viventes prodidit num. 12.

(6) Hinc S. Episcopus pingi solet cum pisce, qui e pastorali baculo vel ex piscatoria arundine pendet. Neque id omnino rejiciendum. Forte enim paupertatem excolens, ut patet ex tract. 44 lib. II, num. 2, piscatione, sicut Paulus labore manuum, victum quærebat, illud forsitan recolens, apostolos adhuc post Christi resurrectionem, piscandis piscibus, Domino quoque approbante, operam impendisse.

(7) *Notas* apud Mombritium, Ughellium, monachum Zenonianum Coronati exscriptorem, et in omnibus mss. ab Henschenio laudatis. In Remensi autem *notas* quidem erat, sed eodem charactere superadditum fuit *ig.* ut *ignotas* legeretur.

(8) *Nonne* in Remensi perperam : ex aliis editis correximus.

(9) *Palatium* inter Tridentum et Veronam in Antonini itinerario memoratum, in quo quidam præesset *Gallienus*, intelligi hoc loco posse conjecimus dissertat. I, cap. III, § 4. Tum *domus Palatii* erit *domus* ejus Gallieni, qui in *Palatio* illo præsidebat.

(10) Gallieni imperatoris binos filios plures memorant : filiam autem ex inscriptione Gruteriana pag. 275 tantum cognovimus. Cum porro hanc filiam Coronatus ita *unicam* ter appellet, ac si tum præter illam Gallienus nihil prolis habuerit ; id sane de imperatore Gallieno verum esse non potest, qui, ex quo tempore imperator fuit, ad mortem usque filios in scriptoribus et in numinis inscriptionibusque memoratos habuit. Hæc ergo *filiæ unicæ* notatio, si vero aliquo fundamento nititur, alium ab imperatore Gallienum palam adstruit.

(11) In cæteris mss. et editis plerumque *Regis*, et deinceps *Rex*, etc., scribitur.

(12) Apud Ughellium *plures sint homines*. Vide adnot. 5.

(13) *Exurgens sanctus Sacerdos... perrexit ad palatium* : ac si paululum a Veronensi urbe distaret, quod conjectationem nostram adnot. 9 indicatam confirmat.

(14) Legebatur in Remensi *quia* : ex Ughellio emendavimus.

(15) Sic ex Henschenio : in Remensi *dicens*.

(16) Gallieni ætate imperatores pretiosam coronam nondum sumpserant, ac multo minus in capite gesta

Digitized by Google

quam capite suo gestabat, sancto Sacerdoti obtulit dicens : Tali medico, qui sanam unicam filiam meam restituit, nullis aliis muneribus placere possum, nisi ei ipsam, quam habeo, coronam meam offeram. Quod factum dum gereretur, videns multitudo populi, qui ad palatium convenerat, ab errore conversa gentili crediderunt in Christum Jesum Dominum nostrum, petentes Sacerdotem Christi ut docerentur viam salutis, et baptismum in remissionem percipererent peccatorum. At ubi Sacerdos accepit coronam imperatoris, statim distribuit pauperibus dicens : Si Dominus operatur excelsa, ipsi referatur et gloria.

VII. His ita gestis petiit beatissimus Zeno, ut ei licentia tribueretur, omnia idola destruendi, et in Christi nomine ecclesias fabricandi. Cujus precibus [CLXVII] (17) adquievit imperator omnibus, (18) quæ ille poposcerat. Post hæc ingressus Sacerdos Veronam civitatem intrepidus prædicabat in Christi nomine verbum, ut diaboli idola destruerentur, et in Christi nomine construerentur ecclesiæ. Quo facto multitudo populi paganorum sæviens incessanter agebat, ut impedimentum Christi famulus pateretur. Sed vigilans in suis servis Christus vincebat mendacium, quod pura fides tenebat in corde (*sic*).

VIII. Perfectis igitur his agebat salutaria pro populi intercessione, quod ab ineunte ætate in Christi amore solitus erat. Qui dum hoc instanter ageret, Dei voluntate non multo post receptus in pace est. Et quia in miraculis omni populo claruit, in honore Dei et in ipsius sancti Sacerdotis (19) quidam ex genere Gallieni fecit sancto nomini ipsius basilicam haud procul a fluvio, ubi nunc sanctum ipsius corpus requiescit, qui etiam venerabilis locus in Christi nomine miraculis coruscat.

IX. Post vero aliquod tempus apud eamdem Veronensem urbem cum (20) die Sancti natalitii ipsius devote populus una cum clero vel sacerdotibus ad Missarum solemnia convenissent, fluvius Athesis, ubi super ripam ejus reconditum esse dignoscitur corpus, subito tanta inundatione excrevit, ut aqua fluminis usque ad fenestras, vel tectum ascenderet. Cujus ecclesiæ dum essent januæ apertæ, aqua in eam minime intravit, sicque stans aqua ecclesiæ januam clausit, ac si illud elementum liquidum in soliditatem parietis fuisset immutatum. Quod etiam factum videns populus admiratione comprehensus, qui illic ad honorem Dei et sancti Sacerdotis convenerat, fame sitique se perire acclamabat. Cum ergo essent multi interius inventi, et aquarum multitudine ecclesia omnis circumdata, et ipsi in quam possint partem egredi non haberent, ibique se siti et fame deficere formidarent ; ad ecclesiæ januam veniebant ad bibendum, hauriebant aquam, quæ, ut prædixi, usque ad fenestras excreverat, et tamen intra ecclesiam nullo modo diffluebat. Hauriri itaque ut aqua poterat, sed diffluere ut aqua non poterat. Stans autem ante januam ad ostendendum cunctis meritum Confessoris, et aqua erat ad adjutorium, et quasi aqua non erat ad invadendum locum. Et dum tanta esset inundatio aquæ, velut murus circumquaque ecclesiæ erectus erat, et intus aqua minime ingrediebatur. Quanta enim putamus virtus orationis [CLXVIII] ipsius apud Deum obtinere poterat, cum et aqua in specie muri erecta erat, et ingredi locum venerabilem non audebat. Unde adcrevit veneratio et timor circa Christi Sacerdotem, ut etiam si fide exigat, infirmi curentur, dæmoniaci veniant, et liberentur. Et si quis ex vera fide sanctum ejus nomen invocaverit, sine dubio ejus petitioni annuitur. Multi etenim de longinquis regionibus venientes obsessa infirmitate corpora ad ejus sepulchrum jacentes per ipsius intercessionem ad propria cum sanitate et gaudio revertuntur, (21) præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[CLXIX] RHYTHMUS DE S. ZENONE

Ex codice Capitulari sæculi circiter IX.

Audiant (1) principes, audiant populi,
Quanta peracta sunt de Sancto homine,
Quanta Deus concedit (2) in se credentibus.

bant, de quo vide laudatam dissertationem 1, cap. 3, § 4.

(17) Ethnicumne Imperatorem huic rei acquievisse credibile est? Fabulam eodem paragrapho 4 ostendimus.

(18) Ita apud Henschenium : in Remensi *quod*.

(19) *Quidam* ex Mombritio et Henschenio addere necesse fuit ; quorum postremus ad hæc verba notat : « Ita pleraque mss. *Quidam ex genere Gallieni*, aut, *Quidam timens Deum* cum Monbritio, aut, *Quidam nobilissimus ex genere Gallieni*. At Ughellii exemplar et unicum ms. *rex Gallienus fecit Basilicam.* » Utrumque autem peræque falsum, sive de Gallieno imperatore, sive de aliquo ejusdem Imperatoris consanguineo id factum accipias, cum omnes ejus propinqui ipso exstincto necati fuerint, ut Aurelius Victor memoriæ prodidit.

(20) Mombritius et Ughellius *die sancto Natali*, Henschenius *die sancto Natalium* : error apertus, cum Sanctus Episcopus obierit die 12 Aprilis, hoc autem miraculum mense octobri contigerit, de quo plura in dissert. 3, cap. 1, § 4. In margine porro ms. Remensis ad hanc miraculi narrationem hæ tres litteræ appositæ cernuntur : *G. P. C.* linea singulis superducta : quarum duabus primis *G. P. Gregorium Papam* significari nihil ambigimus (de tertia alii conjiciant) cum ex ejus dialogis totidem sæpe verbis ea narratio expressa deprehendatur ; quæ tamen verba, quatenus a S. Gregorio sumpta, cum ab aliis mss. Mombritii, Ughellii et Henschenii absint, in Coronati textum intrusa videri possunt. Eadem tamen additio iisdem plane verbis inserta pariter legitur in antiquo Lectionario ecclesiæ Tridentinæ, qui eamdem Coronati vitam in novem lectiones dispertitam exhibet.

(21) Apud Mombritium, Ughellium, et Henschenium hæc addunter : *Ecce de multis ejus miraculis ego inutilis Coronatus Notarius, quod compertum tenui, in parvo conclusi, ne legentibus vel audientibus fastidium generarem.*

RHYTHMUS. — (1) Ms. *Audient Principes, audient populi.* Coronatus in fine num. 1, *Audiant populi, qui ejus cupiunt miracula.*

(2) Ms. *condedit.*

Digitized by Google

Benignus (3) ac mitis Zeno episcopus,
Confessor Domini et pastor populi.
Quantas ille meruit a Deo gratias.
Castus permanserat Zeno episcopus,
Sedens in (4) lapide, piscans in Adise.
Quanta Deus.
De (5) contra boves cum in plaustro prospicit,
Simul et hominem mergentem in flumine,
Quantas ille.
Elevans oculos, fecit signaculum :
Retro (6) te Satanas, ne lucres animas.
Quanta Deus.
Fortiter exclamat quam voce (7) maxima :
Quam voce maxima dæmon (8) prædixerat.
. . . . (*Desideratur repetitio* Quantas ille).
Girans (9) girabo per ignotas patrias :
Perque (10) me non licet lucrare animas.
Quantas (11) Deus concedit : a Deo Gratias.
[CLXX] Ilejulans exclamat (12) de alto nimio
Usque ad solium Imperii (13) filia.
. . . . . .
In (14) quam ingreditur in casto corpore
. . . . . .
Quanta per
Kasta permanserat Imperii filia :
Ubsque (15) a solio Zenonem invocat.
Quanta ille.
Læsa (16) ego fui, de isto corpore,
Si Zeno venerit, tum (17) dæmon exiet
Quanta Deus.
Misit (18) milites per ignotas patrias
Quærere hominem Zenonem nomine.
Quanta per.

A N . . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
Homo qui sedens in lapide, (19) piscans in Adise,
Tu nobis indica Zenonem nomine.
Quanta Deus.
Plura (20) sunt nomina per monasteria (21),
Nam si vult dicere, hic est, quem quæritis.
Quanta ille.
Quid dicimus, aut quid tabescimus?
Jussionem Imperii perque (22) non dicimus?
. . . . . .
Rogat (23) te Imperium, ad se (24) te convocat
Pro sua filia, quam (25) Dæmon suffocat.
Quanta Deus.
B S . . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
[CLXXI] Tunc Dæmon exclamat per os (26) infantulæ :
Zeno jam prope est, et ego fugio.
Quanta peracta.
Venit Episcopus vir (27) sanctissimus,
Signaculo (28) fugavit fantasmata.
Quanta ille.
X festinans adhuc in Veronam veniens (29),
Invenit (30) impium stantem in plateis.
Quanta Deus.
Y Christo (31) laus detur in austro posito,
Corona imperii donetur medico.
Quanta per.
C Zeno Episcopus, audiant (32) populi,
Destruxit idola (33), fecit basilicas.
Quanta.

(3) Ms. *Benignus amitte Zeno Episcopus.* Correximus *mitis* ex Coronato, num. 2.
(4) Ms. *in lapidem.*
(5) In codice *De contra prospicit boves cum in plaustro :* transposuimus *prospicit* metri rhythmici causa; semper enim dactylo versus finitur.
(6) Forsan *Retrocede.*
(7) *Quem vocem* in ms.
(8) Pro *prædixit* rhythmi gratia.
(9) *Girans giravi* in cod.
(10) *Perque* scriptum pro *quoniam*, ut patet ex narratione Coronati.
(11) Heic amanuensis ex duobus repetitis versibus unum confecit, primam partem sumens a primo, secundam ab altero.
(12) Ms. *exclamans.*
(13) *Imperio filia. Imperii* pro *Imperatoris* perpetuo usurpat Rhythmi auctor; et hinc patet *Imperatorem* legisse apud Coronatum, ex quo hæc excerpsit, ut in Remensi legitur.
(14) Ms. *in quem.*
(15) *Ad solium.*
(16) *Lesus.*
(17) *Quem dæmon.*
(18) *Militibus.*
(19) *In lapidem, in Adisem.*
(20) *Plure.*
(21) *Monasteriola.*
(22) *Perque* pro eo, quod Italice dicitur *perche : perque* tamen heic scripsimus, uti supra versu 20.
(23) *Rogate.*
(24) *A se te.*
(25) *Quem.*
(26) *Per ore.*
(27) *Virum sanctissimus.*
(28) *Signacula.*
(29) Coronatus, ex quo Rhythmi auctor sumpsit, narrat dæmonem, dum ex Gallieni filia ejiceretur, minatum S. Episcopo, se Veronam iturum, ibique inventum iri a Zenone in platea stantem, cum eo rediret, et dein ejecto dæmone coronam Zenoni ab Imperatore datam fuisse. Auctor vero Rhythmi, ordine historiæ turbato, Zenonem Veronam accedentem invenisse dæmonem in platea, et subinde ab Imperatore corona donatum perperam prodit.
(30) *Inveni veniebat impio* in ms.
(31) *Cristallo diac. in austro posito.* Correctionem suggessit Coronati narratio tradentis, Zenonem, dum coronam accepit pauperibusque distribuit, dixisse : *Si Dominus operatur excelsa, ipsi referatur et gloria.*
(32) *Audient.*
(33) *Idolas.*

Digitized by Google

HISTORIA TRANSLATIONIS SANCTI ZENONIS

SUBJECTA VITÆ EJUSDEM SANCTI, AB ANONYMO SCRIPTA.

Nunc necessarium nobis videtur Translationis B. Zenonis seriem notificare, quia in gestione hujus negotii quædam memoratu digna claruerunt. Quæ Translatio acta est, cum Rotaldus, vir attributis personæ præstantissimus, pastoralem curam Veronæ gerebat, et Pipinus rex, Caroli Magni filius, quem Adrianus Papa baptizavit, Regnum Italicum regebat. Rex vero Veronam regali situ præditam plus cæteris urbibus diligebat, et cum episcopo sibi dilecto frequens colloquium habebat: qui dum quadam die pariter S. Zenonis ædem ingrederentur, et tam de auditis, quam de visis mirabilibus ejus loquerentur, rationabiliter, et digne proposuerunt, ut magnum thesaurum humilius quam oporteret positum, decentius et sublimius locarent, et ecclesiæ angustiam dilatarent. Ædificantes ergo ecclesiam, antrum opacum, columnis subnixum, et lapidibus pavimentatum, construxerunt; ubi eminentem aggerem ex politis marmoribus ediderunt, quem sacrosancti tumulo (al. *tumulum*) corporis devoverunt. Deinde rex cum præsule, congregatis sacerdotibus, et aliis sacris ordinibus, in quibus respectum bonitatis speraverant, per multimodas orationes Sanctum prius demulcentes, ne ab (in duobus mss. *ab* deest) illis motus irascerctur, cum ingenti timore cubiculum aperuerunt: qui adeo sunt perterrefacti, ut nullus tanti collegii tangere ossa sancta præsumeret; nam divinum quiddam, et valde timendum videbatur inde exhalare, quod horrorem inspiraverat, et omnes circumstantes exanimaverat. Mox claudentes sepulcrum abierunt. Tunc cum Rex et Pontifex quid acturi essent ambigerent, ex multis quas ventilabant conjecturis, hæc placuit, ut per quadraginta dies ter in hebdomada omnis ordo utriusque sexus sæcularis, et ecclesiasticus, cum ipso rege, et Episcopo ad specum sanctum reverenter, ac solemniter convenirent, et Dei atque Confessoris clementiam uno voto efflagitarent, ut cui tam reverenda motio conveniret, instillaret.

Dum hæc diligenti cura agerentur, fama cujusdam solitarii viri, herbusculis et aqua paucoque pane pasti, Regi innotuit; quod dum alacriter audivit, Episcopum vocavit celeriter. Elegerunt igitur nuntios industrios (al. *industres*) et providos, quibus hanc curam committerent; qui venientes ad lacum, qui Benacus dicitur, ad remoti viri latibulum in eminenti specula situm, angusto et periculoso calle aspirarunt. Intuentes autem virum Benignum nomine, et discipulum ejus, qui Carus vocabatur, gavisi sunt gaudio magno. Audita legatione regis et episcopi, ait legatis: *Revertimini in pace, resalutantes dominos* [CLXXIII] *vestros* (al. *Dominum vestrum*), *carissimi: ego non parum tripudio, quod ad illam solemnitatem vocor, et post paululum vos subsequor.* Mox (al. *Post*) ædiculam Oraculi ingressus, auxilium divinum imploravit; deinde ad itineris exercitium se expedivit. Cum (al. *Dum*) autem non longe a cellula progrederetur, ecce merula alis cœpit strepere, voce zinzulare, et sæpissime callem transvolitare, et quasi sinistrum omen significare, ut virum Dei ab incœpto revocaret. Sed vir ille non ignorans hoc esse apparatum dæmonis, merulam adjuravit, ut nullum motum faceret, donec ipse rediret. Ibi merula stetit immobilis, velut esset insensibilis. Cum autem appropinquaret, et rex cum episcopo et honestis viris illi obviaret, honorifice susceptus, quid rex vellet audivit; tunc ait: Cum vota vestra a justo proposito pendeant, Deum invenietis placabilem, et successum bonæ petitionis (alias *opinionis*) ferentem. Tunc ipsi cum electis aditum introeuntes, lapidem removerunt. Nullus orationibus parcebat, et eorum qui intus aderant, et qui præ foribus manserant. Sed heremita quamvis suis meritis, et omnium adjutus precibus, tamen tremebundus intravit, et ossa beatissima bajulavit, atque in mundissimo loccllo tali usui præparato singula ordinabiliter posuit. Tunc tanta vis odoris fragraverat, ut nemo illorum tam suavem ante persenserit. Tunc rex sua et suorum instigatione permotus reliquiarum aliquid postulavit, quod episcopus fieri denegavit. At rex magis ac magis insistere, et magna munera cœpit promittere. Tandem præsul non paucis neque parvis victus precibus acquievit, integritate membrorum servata, nervorum, et cineris, ac vestimentorum particulas tribuit; alia autem firmiter circumsepta, annuloque sigillata, condidit.

Ad vocem psallentium Athesis littus resonuit, intonuere campestria, et ipsam aulam Omnipotentis credimus esse gavisam. Dum circa ecclesiam gestaretur, ut fieri solet, prædicta præconia resultabant, multi languores corpora diu obsessa relinquebant (al. *reliquerunt*), ingens lætitia orta est in die illa, cujus similem nullus illius temporis viderat: quia omnigenarum curationum genera brevi acta sunt tempore, et prolixior facta processio fuit pro visione signorum. Sed rex et episcopus atque rupis incola, pavidi sancta membra introduxerunt, et in parato mausoleo posuerunt. Postquam pontifex missam reverenter celebravit, rex dote nobili Dei sponsam ditavit. Dedit ei proprietario jure monasterium S. Petri, qui Mauratica dicitur, cum omnibus possessionibus inibi pertinentibus. Ecclesiam quoque S. Andreæ apostoli, quæ Incavi (*Incafi*) nuncupatur, cum familiis, montibus, et silvis, pratis, et vineis, arvis, et sationalibus, et cunctis appendicibus; nec non ecclesiam S. Zenonis, quæ juxta lacum posita erat, cum omni-

Digitized by Google

bus reditibus subjecit ; silvam quoque Mantico tradidit ; vasorum argenteorum, et aureorum anaglypha plurima, Evangelium gemmarum, atque margaritarum compositura, et speciosa auri cælatura editum donavit, et alia quibus regalis dignitas affluebat. Cujus exempli sequaces nostri imperatores præfatum locum semper dilexerunt, ac sua munera obtulerunt.

[CLXXIV] Rotaldus Præsul, dives possessionum, suis omnibus ecclesiam hæredavit ; nam et nobilium plurimi magnas portiones suarum facultatum certatim adhibuerunt (f. *adtribuerunt*), unde antequam sol occumberet, illa ecclesia ditissima facta est. At vir Dei avidus redeundi ad heremum, iter suum accelerabat. Hic dum domicilio appropinquaret, vidit merulam in præcisa rupe jacentem, quam ratus quiescere, et suum adventum præstolari, accessit ut excitaret, et eundi licentiam daret : at illa jam exspiraverat. Vir bonus compatiens ei dixit : Hæc avicula Dæmonis instinctu deliquit, et quia irrationabilis erat, et ignoranter offendit, venia, non morte digna fuit. Hac occasione quadraginta dies arctissimum jejunium sibi indixit, unde ænea imago merulæ fusili arte facta ibi hucusque dependet.

Videntes autem rex et pontifex virtutes Zenonis increbrescere, et res ejus velut amnem liquefacta nive crescere, ut tutores et fidei procuratores, summa ope nitebantur, ne locus fortunatus copia, fieret macilentus orationis inopia. Ergo pari voto, ut gemelli fratres, monasterium olim auctum (al. *actum*), augere sanxerunt. Erat illis communis cura probatæ vitæ monachos ibi habitantes ad meliora provehere ; sicut artifex coronam acturus, præstantes gemmas, ac margaritas exornat, quibus opus cœptum perficiat. Non multo post eodem (al. *Deo*) clavum gubernante, seniores illos cum Abbate eadem institutio, et moralis gravitas tales exhibuit, quibus gubernaculum cœnobialis regulæ mirifice servaretur, et formula (al. *formulæ*), atque speculum sequacibus essent, et ut boni patres bonos hæredes efficerent. Jocundatur rex, jocundatur episcopus, pullulantis segetis uberem fructum spectantes. Urbs, et suburbana communiter hujusmodi contubernio gaudebant : unde plures fallacis sæculi umbratilem auram vitantes, ut contermini (al. *conterini*) tantorum virorum fierent, satagebant ; quos non penuria id facere cogebat, sed esurici et siti sanctæ conversationis inhiantes, non minimas opes Zenoni ferentes, monasticum habitum induebant (al. *induerunt*). Hoc modo locus ille fortunatior et religiosior factus, sub cujusque Cæsaris alis protectus est. Sed beatissimus confessor vires a Domino datas quam sæpe excitans, multa memoratu digna perficiens, ex longinquis partibus (unus ms. *nationibus*, al. *regionibus*) plures vocaverat, alios religione motos, alios ægritudinis necessitate coactos. Et (al. *Sed*) ne prætereamus omnia, suorum per hoc opusculum disseramus aliqua miraculorum.

Quemdam Tridentinum dæmon ingressus, corporis et animi sibi vires vindicavit ; nam nullum membrorum officium suum exercebat, cujus spumosum os non hominem sonabat, et apertis oculis non videbat ; ad quos cum (al. *dum*) hostis sæviens evolabat, sanguineos reddebat, et horribiles. Occulta hominum fatebatur, et multa, quæ humanitatis non erant, operabatur : erat omnibus mirabile spectaculum. Quem dum presbyter, ut moris est, adjuravit, dæmon eunuchum illum appellavit, quod vitium nondum notum erat circumstantibus. Tunc ille turpitudine (al. *turpitudinem*) illati improperii erubuit, et exivit. Ecce quidam diaconus dæmonem adivit, et quasi ad ultionem presbyteri [CLXXV] eum gravius adjuravit. Hunc dæmon quasi notissimum agnovit, et ex eo nomine vocavit, et ridiculus proditor plura, quæ levita commiserat, indicavit : unde aliquot sibi conscii non audebant accedere ; sic dæmon quasi victoriosus sua ludibria excitabat. Mox quidam Zeno præpositus monasterii, quem ob religionis et sapientiæ meritum Salomonem agnominabant, non ferens dæmonis superbiam, dolens proditionis contumeliam, plus etiam invasi plasmatis injuriam, aram sancti Zenonis amplexus, visceribus commotus, lacrymis irrigatus, orationem fudit, ne dæmonica insultatio impunita transiret. Protinus dæmon vim orationis persensit, et vas diu injuriatum invitus reliquit. Homo ille ingentes et illustres Deo ac sancto Zenoni gratias referens, damnosum hospitem fugatum esse gaudebat.

Præterea Willelmus, aridus et contractus, qui sicut quadrupes pronus, manibus terram calcaverat, postquam præconia multiplicis curaturæ audivit, lectica illuc se vehere rogavit. Dum appropinquaret vestibulo templi, alienis susceptus ulnis humi depositus est. Pectus pugnis tundebat, vocem singultibus implebat, deterius dignum se esse dicebat. Tunc luminaria (al. *jussit*) fecit accendere, et curvus ut bestia, quia rectus non valebat, genibus et palmis adversum altare cœpit repere. Protinus divina virtus et ossa et nervos ejus ingressa, arteriticum morbum tetigit. Ille velut exanimis in terram corruit, et diutius quasi sine spiritu jacuit, ut jam crederetur mortuus. Repente consolidata sunt lineamenta corporis, et flexuræ, et bases, nodique omnes restituti. Confestim erigitur, et ad aram cito proficiscitur. Fit concursus popularis : fit laus ac jubilatio spiritalis. Deo refertur gloria et omnipotentia, et inclyto Zenoni clementia et magnificentia.

Cum fama virtutis nuntia circumquaque abiret, undique turba non minima maturabat, ceu greges ad agrum compascuum ubertatis plenum solent. Duo viri, unus erat Joannes, alter erat Calvus, huc devecti, paralytici jacebant, socii itineris, socii passionis et curationis, quos diutina mora jam notos pluribus commendabat. Hi assidui januas ecclesiæ observabant, et S. Zenonis nunc communibus, nunc alternis precibus auxilium implorabant. Illos dum nox et somnum opprimeret, pariter viderunt senem aspectus pulcherrimi, coloris vividi, quem canities instar nivis illustrabat, ex interioris templi aditu exeuntem, virgamque in manu ferentem, quam erexit, ambosque pulsavit, et ait : « Satis diu in his cubiculis jacui-

Digitized by Google

stis, surgite, et Deum Salvatorem laudate. » Mox abiit. Evigilantes mutua narratione quod viderant invicem conferebant. Confestim se sanitati redditos consenserunt. Protinus velociter surgentes, grandisonis laudibus Deo jubilarunt : qui timentes, si cito redirent, ne Deus illis ingratitudinem imputaret, diebus aliquot remanserunt, et quod illis evenerat, fideliter notificabant.

Nec quoddam memorabile præteribimus, quod Alberto Cenedensi contigit. Hunc dum feroces caperent hostes non capturæ contenti gloria, nec [CLXXVI] aliis satiati flagitiis, contra jus et fas illatis, ignito ferro lumina combusserunt. Orbatus luce sedebat in tenebris repentinæ privationis querulus, importunus nocte dieque Deum judicem plorando implorabat. Dum consuetudo mali jam verecundiam minueret, a latebris prodire cœpit, alieno ductus regimine, et non parvo tempore suum sequebatur ducem. Jam erat gravis atque odibilis suis, et sæpe Deum rogabat, ut sibi infelicem vitam truncaret. Cui repente fuit cordi ad S. Zenonis præsidium festinare : tunc a cognatis, et amicis subsidium itineris exigebat. At illi eum amentem vocabant, et ei pro tali petitione insultabant. Omissis reliquis, prævium suum, olim sibi pædagogum, misericorditer rogavit, ut suis cœptis annueret. Mox ille paruit, et quod herus suus vellet, se acturum spopondit. Incipit iter hilaris : sed alii ex suis humaniter agentes, secum profecti sunt. Ductus est ad antrum, in quo prius Zeno quievit. Stratus humi flebilibus modis invocat, ad quem venerat, ut consuetæ medicinæ juvamen præberet. Cum *Miserere* frequenter iteraret, inopinate circumstantes vidit. Repente se videre clamavit. Cumque qui secum venerant, non crederent, alter alterum præsentabat, et quis esset, et quid indueret, explorabat. Dum index inquisitorum esset, omnes cœperunt plaudere, et Deum et fidelem ejus Zenonem laudare. Hoc audientes tortores illius, ducti pœnitentia, eum audacter aggressi sunt, ut pro ejus amore illis daret veniam, a quo et ipse consecutus est misericordiam. Ille impiger pepercit culpam, nullamque recepit mulctam. Abbatem S. Zenonis adiit et loricam S. Benedicti, ibique per quatuor lustra fideliter militavit.

Neque te silebo, Wezilla dæmone capta, adhuc puella, quo sub teneris membris modo latente, modo furente facta est juvencula. Hæc parentibus debuerat esse solatium, sed erat illis inconsolabile spectaculum : quos dæmon sæpe fefellerat, se exiturum jurans, si ad illius aut illius Sancti duceretur aram. Sic multo tempore spem illorum luserat, et eorum studiosam curam fatigaverat. Sed ea tempestate, qua sanguis Christi Mantuæ inventus esse ferebatur, dum illuc a parentibus duceretur, digressionem ad Zenonis ædem fecerunt. Dum ingrederetur, dæmon atrocius solito puellam concutiebat, velut curus arbusculam : et ut erat terminus rogationum, magnus illuc populus psallendo præcedebat. Qui cum cerneret caput rotare, capillos volitare, manus et brachia vibrare, pedes saltare, plures viros in una muliercula tenenda laborare ; palmis erectis in aera omnes uno ore, *Auxiliare Deus*, clamarunt. Nullus tantæ multitudinis hujusmodi studii abstinebat. Videres alios pronos orare, alios misericorditer plorare, alios sacerdotes ad officium instigare, qua commotione omnis regia intonuit. Confestim fortior armatus venit, et a domo propria abusive eliminavit. O dæmon cum quanto dolore et quam magno clamore et quam sulphureo fœtore lapsus est ! Stetit in medio populi puella, pallida, perterrita, tremula, fatigata. Vix fari poterat, quæ dudum omnes voce superabat ; pedibus et omnibus membris vacillabat, quæ dudum fortes viros fatigabat. Aberat ille qui vexavit, et vires ingentes inspiravit. O quam magna laus et gloria, et quanta ibi edita sunt præconia !

[CLXXVII] Cum ille iniquus spiritus abiret, circumiens quem devoret, videt monachum manentem juxta celsam turrim, quæ tunc ædificabatur, super quem de eminenti pinna lapidem devolvit, et in vertice graviter vulneravit : inde quasi mortuus a fratribus est sublatus, et hoc habetur memoriale, quod tam patens vulnus non fuit exitiale. Protinus velut sagitta præcipitavit se in mensam cujusdam indigenæ, et quidquid erat in ea, eminus, velut nimbosus turbo, dispersit. Deinde citius dicto irruit in plaustrum onustum spinis, quod nec ullum animal movebat, nec venti ulla vis erat. Tum perversus auriga huc rotabat, illuc exagitabat, ac si feroces tauri et indomiti, juncti jugo forent. His actis ludibriis illico impulit gubernatorem navis transvehentis lapides ad spectabile ædificium S. Zenonis, ratus et hominem in flumine demergere, et navim naufragare. At ille infra puppim ruit, et navis sine jactura portum tenuit. Eodem momento ab Athesi ad amnem, qui Flubius (id est *Fibius* amnis) dicitur, se intulit, aratoribus prope amœnam ripam meridiantibus ; ubi dum pacifice sua tractarent, nihilque rixarum apud illos esset, Satan illorum præcordia titillare cœpit, unde quidam illorum insolenter locuti et arroganter, socios et familiares amicos ad contumeliam verba exagitarunt. Extemplo hostiliter animati baculis graviter confixerant, et si militaria arma præsto forent, mutua strage perirent. Sed forte sacerdotes ibi aderant, qui mediastini atrociter saucios dirimerunt. In se reversi alter alterius vulnera adhuc stillantia, quæ ipsi fecerant, lavabant, et ex vestibus ligaturas præcidentes, cum charitate et lacrymis plagas vinciebant. Deinde clam magis, quam palam artifex dirus nocuit, qui magis dolis et technis, quam viribus confidit. Protinus sacerdotes apertis insidiis Satan inter filios Dei venisse cognoverunt.

Fragmentum carminis de miraculis sancti Zenonis scripti a Jacobo presbytero.

Vir clarus, dum festa dies Zenonis adesset,
Bis sex pauperibus solvebat laute quotannis
Prandia ; cui misero, facienti talia, patri
Ecce ferunt, natum diris Acheronta petisse
Vulneribus. Sed cœpta pater, licet unicus esset
Filius ille sibi, nec tali morte reliquit :
At sibi præsidio Zenonem semper adesse
Prædixit, clausitque pater convivia lætus :

Digitized by Google

Exhibitisque Deo, Zenoni, ac civibus altis
Laudibus immensis, confestim Zeno parenti :
Morte sua, veluti somno, revocavit alumnum.
Quid quod de castello cum superatus ab hoste
Quidam Veronæ Venetam volitasset ad urbem,
Et sibi crudeles injuste cerneret omnes,
Supplex vota tulit Zenoni, talia dicens :
Tu mihi, Zeno, pius, precor, adsis jure Patronus,
[CLXXVIII] Quem primo Verona ducem veneratur honore.
En subito Venetum populus totusque Senatus
Ejus jura videns, tum denique fronte benigna
Zenonis famulum victorem fecit; et ipse
Retulit ore suo, quod Zeno scripserat illa,
Quæ jam caussidici sibi doctoresque negabant
A Prævidisse, licet cribrassent singula dudum :
Sic voti composque fuit, memor, atque recepit.
Te, Catharina, precor, Saracena fatere petenti,
Zeno quanta tibi multis jam mensibus ægræ
Munera grata tulit; nam vir Benedictus et ipse
Testis adest, quod febris ei capitisque dolorem
Abstulit in visu dicens : Lætare fidelis,
Sospes eris, capiti si digna umbracula nudo
Zenonis facies : nam nudus sic tibi visus
Ille fuit, cui cuncta nitent sincera; grabatum
Incolumisque, domo tota jubilante, relinques
Quam primum : haud frustra mater Zenonis ad aures
Vota suis precibus tudit, curata podagris.

[CLXXIX] MISSÆ SANCTI ZENONIS

E VETUSTIS MSS. SACRAMENTORUM LIBRIS VERONENSIS ECCLESIÆ.

MISSA I.

Oratio — (1) Sancti Zenonis Sacerdotis et confessoris tui; Domine, veneranda hodiernæ festivitatis illuminati congratulantes lætamur; concede propitius dignis ejus precibus exoratus, ut spiritalis alimoniæ jocunditate refecti, salutis, quam docuit, imitando viam sectemur. Per Dominum.

Alia oratio (2). — Deus qui nos Sancti Zenonis Sacerdotis et Confessoris tui annua beatæ confessionis solennitate lætificas, præsta quæsumus, ut callida hostis incursione, tua freti virtute, devicta, pervenire ad gaudia ipso intercedente mereamur æterna. Per.

Secreta. — Oblatis tibi muneribus, quæsumus, Deus pater omnipotens, propitiatus intende, et intercedente B. Zenone Sacerdote atque Confessore tuo et ab occulta insidiatoris impulsione fragilitatem nostram tueantur illæsam, et Angelicis devote manibus suscepta sacratis ante conspectum gloriosæ et tremendæ majestatis tuæ in odorem suavitatis alacriter deferantur. Per.

Præfatio. — Vere dignum. Qui B. Zenonem tui sancti nominis copiosa amoris dulcedine uberius satiatum, ad contemplandam Deitatis tuæ desideratam perducere dignatus es claritatem : quem ita miserationis tuæ invicta pietatis clementia inter mundanas validius reddidit pompas illæsum, ut nec blanda prosperitatis magnitudine tumeret, nec adversitatum undosa procellosæ falsitatis [CLXXX] incursione flecteretur : in fide enim stabilis, in charitate longanimis, in castimoniæ puritatis vivacitate decorus, et in virtutum miraculis exstitit famosissimus operator salutis, nec non etiam in commissa sibi dominicæ dignitatis exsequenda doctrina, cotidiana populos erudiendo reficiebat divini sermonis alimonia vitæ, et quod fideliter cœlestis prædicabat miles sequendum decoris, hoc opere adimplere indesinenter mirabilis dispensator curabat devotus. Ideoque te, Domine omnipotens, rerum omnium auctor, bonorum supplices exoramus, ut cujus pretiosæ mortis celeberrimum hodiernæ festivitatis recolimus diem, sacratissimis ejus precibus nobis exoratus concedas, ut et a peccatorum nostrorum nexibus absoluti, et ab hostium callida impugnationis ferocitate defensi, cœlorum mereamur, te ducente, pervenire ad regna. Per Christum.

Ad communionem. — Sumptis, Domine, sacrosanctæ redemptionis mysteriis deprecamur, ut (3) et salutaris hujus remedii plenitudine roborati, et (4) S. Sacerdotis et confessoris tui Zenonis saluberrimis beatæ intercessionis præsidiis suffulti, ad plenæ festivitatis gaudia pervenire mereamur æterna. Per.

Alia. — Custodi nos quæsumus, Domine, Sanctorum tuorum natalitia frequentantes, et ad salutifera mandatorum tuorum exsequenda præcepta nostras semper excita voluntates. Per.

MISSA II.

Oratio (1). — Deus, qui es tuorum Antistitum potentissimus illustrator, tribue, quæsumus, ut beatissimi Sacerdotis et Confessoris tui Zenonis magnificis exemplis informati, sæculi istius caliginem sine periculo transeamus. Per.

Secreta. — Oremus omnipotens Deus : culparum nostrarum apud te veniam beati Zenonis impetret grata precatio. Per.

[CLXXXI] *Postcom.* — Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui venerendam gloriosi Confessoris tui

Missa I. — (1) Hac oratione monachi monasterii S. Zenonis in cursu seu officio utebantur eo die, quo festum *depositionis* celebrabatur, ut ex duobus libris mss. ritualibus ejusdem monasterii discimus.

(2) Ecclesia Veronensis hac oratione singulis S. Zenonis festis, in officiis usa apparet ex ms. Capitulari, et alio monialium S. Mariæ de Campo Martio.

(3) Tò *et* desideratur in mss. Missali Zen.

(4) In aliis mss. sic : *Et S. Zenonis saluberrimæ beatæ intercessionis præsidio fulti.*

Missa II. — (1) Hæc oratio non solum a monachis Zenonianis in cursu diei festi Translationis S. Zenonis adhibebatur, ut patet ex ipsorum libris ritualibus mss., sed etiam a Benedictinis cujusdam monasterii Ticinensis in festo VI Id. Decembris, ut constat ex ms. Breviario pergameno XV sæculi, ubi in secundis vesperis Conceptionis B. M. V. hæc leguntur : *Et fit commemoratio de SS. Zenone et Syro. In S. Zenonis Episcopi et Confessoris oratio. Deus, qui es*, etc. Ex ms. Capitulari apparet, hanc orationem paucis immutatis ab ecclesia Veronensi adhibitam fuisse ad preces sive suffragia Sanctorum in commemoratione S. Zenonis.

Digitized by Google

Zenonis translationem annuis frequentamus excubiis, A digne ipsius conversationem sectando, gaudiorum ejus mereamur esse participes. Per.

MISSA III.

Oratio. — Venerabilem diem B. (1) Confessoris tui Zenonis devotione sancta hodie celebrantes, te, Domine, (2) conservatorem omnium fideliter deprecemur, ut pius nostris precibus (3) clemens ac propitius aspiras, sicut et (4) illi misericordiam largiaris. Per.

Secreta. — Deus qui (5) fulgentibus margaritis clarum lumen (6) inferis mundo, (7) qui beato (8) Pontificato Zenonis æternam in cœlis coronam (9) præparasti, (10) et nobis quoque famulis tuis adstantibus ante conspectum majestatis tuæ (11) adesse digneris. Per.

[CLXXXII] (12) *Ad Complendum* —Deus, qui (13) tali Ecclesiæ fecisti Pontificem, (14) ut talem nostris temporibus constituisti Sacerdotem, qui purissimam et immaculatam (15) hostiam possit offerre. (16) Per.

MISSA IV.

Oratio. — Omnipotens sempiterne Deus, qui es Sanctorum tuorum splendor mirabilis, quique hodierna die beatum Confessorem tuum Zenonem beatitudinis æternæ gloria sublimasti, concede propitius, ut cujus festa veneramur in terris, intercessionis auxilio apud tuam misericordiam muniamur in cœlis. Per.

Secreta. — Oblatis tibi, etc., *ut in Secreta primæ Missæ.*

Ad Communionem. — Sancti Zenonis Sacerdotis tui, etc., *ut in prima oratione primæ Missæ; hoc solo discrimine in postremis verbis :* salutis viam quam docuit, imitando, veniam consequamur. Per.

MISSA V.

Oratio. — (1) Propitiare quæsumus, Deus, famulis tuis per Sancti Zenonis Confessoris tui atque Pontificis, (2) qui in præsenti requiescit ecclesia, merita gloriosa, et ejus pia intercessione ab omnibus protegamur adversis. Per.

[CLXXXIII] *Secreta.*—Suscipiat clementia tua, omnipotens Deus, de manibus nostris munus oblatum, et per hujus Sancti Zenonis Confessoris tui atque Pontificis orationes ab omnibus nos absolve peccatis.

Postcommunio. — Divina libantes mysteria, Domine, quæ pro hujus sancti Zenonis Confessoris tui atque Pontificis venerandæ tuæ obtulimus majestati; præsta, quæsumus, ut per ea veniam mereamur peccatorum, et cœlestis gratiæ donis reficiamur. B

ALIA (1) COMMUNIA

AD MISSAS S. ZENONIS PERTINENTIA EX MS. VERONENSI MONASTERII S. ZENONIS.

Introitus. — Statuit ei Dominus testamentum pacis, et principem fecit eum, ut sit illi sacerdotii dignitas in æternum. Psalmus. Misericordias Domini in æternum cantabo. ℣. Gloria.

(2) *Lectio libri Sapientiæ.* — Ecce sacerdos magnus *usque ad illa verba* in odorem suavitatis, *quæ brevitati consulentes duximus prætermittenda.* ℟. Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. ℣. Non est inventus similis illi, qui conservavit legem Excelsi. Alleluia. ℣ Ecce, confessor Zeno pastor Domini, in- C tercede pro devoto populo Dei.

(3) *Secundum Lucam.* — In illo tempore dixit Jesus discipulis suis. Nemo lucernam accendit, *etc.*, *usque ad ea verba* et sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

Missa III.—(1) Hæc missa in mss. Vatic. et Veronensi erroribus scatet : in editione Romana Sacramentarii S. Gregorii aliquibus locis emendata legitur, sed multo correctius in Ms. Missali monasterii S. Zenonis, et hæc oratio pariter correctior habetur in duobus aliis mss. ejusdem monasterii, cum ea festo die ordinationis S. Zenonis a monachis ejusdem cœnobii in cursu adhibita fuerit. In mss. itaque Zenonianis heic legitur : *Beati Pontificis et Confessoris.*

(2) In mss. Zenonianis *bonorum omnium auctorem fideliter deprecamur :* in editione Romana pariter correctum est *deprecamur.*

(3) Vox *clemens* suppleta est e ms. Vatic. et edit. Rom.

(4) *Ut illius precibus exoratus misericordiam tuam heic et in sempiternum nobis largiaris*, in mss. Zenonianis.

(5) In Missali Zenoniano : *Deus, qui velut fulgentibus.*

(6) Ibid. : *lumen sacerdotum infers mundo.* In ed. Rom. quoque *infers.*

(7) *Quique beato Pontifici Zenoni*, in Missali Zenoniano.

(8) *Pontificatui*, in edit. Rom. in ms. Veronensi autem *Pontificatu.*

(9) *Gloriæ contulisti*, in ms. Zen.

(10) Conjunctio *et* desideratur in eodem ms.

(11) *Majestatis tuæ gratiæ tuæ lumen perfrui concede. Per.* sic in Missali Zenoniano.

(12) In ms. Ver. *Ad Com.* in ms. Zenoniano *Post Com.*

(13) *Deus, qui talem Ecclesiæ tuæ*, in Missali Zenoniano.

(14) Edit. Rom. *vitalem :* Missale Zenonianum *et talem*, optime.

(15) Missale Zenonianum : *Qui purissimam et immaculatam tibi hostiam posset.*

(16) Idem Missale hæc prætereat addit : *Fac nos ejusdem Pontificis et sacerdotis patrociniis adjuvari. Per.*

Missa V.—(1) Hæc missa post tres alias legitur in laudato Missali Zenoniano, ex alio autem ms. ejusdem D monasterii primam orationem saltem patet adhibitam fuisse in Missa et cursu die festo S. Lupicini episcopi Veronensis, cujus corpus eadem in basilica requiescit. Hæc pariter oratio in mss. Capitulari habetur ante Commune Confessorum hac rubrica : *Sancti Zenonis vel alterius Oratio. Propitiare*, etc.

(2) Hæc clausula deest in ms. Capitulari, cum sit propria basilicæ S. Zenonis, in qua sacrum S. Zenonis corpus requiescit.

Alia comm. — (1) Vide admonitionem præcedentem num. 5.

(2) In Missali capituli Veronensis sub finem XII sæculi exarato, in quo Epistolæ et Evangelia suis locis scripta sunt, in missa S. Zenonis legitur lectio ex *Epistola B. Pauli apostoli ad Hebræos : Fratres omnis Pontifex* usque ad ea *tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

(3) In eodem Missali, quod unicam missam

Digitized by Google

[LXXXIV] (4) *Tempore Paschali Domini. Secundum Joannem.* — In illo tempore dixit Jesus discipulis suis, Ego sum vitis vera, etc. *usque ad verba* et gaudium vestrum impleatur.

Offertorium. — Veritas mea et misericordia mea cum ipso et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Communio. — Domine, quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratus sum. Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

MISSA VI.

(*Ex Missalibus Ambrosianis mss. et editis.*)

In Festo S. Zenonis episcopi VII Decembris (1).

Super populum. — Omnipotens sempiterne Deus, qui beatum Zenonem Confessorem tuum pontificalibus insulis decorasti, fac nos, quæsumus, ejus exemplo et magnifico interventu, mundi gloriam mente despicere, et cœlum semper ambire. Per Dominum. (2)

Super Sindonem. — Deus, qui præsentem diem beati Zenonis Pontificis tui gloriosa (3) exitu fecisti solemnem, præsta ipsius nos apud te continuis adjuvari suffragiis, et magnificis (4) intercessionibus confoveri. Per Dominum.

[CLXXXV] *Super oblata.*—Adsit Ecclesiæ tuæ, Deus, præclara B. Zenonis intercessio, quæ et munera nostra oculis tuæ majestatis acceptabilia faciat, et te nobis placabilem reddat. Per Dominum.

Præfatio. — Æterne Deus, Beati Pontificis et Confessoris tui Zenonis (5) merita recolentes, quem tua gratuita benignitate in pontificatus officio et fidei munere sublimare dignatus es, ut et immensis virtutibus coruscaret, et sanctæ humilitatis propositum non desereret. Nam et Gallieni Principis filiam a potestate dæmonis eripuit, et multorum languores potenti virtute curavit. Præsentit etiam Athesis fluvius, quod tanti valeat Præsulis virtus, dum suum ultra morem excedens litus, templi sacrati non ausus est ingredi aditus. Digne igitur in tuo nomine ipsius præconia non tacemus; digne ipsius miracula festivis laudibus conclamamus: digne cum ipso tibi, Domine, bonorum omnium largitori gratiarum vota persolvimus. Per Christum Dominum.

Postcommunio. — Beati Pontificis et Confessoris tui Zenonis, quæsumus, Domine, a malis omnibus gloriosa nos semper merita tueantur, in cujus solemnitate percipimus tua Sancta lætantes. Per Dominum.

ORATIONES (1) TRES

(*Ex monumentis monasterii S. Zenonis Hallensis in diœcesi Salisburgensi.*)

DIE XII APRILIS.

In Festo S. Zenonis Episcopi et Martyris.

Oratio. — Omnipotens sempiterne Deus, qui Beatum Zenonem Veronensis Ecclesiæ præsulem ab utero sanctificasti; eique contra humani generis hostem [CLXXXVI] ubique victoriam contulisti; concede propitius, ut nos peccatores ejus meritis et precibus ad te convertamur, et latentem contra inimicum semper victoria potiri mereamur. Per Dominum.

DIE XXI MAII.

In Festo Translationis S. Zenonis Episcopi et Martyris.

Oratio. — Venerabilem diem Translationis B. Zenonis Martyris tui atque Pontificis devotione sancta celebrantes, clementiam tuam humili prece deposcimus, ut sicut illi pro meritis gloriam, ita nobis, illo pro peccatis nostris intercedente, veniam largiri digneris. Per Dominum.

DIE IX (2) DECEMBRIS.

In Festo Ordinationis S. Zenonis episcopi.

Oratio. — Deus, qui B. Zenonem Confessorem tuum atque Pontificem, doctorem præcipuum, Catholicæque fidei prædicatorem eligere dignatus es, præsta quæsumus, ut ipso pro nobis interveniente peccatorum nostrorum maculis exuamur, et tibi, Domine, sinceris mentibus placere mereamur. Per Dominum.

[CLXXXVII] SELECTA EX OFFICIO ZENONIS LOCA.

I. — ANTIPHONÆ ET RESPONSORIA.

(*Ex duobus mss. Veron.*)

In Nat. Sancti Zenonis.

Ad Vesperas (1).

Dum Zeno pontificatus honore valde polleret, me-

S. Zenonis præfert, Evangelium est secundum *Lucam. Homo quidam* usque ad verba *auferetur ab eo.* Idem Evangelium, Peretto referente in scholiis ad vitam S. Zenonis, erat in membranaceo Lectionario S. Euphemiæ.

(4) Hoc ipsum Evangelium in Lectionario per Perettum laudato paschali tempore legendum indicabatur.

MISSA VI. — (1) Hanc inscriptionem præfert Missale Ambrosianum a Pamelio editum. In ms. Vaticano Palatino 506, sic: *VI Idus Decembris Natali S. Zenonis Episcopi et Confessoris.*

(2) Post hanc orationem in ms. Vaticano Palatino hæc rubrica legitur: *Epistolam et Evangelium require de Confessoribus.* In editione autem Missalis Mediolanensis 1548, hæc adduntur: *Post Evang. Zeno Episcopus bonus et sanctissimus sedebat super lapidem, et piscabatur in Atice.*

(3) *Excessu* in ms. Vaticano Palatino, et in editis 1548 et 1560.

(4) Editi: *jugiter intercessionibus consolari.*

(5) Idem ms. cum editis: *Zenonis præferenda merita.*

ORAT. TRES.—(1) Has orationes typis damus, uti a Canonico Regulari monasterii Hallensis ad P. Benedictum de Cavalesio strictioris observantiæ S. Francisci Tridentinum, ab hoc autem ad nos transmissæ fuerunt, cujusmodi scilicet hodie tribus festis S. Zenonis in eodem monasterio recitantur. Nihil porro ambigimus, quin *Martyris* nomen recens fuerit inductum, quemadmodum et apud Frisingensem Ecclesiam; postquam videlicet cultum de S. Zenonis martyrio Veronensis Ecclesia invexit, cujus ad exemplum alias non nullas se se conformasse diss. 3, cap. 2 et 4, § 2, observavimus. Si quis ejus monasterii codices, e quibus hasce orationes derivare certissime credimus, consulat; quidquid id est, exploratius cognoscet.

(2) In hanc diem Ordinatio Sancti Zenonis translata, uti et apud nostram Ecclesiam, cum dies octava Conceptionis B. M. V. festo impedita sit.

ANT. ET RESP.—(1) In ms. monasterii S. Zenonis,

Digitized by Google

ritis non paucis exsistentibus Gallieni Cæsaris filiam a ruinosa peste Dei virtute sanavit. Allel.

Confessor Sancte, Sacerdos magne, Beate Zeno, intercede pro nobis.

Super Venite.

Confessorum Regem (2). *Psalmus :* Venite.

Antiph. Ab utero matris fuit sanctificatus beatus Zeno, et a cunabulis benedictus. Allel. *Psalmus* : Beatus vir.

Ant. Probitatis et scientiæ jugibus incrementis ad hoc pertingere meruit, ut per sacerrimam vitam Pastor in populis efficeretur. *Psalmus :* Quare fremuerunt.

Ant. Continuis jejuniis et orationibus crebris a Domino petebat, ut sibi aditum prædicationis in populos aperiret. Allel.

Psalmus : Domine, quid multiplicasti. *Versus :* Voce mea.

Resp. Hic est sacer antistes Zeno, quem gemina virtute Dominus sanctitatis et sapientiæ decoravit, cujus præclara fulserunt in mundum miracula, et in cœlis adeptus est Angelorum commercia. Allel. ℣. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est. Et in cœlis.

℟. Ab utero sanctificatus beatus Zeno, et a cunabulis benedictus ad hoc pertingere meruit, ut pastor in populis per sacerrimam vitam efficeretur. Allel., allel.

[CLXXXVIII] ℣. In omnem terram sonus exiit conversationis ejus, et sanctitas luculenter emicuit. Per sacerrimam.

℟. In secretiori parte oratorii continuis jejuniis et crebris orationibus a Domino petebat, ut sibi dignaretur aditum prædicationis in populis aperire. All., allel.

℣. Ad convertendas in amore Christi animas hominum die noctuque deditus erat. Ut sibi.

Antiph. Affabilis ita erat in sermonibus, et in habitu mitis, ut Deus in ipso collaudaretur ad omnibus venientibus ad se. *Psalmus :* Cum invocarem.

Dum exercitio piscationis fungeretur in fluvio, vidit quemdam hominem in plaustro sedentem per præceps in amne demergi. Allel.

Psalmus : Verba mea.

Vir Dei elevata sursum manu fecit signum crucis dicens : Revertere retro, Satanas, ne perimas hominem, quem Deus creavit. Allel.

Psalmus : Domine, Dominus noster. *Versus :* Justum deduxit Dominus (3).

℟. Affabilis ita erat in sermone, et mansuetudine atque habitu mitis, ut Deus in ipso collaudaretur ab omnibus ad se venientibus. Allel., allel. ℣. Ita exsistebat alacer, ut mox ad eum properarent, relictis idolis Domino crederent Jesu Christo. Ut Deus in.

℟. Dum in fluvio Athesis piscationis exercitio fungeretur, erectis sursum oculis, vidit quemdam hominem in plaustro sedentem bubus subjunctis in amnem demergi. Allel., allel. ℣. Tanta enim velocitate ferebatur, ut cunctis ostenderetur antiqui hostis arte peractum. Vidit.

℟. Elevata sursum manu beatus Zeno fecit sanctæ crucis signum, frequenti voce et dixit : Revertere retro, Satanas, ne perimas hominem, quem Deus creavit. Allel. allel. allel.

℣. Quod signum ut vidit dæmon, evanuit velut fumus cum clamoribus ac stridore nefando. Revertere.

Ant. Beatus Zeno dixit : Non te permittit Dominus aliquid agere adversus servum suum. Allel.

Psalmus : Domine, quis habitabit.

Miserabilis Pater totaque domus regia mœrore affligebatur, eo quod acriter puella suffocaretur. Allel.

Psalmus : Domine, in virtute.

Sacerdos Dei Zeno sedebat super lapidem, et artis Apostolicæ documenta sequens piscabatur in flumine. Allel. *Psalmus :* Domini est terra. ℣. Amavit eum Dominus.

℟. Festinans itaque dæmon ingressus est palatium Cæsaris Gallieni et comprehensam ejus unicam filiam cœpit eam crudeliter vexare. Allel. allel.

[CLXXXIX] ℣. Miserabilis pater, simulque tota domus ejus cruciatu ac mœrore affligebatur. Et comprehensam.

℟. Ingrediente Christi Sacerdote palatium, et facto crucis signo mox cœpit dæmon clamare dicens : Tu, Zeno, me expellis ; et ego propter tuam sanctitatem stare non possum. Allel., allel., allel. ℣. Et si hinc abiero, eo Veronam, ibique invenies me. Et ego.

(4) ℟. Sancte Zeno confessor Christi, audi rogantes servulos ; et impetratam cœlitus tu Deus ter indulgentiam. ℣. O sancte Zeno, aldus aureus, Domini gratia, servorum gemitus solita suscipe clementia.

In Matut. Laudib.

Ant. Dominus Jesus Christus omnipotens est, oportet enim, ut mirabilia Dei manifestentur. Allel.

Exsurgens beatus Sacerdos fecit orationem, perrexitque ad palatium, ubi affligebatur pro sua filia Rex. Allel.

in quo officium proprium ejusdem Sancti reperitur, responsorium, versus, et antiphona ad Magnificat alia sunt ac in Antiphonario Capitulari, quæ hic exscribere placet. *Resp. Summe Dei præsul Beate Zeno, tuam osteravam protege, namque credimus tuis laudibus nos semper esse salvandos. Versus. Qui filiam Gallieni Cæsaris a dæmonio liberasti, tuis laudibus instantem conserva plebem. Ad Magnificat antiph. Clementissime Christi Confessor Domini, beatissime Zeno, te supplices petimus, ne nos derelinquas, sed apud Dominum pius semper pro nobis intercessor exsistas, quo, te opitulante, ad gaudia æternæ vitæ pervenire mereamur.* Hæc eadem antiphona in mss. monialium S. Mariæ de Campo Martio legitur in secundis vesperis.

(2) In mss. Zenonianis, et monialium superiori adnotatione laudatis hoc legitur Invitatorium :

Æternum trinumque Deum laudamus et unam,
Qui sibi Zenonem transvexit in æthera Sanctum.

(3) In Carpsh alius versus indicatur sic : *Possuisti, Domine, sup. cap. ejus.*

(4) In Antiphonario Capitulari : *Sancte Zeno, require in Sancti Martini.* In Carpso autem. ℟. *Sancte Zeno.* ℣. *O Sancte Zeno.* Supplevimus ex mss. monialium S. Mariæ de Campo Martio.

Digitized by Google

Ingrediente Christi confessore palatium, facto cru- A cis signo per os puellæ dæmon clamavit dicens : Tu Zeno, venisti ad expellendum me, et propter tuam sanctitatem stare non possum. Allel.

Tenens beatus Zeno manum puellæ dicens : In nomine Domini mei Jesu Christi, præcipio tibi, exi ab ea, dæmon. Allel.

Christi namque Sacerdos ab omni dæmoniacæ incursionis ludificatione sanam restituit filiam Regis. Allel.

℣. Elegit eum.

In Evangel.

Acceptam beatus Zeno coronam a rege distribuit pauperibus dicens : Si Dominus operatur excelsa, ipsi perpetuæ laudes referantur et gloria. Allel.

(5) *Ant.* Sancte confessor Zeno, pastor dominici B gregis, tedeprecamur intercede pro nobis, ut mereamur tecum esse in cœlis. Allel., allel., allel.

[cxc] II. — LECTIONES BREVES ET HYMNI.

(*Ex variis cod. et breviariis.*)

In Sancti Zenonis episcopi ad Vesperas Lect.

Statuit Dominus Sancto suo Zenoni testamentum sempiternum, et dedit illi sacerdotium magnum.

℟. Ab utero sanctificatus. ℣. In omnem terram.

Hymnus

(*Ex mss. capituli Veron.*)

Zeno Pontifex inclyte,
Christi athleta splendide,
Adesto nostris vocibus,
Quas pie tibi fundimus.
O gloriose Patrone,
Nostræ salutis opifex,
Ut digne demus cantica,
Nostra dirumpe crimina.
Adesse tuis famulis
Dignare dux amabilis :
Sentiant nostra pectora
Semperque tua numina.
Tu es nostrum refugium,
Tu robur potentissimum,
Tu salus et protectio
Nostraque jubilatio.
O Pastor pie et clare
Nobis benigne succurre (*Cor.* subveni),
Nostque supplices respice,
Vota servorum suscipe.
Deo Patri sit gloria
Ejusque soli Filio
Cum Spiritu Paraclito
Et nunc et in perpetuum. Amen.

Ad Noct. Hymnus.

Jesu Redemptor omnium, etc.

In Laudibus Lectio. D

Cognovit Dominus Sanctum suum Zenonem in benedictionibus suis, conservavit illi misericordiam suam, et invenit gratiam coram oculis Domini.

[cxci] ℟. Amavit eum Dominus et ornavit eum.

℣. Stolam gloriam induit eum. Et ornavit.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

Alius hymnus, indidem.

Dei tuorum militum
Corona, spes et præmium,
Attende pronis auribus
Indignis nostris vocibus.
Qui Zenonem episcopum
Ab omni parum crimine
Eductum carnis cavea
Locasti super æthera.
Ob ejus alma merita
Nostra relaxa crimina
Hic libera de noxiis
Et in futuris sæculis.
Te cuncta laudant pariter,
Summe cunctorum arbiter,
Est cujus regnum stabile
Per ævum sine tempore. Amen.

℣. Tu es sacerdos in æternum.

Hymni tres

(*Ex mss. Breviariis Benedictinis monachorum et monialium Veronensium.*)

S. Zenonis ad Vesperas, hymnus I.

Effulget orbis speculum
Zeno præsul mirificus,
Cujus festa solemnia
Anni nobis fert orbita.
Qui Christi fide fervidus
Hoc præsens spernens sæculum,
Flore virtutum præditus
Cœli possedit præmium.
Hic onus carnis bajulans
Plura fecit miracula,
Ut floret lux clarissima,
Cæcas fugavit tenebras.
[cxcii] Nempe piscans in fluminé
Vidit plaustro præcipitem
Cum bobus suum rusticum
Ad amnis ima mergere.
Quod hostis hoc nequissimus
Patrasset, cernens vir pius,
Preces fudit ad Dominum,
Ejus posceus auxilium.
Subvenit Christi gratia,
Quid se credentes munerat,
Hunc liberavit hominem,
Reddens salutem pristinam.
Deo Patri sit gloria, etc.

Ad Noctur., Hymnus II. C

Post hæc curavit filiam
Imperatoris unicam,
Quam fecerat hospitium
Dæmon sibi tunc pessimus.
Athesis amnis alveus
Excrescens ultra solitum,
Conscendit ad eximium
Ecclesiæ fastigium.
Confestim fulgent merita
Viri sancti dignissima,
Nam mansit aqua solida,
Cum sit natura fluida.
Precamur ergo supplices,
Zeno præsul sanctissime,
Ut cœli nobis Dominum
Efficias propitium.
Quo post abluta crimina
Fruamur ejus gloria,
Habitpri felicia
In æternum solemnia.
Præsta Pater piissime, etc.

[cxciii] Ad Laudes, Hymnus III.

Præsulis sancti redeunt colenda
Festa Zenonis Dominum sequentis,
Qui diem nobis celebrem sacravit
Fine beato.
Magnus Excelsi fuerat sacerdos;
Prædicans, gentes penetrans marinas,
Inde Veronam Deus hunc ad urbem
Mittere curat.
Qua Deo multum populum lucratus,
Instruit verbis, solidavit actis :
Pro Deo tandem patiendo mortem
Vivit in ævum.
Nunc in æternum meritis cofuscat
Clarus, et mundo manifestus omni :
Qui Deo soli studuit placere
Corpore vivens.

(5) Ex eodem Carpsó apparet hanc antiphonam in secundis Vesperis recitatam fuisse ; in eo enim sic habetur : *Ad vesp. a. Sancte Confessor Zeno.*

Digitized by Google

Pastor æterno radians triumpho,
Servulos audi tibi supplicantes,
Præmium justis, (1) veniamque posce
Crimine lapsis.
Quo Dei magna miseratione
Ordinem cœli decimum replentes
Ipsius vultum videamus omni
Tempore sæcli.
Gloriam Patri resonemus omnes,
Et tibi Christo genito superne,
Cum quibus Sanctus simul et creator
Spiritus exstat. Amen.

[CXCIV] *Hymnus.*

(*Ex codice Vatic. num.* 1235.)

In natale S. Zenonis.

Sancti Zenonis Præsulis
Hymnum Christo deferimus,
Qui contempsit sæculum,
Mercavit Christi præmium.
Qui in adolescentia
Dei præcepta tenuit,
Stipem larga jugiter
Erogavit pauperibus.
Piscandi arte usus est,
Dogma sequens orthodoxum,
Mersit manum in gurgite,
Piscavit Dei gratia.
Instar Petri Apostoli
Digna sortitus merita,
Pastorque Veronensium
Summus Sacerdos rutilans.
Crebris quoque jejuniis
Carnis repulit vitia,
Sæpe docendo populum
Destruxit Mundi idola.
Magnus exsistens medicus,
Infirma sanans corpora,
Sæpe liberans animas
Obsessas a diabolo.
Tanta repletus gratia
Obiit in Christi requiem,
Et nobis semper maxima
Ostendit mirabilia.
Rogemus ergo populi
Confessorem Altissimi,
Ut ipse nobis impetret
Pacem et indulgentiam.

[CXCV] III. — COMMEMORATIO S. ZENONIS AD PRECES SEU SUFFRAGIA IN VESPERIS ET LAUDIBUS.

(*Ex ms. Capituli Veronensis sæculi* XIII.)

De Sancto Zenone ad Vesperas Ant.

Ab utero matris fuit sanctificatus beatus Zeno, et a cunabulis benedictus.

℣. Amavit eum Dominus.

Ad Matutinum seu ad Matutinas Laudes antiphona.

Acceptam beatus Zeno coronam a Rege pauperibus distribuit dicens: Si Dominus operatur excelsa, ipsi perpetuæ laudes referantur et gloria. ℣. Tu es Sacerdos.

Oratio.

Deus, qui es tuorum antistitum potentissimus illustrator, concede propitius, ut intercessione beatissimi Sacerdotis et Confessoris tui Zenonis magnificis exemplis informati, sæculi istius caliginem sine periculo transeamus.

IV. — (1) BENEDICTIO IN FESTO S. ZENONIS EPISCOPI ET CONFESSORIS.

(*Ex codice* XV *sæculi Sodalitii S. Mariæ de Domo inscripto.*)

Benedictiones Pontificales.

Omnipotens Deus et Dominus det vobis copiam benedictionis, qui beatum Zenonem sibi adscivit virtute confessionis. Amen.

Et qui illum fecit coruscare miraculis, vos exornet bonorum operum incrementis. Amen.

Quo ejus exemplis eruditi, et intercessione muniti, cujus depositionis diem celebratis, illi possitis in cœlesti regione adjungi. Amen.

Quod ipse præstare dignetur, cujus. Amen.

[CXCVI] V. — CONSTITUTIO THEOBALDI EPISCOPI VERONENSIS, EXCERPTA E CONSTITUTIONIBUS AB EODEM EDITIS ANNO 1305, POSTEA AB EPISCOPO PETRO SCALIGERO REPETITIS.

(Ex mss. Capituli Veronensis.)

Cap. LXI, de Festivitatibus Sancti Zenonis, Sanctorum Firmi et Rustici celebratione.

Cupientes devotione congrua, et debitis honoribus gloriosum Confessorem beatum Zenonem, Patrem et Patronum hujus civitatis et diœcesis Veronensis, et beatos Georgium, Firmum et Rusticum martyres a grege nobis credito venerari, ut eorum apud Deum meritis adjuvemur, festum ipsorum per civitatem et diœcesem Veronensem a populo et clero annue præcipimus solemniter celebrari, ac per ecclesias ejusdem civitatis et diœcesis universas singulis diebus ferialibus in Matutinis et Vesperis eorum commemorationem fieri cum eorum antiphona et collecta legendis in ecclesiis prælibatis. Itaque pro tribus martyribus dicatur una Antiphona communis et oratio: Deus qui nos concedis sanctorum tuorum Georgii, Firmi et Rustici martyrum tuorum memoriam agere, etc.

Eamdem commemorationem subinde præcepit Joannes Matthæus Gibertus episcopus Veronensis Constitutionum tit. 2, lib. II, cap. 2 et 3, non tam in Laudibus et Vesperis, sed etiam in Missis in collecta *A cunctis:* quod vel hodie servatur.

(1) Antea legebatur *veniam poscentes:* emendavimus ex ipsis Bagata et Peretto, qui in libro inscripto: *SS. Episcoporum Veronensium antiqua monumenta*, pag. 15, eumdem hymnum ex mss. correctius ediderant. Ms. Zenonianus: *veniam deposce.*

(1) Hæc eadem benedictio in Sacramentario S. Gregorii edito per Menardum legitur *in Natali unius Confessoris*, tom. III Operum ejusdem Sancti, pag. 161, et post præfationem ante orationem ad communionem describitur.

TESTIMONIA SELECTA DE SANCTO ZENONE VERONENSI EPISCOPO.

S. Ambrosius epistola I, *ad Syagrium episcopum Veronensem, num.* 1.

Tu autem sine alicujus fratris consilio hoc judicium tibi solum vindicandum putaris: in quo tamen ante judicium præjudicium feceris, ut puellam Zenonis sanctæ memoriæ judicio probatam, ejusque sanc-

Digitized by Google

tifi atam benedictione post tot annos sine auctore criminationis, sine accusatore, sine professore delationis in periculum reatus deducendam arbitrarere.

S. Gregorius Magnus lib. III *Dialogorum cap.* 19.

Nuper Joannes Tribunus revelatione sua me docuit, quod Pronulphus Comes cum illi adesset, se cum rege Authari eodem tempore in loco eodem, ubi mira res contigit, affuisse, eamque rem cognovisse testatus est. Prædictus enim Tribunus narravit dicens : Quia ante hoc ferme quenquennium, quando apud hanc Romanam urbem alveum suum Tiberis egressus est, tantum crescens, ut ejus unda super muros urbis influeret, atque inde jam maximas regiones occuparet : apud Veronensem urbem fluvius Athesis excrescens, ad beati Zenonis martyris atque pontificis ecclesiam venit; cujus ecclesiæ dum essent januæ apertæ, aqua in eam minime intravit, quæ paulisper crescens usque ad fenestras ecclesiæ, quæ erant tectis proximæ, pervenit, sicque stans aqua ecclesiæ januam clausit, ac si illud elementum liquidum in soliditatem parietis fuisset mutatum : cumque essent multi inventi interius, sed aquarum multitudine omni ecclesia circumdata, qua possent egredi, non haberent, ibique se siti, ac fame deficere formidarent, ad ecclesiæ januam veniebant, ab bibendum hauriebant aquam, quæ, ut prædixi, usque ad fenestras excreverat, et tamen intra ecclesiam nullo modo diffluebat. Hauriri itaque, ut aqua poterat, sed diffluere, ut aqua non poterat. Stans autem ante januam ad ostendendum cunctis meritum Martyris, et aqua erat ad adjutorium, et quasi aqua non erat, ad invadendum locum.

[CXCVIII] *Anonymus Pipinianus in Rhythmo de Veronæ laudibus.*

Octavus Pastor et Confessor Zeno Martyr inclytus,
Qui Veronam prædicando reduxit ad baptismium,
A malo spiritu sanavit (1) Gallieni filiam,
Boves cum homine mergentes reduxit a pelago.
Et quidem multos liberavit ab hoste pestifero,
Mortuum resuscitavit ereptum e fluvio,
Multa Idola destruxit per crebra jejunia.
Non queo multa narrare hujus Sancti opera.
Quæ a Syria veniendo usque in Italiam
Per ipsum omnipotens Deus ostendit mirabilia.

(1) Cum dissertationis tertiæ cap. 1, in quo hoc Anonymi Pipiniani testimonium exhibuimus, editum a nobis fuisset, e Lobio transmissum accepimus accurate descriptum Rhythmum integrum e ms. qui ipsa Ratherii episcopi Veronensis manu exaratus fuit. In hoc autem non *Galli*, ut Mabillonius ediderat, nec *Gallieni Cæsaris*, ut nos e duobus posterioris ævi mss. loco laudato scripsimus, sed *Gallieni filiam* palam legitur, quam lectionem uti vetustioris codicis et scriptoris noti præferendam hic duximus, et ex ea illa difficultas simul adimitur, quam unam in anonymo Pipiniano inesse putabamus, quasi Gallieni imperatoris fabulam ebibisset. Hinc etiam confirmari posse videtur, quod dissert. I, cap. 3, § 4, suspicati sumus, eum, cujus filiam S. Zeno sanavit a dæmone fuisse vere Gallienum aliquem, qui per nonnullos in imperatorem migravit. Alia pauca ad fidem ejusdem codicis emendavimus.

(2) Per errorem allegatur tract. super Psalmum LXXX pro tractatu super Psalmum C, qui inter Zenonis tractatus legitur, et in hoc Indice Joannis Veronensis non recensetur.

(3) Pastrengus et Petrus de Natalibus in indice, quem e Joanne Veronensi similiter exscripserunt, referunt *super Genesim tract.* VIII, non vero IX, cum tamen in mss. non nisi sex hoc titulo prænotati inveniantur. Sed non omnino exactum tractatuum indicem ab eodem Joanne ex mss. collectum palam fit ex eo, quod tractatus solum 87 admistis etiam suppositiis, recenseat, cum genuini ipsi plures sint; ac inter cæteros omiserit tractatum *de Juda*, quem Ratherius quater allegavit. At cum ejusdem tituli tractatus hac illac in mss. dispersos colligere sibi sumpserit, labi in computando facile fuit; et hac de causa sicuti quosdam ejusdem inscriptionis tractatus v. g. de Exodo, etc., pauciores notavit, quam in mss. sunt; ita e contra illos de Genesi plures recensuit, quod forte bis vel ter eumdem tractatum, codicis titulos excurrens, numeravit.

A *Ratherius episcopus Veronensis de Contemptu canonum part.* I, *pag.* 352 tom. I *Spicilegii Acheriani novissimæ editionis.*

Utar ut heic auctoritate Zenonis beati, in sermone videlicet, quem de Juda patriarcha et Thamar nuru ipsius more suo luculentissime fecit dicentis : *Omnium corrupte virentium Diabolus pater est.*

Idem Ratherius in Synodica ad Presbyteros pag. 377, *col.* 2.

Et cum specialis noster doctor atque provisor, beatus utique Zeno dicat, in sermone utique, quem de Juda filio Jacob, et Thamar nuru ipsius elegantissime composuit, etc.

Joannes Presbyter, mansionarius Ecclesiæ Veronensis, qui an. 1320 *scribebat, Historiarum Imperialium lib.* I *ms.*

B Floruerunt in Ecclesia Dei illustres doctores, inter quos B. Zeno episcopus Veronensis, doctor egregius, octavus ejusdem civitatis episcopus.... [CXCIX] Scripsit autem hic doctor egregius Zeno de Pudicitia, Patientia, Fide, Spe, et Charitate tractatus tres : de Justitia tractatum unum : de Timore unum : de Spiritu et corpore unum : de eo quod scriptum est : *Cum tradiderit regnum Deo et Patri* sermonem unum : de Ædificatione domus Dei a Salomone, expositionem pulcherrimam : de Continentia tractatum unum : de Baptismo tractatus tres : de Nativitate Domini et majestate unum : super Danielem in Pascha quos : super Psalmos XL, XLI, CXXVI, CXXVII, CXXVIII, CXXIX, CXXX tractatus septem : de Livore et Invidia tractatum unum : de hoc verbo : *Attende tibi, ne forte fiat in te sermo absconsus in corde tuo iniquitas*, tractatum unum valde prolixum : de Jejunio quatuor temporum, super (2) Psalmo LXXX tractatum unum : de Avaro et divite unum : de Avaritia tres : de Circumcisione unum : super Genesim tractatus (3) novem : super Exodum novem : super Isaiam septem : super Danielem tres : super Job unum : de festo Paschæ octo : de Invitatione ad fontes tractatus quinque : de Somnio Jacob sermonem unum : de XII signis cœli ad Neophytos tractatum unum : item ad Neophytos duos : de Fide duos : super Jonam unum :

Digitized by Google

super Historiam Suzannæ tractatum brevem : de die Dominico tractatus duos : de Abraham duos : de Nativitate Domini tractatus duos : Epistolam de passione martyris Arcadii, qui eodem tempore passus est II Idus januarii apud Mauritaniam... Hæc ipsius scripta et tractatus ipse legi et vidi.

Petrus Calo ord. Prædicatorum in Miscellaneis mss. apud Henschenium, pag. 76, *tom.* II *Aprilis.*

Scripsit autem S. Zeno tractatus octoginta super Psalmos, et prophetas, et de Nativitate Domini, et diversis aliis materiis, et epistolas, ac expositiones plures, ac vitam S. Arcadii martyris, qui eodem tempore passus est, quam posui pridie Idus Januarii, quos tractatus, et epistolas, et expositiones [oc] pulchre et subtili stylo editos ego vidi in duobus voluminibus apud S. Zenonem de Verona.

Guillelmus Pastrengus Judex Veronensis in libro de Viris illustribus, pag. 77.

Zeno, Veronensis episcopus, Gallieni imperatoris tempore insignis habetur, et martyrium patitur. Scripsit autem hic Dei venerandus Antistes libros de Patientia, Pudicitia Fide, Spe, Charitate tres, etc. *Exscribit enim laudatum Joannem Veronensem; deinde addit :* Omnia hæc opuscula memorabilis vir Joannes, presbyter majoris Veronensis Ecclesiæ mansionarius, se vidisse et legisse testatur.

Petrus de Natalibus episcopus Equilinus in Catalogo Sanctorum lib. I, *cap.* 43.

Zeno Veronensis episcopus et doctor claruit tempore Gallieni imperatoris..... Scripsit autem hic venerandus Antistes libros de Patientia, *et cætera totidem plane verbis ut apud Guillelmum Pastrengum.*

Jacobus Presbyter in carmine de Miraculis S. Zenonis apud Henschenium num. 4, *pag.* 76, *tom.* II *Aprilis, de cujus scriptoris ætate vide admonitionem monumentis præmissam.*

Sed cum verba Dei tunc primo sancta dedisset
Intrepidus populo, dignus Patronus habetur
Veronæ, fuerit licet ipse octavus in illa
Antistes : sacras nam docuit pectora leges
Nostra Pater, florebat enim sermone polito :
Et patriis monitis instabat semper, ut ipsi
Atque uni trinoque Deo conjungeret omnes.
Innumeros Jesu vivo de fonte redemit
Hic populos, et magna Dei sacravit honori
Fana Pater.

Et numero 17, *pag.* 77.

O præclara nimis quot quantaque facta relucent
Pontificis, Verona, tui, cui plurima debes!
Nam tibi quis fidei primus fundator habetur?
Quæ tenebris lux prima tuis e cordibus arcet?
In sermone pater quis natis gratior illo?
Cui decus eloquii magis et facundia luxit.

[CCI] *Flavius Blondus Ital. Illustrata reg.* 9, *pag.* 376, *edit. Basileensis.*

Zeno, sicut religionem Christianam, et suam ipsius decet sanctitatem, primus erit, qui Veronæ præsul celebris sanctimoniæ multa scripsit exstantia, sacras utriusque Testamenti litteras declarantia, et Ambrosianam, quam imitatus est, eloquentiam redolentia.

A *Michael Fossatus Veronensis in Carmine de Laudibus Veronæ anno* 1482, *conscripto ac edito a Baptista Peretto in Scholiis Latinis ad Vitam S. Zenonis pag.* 60.

Zeno sacer, patriæque Pater, tua musa tuorum
Sermonum codex quanta docet fuerit.

Onuphrius Panvinius Antiquitatum Veronensium lib. IV, *cap.* 6.

Vir fuit et in rebus gerendis vehemens valde, et divinis Scripturis explicandis eloquens, quique quamdiu pontifex vixit, in eam assidue curam incubuit, ut civium animos ad amplectendam veram Christi pietatem, simulacrorum cultu rejecto, converteret inflammaretque..... Sermones edidit luculentos ac magna doctrina refertos.

B *Idem lib.* VI, *pag.* 152.

Hic cum pietate, fide, et religione clarissimus, tum multiplici doctrina illustrissimus habitus est. Multa enim scripsit Christiano antistite digna, quorum hæc ad nostram pervenere notitiam, de Patientia, Pudicitia, Fide, Spe, et Charitate libros III, *et cætera, uti fere apud Joannem Veronensem, cujus Historia manuscripta usus est.*

Isaacus Casaubonus in Spartianum pag. 31.

Zeno Veronensis Patrum Latinorum, meo judicio, elegantissimus.

Idem Exercitat. 16, *num.* 43.

Zeno Veronensis scriptor vetustissimus et elegan-
C tissimus.

Gaspar Barthius Adversariorum lib. XLII, *cap.* 15.

Zeno eruditione et pietate admirandus Scriptor.

Idem lib. XLIII, *cap.* 10.

Cum Zenonis Veronensium quondam antistitis sermones lego, Christianum quemdam Appuleium legere mihi videor : adeo eruditus est et densus in significandis per pauca multis is nobilissimus scriptor.

Doctissimus Præsul dicitur ab eodem Barthio lib. XLII, cap. 5; *Antistes elegantissimus* lib. XLII, cap. 18; *Scriptor doctissimus* lib. XLII, cap. 15; et lib. XLVI, cap. 7; *Acutissimus* ad II Theb. Papinii ver. 231.

D [CCII] *Augustus Buchnerus dissertatione* CCCLXXXIX, *pag* 528.

Est quidem Zenonis dictio erudita, florida, elegans; nam et præstantissimorum auctorum lectionem redolet, ac Virgilii cum primis, et non sine cura coloribus variis picta et interstincta, præterea propriis et valde significantibus vocabulis constat, pluraque ingeniose, atque acute dicta habet sic, ut nihil capitalius dici posse videatur. *Et pag.* 529 : Nemo operam luserit, qui ejus sermones eruditissimos pariter ac sanctissimos legere animum inducat. Præter quam enim quod passim præclaris ac præstantissimis sententiis et ad religionem instruant animos, et ad veram pietatem invitent ac ducant; plura certe ibi

Digitized by Google

elegantissime et venustissime dicta observare licet, quæ mirum in modum augere et cumulare eloquentiæ possunt opes.

Claudius Salmasius in Lampridium pag. 193.

Elegans ac pius auctor Zeno Veronensis.

Emmanuel Schelstratius de Disciplina arcani, cap. 4, art. III., § 5.

Auctor antiquissimus ac doctissimus Zeno Veronensis episcopus.

Marchio Scipio Maffeius lib. II de Scriptoribus Veronensibus.

Parte II Veronæ Illustratæ.

SANTO ZENONE.

Di questo nostro Vescovo molti Sermoni abbiamo, B per li quali tra i Santi Padri meritamente tien luogo. Citano, ed approvano questi Sermoni non pochi dotti stranieri; Paolo Vescovo di Fossombrone, Bulengero, Salmasio, Valesio, Buenero, Daumio, Barzio, cui pareva il nostro Autore un Apulejo Cristiano, il gran Casaubono, che lo giudicò tra i Latini elegantissimo sopra tutti, e molt' altri. Il P. Bollando adduce il suo Sermone sopra Sant' Arcadio, come autentica vita di quel Martire: così fa il P. Ruinart ne gli Atti scelti. Ma come di questo Santo il tempo, il grado, le azioni, e fin l'essere va in controversia; così più di tutto ci vanno i Sermoni, che da lunga schiera di valenti Critici son rigettati aspramente. Sisto da Siena fu il primo, siccome quello che francamente scrisse, aver Guarino dati fuori come de C Zenone Sermoni presi *la più parte da varj autori*: alcuni esser di Sant' Ilario, e di S. Basilio, gli altri o sian Sermoni, *o frammenti, per la diversità dello stile ben palesarsi d' autori diversi.* Tutto questo fu puntualmente trascritto prima da Possevino, Bellarmino, Baronio, Molano, e Mireo; indi da Riveto, Coco, Vossio, Cave, Labbe, Oudino, Placcio, Dupino, che dubita se questo Zenone fosse al mondo mai, e da più altri; benchè d'ordinario come sentimenti lor proprj, e senza pur nominare Sisto Sanese. Ricalcasi da gli ultimi singolarmente il punto dell' essere stati messi insieme, e finti, e publicati dal nostro Guarino questi Sermoni, e il non essersene prima avuta mai notizia, o menzione [ccm] alcuna. La qual cosa con tutto il consenso di tanti, quanto sia erronica e D falsa, con poche parole faremo conoscere.

Falso è prima, che dal Guarino venisse l'edizione di questi Sermoni, non dati in luce prima del 1508, che vuol dire intorno a cinquant' anni dopo la morte di lui. Bensì per publicargli si dicon *trascritti da volume antichissimo trovato in Verona dal Guarino nella Biblioteca del Vescovado* (*pag.* 1). Ma per vedere quanto sia lontano dal vero, che da niuno si mentovassero i Sermoni di Zenone avanti Guarino, basta legger l'operetta di Guglielmo Pastrengo contemporaneo del Petrarca; perch' egli non solamente l'annovera tra gli Scrittori, ma recita il catalogo de' suoi Sermoni, e cita di essi testimonio più vecchio A di lui, cioè Giovanni Prete Mansionario della Chiesa Cattedrale, il quale *attestava* (*pag.* 77) *d'avergli letti tutti.* Coetaneo a questo fu Pier de' Natali, che parlando del nostro Zenone annoverò parimente i Sermoni: ed alquanto anteriore fu Pietro Calo, che raccolse, e compendiò in due gran volumi le vite de' Santi. Dagli scritti di lui trassero i Padri Bollandisti una leggenda della traslazione e miracoli, a piè della quale così egli notò (XII *Aprilis*) : *Scripsit autem* S. Zeno *tractatus ultra octoginta*, etc.; e di poi: *Quos tractatus et epistolas, ac expositiones pulchro et subtili stylo editas ego vidi in duobus voluminibus apud* S. *Zenonem de Verona.* Non dunque solo fu Guarino, e non primo, e non fu unico il codice trovato poi da lui nella libreria Capitolare, ma altro ve n'era in quella del Monasterio di S. Zenone. Anche Giacopo Prete, i versi del quale tratti da un *ms. Zenoniano* sono stati publicati da' Bollandisti, lodò in que' tempi il Santo singolarmente per l'eloquenza. Ora una sua vita abbiam noi di nuovo data fuori a piè dell' Istoria de' Diplomi, l'autor della quale può congetturarsi vivesse nel secolo del 1100, o in quel torno. In questa s'introduce il santo Vescovo parlante al popolo, e gli si fanno dire alcuni pezzi de gli stessi Sermoni suoi. Ma questo non basta. Pioni nel secolo del 900 Ratorio Vescovo nostro, e per gli scritti celebre, e per la vita. Questi in tre delle sue operette cita un passo dal Sermone sopra Giuda Patriarca, e nell' Epistola Sinodica lo cita con premetter queste parole: *Et cum specialis noster Doctor atque provisor, beatus utique Zeno dicat in Sermone, quem de Juda filio Jacob, et Thamar nuru ipsius elegantissime composuit*, etc. Ci è di meglio ancora. Hincmaro, creato Vescovo di Rems nel 845, fece dono alla libreria di S. Remigio d'un codice contenente questi Sermoni con titolo di *Trattati di S. Zenone Vescovo Veronese;* il qual prezioso codice conservarsi ancora oggi giorno, fanno fede i dotti Benedittini editori di S. Ilario, e altresì il P. Ruinart. Non solamente adunque fin nel secolo dell'ottocento i Sermoni di Zenon Veronese anche in lontani paesi eran noti, ma non è da credere si sopettassero punto apocrifi, quà e là rapiti, e falsamente denominati, poichè un Prelato di tante lettere, qual fu Hincmaro, gli stimò meritevoli d'esser da lui donati a un'insigne Biblioteca. Ecco però quante testimonianze, e quanto anteriori a Guarino. Nè io dubito punto, ch' altra ancora non ne avessimo più antica, e più manifesta, se il libro trovato da lui nella biblioteca Capitolare non si fosse miseramente smarrito, poichè afferma il P. Castellani, primo editor de' Sermoni, com' era antichissimo; e fu d'una libreria, [ccIV] nella quale quasi tutti i codici erano in carattere majuscolo, ed anche molti secoli fa riputati antichi.

Io credo però giustificata a bastanza l'autenticità in genere de' Sermoni del nostro Vescovo. Che tra essi ve n'abbia, che suoi non sono, è destino alle raccolte di Sermoni commune: che alcuni sieno pezzi informi, e potè venire dalla confusione, ed arbitrio

de' copisti, e dall' esser talvolta raccolti dalla sua voce anche pochi periodi in qualche funzione proferiti. La diversità di stile, che si decanta, non si verifica generalmente, perchè in gran parte di questi monumenti l' istesso genio apparisce, e l' istesso modo. Le difficoltà sopra alcuni passi si risolvono con abbandonar l'errore di chi l' ha creduto del terzo secolo, e de' tempi di Gallieno, sopra di che veggasi l' Epistola da noi a' Vescovi Veronesi nella nuova edizion dell' Ughelli. Che vivesse verso la fine del quarto secolo, si rende patente a chi ben considera in primo luogo la condizion di que' tempi in quest parti, e l'uniformità de' fatti ne' paesi adjacenti. Si rende indubitato poi dall' esser Santo Zenone succeduto a Gricino, e questi a Lucillo, che nel 347 sosA crisse al Concilio Sardicese. Niente men forte è l'argomento, che si trae dall' Epistola di Sant'Ambrogio al nostro Vescovo Siagrio, perchè lo riprende in essa di non aver avuto per innocente una sacra vergine assolta già, e santificata dalla benedizione di *Zenone di santa memoria:* con che si fa chiarissimo, che Zenone era stato suo antecessore. Ma che occorrono altre pruove, quando dice egli stesso nel Sermone della Continenza, come gl' insegnamenti Apostolici correano quasi già *da quattrocent' anni?* Così leggono i Manuscritti, e così la prima sincera edizione. Nè bisogna però prender questo numero troppo a rigore, come lo prese il Vossio (*de Hist. Lat. lib.* III, *cap.* 2), ben sapendosi l'uso de numeri rotondi, di che esempj si hanno infiniti. *Post quingentos annos* disse assolutamente Felice III, in Epistola da noi ora di nuovo publicata, e inserita nel tomo quinto de' Concilj, benchè scritta come abbiam quivi dimostrato avanti l'anno 489. Nè S. Zenone prende quivi il tempo dell' Epistola a Corinti, di cui fa menzione, ma de' tempi Cristiani generalmente, e dalla nascita di Cristo. Il ribatter l'objezione del silenzio degli Antichi, e l'entrare nel particolar esame di ciascun Sermone, e nella quistione se fosse Martire o no, ed in altre tali, non è del presente inB stituto, e sarà peso di chi finalmente è per intraprendere una sana edizione di questo Padre. Nian' altro n' ha maggior bisogno, e per riunire, e per distinguere, e per indicare i fonti, e per dichiarare, e per emendare ancora. Se questo Santo fosse nativo del nostro paese o no, nè si potrebbe asserir, nè impugnare: il nome veramente l' indica più tosto Greco, e l'Anonimo, di cui parleremo fra poco, sembra accennare, che quà venisse dalle parti di Siria.

INDICES

OPERIBUS SANCTI ZENONIS FACEM PRÆFERENTES.

INDEX I,

TRACTATUUM SANCTI ZENONIS SECUNDUM ORDINEM PRÆSENTIS EDITIONIS.

LIBER PRIMUS.

Tractatus primus de Fide. *Pag.* 1
II. De Spe, Fide, et Charitate. 19
III. De Justitia. 30
IV. De Pudicitia. 39
V. De Continentia. 52
VI. De Patientia. 63
VII. De Humilitate. 70
VIII. De Timore. 74
IX. De Avaritia I. 78
X. De Avaritia II. 85
XI. De Avaritia III. 90
XII. De Spiritu et corpore. 91
XIII. De Circumcisione. 99
XIV. De Spirituali ædificatione domus Dei. 109
XV. De Triplici genere sacrificiorum. 117
XVI. De Resurrectione. 125

LIBER II.

Tractatus primus de Genesi contra Arianos. 141
II. De Genesi. 144
III. De Genesi, seu de æterna Filii Dei generatione. 147
IV. De Genesi, seu de æterna Filii Dei generatione. 150
V. De Fide, seu de æterna Filii Dei generatione. 154
VI. De eo quod scriptum est: *Cum tradiderit regnum Deo et Patri.* 158
VII. De Nativitate Domini I. 163
VIII. De Nativitate Domini II. 168
IX. De Nativitate Domini et majestate. 172
X. De Abraham I. 174
XI. De Abraham II. 178
XII. De Abraham III. 183
XIII. De somnio Jacob. 186

C

XIV. De Juda. 192
XV. De Job. 199
XVI. De Susanna. 203
XVII. De Jona propheta. 205
XVIII. De Natali S. Arcadii. 211
XIX. In illud Geneseos: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* 217
XX. In eumdem locum Geneseos. 219
XXI. De Psalmo centesimo. 220
XXII. In Isaiam I. 224
XXIII. In Isaiam II. 228
XXIV. In Isaiam III. 229
XXV. In Isaiam IV. 230
XXVI. In Isaiam V. *Ibid.*
XXVII. In Isaiam VI. 231
XXVIII. In Isaiam VII. 236
XXIX. In Isaiam VIII, seu de adventu Christi in mundum. 237
Admonitio in Tractatus sequentes. 238
XXX. Invitatio ad fontem I. 240
XXXI. Invitatio ad fontem II. 241
XXXII. Invitatio ad fontem III. 243
XXXIII. Invitatio ad fontem IV. 244
XXXIV. Invitatio ad fontem V. 245

D

XXXV. Invitatio ad fontem VI. 246
XXXVI. Invitatio ad fontem VII. 248
XXXVII. Invitatio ad fontem VIII. 249
XXXVIII. Ad neophytos post baptisma I. 250
XXXIX. Ad neophytos post baptisma II. 253
XL. Ad neophytos post baptisma III. 255
XLI Ad neophytos post baptisma IV. 257
XLII. Ad neophytos post baptisma V. 259
XLIII. Ad neophytos post baptisma VI, de duodecim signis. 261
XLIV. Ad neophytos post baptisma VII, die Dominico, de Comparatione tritici. 264
XLV. De die Dominico Paschatis I. 269
XLVI. De Pascha II. 272
XLVII. De Pascha III. 275
XLVIII. De Pascha IV. 274

Digitized by Google

XLIX. De Pascha V. 275
L. De Pascha VI. *Ibid.*
LI. De Pascha VII. 278
LII. De Pascha VIII. 279
LIII. De Pascha IX. *Ibid.*
LIV. De Exodo I in die Paschæ. 281
LV. De Exodo II. 282
LVI. De Exodo III. 283
LVII. De Exodo IV. 284
LVIII. De Exodo V. 285
LIX. De Exodo VI. 286
LX. De Exodo VII. 288
LXI. De Exodo VIII. 289
LXII. De Exodo IX. 291
LXIII. De Exodo X. 292
LXIV. De Exodo XI. 293
LXV. De Exodo XII. 294
LXVI. De Exodo XIII. 295
LXVII. De Exodo XIV. 296
LXVIII. De Exodo XV. *Ibid.*
LXIX. De Daniele in Pascha I. 297
LXX. De Daniele II. 298
LXXI. De Daniele III. 299
LXXII. De Daniele IV. 300
LXXIII. De Daniele V. 301
LXXIV. De Daniele VI. *Ibid.*
LXXV. De Daniele VII. 302
LXXVI. De Daniele VIII. 303
LXXVII. De Daniele IX. *Ibid.*

APPENDIX ad Tractatus S. Zenonis, continens varios Sermones eidem S. episcopo perperam tributos.

PRÆFATIO.

POTAMII episcopi Tractatus duo et Epistola.

Tractatus I de Lazaro.

II. De martyrio Isaiæ prophetæ.

Potamii ejusdem Epistola ad Athanasium ab Arianis impetitum postquam in concilio Ariminensi subscripserunt.

S. HILARII episcopi Pictaviensis Interpretationes Psalmorum quinque.

Interpretatio Psalmi CXXVI.

Interpretatio Psalmi CXXVII.

Interpretatio Psalmi CXXVIII.

Interpretatio Psalmi CXXIX.

Interpretatio Psalmi CXXX.

S. BASILII Cæsariensis Tractatus quatuor Rufino presbytero Aquileiensi interprete.

Tractatus I de Livore et Invidia.

II. De Adtende tibi.

III. De Jejunio.

IV. De Avaro divite.

De hac Appendice confer editionem nostram col. 527-534.

INDEX II

TRACTATUUM SANCTI ZENONIS, EXHIBENS ORDINEM ANTEA VULGATUM COLLATUM CUM NOVO.

Ordo antea vulgatus.	*Ordo novus.*	
Lib. I. De Genesi. Sermo I.	Lib. II. Tract. II. *p.*	144
Sermo II.	Tr. XIX.	217
Sermo III.	Tr. I.	141
Sermo IV.	Tr. XX.	219
De Abrah. Sermo I.	Tract. X.	174
Sermo II.	Tract. XI.	178
Sermo III.	Tract. XII.	183
De Somnio Jacob.	Tract. XIII.	186
De Juda.	Tract. XIV.	192
De Exodo Sermo I.	Tract. LV.	282
Sermo II.	Tract. LVI.	283
Sermo III.	Tract. LVII.	284
Sermo IV.	Tract. LVIII.	285
Sermo V.	Tract. LIV.	281
Sermo VI.	Tract. LIX.	286
Sermo VII.	Tract. LX.	288
Sermo VIII.	Tract. LXI.	289
Sermo IX.	Tract. LXII.	291
Sermo X.	Tract. LXIII.	292
Sermo XI.	Tract. LXIV.	293
Sermo XII.	Tract. LXV.	294
Sermo XIII.	Tract. LXVI.	295
Sermo XIV.	Tract LXVII.	296
Sermo XV.	Tr. LXVIII.	*Ib.*
De præcepto Attende tibi.	*Vid. edit. nost. col.* 527 *et* 534.	
De Job.	Lib. II. Tract. XV.	199
De Psalmo XLIX, seu de triplici genere sacrificiorum.	Lib. I. Tract. XV.	11
De Psalmo LXXIX, seu Comparatio vineæ.	Lib. II. Tr. XXVII.	231
De Psalmo C.	Tr. XXI.	220
De Psalmo CXXVI.	*V. ed. nost. col.* 527 *et* 534.	
De Psalmo CXXVII.	*Vide ibid.*	
De Psalmo CXXVIII.	*Vide ibid.*	
De Psalmo CXXIX.	*Vide ibid.*	
De Psalmo CXXX. Sermo I, seu de Humilitate.	Lib. I. Tract. VII.	70
De Psalmo CXXX. Sermo II.	*Conf. ed. nost. loc. cit.*	
De Isaia Sermo I.	Lib. II. Tr. XXII	224
Sermo II.	Tr. XXIII.	228
Sermo III.	Tr. XXIV.	229
Sermo IV	Tr. XXV.	230
Sermo V,	Tr. XXVI.	*Ib.*
Sermo VI.	Tr. XXVIII.	236
De martyrio Isaiæ prophetæ.	*V. ed. nost. col.* 527 *et* 533.	
De Daniele, seu de tribus Pueris. Sermo I.	Lib. II. Tr. LXX.	298
Sermo II.	Tr. LXXI.	299
Sermo III.	Tr. LXXII.	300
Sermo IV.	Tr. LXXIII.	301
Sermo V.	Tr. LXXIV.	*Ib.*
Sermo VI.	Tr. LXXV.	302
Sermo VII.	Tr. LXXVI.	303
Sermo VIII.	Tr. LXIX.	297
Seu de Susanna Sermo IX.	Tr. XVI.	203
De Jona.	Tr. XVII.	205
De Evang. secundum Lucam, seu de duplici tentationum specie.	*Ap. Tr. S. Bas.* IV.	378
De Evang. secund. Joannem, seu de Lazaro.	*Ap. Tr. Potamii* I.	133
De Epist. B. Pauli ad Cor., seu de eo quod scriptum est : *Cum tradiderit regnum Deo et Patri.*	Lib. II. Tr. VI.	158
Lib. II. De æterna Filii Dei generatione. Sermo I.	Tr. III.	147
Sermo II.	Tr. IV.	150
Sermo III.	Tr. V.	154
De Adventu Domini in mundum.	Tr. XXIX	237
De Nat. Christi. Sermo I.	Tr. VII.	165
Sermo II.	Tr. VIII.	168
Sermo III.	Tr. IX.	172
De Circumcisione.	Lib. I. Tr. XIII.	99
De Fide.	Tr. I.	1
De Spe, Fide et Charitate.	Tr. II.	19
Pro Fidei veritate.	Lib. II. Tr. LXXVII.	303
De Pascha. Sermo I.	Tr. XLV.	269
Sermo II.	Tr. XLVI.	272
Sermo III.	Tr. XLVIII.	274
Sermo IV.	Tr. XLIX.	275
Sermo V.	Tr. L.	*Ib.*
Sermo VI.	Tr. LI.	278
Sermo VII.	Tr. LII.	279
Sermo VIII.	Tr. XLVII.	275
Sermo IX (Pro baptizandis).	Tr. LIII.	279
Invitatio ad fontem. I.	Tr. XXXVI.	246
II.	Tr. XXXV.	244
III.	Tr. XXX.	240
IV.	Tr. XXXI.	241
V.	Tr. XXXIII.	244
VI.	Tr. XXXVII.	249
VII.	Tr. XXXIV.	245
VIII.	Tr. XXXII.	243
Ad Neoph. post baptisma. Sermo I.	Tr. XXXVIII.	250
Sermo II.	Tr. XXXIX.	253
Sermo III.	Tr. XL.	255
Sermo IV.	Tr. XLII.	259
Sermo V.	Tr. XLIII.	261
Sermo VI.	Tr. XLIV.	264
Sermo VII.	Tr. XLI.	257
De spiritali ædificat. domus Dei.	Lib. I. Tr. XIV.	109
De Patientia.	Tr. VI.	63
De Pudicitia.	Tr. IV.	59
De Continentia.	Tr. V.	62
De Justitia.	Tr III.	30
De Timore.	Tr. VIII.	47
De Jejunio.	*V. ed. nost. col.* 527 *et* 534.	
De Spiritu et Corpore.	Lib. I. Tr. XII.	91
De Avaritia. Sermo I.	Tr. IX.	78
Sermo II.	Tr. X.	85
Sermo III.	Tr. XI.	90
De livore et invidia.	*Ap. Tr. S. Basil.* I.	335
De S. Arcadio martyre.	Lib. II. Tr. XVIII.	211
De Resurrectione.	Lib. I. Tr. XVI.	125

Digitized by Google

INDEX III.*

TRACTATUUM SANCTI ZENONIS SECUNDUM MSS. OMNIUM ORDINEM.

	Ordo antiquus Codicum.		*Ordo novus.*	
	Incipiunt Capitula libri primi			
I.	De Pudicitia.	Lib. I. Tr. IV	Pag.	39
II.	De Resurrectione.	XVI		125
III.	De Circumcisione.	XIII		99
IV.	De Patientia.	VI		68
V.	De Avaritia.	IX		78
VI.	Item Præfatio.	Lib. II. L		275
VII.	De Genesi.	II		144
VIII.	Tractatus Exodi.	LV		282
IX.	Tr. sequentiæ Exodi.	LVI		283
X.	Tr. Esaiæ.	XXVIII		236
XI.	Tr. Danielis.	LXX		298
XII.	Tr. Psalmi quadragesimi (1).	XXXVI		248
XIII.	Tr. de Juda.	XIV		192
XIV.	Tr. de Avaritia.	Lib. I. X		85
XV.	Tr. de Job.	Lib. II. XV		199
XVI.	Item Præfatio Paschalis.	LI		278
XVII.	De Genesi (2).	III		147
XVIII.	De Exodo (3).	LIX		286
XIX.	De Sequentia Exodi.	LX		288
XX.	De Esaia.	XXIV		229
XXI.	De Avaritia.	Lib. I. XI		90
XXII.	Tr. Danielis (4).	Lib. II. LXXI		299
XXIII.	De Psalmo XLI (5).	XXXV		246
XXIV.	Post traditum baptisma.	XXXVIII		250
XXV.	Item Tract. (6).	Lib. I. XV		117
XXVI.	Item Præf.	Lib. II. LII		279
XXVII.	De Genesi.	XIX		219
XXVIII.	De Exodo.	LXI		289
XXIX.	Item Exodi secunda.	LVII		284
XXX.	Tr. Esaiæ.	XXIII		228
XXXI.	Tr. Danielis.	XXVII		300
XXXII.	Invitatio fontis.	XXX		240
XXXIII.	Item Tr. diei dom. (7).	XLV		269
XXXIV.	Tr. Jonæ Proph.	XVII		205
XXXV.	Tr. Psalmi c.	XXI		220
XXXVI.	Tr. de Spe, Fide et Caritate.	Lib. I. II		19
XXXVII.	Tr. de Somnio Jacob.	Lib. II. XIII		186
XXXVIII.	Tr. de XII signis ad Neophytos (8).	XLIII		261
XXXIX.	De S. Arcadio martyre.	XVIII		211
XL.	Tr. de Susanna.	XVI		203
XLI.	Tr. diei dominici de comparatione tritici (9).	XLIV		264
XLII.	Tr. ad Neophytos alio die Paschæ (10).	XLI		257
XLIII.	Tr. de Abraham Patriarcha.		X	174
XLIV.	Præf. Pasch.	Lib. II.	XLVII	273
XLV.	De Genesi.		I	141
XLVI.	Sequentia Exodi (11).		LXIII	292
XLVII.	Tr. Esaiæ.		XXV	230
XLVIII.	Tr. Danielis.		LXXIII	301
XLIX.	Invitatio fontis.		XXXI	241
L.	De Genesi (12).		IV	150
LI.	De Exodo.		LXVI	295
LII.	Sequentia Exodi.		LXIV	293
LIII.	Tr. Danielis.		LXXIV	301
LIV.	De Nativitate Christi.		VIII	161
LV.	Ad Neophytos.		XXXIII	244
LVI.	Tr. Fidei (13).		V	134
LVII.	Tr. Paschæ.		XLVI	272
LVIII.	Item Tr. Paschæ.		XLVIII	274
LIX.	De Abraham.		XI	178
LX.	De Esaia (14).		XXIX	237
LXI.	Item de Esaia.		XXII	224
LXII.	Item de Abraham.		XII	183
	Incipiunt Capitula libri II.			
I.	De Justitia.	Lib. I.	III	30
II.	De Timore.		VIII	74
III.	Tr. Fidei (15).		I	1
IV.	De Spiritu et Corpore.		XIII	91
V.	De eo quod scriptum est : *Cum tradiderit regnum Deo et Patri.*	Lib. II.	VI	158
VI.	De Ædificatione domus Dei a Salomone (16).	Lib. I.	XIV	109
VII.	De Continentia.		V	52
VIII.	De Nativitate Domini.	Lib. II.	VII	163
IX.	De Humilitate (17).	Lib. I.	VII	70
X.	De Baptismo (18).	Lib. II.	XXXIX	255
XI.	Tr. de Esaia (19).		XXVII	231
XII.	De Nativ. Domini et Majestate.		IX	172
XIII.	Tr. Paschæ (20).		LIII	279
XIV.	Tr. Paschæ, vel Invitatio fontis.		XXXVII	249
XV.	Item Invitatio fontis (21).		LXXV	502
XVI.	Tr. Exodi.		LVIII	285
XVII.	De die Paschæ (22).		LXVII	296
XVIII.	Tr. Danielis in Pascha (23).		LXXVII	303
XIX.	Item in die Paschæ.		XLIX	275
XX.	Item de die Paschæ.		LXV	294
XXI.	Tr. de Esaia.		XXVI	230
XXII.	Tr. Danielis.		LXXVI	303
XXIII.	De Baptismo.		XXXIV	245
XXIV.	Item Tr. de Baptismo (24).		XL	255
XXV.	Tr. Paschæ (25).		LXVIII	296
XXVI.	Item Tr. Paschæ cujus supra.		LIV	281
XXVII.	Tr. Danielis in Pascha.		LXIX	297
XXVIII.	Invitatio fontis cujus supra.		XXXII	243
XXIX.	Tr. Paschalis.		XLII	259

* INDEX III. — Duplex ratio nobis suasit, ut indicem ex codicibus descriptum hic appenderemus : primum ut constans omnium mss. ordo appareat, ex quo alieni tractatus in fine additi cognoscantur ; dein ut tituli, qui in codicibus leguntur, innotescant. Sicubi vero tituli in mss. varient, in annotationibus indicabuntur. Tabulam autem Remensi antiquissimo codici præfixam potissimum secuti sumus.

(1) In codice Basilicæ Vaticanæ et in Tabula ms. Remensis ponitur per errorem *quadragesimi*, cum in titulo ejusdem Remensis et in ms. Vaticano, Tolentinate, atque Urbin. habeatur : *Tractatus Psalmi* XLI, in Pompeiano autem ac Zenoniano legitur : *Invitatio fontis.*

(2) In Zenoniano : *De Æterna Filii generatione ;* in editionibus vero : *De Æterna Filii Dei generatione.*

(3) *De Judæis* in Zenoniano et Sparaveriano, quod additum est in editione Veneta reliquis de Exodo et tractatibus de Isaia.

(4) Tractatibus de Daniele præter unum additur in ms. Sparav. et Zenon. titulus *de tribus pueris*, qui titulus tantum legitur in editione Veneta.

(5) In ms. Zenoniano cum editis : *Invitatio fontis*, vel *ad fontem.*

(6) Sic in omnibus Mss. præter Zenonianum, qui cum editione Veneta hunc titulum præfert : *De Triplici genere sacrificiorum.* Veronenses editores huic alium addidere : *De Psalmo* XLIX.

(7) In Zenoniano sine titulo ; Veronensis editio : *De Pascha.*

(8) Verba *de* XII *signis* in Zenoniano ac editione Veronensi omittuntur.

(9) Zenonianus et editio princeps : *Ad Neophytos.*

(10) Item *ad Neophytos* in Zenoniano et prima editione.

(11) In tabula ms. Remensis deest tractatus, qui in omnibus mss. legitur num. XLVI, et inscribitur : *Incipit de Exodo ;* nunc autem nostro in ordine est Tract. LXII, de Exodo IX, pag. 291 : Observandum tamen est, post Tractatum XLVI, in omnibus mss. haberi Tractatum inscriptum *Sequentia Exodi* nullo numero signatum, et eum esse, qui in Tabula numero XLVI indicatur.

(12) Ita legitur in omnibus Mss. præter Zenonianum, qui cum editionibus hunc titulum præfert : *De Æterna Filii generatione.*

(13) Zenonianus et Sparaverianus *de Fide*, editi : *De Æterna Filii Dei generatione.*

(14) *De Christo* in Zenoniano ; editi, *de adventu Christi in mundum.*

(15) Ms. Zenonianus cum editione Veronensi *de Fide* : Pompeianus *de Tractatu fidei* : Editio Veneta et tabula Ms. Zenoniani : *De Fidei commendatione.*

(16) Editio Veneta : *De Ædificatione domus Dei.*

(17) Ita mss. omnes et prima editio Veneta, in editione Veronensi additum est : *De Psalmo* CXXX.

(18) In Zenoniano et editione Veneta : *Post traditum baptisma.*

(19) Ita in mss. præter Zenonianum, in quo habetur : *Comparatio vineæ*, et in editis : *De Psalmo* LXXIX.

(20) In Zenoniano : *Præfatio Paschalis pro baptizandis : Præfatio Paschalis* quoque legitur in editione Veneta.

(21) Ms. Zenonianus et editio Veneta : *De tribus pueris.*

(22) In Zenoniano : *De Pascha et Judæis ;* in editione autem Veneta : *De Judæis.*

(23) *Pro fidei veritate* in Zenoniano et editis.

(24) *Post traditum baptisma* in Zenoniano et editione Veneta.

(25) *De Pascha et Judæis* Zenonianus, *de Judæis* tantum editio Veneta.

Digitized by Google

Ordo antiquus Codicum.	*Ordo novus.*
XXX. De Genesi cujus supra.	XX 219
XXXI. Interpretatio Psal. CXXVI(26).	Lib. II, tr. *S. Hilar. I. in Append.*
XXXII. De Psalmo CXXVII.	*S. Hil. II. in App.*
XXXIII. De Psalmo CXXVIII.	*S. Hil. III. in App.*
XXXIV. De Psalmo CXXIX.	*S. Hil. IV. in App.*
XXXV. Interpr. Psalmi CXXX.	*S. Hil. V. in App.*
XXXVI. Tr. de Lazaro.	*Potam. I. in App.*
XXXVII. Tr. de Esaia (27).	*Potam. II. in App.*
XXXVIII. De Livore et Invidia (28).	*S. Basilii I. Rufino Aquileiensi interpr. in App.*
XXXIX. De Auende tibi.	*S. Basil. II. Rufino interpr. in App.*
XL. De Jejunio.	*S. Basil. III. Rufino interp. in App.*
XLI. De Avaro divite (29).	*S. Basil. IV. Rufino interp. in App.*

(26) In vetustissimo codice Remensi hic et sequentes decem sermones, quos in Appendicem rejecimus, alia manu additi et descripti cernuntur.

(27) Zenonianus cum editis *de Martyrio Isaiæ Prophetæ*.

(28) Hic sermo in duos dividitur in mss. Tolentin. et Vaticano.

(29) Zenonianus et editi : *De Duplici tentationum specie ;* in Vaticano autem, Tolent. et Pompeiano post hunc sermonem additur titulus : *De signo Crucis.*

INDEX IV,

CODICUM ET EDITIONUM QUIBUSCUM TRACTATUS ZENONIS COLLATI SUNT.

Rem. Ms. Monasterii S. Remigii Remensis vetustissimus octavo saltem sæculo exaratus.

Vat. Ms. bibliothecæ Vaticanæ 1235 sæculi XIII.

Tol. Ms. Venetus bibliothecæ PP. clericorum regularium S. Nicolai Tolentinatis ejusdem sæculi.

Bas. Vat. Mss. Archivii Basilicæ Vaticanæ 33 ejusdem circiter ætatis.

Urb. Ms. Vaticanæ bibliothecæ inter Urbinates num. 150 sæculi XIV.

Zen. Mss. Duo monasterii Veronensis S. Zenonis, alter membranaceus, alter chartaceus sæculi XV.

Sp. Ms. a Francisco Sparaverio Veronensi olim recognitus.

Pomp. Ms. Comitum Pompeiorum Veronensium sæculi XV.

Edit. Ven. Editio Veneta anni 1508.

Edit. Ver. Editio Veronensis anni 1586.

Edit. Pat. Editio Patavina anni 1710.

AUGUSTINI VALERII CARDINALIS

EPISCOPI VERONENSIS

EPISTOLA NUNCUPATORIA AD SIXTUM V PONTIFICEM MAXIMUM PRÆMISSA EDITIONI VERONENSI ANNI 1586.

Cum mense Aprili superiore, Beatissime Pater, de more institutoque veterum Romanorum Pontificum primo sui Pontificatus anno Sanctitas Vestra cereos Agnos Dei consecraret, quorum veluti divinæ clementiæ instrumentorum mirifica virtus in incendiis, eluvionibus ac tempestatibus sæpenumero mortalibus spectata est, ac sacrum cardinalium collegium pro sua in hunc ordinem benevolentia, et charitate tridui spatio convivio exciperet, memini S. Zenonis Veronæ episcopi et martyris a Sanctitate Vestra mentionem factam postremo convivii die, quo sum ipse vocatus : convertens enim post sacram lectionem, et post gravissimos in mensa sermones habitos in me oculos, Cras, inquit, celebrabitur festus dies S. Zenonis episcopi et martyris, qui inter procellas persecutionum Veronensem Ecclesiam mira constantia gubernavit, et Gallieni tempore martyrio coronatus est; atque hanc commemorationem sermonum, qui ab eodem sanctissimo episcopo scripti sunt, mentio subsecuta est. Cum verba Vicarii Christi in animo infixa essent meo, commemorationem S. Zenonis, cui post multos annos in hac administratione, quamvis indignus successi, tacitam vehementemque cohortationem putavissem, cumque ideo Veronam permissu Beatitudinis Vestræ rediissem alacrior et ardentior, multo quam umquam antea, ad munera pastoralia obeunda; in synodo diœcesana primum clerum universum sum hortatus, ut Patronum hujus civitatis exemplar recte christiani gregis gubernandi, ac magistrum optimum et religiosius veneraretur, et studiosius moribus atque vita imitaretur : deinde quod sermones S. Zenonis, qui typis impressi ante annos complures editi fuerant, essent valde mendosi, nec jam ulla fere amplius eorum extarent volumina, ne clerus Veronensis cæterique viri docti et pii utili lectione antiquissimi et sanctissimi scriptoris privarentur, decrevi, ut iterum multo accuratius imprimerentur. Accessit ardor quorumdam presbyterorum Veronensium, quibus nec ingenium in illustranda Ecclesia Veronensi deest, nec studium. Itaque mecum a multis viris doctis recogniti, emendati et expurgati meo jussu typis commissi sunt. Celebris quidem est, Sanctissime Pater, multis, præclarisque naturæ muneribus Verona, cœli temperie, collium, Athesisque interfluentis amœnitate, magnitudine, antiquitate urbis, ingeniorumque præstantia. Floret artis operibus ad ornatum, et defensionem, arcubus, pontibus, amphiteatro, sacrisque templis : verum multo florentior est atque munitior numero Sanctorum, atque reliquiis, episcoporum præsertim, qui eam sapientissime sanctissimeque rexerunt : quorum primus Euprepius a S. Petro apostolorum principe Christique Vicario Veronam missus, quinque et triginta successores habuit sanctos episcopos : quorum memoria tum in libro de sanctis episcopis Veronensibus, tum in aliquot templis, tum in aula episcopii, loco illustri pictis imaginibus ac nominibus subscriptis diligenter conservatur : tum etiam in divinis officiis ex synodorum diœcesanarum decretis, et veteri instituto religiosissime colitur. Eorumdem tutelæ urbs hæc refert acceptum hoc maximum beneficium, quod per tot sæculorum cursus, inter tot hæresum fluctus fidem catholicam integerrimam constantissime reti-

Digitized by Google

nuerit : ac proinde isti sanctæ Sedi Apostolicæ Romanæ suæ, omniumque fidelium Christianorum matri, unde norma recte credendi, recteque vivendi petenda est, summa cum veneratione paruerit. Inter hos episcopos B. Zeno martyr ordine octavus est : qui vix dum migrarat in cœlum, cum eum civitas Veronensis sibi patronum adscivit, et ut talem perpetuo coluit, quod ejus patrocinium sæpissime in suis calamitatibus experta est. Et piorum hominum sententia æquum fuerat, ut cum Sixti II Papæ temporibus et vixerit, et scripserit Zeno, et ejus scripta pene mortua altero Sixto V Ecclesiam universam moderante feliciter reviviscerent, et quem auctorem atque hortatorem tacitum suæ editionis habuerant, eumdem patronum disertum et vindicem haberent. Denique ut opuscula Veronensis Ecclesiæ episcopi Zenonis Veronæ episcopus illustrare, ita cardinalis ad Romanum pontificem, quem sacerdotem magnum, principem episcoporum, hæredem apostolorum, potestate Petrum, unctione Christum (ut Sancti Bernardi verbis utamur) sacrum Cardinalium Collegium, et universa Christiana respublica agnoscit et veneratur, et Augustinus Cardinalis Veronæ ad Sixtum V quem summa veneratione prosequitur, et a quo multis honoribus et magnis beneficiis est affectus, ea mittere debuit. Non dubito quin pastoralem hunc laborem meum, quamvis minimum, æstivis caloribus susceptum, probatura sit Sanctitas Vestra : et ex episcopi, martyrisque scriptis magnam sit captura voluptatem. Interim Deus auctor bonorum omnium et largitor Beatitudinem Vestram, Sanctissime Pater, donis suis magis in dies, ut facit, locupletet : et collegio nostro universæque Ecclesiæ incolumem diutissime servet, ut justitia, pax, istius sanctæ sedis auctoritas, omnes virtutes in dies magis vigeant atque florescant.

RAPHAELIS BAGATÆ ET BAPTISTÆ PERETTI

PRÆFATIO IN EAMDEM EDITIONEM VERONENSEM AN. 1586.

Sanctus Zeno Veronæ episcopus, et patronus difficillimis temporibus in magnis tempestatibus admirabili constantia Veronensem rexit Ecclesiam, ac Gallieni imperatoris tempore martyrio coronatus est. Floruit non solum vitæ sanctitate et pastorali vigilantia, sed doctrina, et dicendi laude : quod ejus sermones summa gravitate et apostolico quodam illius sæculi spiritu conscripti abunde testantur. Est idem S. Zeno inter vetustissimos Ecclesiæ scriptores connumerandus, cum doctissimo viro Origeni, et gloriosissimo martyri Cypriano æqualis fuerit. Is Veronæ pater patriæ nominatus est, et doctor insignis, quo doctoris nomine in Ecclesia etiam Mediolanensi decoratur. In Græcia etiam Christi Evangelium prædicavit. Exstant apud nos hujus S. Zenonis sermones in vetusto ex membranis manu scripto codice. Iidem a Guarino litteris Græcis et Latinis erudito, in antiquissimo volumine episcopatus fuerunt reperti, et a bibliopola quodam anno 1508 rudibus et mendosis admodum typis Venetiis fuerunt editi, S. Zenonis nomine, ut de eorum auctore nullo modo sit dubitandum. Nunc vero politioribus formis exacte recogniti, emendati et expurgati, Augustini Valerii Veronæ item episcopi, et S. R. E. cardinalis illustrissimi, et reverendissimi jussu pro solerti ejus, vigili et solita pastorali cura impressi sunt, et distributi juxta eruditum illum ordinem, quem vir eximiæ doctrinæ et judicii F. Felix cardinalis de Montealto, nunc S. D. N. Sixtus V in sua operum S. Ambrosii editione secutus est : primus enim locus iis sermonibus attributus est, qui veteris testamenti locos explanant : proximus illis, qui novi : postremo loco ii, qui de virtutibus et vitiis tractant, collocati sunt. Neque vero reprehendat quispiam martyris nomen huic editioni additum, quo rudior illa caret : oportuit enim sancto sermonum auctori tribuere martyrii gloriam, quam illi (ut omittamus vetustissima B. Gregorii papæ, Vener. Bedæ, Usuardi, et aliorum testimonia) recentissimum Martyrologium jussu Gregorii XIII Pont. Max. editum attribuit. Objiciet fortasse aliquis, hos sermones alterius Zenonis esse martyre posterioris, Veronæ item episcopi, cujus mentio fit a S. Ambrosio epistola prima ad Syagrium. At ille locus primum nihil habet, unde probetur ille Zeno horum auctor esse sermonum. Deinde non ita probat eum esse Veronæ episcopum, ut convincat. Cum enim S. Ambrosius aggressus fuisset prædicare (ut legimus in vita S. Eusebii Bononiæ Episcopi lib. I de episcopis Bononiensibus) sacratam Deo virginitatem, Bononienses ejus prædicatione permoti, eodem Eusebio auctore, virgines ipsi suas passim Mediolanum velandas mittebant : cujus rei etiam idem S. Ambrosius meminit lib. I de Virginibus : ubi etiam testatur virgines vel ab ipsa Mauritania Mediolanum, ut velarentur et sacrarentur, venisse : eadem ratione credendum est, virginem illam Indiciam nomine, de qua ibi fit mentio, Mediolani a S. Ambrosio eidem Zenoni viro sanctæ memoriæ probandam et benedicendam traditam fuisse : id enim facile ex eadem epistola colligitur. Soror enim ipsa S. Ambrosii, cum esset Mediolani, testatur Indiciam Romæ domi suæ Ambrosio absente habitasse : quædam vero Paterna nomine S. Ambrosii (sic ille ipsam appellat) filia, numquam ab Indicia discesserat : Indicia autem Veronæ, quo cum sorore sua nova nupta profecta fuerat, apud eam, pariete tamen interjecto, parvo videtur tempore habitasse : unde apparet Indiciam alibi, quam Veronæ, sacrata virginali benedictione insignitam fuisse, præsertim cum post tot annos a benedictione, ut inquit

Digitized by Google

S. Ambrosius, nota corruptionis inureretur. Accedit præterea Ecclesiæ Veronensis perpetua traditio, quam certis rationibus firmam ex Canonum præscripto tueri debemus, quæ præter Zenonem episcopum, et martyrem (qua de re in libello de Sanctis Veronensibus episcopis uberius tractatum est) nullum alium Zenonem agnovit episcopum : quam quidem traditionem testatur etiam episcoporum Veronensium series in aula episcopali depicta, in qua unus tantum Zeno VIII episcopus cernitur. Dicet alius, ab auctore horum sermonum confutatos esse errores Arii, qui vivo Zenone martyre non erat. Respondemus, cum Epiphanius scribat patrem Arii fuisse Origenem, et S. Thomas fontem ejusdem exstitisse, errores, qui ab Ario disseminati sunt, fuisse antequam Arius nasceretur : ut errores Lutheri, antequam pestiferam illam hæresim Lutherus disseminasset, convicti fuerunt. Quod si is contendat errores illos Origeni falso tributos, ut Pamphilus martyr, et alii nobiles scriptores putaverunt, non convincit causam non fuisse, ut S. Zenoni necesse non fuerit, illam pestem, quod Filius non sit coæternus Patri, refellere. Quod objicitur, sermonem de continentia non esse S. Zenonis martyris, cum in eo legatur auctor abfuisse a S. Pauli doctrina divulgata annis quadringentis eo amplius, et totus pene orbis tunc fuisse christianus : dicimus textum, sicut multis in locis est mendosus, ita, ut sæpe fit in numeris, ibi esse depravatum. Jam vero cum disseminatum per omnes provincias esset Evangelium a multis receptum, eo in loco auctor ponit, ut fit, totum pro parte. Antiquissimi auctoris est indicium, cum sæpe ad Judæos sermones habuerit : catechumenos ad immergendum se in sacrum fontem invitaverit : reprehenderit Græcos tunc ad fidem Christi conversos, quod vana sua sapientia etiam in Ecclesiam Dei vana quædam de Deo introducerent, ut serm. I de psal. CXXX. Idem ostenditur, cum in serm. *de Spirituali ædificatione domus Dei* auctor demonstrat, tunc non fuisse jam templa Christianis constructa, sed novum populum et minimum numero exstitisse : Ad Neophytos porro serm. IV cum de iis mentionem facit, qui universam rem familiarem pauperibus erogarent, quique Dei templum essent, cum templum idololatriæ antea exstitissent. Id ipsum præterea licet perspicere ad Neophytos serm. V cum eos hortatur auctor, ut idololatriam fugiant, et ne captent amplius auguria. Quid? nonne id clare patet ex serm. I *de Pascha*, et ex serm. *de Patientia?* quorum altero interpretatur autumnum sui temporis martyres significare, patientiam in altero coronam martyrum appellat quotidianam ? B. Thecla S. Pauli apost. discipula, et prima illius sexus martyr in sermone *de Timore* in exemplum timoris Domini adducitur. Quosdam meminit in serm. *de Resurrectione* in idololatria suo tempore obiisse : et christianos quosdam arguit corporum resurrectionem non credentes. Ab eo præterea descripta est S. Arcadii martyris vita, suo tempore, ut Petrus episcopus Equilinus testatur, martyrio in Mauritania coronati. His profecto et hujusmodi aliis quamplurimis antiquissimus horum sermonum auctor demonstratur. Quod autem tres, sive quatuor sermones in his reperiantur, quos S. Zenoni aliqui putant adscribi non posse, nempe qui inscribitur, *de Præcepto attende tibi* : Sermo *de Evangelio secundum Lucam de duplici tentationum specie* : Sermo *de Livore, et Invidia* : Et sermo *de Jejunio* : qui inter S. Basilii homilias Græce scripti reperiuntur : quamvis argumenta non desint, quibus probare liceret eos quoque sermones ad S. Zenonem nostrum pertinere, cum etiam plurimos summo studio et gravissimis laboribus in Græcia multo ante S. Basilium prædicando ad fidem Christi converteret ; tamen ea in re contentiosi esse nolumus. Ad id vero, quod auctor bibliothecæ sanctæ scribit, nempe septem sermones in psal. quos enumeravit, esse descriptos ex S. Hilarii commentariis, dicimus illum quoad numerum errasse : sermones enim in psal. LXXIX et in psal. C in commentariis S. Hilarii non reperiuntur. Quoad reliquos quinque, cum duo sermones de psalm. CXXX in his sermonibus legantur, secundus vero sit certis quibusdam vocabulis, et iisdem fere sententiis similis priori, qui quidem prior in commentariis S. Hilarii non reperitur ; eum etiam, secundum scilicet, dicimus a S. Zenone more suo fuisse aliqua ratione repetitum, et propterea ad illum pertinere, sed in commentariis S. Hilarii ab aliquo fuisse insertum, quemadmodum videmus inter opera Hieronymi, Augustini et aliquorum sanctorum Patrum conciones, et libellos non ignobilium auctorum irrepsisse. An vero reliqui quatuor eadem ratione fuerint in iisdem commentariis inserti, necne, aliorum sit judicium. Nos vero, qui in eodem vetusto codice manu scripto hos etiam sermones simul cum quatuor, quos, ut jam diximus, apud S. Basilium Græce descriptos reperimus, defraudare S. Zenonem debita suæ laudis possessione non sumus ausi. Neque lectorem debuimus tam utili et jucunda lectione privare. De stylo quod objicitur, vario dicendi modo sermones conscriptos, si quis recte eos perpenderit, paucissimis exceptis, ejusdem styli comperiet ; insunt enim eadem sæpe vocabula, eadem verborum dispositio et connexio. Neque tutum est semper ex styli varietate, in paucis maxime, de auctore fieri judicium : non enim quilibet auctor scripta sua eadem dicendi phrasi semper contexuit : hoc namque et Augustino, et Hieronymo, et aliis sanctis Patribus, quinimmo et S. Paulo apostolo contigisse, ut tom. II Vitarum Sanctorum in præfatione ad lectorem, ait Aloysius Lippomanus hujus Ecclesiæ Veron. episcopus, quandoque reperimus, ut pro locorum, temporum, et personarum qualitate modo altius, modo demissius loquantur. Imperfecti sermones, quos S. Zenonem diversis temporibus scripsisse probabile est, ab aliquo ejus discipulo fideliter collecti sunt, cum præsertim quædam in eis sint, quæ eadem fere sunt ; quod auctor minime fecisset, neque quispiam alius, qui eos ex diversis auctoribus colligere voluisset. Ex his igitur li-

Digitized by Google

cet cognoscere, quanta injuria doctor eximius S. Zeno eodem bibliothecæ loco honore suo defraudatus fuerit, scriptis suis luculentissimis spoliatus, cui opinioni et judicio in hac re non satis oculato refragatur Blondus Flavius, De illustrata Italia regione nona : Petrus episcopus Equilinus in vita S. Zenonis, et Joannes Stœffler Justingensis mathematicus in calendario Romano, qui prius superiori sæculo, quam typis fuissent excusi, sermones S. Zenoni attribuunt. Nostra vero ætate præter F. Leandrum Albertum Bononiensem Ord. Præd. in descriptione Italiæ, et Onuphrium Panvinium in chronico manuscripto, vanam illius trutinam, et judicium refellit idem Aloysius Lippomanus, et Laurentius Surius Carthusianus, viri judicio, pietate, et varia, et recondita eruditione insignes, et sacrarum historiarum in primis scientissimi, qui non modo oratione, sed etiam usu ipso S. Zenonis esse docuerunt, quorum alter in suam catenam commentariorum in Genesim sententias ex hisce sermonibus quasi flosculos decerptos nomine Zenonis intexuit, uterque vero inter Sanctorum vitas prudentia summa, laboreque incredibili collectas sermones integros B. Zenonis nomine insignitos inseruerunt. His gravissimis auctoribus accedit vita S. Zenonis, quæ jam multis sæculis fuit conscripta, in qua membra aliquot horum sermonum, de quibus est disputatio, leguntur. Monemus autem prætermissum esse S. Gaudentii episcopi Brixiensis sermonem, qui excusis sermonibus S. Zenonis fuerat additus, quod in vetusto codice manuscripto non reperitur. Hæc de S. Zenonis sermonibus, ut piissimi et benignissimi pastoris ac patris nostri mandato, qua debuimus observantia, pararemus. Fruere igitur, candide lector, his sermonibus martyris episcopi, qui magno Dei munere nobis relicti sunt, quos cum attente legeris, senties te ad virtutis et pietatis studium mirabiliter excitari, et hominem, in quo Christus loquebatur, plane agnosces.

NOTITIA LITTERARIA IN ZENONEM.

(EX SCHOENEMANNO T. I, P. 312-328.)

§ I. *Vita.* — Episcopus Veronensis, de quo admodum pauca sunt, quæ certa fide atque continua rerum memoria traduntur. Fuerunt, qui nomine ducti Græcum putarent, et Anonymo quodam versificatore teste Syria oriundum. Quorum hariolatio cum per se sit satis levis atque parum communita, tum infringitur plane dictionis genere longe puriori atque propiori, quam Græcus homo studio privato videtur consecuturus fuisse. Contra ex eodem styli colore non sine jure sibi videntur, qui identidem dictionem ejus deprædicarunt viri doctissimi Casaubonus, Barthius aliique, Africanum eum fuisse. Atque huic opinioni calculum adjecerunt fratres Ballerinii editores ex *Tr. de Arcadio martyre* in Cæsarea Mauritaniæ passo; cujus memoria cum prorsus apud antiquos ignota sit, fieri non potuisse existimant, ut Veronensis ep. tanta cum religione natalitium ejus diem celebraret, nisi præcipua quadam devotione eidem fuisset addictus atque adeo fortasse ex eadem Africæ provincia oriundus; ostendentes simul non alienum a consuetudinibus Ecclesiarum Occidentis fuisse, ut Africanos meritis insignes episcopos et clericos crearent, nec minus moris fuisse expeditiones in terras Orienti suscipere. Idem episcopum eum ordinatum esse sexto idus decembris anno 363 (postremo Juliani) scribunt. Juliano ergo an. 363, vita defuncto, cum imperium ad Cæsares religionem christianam foventes iterum esset traductum, novi muneris auspicia exinde felicissima Zeno cœpit, ut partim paganos, quos frequenter tunc Veronæ fuisse verisimile est, partim Arianos, qui sub Constantio, Juliani prædecessore, catholicos in his regionibus pene oppresserant, adoriretur, quos partim facundia sua ad fidem convertit, partim impugnationibus acribus tantum non penitus devicit, unde Veronam erroribus purgasse atque ad veram religionem perduxisse dictus est. Effecit quoque studio illustri, ut nova ecclesia Veronæ e fundamentis exstrueretur, primumque, ea aperta, christianorum conventum sermone, etiam nunc superstite, celebravit (*Tract.* XVI, l. I). Atque primam hanc fuisse ecclesiam Veronæ hos in usus ædificatam, ex eodem ejus sermone non injuria auctores ante laudati conjiciunt. Morum ac vitæ gnaviter ducendæ custos vigilantissimus fuit, et superest tractatus (*Tract.* XV, l. I), quo plurimum tunc temporis per Italiam episcoporum exemplo in eos invectus est, qui agaparum nomine in commessationes, ebrietatem ac impudicitiam abuterentur. Imprimis autem virginum disciplinam ab eo excultam esse, adeo ut Veronæ non solum virgines essent, quæ pudicitiæ virginalis voto obstrictæ in domibus suis se continerent, sed etiam quæ virginitatem professæ communem in monasterio vitam degerent, ex Ambrosio (*Epist.*) potissimum cognoscimus. Annus, quo vita excesserit, ut plurima ejus gesta, incertus est. Placuit Ballerinîis 380 vel 381, ut adeo per annos 18, Ecclesiæ Veronensis regimen tenuerit, quod spatium ad omnia, quæ tam obscure accepimus, gerenda vix satis magnum putant. De miraculis et martyrio in præsenti nihil dicere attinet. Illa qui curat, editores operum ejus et fontes, unde illi hauserunt, adeat; posterius fabulam esse, ipsi Ballerinii majoris quam forte opus erat operæ impendio probatum iverunt.

§ II. *Scripta.* — *Ejus supersunt Sermones longiores* XVI, *breviusculi* LXXXVII.

§ III. *Editiones.* — Ante Ballerinios fratres nemo fuit, qui bene de Zenone meruisse dici posset. Nam

Digitized by Google

qui valde mature quidem, anno nimirum 1508, ex codice a Guarino Veronensi reperto Zenonis nomine luci dati sunt sermones, non modo nihil famæ hujus auctoris profuerunt, sed etiam ad confundenda doctorum de eo judicia valuerunt, præeunte imprimis Jo. Sixto Senensi (*In biblioth. sancta*, IV, *ed. col. lon. agr.* 1626, *p.* 391), qui, cum aliquot tractatus deprehendisset, qui partim Hilarium aut Basilium auctorem haberent, partim auctorem longe Zenoni, cujus insuper ætatem Sixtus, cum Petro Equilino episcopo ad Gallienum usque retraxit, seriorem monstrarent, facile se dubitatione abripi passus est ad fidem reliquis etiam omnibus derogandam, ut majori ex parte collectos esse ex diversis auctoribus, ducentis pene annis Zenoni posterioribus statueret. Hinc aliquanto plane dubitatum fuit, num inter scriptores ecclesiasticos Zeno esset referendus (*Mabillon. de Studiis monast. parte prima*, *p.* 277, *ed. secundæ Venet.* 1729, *in*-4°)? Ac quanquam auctores edinis Veronensis anno 1586, vindicias sat prolixas contexuerint; « cum tamen ipsa in editione præter alium sermonum ordinem, quo isti in duos libros distributi cernuntur nihil occurrat novi, sed omnes tractatus æque sint perturbati, permixti ac pro Zenonianis divenditi, ii etiam, quos alienos esse Sixti argumenta manifestum fecerant : quæcumque in tam malæ causæ patrocinium dici potuere, non solum nihil profecerunt, sed ad indignationem potius exstimularunt nonnullorum animos, causamque ipsam, quæ imbecillibus valde argumentis suffulciri ac sustentari debuit, imbecilliorem multo deterioremque esse, quam ante fuerat, aliquibus persuasere. Ad difficultatum porro cumulum hac in editione accessit etiam tempus, quo S. Zenonem floruisse editores statuerunt, quod cum aliquot sermonum testimoniis adversetur manifeste, pro sedandis repugnantium criticorum animis, eos in majora dissidia exacuerunt. » Quod si his addas perversam, quam in ipso textu exhibendo secuti sunt rationem, quamque iidem Ballerinii, quorum superius quoque est judicium, acriter notarunt ex eaque deinceps Zenonem descriptum videas, senties oportet quo jure nemini ante Ballerinios quidquam debuisse affirmaverimus. Sub finem sæculi præteriti nova parabatur editio, morte dein auctoris intercepta, de qua apud eosdem Ballerinios hæc leguntur : *Franciscus Sparaverius*, Nobilis Veronensis in Latinis Græcisque auctoribus apprime versatus, politiorumque litterarum ac eruditionis cultor eximius, de quo plura Scipio Maffeius prodidit part. II Veronæ illustratæ; postquam nonnulla lucubravit summa cum laude, postrema ætate novam S. Zenonis editionem meditabatur, in quam plures annotationes paravit. At morte præventus anno 1697, opus imperfectum reliquit. Veronensis autem ordinem secutus, commentarium produxit ad medium usque sermonem *de ædificatione Domus Dei*, post quem tres alii supra decem sermones ea in editione supersunt sine ullo commentario; quem tamen parasse, etsi descriptus non fuerit, vel saltem animo præcepisse, indicant annotationes aliquæ, in quibus ad observationes in eosdem postremos quoque sermones lectorem remittit. Hisce autem in annotationibus et corruptiora quædam loca tentavit emendare et difficiliores quasdam sententias explicare naviter et erudite studuit. Uno codice usus, quem serius etiam accepisse videtur, alios sæpe desideravit, queis sinceram lectionem restitueret. Aliquos tractatus supposititios plane cognovit, at cum vulgatum de Gallieni ætate præjudicium nondum detexisset, hæsit alicubi, quominus aliquos addititios tractatus alienos crederet, alicubi etiam genuinum Zenonis sermonem, qui ei ætati non congruit, ab eodem adjudicandum putavit : ut ne tamen certum sit, an mutaturus fuisset sententiam, si editioni perficiendæ longiorique meditationi tempus superfuisset. Nunc affectus hic Sparaverii commentarius ipse quoque Balleriniorum editioni accessit. Horum igitur immortali opera effectum est, ut, cui antea honorem scriptorum atque ipsum statum docti denegarent, is jam munere, meritis et scriptis luculentissimæ editionis honore decoratis elucescat. Balleriniorum recensionem ac distributionem secutus est *Gallandius*. Novissimæ in Zenonem curæ sunt *Bartholomæi Perazzini* et *Jacobi* Marchionis *Dionisi*. Nunc de singulis.

1508.

Venetiis, apud Bened. Fontana. Eximii et excellentis viri præclarissimique Doctoris Sancti Zenonis episcopi Veronensis sermonum elegantissimorum ad populum excerptorum ex vetustissimo volumine Veronæ ab Guarino Veronensi viro eloquentissimo in episcopii Veronensis bibliotheca reperto. *Ad calcem :* Ad laudem et gloriam summæ et individuæ Trinitatis, et beatissimæ Virginis Mariæ, et beatorum pontificum Zenonis et Cæsarii et omnium Sanctorum, sermones in hoc volumine positi, et numquam alias impressi, solertissime *recogniti*, et studiosissime per *venerabilem Patrem Albertum Castellanum ordinis Prædicatorum correcti, ac per Magistrum Jacobum de Leuco impensis Domini Benedicti Fontana Venetiis* diligentissime *impressi* anno Domini 1508, die 24 januarii feliciter expliciunt.

Ex pleniori hoc titulo facile apparet, perperam a multis inde annis ad Ballerinios usque, qui primum hunc errorem correxerunt, tributum esse editionis hujus honorem Guarino Veronensi, qui jam anno sæculi XV sexagesimo diem obierat, cuique codicis tantummodo Zenoniani inventi gloria debebatur. Dispertita est in tres libros, quorum primus sermones complectitur 17, *qui sunt de virtutibus et vitiis;* secundus sermones 38, *qui sunt de rebus Veteris Testamenti*; tertius sermones 50 *de rebus testamenti novi*, subjectis in fine homiliis S. Cæsarii Arelatensis et aliis quibusdam a genuinis tamen Zenonis tractatibus non distinctis vel inscriptione secretis, præter unum sermonem, qui S. Gaudentii Brixiani nomen præferi.

1586.

Veronæ, apud Hieron. Discipulum. in-4°. Sermones

Digitized by Google

de plurimis S. Scripturæ locis et rerum divinarum argumentis; cum epistola nuncupatoria A. Valerii (ad Sixtum V. P. M.)

Nihil habet præcipui hæc editio impulsu ac consilio cardinalis Augustini Valerii præsulis Veronensis per Raphaelem *Bagatam* et *Baptistam Perettum* facta; nisi quod sermones omnes in duos libros distributi sint. Nam licet vetustum codicem appellent, ex quo aliquot locis emendatior factus sit Zeno, ostensum tamen a Balleriniis, codicem fuisse recentis admodum ætatis, sæculo XV scriptum, cujus usus vix major fuerit, quam ut pauca quædam loca, quæ in prima editione erant corruptissima, emendari possent. Neque vero hoc, ut par erat, usi sunt, sed pessimum eorum, qui sub Sixti V auspiciis Ambrosii opera ediderunt, exemplum secuti, et codicis et primæ editionis fidem passim deseruerunt, adeo ut Balleriniis judicibus in hac Veronensi editione ac cæteris inde derivatis præter confusam perturbatamque alienorum tractatuum cum Zenonianis mixtionem, arbitraria aliquot locorum interpolatio, nemini cæteroquin, ut iidem monent, ob primæ editionis raritatem observata, plurimum offendere debeat. Vitam Zenonis præfixam habet Rap. Bagata, ut ferunt, auctore.

1589.

Parisiis. in-fol. Zenonis Ver. Ep. de plurimis S. S. locis, etc., sermones; *in Bibl. PP. Bigneana* ed. secundæ T. III.

1618.

Coloniæ Agrippinæ. in-fol. Zenonis Ver. Sermones. *In Bibl. PP.* T. III.

1644.

Paris. ap. Æg. Morellum, in-fol. Zenonis Veron. Ep. Martyris et Doctoris eximii de pluribus S. S. locis, etc., sermones *in Bibl. PP.* T. II, col. 359. Ibidem in eadem de anno 1654.

1657.

Lugduni, sumpt. Laur. Anisson et *Jo Bapt. Devenet.*, in-fol. Zenonis sermones varii in *Aloysii Lipomani Catena in Genesin*, nec non *Ei.* eodem l. et a. edita *Catena in Exodum.*

1662.

Parisiis, sumpt. Ant. Bertier, in-fol. Zenonis varii sermones in *Franc. Combefisii Bibl. PP. Concionatoria.*

1677.

Lugduni, apud Anissonios, in-fol. Zenonis sermones *in Bibl. Max. PP.* T. III, p. 359, cum vita præfixa, p. 356.

1710.

Patavii. S. Zenonis sermones. Recusi ad editionem *Raph. Bagatæ.*

1739.

Veronæ, typis Seminarii apud August. Carattonium, in fol. (in-4° potius) Sancti Zenonis ep. Veronensis sermones. Nunc primum, qua par erat, diligentia editi. Alienis nimirum separatis ac in Appendicem rejectis, codicibusque compluribus consultis, inter quos scripto ante annos circiter mille per March. Scipionem Maffeium in Gallia collato. Recensuerunt et dissertationibus perpetuisque annotationibus illustrarunt *Petrus et Hieronymus Fratres Ballerinii* presbyteri Veronensis.

Haud exiguæ profecto molis erat talem condere Zenonis reliquiarum editionem, in qua non major circa ipsum textum quam auctorem labor exantlandus fuit. Nempe patriæ amor hoc potuit, cui episcopum rerum et scriptorum memoria illustrem vindicaturi erant. Duo autem imprimis obstiterant, quominus verum hac in re docti cæteroquin et acuti viri antehac cernerent, videlicet inveterata ex martyrologio opinio, S. Zenonem sub Gallieno vixisse et martyrium esse passum, et Sixti Senensis præjudicium, Sermones, qui Zenonis audiunt farraginem, ex multis et conditione et tempore longe inter se diversis esse auctoribus. Unus Baronius suspicatus erat, auctorem paulo ante S. Ambrosium vixisse, tum ex epistolis Ambrosii, tum quod in tractatu, qui est h. ed. 7, l. II, Ariana hæresis tangitur; attamen salvum etiam cupiens Zenonem, quem martyribus sub Gallieno Imp. adscripserat, diversum hunc a Veronensi sermonum auctori atque duos adeo Zenones statuit. Mox tamen cum a Veronensibus editoribus didicisset, Veronensis Ecclesiæ perpetua traditione nullum alium Zenonem cognitum fuisse præter Zenonem episcopum et martyrem, eumdem, qui sub Gallieno martyrium obiisse traderetur, quemque sermonum auctorem illi defenderent, priorem sententiam repudiavit et huic subscripsit : ita ut eos tantummodo tractatus, in quibus Arianorum mentio fit, ab amanuensibus Zenonianis intrusos putaret. Post eum non latuit quidem viros doctos, Veronensem episcopum ad tertium sæculum evehi non posse, nemo tamen ad discutiendas enucleandasque, quibus res impedita videbatur, difficultates paratus fuit, quas tandem Ballerinios tam feliciter extricavisse lætamur. Quam in rem ante omnia memorare oportet, vindicias pro auctore ac sermonibus ejus perscriptas in *prolegomenis Zenonianis* tribus dissertationibus comprehensis; quarum *prima* de genuinis tractatibus S. Zenonis ep. Ver. et de ejus ætate, *altera* de Doctrina ejus, *tertia* de Actis S. Zenonis et de ejusdem cultu agit, quibus ad calcem *Monumenta de S. Zenone et testimonia* selecta subjiciuntur. Atque altera ad nos non pertinet, tertiæ debetur brevis notitia Vitæ Zenonis, quam supra dedimus. Primæ tantum, quæ totius editionis rationes ac fundamenta exhibet, conspectum hic sistamus.

In procœmio variis criticorum censuris ac difficultatibus recensitis, supposititii tractatus a genuinis tandem certo codicum indicio separantur eoque ipso fons ac sedes potiorum difficultatum evertitur. Quod genuini Zenonis tractatus a suppositititiis dijudicari non poterant, editorum superiorum culpa factum esse monent, qui suppositititios Zenonianis subjectos in fine codicum haud separatim dederant, immo nec

Digitized by Google

in manuscriptorum fine positos esse monuerunt quidem, (quæ monitio ad omnem litem dirimendam eruditis satis fuisset), sed eos cum genuinis permixtos nullaque distinctos notatione exhibuerunt ac uti Zenonianos promiscue venditarunt: iique cum Zenonem auctorem habere nequirent, omnes quoque Zenonianos in dubitationem conjecere. Tales numero sunt et constanter in fine omnium codicum subjecti, undecim, quos ipsi quoque editores ad calcem editionis suæ adjecerunt. His demptis supererant 83 quorum unum auctorem esse statuunt et argumentis, tum e codicibus, tum ex stylo desumptis, variisque objectionibus, quas ab argumenti, indolis et longitudinis diversitate petierunt viri docti, dilutis, evincunt. Hæc capite primo § 1, 4. Pergunt cap. altero auctorem horum tractatuum scripsisse IV sæculo, eidemque omnia congruere, quæ in omnibus tractatibus contineantur. Hic primum afferunt locum insignem ex tract. V, lib. I, ubi *quadringentos* ex sua retrorsum ad Pauli apostoli ætatem annos auctor numerat; quod temere editores Veronenses in *ducentos* mutaverant, et Baronius aliis argumentis deinde adstruere conatus erat; quæ singula diluuntur. Tum urgetur argumentum grave quod auctor contra Arianos disserens IV sæculo adjudicandus sit, fulcitum ab alio, quod plures sæculi quarti hæreses in his tractatibus impugnentur. His addunt publicum in urbe Verona monumentum, ecclesiam sub auspiciis ejus ædificatam ab eoque (tractat. IV, lib. I) in usus communes apertam ac dedicatam; quod ante sæculi IV tempora fieri non potuerit. Item quod interdicta Gentibus templorum ædificatio et publicus nihilominus idololatriæ cultus de quibus auctor meminit, ætatem ejus post medium quartum sæculum ac Juliani obitum certioribus limitibus definiant. Porro non Lactantium solum, sed et Hilarium imitatum auctorem videri. Tandem insignis auctoris locus de captivorum redemptione cum aliis duobus S. Ambrosii mirifice congruens, spectare ostenditur captos a barbaris post Hadrianopolitanam pugnam anno 378, simul non ultra sæc. IV, auctoris ætatem prorogari posse, sed ante ann. 391, eum floruisse statuitur. Denique objectio de persecutionibus et martyribus disjicitur, brevi persecutionum sæculi quarti historia cap. 2, § 1, 8. His ista præmonitis, tertio capite probare annituntur, auctorem tractatuum, quem IV sæc. vixisse ostenderant, esse S. Zenonem Ep. Veronensem, provocantes primum ad codices et antiquos testes et Ecclesiæ Veronensis traditionem, a quibus omnibus tractatus isti Zenoni huic tributi sint. Deinde vulgare præjudicium de S. Zenonis ævo sub Gallieno, quod unum hactenus constitutis opponj posse videretur, ad examen revocant, originem et fundamentum, nempe Coronati Notarii narrationem, declarant atque monumentis certis S. Ambrosii ad Syagrium epistola et ordine antiquo episcoporum Veronensium IV sæculo eum vixisse comprobant. Insuper denique Coronati Notarii narratio septimo vel octavo sæculo scripta perstringitur et fabulis A scatere ostenditur; postremo ætas S. Zenonis, quacum omnia conveniant, certis finibus, intra annos 356 et 380 definitur cap. 3, § 1, 5. — Multa præterea historiæ ac litteraturæ ecclesiasticæ capita, ut postea in Leonis operibus, doctissimi editores attigerunt et discusserunt, quæ in omnium eruditorum memoria versantur. Sed nobis jam cæteræ hujus editionis dotes declarandæ sunt. Novem contigit nancisci codices quorum octo omnes sermones continebant, unus autem vetustissimus, Remensis, fons reliquorum videbatur. Horum igitur ope non solum supposititios tractatus a genuinis secreverunt, ut ex ante dictis patuit, sed insigniter etiam ac multis in locis vel emendarunt vel antiquam lectionem muniverunt. Quod ad partitionem ac ordinem sermonum B attinet, neque editorum superiorum neque codicum exemplum sequi e re visum, quoniam apud utrosque longiores et breviores promiscue conserti, argumento et titulo similes disjecti, ab illis præterea genuini cum spuriis confusi essent. Sed collectis in unum ejusdem inscriptionis tractatibus universos sermones in libros duos diviserunt, quorum primus longiores et quidem omnes fere de vitiis ac virtutibus præcipientes, alter breviores, numero plures ac argumento diversos contineret. Ne quis vero codicum et editionis Veronensis, quæ vulgo allegatur, ordinem desideraret, utrumque cum novo collatum distinctis tabulis ante ipsos sermones exhibuerunt. In annotationibus non solum id intenderunt, ut correctionum rationem afferrent, selectas variantes lectiones appo- C nerent vel difficiliora loca explicarent, sed uberius quoque studium in dictionis declaratione ostenderent. Atque hoc etiam tum ad confirmandam auctoris ætatem; tum ad locutionis latinæ puritatem vindicandam. « In gratiam nonnullorum, inquiunt, qui præjudiciis aliquot jam inolitis devincti tenentur, oportuit, pares quasdam aliorum IV, vel sequioris etiam sæculi Patrum sententias alicubi recitare, quibus aliquas Zenonis formulas seu testimonia nonnulla, antiquioris multo ætatis vulgo existimata, in quartum quoque, vel posterius etiam sæculum cadere probaretur. Voces seu loquendi rationes aliquot minus usitatas, quæ exoticæ vel infimæ latinitatis videri possent, probatiorum, si fieri potuit, scriptorum indicatis exemplis purgare studuimus, adeo, ut per- D paucæ illæ, quas apud neminem reperimus, satis ex cæteris vindicatæ maneant, cum præsertim non omnes Romanæ et antiquæ voces in libris veterum inveniantur. » Tractatus XI auctorum aliorum appendicis modo adjecti, etsi similem curam experti non sint, non tamen annotatione critica destituuntur. Post appendicem succedit cum præfatione et epistola nuncupatoria ed. Ver. anno 1586. *Francisci Sparaverii* annotationum αὐτοσχεδίασμα cum prævia admonitione editorum, ex qua paulo ante quædam delibavimus. Multiplex lectio in utriusque linguæ auctoribus æque ac scriptoribus ecclesiasticis et ingenii facilitas in explicando et emendando ubique in istis animadversionibus elucet. Cæterum præclaræ huic edi-

Digitized by Google

tioni nec index idoneus, nec præfatio, diligens nec dignum decus arte typographica deest, neque patronus, quo ista ætate gloriari liceret, cuique nuncupata est, cardin. *Passioneus*.

1769.

Venet. ex. typ., Jo. Bapt. Albritii. in-fol. S. Zenonis Ep. Ver. Tractatus ex luculenta Ballerinia editione Veronensi anni 1739, cura *Andr. Gallandii* in Tomo v, *Bibl. PP.* p. 107-157. Textus tantummodo transcriptus est. Observationes aliquot locis adjectas, quæ Ballerinios, ut scribit, fugisse viderentur, commemorasse vix operæ erat. De Zenone disserit Prolegg. cap. 12, pag. 19 et 20.

1784.

Verona. in-fol. Le Opere di S. Zenone volgarizzate dal Marchese *Gio. Iacopo Dionisi* canonico Veronense. *In fine :* presso Dionigi Ramanzini.

De versionis bonitate nostrum judicare non est. Sed magnificentius puto, quam Zenoni competebat de eloquentiæ ejus vi ac numeris iisdemque in transferendo assequendis auctor sensit. Quam in rem multa ab eo in præfatione disputata sunt, quæ æque ad communia transferendi præcepta ac regulas, quam Zenonianam hanc traductionem spectant. Universe sententias et ingenium Zenonis exprimere magis quam verba et dictionis colorem laborasse se affirmat. Sed quod ad plures forte pertinet, singulare habet munus hæc editio a criticis et exegeticis *Bartholomæi Perazzini*, archipresbyteri Veronensis, annotationibus, singulis tractatibus adjectis, in quibus partim interpunctio, partim ipsa verba, prout vel Ballerinorum vel omnium omnino editionum consensus vel ratio his omnibus potior suadere videretur, correcta vel sententias aliter ac hactenus consuevit explicatas invenias sagaciter et cum insigni judicio. Nec vero paucæ eæ sunt, quamquam a versionis auctore, qui stylum quoque accommodavit, in brevius contractæ. Accedit præterea hoc commodum, ut in indice non desultorie confecto uno intuitu lectiones novæ, postliminio reductæ, suppletæ aliæque, nec non interpunctionum mutationes spectari possint. Cæterum post præfationem Vita Zenonis addita, inscribitur autem Pio VI, S. P. Nitor typorum atque chartarum est plane eximius.

Codices. Hoc loco annotasse non pigeat, quæ de collectione Sermonum S. Zenonis Ballerinii observarunt, eam paulo post S. Episcopi mortem ipso quarto sæculo exeunte vel ineunte quinto ex schedis ejus Veronæ relictis eductam atque expressam esse. Auctorem ipsum eam parasse ac edidisse negant propterea, quod plures imperfecti, repetiti ac mutili occurrant unde probabile esse existimant, quod ea, quæ in usum sermonum, quos ad populum frequentissimos habuit, post mortem in schedis reliquisset, ab aliis inventa, ob eximiam viri existimationem colligenda naviter visa sint, idque tanta factum diligentia, ut quidquid reperiri potuerit sive perfectum sive minus, totum collectione et editione dignum judicatum sit, fragmentum licet exiguum esset, vel exordiolum vel unica etiam periodus. Sed ad propositum properamus.

De *Guarini codice* mentio jam supra allata est. Nullum jam codicum Zenonis vestigium in bibliotheca capituli Veronensis superest. Inter Ballerinianos nullus antiquior fuit ac præstantior quam *Remensis*, quem Remensium Benedictinorum bibliothecæ ante annos ferme nongentos ab Hincmaro episcopo dono datum. P. Ruinartius in acta S. Arcadii, et P. Constantius in Vett. Codd. vindiciis p. 295, ac in ed. Hilarii pag. 463, ed. Veron. aliique etiam alibi commemorarunt. Quoniam in eo tamquam antiquissimo totius fabricæ veluti basis ac fundamentum sit, accuratam ejus descriptionem una cum duobus speciminibus in præf. p. VI, IX dederunt. Iidem ex indiciis certis codices antiquiores librario ejus ad manum fuisse notant. Hunc præter præsto fuere

Tolentinas. Venetiis in bibliotheca clericorum regularium Tolentinatum existens codex membranaceus pulcherrimique characteris, quique ad XIII circiter sæculum pertinere putatur. Lectiones ad Remensem multum accedunt, ut a librario minus perito et indiligenti scriptus apparet, cum eadem voce alicubi recurrente, frequentes saltus occurrant.

Vaticanus n. 1235, membranaceus, XIII sæculo scriptus, ex eodem cum Veneto fonte profectus, licet emendatior, cuique codicem a Guarino repertum persimilem fuisse videri Edd. nostri observant.

Vaticanus Urbinas 150, membranaceus item, sed jam descripto aliquanto posterior et sæculo forte XIV exaratus (1).

Codex Basilicæ S. Petri in Vaticano, scriptus ineunte sæc. XIII, vel ineunte XIV, signatus littera F. 33, præter titulos sermonum in omnibus cum Remensi concordat. Hujus non plenam collationem, sed aliquot solum tractatuum et difficiliorum locorum variantes lectiones procedente jam editione postulaverant et obtinuerant.

Veronensis monasterii S. Zenonis, recentioris ætatis, sæculi XV, haud dubie, ex membranis compactus, idem ille, quem Veronenses Editores ann. 1586, Vetustum appellarunt. Cum Remensi quoque quoad ordinem et numerum tractatuum, titulis modo exceptis, ei convenit. Diversum autem hunc esse a codice, quem Petrus Calo ordinis Prædicatorum ineunte sæc. XIV se ibidem vidisse in mss. Collectaneis ab Henschenio laudatis testetur, Ballerini affirmant.

Sparaverianus. Ms. liber, quem F. Sparaverius olim cum editis contulit, variantesque ejus lectiones notavit in obss. suo loco laudatis. Quis ille fuerit, ignoratur. Plerumque ei cum codice monasterii S.

(1) Duo præter hos in Vaticana codices Zenonis extant, sed cum numeri, quibus notati sunt, non nisi duorum suppeterent, duorum tantum collationum copia a P. Josepho Blanchinio ipsis fieri poterat.

Digitized by Google

Zenonis convenire, ita tamen, ut in aliquibus discrepet, Ballerinii monent.

Pompeianus. Codex recentis ætatis, sed librarii accuratioris a Comite Alex. Pompeio editoribus A suppeditatus. Exaratus est sub medium XV sæculum. Ordo numerusque tractatuum idem ac in Remensi.

TRACTATUS (*)
SANCTI ZENONIS
EPISCOPI VERONENSIS.

LIBER PRIMUS.

TRACTATUS PRIMUS.

(1) *De Fide.*

1. 3 Christianæ (2) fidelitatis felicitas maxima est fidei nosse naturam, quæ talis ac tanta est, ut unicuique (3) homini 4 non ab alio commodetur, sed ejus ex voluntate nascatur. Cæterum si, ut quidam putant, (4) docentis pendet ex ore, procul dubio eodem aut cessante, aut aliter docente consumitur. Huc accedit, quod, nisi (5) insinuationem legis omni devotione succincta

* *Sermones* appellantur in editis : codicum nostrorum appellationem prætulimus, quæ apud alios quoque Patres usitatissima est, et in eorum codicibus frequentior, ut in Præfatione animadvertimus.

TRACT. I.—(1) Retinuimus titulum ed. Veronensis et ms. monasterii S. Zenonis: et sane hic est unus e duobus tractatibus, quos *de Fide* a S. Zenone perscriptos commemorat Joannes presbyter Veronensis historicus ineuntis sæculi XIV, necnon Guillelmus Pastrengus et Petrus de Natalibus, qui eumdem Joannem secuti sunt. Prima editio Veneta an. 1508, et tabula seu index lib. II, in eodem ms. Zen. hanc inscriptionem præferunt, *de Fidei commendatione.* In codicibus autem cæteris inscribitur, *Tractatus fidei* : et solum in indice, qui ms. Pomp. præfigitur, hic titulus notatur, *de Tractatu Fidei*, qui non omnino despiciendus est cum S. Zeno hoc primo tractatu id agat, non ut fidem commendet, vel explicet, sed ut ne tractatus Fidei scribantur : id quod intellexit de illis tractatibus, in quibus Trinitatis mysterium humanis ratiocinationibus explanare quispiam audeat, ut pluribus ostendimus diss. 2, cap. 2, quod ad præsentis tractatus intelligentiam legendum omnino est. Unum illud movebat, ne hunc primum Zenonianis tractatibus accenseremus, quod epistola potius ad quemdam, quem *Fratrem* appellat, tradita, quam tractatus ad populum habitus videatur : eum enim perpetuo alloquitur, multisque argumentis ab ejusmodi Tractatuum scriptione; quæ plena erat periculi, deterrere et amovere conatur. Accedit, quod Petrus Calo ordinis Prædicatorum, qui vixit ineunte sæculo XIV, in mss. collectaneis apud Henschenium tom. II April., pag. 76, opera commemorans S. Zenonis, quæ se vidisse ait *in mss. monast. S. Zenonis de Verona*, non *tractatus* solum *octoginta*, sed *et epistolas* se in eo legisse affirmat. Inter opera vero S. Zenonis nulli melius *epistolæ* nomen, quam huic tractatui convenire potest. Sed a codicum fide discedendum non putavimus : notum autem est, in tractatibus ad populum singularem personam SS. Patres nonnunquam allocutos fuisse, ut vitium in uno reprehendentes, multitudini parcerent, et communi periculo satis prospicerent. Illud interim prætereundum non est, hunc tractatum Germanica lingua redditum a Gotfrido Arnoldo, inter alia selectiora Patrum, præcipue Græcorum, opuscula Germanice item translata, fuisse editum primo Lipsiæ an. 1696, dein bis Goslariæ an. 1702 et 1716, uti discimus ex Fabricio vol. VII Bibl. Græc., pag. 493.

(2) Codex Pomp. cum Urbinate habet *felicitatis*, sed in margine ejusdem ms. Pompeiani emendatum est *fidelitatis*, quod in aliis codicibus legitur.

(3) Sic restituimus ex mss, et edit. Ven. cum in posterioribus aperte suppositum sit, *homini non ab alio, sed ejus ex voluntate, præveniente Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio, nascatur*; de cujus suppositionis caussa satis diximus dissert. 2, cap. 5. Solum aliqui codices post vocem *homini* addunt *suo.* Ait igitur S. Antistes, fidem nemini fidelium commodari ab alio, qui scilicet fidem illi proponat et probet, sed ex cujusque voluntate nasci : quod cum S. Zeno dixit, illud unum in animo habuit, non ut gratiam excluderet, de qua tum non agebatur, quamque et paulo post et alibi satis luculenter adstruit, sed ut eos refelleret, qui argumentis et tractatibus fidem exponere conabantur, ac si ejusmodi industria fides cordibus insereretur. Vide dissert. 2, cap. 2, ex quo occasio et argumentum hujus tractatus ac nonnullarum formularum, quæ hoc in tractatu acerbiores videntur, explicatio et vindicatio petenda est. Simili ratione S. Zeno tract. 2 hujus libri, n. 5, de charitate agens : *Quoniam*, inquit, *ex lege*, id est doctrina (ut patebit adnot. 5) *discitur, sed in mentibus nascitur.*

(4) Zenonis consilium, quod proxima adnotatione innuimus, si quis recte teneat, hisce verbis nihilum offendetur. S. Antistes illos non damnat, qui prædicationis necessitatem ad fidem suscipiendam inculcant : et sane *insinuationem legis*, seu didascaliam fidei eum admittentem legimus : vide inferius agnot. 49. Solum ergo in illos invehitur, qui in fide argumentis statuenda perinde laborarent, ac si ab hac industria fidei insitio ac propagatio penderet, quam in sententiam dixerat paulo ante, fidem *non commodari ab alio, sed ex voluntate nasci*, cujus assensus si desit (nam *non omnes obediunt Evangelio.* Rom. X, 16) irritus erit omnis labor ejus, qui docuit.

(5) *Lex* hoc in tractatu nunc quidem pro præceptis legis sumitur, uti cum II. 2 dicitur : *Per ipsam Dei voluntas populis intimatur, per ipsam disciplina cœlestis colligitur*, etc.; at fere accipitur pro ipsis fidei dogmatibus atque doctrina, ut cum scribitur : *Errat quisquis disputationem legis æstimat fidem*, ubi *disputationem legis* idem esse, ac disputationem de dogma-

Digitized by Google

præcedens amplectatur fides, quæ tam sibi, quam illi credendo præstet 5 effectum; insinuatio inanis erit : quia incredulo credentis fructum præstare non poterit. Denique Abraham placuit Deo (6) credulitate sine lege (*Galat.* III, 6), et Judaicus populus displicuit Deo incredulitate cum lege. Unde dubium non est legem non posse sine fide, fidem posse sine lege: alioquin (7) isthæc innumerabilis simplicitate sua felicior turba 6 adhuc mortis imperio subjaceret, si legis periti tantum justificari meruissent. At cum scriptum sit, *Littera occidit, spiritus autem vivificat* (II *Cor.* III, 6), quia non sub lege, sed sub gratia sumus, quæ nos diligere Deum, ac soli illi servire in sacramento semel creditæ (8) unicæ Trinitatis fidei, patet ex eo quod subditur, disputationem hujusmodi, si *versuta* sit, eradicare fidem, *quia fides profecto non est, ubi quæritur fides*, seu ubi de fide per disputationem movetur quæstio. Similiter doctrinam fidei S. Antistes *legem* appellat, cum n. 5 ait : *Cur legem lege distringis? cur sub imagine fidei fidem deponis?* et aliis id generis locis. Hanc *legis* significationem, quæ fortassis ab ea locutione Pauli originem ducit, qua ad Rom. III, 27, *legem fidei* vocat, indicat etiam S. August. *de Gest. Pelag.* n. 4, ubi hujus dictum de *legis scientia* considerans, *Si forte Pelagius*, inquit, *responderet, hanc ipsam se dixisse scientiam legis..., quæ per doctrinam fidei neophytis, atque in Christo parvulis traditur, qua etiam baptizandi catechizantur, ut symbolum noverint; non quidem ista intelligi solet, quando habere quisquam scientiam legis dicitur;* quibus verbis non id a consuetudine loquendi alienum notat, quod *lex* pro *doctrina fidei* accipiatur, sed quod *doctrina fidei*, quæ catechumenis traditur, appelletur scientia : nam *scientia*, subdit, *vocatur illa, secundum quam legis periti appellantur*. Hoc quoque in tractatu S. Zeno ex eorum, quos impugnat, sententia, *legem* non tam pro simplici dogmatum fidei doctrina, quam pro ipsa scientia et peritia fidei plerumque accepit, pro ea nimirum fidei peritia, quam illi necessariam profitebantur, qui obscuriora fidei dogmata de Trinitate tractatibus explicare, et *argumentis pro ingenii qualitate asserere* conabantur : unde hos, perinde ac Augustinus Pelagium, refellit allata in medium simpliciorum turba, quæ *adhuc mortis imperio subjaceret, si legis periti tantum justificari meruissent*, pro quibus n. 4 ait : *Non habent ergo fidem qui litteras nesciunt* : et similiter n. 5, *imperitos* legis laudat, seque *minus peritum* profiteri non dubitat, non quod Trinitatis fidem non calleret, sed quod nec tractatus de illa edere, nec ratione eam scrutari et explicare, ut Ariani audebant, se posse crederet. Hanc quidem *legem*, quam *fidei* mox opponit, et a *fide* distinguit, cum ait *legem non posse sine fide, fidem posse sine lege*, n. 4, *doctrinam* vocat, eamque *credulitati*, id est simplici fidei in eamdem plane, quam exposuimus sententiam, ex opposito statuit, ita ut idem hoc loco sit *lex*, quod ibi *doctrina*, et idem heic *sit fides*, ac quod ibi *credulitatem* vocat, de qua voce plura adnot. sequenti. Variam hanc *legis* acceptionem hoc in tractatu promiscue usurpatam animadvertere et distinguere maxime interest. Hoc itaque loco *insinuatio legis* pro fidei didascalia accipi videtur : quam idcirco *fides præcedens amplectatur* oportet, quod nisi quis se ei, qui fidei præcepta tradit, docilem præbeat, inanis plane omnis *insinuationis* seu didascaliæ labor futurus sit. Hæc autem in rem suam S. Zeno inculcat, non ut didascaliam necessariam neget, sed ut (quod dixerat paulo ante) *fidem non ab alio commodari*, sed *propria ex voluntate nasci* confirmet.

(6) *Credulitas* nostro Auctori pluries memorata, neque sumitur pro nimia facilitate credendi, quæ vitio non caret, neque pro opinione infirma et imtis, non argumento, non necessitate, sed voluntate compellit; manifestissimum puto, nimis (9) astuto esse simplicem meliorem : quia simplex omnibus Dei verbis simpliciter credit; astutus autem nimia sapientia infatuatus, inquisitionibus vanis semetipsum confundit.

II. Sed dicet aliquis : si ita est, nulli ergo (10) lex prodest. Absit. Prodest, et quidem plurimum : nam per ipsam Dei voluntas populis intimatur : per ipsam disciplina cœlestis (11) colligitur ac tenetur (*Rom.* III, 20 *et* VII, 7) : per ipsam, inquam, genus omne peccati, ne quis imprudens intereat, diffamatur. Semper monere non desinit, ignorantia ne quis reatum excuset : nunc severa, nunc blanda (12) demonsbecilli, quæ in fidei dogmatibus sine gravi crimine locum non habet, sed pro simplici *fide*, quæ auctoritati *sine lege*, id est sine ratione adhibetur, qualis sane Abrahæ fides fuit, qui non solum nulla petita ratione credidit Deo, sed etiam, ut Rom. IV, 18, monet Apostolus, Deo credidit *contra spem*, quam ratio naturalis injiceret. Hoc tamen in loco, ubi de fide proprie dicta sermo est, illa potius Abrahæ fides *credulitatis* nomine commendata videtur, qua ille Christo ex suo semine gignendo divina fide credidit, antequam de hoc dogmate tractatus ulli, quos *legem* auctor nominat, per Arianos aut alios quoslibet ederentur : qua sane de caussa S. Ambrosius, lib. I de Abraham cap. 3, n. 21, hunc laudat, *quia rationem non quæsivit, sed promptissima fide credidit*, quæ plane idem sunt ac apud nostrum Antistitem *credulitas sine lege*. Hac de fide Abrahæ plura inferius adnot. 34. Cæterum in eamdem sententiam alii quoque scriptores idem *credulitatis* nomen pro *fide* accepere. Nemesianus, Dativus, et Victor martyres ad S. Cyprianum ep. LXXVIII : *Dum non desinis tractatibus tuis sacramenta occulta nudare, sic nos in fide facis crescere, et de sæculo homines ad credulitatem accedere.* Arnobius, lib. II adversus Gentes p. 47 : *Ridere nostram fidem consuestis, atque ipsam credulitatem.* Concilium Eliberitanum, c. 42 : *Ad fidem primum ad credulitatis accedunt*, et c. 44 : *Si postmodum ad credulitatem venerint.* Sedulius, l. I Operis Paschalis, c. 2 : *Hæc est vera fides et firma credulitas.* Exstant in antiquis Ordinibus fidei formulæ inscriptæ *Formulæ credulitatis.* Utque alia multa id generis testimonia prætermittamus, Ratherius noster episcopus in synodica ad presbyteros : *Fides autem*, inquit, *id est credulitas Dei.* Hæc dicenda erant fusius, non quod hic locus id postulet, sed ut hac præmonitione lector intelligat, quæ in sequentibus obscuriora fuissent, ubi eadem vox, sensu non ita explorato, repetita invenietur.

(7) Sic ms. Pomp. cum alii codd. habeant *ista* : illud autem præeligendum putavimus, ut impediretur æquivocatio, et id pronomen ad *turbam* referendum pateret.

(8) Mss. Pomp. et Zen. *unitæ.*

(9) Hæc ms. Pomp. lectio melior visa est, ut ex contextu apparet : tametsi idem codex in margine correctionem præferat *acute*, quod in editis et mss. est.

(10) Heic *legem* proprie sumit pro doctrina legis ; hæc enim est, per quam *Dei voluntas populis intimatur, disciplina cœlestis colligitur, genus omne peccati diffamatur*, etc. At post pauca pro doctrina fidei iterum accipit, immo etiam pro utroque.

(11) In Veneta edit. et mss. Pomp. ac Tolent. perperam legitur *corrigitur*, quod tamen in ipsius Pomp. codicis margine emendatum est ita, ut in textu scripsimus ex aliis mss. et editionibus. *Diffamari* autem omne peccati genus per legem dicitur pro eo, quod Paulus ad Rom. III, 20, ait : *Per legem enim cognitio peccati.*

(12) Probamus repetitionem plane Zenonianam

Digitized by Google

trat præmium, demonstrat et gladium, unicuique, quod elegerit, tributura, ut jure possit implere, quod gerit. Qui (13) ad se veniunt, professionem credulitatis ab eis solam ideo, quia eorum fidem videre non potest, exigit: quam si abesse ex moribus deprehenderit, confestim ut perfidum punit irata· quem docuit: nullamque aliam ob caussam promulgatam se esse testatur, nisi ut fides de infidelibus vindicetur. Denique tolle peccatum; cessat legis imperium. *Lex* enim, sicut scriptum est, *justo posita non est, sed peccatori:* quia *justus ex fide vivit* (I *Tim.* I, 9; *Gal.* III, 11), infidelis injuste. Errat igitur quisquis disputationem legis æstimat fidem:-(14) quisquis duo in unum diversa confundit. Disputatio enim **7** sicut excolit legem, ita, si (15) versuta sit, eradicat fidem: quia fides profecto non est, ubi (16) quæritur fides. (17) Deinde quia lex communis est, fides vero privata: quia lex semper manat ex libro (18) genitali, fides autem tenaciter inhæret suo soli proposito. Lex ab alio transit in alium, fides interit, si (19) a suo statu aliquando vel aliquo declinaverit. Lex hominis conscientiam alloqui tantum potest, videre autem non potest: fides conscientiam medullitus (20) mundat, ne quid reatui vel intrinsecus debeat: qui enim suam conscientiam non timet, is est qui Deum non timet. (21) Adde, quod lex (22) partibus et discitur et docetur. Adde, quod tota nec intelligitur, nec (23) tenetur. Adde, quod a quolibet pro ingenii qualitate argumentis asseritur. Adde, quod ab omnibus appetitur, (24) et a nullo completur. Adde, quod index (25) Dei voluntatis est, non Dei originis, aut naturæ.

8. III. Sequitur, ut scire debeamus, utrum (26) tractatum fidei, an (27) fidem tractatus debeamus asserere. Si tractatum fidei dixerimus; vehementer

verbi *demonstrat*, quæ occurrit in ms. Urb. et ed. Ven.

(13) Id est qui ad fidem accedunt: ubi *legem* accipit pro Fide catholica, quæ ab iis, qui ad se accedunt, *professionem credulitatis*, idest simplicis *fidei*, *exigit*.

(14) Ex antiquissimis manuscriptis Rem., Tol., Vat. et edit. Ven. addidimus *quisquis*, pro quo tamen melius legendum videtur *quippe qui*. Cod. Pomp. alia interpunctione scribit: *infidelis injuste erat. Igitur quisquis disputationem legis æstimat fidem, duo in unum diversa confundit*: quæ interpunctio adeo placet, ut nisi antiquiorum codicum lectioni adversaretur, eam textui libentissime inseruissemus.

(15) *Versuta disputatio legis*, quæ heic appellatur, sunt illi tractatus fidei mox recensendi adnot. 26 et seqq. quibus Ariani *nimia sapientia infatuati, inquisitionibus vanis seipsos confundebant*, ut n. 1 ait Zeno: et hi tractatus erant, qui non *excolebant* fidem, sed *eradicabant*.

(16) Pungit Arianos superiori annotatione memoratos, quos, dum variis tractatibus quærebant, quænam fides inter multiplices ab iisdem editas fidei formulas tenenda esset; fidem non habere convincit.

(17) Mss. duo: *Denique quia*, etc. *Legem* porro vocat didascaliam legis, quæ cum in publicis Ecclesiæ cœtibus habeatur, communis est omnibus: eique fidem cordis opponit, ac proinde illam *communem*, hanc *privatam* appellat.

(18) *Genitalis liber* dicitur liber ille legis, quem a genitoribus ad se transmissum acceperunt Judæi, qui deinde ad nos Christianos una cum sacris codicibus transiit, unde additur: *Lex ab alio transit in alium*.

(19) Ms. Pomp. *ab suo*. Paulo post pro *aliquo* ms. Vat. *in aliquo*, et editio Ven. *in quo*.

(20) Idest purgat ita *medullitus* et intime, ut non solum nihil exterius propter verba, vel opera, sed nihil etiam interius propter cogitationes *reatui debeatur*, seu peccetur.

(21) Ms. Rem. heic et in sequentibus repetitionibus scribit *Addo*.

(22) Idest per partes traditur et discitur.

(23) Edit. Ven. habet *docetur*, sed minus placet, cum inepta sit proximæ sententiæ repetitio. Totam autem legem, quæ pro fidei doctrina heic accipitur, nec intelligi affirmat, quod in fide plura sint obscura, nec totam teneri, quod non omnia dogmata Ariani crederent: id enim contra Arianos objicitur: unde n. 5: *Si ejus partem probes, reprobes partem... cum universa non credis*.

(24) Edit. Veron. *ut* pro *et*. Edit. Ven. *complectitur* pro *completur*. Cum de lege, seu scientia fidei in toto contextu sermo sit, mallemus *complectitur*, eo quod omnes hanc scientiam appetant, complectatur nemo, etsi tractatibus et ratiocinationibus eam assequi contendat. At citra fidem codicum mutare noluimus: cum fortassis de lege morum loqui sanctus Zeno voluerit, quam *voluntatis Dei indicem* mox affirmat. Quamquam et ipsam fidei scientiam a nemine compleri dicere potuit in eam sententiam, qua n. 4 de Arianis doctrinam legis, seu fidei præ se ferentibus, et per tractatus acquirere conantibus loquens, *Legis scientiam*, inquit, *ad perfectionem perducere nullis rationibus possunt*: quod idem est atque heic *a nullo completur*, idest a nullo *ad perfectionem perducitur*.

(25) *Index* divinæ voluntatis est lex proprie dicta, quæ morum præcepta continet: at intelligi etiam potest lex fidei, quatenus indicat, quid Deus nos credere velit, ut ne tamen credendorum originem et rationem patefaciat, quam Ariani tractatibus et argumentis exponere conabantur.

(26) Cum tractare dicerentur episcopi de ecclesiasticis negotiis agentes, ut exploratum fit ex S. Cypriani epist. LI et LII, ubi *tractatus* inter episcopos habiti commemorantur; expositiones, seu formulæ fidei ab episcopis in concilio tractantibus editæ, *Tractatus Fidei*, seu etiam solum *Tractatus* appellari solebant. Formula fidei Nicænæ *Tractatus Nicææ* vocatur in definitione synodi Ariminensis. fragm. VII, apud Hilar., n. 3 et 4, nec non in epistola ejusdem synodi ad Constantium, fragm. VIII, n. 1; et apud Ambrosium lib. III de Fide, cap. 15, n. 125; nec non ab auctore tractatus *de Fide Orthodoxa contra Arianos*, c. 8, quo respiciens Marius Victorinus loquens de voce Ὁμοούσιον: *At enim*, inquit, *quia non intelligitur, et scandalum facit, tollendum est de Fide et Tractatu, aut certe*, etc. Vide tom. IV Bibl. PP. edit. Lugd., p. 273. Heic autem S. Zeno non Nicænum tractatum intelligit, sed eos, qui post Nicænum ab Arianis conscripti fuerunt, quos post pauca *multos tractatus* appellat, propterea quod plures tum in pseudosynodis, tum etiam a nonnullis episcopis separatim editi fuere. Hos Arianorum *tractatus* memorant S. Hilarius, lib. II ad Constantium num. 4 et 5, Marius Victorinus, in oratione *de recipiendo ὁμοούσιον*, pag. 295 laudatæ editionis, Phœbadius in libro contra Arianos, p. 300, et alii. Animadvertendum vero est, non simplices fidei formulas ab Arianis emissas *tractatus* hoc loco dici, quas *fides* nominatas mox videbimus; sed fusiores expositiones fidei, in quibus suam quisque fidei sententiam argumentis et rationibus adstruere conabatur, ut ex contextu exploratum est.

(27) *Fidem tractatus* appellat fidem, quam quis tractatuum seu argumentorum vi concipere velit, eo quod nolit credere, nisi quæ sibi argumentis et tractatibus persuadeantur.

Digitized by Google

errabimus : subjici enim se loquacitatis artificio fidei natura non patitur, a qua nihil aliud laboratur, nisi ut suis sibi tantum virtutibus approbetur : non enim potest esse perfectum, quod aliunde exspectat sibi aliquid necessarium. Si vero fidem tractatus dicere cœperimus; erit profecto nec (28) nostra, nec sua, sed nec ejus, cujus esse dicetur : quia tractatus fidem cum adstruit, ex eo ipso eam, quo adstruit, destruit : nec ulli dabit, quod non habet; sed potius, ut non habeat, adhuc ipse disquirit. Video præterea, sicut (29) assertorum indicant nomina (quæ si auferas, 9 (30) nulla fortassis est pugna), multos fuisse tractatus, multas (31) fides, et quidem novellas, et litis labore ac favore nutritas : quas, quia vera vix potest inveniri, credo, ne populi penuria laborarent, (32) venales esse propositas. Verumtamen ex his omnibus eligendum quid sit, non potest nosci aut comprehendi : quia non erit (33) nec proprium, nec firmum, quod habet statum semper incertum : 10 quippe cum unius electio sit alterius reprobatio : vel si omnes omnino amplectendæ sint, ut tot quis habeat fides, quot non habet verba, multo magis nihil habebit, quia tractatus, qui eas genuit, vel quotidie generat, adhuc potest generare : e diverso pro-

(28) Tractatuum fidem nullibi esse ostendit, quippe quæ cum in tractatibus quæratur, nec illis possit inesse, et esse *sua*, nec nobis per tractatus inseri possit, et esse *nostra*, nec in ipso tractatus auctore, qui dubius quæstionem movit, reperiri queat : et sic fidem tractatuum destruere fidem pronuntiat : nam, ut dixerat paulo ante, *fides profecto non est, ubi quæritur fides.* Quibus similiter Hilarius, lib. II ad Constantium n. 6; *Fides deinde quæritur, quasi fides nulla sit.*

(29) *Nomina assertorum* tractatibus inscripta, sunt nomina Arianorum et Semiarianorum inscripta, ut credibile est, pseudosynodicis fidei formulis, seu *tractatibus*, *quos ipsi emiserunt*, uti loquitur Marius Victorinus, in libro *de recipiendo ὁμοούσιον*, p. 295, ubi non de Arianis solum, sed et de Semiarianis testatur : appelat enim Basilium Ancyranum, qui inter Semiarianos aliquando fuit. Videntur etiam quidam tractatus extra synodos a nonnullis hæreticis suis nominibus editi, cujusmodi fuit illa Potamii epistola, *quæ*, Phœbadio teste pag. 301 tomi laudati, *ab Oriente et Occidente transmissa est.*

(30) *Nulla fortassis est pugna*, inquit, *si assertorum*, idest auctorum, nomina *auferas*, quod aliquæ fidei formulæ, quas Semiariani emisere, recte intelligi possent, nec ullam hæreseos suspicionem ingererent, nisi quæ ex auctorum nominibus manat, quos dolo malo quædam verba usurpasse, alia autem omisisse notum erat. Hinc sane Hilarius aliquot ex iisdem formulis catholice posse accipi insinuat toto libro *de Synodis.*

(31) *Fides* idem ac fidei formula. *Incipit fides apud Nicæam conscripta*, Hilarius, fragm. II, n. 27, et lib. *de Synodis*, n. 84 : *Ipsam quidem religiose tum scriptam fidem.* Vide quoque libellum precum Marcellini et Faustini ad Theodosium, tom. I Sirmondi, ubi *fides* eamdem in sententiam sæpius usurpatur, sicuti et in confessione fidei Faustini, t. II Operum S. Leonis, pag. 138. In plurali vero numero pro Arianorum formulis apud Hilarium adversus Constantium n. 7 : *Condis fides contra fidem vivens*, quo loco *fides* intelligit varias fidei formulas, quæ Constantio imperatore favente vel præsente, ab Arianis scriptæ fuerunt, aut etiam libros illos, quos Lucifer Calaritanus veluti a Constantio contra catholicam fidem scriptos refert in libro *de non parcendo in Deum delinquentibus.* Iterum Hilarius, lib. II in Constantium, n. 4 : *Miserabile est tot nunc fides existere, quot voluntates.* S. Athanasius, in lib. de Synodis, undecim fidei formulas ad Antiochenam usque an. 361, ab Arianis promulgatas memorat. Harum multitudinem Socrates notans, lib. II, c. 41, λαβύρινθον, *labyrinthum*, appellat, earumque præcipuas recenset. Has porro *novellas* vocat S. Zeno, propterea quod novæ in dies formulæ ederentur. Quod autem ait, hasce fides *litis labore et favore nutritas*, vide annot. 38 et 39.

(32) Formulas Arianorum *venales* appellat, quippe quod Ariani, ut suarum partium numerum augerent, et ad hæreseos subscriptionem, seu assensum plures adducerent, præmiis uterentur. Hilarius quidem, in libro contra Constantium, n. 5, persecutionem *ditando* et *auro* eum commovisse teterrimam prodit. *At nunc pugnamus contra persecutorem fallentem... qui non dorsa cædit, sed ventrem palpat; non proscribit ad vitam, sed ditat in mortem; non trudit carcere ad libertatem, sed intra palatium honorat ad servitutem; non latera vexat, sed cor occupat; non caput gladio desecat, sed animam auro occidit.* Multi quidem *munera anteponentes*, ut inquit Liberius, apud Theodoretum, lib. II Hist., c. 6, hac ratione corrupti sunt : quos proinde *quæstu circumventos*, et *auri magis quam Christi amantes* vocat Gregorius Nazianzenus, n. 14, orat. 21, de laudibus Athanasii : et inter hos a Faustino ac Marcellino in libello precum ad imperatorem apud Sirmondum, tom. I, pag. 142, refertur Potamius fidei catholicæ olim defensor, qui *præmio fundi fiscalis, quem habere concupierat, fidem prævaricatus est.* Similia habet Gregorius Nazianzenus, laudata orat. 21 de laudibus Athanasii, ubi pauperum bona in malum ejusmodi usum ab Arianis consumpta testatur. Hinc iterum S. Zeno *divitum patrocinia* ab iisdem in subsidium advocata tradit : eorumque opibus plures corruptos docebimus annot. 39. Huc forte prospiciens S. Ambrosius, in Apolog. David, cap. 4, n. 17, allato Veteris Testamenti exemplo, de Sacerdotibus scriptum reliquit : *Quo indicio claruit auri cupiditatem materiam esse perfidiæ, et avaritiæ studio sacrilegia solere generari.*

(33) *Nec* abest a mss. Pomp. et Zen. Ut autem intelligantur, quæ de vago incertoque fidei Arianorum statu id loci traduntur, simulque confirmetur dilucide hasce S. Zenonis sententias cum hujus temporis historia probe congruere, adeo ut nihil simile superioribus sæculis, quibus illum vixisse nonnulli existimant, afferri queat, cui illæ peræque respondeant; recitanda putamus aliquot insignia Patrum loca, quæ cum præsenti mirifice concinunt. Primum Athanas., in epist. ad Episcopos Ægypti et Libyæ n. 6, p. 275, t. I : *Itaque omnia movent et conturbant, nec tamen suis decretis ipsi sunt contenti : nam singulis annis, velut qui pacta scribunt, ipsi quoque conveniunt, et de fide statuere simulant, ut etiam inde nihil nisi risum et dedecus referant : quippe quorum decreta non ab aliis, sed ab ipsis rescindantur. Si enim hi, quæ prius definierunt, considerarent, nollent profecto alia definire, nec rursus illis dimissis, ea nunc definirent, quæ, ut ipsi certe meditantur, post aliquod tempus sunt immutaturi..... Hinc ergo numquam cessant scribere, atque ita sua perpetuo mutantes, incertam fidem, vel potius certam manifestamque infidelitatem et pravitatem habent.* Præterea in lib. *de Synodis*, n. 14, pag. 727 : *Etenim ipsi inter se mutuo dissident, et cum a Patribus defecerint, nequaquam una eademque sunt mente, sed variis diversisque sententiis fluctuant : disceptantesque adversus Nicænam synodum, multas et ipsi synodos celebrarunt, in quarum singulis cum fidem exposuerint, nulli tamen stetere professioni : nec alio umquam modo acturi sunt : male quippe quærendo quam oderunt sapientiam, numquam invenient.* Tandem Hilarius, lib. II ad Constantium, n. 4, id sui so-

Digitized by Google

vocatus, rursus eas pro ingeniorum argumentorumque viribus retractando ac refellendo consumit. Sin vero, sicut necesse est, una est illa nobilis et (34) antiqua, quæ non dicam tractatu, sed ipsius nativitate : **11** porro (35) major est legis, quæ Deum Deo credendo promeruit, quæque credere non didicit, sed præsumpsit ; edicat mihi perniciosa ista adinventio tractatus sui, quo proficit pugna? Ne fides, inquit, intereat, cum male aut creditur, aut docetur. Quod malum est ista ratio, mox videbimus.

IV. Nunc scire cupio, fides ex (36) doctrina constet, an ex credulitate, an ex utroque. Si ex doctrina constat; non habent ergo fidem, qui litteras nesciunt, sed nec ipsi, qui sciunt : quia legis scientiam observantiamque ad perfectionem perducere nullis rationibus possunt. Si ex credulitate, non ei opus est ulla interpretatio : quia sicut semel creditur, ita semel ex eo ipso, quod creditum est, consummata fides, ulta nec minuitur, nec augetur. Sin vero ex utroque; Patriarcharum (37) semensa fides est : ac per hoc illis constitutionis nostræ videlicet **12** decernendi sunt libri, ut possint esse perfecti. O quam misera est fides, quam verba concinnant! O quam debilis, cujus quotidie dissipantur variis argumentationibus membra! O quam indefensa, quæ (38) re-

lum temporis proprium, et antiquis inauditum tradit, ut tot fides scriberentur. *Sub cujus necessitatis*, inquit, *tamquam improbabili occasione scribendæ atque innovandæ fidei exinde usus inolevit :* et n. 5 : *Conscii enim nobis invicem sumus post Nicæni conventus Synodum nihil aliud quam fidem scribi..... Annuas atque menstruas de Deo fides decernimus, decretis pœnitemus, pœnitentes defendimus, defensas anathematizamus*, etc. Quod Hilarius ait decerni fides *annuas et menstruas*, S. Zeno dixit *tractatus, qui eas genuit, vel quotidie generat :* ex quo etiam patet, *fides* a *tractatibus* distingui, quatenus tractatus dicerentur disputationes, quibus, ut idem ait Zeno, *pro ingeniorum argumentorumque viribus* suam quisque fidem defenderet, alienamque refelleret, fides autem nuncuparentur fidei formulæ, quæ ex contrariorum tractatuum opinionibus genitæ, multiplices in variis synodis editæ sunt. De hac Arianorum et Semiarianorum pugna inter se videndus etiam locus Ambrosii *de Fide*, lib. I, c. 6, n. 44 et 45.

(34) Hæc spectant *antiquam* Abrahæ fidem, quam Paulus laudat ad Rom. IV et ad Gal. III quæque, non solum Arianorum tractatus, sed ipsam etiam præcessit legem decalogi, seu promulgationem Christianæ fidei, quam *legis* nomine S. Zeno hoc loco appellare videtur : unde addit : *Quæ credere non didicit, sed præsumpsit.* Est enim *præsumo* ante tempus sumo. Abraham autem vera fide, qua nos Christiani sumus, fuisse potitum, certum est ex Apostolo, qui hanc ob fidem et Abraham vocat *patrem omnium nostrum*, eorum scilicet, *qui sectantur vestigia fidei*, Rom. IV v. 12, 16, et quotquot eamdem fidem tenent, ejus filios appellat : *Qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ*, Gal. III, 7. Hinc Patres adversus Arianos Abraham eamdem ac nos Dei atque Trinitatis fidem habuisse, ex Paulo demonstrarunt. *Denique Abraham fidem provocat Apostolus, probans, auctoritate usus sacrarum litterarum, sic credidisse Abraham, quomodo nunc fuerit credens Paulus :* sic Lucifer Calaritanus, in lib. I pro S. Athanasio, p. 198, tom. IV Biblioth. PP. edit. Lugdun., et alibi sæpius, eadem repetit, ac præsertim lib. *De non parcendo in Deum delinquentibus*, pag. 228, ubi alios omnes patriarchas post Abraham eamdem fidem coluisse statuit : *Si enim non ita crediderint Apostoli, ut crediderunt Patriarchæ; cur B. Apostolus omnes ad Abraham comprehendendam provocat fidem?* De hac Abrahæ fide contra Arianorum errorem inculcata vide plura apud Hilarium, lib. IV de Trinit., n. 27 et seqq. De eadem autem omnium justorum fide ante Christum legendus Philastrius, cap. 108 et 109, atque Augustinus, lib. XVIII *de Civit. Dei*, cap. 47.

(35) Edit. Ven. habet *magis* pro *major*, *quamque* pro *quæque* (ubi ms. Pompeianus scribit *quæ*) et *promeruit* pro *præsumpsit*, sicuti apud Hier. in cap. III epist. ad Galat., tom. VII, pag. 423, edit. Ver., *Legis opera supergressus, Deum non metu, sed dilectione promeruit;* qua voce eodem fere sensu usus est Zeno, lib. II tract. 10, qui est tractatus primus *de Abraham*, n. 3. Heic tamen legendum *præsumpsit*, cum sermo sit de fide, quam ille *ante* Christianæ fidei promulgationem *sumpsit :* ut enim monuimus, *præsumo* apud probatos scriptores est *anticipate*, seu *prius sumo*.

(36) *Doctrinam* heic vocat scientiam seu peritiam de Trinitatis mysterio, quam Ariani se tenere et tractatibus digerere jactitabant : hæcque idem plane est ac illa, quam *legem* fidei superius appellatam animadvertimus adnot. 5 : *De credulitate* vero pro simplici fide, quæ sine doctrina seu ratione auctoritati defertur, sati. dictum est annot. 6. Post pauca, ubi legitur *si ex credulitate*, in editis erat *si vero ex credulitate :* particulam autem *vero*, quæ abest a mss. Pomp. et Zenon. duximus omittendam, cum ea mox repetatur. In ms. Tolent. hæc periodus sequenti perperam postponitur.

(37) *Semensus*, sicut *dimensus*, *emensus*, etc., a mensura originem ducit, et de iis dicitur, quæ mensuram dimidiam referunt, uti *semodiale* a *semodio*, quod modii dimidium continet. Eam porro vocem, quam probe Latinam nihil dubitamus, apud unum Zenonem reperire hactenus licuit, nisi apud Ambrosium, lib. II de Pœnit., cap. 1, *semensas epulas* legendum sit pro *semesas*, cum de convivio allegorice descripto loquatur, in quod non pridianæ *semesæ* epulæ inferendæ erant, sed novæ adjiciendæ, ut ex utrisque convivium integrum constaret; unde sine istis epulæ pridie allatæ, dimidia convivii pars, *semensæ* fuissent. *Semensa* porro a Zenone dicitur Patriarcharum veterum fides, propterea quod ex duabus fidei, quæ ab Arianis supponuntur, partibus, credulitate nimirum et doctrina, illi unam tantum, ac proinde dimidiam fidem habuerint, quippe qui ex sola credulitate, non vero ex tractatuum, qui ab iisdem Arianis postea scripti sunt, doctrina crediderunt. Id autem per ironiam dictum est, quam alia ratione, nec valde dissimili sententia in eosdem convertit Athanasius, in I. *de Synodis* n. 4 : *Quod si ex illorum* (Arianorum) *sensu a præsenti consulatu* (quo signata fuerat Ariminensis formula) *fides habet initium, quid acturi Patres sunt et beati martyres? Immo quid illi ipsi facient erga eos qui a se in Christiana religione instituti ante hunc consulatum obdormierunt?* etc.

(38) *Regum* nomine imperatores, Zenonis quoque sæculo, vocatos infinitis prope testimoniis liquet. Vide libellum precum Marcellini et Faustini ad Theodosium, Luciferi Calaritani opera passim, Hilarium, de Synodis, n. 78, Ambrosium, Apolog. David c. 6, n. 26, Sulpicium Severum, lib. II, Philastrium, et alios, qui imperatorem frequenter appellant *regem;* uti *regina* pariter nominatur Justina Valentiniani senioris uxor in Ambrosii Vita, num. 11, quam Paulinus ad Augustinum scripsit, et aliæ item aliorum imperatorum uxores *reginæ* dicuntur a Lampridio in Alexandro Severo, ab Ammiano Marcellino, l. XIV et XV, etc. Similiter a Græcis Patribus nomen Βασιλεὺς, quod *rex* latine redditur, sæpissime ab hujus ævi

Digitized by Google

gum, (39) judicum, divitum, aliquoties etiam, quod
13 pejus est, (40) Gentium desiderat per momenta
patrocinia! O quam turpis ac lubrica, de qua (41) lu-

scriptoribus ad eosdem imperatores significandos usurpatur. De hoc porro regum seu imperatorum patrocinio ab Arianis studiose quæsito præclare Ambrosius, l. VIII in Luc., n. 17 : *Pone nunc ante conspectum sæcularibus Arianos studiis intentos, qui societatem potentiæ regalis affectant, ut armis militaribus impugnent Ecclesiæ veritatem.* Reges autem Zenoni memoratos esse Christianos patet ex contextu, cum hos a Gentibus perspicue distinguat scribens, hæreticos præter suffragia *regum*, desiderasse etiam *judicum, divitum, aliquoties etiam, quod pejus est, Gentium patrocinia :* quibus aperte reges abs se inter Gentes non recensitos insinuat, secus enim jam in illis satis Gentium præsidia quæsita fuissent. Plurali dein numero *reges* appellans, non Constantium modo, sed et Valentem innuere videtur, quos Arianis impense favisse exploratum est; quod si cui probetur, jam hic primus tractatus lucubratus fuisset post diem 4 kal. Aprilis an. 364, quo Valens regnare cœpit.

(39) Ms. Rem. habet *judicium*, quæ lectio si genuina habenda esset, referretur ad imperatores, spectaretque, quod tradit Hilarius, *de Synodis*, n. 78 : *Fellerunt enim ignorantem regem, ut istiusmodi perfidiæ fidem bellis occupatus exponeret, et credendi formam Ecclesiæ nondum regnaturus imponeret :* quod fusius explicat Sulpicius Severus lib. II. At cum non imperatorum tantum, sed et magistratuum quorumcumque auctoritatem Ariani sibi in subsidium advocarint (nam *quas non exseruit falsæ religionis blandimento sæculi potestates?* inquit ibidem Hilarius), *judicum* ex aliis manuscriptis et editis retinere maluimus, cum præsertim secus enumeratio a Zenone inchoata, manca nimis et interrupta appareret. *Judices* autem vocabantur quicumque magistratus et præsides provinciarum, qui eo nomine passim appellantur in Theodosiano codice. Vide etiam, si placet, Ambrosium, lib. II de excessu Satyri, n. 58, Paulinum in Ambrosii Vita, n. 8, etc. Horum vero *judicum* auctoritatem ab Arianis contra catholicos interpositam luculenter docet Hilarius, lib. I ad Constantium, n. 1 : *Provideat et decernat clementia tua, ut omnes ubique judices, quibus provinciarum administrationes creditæ sunt, ad quos sola cura et sollicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, a religiosa se observantia abstineant : neque postea præsumant atque usurpent, et putent se caussas cognoscere clericorum, et innocentes homines variis afflictationibus, minis, violentia, terroribus frangere atque vexare.* Et n. 2 : *Præcipe, ut non studium, non gratiam, non favorem locorum rectores gravissimis hæreticis præstent :* ubi *locorum rectores* vocat, quos supra *judices* appellaverat. Vim tandem per hosce judices Christianis illatam fuse describit n. 6, ubi *judiciorum subsidia* commemorat. Athanasius quoque, in historia Arianorum ad monachos, n. 15 : *Orientales vero pædagogos advocatosque secum adducebant Musonianum Comitem et Hesychium Castrensem, quorum ope freti, alacri animo accessere, rati se omnia deinceps eorum potentia acturos : eo enim modo, et ejusmodi opitulatoribus subnixi, sese, quibus libuit, terribiles exhibuere, ac quibus placuit, insidiati sunt.* Cum vero ad hæc perpetranda nummis bene multis opus esset, *divitum* quoque *patrocinia* advocata traduntur; et hac ratione multas illas *fides*, de quibus diximus n. 31, *litis labore et favore nutritas, venalesque propositas* Zeno tradidit. Hinc etiam Georgium Arianum, qui Alexandrinam Ecclesiam invaserat, *proceres sibi pecunia comparasse* ait Gregorius Nazianzenus, de laudibus Athanasii num. 12, numero autem 13 loquens de Arianis ac eorum formulis, *pretio conductos sycophantas* et *sententias stata mercede pronuntiatas* tradit.

A dit aliena sententia! O quam (42) adultera, quæ non agnoscit, quo auctore sit nata! O quam 14 ridiculosa, quæ duobus confligentibus Christianis, ab al-

(40) Inter judices et proceres, quos sibi advocarunt Ariani, plures Ethnicos fuisse nihil dubii est. Id in Georgio nuper memorato Gregorius Nazianzenus explorate reprehendit. orat. 21 de laudib. Athan. n. 13, ubi *profanos Sanctorum judices* appellatos, Ethnicos magistratus intelligit. In libello supplici Marcellini et Faustini memoratur Clementinus Vicarius Hispaniæ ethnicus, qui contra Gregorium Bæticum episcopum catholicum Constantii mandata exsecutus est. Athanasius, in encyclica ad Episcopos, n. 2, ethnicos et Judæos a Philagrio præfecto Ægypti contra catholicos in Ecclesiam immissos, ac in ipsum baptisterium ingressos queritur; et n. 3, allegat acta contra se ad imperatorem transmissa, quæ *qui scripsit*, ait, *transfuga est ex Christianis, qui idola*
B *turpiter adorat : qui autem subscripsere, sunt ethnici et idolorum æditui, ac cum ipsis Ariani.* In Synodica Alexandrina, apud Athanasium, p. 135, de pseudosynodi Tyriæ legatis hæc traduntur : *At illi sacros quidem ministros adesse non concessere, sed coram ethnicis de Ecclesia, de calice, de mensa, de sacris rebus inquisitionem fecerunt.*

(41) Lusisse dicitur aliena sententia, quod alii ex Arianis in alios, quos anathemati subjecerant (plures enim diversa sentientes diversisque subscribentes formulis, sese invicem anathemate perculerunt) ludicre scribentes, in re gravissima fidei luderent; vel etiam quod ex hisce dissidiis fides apud Ethnicos ludibrio esset, de quo admot. 44. Numquid etiam spectatur hoc loco Arii liber *Thalia* inscriptus, *effeminatis ac ridiculis modis* contextus, teste Athanasio in epist. de sententia Dionysii n. 6, idemque Sotadicis canticis non adsimilis, ut cum eodem Athanasio, tradunt Socrates. lib. I, c. 9, et Sozomenus l. I, c.
C 20, quod scribendi genus quam esset turpe, et ipsis Gentibus perosum, idem Athanasius indicat. orat. 1 contra Arianos, num. 2 et 4 : *Turpis* hinc, ac *lubrica*, seu, ut legere placet, *ludicra* vocari fides potuit, de qua tam dissolutis canticis vulgus fortasse luderet. Arii quidem Thaliam, seu alias ejusdem generis lucubrationes a vulgo tritis cantilenis elatas apud Photium memorat Philostorgius, lib. II, n. 2. Arius, cum ab Ecclesia recessit, *cantica*, inquit, *nautica et molendinaria et viatoria conscripsit, aliaque ejusmodi composuit, quæ certis modulationibus aptavit. Turpi* quoque dicendi genere, *impuro, et ad ridiculum characterem pertinente* usus est Eunomius Arianus in sermone, quem Constantinopoli in ipso Theophaniorum festo ad populum habuit ex eodem Philostorgio l. VI, num. 2, et de hoc pariter *ludere* quispiam potuit.

(42) *Adulter* pro adulterino nonnumquam sumitur, adeo ut ipsi fœtus ex adulterio concepti, *adulteri* dicti inveniantur. Vide Solinum, cap. 27, qui *partus*
D *adulteros* vocat. Per allegoriam vero Plinius, lib. XXXIII, c. 7, *nimium adulterum* nominat pro immundo et impuro; et apud Tertullianum *adulter sapor* legitur. Hinc ergo Arianorum fides, variis erroribus vitiata et permixta, *adultera* Zenoni appellatur. Forte etiam id nomen sortita est, quod errorum, quibus corrupta erat, certos auctores et quasi parentes (quod spuriis sæpe accidit) non agnosceret : auctores autem idcirco non erant cogniti, quod in condendis reformandisque variis fidei formulis tot mutationes subinde factæ fuerint, aliis verbis additis, aliis detractis, ut quinam essent formularum auctores, dijudicari non posset. Adde etiam, quod nonnullæ formulæ sine auctorum nominibus prodierunt, aliæ item alienis nominibus ediæ; quod quantam de auctoribus controversiam moveret, facile intelliges. Huc forte spectant illa Hilarii lib. II ad Constantium, n. 5 : *De auctoribus quæstio est.*

Digitized by Google

tero eorum, si non transducitur, (43) perfidia, cum transducta fuerit, fides vocatur! O quam non vera, si factionibus pollet! O quam (44) publicana, cujus fabulantur etiam profani secreta! O quam præsumpta. **15** quæ mavult (45) magis novellæ traditioni suæ credi, quam antiquitati, quam Deo Domino dicenti : *Rejicitis mandatum Dei, ut traditiones vestras statuatis* (*Marc.* VII, 9). Sed non eo dico, ut ingratum faciam doctrinæ beneficium, sed ut sciat unusquisque, aliud esse fidem, aliud esse tractatum : nec fidem per tractatum posse vel dari, vel nosci, vel destrui. Dari non potest; quia si verbis dari potest, poterit et verbis auferri. Nosci adæque non potest; quia fieri potest, ut quis aliud gestet in (46) labiis, aliud in penetralibus cordis. Similiter ne destrui quidem; quia si vera fides est, aliud esse non potest, quam quod est. Igitur cum possibilitatis humanæ non sit, fidei videre secreta, nusquam, fra- A ter, tua curiositas, nusquam tua proficit pugna : quia quem putas vel de tuis ipsis studiosis fidelissimum, hic infidelis; et quem putaveris infidelem, hic fidelis est. (47) Forte in eo se quis æstimet fideliorem, si loquatur argute; cum magis verus sit ille fidelis, qui sacra in prædicatione non ultra, quam licitum est, aciem suæ tetenderit mentis : eo enim res deducta est, ut fides nostra per Dei (48) requiratur injuriam. Quod futurum Salomon enuntiavit, et cavendum quid sit, his verbis edocuit : *Melior, qui deficit sensu in timore, quam qui abundat astutia, et transgreditur legem* (*Eccli.* XIX, 21). Et iterum : *Noli esse sapiens multum; et noli argumentari plus, quam oporteat* (*Eccles.* VII, 17). Similiter Paulus : *Noli altum sapere, sed time* (*Rom.* XI, 20).

B **16** V. Cum hæc ita sint, cur legem lege distringis? Cur sub imagine fidei fidem deponis? Cur ipsum fontem divinitatis philosophicis argumentis exhaurire

(43) Sic restitutum ex quinque mss. cum antea legeretur *perfida*. *Perfidiæ* autem nomen prætulimus, non solum ex auctoritate plurium præstantissimorumque codicum, sed etiam quod sic appellari solebat, quidquid præferens fidei formulam, a vera fide esset alienum, ut palam fit ex illo Hilarii in Constantium num. 24 : *Quidquid præter fidem unam* (Nicænam intelligo) *est, perfidia, non fides est.* Hinc fragm. II, n. 29, loquens de formula fidei Sirmiensis ab Arianis concinnata : *Hæc perfidia*, inquit, *non fides*; et fragm. VI, n. 7, eamdem Sirmii formulam *perfidiam apud Sirmium descriptam* appellat. Phœbadius in libro contra Arianos hanc eamdem formulam impugnaturus, *Incipientes*, inquit, *ab ipso capite perfidiæ, non fidei*, p. 300 t. IV Biblioth. PP., edit. Lugdun., litt. D, et post pauca : *Integrum illis est in hac sua perfidia, non fide.* Arianam formulam ab Arianis episcopis Constantii nomine editam (de qua Sulpicius, lib. II) S. Hilarius, in lib. de Synodis n. 78 *perfidiæ fidem* vocat. Legatur etiam fragm. VIII, n. 4; et Ambrosius lib. III *de Fide*, n. 129; et Chrysostomus serm. 48, 52, 61, 64, 87, ubi *fides*, et *perfidia* opponuntur, sicut et apud Ambrosium enarratione in ps. XXXVI, num. 28; ita tamen ut *perfidia* hoc latius sumatur de omni errore etiam Philosophorum ethnicorumque fidei catholicæ opposito; Sophistas enim cum catholicis episcopis Ambrosius conferens : *Illi*, inquit, *multis loquuntur perfidiam, isti paucis fidem adserunt.*

(44) Ms. Rem. *publica*, alii codices et editi *publicana*, quod præterquam quod apud Zenonem idem est ac *publica* (unde tract. 25 lib. I, n. 4, *publicanas mulieres* pro mulieribus publice expositis accipit), melius hoc loco dici videtur, cum sermo sit de fide, de qua veluti de publicana muliere profani propalam fabulabantur. *Profanos* a Patribus appellatos ethnicos, ut plura omittam, satis suadetur vel ex illo nostri Auctoris testimonio, tract. 5 lib. I, num. 9, in fine, ubi Christianas mulieres alloquens, ait : *Profano cur nubas, cum possis nubere Christiano?* Notum porro est, qua cautione olim uterentur Catholici, ne sacra mysteria et difficiliora fidei capita in ethnicorum notitiam venirent : quin multa ne catechumenis quidem aperiebantur. Vide Schelestratii dissertationem *de Disciplina arcani*. Occasione autem contentionum, quæ inter catholicos et Arianos excitatæ fuerant, hi, ut ethnicorum patrocinium sibi adsciscerent, violata secreti disciplina, iisdem ethnicis totam causam patefacere non dubitarunt, tum editis in vulgum tractatibus, quibus arcanum et præcipuum Trinitatis mysterium Gentibus irrisum explicabatur, tum etiam cum illos in Ecclesias admisere, ubi secretiora quæque cernerent et inquirerent. Hinc Athanasius, in Apologia contra Arianos n. 72, p. 189, queritur de *Præfecto Ægypti Philagrio apostata ethnicisque militibus admissis ad ea disquirenda, quæ ne catechumenos quidem conspicere decuit. Sacra mysteria ab ethnicis direpta, et in terram projecta* in ordinatione Gregorii Alexandrini contra Athanasium meminit Synodica Julii papæ ad Eusebianos relata ab Athanasio in eadem Apologia, pag. 149 : *Profanos Sanctorum*, id est fidelium, *judices, et novam ac inusitatam mixtionem, mysticas nempe quæstiones spectante vulgo tractatas* dolet Gregorius Nazianzenus in orat. de laudibus Athanasii num. 13, quæ res quanto esset scandalo tum Catechumenis, tum ethnicis, colligitur ex Athanasio *de Synodis* n. 2, pag. 717 : *Hoc autem catechumenis haud levis offensionis ansam, ethnicis vero non modicam, sed effusam risus materiam præbuit; quod Christiani veluti ex somno nunc excitati quærant, qua ratione in Christum credere oporteat.* Quod porro S. Zeno ait *fabulantur*, indicare videtur non tam quod ethnici de arcanis Christianæ fidei vulgo loquerentur, eademque inter sese in ridiculum traducerent, sed forte etiam quod magno cum religionis contemptu de eisdem mysteriis fabulas in theatris agerent; quemadmodum hæc quidem de causa accidisse traditur Alexandriæ ante ipsam Nicænam Synodum, Eusebio sic scribente lib. II *de Vita Constantini* cap. 61 : *Porro rerum, quæ gerebantur, spectaculum eo usque processit indignitatis, ut in mediis infidelium theatris divinæ prædicationis venerabilis doctrina risu ac ludibrio traduceretur.*

(45) In codice Pompeiano *magis* deest. Sed sicuti apud Plautum Stich. I, 2, 13, et apud Terentium Adelph. II, 2, 14, per pleonasmum *malo* legitur cum *potius*, ita et cum *magis* a Zenone potuit usurpari : *magis* enim pro *potius* a probatis auctoribus non numquam usurpatum videtur, uti a Catullo carm. LXVII, v. 30 : *Non est turpe, magis miserum;* a Virgilio Eclog. I, 11 : *Non equidem invideo, miror magis.* Alia, quæ afferri possunt, ejusdem generis exempla prætermittimus. Post pauca *adæque* pro *peræque* legitur in Plauto quater, et apud Livium, lib. IV, dec. I.

(46) Mss. Tol. et Zen. *labris*. In membro autem sequenti ad verba *aliud esse non potest*, infinitum *esse* in codice Rem. desideratur.

(47) Mss. Vat. Urb. et edit. Ven. *Forte nec in eo.* A Pompeiano codice abest *se. Æstimet* posuimus pro *æstimat*, ex mss. quatuor.

(48) Requirebantur nimirum Arianorum studio professio et subscriptiones formularum Ariani dogmatis, quod in Dei injuriam cedebat.

Digitized by Google

conaris? Si (49) peritiam legis ostendere cupis, lectionum nubila disserena. Doce eam sibi non esse contrariam : doce omnia, quæ canit, esse credenda. Cæterum si ejus partem probes, reprobes partem ; quomodo per hanc fidem quæris, quam etiam ipsam infidelitatis ream constituis, (50) cum universa non credis? Sin vero fidem spiritus calles, aliquam demonstra virtutem. Impera montibus, ut transferant sese. In admirationem tui rictu blandiente leonum rabies evanescat. Sub gressibus tuis maris unda pinguescens, marmoreo stupore solidetur. Cetina cymba inter æstuantis pelagi sollicitos sinus (51) fidem tuam fideliter portet. Solis cursus ac Lunæ ab occidui carceris receptaculo orationis freno refrena. Anhelantis camini ignis exæstuans, victa natura, sentiat per te tecum et ipse refrigerium. Mortuorum in postliminium vitæ animas reductas inspira. Discute laborantibus morbos, cura languores, in tentationibus gaude et in tormentis pro nomine Domini. Si obvenerint dura, fidem, tamquam granum sinapis, te habere demonstra. Sin vero, **17** quod magis est, sub sono legis ac fidei, sæcularis amore jactantiæ accensus, nascentis Dei de Deo (52) Spiritusque sancti inæstimabilem incomprehensibilemque divinitatis perpetuitatem, jure ipso, quo ex sese est, argumentis te cogere, (53) examinare, metiri, ac discernere posse præsumis ; hic tibi ego respondere non audeo (54) : sit quippe cum tutius imperitum videri, quam esse sacrilegum. Et tamen habeo, qui pro me tibi (55) obsistat ; nam lex, per quam me forte minus peritum peccare compellis, ipsa te magnopere retundens ac redarguens confutabit, Salomone dicente : *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te* (56) *ne scrutatus sis. Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper ; et in plurimis operibus illorum non eris curiosus : multos enim seduxit suspicio illorum*, (57) *et in vanitate detinuit sensus illorum* (*Eccli.* III, 22, etc.). Similiter Paulus curioso rescribit dicens : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! quam inexquisita sunt judicia illius, et quam investigabiles viæ illius! Quis enim cognovit cogitationem Dei* (*Rom.* XI, 33, 34)? Et tu ejus naturam quæris? Sed et alio loco hoc, quod agitur, evidenter expressit, cum

(49) Peritorum in lege fidei, de qua hic sermo est, officia a catholicis Patribus exculta, tria hæc fuisse ex præsenti Zenonis testimonio cognoscimus ; nimirum obscura Scripturæ, quæ inter sacra mysteria legebatur, loca explicare ; sententias, quæ contrariæ viderentur, conciliare et componere ; ac tandem articulos, qui *canuntur*, id est prædicantur a fide, etsi humanæ mentis intelligentiam superent, creditu necessarios ostendere atque convincere. Equidem in hisce tribus tota versabatur Episcoporum cura, ad fidem quod pertinet ; et hæc si peritus quilibet aggrederetur, laborem ejus se nequaquam improbaturum S. Zeno significat : solam enim eorum reprehendit audaciam, qui, ut mox ait, *sub sono legis et fidei, sæcularis amore jactantiæ accensi*, incomprehensibile Trinitatis mysterium *argumentis se cogere, examinare, metiri, ac discernere posse præsumunt. Canit* autem pro *prædicat* interpretati sumus, ut apud Martialem de Spect. epigr. 1 : *Quidquid fama canit*. Potest etiam accipi pro *vaticinari*, uti sæpe verbum *cano* a latinis usurpatum reperies, eo quod Sibyllæ apud illos prophetiæ, uti putabantur, dono præditæ, omnia vaticinia carminibus edidisse traderentur. Prophetias autem sacræ Scripturæ, quæ difficiliora continent, S. Zenonem spectasse, inde fit credibilius, quod *carmen* pro *libro prophetico* bis alibi dixerit. Quod si quis a lectionibus, quæ primo Auctoris membro indicantur, distincte memorata considerans ea, quæ *cani* traduntur, lectionibus quidem sacram Scripturam, quæ in ecclesiasticis cœtibus legebatur, cantu autem traditionem, quæ verbo prædicabatur, a Zenone significatam velit ; alius vero primo loco eam Scripturæ partem, quæ in sacris conventibus legebatur, secundo vero eam, quæ canebatur, spectatas malit ; non diutius repugnabimus.

(50) Mss. Vat. et Tol., *canentis cum universa non credis*.

(51) Cod. Urb. *ab occiduis fidem tuam fideliter portet* ; quæ lectio si germana est, indicare videtur, fidem non ab Arianis Orientem occupantibus, sed ab Occidentalibus, qui plerique erant catholici, esse sumendam. At aliis a mss. *ab occiduis* abest, et liberarii oscitantia repetita videtur, ex sequenti membro, ubi ab *occidui* pariter legitur. Post pauca *Solis currus* pro *Solis cursus* habent codd. Pomp. et Zen.

(52) Non tam circa Dei Filium, sed circa Spiritum sanctum etiam Arianos errasse, cum Hilarius universim confirmat lib. II de Trinit., et Ambrosius, *de Spiritu sancto* lib. III, n. 101 ; tum vero ex Macedonii præsertim hæresi constat, quæ in Constantinopolitano primo concilio damnata fuit anno 381. Vide Philastrium, hæres. 67, de Semiarianis, quo nomine Macedonianos intelligit, et hæres. 68, de Eunomianis. Cum tamen Macedonianos *de Patre et Filio bene sensisse* tradat Philastrius hæres. 67, et solum errasse illos prodat circa Spiritum sanctum, quem *nec Deum verum, sed factum atque creatum* prædicabant : hoc autem loco S. Zeno illos perstringat, qui non in unius Spiritus sancti, sed et in Filii dogmate errabant : jam ab hoc non Macedoniani puncti videntur, sed Ariani, qui utroque in dogmate simul peccarunt. Ad illud Philastrii testimonium de Macedonianis ævi sequioris verum est, non de antiquioribus, quos Zeno suppares habuit : hi enim Semiariani vere fuerunt, et primi qui in Spiritum sanctum non minus, quam in Filium hæreticam doctrinam insimul effutiere ; ac propterea ad hos proprie hocce Zenonis testimonium pertinet.

(53) Mss. Rem. et Urb. *exinanire*. Inferius pro *cum tutius* cod. Pomp. *tum tutius*.

(54) Mss. Vat. *audebo*. Post pauca *imperium* pro *imperitum*, cod. Tol. perperam exhibet. Imperitum porro cur se appellet S. Zeno, facile intelligere licet. Cum Ariani ingenio nimium indulgentes, curiosaque inquisitione de æterna divini Filii generatione audentes disserere, in varios errores incidissent ; catholicorum hoc proprium erat, tanti mysterii imperitiam profiteri potius, quam tanto cum periculo de eodem subtiliter inquirere, quippe quod humanæ mentis aciem nimium multum excederet. Qua de causa imperitiam quoque professus S. Hilarius, lib. III de Trinit., n. 20, p. 62, Arianos peritiam jactantes his compescuit : *Sed te, quisquis es, investigabilia sectantem, et divinorum secretorum atque virtutum gravem arbitrum consulo, ut miki imperito, et tantum de omnibus Deo, ut sunt ab eo dicta, credenti rationem saltem facti istius afferas*, etc. Porro *imperitiam* simplici cum fide sequendam, fusius suadet, num. 26.

(55) Ms. Pomp., *obstet*. Paulo post pro *minus peritum*. Ms. Vat. *minus paratum*.

(56) *Ne* scripsimus e mss. Rem., Pomp. et Zen., cum in editis esset *non*.

(57) Hæc verba *et in vanitate detinuit sensus illorum*, quæ in edit. Ver. et seqq. aberant, restituimus e mss. ac edit. Ven.

Digitized by Google

ad Timotheum **18** loquitur instruendum his verbis : *Hortatus sum*, (58) *ut denuntiares quibusdam, ne perversa doctrina uterentur, neque attenderent fabulis et genealogiis, quæ sine fine sunt, quæ magis quæstiones præstant, quam veram rationem Dei, quæ est in fide. Definitio autem jussionis est charitas ex corde puro et conscientia bona, ex fide simplici* (I *Tim.* I, 3, 4).

VI. Igitur si Dei servus es, stultas et ineruditas quæstiones evita, sciens, quia lites generant. Servum autem Dei non oportet litigare; quia lis et charitatis est hostis, et fidei : quas si quis amiserit, nec divina ille profecto, nec humana cognoscit. Hæc, si religiosus es, serva : si vere timoratus, custodi : de eo, quod modum humani sensus excedit, disputare devita. Negat quodammodo Deum, quisquis (59) asserit Deum : defensio enim non nisi imbecilli præstatur; nec potest eum revereri, qui ingenii sui putat esse, quod ille fuerit æstimatus. Cæterum illa est fidei generositas vera, ut Deo fideliter serviat (*Prov.* x, 10); in solo ipso fiduciam gerat; a fidelitate et fiducia (60) fidelem se vocari cognoscat; inculpatis moribus vivat; (61) conscientia eum bona, non loquacitate, quæ mater profecto peccati est, nosse præsumat; Trinitatisque unam potentiæ plenitudinem, quæ una mente, una credulitate concipitur, non violet, sed honoret (62).

19 TRACTATUS II.

De Spe, Fide et Charitate.

I. Tribus in rebus Christiani culminis fundamenta consistunt, id est in spe, in fide, (1) et in charitate; quæ ita invicem sibi videntur esse connexa, ut sint alii alia necessaria. Spes enim nisi præcedat, cui laborat fides? fides si non sit, quomodo spes ipsa nascetur? quibus si deneges charitatem, utræque (2) cessabunt : quia neque fides sine charitate, neque spes poterit operari sine fide. Itaque Christianus tribus in rebus, si cupit esse perfectus, debet esse constructus; si quid enim ei ex his defuerit, perfectionem sui operis non habebit. Unde primo omnium spes nobis proponenda est futurorum, sine qua nec præsentia quidem ipsa stare posse perspicimus. (3) Adeo tolle spem, torpet humanitas tota. Tolle spem, artes virtutesque universæ cessabunt. Tolle spem, et interempta sunt omnia. Quid facit ad litteratorem puer, si litterarum non sperat fructum? Quid ratem profundo gurgiti nauta committit, si ei numquam lucrum, numquam portus desideratus occurrit? Quid miles, non dicam horridæ hyemis, aut torridæ æstatis injurias, sed seipsum contemnit, si gloriæ spem futuræ non gerit? Quid agricola semina spargit, si sudoris sui præmium non colligit messem? Quid Christianus credit in Christum, si promissum sibi ab eo perpetuæ felicitatis tempus non credit esse venturum?

II. Sed spes ex fide est, quæ quamvis in futuro sit posita, fidei tamen est jure subjecta; ubi enim fides non est, nec spes est; fides enim spei (4) substantia est, et spes fidei gloria; quoniam præmium, quod spes habet, fides meretur; quæ quidem pro spe pugnat, sed sibi vincit. Amplectenda est igitur, fratres, tenaciter nobis, et omni genere (5) **20** custodienda virtutum; in hanc fortiter incumbendum; ipsa est enim vitæ nostræ immobile fundamentum, invictum adversus diaboli impetus propugnaculum pariter, ac telum, animæ nostræ impenetrabilis lorica, legis compendiosa ac vera scientia, dæmonum terror, martyrum virtus, Ecclesiæ pulchritudo, vel murus, Dei ministra, (6) Christi amica, spiritus sancti conviva. Huic et præsentia subjacent et futura; ista, quia contemnit; illa, quia sua esse (7) præsumit. Nec spes timet, ne non veniant; quia ea semper secum suis in virtutibus portat. Hoc est, quod Abraham *contra spem in spem credidit Deo, ut fieret pater multarum gentium* (*Rom.* IV, 18). Contra

(58) Interjectum erat *inquit*, sed delevimus uti superfluum ex mss. Pompeian. et Zenonian.

(59) *Adserere* hic accipitur non pro *affirmare*, sed pro *vindicare*, et vindicare quidem rationibus adversus Arianos excogitatis, ut ejus sane videtur fuisse consilium, quem hoc loco S. Antistes a tanto ausu, periculo proposito, abducere conatur; unde statim subdit : *Defensio enim non nisi imbecilli præstatur, nec potest eum revereri, qui ingenii sui putat esse*, etc. Veronensis editionis auctoribus verbum *adserit* posse offendere visum est, ac proinde supposuere hæc verba, quibus Zenonis mentem citra æquivocationis periculum exprimerent : *Quisquis rationibus humanis Deum metiri conatur : defensio*, etc. Nos e mss. et prima edit. germanum textum restituimus.

(60) Ms. Pomp., *fidem*.

(61) Ms. Vat., *sapientia cum bona*.

(62) Ms. Urb. cum cod. Pomp. et editione prima addit *Amen*.

TRACT. II. — (1) *Et* deest in mss. Pomp. et Zen.; *invicem* a mss. Vat. et Tol. abest. Post pauca, *aliis alia necessaria* scriptum est in codd. Urb., Vat., Rem., Pomp. et edit. Ven. pro *alii alia necessaria*, quod post editionem Ver. retinuimus.

(2) In edit. Ver. pro *cessabunt*, quod est in omnibus codd. et editione prima, suppositum fuit *inutiles erunt*, ne una cum charitate spes ac fides cessare, id est perire et nihil operari posse viderentur. Similiter n. 4, ubi legitur, *utræque non stabunt*, positum fuit, *utræque non proderunt*. At hisce emendationibus opus non esse ad vindicandam Zenonis sententiam, satis ostendimus dissert. II, cap. 6, ubi hæc testimonia fuse explicavimus.

(3) *A Deo* est in cod. Rem.

(4) Speciatur hoc loco illud Pauli ad Hebræos I, vers. 1. *Fides est autem sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium;* et in sequentibus, *præmium fides meretur*, prospiciuntur illa, quibus fides in Christum totius meriti initium statuitur.

(5) Mss. Vat. et Tolent. *custodienda spes virtutum*. Dein. mss. Pomp. *in hac*, Vat. *et in hac*.

(6) Mss. Tol. *vel Christi*.

(7) *Præsumo* hic et alibi sæpius a nostro auctore sumitur pro *certissime spero*, vel *anticipate scio* : sicuti ostendunt illa num. 6 : *Deus proximi dilectionem commendat, quoniam solam præsumit*, id est certo scit, *servare posse, quod præcipit*. Similiter *præsumptio* non nunquam pro *anticipata certa notitia et fiducia* accipitur, uti apud Spartianum in Hadriani vita c. 2: *Habuit autem præsumptionem imperii ex Jovis responso*. Pro *ne non veniant*, in mss. Pompeian. est, *ut non veniat*, sed pro *ut* alia manu scriptum est *ne*.

Digitized by Google

spem autem est, quod impossibile est, ac (8) non videtur: sed possibile hac spe fit, cum Dei dicto indubitanter ac fortiter creditur; dicit enim Dominus : *Omnia possibilia credenti* (*Marc* IX, 22). Unde *Abraham credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam* (*Gen.* XV, 6) ; qui ideo justus, quia fidelis; *justus enim ex fide vivit* (*Gal.* III, 6) ; ideo fidelis, quia credidit Deo ; quia nisi credidisset, neque justus, neque pater gentium esse potuisset. Quapropter manifestum est, spei ac fidei unam inseparabilemque esse naturam : quia in homine ex his quæcumque defecerit, (9) ambæ moriuntur.

III. Fides (10) itaque vel maxime res propria nostra est, Domino ipso dicente : *Fides tua te salvum fecit* (*Marc.* X, 52). Igitur si nostra est, servemus ut nostram, ut jure speremus (11) aliena ; nemo enim censum (12) decoctori committit, nec desertorem præmiis triumphalibus honorabit. **21** maxime cum scriptum sit : *Qui habet, dabitur illi et abundabit ; qui autem non habet, etiam id, quod habet, auferetur ab eo* (*Matth.* XIII, 12). Per hanc, fratres, a Deo Henoch meruit (13) cum corpore contra legem naturæ transferri. Per hanc evadens Noe non invenit, cum quo diluvium fuisse conferret. Per hanc Abraham ad Dei pervenit amicitiam. Per hanc Isaac præter cæteros enituit (*Heb.* XI, 5, 7, 8, 20). Per hanc Jacob Deo colluctari (14) prævaluit. Per hanc Joseph Ægyptum suæ ditioni subjecit (*Gen.* XXXII, XLI). Hæc Moysi in mari Rubro terram vitream fecit (*Exod.* XIV, 22). Hæc, ut cursus soliti contempta mensura Jesu Nave desiderio pareretur, soli, lunæque suos frenos induxit (*Jos.* X, 13). Hæc de armato Golia David inermi triumphos attulit (1 *Reg.* XVII). Hæc in Job inter crebra et ingentia mala non desperavit (*Job.* I *et* II). Hæc in Tobiæ cæcitate medica fuit (*Tob.* XI). Hæc in Daniele ora leonibus alligavit (*Dan.* VI). Hæc in Jona cetum in cymbam convertit (*Jon.* II). Hæc in Machabæicæ germanitatis exercitu sola vicit. (II *Mach.* VII.) Hæc in tribus pueris ignes amœnos effecit (*Dan.* III). Hæc mare pedibus ambulari posse in Petro præsumpsit (*Matth.* XIV, 29). Per hanc Apostoli multos in nitidam cutem lepræ deformis contagiosis (15) scabiosisque crassantium ulcerum spoliavere verticibus. Per hanc, inquam, cæcos videre, surdos audire, mutos loqui, claudos currere paralyticos reformari, de obsessis dæmones fugere, mortuosque sæpe ipsos a sepulcris cum suis sibi (16) exsequiis reverti jusserunt, ut omnes mirarentur fieri lacrymas gaudii, quæ (17) nunc fuerant orbitatis.

22 IV. Sed longum est, fratres, ire per singula, maxime quia charitas sua ingerit fortiora ; quæ est ita rebus universis (18) prædita, ut sit omnium jure ipso regina. Triumphet licet, quibus vult virtutibus, fides, ac spes multa et magna proponat; tamen sine hac utræque (19) non stabunt ; fides primo omnium si seipsam non amet, spes si non ametur. Adde, quod fides sibi soli prodest ; charitas omnibus. Adde, quod fides non gratis pugnat; charitas autem etiam ingratis conferre consuevit. Adde, quod fides non transit in alium ; charitas, parum est dicere transit, in alium, quæ (20) transit in populum. Adde, quod (21) fides paucorum est; charitas omnium. Adde, quod spes

(8) In editis post *non videtur* additur, *esse possibile*, quæ tamen verba ab omnibus, quos vidimus, mss. codd. absunt, et abesse item etiam debent, si S. Zeno hoc loco respexit illa Pauli ad Rom. VIII, v. 25 : *Quod non videmus, speramus; nam quod videt quis, quid sperat?* Quam in sententiam superius S. Zeno dixit, spei substantiam esse fidem, et spem fidei esse subjectam affirmavit, quod ea quæ futura esse creduntur, nec modo apparent, spe prosequamur (*Ibid.*, *vers.* 24).

(9) Dictum hic *ambæ moriuntur*, uti supra *utræque cessabunt*, de quo satis multa dissert, II. cap. 6.

(10) In Veron. edit. *Fides itaque donum Dei*. De hac additione, quæ abest a codd. et edit. prima, vide quæ notavimus eadem dissert. II, cap. 5.

(11) Nimirum cœlestia, quæ Dei sunt, quæque per fidem futura credimus, et exspectamus.

(12) Ita mss. Rem., Pomp., Urb. et edit. Ven.; alibi autem legitur *debitori*, quæ vox etiam in margine Pompeiani cod. notatur.

(13) Mss. Vat. et Tol. inserunt *de fide Henoch et Noe et Abraham cum corpore*, etc. Sed videtur glossema, quod e margine in textum irrepserit, in quo notatum fuit agi hoc loco de fide Henoch, Noe, etc. Sane solus Henoch cum corpore translatus fuit.

(14) Mss. Pomp. legit *pervaluit*, uti apud Lucretium, lib. VI, v. 956, ubi tamen *prævalet*, legendum esse aliqui exis imant.

(15) *Scabrosis* est in mss. Pomp. et Zen. At in margine Pomp. notatur, *scabiosis*. Contagiosi autem dicti Lepræ vertices, quod illa contactu contrahatur ; *Scabiosis* autem ad ulcerum vertices referri videtur.

(16) Sparaverius pro *exsequiis* mallet legere *exuviis;* at *exsequiis* relinquendum patet ex Arnobio lib. I adversus Gentes, pag. 30, qui de apostolorum miraculis loquens, simili formula usus est : *Ab tumulis remeare defunctos exsequiarum conversione jusserunt.* Et sane exsequias a Zenone sumi pro funeris comitatu ex sequentibus patet, ubi comitatus dictum in gaudium versum commemorat. Similiter etiam Ambrosius, lib. V in Luc., cap. 7, exsequiarum turbam appellans, *exsequias* pro turba filii viduæ funus comitante aperte sumpsit. In antiquis nimirum funeribus cadaver sequebantur homines funeream pompam comitantes ; unde Terentianum illud : *Funus interim procedit, nos sequimur;* et ex hoc quidem *exsequias* dictas, quod populus sequeretur, donatus notavit. Interim hoc loco S. Zeno Arnobium imitatus cognoscitur.

(17) *Nunc reus erat*, dixit Cic. ad Attic. lib. II : *Nunc videbam*, de Claris orat. Similiter etiam *modo erat*, apud Ovid., lib. I Trist., Eleg. 3. Iterum S. Zeno tract. 5, lib. I, num. 4 : *Nunc clamabas, nunc reddebas*, etc.

(18) *Præclara* legitur in mss. Pomp., Tol. et Vat. At in margine mss. Pomp notatur *prædita*. *Prædita* autem pro *prælata* invenitur in Appuleio de Deo Socratis, et in glossis antiquis apud Ducangium in Glossario.

(19) In edit. Ver. emendatum erat *non proderunt*, de quo satis admot. 2.

(20) Transire in populum charitas dicitur, quod omnibus prosit ; fides autem prodest illi soli, qui fidem concipit ; sicuti paulo ante dixerat : *Fides sibi soli prodest, charitas omnibus.*

(21) Fidem paucorum esse, charitatem vero omnium, eam in sententiam vere dici potuisse arbitramur, quod fides in paucis sit, quia Christiani sunt pauci præ cæteris infidelibus, qui licet fide careant, charitatem tamen aliquam habent, cum nemo sine aliquo amore esse possit: unde et gentes sese invicem diligere, et benefacere pluribus leguntur. Non itaque

Digitized by Google

ac fides tempus habent; charitas autem finem non habet (I *Cor.* XIII), momentis omnibus crescit, quantoque ab ea diligentibus invicem creditur, tanto invicem plus debetur. Non quemquam pro persona diligit, adulari quia nescit; non pro honore, quia ambitiosa non est; non pro sexu, quoniam illi unus est ambo; non pro tempore, quia varia non est; non æmulatur, quia invidia quid sit, ignorat; non inflatur, quia humilitatem colit; non malum cogitat, quia simplex est; non irascitur, quia etiam injurias libenter amplectitur; non fallit, quia fidem ipsa custodit; non ulla re indiget, quia ei præter quod est, nihil est necessarium. Hæc rura, urbes ac populos, (22) composita **23** pacisque conservat. Hæc circa regum latera securos gladios (23) facit. Hæc bella premit, lites tollit, jura evacuat, fora compescit, odia eradicat, iras extinguit. Hæc mare penetrat, (24) orbem circuit, commercio nationibus necessaria subministrat. Potentiam, fratres, cito ejus edicam. Quidquid locis natura negaverit, charitas (25) reddit. Hæc conjugalis affectus duos homines sacramento venerabili unam cogit in carnem. Hæc humanitati præstat esse, quod nascitur. Hujus est munus, quod cara uxor, quod (26) generosi liberi, quod veri sunt patres. Hujus est munus, quod alii, ut nos, aut plus quam nos, proximi, vel amici sunt nobis. Hujus est munus, quod diligimus servos, ut filios; ac nos illi colunt libenter, ut dominos. Hujus est munus, ut, non dicam (27) notos, aut amicos, sed sæpe etiam eos, quos numquam vidimus, diligamus. Hujus est munus, quod antiquorum aut virtutes ex libris, aut ex virtutibus libros agnoscimus.

V. Sed quid ergo diutius demorer in humanis, quasi sola isto affectu sint prædita? Nonne videmus omne animantium genus congregatione, concordia testari charitatem; atque ita omnes motus quasi uno sensu magistra dilectione converti, ut quivis intelligat, hoc fieri non posse sine naturalis amicitiæ disciplina? Quid autem pro se in necessitatibus gerant, omnibus nota porcorum quotidiana propemodum tam jucundi certaminis exempla declarant: quia aliquis eorum cum forte de numero audacis lupi rabie (28) rotatus, in præsens periculum **24** cœperit (29) infestationibus tyrannicis duci, omnes repente concelerant; laboranti subveniunt; pene armis ipsis inimici certatim se (30) crebro subjiciunt; ingenti fragore confundunt; exsertisque mucronibus sordidis, velut testudine quadam resistunt; vincuntque facilius charitate, quod sigillatim nuda vix possunt superare virtute. Elementa quoque ipsa, fratres, satis diversa satisque repugnantia olim deprehendisset interitus, nisi ea invicem mutuis æqualibusque temperantiæ dotata muneribus, perennis connubii fideli propagine benigna charitas illigasset. Nihil est prorsus, quod sine hac gratum, sine hac pacificum, sine hac fidele, sine hac securum, sine hac gloriosum, sine hac Deo junctum, sine hac possit esse perfectum. Denique cum Dominus interrogaretur, quod esset summum legis sacræ præceptum, sic ait dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et ex tota virtute tua. Et secundum simile huic: Diliges proximum tuum, tamquam teipsum. In his duobus* (31) *præceptis pendet omnis lex, et prophetæ* (*Matth.* XXII, 37, 39, 40). Unde manifestum est, dilectionem virtutum omnium divinarum esse substantiam naturalemque magistram: quoniam ex lege discitur, sed in mentibus nascitur: lex enim pendet ex charitate, non charitas pendet ex lege, sacra Scriptura dicente: *Justo lex posita non est, sed peccatori* (I *Tim.* I, 9). Peccator autem ille est, qui charitatem non habet Dei: ac per hoc (32) operanti iram recte subjacet legi. Atqui forte aliquis dicat, lex spernenda est, quia

hic de vera et Christiana charitate sermo est; secus admittenda esset Sparaverii emendatio: *Fides omnium est, charitas paucorum.* Sed cum huic emendationi nulli codices, nullæ editiones suffragentur; de charitate late sumpta hic locus accipiendus et interpretandus videtur: de quo plura dissert. II, cap. 5.

(22) Ita ex mss. Rem., Vat. et Pomp. In hujus postremi margine, et in Ven. edit. pro *pacisque* habetur *pacesque*; in edit. Veron. *paceque*; in Patav. *pace* deleto *que* ex emendatione, uti apparet, Sparaverii, cujus adnot. in fine referentur. Hæc lectio nobis quoque placeret, si cui codici vel editioni uteretur. At cum *que* ubique legatur, lectionem quatuor codicum cæteris præposuimus, quæ a Zenoniana syntaxi non discrepat; non nunquam enim conjunctionem *que* secundæ post virgulam voci auctor apposuit. *Composita* autem *pacis* pro pacta in concilianda pace composita dixit, et ellipsi usus est illius simili: *Amara curarum* apud Horatium, *abdita montium*, et alia id generis plura apud Lucretium, Tacitum, Apuleium et alios.

(23) *Fallit* in plerisque codicibus et editione Ven. legitur. Solum in mss. Pomp., Zen. et in cæteris editis *facit*, quod retinuimus.

(24) *Urbem* pro *orbem* facili unius litteræ mutatione perperam in manuscriptis et editis scriptum est. Emendationem sensus persuasit. *Commercio* restituimus ex mss. Rem., Pomp., et edit. Ven., cum alio sensu legeretur sic: *urbem circuit: commercia nationibus necessaria subministrat.*

(25) *Reddit* pro *dat*; nam ut notat Celsus J. C. *de verborum significatione*, L. *verbum* l. XX Dig., *Reddendi verbum quamquam significationem habet retro dandi; accipit tamen et per se dandi significationem.* Sic *reddere epistolam, jus reddere* pro *dare* sæpius apud probatos auctores invenies. Quamquam cum de commercio hic sermo sit; *reddo* stricte accipi potuit, quatenus per commercium commutatis mercibus, aliud pro alio, quod accipitur, redditur.

(26) Generosi hoc loco dicuntur non degeneres liberi, qui recte factis sui generis decus tuentur, idque potissimum charitate præstatur, quatenus hæc ad generis ejusdem decus conservandum ipsos impellit.

(27) In mss. Rem. et Urb. *ignotos*, aut *inimicos*: *ignotos* etiam legitur in codice Pomp., sed male; nam *ignoti* sequenti versu comprehenduntur. Paulo post pro *demorer*, in margine ms. Pomp. et Edit. Ven. legitur *demoror*, et *sunt* pro *sint*.

(28) Mss. Vat. et Urb. *denotatus*: Zen., Pomp. et Spar. *devoratus*: Tol. *denotatur*, qui mox *cum cœpit* pro *cœperit*.

(29) *Infestatio* est apud Tertullianum Apolog. cap. 1.

(30) Edit. Ven. et ms. Pomp. in margine habent *cerebro*.

(31) In editis et in Pomp. ms. margine *mandatis*; at in textu nec non in codicibus Rem., Tol., Zen., *præceptis*.

(32) In edit. Patav. *operans*, sed perperam: specta-

justo necessaria non est, peccatori vero molesta est. Absit, fratres : imo potius veneranda est, quia veritatis speculum, quia rigida quædam dilectionis est forma : quidquid enim a justo didicit, id facere injustum quoque compellit : (33) bifarie inclyta, unum glorificando, alium corrigendo.

VI. Constat ergo omne Christianitatis magis in charitate, quam in spe, vel fide esse depositum : sicut evidens testatur exemplum. Judas **25** (34) Iscariotes traditor Domini, et spem et fidem perdidit : quia charitas in ipso non mansit : nam et hæreses et schismata sic disseminantur, cum inflata fides ac spes, dilectionis a fundamento velluntur. Quid autem sine charitate sint non tantum istæ, sed et aliæ quoque virtutes, indice Paulo cognoscite : *Et si habuero*, inquit, *omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem non habeam, nihil sum. Et si in cibos pauperum distribuero omnia mea, et si tradidero corpus meum, ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil proficio* (I *Cor.* I, 2, 3). Charitas enim, fratres, omnia diligit, *omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas numquam excidit* (*Ibid.*, 7 *et* 8). Igitur non immerito Dominus Deus proximi dilectionem commendat : quoniam solam (35) præsumit servare posse, quod præcipit.

VII. Primum est itaque dilectionis officium, Deo refundere, quod nati sumus : solique debere, quod vivimus : nihilque prorsus cordis nostri in penetralibus retinere, quod (36) alieno jure servemus. At cum ab eodem hujus devotionis invitatione inhabitari, seu nos in ipso habitare cœperimus, sicut Joannes dicit : *Deus charitas est; qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in illo manet* (I *Joan.* IV, 16); tunc demum, fratres, charitatem per semetipsum ei condigne redde-

A mus, quia facta commutatione, quod ejus est, fit pro partibus (37) nostris. Sequens est, ut etiam proximos eo affectu, quo nos ipsos diligimus, diligamus : maxime cum cognationis ipsa hoc exigant jura : clamat enim propheta : *Deus unus creavit vos. Nonne pater unus est omnium vestrum* (*Mal.* II, 10)? Quisquis igitur nobilitatis suæ conscientiam retinet, diligit fratrem : nec aliquid audire (38) exspectat ex lege, ne admonitione, pietati aliquid derogetur : tantumque se in ipso amat, ut oderit se sine ipso. Accedit ad cumulum, quod ideo Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam fecit, ut contemplatione imaginis pateremur roverentiam veritatis; in eaque res conditione dimissa est, ut si quid mali, **26** vel boni cuiquam fecerimus, Deo fecisse videamur; propter quod non immeB rito Joannes peculiaris arcanorum Domini consultor constanter edicit : *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum odit, mendax est : qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, non potest diligere* (I *Joan.* IV, 20). Decertemus igitur, fratres, inter nos mutui amoris æmulatione gloriosa; imaginemque Dei dignissime venerando, declaremus quid ipsi veritati debeamus, scientes, quoniam si quis imaginem læserit, in (39) exitium suæ animæ incitat veritatem. Nec est dicto longe probatio. Si inclyti cujusquam Regis (hominis tamen) (40) vultus, quivis ulla violaverit ratione; nonne continuo velut sacrilegii commissi capitales pœnas luit? quanto magis in Dei causa fortius præcavendum est, quem solum veretur, quidquid in (41) virtutibus naturæ a Regibus ipsis quoque metuitur?

C VIII. Sed necessario unicuique sinceri amoris est noscenda proprietas, ne sub sono nominis(42) con-

tur enim Pauli locus : *lex enim iram operatur*, ad Rom. IV, vers. 15. Emendavimus autem ex mss. et cæteris editis. Solus Urbin. codex habet *operantium*. Ms. Tol. paulo post : *quia et justo*.

(33) *Bifariam* scriptores Latini optimæ notæ habent, sicuti *trifariam*, *quadrifariam*, *multifariam*, etc. *Trifarie* tamen habet Diomedes grammaticus *multifarie* Plinius XVIII, 7, et Solinus cap. 18, ex quibus Zenonis locutio satis vindicata videtur. Mss. Tol. et Urb. *iudita* pro *inclyta*.

(34) Mss. Pomp. et Zen. *Schariotes*, sicuti et mss. Hieronymi in cap. X Matth., pag. 57, similiter scribunt, et Hilarius in ps. CXXVIII; in plerisque nostrorum mss. *Scarioth*.

(35) Hic *præsumo* aperte pro *certo cognosco*, ut monuimus adnot. 6.

(36) Non quod nihil debeamus diligere præter Deum, D cum proximum quoque Deus amare nos jubeat; sed quod nihil sit diligendum, nisi eo jure ac ratione, quam nobis Deus ipse præstituit, ita ut ipsum Deum in omnibus, quæ diligimus, diligamus.

(37) Sparaverius mallet legere *nostrum*. *Sequens est*, *officium* subintelligitur, id est *secundum officium*; de primo enim hactenus dixerat.

(38) Mss. Tol., Urb., Zen. et Pomp. *exspectavit*.

(39) In margine ms. Pomp. *exitium*.

(40) *Vultus* pro imaginibus dicti a Trebellio in Claudii, a Vopisco in Probi, a Capitolino in Maximi et Balbini Vitis, nec non in L. Cod. *de publ. læt. nunt.* ubi imperatorum imagines publico cultui expositas liquet. Hunc morem S. Zenonis ævo apud Christianos quoque obtinuisse ex hoc testimonio discimus; *Reges* enim Imperatores appellat, ut ostendimus tractat. I adnot. 38. Patet etiam ex Ambrosio serm. 10 in ps. CXVIII, num. 25 : *Qui coronat imaginem imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit : et qui statuam contempserit imperatoris, imperatori utique, cujus statuam conspulaverit, facisse videtur injuriam.* Et lib. VI Hexameron, cap. 9, num. 57 : *Ære fusa principum capita, et ducti vultus de ære vel de marmore ab hominibus adorantur.* Quod porro de capitali pœna in imaginum violatores tradit Zeno, spectat legem *Juliam majestatis* allegatam D. l. 48, tit. 4, l. 5 et 6. S. Methodius, apud Damascenum, relatus testimonio ultimo post Or. 3 de *Imaginibus*, tom. I, pag. 390, eos condemnatos testatur, qui in principum imagines probra conjecissent, ac si in ipsos principes peccassent. Similia habet S Basilius, enarrat. in Isaiam cap. 13, apud eumdem Damascenum, pag. 366. Spartianus quoque, in Caracallæ Vita, pag. 87 : *Damnati sunt eo tempore, qui urinam in eo loco fecerunt, in quo statuæ, aut imagines erant principis.* Celebris item est imperialium statuarum historia, quæ Antiochiæ dejectæ magnam ibidem perturbationem severissimæ punitionis metu excitarunt; qua occasione S. Joannes Chrysostomus plures orationes habuit ad populum, quæ *de statuis* inscribuntur. Mittimus alia plura.

(41) *Virtutes naturæ* heic vocantur fulmina, terræmotus, morbi, seu (ut loquamur Psalmistæ verbis, ad quæ S. Zeno respexisse videtur) *ignis*, *grando*, *nix*, *glacies*, *spiritus procellarum* : et sensus est, hasce *naturæ virtutes*, quæ ipsis regibus metum incutiunt, neminem vereri, nisi *solum* Deum, cujus nutibus parent; nam *faciunt verbum ejus*.

(42) Ea *committi* dicuntur, quæ in discrimen ac

Digitized by Google

mittatur regula veritatis; est enim et alius amor sane saluti nostræ contrarius; cui recte hominis forma tribuitur, quia temporalis ac fragilis esse cognoscitur. Ideo lineamento puerili depingitur, quia ejus lasciva lubricitas nec annis senilibus **27** temperatur. Ideo nudus, quia voluntas ejus est turpitudo. Ideo pennatus, quia in quæcumque conceperit, velociter ruit. Ideo telis facibusque constructus, quia illicitis ardoribus semper junctus est gladius. Ideo autem cæcus, quia cum exarserit, non ætatem considerat, non formam, non sexum, non gradum, non sacrosanctum illum (43) saltem sanæ pietatis affectum. Hic facibus suis (44) Evæ pectus incendit. Hic Adam suis telis occidit. Hic Susannam conatus est duorum seniorum aut prodigiosis ignibus subjicere, aut parricidali gladio jugulare. Hic Joseph mulieri (45) flagitat esse violentum; quem etiam, dum denudat, esse non invenit impudicum. Hic (46) synagogam expugnavit, cum sua illi arma concedit. Hic ubique turbulentus, ubique fertur insanus. Promittit, (47) fallit, dat, tollit: nunc tristis, nunc hilaris, nunc humilis, nunc elatus, nunc ebrius, nunc jejunus, nunc accusator, nunc reus. Jocatur, ludit, pallet, tabet, suspirat, (48) celat, obsequitur: aut tentat, aut decipit, (49) pejusque blanditur, quam furit. Occasionem ullam prorsus nocendi non præterit. Vultis scire, quod malum sit? in ipso fructu suo etiam ipse se odit. Venenis ejus quotidie totus exæstuat mundus: pestiferisque voluptatibus ita corrupta sunt omnia, ut quidquid in eo geritur, non debere diligi a nobis sacris vocibus dum jubetur, recte sapientibus exsecrabilis esse videatur, Joanne dicente: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, non est charitas patris in illo: quoniam omne, quod in* **28** *mundo est, concupiscentia est carnis et concupiscentia oculorum et ambitio sæculi: quæ non est a patre, sed ex concupiscentia mundi* (I *Joan.* II, 15, 16): per hanc enim diabolus cum (50) diverse hominum mentes (51) capit ac decipit, sic cupido vocitari a luxuriosis suis, sibi cultoribus, cœpit.

IX. Nunc ergo videamus, unde vera charitas véniat, ubinam consistat, cui vel maxime debeatur. Utique illi, qui hominem fecit; qui ei munus perpetuæ charitatis similitudinem suam tradidit; qui orbem terræ donavit: qui omnia elementa mundi cum animantibus suis ejus potestati subjecit; qui ei annos, tempora menses, noctes, dies, clarissimosque duos regalium orbium currus (52) munerifero semper vicissitudinis delectamento servire præcepit; qui eum supradicti amoris (53) male dulcibus venenis occisum, infernæque sedi submersum, majestatis suæ (54) sacramento vivificatum, insuper regni cœlestis participatione ditavit. O charitas, quam pia et quam opulenta! o quam potens! nihil habet, qui te non habet. Tu Deum in hominem (55) demutare valuisti. Tu eum breviatum, paulisper ab majestatis suæ immensitate peregrinari fecisti. Tu virginali carceri novem mensibus religasti. Tu Evam in Mariam (56) redintegrasti. Tu Adam in Christo renovasti. Tu sacram crucem in salutem perdito jam (57) mundo providisti. Tu mortem Deum mori docendo vacuasti. Tuum est, quod cum occiditur ab hominibus Deus omnipotentis Dei filius, nullus irascitur de duobus. Tu populi cœlestis animam tenes, cum ornas pacem, fidem custodis, amplecteris innocentiam, veritatem colis, patientiam diligis, spem repræsentas. Tu **29** diversos homines moribus, ætatibus, ditione, ex una natura unum spiritum, unum efficis corpus. Tu martyres gloriosos a confessione Christiani nominis nullis tormentis, nulla

certamen quoddam conjiciuntur. Sic apud Juvenalem, Sat. VI, v. 435, legitur *committit* vates, et *comparat*, propterea quod ex comparatione periculum ipsorum fiat. Itaque *ne sub sono nominis committatur regula veritatis*, idem est ac ne ob nominis similitudinem in discrimen et periculum conjiciatur. At forte cuipiam magis arrideat lectio ms. Urb. in quo scribitur *commutetur*.

(43) Mss. Vat., Pomp. *saltim* et cum Urb. *suæ*. In margine autem Pompeiani codicis, *saltem sane*.

(44) Quid hoc loco innuat S. Zeno, dictum est latius dissert. II cap. 4, ubi similem locum ex tract. 13 lib. I pluribus explicavimus.

(45) *Flagitare* pro *infamare et accusare* legitur apud probatos scriptores. Vide Festum voce *intercutem*, et Tacit lib. I cap. 53. Est autem *flagito* præsertim de infamia rerum turpium, sicut etiam usurpatur pro *petere*, seu *agere stuprum*; et similiter *flagitium* pro stupro. Amor autem Josephum infamavit intentati turpis flagitii, ac si violentiam, quam passus fuerat, ipse mulieri intulisset, Ms. Vat. pro *flagitat esse* habet *flagitasse*.

(46) Sparaverius indicari heic censet historiam descriptam Numer. XXV, Jud. XX, XXI.

(47) Restituimus *fallit* ex mss et editione prima, quod verbum a cæteris editionibus aberat.

(48) Ms. Urb. *zelat*, quo verbo usus est Tertullianus in carmine contra Marcionem et Interpres vulgatus psalm. LXXIII, 3. At Zeno, tract. 4, n. 2, *zelatur* pro *zelat* scripsit.

(49) Ms. Pomp. *priusque*.

(50) Idem ms. *diversa*: dein Urb. *mentes captas decipit*.

(51) *Suis* ab editis aberat; retinuimus ex mss. Rem. et Pomp.

(52) Legebatur *numerifero*: at placuit lectio mss. Pomp., Tol et Urb.; quippe sol et luna, dum delectant, etiam prosunt.

(53) Ms. Vat. *valde dulcibus*.

(54) Incarnationem divini Verbi SS. Patres sæpe *sacramentum*, seu mysterium appellant ex Paulo I Tim. III, 16. Hinc noster episcopus, tract. 12 lib. I, num. 1, loquens de Christo, qui dicitur tum Dei, tum hominis filius, *Dei filius*, inquit, *ad ineffabilem originem pertinet, hominis ad sacramentum*, id est ad incarnationem. Sic etiam Chrysologi sermo 147, *de Incarnationis sacramento* inscribitur. *Sacramentum* autem pro *mysterio* accipi ostendemus lib. II tract. 9, adnot. 12.

(55) Hæc formula, quæ post Eutychianam hæresim exclusa fuit, Zenonis ævo inculpate et catholico sensu poterat usurpari, ut latius diximus dissert. II, c. 1, § 3, *Breviatum* participium ex *brevio, as*, quod verbum adhibet Quintilianus, lib. I, cap. 9; Manilius, lib. III, vers. 461. Lactantius in Epitome, c. 8, *Brevitatis gradibus adscendere* apud Sidonium lib. II, ep. 2.

(56) Ms. Pomp. et edit Ven. *reintegrasti*: tota vero hæc sententia deest in ms. Vat.

(57) Ms. Rem. addit *in mundo*; sed dativus est,

Digitized by Google

novitate mortis, nullis præmiis, nullis amicitiis, nullis affectibus, omni sane tortore pietatis mordacitate pejoribus, separari permittis. Tu, ut nudum vestias, nuda esse contenta es. Tibi fames saginatio est. Si panem tuum inops esuriens inanducaverit, tuus census est, totum in misericordiam habere, quod habes. Tu sola rogari non nosti. Tu oppressos vel cum dispendio tui inuunctanter eripis in qualibet angustia constitutos. Tu cæcorum oculus. Tu pes claudorum. Tu scutum fidelissimum viduarum. Tu melior pupillorum, plus quam uterque, parens. Tibi oculos nunquam siccos esse aut misericordia permittit, aut gaudium. Tu tuos ita diligis inimicos, ut inter eos charosque tibi quid distet, nemo discernat. Tu, inquam, cœlestia humanis, humana cœlestibus jungis arcana. Tu divina custodis. Tu in Patre imperas. Tu (58) tibi in Filio obtemperas. Tu in Spiritu sancto exsultas. Tu cum in tribus una sis, nullo pacto divideris; nulla humanæ curiositatis calumnia commoveris. A Paterno fonte (59) in Filio tota refunderis; et tamen tota ubi refunderis, nec recedis. Recte Deus diceris: quia Trinitatis (60) potentiam sola convertis.

30 TRACTATUS III.

De Justitia.

I. Fortassis de circumstantibus (1) doctis quispiam in cachinnos erumpat, quod homo imperitissimus et elinguis, aliquid audeam de justitia disputare, de cujus proprietate excellentes ingenio et doctrina (2) viri nihil certi libris ingentibus prodiderunt. Sed ego **31** non curem, de me quemadmodum quis jocetur: non enim in Ecclesia Dei fucatus quæritur sermo, et non veritas pura; a qua longe omnes illi non immerito aberraverunt, qui justitiam Dei manere in (3) eloquentiæ viribus æstimabant. Denique cum eam comprehendere non possent (neque enim poterant

qui a verbo *providisti* regitur. Dein ms. Vat. *Tu mortem Domini mori.*

(58) *Tibi* restitutum ex mss. Rem., Vat., Pomp. et Zen. Quomodo autem Pater imperet, et Filius obtemperet, explicat S. Zeno, lib. II, tract. I, et 6. Pater autem obtemperare sibi imperanti in Filio dicitur, quatenus quæ Filius facit, eadem efficit et Pater., Joan. XIV, 10: *Pater autem in me manens et ipse facit opera.*

(59) *In Filio* pro *in Filium* dixisse videtur S. Zeno. Vide adnot. 7 in tr. 16 l. II.

(60) Ms. Rem. *potentia.* Ms. Tol. *sola Trinitatis potentia.* Idem habet et codex Vat. qui pro *convertis* scribit *convenistis.* Hic locus corruptus, ut videtur, et obscurus. Deum quidem a potentia actu operatrice appellari, patet ex aliquot Patrum sententiis, quæ videsis apud Dionysium Petavium tom. I *de Theologicis dogmatibus*, lib. VIII, cap. 8. Quid autem charitas Deus dicatur ratione potentiæ, quam *sola* charitas *convertit*, non plane intelligas, nisi explices sic, nimirum solam charitatem, qua Deus se et nos diligit, effecisse, ut is se se foras communicaturus, potentiam in mundi creatione exerceret, ut scilicet ii essent, in quibus divinæ perfectiones elucescerent, quosque suæ bonitatis participes faceret.

TRACT. III.—(1) *Doctos* Zenonis sermonibus adfuisse hinc colligimus: qui autem hi fuerint, paucis conjiciamus. Cum hoc in sermone eam justitiam S. Antistes commendet, quæ a Gentibus ex philosophorum placitis stultitia audiebat; eam vero reprobet justitiam sæcularem, quæ injusta quidem, sed sapientia a Gentibus prædicabatur; *doctos*, qui Zenonis sermonem cachinnis exciperent, ipsos ethnicos fuisse quispiam existimet: quippe qui ex falsa justitia, quam colebant, sapientes se vere esse, Christianos autem huic justitiæ inimicos, stultos ac imperitos putabant. Sed alia fortasse de causa ipsos Ethnicos *doctos* hic appellari crediderimus, cum cachinnos ex hisce doctis hominibus metuat, ob *sermonem non fucatum*, qui ab ipsis *quæritur*, a se autem *elingui* et *imperitissimo* abesse affirmat. Vulgata nimirum erat apud ethnicos opinio, se solos, qui politioribus litteris et philosophiæ vacabant, doctos esse; Christianos autem ab hisce studiis alienos, rudes et imperitos nuncupabant. Hinc Cæcilius ethnicus apud Minucium Felicem in Octavio p. 32, adversus Christianos sic loquens inducitur: *Indignandum omnibus indolescendumque est, audire quosdam, et hos studiorum rudes, litterarum profanos, expertes artium etiam sordidarum, certum aliquid de summa rerum ac majestate decernere, de qua tot omnibus sæculis sectarum plurimarum usque adhuc ipsa philosophia deliberat.* Similia Celsus oggerit apud Origenem, lib. III, pag. 144, *illitteratissimos et rusticissimos vocans* Christianos; et Julianus Apostata eadem scripsisse fertur ex orat. 4 Nazianzeni in Julianum, et a Cyrillo Alexandrino, lib. VI, contra eumdem. Legenda etiam, si libet, quæ ex Gentium sensu refert Arnobius, lib II, pag. 45. Interim cogita, lector, quantæ Zeno eloquentiæ et doctrinæ fuerit, cum et docti ethnici ad eum audiendum convenirent. Ex his porro ecclesiam patuisse omnibus, non catechumenis solum et hæreticis, sed ethnicis etiam, dum sacra concio haberetur, plane convincitur; quod aliis ejusdem et sequioris ævi monumentis aperte decretum invenitur. Vide Concil. Valent c. 1, Cartag. IV, c. 84. Tertulliani tamen ætate id catholicis minus probatum fuisse videtur ex libro *de Præscript.* c 41, ubi hæreticorum morem a catholicorum saltem Africæ disciplina alienum reprehendens ait: *In primis quis catechumenus, quis fidelis, incertum est: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant; etiam ethnici si supervenerint, Sanctum canibus, et porcis margaritas, licet non veras, jactabunt. Simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinæ, cujus penes nos curam lenocinium vocant.* At quæ disciplina tribus primis sæculis, dum ob persecutiones latendum erat, catholicis displicuit; ea post redditam Ecclesiæ pacem, dum nihil ab advenientibus ethnicis erat metuendum, eosque discernere et statò tempore excludere licebat una cum catechumenis, ne Sanctum canibus præberetur, placuit. Sic etiam Judæi coram omnibus legem interpretabantur, de quo multa Valesius in notis ad Eusebii Historiam, lib. II, cap 6. Hac porro in Zenoniana periodo pro *audeam* ms. Pomp. habet *audeat.*

(2) *Nos veri juris germanæque justitiæ solidam et expressam effigiem nullam tenemus; umbra et imaginibus utimur:* ita Cicero ingenue confessus est lib. III *de Officiis*, ethnicorum philosophorum personam gerens; qui multa licet de justitia tradiderint, nihil tamen eos solidi, nihil veri attigisse fuse probat Lactantius, lib. V *Divin. institut.*, ex quo S. Zeno in hunc tractatum non pauca derivavit, ut mox videbimus. Id ipsum poetæ quoque ethnici intellexerunt; ac proinde *finxerunt*, inquit idem Lactantius, lib. IV, cap. 5, *justitiam offensam vitiis hominum cessisse e terra, in cœlumque migrasse.* In sequenti periodo edit. Ven. *non curo* pro *non curem*, et ms. Urb., *jocatur* pro *jocetur.*

(3) Philosophos hic et oratores ethnicos S. Zeno notat. Philosophi ethnici, qui in scholis publicis philosophiam tradebant Ambrosii quoque tempore, ut discimus ex lib. I *de Fide* cap. 13, *in sermone divites sunt*, ait idem auctor, Enar. in psal. XXXVI, num. 28, et ex his *plerosque phaleratis sermonibus artem suam jactare prudentiæ* notat lib. VII *in Lucam* num. 66. Sophistæ autem præcipue indicantur, quorum

sine magisterio (4) divinæ sapientiæ, cujus notitiam non habebant), duas asseruere justitias, (5) unam civilem, **32** alteram naturalem: quarum fecit apertissime, cum ad Romanos loqueretur Apostolus, mentionem dicens: *Nam justitiam Dei ignorantes, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non obedierunt.* (*Rom.* x, 3.) Sed cum de (6) futuro nihil opinantes, præsentis tantum vitæ commoda inspiciunt, falsamque adversus veram pro vera defendunt; sic utramque mediis e manibus, oculis patentibus, perdiderunt: Dei, cum (7) stultam putant, quod elaboret

A dispendio suæ, non dicam facultatis, sed etiam, si opus sit, et salutis, alii magis prodesse, quam sibi: suam, quia quamvis sit sapientiæ nomine falso vestita, tamen suis commodis consulendo, quod sine alienis incommodis omnino non potest procurari, a quovis vere stultissimo negari non possit (8) injusta.

33 II. Cæterum si scire potuissent veram justitiam, cujus est immortalitas merces, propterea simulatæ stultitiæ velamine adopertam, ut res magna magnis virtutibus magnisque laboribus quæreretur;

mos erat paratos esse semper, ut de quacumque re subito dissererent, teste Cic. lib. II *de Finibus*; et in hoc ficiam quamdam vanamque sapientiæ speciem jactitabant, eamque *ostentationis, aut quæstus causa* profitebantur, ut idem ait *Academicarum quæstionum* lib. IV, cap. 23. Cum porro apud Gentes justitia diceretur, quidquid in proprium commodum utilitatemque cederet, ut ex dicendis constabit; hinc S. Zeno in hac Sophistarum vaniloquentia ipsorum justitiam sitam esse non abs re affirmat. De hoc propterea memoratus Ambrosius, lib. II *de Abraham*, c. 10, n. 76: *Sæculi istius sophistæ*, inquit, *traxerunt definitionem hujusmodi, quod sapiens vir bonus dicendi peritus sit*: ubi *sapientem* et *bonum* pro eodem accipi, utrumque autem in dicendi peritia a Sophistis positum vides. De oratoribus vero ethnicis in sophistarum schola eruditis, qui eloquentiæ sapientiam præ se ferentes injustis quæstubus inhiabant, vide quæ a nostro Auctore dicentur num. 2. Edit. Ven. pro *in eloquentiæ viribus* habet *in eloquentia et viribus*.

(4) Quod nimirum sola illa, quæ per fidem discitur, est vera sapientia veraque justitia, unde S. Zeno, num. 4: *Nisi crediderilis non intelligetis*; et Lactant. lib. VI *Institut.* cap. 9: *Qui Deum ignorat, et ipsam justitiam ignoret necesse est.*

(5) Inter sophistas celebris Carneades, ille, qui duas Romæ de justitia orationes habuit, alteram qua illam statuere contendit, alteram qua eamdem evertere ac nullam esse probare conatus est: sophistarum enim laus erat maxima in utramque partem disputare. In oratione autem, quam contra justitiam recitavit, distinctionis, quæ hic a Zenone indicatur, semina continebantur; hujus enim orationis fragmenta aliquot cum recitasset Lactantius, lib. VI *Institut.* c. 16: *Ita ergo justitiam*, inquit, *cum in duas partes divisisset, alteram civilem esse dicens, alteram naturalem, utramque subvertit, quod illa civilis sapientia sit quidem, sed justitia non sit; naturalis autem illa justitia sit quidem, sed non sit sapientia.* Hoc ex fonte S. Zenonem ebibisse nihil dubitamus. Justitiam porro *civilem*, quam sapientiam quidem, non autem justitiam esse fatebatur Carneades, vocabat *jura, quæ sibi hominis pro utilitate sanxerunt*; cum scilicet suis commodis, suæ sanitati et vitæ studerent magis, quam alienæ, imo etiam cum alienarum et fortunarum et vitæ si opus esset, injuria, idque sapiens esse dicebat, etsi justum dici non possit: justitiam vero *naturalem* illam esse aiebat, qua homo neminem læderet, suum cuique tribueret, et pati ipse potius in bonis ac vita eligeret, quam cuipiam vim ac injuriam inferre; et hæc apud Carneadem habebatur summa stultitia, etsi justitiam vere esse negare non posset. Hæc ex memoratis fragmentis fusius præmittenda nobis erant, ut cætera, quæ huic fundamento a Zenone superstructa sunt, facilius intelligantur.

(6) Ethnici illi philosophi, contra quos hic agitur, *cum de virtute disputant*, inquit Lactantius lib. V, cap. 17, *expetendam esse aiunt sua causa; ejus enim præmia, quæ sunt æterna et immortalia, nullo modo vident.* Equidem præter honorem virtuti redditum nullam aliam æternam illi mercedem fore putarunt.

Hinc apud Ciceronem, ut ex dialogo *de Republica* jam deperdito notat idem Lactantius, lib. V, cap. 18: *Idem ille justitiæ defensor Lælius. Vult, inquit, plane virtus honorem, nec virtutis ulla alia merces* Huc autem tota refertur causa, cur illi veram justitiam sapientiamque non noverint, sed hanc potius maximam stultitiam judicarint. *Si enim*, inquit idem Lactantius, *post mortem nihil sumus; profecto stultissimi est hominis non huic vitæ consulere, ut sit quam diutina et commodis omnibus plena.* Vide etiam cap. 15. Post pauca pro *utramque* ms. Urb. *utraque*.

(7) Hoc loco prospiciuntur illa Carneadis in oratione adversus justitiam, ubi cum illud sibi probandum sumpsisset, *aut nullam esse justitiam, aut, si sit aliqua, summam esse stultitiam, quoniam sibi noceret, alienis commodis consulens*: id argumentis partim ad bonorum fortunæ, partim ad vitæ dispendium pertinentibus confirmare studuit; quæ Zenonem legisse apud Lactantium cap. 16, et habuisse in animo, cum hæc scriberet, nobis satis credibile est; unde, ut Auctoris sententia penitus intelligatur, ea proferre non piget. Primum de bonis fortunæ sic: *Bonus vir si habeat servum fugitivum, vel domum insalubrem ac pestilentem, quæ vitia solus sciat, et idco proscribat, ut vendat; utrumne profitebitur fugitivum servum ac pestilentem domum se vendere, an celabit emptorem? Si profitebitur, bonus quidem, quia non fallet, sed tamen stultus judicabitur, quia vel parvo vendet, vel omnino non vendet.* Cedit subinde aliud exemplum hominis reperientis aliquem, *qui aurichalcum se putet vendere, cum sit aurum*; et quæstione proposita, *Tacebitne*, inquit, *ut id parvo emat, an indicabit, ut magno?* respondet: *Stultum plane vis detur malle magno.* De bonis autem vitæ sic: *Justitia est hominem non occidere, alienum prorsus non attingere. Quid ergo justus faciet, si forte naufragium fecerit, et aliquis imbecillior viribus tabulam ceperit? Nonne illum tabula deturbabit, ut ipse conscendat, eaque nixus evadat, maxime cum sit nullus medio mari testis? Si sapiens est, faciet: ipsi enim pereundum est, nisi fecerit. Si autem mori maluerit, quam manus inferre alteri; jam non injustus ille, sed stultius est, qui vitæ suæ non parcat, dum parcit alienæ.* Et alio simili allato exemplo concludit: *Si non fecerit justus, sed idem stultus sit necesse est.* Hactenus ex oratione Carneadis Lactantius.

(8) Ipse Carneades in ea oratione, qua veram justitiam impugnaturus, civilem alteram defendit, quam sapientiam vocavit, injustitiam cum hac conjunctam inficiari non ausus est, imo satis ultro concessit, cum loquens de eo, qui vitium rei celans rem majore pretio vendit; *Si celaverit* inquit, *erit quidem sapiens, quia rei consulet, sed idem malus*, id est injustus, *quia fallet.* His similia in alio apud Lactantium fragmento reperiuntur. Apertius loquitur Cicero in dialogo *de Republica*, ubi Furium pro Carneade, Lælium autem contra disputantem induxit. Licet enim Furius civilem mundi justitiam quam *suam* S. Zeno vocat, propugnaret acerrime; eam tamen, inquit Lactantius cap. 16, *sapientiam quidem esse concesserat, sed injustam.*

Digitized by Google

incunctanter optarent stulti judicare se justi, quam sapientes injusti : maxime cum jam sit eorum fraus omnis in medio, non enim (9) rem valuerunt transferre, sed nomina, justitiam stultitiæ, injustitiam sapientiæ vocabulis infamantes : quæ si ad sua corrigas propriisque sedibus reddas, invenies injustitiæ magis stultitiam, justitiæ sapientiam convenire ; quod etiam sacræ legis testimoniis probare non desinam, cujus ista sunt verba : *Nam quia sapientiam Dei non cognovit sæculum per sapientiam, Deus optimum existimavit per stultitiam prædicationis salvos facere credentes* (I *Cor.* I, 21). Et iterum manifestius : *Si quis inter vos videtur sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit prudens : nam hujus mundi sapientia stultitia est apud Deum* (I *Cor.* III, 18, 19). Ob quam causam idem Deus per prophetam hactenus protestatur : *Non glorietur sapiens in sua sapientia, neque glorietur fortis in fortitudine sua, neque dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, intelligere et scire, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam et judicium et justitiam super terram* (*Jerem.* IX, 23,24). O quam paucissimis verbis omne hoc mundi enixe quod geritur negotium, peroravit ! his enim tribus rebus, quæ fundamenta sunt omnium vitiorum, violentis quasi quibusdam tempestatibus naufragatum momentis universis in interitionem cogitur omne genus humanum. Namque sapientia densis (10) exæstuans argumentis, suasorio ac delectabili luculentæ orationis compta mendacio, armata vocis tuba et gladio linguæ, omnes actus ad se trahit, congregat turbas, concionatur; lites sic discernit, ut seminet, pravos ac lubricos colligit mores ; legibus **34** suis suas leges impugnat : jus jure (11) distringit. Quis non videat numquam recti aliquid illam facere vèl fecisse, quod fecerit ? Vultis scire, quam justa sit? miseram se putat, nisi everterit veritatem. Cæterum fortitudo, quæ hominibus est cum feritate communis, omne jus in viribus habet ; quod facere prævaluerit, æstimat rectum : (12) ideoque sine ulla reverentia divinæ atque humanæ religionis delet abrupte igni ferroque cum sua sibi tota substantia incolas, civitates, et rura, nihil omnino metuens amicæ mortis fiducia ; denique quod sapientia legibus per industriam colligit, uno impetu aliquotiens (13) clusis oculis illa dispergit. Tertio dives est avaritia, utræque cujus exaggerare opulentiam velocitate mira contendunt; cui totus militat mundus ; ætas cui universa deservit. Proh nefas ! quæ istæ sunt tenebræ ? inest omnibus, et ab omnibus, quasi non sit, arguitur. Accusatur, et tamen colitur : jugulat, et amatur. Invincibile profecto calamitatis est genus, cui, subjugata sapientia, serviet virtus.

III. Videtisne jam manifeste sapientiam hujus mundi non esse justitiam ? et quidem nec veram sapientiam : quia fieri non potest, ut verus sapiens non sit et justus : justus adæque verus non sit et sapiens : quia justus esse non potest stultus, neque sapiens injustus, ipsa ratione docente : (14) qui enim stultus est, quid sit bonum ac malum, **35** nescit; nec potest scire, quid reprobet, quid teneat; et ideo semper peccat, quod est justitiæ contrarium : justus autem ab omni peccato se abstinet : quod propterea facit, quia pravi bonique notitiam gerit, quod est utique sapientis. Unde fit, ut numquam justus possit esse, qui stultus est : neque sapiens, qui fuerit injustus. Cæterum sive

(9) Similiter Lactantius, lib. VI, cap. 16 : *Nomina tantummodo immutant, res ipsæ manent.*

(10) Ita mss. Rem., Tol., Pomp.; alibi autem et in editis *æstuans*. Hic vero Auctor Ethnicorum oratorum perstringit sapientiam in eloquentia constitutam, qua auditores et judices in propriam adducerent sententiam, non ratione aliqua, sed affectibus, qui sæpe contra rationem et leges, si ita ferret commodum, excitandi a rhetoribus tradebantur. Inter multa id generis præcepta unum cedimus ex Cicerone, lib. II, *de Orat.* pag. 70 : *Nihil est enim in dicendo majus, quam ut faveat Oratori is, qui audiet, utque ipse sic moveatur, ut impetu quodam animi et perturbatione magis, quam judicio aut consilio regatur. Plura enim multo homines judicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quam veritate, aut præscripto, aut juris norma aliqua, aut judicii formula, aut legibus.* Vide quæ contra id genus eloquentiæ, disseruntur in dialogo *de Causis corruptæ eloquentiæ* num. 25, quem alii Senecæ, alii Quinctiliano, alii aliis tribuunt ; unde in editis variorum Auctorum operibus subjectus legitur. Paulo post pro *colligit* ms. Urb. *congerit.*

(11) Ita in mss. Rem., Tol., Pomp., Vat. ; alibi vero et in editis *distinguit. Distringo* heic est pro *deleo, destruo, everto*, sicut apud Florum, lib. IV, cap. I, *distringere incendiis urbem*, et apud Frontinum libri primi caput nonum eodem sensu inscribitur *de distringendis hostibus.*

(12) In editis *adeo, quod;* in ms. Rem. *ideo:* in Pomp. *quod* deest. Placuit ex his scribere *ideoque.* Textui porro lucem afferre potest locus Lactantii ex lib. VI, cap. 6, ubi ab Ethnicis fortes viros pro patria morti se se subjicientes summis laudibus elatos prodit, *qui eversis civitatibus gentibusque deletis patriæ prospicerent, fines propagarent*, etc., et cap. 9 : *Populus ipse Romanus per Feciales bella indicendo et legitime injurias faciendo semperque aliena cupiendo atque rapiendo possessionem totius orbis comparavit.*

(13) In editis *clausis.* Porro tum in mss. tum in editis hic locus uno contexu effertur, ita ut plane intelligi nequeat. Sic enim scribitur : *clusis oculis illa tertio dives est avaritia.* Correximus ut in textu, ubi cum verbum *dispergit* aperte supplendum fuit, ut sensus constaret, tum vero punctum affigendum, post quod tertia orationis a Paulo propositæ pars, quæ avaritiam spectat, a Zenone exponitur illis verbis : *Tertio dives est avaritia*, etc. Ita commodo intelligitur *utræque* referri ad eloquentiam et fortitudinem avaritiæ faventes de quibus Auctor hactenus disseruerat.

(14) Lactantius, lib. V, cap. 17, eadem fere habet, adeo, ut ex iis Zenonem profecisse, et non nulla etiam ad verbum descripsisse appareat : *Denique*, inquit Lactantius, *ut concludam disputationem, non posse eumdem justum esse ac stultum, eumdem sapientem et injustum, docet ipsa ratio. Qui enim stultus est, quid sit justum et bonum, nescit, et ideo semper peccat. Ducitur enim quasi captivus a vitiis, nec resistere ullo modo potest, quia caret virtute, quam nescit. Justus autem ab omni peccato se abstinet, quod aliter facere non potest, quam si habeat recti pravique notitiam. Rectum autem discernere a pravo quis potest, nisi sapiens? Ita fit ut numquam possit esse justus, qui stultus est; neque sapiens, qui fuerit injustus.* Edit. Ven. pro *bonum ac malum* habet *bonum aut malum.*

Digitized by Google

justo, sive sapienti si alterum defuerit ex duobus, quod illi putaverunt, nec sapiens profecto erit ille, nec justus.

IV. Satis, ut opinor, præstigiæ mundanæ patuerunt : in quibus cum peritius agant universi homines, quam dici potest, superfluum est demorari. Unde nunc ad veram justitiam veniamus, omnium (15) fontem matremque virtutum : quæ præter cæteras tota se ad alienas utilitates colligit atque explicat, sciens, quid Deo principaliter debeatur, nihil sibi ipsa concilians, nihil proprium derelinquens, nisi quod fideliter sine ulla jactantia ejus fungitur voluntate. Est autem in publicum tota prominens atque diffusa : sic tamen, ut sentiri se magis cupiat, quam videri : plane cauta, ne quam declinet in partem, ne in aliquo se ipsa reprehendat, ne opere cœpto unquam deficiat. Hæc captivorum (16) juga redemptionibus frangit : incarceratis medendo plus carcerem novit blanda pervigil cura : ægritudinem cum ægro (17) partitur : abjecta cadavera intecta inhumataque esse non patitur : in pauperos miserosque sua necessitate neglecta (18) pietatis largiter et furtim semina spargit : nec rogari se permittit, nec vicaria laudis remunerari mercede : hoc damnum grave : hoc æstimat crimen : nam nihil relinquendo **36** sibi, beata cupiditate antecedit avaritiam : homines enim illa possidet; ista Deum. Adhuc accipite, ad propriam sedem palmamque propositam quanto amore, qua devotione festinet. Si quis eam provocat in judicium, ut ejus auferat tunicam, libens illi pallium quoque concedit; maledicitur, et benedicit : cæditur et gratias agit : jugulatur, et non repugnat : pro percussoribus suis Deum insuper exorat. Una illi sola principalis sollicitudo ac maxima est cautio, ne quid mundo debeat, ne quid horum digne patiatur. Hanc, qui divinas litteras aut non legerunt, aut lectas (19) irritas putaverunt, beneficio abjecti impolitique sermonis, tamen dicenti : *Nisi crediderit is, neque intelligetis* (*Is.* VII, 9, *ex* LXX *interp.*), stultam putant irridentque quasi vanam, quod cum possit bonis frui mundi, ac negligat, sponte se faciat infelicem; non credentes, quia Dei præcepta custodiens, hujusmodi officiis sæculares obterens voluptates, cum fuerit victor carnisque nexibus liber, repromissæ immortalitatis inæstimabili beatitudine perfruetur.

V. Sed quid ad nos, quid illi dicant? insignis vir sicut ait (20) noster : *Novit Deus cogitationes sapientium, quia sunt stultæ* (*Ps.* XCIII, 11). Nostram nobis stultitiam derelinquant : habeant secum sapientiam suam ; cujus quidem sectatores pene omnes conspicor Christianos, qui perfectam putant esse justitiam, propria tueri, aliena non quærere, sapientiæ veræ negligentes imperium, quod verbis hujusmodi continetur : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia tua : et da pauperibus, et tolle crucem tuam, et veni, sequere me* (*Matth.* XIX, 21). De hoc nescio, quid possit **37** quispiam promovere; unum tamen scio, quia nullus est nostrum, qui non momentis omnibus elaboret, ut plus habeat, quam habebat; quod cum nititur, avaritiæ utique partes agit, quæ est inimica justitiæ. Adeo inde est, quod frumento paucorum horrea plena (21) sunt, inanis plurimorum venter. Inde populis deteriora mensuris pretia, quam inopia. Inde fraus, perjurium, rapinæ, lites ac bella : quotidie mugitibus alienis quæritur lucrum ; et (22) proscriptio industria vocitatur : et appetitio rei alienæ sub prætextu propriæ defensionis ac diligentiæ callidissimis argumentis urgetur, ut quis indefensus, aut innocens, quod habet, (23) legibus perdat ; quod est omni violentia deterius : quia illud, quod vi eripitur, non numquam repeti potest : quod legum circumscriptionibus, non potest. Glorietur, qui volet, ista

(15) *Justitia fons est ipsa virtutis.* Lactantius lib. v, cap. 5. Post pauca pro *colligit* mss. Rem., Tol. et Zen., *corrigit*.

(16) *Jugum* pro captivitate, seu pro instrumento, quo captivi ligantur, sumptum liquet, ad similitudinem veri jugi, quo boves ligantur invicem et servituti subjiciuntur. Cic. Philip. I, cap. 2 : *Cujus a cervicibus jugum servile dejecerant ;* et Plinius, in Paneg. cap. 11, *jugum excusserant.* Lactantius, lib. VI, c. 12, eadem fere exponit misericordiæ et justitiæ opera quæ hic pressius a Zenone recensentur.

(17) Ms. Pomp. *patitur;* sed *patitur* repetitur paulo post.

(18) Erat in edit. Ver. *pietates largitur : furtim semina spargit*, etc. in Ven. *pietatis largitur : furtum*, etc. in mss. Rem., Tol. et Pomp., *pietatis largiter furtim semina spargit.* Hanc lectionem secuti sumus interjecta inter adverbia *largiter* et *furtim* conjunctione *et*, sine qua durior nimium et a Zenonis stylo aliena videtur locutio : facile enim ob *er* postremis litteris vocis *largiter* transcurri a librariis *et* conjunctio potuit. Cæterum *pietatis semina* non male vocantur eleemosynæ, quas *pia semina* Auctor similiter appellat tract. 10 lib. I, num. 5.

(19) Lactantius, lib. V, cap. 1 : *Hæc in primis causa est, cur apud sapientes et doctos et principes hujus sæculi Scriptura sancta fide careat ; quod prophetæ communi et simplici sermone, ut ad populum, sunt locuti. Contemnuntur itaque ab iis, qui nihil audire, vel legere, nisi expolitum ac disertum volunt.* Similiter Cyrillus Alexandrinus, lib. VII in Julianum hanc Ethnicorum objectionem proponit, qua illi sacros libros *ob abjectum et impolitum sermonem*, ut S. Zeno loquitur, despiciebant, eisque præferebant suos auctores, qui politiori et loculentiori stylo usi sunt : *At enim, inquiet forsan aliquis, Scriptura sacra vulgare, plebeium ac protritum dicendi genus continet : Græcorum autem scripta suavitatem habent ac præterea venustate dicendi abundant et gratia.* Hæc Cyrillus pag. 232 edition. Lipsiæ 1696. Illinc Amelius Platonicus, apud eumdem Cyrillum, pag. 283, S. Joannem eodem nomine *barbarum* vocat. Quæ in eosdem sacrorum librorum auctores evomerint alii Ethnicorum, vide apud Hieronymum in præfat. *de Script. Ecclesiasticis;* vide etiam epist. 8 Ambrosii, qua eadem in sacros Scriptores accusatio diluitur.

(20) In editis insertum *Psalmista noster*, quod in mss. Rem., Pomp. et Zen. non legitur. Paulo ante pro *quid illi*, ms. Pomp. scribit *quod illi*.

(21) *Sunt* reposuimus ex mss. et editione Ven. In aliis editionib. *est inanis*. Sequenti membro ms. Tol. *in mensuris*.

(22) In edit. Ver. perperam *præscriptio*, cum de proscriptione seu publicatione bonorum sit sermo.

(23) *Legibus perdat* idem est, ac quod num. 2, de eloquentiæ circumscriptionibus dictum fuerat : *Legibus suis suas leges impugnat, jus jure distringit.*

Digitized by Google

justitia : verumtamen sciat, quia misero est miserior, qui miseriis ditatur alienis. Quisquamne justum putet, qui utilitatem rei familiaris pietati præponit? qui, hominibus fame laborantibus ac nuditate, pascit tineas, curculiones, ac vermes? qui quod habet, infelici tenacitate non aliis tantum, sed etiam sibi ipsi subducit?

VI. Sed, inquies, justum est, ut mea servem, aliena non quæram. Hoc etiam Gentes dicere (24) consueverunt. Cæterum apud Deum quam sit injustum, mox videbimus. Nunc primo omnium, optime Christiane, scire cupio, quæ sint tua, cum sint (25) timentibus Deum universa communia, sicut scriptum est : *Turba autem eorum, qui crediderant, animo ac mente una agebant* (*Act.* IV, 32) : nec fuit inter illos discrimen ullum, *nec quidquam suum ex bonis putabant, quæ eis erant : sed erant illis omnia communia*, sicut dies, sol, nox, pluvia, nascendi atque moriendi conditio : quæ humano generi, sine personarum aliqua **38** exceptione, æquabiliter justitia est divina largita. Cum hæc ita sint, procul dubio non est a Tyranno dissimilis, qui solus habet, quod potest prodesse commodis plurimorum. Quid? (26) quod paupere quotidie moriente oppressione, fame, frigore, injuria, amicum tibi excolis aurum : custodis argentum : vestem pretiosam ornamentaque superba et supervacanea pro sacrosancto habes, sicut idolum : te per momenta componis, dives in publico, ditior in secreto : nec intelligis, quia homini inopia morienti, tantis opibus qui cum possit subvenire, non subvenit, ipse eum videtur occidere? O quantarum neces animarum in phaleris pendent ornatæ matronæ! ornamentum cujus unum si solvas in pretium, distribuasque necessitatibus singulorum, ex eorum respiratione cognosces, quantorum malo ille constat ornatus.

VII. Filios, inquit, habeo, quos nudare non debeo. (27) Ista est infidelitatis excusatio, quam Spiritus sanctus per prophetam retundit hactenus dicens : *Adolescentior fui, et senui : et numquam vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem* (*Ps.* XXXVI, 25) : Et iterum, *Divites eguerunt et esurierunt, requirentes autem Dominum non minuentur omnibus bonis* (*Ps.* XXXIII, 11) : quod probare exemplo perfacile est. Meminimus in (28) Regnorum proditum libris (III *Reg.* XVII), famis tempore, quo totus passim populus moriebatur, Eliæ alimenta poscenti memorabilem viduam ultimam victus sui filiorumque substantiam non partitam, sed totam dedisse, maluisseque se cum liberis suis emori, quam justitiam præterire : pro quo tam illustri facinore cibos a Deo immortales accepit, quos edacitas delibare (29) nequiret : sua enim deminutione crescebant. Integer horum denique vasis semper in plenis manebat status, quantumque eis impensæ diuturnæ necessitas dempserat, tantum rediviva fecunditas reponebat. Quapropter si pater bonus, si providus, si utilis esse desideras, sicut ille Abraham, Deum plus debes amare, quam filios, ut habere merearis integros, incolumes, ac beatos. Stulta autem res est, illis te **39** velle vitæ substantiam providere, quibus nec nativitatem dederis, nec animas inspiraveris, nec salutem præstare possis. Unde vel sero sacrilegam vocem comprime, humanæ fragilitatis memor, qui in hoc ipso, quod loquimur, quid possit contingere, ignoras : excusationisque vanæ depone fallaciam. (30) Ingratis avaritiam peccato condis. Solius Dei potestas est futurorum commodis providere.

TRACTATUS IV.

De (1) *Pudicitia.*

I. Pudicitiam qui colit, quantæ nobilitatis sit, facillime (2) agnoscit : est etenim tantæ virtutis, ut sit honorabilis etiam (3) hostibus **40** suis. Hæc to-

(24) Edit. Ver. *consuerunt.*

(25) Hæc S. Zeno dixit, ut æquabilitatem illam insinuaret, de qua pluribus agit Lactantius lib. V, cap. 14 et 15, ubi omnes ex divina institutione pares esse probat, non quod nulli divites esse debeant, pauperes nulli; sed quod apud eos, qui Deum timent, veramque justitiam colunt, æqualitate quadam divitiæ distribuantur, ut quæ pauperibus opus sunt, ea divites liberaliter subministrent. *Ita isti divites sunt*, inquit, *non quia divitias habent, sed quia utuntur illis ad opera justitiæ : et qui pauperes videntur, eo tamen divites sunt, quia et non egent, et nihil concupiscunt.* Hanc æquabilitatem S. Zeno unice persuadere reliqua hujusce tractatus parte nititur, cum divitum duritiem in pauperes perstringit, liberalitatemque commendat.

(26) *Quod* abest a ms. Pomp. Inferius pro *amicum tibi excolis* mss. Rem. et Tol. habent *inimicum tibi excolis*. Dein pro *homini inopia morienti* ms. Vat. *homini inopi morienti;* et ms. Urb. pro *ornatæ matronæ* habet *contimoratæ matronæ.*

(27) Post verbum *debeo* in ms. Rem. vacua apparet linea cum dimidio, et mox sequitur *ista hæc* pro *ista est*, et in ms. Tol. *ista et infidelitatis est.* Infidelitatis autem excusatio hic dicitur pro eo quod num. 6 : *Hoc etiam Gentes dicere consueverunt.*

(28) *Regnorum* pro *Regum* habetur etiam apud Hilarium, in Prologo in Ps., pag. 4; apud Ambrosium, lib. I de Abel. cap. 2., in Apologia David c. I serm. 21, in ps. CXVIII, num. 20; et apud alios veteres Patres in ms. Urb. *feriebatur* pro *moriebatur.*

(29) Ms. Urb. *nequisset.*

(30) In correctione marginali ms. Pomp. *Ingratus.*

TRACT. IV.—(1) In edit. Ven. hic titulus legitur : *De pudicitiæ laudibus et impudicitiæ detestabili fructu.* Nos inscriptionem codicum et aliarum editionum retinuimus.

(2) Editi habent *cognoscit; est enim.*

(3) Pudicitiæ hostes, qui hic appellantur, sunt præcipue gentes, quæ et turpi impudicorum deorum dearumque cultu et spectaculis item turpibus a nostro Auctore subinde notatis apertum pudicitiæ bellum intulerunt : ut omittamus legem Juliam et Papiam, quæ adversus cœlibatum et viduitatem, quocumque licet sive ærarii augendi, sive fecunditatis promovendæ consilio lata, re tamen ipsa duo pudicitiæ potissima capita abscindere studuit; quo respiciens S. Ambrosius in libro *de Viduitate* cap. 14, num. 84 : *Illi*, inquit, *qui deorum suorum adulteria et probra venerantur, cœlibatus et viduitatis statuere pœnas, ut æmuli criminum, multarent studia virtutum, specie quidem, qua fecunditatem quærerent, sed studio, quo propositum castitatis abolerent.* Quanto nihilominus in honore apud ipsos ethnicos esset pudicitia, ex

Digitized by Google

tius humani generis fundamenta confirmat : hæc nomi- A nium proprietates universis (4) affectibus præstat : hæc parentum, conjugum, liberorumque sacra jura custodit : hæc in utroque sexu conspicua, in omni ætate miranda, in quavis conditione non dubia, soli sibi devota, semper bene conscia, prorsus nulli rei subjecta, unum tantummodo metuens, ne sit amplius (5) quæ vocatur. Denique in solitudine, quæ a (6) metuentibus vocatur occasio, se tamquam arbitrum timet : omneque secretum plus, quam publicum reveretur. Pestiferas odit blanditias carnis inimicæ : et quidquid ingeserit mundus voluptatis, aut muneris, totum respuit, præsumens totum se habere, si pura sit. Neminem fœde desiderat : nec ulli

cultu, quem non tam pudicitiæ universim sumptæ, B quam virginitati virginibusque detulerunt, cognoscere licet. Pudicitiam quidem inter Deas a Romanis cultam indicat Plinius lib. II, c. 7, eique statuam in foro Boario positam Festus testatur. S. Ambrosius *de Virgin.* c. 3, n. 13 : *Certe ipsis Gentilibus inter aras et focos venerabilis solet esse virginitas.* Diana, ut hic ipse monet lib. III *de Virgin.* c. 2, num. 6, Minerva, et præcipue Vesta uti virgines prædicabantur : *et in honorem pudicitiæ conservatæ* sacris Vestalibus solemnia ab iisdem Romanis celebrata discimus ex Lactantio, lib. I Instit. cap. 21, apud quem, c. 22, Faunæ pudicitiam maxime laudatam Varro tradit, adeo ut ob ejus pudicitiæ famam *illi mulieres in operto sacrificent, inquit, et bonam Deam nominent.* De honore porro Vestalibus ob virginitatem delato, ac de earumdem privilegiis et præmiis legatur Justus Lipsius in Syntagmate *de Vestalibus*, cap. 11, ibidemque non tam inscriptiones eisdem positas, quibus ipsarum castimonia commendatur, sed statuas etiam *propter egregiam pudicitiam* collocatas cap. 15 C reperies. Hinc etiam Athanasius, in Apologia ad Constantium, num. 33, de Christianis virginibus loquens : *Has*, inquit, *ethnici cum vident, ut templum Vestæ admirantur ;* et similiter S. Jo. Chrysostomus in tractatu, *quod Canonicæ viris cohabitare non debeant*, tom. I novæ edit., p. 249, testatur, Gentes *fateri, virginitatem rem supra naturam esse et non humanam, et eapropter illis omnibus summæ admirationi fuimus.* Tandem ipsorum quoque impudicorum in pudicitiam cultum illa Zenonis insinuant n. 2 : *Odit pudicitiam, et tamen hoc cupit videri, quod illa est.*

(4) Affectuum proprietates a pudicitia nominantur, ut cum dicitur *pudica fides*, etc.

(5) Scriptum erat *nc sic amplius quam vocatur :* at id cum non satis obvium sensum præferat, *quæ* pro *quam* scripsimus. Quod si *ne* in rebus optabilibus cum verbis timendi haud reperiri contendas, nisi vitio codicum etiam omnium Tullii ex gr. epist. I, lib. VI, ad famil., Terentii, et aliorum, quorum textus in D editis fere correcti; eadem hic erroris suspicio, legendumque *ne non :* vel *quam* pro *quæ* reponendum.

(6) Ms. Rem. habet *amo et antibus :* cæteri codd. et editi *a metuentibus. Arbitrum* porro dixit pro *judicem* vel *speculatorem ;* utroque enim sensu id nomen a latinis scriptoribus non rare usurpatur.

(7) Quod de virginitate a quibusdam ethnicis culta scripsit S. Ambrosius, hunc locum illustrat, ubi de pudicitia universim sumpta et apud ipsos gloriosa sermo est. Ille igitur de *Virginit.* cap. 3, num. 13, loquens de Gentibus : *In quibus*, inquit, *nulla meritorum est pietas, nulla mentis integritas ; in iis tamen carnis virginitas prædicatur.* Quod Zeno apud Gentes pudicitiam *fructuosam* negat, hujusce rei Ambrosius causam allegat, quod in Gentibus *nulla meritorum est pietas ;* ubi pietatis nomine intelligit fidem cum Dei charitate conjunctam, sine qua, sicuti impossibile

similiter se desiderabilem præstat. In suo statu omni loco, omni tempore manet, plus honestati consulens, quam utilitati. Vultis scire, quantæ felicitatis sit ? Si te amet ; qui habet, diligit : et qui non habet, diligit. Si ergo exsultat gloria ejus sæpe in Gentibus (quamvis illic (7) fructuosa, vel vera esse non possit, quia sub impudico **41** prædone versatur), quanto (8) magis debet esse gloriosior *in populo* Christiano, qui ejus sanctificatori inviolabili deservit Deo ? Nam si Ecclesia ideo Christi sponsa est, quia pudica ; ideo jugo thalami cœlestis honorata, quia etiam post nuptias manet postmodum virgo perpetua : nos, qui nascimur de tanto conjugio, omnifarie (9) conniti debemus, quemadmodum prosapiæ

est placere Deo, ita nullum vitæ æternæ meritum existere potest. De hac pietate pro fide Christiana accepta pluribus agit Lactantius, lib. V Institut., c. 14. Quod porro S. Zeno pudicitiam apud ethnicos *veram* non fuisse subdit, explicatur hac Ambrosii ratione, quod nimirum in illis *nulla mentis integritas fuit.* Pudicitiam enim licet quidam foverent corpore, animo tamen ex his plures erant impudici ; quædam etiam eorum virgines palam solum erant pudicæ, clam vero impudicitiæ serviebant, unde non paucas ex ipsis Vestalibus in culpa deprehensas severis pœnis multatas leginus. Testimonia id generis aliquot congerit Lipsius in Syntagmate *de Vestalibus* cap. 13. Adde quod, Ambrosio testante in libro laudato n. 13, aliæ Vestalium ad virginitatis professionem vi adigebantur, aliæ præmiis : *Illic præmiis revocantur a nuptiis... illic violentia fit, ut capiantur :* pudicitia autem violenta vel illecta præmiis, non voluntate delecta, a *vera* pudicitia quantum absit, nemo non videt. Proinde idem Ambrosius epist. 18 ad Valentinianum : *Non est virginitas*, inquit, *quæ pretio emitur, non virtutis studio possidetur.* Notat præterea lib. I *de Virg.*, c. 3, n. 15, Vestalium virginitatem ætate solitam præscribi, quod virgines esse deberent certo annorum spatio ; postea autem permitterentur a virginitate desciscere et nubere, imo etiam docerentur. *Ipsi docent virgines suas non debere perseverare, nec posse, qui virginitati finem dederunt.* Dixerat autem paulo ante : *Quæ ista est non morum pudicitia, sed annorum, quæ non perpetuitate, sed ætate præscribitur ?* Tandem cum deesset Gentibus Dei fides et spes rerum futurarum, de qua S. Zeno satis disseruit tractatu superiori ; sicuti vera justitia apud ipsas esse non poterat, ita nec vera virtus ulla (ut fuse probat Lactantius lib. VI, cap. 5 et 9) ac proinde nulla *vera* pudicitia, si præsertim hanc non virtutis amore colerent, sed terrena quadam voluptate vel superbia, quam in Gentium virtutibus non ex gratia divina, sed naturali vi elicitis dominari Augustinus probavit. Vide lib. I *de Nupt. et concup.*, cap. 3., et lib. IV in Julian. cap. 3. Hinc ergo de virginitate jure scripsit Athanasius, in Apolog. ad Constant. n. 33 : *Certum quippe est, nusquam hanc venerandam ac cœlestem professionem pudicitiæ excoli, nisi dumtaxat apud nos Christianos.* Infidelitas itaque, quæ cum superbia, avaritia, aliisque vitiis apud Gentes etiam in pudicitia excolenda viguit, est *prædo ille impudicus*, cujus noster episcopus meminit, qui pudicitiam ipsarum vitio aliquo corrumpens (unde *impudicus* appellatur) omneque deprædans meritum effecit, ut illa *fructuosa, vel vera esse non posset.*

(8) *Magis gloriosior* pleonasmus est, sicut et illud tract. 7 num. 2, *magis admirabilior.* Sic apud Plautum, in Menechmis Prol., v. 55, *magis dulcius*; apud Virgil. in Culice, v. 78, *magis beatior*, etc. Inferius *sanctificator* reperitur apud Tertullianum in Praxeam cap. 2.

(9) Scribere maluimus *conniti* ex mss. Rem. et Vat.

Digitized by Google

nostræ nobilitatem non relatione tantum, sed etiam fide similitudinis adprobemus. Unde tamen præ me fero, fratres dilectissimi, quod ista, et non ambigua in vobis (10) renitet adsertio : Deum enim patrem vos et habere et possidere monstratis, cum pudicitiam, in qua Deus habitat, non dicam, diligitis, sed luculentis moribus adornatis. Magna igitur gloria est ornare, per quod orneris : servare, per quod et ipse (11) serveris. Postremo æquiparatur laus vestra laudi pudicitiæ : illa enim vobis exhibet sanctitatem, vos ei amorem. Per hanc attingitis Christum : imo illa per vos vobiscum complectitur Christum. Per hanc **42** a Deo patre, quod petitis, impetratis : immo illa per vos impetrat, pro qua sollicite laboratis, ne, dum aliquid postulat, erubescat. Beata, cum (12) adludit in pueris : beatior, cum adolescentibus lapsus feliciter timet : beatissima, cum in juvenibus carnalia exstinguere laborat incendia. Sane in senibus ut est honoranda, ita miranda non est : quia licet sit victrix, tamen triumphi sui palmam senectutis cum rigore (13) partitur : cessat enim concupiscentiæ pugna, ubi subcrebrescentibus morbis ipsa necessitate etiam impudicorum pudica fiunt membra.

II. Age nunc ejus æmulæ rabiem breviter, etiam(14) ex comparatione nominum publicemus, ut quid adpetendum, quidve fugiendum sit, facillime possit agnosci. Sub velamine Christi nominis, fratres, se adserere conatur Antichristus similiter pudicum, uti fallat : pudicitiæ nominis sonum post se trahit; sed quos fructus habeat ejus auctor ostendit. Discurrit quippe vesana per populos : hominumque lubricas mentes libidinum flagrantibus stimulis præcipitat in furorem, non sexui parcens, non ætati, non pietati, non sibi, quia pudorem alienum qui adpetit, primo suum perdit. Pure non nox illi diesque succedit, semper enim cænosi gurgitis sui procella submergitur, dum semper exæstuans libidinis turpitudo aut(15) veritate aut imagine perpetratur. Præmia aut tradit, aut accipit, corrumpit, aut corrumpitur; injicit amorem, paulo post odium **43** de amore factura. Seminat (16) illicitos hæredes, crimenque noscens nominibus pietatis excusat. Proprios aut (17) necat, aut

pro *adniti*. *Prosapiæ* est in mss., in editis vero *prosapiei*.

(10) In editis *retinet;* in ms. Rem. *renit? et :* in mss. Pomp. et Vat. *renitet*, quod placuit, et sententiæ magis congruere visum est; hic enim S. Zeno *præ se ferre* seu gloriari se ait, istam *adsertionem*, qua Deo similes per pudicitiam nos præbemus, in suis auditoribus *non ambigue renitere*, quippe quos pudicitiam studiose colere palam erat.

(11) In mss. Pomp. Zen. et in edit. Ver. *servaris;* et paulo post pro *ei amorem*, quinque mss. *et amorem.*

(12) Mss. Rem., Vat. et Pomp., *adludet*, Urb. *alludet;* et pro *lapsus* ms. Rem., *lapsis*, Vat. *lapsos.*

(13) Ms. Rem. *patitur*, non placet. *Partitur* autem dictum est, propterea quod victoriæ et triumphi pars senectutis *rigori* debeatur, ut sequens ratio suadet. *Rigore* autem ex ms. Zen. posuimus pro *vigore*, cum rigor, qui ex frigore contrahitur, senectutis sit proprius, et ex rigore membrorum, non ex vigore, concupiscentiæ pugna in senibus debilitetur, vincendique facilitas prodeat. Post pauca pro *pugna, ubi* mss. Rem., Vat. et Urb. perperam *pugna. At ubi.* Ex Rem. cod. *fiunt* pro *sunt*, quod erat in editis, vel *sint*, quod est in Vat. et Urb. reponere satius duximus.

(14) Mss. Rem. et Urb. *ex ratione nominum publicemus.* In Pomp. et Zen. *ex comparatione non minus publicemus.* Ms. Vat. *exercitatione nominum.* Editi cum ms. Tol. *ex comparatione nominum;* quæ lectio probabilior visa est; huc enim respicere videntur, quæ de Antichristo *Christi nomen* mentiente, et de impudicitia *pudicitiæ nominis sonum* præferente mox subjiciuntur; vel etiam *nominum* dictum est pro pudicitia et impudicitia, quæ ex comparatione magis elucent. Forte quispiam paucis transpositis scribendum existimet : *Age nunc ejus æmulæ rabiem breviter publicemus, ut quid adpetendum, quidve fugiendum sit, etiam ex comparatione nominum facillime possit agnosci.* Scripsimus *agnosci* pro *cognosci* ex mss. quatuor.

(15) *Veritate* pro re ipsa et ipso facto Auctor hic usurpat; qua plane significatione apud Lampridium in prima editione et pluribus in mss. a Salmasio laudatibus pag. 183 in vita Elagabali habetur *veritate vendere*, et apud Arnobium lib. v, *in veritate promiserat.* Similiter *imagine* pro *cogitatione* sicuti apud Lactantium scribitur lib. vi, cap. 23 : *Adulteram fieri mentem, si vel imaginem voluptatis tibi ipsa depinxerit.*

(16) Etsi *inliciti hæredes* vocari possint universim spurii ex damnato coitu progeniti, nimirum ex adulterio, vel incestu, quippe quibus nihil hæreditatis paternæ adire ex legibus licebat, eum ad alios illegitimos sexta pars perveniret, imo tota etiam hæreditas posset iisdem contingere, si legitimi fierent; tamen hoc loco S. Zeno de iis filiis loqui videtur, qui hæreditatem inlicite, seu non suam adire sinuntur, cujusmodi sunt ii, qui ex aliena uxore generati, hæreditatem alienam inire permittuntur, ac si ex vero illius conjuge, non ex adulterio suscepti sint. Hoc crimen *pietatis nominibus* excusari dicitur, eo scilicet nomine, ut et famæ mulieris, et filii etiam opinioni ac sustentationi commode prospiciatur. Mss. Rem. et Urb. pro *noscens* habent *nascentes :* edit. Ven. *nascens;* et hoc postremum non displicet, quatenus inlicitus hæres post nativitatem patris non sui fortunis uti permittitur, idque pietatis nominibus excusatur.

(17) Hic locus varie in codd. legitur. Plerique *negat;* Zen. et Pomp. *necat.* Si hoc membrum ad superiorem sententiam referendum esset, placeret *negat*, quo significetur impudicos, ut se subtraherent ab alendis pueris, quos ex aliena conjuge procreassent, hos *proprios*, idest suos, inficiari. Sed quomodo in hac noti criminis excusatione *pietatis* nomen obtineat, non facile intelliges. Itaque hæc sententia ad filios vere *proprios* videtur pertinere, quos quis ex propria uxore, vel concubina suscepit, prout opponuntur illis, quos in aliena conjuge seminatos, *inlicitos hæredes* proxime testimonio S. Episcopus appellavit. Huic autem sententiæ accommodatior est lectio *necat;* qui enim non prolis gignendæ causa, sed impudicitiæ et voluptatis studio uxore utebantur, vel concubinam alebant; ii olim filios solebant necare, vel, ut mitius agerent, exponere, ut pluribus ex testimoniis liquet. Minutius Felix in Octavio n. 30 : *Video vos procreatos filios nunc feris et avibus exponere, nunc adstrangulatos misero mortis genere elidere. Sunt qui in ipsis visceribus, medicaminibus epotis, originem futuri hominis exstinguunt, et parricidium faciunt, antequam pariunt.* Tertullianus in Apologetico cap. 9 : *Qui natos sibi liberos enecant. Siquidem et de genere necis differt. Utique crudelius in aqua spiritum extorquetis, aut frigori et fami et canibus exponitis.* Lactantius lib. i, cap. 9 : *Qui natos ex se*

Digitized by Google

denudat affectu. Nihil prorsus existimat turpe nec pati, nec facere, dummodo in effectu (18) conata succedant. Verumtamen in ipso fructu suo, quo expugnati pudoris alieni labe gaudere consuevit, semper infelix est. Denique post negotium perpetratum odit et seipsam cum illo, quem vicerit. Hæc sæpe indixit quietis gentibus bellum; hæc aliquotiens robusta regna subvertit; hæc aut sub turpibus, aut sub crudelibus factis 44 subjugatos thalamos triumphavit alienos; hæc (19) viros ardore vesana femineo stipendio ipsis feminis sic incognito inopinate dispungens, suam docuit expugnare naturam; hæc libidinis mercedem vel maxime parentum, filiorum, maritorum, uxorumque in mortibus posuit; hæc nomina (20) pietatis non numquam concubitu prodigioso delevit, pudicos quidem persequens, sed impudicos tantum congruenter occidens; hæc, inquam, (21) per momenta et parit omne, quod malum est, et peperit omne, quod pejus; nam in idolis (22) dea est, in cultoribus vero eorum (23) ministra. Venerandam se procurat in templis, hilarem in theatris, importunam in publicis, opportunam in quibuscumque secretis. Lasciva, non linguis, non oculis, non auribus parcens, jocatur, sperat, ambit, obsequitur, zelatur, insanit, armatur precibus, armatur et ira, similiter non numquam vi extorquens, quod blandimentis impetrare non potuit. Libidinum commutatione varia 45 gaudet semper; et pœnitet, ad satietatem numquam-lubrica (24) utilitate perveniens. Desiderat facere, quod timeat publicari; (25) totum prorsus tentat, ut sibi vindicet totum. Novum prodigii genus est. Odit pudicitiam; et tamen hoc cupit videri, quod illa est.

III. Interea miris excolit artibus se se, faciemque suam in se, quam non habet, quærit. Pingit se in seipsam, et lenocinante vario magistri medicaminis fuco, vultum suum vultibus vestit alienis, hoc futura, non quod natura præstitit, sed quod ei ad examen speculi arbitrium temporale dictaverit. Nunc emendat, nunc delet, quas amaverat species, nunc subjicit alias, nunc parturit novas. Manibus suis facta hydra formarum procax semper incedit, quia

pueros, *aut strangulent*, *aut*, *si nimium pii fuerint*, *exponant*. Vide etiam lib. VI, cap. 20, et Clementem Alexandrinum, in Pædagogo, lib. III, cap. 3 et 4, et Ambrosium, epist. V, num. 12. Hanc malam impudicorum consuetudinem S. Zeno perstrinxi-se videtur hoc textu, unde duplici commate effertur, *vel necat*, *vel denudat affectu*; ubi *affectu* scribere maluimus pro *affectus*, ut sensus constet : et significatur, impudicos id generis homines, filios proprios, qui alienam hæreditatem adire non poterant, vel necasse sive in utero, sive postquam nati fuerant, vel eosdem, ac si non proprii, sed alieni essent, omni affectu alimentoque nudatos exposuisse, aut saltem neglexisse.

(18) *Conata* in plurali generis neutrius a probatis auctoribus usurpatur. Cornelius Nepos, in Vita Dionysii, cap. 8, *conata perficere*. Velleius Paterculus lib. II, cap. 29, *conata exsecutus*. Post pauca ms. Vat. *aliena labe*.

(19) Erant nimirum viri, qui tamquam scorta masculæ virorum libidini, stipendio meretricibus dari soliti, se se prostituebant. De his mentionem facit Salvianus lib. VII *de Gubernat.* cum ait : *Viri in semetipsos feminas profitebantur*. Vide Clementem Alexandrinum l. III Pædag., et Justinum in Apolog. Proprium horum nomen *cinædi* et *exoleti*, quos interdicere Severus in animo habuit, et Philippus præstitit, Lampridio teste in Vita Alexandri Severi. In Justinianeo cod., lib. IX, tit. 9, lex 31 Constantii et Constantis inscribitur *de Venere mascula*, quæ huc spectat; et id generis homines habitu femineo usos exinde patet.

(20) Incestus quilibet inter eos, quibus pietas debetur, pietati opponitur. Cum vero *prodigiosum* proprie dicatur, quidquid præter naturæ leges et ordinem est; concubitus præter vel contra naturam, *prodigiosus* a Zenone dici potuit. At num. 5 *prodigio uno incensos* affirmat senes, qui Susannam turpiter deperierunt, etsi non contra naturam peccare cuperent. Forte vero *prodigium* vocavit hanc senum impudicitiam, propterea quod tanti amoris conspiratio et accensio in senibus mirifica videretur. Paulo post ms. Urb. *tantummodo incongruenter* pro *tantum congruenter*.

(21) Eadem formula usus est S. Zeno tr. 1, n. 4 : *Desiderat per momenta patrocinia. Momentis quibus velis* dixit tr. 53 l. II pro *tempore quocumque velis*. Itaque *per momenta* idem est apud Zenonem ac *per tempus*, seu ut opportunitas fert.

(22) Venus, inter Deas relata ab Ethnicis, meretrix fuisse traditur ab Arnobio lib. IV, pag. 143, a Firmico *de Errore profanæ Relig.* p. 34, et ab aliis. Erant et aliæ *Veneres Deæ*, quas *libidinis et voluptatis Deas* idem Arnobius memorat lib VI, pag. 207, et in aliis præterea Diis Gentium impudicitia colebatur, *quorum adulteria et stupra in mares et feminas non tantum doctis viris nota sunt*, *sed exprimuntur etiam in theatris*. Lactantii verba sunt lib. I Institut. Vide Clementem Alexandrinum in Protreptico, Minutium Felicem, et alios, qui cum adversus Gentes scriberent, eorum, quos tamquam Deos illæ colebant, lascivias indicarunt.

(23) Deorum impudicorum ministram agebat impudicitia in pluribus et sacris et ludis impudicis, qui in impudicitiæ eorumdem Deorum cultum statis temporibus celebrabantur, quos vel innuere piget et pudet. Unus Ambrosii locus audiatur lib. I *de Virgin.* cap. 4, n. 16 : *Quid de sacris Phrygiis loquar*, *in quibus impudicitia disciplina est*, *atque utinam sexus fragilioris? quid de Orgiis Liberi*, *ubi religionis mysterium est incentivum libidinis? Qualis igitur potest esse ibi vita sacerdotum*, *ubi colitur stuprum deorum?* Adeo vero fœda dictu erant, quæ in quibusdam sacris peragebantur, ut quosdam Deorum, in quorum sacris nimis turpia gererentur, *capitolio*, id est, *deorum curia* pepulerint Piso et Gabinius Coss. eorumdemque aras everterint, non alio consilio, quam ut *turpium et otiosarum superstitionum vitia cohiberent* : quod Tertullianus memoriæ prodidit Apolog. cap. 6. Vide etiam Augustinum lib. VI *de Civitate Dei*, cap. 9. Idem vero Tertullianus eorum statuas et sacra subinde *per vim popularium restituta* commemorat lib. I ad Nationes cap. 10, cui tamen conatui Gabinius laudatus vehementer intercessit.

(24) *Utilitas* hoc loco pro *usu* sumi videtur, sicut apud Plautum, Epid. V, 1, 28, *utilitatem oculorum* legimus pro *oculorum usu*. *Satin ego oculis utilitatem obtineo?* Nisi apud Zenonem *utilitatem* accipere mavis pro voluptate, quæ actuum ejusmodi utilitas est.

(25) *Totum* pro *omnia* apud nostrum Auctorem passim occurit. Tract. 7 lib I, num. 4 : *Propheta modestus totum potest*, *a toto dissimulat*. Vide tract. 6 num. 8, et tract. 10 num. 3. Similiter Spartianus in Severo : *Totum fuisti*, *totum vicisti*. Mitto alia in

Digitized by Google

erubescere alienis sub coloribus nescit, (26) non domesticis, non affinibus, non maritis nota, non sibi quia non potest esse notum, nec verum, quod est semper certum. Præterea numquam diligit Deum, quem scit operibus suis esse contrarium. Diaboli est sane mancipium, ejus enim possidet regnum ; nam (27) deos ipsa genuit, ipsa intulit mundo, per quos, aut in quibus diabolus colitur, quorum in actibus origo monstratur. Ipsa Jovem innumerabilibus, variis magnisque criminibus maximum fecit. **46** Ipsa (28) Herculem, noverca deterior, in Omphalis libidine turpiter vicit, quem terribilis turba monstrorum superare non potuit. Ipsa Venerem membris omnibus denudatam (29) convexis manibus se tegere conantem, imo animi sui vitium et corporis demonstrantem, post multa adulteria spectaculo totius mundi quoque prostituit. Non opus est ire per singula; quamvis et hæc non fuerint dictu digna, tamen ad exprimendam vim impudicitiæ visa sunt necessaria, ut sciat unusquisque (30) ad idololatriam pertinere luxuriam. Ipsa, inquam, (31) mortuorum sepulcra convertit in templa, tumulos in altaria, cadavera in simulacra, parentalia in sacrificia, mores in sacra. Sic sic genus humanum a Dei cultura rapuit, dum blanda festivitate facinorosa facinorosorum et colenda crimina et imitanda persuadet.

sequioris ævi auctoribus frequentia. Mss Tol. et Zen. *temptat* pro *tentat*.

(26) Quinque mss. *non domesticis affectibus, non maritis*. Totam porro hanc descriptionem Zenonis si S. Augustinus legisset, eam profecto lib. IV *de Doctrina Christiana*, cap. 21, num. 49, retulisset inter illa *dictionis grandis exempla*, quæ eodem in argumento ex Cypriano atque Ambrosio recitat.

(27) Quamplurium deorum dearumque origo, si quis vel ipsa ethnicorum scripta consulat, e turpibus libidinibus manat. *Enim vero* Jupiter, inquit Athanasius in orat. contra Gentes, *non stupra tantum commisit, sed etiam quos ex stupris procreavit liberos, inter Deos retulit, divinitatis specie ad suam pravitatem tegendam abusus. Horum e numero sunt Bacchus, Hercules, Dioscuri, Mercurius, Perseus, et Sospita.* Plures alios non tam Jovis, sed aliorum etiam Deorum filios turpiter genitos, ac divinis honoribus donatos fuse recenset Arnob. lib. IV. De his etiam Minucius Felix in Octavio, Clemens Alexandrinus, Lactantius, Gregorius Nazianzenus, Firmicus et alii in operibus, quæ adversus Gentium superstitionem edidere.

(28) In editis et ms. Pomp. erat : *Ipsa Herculem noverca deterior facibus libid num turpiter vicit.* In mss. Rem., Tol. et Urb. : *Ipsa Herculem noverca deteriori non falis libidinum turpiter vicit. Deteriori* item habet ms. Vat. Hæc scriptura, licet errore librariorum corrupta, genuinæ tamen lectionis, quam textui inseruimus, indicium præbuit. Etenim ex *deteriori non falis libidinum* facile fit *deterior in Omphalis* (*f* pro *ph* frequens in mss.) *libidinem*, vel *libidine turpiter vicit;* quæ lectio cæteris præferenda visa est, non tam quod pluribus et antiquissimis codd. magis congruit, quam quod hoc loco S. Zeno indicare voluisse videtur libidinem Herculis in Omphalim, quam cæteri Patres, impudicitiam deorum Gentium exsecrantes, commemorant. Vide Patres in superiori adnotatione allegatos. Ita etiam perspicuum fit, cur impudicitiam *noverca deteriorem* S. Episcopus dixerit. Quam male enim Juno, Herculis noverca, cum ipso egerit, ex poetis liquet. Hoc autem deterius multo cum eodem egit impudicitia, quippe quæ Herculem Omphalis amore captum diræ servituti subegit, eoque etiam adduxit, ut, Omphali jubente, nendo daret operam et fusum volveret ea manu, qua monstra edomuerat, quod Herculi plane indignum Juno numquam præceperat. Vide Fulgentium, lib. II Mythol., cap. 5, pag. 182; Lactantium, lib. I, cap. 9; Donatum, in Eunuchum Terent. v. 7. Huc autem S. Zenonem spectasse nihil dubitamus.

(29) Ita ex mss. Rem., Vat., Pomp. et Urb. In editis *connexis manibus se tergere*. Cod. Tol *tegere* item scribit. Dein mss. Rem., Tol. et Urb. *per post multa* pro *post multa*.

(30) Ad idololatriam luxuria pertinet, tum quod in paganorum Diis impudicitia colitur, unde illud Ambrosii lib. I *de Virgin.*, cap. 4, num. 16 : *Colitur stuprum Deorum;* et de Viduis cap. 14, num. 84 : *Deorum suorum adulteria et probra venerantur :* tum quod sacra et ludi turpes in deorum dearumque impudicarum honorem instituti sunt, de quibus satis adnotat, 23; tum etiam quod impudicis hominibus et feminis divini honores tributi sunt impudicitiæ causa, ut scilicet haberent homines unde suas libidines deorum exemplo excusarent et laudi etiam verterent, cum per illas se deos imitari prospicerent : qua ratione avaritiam quoque et cupiditates eos coluisse, ut deos se amare et imitari ostenderent, prodit Lactantius lib. II, cap. 6, et satis indicat Minutius, in Octavio, num. 31. Vide insigne in hanc rem Chrysologi testimonium, sermon. 155. Mss. *idolatriam* pro *idololatriam* scribunt.

(31) Dubium in primis fuit, num S. Zeno hic spectaret illa tract. 15, num. 5, ubi illos commemorat, *qui per sepulcra discurrunt, qui fœterosis prandia cadaveribus sacrificant mortuorum, qui amore luxuriandi*, etc. At considerato diligentius præsentis loci contextu, cum et ante et post de Deorum impudicitiis cultui et imitationi hominum propositis sermo sit; illud innuere S. Zenonem credimus, impudicos homines (uti Juppiter, Venus, aliique olim fuisse feruntur) ideirco inter deos a Gentibus accensitos fuisse, conversis *in templa* ipsorum *sepulcris*, *in altaria tumulis, cadaveribus in simulacra*, etc., ut hac religione impudicitiæ faverent, et *blanda festivitate facinorosa facinorosorum et colenda crimina et imitanda* persuaderent. Simile consilium alii quoque Patres ethnicis Idolorum cultoribus objecisse leguntur, ut apud laudatos adnot. 27 reperire licet. Prima quidem idololatriæ *templa* fuisse mortuorum *sepulcra*, explorate affirmat Clemens Alexandrinus in Protrepti o : *Templa* (*nam nec ipsa præteribo*) *speciosa quidem nomine templa dicuntur; fuerunt autem sepulcra, hoc est sepulcra ipsa vocata fuerunt templa*, etc. Quo respiciens Prudentius, lib. I in Symmachum :

Et tot templa Deum Romæ, quot in urbe fuerunt
Heroum, numerare licet :

A quibus nihil abhorrens Tullius, lib. I *de Divinat.*, loquens de Jove Capitolino, idem fuisse indicat ejus templum Capitolinum, quod sepulcrum fuerat :

Ipse suos quondam tumulos et templa petivit.

Hinc Nonius, *Templum*, ait, *et sepulcrum dici potest veterum auctoritate.* Lege Arnobium lib. VI contra Gentes, p. 193, ubi *multa templa* probat *functorum esse corporum sepulturas ;* Cyprianum *de Idolorum vanitate* initio, nec non Commodianum, Instruct. 2 et 20, qui defunctis hominibus honores divinos delatos similiter produnt. *Parentalia* autem, quæ *in sacrificia* traduntur conversa, erant libationes, epulæ, et alia id generis, quæ in defunctorum memoriam quotannis celebrabantur : *sacrificia* vero divinum cultum spectant. Illa porro *mores in sacra* videntur indicare quoddam cultus genus, quo impudicos mores et ludos in Deorum cultum Ethnici converterant, de quo satis adn. 25.

Digitized by Google

47 IV. Adeo viris contra Dei legem Deique justitiam evagandi extra legitimum thorum peregrinæ luxuriæ inspirat infeliciter quasi liberam facultatem, ac sic eorum quoque feminas a pudore divellit, quæ desertæ, ardore, seu dolore compulsæ, si talia (32) gerunt, putant se aut imitari, aut vindicari. Propter quod in præceptis Dominus ait, *Qui dimiserit uxorem suam, excepta causa adulterii, facit eam mœchari.* Quid hic respondere possint lubrici mariti, non video; qui humanarum (33) legum iniqua impunitate decepti, justitiam veram **48** nec ex sua ipsa voluntate noscentes, quod pati nolunt, libenter efficiunt : (34) qui profanæ libidinis detestabili furto distracti, turpibus jam non contenti (35) latibulis, aliquoties (proh nefas!) sub ipsis obtutibus matronarum vesana congressione desudant, non advertentes miseri, quoniam in tali negotio, judice Deo, quod non licet uxoribus, non licet (36) nec maritis; sicut præscribens talibus Paulus **49** Apostolus dicit : *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir : similiter et vir sui corporis potestatem non habet, sed uxor* (*Cor.* VII, 4). Sic igitur, quoniam una sunt caro, unum divini operis sacramentum, quoniam femina de viro suo facta est, alterque alteri tenetur obnoxius, ac per hoc jure legis quoque (37) linea una tanguntur, dubium non est horrendi supplicii perennibus (38) absumptum iri tormentis eum, qui prævaricatur.

(32) Quatuor mss. *gerant.*

(33) Non est hic sermo de hominibus qui cum aliena conjuge peccarent : hi enim non minus quam ipsæ feminæ humanis legibus puniebantur. *Adulteria legibus vindicant, et capitalibus afficiunt eos pœnis, quos in aliena comprehenderint fœdera genialis lectuli expugnatione gessisse;* ita Arnobius, lib. IV, pag. 142. Vide Ammianum Marcellinum, lib. XXVIII; Theodoretum, serm. 3 contra Græcos; Cujacium, lib. VI Observ. cap. 11; Brissonium, ad legem Juliam *de Adulteriis*, pag. 91, et legem 33 Constantini ad eamdem legem Juliam, ubi *sacrilegos nuptiarum temeratores* id generis homines appellat. Itaque de hominibus hic locus accipi debet, qui præter uxorem alia muliere libera, sive concubina, sive meretrice, utebantur, quibus nullam legibus civilibus decretam fuisse pœnam alii Patres confirmant, cum, perinde ac S. Zeno, Christianos monent, ne impunitate legum citra adulterii crimen sibi licitum putent, quod uxoribus non licet. Lactantius, lib. VI, cap. 23 : *Non enim, sicuti juris publici ratio est, solum mulier adultera est, quæ habet alium; maritus autem, etiamsi plures habeat, a crimine adulterii solutus est.* S. Augustinus, lib. XIV *de Civit. Dei*, cap. 18, scortorum turpitudinem nulla terrenæ civitatis lege puniri tradit; et *solo stupro*, inquit Hieronymus, epist. 84, ad Oceanum, et *adulteria condemnato passim per lupanaria et ancillulas libido permittitur.* Videtur apud Gentes frequens fuisse plures uxores ducere, cum Tacitus, de Germanorum moribus num. 6, illud mirabundus animadvertat : *Prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem pluribus nuptiis ambiuntur.* Sed pellices, vel concubinas, quæ plures a Romanis ducebantur, uxorum nomine significasse videtur; quippe apud ipsos plures uxores una ducere olim a prætore infamiæ nota inustum fuit, uti testantur Diocletianus et Maximianus, lib. II cod. *de Instit. et inut. nupt.* : *Neminem qui sub ditione sit Romani nominis, binas uxores habere posse vulgo patet, cum etiam in edicto Prætoris hujusmodi viri infamia notati sint, quam rem competens judex multam non patietur.* Vide etiam lib. XVIII codicis, ad legem 1 Jul. *de Adult.* Lex autem concubinas et meretrices permittens, quæ hic a Zenone et alibi ab aliis Patribus appellatur, ipsa est lex Julia *de Adulteriis*, quæ allegatur in cod. lib. IX, tit. 9, lege 22 et 23. Hanc legem minus æquam ipse Ulpianus notavit in Digest. leg. 48, tit. 5, leg. Jul. 13 *de Adult.* § 5 : *Periniquum videtur esse, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibeat :* id quod etiam inculcat Seneca, epist. 94. Sed iniquæ hujusce sanctionis causam attigisse videtur S. Gregorius Nazianzenus in illud evangelistæ dictum : *Cum consummasset Jesus hos sermones;* quod nimirum *eam*, inquit, *mares tulerunt, ideo feminas tantum insequitur et incessit.*

(34) Ms. Pomp. *quia* pro *qui*, *Profanæ* autem *libidinis* eadem ratione dicitur, qua paulo ante dictum est *peregrinæ*, id est extra legitimum thorum quæsitæ eaque *furtum* vocatur, propterea quod detrahatur propriæ uxori quidquid peregrinis feminis tribuitur; unde paulo post : *Alter alteri tenetur obnoxius*, id est non minus mulier viro quam vir mulieri. Maritis vero hanc erroneam opinionem id temporis fuisse, ut, si ab adulterio cum aliena conjuge abstinerent, quidquid cum solutis feminis committerent, liceret, testatur Ambrosius lib. II de Abraham, cap. 11, num. 78 : *Viri licito se peccare credunt, si solo se abstineant adulterio; meretricios autem usus tanquam legi naturæ suppetere putant.* Similem quoque errorem, at non de meretricibus, sed de concubinis tantum, sua ætate viguisse indicat Augustinus serm. 224, num. 3 : *Dixit nescio quis : Meretrix non est, quam habeo, concubina mea est. Sancte Episcope, meretricem fecisti concubinam meam?* et post pauca : *Dicis, Ancilla mea concubina mea est, numquid ad uxorem alienam vado? numquid ad meretricem publicam vado? an non licet mihi*, etc. Salviani quoque temporibus simile quidpiam obtinebat; hæc enim ille scripta reliquit, lib. IV de Gubernat. Dei : *Hoc in comparatione supradictorum genus castitatis est, uxoribus paucis esse contentum, et juxta certum conjugii numerum frenos libidinum continere. Conjugium dixi, quia ad tantam res impudentiam venit, ut ancillas suas multi uxores putent; atque utinam sicut putantur esse quasi conjuges, ita solæ haberentur uxores.* Similia habet et Cæsarius hom. 16, monens id ex consuetudine adeo invaluisse, *ut nec peccatum esse crederetur.* Putabatur autem *licere hoc viris, et feminis non licere.* Ex impunitate autem legum civilium hunc errorem homines vel invexisse, vel confirmasse videntur; unde S. Ambrosius, perinde ac S. Zeno, christianos monuit lib. I de Abraham., cap. 4, num. 25, ne quis *sibi blandiatur de legibus hominum : nam omne stuprum, inquit, adulterium est, nec viro licet quod mulieri non licet.*

(35) *Latibula turpia* erant loca quædam subterranea, in quibus meretrices degebant, quæ S. Ambrosius, epist. 30, ad Irenæum, num. 1, *hypogæa* vocat. *Luxuriosum est hypogæa quærere..... et ideo requirunt umbrosa penetralia, vel quod desidiosi ignava sub terris agant otia, denique quod tenebrosa illos et opaca delectent magis, quibus operiri fugitia sua credant.*

(36) *Nec* supplevimus ex ms. Rem. Pro *talibus* editi *tabulis.* Dein. *Sic igitur* pro *Si igitur*, ne sensus esset suspensus, correximus.

(37) Linea apud jurisconsultos est ordo graduum consanguinitatis vel affinitatis, etc. quibus personæ conjunguntur : in eadem autem conjunctionis linea ex ipsis legibus est vir et uxor, seu pater et mater. Paulus, lib. IV Recept. Sentent. tit. 11 : *Primo gradu superiori linea continetur pater et mater.*

(38) Mss. Vat. et Tol. *absumpturum*, Rem. et Urbin. *absumpturi.*

Digitized by Google

ricatus fuerit e duobus. Sed nec illis impune succedit, qui sine uxoribus, amore peccandi liberius, (39) incertas atque inhonestas sibimet redimunt libidinum merces, non advertentes esse infelix et impudicum quidquid legitimum fuerit extra conjugium : christiano enim, fratres, ultra licere non puto, quam ut sit aut continens, aut maritus.

V. Venio nunc ad exempla, quæ sunt negotio vel maxime necessaria; quia plus est quod geritur quam quod dicitur, ut et impudicitiæ malum et bonum pudicitiæ uno eodemque (40) suggestu facillime possit agnosci. Joseph Hebræus adolescens (*Gen.*, XXXIX), clarus genere, clarior pulchritudine, morum quoque clarissimus probitate, fuit inter filios Jacob ætate minor, sed spiritu major. Hic invidæ germanitatis impulsu in Ægyptum est delatus atque distractus a fratribus, quem domini sui uxor pejus amare cœperat, quem oderant fratres : nam cum medullitus mulier ardoris insani conflagraret incendio, in suadelam sacrilegam argumentis vehementer armata captat solitudinem, secretum captat et locum, in quali etiam non (41) irritata adolescentia invitis feminis sæpe violenta esse consuevit. At ubi in destinata prorumpens, neque blandimenta, neque promissa sibimet prodesse cognoscit; conserta manu, inversa vice, adorta est in suum fomitem **50** adolescentis ignem totis viribus derivare. At ille in repugnatione vestem sibi violenter extortam relinquens, ex impudicitiæ fovea nudus aufugit : sed pudicitiæ splendore vestitus post calumniosam damnationem et liberatus a Deo est et honoratus. Denique rex jure secundus factus est regni, qui insignis rex erat jam ante pudoris.

VI. Susannam quoque columen (42) matronatus inaffectatæ formæ pulchrius suæ pulchritudinis ornamentum, insigne pudicitiæ testimonium, e seniori-

A bus duo, sed uno incensi prodigio, secus quam decuerat, deperire cœperant : quam cum adverterent muro castitatis, quæ certe (43) vera est et æterna formositas, in paradisi solitudine circumseptam, ubi Evam ab auctore operis sui meminerant esse deceptam; hac re ipsa nacto consilio, capere dolo aggrediuntur ac nisi culpa succumbat, veluti adulteræ deprehensæ magnum minitantur exitium. At illa non (44) Eva ancipitis quidem metus contemplatione præclusa, cujus aut pudor esset jugulandus, aut anima, conscientiæ suæ conscium solum contestans Deum, honestam potius elegit mortem quam vitam turpem, melius credens hominibus se ream (45) præbere quam Deo. Interea instant illi ex amatoribus accusatores effecti, crimenque suum in simplicitatem circumventæ transB fusum artificiose dum exaggerant, exinde jam priores seipsi condemnant. Verum (proh nefas!) creditur ætati, creditur auctoritati : exsultant adulteri : damnatur integritas. Jam jamque Susanna ad supplicium immerens trahebatur : jam totus populus in ejus sanguine tumescebat : jam sui quoque familiares novæ rei atrocitate perculsi, **51** miserabiliter ingemiscentes, dimissis capitibus omne studium defensionis (46) abjecerant. Jam etiam ipsa pudoris (47) compendio mortis oderat moras, omnibus displicens, sed soli suæ conscientiæ placens. Cum subito, quavis versutia qui fallitur numquam, confestim adest in Daniele puero Deus. Omnem repente malitiæ scenam diripuit : (48) profectitium crimen propere recluditur : scelus suos reddit in auctores : purgaC turque per innocentiam pudor. Sicque Susannam, quam, impudicitia mentiente, in publicum traxerant, probatam et vindicatam ad mariti thalamum cum ingenti triumpho victrix pudicitia reportavit.

VII. Sed o quantum est miranda, pudicitia, quæ aliter laudari te non vis, quam ut custodiaris, solo

(39) *Incestas* editi; at ms. Rem. *incertas*, et bene : notantur enim illi, qui a conjugibus soluti licere sibi putabant, non *incestas* quidem libidines, sed *incertas*, quas scilicet pretio soluto a meretricibus vage mercabantur.

(40) Ms. Remense habet *suggestio;* sed in margine apposita nota *R* dubium locum significat. *Suggestu* in aliis mss. et edit. et *suggestus* pro *suggestione*, seu additione, vel narratione sumitur. Ulpianus, de *Magist. rat. conven.* lib. I Digest. : *Si ex suggestu eorum, vel nominibus ab eis acceptis præses dederit.*

(41) Ms. Rem. *incitata;* et post pauca pro *derivare* idem ms. nec non Urbin. et Zen. *derivari.*

(42) *Matronatus* legitur in Appuleio, lib. IV Metam.; *Inaffectatus* apud Quintilianum, lib. XI, cap. 1, et Tertullianum, de Pallio, cap. 4.

(43) *Vera est* abest a ms. Rem., *est* a mss. Pomp. et Urbin. Paulo post ms. Rem. *in solitudine, ubi Eva.* Ms. Pomp. priori scriptura *in solitudinem*, posteriori autem *in solitudine, ubi Evam.* Hæc item lectio habetur in codd. Tolent., Vat. et Zen. Ms. autem Urb. *in solitudine, ubi Eva.* Hinc vox *circumseptam* in editis videtur inserta, ut ne voces *muro castitatis* suspensæ starent. Hac de causa *circumseptam* retinuimus. Post pauca in editis *culpæ succumbat*, in ms. Rem. *culpa succumbat.*

(44) Editi *Evæ*, ex mss. *Eva* correximus. Ex *ancipiti metu* scripsimus *ancipitis metus*, ut sententia constet. Anceps autem Susannæ metus fuit, ne aut diffamaretur ut adultera, si renueret, ex quo pudor ejus jugulabatur; aut peccaret, si obsequeretur, quod animam læderet.

(45) In edit. et aliquot mss. *præbere debere :* postremam vocem ut nimis redundantem, auctoritate ms. Pomp., delendam judicavimus.

(46) Mss. Urbin et Pomp. *abjecerunt.*

(47) *Compendium* non tam de parcimonia, quam de brevitate dicitur; unde *compendium viæ* pro breviori D via apud Plinium, lib V, cap. 5, *docendi compendia* apud Quintilianum, lib. I, cap. 1, pro brevitate præceptorum reperitur. Ita etiam Susanna mortis odisse moras traditur *pudoris compendio*, nimirum ut brevior esset pudor, quo nimis moleste angebatur.

(48) *Proficitium* editi; mss. Rem., Pomp., Urbin. *profectitium*, et bene : profectitium enim dicitur, quod aliunde provenit, ut Susannæ quidem impositum crimen a senum calumnia processit. In ms. Tol. *Profecti cum crimen proprie redditur, sed scelus suum laudant auctores.* Similia habent mss. Vat. et Urb. Codex autem Rem. cum Pomp. *Profectitium crimen propriæ redditur : sed scelus suos laudant auctores.* Post pauca *impudicitiam renitentem*, in ms. Rem. *; enitentem*, in Urbin., pro *impudicitia mentiente :* et item post mss. quatuor pro *thalamum* scribunt *thalamos.*

Digitized by Google

bonæ conscientiæ ornamento contenta! Tu in virginibus felix, in viduis fortis, (49) in conjugiis fidelis, in sacerdotibus pura, in martyribus gloriosa, in Angelis clara, in omnibus vero regina. Tu nunquam carni, nunquam ulli subjaces legi. De voluntate nasceris, sed bono puritatis voluntatem ipsam paris : quia voluntas fit voluptas postmodum tua, cum per eam quotidie tricenos, sexagenos, centenosque colligis fructus. Tu in pauperibus dives, in divitibus ditior, æqualis in omnibus (50) consummaris. Tu es honor corporum. Tu thesaurus animarum. Tu fundamentum, (51) culmen, ac fructus omnium coæquarum. Tu tui (52) propositi insolubilis nodus æternus. Per te legitima **52** (53) jejunia celebrantur. Per te (54) allegatæ, priusquam fundantur, acceptantur preces. Tu es sacrificium Deo carum : tu legitimum Dei templum : sacrarium pudoris. (55) In te corruptio intrare non novit. Per te sæculum vincitur, concupiscentia omnis eliditur, diabolus subjugatur, Antichristus non timetur, Spiritus sanctus inducitur, glorificatur Christus, Deus pater omnipotens propitiatur. Postremo ille felix in futurum regnabit, qui tecum illo pervenerit. (56)

TRACTATUS V.

De Continentia.

I. Si cui forte asperum videtur ac durum, quod A fiducialiter loquimur, fratres, (1) rem pene contra naturam ; jam jamque desinat permoveri, intelligens christianæ virtutis hanc esse maximam **53** gloriam ipsam calcare naturam. Sed quia virtus voluptates semper offuscat, nihilque unicuique, nisi quod amaverit, rectum est, maxime quod uno desiderio omnes excolunt populi ; dubium non est, quia aut (2) hostis publicus, aut certe judicatur insanus, quisquis nuptias dissuaserit. At ego non pertimescam sermonis publici quæ de me fabulatur invidia : non enim nuptias condemno, sed nuptiis meliora præpono : et quidem etiam apostolo hortante sic Paulo : *Dico autem innuptis et viduis, bonum est illis si sic perseveraverint sicut ego. Si autem non fuerint continentes, nubant : melius est enim nubere, quam uri.* B Alio autem loco ait : *Hoc dico secundum veniam, non secundum jussum : volo autem omnes vos esse, sicut et me* (I *Cor.* VII, 6, 7, 8, 9) : ac per hoc ideo nubere melius, quia uri deterius. Omnia quidem licent, sed non omnia expediunt. Jam (3) hic, christiane, cognosce ; elige quid velis, remedium an sanitatem.

II. Denique si videtur, conferamus, quæ sit inter virginem nuptamque discretio. Nupta cogitat quemadmodum placeat marito : virgo, quemadmodum Deo. Hæc (4) extrariis ornamentis ornatur : longe illa ornatior, aliunde quia nescit ornari. Hæc variis unguentis et odoribus fragrat : illa unici floris sui

(49) Mallemus legere *conjugibus*, vel *conjugis* ablat. plurali a *conjugus*, *gi*, quod nomen apud Plinium et alios reperitur. Notari videtur in sequenti sententia christianorum sacerdotum ejus quoque temporis continentia et cœlibatus.

(50) Utrique mss. Zen. *consummatis*.

(51) Aliquibus placet *columen* legere, sicuti supra, num. 5, *columen matronatus*. Post non nulla *quoœquarum* scribitur in ms. Rem. pro *coœquarum*. *Coœqua pars* apud Plinium, lib. VI, cap. 28.

(52) *Propositum* virginitatis votum dicitur, uti penes Ambrosium et alios Patres sæpissime. Vide præsertim Augustinum, *de Bono viduitatis*, cap. 9, et Leonem Magnum, epist. 11 ad Rusticum Narbonensem, inquisit, 15, ubi *propositum virginitatis* cum habitu etiam virgineo conjunctum a consecratione virginum distinguit. Sic etiam *proponere* virginitatem idem est ac *vovere* apud S. Augustinum, serm. 225, num. 2.

(53) Jejunii nimirum tempore etiam conjuges continentiam servare oportebat, ut a Paulo monitum plures Patres animadverterunt. Lege Augustinum, serm. 208, n. 1 ; 209, n. 3 ; Cæsarium serm. 10 et 142 appendic., Augustin., et alios : quæ disciplina hac in Ecclesia Veronensi diutius viguisse cognoscitur ex Rhaterio episcopo in Synodica ad presbyteros ejusdem ecclesiæ.

(54) Mirum fortasse videbitur, quod preces *allegatæ* dicantur, antequam fusæ sint : cum perinde accipi soleat *allegare preces*, ac *fundere*. At *allegare* proprie hic est pro *dirigere*, quemadmodum Appuleius, de Deo Socratis, pag. 61 : *Cui igitur preces allegabo?* Itaque preces vix *allegatæ*, id est ad Deum mente, vel etiam cum incipiuntur, directæ, statim *antequam fundantur*, a continentia commendatæ, acceptæ sunt.

(55) Sic ms. Urbin. At. Tolent. *Tu te*, Rem. *Tui*, editi cum aliis mss. *Te*.

(56) Ms. Pomp. in fine apponit. *Amen*.

TRACT. V—(1) *Res pene contra naturam*, seu, ut ait S. J. Chrysostomus laudatus, n. 3, tract. 4, *supra naturam et non humana* videbatur virginitas, quam persuadendam hoc in tractatu S. Zeno sibi potissimum sumpsit. Hac in re promovenda quantum studii posuerit, quantumque res ipsa illi feliciter cesserit, inde colligimus quod Veronæ, ubi primus fortassis fidem intra C mœnia statuit, et publicam ecclesiam ædificavit, ut alibi ostendimus, exstruxit etiam virginum monasterium, pluresque alias præterea virgines in privatis domibus degentes satis probabiliter consecravit, de quibus diximus aliquid dissert. 3, cap. 1, § 3.

(2) Hominum etiam christianorum oblocutiones adversum eos, qui virginitatem persuaderent, si quis velit cognoscere, Ambrosium adeat, qui iisdem S. Zenonis vestigiis insistens, cum pro virginitate multa dissereret, invidiam quamplurium in se convertit, quam non uno loco declinare et compescere studuit. Lege præsertim librum *de Virginitate*, cap. 5 et seqq. Inter odii et invidiæ causas, quas plures commemorant, est potissimum illa, qua explicatur cur (quod Zeno tradit) *hostis publicus*, haberetur *quisquis nuptias dissuaserit. Nonnullos enim*, inquit, cap. 7, num. 37, *dixisse audivi, quod periit mundus, defecit genus humanum, conjugia labefacta* D *sunt*. Quod porro addit noster episcopus, *aut certe judicatur insanus*, id spectat vel ethnicæ philosophiæ placita, quibus stultitia vocabatur quidquid christianæ sapientiæ probaretur, uti vidimus tract. 3, adn. 2, vel potius quod ipsi insaniæ verteretur sese opponere nuptiis, *quas*, ut ait, *uno consensu omnes excolunt populi*, et persuadere rem, quam et civiles leges pœnis mulctabant ex adnot. 3 in tract. 4, et plerique hominum exsecrabantur, ipsique etiam parentes, qui ut filias ab hoc proposito deterrerent, dotem nonnunquam se illis negaturos minitabantur, ut colligimus ex Ambrosii lib. 1 *de Virgin.*, cap. 11, num. 62.

(3) In editis et nonnullis mss. *te heic* : ubi delevimus *te* auctoritate manuscripti Remensis.

(4) *Extraneis*, habent mss. Tolent., Vat. et Urbin. ; cæteri codices et editi *extrariis*. Extrarium autem pro extraneo, ex alia nimirum terra oriundo et ad-

Digitized by Google

quovis prato jucundior 54 in cœlum ipsum honore læto respirat. Hæc liberis gaudet : at illa liberorum non timet orbitatem. Hæc eorumdem blanditiis vernantibus pascitur et incrementis adolescentibus quotidie delectatur : at illa ægra fastidio novem mensium non bajulat pondus : sub incerto partu, parientis nascentisque de salute non gemit, nullusque momentis omnibus variæ sollicitudinis cura torquetur.

III. Sed dicet aliquis : Etiam Maria virgo et nupsit et peperit. Sit aliqua talis et cedo. Cæterum illa (5) fuit virgo post connubium, virgo post conceptum, virgo post filium. Denique si esset aliquid virginitate melius, Dei filius hoc magis potuerat suæ matri præstare, cui (6) præstiterit, ut divinæ virginitatis honore polleret. Itaque in statu quo nata es, permanens virgo gloriare, sanctique pudoris florem nulli legi subjecta fidei thesaurum custodi : esto sancta et corpore et spiritu : amore Christi ignem carnis exstingue, ut de resurrectione gloria, quam hic jam tibi vendicas, taceam, in qua ut Dominus ait, *Neque* (7) *nubunt, neque nubentur, sed sicut Angeli erunt* (*Matth.* xxii, 30). Magnum consequere beneficium, si Deo vivas puris moribus libera, et hominis non sis (8) ancilla.

IV. At tu vidua (9) secundas cur desideras nuptias, cum temperare videas Apostolum primas? cujus ista sunt verba : *Tempus coarctatum est : superest ut qui habent uxores sic sint, quasi non habentes, præterit enim figura hujus mundi* (I *Cor.* vii, 29 *et* 31). At cum ante annos ferme (10) quadringentos, 55 vel eo amplius, apostolicum hoc operetur edictum, quo et vivaciores fuere homines, et rarissimi Christiani ; cur ego christiano (11) orbe ipso pene jam toto, hominumque vivacitate mundo senescente detrita, obtundam verbis palpantibus aciem veritatis, ac non plene denuntiem, observantiæ qua perfectione Dei cultus debeat custodiri? Apud Salomonem maxime cum scriptum sit : *Et si multiplicentur filii, non oblecteris in illis, si non est timor Domini cum illis, non corrideas animæ illorum : melior est enim unus timens Deum, quam mille filii impii* (*Eccl.* xvi, 1, 2, 3). Cum hæc ita sint, age vidua, quæ sicut innocens virgo nubere sæpe festinas, interroganti responde, bonumne amiseris maritum, an malum? Si malum et desideras nubere, digna es quam pejor affligat. Si bonum, fidei serva signaculum : pati non meretur injuriam ipse cui perhibes testimonium. Ubi est ille, qui invicem desiderantibus vobis tardior cæteris videbatur primus matrimonii dies? Ubi pretiosæ virginitatis festa, (12) utrisque dulcis, occisio? Ubi amor, qui in æquo unitoque conjugio, e duobus altero superante, non moritur? Tune non illa es quæ mariti corpus (13) expositum 56 lavisti lacrymis, osculis de-

vecto, legimus apud Terentium Phorm. i, 4, 13; Suetonium, in Vespasiano, cap. 5, et alios. Hinc autem nostras quoque mulieres vestes et ornamenta e remotis regionibus procurasse liquet, quod in feminis reprehendit non solum Clemens Alexandrinus, in Pedag. lib. ii, cap. 10 et 11, cum aliis Patribus, verum etiam Seneca, in Consolat. ad Albinam, cap. 11 et lib. vii de Beneficiis, cap. 9.

(5) Hoc tam præcisum pro Mariæ virginitatis testimonium, quod repetitur lib. ii tract. 8, maximi faciendum est, cum nullum ex Patribus Zenone antiquiorem formula adeo præcisa et nunc jam celebri usum reperire licuerit. Id autem adversus quosdam B. Mariæ virginitati detrahentes adeo expresse dictum videtur. Sane circa hoc idem tempus S. Hilarius, in cap. i Matth., num. 3, notat *plures irreligiosos et a spirituali doctrina admodum alienos occasionem ex eo occupasse turpiter de Maria opinandi, quod dictum sit : Priusquam convenirent*, etc. Idem monet de nonnullis Epiphanius, hæres. 78, num. 7, tametsi ab hoc appellari potuerint Helvidius et Jovinianus, qui Zenonis ætatem consecuti sunt. Fuit tamen Zenonis ævo Eunomius, qui in Theophaniorum die, Eudoxio Ariano episcopo non dissentiente, vel etiam jubente, Mariam a Josepho post divini Verbi partum cognitam pro concione affirmavit, ut tradit Philostorgius in excerptis a Photio, lib. vi, § 2, ad an. 361.

(6) Mss. Pomp., Zen., Vat. et edit. Ven. *præstitit*. Pro *divinæ* mss. Pomp., Zen., Vat. et Urb. *redivivæ*, edit. Ven. *re divine*.

(7) Edit. Ven. *nubent* : et item post, *Angeli Dei runt*.

(8) Nam *mulieres viris suis subditæ sunt sicut Domino*, Ephes. v, 22.

(9) Zenonis sententiam de secundis nuptiis, Patribus antiquis consonam, quæ tanquam antiquitatis nota haberi potest, explicavimus et vindicavimus latius dissert. ii, cap. 7. Ms. Tolent. pro *temperare* habet *temptare*.

(10) Ita ex omnibus mss. et editione prima ; solum in edit. Ver. suppositum fuit *ducentos*, quod in alias editiones migravit ; cujus arbitrariæ emendationis consilium fuse explicavimus et rejecimus dissert. i, cap. 2, § 1.

(11) *Orbis* nomine accipi potest totum Romanum imperium, quod orbis dici solebat, ut liquet ex pluribus testibus, ac præsertim ex Firmico, qui expresse id tradit, et ex antiquo auctore libri de Mortibus persecutorum, ubi *orbem terræ* pro Romano imperio dictum sæpissime invenies. Nepos in Attici Vita, num. 25, de Cæsare et Antonio loquens : *Cum se*, ait, *uterque principem non solum urbis Romanæ, sed orbis terrarum esse cuperet*. Virgil. Eccl. i, vers. 67 :

Toto divisos orbe Britannos.

Spartianus, in Hadriano, pag. 3, *Adeptus imperium... tenendæ per orbem terrarum paci operam impendit*. Vide Ovid. lib. i Trist. 4, vers. 69; Tacitum de moribus Germanorum cap. 1 ; Ambrosium epist. 17, num. 5 ; Symmachum in, Relatione num. 9 ; et tractatum 10 Zenonianum hujus libri i, num. 5. Hinc Minutius, num. 12, Romanos *fusos orbe toto* affirmare non dubitavit.

(12) Edit. Ven. *utriusque*, et postea *separante* pro *superante*. Mss. Vat. pro *occisio* habet *occasio*, Rem. *occiosio*.

(13) Morem exponendi mortuorum cadavera indicant illa Virgilii Æneid. vi :

Tum membra thoro defleta reponunt :

in quæ Servius : *Servabantur cadavera octo diebus*, etc. *Depositum* pro *expositum* dixit Ovid. iii Trist. :

Depositum nec me qui fleat, ullus erit.

A paganis quidem corpora exponebantur in ædium vestibulo, ut colligimus ex Luciano περὶ πένθους, et Dione de Liviæ excessu, et ex Suetonio in Augusti Vita, cap. 100. In ecclesiis autem exposita fuisse christianorum cadavera (ut sane de Paulæ cadavere in ejus epitaphio tradit Hieronymus : *In media Ec-*

Digitized by Google

tersisti, crinium damno velasti, scissis genis, livore fœdatis uberibus, sordido plus pulvere tecta quam veste? Tu, inquam, non es quæ (14) nunc cœlum ipsum ululatibus rumpens, post talem maritum puncto temporis vivere te non posse clamabas? Nunc clusis dolore gemitibus, sæpe inter affines mortua spiritu, labentibus membris ad terram, incertas reddebas exsequias : cui magis lacrymas commodarent, mortuone, an morienti? Post hæc, si libet nubere, omnia illa mentita es. Quid hoc est? Ecce rursus ad lenocinia redis, colorem de pyxide mutuaris paulo ante damnatum. Ecce indulgenter excolis crinem; odorato pulvere luctus pulverem mutas; (15) in stilio fletus includis; ornamento ligas, quod (16) suspendio voveras, collum; ab speculo oracula inquiris, quam commode possi scircumscribere (17) petitorem. Quidquid feceris, virgo jam non eris : unum tamen scio, quia nihil distat a prodigio, quiquis alterius causa et formam mutat et mores.

V. Sed dicis : Ardor me teneræ compellit ætatis. Credo. Ecce nupsisti. Ut de fragilitate humanitatis, casibus ut de cæteris taceam, ecce maritum tuum postridie aliqua necessitas rapit, quæ a te longe distractum decennio, vel eo amplius, ut adsolet fieri, detineat relegatum. Quid facies? Observabisne redeuntem, an ardori quæres **57** aliunde remedium? Si observantiam (18) pollicere, sine dubio fallis, cujus impatientiæ professio jam tenetur. Si es autem sumptura remedium, dubium non est hoc esse solum, ut A flammas tuas maritalis gladii contemplatione compescas. Mihi crede, non habet concupiscentia locum, ubi patientia dominatur, ubi vivitur sobrie, ubi mors timetur. Itaque hanc observantiam, hunc timorem, quod est verius atque justius, transfer ad Deum, et quale libet illud sit, repente exstinguetur incendium.

VI. Sed sic ego in rebus demoror (19) prope sanis, quasi quæ vere exsecranda sint, jam correcta sint crimina. Pudet me dicere in populo gravi, anus sæpe videri novas (20) nuptas, quarum pene plures sint nuptiæ quam natales : quæ non rogantur ut nubant, sed ut dormiant, invitantur propiores sepulcro quam thalamo : quæ ipsæ cum (21) pereunt, detestabili exemplo adolescentulas quoque perire com- B pellunt. Quis has diligat filius? quis maritus? confundentes sanguinis jura, delentes merita maritorum, adulantes vivis, mortuis suspirantes, nunc odientes veteres, nunc novos filios similiter et maritos? At e diverso ipsæ æstiment (22) quid sit, quod in tam solemnibus votis sæpe contingit, ut nec filios habeant, nec maritos. Talis est etiam causa maritorum, ad quos aliquid loqui superfluum est, quia si uxor et maritus in carne sunt una, dubium non est, quia quod alter audit, amborum est. Quid agam, quo me vertam, nescio : non enim video quid in exhortationibus divini ac veri cultus Gentibus prædicem. Felicitatemne virginitatis? at habent (23) suas virgines : et si : **58** non felices, habent tamen. Sin

clesia speluncæ Salvatoris est posita), ibique etiam C mulieres virorum suorum corpora lacrymis diluisse, colligi posse videtur ex tract. 16, num. 5, ubi hæc a mulieribus gesta auctor perbelle commemorat, cum Sacerdotes *solemnia divina* de more peragerent, ut defunti animam Deo commendarent, quod sane in Ecclesia fieri debuit. Pro *lavisti* quod est in omnibus mss. et edit. Ven., editi habent *lavasti*. Quod porro dicitur, mulieres *corpus expositum crinium damno velasse* (idipsum repetitur tract. 16, num. 5) funeris mos erat tum apud Græcos, tum apud Latinos usitatus : comam enim illæ sibi demebant cadaverique crines injiciebant, ut liquet ex Homero, Herodiano, Plutarcho et aliis, quos allegat Everardus Feithius, Antiquitatum Homeric. lib. I, cap. 13. De more item fiebant reliqua, quæ tum hic, tum tr. 16 similiter recensentur, ut ne mirum sit quod mulieres consuetudini potius quam amori obsequentes, *omnia illa mentiri* potuerint.

(14) De particula *nunc* pro tempore præterito, vix tamen elapso, accepta vide tr. 2, annotat. 17. Infra *pro clusis* editi post Ver. perperam habent *elusis*. *Inter affines* supplevimus ex ms. Pomp. et significatur, uxores in maritorum exsequiis sæpe præ defectione spiritus cecidisse in terram, ita ut incertum esset affinibus, qui aderant, cui magis exsequiæ et lacrymæ deberentur. Edit. Ven. pro *morienti* habet *morituro*.

(15) *Stibium* a Plinio memoratum, lib. XXXIII. cap. 6, num. 34, metalli quoddam genus est (quod *nigrum pulverem* Tertullianus, de Habitu feminarum, appellat, alii vocant *alabastrum*) sic dictum græcanice a στίβω, seu στιβέω, *adstringo*, quod adstringendi vim habeat, eoque cum uterentur mulieres in fucanda facie oculisque perpolliendis, vel, ut Tertullianus ait de Cultu fœm., *porrigendis*; de quo videsis Georgium Agricolam, lib. X de Natura fossilium, cap. 11. Jure S. Zeno fletus muliebres *in stibio*, quo oculi deterguntur, inclusos prodit. Objicit similiter stibii usum mulieribus viduis Commodianus, Instruct. 59, vers. 7.

(16) Respiciuntur hoc loco imprecationes, quibus mulieres viduæ præ dolore sibi mortem et suspendium sæpe adprecantur.

(17) *Petitor* hic pro illo, qui viduam sibi uxorem petit.

(18) Ms. Pomp. *polliceare*. Sub finem numeri *quale libet* scripsimus pro *quale velit*; ubi forte *livet* scriptum pro *libet* migravit in *velit* : *quale libet* autem idem ac *qualecumque*. V. Cic. II *de Nat.*, c. 37.

(19) *Prope sanæ* dicuntur secundæ nuptiæ præ nuptiis tertiis, quartis, etc., quæ antiquis exsecrandæ visæ sunt; de quo plura dissert. II, cap. 7.

(20) Ms. Pomp. *nuptias* in margine corrigit. Post pauca ms. Rem. *plus* pro *plures*.

(21) *Pereunt* dicitur non de vera culpa, sed de continentiæ jactura, quam viduæ sæpius nubentes subeunt; quo fit, ut suo exemplo adolescentulas vir- D gines *perire*, id est virginitatis jacturam facere, compellant.

(22) Ms. Tolent. *quid sint, quibus in tam solemnibus*. Paulo post ms. Rem. *contigit* pro *contingit*; et post pauca cum edit. Ven. *fiunt una* pro *sunt una*.

(23) Non vestales solum, sed aliæ quoque Gentium virgines a Tertulliano memorantur in Exhortat. Castit. cap. 13 : *Noveram virgines Vestæ et Junonis apud Achaiæ oppidum, et Appollinis apud Delphos, et Minervæ et Dianæ quibusdam locis* : quibus similia repetit lib. I ad Uxorem, cap. 6. Pausanias lib. III, cap. 16, meminit virginum quæ Hilariæ et Phœbes erant sacerdotes, atque *Leucipides* dicebantur. Vestalium suo quoque tempore florentium mentionem facit Symmachus, præfectus Urbis, in relatione ad Valentinianum, Theodosium et Arcadium, n. 11, necnon S. Ambrosius, lib. I *de Virginitate*, cap. 4, epist. 18, num. 11.

Digitized by Google

vero ad vidualitatis sudorem gloriosum palmamque provocavero; nobis fortassis insultent, quia nostræ sacræ virgines viduæque magno pro immortalitatis præmio, suæ autem gratis laborent. Verum hoc est solum, nos in quo vincimus, quia pro sua sanctitate christianæ plus nubunt. Adde quod (24) Gentibus: quod sine dolore magno, vel gemitu non potest dici.

VII. Quæ enim vox, quæ increpatio has condigne possit arguere? quæ dedecus suum sacrilegio dotantes, membra Christi dæmoniorum servis addicunt; Dei templum profanis patefaciunt; (25) sacraria usque ipsa denudant; sacra confundunt, amissa luce lætantes in tenebris, habentes fana, non domos. Digne jugulantur, quæ Christi ingratæ beneficiis, sponte ad mortem, de qua evaserant, revertuntur. Cum igitur semper insidietur se non quærentibus diabolus, æstimate, quid faciat invitatus: cui omnes nocendi aditus reserati, præstant sine pugna, sine ullo labore victoriam: non enim conabitur in ditionem redigere suam, quæ esse ejus ambivit ancilla. In domo denique quæ geruntur, sed et ipsis in fanis, Christiana fidelis, sine te esse non poterunt, **59** quia uxor infelix es, si nescis quid agatur in domo: infelicior certe, si scieris.

VIII. Proponamus itaque, ut sæpe contingit, in unum sibimet convenire diversæ religionis diem, quo tibi Ecclesia, illi adeunda sint (26) templa. Quo ge-

(24) Conjugia christianarum feminarum cum viris paganis quam reprobata semper in Ecclesia fuerint, ob periculum præsertim quod hic a Zenone tangitur, multa alia Patrum testimonia demonstrant. Tertullianus lib. II ad Uxorem totus in eo est, ut si illa post ipsius mortem a secundis nuptiis abstinere ægerrime nequeat, saltem a matrimonio cum Gentili jungendo caveat; ibique argumenta urget iis plane similia quæ noster auctor pressius quidem, sed non minus vehementer et eleganter effert. Legatur Ambrosius l. I de Abraham, cap. 9, num. 84, et epist. 19, ad Vigilium, cui jam episcopo Tridentino institutionem poscenti hoc primum monitum dedit, videret ne qua fidelis cum infideli matrimonio jungeretur. Vide plura dissert. II, cap. 7.

(25) Tota hæc periodus nuptiarum celebrationem cum infideli videtur prospicere, in qua sicut *membra Christi*, id est mulieris corpus, *dæmoniorum servis*, id est ethnicis viris, *addicta*, et *Dei* item *templum profanis patefactum* intelligit ipsam mulierem christianam, cujus membra *Dei templum* pariter vocavit Cyprianus in tract. de Habitu virginum (unde ipse S. Zeno lib. II, tract. 42, ex celebri Pauli formula, *Dei templa* appellat baptizatos, quos, cum essent gentiles, *idololatriæ fana* vocaverat: *Quem noveris idololatriæ fanum, gaudeas Dei templum*, ita etiam *sacraria* per quamdam gradationem eodem pertinere nihil ambigimus. *Sacra* autem *confusa* quid Zeno dixerit, ignoramus, nisi forte spectet sacra illa, quæ illatis a marito gentili in novæ nuptæ cubiculum idolis, ex paganorum ritu primo nuptiarum die peragebantur; ex quo *domus in fanum* mutata dici potuit. Forte etiam domus *fana* vocari potuere, quod in privatis paganorum domibus essent idola, quæ divinis honoribus colebantur: nam, ut ait Tertullianus, lib. II ad Uxorem, cap. 6: *Moratur Dei ancilla cum Laribus alienis, et inter illos omnibus honoribus dæmonum, omnibus solemnibus regum, incipiente anno, incipiente mense, nidore thuris agitabitur, et procedet de janua laureata et lucernata.* His profanis viri sacris christiana mulier debebat alia ex propria religione objicere, nimirum sacras ad Deum preces, et fortassis etiam sumptionem Eucharistiæ, quam christianos domum attulisse, domique servasse, patebit ex annot. 29. Probabilius tamen est, hoc loco spectari illa Pauli II Cor. cap. VI, vers. 14, quibus nuptias cum infidelibus ab Apostolo interdictas plerique Patrum interpretantur: *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem consensus templo Dei cum idolis? vos enim estis templum Dei vivi.*

(26) Hinc colligi potest, Zenonis ætate idolorum ædes proprio *templi*, ædes autem sacras christianorum proprio *ecclesiæ* nomine appellatas fuisse, ut nec istæ *templa*, nec illæ appellarentur *ecclesiæ*. Equidem christianorum ecclesias *templi* nomine appellatas primo invenimus apud S. Ambrosium, epist. XX, n. 2, ut Gothofredus animadvertit in notis ad titulum *de Paganis*, prope finem, pag. 253. Unum tamen vetustius S. Hilarii testimonium suppetit in psal. CXXVI, num. 3, ubi, *Conventus ecclesiarum*, inquit, *consuetudo nostra vel domum Dei solita est nuncupare, vel templum*: quibus verbis significari videtur Hilarii quoque ævo, cum sub vitæ finem hunc commentarium in psalmos scriberet paulo ante an. 367, hanc locutionem consuetudine receptam, qua ecclesiasticæ ædes vel *Dei domus*, vel *templa* vocarentur. Errorem tamen hic loci subesse, et vel *templum* glossema esse, quod e margine in textum irrepserit, quispiam existimet. Quod si hoc minus placeat, integer textus si consideretur, non eam ejus loci esse sententiam apparebit. Ita vero ibi scribitur: *Conventus ecclesiarum, sive tum templi, quos ad secretam sacramentorum religionem ædificiorum scepta concludunt, consuetudo nostra vel domum Dei solita est nuncupare, vel templum*: ubi animadvertenda præsertim est in primo membro particula *tum*, quæ voci *templi* præfigitur. Sermo autem ibidem est de ædificatione templi Salomonis, de qua in eo psalmo agitur, et ad hanc unam ædificationem refertur illud *sive tum templi* Quod si cum Zenonianis codicibus in Appendice memorandis (ibi enim hic Hilarianus tractatus dabitur) sine *tum* legendum putes, adhuc nihil obest, quum universas sive veteris, sive novi Testamenti ædificationes complexurus, *ecclesiarum* nomine intelligere Hilarius potuerit christianorum ædes, quas *domus Dei* appellatas notat, *templi* autem nomine Salomonis ædificium, quippe quod, sicut nostris quoque temporibus, uno *templi*, non autem *ecclesiæ* nomine appellari solet; ita Hilarii ævo idem unum ex omnibus ædibus vero Deo dicatis *templi* nomine ex communi locutione nuncupabatur: unde et S. Zeno, qui christianas ædificationes sacras nunquam vocat *templa* serm. 14, num. 1. Salomonis ædificium eo nomine perspicue designat. Hanc ergo appellationem apud Hilarium si quis ad christianos conventus transferat, mirifice fallitur. Notum est quantum christiani veteres a *templi* nuncupatione suis cœtibus addicenda abhorrerent. *Templa* nimirum nuncupari cernebant magnificas idolorum ædes, quibus carnales homines plurimum deferebant. Hæc ergo ejusmodi hominibus necessaria esse dicebant, non sibi, qui Dei templum vivum in semetipsis gererent, ut sæpius inculcabant ex Paulo apostolo: et sicut olim fervescentibus persecutionibus non pauci templa sibi nulla esse protestati sunt, de quo vide annot. 6 in tract. 14, ita postea quoque id nomen non nisi idolorum ædibus dedere, vel etiam Salomonis ædificationi, quæ carnali Judæorum populo necessaria, ob structuræ et materiei pretium magnificentissime prædicabatur. Conventus porro suos christiani cum appellarent, ut innuerent fideles ipsos potius, qui con-

Digitized by Google

nere unusquisque suum sacrificium procurabitis? **60** quo sumptu? quibus vasis? quibusve ministris? At si discrete fiunt ista, nihil prodest : ex uno enim proficiscendo et in unum remeando, si non confusione, vel errore fiunt una. Quid, quod illius sacrificium publicum est, tuum (27) secretum? illius a quovis libere tractari potest, tuum etiam a christianis ipsis minime (28) consecratis sine sacrilegio videri non potest. Postremo detestabilis est vivendi conditio, ubi non licet facere uxori quod marito placet; ubi proponis, quia nihil te gerere sinit, nisi quæ disposuerit, prior ipse compleverit. Quod si factum non fuerit, factumve displicuerit, tum tota mugiet litibus domus, blasphemabitur Deus, arreptoque forsitan ipso (29) sacrificio tuo, tuum pectus obtundet, tuam faciem deformabit, præstans aliquando **61** et beneficium, cum te jubet ad ecclesiam non venire. Sed multo pejus est, si places marito : neque enim sine

A sacrilegio possis placere sacrilego. Ut rem compendio transigam, utique a templo regrediens necessario enarrabit tibi sciscitanti, sibi de utriusque salute, vel unanimitate deorum quæ fuere responsa. Si terribilia, consternata metu, forsitan, ipso cessante, illicita eis vota donabis, quod maritis etiam sub fidelibus multæ fecere pejores Evæ non discipulæ, sed magistræ; illa enim decepta, hæ sua sponte se diabolo dediderunt. Sin vero pacifica et salutaria; profecto lætaberis, eique tanto pro nuntio morigera conjux pacem si non ingeris, nec negabis.

IX. Quid agis, misera? quid, vesana, lætaris? Non est (30) pax ista, sed bellum; non osculum, sed venenum. Proh nefas! adhuc fumantia (31) busto complecteris membra, sudoremque sordidarum vaporis ararum carne tua detergis, jocaris, blandiris, obsc-
B queris; si quod forte acceptum relatumve fuerit a (32) fanatico solemne mysterium, **62** ipsa suscipis,

veniebant, quam locum in quo convenirent, *ecclesias* vocarunt; vel si locum ipsum notare voluerunt, *domum orationis*, vel cum Zenone tract. XIV, n. 1, *orationis locum* nominarunt. Hæc fusius dicenda fuerunt, non solum ut hic locus, in quem animadvertimus, illustraretur, sed etiam ut explicarentur alia, quæ aliis intelligendis utilia, vel necessaria futura sunt.

(27) *Secretum* vocat, quippe quod ex arcani disciplina sacrificium, seu Eucharistiæ mysterium non paganos solum, sed ipsos etiam catechumenos accurate celandum esset.

(28) Legebatur in editis *consecrati :* correximus ex mss. Pomp. et duobus Zenonianis. *Consecrati* autem dicebantur, qui baptisma susceperant. Itaque *minime consecrati* sunt catechumeni, qui alia formula *minime initiati* dicebantur, de quibus ex memorata disciplina arcani cautum erat adeo diligenter, ne in
C Eucharistiæ sacramentum oculos conjicerent, ut Satyrus S. Ambrosii frater adhuc catechumenus, cum in quodam naufragii periculo Eucharistiam sibi dari ab *initiatis* postulasset, eam, *ne curiosos oculos inferret arcanis*, in orario involutam acceperit, ut idem sanctus notavit lib. I de Excessu ejusdem Satyri num. 43. Tillemontius annot. 6, in art. 7, de persecutione Valeriani, titul. IV, animadvertens hos *minime consecratos* a Zenone appellari *christianos*, baptizatos, non autem catechumenos heic vocari existimat, quibus, *nisi*, ut interpretatur, *in clerum consecrati essent*, sacrificium intueri non licebat, in occidente enim velum tendebatur, quo laici impediebantur, ne in sacra mysteria oculos intenderent. Ita ille. At *sacrificium* hoc loco dictum Eucharistiæ sacramentum, non autem missarum sacrificium (quod Tillemontium fefellit) ex annotat. sequenti palam fiet. Porro *consecratos* dictos fuisse etiam catechumenos ex nonnullis testibus patet, inter quos vide Paschasium Lylibetani epist. ad Leonem, cap. 3, in qua catechumenos indicaturus, bis eo nomine utitur. *Christianos* porro fere quidem dictos, qui baptismate initiati sunt, haud inficiamur; quibus idcirco catechumenos opposuit Augustinus tract. II in Joan., cap. 3, n. 4 : *Nesciunt catechumeni quid accipiant christiani*. Sed catechumenos quoque *christianos* nonnunquam, Zenonis præsertim ævo, appellatos, eo quod in Christum crederent, liquet ex Theodosiano cod., l. XVI, lit. 7, Leg. 2 Theodosii Senioris an. 383, aliisque patet exemplis, quibus Constantinus et Valentinianus Junior licet catechumeni, *christiani* tamen principes appellati inveniuntur. Id autem in rem Zenonis maxime intererat, qui *christianos* dixit fideles quoslibet, quatenus infidelibus opponuntur,

quo sane in numero catechumeni censebantur. His quidem solis, non autem baptizatis vetitum fuisse cernere Eucharistiæ sacramentum, vel ex eo patet, quod istud baptizati et palam sumerent in ecclesia, et domum etiam afferrent, ut eodem, cum opus esset, semetipsos communicarent, quod sine ipsius visu fieri non poterat.

(29) *Sacrificium* hic aperte accipitur pro Eucharistiæ sacramento (sicut etiam tract. XV, num. 5, *sacrificium sumat*) quod domum inferre mos erat, ne dum primis Ecclesiæ sæculis, dum persecutiones ingruerent, sed Zenonis quoque ætate, imo aliquanto etiam post, ut liquet ex Basilio, epist. CCLXXXIX ad Cæsarium, et ex Hieronymo, epist. XLVIII ad Pammachium. Basilii coævi auctoris verba recitare placet. *Unusquisque etiam ex laicis ut plurimum habet domi suæ communionem, et cum vult, per semetipsum communicat.* Memoratu dignum est etiam, quod discimus ex Ambrosio, lib. I *de Excessu Satyri* num. 43, ubi traditur hunc jam catechumenum in naufragii periculo *ab iis, quos initiatos esse cognoverat, divinum illud fidelium sacramentum poposcisse, non ut curiosos oculos inferret arcanis, sed ut fidei suæ consequeretur auxilium : etenim ligari fecit in orario, et orarium involvit collo*, ac ita in mare prosiliens, incolumis evasit : ex quibus Eucharistiam a quibusdam Satyri comitibus baptizatis etiam in maritimo itinere secum allatam constat, ut id vel Satyro, licet catechumeno, notum esset. Difficultatem fortassis movebit, quod a Zenone additur, *sacrificio tuum pectus obtundet :* sed præterquam quod poterat esse panis male crassior, qui ictum faceret, hunc in *ligno* custodium, et domum allatum colligemus ex tract. XIV, ad not. 18.

(30) Ms. Tol., *pax tibi ista.*

(31) Hoc nomen apud Ciceronem et alios frequens legituri et sepulcrum translate plerumque significat;
D propríe autem indicat ipsum corpus, quod antequam sepeliretur, comburi olim solebat, corpus, inquam, ipsum jam combustum : *diciturque bustum*, ait Festus, *quasi bene ustum.* Hac significatione *bustum* hoc loco dicitur victima idolis oblata et usta; qua ratione etiam Ambrosius similiter dixit : *fumus ex busto* in epist. XVII ad Valentinianum n. 9, qui locus significationis confirmandæ causa recitandus est. *Si hodie*, inquit, *Gentilis aliquis imperator, quod absit, aram statueret simulacris, et eo convenire cogeret christianos, ut sacrificantibus interessent, ut oppleret anhelitus et ora fidelium cinis et ara, favillu de sacrilegio, fumus ex busto*, etc.

(32) Horatii Scholiastes in Artem Poeticam pag. 638. *Fanatici dicuntur, qui lymphatico spiritu agitantur, et*

Digitized by Google

ipsa reponis, ipsa custodis. Una (33) cibum præterea capis reliquas poculi propinati lambendo labris exhauris, futurique haustus quasi quasdam primitias auspicaris, totum prorsus iniquitatis spiritum libens concipis per maritum : infelix jam plus in te est quam in templo remansit. At si te serves atque contineas, æstimabit non amore divini cultus, sed alterius alicujus desiderio in suam hoc contumeliam procurari : castitatis observantiæque virtutem devocabit in crimen. Quid enim ille mali (34) non suspicetur, non efficiat, diis crudelibus, diis adulteris serviens? Itaque deinceps fuge, virgo, fuge, vidua, nuptias tales. Excusatio prorsus nulla competit tibi. Si continens esse non poteris, saltem noli tuas nuptias (35) fenerare, ne in illo resurrectionis die inter plurimos maritos non possis cujus fueris uxor agnoscere. Noli esse sacrilega, (36) noli proditrix legis. Profano cur nubas, cum possis nubere Christiano?

63 TRACTATUS VI.

De (1) *Patientia.*

I. Etsi beata diversis vita virtutibus quæritur, cujus (2) cupidine flagrans humanitas per momenta suspirat ; tamen omnes uno eodemque consensu quasi quemdam patientiæ deferuntur in portum, sine qua nec audiri, nec concipi, nec disci quidquam poterit, nec doceri. Nam profecto sola est, ad quam prorsus res omni (3) adspectet : dubium quippe cum non sit, spem, fidem, justitiam, humilitatem, castitatem, probitatem, concordiam, charitatem, omnes artes omnesque virtutes, ipsa quoque elementa (4) constare non posse sine ejus eruditione vel freno. Est enim (5) matura semper, humilis, cauta, prudens, provida, omni necessitate contenta, quavis turbationum tempestate tranquilla. Serenitatem suam (6) nebulis turbulentare non novit. Pœnitentiam nescit : (7) altercatio quid sit ignorat ; omnes aut devitat, aut portat injurias. Incertum est utrum impassibilis judicetur, cum aliquid passa, quasi nihil passa sit, invenitur. Postremo impossibile est, fratres, ejus æstimare virtutem, cujus vinci victoria est. Non illam loco vis ulla detorquet, non labor, non fames, non nuditas, non persecutio, non metus, non periculum, non mors, non tormenta morte ipsa graviora, non potestas, non ambitio, non felicitas. Semper immobilis manet, alta quadam ac divina temperantia robuste (8) librata universas permotiones animorum placida moderatione 64 compescens, et ut omnia (9) non magnopere devincat, se primo vincit.

II. Non virtutes possunt esse virtutes, non perennes elementorum (10) status, non tempora cognata connexione in solemnes reditus commearent, nisi rerum disciplinam conversionemque, quasi quædam sollicita mater, patientia custodiret. Sol denique quamvis mira celeritate alternas mundi metas illustret, tamen nunquam dilectam verecundamque antevertit auroram : qui, quod majus est, duodenis

phrenesim patiuntur. Hi ita dicti per metaphoram ; proprie enim *fanaticus* a fanis, sicut ab aris *aridus*, et significat sacerdotum genus, qui æstu quodam divino, ut Gentiles putabant, perciti, e deorum fanis responsa vaticinabantur, de quibus Juvenalis, Sat. 4. vers. 123 :

> Sed ut fanaticus œstro
> Percussus Bellona tuo divinat :

et Prudentius :

> Non spumat anhelus
> Fata sibyllinis fanaticus edita libris.

Horum mentio reperitur apud Ciceronem *pro domo sua*, Arnob. lib. I, pag. 13, et alios plures. *Fanaticus ἱερατικὸς ἱερόδουλος* dicitur in glossis. Verum *fanaticum* hic appellatum intelligimus, quicumque a fanis redux aliquid inde afferret referretve, ac præsertim qui sacerdotum responsa, ob quæ isti *fanatici* sunt appellati, repeteret, cujusmodi fuisse videmus eum, de quo S. Zeno loquitur. *Fanaticos* quidem S. Augustinus, in psal. XL, num. 1, pag. 345, nominat eos paganos qui de ruina christianorum tanquam ex oraculo inter sese respondebant.

(33) Reprehendit non simplicis cibi sumptionem cum infideli conjuge, sed sumptionem cibi ex idolorum sacrificio domum a marito allati, nec non alias id generis superstitiones in cibo et potu statis diebus usitatas, de quibus christiana mulier sine idololatriæ labe participare non poterat. Vide de his plura apud Tertullianum, in libro *de Idololatria.*

(34) Notat Tertullianus, lib. II ad Uxorem, cap. 5, paganos viros, si christianas mulieres sese continere et sua sacra celare inspicerent, in suspicionem venisse, ne magiæ darent operam, aut venenum sibi parare meditarentur. *Adulterorum* autem et *crudelium deorum* idcirco S. Zeno meminit ; quod qui adulteria et homicidia deorum colit, de adultero uxoris amore, vel de homicidio sibi intentando suspicari non difficile possit.

(35) *Fenero* hic pro multiplicare, seu plures nuptias inire. Similiter Ambrosius, lib. II *de Officiis* cap. 6, num. 40, *feneratos proventus* pro *multiplicatos dixit.*

(36) Edit. Ven., *non proditrix.*

TRACT. VI.— (1) Hic tractatus *gravissimus* dicitur a Casaubono in Spartiani Severum, pag. 122, a. In prima Ven. edit. inscribitur, *de Patientiæ laudibus et impatientiæ malis.* Hujus tractatus initium et finis inserti sunt vitæ S. Zenonis scriptæ ab antiquo monacho Zenoniani Veronensis cœnobii, quam marchio Scipio Maffeius edidit inter monumenta, quæ subjecit *Historiæ diplomaticæ*, editæ an. 1727. Ex hac Vita aliquot varias lectiones non contemnendas adhibuimus, quæ suis locis notabuntur.

(2) Ex Vita emendavimus, cum legeretur *cupidinem* Ms. Pomp., *cupiditate.*

(3) Mss. Rem., Tolent., *expectet* : Vita *Spectet.*

(4) In editis et mss. hoc loco inseritur *ejus*, quod auctoritate Vitæ transtulimus ad illud, *sine ejus eruditione.*

(5) In Vita *patientia matura*, quod nomen nescimus, an a Vitæ scriptore pro faciliori intelligentia insertum fuerit, cum certe necessarium non sit.

(6) Ms. Pomp. corrigit *nobis turbulentare* ; in ms. Zen. et edit. Ven., *nobilis turbulentare.*

(7) In editis *alteratio* : in mss., vero et Vita, necnon ex correctione marginali editionis Ver. *altercatio*, quam vocem textui inserendam duximus.

(8) Mss. Rem., Tolent., Vat. *liberata* ; et pro. *permotiones* ms. Pompeian., *promotiones.*

(9) *Non magnopere* idem hic est, ac *non magno opere*, quod in ms. Zen. legitur, seu *facile* ; quo sensu a Zenone alibi accipitur, quemadmodum *magnopere* usurpat pro *magno opere*, seu labore vel industria magna tract. VIII, num. 2.

(10) Ms. Pomp. corrigit *status.*

Digitized by Google

non dicam spatiis, sed momentis horarum, (11) æquabiliter se partiri non posset, si impatientia suos cursus urgeret. Luna quoque, quæ quibusdam videtur errare curriculo menstruali, solemnes suæ ignes ætatis quod numquam prærogat importune, nec derogat; quid aliud intelligi datur, quam sui opificis moderationi deserviens peritissima insignis patientiæ disciplina? Sed et mare ventis lacessitum, cum irascitur, quamvis reciproca vicissitudine, nunc pulsantibus cœlum, nunc requirentibus terram æstuantibus undique vitreis armatum montibus, violentis undarum sævientium cumulis, toto corpore insaniat; tamen extremorum pallido ex recursu voluminum, quasi jus terræ cognoscens, ac violare devitans, mira patientia in se frangitur, iisdemque fluctibus, quibus cogitur, refrenatur. Hæc germinantibus pratis, messibus flavis, vitibus curvis, semipallidis olivis et felicitatem præstat et gratiam; cum uniuscujusque temporis fetus partu crudo in alterius contumeliam (12) impatientia non sinit præcipitare. Quid avium **65** diversarum decora commercia (13) litterataque? Quid arduis volatibus aereæ grues? Quid piscium dissimilium cum suis sibi ductoribus (14) gradatæ ætatis innumerabiles cunei? Nonne cum invitationi temporum parent, solemnisque remigis speciosо discursu vel aquas sulcant, vel aera distinguunt, et patienter veniunt, et patienter excedunt?

III. Solus homo præceps, solus impatiens, pravis quotidie mobilitatibus gaudet: varietatibus studet: miserum se putat, si ipse sit, nec intelligit rem dementiæ esse consimilem, in statu suo (15) animum non manere. Impatientia enim quid est, nisi mens lubrica, permotionibus crebris et rapidis se semper expugnans; animus infidelis; etiam sibi actus improvidus, instabilis, cæcus, incautus, inconstans, totus concitans in ruinam; res sine substantia, negotium sine persona: omnia cito tentat, omnia momento disturbat, mater criminum, curiositatis magistra, acumen temeritatis, auctor detestabilium pariter ac magistra malorum: hominis namque salutem ab incunabulis mundi mors ut jugularet ac jugulet, ab ipsa prorupit. Denique Adam (*Gen.* II) in arce cum esset adhuc paradisi constitutus, beatissimusque beati orbis imperio potiretur; tamdiu felix, tamdiu inexterminabilis vixit, quamdiu imperata regalis edicti continuit. At ubi sinistro consensu (*Ibid.* III) invidi (16) ex lubricitate serpentis est impatientiam mutuatus, sacræque arboris pomum male dulce delibavit, lacrymas reperit, dolores et gemitus, spinas et tribulos sibimet comparavit, ultimoque sudore turbatus posteris hæreditatem indigestæ mortis, quæ homicidium mox peperit, dereliquit. Denique nec mora est. Impatienter fraterni invidus muneris (*Ibid.* IV) **66** in fratris Cain anhelat exitium; et Deo spectante negotium (17) parricida est: nec ejus saltem coercentis voce comprimitur, sed eo magis ac magis instat, donec effusione sanguinis conceptum piaculum duplicetur. Miratur orbis vacuus se duobus angustum. Mirantur elementa hominem, qui factus sit ad imaginem et similitudinem Dei, posse jugulari, et hoc a fratre. Erubescit rudis terra pio sanguine (18) impiata. Solus Cain exsultat infelix, (19) et quod teste caret, putat se caruisse facinore: quem Deus vidit, quem conscientia redar-

(11) In edit. Ver. et mss. *æquabiliter se*: in Ven. *æquabili se*. Forte legendum est solum *æquabiliter*, ita ut *partior* passive sumatur, sicut lib. III de Oratore cap. 30, a Cicerone usurpatur. Licet autem apud antiquos dies late acceptus spatium horarum 24 complecteretur, tamen stricte sumptus pro eo tempore, quod ab ortu ad occasum solis excurrit, nonnisi duodenas æquales horas continebat. Hic enim apud veteres mos fuit ut dies noctesque tum æstate, tum hyeme in horas duodecim ita æqualiter dividerentur, ut diei æstivi horæ longiores essent, hyemalis autem breviores; et e contra noctes per æstatem horas haberent breviores, per hyemem longiores: semper tamen inter ejusdem diei vel noctis horas æqualitas servaretur. Vide Censorinum *de Die natali*. *cap.* 18.

(12) *Patientia* in mss. Pomp. et Zen., cæteri codd. cum editis *impatientia*. Utrumque licet contrarium ablativo casu elatum sententiæ potest congruere, si nimirum *impatientia* referatur ad verbum *præcipitare*. *patientia* ad *non sinit*. Plurium tamen et præstantiorum codd. lectionem retinuimus. *Contumelia* vero dicitur non tam de verbis quam de factis; unde legimus non minus *dicere contumeliam*, quam *facere*. Hic ergo *alterius contumelia* intelligitur de damno, quod immaturi fructus comedentibus afferre solent, nisi patientia ab edendo contineat.

(13) In edit. Ver. *littoreaque*, in Ven. *littorataque*. Melius e mss. *litteratаque* (Tolent. et Urbin. per Amanuensis errorem *litterat æque*), nam aves canentes, dum transmittunt, litterata quædam commercia exercent. In mss. et edit. Ven., *commertia* cum *t*; et pro *arduis volatibus* ms. Rem., *arduus volatilibus*; Pomp. et edit. Ven., *arduis volatilibus*.

(14) *Gradatus* apud Plinium l. XIII, c. 4, pro eo quod in graduum formam distributum est. Pisces itaque aliqui, perinde ac grues, ducem quemdam secuti, secundum ætatis gradus in cunei figuram ab uno loco ad alium pro temporum vicissitudine transeunt.

(15) *Animum* restituimus ex mss. et edit. Ven. Aliquanto post in ms. Zen. *factus improvidus* pro *actus improvidus*. Infra *totus concitus*, vel *concitatus* pro *totus concitans* quispiam malit, sive *totum concitans*, τὸ *totum* sumptum pro *omnia*, ut apud auctorem frequens est.

(16) Ms. Pomp. *et lubrici serpentis*. Inferius pro *mox peperit* quatuor mss. et edit. Ven., *mox ut peperit*.

(17) Frequentius apud Scriptores Cain *fratricida* appellatur, ut probat Baluzius num. 14, in librum Cypriani de bono Patientiæ. At *parricidæ* nomen late patere ostendit illud Hieronymi in dialogis adversus Pelagianos, ubi parricidam vocat eum qui cum hominem de morte liberare queat non liberat. Ad necem vero fratri illatam significandam idem nomen traductum patet ex Ambrosio epist. XXX, num. 2, et aliis Patribus, qui Absalon, vel Cain similiter *parricidas* vocarunt. Quin Cic. pro Cluentio, cap. 11, *fraternum parricidium* appellat. Item S. Zeno tract. VII, num. 4, de David ait: *Parricidalibus filiis parcit*.

(18) *Impiati thalami facinore*, Seneca Hippolyt. vers. 1180. *Me impiatum*, Appuleius lib. I Metam. Utrobique *pollutum* sonat.

(19) *Et* suppletum ex mss. Rem., Pomp., Vat., Zen. et edit. Ven.

Digitized by Google

guit, quem fratris sanguis accusat. Quid (20) impatientium Sodomorum? Ubi illicite viri opprimebantur a viris, prodigiose libidinis ignes ignis (21) divinus incendet: intestinique facinoris fœdus, quo infeliciores subactis, infami hasta persequentes, hospitum terga depopulabantur, e cœlo imber fusus a Domino, flammis et sulphure armatus, pœnali procella delexit. Judæi concinionibus tument, altaria divina cum venerantur evertunt, varia cæde prophetas elidunt, Moysen amore nimio lapidare conantur (*Exod.* xiv, 10): adversus Dominum semper ingrati variis molitionibus pugnant, multisque diis ac regibus servire gestiunt, qui uni Deo per impatientiam servire minime potuerunt.

IV. Sed impatientiæ hactenus exempla prolata sint; neque enim est studiose, ut arbitror, memorandum, quod optaveris compescendum; maxime cum ejus natura sit talis, ut nunquam moretur in propriis, sed in publicum tota diffusa sit: diffamationibus vigeat: huc atque illuc æstuans varie cæca prorumpat: victa sit autem, si dissimulatio celebritatem ejus obscuret. Nunc ad patientiæ revertamur virtutem, quæ majoribus nostris (22) illustri virtute perennem gloriam **67** peperit et salutem. Abel ideo martyr quia justus (*Matth.* xxiii, 35); ideo justus quia patiens; a quo pati martyres didicerunt, patiendo libenter, quod non merentur. Noe cataclysmum, quo omnis caro funditus deleretur, denuntiante Deo, imminere per momenta et credit et timet, arcamque, cum suis ut salvus foret, quam jussus est facere, non præcipiti festinatione compingit; nec tantum munus quasi (23) præsumptor aut demens rapit, sed patienter ædificat, patienter exornat, patienter variis animantibus replet. Quando ingredi jubeatur, quando januam claudere, patienter exspectat; dignus evadere, qui in tanto orbis metu non festinavit evadere.

V. Nunc mihi Abrahæ memoranda est mira illa tentatio (*Gen.* xxii), quæ eum aut sacrilegum fecerat, si contemneret Deum, aut crudelem, si occideret filium, nisi quadam singulari ac vere divina patientia inter religionem pietatemque negotium temperaret, in spe non denegans Deo, quod contra spem acceperat a Deo (*Rom.* iv, 18). Igitur Isaac sibi dulcissimum filium, Deo victiman dulciorem, contemnit, ut servet; destinat jugulare, ne jugulet, securus illo se non posse displicere facinore, quod Deo gerebatur auctore. O novum spectaculum, ac vere Deo dignum! in quo definire difficile est utrum sit patientior sacerdos an victima. Non percussoris, non percutiendi claudicat color, non membra tremore vibrantur, non demissi, non torvi sunt oculi. Nemo rogat, nemo trepidat, nemo se excusat, nemo turbatur, ne vere sit parricidium. (24) Ille lignum, quo inuratur, sibi præportat; ille aram struit. Ille exserit gladium, ille cervicem uno voto, una devotione; ne quid profanum sit, diligenter ac patienter geritur quod ab altero celebratur. Sub tanto, non dicam, humanitatis, sed potius ipsius naturæ metu læti sunt. Soli cedit affectus pietati, pietas religioni; favet utrisque religio. Medius stupet gladius nullo impedimento suspensus, mactatione terribili gloriam se præstitisse, non crimen. Quid hoc est? Ecce immanitas in fidem, et scelus transit in sacramentum: parricida incruentus redit, et qui immolatus est, **68** vivit. (25) Ambo sibi gloria, ambo claritatis exemplum, ambo Dei cultus admirabile sæculis testimonium. Felix orbis fuerat, fratres, si omnes sic fierent parricidæ.

VI. Jacob (*Gen.* xxvii) per patientiam et benedictionem lucratus (26) et fratrem: dat iracundiæ locum securus, ut redeat domum: patri commendat, sensim mitisque discedit, ut probet se et meruisse et non ambiisse, quod meruit. Ac ne quis hanc patientiam timiditatis nomine obscuret, in ducendis quoque uxoribus talis est conditio (*Ibid.* xxix). Libens excipit: prolixa tempora observat: omnia soceri libens tolerat imperata: qui si esset impatiens, astu circumscriptus, pro Rachel postmodum tempore nunquam reparato serviret. Similiter Joseph patiens invenitur (*Ibid.* xxxvii) (27) e pascuo cum a fratribus rapitur, patiens, cum in puteum demittitur, patiens dura cum (28) hasta distrahitur, patiens in carcere, in regno patientior, patientissimus (29) desideratos cum fratres agnosceret: et ubi jactantia se non potest continere, positus in honore continuit. Cœlestis profecto est ista patientia, quam a suo statu non ærumna, non felicitas, non affectus potuit commovere.

VII. Adversus Job diabolus (*Job.* i *et* ii), qui

(20) Legeret fortasse quisquiam *impatientiam Sodomorum*. Sed subaudiri potest *meminerim*, quod verbum cum genitivo commode jungitur.

(21) In editis erat *divinitus*.

(22) Mss. Pomp. Vat. et edit. Ven., *illustris*. Postea pro *quia justus*, ms. Vat. *quia illustris et justus*.

(23) *Præsumptor* apud Tertullianum, *de Pœnitentia* cap. 6, Ammianum Marcellinum, xxvi, 5. Sedulium, num. 4, et significat eum, qui ante tempus aliquid capit, seu præripit.

(24) In ms. Pomp. deerant verba, *Ille lignum, quo inuratur, sibi præportat*; *ille aram struit*: in margine autem sequenti periodo subjicienda notantur post verbum *celebratur*. Hoc loco inserta sunt in editis, sed perperam, cum prius ara constructa fuerit, quam a patre gladius exsereretur. Igitur auctoritatem ms. Rem. secuti, suum in locum sententiam restituimus.

(25) In Ven. editione, *Ambo igitur gloria claritatis exemplum*.

(26) In editis et mss. plerisque *lucratus est*: et vero pro *est* docuit ms. Rem. et melius; nam Jacob per patientiam lucratus vere est non fratrem solum, sed et benedictionem et fratrem.

(27) Mss. Rem., Tol. et Vet. *e pascua*, cæteri *e pascuo*. *Pascuum* apud Columellam, iii, 14, *pascuo* vero apud Tertullianum, Apolog. cap. 22.

(28) Cum quid publica auctione venderetur, erigebatur hasta, in quam rem vide singularem dissertationem Junii Rabirii *de hastarum et auctionum origine* apud Grævium, tom. iii, pag. 19. Itaque Joseph hasta distractus dicitur, quod auctione quadam plus offerenti divenditus sit.

(29) Ms. Tolent. *desideratus*.

Digitized by Google

non fertur blandus, æstimare licet, quid moliri potuerit incitatus; maxime cum a Deo acceperit facultatem, ut atrocitatis inveteratæ in examen justi, quibus possit armis, quibus possit viribus, niteretur. Igitur novum ac pene incredibile committitur prælium. Ultra morem diabolus pugnat, sed Job dissimulando plus pugnat (*Job.* I). Ille ejus magnum atque opulentissimum censum uno momento disperdit: cohortemque florentissimam dulcium liberorum, atrocissimo impulsu, tectis parietum cum ruina confusis, nimia crudelitate festinus sepelit antequam jugulet. Ipsum postremo, quem divitiis exspoliaverat magnis, magnis vestit ulceribus, quibus insuper vermes immittit edaces (*Ibid.* II), ut in tormenta morientis cum homine adventitium vulnus inquilino vulnere finiretur. At Job cunctis viribus **69** adversæ partis exspectatione placida profligatis, in semet fortior nimis, omnibus, quæcumque deleverat bellum, recuperatis in melius, felicitatis pristinæ statum dissimulando non perdidit, sed mutavit. Hic ego patientiam Domini memorare non (30) audeo, ne quam Deus inter homines deputatus patiatur injuriam; idonea laus enim non est, (31) cui principatum adimit peræquatio. At cum omnes omnino memorati, omnesque felices ejus dono sint tales, contumelia est laudare Dominum, cujus condigne laudare non queas servum.

VIII. Sed o quam vellem te, si possim, rerum omnium regina patientia, magis moribus concelebrare! Scio enim quia libentius in tuis moribus, tuis fundamentis, tuisque consiliis, quam in alienis nudisque sermonibus conquiescis, neque tantam in multiplicandis virtutibus laudem ponis, quantam in (32) finiendis. Tu virginitati præstas, ne flos ejus ullo morbo, ullo tempore defloreseat. Tu variarum semper in tempestatum crebris turbinibus (33) constitutæ fidissimus viduitatis es portus. Tu sanctissimo conjugali jugo rudi cervice (34) subeuntes, in nisum laboris, (35) vel amoris æqualem, retinaculis blandis, quasi quidam peritus auriga, componis. Tu amicitiam idem velle atque idem nolle docuisti. Tu servituti unica ac fortissima consolatio sæpe libertatem paris. Tu paupertati præstas, ut habeat totum sui contenta, cum sustinet totum. (36) Tu Prophetas provexisti: Christo tu Apostolos glutinasti. Tu (37) quotidiana martyrum et mater es et corona. Tu murus fidei, fructus spei, (38) amica charitatis. Tu (39) specialiter omnem populum, divinasque virtutes, quasi crines effusos in unius verticis nodum, honorem **70** decoremque conducis. (40) Felix, æternumque felix est, qui semper te habuerit in se. (41)

TRACTATUS VII.

De (1) *Humilitate.*

I. Sapientes (2), ut videri volunt, Græciæ viri, præter cæteros curiosi, otioso negotio cor suum, ultra quam licitum est, argumentis insolentibus extulerunt. Hi, cum ascendunt verbis in cœlum, cum Deum persuadent hoc esse quod voluni, cum assimulant se nosse rerum naturæ secreta; cum stellis

(30) Ms. Vat., *audebo.*

(31) Ms. Pomp., *cum principatum.*

(32) In Vita Zenonis, quam annotat. 1. laudavimus, *fruendis* legitur.

(33) Ita ex eadem Vita, cum alibi sit: *constituta fidissimus miserandæ viduitatis es portus.* Vitæ lectio maxime congrua magis arrisit.

(34) Eadem Vita addit, *binos subeuntes.* Porro *subire jugo* cum dativo, sicut apud Ovidium, lib. IV, de Ponto, eleg. 15, *subire animo.*

(35) *Vel* copulativa particula hoc loco videtur posita pro *et*, quem ad modum lib. II Æneid., vers. 769, et lib. I Livii cap. 42, et alibi apud alios probatioris ævi scriptores.

(36) Mss. Tolent., Pomp. et Vat., *Tu Prophetas provexisti a Christo. Tu Apostolos*, etc. Ms. Zen. et Vita: *Tu Christo Apostolos*, etc.

(37) De hujusce loci interpretatione, quo persecutiones Zenonis ævo viguisse insinuatur, multa diximus dissert. I, c. 2, § 8, et nonnulla etiam attingemus annot. 19, in tract. XXVII, lib. II.

(38) Mss. Tolent. Vat. *anima.*

(39) *Specialiter* legitur in Appuleio de Mundo, et apud Columellam lib. III, cap. 9.

(40) In Vita *Felix est, qui semper te habuerit, in se.*

(41) Nonnulli mss. libri et editio Ven. claudunt cum *Amen.* Ms. Rem. apponit separatim, *Sancti Zenonis episcopi.*

TRACT. VII.—(1) In edit. Ver. et sequentibus duplex huic tractatui titulus prælegitur, primus *Sermo primus Psalmo* CXXX, secundus *de Humilitate.* Hic alter tantum titulus in mss. et edit. Ven. reperitur, nec non apud Jo. Presbyterum Veronensem, et Guillelmum Pastrengum. Ille autem primus a Veronensibus editoribus idcirco adjectus fuisse videtur, quod nonnulla hic inserta animadverterint ex altero tractatu in psal. CXXX quem illi quidem Zenonis, nos autem Hilarii fœtum esse ex ejusdem Commentario in psalmos excerptum in præfatione ad Appendicem ostendemus. Hunc autem unum tractatum, *de Humilitate* inscriptum, Zenoni vindicandum nihil ambigimus, ut nihil obstet, si ex illo Hilarii tres, vel quatuor sententiæ partim iisdem, partim aliis verbis hic repetitæ legantur, cum id nihil probet aliud, nisi S. Zenonem Hilarii sermonem, vel commentarium vidisse, et nonnulla, suis locis mox indicanda, huc transtulisse, quemadmodum ex Lactantio, in tract. III, *de Justitia* quædam traduxisse notavimus. Vide plura dissert. I, cap. 1, § 2.

(2) Sapientes Græci qui hic nominantur, sunt philosophi præsertim Græci, e quibus philosophandi ratio ad Romanos transiit. Hi enim apud SS. Patres male audiere, quod ex philosophorum placitis pleræque hæreses ortum habuerint. Lege inter cætera Tertulliani librum de Præscriptionibus, cujus caput septimum in eo totum versatur, ut philosophiam hæreseon esse originem suadeat. Hæreticorum alii ex Stoicorum, alii ex Pythagoreorum, alii ex Platonicorum, plerique ex Peripateticorum scholis prodiisse feruntur. Vide Launoium, de *varia Aristotelis Fortuna*, ubi plura Patrum testimonia adversus Aristotelicam præsertim disciplinam collecta invenies. In tanto Patrum adversus ethnicam philosophiam odio nihil mirum, si S. Zeno hic et alibi philosophos perstringat, cum potissimum suo ævo Ariani philosophia plurimum abuterentur, ut innuimus dissertatione II, cap. 2. Præter philosophos noster auctor tangere videtur etiam poetas (quamquam poetæ olim fere iidem ac philosophi) quorum memorat *carmen*, seu poeticas fabulas, in quibus de diis deabusque disserentes, errorum venena carminis dulcedine illinita in animos hominum facilius instillarunt.

Digitized by Google

nomina, soli labores imponunt; cum errores suos lunari circulo adscribunt; cum ingenii sui carmen **71** coli vel maxime cupiunt; sic se et alios perdiderunt: nam (3) mutato nomine et cultu, quasi promota sit somniis, illa scholares calumnias Dei usque ad Ecclesiam transmiserunt, ut in ipsa quoque, si insanire cuiquam libeat, Deus illi non colendus sit, sed quærendus. Quod nunc faciunt infideles, de quibus Scriptura divina quid pronuntiet, audiamus: cujus ista sunt verba: *Deminuerunt veritatem a filiis hominum. Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum: labia dolosa in corde locuti sunt mala. Disperdat Deus universa labia dolosa et linguam magniloquam. Qui dixerunt: Linguam nostram magnificabimus, labia nostra* (4) *a nobis sunt; quis noster Dominus est* (*Ps.* xi, 1 *et seq.*)?

II. Hanc superbiam Propheta tumidi cordis evitans, sic inquit ad Dominum: *Domine, non est exaltatum cor meum* (*Ps.* cxxx, 1), cum scriptum sciat: (5) *Homo videt in facie, Deus in corde* (I *Reg.* xvi). Nonne injuriosum, vel supervacaneum putabitur, Deo indicare quod noverit? Absit: indicat ille, sed nobis, quos cupit, quod facit ac prædicat, imitari. Ergo inquit, *Non est exaltatum cor meum*, docens (6) optimum esse sacrificium Deo cor contribulatum (*Ps.* l, 29). Quapropter, fratres, efferendum non est prosperis rebus, sed timore Dei intra mansuetudinis metas verecundiæ freno cohibendum, ut possimus merito mereri Scriptura quod dicit: *Proximus est Deus contribulatis corde, et humiles spiritu salvabit* (*Ps.* xxxiii, 18). Sed et Dominus ipse nos pio promisso quid hortetur accipite. *Venite*, inquit, *qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* xi, 28, 29). Deus noster, fratres, humilis

A **72** corde est, et ineffabilis (7) ejus illa sapientiæ ac virtutis potestas intra (8) hominem susceptum jacet magis admirabilior, quia tantus est et talis. Et homo curiosus cor suum extollit, conaturque ejus comprehendere altitudinem, cujus non sequitur humilitatem?

III. Sequitur, ac dicit: *Neque elati sunt oculi mei* (*Ps.* cxxx, 1). Oculorum pejor est causa, quia exaltatio cordis ad paucos pertinet, oculorum elatio ad omnes: de quibus Joannes discipulis quid prædicet omnibus est in (9) usu. *Nolite*, inquit, *diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, non est caritas patris in eo, quoniam omne quod in mundo est concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi* (I *Joan.* ii, 15, B 16): his enim auctoribus concipitur, his ducibus geritur, his ministris impletur, quidquid quotidie concupiscentia, ambitione, avaritia ardet in sæculo. Quare utraque sunt vana: quia et cordis exaltatio nullos fructus invenit, et oculorum extollentia de alio in aliud elata, quidquid viderit, mobilitate fugaci statim deperdit.

IV. (10) Dehinc sequitur: *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilius super me* (*Ps.* cxxx, 2). Magna eloquia Dei sunt; ipse mirabilis in excelsis. Cum in periculis esset, si in his Propheta non (11) ambularet, quomodo bonum insuper sibi opus assignat ab illis recedendo, in quibus oportuerat ambulari? Prioribus, fratres, posteriora respondent: de rebus enim loquitur sæcularibus. In magnis et in mirabilibus se C dicit non ambulasse, utique non Dei, sed in illis quæ magna ab hominibus hoc putantur in sæculo. At cum addidit, *Super me*, ostendit numquam se elatum fuisse, cum posset: nulli enim facilius efferuntur, nisi quos inopinati honoris culmen extollit. (12) David quippe humilis, **73** abjectus, ignobilis sui jacebat in domo

(3) Ariani quidem hic innuuntur; qui enim philosophi nomine et cultu mutato suas scholares calumnias, seu deceptiones et argutias in scholis philosophorum genitas in Ecclesiam transtulere, Ariani profecto sunt et horum tractatibus cum quæreretur fides, ut tract. i, num. 2, et alibi Zeno tradidit; verum fiebat quod si cui cum istis libuisset insanire, *Deus illi non colendus esset, sed quærendus*. Paulo post in iis verbis, quæ ad Ecclesiam referuntur, *quasi permota sit somniis*, verbum *sit* abest a mss. Tolent., Pomp., Sparav., Zenonian. et edit. Venet., sed perperam.

(4) A mss. Pomp. et duplici Zen. præpositio *a* D abest.

(5) Eadem plane est interpretatio in tribus Gaudentii codicibus Serm. 11, p. 140, edit. Patav. an. 1720, quam Paulus Galeardus, canonicus Brixianus, curavit. Vide ibidem annot. 3.

(6) Apud Hilarium: *Optimum enim sacrificium Deo cor contribulatum. Non cor secundis rebus efferendum est, sed Dei metu intra mansuetudinis fines humilitate cohibendum.* Hæc prima et potior, quam Zeno imitatus est Hilarii sententiam, quæ tamen non omnino ad verbum descripta dici potest. Post pauca in tractatu Zenoniano, ubi legitur *ipse nos pio*, ms. Pomp. habet *ipse pio: hortetur* autem pro *hortatur* ex eodem ms. scripsimus.

(7) In Bibliotheca Patrum, et exinde Desiderius Heraldus in animadversionibus ad librum II Arnobii pag. 113, pro *ejus* legit *vis*, quam vocem si ms. probarent, textui inseruissemus.

(8) *Hominem suscipere* pro humanitatem suscipere plures Patres ante Nestorii hæresim dixere et nonnulli etiam post, de qua formula satis præfati sumus dissert. II, c. 3.

(9) Edit. Patav. repugnantibus mss. et cæteris editis, *in visu*.

(10) Hic alter est locus, in quo auctor Hilarium, aliis tamen plerumque verbis aliaque syntaxi, imitatus videtur; sic enim apud Hilarium: *Dehinc sequitur: Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me. Magni periculi res est, si in modicis ambulamus, et si non in mirabilibus demoramur. Magna eloquia Dei sunt; ipse mirabilis in excelsis est: et quomodo tanquam bonum opus de se propheta præfert, quod in magnis et in mirabilibus non ambulet?*

(11) Contextus persuasit, ut *ambularet* scriberemus ex ms. Tolent. et edit. Patav. cum in cæteris et mss. et editis legatur *ambulet*.

(12) Tertiam hanc sententiam ita effert Hilarius: *David enim et propheta et rex, erat humilis antea et abjectus, neque convivio patris sui dignus, sed Deo complacuit: unctus in regem est, aspiratus est in prophetam. Non insolescit in regno, non odiis commovetur, persequentem se amat, inimicorum mortes honorat, incestuosis et parricidalibus filiis parcit. Imperator contemnitur, pater læditur, propheta vexatur: ultionem non ut propheta orat, vindictam non ut pater sa-*

Digitized by Google

patris, oves semper pascendo, propemodum peregrinus, innocens cum innocentibus deputatus. Hic placuit Deo, unctus in regem, spiratus in vatem : non insolescit in regno : (13) obumbrat neminem prophetæ terrore : injurias suas non exsequitur regia potestate : odientes se diligit : inimicis (14) parcit : parricidalibus filiis ignoscit : persecutorem suum, et, quod magis est, regem aliquoties a Deo in manus traditum sibi, mavult semper timere quam occidere : inverso gratus officio, Deo, Dei munus retinendo, placiturus. Rex mansuetus, pater pius, propheta modestus, totum potest, a toto dissimulat, magnis ac mirabilibus sæculi non immutatur, mitem humilemque retinet ubique pastorem.

V. Post adjecit : *Si non humiliter sentiebam, sed exaltari animam meam.* Videamus ne forte Propheta ipse se impugnet exaltando animam suam, qui cor suum se non exaltasse gloriatur. Non sibi repugnat, sed ostendit animæ esse sublimitatem superiora vicisse, quia, qui se exaltaverit, humiliatur, et qui se humiliaverit, exaltatur (*Matth.* XXIII, 12) : animæ enim depressio cor elatum est : cor cohibitum promotio est animæ. Hujus rei testes sunt nobis duo homines propheticum (15) carmen suis actibus exponentes, Pharisæus et Publicanus Dei stantes in templo (*Luc.* XVIII). Pharisæus insulse manus tendit in cœlum, quæ cædis sæpe, sæpe ministræ sunt rapinarum. Oculos impudenter extollit, quorum lenocinio mundus infelix est. Intonat lingua, (16) caret quæ numquam veneno **74** serpentis ; et quod omni est majus insania, Deo se laudat. Publicanus autem non (17) membratim Deum, sed totus exorat, quia timore totus est humilis, sua peccata contestans, secundum Domini dictum (*Matth.* XV, 19), (18) a quo procedunt universa genera peccatorum, pectus crebro percutiens, quodam modo cor suum manu verecunde castigat, postulatque tantum veniam delictorum taciturnitate, non voce. Quorum quis quid sit consecutus accipite. Qui totum sibi ipse promiserat, inanis, qui nihil præsumpsit, justificatus de templo discessit. (19)

TRACTATUS VIII.

De (1) *Timore.*

I. Timoris quidem, fratres dilectissimi, vocabulum est unum, sed accedente ratione timor discernitur a timore ; fiunt enim duo : unus Dei, alter, qui naturæ sit : naturæ, in homine nascitur, Dei (2) autem et discitur et docetur : quia non in trepidatione, sed in doctrinæ ratione consistit ; sicut scriptum est : *Venite, filii, audite me : timorem Dei docebo vos* (*Ps.* XXXIII, 12). (3) Naturalis ergo non discitur, sed impulsu nobis **75** nostræ infirmitatis occurrit : (4) quia non artis est timere, quod metuas : metuis autem, quod tibi nolis accidere. (5) Existit quippe diversis ex modis, cum aut exæstuat aliquo reatu conscientia : aut cum hostilis imminens manus gladio salutem premit : aut cum (6) viantis itineri erectus in morsum, ardentibus squamis incensus, tumidus sese anguis opponit : aut dorsa fugientis, affectans cæ-

mit, contumeliam non ut imperator exsequitur. Viden' quanta apud Zenonem et verborum et styli mutatio ?

(13) Hic locus Sparaverium turbavit, qui legere maluisset, *neminem profecto terrore ; obumbrat* vero quid sit, se non assequi professus est. At Zeno aliis verbis exprimere voluit illa quæ recitavimus ex Hilario, *ultionem non ut propheta orat ;* unde *prophetæ* nomen haud quaquam est immutandum. *Obumbrat* autem *terrore* est terrore circumfundit, terrorem ingerit.

(14) Mss. Urb., Zen. et Pomp., *pepercit.* In hujus postremi margine emendatum *parcit*, quod in cæteris mss. et editis legitur.

(15) *Carmen propheticum* vocatur psal. CXXX, de quo hactenus sermo factus fuit.

(16) Edit. Ven. et ms. Pomp. *caretque*, sed male, cum non ad *Pharisæum* referatur sententia, sed ad *linguam*, quæ idcirco numquam carere dicitur veneno serpentis, quod serpentis lingua in Evam virus transfuderit : quo si spectare credantur hæc Zenonis verba (ut probabile quidem videtur) jam placebit Sparaverii emendatio, qui in superiori sententia pro *in flore* supponendum censuit *infelix*, ac si S. Antistes Evæ culpam respexerit oculorum lenocinio promotam, ex qua mundi infelicitas derivata est. Ita sane scripsimus in textu, cum τὸ *in flore* æquum sensum non reddat. Syntaxis porro *caret quæ* Zenonis propria, ut tr. III, n. 2, *utræque cujus exaggerare opulentiam*, tr. IV, n. 5, *quavis versutia qui fallitur numquam*, etc.

(17) Id est non solis manibus in cœlum sublatis, non oculis et lingua tantum, ut Pharisæus animo superbe sentiens factitabat, sed toto et corpore et spiritu Deum sibi propitium humiliter precabatur.

(18) Relativum *a quo*, non ad *Dominum* refertur, sed ad *cor*, posterius licet nominatum, *a quo* quidem *secundum Domini dictum* (*Matth.* XV, 19), *exeunt cogitationes malæ*, etc. Itaque hic locus sic construatur : *Percutiens crebro pectus, manu verecunda castigat quodam modo cor suum, a quo secundum Domini dictum universa genera peccatorum procedunt ; et postulat*, etc. Textus rara syntaxis cum aliena ab Hilario est, tum perspicue Zenonem præfert. Paulo post *omnia* pro *universa* in ms. Urbin.

(19) Ms. Pomp. addit *Amen.* In ms. autem Rem. hæc clausula præterea legitur : *Explicit de humilitate tractatus S. Zenonis feliciter.*

TRACT. VIII. — (1) Ex Hilarii commentario in psal. sententiæ a Zenone in hunc tractatum conjunctæ sunt, alio tamen ordine et locutione plane Zenoniana, quæ quantum ab Hilarii stylo distet, ex ipsa comparatione sententiarum, quæ ex Hilario subjecturi sumus, quisque facile intelligat.

(2) S. Hilarius post recitatum versiculum psalmi : *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos*, hæc subjicit : *Discendus ergo timor est, quia docetur ; non enim in terrore, sed in ratione doctrinæ est.* Hinc Zeno præsentem sententiam alium in locum translatam derivavit.

(3) Hilarius ante memoratum psalmi versiculum similia habet ; de timore enim naturali loquens, ait : *Hic ergo timor non docetur, sed ex naturæ infirmitate occurrit.*

(4) Duplex membrum quod sequitur duobus sejunctis locis apud Hilarium effertur, primum sic : *Neque enim quid timendum sit discimus*, alterum vero sic : *metuentis est id perpeti, quod sibi nolit accidere.*

(5) Pressius apud Hilarium : *Existit autem et commovetur in nobis de reatus conscientia, de jure potioris, de impetu fortioris, de ægritudinis casu, de feræ occursu, de omnis mali passione.* Quanto lucidentius hæc omnia explicantur a Zenone, et stylo quidem, qui vividum auctoris ingenium palam refert.

(6) *Viantium* apud Sclinum, cap. 42, et Appuleium, Floridor. initio.

Digitized by Google

dem, vicino fremitu ferina rabies onerare tentaverit : vel cum amissis gubernaculis inter compugnantes fluctus ac flatus gemens parturit carina naufragium. Inter hæc omnia deterior est conscientiæ timor, quia, quæ diximus et alia his similia, cum (7) passibilitate sui transeunt : timor conscientiæ non deletur.

II. Nunc videamus intelligendum quemadmodum nobis sit, Propheta quod ait : *Beati omnes qui timent Dominum* (*Ps.* XII, 1). Si omnes qui timent Dominum beati sunt, non beatus est nullus : quia nulla gens est, nulla sunt pecora, animantium denique nulla natura, quæ non timeat Deum. (8) Cum gravamur rumpentibus sonis, concussis undique cardinibus; cum præter morem terrifico fragore intonans concrepat cœlum; cum inter cæcas pinguibus conductas nubibus tenebras, crebræ micantes curvis ignibus flammæ intercepti diei lumen (9) incunctanter assimilant; cum ardent plura fulminibus; cum terra vel tremit, vel hiatu se recipit in se; nullus hic beatitudinis locus est, ubi non devotionis, sed necessitatis est, quod timetur. Itaque audiamus Scripturam, quid dicat, cujus ista sunt monita : *Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus postulat a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in omnibus viis ejus, et diligas eum, et custodias præcepta ejus ex toto corde tuo et ex tota anima tua*, (10) *et bene sit tibi* (*Deut.* X, 12, 13)? Videtisne **76** hunc timorem nobis necessarium? (11) qui in Dei amore consistit; qui voluntate sua se parit; divinæ legis agnitione construit decorem; ad omnia genera virtutum intrepidus (12) corrigit; præceptis omnibus fideliter obtemperat; inchoatus innocenter vivit; justitiam percolit; sine fine studet timere, ne quid præter Deum, quem diligit, timeat.

III. Denique hujus suffragio Daniel (*Dan.* XIV) populis terribilem inermis draconem necat, leonibus objectus in periculo prandet, qui solet extra periculum jejunare. Et Jonas timens Dominum spontaneum non timet adire naufragium (*Jon.* I, II) : ceto inhiante miserabilius sepelitur quam præcipitatur, et tamen litus, quo tendebat, invenit antequam videat, felix magis sepulcro, quam navi. In oratione mons tremit : monti, non apostolis trepidatio est. Petrus æstu marino fertur non naufragus, sed viator (*Matth.* XIV, 29, 30) : timet profundum intercipere non timentem : nec tamen in toto dissimulat, ne per mare pedibus se ambulasse non credat. Adversus (13) Theclam accusator acerrimus linguæ exserit

(7) *Passibilitate* scripsit Arnobius, lib. II, pag. 62.

(8) Aliquid simile habet paucis item verbis Hilarius. *Nam si idcirco Deus timendus est, quia plura fulminibus arserint, tonitru prostrata sint, terræ nunc motu conciderint, nunc hiatu recepta sint, nullum fidei meritum in timore est, qui ex terrore accidentium commovetur.* Conferatur nunc Zenonis et Hilarii locutio, et quis utrosque non plane distinguat, nisi is cui non dicam vel Hilarii vel Zenonis stylus sit plane ignotus, sed legendi et intelligendi facultas desit?

(9) Tres mss. *inconstanter* scribunt.

(10) Ms. Pomp. *ut bene;* et post pauca *nobis necessario necessarium*, quod item legitur in ms. Vat.

(11) Quæ hic S. Zeno una periodo commemorat, duplici et breviori Hilarius sic : *Nobis autem timor Domini omnis in amore est, non in metu. Dilectionis autem nostræ hoc proprium officium est, parere monitis, statutis obtemperare, pollicitis confidere.*

(12) Ita mss. et editi quos vidimus. In sola edit. Patav. pro *corrigit* scriptum fuit *pergit;* qua autem auctoritate, latet. *Corrigo* autem idem quandoque est ac *dirigo*, cum quid minus rectum, vel in obliquum tendens dirigitur. Sic Plinius, lib. VII, c. 20, *digitum corrigere.* Seneca in ludo de morte Claudii, pag. 45, *curva corriget.* Augustus, apud Macrobium, Saturnalium II, 4, causidico gibboso petenti, ut se corrigeret, si quid male dictum excidisset, per jocum respondisse fertur : *Ego te monere possum, corrigere non possum.* Forte etiam legi posset *corripit* pro sese celeriter recipit.

(13) Hunc locum affert in Annalibus Cardinalis Baronius ad an. 47, num. 8, ut ostendat acta S. Theclæ, quæ nunc circumferuntur, eadem esse ac quæ S. Zeno legit, eaque proinde esse diversa ab illis quæ a quodam Asiæ presbytero, ipso convicto et confitente, constructa et nomine Pauli edita Tertullianus commemorat, quæque Gelasius inter apocrypha retulit. Sed cum nihil affertur, quod hæc ab illis differre persuadeat; tum vero S. Zenonis auctoritas (adde etiam et Ambrosii, qui inter Occidentales ejusdem rei facit sæpe mentionem, præsertim lib. II, de Virgin., num. 30) non omnino convincit. Nam Patres *id quoque* ætatis, imo etiam antiquioris, non numquam apocryphis usi sunt, ut patet inter cæteros de S. Ignatio martyre et Papia Hierapolitano, quorum primus, in epist. ad Smyrneos num. 3, locum allegat Evangelii juxta Hebræos, alter vero, in libris de Interpretatione oraculorum Domini, ab Eusebio laudatis lib. III, cap. 39, historiam quamdam ex eodem Evangelio explanavit : de Zenone vero ipse fatetur, Baronius in Apparatu ad Annales, num. 7, obstetricis fabulam tract. 8 lib. II, memoratam ex apocryphis eum hausisse, de qua suo loco plura annotabimus. Illud potius observare malumus, quod etsi Tertulliano teste, de Baptismo c. 7, Asiaticus ille presbyter, Joan. apostolo adhuc vivente, scripturam memoratam construxit, unde ab eodem apostolo de gradu motus fuit; tamen non idcirco quidquid de S. Thecla ibidem narratur, totum fictitium esse convincitur, sed aliqua tantum, quæ a Tertulliano et Hieronymo in ea scriptura notantur. Neque enim credibile est illum presbyterum eo stultitiæ devenisse, ut sub finem primi sæculi, quo vixit, vel sub initium secundi, tam celebre Theclæ martyrium ausus sit totum confingere, nihil metuens quin fictionis reus a quopiam convinceretur. Adde quod vix de quopiam martyre tam frequens et antiqua in Græcis præsertim Ecclesiis mentio, quam de S. Thecla, ut videre licet ex pluribus testibus quos Joan. Ernestus Grabius allegat, tom. I Spicilegii Patrum sæculi primi, in annot. ad acta Theclæ. Credibilene est tantam in ecclesia S. Theclæ celebritatem cultumque primis quoque sæculis exstitisse, si quidquid de ea traditum est, id totum ab Asiatico illo presbytero, et publice quidem per Joan. apostolum eam ob causam damnato, confictum fuisset, quod commentum ex tam solemni damnatione omnibus patere debuerat; et non potius cognoscendum est, Theclæ personam et martyrium non omnino fuisse conficta, sed vera esse pleraque, quæ de illa traduntur, iisque Asiaticum presbyterum usum, *scripturam de periodo Theclæ et Pauli* construxisse, in qua veris falsa quædam inseruit a Joan. apostolo reprobata. Quidquid id est, nulla de S. Theclæ martyrio acta exstitisse videntur præter illa quæ a memorato presbytero lucubrata fuere, unde et istorum tantum habemus præter Græcum textum antiquissimam interpretationem latinam, quam ex Bodleiano codice laudatus Grabius edidit. In hac quidem, sicut et in græco textu, continentur quæcumque de ipsa martyre afferuntur a Patribus

Digitized by Google

77 gladium : cum suis sibi ministris publicæ leges insaniunt : stimulis acuitur (14) feritas in ferocitatem, et tamen hominibus mitior invenitur. Ne quid scenæ tam diræ humanitatis deesse videatur, immittuntur etiam (15) marina monstra : (16) laciniis omnibus spoliatur puella, (17) vestitur incendio. Inter tot instrumenta mortis, spectatore 78 metuente, secura calcat genera universa terrorum : incolumis, quasi orbe subacto, de illo feralis (18) caveæ jam non miserabilis, sed miserabilis funereo ambitu excedit, victi sæculi triumphum reportans, quam tot suppliciis omnes crediderant perituram. O necessarius timor! qui nihil aliud agit, nisi ut beatos efficiat : qui timet arte, non casu ; voluntate, non necessitate ; religione, non culpa : qui Deum metuit, non naturam. Vultis scire, cujus proprietatis sit? omnes timores, quoscumque invaserint, incremento conficiunt : hic solus ad hoc crescit, ut immortalem, quem possederit, faciat.

TRACTATUS IX.

De (1) *Avaritia*. I.

I. Nec singulare, nec (2) frivolum crimen est, fratres, vel maxime christianum cupiditatis compedibus alligari, profundæque noctis feralibus tenebris obcæcatum miserabiliter ad ima deferri. Sed quia inexstinguibilis pestis incendio totus mundus exarsit ; avaritia, 79 ut putatur, crimen esse desiit, quia neminem, qui se possit arguere, derelinquit : omnes enim passim furore insatiabili turpes præcipitantur in quæstus : nec quisquam prorsus inveniri potest, qui ei saltem vel uno momento justitiæ frenos imponat. Inquieta semper exæstuat, sævit, pugnat, rapit, congregat, servat, sui tenax, appetens alieni, non suo, non alieno, non ipso orbe contenta : totum possidet, et de inopia queritur semper. Denique ad sua numquam pervenit vota. Quantum fuerit auctior, fit tanto miserior : (3) expers otii, expers satietatis. Per fas atque nefas, artibus multis, modis ac versutiis armata bacchatur, salutis suæ alienæque contemptrix : solum metuens ne desit ulli quod radat. Inde est, quod universæ nationes mutuis cadunt per momenta vulneribus : concussæ gemunt urbes : deleta rura respirare non possunt : maria plus prædonibus sæva sunt quam natura. Obseratæ gladiis viæ humano cruore pinguescunt : testamenta hæredes incognitos ex sese recitari mirantur : (4) amicæ sub fallacia manus innoxias animas secure conficit ebibita veneni tempestas : sepelitur nova odii rabie antequam nascatur matris jam non in utero, sed sepulcro incognitum (5) pecus, quod legitimam nec

(qui a reprobatis tamen abstinent) exceptis paucis, quæ in aliam rationem a Zenone recensentur, ut ex subjectis annotationibus patebit ; quæ nihilominus non tanta esse videntur, ut proinde alia olim exstitisse S. Theclæ acta cum Baronio sentiendum sit : hæc enim genuina potius quam corrupta Asiatici presbyteri acta et illorum citius, quam istorum interpretationem ad posteros antiquitas transmisisset.

(14) *Feritas hominibus mitior* dicitur, quippe quod Thecla bestiis tradatur objecta quidem, at *videres quadam naturæ transfusione*, ut Ambrosius præclare explicat loco laudato, *homines feritatem indutos sævitiam imperare bestiæ, bestiam exosculantem pedes virginis docere, quid homines deberent*.

(15) In perantiqua actorum Theclæ interpretatione, apud Grabium, t. I, p. 125, post descriptam martyris de feris victoriam hæc subjiciuntur : *Et tum complures bestias dimiserunt ei. Illa autem extensis manibus orabat Dominum, et cum consummavit orationem, convertit se, et vidit piscinam magnam plenam aqua, ubi erant bestiæ marinæ, ad quas cogitabant mittere Theclam*. Narratur autem Theclam sese in eam aquam immisisse, ut in illa baptizaretur, et monstra nihil obfuisse, quod cœlesti fulgore necata fuerint. Hæc marina monstra in Græcis actis φῶκαι, *phocæ*, vocantur, id est vituli, vel canes marini, qui in aqua natabant. Hoc primum Zenonianæ narrationis discrimen ab actis, de quo alii judicent.

(16) *Laciniis* hoc loco pro *vestibus*, uti penes Appuleium, lib. I Met., *Unam e duabus laciniis meis exuo*.

(17) Quod dicitur *vestitur incendio*, si incendium illud significat, quod in Theclam accensum antequam hæc feris objiceretur, acta præferunt, S. Zeno narrationis ordinem præterivit. Si vero illud incendium innuitur, quod postremo in certamine taurorum funes accendisse in actis traditur, servatur quidem a Zenone rerum ordo, sed incendium ejusmodi haud tantum fuisse ex actis colligitur, ut Theclam velare potuerit : quod alterum Zenonianæ narrationis discrimen est.

(18) *Caveam* significare non solum septum, quo aves vel feræ clauduntur, nec non graduum seu subselliorum ordines sive in theatro, sive in amphitheatro, in quibus auditores vel spectatores sedebant, unde primæ, secundæ, et tertiæ caveæ occurrit sæpe mentio ; sed significare etiam ipsum amphitheatrum, vel imam amphitheatri partem, ubi S. Thecla leonibus objecta excessisse traditur, ex hoc Zenonis testimonio colligimus. *Caveam* quidem pro *arena*, in qua gladiatores pugnabant, Tertullianus usurpat in Apolog. cap. 15, et in libro ad Nationes, cap. 10, ac *utramque caveam* commemorat in libro de Spectaculis, cap. 30, et distinctam quidem *a circo* et *stadio*, theatrum procul dubio, et amphitheatrum eo nomine appellari solitum innuit Salvianus, lib. VI de Guber. Dei, pro amphitheatro aperte accipit, et de hoc sane Zenonem loqui inde potest cognosci, quod caveæ *ambitum* nominet, qui nonnisi amphitheatro congruebat. *Theatrum* nihilominus appellat antiquus auctor homiliæ de Cæco nato, editæ tom VIII S. Joan. Chrysostomi, in Appendice, pag. 63 : *Quid primæ martyri Thæclæ nocuit nudam in theatro certare?* In antiqua vero actorum versione, qua in parte Græcus textus deest, pag. 108, *amphitheatrum* et *cavea* et *arena* memorantur. *In amphitheatro posita est, in cavea in qua erat leæna sævissima, et introivit in arenam pompa spectaculi*. Amphitheatrum quoque vocat Cyprianus, Anthiochenus, in appendice Cyprianica, p. 30.

TRACT. IX. — (1) Hæc manuscriptorum et editorum inscriptio præter edit. Ven., in qua sic legitur : *De avaritiæ et cupiditatis detestabili vitio*.

(2) Ms. Rem., *fribulum*. *Frivolo* tamen legimus tract. X, num. 1, sine ulla variante lectione. *Fribolum* apud Isidorum lib. X, cap. 8, singulari prorsus significatione, quæ antiquiorem auctorem non habet. Utroque autem Zenonis loco sumitur pro levi, inani, fragili, futili et nullius momenti, sicuti apud Plinium, lib. VII, cap. 7, *frivola origo*, apud Suetonium, in Nervæ vita cap. 12, *frivolum auspicium*.

(3) Ms. Pomp., *et expers*.

(4) Legebatur *amica* : at corrigendum *amicæ*, ut referatur ad *manus* sententia persuasit.

(5) *Pecus* heic accipitur pro *fetu* in matris utero concepto, cui potione aliqua mors inferatur.

Digitized by Google

mortem potuit sentire, nec vitam. Recte igitur Apostolus ait : *Radix omnium malorum est avaritia* (I *Tim.* VI, 10) : hac enim matre eademque magistra, universa quæ diximus, sed et alia multa, imo omnia undique sine pausa, quæ scaturiunt, mala nascuntur atque concelebrantur, quæ condemnare falso humanitas gestit : (6) camelum enim glutiens, culicem liquat, rejicit stillas criminum, et avaritiæ, unde criminum fluenta funduntur, ebibit fontem.

II. Huic non jura, non leges, non honor ullus obsistit; quia quidquid aut emitur, aut distrahitur, liberum non est : non nobilitas, quia per hanc credit, hanc excolit, per hanc hoc sibi nomen invenit : non sanctitas, non munitio, quia nihil est tam sanctum quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit : non necessitudo sanguinis, non amicitia, quia non suo merito **80** sed auri, argenti facultatumque beneficio quis aut amatur, aut odio est. Denique hæc est causa, quod fratrum pia nomina plerumque magis gladiis amica videmus esse, quam sibi : quod parentes opulenti, abolita sui nominis sanctitate, filios suos non sine utriusque dedecore patiuntur errare stipi (7) triviali subjectos : quod liberi parentum vitam sua damna judicantes, injecta violenter manu (8) ipsi naturæ, invasis hæreditatibus ante tempus, parentes suos compellunt vivere miseriæ facultatibus mori. Proh nefas! Quid tibi tua tollis infelix? Quid extraneo facias, qui in te avarus es? O detestabili detestabilius malum! invicem dum exspoliant, persequuntur, fallunt, hostes probant, prædones laudant, latrones excusant, nec sui umquam venit in mentem non esse humanæ potestatis crastinum diem (*Luc.* XII, 20), ac ne ipsum, quo res agitur (*Jacob.* IV, 14) ; quia quod volvitur semper, in momento quid afferat, dubium est. Sed (9) oculis patentibus cæci (*Luc.* XII, 18) dilatant horrea, (10) terras angustant, jungunt saltibus saltus, et si orbem totum possideant, fines oderunt : illicitum putant habere vicinum. (11) Construunt prædia, sepulcra defodiunt, timent omen qui non timent mortem. **81** Sic sic interempti

(6) Proverbium est apud Patres usitatum, ut videre licet in Lucifero Calaritano, lib. II ad Constantium pag. 209 tom. IV Biblioth. PP. edit. Lugdun., et in Hieronymo in caput VII Matth., tom. VII edit. Ver., pag. 38, et in cap. XXIII, pag. 184.

(7) *Triviale* proprie est, quod in triviis geritur, vel ad trivia quodammodo pertinet. Hinc Quinctilianus, lib. I, cap. 4, grammaticam *trivialem scientiam* vocat, quia in triviis discebatur. *Stipi* igitur *triviali* dictum est, propterea quod in triviis potissimum populo frequentioribus mendici stipem quærerent : unde Appuleius, lib. I Met., pag. 44, *stipes in triviis erogatas* memorat. Heic autem S. Zeno notat quorumdam patrum avaritiam, qui ne filios alerent, eos stipem in triviis emendicare cogebant.

(8) Ms. Tolent., *ipsi immaturæ invasis ;* Urbin., *ipsi etiam naturæ invasis.*

(9) Ms. Rem., *oculi parentibus.*

(10) Idem ms. *testes angustant, urgent saltibus saltus. Urgent* quoque in mss. Tol. et Vat., *Terras* pro *testes* ex quinque mss. et editis scripsimus : *jungunt* pro *urgent* ex tribus mss. et editis. Sententia commodior hanc scriptionem suasit. Paulo post ms. Urb. *possiderent* pro *possideant.*

(11) Ms. Rem., *Construunt prælia, sepulcra detinent, omnemque non timent mortem.* Similiter in codicibus Tol. et Basilicæ Vaticanæ *prælia* pro *prædia*, quæ lectio si genuina esset, avaros illos spectaret qui agrorum suorum fines protendere cupientes, vicinorum agros usurpare nituntur, et in eam rem *construunt* non *prædia*, sed *prælia*, quæ sæpe ob fines usurpatos committuntur, et *sepulcra detiment*, id est, minus timent, vel spernunt (*de* enim præpositio in compositis minuendi sæpe vim habet, ut *detumescere, detonare*, etc.) *omnemque mortem* hæc ob prælia civilia subire *non timent* : et huc quoque referenda essent sequentia : *Sic sic interempti plerumque jacent canibus*, etc., quod in civilibus illis, seu rusticanis præliis, pro agrorum finibus excitantur, *plerumque* sane contigisse luculenter probat peculiare S. Gregorii Nyssæni testimonium serm. 1, *de Oratione*, ubi avaritiæ quidem effectum describens, ait : *Agricola agriculturam necessariis usibus non metitur, sed ad plura studium semper intendens, dum alienis finibus usurpandis suos agros latius profert, magnum aditum peccato adversus illud studium atque institutum vitæ patefacit. Unde sedatu atque compositu difficiles oriuntur contentiones et lites, de finibus agrorum inter se mutuas controversias excitantibus iis, qui simili avaritiæ morbo tenentur. Hinc iræ, hinc impetus ad malum, hinc aliorum adversus alios conatus a sanguine et cæde sæpe numero initium sumunt.* Quid illustrius, ut trium codicum antiquissimorum lectio *prælia* in memoratam sententiam confirmetur? Adde præterea, quod non satis apparet, quomodo frequentes interemptiones sepulcrorum effossoribus, quorum vulgata lectio meminit, *plerumque* evenerint, quibus etsi ea de causa mortem romanæ olim leges inferebant, non tamen eorum corpora feris alitibusque earumdem legum præceptione tradita feruntur. Imo vero illud supplicium humilioris tantum conditionis hominibus olim decretum Leg. 11 tit. XII lib. XLVII, D. Zenoniano ævo jam fuerat sublatum, morte in pecuniariam multam commutata Leg. 2, tit. XVII, lib. IX, Codicis Theodosiani. At cum in hac Remensi lectione nonnulla insint, quæ a Zenonianæ locutionis proprietate ac puritate abesse videntur, cumque in hujus Zenoniani sæculi legibus tit. XVII lib. IX laudati Codicis frequens occurrat eorum reprehensio, qui sepulcra *demoliuntur*, Leg. 1 ejusdem tituli; *dejiciunt*, Leg. 2; *subvertunt*, Leg. 3; *destruunt*, Leg. 4; quæ idem sunt ac apud auctorem *defodiunt :* vulgatam lectionem, quæ cæterorum item est codicum, nihilum immutandam credidimus. Sermo itaque hic est de illis, qui avaritiæ studio sepulcra defodiebant, vel ut agros suos dilatarent (sepulcra enim agrorum partem occupabant) vel, quod præsertim reprehenditur in laudatis Codicis Theodosiani legibus, ut sepulcrorum columnas, marmora cæteramque ædificationibus utilem materiem aliis venderent, vel in proprium usum transferrent. De *omine* autem quod additur, Heraldus, in Animadversionibus ad Arnobium, pag. 100, mendum hic latere judicat : *Legendum enim dubio procul*, inquit, *timeant omen, qui non timent mortem; id est si mortem non timent, qui talia agunt, saltem omen timeant; nam sepulcra cum defodiunt, omen sibi faciunt detestandæ post mortem sortis, et in ipsis Zenonis verbis omen inest*, quasi ex deffossis aliorum sepulcris, quo fiebat, ut aliorum ossa et cineres dispergerentur, id omen esset ejus, quod quidem id generis hominibus accidere, quacumque de causa, solebat, ut interempti sine tumulo essent. At cum *omen* ex idololatriæ superstitione, quam Patres exsecrabantur, originem duceret; haud credimus S. episcopum ejus ominis metum, etsi per ridiculum, voluisse præcipere. Igitur *timent omen* reliquimus, uti est in editis et mss. omnibus : et forte innuitur quædam defossorum ejusmodi excusatio, quod ex sepulcrorum propinquitate *omen* mortis metuerent, cum cæterum re ipsa mortem obire timerent nullam. *Sic sic* repetitio Zenoni familiaris (ut videre

Digitized by Google

plerumque jacent canibus, alitibus, ferisque donati, ubique dispersi, utrobique deperditi, semesis ossibus, etiam suis carnibus nudi. Conspicite rem avaro condignam. Ille ille, amplum qui habuit censum, exiguum non habet tumulum, quos Propheta egregius hactenus increpat dicens : *Quid profuit nobis superbia ? aut quid divitiarum ambitio contulit nobis ? transierunt ista omnia tamquam umbra* (*Sap.* v, 8, 9) : Sed et Dominus ipse dicit : *Quid prodest unicuique lucrari mundum et animæ suæ pati detrimentum* (*Matth.* xvi, 26)?

III. I nunc, insatiabilis homo, et in detestabilis congestionis lucra letifera etiam ipsa elementa novis artibus coge. Licet radient tibi pretiosorum lapidum discoloribus formis referta penetralia, gemat terra sub pondere argenti, auro ardens tota domus pugnet sua flamma cum Sole, honorumque exinanitus a te gradus non inveniat, (12) quid **82** tibi præstet; meminisse tamen debes, quia mors non timet nec divitias, nec honores. O cæca mens hominum ! quam varie, unam tamen contendit in mortem, pauper, cum opes inferiliciter quærit, quas feliciter non habet, dives, cum divitias putat se non habere, quas habet ; in uno (13) nititur avaritia, bacchatur in alio, in utroque crescit, in utroque non desinit. Verumtamen eos uno momento exigua humus et peræquat et (14) satiat, quod cum tota ambitione sua non potest aurum.

IV. Hinc unus pecuniam suam tanquam (15) hamum proponit, ut facultates ad se attrahat alienas, quam peregrinantem ferali supputatione nutrire non desinit, ut summam quærat, non quam commodatio dedit, sed quam ei (16) pepererint armati numero (17) dies, (18) menses, **83** et (19) digiti. At plerumque cum sua sibi industria fenerator etiam ipse nudatur, ei cum casu aliquo fraus, inopia, fuga, mors extorserint debitorem : (20) avaritiæ enim naturale est, ut avariorem faciat : plerumque plus (21) tulit avaro, quam præstat : ac sic sæpe contingit, ut merito perdat etiam sua, qui desiderat aliena. Illic alius vias viantibus cludit ; arcet ab herbis, arcet a silvis, arcet ab aquis. Et quidem (22) copiosis vacantibus plurimis, negat hominibus, quod avibus, serpentibus,

est in tract. IV, num. 3, et alibi) ex mss. reddita, cum legeretur *si sic*.

(12) Placuit ex ms. Tolent. *quid*, scribere pro *quod* ; et nisi liberior esset emendatio scripsissemus etiam, *exinaniti a te gradus non inveniant, quid sibi præstent*.

(13) Ms. Urbin., *patitur*.

(14) Ms. Rem., *satiat in hormen, quia cum*. ms. Pomp. et Zen., *satiat in ormen quod cum*. Tandem mss. Tol. et Urb., *satiat in ormen, quum quod cum*. Hæc manuscriptorum concordia in scribenda voce *in hormen* valde movet, ut de ea voce, quam non facile intelligas, ab editoribus abjecta suspicemur. Abundare certe videtur. *Hormum* legitur in Appuleio, lib. x Met. pag. 592, ex Græco ὁρμὴ, quod impetum subitumque impulsum significat, et *hormum canebat bellicosum* dixit pro *classicum canebat* Num huic quoque *satiat in hormen* (quæ scriptura Græcæ magis congruit, quam hormum) est satiat in impetu, seu ictu oculi, ut solemus vulgo dicere ? sed ita in *hormen* idem esset ac *uno momento*, vana prorsus repetitione elatum. Potius facili mutatione scribendum videretur *in eo omne*, ut significetur tumulum uno momento pauperem una, et divitem æquare et satiare *in eo omni quod aurum non potest*. At quo minus hoc inseramus textui, duritiei quædam a Zenoniano stylo aliena in caussa est. Addemus tandem aliam conjectationem. Fortassis posita virgula post verbum *satiat* scribendum est *enorme quod*, etc., ut referatur ad *aurum*, et construendum sit, *quod aurum enorme*, id est quantitatis enormis, *non potest cum tota magnitudine sua*. Similiter quidem *inormi* pro *enormi* in duobus codicibus scriptum legitur tract. LVII, lib. II, et *lucrorum enormitas* pro magno lucri excessu adhibetur tract. X, num. 1. Sed alii feliciores alia meliora conjiciant.

(15) Edit. Ven., *humanum*, alii editi et mss. *humum* : nihil dubitamus, quin legendum sit *hamum*, ut sententia efflagitat.

(16) Hæc locutio fenebris pecuniæ propria : fenus enim a pariendo dicitur, Varrone teste, lib. III de ling. lat. ex quo Gellius lib. VI, cap. 12. *Fenus autem dictum a fetu, et quasi a fetura quadam pecuniæ parientis atque increscentis*. Id ipsum etiam affirmat Nonnius cap. I, qui præterea notavit, fenus a Græcis τόκος appellari ἀπὸ τοῦ τίκτειν, quod est *parere*.

(17) *Dies* nominantur, cum hoc pecuniæ fenebris proprium sit, ut parere incipiat a primo die, quo fenebris contractus stipulatus est, ut animadverterunt S. Basilius, hom. in psal. XIV, tom. I, pag. 139, et S. Ambrosius de Tobia cap. 12. Vide etiam Paulum jurisconsultum, in fin. Leg. 40. Dig. *de rebus creditis*. Hinc lib. XVIII, Cod. Theod., *de lustrali collatione* usura dicitur *crescentis in dies singulos pecuniæ accessio*.

(18) *Menses* videntur memorari, quod usuræ olim fere in menses singulos penderentur, unde Ambrosius de Tob. c. XII : *Veniunt Kalendæ, parit sors centesimam ; veniunt menses singuli, generantur usuræ*. Hinc etiam liber, in quo usuræ solutæ, vel solvendæ describebantur, *Kalendarium* dici solebat, quod Kalendarum dies usuris menstruis solvendis dictus esset. Huc spectant illa Horatii Epod 2 : *Quæret kalendis ponere ;* et Ambrosii c. III : *Kalendis feneratori usuras dabis*.

(19) Cur *digiti* appellentur, indicat S. Ambrosius eodem lib. de Tob. num. 25, inquiens : *Ambobus in digitis usurarum repetitur sæpius calculatio*. Mos nimirum erat digitis uti ad computandum quantum quis deberet ; unde solemnis apud scriptores Latinos formula, *computare in digitos*. Huc pertinet etiam illud Luciani in Gallo prope finem : *Vides hunc quoque curis invigilantem et usurarum rationem iterantem digitis contortis*.

(20) Ms. Pomp., *naturalis est*, in margine autem additur *res ;* ms. Tolent. *avaritia enim naturalis est, ut*, etc. Melius in Urbin. *avaritia enim natura talis est, ut*, etc.

(21) *Ferre* pro *auferre* apud Latinos Scriptores non raro invenies. Virgil, Eclog. IX, 51 :

Omnia fert ætas, animum quoque.

Ovidius, l. I Trist., Eleg. 2 :

Quodque dedit, cum volet, ipse feret.

(22) *Copiis* legendum videtur. Sed si *copiosis* legas, ut in mss. et editis scribitur, *copiosi* intelligendi sunt *divites*, sicut apud Marcellinum lib. XXVIII, cap 4 : *Subsident aliqui copiosos homines.... ad voluntates condendas allicientes*. Divites autem *vacantes* dici videntur, qui divitias otiosas habent ; et sensus est, quod licet plures divites bonis pluribus insidemque otiosis utantur ; *avaritia* tamen *negat hominibus* (utique indigentibus) *quæ avibus, serpentibus, feris non potest denegare*. Id autem ad superiorem, ut apparet, sententiam refertur, qua scriptum fuerat : *Alius vias viantibus claudit, arcet ab herbis, arcet a silvis, arcet ab aquis* ; et notantur illi, qui timentes, ne quid

Digitized by Google

feris non potest denegare. Mera profecto vesania est beneficiis invidere naturæ. Alius inde rerum omnium captat annonam, aucupatur distrahendi tempus, minor in mensura, major in pretio : negat se habere, quod distrahat, ut rogetur, ut jugulet : atque utinam incorrupta species venderetur. Ingemiscit præterea, si annus est sterilis, multo magis, si fertilis fuerit : illic, quia parum distrahit, heic, quia non solus. Vultis scire, quantis sit tenebris obvolutus? irascitur Deo, si non semper fiat publicis luctibus dives. Bene bene, cum quis quærit aurum, invenit gladium.

V. Inter hæc nemo considerat conditionem fragilitatis humanæ, nemo hostem, nemo fiscum, nemo latronem, nemo domesticum, qui cognitione secreti est omnium pejor, nemo imminentes diei judicii flammas, per quas omnes nudi transituri sumus. Solum colitur, de quo dictum est : *Idola gentium argentum et aurum* (*Psal* CXIII, 4; *Psal.* CXXXIV, 15), pro quo quis aut jugulatur, aut jugulat. Vellem scire tamen, tanta ejus rabies quid voluptatis **84** habeat, suo cultori quid præstet? Febrem non exstinguit, morbos non discutit, vulneribus non medetur, dolores non tollit, mortem non repellit, nisi quod sanos occidit : nec manducatur aliquando certe, nec bibitur, nec (23) in inferno cum suo prædone descendet, solum quod oculos infelices inanemque conscientiam ad hoc in maligni fulgoris cupidinem diram spe potiundi præcipitat, ne gratis homo videatur occisus.

VI. Sed nos non ad avaros, sed de avaris sermonem fecimus, fratres : alioquin solis divinis exemplis oportuerat perorare, esset si quis heic talis. Sed quia in vobis fides et pietas, quæ est idonea expultrix avaritiæ, manet atque gloriatur, digni estis universi aurum argentumque non tam habere, quam esse; nam vos estis aurum vivum Dei, Christi vos argentum, vos Spiritus sancti divitiæ, vos, si terrena metalla contempseritis, longe his vitæ vestræ thesaurus. Vobis auro constructa ætheria illa civitas destinata est : nulla intrare volentibus mora : patent duodecim portæ, habitacula præparata sunt infinita, nemo sit de mansione sollicitus. Certæ gloriæ nostræ insignis res erit, si Dei civitatem felicitate nostri numeri fecerimus angustam. Itaque estote securi : nihil in illa deest umquam, nihil ab suo statu aut tollitur, aut declinat : omnia bona, atque perpetua exuberant passim. Certe quod primum est, nemo eget, nemo invidet, nemo furatur, nemo rapit, nemo proscribit, nemo jugulat, moritur nemo : omnes felices, omnes unanimes, omnes immortales, omnes sunt semper æquales : quod unius est, omnium est, quod omnium, singulorum. Vultis scire, quæ illic beatitudo versetur? nemo suam vestem, nemo suas margaritas abscondit, nemo lapides pretiosos, nemo aurum, nemo argentum, et tamen (24) nullus timet furtum.

85 TRACTATUS X.

De (1) *Avaritia* II.

I. Avaritia quam facile arguitur ab (2) omnibus, utinam possit tam facile non amari : est enim artifex ac dulce malum, et hominibus universis semper infestum. Denique non habentibus divitias, habendi injicit cupiditatem : habentibus (3) adimit satietatem. Ita omnes in rabiem una tempestate præcipitat, ut ubinam sit major, ignores. Est autem similis igni arida pabula depascenti, quæ nisi finiant, non finitur. Hanc mediocres fraudibus excolunt, divites (4) impotentia, judices gratia, diserti mercenaria ac duplici lingua, reges superbia, negotiatores astutia, inani pauperes voto, cultores Dei odio simulato, totæ autem gentes universæque nationes gladio. Per orbem totum vesana bacchatur, novis ac variis artibus fervens : nunquam quieta, non die, non nocte, non bello, non pace : nunquam satura : lucrorum enormitate miserior. Novum calamitatis est genus, quod tantummodo crescit, senescere ignorat. Non illam parentum pietas frangit, non dulcedo liberorum, non conjugalis affectus, non cara germanitas, non jus amicitiæ, non tener pupillus, non dura viduitas, non miseranda paupertas, non Dei contemplatio : ecce enim his omnibus, prout potest, variis artibus aut adulatur, aut nocet, si quid habuerint, tantum ut tollat. Cui autem parcat, quæ (5) et mori momentis omnibus, etiam frivolo ac turpi lucro, festinat.

II. Quid igitur miser homo (6) auri argentique metalli incensus vana cupiditate, vana cura torqueris? Quid talentorum magnas strues **86** congeris? Quid heic remansura, pervigil sollicitudine cassa, nec tibi ipsi inde aliquid concedendo, illibata custodis? Insuper

detrimenti capiant in prædiis, vel ea augere cupientes, vias omnibus patentes occupant, vel claudunt sepibus, ex quo fit, ne quis homo herbas tangat, vel sylvas adeat, seu etiam ne aquas in prædiis scaturientes attingat; quod animalibus ipsis prohibere potest nemo.

(23) *In inferno* pro *in infernum* aliis antiquorum probæ notæ Scriptorum exemplis confirmabitur adnot. 7, in tract. XVI, lib. II.

(24) Mss. Rem., Tolent., Vat., Urbin., *ullus non timet ferrum*; ms. Pomp., *nullus non timet portum*; ubi tamen manu posteriori deleta est particula *non*. Edit. Ven., *nullus non timet furtum*. Vulgata lectio sententiæ magis congrua visa est.

TRACTATUS X.—(1) Inscriptio edit. Ven. est hæc : *De Avaritiæ insatiabilitate, et de mulierum superfluo cultu, et maritorum contemptu.* Hunc autem tractatum ab auctore scriptum fuisse post an. 378, latius probavimus dissert. I, cap. 2, § 7.

(2) Mss. Pomp., Urbin., *hominibus*.

(3) Mss. Pomp. posteriori manu inserit *non*.

(4) Edit. Ven., et Ver. cum mss. plerisque, *in potentia*, Ms. Urbin., *potentia*; sed probe edit. Patav., *impotentia* pro *immoderata potentia*, uti apud Velleium lib. II, cap. 29, et ita apud Cornelium in Lysandro num 1, *impotens* pro *præpotente*.

(5) Notantur heic vel gladiatores, qui ob lucrum morti se se objiciunt, vel illi, qui eadem de causa mari cum vitæ discrimine se se committunt.

(6) Legendum videtur *auri argenteique metalli*. In edit. Ven. et ms. Pomp. perperam *metallo*. Paulo post *strues congeris* scripsimus ex ms. Rem. In cæteris et mss. et editis *struis congeries*. Deinde pro *cassa* ms. Urb. *cassas*, Vat. *cassatur*.

Digitized by Google

de inopia quereris, qui, quod habes, nescis. Quidquid feceris, nihil horum tecum ad inferna portabis; quod enim naturæ est, de loco ad locum transferri potest, ei autem subtrahi non potest. Denique aurum argentumque penitus quod eruitur (7) magnopere terræ visceribus, iterum celandum terræ mandatur : etenim res est, quam habere falsum est gaudium, certissimum periculum publicare. Sed non opus est ire per singula; cum uno exemplo noscantur universa ejus mala, Propheta dicente : *Idola gentium argentum et aurum* (*Ps.* CXIII, 4). Unde apparet eum, qui diligit aurum et argentum, non tantum Deos colere, sed eorum mores et actus imitari, cujus rei facilis probatio (8) est. Illa interim, quæ nostra sunt, videamus.

III. Aurum argentumque, (9) Christiane, si vera dicenda sunt, exsecraris in simulacris solis, non in penetralibus tuis; nam et illic aureis argenteisque innumerabilibus veluti templis tereti (10) moneta percussis inesse similiter Regum vultus signaque cognoscis; nihilque aliud distat, nisi quod in tua domo minuta sunt, in templo majora : quæ si erogaveris, pecunia est, si servaveris (11), simulacra. Ancilla Christi falsum idolum respuis : mihi crede, in te colis, cujus ornatum, cujus imaginem non deponis. Ad Ecclesiam Dei opere vario (12) totum inaurata corpus, exsecrabili **87** metallo procedis onusta, ubique delicata, sub (13) monilibus fortis. Denique ipso cultus (14) rigore in oratione non flecteris, non (15) manus tendis, tumidum monilibus pectus prosternere dedignaris. Sane (16) cervicem curvas,

(7) *Magnopere* pro *magno opere, labore,* etc., de quo vide tract. VI, annot. 9.

(8) Legebatur in editis : *est illa, cum interim, quam nostra sunt, videmus.* Ut æquior sensus redderetur, interpunctionem mutavimus, delevimus *cum* ex mss. Rem et Pomp., *quæ* pro *quam* scripsimus ex edit. Ven., nam *videamus* : pro *videmus* sententia postulare visa est probatione, quæ *facilis* dicitur, omissa, transitus fit ad ea, quæ nostra sunt. In ms. Rem. pro *est illa* habetur *et illa.* Forte melius scribendum post *est : Sed illa interim,* etc.

(9) Mss. Pomp. et Urbin. alia ratione hanc sententiam efferunt sic : *Quod, Christiane, si vera dicenda sunt, exsecraris in simulacris, colis in penetralibus tuis.* In Zen. Quoque et in edit. Ven. *non* desideratur.

(10) Nummi aurei argenteique, qui monetæ in quotidianos usus impendendæ inserviebant. *Regum* id est imperatorum vultus habebant insculptos : unde addit Zeno, *quæ si erogaveris, pecunia est.*

(11) *Simulacra* non erant idola quædam vera in nummis sculpta, uti hunc locum perperam accepit cardinalis Baronius in adnot. ad Martyrologium secundæ editionis die 12 aprilis; sed nummos ipsos, qui vultus imperatorum aliaque signa nummis insculpi solita præferebant, simulacrorum nomine Zeno appellat; hi enim si non *erogentur,* ut de monetis fieri solet, sed *serventur,* uti per avaritiam fit *idola* jure vocantur ex illo psal. CXXXIII : *Idola Gentium argentum et aurum,* etc. Ita Zeno avaros idololatriæ reos quodam modo convincit, eademque ratione tract. III, num. 6, *idolum* vocavit vestes pretiosas et ornamenta superba, quæ a quibusdam *pro sacrosancto habentur.*

(12) Antiquarum vestium luxum, auro partim intexto, partim assuto potissimum emicuisse, plurium auctorum testimoniis liquet. Antiquus auctor libri de Bono pudicitiæ in Appendice Cypriani (*nostræ edit. t.* IV, *col.* 826), *auri insuti* meminit. *Pallium auro sparsum* nominat Spartianus in Alexandro Severo, cum tradit hunc imperatorem, ut luxum in auri usu coerceret, præcepisse, ut solæ regiæ matronæ contentæ essent *unico pallio auro sparso et cyclade, quæ sex unciis auri plus non haberet.* Aureis etiam assutis loris, vel fasciis, quas *galloni* nostrates vocant, vestes fulgebant, quæ *paragaudæ auratæ* appellantur in Leg. XI *de vest. oloveris,* unde discimus fuisse *paragaudas* quoque *sericas auro intextas.* Plures autem ex his paragaudis adhibitas patet ex Vopisco, qui vestes *dilores, trilores,* id est binis, ternis, etc., loris, seu fasciis ornatas memorat. Chronicon Alexandrinum mentionem facit *clavorum aureorum,* quibus vestes erant distinctæ. Præter aurum in vestibus micans, aurum etiam e collo et in brachiis fulgebat, ut dicemus adnotatione sequenti et 16. Auro quoque ornata sandalia et crepidæ, adeo ut aureos clavos crepidis subjectos notaverit Plinius *lib.* XXXIII, *cap.* 3, et Valerius Maximus lib. IX, cap. 4. Hinc ergo intelligitur, qui *totum inaurata corpus* femina dici a S. Zenone potuerit.

(13) In editis pro *monilibus* male legebatur *mollibus.* Monile autem colli ornamentum proprie significat, ut liquet ex Virgilio Eneid. I, 658, et Ovidio Metam. X, 264. Late tamen *monilia uno sermone omnia ornamenta significant,* inquit Hieronymus in cap. III Isa., v. 17. Indicat autem Zeno ornamentorum auri præcipue et gemmarum pondus, quo feminæ, etsi *onerarentur,* ut loquitur Ambrosius, lib. de Nabuth cap. 5, num. 23, Gaudentius, tract. 23 p. 101, et Hieronymus in epist. ad Lætham; tamen ei ferendo *fortes* erant, quæ in cæteris delicatæ inveniebantur : unde et auctor operis de Bono pudicitiæ (*nost. Patrol.* t. IV, *col.* 826, Append. Cyprian.) : *Mulieres,* inquit, *ad omnia delicatæ, ad vitiorum sarcinas* (de gemmis et cætero femineo ornatu loquitur) *fortiores sunt viris.*

(14) *Rigor* pro corporis immobili statu; heic autem *rigorem* ex auro, quo feminæ onerabantur, præsertim effluxisse, colligimus ex Lampridio, qui de Severo ait : *In linea autem,* id est interula lini, *aurum mitti etiam dementium judicabat, cum asperitati adderetur rigor.* Lineæ interulæ clavabantur purpura vel auro : has clavi purpurei reddebant *asperas;* unde ipse Severus lineis interulis purpuram adhibere noluit, hanc rationem afferre solitus : *Si lintei idcirco sunt, ut nihil asperum habeant, quid opus est purpura?* aurei vero clavi reddebant insuper *rigidas;* unde idem Severus dementes judicabat eos, qui non contenti asperitate purpuræ, auro præterea utebantur, ut sic ad asperitatem rigor accederet. Huc etiam pertinet illud Virgilii lib. I Æneid. vers. 649 :

Pallam signis auroque rigentem :

ex quo satis rigor auri proprius colligitur. Unde auctor libri de Bono pudicitiæ loco nuper laudato, postquam *aurum vestibus intextum* reprehendit, *Quid,* ait, *inter fila stamina delicata, rigida faciant metella?* Rigorem porro mulierum, qui a Zenone tribuitur auro, Ambrosius, lib. I de Virgin. cap. 9, perpulchre videtur depingere, cum illas *pomparum ferculis similes incedere* animadvertit.

(15) Notetur mos antiquus sustollendarum in oratione manuum, uti nunc sacerdotes inter missarum solemnia faciunt. Vide Tertullianum de Orat. *Auro manus oneratas,* ne sustolli facile possent, ex Ambrosio, item cognoscimus l. de Nabuth. cap. 5, n. 25.

(16) Hæc satis innuunt mirificum auri pondus, quod e mulierum collo pendebat, quibus concinens Ambrosius l. II de Pœnitent. cap. 9, num. 88 : *Videas feminas margaritis onerare aures, curvare cervices, quas bene Christo, non auro curvarent.* Lege Clemen-

Digitized by Google

non religione, sed pondere. 88 Quando (17) exomologesim facies, quæ plus pro ornatu es, quam pro salute sollicita? Quid autem a Deo impetrare te posse credis, quæ eum per id, (18) per quod irascitur, deprecaris? Aperi tandem oculos cordis, iuvenies te insultare potius, quam rogare. Postremo, fratres, non potest timere maritum, quæ non timet Christum.

IV. Inde est, quod conjuges nuptiali sanctissimo repugnantes jugo, pro se quisque nitentes, amore videlicet nimio, (19) hæreditatem captat alter alterius; quod parentes filios, filii parentes oderunt, quod amicitia magis in facie adludit, quam in cordibus commoratur: quod omne genus humanum suo interitu suisque calamitatibus delectatur, viliorem habens animam, quam pecuniam. Inde est, quod justitia, honestas, pietas, fides, veritas perit; quod Deus ipse momentis omnibus patitur contumeliam, cujus præcepta contemnuntur, cui cultus, cui amor mundi præponitur, quodvis etenim piaculum, scelus, dedecus, nefas libenter admittit, cujus præcordia implacabilis cupiditas pestifera flamma repleverit.

V. Sed hæc non ad vos, fratres, quorum largitas provinciis omnibus nota est, quorum pia semina totius quodam modo orbis per 89 membra (20) jactantur. A vobis multi (21) redempti, multi (22) edictis feralibus liberati, multi (23) conditionibus duris exsuti gratias agunt. Vestræ domus peregrinis omnibus patent; sub vobis vivus (24) mortuusque diu nunquam visus est nudus. Jam pauperes nostri alimenta rogare

tem Alexandrinum lib. II. Pædag. cap. 12, et Commodianum Instruct. 60.

(17) Isthæc vox L tinis litteris scribitur in mss. et cum in vulgari ad populum sermone latinitate donata sit, scribi debuit Latine, non Græce, ut in editis habetur. Plura de hac voce, quæ pœnitentiam et confessionem peccatorum significat, disserentur adnot. 40, in tract. XIV, lib. II, ubi S. episcopus *exomologeseos* iterum meminit.

(18) *Per* deest in ms. Pomp.

(19) Heredipetæ hi vocantur a Petronio Arbitro c. 124. Hujusce generis homines non solum SS. Patres damnarunt, sed ipsi etiam ethnici, inter quos Tullius lib. III Offic.: *Mihi quidem*, inquit, *etiam veræ hæreditates non honestæ videntur, si sint malitiosis blanditiis officiorum, non veritate, sed simulatione quæsitæ:* ex quibus in eos, qui *hæreditates aucupio quærunt;* similiter invehitur S. Ambrosius, lib. III de Offic. cap. 9, num. 58. Qua vero arte conjuges, præsertim a conjugibus hæreditatem captare hoc Zenonis ævo solerent, conjici potest ex eo, quod coævus auctor Ammianus Marcellinus hac eadem in re de Romanis prodit, lib. XXVIII, cap. 4: *Uxor, ut proverbium loquitur vetus, eamdem incudem diu noctuque tundendo maritum testari compellit, hocque idem ut faciat uxor, urgere et maritus instanter: et periti juris* (id est qui testamenti formam suggereret) *altrinsecus adsciscuntur, unus in cubiculo, alter ejus æmulus in triclinio, repugnantia tractaturi; iisdemque subseruntur genitalium extorum interpretes controversi, hinc præfecturas profusius largientes, et sepulturas divitum matronarum; inde ad exsequias virorum jam jam adventantes necessaria parari oportere innuentes.* Itaque alter conjux ab altero hæreditatem ita captabat, ut singuli advocarent et jurisperitos, qui contraria tractarent, et aruspices extorum interpretes, qui singulis spem afferrent fore, ut alter conjugum citius moreretur. Aliam artem indicat Hieronymus in epist. ad Furiam: *Scribuntur tibi nunc sponsales tabulæ, ut postmodum testamentum facere compellaris. Simulabitur mariti infirmitas, et quod te morituram facere volet, ipse victurus faciet.* Lucianus, in Dialogis mortuorum alienis verbis, et Quintilianus, declam. 325, aliam aliorum captandæ hæreditatis rationem insinuant, cum scilicet alteri alter testamentum ostendebat, quo ipsum instituerat hæredem, ut idem plane ab ipso secum esse faciendum moneretur.

(20) Ms. Rem. et edit. Ven., *intuemur*. Mss. Pomp., Vat., *lætantur*. Urbin., *lætentur*. Tolent. *lactantur*. *Vobis*, etc. Editionis Veronensis lectio placuit; tametsi et ms. Rem. editionisque Ven. scriptura non displiceat.

(21) Capti in bello a barbaris post Hadrianopolitanam pugnam an. 378, hic indicari videntur; de quibus Ambrosius, lib. II de Offic. n. 70. Sed de hoc plura dissert. 1, cap. 2, § 8, disputata invenies.

(22) *Edicta feralia* passim apud scriptores sunt edicta, quibus mors inferenda mandabatur. Sic *edicta feralia iniqui regis* a S. Gaudentio serm. XVII, pag. 194, dicuntur Diocletiani edicta, quibus persecutio in Christianos decreta fuit. Simili sententia S. Cyprianus, epist. 52, ad Antonianum, et epist. 56 ad Thibaritanos (*nostræ ed. tom.* IV, *col.* 349) *edicta feralia* contra Christianos lata commemorat. Vide etiam Macrobium Donatistam in Appendice Optati pag. 308, edit. Dupinii. *Ferale decretum* vocat Ambrosius, tom. I, p. 252 edit. Benedict. Hinc Salmasius in notis ad Capitolinum in vit. Antonini Pii p. 64, Zenonem tamquam persecutionibus paganorum coævum de iis edictis loqui putat, *quibus jubentur Christiani Diis immolare.* At cum S. Zeno sub christianis imperatoribus sæculo quarto floruerit, ut ostendimus dissert. I, cap. 2 et 3, jam de aliis edictis feralibus heic sermonem esse convincitur. Lucifer quidem Calaritanus, in libro *de moriendo pro Dei Filio*, pag. 246, t. 4 Biblioth. PP. *edicta feralia* appellat; at ea non edita meminit, sed potius ad præferendam rectæ fidei fortitudinem, Constantium Arianis faventem ad ea edenda quodam modo excitat. *Adhuc addas constituendo sæviores carnifices, ferociores ultores, qui devotos Dei milites adversus edicta feralia tua resistentes.... possint vel gladio invadere, vel crucifigere, vel igni torrere, vel quolibet inaudito genere pœnarum viscera nostra ac membra laniare.* Verum etsi persecutiones aliquot sub hocce Arianorum tempus in Catholicos motas, in quibus alii mortem oppetiere, alii exilio multati sunt variisque suppliciis vexati, pluribus ostendimus laudata dissertatione: nihilo tamen minus non edicta feralia hisce in persecutionibus lata, quæ nullis largitionibus declinare Catholici poterant, sed alia in captivos jam memoratos alicubi edita Zenonem spectasse, ex toto contextu credimus. Equidem S. Ambrosius, lib. II de Offic., n. 70, inter liberalitatis opera recenset *subtrahere neci homines:* loquitur autem de captivis apud barbaros, quorum nonnulli, nisi redimerentur, morti subjiciebantur. Vide num. 137 ejusdem lib. II de Officiis.

(23) *Duris* supplevimus e mss. Tolent., Pomp., Vat., Urbin., Zen. et edit. Ven., *Conditio* autem *dura* improbi captivorum labores, quibus isti opprimebantur, nuncupari videntur; quam sane in sententiam auctor tract. 57. Hebræos *a Rege Pharaone duris conditionibus*, id est laboribus improbis in Ægypto vexatos affirmat. In eamdem rationem servitus quoque *conditio* appellata invenitur, quod servi dura laborandi conditione in servitutem emerentur. Hinc Arnobius, lib. III, *servitutis conditionem imponere;* ex quo explicatur illud Tertulliani de Idololatria cap. 12, *conditionalis eram*, id est certis operibus ex conditione servitutis eram addictus.

(24) Mortuorum cadavera veste aliqua obvolvere, ne nuda sepelirentur, religioni semper fuit. Eccles.

Digitized by Google

non norunt. Jam viduæ atque inopes testamenta conficiunt. Plura ad laudem hujus beatitudinis **90** vestræ possem dicere, nisi essetis mei. Unum tamen præ gaudio tacere non possum, fenerando pauperibus, omnes copias (25) avaritiæ subactas vestrum sine invidia transfertis in censum. Quid enim esse potest ditius homine, cujus profitetur Deus se esse debitorem? qui est benedictus in sæcula sæculorum.

TRACTATUS XI.

De (1) *Avaritia* III.

I. Recte, fratres, sicut (2) audistis, Deus odit avaritiam : est enim libido profunda, cupiditas cæca, tempestas insana, rapacitas sine fine, sollicitudo sine requie, ad sua numquam perveniens vota, quia satiari non novit : fidem frangit, charitatem negligit, justitiam negat (3), non cognoscit affectus, jura divina contemnit, humana versutis argumentis ex-

xxxviii : *Fili, in mortuum produc lacrymas... contege corpus illius.* De hoc eodem ritu apud Gentes quoque celebri vide Lactantium, l. II, c. 4, Appuleium, in Floridis, lib. I; Arnobium, lib. V; Juvenalem, Satyr. III, et alios. De Christianis autem illud Prudentii accipi solet, quo et genus, et colorem vestis usitatum prodit :

Candore nitentia claro
Prætendere linea mos est.

Lege Hieronymum in vita S. Pauli primi eremitæ.

(25) March. Scipio Maffeius, tom. I, Veronæ illustratæ lib. VIII, pag. 408, in-8°, hunc locum in Veronensium liberalitatis commendationem recitans legendum putat *avaritia subacta*.

TRACTATUS XI.—(1) Edit. Ven. hanc inscriptionem habet : *De avaritiæ malis*. Brevis fortasse nimium hic tractatus videbitur, ut tractatus fragmentum potius quam tractatus appellandus sit. Sed cum sermo ex initio et fine satis appareat integer, brevitas autem aliquorum Zenonis tractatuum aliunde constet, nihil affirmare audemus.

(2) Si hoc verbo sermones contra avaritiam superius recensiti non indicantur, profecto innuitur præmissa sacræ Scripturæ lectio, in qua avaritia Deo odibilis inculcata fuerit.

(3) *Non* abest a mss. Tolent. et Vat. et in edit. Ven. At in mss. Urbin. *nescit* pro *non cognoscit*.

TRACTATUS XII.—(1) *Sacræ legis* nomine indicatur sacra Scriptura, quam nonnullos Ethnicorum impugnasse exploratum est. Patricius Junius in adnotationibus ad Epist. I S. Clementis ad Cor. n. 47, scite notavit, *Evangelii* vocem nonnumquam ita fuisse usurpatam, ut non solum Evangelia proprie dicta, sed alios quoque Novi Testamenti libros complectatur : qua ratione S. Clemens loco allegato *Evangelium* vocat primam Pauli epist. ad. Cor. et similiter S. Gregorius Nyssenus ad Theophilum Alexandrinum contra Apollinarem scribens, locum ex epist. Joannis eodem *Evangelii* nomine appellat : idemque confirmat Cotelerius, ex l. I Constitutionum apostolicarum, c. 5, et ex Origene, in præfatione comment. in Joannem, et in comment. ad c. XXI, Matth. v. 45. Sic pariter non Pentatheucum tantummodo Moysis, sed universum Testamentum vetus *legem* vocari palam est ex illo Joannis X, *v.* 34, ubi *lex* appellatur locus psal. LXXXI : *Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi dii estis?* et c. XV, *v.* 25 : *Sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis*, ex psal. XXXIV, *v.* 19. Similiter Paulus (I *Cor.* XIV, 21), Isaiæ locum allegans, *In lege scriptum est*, inquit. Et hoc autem Zenonis testimonio totam non tam Veteris, quam Novi Testamenti scripturam *sacræ legis* nomine appellatam discimus, cum Ethnicorum quidam, qui hic ab eo perstringuntur, non Vetus modo, sed Novum etiam Testamentum pari conatu impugnare niterentur. Similiter quidem tract. III præsentis libri n. 2, duplex Pauli testimonium auctor allegaturus ex Testamento Novo, *sacram legem* appellat, inquiens : *Quod etiam sacræ legis testimoniis probare non desinam, cujus ista sunt verba;* et mox duo apostoli testimonia subjicit. Ethnicorum porro in impugnandis utriusque testamenti libris studium impendentium, quos respicere Zeno potuerit, si quæras nomina, præter Celsum, Porphyrium, et Julianum, qui contra sacras Scripturas stylum acuisse memorantur a S. Hieronymo in præfatione ad librum de Scriptoribus Ecclesiasticis et in opere de Optimo genere interpretandi, c. 3, Lactantius, l. V Divinarum Institutionum c. 3, nominat quemdam Ethnicum *persecutionis auctorem*, qui duos libellos ad Christianos scripsit, *in quibus*, inquit, *ita falsitatem Scripturæ sacræ arguere conatus est, tamquam sibi esset contraria. Nam quædam capita, quæ repugnare sibi videbantur, exposuit, adeo multa, adeo intima enumerans, ut aliquando ex eadem disciplina esse videatur.* Ex libello autem de Mortibus persecutorum c. 16, intelligimus hunc *persecutionis auctorem* esse Hieroclem, qui Diocletiano excitandæ in Christianos persecutionis auctor fuit. Utrum vero ex his quempiam S. Zeno perstrinxerit, an alium aliquem, ex quo etiam excerpta fuerit objectio, quæ inter Geneseos et Pauli textus ingeritur, et ab auctore dissolvitur, definire non licet.

(2) *Nativitatis librum* Zeno dixit pro libro Geneseos, cujus Moyses auctor fuit : et si *naturæ* nomen non ad *legis*, sed ad *nativitatis librum* refertur, S. Zeno significare profecto voluit, loqui se de ea Geneseos parte, in qua *naturæ* origo describitur; ad quam sane partem spectant, quæ de creatione primi hominis disseruntur. Philastrius, cap. 108, eumdem Geneseos librum allegat hoc titulo, qui a Zenoniano non multum discrepat : *In libro creaturæ mundi, id est in Genesi;* et iterum cap. 79, *In libro Geneseos, id est creaturæ mundi. Moysei* pro *Moysis* in mss. scribitur.

(3) In editis et mss. nonnullis *replicavit : replico* autem pro legere et evolvere usurpavit Cicero in orat. pro Sylla c. 9 et alibi.

(4) Edit. Ven. *dubiumque non;* ceteræ editiones et aliqui codices *dubium quoque*. Sententiæ autem magis congruum existimavimus *cum* scribere pro *quoque*, vel *que*.

(5) Aliqui codices *excussum*

A cludit, orbem totum, si possit, ut rapiat. Vultis scire, quale calamitatis sit genus? sane plus in eum, qui eam dilexerit, sævit : quam qui vicerit, habebit vitam æternam.

91 TRACTATUS XII.

De Spiritu et Corpore.

I. Si quis studio vel noscendæ, vel (1) impugnandæ sacræ (2) legis naturæ nativitatis Moysi librum lectitando sæpius (3) replicaverit; fortassis, ut sunt ingenia, quotidie quæ videmus, versutis contentionibus **92** læta, de Apostoli dicto calumniosam nobis inferat quæstionem, qui ait : *Primus homo e limo terræ, secundus e cœlo* (I *Cor.*, XV, 47) : dubium (4) cum non sit, unum hominem tantum e limo B terræ a Deo fictum, eique ejus ex latere mulierem conjugale solamen (5) excussam (*Gen.* II), a quibus omne genus manavit humanum; cœlestem vero (*in*

C

D

Digitized by Google

Genes.) ibidem nec memoratum, nec factum posse doceri, nec natum. Huc accedit etiam ipsa præpostera memoratio : quoniam res est disconveniens et absurda, ut secundus sit immortalis, et qui mortalis est, primus : cum immortalitas in se ordinem temporis non recipiat, mortalitas capiat : vel si cœlestis est primus, quid opus erat, ut fieret quoque terrenus? Simile dictum Evangelicum illud consentanea potest argumentatione pulsari ; scriptum est enim : *Nemo adscendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis, qui erat in cœlo* (*Joan.* III, 13). Quomodo filius hominis, vel cujus hominis nasci posset in cœlo, ut de cœlo descenderet, cum humanitatis a cœlo et possessio longe dimota sit, et natura? Age excita sensum, (6) lector, invenies veritatem. Qui erat in cœlo, de cœlo descendit : qui descendit, ipse est, et qui ascendit in cœlum filius hominis, qui erat in cœlo (*Ephes.*, IV, 9, 10), filius hominis vocabulo, non natura : non enim bis carnem induit Dominus : sed sic oportuit prædicari, quia primo ante quam esset, (7) quod se fieri voluisset, tam figura, quam oraculis frequentibus (8) publicavit. Igitur Dei filius ad ineffabilem originem pertinet, hominis ad (9) sacramentum ; cujus sacramenti arcanum evidenti ratione, quasi quadam clavi, aperire conabor : ut (10) et providentiam Dei, et vim consociationis carnis et animæ, et hominis summum bonum ubinam sit constitutum, quivis facillime possit agnoscere.

II. Posteaquam Deus, fratres, hunc mundum, quasi quamdam futuri humani generis domum, (11) multipliciter aptatum distinctumque elementis, opibus, animantibus, alimoniis, utilitatibusque diversis, magnis et plurimis, habitatori ulla ne querela subesset, solertia mira perfecit ; **93** tunc ad imaginem et similitudinem suam (*Gen.*, I, 2) (12) fecit sibi ipse simulacrum sensibile atque intelligens : sumpto quippe limo terræ hominem figuravit, eique animam qua spiramus, infudit (13) e proprio fonte spiritus sui : cui ab (14) humo homo nomen imposuit : credo, sicut res ipsa docet, ut contemplatione opificis ac materiæ, semper suum et vereretur et veneraretur artificem. Post hæc subjecit ei omnia bona mundi (*Gen.* II) : et quia erat jam sapientia conditus, sensibus stipatus eligendi mortem vitamve, præcepti eruditione commonitus, eum propriæ voluntati commisit. At lividus ille (15) criminator, qui, quod sensim serpat, serpentis nomen accepit, detestabili accensus invidia, eum, quia per se non valebat, aliena forma blanditus, per mulierem transgressionem præcepti Dei persuadendo miserabiliter jugulavit : et exinde (16) hæreditaria conditione confectum, uniformiter interibat omne genus humanum. Nec fuit ullus **94** ullinsque solatii locus : nam hominem vivum, ut adhuc usque, consumebat labor, gemitus, impietas, dolor, ægritudo, miseria : mortui quippe corpus figuramque illam florentissimam edax in æternum terra delebat : animam quoque ferabilibus tenebris (17) relegatam perpetui carceris pœna perpetua implacabilis affligebat infernus. Non superi, non inferi parcebant simula-

(6) *Lector*, qui heic appellatur, ille intelligendus est, de quo initio tractatus est sermo, qui nimirum sacros libros *lectitando sæpius replicavit*.

(7) Edit. Ven., *quid si fieri*.

(8) In edit. Veron. et mss. Tol. ac Zen., *publicatur* : in Urb., *prædicatur*. Correximus ex mss. Rem., Pomp. et edit. Ven.

(9) *Sacramentum* hoc loco aperte incarnationem Verbi significat. Vide tract. II adnot. 54.

(10) Addidimus *et* ex mss. et edit. Ven.

(11) Mss. Rem., Tol., Pomp., *non multipliciter*, male.

(12) In hoc tractatu scribendo videtur S Zeno ob oculos habuisse Lactantium, cujus ex libris Institutionum aliquot sententias totidem quandoque verbis huc conjecit : modo ne ex diuturna lectione infixis in Zenonis animo Lactantii sententiis, illi nec animadvertenti exciderint, dum hunc tractatum scriberet. Singula, quæ imitationem aliquam præferunt, diligenter in adnotationibus signare operæ pretium duximus. Præcipuus autem locus est hic, in quem modo animadvertimus : sic enim Lactantius, lib. II, cap. 10 : *Tum fecit ipse Deus sibi simulacrum sensibile atque intelligens ; id est ad imaginis suæ formam, qua nihil potest esse perfectius, hominem figuravit ex limo terræ*. Simulacrum autem hoc *sensibile*, id est quod sentit (utroque enim modo tum pro eo, quod sentit, tum pro eo quod sentitur, *sensibile* accipitur), *et intelligens* est anima, non autem corpus, de quo plura S. Zeno luculenter disseret lib. II, tract. 19.

(13) *E proprio fonte spiritus sui* supplevimus ex mss. et edit. Ven. Non tamen idcirco animam divinæ naturæ portionem a Deo veluti præcisam auctor credidit, quam alibi a Deo infundi et creari perspicue docuit, quamque paulo post Dei simulacrum appellat ; sed cum ex Scripturæ formula Deus eam *inspirasse* dicatur, e proprio divini spiritus fonte infusam affirmavit. Simili formula Lactantius, lib. II, cap. 12, n. 3 : *Ficto enim corpore spiravit ei animam de vitali fonte spiritus sui* : ex quibus Zenonem ebibisse nihil ambigendum videtur. Idem vero Lactantius, qui creationem animæ pluribus in locis acriter et diserte propugnat, lib. VII, cap. 5, paulo durius scripsit : Deus *spiritum suum terreno corpore induit et involvit*.

(14) Hæc etymologia deducta fuit ex Lactantio, qui lib. II Instit. c. 10, n. 3 : *Homo*, inquit, *nuncupatus est, quod sit factus ex humo* : et rursus de Ira Dei c. 10, n. 43 : *Corpus hominis ex humo factum, unde homo nomen accepit*. Subscribunt huic etymologiæ Ambrosius, l. III de Offic. c. 3, n. 16 ; Isidorus, l. II Orig. c. 1, eamque adversus Quinctilianum defendit Vossius Etymolog. V, *homo*, nec non Cœlius Rodiginus, lib. II Lection. antiq. c. 10. Vide etiam Andream Masium, in præfat. ad commentarium in Josuæ librum p. 4. Hæc eadem etymologia probatur in antiquo tractatu de Lazaro, quem inter Zenonianos editum in appendicem rejecimus, et Potamio catholico episcopo tribuendum in præfatione probabiliter ostendemus.

(15) Similem sententiam paulo aliter Lactantius, lib. II Instit. c. 12, n. 17 : *Criminator ille invidens operibus Dei, omnes fallacias et calliditates suas ad decipiendum hominem intendit* : ex quibus sane vox *criminator* a Zenone petita videtur. Post pauca pro *accepit* ms. Pomp. habet *accipit*.

(16) Egregium hoc pro peccati originalis traditione testimonium, quod quidem peccatum hæreditaria conditione contractum, omnium pœnarum hujus vitæ est caussa ; nec non perpetua inferni pœna luendum erat, nisi Dei Filius nos redemisset.

(17) Ms. Pomp. *religatam*.

Digitized by Google

cro Dei : etenim mortis imperium sibimet vindicaverat totum.

III. Hæc cum diu sic haberentur, solertissimus ille artifex rerum Filius Dei, cujus sapientia non habet finem, nec fortitudo mensuram, amore imaginis suæ de cœlo descendit : uteri virginalis illustrat hospitium : ibidemque in homine (18) includit Deum. Utitur et (19) figura et conditione mortali. Justitiam docet immortalitatis esse comparatricem : factis præcepta consummat. Postremo suscepit mortem, ut, ea devicta, resurgens homini per hominem, quem gerebat, et spem vincendæ mortis adferret, et eum ad præmia immortalitatis admitteret. Sic factum est, ut quomodo per (20) unius damnationem in omnes homines damnatio, sic per unius justificationem in omnes homines justificatio æternæ decurreret .vitæ (*Rom.*, v, 18). Videtisne jam manifeste in homine suscipiendo fuisse providentiam, in passione sacramentum, in resurrectione summum bonum?

IV. Hic nunc primum omnium scire debemus, hominis fabricam (21) ex duobus diversis ac repugnantibus comparatam, discordique concordia esse connexam, animamque lineamentis corporis circumseptam. Unde duæ quoque vitæ a Deo attributæ sunt nobis : una, qua nescientes communi cum pecudibus lege fundimur a natura **95** (22) ; quæ est corporalis ac per hoc etiam brevis; alia vero animi, quam nos nobis (23) ipsi hac in vita per fidem sacri fontis vivo de gurgite comparamus, nobilis et æterna : quia animus, qui vicerit mundum agnoscendo ac servando religionem veram veramque justitiam, immortalitatis necesse est pro laboris sui munere immortali beatitudine perfruatur. Inde est, quod intra hominem clandestinum fremit momentis omnibus bellum, cum unaquæque pars nititur alteram subjugare, Apostolo sic dicente : *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, hæc duo invicem adversantur sibi* (*Gal.*, v, 17).

V. Hinc caro tota deliciis fluens, variis temporum redimita muneribus, opes multimodas ac profundas promittit, ostentat, objicit, donat, speciem proponit suam : faciemque, in quas illi libuerit figuras, speculo conciliante semper incertam, quotidie peregrinis coloribus mutat : gulæ labore culta, lavacro nitida, unguentis oblita, vestitu varia, monilibus tota distincta, conviviorum celebritate jucunda, vino madida, gemmis seu floribus redimita, oculorum jocorumque festivitate lasciva, avaritia cæca, libidine percita, delicate tumentis ac (24) reflabilis thori plumeo sepulchro superba : jactat se ludibunda per nemora, fontes, prata, (25) Baias, civitates ac rura : universis voluptatibus septa, in cupidinem sui utrumque sexum, omnes animas, omnes ætates isto (26) carmine invitans : *Exiguum et cum tædio est* **96** *tempus vitæ nostræ : et non est refrigerium in fine hominis : et non est qui agnitus sit reversus ab inferis : quia ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus, tamquam qui non fuerimus : et non est reversio finis* (27) *nostræ : quoniam consignata est, et nemo revertitur* (*Sapient.*, II, 1 *et seq.*). Et infra : *Venite ergo, fruamur lent, illi præsertim, qui tenuissima delicatissimaque pluma referti sunt, cum sedendo premuntur, subsidunt, et quasi reflantur. Elegans* hic Zenonis locus appellatur a Lindembrogio in observationibus ad lib. XVI Ammiani Marcellini p. 48.

(18) De hac formula vide dissert. 2, c. 3.

(19) Heic quoque S. Zeno ex Lactantii lib. VI. cap. 10, n. 1, nonnulla iisdem quandoque verbis in suum succum sanguinemque convertit. De incarnatione enim Verbi loquens Lactantius, illud in terram descendisse ait *in figura hominis, et conditione mortali; ut cum magisterio functus fuisset, traderetur in manus impiorum, mortemque susciperet, ut ea quoque per virtutem domita resurgeret, et homini, quem induerat, quem gerebat, et spem vincendæ mortis afferret, et ad præmia immortalitatis admitteret.* In Zenonis textu pro *postremo suscepit mortem* ms. Pomp. scribit *postremam suscipit mortem.*

(20) *Unius hominis* in mss. Tol., Pom., Zen. et edit. Ven.

(21) Hæc paucis Lactantius lib. II Instit., cap. 12, n. 7 : *Ex rebus igitur diversis ac repugnantibus homo factus est..... quæ duo inter se pugnare in homine præcepit, ut si anima superaverit, quæ ex Deo oritur, sit immortalis, et in perpetua luce versetur : si autem corpus vicerit animam ditionique subjecerit, sit in tenebris et in morte.* Ex prioribus verbis duo, vel tria S. Episcopus delibavit; cæterorum autem sententia tractatui reliquo argumentum præbet, quod iste fuse suo stylo disertissime exposuit.

(22) Pro *quæ est* in edit. Ver. legebatur perperam, *et quia est.* Ex editione Ven. et ms. Pomp. emendavimus.

(23) In edit. Ver. post vocem *ipsi* addita fuere præter primæ editionis et mss. fidem hæc : *Deo movente et adjuvante*, de qua additione, nec non de recto sententiæ intellectu plura dissert. 2, cap. 5.

(24) *Restabile* dicitur, quod facile cedit. Cœl. Aurel. Tard. 4, 1, 6 : *Tibi facile restabiles. Restatilis thori* apud Zenonem legit Salmasius in historiam Augustam p. 193, et explicat sic : *Ita enim thori plumei so-*

Sacris Baiarum maxima lymphis;

et Martialis 10, epigr. 13 :

Strataque non unas cingant triclinia Baias.

(26) Apud Latinos probæ notæ Scriptores *carmen* appellatæ inveniuntur solemnes quædam formulæ conceptis verbis expressæ, quæ a Jurisconsultis, Prætoribus, Saliis, Fetialibus aliisque pronuntiabantur. Livius, lib. II, cap. 24, *carmen* dixit solemnes fœderum et jurisjurandi formulas, et cap. 26, sententiam capitis *carmen* vocat, sicut et Cicero pro Rabir. cap. 4, Plinius, in Paneg. Trajani cap. 63 et 92, Comitiorum precationem *carmen* nominat. Hæc itaque ex Sapientiæ libro descripta libertinorum erat festiva et celebris formula, quæ proinde a S. Zenone *carmen* latine dici potuit.

(27) Edit. Ven. *nostri* generis masculini; sed *finis*

Digitized by Google

mur bonis, quæ sunt : et utamur creatura, tamquam (28) *in juventute celeriter : vino pretioso et unguentis nos impleamus : et non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis ante quam marcescant. Nullum pratum sit, quod non transeat luxuria nostra. Ubique relinquamus signa lætitiæ : quoniam hæc est pars nostra, et hæc sors* (*v.* 6 *et seq.*).

VI. Illinc spiritus, quasi quidam dux peritissimus, horum omnium prædicit fugam, in armis expeditissime standum, vigilandum diligenter, undique castra munienda, defensanda regalia fortiter ac tenaciter signa ; æstus, frigus, famem, sitim, universaque discrimina æquanimiter perferenda : mundum abdicatione calcandum, mortemque ipsam, perennis cui beatitudo succedat, præmium victoriæ magis esse, quam mortem. Luculenta oratione per Joannem hactenus concionatur : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, non est charitas patris in illo : quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum et ambitio sæculi quæ non est a patre, sed ex concupiscentia sæculi : et mundus transibit, et concupiscentia ejus. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quomodo et Deus manet in æternum* (1 *Joan.* II, *v.* 15 *et seq.*).

VII. Sed dicit aliquis, si ita est, cur in se ipse potissimum superatur? Primo quia genus humanum magis voluptati quam virtuti consentit : denique quia delicias plus diligit quam laborem. Huc accedit, quia bona carnis invenit, non requirit : mavultque potiori vel parvis præsentibus bonis, quam bonis ingentibus tardis. At vero spiritus bona non tantum sunt invisibilia, tarda et abscondita, sed etiam nimis in arduo constituta, ut ad ea, nisi cum summa difficultate, laboribus ac periculis magnis non possit ab aliquo perveniri. Adde quod **97** illa in solo genitali versatur : ille peregrinus est. Illa sine contemplatione meritorum quibuslibet passim sua munera infuleit, maxime indignis, ut ad se colligat turbas : ille numquam remunerat quemquam, nisi primo quis victor mortis jura prætereat. Quæ res efficit, ut sive metu, sive incredulitate præponantur præsentia futuris, mala bonis, fragilia solidis, falsa veris, terrena cœlestibus, temporalia sempiternis.

VIII. O cæca mens hominum! quid præsentium carnalium rerum fugaci illuderis blandimento? quid deteriori meliorem (29) subjacere compellis? scriptum quippe cum noveris : *Omnis caro fenum, et gloria ejus, sicut flos feni* (*Is.* XL, 6) ; cujus si curam geris, pecuinam te esse cognoscis. An ejus virtutem diligis? frangit ac subigit illam quivis dolor. An pulchritudinem? (30) levis et commutabilis res est, et quæ una febri, vel qualibet facillime deleatur injuria. Ecce procuratores vel gubernatores ejus oculi, aliquo ictu exstincti subsidunt. Nonne cadaver est (31) vivum? Ecce tabidus pulmo pinguibus (32) sputamentis exesus detestabili macie omnia gestatoris sui ossa denudat. Nonne horrebit etiam sibi quodammodo illa (33) excarnata umbra tractabilis? Longum est ire per singula. Ecce peremptorius aliquis morbus totam machinam lecto prosternit. Ecce tempestas undique mortis incumbit. Nonne statim illa, quæ erat domina voluptatum, fit præda morborum? Postremo jacentes reliquias mors vindicat sibi, insuper ei pœnas gehennæ (34) paritura. Tunc carnalis (35) mimus ille finitur, exanguique nihil jam suffragantia tota illa ornamenta medentur, nisi quod a false plangentibus adhuc viventi rapiuntur.

IX. Unde, fratres, sicut veri Christiani, *quasi hospites et peregrini abstinete vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam* (I *Petri* II, 11) : nec **98** vestrum frangat affectum, quod ejus secretum figuramque nescitis ; quam si propterea contemnitis, quia non videtis, Deum quoque, qui est invisibilis, contemnere similiter poteritis ; qui enim non diligit ejus (36) similitudinem, sequitur ut oderit veritatem. Inde est, quod stulti præponunt corpus animæ, idolum Deo. Sed nos, qui Adam abjecimus, Christum induimus (*Ephes.* IV, 22) ; qui, quæ vis, qui exitus, quæ merces carnis sit, quæve animæ, Deo magistro, didicimus (*Gal.* III, 27) ; qui non ignoramus victoria carnis ambas exstingui, animæ victoria utramque servari; meliora sequamur, saltem vel eo studio, quo sequimur mala. Nulla ulli competit excusatio, maxime cum res nostræ commissa sit voluntati, Propheta dicente : *Ante hominem bonum et nequam, mors et vita, quod elegerit, hoc dabitur ei* (*Eccl.* XV, 18). Unde dubium non est, voluntatem nostram, cui se junxerit parti, præbere (37) victoriam ; ejusque in

feminini etiam generis invenitur apud Ciceronem et alios.

(28) Ms. Rem. *quam juventutem :* Ms. Pomp. *tamquam juventute.*

(29) Ms. Urbin. *subjicere.* Paulo post pro *pecuinam* edit. Ven. *pecudem* scribit. Sed retinenda cum mss. prior lectio; refertur enim ad mentem, quam Zeno alloquitur. *Pecuina* reperitur in Appuleio, lib. VIII Metam., sub finem.

(30) Ita e mss. correximus, cum in editis post *pulchritudinem* addatur *ejus? et commutabilis.*

(31) In editis perperam *unum ;* et post pauca *omnia nacie,* quod in editis transpositum, e mss. restituimus.

(32) *Sputamentum* dicit Tertullianus de Spectaculis c. ult.

(33) Sicut *concarnatus* a *concarno* legitur in eodem Tertulliano de carne Christi cap. 20, et *decarno* reperitur apud Apicium, 7, 9, et Vegetium de Re veter. 2, 27, ita *excarnata* ab *excarno* Zeno latine scribere potuit.

(34) Ms. Urbin. *paratura.*

(35) Cum in *mimis* omnia ficta essent et simulata, *mimi* vox translata legitur ad alia, quæ plus speciei et simulationis habent, quam veritatis. Suetonius in Calig. c. 45, *mimum* vocat fictum falsumque triumphum. Ipse Augustus jam jam moriturus apud eumdem Suetonium, cap. 99, nec non Seneca epist. 81, *minum* appellarunt humanæ vitæ curriculum.

(36) *Similitudinem* Dei animam vocat, quæ in scripturis ad Dei imaginem creata traditur.

(37) In editis *justitiam ;* ex mss. *victoriam* supposuimus. Quod porro auctor ait *in resurrectione* luendam

Digitized by Google

resurrectione aut præmio perfrui perenni, aut consimili pœna puniri.

99 TRACTATUS XIII.

De (1) *circumcisione.*

I. Diligentissime, fratres carissimi, circumcisionis, cujus non tantum in præsenti (2) lectione, sed et aliquot in locis fecit Paulus beatissimus mentionem, ratio videtur esse reddenda, ut et Christianus veritatem, et Judæus suum cognoscat errorem. Solet enim magnis cum vociferationibus sæpe jactare, hanc esse gentis suæ nobilitatem, hanc cœlestis sacramenti virtutem, hanc æternæ vitæ legitimam genetricem, hanc perpetuam futuri regni consortem, sine qua nemo possit omnino ad Dei notitiam pervenire. Unde primo omnium definiendum puto, quid sit circumcisio, ut tunc demum, qualis sit, jure possit agnosci. Circumcisio est, fratres, in damnum rotundi vulneris ferro (3) circulata cicatrix. Quam si Judæus æstimat gloriam; ut de cæteris taceam, major est ejus, (4) qui in honorem **100** deæ suæ (5) (sane anus turpis atque (6) amatricis) *non* parvam pœnam, et præmio perfruendum; vide ne suspiceris S. Zenonem cum iis sensisse, qui per magnum errorem utramque rem ad diem judicii retulerunt; sermo enim heic est de corpore tantum, et *ejus in resurrectione* anima pœnam luitura, vel præmio perfunctura traditur, propterea quod debitam corpori pœnam, vel præmium in corpore ante non sentiet. De Zenonis autem catholica in hoc dogmate sententia pluribus egimus dissert. II, c. 10.

A cutem ejusdem membri, sed ipsum membrum radicitus abscissum (7) mysteriis turpioribus immolavit; illa videlicet ratione, quia Judæus post sacramentum per hanc partem peccare potest, ille autem deinceps per hanc partem peccare jam non potest.

II. Consequens est, ut profiteatur, utrum hanc carnalem an spiritalem esse defendat. Si spiritalem, cur de carne gloriatur? si carnalem, animæ prodesse non poterit, quia *caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt* (I *Cor.* xv, 50). Accedit quod circumcisio (8) adversus sabbatum pugnat, quod violandum ullo opere in toto non esse præconat. Et enim plerumque contingit, ut ei nascatur sabbatis filius, quem octavo die, id est veniente sabbato, si non secundum legem circumcidat, de populo suo infantis anima peritura est. Hic, fratres carissimi, eligat, utrum velit, circumcidat B an differat. Si circumcidit, sabbatum corrumpit, si non circumcidit, cum innocentis animæ interitu præstitutæ circumcisionis jura (9) vacuavit, quia solus octavus dies a Deo circumcisionis privilegium, non septimus, non nonus accepit, ac per hoc necesse est,

TRACTATUS XIII.—(1) Edit. Ven. hanc inscriptionem præfert: *De duplici circumcisione, carnali videlicet, quæ est in præcisione præputii, et spirituali, quæ est per baptismum* In margine Ms. Rem. hæc nota apposita legitur: *In octaba Domini pontificis nona lectio.* Erat autem hic codex ad usum Ecclesiæ Veronensis, et in octava nativitatis Christi hic sermo inter sacra officia ab ipso pontifice recitabatur. De peculiaris vero lectionis nono loco positæ apud aliquas saltem Ecclesias antiquitate hinc cognosce, quam tamen in vigiliis solum celebriorum festorum lectam existimamus, et in Dominicis diebus post psalmos, qui per vigilias noctis canebantur, de quibus sane dierum dominicorum vigiliis hoc præceptum reperitur in antiquo ordine Cameracensis et Atrebatensis Ecclesiæ ex Pithœi schedis edito in appendice ad codicem canonum Ecclesiæ Romanæ: *Cum omni honestate lectiones tractim legantur, et responsoria decantentur; nona autem lectio sit evangelica ex homiliis Patrum. Homilia ipsius Evangelii a Diacono, vel a presbytero, aut episcopo* (uti Veronæ quidem hac saltem nocte fiebat) *tota lectio legatur, nisi forte aurora interveniens, hoc distulerit.* Non est itaque mirum si tractatus Zenonis de Circumcisione, qui non est adeo brevis, totus legendus sumeretur hac in Ecclesia, cum adveniente aurora abrumpere illum liceret. D

(2) Tractatum hunc præcesserat lectio: lectio autem sumpta fuisse videtur ex aliqua Pauli epistola, ubi de Circumcisione pluribus agitur, ac præsertim ex epistola ad Romanos vel Galatas.

(3) *Circulata* passive a verbo *circulo, as*, ex quo *circulantem* dixit Tullius, de clar. Orat. cap 54, et Appuleius, lib. II Flor., *circulaverat.* Seneca, epist. 88, *circulatus est* activa significatione adhibuit.

(4) *Sacerdotes Cybellis* (Idæa etiam hæc dicebatur ac Mater Deum) Galli nuncupati a Gallo Phrygiæ flumine, testibus Festo, v. *Galli*, et Herodiano, lib. I, c. 11, quibus qui præerat Archigallus vocabatur, uti traditur a Tertulliano, Apolog. cap. 25, in honorem suæ Deæ virilia sibi amputabant: *Viri quoque propriam ementiti naturam, nec amplius mares se esse patientes, in feminas se converterunt, pergratum et honorificum matri deorum se ita facturos arbitrati;* sic Athanasius, contra Gentes, num. 26, pag. 24. Bardesanes Syrus auctor, Marco Aurelio imperante, celebr, in dialogo de Fato ad Antonium, apud Eusebium, lib. VI de Præparat. Evangelic. cap. 8: *In Syria*, inquit, *et Osrohenæ sunt etiam Galli, et in Phrygia matri deorum multi abscindebantur;* et Ovidius in Ibim,

> Attonitusque seces, et quos Cythereia mater
> Incitat, ad Phrygios vilia membra modos. C

Id ipsum traditur a Plinio, lib. II, cap. 49; Juvenali, Sat. VI, prope medium; S. Justino, in Apolog. 1, vulgo secunda dicta; Herodiano, loc. laud.; Prudentio de Coron. hym. 10, et Augustino, lib. VII de Civit. Dei cap. 10.

(5) *Sane* supplevimus ex mss. et edit. Ven.

(6) *Amatricem* Zeno Cybellem appellat, quod amore incensa, ex desiderio Atys juvenis formosissimi insaniit, ut scribit Diodorus, lib. IV, cap. 5. Vide Catullum in carm. de Berecynthia et Aty.

(7) Edit. Ven. *ministeriis.*

(8) Sabbati violati reus vere non erat, qui ea die, præcepto urgente, puerum circumcideret. At de violatione quadam *materiali*, ut scholæ loquuntur, S. Zeno intelligit, non de *formali*; quippe quod circumcisio per se inter opera servilia censetur, quæ sabbatum vere violarent, nisi necessitas cogeret. Qua quidem ratione antiquus auctor quæstionum et responsionum apud S. Justinum qu. 27, etsi licuisse ostendat die sabbati circumcidere, circumcisionem nihilominus ejusmodi esse fatetur, *quæ sabbati violationem continet.* Id ipsum ergo S. Zeno similiter affirmavit, non quod circumcisio vere *adversus sabbatum pugnet*, cum in honorem Dei vergat, et necessitatis ac præcepti divini causa fiat; sed quod per se, ex Judæorum præsertim notione, qua illi sabbatum quovis manuum opere violari sibi fingunt, ad ejusdem violationem pertineat. *Præconat*, quod infra legitur est verbum a *præcone* originem ducens, et significat aliquid elata voce, ut præcones solent, edicere. Per præcones autem leges promulgabantur. Aperta vero lex est, quæ sabbato feriandum ab omni opere præcepit, et solemni ritu promulgata fuit, ut discimus ex Exodo cap. XXXI.

(9) Ms. Rem., *vacavit.*

Digitized by Google

ut utrumque inane sit, si infirmari potest alterum de duobus.

101 III. Quid, quod Abel justus (10) est sine hoc vulnere inventus (*Gen.* IV)? Quid, quod Henoch a Deo integer legitur esse translatus (*Ibid.* V)? Quid, quod Noe incircumcisus, sæviente diluvio, divina providentia humano generi hæres et pater est constitutus (*Ibid.* VI, VII, VIII)? Quid, quod Melchisedech summus ille sacerdos Deo acceptissimus hujus fuit cicatricis ignarus (*Ibid.* XIV)? Quid, quod cum præputio Ninivitarum populus Dei indulgentia est liberatus (*Jon.* III)? Quos utique omnes circumcidi præcepisset, si carnis circumcisionem eorumdem saluti, quos amabat, necessariam prævideret. Certe Adam ipsum sic ante fecisset.

IV. At fortasse quispiam dicat: peccator ergo fuit Abraham, ut circumcideretur; an justus, et circumcidi non debuit? Abraham, fratres, et vir justus fuit, et tamen (11) necessario circumcisus. Quid enim Scriptura dicit? *Abraham credidit Deo, et deputatum est illi ad justitiam* (*Rom.* IV, 3). Numquidnam dixit, Abraham circumcisus est, et deputatum est illi ad justitiam? Cum igitur (12) Abraham integer, sicut Henoch et cæteri, sit justificatus, et postea circumcisus; manifestum est circumcisionem non Abrahæ fuisse necessariam, sed in (13) designationem **102** judaici populi, qui carnalis futurus fuerat, procuratam. Denique nihil illi contulit: quia Deo ante, non postea quam circumcisus est, placuit: præmiumque non circumcisionis, sed (14) in acrobustia meritæ repromissionis accepit. Unde manifestum est Abraham gemini populi typum in semetipso portasse, ut circumcisionis nota exprimeret Judæum, (15) credulitatis justitia Christianum.

V. Adde, quod circumcisio ista non tam salutem (16) non pollicetur, quam (17) locum caputque criminis monstrat. Adam etenim cum (18) illicitum pomum hoc membro decerpsit, sic in genus humanum jus mortis induxit. Necessario ergo luxurioso populo Deus hoc signum dedit: ut, locum matricalis culpæ cum denotat, etiam alia crimina fugienda cognoscat. Ore tuo te, inquit, Christiane, vicisti. Inde est, quod et ego æternam vitam me possidere contendo, quia specialiter (19) curam mortis mihi a Deo præstitam

(10) *Est* ab editionibus aberat: suppletum e mss. Rem. Zen. et Pomp.

(11) *Necessario* in ms. Vat. desideratur.

(12) *Abraham* non legitur in mss. Vat., Zen. et Pomp.

(13) Circumcisionem Judæis solius signi loco fuisse, quo a cæteris populis distinguerentur, non vero justitiam exinde eos accepisse, nec peccatum originale per illam deletum, S. Zeno sensisse videtur, quemadmodum et S. Justinus martyr, qui in dialogo cum Triphone hæc similiter scripsit pag. 243: *Abraham circumcisionem in signum, non ad justitiam accepit.* Et pag. 366: *Ista vestra circumcisio in signum data est, et non ad justitiæ peragendæ opus.* Augustino et aliis Patribus secus est visum, qui in circumcisione peccatum originale deletum tradidere, de quo plura videsis apud Estium, in 4. Sent. dist. 1. Sed aliud est justitiam in circumcisione olim Judæis fuisse a Deo traditam, aliud est eos virtute circumcisionis consecutos fuisse justitiam. Primum verissimum est, nec a Zenone, sive Justino negatur. Alterum est falsum, cum constans sit Catholicorum sententia, sacramenta veteris et novæ legis non in eo tantum differre, quod utrorumque *ceremoniæ sunt aliæ et alii ritus externi*: quam sententiam ob τὸ tantum proscripsit Tridentina Synodus sess. VII, can. 11, sed in eo præsertim, ut ante aliquanto explicaverat Eugenius IV, in decreto Armenis dato, quod *illa non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant: hæc vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt.* Sane Augustinus, enarrat. in ps. LXXIII, num. 2: *Si enim discernimus*, inquit, *duo Testamenta, Vetus et Novum; non sunt eadem sacramenta..... quia alia sunt sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta Novi Testamenti dant salutem, sacramenta Veteris Testamenti promiserunt Salvatorem.* Vide etiam l. XIX, contra Faustum, cap. 13 et 14, ubi illa Veteris Testamenti *sacramenta prænuntiativa* vocat, quippe quibus Salvator tantummodo promitteretur, non quæ producerent gratiam nisi per fidem, qua in futurum Salvatorem iis sacramentis prænuntiatum credebatur, ut pluribus idem S. Doctor ostendit. Hoc unum ergo S. Zeno post Justinum martyrem circumcisioni denegavit, quod veram per sese justitiam pareret; id enim solis novæ legis sacramentis convenit: unde a catholico et sano cæterorum Patrum sensu nostrum auctorem nihilum discessisse cognoscimus.

(14) In editis erat, *in hac robusta merita.* In ms. Pomp., *in ac robusti, ac meritæ.* In Rem. et Vat., *in hac robustia meritæ: robustia* pariter legitur in Zen. Legendum procul dubio *in acrobustia meritæ;* nam *acrobustia*, seu *acrobystia* a nomine Græco apud Paulum Apostolum frequenti ἀκροβυστία, quod *præputium* latine redditur, latinis litteris, ut alia nonnulla, efferri potuit, et sententia sic optima elicitur: innuitur enim Abraham *accepisse non circumcisionis, sed repromissionis in acrobustia, seu præputio meritæ præmium;* cum scilicet fides, qua adhuc in præputio credidit Deo, deputata est illi ad justitiam. Respicitur autem ille Pauli locus ad Romanos IV, v. 9 et 10: *Reputata est Abrahæ fides ad justitiam. Quomodo ergo reputata est? in circumcisione, an in præputio? non in circumcisione, sed in præputio.* Utrobique autem, sicut alibi semper, ἀκροβυστία in Græco Pauli textu legitur.

(15) *Credulitas* heic quoque pro fide: vide adnot. 6, in tract. I.

(16) Ex mss. Vat. et Urbin. adjecimus *non*, quippe quod hæc particula a Zenone num. 6, cum eodem verbo et in eamdem sententiam copulatur. *Hujusmodi circumcisis*, inquit, *Deus non tantum salutem non pollicetur*, etc. De sensu porro hujus loci vide adnot. 13.

(17) Hoc de testimonio, quo Adæ peccatum carnali voluptati contra vetitum perceptæ tribuitur, quid sentiendum sit, et quo ex fonte hæc sententia fluxerit, plura tradidimus dissert. II, cap. 4.

(18) In edit. Ver. contra manuscriptorum auctoritatem verba transposita fuerunt sic: *Cum hoc membro illicitum pomum decerpsit.* Idem, in edit. Patav., quæ solum *decerpsit* cum Ms. Zenon. scribit.

(19) *Cura* pro curatione, seu medicina heic adhibetur, ut ex sequentibus explorate liquet. Similiter usurpata invenitur apud Gratium, in Cyneg. v. 366; Celsum, de re med. cap. 10; Petronium Arbitrum, in frag. pag. 668 novæ edit.; Claudianum, de Bello Get. v. 120. In editis *annexam curam.* Mss. Pomp., Tolent., Vat., Zen., *anxiam* pro *adnexam* scribunt. Utrumque deest in antiquo cod. Rem. in quo *cura præstita* ablativo casu effertur, sed male. *Mortis* pro peccato, vel damnatione dici optime notavit Sparaverius.

Digitized by Google

recognosco. Recte Judæus hoc diceret, fratres, si ista cura (20) sexui utrique **103** prodesse potuisset. Cum enim gravior caussa supersit : periturum se nisi (21) veritatem requirat, agnoscit : si enim Adam curat ; certe (22) in qua delicti omnis est summa, isto remedio curare non potest Evam. Quid, quod nec ipsi viro aliquid eam prodesse perspicio ? quia hujus circumscriptio characteris potestati subjacet cordis, quod nisi veræ circumcisionis spiritali fuerit sacramento purgatum, in æternum homo, de quo agitur, periturus est : caro enim damnum pati potest, animo autem imperare non potest : ipse enim regalis potestatis imperio subjectum sibi corpus servilibus officiis suæ compellit implere desideria voluntatis ; qui si fuerit vitiosus, quot habet unusquisque membra, poterit perpetrare tot crimina.

VI. Denique hoc genere Judæos Scriptura denotat ab auribus incipiens : *Clamavi*, inquit, *ad eos, et non audiverunt, clamabunt ad me, et non erit, qui exaudiat eos.* Similiter et de manibus dicit : *Manus enim vestræ inquinatæ sunt sanguine, et digiti vestri in peccatis. Labia autem vestra locuta sunt facinus, et lingua vestra injustitiam meditatur* (*Is.* LIX, 3). Et iterum de cæteris membris : *Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose egerunt, venenum aspidum sub labiis eorum, quorum os maledicto et* (25) *amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem : contritio et miseria in viis eorum, et iter pacis non cognoverunt, non* **104** *est timor Dei ante oculos eorum* (*Ps.* XIII, 23 *et seq.*). Et de ipsa circumcisione in (24) symbolis inquit : *Interrogabant, et in virgis suis annuntiabant, spiritu meretricio seducti sunt, et fornicati sunt a Deo suo* (*Os.* IV, 12). Agnosce igitur, Judæe, vel sero erroris tui (25) miserum dolendumque discrimen, et dic nobis, utrum circumcisionem observes, an legem. Si circumcisionem, non est tibi lex necessaria, quia justus Abraham, qui ex fide vixit, Deum credulitate, non lege promeruit. Si legem, contemne tuam istam circumcisionem, quam evacuatam videmus a lege, (26) sic Jeremia dicente : *Hæc dicit Dominus viris Juda et omnibus qui habitant in Jerusalem. Renovate inter vos novitatem, et ne seminaveritis in spinis. Circumcidite præputium cordis vestri, ne exeat sicut ignis ira mea, et exurat, et non sit qui exstinguat* (*Jer.* IV, 3, 4). (27) Videtis ergo, fratres, quod hujusmodi circumcisis Deus non tantum salutem non pollicetur, sed etiam, nisi legitime corde circumcidantur, ignis inexstinguibilis supplicium comminatur. Sed et Moyses ipse, cujus asserunt se sæpe discipulos, eodem spiritu ad Israel loquitur dicens : *Novissimis diebus circumcidet Deus cor tuum et cor seminis tui ad Dominum Deum tuum amandum* (*Deut.* XXX, 6).

VII. Hinc nunc vobis iterum dicam. Pharisæe, responde, ubi cor habeas constitutum. Si in regione pectoris ; quid deformi vulnere (28) inferna metiris ? Si, quod quidem recte æstimas, in infernis ; procul dubio omnes sacrilegos antecedis, qui Moysis reprobans dictum, per hanc injuriosam corporis stipem Deo placere te posse præsumis. Jam completa est, inquit, in me per Jesum Nave, Domino jubente, secunda, quam Moyses annuntiaverat, circumcisio : scriptum est enim : *Et dixit Deus ad Jesum : Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos : et* (29) *adside,* **105** *circumcideque* (30) *secundo filios Israel* (*Jos.* V, 2). Videamus nunc ergo, fratres carissimi, secunda illa

(20) Hoc idem argumentum adversus circumcisionem urget etiam Justinus Martyr, in dialogo contra Triphonem, pag. 32 : *Præterea cum non possit femineum genus carnalem circumcisionem adsumere, satis apparet in signum datam circumcisionem, non tamquam opus justitiæ. Quidquid enim ad justitiam virtutemque pertinet, etiam feminis Deus dedit.* Idipsum brevius Cyprianus, lib. I Testim. cap. 8, ubi observare præterea licet, eadem Adæ, Abel, Henoch., Noe, Melchisedech exempla congeri, quæ heic a Zenone fusius exponuntur ; quod idem animadvertimus apud memoratum Justinum loco laudato, nec non apud Tertullianum, adversus Judæos cap. 2 et sequent., ut nihil dubium sit quin hæc penes antiquos Patres solemnia fuerint argumenta, quibus *circumcisio*, ut Cyprianus ait, *prima carnalis evacuata* probaretur.

(21) Sparaverio placeret scribere *remedium ;* nam, inquit, quid isthic loci habeat *veritatem* non video. At sine mss. nec ipse, nec nos corrigere audemus ; et fortassis *veritatem* pro *verum medicinam* a circumcisione diversam, quæ utrumque sexum vere curet, Auctor accepit.

(22) Editi habebant *in quo*, ut ad Adam referretur, et *in quo* corrigendum pariter notavit quispiam in margine ms. Pomp. Sane in Adam *delicti omnis summa* reperitur verius, quam in Eva, cum ex illo potissimum, tamquam ex capite, originale peccatum in posteros dimanaverit. Sed ut *in qua* ponneremus, fecit non solum mss. Rem. et Pomp. auctoritas, sed ea præsertim consideratio, quod sententia ex contextu ad Evam commodius referenda videtur. In hac autem *delicti summa* dici potuit, quatenus ipsa peccatum Adæ suasit, et nihilominus illi circumcisionis remedium nihil proficit. *Evam* autem dixit S. antistes pro universis feminis, quibus circumcisio data non fuit, sicut *Adam* pro viris omnibus nominavit.

(23) Mss. Zen. et Pomp. cum edit. Ven., *amaritudinis*. Dein pro *contritio* ms. Urbin., *contentio*.

(24) Scriptum est *in symbolis*, ut significetur, circumcisionem apud Oseam sub figurata locutione, quam textus præfert, indicatam ; *symbolum* enim pro signo obscuro et metaphorico sumi ab antiquis solet, ut apud Basilium Fabrum videre est, in Thesauro erudit., v. *Symbolum*. Similiter *symbolice* pro *figurate* dixit Gell. l. VI, c. 11.

(25) Ms. Vat. *miserrimum*. Post pauca pro *et die* mss. Rem. Vat. Pomp. *Edic*.

(26) *Sic* et mss. et edit. Ven. restitutum.

(27) Ms. Urbin. *Videte*. Mox *quia* pro *quod* in ms. Zen.

(28) *Inferna metiris* dicit Zeno pro *præputium in inferiori parte situm circumcidis*. Idem præputium paulo post *injuriosam corporis stipem* Deo tributi loco oblatam vocat. Post pauca *existimas* pro *æstimas* in ms. Tolent. Sed *æstimo* pro *existimo* apud Zenonem frequens invenies.

(29) In edit. Ver. legebatur *abscinde :* in edit. Ven. *abscides :* in mss. Pomp., Zen. *abscide* et *circumcide*. Ex cod. autem Rem. *adside* placuit scribere, cum hæc lectio conveniat cum textu Interpretum LXX, ex quibus hæc Latine reddita sunt. Lactantius etiam, qui similiter hunc textum recitat, lib. IV Instit. cap. 17, habet *et sede*. Cyprianus quoque, lib. I Testimon. cap. 8, *et adsidens circumcide*.

(30) Omnes jam Interpretes unicam tantum circumcisionem hoc Scripturæ loco Judæis præceptam

Digitized by Google

circumcisio ab Jesu Nave, quo genere celebrata sit petrinis illis cultris : cor an præputium circumciderit. Etenim si secundum ipsos nos quoque carnaliter sentiamus, ambo prophetæ tenebuntur in crimine, ut aut Moyses fallax sit, si (31) circumcisio circumciditur rursum, ut hoc idem faciat, aut ut, quod non habeat, perdat ; aut certe Jesus Nave parricida sit, si cultris corda hominum desecat.

VIII. Sed absit, fratres, ut spiritales viros ullo tangamus errore, maxime cum prophetia ad sui dicti jam pervenerit veritatem : Jesus enim Nave Christi imaginem præferebat, qui verus omnium salvator esse cognoscitur et factis et nomine : hic enim, quia ipse dictus est etiam petra (I *Cor.* x, 4), recte cultellos petrinos fecit (unde non sine ratione et Simoni, super quem ædificavit Ecclesiam, *Petrus* nomen imposuit (*Marc.* III, 16) id est sua doctrina (32) formatos, et Spiritus sancti lima acuminatos constituit viros apostolos omnesque discipulos : quorum salutaria monita canentibus linguis, quasi quibusdam spiritalibus cultris credentium populorum, secundum Moysis dictum (*Deut.* xxx, 6), non in damnum hominis **106** præputium carnis, sed in augmentum hominis præputium facinorosi cordis incidit.

IX. At fortasse adhuc quispiam dicat cur ipse quoque signaculum carnis accepit, si ei necessarium non fuit? Hujus propositionis quæ sit ratio, fratres, accipite. Igitur qui venerat hominem vivificare, per hominem necesse habuit, ne phantasma putaretur, edicta legis universa complere : non enim aut finis legis, aut verus Christus esse potuisset, si quid prætermitteret, quod ab alio saluti hominum præstari (33) potuisset. Eo accedit, quod secundum carnem David filius futurus esse canebatur ; qui nisi paterno generis signaculo responderet ; neque David filius esset, neque nisi in filium David Christus venire potuisset, qui ideo circumcisus est, quia Judæis erat promissus, ideo cum præputio natus, quia in æternum incircumcisis gentibus fuerat profuturus.

X. Diximus de prima circumcisione carnali, quæ Judæorum est : nunc breviter de secunda spiritali, quæ nostra est, edicamus, quæ tantum potestatis gerit, ut (34) a femina cœperit, quod priori impossibile fuit. Denique a muliere, quæ prior peccaverat, circumcisionis incipit cura. Et quia (35) suasione per aurem irrepens diabolus, Evam vulnerans interemerat ; per aurem intrans Christus in Mariam, universa cordis desecat vitia : vulnusque mulieris, dum de virgine nascitur, curat. Signum salutis accipite. Corruptelam integritas, partum est secuta virginitas. Adam similiter dominica circumciditur cruce, et quia per mulierem, quæ sola lignum lethale contigerat, exceperat uterque sexus interitum ; e diverso per virum ligno suspensum vivificatum est omne genus humanum. Ac ne non ex integro principium suo statui redditum videretur, prior vir consummatur in cruce : atque eo feliciter soporato, similiter de ejus latere ictu lanceæ non costa divellitur, sed per aquam et sanguinem, quod est baptismum atque (36) martyrium, spiritale corpus spiritalis feminæ effunditur, ut legitime Adam per Christum, Eva per Ecclesiam renovaretur.

107 XI. Hoc nos, fratres, sacramento tam viri, quam fœminæ circumcidimur : hoc Spiritus Sancti non (37) signaculo, sed signo censemur. Hac circum-

et peractam quidem agnoscunt ; postquam hi ex eremo in terram pollicitationis pervenere ; cum Hebræos in eremo circumcisionem non adhibuisse, exploratum sit ex iis, quæ eodem Josue capite subjiciuntur, vers. 6 et 7. Cur nihilominus dictum sit *circumcide secundo*, cum ea, quæ præcipiebatur, prima circumcisio fuerit, percommode explicat Andræas Masius in hunc locum, quem videre, lector, poteris. Cæterum Zenonis interpretatio secundam hanc circumcisionem ad circumcisionem cordis idcirco retulit, non quod primam illos jam ante subiisse putaret, sed quod in illa, quæ prima vere erat, secundam cordis circumcisionem præsignificatam solemnis ferebat Patrum antiquorum sententia, ac præsertim Justini, Cypriani, et Lactantii, quos Zenonem secutum nihil ambiginus. Quin et S. Hieronymus, in cap. III epist. ad Gal. pag. 424. tom. VII edit. Ver., etsi Hebræos autehac in eremo incircumcisos fateatur, circumcisionem tamen *secundo* præceptam spiritalem cordis circumcisionem spectasse perspicue confirmat. *Denique per quadraginta annos in eremo nullus est circumcisus : soli quippe sine gentis alterius admixtione vivebant. Statim ut Jordanis ripam transgressus est populus, et in Palæstinæ terram Judæum se examen infudit, circumcisio necessaria futuro ex commixtione gentium providit errori. Quod autem a Jesu duce secundo scribitur populus circumcisus, significat et in eremo cessasse circumcisionem, quæ in Ægypto rationabiliter exercebatur, et a Domino Jesu Christo spirituali circumcisione credentes esse mundandos.*

(31) Edit. Ven., *circumcisione*. Mss. Zen., *circumcisio recircumciditur rursum*. Dein *non habet* pro *non habeat*. De hujus loci intellectu si ambigis, vide præclare interpretantem Franciscum Sparaverium, in observationibus, quas post Appendicem addemus.

(32) Ms. Rem., *formatur Spiritus sancti* ; mss. Tol. et Zen. cum editione Ven., *formatus Spiritus sancti*.

(33) *Oportuisset* in edit. Ven.

(34) Nimirum a M. Virgine, genitrice ejus, *qui universa cordis desecat vitia*, ut in sequentibus auctor explicat. Solemne autem est Patribus M. Virgini salutis exordium tribuere, sicuti ab Eva perditionis initium profectum agnoscunt. Vide Irenæum, inter cæteros, lib. III, c. 33, et lib. V, cap. 19, nec non Tertullianum de Carne Christi cap. 17.

(35) Edit. Ver., *suasionem* : melior autem visa est mss. Pomp. Zen. et edit. Venetæ lectio.

(36) Martyrium baptismatis vicem supplere, cum baptisma aquæ consequi quispiam nequeat, et hoc quidem aquæ baptisma per aquam, illud autem per sanguinem, qui de Christi latere fluxerunt, significatum fuisse, hoc testimonio confirmari potest : illud similiter alii Patres testantur, ex quibus unum Tertulliani locum recitare placet ex libro de Baptis. cap. 16 : *Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, et ipsum sanguinis scilicet, de quo Dominus : Habeo, inquit, baptismo tingi, cum jam tinctus fuisset. Venerat enim per aquam et sanguinem, sicut Joannes scripsit, ut aqua tingeretur, sanguine glorificaretur : proinde nos faceret aqua vocatos, sanguine electos. Hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit, quatenus qui in sanguinem ejus crederent, aqua lavarentur ; qui aqua lavissent, etiam sanguinem potarent. Hic est baptismus, qui lavacrum et non acceptum repræsentat, et perditum reddit.*

(37) *Signaculum* de circumcisione corporali dicitur,

Digitized by Google

cisione non aliquid perdimus, sed crescere nos augmentis cœlestibus invenimus : non sanguinem sterili solemnitate dimittimus, sed pudoris sanguinem retinemus, quem ambitiose plerumque effundimus, cum in persecutione pro nomine Domini diabolum moriendo vastamus. Postremo abscindimus, (38) quod habuisse non deberemus, quod ab inimico hominibus superadditum recognoscimus, Domino sic dicente : *Simile est regnum cœlorum homini qui seminavit in suo agro bonum semen : dormientibus autem hominibus, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in triticum* (*Matth.*, XIII, 24 *et* 25). Quæ necessario radicitus circumcisione divellimus, ut diri seminis contagione purgati, integri in ubertate paterni seminis maneamus. Hæc, inquam, non die, non nocte, non hora, non sexu, non ætate, non conditione, non loco, non genere (39) tribuenda homini salute depellitur, sed gloriosa **108** semper in omnibus invenitur. Denique prior circumcisio desecat carnem, secunda animi desecat vitia : illa ferro, hæc spiritu; illa portionem, hæc hominem totum; illa masculum solum, hæc utrumque sexum; illa præputium parvæ cutis, hæc præputium totius concupiscentiæ sæcularis. Illa octavo deservit diei, (40) huic deserviunt tempora, dies, horæ universaque momenta. Illa ante octavum, vel post octavum diem nec ipsi morienti puero subvenit; hæc a cunis ipsis infantiæ usque ad supremos exitus cujusvis ætatis utrique generi salutare munus impertit. Illa sanguine gaudet, hæc gratia; illa imagine, hæc veritate; illa damno, hæc lucro; illa agit captiva sub lege, hæc omnibus præstat in Christo bonæ fidei libertatem. Igitur vos, qui circumcisi estis circumcisione non manu facta in spoliationem carnis, sed circumcisione Domini nostri Jesu Christi, elaborate, ne vestra integritas mutiletur; ne ingruentium peccatorum rursum sicut Adæ et Evæ spiritale præputium male repetita nuditas condemnetur; ne novus homo quidquam Judæi habere (41) videatur, aut Gentis. Ambo enim illi carnales sunt, ambo sine fructu. Unde dubium non est, neque præputium aliquid esse, neque circumcisionem, sed (42) solam observationem voluntatis Dei esse fideliter viventibus necessariam.

quam licet *signum* appellet vulgatus Pauli Interpres, quatenus corpus vere signat, tamen ad spiritum quod pertinet. *signaculum justitiæ* vocatur. *Signum* autem spirituale ex Patrum lingua non est, nisi quod animum afficit et signat; qua ratione *signa* dicuntur novæ legis sacramenta, quæ gratiam non tam significant, sed etiam producunt : illa vero Testamenti Veteris, quæ gratiam mere significabant, cum ad spiritualem notionem referrentur, tum *signacula* tantum appellata inveniuntur. Porro S. Cyprianus, lib. I Test., cap. 8, *signaculum* de circumcisione carnali, *signum* vero de spirituali, perinde ac S. Zeno accipit. *Illud signaculum feminis non proficit : signo autem Domini omnes signantur.* Similiter Minutius Felix, cap. 35, *notaculum corporis* illam vocat, hunc vero *innocentiæ ac modestiæ signum*, quo Christianos *facile dignosci* ait, uti eodem *censeri* S. Zeno dixit. Forte autem heic *signi* nomine baptismum intelligit, de quo adnotat. sequenti.

(38) *Quod habuisse non deberemus*, hoc loco præcipue est originale peccatum, quod per *signum Spiritus Sancti*, id est per baptisma abscissum, eoque proinde cor circumcisum patet; unde baptisma *spiritualem circumcisionem* esse Cyprianus defendit epist. LIX. De originali autem culpa sermonem heic præcipue fieri inde confirmatur, quod mox *diri seminis contagio* memoretur, quæ sane contagio peccatum innuit per generationem propagatum, a quo nos eo signo, seu ea spirituali circumcisione *purgati* tradimur. Vide adnot. 40.

(39) In editis et plerisque Mss. *ad tribuendam homini salutem*. Correximus ex antiquissimo ms. Rem. Post pauca *gloria* pro *gloriosa* in ms. Vat.

(40) Perspicue de baptismo heic sermo est, qui proinde S. *Spiritus signum* superius appellatus confirmatur. Quæ enim, amabo, alia spiritualis circumcisio quibuscumque tum viris, tum mulieribus, tum pueris proficiens, quacumque die potest adhiberi, nisi baptisma? Fuit quidem Fidi cujusdam Africani opinio Cypriani temporibus, neminem nisi octava die baptizari oportere, ut lex circumcisioni statuta servaretur. At hunc errorem, concilio habito, S. Cyprianus dispulit, de quo is plura agit epist. LIX.

(41) Ms. Rem., *videantur*.

(42) In editis et aliquot Mss. *solum* : lectio autem ms. Rem. præferenda visa est. Idem ms. Rem. cum Pomp. et edit. Ven. in finem addunt *Amen*.

109 TRACTATUS XIV.

De (1) *spirituali ædificatione domus Dei.*

I. Vellem, fratres dilectissimi, triumphali quodam modo uti sermone, novique operis arcem sacram laudibus geminare. Sed quamvis sit optimum laudare quæ Dei sunt, tamen præcipuum non est, quod cum Gentibus, vel Judæis potest esse commune; nam et illis si (2) liceat, vel si velint, fortassis cul-

TRACTATUS XIV.—(1) Hic tractatus recitatus videtur in dedicatione templi, quod Veronæ constructum fuerat, ut pluribus animadvertimus dissert. I, cap. 2, § 4. Manuscripti titulum hunc præferunt : *De ædificatione Domus Dei a Salomone:* et hunc tractatum eodem titulo prænotatum *explicationem pulcherrimam* vocant Joannes presbyter Veronensis in Historia imperiali ms. et ex eo Gullielmus Pastrengus et Petrus de Natalibus. Placuit vulgata inscriptio, cum ex occasione ædificati templi ad spiritualem Dei domus ædificationem persuadendam Zenonianus sermo ita deflectat, ut hoc unum Zenonem sibi proposuisse quisque intelligat.

(2) Cum *si liceat, vel si velint* disjunctive posita sint, haud opus est utrumque tum de Judæis, tum de Gentibus intelligere, ac si utrisque interdictum fuerit hoc tempore, quo S. Zeno hunc tractatum recitavit, ne alteri synagogas ædificarent, alteri erigerent capitolia. Nullæ quidem adversus Hebræos ante Theodosium juniorem leges latæ inveniuntur, quibus novarum synagogarum ædificatio iisdem prohibeatur : imo vero ex his, quæ id vetant, nihil tale antea vetitum fuisse palam colligitur; de quo plura dissert. I, cap. 2. De solis ergo Gentium templis verbum *licuit* accipiendum est, quibus etsi sub Juliano Apostata omnis fuit restituta potestas, quam Constantinus et Constantius imperatores eisdem ademerant, lege lata ne idolorum templa aperirent, nedum nova ne erigerent : tamen sub Joviano Juliani successore ædificandorum saltem novorum templorum facultatem Gentibus ademptam nihil ambigimus. Solum vero sub Valentiniano iisdem permissus suæ religionis usus, ut ne mirum sit, si palam patentes saltem in agris idolorum ædes a Zenone insinuentur, tract. V lib. I, num. 8, ubi de viro infideli templa idolorum petenti sermo est, et tract. XV, num. 5, ubi de rusticanis templis ethnicorum agitur.

Digitized by Google

tius synagogas ædificent, cultius erigant (3) capitolia; sed in his omnibus operibus vero judicio structores magis possunt placere, quam sacerdotes. Quid, quod aut nullum, aut perrarum est per omnem Ecclesiam Dei orationis (4) loci **110** membrum, quod possit quavis (5) ruina in se mergentibus idololatriæ ædibus nunc usque aliquatenus comparari? Nam et Salomonis accepimus templum luculento opere fuisse constructum, atque ita elaboratum, ut nesciret inspector, in eo quid potissimum miraretur, magnitudinem, opus, ornatum, an ne materiam : ita enim in unum decorem universa convenerant, ut legitima domus Dei caduca illa ambitio putaretur. Quod si ita esset, inter memorata impar cultu semper inveniretur.

II. Sed hæc sæcularia sine legitimo ac devoto cultore nec sufficientia, nec necessaria honori suo protestatur Deus hactenus dicens : *Cœlum mihi thronus, et terra suppedaneum pedum meorum. Quam mihi ædificabitis domum? aut quis locus ad requiem mihi? Omnia enim ista fecit manus mea* (*Isa.*, LXVI, 1, 2). In Evangelio quoque sic dicit : *Hierusalem, Hierusalem, quæ interficis prophetas, et lapidas missos ad te, quoties volui colligere filios tuos, sicut gallina pullos suos sub alas, et noluisti? Ecce remittetur vobis domus vestra* (*Matth.*, XXIII, 37, 38). Et iterum : *Non relinquetur in templo lapis super lapidem, qui non dissolvatur* (*Matth.*, XXIV, 2; *Marc.*, XIII, 2; *Luc.*, II, 5). Reprobat ergo tam immensum, tam insigne, tam opulens templum, quia in eo verum non erat templum; etenim hominum (6) conciliabulum est contextio ista parietum; fidelis autem populus **111** Dei (7) templum, Apostolo dicente : *Vos estis templum Dei, et spiritus Dei habitat in vobis* (II *Cor.*, VI, 16). Et verum est; nam sicut idolis insensatis similia templa conveniunt, ita viventi Deo viva templa sunt necessaria; in his enim solis sacerdotum Dei structura et propria est et perennis; qua et Judæos et Gentes vel cæteros antecedimus. Incomparabilis autem gloria, ac vere Deo digna, cum uno consensu, una fide, alter alterum commendans, devotione consimili convertuntur ad Deum et sacerdos et templum. Exsultate igitur, fratres, ædificationemque vestram æde ista de novella cognoscite, cujus quoque capacitatem felici numero fecistis (8) angustam : ex eo

(3) *Capitolium, id est curia Deorum*, ut explicat Tertullianus, in Apolog. cap. 6, pro idolorum fano vel templo frequenter usurpatum legimus. Eumenius in Panegyrico *Apollinis templum et capitolium* Augustoduni condita appellat *fana longe omnium in hac urbe pulcherrima*. Synodus Eliberitana, can. 59, prohibet ne quis Christianus *ad idolum capitolii* sacrificandi causa ascendat. Vide Cyprianum, de Lapsis, et Lactantium, lib. I, cap. 12 et 21, necnon lib. III, cap. 17, ubi Ciceronis locum allegat.

(4) *Loca orationis* dici solebant Christianorum templa, unde *oratorii* nomen subinde inolevit; et similiter sub tractatus finem *sacræ orationis iste locus. Ecclesiam* nihilominus S. Zeno non semel appellat : *templum*. autem ipsos Christianos solum ex Paulo Apostolo appellandos in decursu sermonis contendit. Vide de hoc adnot. 26, in tract. V. Hinc porro intelligitur quam pusilla et minimæ artis id temporis fere fuerint christianarum Ecclesiarum ædificia, ita ut nulla vel rara possent, ne dum cum Gentilium templis, sed ne cum ipsorum quidem, quæ supererant templorum ruinis comparari. Cum nimirum sub Constantino primum Ecclesias publicas aperire Christianis licuit; illis initiis vel privatas domos in Ecclesiæ usum transtulere, vel, si ædificarunt loca orationis, præsenti necessitati prospicientes, ædificasse credendi sunt sacras ædes rudi, ut aiunt, minerva, quæ satis essent Ecclesiasticis conventibus, ne cum sumptuosis idolorum templis de magnificentia contenderent.

(5) *Ruina quævis idololatriæ ædium* hoc loco memorata haud intelligi potest illa, quam imperatores legibus intulere, cum idolorum templa deleri jusserunt (id enim serius accidit, quam quod ad Zenonis ætatem referri queat), sed illa, quam eædem ædes quovis casu aut vetustate corrosæ minabantur; et sententia est, adeo pusilla esse loca orationis apud Christianos, ut ne dum cum stantibus idolorum templis, sed ne cum ruinosis quibuscumque (sic enim explicanda putamus illa *ruina quavis in se mergentibus*, id est collabescentibus) conferri queant.

(6) Hinc aperte *conciliabulum* dictus patet locus, in quo sacri conventus habebantur, quemadmodum et apud Livium, VII, 5, *conciliabula obire*. Auctor operis de Mortibus persecutorum, cap. 15, *conventicula* ipsos *parietes* Ecclesiarum cum Arnobio, sub finem lib. IV, aperte vocat. Confer Prudentium Apoth. V, 778. Cum ergo Patres antiqui Christianis templa esse negabant, non negabant his esse certa loca, in quibus sacros cœtus agerent (nam iisdem in operibus, in quibus negarunt sibi esse templa, sacros cœtus statis diebus a se habitos diserte affirmarunt, ut liquet ex Justini Apolog. etc.), at hæc loca, in quibus collectæ fierent, pro templis non habebant, quibus Deus, perinde ac idola Gentium, indigeret, sed tamquam mera loca hominibus congregandis idonea considerabant, unde *conciliabula*, non *templa* S. Zeno satis commode illa vocavit. Quod autem ait in eo Hierosolymorum templo *verum templum non fuisse*, forte alludit ad illa Apoc. XXI, vers. 22, ubi Joannes loquens de nova Hierusalem (quam Ezechiel similiter prænuntiaverat, cum novam novi templi ædificationem prospexit) inquit : *Templum non vidi in ea.*

(7) Solemne, ut mox innuimus, antiquis Patribus fuit protestari, Deo vivo opus non esse templis e materia constructis, sed ipsius templum vivum esse christianum populum et Ecclesiam ipsam fidelium. Vide, inter cæteros, Lactantium, lib. I Instit. cap. 10, et lib. IV, cap. 15; auctorem libri de Mortibus persecutorum, cap. 15, Minutium Felicem, Arnobium, etc. Hoc vivum templum profecto significare voluit S. Zeno, cum paulo post ait : *Devotione consimili convertuntur ad Deum et sacerdos et templum*, id est viva fidelium Ecclesia, quæ una cum sacerdotibus Deo laudes et sacrificium offerebat.

(8) Non rudes solum (ut vidimus adnot. 4), sed et angustas initio quarti sæculi fere fuisse christianorum ecclesias, cum pro paucitate illa fidelium, qui sub persecutionis fidem catholicam amplexi fuerant, non valde amplis basilicis opus esset; et solum aucto subinde post redditam Ecclesiæ pacem fidelium numero, novas ampliores ecclesias ædificandas fuisse, ex Athanasio liquet, qui in Apologia ad Constantium Alexandriæ in urbe totius Ægypti principe angustissimas fuisse tradit ecclesias usque ad an. 356, quæ cum capiendis fidelibus in dies crescentibus pares non essent, nova amplior exstructa fuerat ecclesia, in qua, populo rogante, ante petitam ab imperatore facultatem ipso die paschatis convenire necesse fuit : vide n. 14, page 303. Veronæ quoque simile quidpiam accidisse cognoscimus. Quin hoc tantum excrevisse patet fidelium multitudinem, ut

Digitized by Google

enim ipso, quod (9) nos non capit locus, exinde intelligitur, quia fides vestra capit Deum. Igitur ne quis operationem a me forte disquirat, paucis insinuabo.

III. In totius fabricæ fundamentis, non sicut in Judææ templo plurimi, sed magnus, præclarus, pretiosus, ac speciosus unus est lapis, qui (10) quadræ turris totam solus sustinet molem (*Ephes.*, II, 20) : cui non innumerabilis **112** (11) varie famulatur acies validissima columnarum, quia illi (12) septem solæ sufficiunt : non æneum inhæret mare, quia illi perennis fontis sui vivum inest (13) mare : non quod naufragos faciat, sed quod naufragos ad vitam suavem perducat : non aurum, non argentum; quia in suis martyribus computat totum. Non fenestrarum lumen implorat; quia (14) sol æternus in eo manet. Inæstimabilia unius plenitudinis (15) tria illi sunt membra, unum (16) secretarium, et patentes semper duodecim portæ, quas ab hostili defendit impulsu in modum (17). **113** Tau litteræ prominens lignum. *O res vere miranda ! Quotidie ædificatur et quotidie dedicatur : floribus perpetuis ac diversis gemmis, lapidibus, margaritis per momenta distinguitur : et quia opus est vivum, tectum non habet, nisi cœlum.*

IV. Dicam præterea, quæ quotidie merces, quæ impendatur annona. Omnibus peræque unus panis cum (18)

nova quoque ecclesia, quæ per se satis ampla et capax fuisse traditur, sola populi frequentia facta esset *angusta*. Tam ingentem vero christianorum numerum S. Zenonis laboribus potissimum tribuendum putamus, ut verum sit, quod de ipso cecinit Anonymus Pipinianus : *Veronam perduxit ad baptismum.*

(9) Ms. Pomp., *vos*.

(10) *Quadraturis* legitur apud Casaubonum, qui hocce testimonium allegat exercit. 15 ad Annales Baronii n. 13, p. 360, quod nomen occurrit apud Higinum de Limit. et Vopiscum in Firmi Vita. Indicaret autem Zeno quadros lapides, qui in ædificiis fortissimis adhiberi solebant ex Isaia IX, vers. 10; Ezechiel XL, vers. 42; Judith. I, vers. 2; Herma, lib. I, Vis. 3, etc. : unde primus, qui in fundamentis ecclesiarum vel olim jacebatur lapis, quadræ erat figuræ, ut intelligimus ex antiqua inscriptione Narbonensi apud Gruterum, p. 1058, in qua Rusticus episcopus Leonis Magni coævus, qui novam basilicam Narbonæ ædificavit, *quadratum in fundamento posuisse* traditur : qui mos etiam apud Romanos in Deorum templis construendis viguit, ut discimus ex Livio, lib. VI, c. 5, qui *Capitolium* insigne Romæ omnium Deorum templum *saxo quadrato substructum* prodit. Sed præter codicum et editionum fidem sine necessitate immutare quidquam noluimus; cum præsertim Ecclesiæ spirituale ædificium, de quo heic sermo est, *turris* a Zenone subinde appelletur, primum num. 4, ubi *turris completæ* meminit, et rursus n. 5, similique sensu *arx sacra* initio nominatur. Quadra autem figura mystice satis est celebris, quippe quæ novæ civitati Hierusalem tribuitur tum in Apoc. XXI, vers. 16, tum in Ezech. cap. I. *Turris* item frequens est in Scripturis mentio, et apud Herman. lib. III, cap. 19, ut ne plura animadvertere necesse sit. Vide Hieronymum, in c. IX Isaiæ vers. 10, ubi *turrim* pro *templo* interpretatur.

(11) Ms. Pomp. corrigit *varietatis*. Si ex arbitrio liceret corrigere, legeremus potius *innumerabili varietate*. Relativum *cui* et quæ sequuntur non ad lapidem angularem, sed ad *molem*, seu ecclesiam referuntur.

(12) Num septem heic sacramenta indicantur, quibus tamquam columnis suam Christus Ecclesiam suffulcit? num septem dona Spiritus sancti? de quibus Isaias cap. XI, vers. 21, an virtutes septem? an septem ordinum gradus? De septenario numero plura symbolice Ambrosius, epist. XLIV, et ante ipsum Cyprianus, ad Fortunatum, de Martyrii laudibus, cap. 11, quod testimonium Hieronymus, epist. L, ad Pammachium laudat.

(13) Hoc *mare*, quod naufragos ad vitam perducit, procul dubio est baptismatis lavacrum; qui enim baptizabantur, tamquam naufragi olim immergebantur sacris undis, ut aliunde notissimum est. *Suavem abest* a Ms. Rem. pro quo in Tol. *suam vere*.

(14) Tum heic, tum in aliquot ex sequentibus Apocalypseos allegoriam, qua nova Hierusalem describitur, S. Zeno imitatus videtur; nam Apoc. XXI, vers. 23 : *Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea : nam claritas Dei illuminavit eam.* Duodecim portæ ibidem memorantur, vers. 12, nec non apud Ezech. XLVIII, vers. 31.

(15) Quæ tria ista spiritualis Ecclesiæ sint membra, non facile affirmarimus. Æquius videntur innui tres Ecclesiæ partes, quas Militantem, Triumphantem, et Purgantem vulgo nominant : ex quibus totius Ecclesiæ plenitudo conficitur. Alia, sed minus probabilia suppetunt, quæ referre non vacat. Suum cuique judicium esto. Cæterum *tria unius plenitudinis membra*, quæ S. Zeno a materiali ad spiritualem Ecclesiam per allegoriam traducit, re ipsa sunt, ut videtur, tres ecclesiarum partes duobus interjectis columnarum ordinibus distinctæ, quæ tamen unam ecclesiam conficiunt : quod si probetur novam Veronensem ecclesiam in hanc formam, uti cæteræ antiquæ, constructam credibile est, ut præsentis ædificationis exemplo S. Antistes uteretur.

(16) *Secretarium* dicebatur ædicula templo adjuncta, ubi sacra vasa et vestes recondebantur. At nonnumquam pro ipso sanctuario et presbyterio id nomen acceptum observat Mabillonius, in commentario ad ordines Romanos, tom. I Musei Italici, pag. 22, § 5. *Secretarium* Romanis appellabatur locus, ubi Senatus cogebatur; et hinc *secretaria* a christianis frequenter dicta inveniuntur loca, ubi episcopi conveniebant, ut ex pluribus conciliis et conciliorum actis liquet; id quod tum de presbyteriis, tum de ædiculis memoratis intelligi potuit. Forte heic accipitur ille templi locus, qui lib. III, Reg. cap. 6, *oraculum* vocatur, et sanctuarium quidem erat in Hierosolymorum templo unicum.

(17) Crucem hæc vox significat, et spectatur Ezechielis prophetia, cap. 48, v. 31, ubi ii, quorum in frontibus *Tau* littera signata fuisset, ab internecione liberandi præcipiuntur. Hanc autem litteram *Tau* crucis imaginem prætulisse, solemnis est Patrum antiquorum sententia. Vide Tertullian. lib. III adversus Marcionem, c. 22, et Hieronymum, lib. III, in Ezechielem, cap. IX, vers. 4, ubi præterea cruces in *Tau* litteræ similitudinem constructas testatur. Pamelius quidem n. 174, in laudatum Tertulliani locum notat, in antiquis Mss. missalibus, uti appellant, initio canonis, qui a *Tau* littera incipit, se vidisse in ea depictam Crucifixi imaginem, cui ipsa littera *Tau* crucis loco erat. Porro crux e portis ecclesiæ duodecim prominebat loco Cherubin, qui apud eumdem Ezechielem, cap. XLI, vers. 25, in *hostiis templi* cælati traduntur.

(18) Eucharistia heic procul dubio innuitur, quæ fidelibus domum deserenda tradebatur, ut convincitur ex alio Zenonis testimonio, tract. V, num. 8, in quem vide adnot. 29. Quid porro ea *cum ligno* tradita dicatur, si quis ex nobis quærat, monebimus primo, forte legendum esse *cum lino*, non ob linum feminarum, quæ communicaturæ Eucharistiam in *linteaminibus* accipiebant, cum soli viri eam nudis

Digitized by Google

ligno datur. **114** (19) aqua cum vino, (20) sal, ignis et oleum, tunica rudis et unus (21) denarius, quem qui libens acceperit, acceptumque non spreverit, **115** sed in labore usque ad ultimum perduraverit, turri com-

manibus reciperent, de quo fuse P. Edmundus Martene de Antiquis Ecclesiæ rit. lib. I, part. I, cap. 4, art. 10, num. 8, non ob linum feminarum, inquam (nam S. Zeno universim loquens, ritum cum feminis, tum viris commune complectitur), sed ob lineam syndonem, vel sacculum, quo Eucharistiam involutam viri perinde ac feminæ domum afferebant. Cardinalis Bona, lib. I Rerum liturgicarum, cap. 25, § 12, meminit sacculorum et syndonum, quibus oblationes reciperentur. Sed eucharistiam in linteolis pariter distributam suadent acta S. Birini apud Surium die 3 decembris, in quibus traditur, Honorium Pontificem eidem dedisse *pallam super quam corpus Christi conservabat, et in qua corpus Dominicum involutum et ad collum suspensum semper secum ferebat.* Similiter S. Adalbertus Pragensis episcopus, ut prodit ejus vita sæculo V Benedictino inserta, num. 37, cum quondam sacrificium obtulisset, quidquid e sua et Baptizatorum communione supererat, colligi jussit, et *mundissimo panno involutum sibi servavit.* Propius ad Zenonis ætatem est, quod tradit S. Ambrosius, lib. I de excessu Satyri, num. 43, quod nimirum is adhuc catechumenus in naufragii periculo eucharistiam a christianis secum iter habentibus postulavit, eamque *ligari fecit in orario, et orarium involvit collo;* orarium autem erat linteum, seu sudarium, ut multis apud Ducangium videre est. Græci vero in sacculo, quem muris appendebant, eucharistiam in ecclesiis servabant, ut discimus ex variis monumentis recitatis, lib. III, ejus operis, quod perpetua Ecclesiæ fides circa eucharistiam inscribitur. Sed hæc expresse ad eucharistiam in itinere delatam, vel in ecclesiis custoditam pertinent : num eadem ratione quibusque christianis domum petentibus eucharistia traderetur, nihil explorate affirmat. Aliunde nulli Codd. editiones nullæ *cum lino* habent. Itaque *cum ligno* retinendum duximus, id quod insinuat, eucharistiam arcæ ligneæ inclusam, fidelibus tuisse traditam, ut sic cautius eam deferrent domum, ne quid fragmenti decideret. Ex hoc sane commodius intelligitur, quod S. Zeno, tract. V, n. 8, de Gentili viro cum Christiana femina conjuncto affirmat. *Arrepto*, inquit, *forsitan sacrificio tuo tunm pectus obtundet, tuam faciem deformabit :* capsulis enim ligneis, in quibus *sacrificium*, id est eucharistia condebatur, ictus et vis ejusmodi facile congruit, ut et pectus obtundere, et faciem deformare possent. Huc forte spectat Cyprianus in libro de Lapsis mentionem faciens mulieris, quæ *arcam suam, in qua Domini sacramentum fuit*, cum indigne aperire tentasset, igne inde erumpente deterrita est, ne auderet attingere. Neque mirum si tam vilis *ligni* materies eucharistiæ recipiendæ adhiberetur. S. Hieronymus, epist. 4, ad Rusticum Augustodunensem, corpus Christi in *vimineo canistro* ab Exsuperio Toletano distributum prodit. Eorumdem canistrorum in distribuenda eucharistia usum testantur Joannes episcopus et Epiphanius presbyter in indiculo directo ad Hormisdam pontificem, tom. V Concil., pag. 655, edit. Venetæ, cum *canistra* (virgultis et viminibus sane contexta, ut ex Palladio et Isidoro liquet) *plena* eucharistiæ sacramento omnibus Thessalonicæ distributa commemorant. Temporibus quoque Gregorii XI, eucharistia Romæ servabatur *in cophino* ex ceremoniali Petri Amelii, cap. 51 et 131. Græci quidam adhuc nunc, Furero tradente in Itinerario, pag. 74, panem eucharisticum *e cophino accipiunt*. Cophinus autem licet antiquis mensura esset, quæ non tam res sicas, quam liquores metiebatur ex Polluce, lib. IV, cap. 23, num. 168, qui locum insignem antiqui poetæ in confirmationem adducit ; tamen posteriori ævo ex Glossis accipiebatur pro *corbe*, quæ *curvatis virgis* contexebatur ex Isidoro XX, 9. Synodus Trullana, can. 101, memorat vascula non tam ex auro, quam *ex alia materia*, quibus eucharistia recipiebatur; et cum divites ex pretiosa, tum pauperes ex vili materia arculas adhibuisse credibile est. Sub Zenonis itaque tempus arcas ligneas in usu fuisse hoc testimonium demonstrat.

(19) Calicis potio hisce verbis exprimitur, cujus usum in ipsa quoque Romana Ecclesia obtinuisse ad initium usque sæculi XII ostendit Mabillonius in Comment. ad Roman. ord. tom. I Musei Italici § 9, pag. 61 : *Aqua cum vino* potius, quam *vinum cum aqua* venustatis gratia dictum videtur, ut cum superioribus *panis cum ligno* concentus fieret; ac propterea nihil hinc inferre licet, ut aqua in sacrificio adhibita, aut potiori, aut æquali fere parte cum vino sumpta credatur. Justinus, in Apologia II scripsit *vinum et aquam*. Cum antiqui patres ob arcani disciplinam hisce formulis utebantur libenter, ut ne proinde eorum id generis testimonia ab heterodoxis accipi queant, ex quibus Christi præsentiam in Eucharistia antiquis incognitam blatirent, quæ satis aliis ex testimoniis convincitur ; tum vero iisdem uti præter cæteros mirifice delectabatur Zenonis ingenium, quod in allegoriis ejusmodi frequens versabatur, ut aliis ex tractatibus manifestum est. Advertendum præterea est, quod forte hoc loco *aqua et vinum* simul dicta sunt, ut indicetur baptisma et calix, ex quo vel pueruli vix baptizati participabant : vide adn. VII, in tract. 32, lib. II.

(20) *Sal, ignis, oleum, et tunica rudis* ad baptismum pertinent : ubi ignis indicat *lumina neophytorum splendida*, quæ vel olim in baptismo adhibita testatur S. Ambrosius libro de lapsu virginis, c. 5. Fortassis etiam *ignis* nomine illum ignem Zeno indicat, quo aqua in baptismate adhibita temperari solebat, ut docebimus ex tract. 35, lib. II, adnot. 3. *Tunica rudis* est alba vestis, quam tunicam item vocat Marcellinus in Chronico ad an. 419, *Rudis* vocatur, eo quod esset nova, nec usu detrita : vide adnot. 12, in tract. VIII, lib. II.

(21) Hoc denarius in Ecclesia collatus, et baptismalibus cæremoniis a Zenone subjectus, ad baptisma profecto pertinet. Singulare id quidem testimonium apud unum nostrum auctorem reperire licuit ; sed bis ejusdem denarii alibi meminit, ut nihil dubii in eo oboriri queat. Tract. 35, lib. II, ait : *Jam balneator præcinctus exspectat, quod unctui, quod tersui opus est, præbiturus, sed et denarium aureum triplicis numismatis unione signatum* : ad baptizandos autem loquitur. Rursum tract. 42, ad neophytos de divina providentia hæc habet : *Ne quem plus amare videatur, aut minus, unam nativitatem, unum lac, unum stipendium, unam Spiritus sancti præstat omnibus dignitatem :* ubi *stipendium* pro *denario* positum apparet. Num quis verus denarius in baptismate neophytis tradebatur? P. Edmundus Martene, part. I de Antiquis Ecclesiæ ritibus, lib. I, cap. 1. art. 18, duos baptismi ordines publici juris fecit, alterum, n. VI, ex libro Sacramentorum Gellonensis monasterii, alterum n. 8, ex ms. codice S. Remigii ante annum millesimum exarato; et in utrisque *decem silicæ* neophytis una cum albis datæ traduntur. Alius Ordo Romanus VII, a Mabillonio vulgatus, tom. II Musei Italici, pag. 83, *decem syclos* scribit, sed *decem silicas* legendum nihil dubitamus, vel *siliquas*, quod sane scribitur in ordine Romano I, pag. 7 ejusdem Musei. *Silicas* autem denarii speciem fuisse constat ex Gregorio Magno, lib. IX, epist. XIV, et ex Charta plenariæ securitatis, apud Brissonium, de Formulis, lib. VI, quibus in locis *siliquæ aureæ* pluries nominantur. Vide etiam S. Isidorum, lib. XVI de Orig. cap. 24. Hæc quidem testimonia nimis sera sunt, quam quæ ad Zenonis ætatem porrigi queant. At

Digitized by Google

pleta, inæstimabiles divitias in ea commanens possidebit.

V. Memorandum quoque necessario est etiam illud, a quo quid agatur in templo. Sacerdos vocat, ostium credulitas aperit, simplicitas introducit, intellectus invitat, veritas persuadet, timor excubat, disciplina coercet, continentia se refrenat. Stat in angusto fides, in secreto pudicitia, in primo innocentia, æquitas in medio, in fine patientia. Pax colligit, charitas ligat, sollicitudo custodit, justitia distribuit, pietas ministrat, puritas supplicat, spiritus postulat, spes promittit, sapientia domus domina prærogat munera. Exsultate, seniores, (22) vos estis hujus operis firmamenta. Exsultate, juvenes, vos estis lapidibus adamantinis meliores. Exsultate, pueri, sacræ turris dulces, ac sine pretio margaritæ. Felicia, exsultate, conjugia : (23) meliores **116** ornatui gemmas sculpitis, quam vos estis. Exsultate, viduæ : quadratura vestræ virtutis angularis lapidis conjugio cohæretis. Exsultate, virgines : omnem istam celebritatem honore vestri floris ornatis. Exsultate, divites (24), prærogationibus crebris et justis veri divites facti : promotioni etenim cœlestis vestræ dignitatis debetur divini operis perennis ista laudatio. Exsultate pauperes

A spiritu : per vos, et in vobis Dei major est domus : nam et omnibus æquales estis et (25) pedaturas omnes vestri corporis ambitu superatis. Denique sancti divites pauci sunt, vos plures estis.

VI. Hæc sunt, dilectissimi fratres, charismata vestra : hæ virtutes, quibus Hierusalem spiritalis instruitur, quibus sacræ orationis iste locus novus et populus quotidie Christi Dei et Domini nostri providentia comparatur. Hic labor noster illustris : hæc gloria omnium sacerdotum : hoc mysterium Deo, hoc opus charum, hoc opus vivum carnaliter geritur, sed spiritaliter promovetur. Præstabit autem Deus pater omnipotens, ut quomodo isto in terrestri domicilio ei gratias agimus, ita in cœlestibus regnis uberiores sanctis cum omnibus referamus (26).

B

117 TRACTATUS XV.

(1) *De triplici genere sacrificiorum.*

I. In omni negotio, fratres dilectissimi, nisi quis ante personam noscat, et rationem, ejus non potest nosse veritatem ; hæc enim res et fecit, et facit, ut Judæus, et Judæo deterior (2) Christianus, Dei filium Deum esse non credant : quos vellem adesse paulisper, auremque præsenti commodare (3) lectioni

cum hanc cæremoniam non de novo inventam mediis illis temporibus, sed ex ritu antiquo derivatam atque illis in ecclesiis custoditam satis credibile sit : forte ex hoc ritu, qui a Zenone hic indicatur, et in Veronensi ecclesia vigebat, vel ex alio aliquo simili originem duxit. Neque difficultatem moveat, quod huic denario mystica interpretatio a Zenone subjiciatur : nam singulæ cæremoniæ sacræ semper aliquid mysticum exhibent, uti liquet ex ecclesiasticis formulis, quibus vestis alba, sal, etc., baptizatis traduntur. Imo vero cum constans denarii, numismatis, vel stipendii mentio fiat in Zenonis tractatibus ; denarius aliquis, quod mystice quidpiam innueret, perinde ac sal, vestis alba, etc., traditus vere fuisse dicendus videtur, cujus significationem alibi, ubi opportunior erit locus, diligentius explorabimus. Numquid enim, cum omnia quæ hic Zeno commemorat, baptizatis vere traderentur, solus denarius non tradebatur? Id sane persuadere nobis non possumus.

(22) In edit. Ver. typographi per saltum ab hisce vocibus *vos estis* ad alias similes in altera sententia positas transcurrentes, integram lineam omiserant, quam ex mss. et edit. Ven. supplevimus. Solum in ms. Urb. *fundamenta* pro *firmamenta*.

(23) *Gemmæ meliores* appellantur filii, quos Christiani conjuges gemmarum ad instar sculpunt, dum eos sancte instituunt. *Meliores* autem, quam ipsi conjuges, vocantur, quod in ipsa pueritia, dum educantur, et virgines et innocentes esse soleant.

(24) Divitum nimirum prærogationibus nova ecclesia ædificata fuerat. *Promotio* autem (qua voce post pauca Zeno utitur) in Asconio Pediano et Lampridio occurrit.

(25) In editis et mss. aliquot *prædaturas*, sed male : correximus ex ms. Rem. *Pedatura* autem est spatium certo pedum numero finitum, nec non ipsa per pedes dimensio. Vide Goesii indiculum et Frontinum de Coloniis, pag. 333, 338 et 358.

(26) Mss. Urbin. Pomp., et edit. Ven. addunt *Amen*.

TRACT. XV. — (1) In plerisque mss. nullus huic tractatui titulus præfigitur, sed solum : *Incipit alius tractatus*. Titulum descripsimus ex solo ms. Zen. et edit. Ven. ; in

aliis autem editionibus hæc alia inscriptio præterea apponitur. *De Psalmo* XLIX. Hic autem tractatus ad neophytos potissimum habitus apparet tum ex his verbis, n. 2 : *Novelle disce Christiane*, tum ex iis sub finem : *Itaque dulcissimi flores mei ;* ex quibus etiam colligimus hunc tractatum recitatum fuisse tempore paschali, quo ad neophytos plures alii sermones a Zenone habiti, sequenti libro recitabuntur. Hunc autem in hoc primo libro idcirco posuimus, quod et longior sit multo, quam cæteri, et de sacrificiorum genere fusius disserat, quod ad primi libri tractatus commode pertinet.

C

(2) *Christiani Judæo deteriores*, qui hoc loco perstringuntur, sunt Ariani ; hi enim, perinde ac Judæi, sed graviori multo crimine Dei filium Deum esse inficiabantur.

D

(3) Mirum cuipiam fortassis videbitur, quod *legi* dicantur psalmi, quos in Ecclesia cantu elatos certum est. At non Zeno unus psalmos fuisse lectos tradit et hoc loco et tract. XXVII lib. II, ubi n. 1, *psalmi lecti* meminit, sed alii etiam Patres, inter quos suppar Zenoni auctor Ambrosius, non semel ex lectione psalmi sermocinandi occasionem sumpsit. Sic exemp. gr. l. I de Offic., c. 3. n. 13, *Audistis hodie lectum : Irascimini, nolite peccare*, etc., et epist. XXII, recitans sermonem habitum in inventione corporum SS. martyrum Gervasii et Protasii, postquam in exordio affirmavit, imparem se primum sensisse dicendo, subdit n. 3 : *Sed ubi sanctarum legi cœpit series Scripturarum, largitus est Spiritus sanctus, qui locutus est in prophetis, quod dignum aliquid tanto cœtu.... proferamus :* memorat autem, n. 4, psal. XVIII., *fortuita lectione* recitatum, ac dein *alius psalmus lectus*, inquit n. 7, et fuit psalmus CXII. Itaque hoc sæculo, cum nondum statuta fuisse videtur certa Scripturarum lectio (unde Gregorius Turonensis, lib. IV Hist. Franc., c. 16 : *Unusquisque*, ait, *in libro quod primum aperiebat, hoc ad Missas etiam legeret :* quibus simile quiddam de psalmorum cantu tradit Augustinus, serm. 352, n. 1.), tum vero præter psalmos, quos cantu recitatos nihil ambiginus, alii quoque psalmi vel præcipiente Episcopo, vel fortuita lectione ante concionem lecti fuisse cognoscuntur, quos non numquam etiam populus repeteret, ut vel maxime liquet ex Athanasii,

Digitized by Google

ut edicerent nobis, quinam Deus iste sit qui dicit : *Audi populus meus, et loquar, Israel, et testificabor tibi : quoniam Deus Deus tuus ego sum* (*Ps.* XLIX). Et infra : **118** *Meus est orbis terræ et plenitudo ejus. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. Et invoca me* (4) *in die tribulationis tuæ, et eripiam te, et magnificabis me* (*Ps.* XLIX, 12, *et seq.*). Si pater loquitur, fratres, quis est iste, cui tantum defert? Quis est, quem *Altissimum* dicit, cum ipse sit solus, a quo alius altior non sit? Sin vero omni honorificentia deferentis Patri verba sunt Filii, debetis agnoscere quantis catenis vincta tenebrarum mens laboret incredulorum.

II. *Immola*, inquit, *Deo sacrificium laudis.* Primo omnium, sacrificiorum tria esse genera novelle disce, Christiane, ne quo seducaris errore. Unum est enim detestabile, alterum reprobum, tertium mundum. Detestabile est Gentium, reprobum Judæorum, populi christiani mundum. Igitur Gentium sacrificium quam exsecrabile est, tam (5) inane : colunt enim vani vana figmenta in quaslibet formas, vultus, sexus, ætates, auri argentique detrimento matris limæ moderato dente figurata. Quæ est ergo ista dementia? sacrificium nescientibus procurare, lumen cæcis inferre, thura non spirantibus concremare, allegare preces surdis : ab his custodiam petere, quos fur non timet involare. Quibus recte Deus irascitur dicens : *Nolite ambulare post deos alienos, ut serviatis eis; et ne adoraveritis eos : ne quando inciteris me in operibus manuum vestrarum, et disperdam vos* (*Hier.*, XXV, 6). Quæ autem sint ista opera manus humanæ, Spiritus sanctus in psalmo nonagesimo quinto declarat dicens : *Omnes dii Gentium dæmonia; Dominus autem cœlos fecit.* Et in Deuteronomio (XXXII, 17) : *Sacrificaverunt dæmoniis, et non Deo.* Ac ne quis sacrilegium existimaret sibi impune esse cessurum, Scriptura iterum ibidem dicit : *Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino soli* (*Exod.* XXII, 20). Hæc (6) Gentibus, nisi convertantur, manet divina sententia : quæ nec Deum, nec sacrificium etiam ipsæ cognoscunt se habere legitimum.

III. Nunc Judæorum quoque sacrificia a Deo repudiata cognoscite, qui dicit ad eos in Isaiæ libro : *Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum? plenus sum holocaustomatis arietum et pinguamine agnorum.* **119** *Sanguinem taurorum et hircorum nolo : quis enim exquisivit ista de manibus vestris* (*Is.*, I, 11, 12)? Per alium adæque Prophetam Spiritus sanctus clamat, et dicit : *Præcingite vos, et plangite, sacerdotes, lugete omnes, qui deservitis altari : quoniam ablata est de domo* (7) *Domini vestri hostia et immolatio* (*Joel.* I, 13). Multa sunt, quæ dici possunt : sed satis otiosum est in his demorari, quæ in toto jam (8) non sunt.

IV. Unum sane necessario proferemus exemplum, quod et Judæi odiosum, et Christiani sacrificium approbet Deo gratum. Apud Malachiam prophetam : *Non est mihi voluntas circa vos, dicit Dominus : et sacrificium acceptum non habeo ex manibus vestris : quoniam a solis ortu usque in occasum clarificatum est nomen meum apud Gentes, et in omni loco odores incensi offeruntur nomini meo, et sacrificium mundum : quoniam magnum est nomen meum apud Gentes, dicit Dominus* (*Malac.* I, 10). *Immola Deo sacrificium laudis* (*Ps.* XLIX, 14). *Immola*, inquit, *Deo*, (9) non dæmoniis, *sacrificium laudis*, non vituperationis, et *redde Altissimo vota tua.* Honorem totum refundit in patrem, ex quo omnia. Et *invoca me in tribulatione tua, et eripiam te* dicendo, ostendit, quoniam per se omnia prosecutus est. *Et magnificabis me* : quod dictum, fratres, non sic debetis accipere, ut operis sui laudem sibimet soli deberi testatus sit, qui in Evangelio dicit : *Si non facio facta patris mei, nolite mihi credere : sed si mihi credere non vultis, factis credite; et cognoscite, quoniam in me est pater, et ego in illo* (*Joan.* X, 37, 38) : dictum significatione unica majestatis, et affectu individuo pietatis; quia laus filii est patris, et laus patris amborum.

V. Nunc sacrificii nostri proprietatem nos convenit nosse, quæ facile ex adverso cognoscitur : nam si diis corporalibus sacrificium convenit corporale, utique et spiritali Deo sacrificium est necessarium spiritale : quod non ex sacculo, sed ex corde profertur; quod non (10) bromosis pecudibus, sed suavissimis moribus comparatur; quod non cruentis manibus, sed sensibus mundis offertur; quod non

Apolog. *de Fuga sua* prope finem, ubi scribitur : *Residens in sede præcepit, ut Diaconus psalmum legeret, populi responderent : Quoniam in æternum misericordia ejus.* Quod si quis velit, hac quoque tempestate inductam fuisse consuetudinem, quam Augustini ævo in Africa jam vigentem pluribus testimoniis confirmat piissimus æque ac doctissimus cardinalis Thomasius in præfatione ad psalmos, pag. 19, ut scilicet psalmos membratim prælegeret lector, eosdemque populus respondendo cantaret, nihil laborabimus : id enim ad explicandum Zenonis locum satis est.

(4) Mss. Zen. et Pomp., *in tribulatione tua*, ut sane legitur inferius, n. 5.

(5) *Inane est* editi cum aliquot mss. At substantivum *est* delevimus auctoritate codicum Tolent., Pomp., Zen.

(6) Secuti sumus lectionem antiquissimi ms. Rem. cum alibi *Gentes* legatur; nam *maneo* recte cum dativo, non minus quam cum accusativo construitur. Virgilius Æneid., I, v. 257 : *Manent immota tuorum fata tibi;* et Velleius, I, 4, 2 : *Aliis ritus patrii mansit custodia.*

(7) Mss. Tolent. Pomp. *Dei.*

(8) Quia scilicet Hierosolymitanum deletum est templum; hoc autem deleto Judæis amplius sacrificare non licet, de qua re iterum Zeno tract. LX et seqq., lib. II.

(9) Editi ac mss. aliquot *et non :* conjunctionem *et* tribus codicibus ignotam abjecimus.

(10) In edit. Ven. *brumosis;* in edition. Ver. *bramosis;* sed male. *Bromosis* autem ex mss. supposuimus, quamquam et *brumosum* promiscue apud auctores legatur. *Bromosus* vero, seu *brumosus* est grave olens, injucundum, a voce Græca βρῶμος *graveolentia*, βρωμῶδης *fœtidus.* Id nomen sic accipiendum patet ex Rufino l. III, de Vitis Patrum n. 39 : *Et cum fœteret brumosa aqua odore, non permittebat, ut aliam aquam mutarent.* Cœlius Aurelianus l. III Tard. pass. c. 2 : *Corruptio acceptorum cum acore in bromosum, vel in fumosum transeuntium qua-*

Digitized by Google

120 jugulatur ut pereat, sed, sicut Isaac, immolatur, ut vivat, Apostolo hortante nos Paulo, cujus ista sunt verba : *Exhibete corpora vestra hostiam* (11) *viventem, sanctam, placentem Deo* (*Rom.* XII, 1) : hoc enim placitum est Domino, ubi seipsum candidus animus immolaverit Domino ; (12) cæterà autem nihil proderunt, si colentis pura mens non sit, in Ecclesiastico Salomone clamante : *Dona iniquorum non probat Altissimus* (*Eccles.* XXXIV, 23).

VI. Hic quærite, Christiani, sacrificium vestrum an esse possit acceptum, qui vicinarum possessio-

A num omnes (13) glebulas, lapillos, et surculos nostis ; in prædiis autem vestris fumantia undique sacrificia ? Probatio longe non est. (15) Jus templorum ne quis vobis eripiat, quotidie litigatis. Non hi solum, qui tales sunt, displicent Deo, sed et illi, qui per (16) sepulcra discurrunt ; qui fœterosis (17) prandia cadaveribus sacrificant mortuorum ; qui amore luxuriandi atque bibendi, in infamibus locis lagenis et calicibus subito sibi (18) martyres pepererunt ; qui dies ob-

fana non nostis, quæ (si vera dicenda sunt) (14) dissimulando subtiliter custoditis. **121**

cos sacrificasse ex superioribus constat. Lex autem 12 Theodosiani Codicis, tit. *de Paganis*, huic juri explicando lucem præferet. In hac Magnus Theodosius omnia etiam privata sacrificia idolorum interdicit, domoque ipsa, seu possessione eos multari jubet, ut fisco addiceretur ; qui ibidem sacrificasse comperti essent, *si tamen*, inquit § 3, *ea loca in jure fuisse turificantium probabuntur*. En aperte dominorum thurificantium jus. Sequitur § 4 : *Sin vero in templis, fanisve publicis, aut in ædibus agrisque alienis tale quispiam sacrificandi genus exercere tentaverit, si ignorante domino usurpata constiterit, 25 librarum auri multæ nomine cogetur inferre : conniventem vero huic sceleri par ac sacrificantem pœna retinebit.* Ubi verba illa *si ignorante domino* jus dominorum satis insinuant, pro quo tuendo quotidie litigatum fuisse ea forte de causa, quod quidam nulla petita a dominis facultate in iisdem templis sacrificare ausi essent, ex Zenone colligi videtur. Saltem vero cum nec eadem demoliri vellent, ut poterant, quæ alii nulla petita, vel obtenta venia sacrificaturi subinde adibant ; illi *dissimulando fana subtiliter*, id est per lites *custodire* dicuntur : quæ dissimulatio quam magno dominis vitio esset, cum et prohibere sacrificia pro suo jure possent, et fanis demoliendis impedire, facile cognoscimus.

(16) *Per sepulcra*, id est in cœmeteriis, in quibus collocata et distributa per agros erant mortuorum sepulcra, et in quibus sane peracta etiam cætera, quæ hic subjiciuntur, ac præsertim prandia, liquet ex Augustino, epistola XXIX. Vide annotationem sequentem, et 18.

(17) Legebatur *prandiis*, sed male : parentalia autem hic indicantur, quæ cum sacrificii quoddam essent genus, a Christianis usurpata jure damnantur. Ab his proinde ut neophyti maxime caverent, S. Gaudentius sedulo monuit serm. IV, p. 57, et Append. Augustin. n. 2. Exstat Lex 19 Codicis Theod. tit. *de Paganis*, quæ ait : *Non liceat.... funestioribus locis exercere convivia.* Gothofredus τὸ *funestioribus locis* accipit de templis ; sed de locis sepulcrorum, seu cœmeteriis accipiendum ex hoc Zenonis testimonio discimus.

(18) Christianis solemne olim erat in cœmeteriis sacra peragere tum propter persecutiones, tum propter reverentiam Martyrum, qui illic quiescebant ; unde Valeriani aliorumque imperatorum edicta exstiterunt, quibus illi prohibiti fuerunt cœmeteria adire, eoque in officio deprehensi morte multati sunt. Reddita porro ecclesiis pace, ad eadem cœmeteria magnus et frequens Christianorum concursus, et in Martyrum festis epulæ pauperibus distributæ, quas *agapes* vocabant. Cursu porro temporis charitate refrigescente, in crapulas et impudicitias tam pia institutio deflexit. Ut autem Christiani eluones et libidinosi suas comessationes libidinesque honesto aliquo titulo excusarent, occasionemque licentiæ pietatis ac religionis nomine defenderent, defunctos, quos in cœmeteriis, vel sepulcris convenirent, et

litatem, etc. Hinc corrigendum putamus S. Gaudentii locum serm. II, p. 44, qui sic editus est : *Quod autem sacramenta corporis sui et sanguinis in specie panis et vini offerenda constituit, duplex ratio est : primum ut immaculatus Dei agnus hostiam mundam mundato populo traderet celebrandam sine ustione, sine sanguine, sine brodio, id est jure carnium*, etc. In B voce *brodio* Ferrarius et Menagius similis Italicæ vocis originem deprehendisse sibi visi sunt. At cum in omnibus Gaudentii mss. quos editor in notatione allegat, scribatur constanter *sine bromo* ; nihil erat, quod hæc correctio non insereretur textui (*bromus* enim est gravis odor seu fœtor ; qua voce usus Rufinus in interpretatione Recognitionum, lib. II, n. 2, scripsit : *Nec ferre possum bromum et molestiam maris* ; sic enim legeremus ex tribus codicibus a Colelerio laudatis p. 505), et multo melius a textu excludenda erat vox *brodium*, cujus nullum exemplum in tota antiquitate invenire licet : et perinde etiam expungenda illa *id est jure carnium*, quæ in mss. pariter desunt.

(11) Ms. Pomp., *vivam*.

(12) Sic ex editione Patav., reliquæ cum mss., *cæterum*.

(13) Mss. Tolent., Zen., *glebas*.

(14) Hæc ad quartum sæculum, ut dissertatione C prima c. 2, adnotavimus, perspicue pertinent ; cum ob imperatorum leges vetitis sacrificiis in pagis fana frequentari tolerarentur, unde et idolorum cultores *Pagani* appellari cœperunt. Illud autem non sine magna dominorum, qui Christiani erant, culpa permissum fuisse alii ejusdem ævi Patres docuere. Satis sit unum laudare finitimæ urbis episcoporum ac Zenoni supparem S. Gaudentium Brixianum, ut ne quis morem hunc a sæculo quarto alienum existimans, S. Zenonem antiquiorem multo esse vel hinc contendat. Hæc itaque Gaudentius similiter tradidit serm. 13, pag. 160 : *An existimatis, quod Deum diligat tepidus ac negligens Christianus, qui idola in possessionibus suis coli permittit, qui fanum dæmoniis et aram diaboli stare in contumeliam Dei patitur?*

(15) De jure templorum, quæ essent in urbibus, D hic locus non loquitur, cum hæc templa eorumque jura ad privatos non pertinerent, ad quos hic Zeno aperte sermonem habuit ; sed loquitur de jure templorum rusticanorum, quæ in privatorum prædiis et dominio erant. Porro *templorum jura* pro redditibus, qui templis debebantur, accepta invenies apud Ambrosium epist. XVIII ad Valentinianum n. 19 : *Et certe ante plurimos annos templorum jura toto orbe sublata sunt* : ubi significari redditus, seu publicos illos sumptus, in templorum usum redeuntes, quos quidem Constantinus primum ex orat. Libanii pro templis p. 473, edit. Gothofredi, dein vero restitutos a Juliano Apostata Gratianus plane sustulit ex ipso Ambrosianæ epistolæ contextu liquet : vide etiam L. 8. *de Jure fisci*, l. X, tit. I, cod. Theodos. Zenoni autem hoc loco *jus templorum* aliter accipitur, nimirum pro jure privatorum in templa, vel lama in ipsorum prædiis constructa, in quibus ethni-

Digitized by Google

servant; **122** qui (19) Ægyptiacos de candidis faciunt; qui auguria captant salutemque **123** (20) suam pecudum violenter scissis in ventribus quærunt; qui conjugale exasperant jugum, affectuque calcato (21) subditiiis personis, ut obumbrent furta turpissimæ utilitatis, rem familiarem tuendam committunt, amore non fidei, sed libidinis; qui (22) publicanas mulieres cum vi subjiciunt sibi, viliores se esse, quam illæ sunt, produnt; qui iracundia tument, qui litibus fremunt, qui calumnias pariunt; qui pauperes, qui viduas, qui pupillos exspoliant; qui profanis fabulis, neglecta Dei (23) secta, alios

prandiis tamquam agapibus colerent, *Martyres* esse prædicabant. Hanc excusationem hoc loco S. Zeno detegit et elidit. Indigne porro episcopi ferebant, quod *agapes*, quæ in ipsa martyrum festa charitatis nomine olim invectæ fuerant (qui sane mos improbari non poterat: unde Pammachius, qui in uxoris suæ funere an. circiter 397, pauperibus convivium instruxerat, profusioris liberalitatis laudatur a S. Paulino in epistola, quam ad ipsum tradidit), indigne, inquam, ferebant Episcopi, quod *agapes* ejusmodi sensim ad luxuriam et crapulam traductæ fuissent: quam in rem audiendus S. Ambrosius libro de Elia et jejunio c. 17, n. 62, ubi illos coarguit, qui *calices ad sepulcra Martyrum deferunt, atque illic in vesperam bibunt, et aliter se exaudiri posse non credunt. O stultitiam hominum, qui ebrietatem sacrificium putant, qui æstimant illis ebrietatem placere, qui jejunio passionem sustinere judicerunt!* Eadem ferme inculcat S. Augustinus, lib. xx contra Faustum, cap. 21. Hic porro, lib. vi Confess. cap. 2, nec non epist. xxix, et potissimum epist. xxii, Italiæ episcopos laudat, qui in hoc depravato more ex suis ecclesiis eliminando sedulam operam, et felici quidem cum exitu collocaverant; inter quos sane S. Zenonem fuisse nemo inficias ibit.

(19) Lectio vulgata erat *Ægyptio corde candidis*, nullo sensu, qui satisfaceret. Sparaverius legendum credidit *Ægyptiaco die candidis*: nos scribendum duximus ut in textu, quæ lectio cum optimam reddit sententiam, tum vero unius syllabæ disjunctione, et mutato *r* in *s* ab editis et mss. nihil differt; imo perspicue in ms. Tolent. subinde inventa est. In veteri kalendario, quod a Lambecio cum notis editum est, et sub imperatore Constantio Zenonis ætate scriptum fuit, nec non in aliis duobus plane similibus editis a Muratorio, tom. II Rerum Italic. part. II, dierum Ægyptiacorum frequens occurrit mentio: duo enim ejusmodi dies singulis mensibus notantur januario excepto, qui tres signatos exhibet. Quid porro hi dies significarint, idem Lambecius sibi nondum satis liquere ingenue professus est. Ex Ambrosio autem, et Augustino discimus fuisse dies, qui infausti, et rebus aggrediendis minus idonei superstitione et observantia quadam vana putabantur. Ambrosius epist. xxiii, n. 4: *Plerique posteros dies, vel Ægyptiacos declinare consueverunt.* Sicut dies posteri, qui postridie Kal. Non. vel Idus erant, Romanis *infausti* habebantur teste Gellio, lib. iv c. 17; ita et Ægyptiaci, de quibus sic Augustinus in Commentario epist. ad Galatas, n. 35: *Plena sunt conventicula nostra hominibus, qui tempora rerum agendarum a mathematicis accipiunt. Jam vero ne aliquid inchoetur aut ædificiorum, aut hujusmodi quorumlibet operum diebus, quos Ægyptiacos vocant, sæpe etiam nos monere non dubitant.* Hinc in veteri ms. membranaceo, quem penes se exsistentem commemorat Lindembrogius in observat. ad librum xxviii Ammiani Marcellini, p. 184, Ægyptiaci dies ex ordine descripti hunc titulum præferebant: *Incipiunt dies Ægyptiaci, in quibus nulla opera incipere debes.* Dies id generis in vulgaribus kalendariis, quæ ephemerides a Latinis vocabantur, notati fuisse videntur, ut cum quid agere opus esset, inspecta ephemeride, facile cognosceretur, num dies agendo esset opportunus nec ne: homines enim, qui Ægyptiacos dies observabant, spectans Augustinus loco allegato, *ex ephemeride vitam naufragam gubernantes* affirmavit; et non absimiliter Ammianus Marcellinus, lib. xxviii, p. 400: *ephemeridem scrupulose sciscitatam* prodit; et ante hos Juvenalis satyra vi: *Tritas cernis ephemerides*, et *Hora sumitur ex libro.* Ægyptiaci vero cur dicerentur ejusmodi dies, ut putabantur, infausti, ex Zenonis textu colligi potest: nimirum quod Romani *Ægyptiacos* dicerent, ut significarent *nigros*, illisque proinde dies *candidos* opponebant. *Ægyptium* quidem pro *nigro* a Latinis item et Græcis adhibitum reperire non numquam licet, de quo vide Basilium Fabrum in Erudit. Thesauro. Itaque eo hominum superstitio invaluerat, ut de candidis, seu faustis diebus infaustos, seu Ægyptiacos effecerint. Dissimulare tamen nolumus id nomen derivari potuisse ab Ægyptiis, qui observationum id generis innuuntur auctores a Marino in Procli vita, ubi scribit: *Qui apud Ægyptios habentur ἠποφράδες; infausti dies, servabat.* Quamquam Augustinus Chaldæis id referre videtur loco laudato, cum hos *ab astrologis, et Chaldæis notatos dies* appellat. Sed præter quam quod *Chaldæos* appellare Augustinus potuit pro mathematicis, quippe quod Cahldæorum nomen non genti, sed arti vulgus detulerat, ut colligimus ex Tullio, lib. I de Divin. c. 1, et ex tit. de Maleficis et Mathemat. Cod. Theodosiani: solemne est, cum de rerum inventoribus quæritur, alios ab aliis adsignari, ut plures animadverterunt. Vide not. 18 in lib. v Recognitionum, pag. 545 edit. Cotelerii.

(20) *Suam* restituimus e mss. et edition. Ven. Sermo autem hic est de haruspicibus, qui inspectis animalium extis de rebus futuris ominabantur.

(21) Ms. Urbin., *subditis*. *Subditiitius* vero (quod nomen et apud Ciceronem, orat. III in Verrem. n. 27, et apud Plautum in Pseudolo II, 4, 62, legitur) suppositiium significat. Hic autem indicari videtur, quosdam rei familiaris curam et administrationem personis externis commisisse loco domesticarum eo quidem nomine, ut per illas res familiaris melius administraretur, sed vere eo consilio, ut hac occasione iisdem *subditiitiis personis*, sive essent ancillæ, sive libertæ, turpiter uterentur, et hac negotiorum domesticorum simulatione adulteria velarent. *Furta* autem pro *adulteria* sumi observavimus tract. IV, adnot. 34. *Utilitatis* vero dici pro *usus* (ut ne *voluptatis* scribendum sit, quod Sparaverio placeret) item monuimus eodem tractatu adnot. 24. Editi et Mss. aliquot scribunt *non amore fidei, sed libidinis;* at syntaxim codicis Rem. retinuimus.

(22) *Publicanæ* proprie erant mulieres publicis vectigalibus exigendis propositæ; sicut *publicani* dicebantur, qui eadem vectigalia publica conducebant atque tractabant. Huc speciare creditur illud M. Tullii orat. III in Verrem, n. 34: *Mulieri publicanæ noluit ex decumis nimium lucri dare. Publicanas* tamen dictum etiam pro *publicas* ex hoc Zenonis loco perspicuum fit, adeo ut quæcumque mulieres publico essent expositæ, sive ad vectigalia exigenda, sive ad sui corporis quæstum, sive alia etiam de causa, eæ *publicanæ* dicerentur. Hoc quidem sensu S. episcopus tract. I, n. 4, *publicanam* vocavit ipsam catholicam fidem, quippe quæ per Arianos propalam exposita, profanorum, seu Gentium dicteriis objecta erat. Quin mulieres, quæ hoc loco ab Auctore per vim subjectæ traduntur, meretrices publicæ, quibuscum nulla vi opus est, haud dicendæ videntur, sed aliæ omnino, quæ publicum aliquod munus exercentes, per vim ab impudicis opprimebantur. Viles tamen has fuisse indicant illa: *Viliores se esse, quam illæ sunt, produnt.*

(23) Cyprianus quoque ter *secte* nomen Christianæ

Digitized by Google

non bene (24) avocantes divina sacramenta contaminant. Jam videat unusquisque, quemadmodum sacrificium aut sumat, aut offerat: sicut **124** enim indigne offerre (25) sacrilegum est, ita indigne manducare mortiferum, in Levitico Scriptura dicente: *Omnis mundus manducabit carnem. Anima autem, quæcumque manducaverit de carne sacrificii salutaris, quod est Domini, et immunditia ejus super ipsum est, peribit anima illa de populo suo* (*Levit.* VII, *v.* 20). Hæc, fratres, sicut cavenda sunt nobis, ita quæ bona, quæ pura, quæ simplicia, quæ pia, A quæ sancta sunt, sicut facitis, amplectenda: ut videntes homines opera vestra bona magnificent Patrem vestrum, qui est in cœlis. Itaque, *dulcissimi* (26) flores mei, talia sacrificia procurate, quæ sanctus Spiritus libenter offerat, Pater probet, Filius, qui magister est noster, probata (27) glorietur per eumdem, qui est benedictus in sæcula sæculorum.

125 TRACTATUS XVI.

De (1) *Resurrectione.*

I. Quisquis resurrectionem negat, vitam suam

religioni attribuit. Epist. XXII, *timore sectæ nostræ verecundus.* Lib. de Bono patientiæ paulo post initium, *fidei nostræ secta dirigitur.* Tandem in præfatione lib. Testimoniorum, *ad religiosam sectæ nostræ* B *disciplinam.* Tertullianus similiter Apolog. cap. 39, *Dei secta*, cap. 40, *Christiana secta*, et cap. 46, *Incredulitas dum de bono sectæ hujus obducitur.* Vide etiam lib. I ad Nationes, cap. 10. Prudentius in Roman. v. 125, *Christi secta.* Itaque *sectæ* acceptio pro eorum cœtibus significandis, qui erroneam religionem sequuntur, recentior est.

(24) Ms. Pomp. et edit. Ven. *vocantes.* Hic autem eos fortassis Zeno notat, qui profanis fabulis, id est comœdiis, Christianos avocabant; quibus christianæ religionis sacramenta, queis in baptismate præsertim se obligaverant, cum diaboli pompis et spectaculis renuntiarunt, turpissime contaminari, concors Patrum sententia fuit. *Sacramentum* nimirum, quemadmodum apud Romanos, pro jurejurando accipitur; ita et a Patribus vocabatur solemnis illa professio, qua Christi militiæ nomen daturi, suam fidem obligabant. Tertullianus ad Martyres, cap. 3: *Vocati sumus ad militiam Dei vivi jam tunc, cum in sacramenti* C *verba respondimus*, id est in baptismo, ut ipse explicat in lib. de Spect., cap. 3. Hieronymus in ep. ad Heliodorum: *Recordare tirocinii tui diem quo Christo in baptismate consepultus, in sacramenti verba jurasti.*

(25) *Sacrilegum* ex mss. Tolent. Pomp. libenter emendavimus, quod egregie concinit cum illo sententiæ sequentis adjectivo *mortiferum.* In editis et aliquot mss. erat *sacrilegium.* Hinc porro luculenter explodi tur Matthæi Larroque animadversio, qui hoc ex Zenoniano tractatu, olim inscripto in psalmum XLIX, hæc notavit in opere, cui titulus Histoire de l'Eucharistie, Amstelodami 1671, pag. 187. *Zenon de Verone*, inquit, *ayant posé qu'il y avait trois sortes de sacrifices, celui des Gentils, celui des Juifs et celui des Chrétiens, il entend le sacrifice des derniers de celui dont parle Malachie, et l'explique d'un sacrifice de louange, et d'un sacrifice spirituel de nous-mêmes.* « Sacrifiez, dit-il, à Dieu un sacrifice de louange, et présentez vos corps en sacrifice vivant et agréable à Dieu. » At quam hæc perperam scripta D sint, non ex eo solum patet, quod ad id statuendum duo diversi Scripturæ testimonia Malachiæ, et Pauli a Zenone superius separatim allegata tamquam ipsius Zenonis verba recitet, et in unum compingat; eaque perinde explicet, ac si laudis sacrificium, quod ibidem innuitur, solum esse affirmetur, et omne aliud excludatur, quod nec Scripturæ, nec Zenonis verba ferunt: sed ex hoc præsertim, in quem nunc animadvertimus, loco exploratum plane sit. Etenim cum hic S. Antistes de sacrificio diserte loquatur, quod *sumunt* homines, atque *manducant*; aliud procul dubio sacrificium a sacrificio laudis distinctum auctori cognitum fuit, palamque est hoc loco intelligi eucharistici panis sacramentum, quod et *indigne offerre sacrilegum est, et indigne manducare mortiferum.* Hoc quidem Eucharisticum sacramentum alibi ab Auctore *sacrificium* appellatum evidenti testimonio ostendimus adnot. 29 in tract. V unde etiam

hoc idem sacramentum tanti habitum liquet, ut *a Christianis ipsis minime consecratis*, id est a catechumenis *videri non posset.* Vide ibidem adnot. 28. Quis hic sacrificium laudis, in quod oculi intenderentur, intelligendum contendat? Sed in his diluendis, quæ imbecillitatem causæ, cui adversarius patrocinari studuit, demonstrant, nimis multa. Solum advertimus hoc idem argumentum licet inane urgeri ab alio quoque heterodoxo Joanne Enrico Ottio in *Examine* perpetuo in Annales Card. Baronii, Centuria 3, § 7, pag. 201.

(26) *Flores mei*, ut adnot. 1 monuimus, sunt neophyti: unde nihil necesse est *fratres* supponere, quemadmodum Sparaverio videtur. Illos quidem e Competentibus neophytos factos, in *flores* conversos auctor affirmat lib. II, tract. LIII.

(27) Ms. Urbin., *glorificet.*

TRACT. XVI. — (1) Hunc tractatum Gaspar Barthius tribus in locis Adversariorum illustrare totum studuit. lib. XLIII, cap. 10; lib. XLII, cap. 5 et 15. Ex hoc quidquid profecerimus, in adnotationibus auctori ingenue referemus. Edit. Ven. hoc titulo utitur: *Quod erit corporum resurrectio, et de animæ immortalitate.* Frequens apud antiquos Patres fuit, etiam post Zenonis ætatem, resurrectionis dogma ipsis in sermonibus constituere, quippe cui tota futurorum spes et ipsius proinde vitæ Christianæ cardo potissimum innitatur. Id autem cur tantopere et tam frequenter inculcaretur, eam habuit causam, quod pro ea tempestate, in qua cum christianis Ethnici erant commixti, non Christiani solum, sed plures etiam ex Gentibus, episcopis populum alloquentibus aderant, ut liquet ex adnot. 2 in tract. III. Gentibus porro quam improbabilis videretur resurrectionis doctrina, notum est vel ex eo quod Paulo apostolo hac de re Athenis disserenti contigit. Arnobius lib. II, pag. 51, Gentes alloquens, *Audetis*, inquit, *ridere nos, quod mortuorum dicamus resurrectionem.* At S. Zeno non adversus ethnicos hunc tractatum ex proposito habuisse videtur, cum semper alloquatur Christianos, eorumque non nullos velut ambigentes subindicet. Id autem vel ex eo factum est, quod quidam e Christianis Gentium, quibuscum familiariter utebantur, sermonibus in dubitationem fuerint adducti; vel quod aliqui hisce in regionibus exsisterent, si non ex Seleucianis, Hermianis, vel Proclanitis, qui a Philastrio et Augustino, certe ex Marcionitis, qui a Justino in Dialog. cum Triphone resurrectionem carnis negasse memorantur. Hos quidem Marcionitas viguisse adhuc sæculo quarto testatur Patianus Barcinonensis ad Sympronianum Novatianum *de Catholico nomine* p. 306, tom. IV Biblioth. PP. edit. Lugdun. Quin plures ex iisdem exstitisse pariter sæculo sequenti colligimus ex Theodoreto, qui decem Marcionitarum millia abs sese undis sacris tincta refert epist. LXXXI ad Tamum consularem, et epist. CXLV ad Monachos Cyprios. Joannes Philoponus ætatis multo sequioris librum edidit contra resurrectionis doctrinam, cujus meminit Photius cod. 21, in quem librum scripsisse fertur Theodosius cod. 22, aliique subinde post Chalcedonensem quoque synodum idem dogma convellere

Digitized by Google

sequemet (2) ipse condemnat : cur enim mereatur felicitatem futuri temporis cernere, quem videas sacrilega incredulitate Dei potentiæ derogare ? Sed hoc amore criminum faciunt, ut putent impunita fore, quæ clanculo gerunt : nam si judicii diei (3) appropinquare jam cursus adverterent, **126** procul dubio et præsentia odissent, et futura credidissent, pariterque metuissent : nemo est enim tam vel ab istius mundi sapientiæ gustu jejunus, qui audeat dicere animas cum corporibus interire, cœlestia cum terrenis absumi ; præsertim cum eorumdem (4) ille sapientissimus dicat, hanc esse mortem, cum corpore animus tamquam carcere clausus tenetur ; illam esse veram (5) vitam, cum idem animus custodia carceris liberatus ad eum locum, unde (6) venerit, revertatur. Si ergo hoc ille sensit, qui non noverat Christum ; cur A dubitet Christianus, qui resurrectionem futuram et (7) audit, et sperat, et repositam sibi præsumit de Christo ?

II. Igitur primum omnium probandum puto, animas nostras suorum corporum exuviis, nec cum labe carnalis hujusce domicilii ista prima morte dissolvi ; sed pro qualitate factorum quasdam locis pœnalibus relegari, quasdam placidis (8) sedibus refoveri : ut tunc demum credi possit resurgere, quod omnibus palam sit non penitus interire. **127** Gentes, quæ ista non credunt, tamen cum (9) libamine infausto ad sepulcra concurrunt, et (10) a mortuis, quos in quiete tacitæ noctis agnoverint, expeti a se aliquotiens alimenta contendunt : ac sic fidem rei, quam reprobant, faciunt. (11) Philosophi de anima varia dixerunt : sed B

conati sunt. Nihil itaque mirum si episcopi frequentes de resurrectione sermones habuere, ut hos ad sanum consilium revocarent : quemadmodum quidem post Zenonem hisce in partibus fecit S. Ambrosius, et alibi alii. In Italia sane plures Marcionitas sua ætate fuisse Zenoni cœvus tradit Epiphanius Hær. 42 : *Ejus* Marcionis *hæresis adhuc etiam nunc est Romæ et in Italia ;* quod confirmari potest ex constitutione, paulo licet antiquiori, Constantini Magni, quam Eusebius refert lib. III Vitæ ejusdem, cap. 64. Priscillianistas vero, qui resurrectionem non credebant, a nostro auctore pungi potuisse, quorum reliquiæ adhuc erant in Hispania S. Leonis Magni ætate ex epist. XV, cap. 7, haud credibile est.

(2) In editis *suammet ipse*. mss. Rem., Tol., *suam semetipse*. Correximus ex ms. Pomp. ubi *scquemet* pro *et semet*.

(3) Non mediæ solum, sed antiquæ etiam ætatis C Patribus in more fuit judicii diem tamquam proximum prænuntiare, ut omnibus notum est. Ms. Urb. : *Nam si lucidi diei procul dubio appropinquare jam cursus adverterent, et præsentia*, etc. Paulo post *vel* in ms. Vat. abest ab illis *tam vel ab istius*.

(4) Platonem intelligit, qui, ut ait Cicero de Amicitia, *Apollinis oraculo sapientissimus est judicatus*. Hunc autem de immortalitate animorum præclare loquentem plures Patres allegarunt. Vide Tertullianum de Resurrect. carnis cap. 3 ; Lactantium lib. VII, cap. 9 ; S. Athanasium in orat. adversus Gentes, et Augustinum serm. 240, 241, 242. Pluribus autem in locis animorum immortalitatem Plato statuit, ac præcipue in Phædone et in dialog. X de Rep. in quibus sententiæ hic a Zenone indicatæ occurrunt. Leguntur quidem illæ apud Tullium partim in Somnio Scipionis, partim in dialogo de Senectute et in altero de Amicitia. At Ciceronem eas a Platone sumpsisse, et non numquam etiam totidem verbis latine reddidisse, præter Lactantium lib. I Institut. cap. 5, D diserte testatur Macrobius lib. II de Somnio Scipionis pag. 82. Lactantius porro lib. VII, cap. 8, hæc ex Platone recitat, ex quibus S. Zeno fortasse sumpsit : *Quia origo animi, qui tanta capiat, et tanta contineat, nulla reperiatur in terra : siquidem ex concretione terrena nihil habeat admixtum : sed necesse esse in terra resolvi, quod est in homine ponderosum et dissolubile ; quod autem tenue atque sublime, id vero esse individuum, ac domicilio corporis velut carcere liberatum, ad cœlum et ad naturam suam pervolare. Hæc fere Platonis collecta breviter, quæ apud ipsum late copioseque explicantur.* Legendus Plato in Phædone pag. 53, in Menone pag. 415 et lib. X de Rep. pag. 757.

(5) Reddamus similem ex Platone sententiam apud Tullium in Somnio Scipionis, ubi de optimis viris, qui cum ex hac vita excessissent, mortui putabantur, *Imo vero*, inquit, *hi vivunt, qui ex corpo-*

rum vinculis tamquam ex carcere evolarunt, etc. Similia ex eodem fonte derivavit Lactantius lib. VII, cap. 9.

(6) Cod. Pomp. *devenerit*.

(7) *Vidit* legebatur in editis et aliquot mss. Melior visa est lectio ms. Pomp. Deinde *præsumit* pro *antesumit*, seu, ut Barthius exposuit, *prægustat*. Spectat autem S. Zeno locum Pauli, I Cor. cap. 25, ubi resurrectionis fidem ex Christi resurrectione confirmat.

(8) Nollemus hic quemquam suspicari Auctorem inter eos fuisse, qui justorum animas in Abrahæ sinu proprie dicto adhuc requiescere, nec ante extremi judicii diem paradisi beatitudine, et Dei visione perfruituras existimarunt. Ejus enim catholicam sententiam multis statuimus dissert. II, c. 10, ubi hunc quoque locum ex aliis locis explicavimus.

(9) De Gentium libationibus, quæ ad mortuorum sepulcra fiebant, vide Cardinalem Norisium in Cenotaphiis Pisanis dissert. III, cap. 5. Hoc idem argumentum pro immortalitate adstruenda urget idem Cicero in Dialog. de Amic. ubi ait : *Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum majorum, qui mortuis tam religiosa jura tribuerunt, quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur.* Idem argumentum adversus Gentes inculcarunt alii Patres, Tertullianus de Resurr. carnis cap. I, et de Testim. Animæ cap. 4, Epiphanius in Ancorato et alii. De hoc more sua quoque ætate adhuc vigente non nihil attigit S. Zeno tractatu superiori, in quem vide annot. 17.

(10) Præpositio *a* deest in ms. Rem. et forte melius, ut fugiatur ejusdem præpositionis repetitio ; nam eadem in sententia *a se* subjicitur. Paulo post pro *in quiete* ms. Pomp. habet *inquietæ et*, sed perperam.

(11) Non Plato solum, sed et Zeno et Pherecides et Pythagoras animam immortalem esse docuere, ut tradit Lactantius lib. VIII, cap. 7, ubi Pherecidis et Zenonis Citiæi, nec non c. 8, ubi Pythagoræ meminit : *Pherecidem Syrum primum dixisse animos hominum esse sempiternos* prodit Cicero Tusculanarum quæstionum lib. I, cap. 16. Hic Pythagoræ præceptor fuisse traditur a Lactantio lib. VII, cap. 8, unde eamdem utriusque de animæ immortalitate fuisse sententiam nihil dubii est. De Zenone vero Philosopho ac Stoicis, qui ab eo originem duxerunt, exploratum est, quod Tertullianus scribit in libro de Anima cap. 54 : *Stoici sapientum animas in supernis mansionibus collocant.* Quid vero sit illud, quod S. Episcopus ait, hosce philosophos *de anima varia dixisse ;* explicatur insigni ejusdem Tertulliani loco eodem libro et capite : *Apud Platonem*, inquit, *in ætherem sublimantur animæ sapientes, apud Arium in aerem, apud Stoicos sub Lunam.* De Pythagoreorum opinione nihil attinet dicere, cum vulgatissima sit. Mirimus alia

Digitized by Google

tamen hanc esse immortalem, (12) Epicuri, Dicæarchi, Democritique vanitatem argumentatione manifesta convincunt. (13) Poetæ autem melius, qui duplicem viam apud inferos ponunt : impiorum unam, **128** quæ ducit in Tartarum : piorum (14) aliam, quæ ducit ad Elysium ; eo fortius addentes, quod defunctorum ibidem non tam formæ, quam facta noscantur, ac necessario recipiant, secundum quod mundanæ administrationis suis in actibus portant, recte dicentes : (15)

Quisque suos patimur manes.
(*Æneid.*, VI, *v.* 743.)

III. Nos vero, fratres, quos non ingeniosa suspicio, sed Deus magister instruxit, propter nos in semetipso probando, quod docuit, vivere animas mortuorum non tam dicere, quam oculatis rebus sufficimus approbare. Denique vagi atque immundi plura, quæ in hanc rem congeri possent : nam quæ hactenus delibavimus, ad Zenonianæ sententiæ intelligentiam sufficiunt. Mss. Urb. et Vat. *disserunt* pro *dixerunt*.

(12) *Contra hanc* (de animorum scilicet immortalitate) *sententiam*, inquit Lactantius lib. VII, cap. 8 : *disserebant Dicæarchus primo, deinde Democritus, postremo Epicurus*. De Dicæarcho hæc Cicero lib. I Tuscul. quæst. : *Dicæarchus contra hanc immortalitatem disseruit ; is enim tres libros scripsit, qui Lesbicaci vocantur, quod Mitilenis sermo habetur, in quibus vult efficere animos esse mortales. Contendebat nimirum nihil prorsus esse animam, nisi corpus unum et simplex, ita figuratum, ut temperatione naturæ vigeat et sentiat.* Nec dissimiliter Democritus eodem teste ibidem : *De levibus et rotundis corpusculis effecit animam concursu quodam fortuito : nam apud eum nihil erat, quod atomorum turba non confecerit.* Tandem Epicurus eisdem vestigiis insistens traditur et a Laertio lib. X in ejus Vita, § 128 et 139, et ab Aulo Gellio lib. II Noctium Attic. cap. 8.

(13) Ex hactenus dictis Lactantium hoc in sermone S. Zeno præ manibus habuisse videtur, cum et illum alibi imitatus fuerit, et eadem hic aliis verbis inculcet. Clarius id apparet ex hoc quod nunc consideramus, testimonio : Lactantius enim cum lib. VI, cap. 3, bivium quoddam a Pythagora, uti ab Ausonio in Monosyllabis traditur, cognitum memorasset, cujus una semita ad felicitatem, altera ad miseriam, sed uno vitæ tempore circumscriptam, adducit, sequitur his verbis, quibuscum Zeno plane concinit : *Poetæ fortasse melius, qui hoc bivium apud inferos esse voluerunt ;* et c. 4, postquam innuit bonorum vitam, *quæ fert in Elysios campos, ut poetæ loquuntur*, recitat Virgilii versus ex libro VI Æneid., v. 542 :

At læva malorum
Exercet pœnas, et ad impia Tartara mittet.

et lib. VII, cap. 20 et 21, alios ex eodem poeta versus huc pertinentes describit. S. Augustinus serm. 241, in eamdem rem duos ejusdem Virgilii versus recitat.

(14) In editis cum mss. Tol., Zen., *alteram*. Ad ea porro verba, *suis in actibus portant*, hæc notat Barthius lib. XLII Advers. cap. 5 : *Nam indicia actorum in ipsis umbris mortuorum exstare, et inde eas apud inferos judicari aiunt philosophantes poetæ. Rhadamantus apud Claudianum de Rufino :*

Quid demens manifesta negas? en pectus inustæ
Deformant maculæ, vitiisque inolevit imago.

Administrationem autem etiam de sapientia Gentili sumpsit Zeno, cum de ea verba faciat ; nam hominum quemlibet velut dispensatorem in partem suam collocatum a supremo Domino dicebant. Persius Sat. 3. Hactenus Barthius.

(15) Hunc versum Lactantius non adfert, et ex hoc Zenonem in ipso Virgilio exercitatum colligimus. *Manes* autem Virgilius appellasse fertur Genios, quos cuique comites et vitæ testes adesse Plato docuerat, Apuleio tradente, *de Deo Socratis, quibus adsistentibus*, ut in eum locum notat Servius, *post mortem aut asserimur in meliorem vitam, aut condemnamur in deteriorem.* Ita quocumque modo animam immortalem agnovit. *Patitur* pro *patimur* legitur in ms. Urb. Inferius *suspicionem* accipi pro *opinione et scientia tenui* notavit Barthius ex Cyrilli Glossis : et de hoc nos plura egimus adnotatione 4 in tractatum 2 libro II.

(16) Hoc in numero Veronenses editores liberiori manu usi sunt, alia ex arbitrio addentes, alia detrahentes, et non nulla etiam ex uno loco traducentes in alium, quæ nos ex mss. et edit. Ven. restituimus. Hic autem scripserant *spiritus sub prætextu animarum utriusque*, etc., quæ additio in mss. et editione memorata non apparet. Hos spiritus, qui *vagi et immundi* traduntur a Zenone, *insinceros et vagos* appellat Cyprianus de Idolorum vanitate, pag. 450, et item *immundos et erraticos* in epist. ad Donatum pag. 3 : *Spiritus contaminati ac perditi per omnes terras vagantes* dicuntur a Lactantio lib. II, cap. 14; *vagi, impotentes, sordidi* a Prudentio in carm. de S. Vincentio. Manuscripti Tolentinus et Vaticanus, pro *blanditiarum captione* habent *blanditia ex captione*.

(17) Edit. Ver. et mss. Urb., Pomp., Zen., *perniciosum*.

(18) Eadem editio *tunc vexatum certari misereris*. Corruptum hunc locum novit Barthius, et emendare illum contendit. Nos supplevimus e mss. et editione Ven. Solum in mss. aliquot pro *misereris* legitur *miseris*, sed male : *Enim* in editis insertum post verbum *discoloratur*, auctoritate manuscriptorum delevimus. *Horrores*, quod pro *horroris* legendum monuerat Barthius, emendavimus ex manuscript. Urb. et Zen.

(19) *Confitetur sexum* sublata fuerant ab editoribus Veronensibus. Sexum autem Zeno dixit, quod scilicet animæ se utriusque sexus hominum esse confiterentur, de quo vide adnot. 20. Ms. Rem. pro *confitetur aggressuræ tempus* scribit *confitetur et egressum*, sed perperam, cum *discessum* mox subjiciatur. *Aggressura* vero legitur apud Ulpianum lib. III, § 4, *De Senatu Consulto Syllano et Claudiano*. Bis alibi auctor eadem voce utitur, ut ex indice verborum liquebit. Ad ea *et nomen* supplevimus *et* particulam ex edit. Ven. et mss. *Proprium fingit* pro *proprium confitetur* in Ver. editione scriptum fuit, ut dæmonum confessio ficta insinuaretur.

Digitized by Google

aliquos noscamus (20) eos esse, quos in idololatria commorantes nuper, vel maxime vi aliqua obiisse meminerimus. (21) Hic nunc mihi responde, qui hominis post mortem nihil superesse contendis, (22) quemadmodum per alium locutus sit mortuus ille, quem noveris? At dicis: Hæc dæmones fingunt. Eo probatio melior, quod etiam fallaces testimonium perhibent veritati. **130** (23) Cur autem fingant nomina, quorum est confessio in cæteris vera, aut qua ratione isto argumento nitantur, quod hominibus, quos perditos cupiunt, magis proficiat ad Dei timorem, et ipsis nihil prosit ad utilitatem? Sane recte hoc facere existimarentur, si sub prætextu alieni nominis invasa obtinere potuissent. At cum divina adjuratione in eculeo spiritali et qui sint nolentes edicant, et inviti discedant; procul dubio hoc sunt, quod sese esse unicuique confitentur.

IV. Accipe et alia exempla et quidem certiora. Primo in (24) libro verborum Samuel egregius ille (25) sacerdos mortis jam lege dispunctus, Saüli regi se desideranti sine ambiguitate non tantum suam (26) præsentiam exhibet, sed etiam ad consulta respondet (I *Reg.* xxviii), liberiusque **131** canit mortuus, quam canere consueverat vivus; unde libet exclamare: (27) Profectus potius est iste, quam mortuus. In Evangelio quoque Petrus filiique Zebedæi cum Domino adstare fulgentes Moysen Eliamque (*Matth.* xvii), quos (28) propter tunc impedimentum carnis

(20) In edit. Ver., *noscamus esse nominatas, quos*, etc., repugnantibus mss. et editione Ven. Cæterum sua dæmones non numquam prodidisse nomina tradit etiam Lactantius l. v Institut. cap. 21: *Interrogati qui sunt, quando venerint, quomodo in hominem irrepserint, confitentur.* Alii porro Patres rem explicatius produnt, dum narrant, eos dæmones affirmasse, se esse vel Jovem, vel Mercurium, vel Saturnum, vel alium aliquem ex iis, qui tamquam Dii a Gentibus colebantur, de quo poteris legere disserentes Minucium Felicem in Octavio cap. 27, et Sulpicium Severum Dialog. 3. At qui se impiorum esse ac interfectorum animas faterentur, nemo, quod hactenus reperire potuimus, præter Zenonem subindicat. Solum de improborum ac eorum hominum animabus, qui violenta morte perierunt invenimus sensisse quosdam, eas circa sua corpora et sepulcra hærere et pervagari aliquamdiu, ut videre est apud Porphyrium, lib. II *de Abstinentia*, pag. 89, cui sententiæ favet etiam Macrobius, lib. I in somnium Scipionis, cap. 13. Sed missa hac Ethnicorum fabella, singularis narratio de energumenis, quos Zeno memorat, ne quem offendat, ut offendisse quidem visa est editores Veronenses, qui eam alicubi corrigendam censuerunt, vindicata nobis est pluribus dissert. II, cap. 8.

(21) Ante particulam *hic* Veronenses editores integram inseruerant sententiam, eamque aliquot verbis detractis, vel immutatis: quæ in mss. et edit. Ven. paulo inferius legitur, uti a nobis suo loco proponetur. Sententia autem inserta effertur ab iisdem sic: *At cum Divina adjuratione in eculeo spirituali torquentur, nolentes et inviti discedere compelluntur. Hic nunc*, etc.

(22) Pro verbis, quæ tum ex codicibus, tum ex editione Ven. exscripsimus, hæc in editione Veronensi et sequentibus supposita fuerunt: *contendis, quo argumento dæmones nitantur, si non vivant animæ mortuorum? At dicis*, etc., *Hoc dæmones* pro *hæc dæmones* in manuscriptis. Pomp., duobus Zen. et edit. Ven. Huic porro objectioni respondetur in editis et mss. sic: *O probatio melior!* quæ exclamatio plane inepta videtur. Emendatio Barthii satis tuta et inserenda textui visa est.

(23) Quidquid in textu posuimus post vocem *veritati* usque ad *Accipe et alia* a Veronensibus editoribus detruncatum fuit, sola postrema sententia in locum non suum aliquibus immutatis translata, ut adnotatione 21 monuimus. Manuscriptorum, et editionis Venetæ scripturam edidimus. Mss. Rem., Urb., Vat. cum editione Venet. *capiunt* scribunt pro *cupiunt*, sed male, cum de dæmonibus sermo sit, qui hominum animas lucrari expetunt. Cæterum hoc argumentum, quo auctor utitur, ut dæmonum confessioni contra se ipsos latæ credendum esse suadeat, alii quoque Patres exhibuere. Tertullianus in Apolog. c. 23: *Credite illis, cum verum de se loquuntur, qui mentientibus creditis. Nemo ad suum dedecus mentitur, quin potius ad honorem. Magis fides proxima est adversus semetipsos confitentes, quam pro se ipsis negantes.* Minucius item in Octavio c. 27: *Ipse Saturnus, et Serapis, et Jupiter, et quidquid dæmonum colitis, victi dolore quid sint eloquuntur, nec utique in turpitudinem sui, non nullis præsertim vestrum adsistentibus mentiuntur. Ipsis testibus esse eos dæmonas de se verum confitentibus credite.*

(24) Nullibi hoc titulo primum Regum librum inscriptum legimus, sed *primum Samuel.*

(25) Etsi non nulli Patres sacerdotium a Samuele abjudicent cum Hieronymo lib. I in Jovinianum; *Sacerdos* nihilominus vocatur a Lucifero Calaritano in libro *de non parcendo in Deum peccantibus*, p. 227 tom. IV Biblioth. PP. et in Constitutionibus Apostolicis lib. VIII, cap. 1, ἀρχιερεύς *summus Sacerdos*, et cap. 5, ἱερεύς *Sacerdos*, et similiter alii, ad quos S. Zeno accessit. Quod hic dicitur *mortis lege dispunctus*, Africanorum locutio videtur, pro qua Tertullianus de Testimonio Animæ c. 4, *vitæ dispunctionem dixit.*

(26) Magna inter Patres de Samuele vertitur quæstio, utrum ipsius anima Sauli vere apparuerit. Negantem sententiam sequuntur Tertullianus de Anima cap. 57, Auctor quæstionum inter Justini opera, quæstion. 52, S. Pionius in exhortatione suis actis inserta n. 14, Eustathius Antiochenus in Dissert. contra Origenem ab Allatio edita, S. Hieronymus in c. 13 Ezech., Auctor quæstionum Veteris et Novi Testamenti apud Augustinum quæst. 27 et apud eumdem auctor operis de mirabilibus sacræ Scripturæ, lib. II, cap. 11. Affirmantem vero sententiam cum Zenone nostro plerique tum veterum, tum recentiorum tuentur, Josephus lib. VI Antiquitatum cap. 15, S. Methodius Episc. et martyr apud Photium cod. 234, S. Justinus in dialogo cum Triphone, p. 72, Origenes in cap. XXVIII lib. I Regum, S. Basilius epist. VIII ad Eustachium, S. Ambrosius in cap. I Lucæ, et alii. S. Augustinus in utramque partem hanc quæstionem fusius agitat quæst. 3 ad Simplic. et quæst. 6 ad Dulcitium: at in libro *de cura pro mortuis gerenda* in Zenonis sententiam propendet, cui etiam favere videtur Ecclesiasticus cap. XLVI, v. 23.

(27) Solemnis hæc Patrum formula, ut mortis, quæ justis advenit, horrorem elevarent. Tertullianus in libro de Patientia, cap. 9: *Profectio est, quam putas mortem.* Hieronymus epist. LXXXIV ad Julianum: *Quod sanctissimam conjugem tuam non quasi mortuam, sed quasi proficiscentem deduxeris;* et epist. III de morte Nepotiani: *Intelligeres illum non emori, sed emigrare.* Huc etiam pertinet illud, cum mors *transitus* appellari solet; unde in ps. CXL, v. 10, *Singulariter sum ego, donec transeam*; et Hieronymus lib. I in Jovin. cap. 14: *Ex quo ostenditur virginitatem non mori, sed manere cum Christo, et dormitionem ejus transitum esse, non mortem.*

(28) Codd. Rem. et Vat., *præter tunc impedimento*: Mss. Pomp. et Urb., *impedimento* item habent.

Digitized by Google

videre non possent, libertate spiritus vident, exinde intelligentes in (29) thesauro naturæ depositum incolume requiescere, quod in hoc mundo ad tempus perspicitur interire. Similiter in inferno dives ille tenacissimus, quem chaos immensum a pauperis felicitate discernit (*Idem c.* XVI), ardoribus suis implorando refrigerium, Lazarum verum divitem sero cognoscit, cupitque mortuus vel uno digito illis contingi manibus, quibus stipem denegaverat vivus. Odit jam sine causa ante quod amaverat : probat felicius esse, quod oderat. (30) Gemit instanti pœnæ aliquid de facultatibus notis mederi non posse, pro uno puncto requiei incunctanter tota, si liceat, paratus offerre. Superstitibus fratribus saltem cupit esse consultum. Abraham patrem deprecatur obnixe, ut aliquis nuntius pergat, qui eos tanti negotii certos efficiat, **132** cui ille respondit : *Habent Moysen et prophetas, quibus si non credunt, neque illi, qui hinc missus fuerit, crediturі sunt* (*Luc.* XVI, 29, 31), evidenter ostendens, non in oculis esse carnalibus verum, sed in fide credentium constitutum.

V. Nam et Dominus ista exempla confirmans uni ex latronibus in se credenti, qui (31) cum eo de patibulo dextra lævaque pendebant, ait : *Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXXIII, 43). Itaque si homo mortuus *in æternum* perit, ergo mentitus est Dominus, *qui ei deinceps* nihil futuro paradisum repromisit. Sed et homo ipse, quem Dominus adsumpserat, perit, si Jesus non resurrexerit. At si resurrexit, humano generi formam dedit, quoniam ad hoc Deus pro homine mortis jura gustavit, ut homo per Deum jus immortalitatis reciperet, quod amisit. Propter quod Paulus beatissimus ait : *Nolumus autem ignorare vos, fratres, de dormientibus, ne contristemini, sicut cæteri qui spem non habent : si enim credimus quia Jesus mortuus est, et resurrexit, sic et Deus eos, qui dormierunt in Jesum, adducet cum eo* (I *Thessal.* IV, 12, 13). Nam et Deus per Ezechielem prophetam loquitur, dicens : *Ecce ego aperio monumenta vestra, et educam vos de monumentis vestris, et inducam vos in terram Israel : dabo spiritum meum in vos, et vivetis* (*Ezech.* XXXVII, 12 *et seqq.*).

VI. Cum hæc ita sint, resurrectionem futuram cur, Christiane, non credis? Cur (32) de hujus mundi labe in meliora migrantes tam pertinaciter plangis? Proh nefas! Hinc mater scissa veste, laniatis crinibus, laniatis et genis, totum crebris ictibus livida pectus, gentili vanitate circa amissi cadaver bacchatur insana, nec Machabææ matris memoriam recolit, quæ spe succincta futurorum, Antiocho (33) sæviente, libenter semel septem filios, non dicam extulit, sed ipsa potius feliciter suis hortamentis occidit, religiose confidens Deo filios se genuisse, non mundo (I *Mach.* VII). Hinc uxor amissi mariti desolationem se ferre non posse testatur : frigidumque latus male dilatato queritur lecto; (34) invidiosis vocibus Deo concinnat invidiam; **133** (35) solemnia ipsa divina, quibus a sacerdotibus Dei quiescentes commendari consueverunt, profanis aliquotiens ululatibus rumpit; tetraque illuvie suum totum deformans cultum, cadaver amplectitur (36) conclamatum; frigentia tepe-

(29) *Thesaurus naturæ* adhibetur hic pro sepulcro, in quo defunctorum corpora in resurrectionem custodiuntur : *thesaurus* enim proprie loculamentum significat, ubi quidpiam servandi causa conditur. Vide Basilium Fabrum in Thesauro Erudit., tom II, pag. 983. Addemus et notationem Barthii ex lib. II, cap. 15 : *Pulcherrime per thesaurum naturæ universum τὸ πᾶν intelligit, quod recondantur in illud vere conditorium omnia, quæ intereunt, et mutatis tamen formis redeunt in vitam; cum nimirum sit hujus interitus alterius vita, hujus vita alterius interitus, et ita orbis quidam rerum sibi succedentium, quod infra dicit :* Omnia suis mortibus vivere ; et *eleganter lateque docet Victorinus* lib. IV *contra Arianos... Hunc thesaurum sæpius adludunt sacræ litteræ, cum* colligi in eum et ad Patres suos *dicunt, qui in Domino moriuntur..... nec minus docte infra Zeno noster* secretum naturæ *appellat.*

(30) Ms. Vol., *cernit.* Ex eodem cod. nec non ex Vat. et Urb. scripsimus *tota, si licet*, pro *tota scilicet.* Porro *tota* pro *omnia* usurpatur, sicut *totum* eodem sensu, de quo tract. IV, adnot. 25. Similiter Virgilius primo Æneidos, vers. 189. *Tota armenta sequuntur*, et Juvenalis X, vers. 237, *Bona tota. Totis ripis* dixit etiam Cæsar de Bell. civili lib. I, cap. 1. *Toti Dii* Apuleius Meteor. 6, etc. Paulo post e mss. reposuimus *saltem*, pro *salutem*, quod in editis perperam legebatur.

(31) Ut ex *τὸ cum eodem*, quod erat et in codicibus et in editis, corrigeremus *cum eo de*, sententiæ contextus suasit. Repetivimus *amen* ex mss. Rem. et Pomp.

(32) Editi et mss. aliquot libri *de hujusmodi.* Placuit lectio codicum Tol., Vat., Urb. Dein pro *migrantes*, quod cum aliquot mss. habent editi, codex Rem., *migrantis*, Tol., *migraturus*, et Urb., *migratus.* At sermo est de vivis, qui morientes, vel mortuos plangunt, ut ex subjectis matrum et uxorum exemplis liquet.

(33) Editi cum aliquot mss. *sævienti.* Correximus ex mss. Rem., Pomp. et edit. Ven.

(34) *Invidiosis vocibus* Zeno utitur pro *querulis*, et *concinnere invidiam* pro *lamentari*, eo quod questibus et obtrectationibus in odium et invidiam is, de quo conquerimur, adducatur. Similiter mater filii obitum lugens *Diis facit invidiam*, inquit Quintilianus Declam. VIII, 14. Silius Italicus lib. VI :

Ibat et invidiam cœlo divisque ferebat.

Seneca in Hercule Œteo : *Expedi in planctus tamen defessa quamquam brachia, ut invidiam Diis lugendo facias.* Et S. Zeno tract. XV lib. II, n. 1 : *Quo nuntio accepto Dei servus scidit vestimenta sua, non ut Deo invidiam faceret, sed*, etc.

(35) Insigne hoc est de more antiquo offerendi pro mortuis sacrificii testimonium, cui similia occurrunt apud Cyprianum epistol. LXVI, Tertullianum de Monog. cap. 10, de Corona in lit's cap. 3, in Exhortatione ad castit. cap 11, et apud alios. Veronensis editio cum duobus mss. Zen. paulo post *terraque illuvie* pro *tetraque illuvie*, per errorem, ut videtur, typographi, aut amanuensis.

(36) Formula hæc erat apud Romanos in re funerea celebris. Cum scilicet quispiam efflasset animam, plories conclamabatur ejus cadaver, ut notat Servius ad illa Virgilii VI Æneidos, vers. 218 : *Pars calidos latices*, etc. *Servabantur*, inquit, *cadavera octo diebus, et calida abluebantur, et post ultimam conclamationem abluebantur.* Lucanus II, 22 : *Corpora nondum conclamata jacent.* Apuleius lib. I Metam. : *Jam*

Digitized by Google

facit crebris osculis labra ; totum corpus imbribus relavat lacrymarum, crinium suorum damno cooperiens ; miserandis affatibus in uberiores fletus incendit etiam eos, quos causa non tangit, tanto ambitiosior in dolore, (37) quanto ditior, sane post momentum misera (atque utinam (38) semel) nimio dolore nuptura. Hic, hic quemadmodum se quis possit excusare non video ; non deest enim, qui dicere possit : Si est resurrectio, quare plangis ? si amore mariti facis, cur postmodum nubis ? exsecrabilis res est, fratres, nec conjugio servare charitatem, nec Deo fidem. Hæc etiam viros reprehensio manet.

VII. Christianus ergo in toto dubitare non debet, in statum pristinum mortuos excitari : talesque legitima die ante conspectum Dei ex illo naturæ (39) secreto produci, quales fuerint pro sua quique qualitate suscepti, Apostolo dicente : *Omnes nos manifestari oportet ante* **134** *tribunal Christi ; ut recipiat unusquisque corporis sui merita secundum ea quæ gessit, sive bona, sive mala* (II *Cor.* VI, 10). Etenim, fratres, facilius est (40) reformari quod fuerit, quam institui quod ante non fuit : quod si non fuit, et est, multo magis poterit esse quod fuit ; quippe cum illius potentissimi artificis rerum omnium conditoris ipse sit usus, impossibilium (41) possibilitatem adserere, ex eoque, quod non est, facere, quod est, naturam creare (42) extra naturam, nihil prorsus habere difficile, solumque ei hoc deesse, quod nolit esse; hæc est enim proprietas Dei id operari, quod non potest credi.

VIII. Igitur non homines tantum, sed pene omnia suis mortibus vivunt. Unde pauca de multis attingam, ut omnium probationem haud dubie in paucis expediam. (43) Stellæ præcipites labuntur e cœlo, et a tergo longo flammarum albescentium tractu funereæ facis solemnitate in occasus suos, quasi quibusdam deducuntur exsequiis : quas si per plagas, unde refixæ sunt, quæras, redivivi luminis lege suis sedibus resurrexisse agnoscas. Sol quotidie nascitur, eademque die, qua nascitur, moritur; nec tamen instantis finis sorte terretur, **135** suos ut (44) repigret cursus, ut horas ac momenta producat, ut saltem paulo diutius diei sui demoretur in vita ; sed fidelis semper, semper intrepidus, ad sepulcrum noctis cognatæ contendit, scius in ipso se habere, quod vivit : denique adimitur ei ortus, si ei (45) auferatur occasus. Luna quoque, quæ vere (46) rationis humanæ omnia in se lineamenta depingit, nata (47) sanguineæ teneritudinis, dubio cornu primo quasi de cunis apparet, paulatimque crescendo jam

defletus et conclamatus es, et lib. II : *Ecce jam ultimum defletus atque conclamatus processerat mortuus.* Itaque *conclamatum* apud Zenonem ultimam conclamationem significat, uti similiter apud Terentium Eunuch. II, 3, 56 :

Desine jam, conclamatum est.

(37) Ms. Rem. *quam.*

(38) *Semel* dicit, propterea quod mulieres aliquæ bis, ter et pluries etiam nuberent. Zenonem autem, perinde ac veteres plerosque Patres, secundis nuptiis infensum, ac multo acerbius contra nuptias pluries repetitas disserentem notavimus tract. V, et fusius dissert. II, cap. 7, ubi ejus sententiam uberrime vindicasse nobis videmur. Post pauca pro *nimio dolore* Barthius legendum putat *mimico dolore :* mimicum enim omnes auctores id dicunt, quod simulatum est, et inani quapiam pompa veritatem mentitur. Sed *nimio* auctor dicere potuit ironice ; cumque mss. libri nihil suffragii ferant, nihil pariter immutandum judicavimus.

(39) *Secretum naturæ* vocat sepulcrum, sicuti *thesaurum naturæ* superius appellavit. Vide adnot. 29.

(40) Sic ex ms. Pomp. quod mirifice concinit cum *institui :* alibi autem legebatur *reformare.*

(41) Non quod ea, quæ vere impossibilia sunt, Deus possibilia efficiat, sed quod ipsi sunt possibilia, quæ hominibus videntur et creduntur impossibilia, uti est mortuos ad vitam revocare : in quam sententiam post pauca Zeno subjicit : *Hæc est enim proprietas Dei id operari, quod non potest credi ;* id quod disertius explicavit Marius Victorinus l. I de Opificio Mundi :

Plus sit tibi credere semper
Posse Deum quidquid fieri non posse putatur.

Et Arnobius lib. II : *Quod impossibile nobis est factu, illi possibile atque admodum exsecutioni paratum ;* et rationem adferens : *Numquid*, ait, *nostris ex divisionibus colligemus, quid aut fieri possit, aut non possit ?* Ubi non illud insinuat posse vere a Deo fieri, quod revera impossibile sit, sed id unum reprehendit, credi impossibilia Deo, quæ nobis factu impossibilia sunt, et rationibus humanis velle nos metiri ac decidere, quæ Deo sint vel non sint impossibilia. Simili itaque sensu accipiendum, quod veteri inculcatum proverbio est, cujus meminit Synesius epist. 11 : *Deo omnia possibilia sunt, etiam impossibilia.* Quod ipsum affirmanti Platoni concedit Augustinus serm. 242, n. 7. Ms. Urb. pro *impossibilium possibilitatem adserere* habet *impossibilium possibilitate se adserere*, id est suam potentiam ostendere : quæ lectio eodem recidens nequaquam displicet.

(42) *Extra naturam* creare, est extra omnes naturæ vires creare, cum ex nihilo aliquid educere nullæ naturæ vires possint. Potest etiam intelligi *extra naturam*, quod scilicet, quæ creantur, nullam præexsistentem naturam habeant, ex qua tamquam ex materia sint ; nihil enim erant, quæ creantur ex nihilo.

(43) Easdem fere similitudines ad resurrectionem statuendam, vel explicandam urgent plures antiqui Patres, Tertullianus de Resurrect. cap. 12 et 13, et in Apologet. cap. 48, Minucius Felix in Octavio num. 5, Theophilus ad Autolicum lib. II, Ambrosius lib. V Hexamer. c. 22, 23, et lib. II de Fide resurrect. c. 53, etc.

(44) Apuleius Metamor. 8, *repigratur impetus*, id est remittit, et lib. I, *repigrato feru.* Ms. Urb., *currus* pro *cursus*, et inferius ms. Tol., *cognitæ* pro *cognatæ ;* idem cum ms. Urb. *sciens* pro *scius.*

(45) Sic mss. Rem., Tol., Pomp., Vat., Urb. Editi vero cum ms. Zen., *auferlur.*

(46) Apponemus hic notam Barthii ex l. XLIII, cap. 10 : *Quid lunæ cum ratione humana ? vere legendum* nationis *a nascendo, nut* sationis *a successione humanarum stirpium.* Sed *ratio* pro methodo, seu ordine naturæ accipi potuit.

(47) Alia ejusdem Barthii observatio subjicienda. *Sanguinea teneritudo primum tempus a nativitate designat. Sic* sanguinolenti *in Codice* primum nati. Constantinus imperator lib. II de Patribus, qui filios suos destruxerint : *Si quis propter nimiam paupertatem egestatemque victus causa filium filiamve sanguinolentos destruxerit ;* et in inscriptione de infantibus expositis Leg. 8 Cod. Justinianæi.

Digitized by Google

puella, jam virgo, pro quotidianæ ætatis incremento progrediens, lascivi cursus ambagibus carpit pensa mundana. At ubi matura aureo igne flagrantis luciflui aurigæ, par laboribus fratris (48) augustis circulis argenteum compleverit globum, paulatim devergit in senium, donec ultima senectute consumpta, sua morte reviviscens, menstrualis ignis solemni germine accenso sumat rursus de fine principium.

IX. Similiter (49) Phœnix avis illa pretiosa resurrectionis evidenter nos edocet jura, quæ nobilitatem generis sui non a parentibus **136** (50) accipit, non liberis tradit : ipsa est sibi uterque sexus, ipsa omnis affectus, ipsa genus, ipsa finis, ipsa principium : non ex coitu nascitur, nec officio alieno nutritur : non invita, non imprudens moritur, sed cum maturum lethi tempus advenerit, a semetipsa (51) invitatis sacris iginibus libentissime concrematur. Sepulcrum nidus est illi, favillæ nutrices, cinis propagandi corporis semen, mors natalitius dies. Denique post momentum festo exsultat in tumulo, non umbra, sed veritas, non imago, sed Phœnix, non alia, sed quamvis melior alia, tamen prior ipsa. Erubesce, Christiana conscientia; vel tot ac tantis ex rebus, (52) quemadmodum rursum eadem, quæ es, sis melior futura, cognosce.

X. Præterea granum uniuscujusque frumenti conditum terræ interit, et tamen in eo id quod intus est, reviviscit, nec mortem medullitus capit, sed suum sibi genitale in germen exspirans, vetusti corporis superficie deleta, imo in melioris naturæ jura transmissa, felix caput comis virentibus redimitum, quasi ab inferis emensum in superna sustollit, perennitatis gloriam fructu populoso tenturum : hoc hactenus Paulo firmante : *Stulte tu, quod seminas, non vivificatur, nisi* **137** *mortuum fuerit* (I. *Cor.*, XVI, 36). Et subjecit dicens : *Sic et resurrectio mortuorum : seminatur in interitum, resurgit in perpetuitatem : seminatur in* (53) *humilitatem, resurgit in gloriam : seminatur in infirmitatem, resurgit in virtutem : seminatur corpus animale, resurgit spiritale* (*Ib.* 42 *et seq.*). Satis, ut opinor, resurrectionis veritas omnibus claret.

XI. Sed necessario disserendum est, quæ sit in ea injustorum justorumque discretio, ne generalitas nominis in comparatione malorum attrahat gloriam Christianæ felicitatis. Duplex itaque forma surgendi est : prima Sanctorum, in qua illud beatitudinis regnum primæ tubæ regali (54) tessera convocati capient cum ingenti triumpho æterno rege sub Christo : secunda vero, quæ (55) impios cum peccatoribus universisque incredulis gentibus perenni destinat pœnæ, in psalmis Spiritu sancto dicente : *Ideo non resurgunt impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum ; quoniam scit Dominus viam justorum, et iter impiorum peribit* (*Ps.* I, 5, 6).

XII. Consequens est, ut scire nos par sit, in quo

(48) Mss. quidam libri et editi *angustis*. Magis adrisit lectio codicis Rem. Ms. Urb., *angusti circuli*.

(49) Zenoni succensebunt fortasse quidam critici, quod fabulam de Phœnice tam luculenter extulerit. Sed ii, velimus, meminerint Phœnicem a sacris scriptoribus ad varia mysteria explicanda frequenter adhibitam, et ad virgineum partum, et ad resurrectionem Domini ac nostram, et ad mores item non nunquam productam, sicuti ea usi etiam inveniuntur non nulli ad falsa dogmata statuenda, ut videre poteris apud Augustinum lib. IV de Anima et ejus origine cap. 20. De Phœnice autem tanquam resurrectionis symbolo, quod ipsis in Christianorum antiquorum sepulcris insculptum reperitur, incredibile est, quot Patres tum Græci, tum Latini testimonium ponant. Præter Jobi locum c. XXIX, vers. 18, ubi Phœnicis mentionem fieri ex quadam Hebraici textus punctatione nonnulli contendunt, et ex LXX interpretibus alii confirmant, nec non ex ambigua lectione eorumdem interpretum psal. XCI, v. 13, explorati sunt passus S. Clementis papæ in epist. ad Corinth. 25, Tertulliani, Origenis, Eusebii, Lactantii, Cyrilli Hierosolymitani, Gregorii Nazianzeni, Epiphanii, Hieronymi, Ambrosii et aliorum, quos vel recensere piget. Quid quod plures quoque Ethnici auctores eam uti veram prodiderunt historiam, Herodotus, Dio, Ovidius, Tacitus, Plutarchus, Plinius, Solinus, Aristides, Claudianus, et alii ? Cum itaque Christianis Patribus adversus Gentes esset agendum, quis iisdem crimini det, si ex Phœnicis, quæ certa apud Gentes habebatur historia, exemplum sumpsere, quo propositum confirmarent? Grotius, etsi heterodoxus, hac animadversione motus fuit, ut Patres a quorumdam criticorum censura satis purgatos fateretur, hæc scribens in epistola ad Bignonium, quam refert et laudat Joachinus Joannes Maderus in præfatione ad epist. S. Clementis ad Corinthios : *De Phœnice rem fuisse eo tempore eruditis creditam, nec eo argumento uti Clementem, ut probet τῶν νεκρῶν ἀνάστασιν, sed ut ostendat ex credita re non esse eam τῶν ἀδυνάτων.*

(50) Mss. Pomp., Urb. et duplex Zen. *accepit*. Phœnix porro *ipsa sibi uterque sexus* dicitur, quod sibi sit et pater et mater ; *ipsa* autem *omnis affectus*, quia unica esse fertur, quam in sua specie amare possit.

(51) *Invitati* sacri ignes sunt, quos a sole ad se trahere dicitur a poetis, cum nido suo jam jam moritura Phœnix incubuerit. Barthius tamen dubitat, an non melius *initialis* legendum sit : *nullum enim*, inquit lib. XLII, cap. 10, *quam ex se ipsa principium ei concedit Zeno noster ;* at nullis in codicibus sic scribitur.

(52) Legebatur cum in mss. tum in editis *quemadmodum rursum eademque esses melior*, etc. Correctionem felicissimam suggessit Barthius loco laudato, cujus hæc verba sunt : *Ultima verba, quæ Christianos conveniunt, non carent etiam macula, sed acutius exsculpenda : nam illa* quemadmodum rursum eademque esses, *speciem veritatis in lectione præferunt, sed pessime sunt turpata ; nam nihil certius, quam scripsisse Zenonem* . . . . . rursum eadem, quæ es, sis melior futura. *Sic demum comparatio suis modis concinna erit inter Christianorum et Phœnicis restaurationem. Idem enim corpus utrisque post ignem isti, post quamlibet consummationem alteri, homini scilicet Christiano reparabitur ; ita tamen idem, ut cum aliud minime sit, melius tamen sit illo, quod idem fuit. Hæc certissima est restitutio, et sic de Phœnice modo clarissime dixit :* Non alia, sed quamvis melior alia, tamen prior ipsa.

(53) In editis repetitione et errore, ut videtur, typographorum, vel librariorum, *infirmitatem*.

(54) *Tessera* dicebatur signum quodcumque militibus præcipue datum, ex quo tanquam symbolo inter se cognoscerentur ; unde illud Silii Italici XV, vers. 478 :

Tacitum dat tessera signum.

pro signo, quod in extremi judicii die tuba præcinente dabitur, hic accipitur.

(55) Impios a peccatoribus distinguens, respicit distinctionem psalmi, qui subjicitur, de qua agemus pluribus tract. XXI lib. II et dissert. II, cap. 10.

Digitized by Google

habitu regnaturus sit homo iste noster, qui tendit ad cœlum : ne forte cum carne depereat vana (56) spe, si captus fuerit caduca atque carnali, de qua Apostolus dicit : *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt* (I *Cor.* xv, 50). At e diverso videor mihi audire proclamantem : Si hæc est conditio carnis, quid est ergo quod credimus in Ecclesia (57) remissam peccatorum ac resurrectionem carnis? Facile, fratres, pugna ista concordat, statusque futuri qualitas aperitur, fides si illibata teneatur. Unde rem paucis expediam. Omnis caro, quamdiu flagitiosis illecebris hujus mundi, ac tenebris feralibus agitatur, profecto (58) pecuina est, ac misero, fragili detestabilique versatur in (59) jure. **138** At cum (60) mera fide credentis salutari fuerit necata baptismate, nova paterni sacro resurgit fontis ex gurgite, jam pura, jam libera, jam a conversatione mundi hujus extranea, jam morte superior, jam cœlestia adspirans, jam, non dicam sæculi ludibria, sed ut sit honoratior, seipsam contemnens, jam veritatem, non imaginem quærens, jam spiritalia, non sua desiderans, de qua Paulus ait : *Non omnis caro eadem est caro : alia est hominis*, (61) *alia jumenti, alia caro volucrum, alia piscium. Et corpora sunt cœlestia, sunt et terrestria* (I *Cor.* xv, 39, 40). Itaque immortalitatis semine, de quo etiam Poeta sapientissimus præsagivit dicens :

Igneus est ollis vigor, et cœlestis origo
Seminibus :

A scilicet Spiritus sancti conceptione insita fit ante fecunda, ut cum dissolutionis ejus ac legitimæ reparationis tempus advenerit, suo semini respondens jure possit mereri quod credimus. Nec res in ambiguo est; quemadmodum etenim ille princeps iniquitatis suo semine per invidiam protoplastos (62) ex angelis in homines derivavit; ita Dominus omnes in se credentes Sancti spiritus semine a mortuis rursus gloriosos in angelos excitabit (*Matth.* xxiii, 30).

139 XIII. Ad hoc unum evidens adhuc (63) proferamus exemplum, quamvis non possit verisimile tantam vim habere, quam veritas. Oleaster sua infelix et amarus est in natura; sed cum fuerit peritissimi agricolæ artificis manu necessaria provisione truncatus, nobilitate alieni seminis gravidatur, nutri-
B turque ab eo ipso, quod nutrit, donec hospitis germinis adoptiva pinguedine assumptus, imo pinguedo ipse factus, totusque (64) acceptum translatus in honorem novæ frondis promotione ramis resurgescentibus ornatus, jam non oleaster sit, sed oliva; cum et oleaster sit, et tamen oleastrum (65) se non esse quodam modo etiam ipse miretur. Igitur si homo potest facere ut sit arbor, quod non fuit, salvo quod fuit, quanto magis Deus hominem poterit (66) excitare, antequam peccasset in paradiso, id id quod fuit? Quam rationem seminum etiam beatissimus Paulus subtiliter prodidit dicens : *Qui seminat secundum carnem, de carne sua metet*

(56) Hic adnotare videtur illos, qui in alia vita carnis voluptates sibi pollicebantur, et hac vana spe ducti peribant. Barthius lib. xliii. cap. 10, suspicatur legendum *vana specie*, vel *vana spes, specie si captus est*, etc.

(57) Ms. Rem habet *remissa peccatorum et resurrectio carnis. Remissa, remissæ*, pro *remissio, onis*, passim apud Tertullianum et Cyprianum. Vide hujus epist. vi ad Magnum, et epist. ix ad Januarium, nec non Optatum lib. i. At *remissionem* habent mss. Vat. et Zen. *Remissam* tamen iterum Zeno tract. l, lib. ii.

(58) *Pecuina caro*, quæ pecudibus inest. Similiter Apuleius lib. viii Metamorph. *pecuina ossa*.

(59) *Jus* hoc loco pro statu, vel conditione, quemadmodum apud Ciceronem Agrar. iii, 2 : *Optimo enim jure sunt profecto prædia, quæ optima conditione sunt. Libera meliore jure sunt, quam serva.* Et ii in Ver. n. 27 : *Hoc jure sunt socii, ut iis ne deplorare quidem de suis incommodis liceat.*

(60) Mss. Rem. et Urb., *macra fide credentes*; alii codices, *mera fide credentis*, et idem habent editi. Forte tamen legendum *vera* pro *mera*, aut *sacra* pro *macra*, vel aliquid simile. Plurium vero codicum
D lectionem retinuimus in textu, hæcque lectio non aliud significat, quam baptisma utile esse per fidem, per eam, inquam, fidem quam nonnisi per charitatem operari Auctor alibi docet, ut vidimus pluribus dissert. 2, cap. 6. *Necata* porro traditur in baptismate caro veteris hominis, ut *nova* in Christo resurgat; de quo in sequentibus plura.

(61) Mss. Tol., Vat., *aliu est jumenti*.

(62) Putat Barthius lib. xlii, cap. 10 : *Adludi hoc loco ad eam non nullorum sententiam, qui tradiderunt, homines, cum lapsi essent angeli, in ipsorum locum constitutos fuisse.* At non id ferre videntur Zenonis verba : loquitur de priorum parentum lapsu, quos diabolus per invidiam traxit in culpam; et sicut *angelos* procul dubio illos vocavit in eo statu innocentiæ, in quo immortalitatis et gratiæ donis præditi ad angelorum gloriam accedebant, de quibus dictum est per Psalmistam : *Minuisti eum paulo minus ab Angelis* (unde tractat. xxvii lib. ii, in fine, martyrem *ex homine in angelum transfusum* similiter dixit), ita *homines* pro mortalibus et peccatoribus, in quem statum per culpam miserrime transierunt, appellavit. Itaque sensus est, *principem iniquitatis* diabolum invidia exstimulatum *suo semine*, quod tentando seminavit, *protoplastos*, id est primos parentes, *ex angelis* innocentibus et immortalibus *in homines* peccatores et mortales *derivasse*, seu convertisse : *derivo* enim translate est aliorsum traducere, vel deflectere. Sic Cicero, iii in Ver. num. 56, *derivare alio responsionem suam*, et iv in eumdem, num. 20, *culpam derivare in aliquem* dixit. Ex his ea, quæ sequuntur, facile intelliges. *Protoplastos* vox, quæ *primo creatos* significat, apud Tertullianum quoque in Exhortatione Cast. cap. 2, et apud alios Patres pro primis parentibus vulgo accipitur. *Primo plastos* dixit Prudentius in Hymno omnis horæ v. 17. Ms. Tol. *sursum* pro *rursus* : in Urb. autem *sursus in angelos*.

(63) Prætulimus manuscriptorum lectionem : in editis *proponamus*.

(64) Editi cum plerisque mss., *in acceptum translatus in honore novæ frondis promotione*. Barthius corrigendum censuit *in acceptum translatus, inhonora novæ frondis promotione*. At ms. Rem. antiquissimus codex æquiorem, ut visa est, lectionem suppeditavit, deleta tantummodo prima particula *in*, quæ item abest a mss. Vat. et Urb. mutatoque *honore* in *honorem*. *Promotionis* porro nomine utuntur Lampridius in Anton. Diad. cap. 2, Julius Firmicus de Cert. stel. posit. 3, 7 et 5, etc. Ex eodem codice Remensi *resurgescentibus* pro *resurgentibus* scripsimus.

(65) Ms. Vat., *se jam non esse*. Dein Urb., *quodammodo et ipse*.

(66) Rara syntaxis construenda sic : *excitare in id, quod fuit, antequam peccasset in paradiso*, id est excitare in vitam immortalem.

Digitized by Google

(67) *interitum*; *qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam* (*Gal.* VI, 8). At vero Dominus evidenter hoc edocens sic ad discipulos ait : *Simile est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo : dormientibus autem hominibus venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in triticum* (*Matth.* XIII, 24, 25).

XIV. At fortasse adhuc quispiam dicat : Si caro perit, unde cognoscitur ille qui resurgit? Caro, fratres, quasi quoddam est speculum intuentis plenitudine (68) gravidatum, quod non tam imaginem suam quam (69) ejus, cujus est in usibus gerit. Denique tot efficit vultus, quot ille intrinsecus tristes, seu hilares suos fecerit motus, hanc rationem docente nos Paulo : *Videmus*, inquit, *autem modo per speculum in ænigmate, tunc autem facies ad faciem erit* (I *Cor.* XIII, 12). Unde dubium non est in corporibus nostris, **140** dum mortis lege seminantur, non substantiam, non imaginem, sed illud tantum, quod inutile est, discuti, quod teritur, demutari, sicut scriptum est : *Oportet enim corruptivum hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* (I *Cor.* XV, 53) : aliter (70) enim immortalitatis stola illa non sumitur, nisi primo istud carnale spolium, blandum animæ venenum, secundum Dei sententiam, unde sumptum est, refundatur, dicit enim Deus ad Adam : *Male-*

A *dicta terra erit in omnibus operibus tuis, in tristitiæ gemitu edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ : spinas et tribulos ejiciet tibi, et edes pabulum agri : in sudore vultus tui edes panem tuum, donec revertaris in terram* (*Gen.* III, 17 *et seq.*). Sed et Dominus (71) ex persona hominis, quem assumpserat, ait : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38). Quod dictum non tam timentis, quam exsultantis ac docentis est. Utique : non enim quidquam timere poterat, qui mortuos excitabat, qui potestatem habuit ponendi eam, et iterum resumendi eam (*Jo.* X, 18); sed ut doceret, quoniam cum vivit in hoc mundo, semper in tribulatione, semper justus in pœna est. Cum autem mors, quæ putatur metuenda, gustatur; tunc ei in æternum manentis gloriæ beatis in sedibus, nullas
B deinceps ærumnas mundi sensura, repromissa felicitas exhibetur, David sancto dicente : *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit mihi, quia liberavit animam meam a morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu : placebo Domino in regione vivorum* (*Ps.* CXIV, 7 *et seq.*). Hæc nos felicitas manet, hoc munus exspectat. Sic ergo vivamus, ut bonis operibus decorati, nos quoque (72) Deo Patri placere mereamur, Domino juvante nos Christo, qui est benedictus in sæcula sæculorum.

(67) Mss. Rem. *in interitu* : desideratur autem in hoc codice *in spiritu*. Edit. Ver. omisit *de spiritu*. Supplevimus ex plerisque mss. et editione Venet. Post pauca, pro *hoc edocens*, ms. Tol., *hoc se docens* ; Urb. autem, *hoc et docens*.

(68) Mss. Pomp., *gravatum*. Terram *gravidatam* seminibus dixit Tullius de Nat. Deor. lib. II, num. 32.

(69) Id est spiritus, qui corpori unitus carne utitur. Imaginem autem spiritus idcirco carnem vocat, quod varii motus animi et affectus in corpore sæpe elucescunt, ut ex sequentibus liquet. Hoc idem egregie Tertullianus de Resurr. cap. 15 : *Volutet aliquid anima, vultus operatur indicium, facies intentionum omnium speculum est*. Vide plura apud Plinium lib. II, c. 37, et lege etiam, si placet, Nazarium et Pacatum in Panegyrico, ac Hieronymum in epist. ad Furiam. Mss. Tol., Vat., Urbin, *quærit* pro *gerit*.

(70) Ms. Pomp., *etenim*.

(71) *Ex persona hominis* perinde dicitur, ac tamquam homo, quod scilicet Christus se in illis verbis non uti Deum gerere ac præferre vellet, sed ut hominem; quo sensu *personam* veteres sæpe appellarunt, ut cum dixere *personam patris, fratris, principis, amici*, etc., pro *tamquam pater, frater, princeps, amicus*, etc. De hac Zenonis locutione non nulla attigimus dissert. 2, cap. 3. Eadem prorsus formula usus legitur S. Hilarius in psal. LIV, pag. 118 et in psal. CXXXVIII, pag. 565. S. Ambrosius lib. II de Fide cap. 8, n. 61; lib. IV, c. 6, n. 69; et l. V, c. 10, n. 124. Similiter Phœbadius in libro contra Arianos, p. 303 t. IV biblioth. PP., Salomonis dictum quoddam tribuit *ex persona sapientiæ*, quod sapientia in eo loqueretur, ac si ipse esset sapientia. Itaque hic *persona hominis* non in eo sensu accipitur, quo humana Christo persona cum Nestorio tribuatur, sed in eo, quo ipsi uti vero homini humanæ actiones passionesque congruebant.

(72) *Deo* adjecimus ex mss. Rem., Urb., Zen., in quo postremo vox *Domino* desideratur.

141 TRACTATUUM SANCTI ZENONIS EPISCOPI VERONENSIS

LIBER SECUNDUS.

TRACTATUS PRIMUS.

De (1) *Genesi.* — Contra Arianos.

I. Carnalis mentis homines, fratres dilectissimi, D scandalum patiuntur, non studio noscendæ, sed frustrandæ veritatis, quotiens Deus Dei filius, qui Patris maxima est gloria, æqualis Patri a Catholicis

TRACT. I.—(1) In mss. *Incipit de Genesi*. Hæc inscriptio in editis retenta, a nobis immutanda non fuit. Zeno autem totus hic est in defendenda æterni Verbi divinitate contra Arianos, sicut et in duobus mox subjiciendis

Digitized by Google

prædicatur. (2) Denique inde est, quod (3) legis fundamenta temnentes, versuta disputatione, prætermisso Deo de Deo exeunte, ad communia humanitatis nomina, quæ possunt argumentis attingi, (4) Patris et Filii festinant : nec intelligunt, quia in exordio (5) carminis sacri Deus Deo sua sibi et divinitate et nomine comparatus, omnes humani sensus opinationes excludit: quippe cum **142** dicat: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, non inquit, *fac ad tuam*, sed ait, *faciamus ad nostram* (*Gen.* I, 26) : (6) ne quam Filius hominem indueturus pati videretur injuriam. Videtisne, fratres dilectissimi, quia nullus (7) exserte hic alteri jubet, in opere nullus otiosus est? O sancta (8) æqualitas, ac sibi soli dignissima individuæ deitatis! Unus homo ad (9) duorum imaginem et similitudinem fingitur : nec tamen in eo, quid cujus sit, invenitur. Si igitur in opere extraneo paritas sacra distingui non potest ; Deus in alio se inferior esse quemadmodum potest, quidquid enim uni ex duobus indiscrete in omnibus sibimet (10) similantibus detraxeris, cui detraxeris, (11), nescis.

143 II. At ille, cui jubetur, est, (12) inquis, inferior. Quid? quod inde non esse approbatur inferior : quia

tractatibus, qui eumdem titulum in mss. præferunt.

(2) *Denique* non semper enumerationis particula est, quæ in postremo enumerationis membro statuatur, ut *tandem* significet ; sed interdum post unicum membrum, uti heic a Zenone, ponitur, vel etiam cum nihil præcesserit, uti ab eodem adhibetur tract. 6 hujus libri, ubi enumerationis initium inchoat. Tum vero idem fere sonat, ac *paucis dicam*, de quo vide Schultingerum in notis ad declamat. I Quintiliani, p. 15. Exempla suppetunt apud Nepotem XII, 1 ; Florum I, 16 ; Justinum, Papinianum et alios, quos Freinshemius in Florum laudat.

(3) *Legem* pro Sacra Scriptura a Zenone adhibitam vidimus tract. XII lib. I, adn. 1.

(4) Ad *communia* scilicet nomina Patris et Filii, uti apud homines usurpantur, Ariani *festinabant*, ut Filium Patre inferiorem, velut inter homines usuvenit, ostenderent. *Argumentis* autem *attingi* ait, quod Ariani philosophia plurimum uterentur, seu potius abuterentur, ut plurium Patrum testimoniis statutum nobis est dissert. III, c. 2.

(5) *Carmen sacrum* Geneseos liber appellatur, licet historicus sit. Similiter *Isaiæ carmen* tract. 23 et tract. 26, *divinum carmen* ejusdem Isaiæ liber vocatur. De hac voce *carmen* Sparaverius plura. Inferius *dicat* scripsimus ex mss. Tolent., Urbin., Pomp. et Zen. pro eo quod editi cum aliis mss. *dicit*.

(6) Numquid hoc loco S. Zeno Tertulliani interpretationem pungere voluit, qua hominem ad Christi imaginem factum tradidit? Sic enim is, lib. V contra Marcion. c. 8 : *Ille Pater Christum sermonem suum intuens futurum*. Faciamus, *inquit*, hominem, etc. Et lib. de Resurrectione carnis c. 6 : *Et fecit hominem Deus, id utique quod finxit, ad imaginem Dei fecit illum, scilicet Christi* : qua interpretatione etsi Tertullianus, qui de Filii divinitate recte sensit, nihil injuriæ eidem Filio fecerit ; inde tamen periculum non leve impendebat, ne id Ariani ad elevandam, vel negandam Filii divinitatem transferrent, ac si æqualis Patri esse non possit, cui Pater dixisse non tradebatur : *Faciamus ad nostram*, qua æquales sumus, imaginem, sed *Fac ad tuam*, quam nimirum homo factus præferes.

(7) *Exserte* reperitur apud Tertullianum, lib. I ad Uxorem cap. 1 : *Apostolus non suadet, sed exserte jubet*, id est aperte et distincte. Apuleius Metamor. I, *exserte clamitans*.

(8) Quamplurium lectionem codicum et editorum prætulimus, quæ etiam occurrit tract. VI lib. II. Mss. non nulli habent *æquabilitas*. Inferius *dealitatis* pro *deitatis* ms. Rem. scribit ; quod nomen hoc Zenoniano sæculo usurpatum reperimus tum ab Hilario in libro de synodis, tum a Lucifero Calaritano lib. I pro Athanasio, pag. 198.

(9) *Duorum* vox abest a ms. Pomp. ac si duo illa, ad quæ *unus homo* finctus traditur, sint *imago et similitudo*, cum haud dubie sint Pater et Filius, de quibus in Genesi dictum est *ad nostram*, et quorum imaginem ac similitudinem unus homo ita exhibet, ut quid sit Patris, quid Filii, in eo distinguere nequaquam liceat : ex quo argumentum non imbecille adversus Arianos sumitur.

(10) *Simile* legitur apud Martialem lib. II epigr. 55, et apud Marcellum Empyricum c. 8. Sed apud Martialem alii legunt *simulo* ; et Burmannus in Quintil. lib. VII. c. 10, et in Ovid. Metamorph. lib. III, v. 158, *similare* et *assimilare* Latine non recte dici contendit. At jam hæc vox Zenonianorum codicum auctoritate satis vindicata videtur, qui *similantibus* a *simile* deductum aperte scribunt. *Similantes* autem *sibimet in omnibus* cum Zeno affirmat Patrem et Filium, quam procul absit a Semiarianorum sententia, qui *similem substantiam* Dei Filium vocabant, ex toto contextu liquet. Dixit autem *similantes*, ut comparationi insisteret, quam ex homine ad Patris et Filii similitudinem condito instituerat : addens vero *in omnibus* ostendit aperte, similitudinem se admittere perfectissimam omnium, cujusmodi est inter eos, qui unius ejusdemque substantiæ sunt, uti sane Patrem et Filium esse pluribus in locis dissert. I, indicatis c. 2, § 2, disertissime affirmat.

(11) In editis *nescio* Codicum lectionem secuti sumus.

(12) Mss. Vat. et Zen., *inquit*. Objectio hæc est Arianorum celebris, cui duplex a Zenone responsio subjicitur, quam quidem utramque apud cæteros Patres invenire licet. Alii enim confessi sunt præceptum Patris ad Filium, quo tamen nihil æqualitati inter ipsos præjudicii creetur, ut cognosci potest ex Irenæo lib. III, cap. 8 ; Tertulliano adversus Praxeam cap. 12 ; Origene t. II in Jo. p. 61 edit. Huetii ; Basilio l. de Spir. Sanct. c. 16 ; Cyrillo l. 29 Thesauri, p. 225 ; Athanasio l. de Decretis Nicænæ Synodi ad ea ps. XXXIII verba : *Ipse mandavit, et creata sunt* ; Mario Victorino l. I de Rerum creatione, ac tandem Hilario l. IV de Trinit. num. 16, quibus omnibus in locis et Patris præcipientis et Filii exsequentis aperta sit mentio. Quomodo vero id sine Filii offensione sit, paucis recte explicat Zeno, cum *non minus sit magna facere*, scilicet creare mundum, quod profecto solius Dei omnipotentis est, *quam dicere*, id est præcipere, ut mundus creetur. Neque hic notare prætermittimus Hilarium l. III de Trinit. n. 12, videri quidem concedere inferiorem Patri Filium hoc nomine, quod Patri præcipienti obedivit. *Et quis*, inquit, *non Patrem potiorem confitebitur, ut ingenitum a genito, ut Patrem a Filio, ut eum qui miserit, ab eo qui missus sit, ut volentem ab eo qui obediat*. At quam in sententiam appellet *potiorem* hoc loco Patrem, ut ne quid Filii divinitati et æqualitati detrahatur, ipse luculenter explicat in ps. CXXXVIII, n. 17, inquiens : *Est enim Pater major Filio, sed ut Pater Filio, generatione, non genere* : quibus pariter concinens Athanasius orat. II in Arian. Patrem *majorem* Filio fateri non dubitat, *non magnitudine aliqua, vel tempore, sed propter generationem ex ipso Patre*. Ne quis tamen hac prima ex responsione cum æqualitatis præjudicio Filium Patris ministrum inferioremque conciperet, aliam responsionem Zeno subjicit, quam se priori illi præferre

unde processit, paterni cordis est (13) exsecutor; non enim minus est facere magna, quam dicere. Quamvis et quod dictum est a Patre, vel dici potest, quia Verbum est Filius, sine Filio non est: et quod factum est a Filio, vel fieri potest, sine dignatione paterna non est; quia Filius sine Patre non est, ipso dicente: *Si non facio facta Patris, nolite mihi* **144** *credere: sed si mihi credere non vultis, factis credite: et cognoscite, quoniam in me est Pater, et ego in illo* (*Joan.* x, 37 *et* 38). Constat ergo æqualem esse, (14) quod invicem se capit cum Spiritu sancto.

TRACTATUS II.

De Genesi.

Nisi quis hostem, a quo impugnatur, expugnet, non obscure significat, quod scilicet ipse Filius, quatenus Verbum est Patris, sit ipsum Patris mandatum, quo præceptum est, ut omnia fierent, et sit etiam vis illa, qua omnia a Patre per Filium condita sunt. Hinc illa tract. IV I. II: *Quidquid enim Pater præcepit, ut fieret, Filius, utpote Dei virtus Deique sapientia, omnia illa opere mirifico ejus cum dicto complevit.* Similiter alii Patres præcipiendi et obediendi formulas vel non probarunt omnino, vel eatenus probarunt, quatenus ipsum præceptum et mandatum Patris idem Filius esse cognoscatur, creandi autem et faciendi exsecutio vim indicet Patris in Filio. Lege Athanasium orat III in Arian., Cyrillum l. I in Jo. cap. 5, Hilarium l. IV, n. 27, et seqq. ac Augustinum, qui l. II de Genes. ad lit. c. 6, *jussionis* vocem reprehendit; et nihilominus tract. XXI in Jo. nec non in libro contra serm. Arian. cap 3, ipsam Patris *jussionem* ipsum esse Patris Filium ostendit. Quanta cum brevitate et energia hæc omnia Zeno complectitur! Vide quæ hanc eamdem in rem notabuntur tract. IV seq., adnot. 6, ubi Patris præceptum exsecutionemque Filii iterum memorat, æqualitatem autem amborum insigni testimonio et argumento confirmat.

(13) Qua auctoritate editores Veronenses scripserint *excultor*, ignoramus. *Exsecutor* autem quod in mss. et edit. Ven. legitur, innuit Filium eum fuisse, per quem omnia, quæ Pater voluit, creata sunt, de quo plenius agetur tract. IV, ibique notabimus plura. Animadvertatur porro syntaxis, quæ sic construenda est: *Quia est exsecutor paterni cordis, unde processit.* Quod vero Filius ex Patris corde processisse traditur, spectat illud ps. XLIV, v. 1: *Eructavit cor meum verbum bonum*: hæc enim a Patre dicta de Filio antiqui aliquot Patres interpretati sunt: unde Tertullianus adversus Praxeam c. 8: *De quo* Patre *procedendo Filius factus est, primogenitus ut ante omnia genitus, et unigenitus ut solus ex Deo genitus proprie de vulva cordis ipsius, secundum quod et Pater ejus testatur: Eructavit cor meum*, etc. Frequens hujus testimonii in eamdem sententiam allegatio apud illos quoque Patres, qui Arianos impugnarunt, ut vel Augustinus notavit Enarrat. in ps. XLIV, num. 4. Forte huc etiam pertinent illa ps. CIX, v. 3: *Ex utero ante Luciferum genui te*: quorum explicationem cedit Augustinus l. I contra Maximin. c. 7, et l. II, c. 18. Hæc Filii ex corde Patris generatio cujusmodi sit, fusius docuimus dissert. II, cap. 1, § 3 et seqq.

(14) Ita legunt mss. et edit. Ven. Cum vero in editione Vet. scriptum esset *q*, in Patavina scriptum est *qui*.

TRACT. II. — (1) Inter hæreticos non nulli materiam Deo coæternam et increatam posuere. Ita Hermogenes, quem non Tertullianus solum refellit in libris adversus eumdem, qui supersunt, sed et Theophilus Antiochenus apud Eusebium l. IV, cap. 24, et Maximus apud eumdem l. V, cap. 27, Manichæi pariter teste Hieronymo in cap. 1, epist. ad Ephesios v. 4 eumdem cum Hermogene errorem adoptarunt. Seleucianos et Hermianos eadem hæresi implicitos testantur Philastrius hæres. LV et ex ipso Augustinus hær. 59. Alios ejusdem erroris auctores memorat Procopius in Commentario in Genesim, qui in ejus patrocinium Moysis verba in principio Geneseos posita deflexerunt. Utrum hos perstringere voluerit S. auctistes Zeno, non audemus affirmare. Imo potius arbitramur eum appellare hoc loco poetas et philosophos Gentium, qui eumdem errorem jamdiu ante docuerant: hujus enim tractatus initio S. Zeno imitatus apparet Lactantium l. II Instit. cap. VIII, ex quo non nulla iisdem fere verbis expressit, ut mox videbimus. Is autem Ethnicos tum poetas tum philosophos explorate appellat. De poetis primo sic: *Neque audiendi sunt poetæ, qui aiunt chaos in principio fuisse, id est confusionem rerum et elementorum; postea vero Deum diremisse omnem illam congeriem, singulisque rebus ex confuso acervo separatis in ordinemque descriptis, instruxisse mundum pariter et ornasse*; ex quibus Zenonem primam periodum scribentem non nihil profecisse palam est. Ovidius l. I Metam. et Græci quidam poetæ hæc eadem perspicue docuere. Recitat porro Lactantius ex philosophis insigne M. Tullii testimonium, in quo ea expressa sententia traditur, et est fragmentum libri de Natura Deorum, qui vel mutilus ad nos pervenit, vel plane intercidit: ubi tum ille non suam, sed alterius philosophi opinionem descripsisse videtur, cum alibi rectam de mundi creatione sententiam tulerit. Vide Theodoretum de Hæresibus libro V, capite 6, et Sanctum Basilium homilia I in Hexamer.

(2) Ms. Tol., *manente*. Idem codex *Dominum* pro *Deum*, et *diremisse* pro *diremisse*.

(3) *Ergo* abest a mss. Pomp., Zen. et Sp. *Repugnantia* porro cur appellentur hæc duo principia, dicemus adnot. seq.

(4) Hic quoque ex Lactantio non nulla sumpta videntur: sic enim is l. II Instit. c. 8, alio licet argumenti genere, quod tamen eodem fere recidit: *Itaque aut Deus ex materia ortus est, aut materia ex Deo. Quid horum sit verius, facile est intelligi: ex his enim duobus alterum sensibile est, alterum caret sensu* (ob id S. Zeno hæc duo principia *repugnantia* vocavit). *Potestas faciendi aliquid non potest esse nisi in eo, quod sentit, quod sapit, quod cogitat, quod movetur*; quæ postrema præsertim verba noster auctor usurpat.

(5) Putabit fortasse quispiam legendum esse, *quod movet, quod non movetur*, ut ne de eodem contraria tradi videantur. Similiter anima ex Platone apud Ambrosium ep. 34, n. 1, id esse dicitur, *quod ipsum se movet, et non movetur ab alio*. Sed sine contradictione *movet* et *movetur* optime dixit Zeno spectans eam philosophorum sententiam, quam luculenter exponit Cicero in Somnio Scipionis, ubi Deum rerum omnium principium probaturus, esse illum sta-

Digitized by Google

discrevit, ratione disposuit, coloribus decoravit, determinavit mensura, officiisque competentibus servire præcepit? Unde non est principium, quod senescit; quod opus factum est alienum; quod non est in sua positum potestate; quod a sua substantia tollitur; quod mutatur; quod alieno movetur pulsu; quod, quid sit, quid fuerit, quid futurum sit, non potest aliquando sentire. Solus Deus est itaque principium, qui (6) ex **146** se ipso dedit sibi ipse principium. Solus ante omnia et post omnia, quoniam in ejus manu inclusa sunt omnia, ex se est, quod est. Solus sui conscius, quantus et qualis est. Solus perfectus; quia non potest illi aliquid nec addi, nec minui. Solus omnipotens, quia ex nihilo universa constituit, virtute regit, majestate custodit. Solus indemutabilis, ac semper æqualis; quia in se non admittit ætatem. Solus sempiternus: quia immortalitatis est Dominus. Hic est Deus noster, qui se (7) digessit in Deum. Hic Pater, qui suo manente (8) integro statu, totum se

tuit, qui *se se movet quia numquam deseritur a se, numquam ne moveri quidem desinit; quin etiam cæteris quæ moventur, hic fons, hoc principium est, movendi.* Itaque *movet* ad alios pertinet, *movetur* ad se. Vide Tullii locum, ex quo alia ad Deum principium rerum omnium statuendum brevi epilogo huc a Zenone traducta invenies.

(6) Præclare Lactantius l. I Instit. cap. 7: *Verum quia fieri non potest, quin id quod sit, aliquando esse cœperit; consequens est, ut quando nihil ante illum fuit, ipse ante omnia ex se ipso sit procreatus, ideoque ab Apolline* αὐτοφυὴς *a Sibylla* αὐτογενὴς *et* ἀγέννητος *et* ἀποίητος *nominatur..... Deus ipse se fecit.* Frequens apud Patres formula hæc est, quam ex Orpheo memorat Cyrillus lib. I contra Julianum. *Unus est ex se ipso genitus.* Et Hieronymus in c. III Ep. ad Ephes. *Deus vero, qui semper est, non habet aliunde principium, et ipse sui origo est.* Lege alios apud Petavium l. V de Trinit. c. 5, n. 14. Quæ locutio etsi minime propria est, nam *nemo sibi ipsi et munerator et munus est*, ut notavit Hilarius lib. II, n. 7, tamen recte intelligi potest, ut *dedit sibi ipsi principium* idem sit, ac a nullo alio principio substantiam communicatam accepit.

(7) Generationem Filii a Patre hic Zeno subindicat, de qua in sequentibus apertius statuit.

(8) Hæc notare auctor voluit, ne quis fortasse ex generatione Filii immutatam Patris substantiam putaret. Ariani enim Catholicis eamdem Patris et Filii substantiam confitentibus exprobrabant, hac ratione Filium particulam esse divinæ substantiæ, quæ per generationem a Patre separata fuerit. Vide Hilarium l. IV de Trinit., n. 4.

(9) *Reciprocavit* se ad explicandam Zenonis sententiam optime positum est: *reciprocum* enim dicitur, quod aliunde profectum, eo relabitur, unde profectum est. Ita ergo *se reciprocasse* Pater in Filium dicitur, quod se totum Filio ita communicarit, ut nihilominus totum retinuerit, ac si totum dum communicavit, receperit: quod alia formula auctor expressit tr. II lib. I, n. 9: *A paterno fonte in Filio tota refunderis; et tamen tota ubi refunderis, nec recedis.*

(10) Indicat hic procul dubio S. Spiritus processionem, quæ ex mutuo Patris et Filii amore renitet; unde tr. II lib. I, n. 9, de charitate loquens dixit: *Tu in Spiritu sancto exsultas.*

(11) Has aliasque id generis similitudines a rebus terrenis ad divinas explicandas traductæ, etsi haud, parvs esse monuit Hilarius lib. I de Trin., n. 19, et

(9) reciprocavit in Filium, ne quid sibimet derogaret. Denique alter in altero (10) exsultat, cum Spiritus sancti plenitudine una originali coæternitate renitens. Quemadmodum (si dicere dignum est) (11) duo maria, quæ in semet recumbunt, freto æstus alternos in unum conferente, connexa, quæ licet sui proprietate, locis vocabulisque discreta sint, tamen trini profundi (12) vaporis una virtus, una substantia, una est fluendi natura; nec potest incomprehensibilis, communisque (13) undæ dividi magnitudo, **147** utroque in utrumque commeando largiflua, utrisque propria, nulli privata: etenim damnum patientur ubertatis et gratiæ, si adimatur, quod uno eodemque æstu alterum ex altero decoratur.

TRACTATUS III.

De Genesi (1) *seu de æterna Filii Dei generatione.*

Principium (2), fratres dilectissimi, Dominus nos-

l. IV, n. 2, utiles tamen esse non diffisus est, ut mentis nostræ imbecillitati consulatur.

(12) Mss. Rem., Tol., Vat. et Urb., *saporis.* Dein ms. Tol., *fluenti* pro *fluendi.*

(13) Varias hoc loco scripturas singuli fere codices præferunt. Alii *unda et dividi magnitudo, et utrumque in utrumque commeando*: alii, *undæ et dividi magnitudo, in utrumque commeando*: alii, *undæ dividi magnitudo, et tamen utrumque commeando*: alii tandem, *undæ dividi magnitudo, et utroque in utrumque*, etc., et postremam hanc lectionem, deleta conjunctione *et*, quæ superfluit, præponendam putavimus.

TRACT. III. — (1) Prima hæc inscriptio est in mss. omnibus præter Zenonianum, qui una cum editis alteram præfert. Præclara porro marginalis notatio litteris majusculis exarata, et huic tractatui apposita in ms. Rem. legitur his verbis: *In Natali Domini fratribus legenda in cubiculo post Diaconorum ingressionem ante Pontificem.* Hic porro id observandum videtur, diaconorum fuisse, ad pontificem, seu episcopum ingredi, quotiens illi e cubiculo ad sacra officia procedendum erat. Quotiens enim in aliis marginalibus id generis notationibus *cubiculi* mentio fit, semper diacones vel ingressi ad suscipiendum pontificem, vel e cubiculo cum eodem egressi traduntur. Hi autem diacones illi esse videntur qui plures una sacris induti vestibus episcopo sacra facienti solemni ritu ministrare solebant, uti discimus ex pluribus Ordinibus a Martene editis t. I de Antiq. Eccl. rit., p. 568, 573, 613, edit. Paris.

(2) Christum esse *principium*, ipse de se perspicue affirmavit Joan. VIII, 25. Judæis enim quærentibus, *Tu quis es?* respondit: *Principium, qui et loquor vobis.* Quo autem sensu Christus Dei Filius sit *principium*, explicat Theophilus Antiochenus ad Autolicum lib. II ubi de divino Verbo disserens, *Hoc*, inquit, *appellatur principium, quoniam primatum et dominatum habet in omnia, quæ per ipsum fabricata sunt.* Licet autem Pater principium eadem ratione appellari queat; peculiari tamen modo id dicitur de Filio, quatenus Filius est illud verbum per quod *omnia facta* speciali quadam ratione in Scripturis sacris traduntur, de quo plura dissert. II, cap. 1, § 4 et 5. Quin hæc apud antiquos solennis et pervulgata sententia est, *principii* nomine, quod I Genes. v. 1 occurrit, idem divinum Verbum significari. Imo *in Filio* pro *in principio fecit Deus cœlum et terram*, in Hebræis codicibus legi affirmarunt non nulli, uti refert Hieronymus initio Hebraicarum quæstionum, qui et Tertullianum in libro contra Praxeam aucto-

Digitized by Google

ter **148** (3) incunctanter est Christus, quem ante omnia sæcula pater in profundo suæ (4) sacræ mentis arcano insuspicabili, ac soli sibi nota conscientia, Filii non sine affectu, sed (5) sine revelamine amplectebatur. Igitur ineffabilis illa incomprehensi- A

bilisque sapientia sapientiam, omnipotentia omnipotentiam propagat. (6) De Deo nascitur **149** Deus, de ingenito unigenitus, de solo solus, de toto totus, de vero verus, de perfecto perfectus. Totum Patris habens, nihil derogans Patri. (7) *Procedit in nativi-*

rem allegat. Hic sane eo libro, cap. 5, eo argumento utitur ad divinarum personarum distinctionem confirmandam contra illum errorem, qui Sabelliano præfulsit : sed is non ex suo, sed ex aliorum potius sensu loquitur : *Aiunt quidem et Genesim in Hebraico ita incipere : In principio fecit sibi Filium.* Verum hic error ab Hebraicæ linguæ peritis facile dispellitur. Alii vero Patres, etsi non in Hebræo ita legi putarent, Filium tamen ibidem *principii* vocabulo intelligendum indicarunt. Perspicue Origenes, hom. 1 in Gen., postquam dixit, Filium *esse omnium principium; In hoc ergo*, inquit, *principio, hoc est in Verbo suo, Deus cœlum et terram fecit.* Cui interpretationi favent Clemens Alexandrinus, lib. VI Stromat. p. 644; Hilarius, in Psalm. II; Ambrosius, lib. I Hexamer. c. 2; Augustinus, lib. I de Gen. ad lit. c. 5, lib. XI Confess. cap. 9, ac præsertim lib. XII, cap. 19, 20 et 28, ubi similiter *in principio* exponit constanter *in Verbo, in Filio, in Sapientia;* ita ut idcirco Deus omnia crearit in Filio, quod omnia in sapientia crearit, quæ quidem *omnium artifex sapientia*, Proverb. c. VIII, vocatur. Ab hac sententia, nihilum discrepant, qui *principii* nomine σοφίαν Græce, ut Methodius, apud Photium Cod. 235, et Latine etiam *sophiam*, ut Tertullianus, in Hermogenem cap. 20, appellarunt : et hinc Proclus, orat. 2, p. 102, Filium, qui Patris sapientia dicitur; vocat αὐθέντην δημιουργόν, *principalem opificem.* Sed quidquid id est, de Filio rerum omnium principio, per quod et in quo omnia sunt condita, Zenonem loqui, patet ex tract. 5 hujus libri, ubi eadem, quæ hic totidem fere verbis repetens, de creatione mundi nonnulla subjicit.

(3) Editorum lectio *incontanter*, quæ tamen in mss. non apparet. Promiscue tamen *incuntanter*, et *incontanter* scriptum reperitur. *Incuntanter* apud Lactantium, lib. VI, cap. 12, *incontanter* penes Appuleium, lib. XI post initium. Similiter *cuntari* et *contari* Porro sicuti *contor*, vel *cuntor* non tam morari et procrastinare, quam quæstionem movere, vel suspensum tenere animum significat (unde *contabunda*, id est anceps et suspensa, *rimatur*, dixit Appuleius, Met. 8 : *Cuntabundus loquitur;* eodem sensu usurpat Tacitus, An. I, 7, Appuleius, Met. 7, *Nec mora*, nec *contatio*, vel, ut alii legunt, *cuntatio;* ubi *cuntationem a mora* distinguens pro suspensione animi vel quæstione accepit : et similiter Paulinus, carm. 23 de S. Felice vers. 416 : *Paridæ cuntamine mentis*, in eamdem sententiam usurpavit), ita *incuntanter*, seu *incontanter* apud Zenonem perinde accipiendum, ac sine quæstione, sine controversia, sine dubitatione, non autem sine mora, ut primo adspectu videri potest, nisi moram suspensi animi intelligas. Sic forte *incuntante fide* pro fide non ambigente dixit Paulinus Petrocorius, lib. V, vers. 132.

(4) Ms. Pomp., *sacra mentis arcana. Insuspicabile* autem *arcanum* dicitur, quod penetrari et cognosci neque per conjecturas potest. *Suspicio* enim apud Zenonem, tract. 16, lib. I, num. 3, non minus ac in Cyrilli Glossario, opinio tenuis et cognitio est incerta, et *suspicabile* apud Arnobium est id, quod cognitione incerta et conjectationibus assequimur; unde medicinam *artem suspicabilem, et conjecturarum æstimationibus nutantem* vocavit I. I, p. 28. Hac eadem voce *insuspicabilis* in eamdem sententiam usus est vulgatus interpres Ecclesiastici c. XI, 5, et c. XXV, 9.

(5) *Sine revelamine*, inquit; quia Pater cum ab æterno Filium genuit, illum *in profundo suæ sacræ mentis arcano* celatum non revelavit, nec manifestavit exterius, quod fieri cœpit per *creationem, cum omnia per ipsum facta sunt*, Joan. I, et *per incarnationem*, cum inter homines conversatus est Baruch. III, 38, de quibus plura dissert. 2, cap. 1, § 3. Similiter Chrysologus, serm. 67 in fine : *Semper Dei Filius in Dei patris mansit arcano.*

(6) Solemnes hæ apud Patres sunt formulæ, quibus divinum Verbum Patri omnino æquale significetur adversus Arianos, qui illas ægerrime audientes in crimen devocabant. *Sunt enim plures*, inquit de istis Hilarius, lib. III de Trin., num. 8, *sæculi prudentes, quorum prudentia Deo stultitia est, qui cum audiunt Deum de Deo, verum a vero, perfectum a perfecto, unum ab uno natum esse, tamquam impossibilia nobis prædicantibus contradicunt.* Similes locutiones leguntur in formula fidei synodi Antiochenæ relata ab eodem Hilario, in libro de Synodis, n. 29 : *Deum de Deo, totum ex toto, unum ex uno, perfectum ex perfecto;* nec non apud antiquum auctorem, tract. de fide orthodoxa contra Arianos, qui esse videtur Gregorius Bæticus, tom. II Append. Ambros. pagina 347, a. *De solo* autem *solus* aptissime dicitur ad refellendos eos qui illa apud Joan. XVII, 3, ubi Christus Patrem ita alloquitur : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum*, hæc, inquam, perinde acceperunt, ac si Pater *solus* Deus a Christo affirmetur. Patres porro ea de Patre *solo vero Deo* Christum dixisse interpretantur, non ut semetipsum a divinitate eximeret, sed *ad eos de medio tollendos, qui natura sua non sunt veri*, ut ait Athanasius, lib. IV contra Arian. B C seu, ut Ambrosius inquit, I. V de Fide cap. 1, n. 20, *ne duos Deos dicere videretur.* Simili ergo ratione *solum de solo* Zeno affirmavit; nisi forte *solum de solo* dixit pro *unum ex uno*, ut, quod explicat Hilarius, de Synodis, num. 55, *passiones humani partus et conceptionis excludat.* Cur porro *totus de toto* dicatur, sicut dixit etiam Hilarius lib. III de Trin., n 4, et lib. VI, num. 10, satis declarant illa, quæ Zeno subjicit : *Totum Patris habens, nihil derogans Patri*, seu ut explicat loco postremum laudato Hilarius : *Tota plenitudo deitatis in Filio est*, ut nihil ex eadem desit Patri; nec minus luculenter Zeno, tract. 6, num. 4 : *Totum Pater, totum possidet Filius : unius est, quod amborum est, quod unus possidet, singulorum.* Vide Phœbadium, in lib. contra Arianos, p. 502 e., t. IV. Bibl. PP. edit. Lugd. qui et formulam *perfectus de perfecto* fuse exponit et ibidem g. et pag. 503, g.

(7) De qua nativitate hoc loco sit sermo, et genuinam hujus loci sententiam, quam alii non probe sunt assecuti, late explicavimus, dissert. 2, cap. 1, § 6. D Satis nunc sit innuere, non de nativitate illa Christi Zenonem loqui, qua natus de Virgine est, sed de illa, qua de Patre processit ab æterno, non quidem nativitate illa *insuspicabile*, ut Auctor vocat, qua Filium Pater *in profundo suæ sacræ mentis sine revelamine complectebatur*, sed illa qua *ex* Patris ejusdem *ore, ut rerum natura, quæ non erat, fingeretur, prodivit unigenitus Filius*, ut idem auctor loquitur tractatu sequenti; cum scilicet Pater condendi mundi decretum sanxit, quod decretum ipsum Verbum appellari ex plurium Patrum testimoniis loco laudato vidimus. Ita Filius erat genitus a Patre, antequam in ferendo decreto nasceretur, quod intelligendum de *prioritate*, ut scholæ loquuntur, *rationis*, non temporis : prius enim concipitur Filius genitus in Patre, quam concipiatur decretum orbis creandi, quod in eodem Filio uti Verbo Patris dictum fuit.

Digitized by Google

tatem, qui erat (8), antequam nasceretur, **150** in Patre æqualis in omnibus; quia Pater (9) in ipsum alium se genuit ex se, ex innascibili scilicet sua illa substantia, in qua beatus manens in sempiternum omnibus, quæ habet, habentem Filium paria (10) procreavit, qui est Deus benedictus in sæcula sæculorum.

(8) *Penes quem erat, ante quam nasceretur*, dixit etiam Hilarius, in c. XXXI Mat. n. 3. Contrariam formulam Ariani usurpabant : *Non fuit, antequam nasceretur*, quam Hilarius impugnans, l. XII de Trin., ut ne forte ex priori formula, quam ipse in dictis commentariis catholico sensu adhibuerat, in pravam detorquerent sententiam, ac si cogitari posset tempus, quo Filius nondum natus, penes Patrem velut in radice exstitisset, quod Arianis favisset quam maxime; neutrum dici voluit, n. 31, fuisse, vel non fuisse Filium penes Patrem, antequam nasceretur, cum et Pater, et Filius ab æterno ita simul extiterint, ut nec Filius umquam sine Patre, nec sine Filio Pater aliquando fuerit. Singularem porro Zenoniani hujus testimonii sententiam annotatione superiori indicavimus, eademque fusius explicatur atque statuitur laudata dissert. 2, cap. 1, § 6.

(9) *In ipsum* pro *in ipso* non nunquam dictum aliis aliorum auctorum exemplis probare possumus, quæ tamen opportunius afferentur adnot. 5, in tract. 15, l. II. Heic autem energiæ caussa dictum videtur, ut significatio sit, Patrem, cum genuit Filium, ob communicationem ejusdem substantiæ se *in ipsum* quodam modo transfudisse; et ita gignens Filium dicitur *alium se genuisse ex se*, quod *Deum de Deo* genuit, *solum de solo*, *totum de toto*, *perfectum de perfecto*, etc., ut idem Zeno est paulo ante locutus.

(10) *Procreare* pro *gignere* passim a Latinis usurpatur. Et eodem quidem sensu adhiberi in litteris sacris ad divini Verbi generationem explicandam Patres non pauci animadverterunt in illa Prov. VIII, 22, sic e Græco reddita : *Dominus creavit me*, ἔκτισέ με, quæ de divino Filio prolata plures voluere. Itaque sensus est : Pater genuit *Filium habentem paria*, scilicet *omnibus, quæ* ipse *habet*; ubi *paria* dictum est eodem sensu, quo Filius *par*, seu *æqualis* Patri dicitur. Heic ergo Filius *habere* dicitur *paria omnibus*, *quæ habet* Pater, sicuti paulo ante dictus fuit *æqualis in omnibus*.

TRACT. IV. — (1) Hic titulus est in omnibus mss. præter Zen. in quo cum editis alter legitur.

(2) Ita in mss. Rem., Tol., Vat., Urbin., Basilicæ Vat. et edit. Ven. Alii codices recentiores Zen., Pomp. et Sp. pro *et idem alter* scribunt *æternaliter*; quæ lectio minus arridet, tum quod hæc vox Latine non facile reperietur, nisi apud valde sequioris ævi scriptores, tum quod videtur redundare; per illa enim, *erat ante omnia manens*, id ipsum satis exprimitur : cum præsertim ea auctori sit mens, innuere non illam æternitatis, si dicere liceat, partem, quæ ante orbis creationem concipitur, sed illam *prioritatem*, ut scholastici appellant, *rationis*, qua Deus prius in se existens *ante omnia* cogitatur, quam quidquam de creandarum rerum natura ab æterno decerneret : cui sententiæ explicandæ satis erat innuisse, Deum fuisse ante omnia, ac explicasse quis fuerit; *æternalis* autem durationis, quæ ad creaturum rerum initium referri solet, meminisse nihil intererat. His adde mss. vetustissimorum auctoritatem, quæ tota nostra est; et præterea cogita credibilius multo esse ex *et idem alter* ab exscriptoribus sententiam non assequentibus scriptum fuisse uno verbo *æternaliter*, quam ex *æternaliter* scriptum *et idem alter*. Veronensis autem editio nullo codice suffragante ex utraque lectione aliquid sumens, tertium composuit sic : *et idem æternaliter*. Ad sententiam porro auctoris quod pertinet, *unus et idem alter ex semetipso in semetipsum Deus* dixisse videtur, ut Patrem Filiumque duas personas distinctas, et unum nihilominus Deum contra

TRACTATUS IV.

De (1) *Genesi*, seu *de æterna Filii Dei generatione.*

Sicut sacra Scriptura testatur, erat ante omnia manens (2) unus et idem alter ex semetipso in semetipsum **151** Deus, (3) secreti sui solus conscius, Arianos assereret. Cum *unum et alterum* memorat, discrimen personarum profecto insinuat; quas tamen unum Deum esse satis indicat, non solum cum ait Deum hunc esse *unum*, et eumdem hunc unum simul *alterum* esse, quod aliter nequit intelligi, nisi duplicis personæ *una* natura sit; sed multo magis cum hic unus idemque alter *ex semetipso in semetipsum Deus* esse traditur, qui nimirum ex eodem Deo uno in eumdem Deum genitus est : quod clarius explicat tractatu sequenti inquiens : *Lætatur Pater in alio se, quem genuit ex se.* Hic ergo *alius ipsemet, quem Pater genuit ex se*, ille est *unus ac idem alter ex semetipso in semetipsum Deus*, cujus hic mentio est. Huc forte spectant illa tract. 2 præcedentis : *Solus Deus est itaque principium, qui ex se ipso dedit sibi ipsi principium*, quæ non tam indicare possunt Deum esse *eus a se*, ut scholæ loquuntur, quod a nullo externo principio originem ducat; sed etiam Deum Patrem ex sua substantia Filium genuisse, qui non minus principium est, quam Pater. Præclara porro hæc de divinitate Filii adversus Arianos confessio est, qua divinum Verbum Patri æquale, et ante sæcula, immo antequam (*prioritate* scilicet *rationis*) de creando orbe decretum fieret, secreto genitum ostenditur; cui nativitati nihil officit altera, quam eidem Filio S. Zeno cum aliis Patribus tribuit, qua in decreto creationis, iterum quodam modo genitus, in ipsa subinde creatione *visibilis*, ut illi aiunt, foras processit : de qua nativitate S. Zeno periodo altera plenius loquitur, nec non initio tractatus sequentis, et nos plura diss. 2, c. 1. Ex his porro intelligitur sacram Scripturam, quæ testari traditur, *erat ante omnia manens unus*, etc., ut de divino Verbo apud Deum Patrem manente sit sermo, esse vel. Jo. I, vel Ecclesiastic. I, 1, vel aliquid simile.

(3) Heic Filius profecto innuitur, *quem*, ut aperte ait tract. 3 : *ante omnia sæcula Parter in profundo suæ sacræ mentis, arcano insuspicabili, ac sibi soli nota conscientia, Filii non sine affectu, sed sine revelamine amplectebatur.* Notanda præsertim verba *sibi soli nota conscientia*, quibus conciuunt alia tract. seq. num. 1, *nescio qua sua conscientia velatum*, et item alia ejusdem generis tract. 8, lib. II, num. 1. Hæc constans similium locutionum repetitio, quibuscum sane convenit, quod heic scribitur, *secreti sui solus conscius*, palam suadent sermonem hoc loco esse de Filio, qui a Patre in *secreto*, seu *profundo* cordis *velatus*, *sola sibi nota conscientia cognoscebatur*, antequam quidpiam de orbe, cui manifestaretur, condendo decerneretur. Neque aliam observationem præteribimus, *secretum* heic vocari ipsam Filii generationem (ut palam fiet ex tract. seq. adnot. 17), quippe quæ hominibus ineffabilis, solique Deo nota a Patribus traditur, de quo vide adnot. 8. Locutione Zenonianæ persimili alii quoque Patres locuti. Ambrosius, lib. I de Fide, num. 64 : *Mihi enim impossibile est generationis scire secretum.* Prudentius in Apotheosi Arianos reprehendens : *Pergunt ulterius scrutantes, quid sit ipsum gignere.... usque ad secretum.* Petrus Chrysologus, serm. LXI : *Quod natus est, confitendum est : quomodo natus est, tacendum est; quia quod secretum est, sciri non potest.* Adeo vero hujus *secreti* solus Deus conscius a cæteris Patribus traditur, ut neque angelis plene cognita divini Verbi generatio affirmetur. Gregorius Nazianzenus, orat. I de Fil. : *Quo autem modo genitus sit, ne ipsis quidem angelis, nedum tibi intelligere concesserim.* S. Ambrosius, lib. I de Fide n. 64, nuper laudatis verbis hæc subjicit : *Mens defecit, vox silet, non mea tantum, sed et angelorum Supra*

Digitized by Google

cujus ex ore, (4) **152** ut rerum natura, quæ non erat, fingeretur, prodivit unigenitus Filius, cordis ejus nobilis inquilinus exinde visibilis (5) necessario effectus, quia orbem terræ erat ipse facturus, humanumque visitaturus genus, alias æqualis in omnibus Patri : quidquid enim Pater (6) præcepit, ut fieret; Filius, utpote Dei virtus Deique **153** sapientia, omnia illa opere mirifico ejus (7) cum dicto complevit. Hunc (8) curiosi opinationibus (9) vanis vio-

A lare conantur; nunc intelligunt miseri, quoniam curiositas (10) reum efficit, non peritum.

154 TRACTATUS V.

De (1) *Fide*, seu *De æterna Filii Dei generatione.*

I. Principium, fratres, Dominus noster (2) incunctanter est, Christus, quem ante omnia sæcula Pater adhuc (3) utrinque in semetipso Deus, beatæ perpetuitatis indiscreta spiritus plenitudine, nescio qua

potestates, supra angelos, supra Cherubim, supra Seraphim, supra omnem sensum est. Ante hos omnes Irenæus, lib. II, cap. 48 : *Generationem ejus inenarrabilem exsistentem nemo novit... neque angeli neque archangeli, nec principes, nec potestates, nisi solus, qui generavit, Pater, et qui natus est, Filius.* Ita prorsus vindicatam vides Zenonis sententiam; et si hinc apertum est *secreti* nomine æternam Filii generationem esse accipiendam, confirmatur mirifice illa lectio, de qua adnot. 2, *unus et idem alter*, etc., ubi distinctam Patris et Filii mentionem a Zenone factam ostendimus.

B

(4) Divinum Verbum, quod ex auctoris sententia hactenus exposita a Patre *ex semetipso in semetipsum* fuit genitum nativitate illa æterna, quam Catholici omnes fatentur; divinum, inquam, hoc Verbum quomodo ex ore Dei *prodierit unigenitus Filius, ut rerum natura, quæ non erat, fingeretur*, facile intelligitur, si præter nativitatem illam ejusdem Verbi propriam et occultam, ex aliquot Patrum locutione nativitatem aliam minus propriam et exterius manifestandam admittamus, qualis est illa, cum scilicet Deus decrevit orbem condere, id quod cum in Verbo decreverit, et per Verbum exsequendum fuerit (ut dissert. 2, cap. 1, demonstratum est) recte altera quodam modo divini Verbi processio, quæ foras stato tempore prodiit, potuit appellari, cum ex priori illa *in profundo* paternæ *sacræ mentis* Filius ita latuerit ac lateat, ut cuivis creaturæ *insuspicabilis incomprehensibilisque* penitus sit, idemque foras haud processurus fuisset umquam, nisi orbis creandi decretum latum fuisset. Hoc autem decretum, quod in Verbo a Patre dictum ab æterno fuit, ipsum Verbum nova quadam generatione natum a Zenone dicitur, de quo similiter tract. seq. ait : *Excogitaturum ut ordinem instrueret rerum, ineffabilis illa virtus incomprehensibilisque Sapientia e regione cordis eructat Verbum, omnipotentia se propagat, de Deo nascitur Deus*, etc. Sed de hoc plura dissert. 2, c. 1, ubi hanc, quam pancis hoc loco innuimus, interpretationem luculenter statutam ac explicatam invenies. Quod si quem præterea moveat vox *ex ore*, quæ heic legitur, adeat tract. 5, adnot. 5.

(5) Mirifice detruncatus et corruptus hic locus in Veronensi editione et seqq., in quibus hæc solum leguntur : *visibilis effectus, quia humanum genus visitaturus erat, alias*, etc. Cum genuinum auctoris sensum Veronenses editores non tenerent, offensionem ex integris verbis metuentes, ita scripsisse videntur. Cæterum omnes codices et editio Veneta scribunt, uti a nobis editum est. Sententia autem ex præmissis satis liquet. *Necessario* adverbium expungendum non est, cum lato decreto, cujus meminimus, necesse decretum plane fuerit, ut Filius, in quo decretum factum diximus, *visibilis* fieret, et duplici quidem ratione, primo in ipsa creatione, cum *omnia per ipsum facta sunt*, dein in incarnatione eo decreto comprehensa, quo non sola creatio, sed totus *rerum excogitatarum*, ut Zeno loquitur tract. 5, num. 1, *ordo*, ac proinde incarnatio decreta fuit, de qua heic dictum accipimus, *humanumque visitaturus genus*. Adverte autem diligenter, quod non has externas processiones Verbi, quibus vel mundus per Verbum conditus fuit, vel Verbum humanam naturam induit, nativitatem ejusdem Verbi heic appellat S. Zeno, qua *ex ore Patris prodierit unigenitus Filius, et de Deo natus sit Deus*; ac si hæc nativitas in ipsa rerum creatione et incarnatione, et proinde in tempore divino Verbo contigerit : sed decretum ipsum ab æterno latum in Verbo, processionem quamdam Verbi appellat in eam rationem, quam pluribus exposuimus laudata dissert. 2, cap. 1.

C

Id tandem quam longe absit ab Arianorum impietate, qui Filium primam Dei Patris creaturam initio temporis conditam volebant, ut eo ministro in cæterarum rerum creatione uteretur, omnes intelligunt.

(6) Hoc, quod Filio Pater præcepisse traditur, quomodo amborum æqualitatem nihil lædat, vide tract. 1, lib. II, adnot. 11.

(7) *Cum* additum e mss. et Veneta editione. Id ipsum legitur in tractatu seq. ubi ab editoribus Ver. prætermissum non fuit : *Opus cum dicto completur a Filio. Dictum* autem, quo opus creationis completum fuit, profecto est imperium illud in sacris litteris expressum per vocem *fiat*; quæ licet prolatitia, divino tamen Verbo tribuitur, non quod verbum hoc prolatitium sit Filius Dei (Zeno enim hunc Filium *Dei virtutem Deique sapientiam* vocat), sed quod Verbum Dei est illud, de quo ob *virtutem sapientiamque* Scriptura testatur : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.*

(8) Hi sunt Ariani, quos ideo auctor perstringit, quia subtilibus disputationibus inscrutabilem Filii nativitatem scrutari et explicare conantes, in varios errores *opinationibus vanis* dilabebantur. Solemne porro aliis quoque Patribus fuit, hanc curiosam tanti mysterii investigationem eodem sensu reprehendere, quos videsis apud Petavium, tom. II, lib. V de Trinit. cap. 6, num. 2 et 3. Quin Ethnicus quoque vir Ammianus Marcellinus huc respiciens, lib. XXI, sub finem, imperatorem ipsum Constantium ejusdem curiositatis coarguit, quippe qui *in Christiana religione scrutanda*, id est in fovendis Arianorum disputationibus, *excitavit dissidia plurima, quæ progressa fusius aluit concertatione verborum*, ubi indicat illas fidei formulas variis verbis sententiisque Arianorum studio editas, de quibus non pauca diximus dissert. 2, c. 2, et in tract. 1, lib. I.

(9) Ms. Tol., *variis.*

(10) Reum curiositas efficit, propterea quod errandi periculo exponit, et in errores etiam sæpissime inducit; unde vulgata apud Patres illa, quam ex Ambrosio referemus, sententia, lib. I de Fide n. 65 : *Scrutari non licet superiora mysteria; licet scire quod natus sit, non licet discutere quemadmodum natus sit. Illud negare mihi non licet, hoc quærere metus est.*

D

TRACT. V. — (1) Hæc quoque prima inscriptio est in mss. nullo excepto, hoc uno discrimine, quod in plerisque legitur *Tractatus Fidei*, in aliis *de Fide*. Hic ergo est alter tractatus de Fide e duobus, quos memorant Jo. Veronensis, Pastrengus et Petrus de Natalibus, de quibus abunde locuti sumus adnot. 1 in tract. 1, l. I. Altera inscriptio in editis omnibus occurrit, quam idcirco duximus retinendam, quod tractatus argumentum magis expresse declarat. Prima periodus cum prima tract. 3 periodo multum congruit, et annotationes ibidem positæ heic consulendæ.

(2) Alii legunt, *incontanter*. Significationem collige ex adnot. 3, in tract. 3.

(3) Multum negotii hic locus facessit. Legebatur

Digitized by Google

sua conscientia velatum, Filii non sine affectu, sed sine discrimine amplectebatur. Sed excogitatarum (4) ut ordinem instrueret rerum, ineffabilis illa virtus incomprehensibilisque sapientia (*Ps.* XLIV, 1), e regione (5) cordis eructat verbum omnipotentia **155** (6) se propagat. De (7) Deo nascitur Deus, totum Patris habens, nihil derogans Patri. Alter (8) renitet

A in altero, cujusvis gloria communis est honor: quia, quod est Filii, Patris est: (9) quod Patris, amborum. Lætatur Pater in alio se, quem genuit ex se. Quomodo autem generatus sit, qui processit, (10) dementis est opinari; namque temperat se propter rerum naturam Filius, ne (11) exsertæ majestatis Dominum non possit mundi istius mediocritas **156** susti-

utrumque, quod initio videbatur referri posse ad Patrem et Filium, similemque formulam continere, ac illa tractatus superioris, *unus et idem alter*, de qua ibidem, adnot. 2. Sed cum subinde æquus non occurreret sensus, quo id perinde accipi posset; legendum tandem duximus vel *utcumque*, quæ lectio indicat Patrem omni *quocumque modo possibili* plenissime Deum in semetipso fuisse una cum Filio, etiam cum eumdem indiscreta spiritus plenitudine in sua conscientia velatum amplectebatur; vel potius *utrinque*, ut significetur Patrem tum ex sua, B tum ex Filii persona unum fuisse in semetipso Deum, cum non in alio, quam in Patre, Filius sit Deus; et hanc lectionem, uti æquiorem multo, textui inseruimus. Si alii lectionem meliorem suggerent, libentes excipiemus. *Sine discrimine*, quod mox subjicitur, idem significat ac *indiscreta spiritus plenitudine*, non quod Pater et Filius una eademque fuerint persona, quæ Sabellii hæresis fuit, (nam per Zenonem et Pater erat, et Filius, quem ille *Filii non sine affectu* diligebat), sed quod Pater et Filius unus idemque Deus semper exstitere. Tandem quod ait *sine discrimine amplecteb tur*, tract. 3 effertur et explicatur alio modo, *sine revelamine amplectebatur*, de quo uberius dissert. 2, c. 1, §. 3.

(4) De hoc testimonio, quod Petavius, lib. I de Trin. cap. 5, num. 7, non bene adsecutus acerbius notavit, satis disseruimus tract. 4, adnot. 4 et plura etiam dissert. 2, cap. 1, per plures paragraphos.

(5) *Cordis* inquit hoc loco, cum tract. 4 dixerit *ex ore*. Diversa vero Scripturarum testimonia diversis C in locis Auctor respicit. Cum inquit *ex ore*, spectavit illud Ecclesiastic. XXIV, v. 5: *Ego ex ore altissimi prodivi*, quam sententiam de sapientia pronuntiatam, divino Verbo, qui Patris sapientia est, passim a Patribus tributam invenies. Cum vero heic dicitur *ex regione cordis*, prospiciuntur illa psal. XLIV vers. 1: *Eructavit cor meum verbum bonum*, quæ de divino item Verbo ab antiquis præsertim Patribus accepta et explicata animadvertit Augustinus enarrat. in eumdem psalmum. Neque hæc pugnant inter se; cum sicut verbum in corde primum concipitur, tum per os manifestatur; ita decretum divini cordis de creando mundo ab æterno primum latum et dictum *in Verbo*, æternam quamdam eidem Verbo generationem, quam adnot. 4, tract. 4, explicavimus, attribuit: quæ tamen foras perfecte non prodivit, nisi cum ex ore, ut ita loquuntur, Dei manavit verbum ipsum *fiat*, vi cujus omnia *per Verbum* creata sunt.

(6) Ms. Pomp., *repropagat*.

(7) Ms. Rem., *Domino*.

(8) In edit. Ver. et ms. Tol., *retinet*.

(9) *Quod Patris amborum*, deerat ab edit. Ven. in mss. et reliquis editionibus legitur.

(10) Pungit heic non eos, qui divini Verbi generationem credunt, sed qui generationis modum scrutantes, *vanis*, ut tr. 4. scribit, *opinationibus violare conantur*, quod ad Arianorum disputationes pertinet. Sicuti porro tract. 4 eos perstringit, qui non de illa solum generatione quærunt qua Dei Filius in Patris conscientia latuit, sed de illa etiam, qua in orbis creationem ex ore Patris prodivit; ita etiam heic dementiæ coarguit, utraque in parte velle opinari: unde in Zenoniana formula *quomodo generatus sit*, *qui processit*, verbum *processit* processionem Filii a Patre significat, de qua simili verbo Chrysologus, serm. 57, de Symb., *De Patre processit Filius*. Verbum autem *generatus sit* generationem indicare videtur ejusdem Filii in creationis decreto, quam quatenus æterna est, et una cum altera, quæ prior nobis concipitur, uti dissert. 2 ostendimus, cap. 1, § 5, humanæ menti superiorem auctor novit, ut de hac quoque velle opinari stultitiæ deputarit. Licet enim hæc secunda, ut ita dicamus, Filii generatio in creatione foras prodierit; tamen cum temperarit se in ea externa manifestatione Filius, uti Zeno mox subdit, jam de generatione hac æterna velle opinari, eamdemque quodam modo ex externa manifestatione metiri, summæ dementiæ est.

(11) Ita nunc emendavimus ex mss. Rem., Tol. et Vatic. cum alibi scribatur *æternæ*. *Exserta* autem, id est detecta et palam exposita dicitur divina majestas, seu divinitas (*majestas* enim apud Zenonem *divinitatem* exprimit ex adnot. 1, in tract. 9, lib. II), ut significetur eam, si *exserta* ostendatur, non posse ab hominibus sustineri: quem sensum ut constructio referat, animadvertere particulam *ne* referri ad *possit* non vero ad *sustinere* sic: *ne mediocritas istius mundi possit non sustinere Dominum majestatis exsertæ*; quam in rationem scripsit item Tullius pro Mil. cap 1: *Ne non timere quidem sine aliquo timore possimus*, ubi *non* ad *timere*, ad *possimus* autem *ne* particula referenda est. Porro ad sententiam vocis *temperat* quod attinet, Tertullianus, adversus Praxeam c. 14: *Invisibilem Patrem* prodidit *pro plenitudine majestatis*, *visibilem vero Filium pro modulo derivationis*; exemploque solis ac radii confirmat, Patrem tamquam solem videri non potuisse, Filium vero tamquam radium *pro temperatura* potuisse. Magnam hinc adversus Tertullianum criminationem Petavius intendit lib. I de Trin. cap. 5, ac si Filium Patre inferiorem multo constituerit. At cum ad Tertulliani vindicias conferri multa ex aliis ejus libris possent; tum vero satis illud nunc esse videtur, quod *temperaturæ* nomine non aliud intellexerit, quam Filium sese hominibus præbuisse visibilem, non in propria divina substantia, cui videndæ homines impares novit, sed ut eodem cap. 14 loquitur, *in speculo*, *in ænigmate*, *in visione*, *in somnio*, *et forma imaginaria*, quod divinitati Filii, qua æqualem eum Patri fatetur, nihil præjudicii creat. Lege ejusdem Tertulliani librum II adversus Marcionem, cap. 27, ubi hæc in rem præsentem insignia, Zenonique intelligendo perutilia scribit: *Deum non potuisse humanos congressus inire, nisi humanos et sensus et affectus suscepisset, per quod vim majestatis suæ intolerabilem utique humanæ* D *mediocritati humilitate temperaret*. Similia alii Patres tradidere non solum ante nicænam synodum, sed etiam post. Videndus præter cæteros auctor operis de Fide Orthodoxa contra Arianos, tom. II Append. Ambrosianæ p. 354. Constans nimirum apud omnes fere Patres, qui Augustinum præcessere, fuisse videtur opinio, in multis quæ antiquis Patriarchis contigere visa, Filium sese illis videndum obtulisse, eorumque testimonia diligenter Petavius recenset lib. VIII de Trin., cap. 2, a num. 3. Huic sententiæ si qui contrarium docerent, eos synodus Sirmiensis an. 351, contra Photinum anathemati subjiciendos putavit. Sed cum hæc in re fraudem subinde moliti essent Ariani, ut Filium visibilem a Patre invisibili natura dissimilem prædicarent, inquientes apud Augustinum serm. 7, num. 4: *Filius visus est a Patribus*, *Pater non est visus: invisibilis et visibilis diversa natura est*, etc. Aliam viam ineundam idem Augusti-

Digitized by Google

nere. Cum imperat Pater orbem fieri, opus cum (12) dicto completur a Filio. Quomodo autem, quantus, aut qualis fieri **157** debeat, nemo (13) præcipit, interrogat nemo; neque enim sine Patris esse possit injuria, si hac necessitate opus esset illi, qui in sinu Patris commanens voluntatis ejus perfectionem non didicerat, sed habebat.

II. Igitur orbe perfecto, postremus digito Dei manuque e limo terræ fingitur homo. Construitur mobile, totumque (14) se nesciens simulacrum : et, ut imago (15) sit Dei, inspiratur a Deo in animam viventem. Concepit spiritum (16) adæque, quem nescit; intrantem non videt : exeuntem non potest prohibere : et æstimat quisquam Dei se posse scire (17) secretum, qui sui corporis nescit arcanum ? Quare, fratres, propter quod facti et nati sumus, timeamus, amemus, et honorificemus, quem invenimus, Deum. Sane quærant *illum*, qui eum non habent secum.

158 TRACTATUS VI.

(1) *De eo, quod scriptum est :* Cum tradiderit regnum Deo et Patri (I *Cor.* xv, *v.* 24).

I. Scriptura divina, cum de Dei loquitur Filio, non sibi repugnat; sed inter Deum hominemque, quem sumpsit, necessaria moderatione distinguit. Si enim Deum (2) purum jugiter prædicaret; passionis resurrectionisque vacaret locus, et nihil Christus mundo præstiterat : si hominem solum, sicut (3) quidam

nus censuit in visis testamenti veteris explicandis, ac proinde illa angelis esse tribuenda probabilius existimavit, ut videre licet lib. II et III de Trinitate. Veterum nihilominus Patrum interpretationem etiam post Augustinum plures secuti sunt, ut S. Leo, epist. XXVII ; Cassianus, lib. IV de Incarn. cap. 9; S. Isidorus, lib. de Nativ. Domini cap. 1, et alii. Quin et Augustinus ipsum Deum antiquis Patriarchis visum nonnullis in locis adsensus est, ea tamen cautione, a qua antiqui Patres nihilum discrepant, ut *divinitatem*, inquit ille lib. II contra Maximinum cap. 26, n. 12 : *Non per substantiam suam, in qua invisibilis et immutabilis est, sed per creaturam sibi subjectam mortalium oculis apparuerit, cum voluit.* Quod autem heic ait *per creaturam subjectam*, idem est, ac quod alii dixerunt *in speculo, in ænigmate*, seu, ut Hilarius notavit, lib. XII de Trin. num. 45, 46, nunc *in habitu humano*, nunc *in figura ignis*, et similibus. Explorate autem idem Augustinus, epist. CXLVII, num. 20, Deum Moysi sese præbuisse *in ea specie*, qua illi apparuit, confitetur. Ad ea enim Moysis verba : *Ostende mihi temetipsum*, hæc notat : *Quid ergo? Ille ipse non erat? Si non esset ipse, non ei diceret : Ostende mihi temetipsum, sed, Ostende Deum. . . . Ipse ergo erat in ea specie, qua apparere voluerat, non autem ipse apparebat in natura propria, quam Moyses videre cupiebat.* Quid quod cum angelos Patriarchis se stitisse alibi docet, ipsum Deum illis se stitisse simul docuit, quod in angelis Deus ipse loqueretur? Sic enim lib. II contra Maxim. num. 11, de rubo, in quo celebre Moysi visum contigit, loquitur : *Illic angelum apparuisse Scriptura ipsa declarat. . . . In angelo autem Deum fuisse quis dubitet?* Idipsum ante Augustinum tradiderat Athanasius, orat. 4, contra Arianos, p. 467, in quam rem videre etiam poteris Hieronymum, in c. III ad Gal. et Gregorium Magnum in præfatione ad Comment. in Job. cap. II. Cum itaque tanto consensu (quocumque tandem modo explicare placeat) Deus antiquis Patribus apparuerit; cur porro Filium potius, quam Patrem aut Spiritum sanctum visibilem se præbuisse iidem Patres docuerint, cum non minus Pater, quam Filius in speculo, in ænigmate cerni potuerit : luculenter exponit Petavius loco laudato. Hinc interim quo sensu S. Zeno intelligendus sit, palam factum credimus.

(12) Similis est sententia tract. 4, vide annot. 7.

(13) Huic testimonio lucem afferet præclarus S. Athanasii locus, orat. 2 contra Arianos n. 31, pag. 439, qui adversus eosdem ostensurus, *Verbum Dei propter nos non esse factum*, quod illi volebant, *ut illo intermedio facto, ita deinceps omnia per ipsum possent fieri*, pag. 432, ait, quod licet per ipsum facta sint omnia, et sine illo fieri nihil potuerit; tamen non eo usus est Deus tamquam ministro, cui nec præcepit nec interrogatio ulla facta est, ac si quid Pater vellet, nesciret, cum Filius sit idem ac Pater, et in ipso eadem omnino noverit. Citato itaque testimonio Geneseos, *Fiat lux*, et illo psal. XXXVIII : *Ipse dixit, et facta sunt; ipse præcepit, et creata sunt*, ait : *Dixit, inquam, non ut, quemadmodum apud homines fieri solet, tamquam minister aliquis audiret, ac ubi lo juentis didicisset voluntatem, ad opus peragendum properaret : hoc enim rerum creatarum proprium est . . . . Hinc sane divina Scriptura non dicit ipsum audivisse, aut respondisse, quonam modo, et quales vellet esse res factas; sed dixit tantum Deus*, Fiat; *deindeque subditur :* et factum est ita. Et paulo post : *Cum autem ipsum Verbum agit et creat, nulla ibi est interrogatio, nulla responsio; in illo enim est Pater, et Verbum in Patre, sed ut opus fiat, voluisse satis est, ita ut hoc verbum* dixit *sit nostri gratia div næ voluntatis indicium; his autem verbis*, et factum est ita, *opus per Verbum et sapientiam factum significetur, qua quidem in sapientia est etiam Patris voluntas.* Hinc ergo S. Zeno similiter dixit. Filio perspectam fuisse voluntatem Patris, cum in Patre idem esset, adeo ut *nemo interrogaret, pro ciperet nemo.* Vide quæ in hanc rem Zeno disserit tract I, lib. II, adnot. 12 et 13.

(14) Homo *simulacrum* vocatur, quatenus per animam, de qua mox subjicitur, imago est Dei. *Simulacrum* autem *se nesciens* vocatur, quod *concipit spiritum, quem nescit.* De hac imagine Dei in hominis anima plura disserentur tract. 19.

(15) Hæc Verba *sit Dei* absunt a ms. Pompeiano.

(16) Ita mss. Rem., Tol., Urb. et Zen. adverbium Zenoni familiare : Cod. Pomp. *Adæ quod :* in editis *Adam.*

(17) *Secretum* heic aperte est divinum Verbum, vel divini Verbi generatio, de quo plura tract. 4, adnot. 3. Argumentum autem instituitur satis vehemens, ut audax Arianorum in scrutanda ejusdem Verbi generatione curiositas reprimatur. Si enim imago Dei, quam homo in semetipso gerit, ipsi explorata non est; quantæ arrogantiæ convincuntur, qui Verbum Patris imaginem, quæ in Patris secreto latet, *scire se posse præsumunt.*

TRACT. VI.—(1) In edit. Ver. et seq. præter hunc titulum alia inscriptio huic tractatui apponitur : *Sermo de Epistola B. Pauli ad Corinthios prima.* Hunc porro tractatum huc rejecimus, quod cum divini Verbi generationem vindicet, ab iis non erat disjungendus, qui ad idem argumentum pertinent.

(2) Gnosticorum, Saturnianorum, Basilidianorum, aliorumque id generis hæreticorum hic error fuit, Christum *purum Deum* dicere, qui solam hominis figuram assumpserit.

(3) Contrarium hunc errorem undecim tenuerunt heterodoxorum sectæ a Theodoreto nominatæ lib. II adversus Hæreses, nimirum Ebionitæ, Nazaræni, Cerinthiani, Artemon, Theodotus, Melchisedeciani, Helcesæi, Paulus Samosatenus, Sabellius, Marcellus, Photiniani : quibus addendæ aliæ duæ Carpocratianorum ex Irenæo, lib. I, cap. 24, et Beryllus ex Eusebio lib. VI, cap. 21. Photiniani omnium novissimi, quos ipsi Ariani condemnarunt, hoc loco a Zenone

Digitized by Google

putant, ab utero virginis cum sumpsisse principium ; quæ spes futuræ beatitudinis credenti, cum scriptum sit : *Maledictus homo, qui spem habet in homine?* (*Jer.* XVII, 5.) Ergo ubi purum Deum significat, sic dicit in Genesi : *Et fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem Dei* (*Gen.* I, 27) : et in psalmis : *Deus autem rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ* (*Ps.* LXXIII, 12)! et alio loco : *Parata sedes tua Deus, ex tunc, et a sæculis tu es* (*Ps.* XCII, 2). Ubi hominem (4) mistum, sic prosequitur : *Dicite filiæ Sion : Ecce rex tuus venit tibi justus, sanctus et salvans, mitis, sedens super asinum novellum* (*Zacch.* IX, 9 ; *Is.* LXII, 11) ; et iterum : *Tollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ* (*Ps.* XXIII, 7) : et iterum Magi : *Ubi est*, inquiunt, *qui natus est rex Judæorum* (*Matth.* II, 2)?

II. Hic est, fratres, qui venturus (5) denuntiatus est per prophetas : qui secundum carnem natus in tempore est ; qui est excelsus in excelsis, humilis in terris ; sæculorum genitor, filius virginis immortalis sibi, (6) homini moriturus : mortem gustat, ut mortem **159** devincat ; (7) inferos penetrat, ut mortuos vivos inde reducat. Unigenitus prodiendo de Patre ante originem rerum : *primogenitus a mortuis* (*Colos.* I, 18), ut ait Apostolus, post multorum obitus populorum. Hic est, cui data est potestas in cœlo et in terra, (8) nomini ejus nova a Deo suo, ipso dicente : *Ego te clarificavi in terra : opus perfeci, quod dedisti mihi, ut facerem. Et nunc tu clarifica me apud teipsum claritate, quam habui apud te prius quam mundus fieret.* (*Joan.* XVII, 4 ; *Matth.* XI, 27.) Qui (9) resurgens ait : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (*Luc.* X, 22). Hic, qui purus de cœlo descendit, (10) carnatus ascendit in cœlum. Hic, inquam, de quo Paulus ait : *Qui accipit regnum, regnat, et tradet Deo et Patri*, etc. (I *Cor.* I, 24).

III. Quid (11) heic scandalum pateris, Christiane, ex tuaque natura opinaris (12) provisionis piæ divina mysteria? Si minus sentis de Filio, quia regnum traditur Patri ; major Patris injuria est, si est aliquando sine regno. Accedit, quod oramus quotidie, ut adveniat regnum Patris (*Matth.* VI, 10) ; speramus et Filii (II *Pet.* I, 11). Vacat ergo præsentis temporis regimen utroque cessante ; actumque est de mundo mundique tota substantia, si vel uno momento divinitatis cessat imperium. At si, ut ratio ipsa proclamat, cessare nullo pacto potest (13) varietas ista regni a legis conditore ; homini a Deo assumpto justisque

indicari videntur ex ea præsentis temporis formula, *ut quidam putant*.

(4) De hac formula satis dissert. 2, c. 3. In textu sequenti deest *sanctus* in mss. Tol. Pomp. et Zen.

(5) Ms. Pomp., *nuntiatus*.

(6) Ms. Rem., *in homine*, quæ lectio divinum Verbum per se immortale, ex natura humana mortem oppetiisse insinuat. Post pauca in editis *gestat* pro *gustat*, præter mss. fidem.

(7) Sic alii quoque Patres contra hæreticorum sententiam Christum ad inferos vere descendisse crediderunt.

(8) In margine edit. Ver., *homini*.

(9) Memoria lapsus videtur auctor, cum hæc ante passionem dicta fuerint.

(10) *Carno, as*, ex quo *carnatus*, verbum satis antiquum docent multa, quæ ex eo composita sunt, uti *concarno, excarno, decarno, incarno*, etc. *Carnatum corpus ostendere* dixit item Cœlius Aurel. I, 4, 95.

(11) Mss. Tol. et Zen., *hinc*.

(12) Quæ a Zenone appellatur *provisio*, divini Verbi incarnatio intelligenda est, eamque οἰκονομίαν Græci Patres, Latini autem *dispensationem*, nonnunquam etiam *œconomiam* Græcanice nominant. *Provisionem* Latine dixit Tullius III Tuscul., 14. Cum porro S. Antistes hactenus contra eos disseruerit, qui Christum vel purum Deum cum Gnosticis aliisque antiquis hæreticis, vel purum hominem cum Photinianis dicebant ; nunc ex postremo Pauli testimonio Arianorum objectionem ingerit, qua illos quidem usos, ut subjectum et minorem Patris Filium suaderent, patet ex Athanasio, Hilario aliisque Patribus, qui perinde adversus Arianos illud testimonium explicare conati sunt.

(13) Valde corruptum et mutilum totum hunc textum Sparaverius putavit ; et cum *vastitas* legi mavult pro *varietas*, ac si in eo sit auctor, ut Patris ac Filii regnum unum et indivisum suadeat ; tum in reliquis puncta lacunarum indicia interserenda alicubi censuit, quæ tamen sine mss. ex arbitrio suppleri nec deberent, nec possent. Nobis vero etsi licuit plures mss. libros consulere, nihil tamen ad hoc testimonium restituendum contulit ; quod nihil mirum esse debet, quod omnes ex eodem antiquo fonte profluant. Nos vero perinde ac si corruptum nihil, nihil hiulcum sit, obscuram conabimur explicare sententiam, isque conatus non improbabilis fortasse videbitur, si ad ea, quæ præcunt, quæque subjiciuntur, animum intendas. Quæstionem S. Antistes movet in illud Pauli I ad Corinth., c. XV. v. 24, ubi regnum a Filio acceptum, Patri tradendum affirmatur. Mota primum difficultate contra divinitatem Filii, ac si is traditurus regnum Patri, absque regno aliquando futurus sit, eaque mox diluta, propterea quod magna hinc in Patrem quoque injuria cederet, si is sine regno aliquamdiu esset, antequam illud de Filio acciperet ; illud addit, orare nos, ut regnum Patris adveniat, et Filii quoque regnum nos exspectare, quibus Patris et Filii regnum idem esse confirmatur. Sed cum dicta hactenus Pauli textum non explicant, tum vero novæ difficultatis caussam præbent. Si enim Patris et Filii regnum est venturum, num, inquit, *præsentis tempo is*, id est hujus mundi, *regimen* ita vacat, ut nec a Patre, nec a Filio regatur? Rejicit id ex absurdo, quod sequeretur : *Actum enim esset de mundo totaque mundi substantia, si vel uno momento divinitatis cessat imperium.* Itaque non tam in futuro, quod exspectamus, quam in præsenti regno Deus regnare convincitur. Hoc autem duplex regnum non modo varium inter se, sed etiam unum post alterum succedens, *varietas ista regni* ab auctore vocatur, quæ *si cessare nullo pacto potest a legis conditore*, id est a Deo, qui utrique huic regno legem præfinivit, et penes quem utrumque regnum, licet varium nobis, unum et constans est : eadem profecto *varietas non Deo*, ut *sempiterno rectori, deputata est*, sed *homini a Deo assumpto*, id est redemptori, *et justis ejus* (hi mox *servi ejus* dicuntur) *rebus dispositis*, seu ex ip a dispositione rerum, quam lex conditoris præstituit ; quatenus scilicet in temporali regno (de quo uno Paulus loquitur, ut auctor notavit) Christum *hominem assumptum cum servis suis*, quos ad finem usque mundi sibi adjunget, *regnare oportet, sicuti lectio universa*, seu Pauli contextus v. 25 *ostendatur* ; dein vero finito, seu completo priori hoc temporali regno, cum subactis inferni potestatibus ac ipsa morte devicta in ipso judicii die, nemo amplius

Digitized by Google

ejus est deputata rebus dispositis, non Deo, non sempiterno rectori, maxime cum in Evangelio sic dicatur : *Dabit illi Dominus Deus thronum David patris sui, et regnabit super domum Jacob in sæcula, et regni ejus non erit finis* (*Luc.* I, 32). Salomon in sapientia similiter dicit, cum de ejus **160** loquitur servis : *Et si coram hominibus tormenta passi* (14) *fuerunt, spes eorum immortalitate plena est ; et in paucis vexati, in multis bene disponentur ; quoniam Deus tentavit illos, et invenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocaustomata accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. Judicabunt nationes, et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum* (*Sap.* III, 4 *et seq.*). Quid hoc est? Si in perpetuum regnat, Paulus erravit ; si traditurus est regnum, isti mentiuntur. Absit. Nullus hic error, diversitas nulla est. Paulus enim de hominis assumpti temporali locutus est regno, **161** in quo venturus et judicaturus est vivos et mortuos (II *Tim.* IV, 1), sicut lectio universa testatur, quæ prædicat Christum oportere regnare cum sanctis suis, donec (15) evacuatis omni principatu et potestate et virtute et dominatione, ponantur omnes inimici ejus sub pedibus ejus, inimicaque destruatur mors (I *Cor.* XV, 24 *seq.*) (16) Hi autem ad principalem vim retulerunt, in cujus perpetuitate commanens in æternum, a Patre Filius regnum nec (17) accepit aliquando, nec posuit; semper enim cum ipso regnavit, (18) cata Joannem, ipso dicente : *Regnum meum non est de hoc mundo* (*Jo.* XVIII, 36). Apertius autem hoc Paulus expressit dicens : *Hoc enim scire debetis, quoniam omnis fornicarius, aut impudicus, aut fraudator, quod est idolorum servitus, non* (19) *habet hæreditatem in regno Dei et Christi* (*Ephes.* V, 5), ostendens unum esse regnum Patris et Filii.

IV. Recte igitur Patri tradet regnum, qui dixit (20) in monitis regnum non stare divisum (*Luc.* XI, 17, 18). Unde non sic sentiendum est, fratres, ut Pater accepturus sit, quod non habuerit, aut Filius tradendo, quod (21) habeat, perditurus ; cum et Pater, quod accepturus est, habeat ; et Filius non careat, quod daturus. Totum Pater, totum possidet Filius; unius est, quod amborum est, quod unus possidet, singulorum (22) est, Domino ipso dicente : *Omnia quæcumque habet* **162** *Pater, mea sunt* (*Joan.* XVI, 15); et iterum : *Pater, omnia mea tua sunt, et tua omnia mea* (*Joan.* XVII, 20); quia Pater in Filio, et Filius manet in Patre, cui affectu, non conditione, charitate, non necessitate, decore (23) subjicitur, per quem Pater semper honoratur. Denique inquit : *Ego et Pater unum sumus* (*Id.* X, 30). Unde non diminutiva, sed religiosa, ut dixi, subjectione est Filius Patri subjectus ; cum quo originalis perpetuique regni una possessio, coæternitatis omnipotentiæque una substantia, una (24) æqualitas, una virtus majestatis augustæ, (25) unico in lumine una dignitas retinetur ; si quid

ad Christi regnum accedere poterit, idem servorum suorum regnum jam completum Christus tradet Patri, a quo perpetuum regnum illi suscipient. Christus autem, qui ut Dei Filius *in* Patris *perpetuitate commanens, regnum nec accepit aliquando, nec posuit*, in illis perpetuo regnabit, ut duobus Evangelii et Salomonis testimoniis exprimitur; ac ita tandem cum Pauli mens palam claret, tum apparens istius cum illis contradictio evanescit, cum hic de temporali Christi regno, illi autem de æterno, quod priori illi post judicium completo succedet, accipiendi sint.

(14) Ms. Pomp. et edit. Ven., *fuerint*, nec non *immortalitatis* pro *immortalitate*. Dein pro *et quasi holocaustomata* edit. Ven. *et tanquam holocaustomata*. Ex hac edit. et ex mss. Pomp. ac Zen. particulam *et* supplevimus.

(15) Legebatur *vocatis*. Correximus ex loco epist. I ad Cor. cap. XV, v. 24, unde hæc sumpta sunt, ubi legitur : *Cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem*, etc., id est inferni principatum, etc., plane subegerit, v. adnot. 13.

(16) *Hi*, scilicet Lucas et Salomon, quorum testimonia Paulo, ut videbantur, contraria postremum recitaverat. Vide adnot. 13.

(17) Mss. Pomp., Vat., Urb. et Zen, sic scribunt; editi cum aliis mss. *accipit*.

(18) In edit. Veron. κατὰ Græce scriptum fuit repugnantibus mss. et editione prima. Ita etiam *cata*, cum Evangelistæ allegantur, Latinis litteris apud latinos scriptores effertur in mss. quam sæpissime, uti de mss. Cypriani testatur Baluzius, et ita quoque in editis scriptum reperies. Vide tres *Testimoniorum* libros pluribus in locis, et auctorem catalogi hæreticorum, qui post Tertulliani librum *de Præscriptionibus* ponitur, ubi hæreticorum doctrina ab iisdem ad Evangeliorum similitudinem *cata Proclum*, *cata Æschinem* dicta traditur. Apud Hieronymum vero, lib. III in cap. VI epist. ad Ephesios pag. 678, edit. Veron., κατὰ Λούκαν Græcis litteris editum est. At Sirmondus in præcepto Stephani II de hospitali Romano, tom. II Concil. Gal. pag. 58, *cata Galla patricia* Latinis litteris edidit, et similiter *illorum cata normam* Latine scripsit sanctimonialis Heidenheimensis, in Hodeporico S. Wilibaldi, apud Canisium, tom. IV Antiq. Lect. pag, 512, edit. Ingolstadiensis.

(19) Ms. Pomp., *habent*.

(20) Sicut tract. 4 ,lib. I, num. 3, S. Zeno scripsit, *in præceptis Dominus ait*, ita heic *in monitis*. Similiter S. Leo serm. 9. de Quadrag. c. 1 : *Dominus enim in exhortationibus suis dixit*. His ergo formulis Evangelia quandoque allegantur.

(21) In editis perperam *non habeat ;* correximus ex mss. Pomp. Sp. et Zen.

(22) *Est* a quibusdam mss. abest.

(23) *Subjicitur*, inquit, *non conditione*, id est servitute (id enim *conditio* apud Zenonem significat, ut videre est ex adnot. 23 in tract. 10, lib. I) quæ necessitatem parit, sed *charitate* et *affectu ;* respicit autem creationem mundi, nam *omnia per ipsum facta sunt :* in quo etsi Pater imperavit, Filius vero exsecutus opus traditur ; charitas tamen in utrisque una fuit, quæ vel *in Patre imperavit*, vel *obtemperavit in Filio*, ut scite monet tract. 2, lib. I, num. 9. De his plura tract. 1, lib. II , adnot. 12 et 13, necnon tract. 5, adnot. 13, ubi S. Zeno hoc idem argumentum pertractat, ne quis ex creatione mundi, quæ Filio tribuitur, inferiorem Patri Filium existimet. Hanc vero Filii subjectionem, quæ ex charitate, non ex servili necessitate ducitur, *religiosam*, *non diminutivam* mox appellat, quod nihil inde Filii æqualitati dignitatique detrahatur.

(24) Ms. Pomp., *æquabilitas*. Similiter tract. 1, lib. II, *æquabilitas* scribitur in mss. aliquot, cum alibi *æqualitas* legatur.

(25) Quidam mss. et editi *unito;* editio prima *unico*, idque sententiæ magis congruere visum est.

Digitized by Google

enim Filio detraxeris, ad Patris, cujus habet totum, (26) injuriam pertinebit; nec est in illo aliquid, quod sit inferius, quia sicut Pater, nec plus potest habere, nec minus; alter enim in alterius plenitudine infusus est, ut sit omnia in omnibus Deus benedictus Pater in Filio, Filius in Patre cum Spiritu sancto. Amen.

163 TRACTATUS VII.

De (1) *Nativitate Domini.* I.

I. Licet sectæ sint plures, quæ injuriam Christi fabulari nitantur, tamen tres sunt quodam modo principales: e quibus duæ ejus, quem cupiant depravatum, simulant se esse (2) cultrices. (3) Una (4) denique adserit Jesum Christum ab utero Virginis Mariæ sumpsisse principium, Deumque exinde ob justitiam factum esse, non natum. (5) Alia modestius, sed mordacius nocens, dicit quidem Dei Filium Deum, sed non ex Patre nobilitatis perpetuitate progenitum; **164** fuisseque tempus, quando non fuit. A Tertia Judæa est vere cæca, quæ cum in (6) lege (ut dicere solet) sua legat ubique, duas Patris et Filii designari personas, tamen nunc usque contendit Deum Filium non habere. Quibus omnibus exempla, vel ratio, quam prosecuturi sumus, argumentationis totius uno ictu omnes nervos abscindet. Quapropter duas esse nativitates Domini nostri Jesu Christi necessario scire debet populus Christianus, ne quem patiatur errorem: unam, qua natus est, alteram, qua renatus. Sed sicut est spiritalis prima sine matre, ita sine patre secunda carnalis. Hæc miranda, inenarrabilis illa, propheta dicente: *Nativitatem* (7) *ejus quis enarrabit* (*Is.* LIII, 8)? Cur autem sit inenarrabilis, Patre loquente noscamus. Dominus ipse nos edocet: *Eructavit* (8) *cor meum verbum bonum*, etc. (*Ps.* XLIV, 2). Et apud Salomonem hactenus dicens: *Ego ex ore Altissimi prodivi ante omnem creaturam* (*Ecclesiastic.* XXIV, 5).

B

II. Cum hæc ita sint, humanitas te versuta cognosce vel sero, et (9) intemperanti linguæ silentii (10) fre-

(26) Ita ms. Pomp. cæteri *injuria*. *Ad injuriam* autem Patris pertinet, quidquid Filio detrahitur, vel quia degeneris Filii Pater prædicatur, ut sæpe insinuat Hilarius, et late probat Augustinus serm. 139, num. 5, et Ambrosius, lib. I de Fide c. 6, vel dum aliquando sine verbo et sapientia fuisse traditur, ita ut ea aliunde debuerit accipere, quod orat. 2 in Arianos Athanasius demonstrat.

TRACT. VII.—(1) In editis et in ms. Ur. *De nativitate Christi sermo primus*, cæteri mss., *de nativitate Domini*. Sequens autem tum in editis, tum in mss. inscribitur *De nativitate Christi*. Hunc et duos sequentes tractatus cum castigationibus Gasparis Barthii Christianus Dumnius inseruit inter homilias Patrum, uti memorat Fabricius in Bibliotheca Latina, vol. III, p. 421, et vol. XII, pag. 797, bibl. Græc., quam homiliarum editionem rarissimam videre nondum potuimus.

C

(2) Edit. Ven., *cultores*.

(3) Ter supra decem hæreseos capita huc pertinentia recensuimus tract. superiori adnot. 3, quatenus Christum hominem tantum esse, ac e Mariæ utero principium sumpsisse prodiderunt. Quatenus vero idem *ob justitiam* Deus factus traditur, fuit quidem hic Nestorii celebris error, atque jamdiu ante a Paulo Samosateno et Photino prædicatus fuerat, hoc tamen discrimine, quod Nestorius, notante Garnerio dissert. 7, de Ortu et Incrementis hæresis Pelagianæ c. 7, docuit, Christum hominem non ex meritis, sed ex divina gratia jam inde a matris utero a Divino Verbo assumptum fuisse; cum Paulus Samosatenus et Photinus eumdem Christum hominem natum dixerint, qui ex virtutum merito (*justitiam* Zeno vocat) in Deum profecerit. Vide anathematismum III libelli de nomine Rufini, quem eodem tempore Norisius et Garnerius ediderunt. Huic errori præcinuisse videtur Origenes, l. II Peri-archon c. 6: *Virtutum suarum*, inquiens, *merito anima Christi cum Verbo Dei unum efficitur*. Photinianos autem quos alii Zenonianæ ætatis Patres passim refellunt, nostrum Auctorem voluisse perstringere, facile intelliges.

D

(4) *Denique* hoc est idem ac *paucis*, quam in sententiam alii quoque scriptores eadem particula usi sunt. Vide adnot. 2 in tract. 1, l. II.

(5) Hæc est hæresis Arianorum, qui etsi Christum Dei Filium prædicarent, non tamen ab æterno, sed in tempore genitum prodidere, unde effatum illud apud ipsos solemne: *Fuit tempus, quando non fuit*. Videsis Athanasium, de decretis Nicænis, n. 18, Hilarium, l. IV et VI de Trinitate, ubi ipsam Arii epistolam allegat, in qua eadem formula inculcatur. Neque mireris, quod hic Filius *Deus* dici potuerit, et nihilominus negari Patri cœternus et æqualis: nam illum *Deum* abusive fatebantur Ariani, non proprie, ut ex Hilarii Fragm. n. 26 et aliunde notum est. Veronensis editionis auctores, cum Zenonem sæculo III vixisse contendant, eumdem errorem affigunt Origeni, qui tamen illum expresse reprehendit in fragmento, quod recitat Athanasius de decretis Nicænis, n. 27: *Intelligat enim*, inquit ille, *qui dicere audet, fuit aliquando, cum non esset Filius*. Hinc quidem probatur, alios quosdam hunc errorem id temporis docuisse, quem Origenes reprehenderet. Dionysius quoque Alexandrinus, Origenis discipulus, in epist. ad Euphranorem et Ammonium, cujus fragmentum suppeditat Athanasii epistola de sententia Dionysii, n. 4, Sabellianos impugnans: *Etenim*, ait, *cum sit res facta, non erat, antequam fieret*. At ea de caussa ad Dionysium Romanum ille delatus, et ab eodem reprehensus, apologia sese purgavit, in quam multa conjecit, quibus eum errorem rejicit, quem subinde Ariani excepere: unde cum hi ejus auctoritatem pro se allegarent, Athanasius loco memorato num. 9, prædecessoris sui sententiam optime vindicat, auctoritatemque ex inimicorum manibus naviter eripit. Itaque etsi quidam olim Alexandriæ eum errorem docuerint, quem Origenes perstringit; non hos tamen, qui nihil ad nos pertinebant, sed Arianos, qui hisce quoque in locis eam formulam evulgaverant, S. Zeno ferire voluisse cognoscitur.

(6) *Lex* igitur ex Hebræorum lingua universum vetus testamentum vocabatur, in quod vide adnot. 1 in tract. 12, l. I. Indicantur heic porro ea Veteris Testamenti loca, ex quibus tria mox a Zenone allegantur.

(7) Ms. Pomp. et duplex Zen. addunt *autem*. *Inenarrabilis* porro Divini Verbi nativitas dicitur, non quoad factum, quod per fidem notum est, non ignotum, ut quidam Arianorum perperam jactarunt; sed quoad modum nascendi, ut pluribus explicant Victorinus atque Phœbadius.

(8) Iidem codices cum Vat. et edit. Ven., *Eructavit*, inquit, etc.

(9) Placuit lectio duorum mss. Zen. cum alibi legeretur *intemperati*.

(10) Licet *frenum* in singulari non inveniatur, nisi generis neutrius; in plurali tamen etiam masculini generis declinationem patitur, ut apud Virgilium, III Georgic.; Livium, l. XXXIV, c. 2; Valerium Maximum, etc.

Digitized by Google

nos impone. Dementiæ genus est, invisibilis incomprehensibilisque (11) velle opinari secretum, ejusque interna discutere, cujus extraria nequeat suspicari: quia Deus hoc est, quod est (*Exod.* III, 14): quod vero homo definiendum putaverit, (12) non est. Nam et Joannes apostolus in Evangelio quid **165** prædicet, fratres, accipite: *In principio*, inquit, *erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum* (*Jo.* I, 1). Admirabilis gratia, fratres dilectissimi, conspicuæ veritatis, quæ dum secerni potest, tamen sibimet externa esse non potest. Si enim Verbum in Deo est, et Deus est Verbum, et hoc est, in quo est, quod ille est, qui inest; duplex persona, duplex (13) vocabulum, sed originalis perpetuitatis ac deitatis est una substantia, Domino ipso dicente: *Ego et Pater unum sumus* (*Jo.* X, 30): quod non utique sic ait, ut in unum duos redigendo confunderet, sed ut duorum unam divinitatis potestatisque esse omnipotentiam nos doceret. Sequitur, ac dicit: *Omnia per ipsum facta sunt, ac sine ipso factum est nihil* (*Jo.* I, 3).

III. Videamus nunc, optime Christiane, quemadmodum inter Patrem Filiumque tempus (14) infulcias: si enim tempori, non sibi debent, quod est alter alteri obnoxius; procul dubio, ut tu vis, major est natura, quam Deus. At cum naturam ex nihilo fecerit Christus; sit autem ex natura tempus, ineptum satis est, opus suo præponere **166** artifici: ac (15) per hoc solum interest, quod soli se sciunt. Denique apud Isaiam ad Filium sic dicit: *Dominus Deus sabaoth: Fatigata est Ægyptus, et mercatus Æthiopum:* (16) *ex Saba viri excelsi ad te transibunt, et tui erunt servi, et sequentur te alligati compedibus, et adorabunt te, et* (17) *in te precabuntur, quoniam in te Deus est, et non est Deus alius præter te* (*Is.* XLV, 14). Sed et (18) Jeremias eodem spiritu loquitur **167** dicens: *Hic*

(11) Codex Pomp. addit *Dei*. Paulo post, *secretum* ad generationem præcipue divini Verbi pertinet, de qua ab homine non temere esse inquirendum auctor sæpissime monet. Vide tract. 4, adnot. 3.

(12) Solemnis et frequens apud Patres sententia est, quidquid dicatur de Deo, id Deum vere non esse: *homines enim*, ut scite animadvertit Fulgentius in libro contra serm. Fast. c. 5: *carnalibus sensibus deditι etiam ipsum Deum non possunt nisi carnaliter cogitare. Tales autem deum in luto carnis animas volvunt, creatis phantasmatibus et gravati pondere vanitatis, quanto magis in illarum rerum cogitatione versantur, quæ corporeis oculis corpoream ingerunt molem, tanto minus possunt ad intelligendam conscendere deitatem.* Quamobrem Marius Victorinus, l. IV adversus Arium, præclare observavit, quod cum Deo illa affirmando tribuimus, quæ Deo conveniunt, ut *esse*, *vivere*, et *intelligere*, eum adhuc *non esse quidem ista*, quæ dicimus, *quod ille super omnia sit*: et subdit: *Quare et ἀνύπαρκτος, et ἀνούσιος, et ἄνους. et ἀζώος sine existentia, sine substantia, sine intelligentia, sine vita dicitur, non quidem per στέρησιν, id est non per privationem, sed per supralationem. Omnia enim, quæ voces nominant, post ipsum sunt; unde nec ὄν, sed magis πρόον.* Quam in rem Damascenus, l. I, c. 4, congruentius esse docuit, *ita de Deo prædicare aliquid, ut ei omnia detrahantur, quippe nihil est eorum, quæ sunt, immo vero supra ipsum esse.* Hinc plerisque tum Patribus, tum Philosophis placuit, ut qui definire velit Deum, negandi potius, quam affirmandi formulis utatur; nam, ut scribit Augustinus, in ps. LXXXIV: *Facilius dicimus quid non sit, quam quid sit.*

(13) Præclara hæc adversus Patripassianos, seu (ut a Latinis postea dicti sunt) Sabellianos confessio, qui unam Patris personam duplici tantum voce distinctam comminiscebantur. Catholici autem Patrem et Filium duplicem personam duplici distinctam nomine confitentur. *Vocabulum* pro *nomen* usurpat vetus auctor tractatus de Fide orthodoxa, p. 346 Appendicis Ambrosii, ubi præstantissimum in eamdem cum Zenone sententiam testimonium affert; nec non c. 6, p. 352. Rursus in antiqua fidei formula ad baptizandorum institutionem scripta, quam edidit P. Martene, t. I, De antiquis Eccles. rit. c. 1, a. 12, p. 163: *Exceptis vocabulis quæ proprietatem indicant* personarum, *quidquid de una persona dicitur, de tribus dignissime potest intelligi.*

(14) Ita emendavimus ex Mss. Pomp., Vat. et duplici Zen., cum alii scribant, *infulciat*. Sermo autem hoc loco est ad Arianos (*optimi Christiani* ironice appellantur) qui divinum Verbum a Patre genitum volebant in tempore, prædicabant enim fuisse tempus, quando non fuit. *Infulcire* autem pro *ingerere* accipitur etiam a Seneca, epist. 114, et a Suetonio, in Tiberii vita, c. 53.

(15) Ms. Urb. *per hanc.*

(16) Ms. Tol. *et Sabam.*

(17) *In* præpositio addita ex codicibus Tol., Pomp., utroque Zen. et edit. Ven. Ita etiam alii Latini Patres legerunt, Lactantius, l. IV Instit. c. 13; Hilarius, l. IV, de Trinit. n. 38; Ambrosius, l. I de Fide c. 3; quæ lectio ex LXX Interpretum, a quibus Latini profecerunt, scriptione manavit. At alii mss. et edition. Ver. *te* sine *in* scribunt, uti Auctor tractatus de Fide orthodoxa, c. 6, p. 353 Appendicis Ambrosii. Non exigua autem in hoc testimonio interpretando varietas, ut collatis Auctorum locis videre licet; qui tamen in hoc conveniunt, ut hocce testimonium, perinde ac a Zenone nostro fit, ad Christum referant. Vide Hieronymum, in commentario ad hunc locum, etc. Utrique mss. Zen. *prædicabuntur* pro *precabuntur.*

(18) In edit Ver. *Jeremiæ* loco suppositus Baruch, cum hic locus vere ex Baruch libro sumptus sit. At *Jeremiam* ex mss. omnibus et edit. Ven. restituimus; quæ scriptura etsi vindicari non posset, relinquenda nihilominus esset in textu, et in adnotationibus Auctoris lapsus detegendus. Sic Busæus in editione Petri Blesensis epist. 141, edidit *Zachariam*, qui pro *Jeremia* citatur, et Billius in edendo Nanzianzeno, qui in orat. ad Julianum *Solomonem* allegavit pro *Jobo*, errorem notavit, sed textum intactum reliquit. Eadem ratione nec corrigendus fuerat in editione Romana Cassiani locus Collat. 7, c. 12, ubi *Job* loco *Salomonis* laudatur; nec canon. 13 concilii Hispalensis, ubi *Isaias* in vulgatis legitur, cum monente Baluzio antiqui codices *Jeremiam* habeant. Correctiones id generis veram quidem allegationem exhibent, sed quæ non ex Auctorum mente sunt, quos memoria lapsos liquet. Eodem lapsu Marius Mercator, pag. 28 edit. Baluzii, *Joannem* Evangelistam citavit pro *Paulo*, et Gregorius in orat. de pauperum Amore *Michæam* pro *Amos*, et *Amos* pro *Michæa* nominavit. Quod si ex dictis hactenus Zenonis locus, etiamsi maximum errorem contineret, corrigendus ab editoribus non fuerat; multo minus horum licentia probabitur in allegatione, quæ defendi et vindicari satis honestis rationibus potest. Apud antiquos enim Patres consuetudo hæc inolevit, ut Baruch, qui Jeremiæ amanuensis fuit, ut innuitur c. XXXVI, v. 4, et cap. XLV, v. 1, pro Jeremia acciperent, adeo ut illius libellum tamquam librarii opus magistro adscribendum putarent. Quid quod Baruch opus cum Jeremiæ libro ex editione LXX Interpretum copulatur,

Digitized by Google

est Deus noster, et non (19) deputabitur Deus alius absque ipso : qui adinvenit viam prudentiæ, et revelavit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto sibi. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est (*Baruch.* III, 36, 37, 38). Qua in specie, Spiritu sancto loquente, noscamus : (20) *Et homo est*, inquit, *et quis cognoscit eum* (*Jer.* XVII, 9 *ex* LXX)? Si ita est, quomodo ergo posset agnosci, prodidit Isaias his verbis : *Audite itaque, domus David : Non pusillum vobis certamen cum hominibus ; quoniam Deus præstat agonem. Propter hoc dabit Deus vobis signum. Ecce virgo in utero accipiet, et pariet filium, et* (21) *vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel manducabit prius quam cognoscat puer bonum, aut malum.* Quod signum ex (22) prodromi quoque ejus designatione dilucidavit alio loco his verbis : *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam.* Quis est iste Angelus, fratres, nisi Joannes Baptista? cujus est præparatio : *Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri.*

IV. Nunc videamus, quæ consequuntur. Per idem tempus duæ cognatæ concipiunt, una contra spem, altera verbo. Hæc miratur se habere, quod nescit : lætatur illa, quia (23) discit. Elisabeth sterilis fœcunditate tumet feliciter venter, Mariæ majestate. Illa præconem portat, hæc judicem. Exsultate, feminæ, promotionemque vestri sexus agnoscite. Culpa deleta veteri, ecce per vos jungimur cœlo : anus enim peperit angelum, et virgo Deum. Hic est Deus noster, qui dignitate interim seposita, non tamen potestate, amore hominis **168** sui, cujus formam fuerat subiturus, et creaturam, ut (24) angelus, homo, puer, sponsus, gigas, crucifixus, sepultus, primogenitus a mortuis diceretur. Hic est, inquam, qui in omnibus omnia est : quoniam per ipsum et in ipso sunt omnia. Nec vos moveat, fratres, sæcularis ac vere puerilis inconsideratorum hominum disputatio : (25) qui ideo justum patiuntur errorem, quia Christum non ex Deo considerant hominem factum, sed ex homine. Cæterum si spiritaliter saperent, in ipso, quod infirmissimum putant, hoc potissimum prædicarent. Etenim vere perfectus Deus non esset, si esset aliquid, quod esse volens esse non posset. Denique vultis scire compendio veritatem? Factus est, quod non erat : nec tamen (26) desiit esse, ante quod fuerat.

TRACTATUS VIII.

De Nativitate Domini II.

I. Insuspicabilis (1) secreti reverendæque majestatis vera cognitio est, Deum non nosse nisi Deum ; nihilque ex eo amplius requirendum, quam ut quis ejus noverit voluntatem, sine qua ei nec legitime servire poterit, nec placere. Cæterum (2) providentis Dei de Deo argumentationibus vanis opinari velle (3) dispositum, non colentis est, sed dementis : maxime si Deus, ut contentiosi putant, **169** dispositioni subjaceat ; remotis enim paulisper nominibus Patris et Filii, non potes nosse uter patiatur injuriam ; nisi quod ambo patiuntur, quia amborum unum nomen est Deus. Igitur duas nativitates esse Domini nostri Jesu Christi rudis, aut negligens disce, Christiane, ne quo decipiaris errore. Unam, quam tibi non licet quærere, alteram, quam legitime, si possis, permitteris edocere. Prima itaque nativitatis Domini nostri in Patris et Filii tantum conscientia manet, nec quidquam habet interjectum, neque conscium, (4)

ut observavit Hieronymus in prologo ad Jeremiæ commentarium : et ideirco a multis, qui ex LXX Interpretibus sacros Veteris Testamenti libros allegant, pro uno eodemque Jeremiæ libro Baruch libellus habitus est. His de caussis Jeremiam pro Baruch appellarunt Cyprianus, in orat. Dominica p. 416 ; Clemens Alexandrinus, in Pædagogo p. 129 et 130 ; S. Hilarius, lib. IV de Trin., n. 42 et in ps. LXVIII, num. 19 ; Auctor tract. de Fide orthodoxa cap. 7, in Appendice Ambrosii ; Julius Firmicus de Errore profanarum religionum, cap. 29 ; Ambrosius, lib. I de Cain et Abel cap. 9, et lib. I de Fide num. 28, et alii passim.

(19) Ms. Rem. *putabitur.*

(20) Hic locus nec in Jeremiæ, nec in Baruch libro, quem Jeremiæ tributum vidimus adnot. 18, invenire licet : sed legitur sane in Græco Jeremiæ apud interpretes LXX, et hinc quidem Jeremiæ nomine Græce recitatur ab Ephiphanio, hæres. LIV, § 4. Latine item totidem verbis a Tertulliano, adversus Judæos c. ult. et lib. III adversus Marcionem, cap. 7, et de Carne Christi cap. 15 ; a Cypriano, contra Judæos, cap. 10 ; a Lactantio, lib. IV Instit., cap. 13 ; ab Ambrosio, de Instit. virgin., cap. 16, et epist. XLVI, n. 7, etc., et hi omnes, una cum Zenone idem testimonium ad Verbi incarnationem referunt ; qua de interpretatione videsis quæ in hunc locum Hieronymus notat.

(21) Mss. Pomp., Vat. et utrique Zen. *vocabis.* Post pauca *puer* in ms. Pomp. desideratur.

(22) *Prodromi* pro *præcursoris*, nimirum S. Joan. Baptistæ, de quo in sequentibus sermo est. Latine dicitur, sicut et Tullius, lib. I ad Attic. ep. XII : *Mihi Pompeiani prodromi nuntiant ;* et Plinius, lib. II, cap. 47, *prodromos* vocavit aquilones, qui caniculæ ortum octo diebus præcedunt. Inferius *dilucidavit* Latine dictum vindicatur ex auctore operis ad Herennium, l. III, cap. 4, qui *rei dilucidandæ causa* scripsit.

(23) Ita mss. Rem. et Tol. cæteri cum editis *scit.* Deinde *majestate* pro *deitate*, seu *divina virtute* ; v. adnot. 1 in tract. IX, l. II.

(24) Hisce nominibus Christus significatur in locis Veteris Novique Testamenti, ex quibus præcipua indicare sufficiat. *Magni consilii Angelus* (*Is.* IX, 6), juxta LXX ; *Homo* et *puer* sæpissime. *Sponsus* et *gigas* (*Ps.* XVIII, 6) ; *Crucifixus* et *sepultus* passim in Novo Testamento ; *Primogenitus a mortuis* (*Coloss.* I, 18).

(25) Illi heic perstringuntur, de quibus satis tract. 6 hujus libri adnot. 5.

(26) Edit. Ven., *desinit.* In fine ms. Pomp. additur *Amen.*

TRACT. VIII.—(1) *Insuspicabile* secretum dicitur, quod neque per conjecturas scrutari licet, de quo vide adnot. 4 in tract. III, lib. II. Pungiuntur autem Ariani, qui argumentando Dei arcana penetrare nitebantur.

(2) Sparaverio placeret scribi *procedentis*, cum de Divini Verbi generatione in sequentibus sit sermo. Simili quidem sententia tract. 5, dictum est : *Quomodo autem generatus sit, qui processit, dementis est opinari.* Sed huic emendationi nulli codices suffragium ferunt, et aliunde *providentis* Dei, quæ in us ibi sunt, dispositionem appellare Zeno potuit.

(3) *Dispositus us* pro *dispositione* invenies apud Tacitum, hist. II, 5. 2, paulo post ms. Rem. pro *uter patietur* scribit *utrum patiatur.*

(4) Mss. Tol., Vat. et Urb., *quod* pro *quia* oppor-

Digitized by Google

quod ex paterni oris affectu processit uno consensu. Secunda vero carnalis sicut est frequentibus oraculis prodita, ita invenimus esse completam.

II. Etenim Deus Dei Filius, tempore constituto, (5) dissimulata interim majestate, (6) ab ætherea sede profectus, in prædestinatæ virginis templo sibimet (7) castra metatur, quibus (8) latenter infunditur in hominem gigniturus, ibidemque salvo, quod erat, meditatur esse, quod non erat. (9) Mistus itaque humanæ carni se fingit infantem. Mariæ superbus emicat venter, non munere conjugali, sed fide, Verbo, non semine. (10) Decem mensium fastidia nescit, utpote quæ **170** in se creatorem mundi concepit: parturit non dolore, sed gaudio. Mira res: exsultans (11) exponit infantem totius naturæ antiquitate majorem. Interea rudis non gemit (12) feta. (13) Non mundum, ut adsolet, infans (14) fusus ingrediens, sponte vitæ reptantis prævios lacrymis auspicatur. Non mater ejus tanti partus pondere exhausta, totis pallens jacuit resoluta visceribus. Non *Filius matris*, aut suis est ullis sordibus delibutus; *neque enim* re vera aliquid circa se habere posset immundum, qui humani generis peccata, sordes et maculas **171** venerat mundaturus. Denique purgationes, quæ sunt tarditate periculosæ, (15) nulla puerum maternorum viscerum prosecuta sunt damna. Nulla adhibita rudi fetæ sueto more fomenta; neque enim, fratres, his poterat indigere, quæ accipere in uterum meruerat Filium animarum omnium salvatorem. O magnum Sacramentum! Maria (16) virgo incorrupta concepit,

tunc corrigunt, cum alibi legeretur *qui* sine ullo, ad quod referretur, substantivo nomine; nisi forte desideretur aliquid, ex. gr. *nisi eum*, *qui*, etc., quo casu indicaretur Spiritus sanctus, qui uno consensu ex Patre Filioque procedit. At S. Zeno Spiritus sancti meminisse non solet hac formula, qua processionem *ex ore* Filii propriam insinuat, et tract. III et IV, soli Patri notam Filii generationem explorate tradens, hic quoque eodem spectasse videtur, et prospicit ad illa (*Matth.* II, 27: *Nemo novit Filium nisi Pater*: quibus tamen verbis non excludi Spiritum sanctum, et Patres et interpretes probant.

(5) Vide adnot. 11, in tract. 5, lib. I.

(6) Edit. Ven., *ab æterna*: Ms. Rem., *ab ætheria*: in Tol., Pomp. et Zen. *ætherea* sine *ab*. Post pauca *in templum* cum edit. Ven. scribunt mss. Tol., Pomp., Zenon. et Spar.

(7) *Metari castra dicuntur*, inquit Festus, *quod metis diriguntur*: est autem locum castris opportunum deligere, cum id *metis* positis, seu directis fieret. Hinc Curtius, III, 8: *Eo ipso loco metari suos castra jusserat*. Apud Virgilium, II Georg. vers. 274, *metari* pro *eligere* accipitur Servio interprete. Sic etiam *metator* apud Lucanum, IV, 382, pro eo ponitur, qui hospitium parat; *et metator castrorum*, apud Tullium, Philip. II, 5, qui castris locum designat ac præparat. Vegetius, lib. II, cap. 7: *Metatores, qui præcedentes locum eligunt castris*: et Nonius Marcellus, *Metari parare*, unde et *metatores*. Hinc igitur S. Episcopus translate divinum Verbum sibi *castra metari* in Virginis utero dixit, pro habitationem sibi paravit atque disposuit. Similiter tract. seq. *Metaturam* pro *hospitii præparatione* accipit. Ms. Tol., *castramentatur* pro *castra metatur*.

(8) Cur *latenter* Christus in Virginis uterum ingressus dicatur, dicemus pluribus adnot. II in tract. 29.

(9) De hac formula multis egimus dissertat. II, cap. 3.

(10) Hic perspicue alluditur ad illa Virgilii (Eclog. IV, 61.

Matri
Longa decem tulerant fastidia menses.

Ex quibus Zenonianam locutionem manasse nihil ambigimus, sicuti et similem S. Ambrosii serm. 15, in ps. CXVIII, n. 16, cum *matrem longo decem mensium fastidio pii fetus onera portantem* dixit. Quamvis autem ea poetæ verba de lunaribus mensibus accipienda aliqui velint, ut ad novem circiter solares menses redigantur: tamen de solaribus intelligenda putamus, cum partus legitimi tempus non solum nonum, sed decimum etiam mensem esse plures docuerint. Sapientiæ cap. VII, 2: *Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine*. Aulus Gellius, lib. III, cap. 16, Noct. Attic.: *Multa opinio*, inquit, *eaque jam pro certo recepta..... gigni hominem septimo rarenter, numquam octavo, sæpenumero decimo mense*: et pro mense quidem decimo antiquos bene multos tum Græcos, tum Latinos laudat auctores. Id autem adeo persuasum Romanis fuit, ut lege lata legitimos haberi jusserint partus, qui decimo post patris mortem mense editi fuerin. In L. *Gallus* D. *de lib. et posth.* et L. ult. C. *de posth. hæred.*, hæc leguntur: *Si filius, vel filia juxta decem mensium spatium post mortem patris edita fuerint, hæredes sunto*. Decemvirorum sententiam laudat Gellius, nec non Adriani decretum, quo ad undecimum etiam mensem res protracta fuit: cui sententiæ alii cum Hippocrate consentiunt. Martinus Schurigius, in Embryologia hist. medic., sect. IV, cap. 2, § 1 et 9, hoc de argumento multa disputat luculenter, ac plurium auctorum testimonia pro mense decimo recitat. Inter sacros autem scriptores, præter Zenonem laudari possent Ambrosius, lib. I de Fide, cap. 1, num. 72; Hieronymus in Helvidium, num. 2; Chrysologus serm. 5 et 6 de Symbolo, etc.

(11) Peculiari prorsus significatione *exponit* pro *parit* hoc loco dicitur. Forte translate usus est Zeno nautico verbo: *exponere* enim nautæ dicuntur eos, quos, cum in portum pervenerint, e navi in terram emittunt, vel exportant, ut liquet ex Nepote, II, 8; Horatio, Sat. V, 20; Cæsare, de Bello civili I, 31. Ita mater mensium curriculo evoluto, quo filium in utero gestavit, hunc tandem *exponere* dici potuit, cum parit.

(12) *Fœtam* latius patere, quam *gravidam*, ita ut *gravidæ* solum vocentur, quæ fœtum in utero gerunt; *fœtæ* autem, quæ fœtum nuper emisere, auctor est Censorinus de die natali cap. 11, in quem lege Vossium, lib. V Instit. orator, pag. 278. *Fœtæ* quidem a Varrone, de re rustica, puerperæ appellantur, et Cerdæ animadversio est in lib. VIII Virgilii Æneid. v. 630, *gravida* animalia numquam *fœta* nominari; quod etsi apud Virgilium sit verum, apud alios omnes non item, ut Basilius Faber, in Thesauro, observavit. *Rudis* porro fœta Virgo Christi mater dicitur a nostro scriptore post partum, ut significetur eam antea non peperisse amplius: *rudis* enim vocatur, quidquid novum et recens, nec usu elaboratum est. Solent autem *rudes* et novæ parientes dolores pati majores, quam reliquæ. Hic igitur Mariæ privilegium effertur, quæ licet *rudis feta non gemit*.

(13) Ita correximus ex mss. Tol., Zen., Sp.; quæ lectio repetitioni sequenti magis concinit: in aliis autem scribitur: *Mundum, non ut adsolet*, etc.

(14) *Fusus*, id est *genitus*.

(15) Mss. Pomp., Tol., Zen., Sp., *nullo maternorum viscerum prosecutæ sunt damno. Damno* item in ms. Vat.

(16) Mirum cuipiam fortasse videbitur S. Auctorem tam discretis verbis Mariæ virginitatem prædicare

Digitized by Google

post conceptum virgo peperit, post partum virgo permansit. (17) Obstetricis incredulæ periclitantis (18) **172** enixam, in testimonium reperta ejusdem esse virginitatis, incenditur manus; qua tacto infante, statim edax illa flamma sopitur; sicque illa medica feliciter curiosa, dein admirata mulierem virginem, admirata infantem Deum, ingenti gaudio exsultans, quæ curatum venerat, curata recessit. Ita Christus in hominem se fecit nasci, quemadmodum homo non potest nasci. Totum denique sua luce (19) resplendens corpus sine umbra gestabat: humilis carne, sed excelsus omnipotentiæ majestate. Qui sane ideo carnem est dignatus induere, ut nemo se possit per carnem, cum judicii dies venerit, excusare.

TRACTATUS IX.

De Nativitate Domini et (1) *Majestate.*

I. Secundum quod Deus suos promiserat per prophetas, Filium suum salvatorem generi humano se esse missurum commodum tempore maturo, divinitatis interim dignitate deposita, non tamen potestate, cœlo egressus, (2) metatura prædicta sacrario templi virginalis hospes pudicus illabitur; ibidemque, qualis velit esse, disponit. **173** Immo, quod jam olim disposuerat complendum, (3) latenter assumit; namque requiescit libens florentissimo in domicilio castitatis, et in visceribus sacræ virginis comparat sibi corpus suo judicio nasciturus. In hominem coaptatus, in tegumento carnis includitur Deus; humanamque vitam mutuatur de tempore, qui præstat (4) temporibus æternitatem. Mira res: concipit Maria de ipso, quem parit: tumet uterus majestate, non semine, capitque virgo, quem mundus mundique non capit (5) plenitudo. Interea promovent suum membra factorem, et opus sui figura vestit artificem. Parturit Maria non

atque statuere. Certe contra aliquem ejus ætatis errorem tam præcisa confessio; unde sub idem tempus pro eodem dogmate pugnantes legimus S. Ambrosium Mediolanensem, lib. de Instit. virgin. a cap. 5, et S. Gaudentium Brixianum, tract. 9, pag. 100, qui tamen quosdam impugnant, quibus Maria in Christi conceptione quidem Virgo credebatur, sed quæ vel in partu, vel post partum Virgo non fuerit. Episcopum quemdam Ambrosius aperte indicat, quem alii Bonosum fuisse censent, cujus judicium ad vicinos præsules Capuana synodus remiserat. Vide itaque quæ notavimus adnot. 5 in tract. 5, lib. I, ubi idem dogma perspicue inculcatur.

(17) Magna hoc loco mutilatio ab editoribus Veronensibus facta a voce *obstetricis* usque ad *curata recessit*. Textum restituimus ex mss. et editione prima, ex qua integrum hunc locum recitavit Baronius, num. 6 et 7 Apparatus ad Annales Eccles., et ex ipso alii. Offendit editores, ut videtur, hæc fabula, quam satius detruncandam, quam relinquendam putarunt. At si ea fabula minus probetur, intacto auctoris textu, id in adnotatione aliqua animadvertere satis fuerit. Cæterum ut de ipsa re pro vindicando Zenone aliquid dicamus, solemne apud antiquos fuit efficere, ut Virgines inspicerentur per obstetrices, quo probaretur, utrum tales essent necne. Vide Cyprianum, epist. 62; Ambrosium, epist. v, n. 10, ad Syagrium; Augustinum, de Civ. Dei lib. III, cap. 18. Idem autem Mariæ Christi matri accidisse traditum est a nonnullis apud Clementem Alexandrinum, l. VII Stromatum p. 889. *Quidam enim dicunt, eam, postquam peperisset, inspectam ab obstetrice, inventam fuisse virginem.* Hæc fabula originem habuit ex libro *de S. Maria et obstetrice*, qui in decreto Gelasiano refertur inter apocryphas. Simile quidpiam legitur in *Proto Evangelio Jacobi*, apud Fabricium, in Codice apocrypho, p. 517, n. 19, in quo tamen, num. 20, non obstetrici, sed Salome, quæ una cum obstetrice ad Mariam ingressa traditur, tum virginitatis probatio per tactum, tum manus punitio et curatio tribuitur. At in *Evangelio infantiæ* ex Arabico latinitate donato ab Henrico Sikio, pag. 170 Codicis apocryphi, nulla probatio per obstetricem memoratur, sed sola sanatio. Hanc fabulam explodit inter cæteros Hieronymus, ut ab apocryphis monumentis derivatam, his contra Helvidium verbis: *Nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intervenit. Ipsa Maria involvit infantem, ipsa et Mater, et obstetrix fuit; nam ipsa collocavit eum in præsepio, ipsa pannis involvebat* (*Luc.* II, 4), *unde commenta refelluntur apocryphorum.* Lege Suidam, voce Ἰησους, qui eamdem obstetricis fabulam, uti ab Hebræo sequioris ævi descripta aliter fuerat, fuse refert. Matthæus Bossus, Veronensis, epist. LXXIV, lib. I, ad Polycletum Physicum hanc refellit fabellam, cujusmodi apud Suidam recitatur; continebatur autem separatim a Suidæ operibus in ms. Vaticano simili plane illi, quem eamdem Suidæ narrationem separatim continentem in bibliotheca regia Parisiensi, num. 3437, exsistere Kusterus, in notis ad Suidam, testatur. Matthæi autem Bossi tempore ea fabulosa narratio latine reddita fuerat a Lauro Quirino Cretensi patricio Veneto, et dono data regi Renato a Marcello, circumferebatur, quod Bosso ejus refellendæ occasio foit. Sed ut ad Zenonem revertamur, antiquum hunc Patrem ex aliquo apocrypho fonte fabulam ebibisse patet, quod aliis quoque antiquis, immo antiquioribus, non raro accidisse notum est omnibus. Vide adnot. 14, in tract. 8, lib. I.

(18) Edit. Ven. et ms. Pomp. *enixa;* sed *enixam*, quod alii legunt cum editi, tum mss. sententiæ magis congruit, cum sermo sit de obstetrice, quæ Mariam *enixam*, id est partu levatam, ipsa manu periclitari voluit, num virgo esset necne. Post nonnulla mss. Rem. Tol. Vat. et Urb. *eidem* pro *ejusdem*.

(19) Ms. Rem. *respondens*.

TRACT. IX.—(1) In mss. hæc inscriptio visitur: in editis autem *de Nativitate Christi* tantum. *Majestas* vero heic a Zenone pro *Divinitate* seu pro *virtute divina* sumitur; unde paulo post: *Tumet uterus majestate, non semine*, id est divina, non humana virtute; et post alia: *Probans infirmitatibus carnem, et virtutibus majestatem.* Sic etiam *virtutis* vocabulo Christi *Divinitatem* apud plerosque tum Græcos, tum Latinos Patres intelligi, ex testimoniis liquet, quæ in calcem dialogi III adversus Theopaschitas conjecit Theodoretus, nec non ex Hilario frequenter, cujus loca considerat P. Coutantius in præfat. num. 148, ex Ambrosio lib. II de Fide num. 56, etc.

(2) *Metaturam* legit vetus Jeremiæ interpres, apud Cyprianum, lib. I Testimon., cap. 3, nec non apud Lactantium, lib. IV Instit. cap. 11, sed alio sensu. Heic enim pro hospitio, quod sibi Dei Filius in Mariæ utero præstituit, accipitur (de qua significatione vide adnot. 7 in tract. præcedentem) idque vox *hospes*, quæ mox subjicitur, palam confirmat. *Prædictum* autem hoc hospitium vocatur, quod in antiquis paginis prænuntiatum sit, Deum concipiendum ab ea Virgine, quam sibi in matrem elegisset. *In prædestinatæ Virginis templo sibi castra metatur* laudato tractatu non absimili sententia scriptum est. Ms. Urb. *cœlo emissus metatura.*

(3) De hoc *latenter* pluribus agemus adnot. 2 in tract. 29.

(4) Ms. Pomp., *de temporibus.*

(5) Editi, *magnitudo.*

Digitized by Google

dolore, sed gaudio : nascitur sine patre Filius, (6) non totus matris, sibi debens, quod conceptus est, donans matri, quod natus, quæ principaliter stupet talem sibi Filium provenisse, qui ex se natus non crederetur, nisi (7) quia sicut fuit virgo incorrupta post conceptum, permanet talis quoque post partum.

II. O nova ratio ! Amore imaginis suæ coactus in infantem, vagit Deus : patiturque se pannis alligari, qui totius (8) orbis debita venerat soluturus. In stabuli præsepe deponitur, populorum pastorem pabulumque se esse (9) contestans. Subjicit se gradibus ætatis, cujus æternitas in se non admittit ætatem. (10) Totum contra conscientiam suam, ut homo infirmus patitur, ut homini mortis lege consumpto **174** immortalitas tribuatur. Hæc est enim potestas Dei, ut salvo, quod est, possit esse, quod non est. Hic est Deus noster æterni Dei coæternus Filius. Hic et homo et Deus, quia inter Patrem hominesque adstitit medius, probans infirmitatibus carnem, et virtutibus majestatem. Hic sol noster, sol verus, qui clarissimos ignes mundi germanos astrorum candentiumque polorum claritatis suæ de plenitudine accendit. Hic qui semel occidit, et ortus est rursum, numquam repetiturus occasum. Hic, inquam, quem duodecim radiorum, id est Apostolorum duodecim, corona circumdat, quem per ambitum totius orbis non muta quatuor animalia, sed salutiferis prædicationibus quatuor circumferunt Evangelia. Cujus quam vim habeat amictus et currus, his verbis propheta testatur : *Deus, sicut ignis veniet, et sicut procella currus ejus, retribuere in ira vindictam* (11).

(6) *Non totum matris* affirmat Christum, ut significet eum virtute divina conceptum : qua ratione etiam Hilarius, lib. IX de Trin. num. 7, eumdem Christum *ex se natum* dixit, quippe qui *id quod alienum a se erat, vi sua ac potestate præsumpsit*, ut placet exponere ex libro ejusdem II, num. 26, in quo etsi de Spiritu sancto in Mariam superveniente sermonem faciat, similia tamen perspicue tradit de Filio lib. X, num. 15.

(7) *Nisi quia* Sparaverio non placet, pro quo supponere mallet *cum*, et *permanserit* pro *permaneret*. *Quia* deest in mss. Pomp., Tol., Zen.; *permanet* autem pro *permaneret* scripsimus ex ms. Vat. cum hæc lectio commodior videatur.

(8) *Orbis*, quod nomen ab edit. Ven. et Ver. aberat, e mss. supplevimus : in Patavina autem editione, cum quid simile desiderari prospiceretur, *mundi* ex ingenio suppositum est. Paulo ante *illigari* pro *alligari* in ms. Tol.

(9) Ms. Pomp., *conjectans*.

(10) *Totum* pro *omnia* sæpe a Zenone usurpatum. Vide adnot. 25 in tract. 4, lib. I.

(11) *Amen* addunt ms. Pomp. et edit. Ven. Codex autem Rem. hæc subjicit. *Explicit de Nativitate Christi et majestate tractatus Sancti Zenonis.*

TRACT. X.—(1) Heic tractatus recusus fuit a Lipsmano, tom. II Vit. Sanctorum.

(2) Corruptissima heic est in mss. lectio, in quibus hæc habentur : *Longæ vitæ transactis cursibus pius, aut filius ederit, partus effusione perciperet. Sed utrisque ademerat*, etc. Retinuimus lectionem editorum, quæ sententiam cum Scripturis concinentem refert : respiciuntur enim illa Gen. XXI, 6, quibus Sara, cum

TRACTATUS X.

De (1) *Abraham* I.

I. Abraham, fratres dilectissimi, quale divinæ pietatis munus acceperit, vetustæ legis gesta testantur. Sara uxor ejus non inferior, (2) longæ vitæ transactis cursibus, qualem filium ediderit, partus effusione percepit. Sed quia utrisque ætas ademerat spem sobolis, pignus (3) succidaneum meruerunt. Sic meruit fides, quod ademerat **175** tempus : extorsit (4) credulitas, quod natura denegaverat. Abraham Patriarcha noster (5) exploratus a Deo, in senectute suscepit unicum filium, nihil tamen sollicitum patri; cujus ætas in annis (6) vergentibus in occasus sui terminum versabatur, et educationis tempus angustum, et senectuti exitus jam vicinus. Ecce prima devotio, libenter excipere, quod fero datur, et in tristissima senectute suscepta sollicitudinis mole gaudere, nam et risit Sara munus juventutis subiens in senecta; unde (7) nomen accepit infans, qui post hæc Abraham sacratam Deo approbat mentem.

II. Unicus ille filius solliciti senis, adhuc parvulus, cui pietas et miseratio major debetur, postulatur ad victimam; cui si (8) per humanam fragilitatem aliqua in corpore infirmitas nasceretur, aut humanus exitus contingeret, vix in ejus casibus pater vivere potuisset, si annis teneris morerctur. Hic igitur infans, (9) e cujus vita paternus affectus et maternus pendebat, ad explorationem fidei suæ divina voce postulatur ad victimam. Volo, dixit Deus, mihi fieri sacrificium, Abraham, tuis manibus in monte de filio tuo : hæc mihi victima placet, hoc me sanguine deplacabis, iste meis sacris debetur : (10) hunc infilium peperisset, dixisse traditur : *Risum fecit mihi Deus*, etc. Prima Veneta editio solum in duobus a cæteris variat, primo quod *ederit* pro *ediderit;* dein quod *perciperet* pro *percepit* scribit.

(3) Optime Sparaverius monuit *succidaneum* dici filium, qui in locum ejus succederet, quem olim Abrahæ ætas, dum florens erat, non dederat : quemadmodum *succidaneæ hostiæ* dicebantur, Gellio teste, lib. IV, cap. 6, *quoniam si primis hostiis litatum non erat, aliæ post easdem ductæ hostiæ cædebantur.* Conferri potest etiam Festus. Paulo post, ms. Rem. legit : *Sic merito fidelitatis extorsit credulitatis*, ubi librarii error et saltus manifestus est. Mss. Pomp., Tol., Vat., Urb., Zen. et Sp., *Sic merito fidelitatis, quod*, etc. Tol., Vatic., Urb., *credulitatis* pro *credulitas :* item male.

(4) *Credulitas* pro *fide*, quæ sine rationibus et argumentis Deo revelanti adhibetur, ut liquet ex adnot. 6 in tract. 1, lib. I.

(5) Heic quoque saltum librarii manifestum videre licet in ms. Rem., *exploratur a Deo sollicitum*, etc.

(6) *Urgentibus* habent mss. Tol. et Vat. *Termino* pro *terminum* est in mss. Pomp., Spar. Elige quidquid velis; utrumque rectam sententiam præfert.

(7) *Isaac* enim *nomen* hebraice *risum* sonat; unde et Sara in eo gignendo risum sibi a Deo factum testata est.

(8) Ms. Rem., *per humana fragilitate.*

(9) Idem ms., *infans cujus vita paternus affectus mater tenet pendebat;* quod mss. Tol., Vat. et Urb. item habent.

(10) Mss. et editi *unde*, pro quo in margine cod. Rem. antiqua emendatione *hunc* scriptum est, quod

Digitized by Google

molari jam jubeo. Non contristat frontem devotissimus Abraham, nec dolor patri lacrymas persuasit, sed exsultat et gaudet. Nec timuit, ne parricidium ei imputaretur, sed magis ut devotioni pareret: lætabatur hoc jussisse Deum. (11) De filio hostiam **176** parat: festinat denique implere sacrificium, ne mora faciat peccatum. (12) Necessaria sacramentis præparantur protinus; ascenditur in montem. Omni mysterio sacrificioque disposito ductus filius gaudens, gaudente patre, patris dextera feriendus. Qui antequam veniret in montem, cum de patre quæreret, ubi esset victima, quam disponeret et immolaret; securus de fide generis sui pater filio, de quo non dubitabat, patefecit, quia se (13) Dominus postulasset; et quid ipse Domino promisisset, ostendit. Lætatus est puer patre fidele, ipse quoque fidelior: nec recusabat mortem, quam Deus, qui vitam dederat, imperabat. Lætatur pater filio quoque gaudente, et cum gaudio unici pignoris alligat manus, quas ille vinciendas libentius offert. Pedes quoque constringit, ne in exitu mortis concitata victima calcitraret: securus enim pater optimus timuit, ne dolori aliquid liceret in mortem.

III. O, (14) fratres, secura devotio! O pater spiritum captans: corpus vero mortemque contemnens! O, qui servum Domini ita se esse meminerat, ut patrem se esse nesciret. Quid est pater? Ecce sub oculis jacet filius vinculis adstrictus. Ubi sunt lacrymæ? ubi dolor, qui in humanis sensibus versari consuevit? In tantis filii casibus lætatur et gaudet; et se Dominum promeruisse triumphat. Accepit jam præmia, quæ meretur; (15) divinæ enim explorationis tentamina porriguntur; exserit quidem ferrum, et armata dextra sublevat manum: sed vox ejus, qui (16) victimam postulaverat, **177** contradicit. Respice retro, dixit Deus, et antequam respicias, parce. Ecce et meritum principale divinam indulgentiam meruisse sub casibus: nam (17) et retro respiciens Abraham invenit victimam, quam innocens immolaret. Eo ferro mactavit arietem, quo filium percutere jam parabat. A filio ad agnum transtulit dextram semper lætatus et gaudens. Nec mutatus est vultus ejus, cum esset victima commutata. Cum tanta lætitia arietem obtulit, cum quanta obtulerat et filium: ubi enim fides fuit, non erat dolor. In illo sacrificio solus Deus doluit, quia aliam victimam procuravit: nam Abraham cum filio sic probatus a Deo est, ut non postulans, misericordiam mereretur.

IV. Videamus, fratres dilectissimi, legis arcana: et intellectum altius proferamus. Abraham sub lege non erat, sed legem solus implevit; et qui nullo jure (18) legis tenebatur, omne jus divinum præcipue custodivit: cujus immolatione ille quoque gauderet, qui ad victimam parabatur. Aries hærebat in (19) vepre, implicitus spinis, capite obligatus. Hic est, qui pro Isaac immolatus est Deo. Hunc obtulit Abraham: hunc jussus est immolare.

178 TRACTATUS XI.

De Abraham II. (*Initium deest.*)

I. Non (1) enim præcepto virginitas provoca-

textui plane inserendum fuit. Postea *videbo* pro *jubeo* in ms. Vat.

(11) Mala interpunctione et aperto errore tum in aliquot ms. tum in editis erat: *De filio hostia parabatur festina. Denique*, etc. In mss. Tol. et Urb. *De filio hostiam para festina*: in Vat. *De filio hostiam para festina*: sed male omnia. Ex his tamen omnibus lectionem textus compegimus, quæ æquiorem sententiam præfert.

(12) Hanc scripturam sententiæ commodiorem suggessit Ms. Vat. cum alibi post *peccatum* commate signatum legeretur, *necessariis sacramentis protinus præparatur*; quod etsi de sacrificio intelligi queat, Zenonianum tamen ingenium perspicuitatemque edita lectio vividius exhibet. *Præparantur* item legitur in ms. Rem.; in editione autem Ven. *n* mutato in *re præpararetur*. Porro *sacramenti* vox apud christianos auctores passim pro *mysterio* accipitur, ut plures jam observarunt. Sic quod Zeno hoc *sacramentum* vocat, post pauca *mysterium* appellat: *Omni mysterio sacrificioque disposito*. Similiter tract. 12, num. 3, mysterium ternarii numeri *sacramentum numeri* nuncupat, et alibi passim. Mysterium autem hoc intelligimus id, quod mystice aliquid significat; uti sane mysticam significationem continebant quæcumque in immolatione filii Abraham gessit. Simili sententia *sacramenta*, id est mysteria, *munerum*, quæ Magi Christo nato obtulere, appellavit Hieronymus in cap. II Matth. v, 11. Et in c. XXVII, 27, loquens de his, quæ Christo a militibus in prætorio obvenerunt, postquam monuit, *hæc omnia intelligamus mystice*, subdit: *Isti quæcumque fecerunt, licet alia mente fecerint, nobis, qui credimus, sacramenta*, id est mystice interpretanda, *tradiderunt*, et interpretationem quidem mysticam subjiciens prosequitur.

(13) Ms. Pomp., *Deus*.

(14) Sparaverius legendum putat: *O patris secura devotio!*

(15) In editis et paucis mss., *divina etenim*.

(16) *Eam victimam*, in mss. Pomp., Zen. et Urb.

(17) *Et* additum ex codice Pomp.

(18) Notanda hæc duplicis juris distinctio *legis*, et *divini*. Jus *legis* vocatur jus scriptum, quod cum nondum datum fuisset, eo Abraham non tenebatur: jus autem *divinum* intelligitur lex naturalis, quatenus Deo præcipienti obedire præ omnibus jubet; et hanc potissimum Abraham custodisse dicitur. Post *custodivit* ms. Vat. *et cujus immolationis ille*, etc. Immolatio porro hoc active sumitur, et Abrahæ actionem ac sacrificium significat; et hac ipsa patris virtute filius ipse, qui ad victimam petebatur, gavisus traditur.

(19) Retinuimus mss. Tol., Urb. et primæ editionis lectionem, quippe quæ cum Geneseos testimonio magis congruit, ubi cap. XXII, vers. 13, aries *inter vepres* ab Abraham inventus traditur. Favet etiam lectio ms. Rem. ubi *verbe* pro *vepre* scribitur; nisi forte *verbes* sint *verbenæ* species vepribus similis; nam *verbena* non tam virgultum, quam ramos omnes universim significat, ut videre potes apud Basilium Fabrum in Thesauro antiquit p. 1135. Sed *verbes* nullibi legere potuimus. Editio autem Ver. et aliquot item mss. habent *eruo*, quæ est leguminis species, bovum præsertim pastui commoda, ut Plinius, lib. XVIII, cap. 15, et Columella, lib. VI, cap. 2, tradidere: id quod in rem nostram nihil confert.

TRACT. XI.—(1) Inter omnes Zenonis tractatus nullus hoc corruptior, nullus emendatu difficilior inventus est; quippe cui manuscripti libri minimum suffragantur. Cum porro sine auctoritate codicum in textum

Digitized by Google

tur (2), sed nec continentia relicta repellitur. Ad cujus fidem, charissimi, auctorem habemus sanctum videlicet Abraham, qui filium quondam Isaac habuit. Simplex quidem vocabulum, sed multiplex pronuntiatio. Hic namque, charissimi, desperatus parentibus, sed Deo promittente susceptus, in transactæ ætatis et generantis genitalis (3) flore concipitur: non tam ex parentibus, quam divina (4) præceptione **179** meruit procreari, atque in ultimis vitæ curriculis Saræ uterum filius (5) aperuit primo vocabulo, cui jam aviæ reverentiam senectus verecunda detulerat. Sub hac igitur, charissimi, (6) desperatione nativitatis et admiratione progenitus, in primis infantiæ rudimentis jubenti ac deposcenti Deo innocens martyr offertur, immaculata hostia, nec victima (7) imparata: qui testis divini timoris ad fidem a Domino poscitur, a parente perducitur: sed hostia non sanguinis, sed salutis. Ad hanc igitur gloriam tardi partus ubertas et fecunditas desperata profertur.

II. Uxor Abrahæ fetus nescia, cum visceribus, frigente senio, nec sperare sobolem posset, nec portare conficeret, matris suscepit officia, quæ (8) uxoris jam munera nesciebat. Atque eo tempore partus profertur, quo calor genitalia jam relinquebat. Mira prorsus, charissimi, nec speranda sæculis post futuris divinæ ordinationis **180** propago (9) formatur: ad

manus nobis haud inferendas præstituerimus, nisi ubi et apertus sit error, vel emendatio satis obvia videatur; unum hoc reliquum est, ut indicemus in notis difficultates, et quæ opportuniora judicabuntur, suggeramus: relinquentes aliis, qui vel feliciori utuntur ingenio, vel meliores aliquando codices sortientur, genuinam lectionem Zenoni reddere, quæ in textum tute traducatur. Itaque primo ex particula *enim* acephalus videtur hic sermo, ita ut de virginitatis laudibus nonnulla præcesserint. Immo de Mariæ virginitate Christique ortu auctorem quædam præfatum satis credibile est: unde miram Isaac nativitatem ex parentibus senio confectis ad nativitatem Christi ex Virgine plane mirificam tamquam ad propositum sibi argumentum n. 4 transfert.

(2) Placuit *præcepto* ex mss. Tol. et Pomp. scribere pro eo, quod in aliis *præcepta* legitur. Enimvero *præcepta* virginitas dici non potuit, cujus servandæ nullum umquam præceptum in Veteri Testamento, immo nec in Novo datum est, ex illo Pauli I Cor. VII, *De virginibus præceptum Domini non habeo*. Igitur *præcepto* nullo *provocata* virginitas potuit affirmari, quod ex lectione, quam secuti sumus, commode intelligitur. At fortassis *præcepta* pro *ante capta* virginitas dicta est, et forte sententia refertur ad Mariæ virginitatem (de qua in iis, quæ desunt, forsan sermo fuerat) quæ conjugali continentiæ prælata a Deo fuit, ita tamen ut licet Verbum ex Virgine nasci decreverit, continentiam nihilominus conjugalem, quam in Abraham et Sara remuneratus est, non repulerit. Paulo post scribere placuit *filium quondam* pro *filium quidem*, cum præsertim particula *quidem* mox repetatur. Similiter *significatio* pro *pronuntiatio* placeret scribere, si qui codices suffragarentur, aut vulgata scriptio non multum distaret.

(3) *Flore* omnes mss. et editi; *fluore* mallet Sparaverius, neque enim credibile putat S. antistitem voluisse effetam ætatem et sicca genitalia florescentium prærogativa censere. Sed forte *florem* senii tribuit ex divino miraculo, quo Abraham licet senex filium, perinde ac juvenis in flore esset, genuit. Alii *languore* fortasse malint, vel aliquid simile. At nihil sine evidenti necessitate immutandum fuit. Subinde scripsimus *concipitur* pro *consumitur*, ut sententia postulat.

(4) *Præceptione* in editis et mss. At cum heic aperte spectetur *repromissio* illa a Paulo memorata ad Gal. IV, 23, ubi Isaac ab Abraham susceptus traditur *de libera* conjuge *per repromissionem*, quæ scilicet eidem Abrahæ a Deo facta fuit Gen. XVII, 19, *promissione* pro *præceptione* scribendum videtur. At sicut *præcipio* pro monere, docere, et indicare quandoque sumitur; ita forte et *præceptio* heic pro Dei promissione accipi potuit, quatenus per illam Abraham de futura prole præmonitus fuit, ipsique datum insuper in ea præceptum, quo omnem masculum circumcidendum Deus imperavit. Itaque hoc loco cum apertus error non sit, nihil attigimus. Adde quod Paulo infra *divinæ ordinationis propago* Isaac appellatur, ubi *ordinatio* pro eo est, quod heic *præceptio* dicitur.

(5) Legebatur *aperto primo vocabulo*. At hoc cum per se stare non posset, cum vox *filius* nullo verbo regeretur, primo cogitavimus legendum *aperire*, vel *aperuit matris vocabulo*; nascente enim Isaac, apertus est Saræ uterus, vocarique cœpit *mater*, *cui jam aviæ reverentiam senectus veneranda detulerat*. Similiter quidem num. 2, hæc duo *mater et avia* opponuntur: *Cujus ætas aviam testaretur, matrem partus ornarit*. Sed libera nimium hæc emendatio visa est. Itaque retento *primo vocabulo*, quod intelligi haud moleste potest, quatenus Saræ uterus apertus est ex prima ipsius voce quam in Isaac gignendo pronuntiavit: *Risum fecit mihi Dominus*; solam vocem *aperto* in *aperuit* immutandum censuimus, ut verbum esset, quod *filius* regeret. Paulo ante pro *ex intimis*, quod in mss. et editis legebatur, correximus cum Sparaverio *in ultimis*. Inferius autem *reverentia* pro *reverentiam* mss. Pomp. et Zen. perperam scribunt.

(6) Erat in editis, et in mss. item legitur *sperationis nativitate*. Sparaverius apertum heic errorem aliquem subodoratus, *sperata nativitate* mallet legere. At *desperata* nativitate, vel melius *desperatione nativitatis* scribendum censuimus, cum semper in iis, quæ Zeno subjicit, non *sperata*, sed *desperata* hæc proles, ac proinde nativitas ipsa prodatur: *Nec sperare sobolem posset*; et infra: *Ex desperatione felicior putabatur*. Similiter *fecunditas desperata*, etc. Hinc non tam Sparaverii correctione, quam vulgata *sperationis* scriptura explosis (cum præsertim *speratio* Latine apud probatos Scriptores nobis hactenus invenire non licuerit), *desperatione nativitatis* non nimis temere insertum judicabitur.

(7) *Nec victima imparata* scripsimus pro eo, quod legebatur *nec victima imparatus*; id enim præter syntaxim constructionemque Latinam Zenonianus etiam stylus postulare videtur, ut hinc *immaculata*, hinc *imparata* respondeant.

(8) Legebatur in editis et aliquot mss. *uxória munera*: at magis adrisit lectio mss. Basilicæ Vaticanæ, Urb. et Pomp. Ex Zenoniano scribendi genere *uxoris munera* cum vocibus *matris officia* antecedenti commate positis concinunt. Sparaverius scribere mallet *muliebria omiserat* pro *uxoria munera nesciebat*, cum *muliebria* Saræ desiisse tradantur Genes. XVIII, 11. At ibidem, v. 12, etiam traditur, Sara de concipiendo filio commonita dixisse: *Postquam consenui, et Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* quæ satis indicant inter Abraham et Saram jamdiu per ætatem intermissum conjugalem usum, de quo Zeno locutus videtur, cum *uxoris jam munera* Saram nescientem affirmat. Similiter tract. 7 hujus libri n. 2, *munus conjugale* eodem sensu accepit.

(9) Sparaverii emendationem recepimus, quæ sententiam nihil immutat, at solum concinniorem ac Zenonianam reddit: legebatur autem *formata*. Paulo ante *nec speranda* (pro *et speranda*) *sæculis post futuris divinæ ordinationis propago* scribendum censuimus.

Digitized by Google

principium ætas peracta revocatur : accingitur de sterilitate fecunditas, ut impleretur, quod scriptum est per Prophetam :(10) *Exsulta, sterilis, quæ non pariebas ; erumpe et clama, quæ non parturis : quoniam multi filii desertæ* (*Is.* LIV, 1). Ecce enim, charissimi, in Sara attractis ætate nervis, et deficiente sanguinis succo, arescentibus venis, dura cum visceribus cutis, deformis ac luridus pallor jam pene vultus perdit humanos, nec ullus in membris voluptati motus. Nihil in substantia resederat corporis ; sed nihil tamen in utero negabatur infanti : et cujus ætas aviam testaretur, matrem partus ornavit, cum sub incerto affectionis vocabulo (11) pietas nutaret, et cum filium proferret uterus, nepotem senectus optaret. Ita denique dissensione temporis et naturæ contra opinionem nato Angelus Isaac nomen imposuit : ut firmaret lætitia, quod ætatis imbecillitas desperavit. Novus sane parentum circa filium crescit affectus : qui ex promissione certior, ex tarditate dulcior, ex desperatione felicior putabatur. Unicus numero, et in amoris soliditate jam primus, totum maternæ pietatis occupaverat pectus : festinata educatione nutritus, Deo victimam, parentibus pium parricidium (12) præbiturus.

III. Ecce, charissimi, ut ait Apostolus, contra spem natum, Abraham ad aram filium immolaturus Domino auctore perducit (*Rom.* IV, 18) : nec deest ad ministerium gladius, ut pater esset pariter et sacerdos. Consimilis filii quoque est ex divina voluntate securitas : qui cum hostiam **181**(13) non videret, cujus loco electus fuerat, requirebat. Sed traduntur teneræ adhuc vinculis manus : et ne quid minus ab hostia videretur, pedem ligatura distringit, ne incitata victima displiceret. Cesset itaque hic, charissimi, impietatis abominanda suspicio. Abraham Dominum filio, sacerdotem prætulit patri ; nec pium se credidit, nisi probasset fidelem. Denique, charissimi, intrepidus ad ministerium immolationis (14) armatur ; rimatur ad ictum vulneris securus animus, sed securior manus ; elatus (15) ad immolandum gladius libratur ; nec puerum mors vicina contristat, ne trepidatio fidem prodat infirmam. Sub hac denique immolantis, (16) immolandique constantia absolvi meruit, dum humanum ex se deponit timorem ; et quantum ad fidem pertinet, pater promissa complevit, Dominus parricidium probata voluntate prohibuit.

IV. Ad hujus ergo personam Christi refertur (17) verecunda nativitas, sed virginalis uteri aula secretior : divini sermonis arte (18) formatum, in se tabescentis corporis vulva portavit. Sed (19) in **182** cœlesti prole, non semine progenitum, certissimum Dominum impia Judæorum exarsere consilia : quem tacentem, tamquam obnoxium, et pro ipsorum tantummodo cæcitate mœrentem, ut Isaac non perituram ad aram, ita ad crucem Christum sublimandum nefarii perduxerunt. Sed quia nescit æternitas mori, (20) revixit Dominus post sepulcrum, et ad Judæos

cum in senili ætate *propago*, qualis Isaac fuit, spem omnem excedat, et admiratio exoriatur ob rem, de qua spes nulla est, non autem ob rem, quam sperare iterum liceat. *Divinæ ordinationis propago* vocatur Isaac, qui, ut dicitur paulo ante, *divina præceptione meruit procreari.*

(10) Mss. Vat. et Bas. Vat., *exsultat sterilis*, *quæ non pariebat*. *Pariebat* item habet codices Tol. et Zen. Porro Tolentinas *deserunt te* pro *desertæ*.

(11) Ms. Rem., *pietate nutare*, Vat., Urb. et Basilicæ Vat. *pietatem nutare*.

(12) Mss. Rem. et Urb., *placiturus*.

(13) Mss Rem. *pervidet*. Edit. Veneta et ms. Pomp., *prævidet* : alii codices cum edit. Veronensi *provident*, ms. Basilicæ Vat. excepto, in quo legitur *provideret*. At cum indicentur illa Gen. XXII, 7, ubi Isaac securus, holocausti victimam non videns, illam a Patre requirebat ; scribendum credidimus *non videt*, seu potius *non videret*. Post pauca mss. Rem., Urb., Zenon., Basilicæ Vat. et edit. Ven. *electa* pro *electus*.

(14) Mss. Tol. Basilicæ Vat. et Pomp. *amatus libratur*, quod postremum etiam in mss. Urb., Zen. et edit. Ven.

(15) Mss. Rem. et Vat. *ad immolatum gladius rimatur*. Mss. autem Basilicæ Vat., Urb., Pomp. et Zenon, *ad immolandum gladius rimatur*. Ita in Tol. bis *libratur*, in Rem. et Vat. bis *rimatur*. Commode vulgatam lectionem retinuimus, ut primo loco scriberetur *rimatur*, ubi de animi investigatione sermo est ; secundo autem loco, ubi de gladio fit sermo, *libratur*, quod gladio magis convenit, legeretur. Solum in editis *in* pro *ad* scriptum erat.

(16) Edit. Veneta *immolatique*, uti *immolatum*, mss. Rem. et Vat. paulo ante scripsere.

(17) *Verecundam* accipi pro *veneranda* ex Valesii adnotationibus in lib. XIV Amiani Marcellini, c. 6, probat Sparaverius, ubi tria ejusdem Ammiani loca in eamdem sententiam proferuntur. *Verecundia* sane pro *reverentia et obsequio* legitur apud Liv. I, 1, 3, e apud Plin. VII, 30.

(18) *For matum* pro *formata* edidimus ex ms. Basilicæ Vaticanæ, ut ad Christi corpus referatur ; secus enim quid *vulva corporis in se tabescentis portaverit*, non occurrit.

(19) Recte Sparaverius antiquos libros desideravit, quibus luxatissima et contaminatissima hujus tractatus loca restitueret. Nos hic, ubi mendum insigne apparet, etsi pluribus, quam ille, codicibus usi sumus, iisdemque satis antiquis, nihil tamen profecimus : id enim solum ex mss. Rem. Tol. et Vat. haurire potuimus, ut *semina* pro *non semine*, et *conscientia* pro *consilia* (quod pariter est in mss. Basilicæ Vat. et Urb.) legeremus : utrumque autem perperam, ut ex contextu liquet. Cod. Basilicæ Vat. *femina* pro *non semine*, ibique cum mss. Vatic. et Tol. *cœlesti prole* sine præpositione *in*, sed modico vel nullo suffragio. Quid itaque ? Ulcus monstrasse satis sit : medicinam alii feliciores præbeant. Interim vero hic locus, ut sensus aliquem reddat, sic construendus videtur. *Sed impia consilia Judæorum exarsere in Dominum certissimum, progenitum cœlesti prole*, id est virtute cœlesti, *non semine ; proles* enim pro virtute ipsa generativa vulgo acceptum ex Arnobio colligi potest, lib. VII. Hic certe Auctoris sensus apparet ; et forte scribere præstaret : *Sed cœlesti prole, non semine progenitum, certissimum in Dominum impia*, etc., vel *in cœlestem prolem, non semine* (aut *e femina*) *progenitam, sed certissimum*, etc.

(20) Erat in editis, *aut Dominus post sepulcrum*. Item et in mss. excepto Basilicæ Vat. qui vocem *Dominus* prætermittit. Hic subaudit Sparaverius *nescit mori*, quibus indicetur, Christum neque ut Deum æternum, neque ut hominem Deo unitum, qui ut moreretur quidem natus est, potuisse ita opprimi a morte, ut diu post sepulcrum mortuus jaceret : unde mortis victor et immortalis tertia die in

remansit sola damnatæ voluntatis invidia, (21) quia Dominum nec agnoscere voluerunt, et sola credi-derunt cogitatione puniri. (22) quem nefarium fuerat etiam tardius adorari. Ad cujus immanis ausi sævitiam metuenda elementorum forma mutatur, et Dei injuriam prius prodit natura, quam intelligat populus Judæorum. Ab (23) auctore itaque cœpit furoris horror. Accingitur **183** turba feralis, et ad invisibilem suspensum gladiorum mucro (24) convertitur. Nec inde, ut dixi, sceleris sui (25) crudelitas fructum sortita est: quia sicut in Isaac aliud offertur, et aliud immolatur; ita et in passione Christi, quod per Adam deliquerat, per Christum liberatur.

TRACTATUS XII.

De Abraham. III.

I. Abraham, ut pater esset multarum gentium, hic (1) justitiam non didicit, sed (2) genuit. Non illum accessus infecerat urbium. (3) Non habuit legem, cujus conversatio lex fuit. Audit imperatum sibi a Deo exilium, ut cognationem suam simul dimisisset, **184** et terram. Et tunc Abraham respiciens oculis vidit tres, cucurrit, adorat prostratus in faciem, offert hostiam. *Refrigerate vos*, inquit, *sub ista arbore magna* (*Gen.* XVIII, 4). Similaginem conspergit, vitulum laniat. Post hæc promittitur ei de legitimo matrimonio filius de fide, non de ætate. (4) Concipit Sara: portat sine labore uteri sarcinam, quæ inambulare non poterat: tunc discit mater esse, cum desinit. Marcidæ mammæ lactis ubertatem ostendunt, et de jejuna ætate puer robustior saginatur. Nihil difficile et fidei, quæ tantum habet, quantum credit.

II. Igitur Isaac unicus filius, spes populorum et gentium, origo tot (5) regum, cari genitoris amplexibus inhærebat. Strinxerat in se patris pietatem, quod unicus, quod sero, quod promissus, quod sola unica spes totius præteritæ sterilitatis damna sarciret. Inventa est causa, ubi Abrahæ fides tentatione fortior militaret. Carissimi membra, quæ os-

vitam rediit. At suspensæ adhuc particulæ *sed quia*, quibus ut respondens verbum aliquod subjiceretur, pro *aut* scripsimus *revixit*, quod et res ipsa sensusque postulant, et Zenonis sententiam exprimit, ac probe perficit. Ad seu *apud Judæos* porro *remansisse* dicitur *sola damnatæ voluntatis invidia*, propterea quod rei sunt ejus perfidiæ voluntatis, qua illi, licet incassum, invidiæ causa æternam mortem inferre conati sunt, nec ex ejusdem resurrectione saltem quidpiam profecere.

(21) Ms. Vat., *qui Dominum*. Paulo post pro *cogitatione* scribendum videtur *crucifixione*, neque enim *sola cogitatione*, sed *crucifixione* Christum puniendum Judæi crediderunt: nisi *sola cogitatione* auctor dixit pro *sola opinione*, quod Christus non re, nec probationibus, quas nullas Judæi apud Pilatum convincentes attulere, sed ex sola ipsorum mente reus esset, ac per crucifixionem jure punitus crederetur juxta illud Isaiæ LIII, 4: *Putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum.*

(22) Ms. Rem., *quin nefarium fuerat*: cui similis est lectio cod. Basilicæ Vat. in quo pro *quin* littera *q* intersecta scripta fuit: *quin* item legitur in codice Urbinate. Pro *quin* unius litteræ mutatione scribendum *quem* sensus suasit. In mss. Tol. et Vat. *qui*, in aliis mss. et editis *cum nefarium fuerit*. Dein *adorare* pro *adorari* emendavimus, nisi suspicio esset, Zenonem *adorari* passive voluisse scribere, ut τὸ *puniri* contraponeret.

(23) Judam intelligit Sparaverius, quem quidem *ducem eorum qui comprehenderunt Jesum* Acta Apostolorum appellant c. I, v. 16. Mss. Tolent. et Basilicæ Vat. habent: *Ad auctorem*, quæ lectio forte est melior, si quidem referatur ad Christum, et aliqua in sequentibus mutentur, quibus contra Christum Judæos furorem exercuisse explicetur. Huc quidem pertinent quæ subjiciuntur: *Accingitur turba feralis*, etc., quæ alias extra locum essent posita. De Juda autem nulla hic mentio esse potest, cum ea describantur, quæ crucifixionem Christi mox consecuta sunt; Judas vero jam diu laqueo suspensus obiisset. Forte cum naturæ signa Domini crucifixionem comitantia antecedenti periodo Zeno immerit: *Ab auctore lucis cœpit*, etc., scribendum est, ut primum præcipuumque signum solis, qui *auctor* est *lucis*; obscurati significetur. At codicibus nihil suffragantibus, corruptum, informem, mutilumve locum indicasse satis sit.

(24) Legebatur *connectitur*. Emendationem probabit sententia. *Invisibilis* autem *suspensus*, scilicet a cruce, dicitur Christus, quod Judæis divinitas ejusdem esset invisibilis, quippe quam in eo haud esse credebant. Pro *gladiorum* legendum videtur *labiorum*, quippe non gladiis, sed lingua usi sunt Judæi, ut Christum cruci jam affixum lerirent.

(25) Ms. Rem. *credulitas*.

TRACT. XII.—(1) *Justitiam* hic Auctor appellat fidem, *quæ*, ut similiter ait tract. 1, lib. I, n. 3, *credere non didicit, sed præsumpsit*; quæque ab Apostolo ad Rom. IV, *justitia fidei* vocatur, propterea quod, ut idem ait, *reputata est Abrahæ fides ad justitiam*: ubi notat Ambrosius lib. I de Abraham cap. 3, num. 21: *Ideo reputatum est illi ad justitiam, quia rationem non quæsivit, sed promptissima fide credidit*: et S. Zeno tract. 2 lib. I, num, 2: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam: qui ideo justus, quia fidelis; justus enim ex fide vivit: ideo fidelis, quia credidit Deo.*

(2) Justitiam, seu fidem *genuisse* Abraham dicitur, sive quod ipse ob fidem ejusmodi exstitit (ut loco laudato ait Paulus) *pater omnium credentium*; quippe qui fidem primus concepit, quæ ex ipso in omnes credentes derivata quodam modo est; unde sub finem hujus tractatus: *Per fidem filii Abrahæ facti sumus* (qua super re videre potes adnot. 34 in tract. 1 lib. I), sive potius in eam sententiam, qua Auctor fidem *non commodari ab alio*, qui doceat, sed *ex voluntate nasci* prodidit eodem tract. 1 lib. I, num. 1, et significaretur Abraham *non didicisse* ab hominibus per rationes fidem, sed *genuisse* illam ex sua voluntate, qua divinæ auctoritati sine argumentis cessit. Huc sane spectat ea quam in eodem Patriarcha *credulitatem* S. Episcopus sæpe commendat. Vide adnot. 6 in laudatum tractatum.

(3) *Non habuit legem* supplevimus e mss. Porro *conversatio ejus*, qui *non habuit legem*, lex fuisse dicitur, id circo quod sine scripta lege, quam nullam habuit, ipse sibi (ut ex *conversatione*, seu vitæ consuetudine et moribus ejus liquet) lex fuit, ut de Gentibus Paulus loquitur.

(4) Mss. Pomp., Tol., Zen., *concepit*: et postea pro *inambulare*, quod mss. Pomp., Tol. et Zen. habent, editi *jam ambulare*. Dein *uteri sarcinam* Arnobius lib. III, pag. 106, *intestinum pondus* similiter vocat.

(5) Scripsimus *regum* pro *rerum*, quod ex Isaac plures reges originem duxerint: id enim sententiæ magis congruit.

Digitized by Google

culis premere consueverat, armatus gladio jubetur occidere. Quid faceret pietas? Præceptum differri non potest. (6) Præstiteras, mater, cum sterilis esses; ad gladium nascitur puer. Talem casum nemo doluit, nisi, quæ genuerat, mater. Nemo (7) plangit vivas exsequias, et innocentis hominis obsequium nemo ante fletibus rigat; ne pater dubitasse videretur, si flesset. Devotus sic (8) stricto vultu puerum ducit ad aram : exprimit gladium **185** (9) medium, pectus fidei militabat : non pallescit vultus, non contremuit manus. Quærit puer, ubi sit victima : (10) quæ mox, ita ne percuteretur tenera ætas, offendit; quo nec pater ferire posset, quia nec Dominus humanum sanguinem postularet. Religiosus carnifex stringit gladium. Patris erat, quod levavit : Dei fuit, quod pepercit. Nec qui feriebatur, timuit : nec qui feriebat, expavit. Sacrificium Domini non dimittitur, sed mutatur. Melius servavit filium, dum non pepercit : sola enim fides (11) deambulat inter gladios tuta, inter esurientes feras amica, in ignibus frigida, (12) sola fides præferenda. Hac (13) nos, qui per fidem filii Abrahæ facti sumus, in ipsius gremium pervenire credamus.

(6) *Præstiteras*, id est meliori conditione utebaris, et præstantiori in statu eras; quibus simile est illud Ciceronis ad Attic. XIV, 9 : *Mori millies præstat quam hæc pati.*

(7) Hæc spectant planctus, qui exsequiarum pompam de more comitantes, tamquam pium vivorum erga defunctos *obsequium* habebantur; cujus moris imaginem, ne longius abeas, descriptam invenies lib. I, tract. 5, num. 4, et tract. 16, num. 6. Exsequias autem *vivas* Zeno appellat, quæ Isaac vivum tamquam hominem morti addictum comitari debebant ad supplicium. Paulo post præpositio *ante* in ms. Tol. desideratur.

(8) *Sicco*, vel *soluto vultu* Sparaverio magis placeret, et recte quidem. Melius forte *siccato*. At *sic stricto*, seu potius *districto vultu* pro *severo*, *non soluto*, vel *intrepido* scriptum videtur, ut exprimatur quod additur paulo post : *Non pallescit vultus.* Mox legebatur, *reprimit gladium.* At *reprimit* cum renitentis sit, in Abraham non cadit; ac idcirco exigua mutatione correximus *exprimit;* nam *exprimo* pro *attollo* et *elevo* usurpatum invenies apud Cæsarem lib. VII de Bello Gallico c. 22 : *Nostrarum turrium altitudinem, quantum has quotidianus agger expresserat*, etc. Vide etiam Vitruvium lib. VIII, c. 7.

(9) Superiori in libro tract. 6, num. 5, de eodem hoc sacrificio Abrahæ cum esset sermo, *medius*, ait Zeno, *stupet gladius nullo impedimento suspensus :* ubi *medius* dicitur, inter patrem et filium medius.

(10) Edit. Ver. in margine notat *quem*, quæ lectio, nullo licet codice suffulta, idcirco posita fuit, quod incerta haberetur hujus loci sententia secundum vulgatam scripturam, quæ item in mss. effertur sic : *quæ mox ita ne percuteret, tenera ætas ostendit.* Sed placeret quidem emendatio *quem*, si hoc uno sanaretur locus, et *tenera ætas*, id est Isaac, is vere fuisset, qui victimam ostendit. Sed et filius, ut ipse auctor innuit tractatu superiori, hanc victimam non vidit, et eam nemine monstrante, Deoque solo ita disponente Abrahæ offendit in oculos, uti testatur liber Geneseos cap. XXII, vers. 13. Itaque cum ad sanandum locum alia correctio necessaria sit, placuit retento *quæ* alias duas voces Sparaverio duce levissima mutatione corrigere, easque nullo licet codice probatas textui inseruimus, quod secus historiæ veritas non constet. Itaque sensus est : *quæ* victima *mox offendit*, seu occurrit Abrahæ, *ne ætas tenera*, id est Isaac, *ita percuteretur.* Difficultatem facessunt Sparaverio etiam quæ sequuntur : *quod nec pater ferire posset, quia nec Dominus*, etc. in quibus *quo* pro *quod* scribendum pariter duxit, ut sententia sit, *offendisse* sponte victimam, *quo*, seu, *ut* Abraham *nec pater*, id est sine parricidio, *ferire posset.* Sed nimis dura interpretatio. Retinuimus *quo;* et *posset* pro *liceret* significat, idco patri non licuisse ferire, *quia nec Dominus*, etc.

(11) Mss. Pomp. et Zen., *deambulabat.*

(12) Post voces *sola fides præferenda* editores Veronenses inseruerunt *operibus ornata qualis fuit Abrahæ :* de qua additione satis diximus dissert. 2, cap. 6.

(13) Mss. Rem., Vat., Urb., *nobis*, male. Edit., Ven. *nos* hoc loco scribit, ut in aliis codicibus legitur, et *nos* iterum ponit ante vocem *credamus*, ut in mss. Tol., Vat. et Urb.

186 TRACTATUS XIII.

De Somnio Jacob.

1. Vere, fratres carissimi, cor ejus non dormit, qui (1) hujus somnium secretaque cognoscit (*Gen.* XXVIII) : prophetia etenim semper figuris variantibus loquitur; sed res una in omnibus invenitur. Igitur Jacob habet imaginem Christi; sed et lapis ipse, quem ad caput suum posuisse cognoscitur (*Act.* IV, 11) : quoniam caput viri Christus (*Ephes.* II, 20), (2) qui aliquotiens lapis est nuncupatus. Scala autem duo testamenta significat, quæ et evangelicis intexta præceptis, credentes homines voluntatemque Dei facientes quasi per quosdam observantiæ gradus in cœlum levare (3) consueverunt. Hanc in Apocalypsi Joannes bis acutum gladium cum uno (4) capulo nuncupavit, quem ex ore Domini prodire (5) descripsit (*Apoc.* I, 16). Gladius enim Spiritus sanctus est, unum capulum habens, id est unam substantiam, virtutem, deitatem, majestatem voluntatemque Patris et Filii; (6) contestans duas acies, id est duo testamenta gerens; quorum regalibus monitis et creduli devotique servantur, et increpercuteretur. Difficultatem facessunt Sparaverio etiam quæ sequuntur : *quod nec pater ferire posset, quia nec Dominus*, etc. in quibus *quo* pro *quod* scribendum pariter duxit, ut sententia sit, *offendisse* sponte victimam, *quo*, seu, *ut* Abraham *nec pater*, id est sine parricidio, *ferire posset.* Sed nimis dura interpretatio. Retinuimus *quo;* et *posset* pro *liceret* significat, idco patri non licuisse ferire, *quia nec Dominus*, etc.

(11) Mss. Pomp. et Zen., *deambulabat.*

(12) Post voces *sola fides præferenda* editores Veronenses inseruerunt *operibus ornata qualis fuit Abrahæ :* de qua additione satis diximus dissert. 2, cap. 6.

(13) Mss. Rem., Vat., Urb., *nobis*, male. Edit., Ven. *nos* hoc loco scribit, ut in aliis codicibus legitur, et *nos* iterum ponit ante vocem *credamus*, ut in mss. Tol., Vat. et Urb.

TRACT. XIII. — (1) *Hujus* id est Jacob : unde palam est, vel præcessisse lectionem ejus capitis Geneseos, ubi Jacob somnium describitur, vel sermonem esse acephalum, ita ut aliqua Jacob mentio præcesserit. Primum tamen magis placet, cum satis æquum exordium huic tractatui præfixum appareat.

(2) Sic ex ms. Pomp. quod magis arridet, quam *quia*, quod alibi legitur.

(3) Mss. Rem. et Pomp. *consuerunt.* Similiter Propertius lib. I eleg. 7, *consuemus* pro *consuevimus* scripsit. Pronomen vero *hanc*, quod sequitur, *scalam* ante aliquanto memoratam innuit.

(4) Edit. Ven. *captulo;* cæteræ *capulo;* Mss. autem *capitulo*, quod retinuissemus, si quo exemplo probari potuisset in eamdem, qua *capulum*, significationem usurpatum fuisse. Heic autem *capulum*, id est manubrium gladii significari, apertissimum est. *Capitulum* vero idem significare nullibi alias invenimus. Itaque *capulo* reliquimus, uti inferius quoque *capulum* retinuimus cum editis, ubi mss. habent *capitulum* : et amanuensi antiquo, ex quo alii profecerint, tribuendum credimus, quod cum vocem *capulo* et *capulum* per abbreviationem scriptam putaret, *capitulo* et *capitulum* expresserit.

(5) Ex plerisque mss., *descripsit :* editi *describit.*

(6) Ms. Rem., *contestantes* : placet autem contestans, cum referatur ad gladium, qui medio capulo duas acies *contestatur*, seu ad testimonium de Christo dicendum una adducit.

Digitized by Google

duli desertoresque puniuntur. Hanc Isaias in modum forcipis vidit (*Is.* VI, 6) : (7) quibus ad conflanda labia inquinata ab uno de Seraphim ex ara Dei sublatum carbonem vaticinando perhibuit. **187** Etenim labia inquinata duos populos Judæorum Gentiumque debemus accipere : qui cum essent anterioris vitæ facinoribus inquinati ; unus Christum blasphemando atque persequendo, alios deos asserendo, atque abominanda figmenta colendo, tactu carbonis in unum populum per confessionem nominis Christi noscuntur esse conflati. Etenim conflatio et puritatem (8) designat, et unitatem : carbo enim verbum Dei est, ara lex, forceps duo Testamenta, quæ credentes tenent, non credentes incidunt.

II. Sed et David hunc calamum nuncupavit dicens : *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis* (*Ps.* XLIV, 2). Calamus fissus est, fratres, duosque vertices gerit in unius acuminis tenuitate digestos, unam litteram utroque conficiens : cui si unum adimas, ulterius inanis est usus. Unde recte Testamenta sunt duo, quæ similiter duobus capitibus unam litteram fingunt, id est sacræ legis duobus edictis unum Christum Dei Filium spiritali temperamento conscribunt. (9) Quæ sine se utilia esse non possunt : quia veteri sicut novum præstat fidem, ita novo vetus perhibet testimonium : sicut scriptum est : *Semel locutus est Dominus : et hæc duo audivimus* (*Ps.* LXI, 12). Sed et Dominus ipse in Evangelio hanc exprimit rationem, dicens ad Petrum : *Mitte hamum in mare : et piscem, qui primus adscenderit, tolle, et aperto ore ejus* (10) *invenies duos denarios, da pro me et te* (*Matth.* XVII, 23). Piscem primum a mortuis adscendentem Christum **188** debemus accipere : cujus ex ore duo denarii, id est duo Testamenta prolata sunt, quæ saluti cum Domini gloria, et Petri felicitate, utpote super quem ædificavit Ecclesiam, duobus populis profecerunt. Mare autem mundum significasse, non dubium est. Hamum vero prædicationem, quia sicut hamus missus in mare mortem piscis ostendit ; ita evangelica prædicatio missa per mundum, mortem Domini adventumque testatur : sicut ad Corinthios scriptum est : (11) *Annuntiabitis mortem Domini, donec veniat* (I *Cor.* II). Aperies os piscis, hoc est (12) sacramentum : vel, quæ in proverbiis locutus sum, non intelligentibus explanabis. Denique hoc alibi manifestius ad omnes discipulos ait : *Ite ergo*,

(7) *Quibus* ad quid refertur ? Forte subauditur, vel plane supplendum, *vidit cum duobus cultris, quibus*, etc., unde sub tractatus finem *forfex*, ait, *in duos producitur cultros*.

(8) Mss. Rem., Tol., et edit. Ven., *designabat*.

(9) *Quæ sine se*, id est quorum testamentorum unum sine altero utile esse non potest.

(10) In Vulgata ex Græco habetur, *invenies staterem* : stater autem dicitur, *qui duo didrachmata habet*, ut explicat Hieronymus in hunc locum pag. 776 tom. VII edit. Veron. Et sane *didrachma* a singulis solvendum erat, ut liquet ex eodem Matthæi cap. XVII, v. 23, unde recte stater duo didrachmata continens inveniendus erat, ut tum pro Christo, tum pro Petro solutio fieret. Verum didrachma quodlibet duobus denariis æstimabatur, stater autem quatuor, ut colligitur ex Commentario Hilarii in hunc Matthæi locum num. 12 et 13, et hac ratione stater, qui duobus didrachmatis, seu quatuor drachmatis pendebatur, quatuor denariis computari debuit. Quid itaque S. Zeno staterem in Græca Scriptura hoc Matthæi loco expressum *duos denarios*, et non potius *quatuor*, vel (si allegoriæ duplicis numeri insistere placuit) *duo didrachmata* reddidit ? Si hoc Evangelistæ testimonium de tributo Cæsari solvendo accipiendum esset, ut plures quidem interpretes censuerunt ; cum singuli tantum denarii solverentur a singulis, ut notavit Grotius in cap. XXII Matth. vers. 19 (unde cum de Cæsariano tributo sermo est, semper in Evangelio unius *denarii* fit mentio), jam probe S. Zeno *duos denarios* potuisset scribere, ut tributum pro Christo et Petro solvendum significaret. At hoc Matthæi testimonium loqui, non de censu Romanis dando, sed de tributo in sanctuarium conferendo, quod præceptum fuerat Exod. XXX, vers. 12, et II Paral. XXIV, vers. 5, plures jam eruditorum demonstrarunt. Porro illud tributum templo pendendum in Hebræo *dimidium sicli* vocatur : sicus autem idem ac *stater* habetur ; unde vulgatus interpres pro eo, quod Hebraice sicus dicitur, modo siclum, modo staterem promiscue reddidit : et similiter Symmachus Jos. 7, 21, *stater* στατὴρ Græce scripsit pro Hebræo שֶׁקֶל *sicul*, et Aquila item plerumque, ut ex Exaplis videre licet, quemadmodum et versiones Syriaca atque Arabica : unde S. Hieronymus lib. I, in cap. IV Ezech. siclum non tam staterem esse affirmat, sed perinde ac staterem drachmas, seu denarios quatuor continere pronuntiat. *Siclus autem, id est stater, habet drachmas quatuor*. Inter hæc unus Sedulii locus ad præsentem Zenonis interpretationem videtur accedere : ille enim lib. III, vers. 316, idem Matthæi testimonium expositurus, pro statere *didrachma* unicum posuit, hoc est *denarios duos* :

Hamum ferre jubet, gerulum didrachmatis aurei ;

ac proinde interpretationem Zenonianæ prorsus similem secutus videtur. Observamus autem LXX Interpretes pluribus in locis veteris Testamenti *didrachmum* pro *siclo* reddidisse, *et dimidium didrachmi*, vel *drachmam* pro *sicli dimidio*. Vide Gen. cap. XXIV, vers. 22, cap. XXIII, vers. 15 ; Exod. cap. XXX, v. 13 ; Jos. cap. VII, v. 21, etc. Hanc igitur LXX Interpretum auctoritatem Sedulius ac Zeno secuti videri possunt, cum pro *statere*, qui siclo æstimatur, *didrachma* vel *duos denarios* posuerunt. Hujus interpretationis defendendæ rationem inquirere videreque num LXX interpretes, et cum his Sedulius staterem *aureum* spectarint, qui *duabus drachmis* Atticis æstimabatur, Polluce teste lib. IV, cap. 31, num. 173, cum præsertim tributum templi a Judæis auro pendi solitum tradat Cicero pro Flacco ; hæc inquam quærere, nostrum non est. Si vero illos ab errore defendere non liceat ; quippe quod nulla ratione neque siclum, neque staterem ad *didrachma* revocari queat : Zenonem tamen non *duas drachmas*, sed *duos denarios* reddentem, vindicare adhuc satis possumus, cum *duo denarii* accipi ab eodem potuerint, non stricte pro duobus drachmis, sed late pro duobus didrachmis : *denarius* enim prò quovis nummorum genere apud alios Scriptores non raro sumitur. Porro in Matthæi textu ex Auctoris interpretetione pro *et te* mss. Pompeianus et Vaticanus habent *et pro te*. Paulo ante, illa verba *tolle* et in mss Pomp., Tol. et Zen. desiderantur.

(11) Mss. Pomp., Vat. et edit. Ven., *annuntiatis*.

(12) Heic quoque, ut alibi monuimus, *sacramentum* pro *mysterium* sumitur, nimirum pro re, quæ mysticam interpretationem habet ; unde Christi præceptum de aperiendo piscis ore tamquam *sacramentum*, seu figura mystica prædicationis apostolicæ accipitur, *qua non intelligentibus explananda erant, quæ* Christus *in proverbiis locutus fuerat*.

Digitized by Google

et docete omnes gentes, (13) *intingentes eos in* **189** *nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcumque præcepi vobis* (*Matth.* xxviii, 19, 20). Dabis autem pro me et pro te, hoc est meam prædicabis crucem, sed et tu crucis tuæ similiter dignitate gaudebis.

III. Igitur hæc scala cujus esset materiæ, in qua Dominus incumbebat, ex David dicto cognoscimus, qui ait : *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt* (*Ps.* xxii, 4). Virga et baculus duo sunt utique Testamenta, quæ ideo materiæ ligni sunt comparata, sive quod in (14) ejus usu, et perpetuo, et totius maneat testatoris voluntas inscripta, seu quod quasi ex transverso in unam fidem concurrentia crucifigi (15) habuisse Dei filium nuntiabant : quem confirmant in scala rectissime positum, quia historia totius Scripturæ et propter ipsum et auctorem per ipsum impleta est. Denique sic ad discipulos ait : *Omnis scriba doctus de regno cœlorum similis est* (16) *patrifamilias proferenti de thesauris suis nova et vetera* (*Matth.*, xiii, 52). Scriba, fratres, est prædicator : paterfamilias Christus : thesauri ejus (17) indeminutæ deitatis paterna substantia paternaque voluntas : nova et vetera duo Testamenta, quæ videtis recte eadem sine ambiguitate a Domino heic quoque duorum denariorum esse figura vestita, hac videlicet ratione, quia in thesauris suis duos denarios intelligi voluit novitate et vetustate, duo Testamenta. Hos duos denarios a Samaritano stabulario pro eo, qui a latronibus (18) aggressuram passus fuerat, Dominus datos esse commemorat (*Luc.* x, 35), quæ parabola sublata dubitatione scalæ sacramentum spiritaliter intuentibus patefecit : homo enim aggressuram passus, Adam esse cognoscitur, latrones diabolus, Eva concupiscentia, Samaritanus Dominus, cui Judæi dicebant : *Hic Samaritanus est, et dæmonium habet* (*Joan.*, viii, 48). Stabularius doctor est legis, qui acceptis duobus denariis, id est duorum (19) Testamentorum **190** salutaribus monitis, aggressuram hominem passum latrocinio diaboli angelorumque ejus et hujus mundi, in stabulo, id est in Ecclesia, quo pecora divina succedunt, venerabili sacramento susceptum, quotidianis prædicationum medicaminibus curat.

IV. Quod autem ait Angelos adscendentes et descendentes, (20) aliqui putant adscendentes esse angelos lucis, descendentes vero angelos tenebrarum. Sed hoc satis absurdum esse et inconveniens, fratres carissimi, adverto ; quia neque refugæ (21) descendunt, qui post peccatum in cœlum numquam recepti noscuntur, neque lucis adscendunt, quia numquam in terris, sed semper in cœlo manserunt. Unde angelos puto recte homines appellatos, quibus Dominus sanctum per Spiritum dicit : *Ego dixi, Dii estis, et filii excelsi omnes ; vos autem sicut homines moriemini* (*Ps.* lxxxi, 6, 7). Sed et de Joanne Baptista sic dictum esse meminimus : *Ecce mittò Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam* (*Malach.* iii ; *Luc.* vii, 27 ; *Marc.* i, 2 ; *Matth.* xi, 10). Ergo manifestum est, prophetiæ more angelos homines justos et injustos generaliter dictos. Sed adscendentes et descendentes qui sint, in exemplis agnoscimus. Descendentes sunt qui sæculo renuntiantes, rursus revertuntur ad sæculum, de quibus Dominus ait : *Nemo retro attendens, et* (22) *superponens manum suam super aratrum, aptus est regno Dei* (*Luc.* ix, 62). Et iterum : *Mementote uxoris Lot* (*Luc.* xvii, 32). Sed et Apostolus sic : *Quemadmodum revertimini rursus ad ea, quæ infirma et egena sunt elementa* (*Gal.* iv, 9). Adscendentes vero sunt justi, qui probis moribus per gradus divinorum observantiæ præceptorum quotidie spiritalis itineris gloria feruntur in cœlum, quos Apostolus Paulus exhortatur et monstrat dicens : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens* (*Coloss.* iii, 1). Possumus et sic, fratres, intelligere hoc de ministris et de angelis dictum, quos Domino, cum esset in terris, fecisse invenimus officium, ipso dicente : (23) *Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum,* **191** *et angelos Dei adscendentes et descendentes super filium hominis* (*Joan.* i, 52) : sicut et factum est, Evangelista dicente : *Tunc reliquit eum diabolus, et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei* (*Matth.* iv, 11). Unde dubium non est unum esse iter aerei culminis angelis lucis et hominibus justis.

V. Hæc igitur omnia (24) combinata unius fructus gravit sic : *indeminutæ deitatis, indeptus, adeptus, consecutus paterna substantia*, etc.

(13) *Tingere* pro *baptizare* veteres Patres præsertim Africani sæpius dixerunt.

(14) *Ligneæ testamentorum tabulæ* memorantur item ab Ulpiano, lib. xxxvii D., tit. 11, *de honor. possess. secundum tabulas* Leg. 1, et idem esse videntur ac *ceratæ tabulæ* alibi celebres : inscribebantur enim fere testamenta cera, qua tabulæ ligneæ circumvestiebantur, ut per illam stylus in scribendo faciles sulcos duceret.

(15) Legeremus *debuisse*. Num *habuisse* pro *debuisse* aliquando dictum fuit? Similiter quidem tract. seq., n. 13, ms. Rem. *habere* pro *debere*, at nullum præterea apud veteres ejusmodi exemplum reperire hactenus licuit. *Nuntiabant* pro *nuntiabat* correximus ex mss., Pomp., Vat., Sp., *Confirmant* pro *confirmat* emendare sententia jussit.

(16) Ms. Pomp., *patrisfamilias*.

(17) Ms. Rem., *indeptæ* scribit in textu ; in margine autem antiqua manu, *indept.*, *adept.*, *consecut.*, quæ marginalis notatio in editionis Venetæ textum mi-

(18) *Aggressuram* iterum, tr. 16 l. 1. Vide adnot. 19.

(19) Mss. Rem., Tol., Zen. et Pomp. cum edit. Ven., *sacramentorum ;* sed male : nam semper in superioribus symbolis binarius numerus *duo Testamenta* significasse traditur, et præterea *salutaria monita* in duobus Testamentis veteri ac novo apertissime continentur.

(20) Singulare hocce testimonium est, quod interpretationem antiqui ignoti auctoris, cujus, quod sciamus, aliunde non liquet, ad nos transmisit, ad idcirco præcipue notandum visum fuit.

(21) Mss. Pomp., Zen. et Sp., *adscendunt* : et inferius pro *adscendunt* iidem codices scribunt *descendunt* contrario plane sensu.

(22) Editi *supponens* : emendationem mss. suggesserunt.

(23) Mss. Pomp., Zen., Sp., unicum *amen* præferunt.

(24) *Combinata*, id est simul juncta, ut Glossæ

Digitized by Google

rediguntur in summam, quoniam universa quamvis gemina esse noscantur, tamen una de radice funduntur. Testamenta sunt duo, sed testator est unus. Et scribens (25) canna divisa est, sed unus calamus. Et forfex in duos producitur cultros, sed eorum unus est morsus. Et gladius duas acies gerit, sed sunt unius corporis latera. Et denarii sunt duo, sed (26) una moneta signati. Et scala duos (27) scapos habet, et gradus plurimos; sed ejus ascensus est unus. Gradus autem ejus, fratres dilectissimi, si vultis scire, quid vocentur, audite. Conversio, audientia, intellectus, credulitas, timor, sapientia, sobrietas, mansuetudo, temperantia, castitas, pietas, charitas, fides, veritas, humilitas, gratia, honestas, verecundia, patientia, perseverantia, consummatio. Scaporum nomina duo Testamenta. Scala autem proprio nomine crux vocatur, quia per ipsam Dominus Jesus Christus **192** (28) mysteria universa conficiens et concludens, Patri et Adam reportavit, et iter ad cœlum omnibus se sequentibus patefecit.

græco-latinæ explicant. Hæc vox apud Diomedem, et *combinans* apud Sidonium Apollinarem, lib. IX, ep. VII, invenire licet.

(25) Calami ad scribendum ex arundinibus seu cannis maxime Ægyptiis fiebant, ut ex Plinio discimus, lib. XVI, c. 37 : *Chartis serviunt calami, Ægyptii maxime cognatione quadam papyri.* Et Persius de cannis apertius, Sat. III, vers. 11 :

Inque manus chartæ, nodosaque venit arundo,
Tum quæritur crassus calamo quod pendeat humor.

(26) *Moneta* proprie apud Romanos Junonis cognomen erat a monendo inditum, ut mythologi probant. Inde translatum ad numismata, sive quod in Junonis æde Capitolina cuderentur, ut aliqui existimant, sive potius quod numismata nos et auctoris et pretii moneant : notas enim nummis impressas monetam esse ex hoc Zenonis loco Basilius Faber collegit, ita ut *duo denarii una moneta signati* nihil sint aliud quam duo denarii eisdem et signis et notis cusi; quod confirmari potest ex Prudentio, qui similiter *numisma* pro figura nummis impressa posuit.

En Cæsar agnoscit suum
Numisma nummis inditum.

Verum enimvero cum unum *staterem*, cujus apud Matthæum est mentio, heic S. Zeno respiciat, ut patet ex adnot. 10, profecto unum nummum, qui duobus denariis penderetur, significare probabilius voluit, id est duo didrachmata, quanti quidem unicus *stater* æstimabatur, quod ex eadem adnotatione manifestum fiet. Lampridius in Alexandro Sev. p. 127, *formas binarias, ternarias, quaternarias*, etc. commemorat, ut indicaret nummos, qui Salmasio interprete, pag. 218, binis, tribus, vel quatuor aureis valerent. Hæc igitur, de qua Zeno loquitur, moneta quodam modo *binariæ formæ* fuit, quæ scilicet duobus denariis seu didrachmatis æstimabatur, ut ex adnot. allegata cognosces.

(27) *Scapos scalarum* dixit etiam Vitruvius lib. IX, cap. 2, et sunt duo illi asseres, qui scalarum gradus sustinent, ut ex hoc Zenoniano testimonio collegit Casaubonus in Trebellium Pollionem pag. 210, ubi solum in eo errat, quod pro sermone de Somnio Jacob sermonem 3 de Abraham memoriæ lapsu allegat. *Scaphos* scribitur in mss. Pomp. et Zen. et inferius *scaphorum* legitur cum iisdem in codicibus, tum vero etiam in Rem. et edit. Ven., sed perperam; nam *scaphus* vasis, aut alterius rei cavitas est Vitruvio teste, quæ in sententiam præsentem non cadit.

TRACTATUS XIV.

(1) *De Juda.*

I. Judas tres liberos habuit, Her, (2) Aunan, Selon (*Gen.* XXXVIII). Hic mulierem, cujus nomen est Thamar, accepit uxorem majori filio suo. Qui filius cum maligne Domini ante faciem versaretur, Scriptura teste, a Deo perhibetur occisus. Secundo imperat, ut intret ad (3) fratris uxorem, ac semen excitet fratris, qui ingressus semen suum fudit in terram. Quod cum Deo malignum quoque videretur, pari cum morte damnavit. Conjunctionem autem tertii filii apud nurum per ætatem excusat, (4) deterritus, ne etiam ipse similiter moreretur, præcepitque mulieri, ut in domo patris suis vidua permanens, nuptias maturas **193** exspectet. Cum res sic se haberet, ejus uxor moritur. Qui consolatus cum ad oves tondendas pergeret suas, atque (5) hoc Thamari nuntiaretur, quæ (6) Selon viderat maturum, ei nec tamen nupserat, vestem viduitatis (7) exponit, (8) æstivalia induit, semet decore componit, loco-

(28) Edit. Ven., *ministeria;* et infra pro *concludens* scribit *conducens*, male. Mysteria autem omnia in cruce perfecta atque conclusa eatenus intelliguntur, quatenus ibidem omnia, quæ de Christo præsignificata et prænuntiata fuerant, consummata sunt.

TRACT. XIV.—(1) Hic tractatus quater citatur Ratherio, episcopo Veronensi, et S. Zenoni quidem antecessori suo explorare tribuitur, ut ex adnot. 32 constabit. In edit. Ven. hæc titulus præfigitur : *De Juda Patriarcha filio Jacob et Thamar.* In inscriptione autem ms. Urbinatis hæc leguntur : *Dominica III in Quadragesima lectio* 1, 2 et 3, *Tract. de Juda C.* XIII, est nimirum in ordine tractatuum ejus codicis tract. 13 libri I. *C.* porro littera *capitulum* significat; ita enim libri tractatuum duo pro numero tractatuum ibidem in capitula totidem dividuntur. Ex hoc autem tractatu de Juda tres sumebantur lectiones, quæ Dominica tertia Quadragesimæ inter Ecclesiastica officia in Veronensi utique Ecclesia recitabantur.

(2) Lectionum codicum et edit. Ven. restituimus, pro qua scriptum erat *Onan*, *Sela*. Zenoniana scriptio ex LXX Interpretibus fluit, qui secundum Judæ filium Hebraice dictum Onam, Græce scripserunt Ἀυνάν, *Aunan;* quam vocem Philoni item restituendam in libro, *quod Deus sit immutabilis* paulo post initium, ubi Ἄννεω corrupte impressum est, recte monuit Cotellerius num. 17 in epistolam Barnabæ Apostoli.

(3) Ms. Rem., *patris*, male.

(4) Sic ex mss. Vat. et Urb. quibus favet Tol. codicis lectio *deterritur*, *s* mutato in *r*. Editi cum aliquot mss. *deterretur.*

(5) *Hoc* abest a ms. Rem.

(6) Sic mss. cum edit. Ven. pro *Sela.*

(7) *Expono* pro *depono* et *abjicio* heic sumitur, cum Gen. cap. XXXVIII, vers. 14, *depositæ viduitatis vestes* tradantur. Plautus et Terentius *apponere* eodem sensu usurpant, quorum ille Pœn. 4, 2, 35, *onus appone*, hic autem Heaut. 1, 1, 36, *rastros appone*, idest *depone* scripserunt : pro quo recentiores scriptores dixerunt frequentius *exponere*, ut *exponere pondus* Cyprianus de Lapsis, num. 28, pag. 38 (col. 488 *nostræ editionis*), *exponere episcopos* in interpretatione pseudosynodi Sardicensis, apud Hilarium tom. II, *exponere vigorem* Arnobius, et alii de aliis similiter.

(8) *Theristrum* vulgatus Interpres posuit, quod a voce Græca σθέρος æstivam mulierum vestem significat, ut docet Hieronymus in cap. III Isaiæ, ac ex

Digitized by Google

que constituit, Judas qua fuerat transiturus. At ille visam mulierem (9) fornicariam putat, quæ pudoris integritatem, faciem velando, monstrabat. Interpellat eam : poscit ingressum, missurum se promittit hædum. At illa (10) promissi expetit pignus, magis illo contenta, quam præmio. Accepitque ab eo ejus monile, annulum, virgam. (11) Tumque negotio confecto, conceptu signata, quem veræ fornicariæ habent perosum ac semper vitant, viduitatis vestem rursus accepit. Interea secundum condictum hædus mittitur, fornicaria quæritur, nullaque ibidem umquam fuisse ab incolis renuntiatur. At Thamaris (12) nostræ cum processu temporis procedit et uterus. Mirum profecto (13) videte mysterium. Quæ celaverat faciem, non celat ventrem. Defertur fornicationis rea sine labore accusatoris vidua prægnans. Irascitur socer, eam produci jubet atque incendio concremari. At (14) illa constanter adest, sibi quæ non impudicitiæ, sed (15) futuris in se jam negotium procuraverat, **194** dicitque ei se (16) debere conceptum, cujus monile, anulum teneret, et virgam. Qua re cognita Judas non tantum ab ea se refrenavit; sed insuper eam et justificavit.

A

II. Judas quantum intelligi datur, ex parte prophetarum, ex parte patriarcharum patrumque typus erat, qui ob justitiam Dei omnes homines filios (17) computabant. Igitur Her primitivus filius, (18) primitivus est populus, id est (19) hemithei, omnes potentissimi, et reges, qui ferocitate virtutis ac libidinis rabie digladiantes, omnem orbem corruperant terrarum, insuper decennentes sibimet ipsis pro domibus templa, erigentes aras nomini suo; qui, quæ

B

C

essent habituri sepulchra, nescirent, cœlum promittentes sibi, pro quorum actibus, si posset ipsa quoque erubesceret terra; postremo deos esse adversus Deum adserentes : (20) qui sanæ mentis hominibus ne hominum quidem vocabulo digni judicarentur. Pro quibus caussis a Deo non tantum sunt disperditi, sed etiam perpetuo pœnali supplicio destinati.

III. (21) Aunan autem secundus frater, Judaicus est populus, cui præcipitur, ut semen excitet fratris, non utique illud, quod a Deo damnatum jure videbatur, sed ut reliquas nationes, quas idololatriæ, de qua diximus, disseminatæ venena (22) confecerant, ad **195** Dei cultum bonæ vitæ exemplis, sacræque legis (23) religiosis exhortationibus excitaret. At ille semen suum fudit in terram. Semen significat non creaturæ, sed cordis. Etenim semen cordis verbum est Dei (24) cata Lucam Domino sic dicente (est autem hæc parabola) : *Semen est verbum Dei.... Qui autem juxta viam sunt, hi sunt, qui audiunt verbum, et venit diabolus, et tollit de corde verbum illorum, ne credentes salvi fiant* (*Luc.* VIII, 11, 12). Terra vero hominem (25) idolumque significat, quia et hominem Deus de terra finxit, et homo idolum de terra composuit. Semen ergo suum fudit in terram, hoc est Dei mandata neglexit, et idolis profudit : propter quod a Deo similiter etiam ipse (26) præsentem sententiam damnationis excepit, quia sicut est detestabilis, (27) qui cum sit homo, Deum se fingit, ita detestabilior, qui Deum colit, quem ipse disposuit.

IV. Selon (28) autem prædictorum tertius frater minor, ex Gentibus (29) venientis novelli populi imaginem depingebat : Thamar Ecclesiæ, quæ el recte

D

ipso Isidorus lib. XIX, cap. 25. Vide Pollucem lib. VII, cap. 3, et Tertullianum de Pallio cap. 5. Hoc exoticum nomen S. Zeno Latine reddidit.

(9) *Meretricem* vulgatus Interpres vocat.

(10) Mss. Tol., Pomp., et Vat.. *promisso*.

(11) In editis et mss. non nullis *Cumque* : correximus e ms. Pomp.

(12) Ms. Rem., *nostra*.

(13) Idem ms. cum Pomp. et Vat., *videt*.

(14) Ms. Tol., *illa metuens constanter*, perperam; nisi legendum sit, *illa nihil metuens*, etc.

(15) Mss. Pomp., Zen., *futuris licet indicia* : Vat. et Rem. *futuris licet initia*; Tol. *futuris licet uncia*; in textu editorum *futuri scilicet indicii*; in margine autem edit. Ver. pro *indicii* notatur *judicii*, et in Urb. *in se jam* pro eodem scribitur. Mirifice corruptus hic locus est, et cum sententia patet, Thamaris ea in re futuræ prolis, ex qua Christus oriri debebat, negotium procurasse contra meretricum morem, quæ conceptum *habent perosum et semper vitant*, ut idem Zeno monuit paulo ante; tum vero germana lectio non satis constat. Retinuimus *futuris*, idest *posteris*, quod in plerisque mss. legitur, et *in se jam* ex ms. Urb., quibus satis congrue significetur, Thamarem eam sui criminis excusationem attulisse, quod *non sibi impudicitiæ negotium procurasset*, ut meretrices faciunt, sed *in se procurasset negotium futuris*, seu posteris, qua de re illam Juda se ipso *justiorem* confessus est (*Gen.* XXXVIII, *vers.* 26). Verba autem *scilicet initia* ex marginali glossemate (quo, ut in codicibus fieri solet, explicatum a quopiam fuerit, cujusmodi negotium Thamar procurasset, *scilicet initia* posterorum, quæ deerant) in textum irrepsisse putamus, ms. Rem. *procuraret* scribit pro *procuraverat*.

(16) Ms Rem., *habere*. Similiter superiori tract. num. 15, *habuisse* pro *debuisse* scriptum vidimus.

(17) Ms. Pomp., *filios Dei*.

(18) *Primitivus* desiderabatur in edit. Ver. et seqq. ex mss. et edit. Ven. restituimus.

(19) Ita Latine, non Græce hæc vox in mss. scribitur, pro qua ms. Rem. et edit. Ven. *henithei*. Hæc vox legitur apud Servium in l. VIII *Æneidos* vers. 314 : *Sciendum secundum Hesiodi Theogoniam, primo Deos genitos, deinde hemitheos, post heroas*. Dein Martianus Capella 2, 40, *Hemithei heroesque*. Hos autem *Hemitheos*, seu, quod idem est, *Semideos fuisse homines cum immanibus corporibus et vastis* testatur Arnobius, lib. II adversus Gentes pag. 97, et sunt qui gigantes in Scripturis appellantur, ac præsertim in Genes. cap. VI, 4, ex quo S. Zeno descriptionem huc transtulit. Ex his plures Gentium Deos manasse Mythologi fusius docent.

(20) Ms. Rem., *quia sane*, pro quo melius legas *qui a sanæ*, etc. Ms. Tol., *sane mentis*.

(21) Ita in mss. Vide adnot. 2 ms. Pomp. *Anna*.

(22) Ms. Rem., *conferant*.

(23) Idem codex *religionis*, male.

(24) Vide adnot. 18 in Tract. VI lib. II, ms. Rem., *cata Lucanum*.

(25) Idem ms., *idolaque*.

(26) Vox *præsentem* in eodem ms. desideratur.

(27) Ms. Pomp., *quicumque sit*.

(28) *Sela* erat in editis. Vide adnot. 2.

(29) Ms. Rem.. *venientibus*. Mss., Tol., Pomp., Zen., Vat., Urb., Sp. et edit. Ven., *veniens*. Placuit editionis Ver. et Patav. lectio, cum *veniens* participium non ad Selon referatur, qui cæteris fratribus

Digitized by Google

nuptæ non est, quia Christo veniente baptismatis spiritali unda in gremio renatus, Ecclesiæ filius ejus futurus fuerat, non maritus. Judas amittit uxorem (*Gen.* XXVIII, 12), id est synagogæ (30) fides moritur. Quod autem inquit, consolatus est, utique intelligitur (31) spe Christi venientis, qui non tantum prophetis synagogæ lapsu desolatis solatium præbuit, sed etiam nos omnes in aliqua constitutos angustia recreare consuevit. Ad oves suas tondendas pergit, id est ab hominibus justis bonorum operum fructus exposcit. Quo audito, Thamar cum esset in domo patris sui, id est in templis infamibusque spectaculorum omnium locis (32) (pater enim omnium corrupte viventium diabolus designatur, Domino Judæos sic increpante: *Vos de diabolo patre estis, et concupiscentias patris vestri facere* **196** *vultis* [*Joan.* IX, 19], vestem viduitatis deposuit, id est sordidæ religionis sordidos ritus abjecit. Æstivalia induit. Æstiva vestis, fratres, et munda est et exacta, cum qua facile et opus fieri possit, et tolerari ardor æstatis, idest tentationis, quam esse utique (33) credulitatem non potest dubitari: quia hanc, qui habuerit, necesse est, ut expedite vivat et munde. Igitur ne cognoscatur, faciem velamine obscurat necessario, quia assertor pudoris ejus nondum venerat Christus. Non cognoscitur a socero: ad Judæos enim, non ad Gentes prophetæ fuerant destinati. (34) Fornicariam putat recte, quia (35) deorum populo serviebat. Cum ea convenire cupit, quia prophetiæ magis Gentes, quam Judæi fuerant credituri, Domino dicente: (36) *Amen dico vobis,* A *quia publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei* (*Matth.* XXI, 31). Hædum **197** ei promittit, id est, quæ sit peccatori peccati merces, ostendit. Quam accipere devitavit, quia inter agnos venturo tempore, inter hædos deputatur, qui pignus Trinitatis (37) acceperit. Denique expetisse atque accepisse describitur monile, annulum, virgam. Quibus ista significatio coaptatur? Monile, fratres dilectissimi, lex est, quæ salutaribus monitis diversis virtutibus diversoque charismate omnium credentium non colla, sed corda decorare consuevit. Virga per lignum sacramentum passionis Domini annuntiabat, sicut evidens declarat exemplum, quod psalmorum in libro sic habetur: *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt. Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui* B *tribulant me. Impinguasti oleo caput meum, et poculum tuum inebrians quam præclarum* (*Ps.* XXII, 4, 5). Utique, fratres, calix sanguinem, mensa corpus, oleum donum Spiritus sancti significat, virga cum baculo crucem, in qua Deus pro homine pendere dignatus est, ut in Deum, hominem quem induerat, commutaret. Annulus quoque signaculum fidei est, quod est Christus, cujus illustratione majestatis impressi atque signati, qua sincere viventes in custodiam nostræ salutis, per Spiritum sanctum imaginem referimus; quam tenemus. (38) Quod convenit cum ea, fidelium communionis sanctæ significabat sacramentum. Thamar concepit in utero, Ecclesia corde concepit: illa semine, hæc verbo. Hædus ei mittitur, tentationis videlicet signum: etenim justitiam qui se-

erat æqualis, sed ad novellum populum, qui fere ex C Gentibus ad Christianam fidem transibat.

(30) Ms. Urb., *filius moritur.*

(31) Ms. Rem., *spem.*

(32) Hoc testimonium est illud, quod quater a Ratherio allegatur. Matthæus Larrogue in Historia Eucharistiæ, quam Amstelodami Gallice scriptam edidit an. 1671, pag. 393, ex eodem Ratherio hoc testimonium recitat multo longius, quam in Zenone reperitur, ac proinde in editis aliquid hoc loco deesse subindicat. At manuscripti omnes nihil habent, præter quam quod in editis legitur, concinente ipso ms. Remensi, qui Ratherio ipso antiquior quidem est. Lapsus porro est heterodoxus ille in recitando Zenonis testimonio, quippe qui tamquam Zenonis verba accepit, quæ Ratherium habent auctorem. Etenim Ratherius eam unam uti Zenonis sententiam recitat, qua *pater omnium corrupte viventium* diabolus designatur, quod ex quatuor ejusdem Ratherii locorum collatione et concordia patet: id enim unum omnes D ex Zenone inculcant, quod in præsenti quidem tractatu continetur. Primo part. I de Contemptu canonum pag. 352, tom. I Spicilegii Acheriani novissim. edit: *Utar ut hic auctoritate Zenonis beati, in sermone videlicet, quem de Juda Patriarcha et Thamar nuru ipsius more suo luculentissime fecit, dicentis: Omnium corrupte viventium diabolus pater est.* Iterum paulo post eadem pagina: *Qui filius corrupte vivendo exstat diaboli, ut Zeno sanctus affirmat.* Rursum in fine serm. I de Quadragesima pag. 391: *Sed omnium corrupte viventium diabolus pater est, Zeno beatus ille e contrario ait.* Tandem in Synodica ad Presbyteros pag. 377, col. 2: *Et cum specialis noster doctor atque provisor, beatus utique Zeno dicat in sermone utique, quem de Juda filio Jacob et Thamar nuru ipsius elegantissime composuit, quod omnium corrupte viventium diabolus pater sit.* Ex his omnibus liquet hanc unam toties repetitam ex Zenone sententiam uti Zenonis a Ratherio laudari; quæ autem ipse Ratherius primo loco Zenonianis verbis subjecit de su-, inquiens: *Et ob quam non manducat verendam carnem Domini, nec bibit ejus sanguinem* etc.; hæc Matthæus Larrogue discrimen nequaquam advertens, quasi essent Zenonis, uno textu recitavit, quod legenti et omnia diligentius circumspicienti palam fiet. Hinc porro patet eodem lapsu deceptum Jo. Henricum Ottium, dum in examine adversus Annales Baronii centuria 3, ad an. 260, § 7, pag. 204, ea sola tamquam Zenoniana ex Ratherio verba recitat, quæ ad Ratherii additionem pertinent. Quam vero frustra Ratherium saltem illis verbis sibi favere iidem heterodoxi contendant, ut Christi præsentiam ab Eucharistiæ sacramento excludant, satis convincitur ex epistola ejusdem auctoris ad Patricium tom I Spicilegii p. 376, ubi præsentiam Christi exploratissimo testimonio confirmat Sed hæc in Ratherii editione fusius disputanda erunt.

(33) *Credulitatem*, id est simplicem fidem, quæ rationes nullas quærit, ut Zeno sæpissime intelligit, de quo vide annot. 6 in tract. 1 lib. I.

(34) Ms. Rem., *per fornicariam.*

(35) Idem codex, *Judæorum populo.*

(36) Mss. Pom. et Zen. *Amen, amen dico vobis.* Iidem codices et edit. Ven. *præcedunt* pro *præcedent.* E mss. porro scripsimus *in regnum* pro eo, quod in editis legebatur, *in regno.*

(37) Ms. Tol. *accepit.*

(38) In edit. Ver. *Quod cum ea convenit, communitionis sanctæ significat sacramentum.* E mss. et edit. Ven. integrum locum restituimus. Solum in edit. Ven., *significat* pro *significabat.*

Digitized by Google

quitur, necesse est ut (39) probetur. Denique fornicaria requisita non est inventa; quia renatus per aquam et Spiritum sanctum desinit esse, quod fuerat, et incipit esse, quod non erat. Sequitur quod viduitatis vestem rursus accepit, non utique ut quæ fecerat; faceret, sed ut defleret se fecisse quod fecerat; aliter etenim quis salvus esse non poterit, (40) quamvis sit justus, nisi exomologesin faciens et præsentia sua peccata exstinguat, et futura repellat.

198 Thamar arguitur, quod de fornicatione (41) conceperit. Et Ecclesia quasi legis adultera, Judæorum est a senioribus accusata, quod sabbatum ruperit, quod eorum traditiones abjecerit. Thamar protulit monile, annulum virgam, seque liberavit (42) sacramento numeri ab imminenti supplicio. Ecclesia ipsa veritate in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti non tantum diaboli præsentes ignes exstinguit, sed etiam futuri diei judicii incendia superabit. Illa justificata discessit, hæc glorificata (43) veri numeri incrementis, ac fidei cum Christo in æterna sæcula permanebit, per Dominum et conservatorem nostrum Jesum Christum, qui est benedictus cum (44) Patre et Spiritu sancto ante sæcula et in sæculis et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

199 TRACTATUS XV.

(1) *De Job.*

I. Sacræ historiæ, fratres dilectissimi, ad hoc nobis est tradita legenda narratio, ut majorum, si fieri potest, saltem aliqua ex parte mores imitemur, si non possumus imitari virtutes : tanta enim probitate vixerunt, ut pars felicitatis sit (2) nosse, quid fecerint. Igitur Job vir fuit justus et verax, ab universis concupiscentiis hujus mundi secretus, conversatione limpidus, mente limpidior, usque adeo circumspectus atque irreprehensibilis, ut Dei sit testimonio collaudatus (*Job.* I, 8). Unde non immerito beatus beata vita fruebatur. Namque erat illi splendidissima domus, dives census ; dives quoque numerus liberorum, et (quod est parentibus gratum) utriusque sexus, et invicem se amantium (*Ibid.* I, 3) : quorum pro numero Deo diurnas hostias offerebat (*Ibid.* 4 *et* 5). Tanto autem puritatis ac fidei erat muro munitus, ut non auderet eum attentare diabolus, nisi a Deo jussus (*Ib.* 12). Jam his considerate, fratres, quemadmodum sævierit incitatus, qui ferri non potest blandus. Igitur (3) famigerabile committitur prælium. Illinc diabolus horrendum totis intonans armis, ministrisque insuper suis in auxilium concitatis, terribili increpans tuba, (4) prædonum corda face furiali succensa, impetibus crebris passim totas hominis Dei facultates invadit : subito rapina, igne, ferroque universa uno momento disperdit (*v.* 15 *et seq.*). Hinc Job alta fidei radice robustus tot nuntiis lugubribus tunditur, nec movetur : sed tantum benedicit Deum facultates que suas contemnendo custodit. At ubi diabolus aggressuris tantis nihil se profecisse cognoscit, omnem impietatis suæ rabiem in filios ejus effundit. Nam cum solito more unanimes una epularentur in domo, subito concussis toto nixu quatuor angulis ejus, (5) in confusam molem parietibus, tec-

(39) Ms. Tol. *probet.*

(40) In ms. Remensis textu per saltum et cum errore, *quam jussit justus*, *nisi extinguat*, etc. Inferius autem antiqua, secunda tamen manu, emendatum, ut in reliquis et mss. et editis legitur. *Exomologesin* Latinis litteris scribitur in omnibus codicibus, non autem Græce, ut editio Ver. et seqq. præferunt. Id vero nomen confessionem et pœnitentiam significat peccatorum. Pœnitentiam quidem significare palam est ex Irenæo, qui ea voce pluries utitur : vide lib. I, cap. 9, et lib. III, cap. 4; quod postremum testimonium Græce relatum ab Eusebio lib. IV cap. 11, Rufinus ita Latine reddidit, ut pro eo quod antiqua Irenæi versio habet *exomologesin faciens*, scripserit *pœnitens*. Eodem sensu Tertullianus de Pœnit. cap. 9 : *Exomologesis*, inquit, *prosternendi et humilificandi hominis disciplina est :* ibidemque præterea id nomen pro confessione item accipit, quæ pœnitentiæ sane pars est ; scribit enim : *Is actus* (pœnitentiæ) *qui magis Græco vocabulo exprimitur et frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur*, etc. S. Cyprianus eadem voce passim utitur, nunc quidem pœnitentiam significaturus, nunc autem confessionem, quæ Deo apud Sacerdotes ejus fit : unde in lib. de Lapsis num. 28, pag. 382 (*col.* 488 *nostræ ed.*) : *Apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, exomologesin criminum faciunt, animi sui pondus exponunt*, etc. *Exomologesin criminum faciunt* eadem sententia scribit iterum ep. 55 ad Cornelium unde in codice Lætiensi observante Baluzio not. 60, supra vocem *exomologesin* antiqua manu scriptum fuit *id est confessionem*. Eodem libro de Lapsis num. 31, pag. 384 (*nost. ed. col.* 490) Danielem *exomologesin facientem et dicentem* inducit, ac statim peccatorum confessionem cap. IX Danielis descriptam recitat. Pacianus Barcinonensis epist. 1, contra Novatianos, et Salvianus in prœmio ad Eccles. idem nomen utroque, vel alteruto sensu usurpant. S. Zeno iterum adhibuit tract. 10 lib. I, num. 3. Ubique pœnitentiam certissime innuit et confessionem etiam peccatorum, quatenus in pœnitentiæ seu exomologeseos operibus maxime comprehendebatur.

(41) Ms. Tol. *concepit.* Post pauca ms. Pomp. *senibus* pro *senioribus.*

(42) Ms. Urb., *sacrato numero* Solemne porro Zenoni est S. Trinitatis, vel alterius rei sacræ symbola *sacramenta* appellare. Similiter tract. 71, trium puerorum numerum *sacramentum Trinitatis* vocat, eosque *numeri sacramento munitos* tradit. tract. 76. Vide adnot. 12 in tract. 10 lib. II.

(43) Tres mss., *vestri.*

(44) In ms. Pomp. desunt *Patre*, etc. A Spar. et Vat. abest in fine *Amen.*

TRACT. XV. — (1) In ms. Urb. hæc inscriptio legitur : *Tractatus de Job. Lectio beati Zenonis hujus sedis episcopi.* Incertus est autem hic tractatus a Lippomano t. II Vit. SS., p. II.

(2) Ms. Pomp., *nostræ*, male.

(3) *Famigerabile* item legitur in Appuleio lib. I Metam. p. 67, et lib. II, p. 271. Idem autem significat, ac apud eumdem l. II Florid. et apud Melam. 2, 7, *famigeratus*, id est fama inclytus et notus; unde *famigeratio* pro celebritate famæ apud Plautum in Trinum. 3, 2, 6.

(4) Mss. Pomp., Zen. et edit. Ven., *prædonumque.*

(5) Particula *in* cum accusativo ab antiquis quando que jungitur in eam sententiam, quæ ex vulgaribus regulis ablativum postularet. Plautus Bacch. 1, 3, 53 : *Ecquid in mentem est tibi?* pro eo quod *in mente* dici solet Cicero similiter pro lege Manil., cap. 12, *in prædonum potestatem fuisse* scripsit pro *in potestate* : quam lectionem egregie vindicat Aulus Gellius lib. II,

Digitized by Google

tisque **200** labentibus illam sanctissimam fratrum cohortem sepelit ante quam jugulet : taleque est commentus impietatis excidium, ut in illa unius funeris turba paternus dolor non sufficeret orbitati, cum nescit, quem primum plangat, quem priorem inveniat, cui primum (6) justa crudi funeris solvat. Quo nuntio accepto Dei servus scidit vestimenta sua, non ut Deo (7) invidiam faceret, sed ut expeditus cum hoste pugnaret. Contempsit denique in perditis facultatibus divitem : dissimulavit in amissis liberis patrem, in pœna sui corporis justum. Namque summo capitis a vertice usque ad imos ungues pedum plaga inimici percussus, populosis ulceribus non (8) distinctus est, sed totus unum vulnus effectus. Verum tamen in his omnibus nihil adversus Deum improbe loquitur. Non uxori illicita suadenti succumbit, non amicis insultantibus cedit; sed victor crudelitatis et impietatis in sterquilinio fœtido scaturiente vermibus sedet, quasi nihil passus, sed solo Dei timore contentus. O felix vir! qui mira patientia Deum promeruit, **201** diabolum vicit, sanitatem recepit, facultates liberosque (9) suos non perdidit, sed mutavit.

II. Job, quantum intelligi datur, fratres carissimi, Christi imaginem præferebat. (10) Denique comparatio inducat veritatem. Job justus dictus a Deo est. Ipse justitia, de cujus fonte omnes, qui beati sunt, gustant : ecce enim de ipso dictum est : *Orietur vobis sol justitiæ* (*Mat.* IV, 2). Job verax est appellatus. At est vera veritas Dominus, qui ait in Evangelio : *Ego sum via et veritas.* Job dives fuit. Et quid ditius Domino? cujus sunt omnes divites servi : cujus est orbis totus, omnisque natura, beatissimo David dicente : *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo* (*Ps.* XXII, 1). Job diabolus ter tentavit. Similiter Evangelista perhibente (*Matth.* IV, *Luc.* IV), et Dominum ter est tentare conatus. Job facultates, quas habuit, amisit. Et Dominus cœlestia sua bona amore nostro neglexit, pauperemque se fecit, ut nos divites faceret. Job filios furens diabolus interemit. Et Domini filios prophetas insanus populus Pharisæus occidit. Job ulceribus maculatus est. Et Dominus sumendo carnem totius humani generis peccatorum est sordibus (11) obsoletatus. Job uxor sua hortatur, ut peccet. Et Dominum, ut corruptelam seniorum sequatur, synagoga compellit. Job amici sui insultasse perhibentur. Et Domino sui sacerdotes, sui insultavere cultores. Job in sterquilinio pleno vermibus sedet. Dominus quoque in vero sterquilinio, id est, in hujus mundi cœno versatus est inter ebullientes diversis sceleribus ac libidinibus homines, qui veri sunt vermes. Job et sanitatem recepit, et facultatem. At Dominus resurgens non sanitatem tantum, sed immortalitatem in se credentibus præstitit, dominiumque totius naturæ recuperavit, sicut est ipse testatus dicens : *Omnia mihi tradita sunt a patre meo* (*Matth.* XI, 27; *Luc.* X, 2). Job (12) vicarios filios genuit. Dominus **202** quoque post prophetas (13) filios sanctos Apo-

cap. 7, ubi et alium Plauti locum allegat ex Amph. I, 1, 25 : *Numero in mihi mentem fuit*; *in mentem*, inquit Gellius, *non, ut dici solitum est, in mente*; et εὐφωνίας causa alia plura id generis dicta commemorat. Hinc igitur S. Zeno satis commode et latine *in molem* scripsit pro *in mole*, vel *inter molem*; nam et *in* pro *inter* usurpatum quoque legitur, etsi cum ablativo frequentius, nonnunquam tamen cum accusativo, uti forte est illud Livii I, 35 : *Centum in Patres legit*, quod tamen aliter accipi potest, nimirum ut finem significet, id est ut essent inter Patres. Paulo post ad verba *taleque est commentus* substantivum *est* inseruimus ex mss. Tolent., Vat. qui postremus *pietatis* pro *impietatis* scribit.

(6) *Justa justorum* dicta sunt, quæ mortuis præstabantur officia, propterea quod *jure* adhibeantur iis qui de nobis bene meriti sunt. *Justa funebria* Livius appellat I, 2, et *justa funerum* Cicero l. II de Leg. prope finem. Hinc *justa facere*, *justa solvere* inter latinas formulas. Idem Cicero pro Flacc. *Justa Catilinæ facta sunt*, et pro Rabir. locutione Zenonianæ plane simili : *Qui nondum etiam paterno funeri justa solverat.* Videsis Plinium lib. II cap. ult.; Curtium lib. IV, 12, 2 et L. II *de non in jus vocando*. Edit. Ven. cum mss. Tolent. et Urbin. *justitiam* habebat, nec non Pomp. codex, in quo tamen emendatum est *justa*.

(7) *Invidiam concinnat* dixit Zeno lib. I tract. 16 Vide ibidem adnot. 34.

(8) Editi *distinctum*, sed mss. *distinctus*, idque perinde dictum ac apud Tullium in Ver. IV, 27, *pocula ex auro gemmisque distincta*, id est gemmis distributis et separatis variata; et significatur, non Job affectum fuisse ulceribus frequentibus quidem, at separatis, ut aliquid sani superesset, sed in unum vulnus totum ejus corpus migrasse. Hac de causa post pauca *est factus* libentius inseruissemus ex marginali nota editionis Veronensis pro eo, quod alibi legitur, *ei factus*; sed Urb. codicis lectio *effectus* magis placuit. *Populosa* ulcera dicta sunt pro *multa* et *frequentia*, quo sensu *populositatem luminum* dixit Fulgentius Myth. I, pro *luminum multitudinem*. *Populoso fructu* eadem significatione S. Episcopus scripsit lib. I, tract. 16, num. 10.

(9) *Suos* abest a ms. Zen.

(10) *Denique* hoc aperte significat *paucis*, uti hoc libro tract. 7, adnot. 4, monuimus. Mss. Tolent., Pomp., Vatic., pro *inducat* scribunt *indicat*. Paulo post iidem codices *Adest vera* pro *At est vera*.

(11) *Obsoleto* inquinare, commaculare significat. Quapropter Tertullianus adversus Gnost. cap. 6 : *Qui vestitum obsoletassent nuptialem*. Hinc Zenonis *obsoletatus* est *inquinatus sordibus*.

(12) *Vicarii* dicuntur, quicumque vices alterius gerunt, nec ii tantum, qui negotium suscipiunt mandante aliquo, cujus erat partium illud peragere, cujusque illi personam gerant, quæ significatio jam vulgo obtinet; sed illi etiam, qui vel pro alio aliquid sponte aggrediuntur, ut Cicero IV in Ver. num. 37, *vicarium muneri* se futurum Scipioni præsenti pollicitus est, et scripsit Seneca ad Helviam, quæ se pro conjuge *vicariam dedit* : vel in alterius locum post ejus mortem succedunt, etsi ii non nisi late defunctorum vices obeant; qua ratione *Petri Vicarii* sæpe appellantur, qui S. Petro Apostolo in eamdem cathedram subrogantur, tametsi non minorem, quam olim ipse, auctoritatem habeant; et in diplomate Ottonis apud Ughellum tom. V, pag. 746, Hildericus episcopus Veronensis *Vicarius sancti Zenonis* nuncupatur. Itaque filii, quos Job post priorum mortem in eorum locum a Deo suffectos suscepit, qua ratione *Vicarii* appellentur, ex hactenus dictis liquet.

(13) Spectat, ut videtur, illud ps. XLIV, 17 : *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues, eos principes super omnem terram*; quod de Apostolis sanctis Patres sæpius interpretantur. Quæstio est inter

Digitized by Google

stolos procreavit. Job beatus quievit in pace. Dominus autem manet benedictus in æternum ante sæcula et a sæculis et in cuncta sæcula sæculorum. (14)

203 TRACTATUS XVI.

De (1) *Susanna.*

Quotienscumque in hoc perverso sæculo contra laudabiles viros multiformes tenduntur insidiæ, (2) et diversis calumniarum generibus factiosæ emerserint causæ; quid homo pestilens (3) excogitet, vel quid diabolus machinetur, non (4) metuat justus, quia cum illo est Deus. Inde Susanna illustris Hebræa veræ decus pudicitiæ docuit feminas suæ castitatis exemplo. Stabat Susanna in judicio perditorum falsorum testium oppressa mendaciis, conscientiæ tamen bonis contenta secretis, non tam rea susceptura sententiam, (5) quam dicata Deo pro castitate fortiter moritura, et quam judicantium sententia prava dejecerat, illustris conscientiæ integritas erigebat. Sufficit ergo pudicitiæ conscientia, testis est Deus. Non respexit castitas, quid falsi dicerent testes, aut qualiter judices circumventi damnarent, non denique qualiter diabolus infamaret, qui non potuit pudoris fundamenta subvertere. Ibat ad supplicium non adulterum corpus, in quo extrema libido senilis exarserat, sed quod (6) infamaverat diabolus, et quod protexerat virtus, et **204** ornabat pudor illæsus. Tunc (7) in puero sancto Daniele Spiritus sanctus ingressus ait, cum illa ad supplicium duceretur : *Revertimini ad judicium : falsum enim isti contestati sunt de ea* (*Daniel.* XIII, 49). Stupet populus, quod a supplicio ad judicium repetendum revocaretur addicta. Falsos testes pavor invadit. Tremit diabolus, quod ipsius commenta nudentur. Gaudent angeli, quod oppressa veritas tandem defendatur in terris. Triumphat maritus, quod castam invenerit conjugem. Lætatur familia omnis, quod in ea nihil inveniat fama, quod feriat. Cruciatur diabolus, quod nulla ex parte suam perfecerit voluntatem : nec adulterium enim, quod factum diffamabat exercuit (8) nec homicidium, quod procurabat; (9) invenit.

205 TRACTATUS XVII.

De (1) *Jona propheta.*

1. Humanæ devotionis religiosa confessio est, de Deo hoc nosse, quod (2) licitum est : sicut enim in simplici

Scripturarum commentatores valde celebris, utrum eo in psalmi versiculo ad regem, an ad reginam pronomina *tuis* et *tibi* referenda sint. In Hebræo sane cum illa masculini sint generis, ad regem sponsum sermonem esse apparet, ita tamen ut ad reginam quoque sponsam, ut nonnulli eruditi critici fuse ostendunt, porrigi nihilominus possint, quod plerique Patres faciunt. S Zenonem cum Hebræo congruentius hæc ad mysticum sponsum, id est Christum Dominum, retulisse palam est, quam interpretationem Irenæus, Cyrillus, Dydimus, aliique Patres inculcant, et sententia sane commodiore, ut intelligatur prophetice Christo prædictum, *pro patribus tuis* secundum carnem, id est pro Abrahamo, Isaaco, Jacobo et aliis, ex quibus ortus es, *nati sunt*, aut ex Hebræo *nascentur tibi filii*, scilicet Apostoli, quos *constitues principes super omnem terram.*

(14) Mss. Pomp. et edit. Ven in fine addunt *Amen.*

TRACT. XVI.—(1) Hunc tractatum invenies apud Lippo. tom. II. Vit. SS. pag. 21. Hic idem tractatus, sed interpolatus, et passim varius olim inter Augustinianos erat insertus serm. CCXLII de Tempore : dein vero in Appendicem rejectus primo serm. LXIX, posterius vero serm. LX in editione PP. Benedictinorum Congregationis S. Mauri, qui illum *incerti et ineruditi auctoris* censuere, uti auctoris, qui a Zenone quidem sumpsit, sed plura addidit de suo, atque mutavit, ut iidem Benedictini subinde animadverterunt in Additionibus, quas Augustini sermonibus tom. V præfixere. Similis generis est serm. LXI ejusdem Augustinianæ Appendicis, qui est S. Petri Chrysologi sermo LIII, sed, ut iidem Patres observant, *passim interpolatus, seu multis auctior sententiis*, ut Zenoniano accidit. Ex eadem nihilominus Appendice aliquot variantes lectiones subjicientur, ubi eædem periodi totidem fere verbis describentur.

(2) In Append. Augustini, *vel diversæ calumniarum emerserint.*

(3) In eadem Append., *cogitet, quid diabolus.*

(4) Ibidem, *metuet justum, quia cum ipso est Christus :* et post hæc inseruntur lineæ sex supra decem, in quibus de Zacharia et Daniele disseritur. Tum subsequuntur, quæ ad Susannam pertinent ; ita tamen ut vix unam lineam sine additionibus, vel detractionibus, iisdemque non minimis, reperire deinceps liceat, ut conferenti patebit.

(5) Mss. Rem., *quamquam dicata*, Vat., *quamquam indicata.*

(6) Idem ms. Rem. et edit. Ven. *infirmaverat.* In Append. Aug. *inflammaverat.*

(7) Adnotatione 5 in tract superiorem pluribus antiquorum exemplis ostendimus præpositionem *in* eam in sententiam, qua ex Grammaticorum regulis ablativum postularet, cum accusativo conjunctam fuisse. Cum ablativo autem interdum conjungi eo sensu, quo postularet accusativum, ex hoc testimonio liquet : cui simile illud Arnobii lib. II, pag. 45 : *Qui veram in orbe religionem induxit;* et lib. I : *Quæ ab eo profecta in nobis sunt.* Nec desunt antiquorum exempla. Phædrus lib. V, fab. 1, vers. 15 : *In conspectu meo audet venire.* Manilius lib. V, vers 384 :

Cum venit in regione tuæ, capricorne, figuræ.

His testimoniis vindicatur alius Zenonis locus tract. 9 lib. I, num. 5, *in inferno descendet.*

(8) Mss. Tolent. Vat. Urbin. *et* pro *nec* contrario plane sensu ; sed ad sensum homicidium, qui pro Susanna morte multati sunt, referendum esset, quod hi mortem, quam Susannæ procuraverant, invenerint.

(9) Edit. Ven., *invenerit.* In Append. Aug. *impleverit.*

TRACT. XVII.—(1) Habetur hic quoque tractatus apud Lippo. tom. II Vit. SS. pag. 24. Hujus initio S. Zeno pauca quædam delibavit ex commentario Hilarii in ps. CXXIX, quæ tamen ipsa non nullis additis ac mutatis alio ordine aliisque fere verbis efferuntur, ut ex collatione cognosci potest. Hilarianum autem commentarium memoratum, qui olim inter Zenonis sermones insertus fuerat, in appendicem rejecimus.

(2) Pungunter hoc loco illi, qui præter ea, quæ Deus scire et nosse nos voluit, illa quoque, quæ humani intellectus vim excedunt, scrutari conantur ; et illa præsertim heic indicantur, quæ ad physicen pertinent, cujus studium ut inane prorsus et irritum plerique veterum Patrum, perinde ac S. Zeno, reprehenderunt, hominumque mentes ab eo evocare conati sunt ; qui et Socratem fere laudibus efferunt, propterea quod *cum*, ut ait Lactantius lib. III, c. 20 ;

Digitized by Google

corde scrutanda sunt testimonia ejus, ita curiositate non sunt inquirenda secreta. Quis enim (3)causas naturasque (4) cœli hujus et superiorum sciat? **206** Quis corpoream aeris hujus, ut (5) quidam putant, inanitatem se disserere posse mentiatur? Quis (6) terram aqua portari, an aquam terræ gremio contineri se nosse præsumat? Quis spiritus (7) aerios, quis figuras ventorum, quis inter marinos **207** æstus (8) flumi-

Eruditissimorum virorum ingenia in disputatione cæca evagarentur, mensurasque solis et lunæ et cæterorum siderum loquacibus magis, quam certis argumentis explicare conarentur, totius etiam mundi ambitum complecti auderent (quæ physices erant partes), *primus* Socrates *ab his indoctis abductum animum*, etc., quod ipsum Socrati jamdiu ante laudi verterat Cicero Tuscul. quæst. lib. v, et Academ. quæst. lib. i. Vide Minucii Felicis dialogum num. 13 (*tom. III hujus editionis*); Lactantium lib. III Instit. cap. 3, 4 et 5, Cyrillum Alexandrinum lib. v in Julian. Hilarium in ps. CXXIX; n. 1, et ut alios mittamus, Hieronymum Apolog. adversus Rufinum lib. II, aliquanto post medium, ubi aliud Socratis dictum laudat commendatum a Minucio et Lactantio, cum scilicet stultitiæ eos coarguens, qui cœlestia et incognita scrutantur (ut tradit Xenophon lib. I Rerum memorab. p. 710, et lib. IV, p. 815, nec non Gellius lib. IV, cap. 4), effatum illud pronuntiare solebat: *Quæ supra nos, nihil ad nos*, quod ad corporum cœlestium, id est physices studium, iidem Patres referunt.

(3) *Causæ* hoc sumuntur pro principiis rerum, ex quibus res naturales constant, quorum cognitio adeo difficilis est habita, ut Virgil. eodem sensu scripserit II Georg. v. 496:

Felix qui rerum potuit cognoscere causas.

Hinc ea in controversia, quæ et quot rerum essent principia, vel causæ, plerique philosophorum multa et contraria tradidere, quæ vel recensere nimis esset longum. Vide quæ fuse refert Clemens Alexandrinus in Pædagogo lib. I, Lactantius lib. II et III Instit., Arnobius lib. II, et Seneca epist. LXVI. Zeno autem cum a *causis*, seu principiis, ex quibus cœli constant, *naturas* distinxit, *naturæ* nomine vim, quam cœlis non nulli tribuerunt, intellexisse videtur. Simili quidem sententia Hilarius in ps. LXVIII, num. 29: *Terram supernis*, id est cœlorum, *inumbratam naturis* dixit.

(4) Cœlum non tam dicta cœlestia corpora, id est stellæ ac planetæ, quos *superiores* cœlos S. Zeno appellat, sed dictum etiam terrestrem istum globum, qui aere circumcingitur, et *cœli hujus* nomine accipitur, multa antiquorum exempla suadent, qui cœlum pro aere, quam spiramus, et regione, quam incolimus, sæpe usurparunt. Lege Thesaurum eruditionis Basilii Fabri pag. 380. Hanc formulam Zeno ex Hilario decerpsit, qui in ps. CXXIX similiter scripsit: *Quis enim causas naturasque cœli et hujus et superioris et cæterorum sciat?*

(5) Id opinioni vulgi tribuit Hilarius in eumdem ps. CXXIX, num. 1, inquiens: *Quis hanc inanis nobis, ut putamus*, id est ut vulgo creditur, *aeris plenitudinem metietur? Corpoream aeris inanitatem* S. Zeno, vel *aeris inanis plenitudinem* S. Hilarius dixere universam mundi magnitudinem, quam in inferiori hoc terrestri spatio aere, vel in superioribus æthere plenam veteres senserunt, eorumque qui eam metiri se posse affirmarint, conatum, jamdiu irrisere vel ex ipsis Ethnicis aliqui, uti Plinius lib. II, cap. 1 et 23, nec non Quinctilianus lib. II Instit. cap. 17, testantur. Aer porro et æther, inania licet et vacua corpora esse videantur, cum tamen sint vere corpora, et spatia ista occupent et compleant, jure *corporea inanitas* Zenoni appellantur.

(6) *Terra portatur* ab aqua, si terra in aqua sit tamquam insula in aquis posita, ut Stoici apud Laertium cap. 201, tradiderint; e contra vero *aqua terræ gremio continetur*, si terræ limitibus clauditur et circumcingitur. Difficultas id generis, quæ nunc post detectum novum orbem dissoluta videri potest, apud antiquos, quibus America erat ignota, maxime viguit: tum enim erat incertum, quam late pateret Oceanus, ac proinde an potiorem partem aqua circumquaque occuparet, in qua tellus tamquam insula ædificata fuisset. Ita *oceanum hominibus impermeabilem* prodidit S. Clemens papa in epist. I ad Corinth. n. 20, et Hilarius in ps. LXVIII, num. 29: *Mare . . . . . profundi infinitaque sui obice mentem humanæ opinionis excedit, ut neque quid extra se, neque quid intra sit, sensu persequente capiamus.* Et Ambrosius in Hexaemer: *Quis deinde sciat, in quantum se illud magnum et inausum navigantibus atque intentatum nautis fundat mare?* quibus concinens Hieronymus in cap. 4 epist. ad Ephes. v. 7: *Mare*, inquit, *immensum est, et capacitas ejus Deo soli nota*: unde Iræneus, l. II, c. 4, numquid ultra mare oceanum sit, definitu impossibile judicavit. Hinc de Antipodis explosa fere a veteribus opinio est, cum præter terram ipsis notam nihil, nisi aquas seu ultra, seu infra nos esse putarent; vel si possibile crediderent, aliquid terræ solidæ alibi reperiri, id a nobis tanto oceani intervallo distare conceperunt, *ut nimis absurdum* affirmavit Augustinus lib. XVI de Civit. Dei cap. 9, *dicere, aliquos homines ex hac in illam partem oceani immensitate trajecta navigare ac pervenire potuisse.* Qui vero ex antiquis Antipodas existere subindicarunt, eos ob eamdem interjecti maris immensitatem alterius velut mundi, vel orbis incolas appellarunt; unde Clemens papa in epistola laudata num. 20, post verba *oceanus hominibus impermeabilis* addit, *et qui post ipsum sunt mundi*; ubi Antichthonas seu, ut vulgo vocantur, Antipodas indicari animadvertit Origenes lib. II Periarchon cap. 3, *Alterum orbem terrarum*, qui ab Antichthonis habitatur, vocant Plinius lib. VI, cap. 22. Mela lib. I, cap. 9, et Hyparcus ab eodem Mela laudatus lib. III, cap. 7, ex quibus patet mundum alium, qui a Zacharia pontifice in epist. ad Bonifacium appellatur, quique alios homines sub terra ferre dicitur, alterum hunc Antipodarum orbem vere fuisse; quidquid non nemo nuper senserit. Itaque ut ad propositum redeamus, cum antiquis tam anceps fuerit de maris limitibus sententia; dubium quoque penes eosdem fuit maximum, utrum *terra*, quod Zeno ait, *aqua portari*, *an aqua terræ gremio contineri* potius dicenda sit.

(7) Haud credimus hoc loco *aerios spiritus* vocari dæmones, ex quibus plures in aere versari nonnulli Patres docuere, quorum testimonia recitat Petavius lib. III de Angelis cap. 4. Potius arridet Sparaverii opinio, qui auram levem *spiritus* nomine appellatam intelligit, cui *ventum*, id est vehementiorem flatum, objiciens, dubiam controversiam insinuat, inter physicas, de quibus hoc quidem sermo est, non mediocrem, cur aer modo leniter spiret, modo autem magno cum impetu feratur. Porro quas subinde S. Zeno *figuras ventorum* nominat, ventorum *flatus* dixit Hilarius, ex quo illum non nulla decerpsisse animadvertimus, et Arnobius lib. II, inter difficiles controversias hanc ponit, ventus unde oriatur, et quid sit.

(8) Num hæc spectant, quæ de quorumdam fluminum vel fontium accessu et recessu tradit Plinius, lib. II, cap. 97: *Gadibus, qui est delubro Herculis proximus, fons inclusus ad putei modum, alias simul cum oceano augetur minuiturque, alias vero utrumque contrariis temporibus. Eodem in loco alter oceani temporibus consentit.* Alios id generis fontes vel hodie eamdem in rationem auctos et imminutos commemorat Varenius, lib. I Geograph., cap 17, prop. 17. Nec *fluminis* nomen a nostro scriptore usurpatum moveat: *flumen* enim et de aqua fontium, quæ continuo fluit, Latine dici potuisse pluribus probare au-

Digitized by Google

num augmenta, quis denique (9) opificium Domini Deique consilium se deprehendisse gloriabitur? cum Apostolus dicat: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam* (10) *inenarrabilia sunt judicia ejus, et quam investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini* (*Rom.* II, 33, 34)? Non enim in horum inquisitione exæstuans Propheta dicit: *De profundis clamavi ad te, Domine* (*Ps.* CXXIX, 1); clamat namque de profundis, id est de imis præcordiis: clamat de profundis, sed quibus septus erat mœstus ac tristis, calamitatibus humanis: et clamat non voce, sed corde: non clamore, sed fide, quam scit Deum libenter audire. Hoc igitur e profundo clamans similiter Petrus impetravit a Domino, ut profundi maris lubricos sinus insubditaque humanis gressibus liquidi æquoris terga, quibus viator trepidus absorbebatur, et perambularet pariter et evaderet (*Matth.* XIV, 30, 31). Clamat de profundis et Paulus obrutus calamitatibus beatis, cum pro nomine Domini latrones in itineribus, latrones in civitatibus patitur: cum a Judæis virgis ter cæsus naufragio trino diluitur: cum insani populi furibunda tempestate lapideis imbribus feliciter (11) grandinatur: cum in profundo maris die **208** demoratus ac nocte, ad Deum clamans incolumis inde respuitur (II *Cor.* II).

II. Jonas adæque propheta ad Ninivitas missus a Deo est, eorum ut immineere civitati interitum nuntiaret (*Jon.* I): ingentibus enim peccatorum sarcinis premebantur. At ille alio deflexus itinere, navem Tarsos petiturus ascendit; cum subito compugnantium ventorum flatu violento lacessitum fremit mare, (12) sollicitique gurgitis præruptorum montium canis voluminibus, repugnantium littorum spumantia ora contundens, minatur per momenta naufragium: procellæ crebrescentes insaniunt, horrendum sibilant funes, gemunt cedentibus velis antennæ, retunsa undique iter non invenit prora. Trepidant nautæ, festinant incassum jactura vasorum navem levare ponderibus, quæ prophetæ pondere premebatur. Tum Jonas, quem solum (13) expetebat bona illa tempestas, sorte ductus naufragus redditur, imo a ligneo ad navigium vitale transfertur: qui, ut est dimissus in (14) altum, ferinæque voraginis est receptus hospitio, vigilat in ceto, qui stertebat in navi. Mira res! post naufragium, post natatile sepulcrum incolumis tertio post die Ninivitas illustrat, terribilibus oraculis salutem civitati (15) credulæ præstaturus.

III. Quantum datur intelligi, fratres, navis typus est synagogæ: ejus (16) proretam sacerdotale corpus accipimus, nautas scribas et pharisæos, jacturam vasorum repudiationem prophetarum omniumque sanctorum, quos synagoga pulsos Judæi in damna salutis suæ indignis cædibus mactaverunt. Venti sævientes diversi sunt **209** (17) reges, qui Judæam lugubri clangore tubarum armorumque fragore terribili, instantibus undique præliorum procellis, miserabiliter per totum orbem dispersere terrarum. Jonas in navi dormiens sacramenti Dominici imaginem præferebat, etenim significabat navis materia crucem, somnus vero passionem. Mare autem mundus est iste tumidus: fluctus ejus Judæorum populos et Gentes accipimus, qui adversus Deum inaniter fremuerunt. Sors Jonam præcipitandum prodidit, prophetia passurum Dominum prædicavit, utrosque volentes, illum conditione, Dominum pietate. Cetum esse non dubitatur infernum: sicut enim Jonas tribus diebus et tribus noctibus fuit in ventre ceti, evomitusque (18) Ninives se intulit civitati; ita Dominus postridie ab inferno resurgens, se civitati Jeru-

tiquorum exemplis licet, quæ in Latinis lexicis recensentur.

(9) *Opificium Domini* apud scriptores Ecclesiasticos mundi creationem significat: unde Lactantius librum, quem de creatione mundi ad Demetrianum dedit, *de opificio Dei* inscripsit, uti a Hieronymo pariter appellatur in libro de Viris illustribus.

(10) Hoc idem testimonium S. Zeno recitans tract. 1 lib. I, num 5, *inexquisita* pro *inenarrabilia* scribit, cujus variæ lectionis ratio ex Hilariano exemplari, quo Zenonem usum meminimus, originem duxisse videtur: habuit enim, ut credibile est, præ oculis Hilarii explanationem in psal. CXXIX, eodem exemplo, ac est Hilarianus tractatus olim inter Zenonianos editus, quem Hilario nunc primo restitutum in Appendicem transtulimus, ubi *inenarrabilia* pariter legitur, tametsi in Hilarii codicibus alia lectio occurrat tum in hoc, tum in nonnullis aliis ejusdem testimonii verbis, ut in Appendice annotabimus. Similiter tr. 1, *Quis enim cognovit cogitationem Dei* scribitur pro eo, quod hic non minus, quam in Hilariano tractatu legitur: *Quis enim cognovit sensum Dei.*

(11) In Latinis lexicis *grandinat* impersonaliter ponitur ex Seneca, lib. IV Natur. Quæst. cap. 4. Sed *grandinor* etiam passive conjugatum fuisse ex hoc Zenonis testimonio discimus: quod si animadvertisset Basilius Faber, qui alia non pauca unius Zenonis auctoritate ductus in celeberrimum eruditionis Thesaurum inseruit, quin hanc quoque vocem inseruisset, nihil ambigimus. Glossæ antiquæ *grandinatus* habent, quod passive χαλασθεὶς interpretantur.

(12) Adverte singularem syntaxim, quam ut construas, retrograde procedendum est sic: *Et contundens ora spumantia littorum repugnantium voluminibus canis montium præruptorum gurgitis solliciti, minatur naufragium*, etc.

(13) Codices Tolent. et Pompeianus nec non duo Zenoniani *exspectabat*, quod in marginali quoque notatione editionis Veronensis positum legitur.

(14) Non poetæ solum, sed et soluti sermonis auctores *altum* pro *mari* dixerunt, ut Cicero, lib. IV de Fin. num. 23, *emergere ex alto*, et lib. II de Invent. num. 32, *in alto tempestas.*

(15) Sicut *credulitas* pro *fide*, quæ non levitatis vitio, sed virtute adhibetur, usurpatur a Zenone et aliis Patribus, ut ostendimus adnot. 6, in tract. 7 lib. I, ita *credulus* in bonam partem heic adhibetur.

(16) *Proreta* apud Plautum Rud. IV, 3, 75 a gubernatore navis distinguitur, et est is, qui ad proram sedet, ut regat.

Si tu proreta isti navi es, ego gubernator ero.

Vide Turnebum Adversar. lib. XXVIII, cap. 32.

(17) *Reges* heic appellantur Imperatores Vespasianus ac Titus, nec non Adrianus et Antonius Pius, quos Judæis infestos accepimus.

(18) Ita ex ms. Pomp. genitivo græcanico: cæteri codices *Ninive*. Scribi etiam potest *Ninivi*, ut in eodem nis. Pomp. posteriori manu emendatum est.

salem intulit ante quam cœlo. At vero Ninive imaginem portat Ecclesiæ, in qua Gentium jam inde noster populus morabatur, quæ non incassum a Deo magna civitas dicta est; erat enim futurum, ut omnium nationum in Christo credentibus populis, totus orbis Deo una civitas redderetur. Denique comparationem salutaria gesta confirmant, quæ et in nobis manent. Ut est, fratres, Ninivitis nuntiatus interitus, credunt et timent; et (19) quanto sciunt Dominum non esse mendacem, tanto propensius ejus de pietate præsumunt, statimque actus veteris vitæ damnantes, pro salute redimenda non solito more ad stupida simulacra concurrunt, non aris fœtentibus funestos excitant ignes, non thura cremant, non merum profundunt, nec pecudum (20) inexspectata **210** morte rapti jecoris spirantis consulunt fibras, nec (21) per varios avium volatus conjecturis inanibus statum plumeæ salutis inquirunt; sed a suo corde remedium salutare deposcunt, spiritumque suum tota humilitate contribulatum ambitiose sacrificant: sicque legitime celebrata pœnitentia, Deum sibi propitium reddiderunt. Quod et nos (22) fecimus, et facere plerumque debemus, ut et præsentis temporis tentationes et futuri judicii evadere (23) pœnas mereamur per Christum Dominum nostrum.

(19) Edit. Ven. *quantum*.

(20) Ms. Pomp. *inspectata*; sed vulgata lectio, quæ aliorum est codicum, verior, cum sermo sit de animalibus et victimis, quæ vivæ improviso mactabantur, quorum exta, vel fibras adhuc *spirantes*, id est vitali adhuc motu agitatas, inspiciebant haruspices, et ex iis futura prædicabant. Morem autem haruspicum consulendi spirantes fibras et exta colligimus etiam ex illo vulgato Virgilii IV Æneid., 64 :

Spirantia consulit exta :

et ex Seneca in Œdipo :

Genitor quid hoc est? Non levi motu, ut solent,
Agitata trepidant exta, sed totas manus
Quatiunt, novisque prosilit venit cruor.

Ex disciplina aruspicum solemnis hæc erat sacrificandorum extorum formula : *Exta porriciunto*, ut testatur Verunius apud Macrobium, lib. III Saturn., cap. 2, et sane verbum *porricere* non nisi cum extis conjunctum reperire potuimus apud Plautum in Pseud. I, 3, 32, Virgilium V Æneid. 775. *Porrici* autem dicebantur proprie exta, quæ statim post cæsam victimam adhuc spirantem sacrificabantur diis; ex quo fluxit elegans illud proverbium : *Inter cæsa et porrecta*, apud Ciceronem, lib. V ad Attic., epist. 18, ut significetur nihil, aut vix quidquam temporis esse intermedium, sicut nihil intererat inter cæsas victimas et ipsorum exta porrecta Diis, unde Gentes exta semicruda et *leviter animata* porricere dixit Arnobius, lib. I, pag. 91. *Jecor* porro adhuc *spirans* inter omnia animalium exta hoc quoque Zenoniano præcipue ævo inspectum colligi potest ex Ammiano Marcellino, lib. XXII, init.

(21) Causabonus, pag. 164, in eum Lampridii locum, ubi Severus ὀρνεοσκόπος *magnus* fuisse traditur, vocis ejus græce explicationem ab hoc Zenonis loco petit : ὀρνεοσκόπον *Zeno Veronensis hac circumlocutione exprimit eleganter, qui per varios*, etc. Salutem autem noster Auctor *plumeam* vocat ob levitatem, et respicit aruspicum morem, qui ex avium *prætervolantibus pinnis turbido meatu, vel levi* (ut Ammianus Marcellinus notavit, lib. XXI, post initium) futura conjiciebant.

(22) Mss. Pomp. et duo Zen., *et fecimus*.

(23) *Pœnas* addidimus auctoritate codicis Zenoniani. Subinde uterque codex Zen. nec non Tol., Pomp., Vat. et Urb., *Per Jesum Christum Dominum nostrum*.

211 TRACTATUS XVIII.

De (1) *natali S. Arcadii, qui habet natale pridie idus Januarii in civitate Cesareæ Mauritaniæ.*

I. Dum beati Arcadii martyris gesta annalibus similiter codex Tolent. *De nativitate S. Arcadii martyris nati in civitate Cæsarea.* Hunc tractatum, qui auctorum S. Arcadii loco est habitus, Petrus Calo, ordinis Prædic., scriptor sæculi XIII, inseruerat in *Collectaneis* mss. quæ allegantur ab Henschenio tom. II, Aprilis die 12, pag. 74 et 76. Eumdem hunc tractatum edidit etiam Lippomanus tom. I Vit. SS., pag. 262. Surius et Bollandus tom. I, die 12 Januarii. Petrus de Natalibus cum Guillelmo Pastrengo ex Joannis Veronensis historia Imp. nondum edita Zenonis scripta commemorans, hunc tractatum epistolæ nomine appellat, et coævum Zenoni martyrem Arcadium facit, sed perperam, cum id ex ea fluat opinione, quæ jamdiu invaluit, Zenonem vixisse Gallieni temporibus, quam dissert. I, multis explosimus. Acta ejusdem martyris loco allegato edidit Bollandus, et ex eo Ruinartius in Actis sinceris pag 466. Bollandus autem Acta cum tractatu præsenti conferens, utrosque inter se ita congruentes et similes nactus est, *ut vel acta e sermone concinnata, vel ad ea adumbratus esse sermo videatur*, ut idem ait in præfat. ad eadem, pag. 722, num. 4. Acta e tractatu Zenoniano concinnata malumus; cum Zeno hujus martyris gesta *annalibus se mandare* testetur, ac si scripta antea non fuerint, quod non dixisset sane, si ipse ex Actis antea scriptis profecisset. Præterquam quod nitidior sæpe est Actorum sententia; improbabile vero est Zenonem ex nitidiori obscuriorem fecisse : quin ex aliis, quæ imitatus est, eadem; vel majore etiam perspicuitate in excerptis usus constanter invenitur. Adde quod Acta Arcadium in Achaia passum ferunt, quod in sinceris actis legi non potuit; non solum quia id Zenonianorum codicum auctoritati refragatur; sed etiam quod omnes, qui martyrii ejus locum memorant, Mauritaniam, non Achaiam, cum Zenonis codicibus consentientes præferunt. Usuardus *in Cæsarea Mauritaniæ*, Galesinius *in Mauritania*. Accedit quod hujus martyris mentionem faciunt Beda vulgatus, Ado, Notkerus, et alii Latini auctores, Græcus autem nemo; quod non accidisset, si in Achaia martyrium passus fuisset. Equidem in Hispania, ad quam ex Mauritania facilis transfretatio est, S. Arcadium cultum Bollandus probat in laudata præfatione num. II, et confirmat in Append., pag. 1109; Ruinartius vero conjecturam satis probabilem affert, qua in Acta Achaiæ nomen aliena manu intrusum credibile fit. Præter septem mss. Zenonianos in hoc tractatu emendando utemur editione Bollandi, qui *cum veteri codice S. Mariæ de Ripatorio aliisque mss.* eumdem abs se collatum testatur. Gaspar Barthius lib. XLVI Adversariorum cap. 7, hunc tractatum alicubi illustrat, ex eoque si quid sumemus, in ipsis adnotationibus auctori referetur. Nonnumquam tandem in iisdem annotationibus ad textus explicationem auctorum a Bollando et Ruinartio editorum præsidio utemur,

(1) Hic titulus in mss. Rem. et Pomp. legitur; cum in editis et ms. Zen. legatur tantum : *De S. Arcadio martyre.* Ms. Urbin, idem ac in allegatis duobus codicibus præfert, præter quam quod *Idus* pro *pridie Idus* librarii saltu perperam exhibet, et *Mauritaniæ* mentionem omittit. Codex autem Vat. sic : *Tractatus S. Arcadii* XXXIX, *nati in civitate Cesareæ*; et paulo ab-

Digitized by Google

triumphanda mandamus (2), in agonem immortalis laudis Christianus semper **212** ardor animatur. (3) Erit geminum de religiositate commercium, cum ad cœleste præmium populus accenditur, et de martyris meritis non siletur. Sed quis illustris martyrii palmiferam (4) trophæis coronam competenti valeat sermone disserere, (5) cum in uno corpore tot martyria videantur esse, quot membra? Armaverat diabolus satellites suos in Domini populum (6) veterani odii adsertor antiquus, et totam familiam (7) Domini impastæ feritatis grassatione turbabat. Indixerat (8) in homine Deo bellum, et infaustæ superstitionis (9) busto in nefas conscium toto mundo (10) funerum refecerat rogum. Scatebat per tecta culminum publicum scelus, nec fuerat locus in quo non erat pro religione sacrilegium. Cogebatur Christi populus vanis superstitionibus interesse, atque in cultum nefandi ritus nunc aut libamina (11) inceste profundere, aut ornatas ser-

A tis victimas trahere, aut gravia nidoribus thura succendere, aut inter fumidos ignes (12) pallenti **213** arvina, funesto sanguine prolitare, ut inclyti (13) administratione ministerii (14) Christianis mentibus Deus possit expelli.

II. Sed dum bellum duri certaminis geritur, et familia Domini cœlo spectante (15) probatur, Arcadius beatissimus martyr hujus inopinati (16) sacrilegii horrore percussus, paululum distulit pugnam, jam (17) debitus ad coronam. Nam postquam turbari urbem funesta conventione cognovit, ac singulos quosque ad funestum illud spectaculum trahi; contemptis universis facultatibus suis, amputatis radicibus sæculi, delitescens secessionis se commendavit umbraculo, (18) utrumque Christiano explicans voto, ut et non B longius videretur a prælio et secedendo Evangelicæ jussionis (*Matth.* x, 23) animaretur exemplo. Ecce in ejus hospitium velut in hostilem prædam grassan-

cum ea ex tractatu Zenoniano totidem fere verbis exscripta fuisse persuasum nobis sit.

(2) Vox *annalibus* abest a mss. Vat. et Tol. in quibus utrisque plurima in aliis mss. lecta et necessaria desiderantur. Bollandus autem legit: *Gesta cœlestis triumphi honore sublimia fidei annalibus recensenda mandamus.* Veremur ne hæc lectio a cæteris certisque mss. Zen. tanto circuitu dissentiens, profecta sit a liberiori amanuensis manu, qui Zenonis sensum potius quam verba referre subinde studuerit, quod etiam ex sequentibus confirmabitur, cum ex Zenonis tractatu apud Bollandum variantes lectiones subjiciemus. Putamus autem Bollandum mss. libris usum non Zenonianis, sed qui lectionaria vulgo appellantur, cujusmodi sane fuerunt illa, quæ Ruinartius vidit in Bibliotheca Colbertina et PP. Fuliensium Parisiensium, ubi eumdem tractatum insertum sine ullo C auctoris nomine animadvertit. In his autem quam licentius amanuenses quandoque egerint, exploratum est. Itaque a mss. Zenonis, nisi necessitas coegerit, non discedemus. Ex mss. Basilic. Vat., Pomp., Zen. *in agonem* correximus, cum alii scribant *in agone.* Iidem mss. pro *immortalis* habent *immortalitatis.*

(3) Apud Bollandum *fit geminum.*

(4) Itidem *tot trophæis.*

(5) Editio Ven. et Bollandus suggesserunt *cum* pro *dum.* In ms. Basil. Vat. *dum .. videntur.* Boll. addit: *cum in spiritali palæstra multiplex luceat sui numerositate victoria: cum in uno*, etc. Forte in Zenonianis codicibus illud membrum per librariorum saltum omissum est, ut alibi accidisse deprehendimus. Ne vero ea verba insereremus textui, effecit omnium mss. concordia, cum cæterum sententia optime constet.

(6) *Veterano odio desertor antiquus.*, Boll.

(7) *Christi impastæ* idem Boll. At ms. Urbin. *Domini in partem.*

(8) Mss. Pomp., Zen. et edito Ven. *in hominem Dei.* Codex Basilicæ Vaticanæ *in homine Dei.*

(9) Bustum quid significet, pluribus explicavimus tractatu 5 lib. I, adnot. 31.

(10) Sic apud Bollandum, a qua scriptura non multum discrepat lectio mss. Basil. Vat. et Pomp. *refunere cerat rogum* (in margine codicis Pomp. *resumere cera trugum*), et edit. Ven. cum. ms. Zen. *refundere cerat rogum.* In aliis et mss. et editis erat: *toto mundo refecerat rogum.*

(11) Sicuti *castus* pro integro et sancto accipitur, uti pluribus docet Basilius Faber in *Thesauro Eruditionis*, v. *Castus*, num. 2, ita *incestus* pro impio et scelesto, et *inceste* pro impie et sceleste adhiberi potuit. Livius I, 45, dixit: *Paras inceste sacrificium Dianæ facere*, id est non rite et contra leges, ut ex sequentibus colligitur. Barthius loco laudato Virgilii et Statii auctoritate hanc explicationem confirmat. Boll. *incesta* scribit. Dein *ornatus* pro *ornatas* in Cod. Basilicæ Vat.

(12) Mss. Rem., Tol., Vat., Urb. et Basilicæ Vat., *pallentia ruinis funesto.* Edit. Ven. *pallenti ruinis.* Ms. Pomp. *pallentia ruina*, et correctum posteriori manu, *pallenti arvina*; quæ lectio in aliis editionibus retenta fuit. Si *pallentia* legere placeat, referenda hæc vox erit ad *thura vel nidoribus gravia, vel inter fumidos ignes* pallentia. Sed tum quid τὸ *ruina*, vel *ruinis* intelliges? Præterea contextus ratio postulat, ut sententia præsens pertineat ad verbum *prolitare*, et significetur, *inter ignes*, qui ex *arvina pallenti fumidi* sunt (est autem *arvina pingue durum inter cutem et viscum*, quod alii *laridum* exponunt, ut notat Servius in vers. 627 lib. VII Æneid.) *funesto*, victimarum scilicet, *sanguine* Diis *prolitatum fuisse. Prolito* autem idem ac *perlito*, quod apud auctores legitur, et sacrificandi significationem habet, sicut et *lito*: atque cum ablativo constructum reperitur, uti Appuleius lib. VIII Metam., *Cruore litabo.* In actis S. Martyris hæc periodus effertur sic, ut arvinæ nomen retineatur. *Cogebatur Christi populus vanis superstitionibus interesse, et aut libamina incesta in cultum nefandi ritus profundere, aut victimas sertis corollisque ornatas trahere, aut redolentia thura succendere, et inter fumidos ignes nidoresque arvinæ bacchantium ritu psallere, ut his inclytis sacrificiorum exhibitionibus a Christianorum mentibus Deus posset expelli.*

(13) Edit. Ven. *administrationem mysterii*, male.

(14) Apud Bolland. *Christianis mentibus Deus posset.* Mss. Pomp. et Zen. *Christianis mentibus possit.* Ex utraque lectione correximus, cum alibi legeretur *Christi panis mentibus possit*; ubi *panis* pro Eucharistia D non recte hoc loco poni visus est.

(15) Codex Boll. cum *provocatur.*

(16) Apud eumdem *nuntii*: et *perculsus* pro *percussus.*

(17) Mss. Pomp. et Boll. aliam lectionem notant, idest *deditus*, Barthius hoc loco: *Quod apud Maronem*, lib. XII, *ait Æneas,.... Turnum jam debent hæc mihi sacra, bonum omen gloriosa de victoria præsumptione in sinu gerit, velut certus sit Turnum ipsi non posse resistere, modo congressu ejus potiri possit: hoc idem Zeno... Jam debitus ad coronam. Horatius: Debemur morti nos nostraque.* Post pauca pro *quosque* Ms. Pomp. *quoque*: melius Tol., Vat., Urb. et Basil. Vat. *quaque.*

(18) Ms. apud Boll. *verumque Christianum exhibens voto.* Ms. Pomp. *recedendo* pro *secedendo.*

Digitized by Google

tium satellitum præceps irruit manus : (19) festinat Dei famulum posse deprehendi, quem beati propinquus martyris, qui in ejus forte degebat **214** habitaculo, absentem esse assiduis vocibus inclamabat. Hunc vero profitentem ad nefandam custodiam noxiæ mentis (20) mancipes rapuerunt, quem oblatum sibi jubet crudelissimus rector acri observatione detineri. Ad futuræ gloriæ testimonium tale beatus Arcadius debuti martyrii quodam modo sequestraverat pignus, (21) in quo nec Christum relinqueret, nec propinquum. Statim (22) beatus martyr se latere non passus est; se ultro offerens judici, moram suam (23) voluntariæ præjudiciis excusavit. Cuicum provinciæ rector pristinæ ejus fugæ veniam sub pactione promitteret, si se vel sero nefandis superstitionibus (24) miscuisset, talibus in eum sanctissimus martyr vocibus exsiliit : Quid, inquit, vanissime omnium judicum? putasne aut de lucis istius incongruis usuris, aut de (25) præproperæ mortis subitis damnis familiam Dei posse terreri, cum sciamus Apostolica fide esse perscriptum : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum?* Excogita, quibus potes suppliciis, tormenta graviora : majoribus te furoris stimulis (26) accende : quamvis cruciatus exerce molem, (27) nos ideo non potes superare.

215 III. Statim judex viperei veneni felle commotus, jubet (28) non usitata animadversione pœnarum, nec usuali in reos lege carnifices in martyris membra sævire. (29) Viluerunt ungulæ, inutiles ictus visi sunt plumbatarum, stetit contemptus equuleus, crebri fustium imbres majoris pœnæ contemplatione neglecti sunt. Excogitatur novum stupendumque supplicium, quo se in homine vincere crederet Deum. (30) Incidantur, ait, ab articulis manus, a cruribus pedes; vivum se cadaver inspiciat. Cui beatus Arcadius ait : O insane hominum! fraudavit te furor tuus : adhuc erat in victima Domini, quod possis offerre. Amputandam linguam mandare nescisti, quæ in colluctatione martyrii prior solet Domino confiteri. Ductus est tandem beatus Arcadius ad exoptatum justis orationibus locum, et intuens cœlum stetit Deo spectante securus. Paraverat extensa futuris ictibus colla : nudaverat gladiis venientibus jugulum: putaverat se feralem judicis amentiam citæ mortis sorte satiare; dum subito manus jubetur (31) extendere, ac super cespitem nudus projectus in faciem, (32) pedum extrema nudare. Ecce inter ipsa supplicia vacare non sinitur, sed orationis instar per carnificis tormenta meditatur. Erexerat secundem percussor insanus, et signans oculis (33) vulneribus lineam, feralis ictus assidua contemplatione vibrabat. Hæserant confessionis suæ glutino intrepidæ martyris manus : nec salientes digiti futuræ mortis exitio palpitabant. Tanta fuit in martyris devotione constantia, ut omni corpore paratus veniret ad gloriam.

IV. Mox itaque ut (34) devotum corpus carnifex vidit, statim cadentis securis ictus nervorum connexa dissolvit, et cunctas compage **216** discussa junctu-

(19) Apud Boll. *sperans occupatione festina Dei famulum*, etc. Post aliqua *beatus propinqui martyris* in Vat., Urb., Zen. et Basil. Vat. pro *beati propinquus martyris*. *Beatus* item in Ms. Pomp. et edit. Ven.

(20) Tres mss. *mancipe*. Manceps autem publicanum et universim cujusque rei redemptorem sectoremque significat. At heic pro lictore et satellite accipi videtur, et commode a verbo *mancipo*, quod a *manu capere* originem ducit; unde Solinus cap. 20, de Gangavia : *Difficile est eam mancipari*, id est manu capi. Sensu non multum absimili S. Cyprianus ep. 69, *mancipem* vocavit sicariorum ducem, ut ex contextu liquet; et hoc plane sensu Lucifer Calaritanus Apolog. II pro S. Athanasio Imperatorem *mancipem latronum* appellat. Ad rem nostram magis apposite Prudentius in carm. de S. Vincentio martyre carceris custodem *mancipem* vocat : *Tum ipse manceps carceris et vinculorum janitor*. Post pauca pro *acri observatione* Acta habent *acri custodiæ observatione*, et referunt Rectorem jussisse Arcadii propinquum a mancipibus captum custodia detineri, *donec prodat locum, in quem Arcadius diffugisset*.

(21) Hæc apertius in Actis explicantur, in quibus traditur Arcadius, cum suum propinquum sui causa captum et custodia detentum intellexisset, latebras statim deseruisse, quod nollet neque Christi confessionem diutius dissimulare, neque propinquum suum sua causa afflictioni relinquere.

(22) *Itaque beatissimus martyr*. Bolland. Porro mss. Rem., Basil. Vat., Pomp., Zen. et Tol. cum edit. Ven. *martyrium latere* pro *martyr se latere*. Quinque mss. *judiciis*, et edit. Ven. *judicii moram* pro *judici moram*.

(23) Ball. *voluntariæ oblationis præjudiciis*.

(24) Idem Boll. *immiscuisset*.

(25) Ita ms. Rem. cum alii *properæ* habeant. Paulo post ms. Pomp. *Domini* pro *Dei* cum ms. Basil. Vat. qui pro *subitis* scribit *subditis*.

(26) Æquius ex Bolland. et Actis *accende* scripsimus, quam *accendam*, quod mss. et editi habent; cum martyribus non liceat tyrannorum iram accendere, sed tyrannorum potius sit semetipsos ob constantiam martyrum ad iram incitare. Dein pro *quamvis cruciatus exerce molem* mss. Urb., Vat. et Pomp. *quavis te cruciatus exerces mole*. Basil. Vat. *quamvis te cruciatibus exerces mole*.

(27) Bolland. et Acta *nos a Deo non poteris separare* In mss. Vatic. et Basilicæ Vatic. nec non in edit. Ven. pariter legitur *separare*.

(28) *Nova et inusitata animadversione*, in tractatu Zenoniano apud Surium. In Actis *nova et inaudita*.

(29) Erat in editis *Cessaverunt ungulæ*, idemque legitur in mss. aliquot recentioribus, At plerique et antiquiores, nimirum Rem., Tol., Vat., Urb. et Basil. Vat. *Voluerunt ungulæ*. Correximus *Viluerunt* ex Bolland. et Actis.

(30) Non in Actis solum, sed in Zenonis etiam tractatu apud Bolladum et Surium, qualis in Lectionariis antiquis legitur, non nulla inseruntur ex Actis, ut videntur, excerpta, quæ ab omnibus Zenonis codicibus absunt. Sunt autem hæc : *Jubet sanctissimum martyrem furoris sui conscii tradi, quibus nihil aliud imperat mandatorum, nisi ut non præpropero discessu martyris spiritus migraret ad cœlum. Expectet, inquit, mortem suam, et per membra distentus, proprii corporis laniatione vivum se cadaver aspiciat. Incidantur*, etc. Sic tractatus Zenonis ibi Acta modicum discrepant.

(31) Quatuor mss. *extendere vere ac super cespite a gesie nudus*, etc.

(32) Unus ms. apud Bolland. *pedem extendere, manum dare. Ecce*, etc.

(33) Bolland. *vulneris*.

(34) Apud Surium *devotum*, id est destinatum *vulneribus corpus*. Inferius *securis* desideratur in plerisque mss. Bollandus legit *securis ictu*.

Digitized by Google

ras corporis rupit. Exsilierunt exsectæ manus, et (35) venarum in se paululum stupore rursus in se rivus sanguinis ruens. Dehinc poplitibus surisque porrectis, a germana conjunctione naturæ gladio sævi latronis plantarum limes inciditur, et obsequio pedum corpus martyris viduatur. Numerent martyria, qui possunt numerare supplicia ; et in uno corpore quantum diabolus publicatus est furere, tantum agnoscatur Dominus triumphasse. Sed durat inter hæc martyris spiritus, et morarum numerositate servatus perstat vivus, parte sui corporis jam sepultus. (36) O dignus gloriosi exitus finis! Adscensurus altitudinem cœli, corporis sui impedimenta præmittit, et exsequiis funeris (37) sui ipse præcedit. Cui hæc est comparanda confessio? Machabæorum est jungenda numero : Eleazari est adæquanda proposito, comparanda consilio. Arcadius beatissimus martyr adhuc demoratur in sæculo, et jam martyr recitatur in cœlo. (38)

217 TRACTATUS XIX.

In illud (1) *Geneseos :* Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.

Nihil est, fratres dilectissimi, ante omnia homini timenti Deum tam necessarium atque conveniens, quam ut se ipsum noverit : etenim genus insaniæ est, (2) eum rationem secreti naturæ disquirere, qui vitæ suæ non possit reddere ; non enim ullo pacto potest humanis opinationibus substantia naturæ comprehendi, quam nemo novit, nisi ipse solus, qui fecit. Itaque, quod specialiter ad nostras pertinet partes, videamus, quid sit, quod Deus ait : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et fecit*, inquit, *Deus hominem ad imaginem et similitudinem Dei* (*Gen.* I, 26, 27) ; et alio loco dicat : *Ego sum, qui sum, et non demutor* (*Malac.* III, 6). Cum hoc ita sit, homo quemadmodum Dei imaginem portat? cujus (3) vultus passibilis, omni conversioni subjectus, momentis omnibus demutatur labore, ætate, languore, ira, gaudio, tristitudine, totque induit vultus, quot animi fuerint motus ; nullusque prorsus dies, quo jugiter sibi similis esse videatur. **218** Cum hæc (4) aliter non sint, ergone Dei imaginem non habemus? Habemus plane, et quidem manifestam ex eo ipso, quod non est nobis portantibus nota. Incomprehensibilis enim Dei imago invisibilis sit necesse est. Denique oculis non est subjecta carnalibus. Nam neque cum ingreditur corpus nostrum, neque cum de corpore egreditur, a quoquam deprehendi potest ; tantumque potestatis habet, ut, cum sui domicilii septo teneatur, tamen quidquid voluerit, omnibus momentis illustret. Non ergo carnale hoc domicilium imaginem Dei debemus accipere, sed cœlestis hominis (5) spiritalem, quam in se credentibus Dominus (6) ætherea nativitate renovatis plenitudinis suæ pio de fonte largitur per Dominum nostrum Jesum Christum.

(35) Bolland. *et redeunte in se venarum metu paululum stupore fugitivo rursus in se rivos sanguinis ruens unda cruoris effudit. Dehinc*, etc. Barthius autem textum sic corrigendum satis probabiliter judicat. *It venarum in se paululum stupor, et rursus in os* (vel *ora*) *rivus sanguinis ruens.*

(36) Addit Boll. *Remoratur in luce detentus, cujus membris jam plenus est tumulus. O dignus*, etc.

(37) *Sui* addidimus ex Boll. Paulo post, *hæc est comparanda* restituimus ex mss. Remensi, Basilicæ Vaticanæ, Pompeiano, et editione Veneta, cum *τό est* in reliquis absit.

(38) Boll. hæc in fine addit. *Ut si nomen Domini benedictum, qui regnat in sæcula sæculorum. Amen.*

TRACT. XIX.—(1) Hic, et qui sequitur tractatus, paucis additis, quibusdam mutatis, sunt plane iidem. Utrique in mss. et edit. Ver. *de Genesi* inscribuntur. Sed cum tractatus de Genesi quatuor, qui de æterna divini Verbi generatione disserunt, initio hujus libri positi inter eos sint, qui de eodem argumento disputant ; huc autem rejecerimus illos, qui non nisi locum aliquem Scripturæ interpretantur ; inscriptionem nonnihilum immutandam credidimus.

(2) In edit. Ven. *eum* vox desideratur. Ab eadem porro edit. et a mss. Tolent, Vat., Zen., Pomp. absunt hæc : *qui vitæ suæ non possit redere*, quæ tamen verba leguntur in aliis codicibus, nec non in tractatu sequenti. Punguntur autem hoc loco curiosi, in quos vide tract. 16, num. 2.

(3) Hæc, et quæ subjiciuntur, contra Audium, vel Audæum dicta videri possunt, qui, ut ex Epiphanio intelligimus, hæres 70 ; testimonio Geneseos abutebatur, ut Dei imaginem non in anima, sed in corpore sitam ostenderet ; quam hæresim Philastrius quoque commemorat hær. 97. Probabilius tamen illos Zeno ferire voluisse credendus est, quos coævus Zenoni auctor S. Hilarius refellit in ps. CXXIX, cujus commentarium quidem nostrum Auctorem vidisse, et nonnulla exinde alibi decerpsisse ostendimus tract. 17 lib. II. Hos eosdem videtur impugnare etiam S. Athanasius orat. contra Gentes n. 34, et Marius Victorinus lib. I adversus Arium, qui idem Zenonis argumentum eamdemque loci Geneseos interpretationem inculcat atque defendit. Num hi omnes opponantur sententiæ quorumdam antiquorum Patrum Dei imaginem in corpore collocantium, quos luculenter recenset Petavius lib. II de Opific. sex dierum cap. 2, alii dijudicent. Nobis satis est plerosque Patrum Dei imaginem ex anima repetentium cum Zenone sentire, quos ibidem apud Petavium legere poteris.

(4) Ms. Urbin. *taliter sint.*

(5) Frequens apud Patres est, non aliter nos Dei imaginem gerere, quam quod in sacramentis, ac præsertim in baptismate Spiritus sancti gratia *obsignati* sumus, qua imaginem Filii, qui vera imago est Dei Patris, exprimimus. Vide plura Patrum testimonia apud laudatum Petavium tom. II, lib. VI, cap. 5, num. 10 et seq.

(6) Perspicue hic baptizatos innuit, quos *ætheream gentem*, *ætherea veste* indutos alibi appellat ; et gratiam, quæ in baptismo per Spiritum sanctum infunditur, imaginem Dei exprimere non obscure credidit. Epiphanius hær. 70, num. 3, et in Ancor. num. 55, imaginem Dei in baptismo haud ponendam putat, immo nulla in re, quæ nobis cognita sit ; et illud unum Ecclesiæ traditione nobis esse compertum affirmat, hominem ad imaginem Dei esse factum, ut ne tamen ullam in hominem rem, vel partem definire liceat, in qua ea imago collocanda sit. At cum alii Patres Dei imaginem explicare non dubitarunt : tum vero ex iis non pauci in gratia sanctificante, quæ per sacramenta, ac præsertim per baptisma infunditur, collocant ; a quibus non multum discrepant, qui cum Paulo apostolo ad Coloss. III, v. 10, hanc Dei imaginem in interiori homine et *novo* constituunt, *qui renovatur*, utique in sacramentis et per gratiam, *secundum imaginem Dei, qui creavit illum.* Vide quæ sub finem tractatus seq. Auctor in eamdem sententiam disserit. Legendus etiam Philastrius hæres. 134 et 147.

Digitized by Google

219 TRACTATUS XX.

(1) *In eumdem locum Geneseos.*

In quo paucis additis, quibusdam mutatis, continentur ea quæ in superiore.

Nihil est, fratres dilectissimi, ante omnia homini nato tam necessarium atque conveniens, quam ut se ipsum noverit : etenim genus insaniæ est, eum rationem secreti naturæ disquirere, qui vitæ suæ non possit reddere : non enim elementa pulchrius aut verius verbis humanis adseri possunt, quam a Deo facta sunt, vel videntur. Itaque quod ad nos pertinet, videamus, quid sit, quod Deus ait : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et fecit*, inquit, *Deus hominem ad imaginem et similitudinem Dei* (*Gen.* I, 26); et alio loco dicat : *Ego sum, qui sum; et non demutor* (*Malac.* III, *v.* 6). Cum hoc ita sit, homo quemadmodum Dei imaginem portat? cujus vultus omni conversioni subjectus momentis omnibus immutatur labore, æstu, languore, gaudio, tristitudine : nunc macie deformis, nunc enormi pinguedine : usque adeo incertus, ut idem in duobus per orbem totum non possit inveniri terrarum. Igitur in Deum cum hæc non incidant, Dei (2) imaginem non habemus? Absit fratres. Habemus plane, et quidem manifestam ex eo ipso, quod non est portantibus (3) nota : incomprehensibilis enim Dei imago invisibilis sit necesse est. Denique oculis non est subjecta mortalibus ; nam neque cum ingreditur corpus, neque cum de corpore egreditur, a quoquam conspicari potest : tantumque potestatis habet, ut cum sui domicilii septo teneatur, tamen quidquid voluerit, omnibus momentis illustret. Non ergo carnale **220** hoc indumentum imaginem Dei debemus accipere, sed cœlestis hominis spiritalem, quam nobis plenitudinis suæ pio de fonte largitur. Quam rationem Paulus evidenter prodidit dicens : *Quemadmodum portavimus imaginem ejus, qui de limo est, portemus et ejus imaginem, qui de cœlo est :* quam qui sancte portaverint, sicut Apostoli omnesque justi, non tantum imaginem, sed ipsum Deum quoque portabunt, sicut et scriptum est : *Vos estis templum Dei, et spiritus Dei habitat in vobis* (I *Cor.* XV, 49).

TRACTATUS XXI.

De (1) *Psalmo centesimo.*

I. Negligentes (2) legis sacræ cultores sæpe magno implicantur errore, cum aut dicta non pro locis intelligunt, aut dictorum minime rationes inquirunt. Igitur in præsenti psalmo Propheta cum dicat : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Ps.* C, *v.* 1), quomodo Dominus in Evangelio dicit : *Qui credit in me, non judicabitur; qui autem non credit, jam judicatus est* (*Joan.* XXXI, 8) ? Hoc dicendo eximit judicio fideles, non admisit ad judicium infideles. At si utræque partes judicio vacant, **221** quomodo unicuique merces pro suo actu (3) reddetur? sine causa etenim laborare videbitur justus, nisi recipiat secundum facta sua, quæ gessit, injustus. (4) Non ergo sic accipiendum est, quemadmodum ab

Tract. XX. — (1) Hic tract. in omnibus mss. est trigesimus libri II et postremus omnium, qui Zenonem auctorem habent: statim enim adduntur alieni, et in ms. quidem antiquissimo Remensi charactere alio aliaque manu descripti, quos in Appendicem rejecimus. In eodem ms. Rem. nec non in Tolent., Vat., Urbin. hic titulus legitur: *De Genesi cujus supra;* et in fine tractatus hæc scribuntur : *Explicit de Genesi cujus supra*, ubi voces *cujus supra* ad S. Zenonem tractatus auctorem adserendum pertinent, cujus quidem nomen aliis anterioribus tractatibus in titulo, vel in fine expresse notatur. In ms. autem Pomp. hic tractatus Zenonis nomen præcipue appellat, cum alibi sileat : *S. Zeno Veronensis de Genesi*, ut ne de ejus Auctore dubitare quispiam possit.

(2) Mss. Rem., Tol., Vat. et Urb. *ergo Dei.*

(3) Duo codices Tol., Vat. *nota in corpore : incomprehensibilis*, etc.

Tract. XXI. — (1) Hoc in tract. S. Zeno ante oculos habuit Hilarii Comment. in ps. I, ac ex eo nonnulla imitanda sumpsit; ita ut alia quidem aliis, alia vero totidem quandoque verbis expresserit, quod ex subjiciendis adnotationibus constabit. Stylus tamen præsentis tractatus Zenonem aperte prodit: et præterea recte *in psalmum centesimum* inscribitur ex verbis : *Igitur in præsenti psalmo Propheta cum dicat : Misericordiam et judicium*, etc., quæ de psalmo centesimo sumpta sunt, ac proinde diversus hic est ab Hilariano tractatu, quem in primum psalmum fuisse habitum liquet. Hic autem unicus est Auctoris tractatus in psalmos (qui enim duo *de psalmo* XLI inscribuntur in mss. Zenonianis, ii sunt proprie *Invitationes ad fontes*, non ejus psalmi interpretationes, ut adnotabimus suo loco in tract. 35 et 36), et habitus apparet occasione psalmi centesimi inter sacra officia recitati, in quem Hilarius Commentarium non edidit. Cæteri autem tractatus quinque in psalmos, qui Zenonis nomine circumferebantur, Hilario auctori restituimus, et in Appendicem rejecimus iis argumentis, quæ partim diss. I, cap. 1, § 2, partim in præfatione ad eamdem Appendicem consideranda proposuimus. Interim præsentis Zenoniani tractatus inscriptionem, quæ in mss. legitur, animadvertere liceat, quæ sic effertur : *Incipit tractatus psalmi centesimi*, simili plane formula, ac aliis tractatibus vere Zenonianis præfigitur, uti *Incipit tractatus Isaiæ : Incipit tractatus Danielis*, etc., ubi Hilariani quinque alia formula sic omnes inscribuntur : *Interpretatio psalmi* CXXVI, *de psalmo* CXXVII, etc., ut conferenti manuscriptorum tabulam, quam post monumenta dedimus, patebit.

(2) Primas Zenonis sententias his verbis Hilarius brevius exposuit num. 16 : *Negligentiam audientium et incuriosam legentium facilitatem dicti Dominici sermo perturbat. Cum enim dicit :* Qui credit in me, non judicabitur, *exemit judicio fideles; et cum subjecit :* Qui autem non credit, jam judicatus est, *non admisit ad judicium infideles.*

(3) Edit. Ven. *reddatur.*

(4) Alia Hilarius difficultate proposita ex alio Evangelico testimonio, sic aliis verbis prosequitur, quæ Zenonem heic imitatum apparet. *Et hæc quidem ita esse auditoribus negligentibus et lectoribus incuriosis videbuntur. Cæterum in se virtus ipsa verborum proprietatem dicti, et intelligentiam continet.* Tum iisdem fere ac Zeno verbis num. 17 : *Qui credit*, inquit, *non judicabitur. Quid enim necesse est judicare credentem? Judicium enim ex ambiguis rebus exsistit, et ambiguitate adempta, judicii non desideratur examen. Ex quo nec infideles quidem necesse est judicari; quia ambiguitas, quin infideles sint, non resedit.* Ex hac Hilariana lectione emendavimus *judicari*, pro quo apud Zenonem legebatur *judicare*. Zenonis porro hac super re sententia, quacum Hilario nonnullos ab extremi diei judicio eximere videtur, vindicata nobis fuit dissert. 2, cap. 9.

Digitized by Google

imprudentibus æstimatur. Cæterum Domini dictum quo sit pondere, quave ratione prolatum, explanat proprietas ipsa verborum : *Qui credit*, inquit, *in me, non judicabitur* (*Joan.* III, 18). Recte : quid enim necesse est judicare credentem? judicium enim ex ambiguis rebus exsistit, adempta ambiguitate, judicii non desideratur examen. Ex quo nec infideles necesse est judicari, quia jam sua sunt incredulitate damnati; ex hac enim vita quis secum aut coronam portat, aut pœnam? Quam rationem David in psalmo (5) primo his verbis expressit : *Non resurgunt*, inquit, *impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum* (*Ps.* I, 5). Gradatim pro meritis, quasi cum quibusdam (6) elogiis, paucissimis verbis totius humani generis judicium designavit : etenim quantum interest inter impium et peccatorem, **222** tantum interest inter peccatorem et justum. Denique (7) etiam ipse impiis judicium, quia jam sua impietate præjudicati sunt, non derelinquit : neque peccatores, qui judicandi sunt, justorum, qui non judicabuntur, dignos esse consilio existimavit.

II. Nunc scire debemus (quoniam justi vitæ perpetuæ, impii æterno sunt destinati supplicio, nullaque eos cognitio exspectat ulterius) quinam sint isti, quibus est judicium præparatum : et a quo scire debemus, nisi ab ipso Domino, qui suum dictum prosequitur dicens : *Hoc est autem judicium, quia lux venit in hunc mundum, et dilexerunt homines tenebras magis, quam lucem* (*Jo.* III, 19)? (8) Ambiguos utique Christianos designavit, ac lubricos, qui inter pios impiosque sint (9) medii, nullam partem tenentes ad plenum, cum utramque tenere non desinunt. Fideles non sunt, quia habent aliquid infidelitatis insertum. Infideles non sunt, quia habent imaginem fidei, professione Deo, factis sæculo servientes. Volunt nosse legem, nolunt ejus præcepta servare. **223** Signum salutare venerantur, et tamen a (10) mysteriis dæmonum non recedunt. (11) Multos namque Dei metus in Ecclesia continet, sed tamen eos mundana voluptas ad se trahit. Impii non manent, quia his Dei nomen in honore est. Pii non sunt, quia patrem venerandum pravis moribus lædunt. Orant,

(5) Ms. Rem. *secundo*. Si primus psalmus pro secundo allegaretur, res nec exemplo, nec ratione careret : nam similiter in vulgata interpretatione Act. XIII, psalmus *primus* appellatur, qui *secundus* nunc est; et *primus* item in nonnullis Græcis Actorum exemplaribus dicitur, licet alia *secundum* nominent. *Primum* quoque vocat Petilianus, apud Augustinum, lib. II, num. 202, et præterea primum ac secundum psalmum uno contextu olim pro uno psalmo habitum non nulli docent, quos apud Hilarium, in ps. II et in notis ad eumdem, legere poteris. At quomodo primus psalmus potuerit a Zenone notari secundus, ratio nulla nullum exemplum subindicat; ac proinde antiquissimi licet codicis lectionem deseruimus, prælata aliorum scriptura, qui *in psalmo primo* similiter exhibent.

(6) *Elogium* varie, et non in bonam solum, sed in malam etiam partem quandoque sumitur. Nunc sententiam condemnationis significat, ut apud antiquum auctorem tractatus de Fide orthodoxa contra Arianos in Append. S. Ambrosii relatum, qui sub Gregorii Orientalis nomine a S. Augustino laudatur, et creditur Gregorius Bæticus Zenoni coævus : sic autem ille, p. 348 : *Qui elogio Arianæ labis addicti sunt*, id est sententiæ in Arianos latæ. Ammianus Marcellinus, lib. XIV, pag. 17, edit. Lindembrogii, *Athenienses ordinis vertices sub uno elogio jussit occidi*. Pag. 47 : *Constabat nos omnes sub elogio uno morte multandos :* et lib. XIX, pag. 164 : *Per elogium principis torqueri præceptum*. Mittimus alia apud eumdem frequentia. Huc forte pertinet *elogium*, quod appellatur et a Victore Tunonensi, lib. de Pœnit, cap. 6 Append. Ambrosii : *Deletum est statim condemnationis elogium lacrymis confitentium;* et ab auctore tract. de Martyrio Isaiæ, quem dabimus in appendice, *futuræ damnationis elogio :* nisi hisce in testimoniis indicetur fortassis non tam condemnationis sententia, quam ratio, quæ sententiæ causam dedit, et in sententiis quidem ferendis exprimi nonnumquam solebat. Sic in antiquissima Actorum S. Theclæ interpretatione, quam edidit Jo. Ernestus Grabius, tom. I Spicilegii pag. 108, hæc habentur, in quibus causa significatur, propter quam illa damnata fuerat. *Erat enim eulogium* (forte *eclogium* scriptum olim fuerat, ut scribendum quidam contendunt, pro *elogium*) *ejus scriptum, Sacrilega*. Lib. XLVIII D. tit. 3, l. 6, *de elogiis* inscribitur, et hoc nomine capitis judicium significatur, in quo reorum Acta et damnationis causa describitur : et l. 11 : *Remittat illum cum elogio ad eum, qui provinciæ præest*. Similiter etiam in exhæredationum libellis exhæredandi causa, quæ ibidem exprimebatur, *elogium* apud auctores nuncupatur. Vide Petronium Arbitrum cap. 53; Quinctil. lib. VII Instit. cap. 4, et declam. 2, num. 15; Appuleium in Apologia. Ex his itaque Zeno justorum impiorumque gesta, quibus æterni præmii suppliciique causam dedere, *elogium* vocavit.

(7) Hunc locum Hilarius post multa, quæ S. Zeno transposuit, exhibet his verbis num. 18 : *Impiis judicium, quia jam judicati sunt, non reliquit : peccatoribus autem.... consilium justorum, quia judicandi sunt, denegavit. Illos enim præjudicatos impietas facit; hos vero peccatum detinet judicandos.*

(8) Heic repetenda sunt nonnulla ex num. 17 Hilarii, quæ S. Zeno aliis fere verbis luculentius expressit : *Sed adempto in credentes, non credentesque judicio, causam Dominus judicii, et auctores, in quos judicari necesse sit, adjecit. Sunt enim alii inter impios piosque, qui medii sunt, ex utroque admisti, neutri tamen proprie, quia in id ipsum constiterint ex utroque : nec fidei admiscendi, quia sit illis aliquid infidelitatis insertum, nec infidelitati deputandi, quia aliquid habent et fidei.*

(9) *Medius* apud hujus ævi Scriptores dicebatur, qui nec bonus omnino, nec malus. Præter locum Hilarii nuper laudatum adnot. 8, Flavius Vopiscus in Caro : *Veniamus ad Carum medium, virum inter bonos magis, quam inter malos principes collocandum*. Ammianus Marcell. lib. XIV, pag. 24, edit. Lindembr. imperatorem Constantium *medium principem* similiter vocat. Tacitus licet ætate major, lib. I hist. cap. 49, de Galba ait : *Ipsi medium ingenium, magis extra vitia, quam cum virtutibus*. *Ambigui* Christiani vocati sunt a Zenone, *dubii* autem ab Herma, lib. III, cap. 21.

(10) Sic mss. Rem., Pomp., Zen. et Spar. Cæteri cum editis *ministeriis*.

(11) Sequitur Hilarius, num. 17, partim eodem, partim alio ordine : *Plures namque Dei metus in Ecclesia continet; sed eosdem tamen ad sæcularia vitia sæculi blandimenta sollicitant. Orant, quia timent; peccant, quia volunt; Christianos se nuncupant, quia bona est spes æternitatis; gentilia agunt, quia blanda præsentia sunt. Impii non manent, quia his Dei nomen in honore est : pii non sunt, quia quæ pietati sunt aliena, sectantur.*

Digitized by Google

quia timent : peccant, quia volunt. Unde non est absolutus reatus, ubi de amoris comparatione duarum (12) contrariarum sibimet partium judicium flagitatur; ambiguitas enim nisi fuerit discussa, jure non potest mereri sententiam. Et qui sunt isti, quos ambiguitas (13) judicio reservavit? Utique illi, sicut Apostolus quoque ait, *qui cognitum Deum non quasi Dominum honoraverunt, neque ei gratias egerunt, sed vanis persuasionibus cogitationes eorum abductæ sunt, et tenebris opertum* (14) *est cor eorum* (*Rom.* I, 21), ut diligerent magis tenebras quam lucem, creaturam potius quam creatorem.

III. Itaque tria convenit esse judicia. Unum justorum, qui non tantum, ut dictum est, non judicabuntur, (15) sed istum mundum judicabunt, Apostolo dicente : *An nescitis quia sancti de hoc mundo judicabunt* (I *Cor.*, VI, 2)? Alterum impiorum, qui non sunt judicandi, quia jam judicati sunt, sed perituri, Scriptura dicente : *Iter impiorum peribit* (*Ps.* I, 6). Tertium peccatorum, quorum obliquæ ancipitisque vitæ sunt necessario discutienda secreta, Apostolo utrumque prosequente, nam *qui sine lege*, inquit, (16) *peccaverint, sine lege peribunt. At qui in lege peccaverunt, per legem judicabuntur* (*Rom.* II, 12). Videtisne, fratres, multum interesse **224** inter damnatum et judicandum? Quam judicii formam etiam ipsa humanitas, quamvis injusta sit, servat. Nemo namque paterfamilias honesta fidelitatis suæ lucra offerentem sibi suum servum judicat, sed honorat, ut filium. Alterum vero, quem venena conterentem, in adulterio, in homicidio, (17) in falso, in maleficio deprehenderit, carnifici destinat statim non audiendum, sed competentibus pœnis excruciandum. Tertium quoque, quem adverterit fraudulentum, coloratis ratiociniis sua furta excusantem, reservat exa-

(12) Ms. Tol., *contrarium sibimet partium judicium*. Dein pro *discussa* ms. Urb., *discursa*.

(13) Tres codices et edit. Ven. addunt *suo*. Post pauca in Apostoli textu ms. Pomp. pro *non quasi* scribit *numquam*, et ms. Tol. *Deum* pro *Dominum*.

(14) *Est* addidimus ex mss. Pomp., Urb. et Zen.

(15) Verba *sed istum mundum judicabunt* supplevimus e mss. et edit. Ven.

(16) Mss. Tol., Pomp. et Urb., *peccaverunt*.

(17) Legebatur *in falso maleficio* : correximus auctoritate trium codicum et primæ editionis.

(18) Ms. Pomp., *per Dominum nostrum Jesum*, etc. Verba *cum Spiritu sancto* desiderantur in ms. Tol., Ed., Ven. cum Mss. Urb. et Pomp., in fine add. *Amen*.

TRACT. XXII. — (1) Cod. Rem. et Tol. *exsultavi*. Hoc porro Isaiæ testim. Lactantius utitur lib. IV Instit. cap. 11, eodem, quo S. Zeno, consilio, Christum idcirco carnem adsumpsisse ostendens, ut religionem sanctam Dei a Judaico populo abjectam ad Gentes transferret.

(2) Mss. et edit. Ven., *hortatur nos* ; sed perperam, cum ad *personas alias* referatur. In fine præsentis numeri 1, ms. Urb., *contempserunt* pro *contempserint*.

(3) In manuscriptis variis et contaminatissimus hic locus est. Primo in mss. Pomp., Tolent. et Basil. Vat. desunt verba : *De cœlo et terra*, quæ alibi et in editis leguntur. Dein *tantum* pro *testatum* scribit ms. Rem. Quocumque autem modo legas, difficilis sententia elicitur. Reliquimus textum, ut in editis, et aliquot mss. reperitur. Sparaverius scribendum putat : *Cœlum et terram prophetam fuisse testatum, quasi*

A mini, ut ponderatis damnis rebusque servatis, sententia in eum, prout debitor exstiterit, jure possit promi. Ita erit, ut justis corona, peccatoribus aut excusatis, aut emendatis indulgentia, impiis autem æterna pœna tribuatur. Per (18) Dominum Jesum Christum, qui est benedictus cum Spiritu sancto in æterna sæcula sæculorum.

TRACTATUS XXII.

In Isaiam I.

I. *Audi cœlum, et percipe auribus terra, quoniam Dominus locutus est : Filios genui* (1) *et exaltavi, ipsi autem me spreverunt* (*Is.*, I, 2). Grandem Judaicæ gentis offensam libri istius exordia proloquuntur, et iracundiam divinæ indignationis ostendunt, quæ alias personas, ut verbum Dei ab ipsis potius audiatur, hortatur : (2) non est enim parum criminis, ut semper apud ipsos divinus sit sermo prolatus, nunc alteris videatur ingestus. Unde rejectio Judæorum est aliarum electio **225** personarum; quia cum alteris, ut verbum Dei audire debeant dicitur, Israel sic reprobus invenitur; et dum clamat propheta : *Audi, cœlum, et terra*, significat, quod illi audire contempserint.

II. *Audi*, inquit, *cœlum, et percipe auribus, terra*. (3) De cœlo et terra prophetam fuisse testatum, quasi de aliqua re esse conquestum? Vel, cum dicit : *Audi, cœlum, et terra*, tamquam numquam aut cœlum audierit, aut terra, cum (4) jussui Dei et cœlum obsecundet, et terra, quia cœlum pluvias, et fruges terra non denegat? Sed quia hæc prophetia novissimis erat complenda temporibus sub Dómini salvatoris adventum, qui non esset a Judæorum populis audiendus, quod eum Apostoli essent, et homines ex Gentibus audituri, ideo ait : *Audi, cœlum, et terra*. Cœlos autem Apostolos esse claro testimonio verita-

de re aliqua esse conquestum, id est prophetam advocasse cœlum et terram in testimonium de questubus, quos non in ipsos, sed in filios ingratos effudit. Hanc quidem conjectationem confirmant ea, quæ sequentibus in tractatibus subjiciuntur, cum scilicet tract. 24 ait : *Cœlum terramque testes citat* ; et tract. 25, *Censuit eos cœlo et terra testibus denotare* ; ac tandem tract. 26 : *Injuriæ suæ testes citat cœlum terramque*. Sed alia prorsus esse videtur hujus loci sententia. Prophetæ nimirum verba S. Zeno interpretaturus, cum cœli terræque nomina non proprie de terra et cœlo accipienda existimet, sed, ut mox subdit, de Apostolis et Gentibus; hoc loco ad ejusmodi interpretationem gradum facturus, litteralem sententiam de cœlo terraque non posse accipi ex eo insinuat, quod nihil sit, cur propheta de cœlo terraque proprie conqueratur, *tamquam numquam aut cœlum audierit, aut terra*, etc. Itaque recte per interrogationem hoc testimonium efferendum fuit, ut rejectæ litteralis interpretationis consilium indicaretur. Quod si nullo codicum suffragio manus inferre liceret in textum ; subaudita statim ab initio aliqua interrogationis particula, aut verbo, ex. gr. *credibilene est*, vel aliquid simile, scriberemus : *Credibilene est de cœlo et terra prophetam fuisse testatum, vel quasi de re aliqua esse conquestum, cum dicit : Audi cœlum et terra, tamquam numquam*, etc. *Dicit* pro *dicitur* ex quinque mss. posuimus.

(4) Quatuor mss. Rem., Pomp., Zen. et Basil. Vat. *jussu Dei et cœlum obsecundetur*. Hoc postremum verbum *obsecundetur* est etiam in ms. Vat.

tis affirmat, sic enim ait : *Et videbo cœlos opera digitorum tuorum* (*Ps.* VIII, 5). Hæc utique non de cœlis istis loquitur, quos semper viderat, sed de Apostolis, quos videre optabat. Et iterum : *Texit cœlos virtus ejus* (*Habac.*, III, 3) ; eo quod Apostolos ad mirabilia facienda Spiritus sanctus obumbravit et texit. Et denuo : *Cœli*, inquit, *enarrant gloriam Dei* (*Ps.* XVIII, 2). Et hæc utique non jam cœlos loqui dicit, quos loquentes nullus audivit, sed Apostolos adseverat, quorum prædicatione gloria Domini **226** per tota terrarum spatia nuntiata est. Terram homines intelligendos frequens prophetarum adsertio demonstravit : *Jubilate*, inquit, *omnis terra*. Et alibi : *Audi*, inquit, *terra, ex ore meo* (*Ps.* LXV, 2) ; quo vocabulo Gentiles (5) homines sine dubio comprehendit, in quibus adhuc erant opera terrena. Hoc est ergo, quod ait : *Audi*, *cœlum*, *et terra*, quod Judæis non audientibus, Christus Dominus esset ab Apostolis et Gentibus audiendus.

III. *Filios*, inquit, *genui et exaltavi*. Hæc Domini vox est, quia jam tunc per prophetam Judæos objurgabat incredulos, et quæ essent futura, priusquam fierent, admonebat. Proprium est enim Dei scire transacta, et nosse ventura. *Filios*, inquit, *genui et exaltavi*. Infinita Judæi infidelitate sua apud Dominum nostrum odia meruerunt, (6) quod jam quanta fuit de amore gratia, tanta de eorum offensione futura vindicta est : certum est enim in eum filium, posteaquam deliquit, (7) granditer vindicari, quem pater plurimo dilexit affectu ; et quantam pietatem dilecto filio amatus pater exhibuit, tantam læsus exigit ultionem, quia cum vicem non reddidit patri dilectus filius, dignam sententiam percipit abdicatus : cujus enim impietas paterno affectui parem gratiam non refert, quantum sit criminis dici non potest, A Deum patrem non dilexisse, cum peccatum sit, hominem non amasse. Unde infelices et miseri sunt Judæi, qui Deum patrem, a quo sunt geniti, respuerunt, tanti immemores honoris, tantæ dignitatis ignari. Quid enim beatius, quam si homines Deus paterno honore dignetur attendere, et tanta illa sublimitas humanam mediocritatem aut caram habeat, aut dilectam ? *Filios*, inquit, *genui*. Hoc Dominum de hominibus dixisse quam dulce est ! talem patrem læsisse quam turpe ! *Filios genui et exaltavi*. Utique filios Israel Dominus genuit, qui Abraham, unde nascerentur, elegit (*Gen.* XII, *Exod.* XVII). Hos in Ægypto genuit, ubi ingressis paucis hominibus innumerabilis multitudo processit, et ad eremum Dominus perduxit manu forti et brachio excelso (*Ps.* B CXXXV, 12). Exaltatus est Israel, quando per triduum tenebræ (*Exod.*, X, 22), et caligo totam Ægyptum circumdedit. Exaltatus est Israel, quando tot et tanta tormenta Ægyptiorum solus ipse nihil aut timuit, aut sensit. Quid illud quod per mare medium, terrenum duxit ingressum ? (*Ib.*, XIV) **227** (8) Quid, quibus de cœlo quotidianum manna in eremo (*Exod.*, XVI), potus e saxo (*Exod.*, XVII), per lignum amara aqua dulcis effecta ? quam per lignum crucis, amaritudine Gentilitatis exclusa, bibituri essemus (*Exod.*, XVI, 17). Exaltati filii Israel, quando (9) ad Jordanem securus ab Horeb accessit. (*Deut.* I.) Quid quotidiana Dei (10) colloquia (*Exod.*, *c.* 14) ? *Ipsi autem me spreverunt* ; ad crucem enim perduxerunt, per quam crucem evaserunt Pharaonem ; C sed iterum *derelinquetur filia Sion* (*Is.* I, 8).

Videntur deesse nonnulla.

228 TRACTATUS XXIII.

In (1) *Isaiam* II.

Sicut Isaiæ beatissimi indicat carmen, Judaico

(5) Vox *homines* desideratur in ms. Tol.

(6) Scripsimus *quod* pro *quo* ex ms. Pomp. Forte etiam pro *quo*, vel *quod jam* legendum est *quoniam*. Ms. Urb., *de timore* pro *de amore*.

(7) Sidonius hoc adverbio utitur lib. VII, epist. II, et aliis in locis. Post pauca *amator pater* pro *amatus pater* in ms. Urbin. et *Dominum* pro *Deum* in ms. Pompeian.

(8) Varia et corrupta hæc est cum editorum, tum manuscriptorum lectio. In editis sic legebatur : *Quid, quibus de cœlo quotidianum manna in eremo, et aquæ potus e saxo, quæ per lignum amara dulcis effecta, quam per lignum crucis amaritudine exclusa Gentilitas bibituri essemus ?* in quibus præterquam quod *nos ex amara dulcis effecta* legendum esse, *et* τὸ *Gentilitas* perperam positum videtur pro *ex origine Gentiles*, illud maxime offendit, quod miraculum aquæ amaræ in dulcem conversæ, Exodi XVI, non de aqua affirmatur, quam e saxo per virgam Moyses eduxit, sed de aqua, quam in Mara inventam, cum Judæi præ amaritudine bibere non possent, injecto in illam ligno, seu virga Moyses dulcem effecit. Plerique mss. nihil remedii adferunt, sed potius novas difficultates ingerunt. In Tol. desunt *et aquæ* : in Pomp. et Zen. *et* conjunctio tantum desideratur. In Rem. : *Quid quibus de cœlo quotidianum in eremo potus e saxoque per lignum amara dulcis effecta, quæ lignum crucis*, etc. In Vat. : *e saxo, qui per lignum amara dulcis effecta, quæ lignum crucis amaritudinem*, etc. Tandem codex Basil. Vatic. : *Quid, quibus de cœlo quotidianum in eremo potus ex saxo q per lignum amara aqua dulcis effecta, que lignum crucis amaritudine Gentilitate exclusa bibituri essemus.* Hæc lectio quatenus præcipuam difficultatem a miraculo aquæ amaræ deductam dispellit, præferenda visa est ; et addito ex editis ac manuscriptis aliquot τὸ *manna*, scriptoque *et* pro *q* vel *que*, nec non *Gentilitatis* pro *Gentilitate*, ac tandem ex editis retento *quam per lignum*, eam textui inseruimus, et sententia est : *Quid, quibus de cœlo quotidianum manna in eremo* (subaudi *pluit*), *potus e saxo* (subaudi *fluxit*) *et per lignum amara aqua* D *dulcis effecta ?* etc.

(9) Mss. Pomp. et Zen. *per Jordanem securus ad Horeb accessit* (In ms. Rem. præpositio *per* deest, et *ad Horeb* pariter legitur), sed male ; nam ab Horeb ad Jordanem Israel profectus est, ut ex sacris litteris constat. Ms. Vat. *ad Choreb* pro *ab Horeb ;* sed *Choreb* et *Horeb* eumdem montem significant, eædemque sunt voces sola adspiratione diversæ. In edit. Ven. *accesserunt* pro *accessit*, cum *ad filios Israel* referendum videretur. At præterquam quod *securi* pro *securus* scribendum quoque fuisset, *accessit* ad *Israel* commode refertur.

(10) Ms. Pomp., *Dei collocutio* pro *Dei colloquia :* et infra *evaserant* pro *evaserunt* in mss. Tolent., Urbin. atque Vatic. legitur.

TRACT. XXIII.—(1) Subjicimus hæc alios 4 tract., licet breviores, quippe qui ad eumdem Isaiæ locum referuntur, de quo in superiori tractatu sermo fuit : *Audi, cœlum, et auribus percipe, terra*, etc. Ha-

Digitized by Google

populo irascitur Deus (2), cumque, (3) ne forte pœniteat, publica objurgatione confutat. Humana sentienti (4) nundinari deterius est, quam puniri. Denique filios vocat, ut abdicatio timeatur; exaltatos, ut ruina terrori sit; spretores, ut pœnam supplicii sibimet impendere cognoscant. Quod exemplum, fratres, fortiter fugite: simulque gaudete, **229** quod alienis plagis (5) Dei discitis disciplinam per Dominum nostrum Jesum Christum.

TRACTATUS XXIV.

In (1) *Isaiam* III.

Vehemens commotio est, fratres, cum is de injuria sua queritur, qui se potest facillime vindicare. Sed quia apud sapientes et honestos gravius est, aliqua nota confundi, quam mori, Deus Judaicum populum luxuriæ æstu (2) exuberante corruptum publica increpatione confutat: cœlum terramque testes citat (*Is.* I, 2), ut exaggeret crimen: filios appellat, ut abdicatio; exaltatos, ut ruina timeatur: spretores sui, ut impios monstret. Infelix culpa est, fratres, in qua locum (3) qualiscumque non invenit excusatio. Detestabilis certe filius, quem pater pius, quem pater damnat invitus.

230 TRACTATUS XXV.

In Isaiam IV.

Humanus circa impietatem Judaici populi deficit sermo, qui Dei patientiam sui obstinati cordis impatientia superavit; non enim leve crimen est (1) ejus, cum de eo ille queritur, qui mox eum poterat et punire. Sed quia (2) mors apud incredulos futurorum putatur pœnæ compendium, ac pene pro infecto habetur, quod non diffamatur; censuit eos cœlo et terra testibus denotare, ut inexcusati facinoris competenti judicio subjacerent. Denique res impleta est Domini passione: cœlum (3) in medio die perdidit diem, terra tremore nimio (4) firmitatem. Hinc æstimare licet, quid eis sit reservatum, quorum in causa funerei luctus pœnæ pertulit natura supplicium.

TRACTATUS XXVI.

In Isaiam V.

Judaicum populum universum salutis suæ (1) omisisse præsidium, divini carminis textus ostendit. In quo eum non severitas apud omnes condemnat, fratres venerandi, sed pietas; neque enim potest de quoquam bene mereri, quem pater patientissimus et clementissimus abdicaverit, et quidem non accusa-

biti autem videntur tempore passionis, cum in sacris officiis ad exprobrandam Judæorum perfidiam textus heic indicatus legeretur (occasione autem sacræ lectionis hos tractatus a Zenone recitatos liquet), et cum per id tempus sacra officia longius tempus postularent, S. Episcopus, ne pastorale verbum populo penitus subtraheret, id elegisse videtur, ut brevi opportunaque consideratione proposita in Isaiæ lectionem, tractatus paucis absolveret; de quo nonnulla uberius dicemus in Admonitione præmissa tract. 30.

(2) De voce *carmen*, quæ propositionis initio legitur, pro effato et formula quadam solemni, vel etiam scripto prophetico accepta satis diximus adnot. 26 in tract. 12, et adnot. 49 in tractat. 1, lib. I.

(3) Respicere hoc loco auctor videtur illa Isaiæ cap. VI, v. 9 et 10. *Vade et dices populo huic: Audite audientes, et nolite intelligere; videte visionem, et nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, et auribus audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.*

(4) Quid sit, *humana sentienti nundinari deterius est, quam puniri*, tractatu sequenti explicatur sic: *Apud sapientes et honestos gravius est aliqua nota confundi, quam mori.* Similia leguntur tract. 25: *Mors apud incredulos futurorum putatur pœnæ compendium, et pene pro infecto habetur, quod non diffamatur. Nundinari* itaque dicitur pro *aliqua nota publica confundi*, vel *diffamari*: quæ significatio inde profecta videtur, quod nundinarum dies a Romanis fuissent instituti, ut rustici convenirent non tam mercandi et vendendi gratia, quam accusandi (lege enim Hortensia nundinarum dies ob rusticorum commodum ex nefastis facti sunt fasti, Macrobio teste, lib. I Saturn. pag. 9), si quid criminosæ quæstionis in aliquem haberent, quam aliis diebus ipsi aliis curis distenti movere et prosequi non facile possent: quod quæstionum genus quanta cum reorum ignominia ob nundinarum frequentiam ageretur, omnes intelligunt. Id autem infamiæ eos præcipue spectabat, qui ære alieno solvendo fuissent. Hi enim ante prætorem convicti, vel confessi, si triginta dierum, quos *justos* appellabant, spatio non solvissent, ante prætorem iterum vocati, ex duodecim tabularum L. III, nervo, vel compedibus devincti tenebantur per dies sexaginta, quibus cum creditore pacisci poterant; et *inter eos dies trinis nundinis continuis ad Prætorem in comitium producebantur, quantæque pecuniæ judicati essent, prædicabatur. Tertiis autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tyberim peregre venum ibant*, Gellio teste, lib. XX, cap. 10. Hæc ergo erat infamia, quæ nundinandi verbo subjecta, ad omnem notam publicam traducta fuit: unde S. Zeno *publicam objurgationem* paulo ante appellavit. *Nundinor* autem passive sumi potuisse suadet Capitolini exemplum, in Gordiano, cap. 24, ubi *nundinatus* pro *divenditus* passive legitur. Firmicus etiam, lib. VI, cap. 31, *nundinare* active scripsit. In mss. Urb. et Zen. *est* abest a vocibus *deterius est*.

(5) *Dei* vox desideratur in ms. Pomp., mss. Vatic. et Urb. scribunt *Deo*. Vox autem *nostrum* ab iisdem mss. Vaticano et Urbinate abest.

TRACT. XXIV.—(1) In mss. Spar. *De Judæis* hic et sequens in Isaiam tract. inscribuntur. Veneta editio non hos solum, sed et quintum de Isaia, et alios suis locis notandos eodem titulo cum ms. Zenon. exhibet. *De Isaia* in cæteris mss. libris vocatur. Utramque inscriptionem editio Ver. servavit. Nos *in Isaiam* scripsimus, cum in mss. alii ex his tractatibus *de Isaia*, alii *Isaiæ*, alii vero *in Isaiam* inscribantur: et hæc postrema lectio nobis magis arrisit ne hi tractatus de Isaiæ persona, perinde ac superiores de Abraham, Jacob, etc., habiti viderentur, qui in Isaiæ textum sunt. Hæc semel monuisse sufficiat.

(2) Ms. Pomp. *exuperante*: Remensis autem codex *luxuriæ æstu ante corruptum*.

(3) *Qualiscumque*, abest a ms. Vaticano.

TRACT. XXV. — (1) Vox *ejus* cur ab ed. Ver. et sequentibus fuerit exclusa, cum in omnibus, quos videre potuimus, mss. nec non in edit. Ven. legatur, latet: nisi forte ea superfluere visa est, quæ tamen clariorem certioremque sententiam reddit.

(2) Vide in hanc rem adnotationem 4, in tract. 23.

(3) Abest *in* particula a quatuor manuscriptis.

(4) Ms. Pomp. repetit hoc loco *perdidit firmitatem*.

TRACT. XXVI. — (1) In margine cod. Pomp. correctum *amisisse*. De voce porro *carmen*, qua Isaiæ liber innuitur, videsis adnot. 2 in tract. 23.

Digitized by Google

tione, sed probatione convictum. Denique injuriæ suæ testes citat cœlum terramque (*Is.* I, 2) : terram in **231** qua universa geruntur : cœlum, sub quo geruntur. Filios appellat, ut exaggeret crimen ; exaltatos, ut ingratos ostendat. (2) Bovem illis, asinumque præponit, ut gravius possint, si resipiscant, comparatione torqueri, quam pœna (*Is.* I, 3).

TRACTATUS XXVII.

In (1) *Isaiam* VI.

I. Propheta, quod pro veteri vinea, quæ a Domino in (2) Ægypto fuerat instituta, postulabat, ad tempus novellæ profecisse, inscriptio ipsa tituli psalmi (3) lecti declarat ; sic enim se habet : *In finem pro his, qui immutabuntur* (*Ps.* LXXIX, 1). Judaicus etenim populus, qui prior vinea Domini dictus est, floruit quidem, sed infeliciter flore discusso nullos potuit fructus adferre (*Is.* V, 4, 6). Denique pro fructibus spinas generavit, **232** pro uva labruscam. Cujus abhorrens infelicitatem Dominus (4) rei, aliam sibi, id est populi nostri, sua pro voluntate plantavit, in quam omnis fructus propheticus decucurrit. Hic mihi rustico vestro beatissimi ignoscite agricultores, si quid vestræ solertiæ, vineæ in ratione reddenda, ignavia nostra detraxerit.

II. Igitur, ut optime sæpe recolitis, (5) mensura servata amputatur in surculum, (6) palmes in scrobem dimittitur, ut animatus ibidem genitalis humor manente semper secum substantia nutriatur : auxiliare illi necessario jungitur lignum, cujus tutela defensus se se sustollat. At ubi adoleverit in vitem perfectam, ad (7) jugumque pervenerit ; ejus omnes crines luxuriosi (8) falce tondentur, pura materia (9) tabulatis infertur, (10) nodis astringitur, ne a ligno, quo portatur, vel cujus adminiculo, vel ducatu in uberes fructus longius **233** invitata producitur, vi aliqua separetur. Tum solemniter plorans, clementer imbre suo rorat, conceptaque musti felicibus lacrymis fluenta denuntiat. Statim (11) oculis apertis folia radiata procedunt, quibus subjecti, ac se commen-

(2) Respicit Zeno ad ea quæ sequuntur I, 3 Is. : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui ; Israel vero me non cognovit.* Bovis autem et asini nominibus per allegoriam Gentes intelligi, nonnulli Patres prodidere. Vide inter cæteros S. Gaudentium, serm. X, p. 123.

TRACT. XXVII.—(1) In edit. Ven. erat : *De psalmo* LXXIX, et sane habitus fuit hic tract. occasione lectionis psalmi LXXIX, ut apparet ex prima periodo : in quo quidem psalmo vineæ comparatio hoc tractatu explicata proponitur vers. 9 et seq. : *Vineam de Ægypto transtulisti*, etc. Hinc porro in edit. Ver. et seq. inscriptioni *de psalmo* LXXIX additus hic alius titulus, *Comparatio vineæ*, ex ms fortasse Zenoniano, qui hunc titulum tantum habet. Præferendam tamen duximus inscriptionem, quæ in omnibus præter Zenonianum mss. legitur *De Isaia*, qui sane propheta vineæ comparationem in Zenonis consilium vehementius urget ; unde pari titulo prænotatur cum in mss. tum in editis tractatus sequens, qui eidem comparationi vineæ insistit.

(2) Psalmus LXXIX, v. 9, Judæos tanquam vineam de Ægypto terra sterili in fertile Palæstinæ solum translatam prodit, ut Judæos de Ægyptiorum captivitate in Palæstinam traductos significet. At S. Zeno titulum ejusdem psalmi hoc loco respiciens, *Pro his, qui commutabuntur*, intelligit novam Ecclesiam, quæ ex Gentibus pro Judæis collecta, Deo satori uberiores fructus dedit. Itaque *veterem vineam*, quæ *in Ægypto*, id est in sterili plane solo, *fuerat instituta*, appellat Zeno Judaicum populum, de quo Isaias, cap. V, sub vineæ sterilis symbolo queritur ; *novella* autem *vinea* est Christianorum Ecclesia ex Gentibus collecta, ad quas Judæis ob improbitatem derelictis, Evangelium et fides transiit. Vide hæc expressius a Zenone explicatu tractatu sequenti.

(3) Legebantur itaque etiam psalmi, nec solum canebantur, de quo plura adnot. 3 in tract. 15, lib. I. Inferius pro *Domini* (quæ vox deest a ms. Pomp.) in Tol. et Zen. *Dei* legitur.

(4) Nisi quis scripturæ error in *rei* nomine latet, eam constructionem sane æquiorem habere videtur, qua ad pronomen *cujus* referatur sic : *Cujus rei infelicitatem abhorrens Dominus*, etc.

(5) Surculus pars est rami frondens, quæ ex virenti arbore abscinditur, ut terræ inseratur. Hinc Cicero, lib II de Orat. n. 69, *Da mihi ex ista arbore, quos seram surculos.* Vide Columellam, lib. I, c. 1 et 2. Certa autem esse debebat surculorum mensura, ut liquet ex Palladio, lib. III, num. 9, ubi unius cubiti mensuram surculo, quem *sarmentum* vocat, constituit.

(6) Surculi cum serebantur, *vitiarium* fiebat ex Columella, lib. III, num. 4. Vitiarium autem erat *vitium seminarium*, ut explicat Palladius, lib. III, num. 10. Porro qui ex surculis nascebantur ramusculi, *novelli palmites* vocabantur, sive *malleoli* ex Columella, lib. III, num. 6, qui a surculis ita præcisi, ut nihil veteris surculi haberent, ex vitiario transferebantur in campos et in scrobem demittebantur. Vide Palladium, lib. III, num. 10. *Scrobs* autem erat fovea, quæ vitium palmitibus recipiendis in terra parabatur. Adi Columellam, IV, 4, et VII, 5, et XI, 2. Hæc, et quæ subjiciemus, ad vocum a Zenone usurpatarum, nec non ad ipsius rei, quam paucis describit, intelligentiam accuratius dicenda fuere.

(7) *Jugum* in vinetis est pertica transversa, cui vites, cum ad certam mensuram excreverint, alligantur, amputatisque superfluis ulterius progredi non permittuntur. Vide Plinium, lib. XVII, 21, 22, et Columellam, lib. IV, num. 17, qui num. 19 jugi altitudinem et positionem definit.

(8) *Falce* addidimus ex mss. Rem., Tol., Urb., Zenon. et Pomp., nec non ex edit. Ven., pro qua voce perperam in Vat. *facile* scriptum est. Vinitoriæ autem falcis descriptionem exhibet Columella, lib. IV, num. 25. *Tondentur* correximus, pro eo quod *tunduntur* et in mss. et in editis legitur ; falcis enim proprium est *tondere*, non *tundere*. Similiter *tondentur* scripsimus paulo post, num. 3, ubi *falcis* nomen omnes mss. et editi præferunt. Amanuenses hæc duo verba *tondere* et *tundere* facile confuderunt. Sic ex. gr. apud Vegetium in libris Artis Veterinariæ *tondeo* pro *tundo* frequenter scribitur, uti animadvertit Jo. Baptista Morgagnius, epist. IV, Scriptoribus Rei rusticæ subjecta, § 4, et Matthæus Gesnerus, in Indice eorumdem Scriptorum. V. *tunsa*.

(9) *Tabulatum pensile horreum granario simile* dicitur a Columella, lib. XII, num. 50. In hoc componebantur res siccæ, ut frumenta, fenum, frondes, paleæ, etc., ex eodem lib. I, num. 6.

(10) De vite, non de materia e vitibus excisa hic sermo est, eaque nodis astringebatur *auxiliaribus lignis* paulo ante appellatis, de quo plura videsis apud laudatum Columellam, lib. IV, num. 26, ubi *de adminiculandæ jugandæque vineæ cura* disserit.

(11) Vitibus *oculos*, qui et *gemmæ* appellantur, tribuunt Rei rusticæ auctores. Vide Columellam, lib. III, num. 18, et lib. IV, num. 24. *Adridunt* scripsimus

Digitized by Google

dantes sequaces fructus adridunt, quos solis ardores, pluviæ, ventique exercendo provehunt, ad maturitatemque perducunt. At ubi vindemiæ venerit tempus, decore dissipato passim uva detrahitur, in (12) torcularique operariorum pedibus subjecta calcatur, (13) prelo premitur, duabusque tabulis vehementer urgetur, donec omnis dulcedo medullitus exigatur. Sicque pretiosum fluentum a suis calcatoribus et bibitur, et patrisfamilias cellis vinariis infertur, ut melius veterascendo reddatur.

III. Quantum spiritaliter mediocritas nostra conjicere potest, computatus ad mensuram palmes Competens intelligitur, (14) legitimo examinis numero examinatus. Scrobem fontem sacrum debemus accipere, qui vero sacramento homines suscipit mortuos, et inspiratos aqua cœlesti mox efficit vivos. Lignum auxiliare, quo tenditur, vel portatur, crucis est dominicæ signum, sine quo vivere, immortalitatemque apprehendere in toto non potest Christianus. Quod tabulatis infertur, cœlestis viæ vitæque altitudo

A monstratur. **234** (15) Ligaturis adstringitur, cum renuntians sæculo, (16) sponsione facta spiritaliter sacris interrogationibus obligatur. Luxuriosi crines falce tondentur, id est omnia omnino peccata baptismate, Spiritusque sancti vigore amputantur. Plorat feliciter vitis purgata materia; de homine loto felicius manant doctrinæ(17) cœlestis divina fluenta, ruptis oculis, id est spiritaliter patefactis. Præcedentibus foliis fructus (18) sequela sese commendat. Similiter Christianus monitis divinis præcinentibus obsecundando, in quibus æternæ fructus est vitæ, et defenditur pariter, et nutritur. Ad jugum pervenit, cum (19) prærogata omni facultate pauperibus, crucem suam portans, consummata omni justitia, expeditior sequitur Christum. Vi tempestatis, solis, B atque imbris ad maturitatem cogitur; et justus tentationibus crebris, magnis, ac variis perducitur ad coronam. At ubi vindemiæ venerit tempus, id est (20) persecutionis dies, passim uvæ diripiuntur, id est inconsiderate sanctis omnibus violenta infer-

ex plerisque codicibus ac præsertim Remens. pro *arridunt : rido* autem *ridis*, non minus quam *rideo*, Latine dicitur; unde Lucretius, lib. I, vers. 22 :

Diffuso lumine ridit.

(12) *Torcular* non unicum erat instrumentum, ut plures credidere, sed locus recipiendis uvis destinatus, in quo plura erant instrumenta et vasa, quæ musto exprimendo inserviebant. Vide Catonem, de Re rust. cap. 12. In torculari erat calcatorium a Palladio memoratum, lib. I, c. 18, in quo uva operariorum pedibus calcabatur.

(13) In torculari *prelum* quoque erat ex Catone loco laudato. Hinc Cyprianus, epist. LXIII, ad Cæcilium in torculari præter pedum *calcationem*, quam vocat, preli quoque *pressuram* factam commemorat, ac præterea hæc habet : *In torculari aqua est, quæ pedibus calcatur, vel prelo exprimitur. Prela autem trabes sunt, quibus uva jam calcata premitur*, inquit Servius, in vers. 242 lib. II Georgicor. Virgilii. Similiter Varro, lib. I, c. 54 : *Quæ calcatæ uvæ erunt, earum scopi cum folliculis subjiciendi sub prelum.* Hujus preli formam exhibet Cato, c. 17, et hinc intelligitur, cur S. Zeno paulo post *preli pondus* memoret, quod tota premendi vis a trabis pondere penderet, nec ea tum esset preli forma, quæ nostris temporibus obtinet. Inferius mss. Rem., Pomp., Zen. cum edit. Ven. *veterescendo* pro *veterascendo*.

(14) *Legitimus*, quem heic S. Zeno vocat, *examinis numerus*, sunt septem illa scrutinia, quibus competentes probationibus instituebantur, antequam ad baptisma reciperentur. Vide Martene de Antiquis Ecclesiæ ritibus part. I, lib. I, c. 11, art. 11. Ms. Zen. *examinatur* pro *examinatus*.

(15) *Ligaturam* habet etiam Palladius, lib. I, n. 6, et lib. III, num. 13.

(16) Non mera cæremonia, sed solemne sacramentum, id est jusjurandum, semper habitæ sunt sponsiones illæ, quibus baptizandi Sacerdote interrogante renuntiare se sæculo profitebantur, ut ex hoc Zenonis aliisque aliorum Patrum testimoniis liquet. Hinc autem colligas sacramenti hujus formulam per sacerdotum interrogationes et baptizandorum responsiones vel tum elatam fuisse, ut nostris etiam temporibus fieri mos est, quod ex Cyrilli etiam Catechesibus demonstrari facile potest.

(17) Mss. Vat. et Urb. inserunt *spiritaliter cœlestis*.

(18) *Sequela* apud Scævolam, D. l. 95, *de solutio-*

nibus, Tertullian. l. de Patientia cap. 5, et Lactantium, lib. VII, cap. 5, Divin. Inst., et de Opific. Dei cap. 4.

(19) *Prærogo* sumitur pro ante consero, ante impendo, ut liquet ex Codice, l. X, tit. III, l. 40, ubi legitur : *Quascumque pro his expensas civitas prærogaverit.* Vide etiam Ulpianum, D. l. XIX, t. II, L. XIX, § 6.

(20) Si hoc loco S. Zeno aliquam sui quoque ævi persecutionem indicare voluit, et non præteritas solum; illam significare potuit sub Constantio Arianorum patrono adversus catholicos excitatam, de qua hæc Lucifer Calaritanus, in libro *Moriendum esse pro Dei Filio*, tom. IV Biblioth. PP. pag. 242 : *Mactasti quam plurimos in Alexandria, laniasti certos in toto orbe, dispersisti resistentes tibi variis in locis, sed tamen omnes, quod tu audire minime vis, martyres sunt : illos omnes beatissimos tuo mactatos gladio in paradiso esse qui credimus*, etc. Et Hilarius huc respiciens, initio libri adversus eumdem imperatorem editi, p. 561 : *Clament pastores, quia mercenarii fugerunt. Ponamus animas pro ovibus, quia fures introierunt, et leo sæviens circuit. Ad martyrium per has voces exeamus, quia angelus Satanæ se transfiguravit in angelum lucis*, etc. Vide dissert. I, c. 2, § 8, ubi præter alias aliquot insignem illam, quam Valens acerbius commovit, diutiusque prosecutus est, persecutionem considerandam subjecimus, in quam præsertim heic Zeno oculos intendere potuit. Cum hoc quidem similiter plane loquens memoratus Hilarius, in ps. CXVIII, litt. 15, n. 3, pag. 371, tom. I, edit. Veron., hæc de martyribus tamquam *præsentibus* prodidit : *Scit enim esse Dominus plures tam inconsulti amoris, ut cum persistere in martyrii gloria filios suos videant, ut tempori cedant, rogent; ut sententiam mutent, precentur; et impiæ pietatis erga eos utantur affectu : cum anus mater et pater senex miserabiles canos filio in ipso martyrii certamine cum invidia præduræ voluntatis ejus ostendat : hinc et uxor adsit filiorum ambitiosa comitatu, oret ut potius sibi illisque vivat : hinc fratres et sorores blandis nominum suorum familiaritatibus deprecentur : ipsa quoque anima illecebris jam pridem capta vivendi, tacitis quibusdam consiliis ad conniventiam deflectendæ voluntatis irrepat. Hoc igitur in tempore odisse nos patrem, matrem, uxorem, filios, fratres, sorores, et ipsam quoque animam Dominus præcepit.* Quæ si quis ad martyres præteriti temporis proprie velit pertinere, is multo minus dubitabit, quin eodem tempore S. Zeno de præteritis martyribus hæc et similia alibi loquatur.

Digitized by Google

tur manus. Ad torcular comportantur, id est ad supplicii locum deducuntur. Ab operariis ibidem conculcantur, hoc est summa cum contumelia **235** a persecutoribus illusi jugulantur. Succus earum in ultimo preli pondere, duabusque tabulis (21) exsiccatur. Similiter judicii die a Christo secundum tabulas legis confessorum sanguinis vindicta usque ad ultimum quadrantem exigitur. Calcatores de eodem musto bibunt; et persecutores sæpe credentes in Christum, calicem pretiosum, quem paulo ante calcando foderant, gustant, aliqui etiam bibunt. Mustum patrisfamilias cellæ reconditur, ut pretiosius (22) transfusione reddatur, et martyr dominicæ habitationis in recondita assumitur, ut ibidem ex homine in Angelum transfusus æternæ vitæ beatitudine glorietur (23).

236 TRACTATUS XXVIII.

In Isaiam VII.

Quantum sonus lectionis indicat, fratres, Judaicus quidem populus impietatis arguitur, sed Christianus, ne talis evadat, pariter commonetur (*Is. cap.* v). Denique, ut iste plus timeat, ille terretur : ille vapulat, ut iste proficiat. Compendiosum felicitatis genus alterius periculo discere, quid debeas devitare. Unde, fratres, in tali re non loquela est exhibenda, sed cura, quam paucis accipite. Iram Dei generaliter

Post pauca pro *omnibus* ms. Pompeianus *hominibus*.

(21) Hæc mss. et editorum lectio, in qua nisi librariorum error contineatur, et legendum sit *exprimitur*, uti mox *exigitur*, ac paulo ante *exigatur* positum est; *exsicco* palam pro *exprimere* translate accipitur, quemadmodum Horatius, lib. I, od. 31 : *Mercator exsiccet cellulis vina, exsiccet* pro *exhauriet* adhibuit.

(22) Superius *ut melius veterascendo reddatur* : heic autem *transfretatione* pro *veterascendo* per errorem scriptum et editum, cum nullus transfretationi sit locus, ut mustum in cellam vinariam transferatur. Putabit fortasse quispiam indicare Zenonem voluisse vinum Rheticum agri Veronensis, ex Plinio, lib. IV, cap. 6, pluribus scriptoribus satis celebre, cellis vinariis conditum, id quoque temporis adeo pretiosum fuisse habitum, ut in remotas regiones transfretando mitteretur. Sed neque hoc arridet, cum de vino auctor loqui videatur, quod in ipsa cella vinaria *pretiosius redditur*. Itaque corrigendum credidimus *transfusione*, qua scilicet vinum in vinariis cellis identidem transfusum, purius et pretiosius efficitur; unde mox in allegorica explicatione martyr ex homine in angelum *transfusus* simili locutione proditur.

(23) Ms. Pompeian. addit *Amen*. In ms. Remense *explicit S. Zenonis tractatus de Esaia*.

TRACT. XXVIII.—(1) Jure hic tract. superiori subjicitur, cum eumdem Isaiæ locum respiciat, in quo vineæ fit mentio. Porro Sparav., adnot. ultima in tract. præcedentem opinatus est, *memoratæ vineæ* disputationem hoc tractatu paulo post appellatam, ipsum esse tractatum præcedentem olim inscriptum *in psalm.* LXXIX, in quo de laudata vinea pluribus agitur. At lectionem ex Isaiæ libro tractatus initio indicatam, quæ huic sermoni occasionem dedit, Auctorem spectare nihil dubitandum putamus. Post nonnulla ms. Pom., *peragere* pro *peragrare*.

(2) Mss. Tol. et Vat., *lasciva pars se*. In Urb. *diffudit* pro *diffundit*. Edit. Ven., *labruscas* pro *labruscam*. Infra *correptus* pro *commotus* in ms. Urbin.

A comminantis qui vult effugere, debet illi inculpate servire. (1) Memoratæ vineæ disputatio, fratres, dilectissimi, longe lateque diffusos limites habet, quos peragrare competenti sermone urgentium sacramentorum non sinit pondus. Verumtamen, ne in toto solemnitas cesset, paucis ejus degustate sermonem. Vinea Dei quidem prior synagoga fuit, silvosis errantium palmitum crinibus vilis; quæ cum per voluptuosa ac profana loca (2) lasciva passim se fronde diffundit, generavit pro fructibus spinas, pro uva labruscam. Cujus rei indignitate commotus Dominus, illa deserta, aliam sibi, id est Ecclesiam matrem, sua pro voluntate plantavit, quam sacerdotalibus officiis excolens, (3) piaque potatione fecundans, felici ligno suspensam, uberrimam docuit adferre vin-
B demiam. Inde est, quod hodie vestro de numero (4) novellæ vites ad jugum perductæ, scaturientis musti dulci fluento ferventes, vinariam Dominicam cellam communi gaudio repleverunt. Quod ut vobis quoque fide vestra adolescente **237** contingat, præstabit Deus Pater omnipotens per Dominum Jesum Christum, qui est benedictus cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum.

TRACTATUS XXIX.

In (1) *Isaiam* VIII, seu *De adventu Christi in mundum*.

Christus mundum (2) latenter intravit, ne sibi sa-

(3) Ms. Remense, *piaque potatione fecunditatis felici ligno suspensa. Suspensa* item habent mss. Pompeianus, et editio Veneta.

C (4) Hi sunt Neophyti, ac proinde *urgentium sacramentorum pondus et solennitas*, quibus se impedire paulo ante dixit Zeno, ne uberiorem disputationem haberet, dubio procul paschalia sunt festa, quibus brevis a Zenone ad Neophytos haberi solebat sermo, ut ex dicendis constabit. Porro *novellæ vites* ad jugum perductæ, etc., sunt ii, qui ex Catechumenis ad baptismi gratiam pervenere, de quibus commode intelligitur allegoricum illud, quod *scaturientis musti dulci fluento ferventes, vinariam dominicam cellam* (id est Ecclesiam, in quam per baptisma ingressi sunt) *communi gaudio repleverint*. Hinc etiam illa *vestro de numero*, ex quo novellæ ejusmodi vites ad jugum perductæ traduntur, innuunt Catechumenos omnes, quibus subinde auctor pollicetur fore, ut idem *fide adolescente* ipsis contingat, id est ut et ipsi ad jugum aliquando perducantur seu baptizentur : unde ad Neophytos simul et Catechumenos hunc tractatum habitum liquet.

TRACT. XXIX. — (1) Prima insc. in mss., præter
D Zen. qui *de Christo* habet, altera in editis legitur, neutra proinde omittenda nobis fuit. Subjicitur autem ex manuscriptorum fide tractatibus in Isaiam; id enim ex eo factum credimus, quod mutilus sit hic sermo, ut tractatus potius fragmentum, quam tractatus haberi debeat. Forte si tractatus integer ad nos pervenisset, hic, non minus ac superioribus in tractatibus, ex Isaia aliquid occurreret.

(2) Solemnis hæc est S. Ignatii martyris sententia in epistola ad Ephesios, num 19 : *Et principem hujus mundi latuit Mariæ virginitas, et partus ipsius*. Huc spectare S. Zenonem nihil ambigimus, cum alii quoque P. P. eamdem ex Ignatio sententiam inculcent. Vide Origenem, homil. VI in Lucam; Hieronymum, ad c. I Matth.; Basilium, homil. 25, de Christi Nativitate; Ambrosium, lib. II in Lucam, num. 3, Jobium Monachum, apud Photium, codice 222.

Digitized by Google

pleus diabolus videretur. Qui consilio hominem deceperat, consilio vincitur, ut quomodo homo (3) in paradiso non cognoverat diabolum, sic et diabolus in sæculo non facile cognosceret Christum.

Desunt reliqua.

238 ADMONITIO

IN TRACTATUS SEQUENTES.

Reliqui sunt nonnulli breves tractatus, qui etsi variis titulis prænotantur, omnes tamen ad idem paschale tempus pertinent, et baptismatis per hocce tempus conferendi vel collati mentionem fere continent, ex quo etiam simul omnes adferendos credidimus. Quod si qui tractatus superius descripti ad eadem paschalia officia spectare videntur, cum in illis aliqua ad recens baptizatos habeatur oratio; non tamen eos huc duximus transferendos, cum vel longiores sint multo, et de baptismate non nisi obiter meminerint, vel a proprio titulo ex. gr. *in Isaiam*, sub quo alii tractatus non paschales habentur, haud disjungendos putarimus. Brevitatem istorum, quos subjicimus, primo miraberis fortasse, Lector, tum vero etiam similitudinem nonnullorum: quæ duæ difficultates quosdam ita moverunt, ut vel ex hoc quidnam illi, et cujus auctoris sint, ignorantes, de universis Zenonianis tractatibus, quibus illi permiscentur, ambigendum crediderint. At hos præsertim, si quisquam alius, Zenonem certum auctorem habere, ex antiquissimo Remensi codice luculenter statuimus dissert. 1, cap. 3. Idem vero ita multis et antiquitatis etiam profanæ, et sacrorum rituum, et variorum dogmatum testimoniis plerumque referti sunt, ut nullis, vel paucis ex tractatibus longioribus, qui apud alios quoque Patres leguntur, concedant, quemadmodum ex ipsa lectione ac subjectis adnotationibus palam fiet. Brevitatem porro tres observationes satis purgabunt. In primis paschalia officia, ad quæ ii tractatus spectant, longiorem sermonem non permittebant, ut Zeno ipse monuit tract. 28: *Memoratæ vineæ disputatio*, inquit, *fratres dilectissimi, longe lateque diffusos limites habet, quos peragrare competenti sermone urgentium sacramentorum non sinit pondus. Verumtamen ne in toto solemnitas cesset, paucis ejus degustate sermonem:* et similiter tractat. 56 et 58: *Tempus non sinit, fratres, imagini reddere veritatem.* Deinde hi proprie tractatus habendi non sunt, sed quædam veluti Ecclesiasticæ præfationes, seu allocutiones ad baptizandos, vel Neophytos habitæ (non nulli quidem ipsis in codicibus *Præfationes*, seu *Invitationes* inscribuntur) et tamquam solemnes quædam formulæ, quales hodie inter solemnia sacra ab episcopis adhibendæ in Pontificali vel Rituali notantur. Unde ex Zenonianis plures transierunt in certas formulas, quas a nostris Antistitibus statis quibusdam diebus usurpatas ex manuscripto Remensi in præfatione docuimus. Tandem magnis oratoribus illud in more fuisse, ut plura proœmia, sive exordia orationum sibi pararent, quibus pro temporum opportunitate uterentur, notavit Plato in Menexemo. Cicero epist. 3, lib. XVI ad Atticum memorat volumen proœmiorum, ex quo eligere solebat, cum aliquod σύγγραμμα institueret. Vide etiam lib. IX Fam. ep. 8, ad Pætum. Plura ex his numero quinque supra sexaginta suppetunt inter Demosthenis opera, quæ brevissima sunt; et his eum oratorem usum, prout occasio incideret, animadvertit Hieronymus Wolfius ad Lectorem pag. 130. Quidni simile quidpiam S. Zeno rhetorices et oratoriæ disciplinæ **239** studiosissimus fecisse credi potest, ut in paschalia festa plures ejusmodi præfationes pararit, quibus, prout res negotiumque postularet, uteretur? Hanc fortassis in sententiam *Præfationes* nonnulli ejusmodi tractatus in manuscriptis vocantur; uti et S. Petrus Chrysologus sermonem XL *de bono Pastore* in ipso orationis cursu *præfationem* vocat, et similiter appellat sermonem LXXXVII eo sensu, ut *præfationem* pro *exordio* dixisse videatur. Exordium sane inter cæteros esse Zenonianum tract. 77, lib. II, evidenter ibidem ostendimus adnot. 1. Sed de brevitate, quam in aliquot aliis aliorum Patrum tractatibus, ex. gr. Petri Chrysologi, S. Leonis, etc. deprehendere non valde absimiliter licet, hactenus satis. Similitudo autem, quæ inter nonnullos intercedit, adeo ut easdem sententias, immo totidem quandoque verba duo, vel tres tractatus ex subjiciendis referant, si quempiam moveat, id argumento esse debet, S. Zenonem plures unius tractatus vel allocutionis formulas scripsisse, vel quod prima, aut etiam secunda non satisfaceret, vel quod eadem super re annis singulis disputaturus iisdem festis et lectionibus recurrentibus *de Exodo*, *de Daniele*, etc. (a quibus ex Ecclesiastica disciplina, quæ eas lectiones in baptismi, etc., symbolum instituerat, discedere haudquaquam licebat), eadem dicere ex tempore vel etiam scribere cogeretur, aliquibus additis vel mutatis, ut ne eadem omnino repeterentur. Addemus etiam Sparaverii animadversionem ex adnotatione 4 in tract. 26: *Totiens ista repetit, ut videri possit, tanti ingenii virum argumentorum penuria laborasse. At vir doctrina et pietate insignis præmaluit æstimationem sui vilescere, quam in Ecclesia semen verborum suorum supprimere. Non quotidie ista expromebat, sed aut quotannis, aut stato anni temporibus, aut forsan longioribus, ut audientibus non futura fucrit ingrata ea repetitio, cujus jam alias factæ non poterant aut scire, aut meminisse: qua fiducia tempus in fructuosiorem Dei cultum impendendum, novorum argumentorum inventioni atque exquisitis verborum lenociniis, quorum, si opus foret, non indignus erat, subtraxisse credibile est.* Præterea apud S. Leonem aliquot reperire epistolas licet, quæ paucis additis vel mutatis non tam easdem sententias, sed eadem quoque verba similiter referunt, nec non ex sermonibus nonnullos, ex quibus multa in epistolas ad verbum traducta inve-

(3) Mss. Rem. et Pomp. *in paradisum*, quæ lectio si genuina, esset ejusdem generis ac illæ de quibus egimus adnot. 5 in tract. 15, lib. II.

Digitized by Google

nies, ut ex novissimæ editionis notationibus ad marginem sermonum ac epistolarum appositis cognosces. Vide alia quædam in hanc eamdem rem disputata dissert. 1. cap. 2, § 2. Postremum (quod ad plura, quæ opponi possent, vindicanda maxime pertinens, in generali præfatione considerandum proposuimus) alia ratio habenda est sermonum, qui ab ipsis auctoribus collecti et editi sunt, alia eorum, quos alii post auctorum mortem ex ipsorum schedis collectos promulgarunt. Cum auctores ediderunt sua, non nisi elaborata, perpolita et perfecta ediderunt, in quibus proinde nihil repetitum, hiulcum nihil, nihil mutilum legi solet, ut videre est in S. Gaudentii tractatibus, quos ipse ad Benivolum eodem quo Auctor noster, sæculo tradidit. At cum alii collectionem fecere, tum pro auctorum merito et existimatione, quæ apud collectores obtinebat, colligi potuerunt ex schedis omnia quæcumque invenissent, repetita etiam, mutila et rudia, quæ auctores, si adfuissent, rejicienda vel perficienda putassent. Tanta autem Zenonis fama, et apud omnes obsequium fuisse videtur, ut collector religioni duxerit nihil abjicere, quod ejus **240** in schedis repererit; et hinc tractatus plures repetitos licet, mutilos minimeque perfectos collectioni inserendos existimavit. Nunc ut de ordine horum tractatuum, qui ad paschalia officia pertinent, aliquid dicamus, ponentur primo loco *Invitationes ad fontem* una cum duobus tractatibus de psalmo XLI, qui cum eodem recidant, eodem titulo inscribentur; postea tractatus septem *ad Neophytos post baptisma*; deinde tractatus novem *de Die paschatis*: tandem tractatus 15 *de Exodo*, et 9 *de Daniele in paschate*, qui omnes paschalis festi vel baptismatis imaginem ex Exodi vel Danielis lectionibus solemni ritu inter sacra officia recitatis egregie referunt. In his tractatibus seu allocutionibus edendis manuscriptorum titulos, cum constantes non sint ne in iis quidem tractatibus, qui eadem fere verba, nec dum sententias exhibent, secuti semper non sumus, editionumque inscriptiones magis congruere visæ sunt, ut ex adnotationibus in eosdem titulos perspicuum fiet.

TRACTATUS XXX.

(1) *Invitatio ad fontem* I.

Exsultate, fratres, in Christo, omnique desiderio convolantes, cœlestia dona percipite. Jam vos sempiterni fontis calor salutaris invitat. Jam mater nostra (2) adoptat, ut pariat: sed non ea lege, qua vos matres vestræ peperierunt, quæ et ipsæ partus dolore gementes, et vos plorantes, sordidos, pannis sordidis alligatos, huic mundo dedititios intulerunt; sed læta (3) gaudentes, cœlestis, libera peccatis **241** omnibus absolutos, non fœtidis cunis, sed suave redolentibus sacri altaris feliciter (4) enutritura cancellis: per Dominum nostrum Jesum Christum.

TRACTATUS XXXI.

Invitatio ad fontem II.

Jam jamque dicto citius (1) æthereas portas, fratres, intrate; æternique gurgitis alveo genitali condentes, (2) ullam pro personis operari ne æstimetis

TRACT. XXX.—(1) Præter hanc inscrip., quæ tum in mss., tum in ed. occurrit, cod. Rem. marginalem ejusmodi rubricam exhibet: *In prima symbolo in ambone a Pontifice pueris recitanda;* quæ rubrica ut intelligatur, scire oportet symbolum electis catechumenis traditum fuisse ab Episcopo, cum ad baptismum suscipiendum apti judicati fuissent. Quo id die præstitutum sit, universim definire non licet: alii enim Dominica Palmarum, alii feria quarta post quartam Dominicam Quadragesimæ, alii aliis diebus ante Pascha illud tradebant, ut observat P. Martene l. 1, c. 1, art. 11 et seqq. Alii etiam semel, alii bis, ter alii illud dabant, ut idem animadvertit; et Veronæ quidem pluries datum ex hac marginali rubrica, ubi *primi symboli* fit mentio, apertissime colligitur. Ante symboli autem traditionem tractatum aliquem ab episcopo habitum insinuant illa Ambrosii epist. 20, ad Marcellinam: *Sequenti die* (*erat autem Dominica* Palmarum) *post lectiones et tractatum dimissis catechumenis symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam basilicæ.* Tractatum autem hunc episcopos Veronenses ante traditionem ejusdem symboli in ambone recitasse ex rubrica laudata cognoscimus.

(2) Ecclesia mater baptizandos *adoptat, ut pariat*, propterea quod eos suscipit, ut suos, et inter catechumenos recipit atque instituit, eosque tandem parit, cum per baptismatis sacramentum Christo gignit.

(3) Legeret fortasse quispiam *gaudentes cœlestes, liberos, peccatis omnibus absolutos* (quales vere fiunt, qui baptisma suscipiunt) ut oppositio aliqua sit adjectivis totidem antea propositis, *plorantes, sordidos, pannis sordidis alligatos, huic mundo dedititios.* Sed forte sicut *læta*, ita et *cœlestis* ac *libera* ad Ecclesiam matrem referuntur, quod *læta gaudentes, cœlestis et libera peccatis omnibus absolutos*, utique per baptisma, inferat in mundum, quos non *fœtidis cunis, sed suave redolentibus sacri altaris cancellis enutritura est.*

(4) Legendum active *enutritura* pro *enutrita*, quod erat in mss. et editis; nam sicut mater filios, postquam peperit, in cunis enutrit, ita etiam Ecclesia novos, quos per baptisma gignit filios, sacri altaris sacramento enutrire solita innuitur. Neophytos autem statim post baptisma Eucharistiam olim sumpsisse constat. Notatu porro dignum est in Veronensi ecclesia id quoque temporis sacrum altare *cancellis* fuisse septum, ut ne plebs ad altare tumultuario accedens, sacerdotem sacra facientem turbaret.

TRACT. XXXI.—(1) Nonnulli cod. et ed. habebant *ad æthereas.* Placuit ex aliis mss. vocem *ad* cum verbo *intrate* minus congruentem delere. *Æthereas* autem vocare videtur Zeno baptisterii *portas*, quibus *ad ætheream*, ut alibi loquitur, *vitam* in baptismate aditus patet. Baptisterium quidem separatum ab ecclesia locum fere fuisse ostendit Edmundus Martene part. 1 de Antiquis Ecclesiæ ritibus, lib. 1, cap. 1. art. 2, et ejusmodi quoque fuisse baptisterium Veronensis ecclesiæ Zenonis tempore, satis ex hoc testimonio colligendum apparet, cum hæc quidem Zeno ad baptizandos loqui videatur in ipsa ecclesia, et nihilominus eis, ut *æthereas*, baptisterii utique, *portas intrent*, præcipiat: nisi quis malit hunc tractatum extra ecclesiam, vel in ejusdem foribus habitum fuisse.

(2) *Ullam* legunt omnes mss. cum editionibus præter Patavinam, ubi suppositum fuit *vilem:* sed neque hoc placet. Sparaverius mallet *capientes aquam* pro *condentes ullam:* at emendatio nimis libera, et a scriptura codicum nimium multum distans. *Conditi* pro *condentes* (similes enim voces activæ significationis pro passiva occurrent tract. 35) et *undam* pro

Digitized by Google

heic gratiam. Judicio vestro nascimini, **242** scientes quoniam qui plus crediderit, (3) nobiliorem se ipse præstabit. Constanter igitur ac fideliter hominem istum vestrum veterem fœterosis (4) suis cum pannis abjicite, novelli omnes, omnes (5) candidati, omnes Spiritus sancti munere mox divites processuri.

243 TRACTATUS XXXII.

(1) *Invitatio ad fontem* III.

Eia quid statis, fratres, (2) vestram quos per fidem genitalis unda concepit, per sacramenta jam parturit, (3) ad Desiderata quantocius festinate. (4) Solemnis hymnus ecce jam canitur : **244** ecce (5) vox infantum et dulcis vagitus auditur : ecce parientis uno de ventre clarissima turba procedit. Nova res, ut jure spirituli unusquisque nascatur. *Ultra currite ad matrem, quæ tunc* (6) non laborat, *si quos parit, numerare non possit. Intrate ergo, intrate felices*, omnes simul subito futuri (7) lactantes.

ullam potius scriberemus, quibus significetur Zenonem hortari fideles, ut dum in genitalis fontis alveo conduntur, ne putarent ejusdem fontis *undam heic*, id est in hoc sacramento, *operari gratiam pro personis*, seu cum acceptione personarum, quarum nec genus, nec ætatem, nec sexum hoc sacramentum respicere sequentibus tractatibus docet. Vide tract. 33 ac præsertim tract. 42 ubi hæc habet: *Ne quem plus amare* (Dei providentia) *videntur, aut minus; unam nativitatem, unum lac, unum stipendium, unam Spiritus sancti præstat omnibus dignitatem.* Equidem in præsenti tractatu ad personarum acceptionem excludendam, ex solis meritis gratiam majorem posse fieri insinuat, ut animadvertemus adnotatione sequenti. Eadem sententia conciliari potest cum vulgata lectione *ullam*, si modo construas sic, *ne æstimetis condentes*, id est eos qui vos condunt, *alveo genitali æterni gurgitis*, seu qui vos baptizant, *operari heic gratiam ullam pro personis.*

(3) *Nobiliorem* auctor dicit futurum, *qui plus crediderit*, ut insinuet ex solis meritis, si majora in aliquo fuerint, majoris gratiæ consecutionem pendere. Hinc illud tract. 33: *Quantum quis crediderit, tantum beatitudinis et habebit.*

(4) Editi habebant *fœterosis cum pannis*; at codices addunt *suis*, quæ quidem lectio congruit cum illis Pauli ad Coloss. III, v. 9, quibus homo Christo nomen daturus in mandatis accipit, ut hominem veterem cum *suis* actibus exuat: huc enim Zenonis allegoria respicit.

(5) *Candidati* vocantur Neophyti ob candidas quas in significationem innocentiæ induunt vestes, de cujus antiquitate ritus consule Edmundum Martene de Antiquis Ecclesiæ ritibus part. I, lib. I, cap. 1, art. 15, num. 5. Cum porro albas vestes non ante, sed post susceptum baptisma Neophyti acciperent, hæc verba *omnes novelli, omnes candidati*, etc., palam referuntur ad sequens futurum *mox processuri*, ut ne ad præsens tempus referenda credantur.

TRACT. XXXII. — (1) In mss. *Invitatio fontis cujus supra*, id est Zenonis superius memorati. Hic idem tract. recitatur in Vita Zenonis, quam duodecimo circiter sæculo scriptam Scipio Maffeius edidit inter opuscula, quæ subjecit Historiæ rei diplomaticæ pag. 320. Hoc ex monumento variantes lectiones dabimus in adnotationibus sequentibus signatas per syllabam *Vit.* Multo longior hic tractatus ibidem visitur; sed compactus ille est ab auctore ejusdem vitæ ex duobus Zenonis tractatibus, nimirum ex hoc integro, et ex portione tract. 48, ut in *Admonitione* ad monumenta monuimus, ac ex ipso tract. 48, designatis ibidem verbis, exploratius fiet.

(2) Vit. *vos quos per fidem*. Sed melior codicum lectio, quæ Zenonianam syntaxim exhibet, ac τὸ *vos* superfluens ac dure sonans omittit. In calce ms. Pomp. habetur eadem Vita conscripta a monacho Zenoniano, ibique τὸ *vos* pariter omittitur. Paulo post in ipsa Vita *concipit* pro *concepit*.

(3) Pertinet hæc vox ad sacra liturgiæ mysteria, unde in Gloss. Græco-Lat. *Desiderata* exponitur λειτουργία τελετή, id est *liturgiæ*, seu *publici sacri ministerii finis*: propterea quod ii qui ex sacræ liturgiæ disciplina instituebantur, hunc finem summo desiderio appetebant. Apud Paganos quidem *epoptæ* Tertulliano memorati initio libri adversus Valentinianos, toto quinquennio instituebantur a sacerdotibus, antequam initiarentur, ut hac ratione eorum *cupiditatem perstruerent*. Similiter apud Christianos catechumeni diutius probabantur, *ut*, quod ait Gregorius Magnus ep. XXXIV, lib. VII : *quanto exspectatur eis longa festivitas, tanto se præparare et eam desiderio ferventi debeant sustinere.* Itaque *Desiderata* est baptisma, et quodvis aliud sacramentum, antonomastice vero Eucharistia, de quo sacramento præcipue et frequentius *desiderandi* verbum a Patribus usurpatum animadvertit Casaubonus exercit. 16, ad Annal. Baronii num. XLV, p. 501. Heic sane cum eos alloquatur S. Antistes, quos non solum *per fidem* conceptos, sed etiam *per sacramenta*, id est per baptismum, jam jam nascentes prodit; palam est *Desiderata*, ad quæ eos, ut quantocius festinent, hortatur, non aliud esse, nisi sacram Eucharistiam, ad quam vix baptizati admittebantur, ut monuimus admot. 4 in tractatum 30. Notanda in hanc rem illa Tertulliani lib. II ad Uxorem cap. 6 : *De cujus manu desiderabit*; ubi sicut *desiderabit* dictum est pro Eucharistiam sumet, ita *Desiderata* pro Eucharistiæ sumptione dicere Zeno potuit. Desiderium scilicet quam esset in Eucharistiam præcipuum, discimus ex auctore librorum de Sacramentis inter Ambrosii opera lib. IV, cap. 2, num. 7: *Veniebas ergo desiderans ad altare. . . . . veniebas desiderans ad altare, quo acciperes sacramentum. Desiderata* autem cur vocaretur Eucharistia, et non proprio nomine, referendum est ad arcani disciplinam, qua cavebatur a SS. Patribus, ne corpus et sanguinem Christi expresse nominarent, ubi præsertim ad nondum consecratos habebatur sermo.

(4) In Antiphonario, quod edidit Card. Thomasius pag. 66, post ritum baptismi, de hymni cantu hæc notantur : *finito vero baptismo sequitur versus* :

> Audite voces hymni
> Et vos qui estis digni :
> In hac beata nocte
> Descendite ad fontes, etc.

(5) Correximus ex Vit. et ms. Sp. *vox infantum et dulcis vagitus*, cum legeretur in edit. et aliis mss. *mox infantum dulcis vagitus* Post pauca Vit., *parturientis*, pro *parientis*, et *renascatur* pro *nascatur*.

(6) Vit. *non laborat cum parit. Intrate ergo.* Ms. Tolent. et edit. Ven. correctionem suggessere, cum antea legeretur *non laborat, si quos pariter numerare non possit.*

(7) Sic mss. Vat., Zen. et Vita. Ms. Tol. *lætantes*, editi *lactantes*. Catechumeni autem *lactantes* futuri dicuntur ob sacrum, quem bibituri erant sanguinem; sic enim Cyprianus ep. 63 ad Cæcilium pag. 227. *Per baptismum Spiritus sanctus accipitur, et sic a baptizatis, et Spiritum sanctum consecutis ad bibendum pervenitur. Ad bibendum* autem præcipue dixit, non quod baptizati solum participarent de calice, quos, si essent ad comedendum idonei, de sacro etiam pane comedisse multis liquet; sed quod omnes universim saltem de calice biberent, infantes nimirum, quibus cum non liceret per ætatem cibum solidiorem edere,

Digitized by Google

TRACTATUS XXXIII.

(1) *Invitatio ad fontem* IV.

Quid statis (2) genere, ætate, sexu, conditione diversi, mox unum futuri? Fontanum semper virginis matris dulcem ad uterum convolate; ibidemque vos vestra (3) nobilitate, fide, scientes, quoniam quantum quis crediderit, (4) tantum beatitudinis et habebit. **245** O admirabilis et vere divina sacrosancta dignatio! in qua quæ parturit, non gemit; qui renascitur, plorare non novit. Hæc renovatio, hæc resurrectio, hæc vita æterna, hæc est mater omnium, quæ nos adunatos, ex omni gente et natione collectos, unum postmodum efficit corpus.

TRACTATUS XXXIV.

(1) *Invitatio ad fontem* V.

Exsultate, fratres, quos sua parturit fides, qui mundi hujus fugientes insidias, reatum, vulnera, ac mortem, paternæ implorastis auxilium majestatis, omnique non pedum velocitate, sed mentis pii fontis ad gurgitem convolate. Vos constanter (2) immergite, salvo salutis statu, (3) veteris hominis vestri felici morte victuri.

246 TRACTATUS XXXV.

(1) *Invitatio ad fontem* VI.

Properate, properate bene (2) loturi fratres. Aqua viva Spiritu sancto et (3) igne dulcissimo temperata, blando murmure jam vos **247** invitat. Jam (4) bal-

sacri sanguinis aliquid de calice infundebatur, ut ex Cypriano in lib. de Lapsis pag. 381, num. 25, (nostræ Ed. col. 485) manifestum est: quem morem in sequiora multo sæcula productum patet ex Ritualium antiquorum ordinibus, quos Edmundus Martene partis primæ lib. I, capiti primo subjecit. Vide ejusdem capitis art. 15, num. 15: Forte etiam eos *lactantes futuros* Zeno dixit ob lac proprie dictum, propterea quod præter sacrum vinum lac etiam, saltem in Occidente, baptizatis in infantiæ significationem adhiberetur Hieronymo teste in Isaiam cap. 55: *Hic mos ac typus in Occidentis ecclesiis hodie usque servatur, ut renatis in Christo vinum lacque tribuatur.* Lege adnot. 5. in tract. 42.

TRACT. XXXIII. — (1) In mss. male inscribitur *ad Neophytos*, cum sit *Invitatio ad fontem* cæteris similis, quæ ad nondum baptizatos habita est. Titulum itaque editorum hoc loco prætulimus.

(2) Ms. Urbin., *Qui statis.*

(3) Edit. Veneta *nobilitari*, male. *Nobilitate* vero imperativi temporis verbum, non autem nomen hoc loco est.

(4) Post verba *quantum quis crediderit*, additum fuit ab editoribus Veronensibus, *et operatus fuerit*, præter omnium mss. et primæ editionis fidem. De hoc plura dissert. 2, cap. 6, ubi Zenonis doctrinam hoc in dogmate satis aliunde vindicavimus.

TRACT. XXXIV. — (1) *De Baptismo* hic tract. in mss. inscribitur. Sed ne cogeremur *invitationum* seriem interturbare, editorum inscriptionem reliquimus, cui tractatus sane respondet.

(2) Disce hinc baptismum per immersionem a Zenone usurpatum, de quo ritu alia testimonia deinceps suppetent.

(3) Respicitur heic Pauli locus ad Coloss. III, 9, ubi *vetus homo* ille intelligitur, qui secundum Adam peccatorem est, in quo omnes mortui sumus, eoque homine necato per baptisma vitam cœlestem incipimus.

TRACT. XXXV.—(1) Hic et sequens tractatus in mss. Rem. Tol. Vat. et Urbin. inscribuntur *de Psalmo* XLI, in quem extat quoque vetustissimi auctoris sermo ad Neophytos in Append. tom. VI, S. Augustini p. 287 (nostræ Ed. tom. VI, col. 1203); alluditur autem ad illa ejusdem psalmi: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum*, quæ quidem non solum olim (ut discimus ex nonnullis antiquis ordinibus apud Martene part. IV, cap. 24), sed vel hodie Sabbato sancto canuntur, cum ad benedictionem aquæ baptismalis acceditur. Notandum porro heic est, hunc tractatum in ms. Remensis indice inscribi *de Psalmo quadragesimo primo*, alterum vero, quem subjiciemus, inscribi *Tractatus psalmi quadragesimi*, quam inscriptionem huic ipsi tractatui codex Basilicæ Vaticanæ præfigit. Hinc Joannes Veronensis in Historia Imp. ms. lib. I, et ex eo Guillelmus Pastrengus inter Zenonis sermones recensent tractatus in psalm. XL, et in psalmum XLI. Porro palam est ambos hosce tractatus, occasione licet ejus psalmi XLI habitos, esse *invitationes ad fontem:* et sane tract. 37, qui totidem fere verbis repetit sequentem tract. 36, in omnibus mss. *Invitatio fontis* inscribitur. Hinc invitationum seriem prosequentes hunc titulum retinuimus, qui in mss. Pomp. et Zen. atque in editis quidem omnibus solus legitur. Tandem ms. Remense hanc marginalem rubricam præsenti tractatui affigit, ex qua hunc migrasse apparet in formulam a nostris præsulibus usurpatam, cum in eo essent, ut baptisma in Pentecoste conferrent: sic enim scriptum legimus in antiquo illo codice: *Recitanda pueris ante baptisma a pontifice in Pentecoste.*

(2) Legendum procul dubio *luendi*, cum ad fratres baptismate luendos sermo sit. In mss. Rem., Tolent. et Vatic. perperam *locuturi*, quod quidem prima manu scriptum fuerat etiam in manuscripto Pompeiano.

(3) Aquam igitur in baptisterio calefactam fuisse aliquantulum, ne qui, pueri præsertim, in eam immergerentur, ex rigore quidquam detrimenti caperent, ex hoc loco discimus, quod alibi observasse non meminimus. Hoc autem consilio, quod innuimus, aquam *igne dulcissimo*, seu leni fuisse *temperatam* arbitramur, cum haud suspicari liceat Zenonem ea mente adhibuisse aquæ ignem, qua quidam olim hæretici ex illo Lucæ III, 16: *Vos autem baptizabimini in Spiritu sancto et igne*, putarunt aquam in baptismate satis non esse, nisi aquæ ignis adderetur, ita ut vix quisquam in fontem descendisset, statim appareret ignis; quemadmodum colligitur ex antiquo auctore libri de Rebaptismate in Appendice Cypriani pag. 643 (nostræ Ed. tom. III, col. 1185). Quid porro fuerit illud *murmur blandum*, seu, uti vocatur tractatu sequenti, *dulce murmur*, quo baptizandi satis invitarentur; cum de ebullitione accipi nequeat, quæ deterret potius quam invitat, nec temperatum calorem continet; jam de fluxu quodam aquæ baptismalis illud murmur accipiendum est, ut ex eo hæc aqua *viva*, seu, uti appellatur tractatu seq. *fluentum* et *superfluens amnis* dici potuerit. Hunc autem perpetuum aquæ fluxum in magnis præsertim civitatibus magna baptizandorum multitudo invexit, ne eadem aqua omnes immergerentur, quod nauseam nonnullis perperisset. Hinc etiam propria appellatio *fontis*, ex quo nimirum nova semper aqua defluaret. Aquam autem per canales ductam, in baptisterium, quoad opus esset, continuo influxisse nonnullis monumentis innuitur. In vita S. Aviti Viennensis cap. 5, memoratur baptisterium cum aquæducto, et Ennodius epigram. 145, loquens de fonte S. Stephani, mentionem facit aquæ, quæ per columnas profluebat. Liber pontificalis argenteos cervos, qui in baptisterii fontem aquam funderent, ab Innocentio I et Sixto III conditos tradit.

(4) Laudatur hoc Zenonis testimonium a Laurentio

neator præcinctus exspectat, quod unctui, quod tersui opus est, præbiturus, sed et (5) denarium aureum triplicis numismatis unione signatum. Gaudete itaque. In fontem quidem **248** nudi (6) demergemini, sed (7) ætherea veste vestiti, mox candidati inde surgetis; quam qui non polluerit, regna cœlestia possidebit: per Dominum Jesum Christum.

TRACTATUS XXXVI.

(1) *Invitatio ad fontem* VII.

Eia, fratres, quos beatæ sitis exoptatus ardor incendit, quos nectarei fluenti dulce murmur invitat,

A lacteum genitalis fontis ad laticem convolate (2) incunctanter, ac fortiter bibite, dum licet, superfluentis amnis undæ subjecti, toto impetu, totaque devotione **249** vestra vasa replete, ut semper vobis aqua sufficiat, hoc ante omnia scientes, quia hanc nec effundere licet, nec (3) rursus haurire.

TRACTATUS XXXVII.

(1) *Invitatio ad fontem* VIII.

In qua perpaucis additis, quibusdam mutatis, continentur ea quæ in antecedenti.

Eia, fratres, quos beatæ sitis exoptatus ardor in-

Pignorio in commentario de Servis pag. 38 secundæ editionis Patavinæ, ut exinde balneatoris officium explicet. *Balneator* erat servus, qui balneis præerat, illorumque usibus deserviebat; de quo plura Ursinus in Appendice ad Ciacconium de Triclin. pag. 159, Gronovius tom. IX, pag. 641, Salmasius in Lampridii Commodum cap. 7, et alii, qui fere hoc idem Zenonis testimonium omnium clarissimum recitant. Hunc eumdem ritum in balneis iisdem fere verbis memorat Appuleius lib. I Metamorph. pag. 49, etsi balneatoris nomen reticescat. *Illico*, inquit, *lavacro trado, quod unctui, quod tersui ipse præministro, sordium enormem eluviem operose effrico.* Indicantur autem balneorum utensilia, videlicet ampulla olearia, et dentata strigilis, ac linteamina, quibus ad tergendum veteres utebantur. Porro hoc in tractatu balneatoris nomine metaphorice Episcopus significari videtur, qui solus baptizabat; baptismi enim lotionem sub balnei imagine heic respici verisimillimum est. Baptisma quidem unctio sacra, cujus auctor meminit, partim præibat, partim sequebatur. Præibat illa, qua pectus et inter scapulas Latini, Græci autem totum corpus ungebant; vide Martene part. I, lib. I, cap. 1, art. 13, num. 10. Sequebatur vero altera, quæ ante albam vestem repetebatur in capitis vertice, præter illam, quæ mox addebatur, cum baptizatus statim sacro chrismate confirmabatur; vide auctores apud eumdem Martene loco laudato art. 15, num. 2 et 11. At forte alia lotio intelligi potest, qua alicubi ante baptisma, alicubi vero post lavabantur baptizandorum seu neophytorum pedes, et nonnumquam caput, de quo ritu legendus memoratus auctor art. 13, num. 1, et art. 15, num. 8. Sed cum illa, quæ præmittebatur, diebus aliquot baptismati præcederet, et forte etiam in usu esset, ubi non vigebat altera post baptisma; heic autem apud Zenonem sermo sit de lotione, quæ si diversa sit a baptismate, eodem tamen die perficiebatur; jam illa procul dubio videtur hoc loco indicari, quam post baptisma ante vestis albæ traditionem ab episcopo *succincto* peractam diserte tradit auctor antiquus librorum de Sacramentis inter Ambrosii opera I. III, c. 1: *Adscendisti de fonte, quid secutum est?... succinctus, inquam, summus sacerdos pedes tibi lavit;* cum quibus concinit Ambrosius in libro de Mysteriis c. 6. Quod si hunc morem a Romana Ecclesia alienum ipse auctor de sacramentis testatur, id nihil prohibet, quominus Veronæ a Zenone usurpari potuerit; et hunc quidem eumdem ritum aliæ præter Mediolanensem secutæ sunt Ecclesiæ, ut ex Missali Gothico et Gallicano veteri manifestum est, ubi exstant formulæ dicendæ, cum neophytorum pedes abluuntur.

(5) De hujus generis *denario* multa disseruimus adnotatione 21, in tract. 14, l. I, ubi verum denarium in baptismate traditum non improbabiliter conjecimus ex aliis testimoniis Zenonianis, quæ eumdem *denarium*, seu *stipendium* appellant. At heic *denarii aurei* mentio perturbat. Cum enim denarium aureum singulis baptizatis in tanta baptizatorum

frequentia ab episcopo liberaliter datum, ex penuria et paupertate ejusdem, de qua alibi satis, incredibile plane sit; sanctus autem Zeno allegoriis frequens insistat; non nisi allegorice *denarius* hoc loco intelligendus apparet, ut illa pariter indicant *triplicis numismatis unione signatum*, quæ de vero denario aureo haud accipi posse videntur. Itaque eucharistiam alii fortasse intelligent, quam *in formam nummi* traditam memorat Ernulfus Roffensis episcopus in epistola ad Lambertum tom. III Spicilegii Acheriani pag. 471 novissimæ editionis, seu *in modum denarii*, ut ait Honorius lib. I de Gemma Animæ cap. 66, et fortassis tres circulos triplicis numismatis unionem referentes eucharistia exhibebat. Sed præter quam quod hæc sequioris multo ætatis sunt testimonia, S. Zeno tract. 14, *denarii* ita meminit, ut ab eucharistico pane illum satis distinguat; vide ibidem adnot. 18 et 19. Melius forsitan intelligitur gratia, quæ triplici sacramento baptismatis, confirmationis et eucharistiæ simul collato eodem die liberalissime conferebatur. Sed quidquid de mystica interpretatione intelligas, adhuc denarius aliquis una cum baptismate traditus dici potest, qui tamen ex solo mystico sensu *aureus* et *triplicis numismatis unione signatus* fuerit. Hæc per meram conjectationem, quam proponere, non affirmare intendimus. Alii meliora excogitent, et si quid probabilius afferant, ambabus ulnis excipiemus.

(6) Ms. Rem. *demergetis;* cæteri cum editis *demergitis;* utrumque perperam, atque legendum *demergemini;* qui enim per immersionem baptizabat aliquem, is *immergere* baptizandum dicitur, hic autem *demergi*. Nudos porro fuisse, qui baptisma susceperi immergebantur in fontem, pervulgatum est.

(7) Innocentiæ et gratiæ vestem heic indicari patet ex his quæ sequuntur, *quam qui non polluerit*, etc. ut ne tamen excludatur alba vestis, quæ baptizatis imposita, innocentiæ et gratiæ imaginem referebat. Utrumque nimirum Zeno spectare simul solet et rem et mysticum rei sensum, ut quædam una eloquatur, quæ tum rei, tum mysticæ locutioni conveniunt; quædam vero, quæ non nisi ad mysticam rei significationem referre possis, quod in his præsertim tractatibus frequens est.

TRACT. XXXVI.—(1) De hac inscriptione vide quæ animadvertimus adnot. 1 in tractatum præcedentem. Huic quoque tractatui in ms. Remensis margine hæc apponuntur: *Recitanda pueris ante baptisma a pontifice.*

(2) In editis et aliquot mss., *convolate: et incunctanter.* At alii codices conjunctim scribunt *convolate incunctanter* sine conjunctione *et*, quam libentius inseruissemus ante voces *dum licet*, vel ante *superfluentis*, si qui codices suffragium tulissent.

(3) Quod heic et in sequentibus traditur, *non licere* baptismalis fontis aquam *rursum haurire*, satis innuit catholicum dogma, nimirum baptisma iterum non posse conferri; quod ipsum alii Patres aliis formulis tradidere. In fine codex Pomp. addit *Amen.*

TRACT. XXXVII. — (1) Mss. duplic. tit. ferunt:

Digitized by Google

cendit, cupiditate ac velocitate (2) cervina lacteum genitalis fontis ad laticem convolate. Fortiter bibite, ut semper vobis aqua sufficiat, hoc principaliter scientes, quia hanc nec effundere licitum est, nec rursus haurire. (3)

250 TRACTATUS XXXVIII.

(1) *Ad Neophytos post baptisma* I.

Post devotissima completa expiationis sacræ casta (2) jejunia, post (3) clarissimæ noctis suo sole dulces vigilias, post lactei fontis lavacro vitali in spem immortalitatis animas pullulantes, ex quo qui eratis ætate diversi, diversi (4) natione, subito germani fratres, subito unigeniti emersistis (5) infantes, hortor vos nativitatis tantæ festa **251** (6) læto celebrare convivio: sed non illo, in quo diversis epulis (7) *intrimentorum* lenocinio saporis de summa *certantibus*, obrutum pectus (8) sæpe crudis atque acidis vomitibus inurgetur; in quo musti vestri dulcedo sæcularis, vini pridiani exhalante fœtore, corrumpitur: sed cœlesti prandio, honesto, puro, salubri, atque perpetuo; quod, ut saturi semper ac felices esse possitis, esurienter accipite. Paterfamilias (9) panem vinumque pretiosum vobis ex usibus suis sua de mensa largitur. Tres pueri unanimes legumina inferunt primi, quibus, ut scitus sit sapor, salem sapientiæ aspergunt: oleum Christus infundit: Moyses primitivam festinus, maturamque procuravit (10) agninam, Abraham pinguem conditamque fideliter vitulinam. Isaac innocenter oleum portat, et ligna.

Tractatus Paschæ, vel *Invitatio fontis*. Vide adnot. 1, in tract. 35.

(2) *Cervina*, inquit, cum spectat illa ps. XLI: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum*, etc.

(3) In ms. Rem. hæc adduntur: *Explicit S. Zenonis tractatus Paschæ.*

TRACT. XXXVIII.—(1) Hic et in seq. tract. retinuimus titulum edit. Veronensis: in mss. vero, *Tractatus post traditum baptisma*. Ipso autem paschatis die hunc tractatum habitum a Zenone ex prima periodo manifestum est. Hæc porro marginalis rubrica in codice Remensi legitur: *In Pascha pueris post baptismum a pontifice recitanda.*

(2) Hoc perspicue quadragesimæ jejunium jam completum innuitur; istud autem *castum* fortassis appellatur, propterea quod in quadragesimali jejunio ipsi conjuges continentiam servarent, de quo aliud locuples Zenonis testimonium animadvertimus adnot. 53, in tract. IV, lib. I. Tres codices pro *completa* scribunt *contemplata*.

(3) Quam Zeno *clarissimam*, S. Gaudentius serm. V, pag. 60, *splendidissimam noctem vigiliarum* appellat. Christianos nimirum in Paschalis festi vigilia maximam cereorum et lampadarum copiam accendere consuevisse, hinc satis ostenditur. S. Gregorius Nazianzenus Orat. II, de pasch., ejusdem moris aperte meminit, et in præfatione *Exsultet*, quæ vel hodie canitur in benedictione cerei, simile quidpiam invenitur. Constantinus Magnus, nondum licet catechumenus, sed Christo tamen addictus, ut præclarum suæ in eum pietatis testimonium daret, non in ecclesia solum, sed tota urbe cereos et lampades ita frequentes accendi jussit, *ut*, quod tradit Eusebius, lib. IV Vitæ ejusdem cap. 22: *hæc mystica vigilia quovis vel splendidissimo die splendidior redderetur.* Morem accendendorum per urbem luminum noctibus singulis, ut publico commodo consuleretur, Romæ vigentem suo ævo memorat Ammianus Marcellinus lib. XIV, *ubi*, inquit, *pernoctantium luminum claritudo dierum solet imitari fulgorem.* Hic autem mos vel Constantini ætate, ea saltem in urbe, non fuit, vel noctis Paschalis celebritatem pluribus luminibus augeri jussit, ut *vel splendidissimo die splendidior redderetur.* Splendor porro noctis hujus in ecclesiis non tam a lampadibus vel cereis earumdem ecclesiarum proficiscebatur, quam a cereis Neophytorum, qui una cum lampadibus ecclesiarum accensi in magnam copiam (quamplures enim id temporis simul baptizabantur) splendorem sacri loci mirum in modum adaugebant. Vide de his cereis Neophytorum Ambrosium de Lapsu Virginis cap. 5, ut alios omittamus a Martene laudatos part. I. lib. I, cap. 1, art. 15, num. 9 et 10. De *vigiliis* porro hac nocte habitis hoc unum dicimus, quod adeo antiquæ sunt, ut illis ab apostolis traditas docuerit Hieronymus in cap. XXV Matthæi, v. 6, ubi etiam hunc ritum ex simili Judæorum profectum testatur. Epiphanius similiter hæres. LXX, § 10, id refert Constitutioni Apostolicæ, ex qua sumpta videtur constitutio similis inter Clementinas, lib. V, cap. 19, ubi eædem Paschales vigiliæ diserte præcipiuntur.

(4) Tract. 33, *genere, ætate, sexu, conditione diversos*, qui Veronæ abs se baptizandi erant, S. episcopus appellavit; hoc autem addit et *natione*, quod notatu dignum visum est, ut appareat hanc in urbem ex dissitis etiam terris baptizandos confluxisse: nisi forte hoc accipiendum sit de iis qui ex aliis nationibus Veronam incolatum venerant, aliave de causa hoc fortuito degerent.

(5) Augustinus serm. CCXXVIII, num 1: *Qui paulo ante vocabantur competentes, modo vocantur infantes.... Infantes dicuntur, quia modo nati sunt Christo, qui prius nati fuerant sæculo.* Manat hæc formula ex illo Petri epist. I, II, 2. *Sicut modo geniti infantes.* Idem Augustinus aliquot sermones habet inscriptos: *In die Paschæ ad Infantes.* Vide Clementem Alexandrinum, lib I, Pædag. cap. 4, ubi hanc Neophytorum infantiam, uti vel tunc vocabatur, a Gentium reprehensionibus vindicat.

(6) Ms. Rem., *festa læta celebrare convivio.* Porro *convivium* hoc nuncupatur Eucharistia, quæ post noctis vigilias ipso die Paschatis Neophytis tradebatur. Hoc eodem *convivii* nomine eam appellat etiam Tertullianus, lib. II, ad Uxorem. Optatus lib. V, Ambrosius lib. I, de Abel et Cain, etc. *Prandium* mox eodem sensu auctor nominat. In Appendice Cypriani p. 268 Edit. Venetæ (nostræ Ed. t. IV, col. 926) simile quidquiam *cœnæ* appellatione sub variis epulorum symbolis eodem spectantibus idemque significantibus explicatur.

(7) Sic ex ms. Rem. cum alii codices et editi habeant *nutrimentorum*, excepto ms. Pomp in quo priori manu *intrimentorum* scriptum fuerat, sed posteriori manu perperam suppositum *nutrimentorum*. Est autem *intrimentum* sapidissimi condimenti genus, ut ex illo Apulei intelligitur lib. X Metam.: *Qui sapidissimis intrimentis succuum pulmenta condita vapore mollibat.*

(8) Notatur hoc frequens profanarum comessationum intemperantia, quam vomitus fere sequebatur. Paulo post ante verba *musti vestri* tres mss. male addunt *non musti.*

(9) Paterfamilias hoc loco appellatus Melchisedech esse videtur, qui *panem et vinum* protulisse traditur Gen. XIV, vers. 18. Hic autem figura fuit Christi Eucharistiam instituentis sub utraque specie, quam quidem sub utraque specie olim Neophytis traditam liquet.

(10) In ms. Rem. *aginam*, sed librarii errore scriptum est; *agina* enim cum unico *n* est pars superior libræ, in qua æquilibrium vertitur, seu trutina: *aguinum* autem dicitur quidquid agnorum est, sicut

Jacob patienter varia exhibet pecora. Joseph (11) A præmotus ad mensuram prærogat cunctis annonam. Sane si quis aliquid desideraverit, qui recondidit, Noe **252** omnia illi (12) arcarius non negabit. Petrus piscator recentes marinos affatim pisces apponit cum sarda admirabili. Tobias peregrinus fluvialis piscis (13) interanea diligenter accurat et assat. Joannes (14) camelarius devote præcurrens, de silva mel attulit, et locustas. Ne alter alterum manducantem (15) denotet, invitator admonet Paulus (*Rom.* XIV, 3). David regius pastor omnibus momentis lac argenteum subministrat, et caseum. Zachæus sine mora quadruplicata (16) expungit apophoreta : Deus et Dominus noster Jesus Christus Dei Filius (17) dulcia, sicut prior qui hoc prandio pastus est ante nos, dicit : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua* B *super mel*, (18) *et favum ori meo* (*Ps.* CXVIII, 103)! Hæc, fratres, si quis libenter crediderit, largiores adhuc escas invehiet ; quibus si diligens fuerit, semper et se et alios bonis omnibus satiabit : per Dominum nostrum Jesum Christum (19).

253 TRACTATUS XXXIX.

(1) *Ad Neophytos post baptisma* II.

Recte sanctissimus David ait : *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata* (*Ps.* XXXI, 1) : quia beatus esse non potest, fratres, in prima nativitate persistens, quem æstuantium delictorum (2) fax incensa omnibus momentis exurit : qui pædorem sui secum carceris portat : qui carnificem sentit ante quam videat : qui nomen judicis pertimescit : qui, sic unde susurrus ingruerit, se quæri, se æstimat inveniri : cui securitatis profectus est nullus, etiamsi contingat ei accusatore carere, teste conscio ; cum se ipso carere non possit, quia violentior omni tortori conscientia numquam suum deserit peccatorem. In hoc reatu, fratres, usque nunc fuistis : sed fortiter (3) examinati estis : sed, ut indulgentiam perciperetis, pro vobis bene vigilastis, optime estis auditi. Novum judicii genus, in quo reus si excusaverit crimen, damnatur, absolvitur, si (4) fatetur. O magna potestas, magna peritia,

apud Horatium epist. lib. I, 15, 35, *omasi agnini* : apud Plautum vero Aulular. II, 5, 4, *agnina* absolute agninam carnem significat. Spectatur autem hoc loco illud Exodi XII, ubi agnus in Paschate edendus præcipitur : *primitivum* autem esse debuisse hunc agnum Zeno pluries tradit in tractatibus de Exodo, quos subjiciemus : quem agnum Christi et Eucharistiæ symbolum fuisse omnes norunt.

(11) Pignorius in commentario de Servis corrigendum censet *promotus* et *prorogat* ; dispensatores enim prorogatores appellatos fuisse multis exemplis demonstrat.

(12) *Arcarius* Noe arcæ conditor et præfectus appellatus. *Arcarii* autem a Latinis dicebantur œconomi, qui sive Reipublicæ, sive familiæ œconomiæ præerant, et promptuariæ arcæ, vel cellæ præfecti, dispensationis eorum, quæ opus essent, curam gerebant. Noe autem, si quid in convivio desideraretur, non negaturus peracute dicitur, ac si ex arca, ubi cuncta animalium genera condita fuere, educere pro necessitate vel desiderio posset. Editiones porro Ven. et Ver. cum plerisque mss. habent *negavit* pro *negabit*, quod ex ms. Tol. et edit. Patavina correximus.

(13) *Interanea* apud Plinium lib. VIII, cap. 27, et lib. XXX, cap. 7, exta, seu viscera sunt.

(14) *Camelarius* L. ult. § 10. D. *de muner. et oner.* est, qui camelis præest, eorumque curam gerit. Joannes forte *camelarius* hoc loco dicitur, quod *habebat vestimentum de pilis camelorum*. Matth. III, 4.

(15) Edit. Ven., *devoret*, sed male ; nam respi- D citur Pauli locus ad Rom. IV, 3 : *Qui non manducat, manducantem non judicet.*

(16) *Apophoreta* sunt munuscula illa post solemne prandium data, quæ domum referre licet ; unde Ambrosius de Exhortat. Virginitatis n. 7 : *Qui ad convivium magnum invitantur, apophoreta secum referre consueverunt.* Ut itaque S. Zeno huic convivio nihil deesse significet, quadruplicata, id est copiosissima apophoreta in illud tandem a Zachæo allata commemorat. Verbum autem *expungit* pro *distribuit apophoreta* inter convivas hoc loco accipiendum est, uti plane suadet alius similis locus ex tractatu 53, ubi *munera expungens* pro *munera dividens* aperte dicitur, in quem locum vide adnot. 2, ubi hanc significationem confirmamus.

(17) Auctoritate codicis Vaticani inseruimus vocem *dulcia*, quæ plane desiderabatur ; sic enim commode intelligitur Jesum Christum Dei Filium sub convivii finem *expungere dulcia* (quæ vox substantive adhiberi solita pro rebus dulcibus probari potest ex Lampridio in Heliogabali Vita cap. 27) *sicut dicit, et* vocat ille, *qui prior hoc prandio pastus est ante nos*, nimirum David, cujus sunt hæc ad Deum verba : *Quam dulcia faucibus meis*, etc.

(18) Etiam apud Hilarium in psal. CXVIII, lit. 13, pag. 355, in ipsa psalmi littera, quæ præmittitur, eadem lectio habetur : *Super mel et favum ori meo* : quæ verba *et favum* licet absint in ipsa explicatione C litteræ 13, pag. 359, num. 11, tamen in explicatione litteræ 17, *et favum* ab Hilario lectum palam indicatur his verbis pag. 388, num. 5 : *Verbum Dei ex corde malus abripit, quod ultra mel et favum in ore delectat.*

(19) Mss. Vat. addit : *qui tecum regnat in sæcula sæculorum.*

TRACT XXXIX. — (1) Plerique mss. *Incipit de Baptismo*, quibuscum consentiunt Joannes Veronensis ejusque exscriptores Pastrengus et Petrus de Natalibus, qui duos *de Baptismo* tractatus recensent. Unus Zenonianus cum editione principe inscribit : *Post traditum baptisma.* Retinuimus editionis Veronensis inscriptionem, ne tractatuum ad Neophytos seriem mutatione tituli interciperemus, quod et in sequentibus intelligendum est.

(2) Legebatur *fex*. Sparaverii emendatio placuit, quem vide, si lubet.

(3) Notatur hoc catechumenorum examen, quod in scrutiniis fiebat, de quo plura Martene part. 1 de Antiquis Ecclesiæ ritibus lib. I, cap. 1, art. 11.

(4) Peccatorum confessio baptismo præmissa hoc loco indicatur, de qua plenius tract. 40 et 41 Tertullianus de Baptismo cap. 20 : *Ingressuros baptismum orationibus crebris, jejuniis, et geniculationibus, et pervigiliis orare oportet, et cum confessione omnium retro delictorum.* Concinit antiquus auctor sermonis in psalmum XLI ad Neophytos, in Appendice tom. VI operum S. Augustini pag. 287, (nostræ Ed. tom. VI, col. 1203), de iisdem enim loquens, quales per quadragesimam ante baptisma fuere : *Per omnem quadragesimam*, inquit, *vacaverunt orationi atque jejuniis, in sacco et cinere dormierunt, futuram vitam peccatorum suorum confessione quærentes* ; ex quibus eam confessionis rationem colligere posse nobis videmur, non quod necessitate baptismi omnia confiteri debe-

magna pietas judicis nostri! a quo universi generis **254** peccatores, ut possint beate vivere, (5) puniri festinant; descendit quippe gladius pius in viscera peccatoris, et uno eodemque ictu, incolumi corporis manente materia, interficit hominem veterem, creat novum, et sacri gurgitis elemento sepelit. Et cum omnium aquarum natura sit talis, ut cum in profundum homines (6) susceperit vivos, evomat mortuos; aqua nostra suscipit mortuos, et evomit vivos, ex animalibus veros homines factos, ex hominibus in angelos transituros, si provectus ætatis eorum (7) infantiam non mutaverit.

255 TRACTATUS XL.

(1) *Ad Neophytos post baptisma* III.

Exsultemus, fratres, in Christo: triumphatorique perpetuo hymnis, citharis, tympanis, canticis gratiam referamus, qui nobis promissa perpetuans pia (2) sanctione (ut aiunt) claves vere aureas misit: et quidem non illas, quæ maligno beneficio crimina excipiunt, quæ corpori parcunt, animam liberare non possunt; quæ peccata, cum dissimulando præterirent, sed ut antiquam vitam inscrutiniis exponentes, *quæreret*, quid deserere, quid sequi, et quam vitæ rationem instituere oporteret, ut Christianum vere hominem induerent. Ejus ritus meminisse videtur suppar Zenoni auctor S. Ambrosius, lib. VI in Lucam cap. 3, cum ait: *In baptismo igitur justificatur Deus, in quo est confessio et venia peccatorum;* et S. Gregorius Nazianzenus sermone in sanctum lavacrum, cum baptizandum alloquens, *ne dedigneris*, inquit, *tuum prodere peccatum, cum scias quemadmodum Joannes baptizabat, ut confessione præsenti futuram evadere possis*, quibus verbis nova confitendi ratio proponitur. Eusebius lib. V Hist., cap. 17, occasione quadam *multos* ad Christianam religionem conversos narrans, de his inquit: *Peccata sua confitentes baptisma Christi susceperunt.* Alia id generis, quæ adferri possent, et exempla et testimonia prætermittimus.

(5) Innuitur pœnitentia, quæ adultis baptizandis imponebatur, antequam baptisma susciperent, ut ex memoratis superiori adnotatione testimoniis liquet. Alii testes fuse in hanc rem allegantur a P. Martene lib. I, cap. 1, art. 10, num. 10. Ejus autem pœnitentiæ imponendæ consilium illud fuisse arbitramur, non solum ut baptizandi peccatorum aliquam satisfactionem darent, simulque ostenderent, num ex animo præteritam vitam detestarentur, ac baptisma peterent; sed etiam ut caro in vitiis enutrita, hac macerationc edomita spiritui inservire assuesceret. Hujus autem pœnitentiæ institutionem quidam Petri præcepto referunt, ut discimus ex epistola Herivæi Remensis ad Wittonem Rothomagensem cap. 6, ubi Clodovæum aliquantis cum S. Remigio diebus moratum prodit ante baptisma, ut *pœnitentiæ secundum apostolicum præceptum prius abluerctur lacrymis, dicente Beato Petro principe apostolorum: Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Certe pœnitentia ejusmodi in Constitutionibus, quæ apostolicæ dicuntur, lib. VII, cap. 32, aliisque pluribus canonum decretis ante baptismum imponenda et suscipienda præcipitur; quæ disciplina adeo in multa sæcula viguit, ut auctor Sermonis in dedicatione templi, qui a nonnullis creditur S. Cæsarius, num. 5, pœnitentiæ ejusmodi contemptorem *non levis peccati* reum peragere non dubitaverit.

(6) Mss. Remensis et Vat., *receperit.*

(7) Si nimirum baptismalem innocentiam seu gratiam, qua *modo geniti infantes* dicuntur a Petro I, II, 2, in malitiam et culpam non mutaverint. Ms. Pomp. in fine addit *Amen.*

eunt, non adimunt, sed (3) includunt; quæ reum, qualem invenerint, talem quoque dimittunt; quæ in pari causa ipsi præstatori nihil prodesse possunt. At vero nostræ acervatim absolvunt, quidquid invenerint, nec aliquid (4) subsecivi esse patiuntur: sed pectorum aperiunt cuncta penetralia, diligenter universa crimina expellunt, ac rursus diligenter occludunt, ne quid illo vel frivolum, inde quod excluditur, revertatur. Mira ratio, mira beatitudo! Salvo reo punitur reatus in (5) reo, integroque statu moritur in homine, propter quod homo fuerat moriturus. Inde est, **256** quod nostra non habet necessaria tormenta (6) confessio; quod sine sudore tortoris facinora sua sponte reus, ut fiat innocens, confitetur. Pretiosa indulgentia est, fratres, quæ et veniam præstat et medicinam. Cæterum qui parcit venefico, homicidæ, adultero, incestatori, sacrilego, nisi ejus curaverit mentem, non video quid illi præstiterit. O liberatoris nostri profunda providentia! O præstantia singularis! O dulcis sententia! O damnatio necessaria! Homo jugulatur, ut vivat: (7) percussor, percussorisque non cernitur gladius: percussi-

TRACT. XL. — (1) Sic ed. Ver.: inscriptio codicum est *de Baptismo:* Editio Veneta cum manuscripto Zenoniano: *Post traditum baptisma.*

(2) Sanctio proprie lex est, quæ pœnam adjunctam habet. Justinianus lib. II Instit. 1: *Ideo et legum eas partes, quibus pœnas constituimus adversus eos, qui contra leges fecerint, sanctiones vocamus.* Eodem sensu a vetustioribus proprie appellatas vel ex hoc Zenonis loco colligi potest, quippe qui interponens parenthesin, *ut aiunt*, cum clavium *sanctionem piam* ex more loquendi appellat, satis vulgatam ejus temporis formulam notat. Licet autem clavium sanctio pœnæ aliquid conjunctum haberet, qua pœnitentia afficiebantur non ii solum, qui post baptisma peccassent, sed etiam qui ad baptisma propriis cum peccatis accederent, ut ostendimus adnot. 5 in tract. superiorem; tamen cum præ criminum gravitate levissima hæc pœna fuerit, et hæc ipsa non in pœnam, sed in rei potius beneficium exigeretur, recte *piam* clavium *sanctionem* vulgo appellatam Zeno vocavit.

(3) Ms. Rem. *accludunt.*

(4) Aliqui mss. legunt *subsicivi*, Sed sunt qui legendum putent *succisivi*, vel *subcisivi*. Nota autem hoc loco vim clavium in baptismate, quibus *absoluto acervatim quidquid invenerint*, nihil subcisivi, vel reliqui sive quoad culpam, sive quoad pœnam relinquitur; et præterea delètis semel cunctis criminibus, nihil ex iisdem reviviscere sinunt; quod sane indicant illa: *Diligenter universa crimina expellunt, ac rursus diligenter occludunt, ne quid illo vel frivolum, inde quod excluditur, revertatur.* Paulo post mss. Tolent. et Vatic., *peccatorum* pro *pectorum*, et ms. Tol. cum edit. Ven. *accludunt* pro *occludunt.*

(5) Legebatur *in eo*, sed codices Tol., Vat., Urbin., Pomp., Sp. et Zen. *in reo* scribunt, et idipsum habent omnes cum mss. tum editi tractatu sequenti, in quo idem hic sensus totidem verbis expressus reperitur.

(6) De confessione a catechumenis ante baptismum habita hic sermo est, cum hic tractatus ad neophytos recens baptizatos habitus fuerit, ut ex inscriptione et fine liquet. De hac porro confessione satis diximus adnot. 4 in tractatum præcedentem.

(7) Intellige *non cernitur percussor, nec percussoris*

Digitized by Google

que non hiat vulnus, non defluit sanguis, non decolor color est. Ipse est, et tamen ipse non est. Vetus quidem videtur domicilium, sed novus est (8) inquilinus, mutatione morum nativitatis suæ nobilitatem incredulis variis virtutibus monstrans. Cujus sanctionem, vestræ ætatis omni curriculo manente in sua semper infantia, custodite : ac fortiter præcavete ne primi hominis (9) quondam vestri umquam memoriam recolatis.

257 TRACTATUS XLI.

(1) *Ad Neophytos post Baptisma.* IV.

In quo paucis additis, quibusdam mutatis, continentur ea quæ partim XXXIX, partim XL tractatibus exhibentur.

Exsultate, fratres, in Christo, (2) acceptaque indulgentia regale beneficium diligenter, fortiter ac fideliter custodite; etenim **258** omnis actus vester contractus ablatus est, securi gaudete : nihil sæculo jam debetis. (3) Imago quidem reatus *nunc usque fuistis*, sed fortiter examinati estis : et, ut *indulgentiam* perciperetis, pro vobis (4) *ipsis bene vigilastis : optime* estis auditi. Novum judicii *genus est, in quo reus, si* excusaverit crimen, damnatur; *absolvitur, si fatetur.* Magna ratio, magna potestas, *magna pietas judicis* nostri, a quo universi generis peccatores, ut possint beate vivere, puniri festinant. (5) Mira ratio : mirum profecto mysterium. Salvo reo, punitur reatus in reo, integroque statu moritur in homine, propter quod homo fuerat moriturus. Inde est, quod nostra non habet necessaria tormenta confessio, (6) quod sine truculenti sudore tortoris facinora sua sponte reus, ut fiat innocens, confitetur. Pretiosa res est, fratres, quæ et honorem præstat, et præmium. O li-

gladius. Ms. Pomp. scribit sine conjunctione *percussi non hiat vulnus :* sed forte legendum, ut in tract. seq. : *Percussor non videtur, percussoris non cernitur gladius, percussi non hiat vulnus.*

(8) *Inquilinus novus* hic Christus est per gratiam, ob quam in baptizatis inhabitat. Hinc intelligitur, ad quem referatur relativum *cujus*, quod mox subjicitur : *cujus sanctionem*, etc.

(9) *Primus homo*, id est Adam peccator, *quondam vester*, id est baptizatorum, exstitit, quod Neophyti ante baptisma peccatores ut Adam fuerint, et veteris hominis, ut Paulus loquitur, personam gesserint; quam, ut novum hominem Christum in baptismo induerent, exuerunt, ejusque memoriam ut recolant, Zeno illos hortatur ne a gratia ad peccatum redeant. Vide epist. ad Ephesios cap. IV, vers. 22, 24, et ad Coloss. cap. III, v. 9.

TRACT. XLI. — (1) In mss. inscribitur : *Tract. ad Neoph. alio die Paschæ :* in edit. Ven. cum ms. Zen. *ad Neoph.* Ms. autem Rem. hanc præterea marginalem notationem exhibet: *A Subdiacono in ambone recitanda, dum cum fratribus pontifex in conventu sederit.* Subdiaconorum aliquando fuisse lectiones recitare discimus ex Gregorio lib. IV, ep. 44. Lectiones autem in ambone habitas notum est pluribus testibus, quos Martene allegat t. IV, de Antiq. Ecclesiæ Ritibus cap. V, num. 11. Qui porro *conventus* heic dicitur, ab aliis Scriptoribus *fratrum conventus* appellatur. *Fratrum* autem *conventum locum* fuisse ab ecclesia distinctum, ubi lectiones sacræ fieri solerent, satis innui videtur a Cæsario Arelatensi hom. II : *Vos ad audiendas lectiones divinas, video ad conventum fratrum, vel ad ecclesiam fideliter concurrere*, et paulo post : *Ad ecclesiam vel fratrum conventum venit.* Nonnulli quidem particulam *vel* pro copulativa accepere, ac si *conventus fratrum* et *ecclesia* synonyma essent. At præter quam quod hæc repetita disjunctivæ particulæ formula id ferre non videtur, *conventum fratrum* fuisse locum ab ecclesia separatum, quem *Capitulum* alii vocabant, manifestum fit ex Ordine IX, Romano, quem Mabillonius edidit tom. II Musei Italici pag. 10, sic enim ibidem initio scribitur : *Postquam prima hora celebrata fuerit in conventu fratrum, qui apud quosdam Capitulum nuncupatur*, etc. Et Capitulum quidem locum fuisse ab ecclesia sejunctum, in quo post primam et ante Missam ad lectiones audiendas cleri præsertim conventus fieret, aperte colligimus ex antiquo ordine Cameracensi et Atrebatensi Ecclesiæ ex Pithœi schedis edito, ubi hæc leguntur : *Et mox ut sol ortus fuerit, signum pulsetur ad primam, ubi omnis clerus conveniet. Deinde exeant ab ecclesia cum silentio, et resideant in Capitulo, ubi sacra legatur lectio ab hebdomadario. De ipsa vero lectione et de conversatione clericorum ibi a prælatis tractandum est ;* et deinde subjiciuntur, quæ ad Missam pertinent. Huc autem præter clerum, antiquis saltem temporibus, concurrere potuisse etiam laicos ad sacram lectionem audiendam, ex Cæsarii testimonio liquet. In conventu seu Capitulo ambonem præterea fuisse, unde sacri libri legerentur, perspicuum fit ex nota marginali in præsentem tractatum. Neque moveat marginalis notatio tract. 45, ubi cum ea *in conventu* gesta traduntur, quæ aliis ex ordinibus ante vel post nocturnas Vigiliarum preces (matutinum vocamus) in choro geri consueverant, uti est pacis oblatio memorata aliquot in monumentis a Martene recitatis tom. IV, de Ant. Eccl. Ritib. cap. 25, num. 5, et antiphona *Surrexit Christus*, etc., *conventus* hic *fratrum* pro ipso choro habendus videri potest, ubi sane clerus convenit : hæc, inquam, marginalis notatio ne moveat; nam cum præcipuus Veronensis Ecclesiæ, et diei quidem paschalis ritus videatur, qui ea notatione exponitur, quique non ejus est generis, cujus ille est, qui in monumentis a Martene relatis ante vel post nocturnas preces celebrabatur; nihil opus est, ut exinde *conventus* nomen in alienam significationem transferamus, quam aliis documentis confirmare non liceat. Vide quæ in eam notationem suo loco dicemus.

(2) Prima hæc sententia in sequenti tractatu alia lectione repetitur sic : *Acceptæque indulgentiæ regale beneficium diligenter, fortiter ac fideliter custodite : etenim vester contractus ablatus est.* At utrobique in ms. Rem., *ablatus :* legitur in ms. Tol., *sublatus.* Contractus autem heic peccata sunt, ex quibus duplex culpæ pœnæque debitum contraximus; hoc autem debitum utrumque cum in baptismate remissum fuerit, contractus omnis jure ablatus, seu albatus, id est deletus, dicitur. Contractus enim heic dictus videtur, quod Apostolus ad Coloss. II, 14, *chirographum* vocat : *Delens quod adversus nos erat, chirographum decreti, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci :* ubi et *ablati*, et *albati*, seu deleti chirographi occurrit mentio.

(3) Mss. Tol. et Pomp.: *In magno quidem reatu nunc usque fuistis.* Tract. 39, unde hæc sententia fere desumpta est : *In hoc reatu, fratres, usque nunc fuistis.* Vide quæ ibidem annotavimus.

(4) *Ipsis* additum est ex quinque mss. Codex Vat., *pro vobis bonis ipsis.*

(5) Heic incipiunt, quæ ex tract. 40, totidem fere verbis repetuntur.

(6) Tres mss. Rem., Vat. et Pomp., *quod*, cum alii perperam *quæ* præferant. Idem sane totidem verbis legitur tract. præced.

Digitized by Google

beratoris nostri profunda providentia! O præstantia singularis! O dulcis sententia! O damnatio necessaria! In semetipso homo jugulatur, ut vivat : percussor non videtur, percussoris non cernitur gladius, percussi non hiat vulnus, non defluit sanguis exspirantis, non palpitat corpus, non decolor color est. Ipse est, tamen non est ipse. Vetus quidem videtur domicilium : sed novus inquilinus exsultat mutatione morum, nativitatis suæ nobilitatem incredulis variis virtutibus probaturus.

259 TRACTATUS XLII.

(1) *Ad Neophytos post baptisma* V.

Salvete hodie, nati fratres in Christo, acceptæque indulgentiæ regale beneficium diligenter, fortiter ac fideliter custodite; etenim vester (2) contractus omnis ablatus est : securi gaudete; nihil sæculo jam debetis. Ecce nullum pondus, stridor nullus est mundanarum vestris in cervicibus catenarum. Vinculis nullis impeditæ sunt manus, nullis pedes onerati compedibus. Non vos ullus terror exagitat, non ullæ sordes offuscant. Qui conscium timebatis, conscientiam non timetis : vetus enim homo vester feliciter condemnatus est, ut absolveretur : sacri gurgitis unda sepultus, ut sepulcri nido vivificatus, resurrectionis jura gustaret. O magna providentia Dei nostri! (3) O bonæ matris charitas pura! diverso genere, sexu, ætate, conditione suscipiens necat odio criminum, ut noverca : pia servat, ut mater : necatosque non ante vivificat, quam omne virus vetustatis extinguat. Ne quid (4) adulterum pariat, ac ne quem plus amare videatur, aut minus, unam nativitatem, unum (5) lac, unum **260** (6) stipendium, unam Spiritus sancti præstat omnibus dignitatem. Quam speciosum est, fratres, quamque salutare, quem paulo ante ridiculo habueris, admirari; cujus exsecratus sis corruptelam, optes imitari virtutem : (7) quem cupidum semper horrueris, stupeas passim in pauperes et egenos sua bona universa fundentem : postremo quem noveris idololatriæ fanum, gaudeas Dei templum. Itaque beatus est semper, qui meminit, quod renatus sit : beatior (8), qui non meminerit, quid fuit ante, quam renatus sit : beatissimus, qui (9) infantiam suam provectu temporis non mutaverit.

261 TRACTATUS XLIII.

(1) *Ad Neophytos post baptisma* IV. *De duodecim signis.*

I. Æthereæ gentes, exsultate, novella pignora in

Tract. XLII. — (1) In mss. *Tractatus paschalis* inscribitur præter Zen. qui cum edit. Ven., *Post traditum baptisma*. Fragmentum hujus tractatus prope finem affertur in Vita S. Zenonis a monacho Zenoniano conscripta. Ex ea pariter variantes dabimus distinctas per litteras Vit.

(2) Vide annot. 2, in tract. præcedentem.

(3) Heic incipit fragmentum adnot. 1 memoratum, ab auctore Vitæ S. Zenonis insertum pag. 326 Hist. diplomaticæ, ad cujus calcem illa a Marchione Maffeio subjecta est. Monachus tamen nonnullas lineas ad rem suam nihil pertinentes omisit.

(4) Ms. Vat. *adulterium* : sed *adulterum* pro *adulterino* a probis auctoribus et a Zenone adhibitum vidimus adnot. 42, in tract. 1, lib. 1.

(5) Mirum forte cuipiam videbitur, quod non heic solum, sed alibi quoque unum lac a Zenone nominetur, non autem mel, cum tamen certum sit recens baptizatis in Occidentali Ecclesia mel non minus quam lac traditum fuisse, ut plures testes a Martene recitati tom. I, cap. 15, n. 16, palam probant. At lac, non tamen mel nominat pariter S. Hieronymus in c. LV Isaiæ, tom. IV, pag. 644 edit. Veron., licet is in dialogo contra Luciferianos n. 8, tom. II, pag. 180, et lac et mel traditum memoret, inquiens : *Multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare, deinde egressos lactis et mellis prægustare concordiam ad infantiæ significationem.* Notanda tamen verba *lactis et mellis concordiam*, ex quibus non lac et mel distincte, sed mel cum lacte mixtum Neophytis traditum liquet, unde et Tertullian. *lactis et mellis societatem* bis appellat, in lib. de Corona mil. c. 3, et lib. I adversus Marcion., c. 14. Hinc etiam una mellis et lactis benedictio in Ritualibus legitur, una item tradendi mellis ac lactis formula. Itaque facile fuit lac unum appellare, non quod istud solum daretur, sed quod usitatior infantium sit cibus. Cæterum hic ritus usurpatus licet a Gentibus, qui pueros vix natos melle ac lacte nutriebant, ut ex pluribus antiquis Scriptoribus eruditi notarunt, quemadmodum videre est apud Cotelerium in cap. 6 epistolæ Barnabæ adnot. 51, non tamen a Gentibus acceptus referendus cum nonnullis est, sed a Testamento Veteri, ubi repromissionis terra lacte et melle fluens sæpe recipitur, *cujus iter* (Baptizati) *inchoantes*, inquit Joannes Diaconus in epistola ad Senarium tom. I. Musei Italici pag. 75, *tamquam parvuli lacte nutriuntur et melle*. Veremur tamen ne hoc loco Zenoniano lactis nomine accipiendus sit sanguis Christi, de quo plura diximus adnot. 7, in tract. 32, vel ipsa intelligenda fidei doctrina, quam lactis nomine acceptam videmus in epistola Barnabæ num. 8, hoc enim pabulo æque omnes baptizati nutriebantur.

(6) De hoc stipendio, quod *denarius* alibi appellatum videtur, multa disseruimus adnot. 5 in tract. 35, quæ plane legenda sunt una cum iis, quæ animadvertimus adnot. 21, in tr. 14, lib. II, ubi hunc eumdem textum considerandum proposuimus.

(7) Vit. addit *ut*, etc., quæ particula eadem ratione ponenda esset ante pronomen *cujus*, quod cum suo commate ab auctore vitæ prætermittitur; sic enim ille per saltum : *Quam speciosum est, fratres, ut quem cupidum*, etc.

(8) Editi habebant, *qui non meminerit fuisse, antequam renatus sit*, idque spectat eos qui in infantia baptisma susceperunt, aut ejus rei non meminerint. Hos autem magis beatos auctor vocat; quod ante baptisma nihil mali proprii gesserint. Vit. *Qui non meminerit esse, quod fuit antequam renatus sit*. Mss. Rem., Urb., Pomp. et Basilicæ Vat. cum eadem Vita ad calcem ejusdem codicis Pompeiani; *Qui non meminerit, fuit ante quod natus*. Ex his scribere placuit, *qui non meminerit, quid fuit antequam renatus sit*.

(9) Vide adnot. 5, in tract. 39.

Tract. XLIII. — (1) Primus hic titulus in ed. Ver. (in Zenon. codice *ad Neophytos* tantum), alter *De duodecim signis* cum additione *ad Neophytos* in mss. cæteris et editione Veneta. Mos cum esset apud Gentium mathematicos (sic enim Astrologi tum dicebantur) nativitates scribere per Zodiaci signa, ut discimus ex Philastrio hær. CXX, quæ *de signis Zodiaci et ortu hominum* inscribitur, hunc morem S. Zeno a profana observatione ad sacram hoc in tractatu traduxit. Porro in margine ms. Rem. : *Ad S. Stephanum ad Martyres secunda feria paschæ legenda in ambone, antequam Pontifex consignationem sancti Spiritus celebrare incipiat*. Hoc forte antiquissimum est hujusce ritus testimonium, quo confirmationis sacramentum *consignationis* nomine indi-

Digitized by Google

Christo, florentissimique hodierni spiritalis ortus vestri candorem ne quo **262** pacto maculetis, perpeti diligentia custodite; quia (2) nescit iterare quod præstat. Ecce (3) pueri, adolescentes, juvenes, senes utriusque sexus, qui eratis rei, eratis et immundi, (4) mundana nativitate, contra omni reatu jam liberi, mundi estis infantes : et, quod est admirabile, et gratum, subito uno momento facti ætatibus diversis æquævi. Sed (5) curiositatem vestram bene novi veteris vitæ usurpatione ; quod quidem vobis ulterius non licebit. Fortassis requiratis et a nobis, qua genitura, quove signo tam diversos, tam plures, tam dispares una uno partu vestra vos peperit mater. Sicut parvulis morem geram, sacrique (6) horoscopi pandam tota brevitate secreta.

263 II. Igitur, fratres, genesis talis est vestra. (7) Primus vos, qui in se credentem reprobat nullum, non Aries, sed Agnus excepit : *qui* vestram nuditatem velleris sui niveo candore vestivit : qui suum (8) lac beatum vagitu hiantibus vestris labris indulgenter

catum, feria secunda paschæ ab episcopo conferretur. Ex multis aliis documentis, quæ diligenter collegit P. Edmundus Martene parte I de Antiq. Eccles. Ritibus cap. 2, art. 1, num. 2 et 3, exploratum fit olim episcopos, cum baptizabant (baptizabant autem fere inter ipsa solemnia diei paschatis, quæ a Sabbati sancti pervigilio incipiebant), eodem die semper una cum baptismo neophytis mox et confirmationem et Eucharistiam ministrasse. Quid igitur heic confirmatio in feriam paschatis secundam rejicitur? quod tamen monumentum ad octavum circiter sæculum pertinens, non adeo serum est, ut mutatam hac tempestate eam disciplinam dicere oporteat, quam ex pluribus aliis testibus ab eodem Martene ibidem allatis in sequiora sæcula productam liquet. Lumen huic difficultati afferunt sancti Udalrici Episcopi Augustani acta cap. 4, cui ea consuetudo fuisse traditur, ut *feria secunda post pascha ad S. Afram* multitudinem populi eo confluentis confirmaret. Id forte eam ob causam factum fuit, non quod episcopus non confirmaret in paschate, quos ipse eo tempore baptizasset; sed ut succurreretur baptizatis in rure, ubi institutis jam baptisteriis aliquot, baptisma in paschate conferre presbyteris licebat. Cum enim presbyteri confirmare non possent, nec pueros statim submittere in urbem, ut eadem die confirmarentur ab episcopo; jam ut quam proxime fieri posset, isti utrumque sacramentum susciperent, cautum fuisse videtur, ut quisque suos pueros paschali festo baptizatos, feria secunda in urbem adferret, et in horum tantum gratiam S. Udalrici tempore, et similiter apud Veronam sæculo saltem octavo morem invaluisse putamus, ut ea die confirmatio ab episcopis stato in templo solemni ritu fieret. Porro sicut Augustæ Vindelicorum templum huic officio decretum erat *S. Afra*, ita Veronæ *S. Stephanus ad Martyres*, ad quam quidem ecclesiam secunda feria paschæ decimo adhuc sæculo circiter stationem habitam liquet ex *Carpso* ms. Stephani presbyteri in bibliotheca Capituli Veronensis servato, qui Veronensis Ecclesiæ ritus in dies singulos præscribens, eadem secunda feria *stationem ad S. Stephanum* notat. Hæc porro S. Stephani ecclesia vetustissima est, et Theodorici Gothorum regis tempore jam fuisse constat ex Anonymo Valesiano, et *ad Martyres* idcirco nuncupata, quod quadraginta Martyrum corpora ibidem requiescant, de quibus præclare Anonymus Pipinianus in Rythmo de Veronæ laudibus pag. 180 hist. diplomaticæ Marchionis Maffeii : *Ab Oriente habes primum protomartyrem Stephanum, Florentium, Vindemialem, et Maurum episcopum, Mamam, Andronicum, et Probum cum quadraginta Martyribus.* Horum mentionem facit Joannes presbyter Veronensis in Historia imperiali ms. lib. I, pag. 130, cujus fragmentum ex codice descriptum ab Hieronymo Tartarotio, nobisque humaniter communicatum heic edere placuit. Joannes hic sæculi XIV incuntis scriptor de Virgine scribens Placidia, quæ V *id. octobris migravit ad Dominum, cujusque corpus in ecclesia Sancti Stephani in castello... sepultum fuit*, ista subjicit : *Hæc ecclesia olim fuit cathedralis ecclesia Veronensis, in qua jacent corpora Sanctorum Martyrum* XL *qui sub Diocletiano in eadem urbe passi sunt..... Jacent etiam ibi et corpora sanctorum pontificum ejusdem urbis Simplicii, Petronii, Innocentii, Senatoris, Felicis, Gaudentii, Probi, Andronici, Salvini, Mamæ, Mauri, Joannis, Alexandri, et Moderati, et aliorum plurium.* De his item Martyribus antiqua inscriptio superest in eadem ecclesia; et sunt diversi a quadraginta Sebastenis, ut ex diverso, qui utrorumque festo dictus est dies, etiam cognoscitur. Initio autem præsentis tractatus quos *ætheream gentem* auctor vocat, hos tract. 35 *æthærea veste vestitos* prodidit. Vide quæ ibidem annotavimus.

(2) Ms. Urb., *nescit tenere.* Nota heic quoque novum testimonium, quo baptisma iterari non posse innuitur. Nominativi loco Christus subauditur, cujus Zeno paulo ante mentionem fecit.

(3) Recensentur ætatum gradus, de quibus plura Censorinus de Die natali cap. 13, juventutem autem post adolescentiam positam inter ann. 30 et 40, ex Varrone ibidem laudato cognosces; ex quo factum est ut *juvenes* appellati inveniantur, quos ex confirmata jam ætate vulgo *homines* et *viros* nominare solemus. Adverte etiam senes utriusque sexus baptizatos fuisse, propterea quod Zenonis ævo post pacem Ecclesiæ redditam plures ex Gentibus ad Ecclesiam confluerent ex iis ipsis qui usque ad senectutem in idololatria vitam exegerant.

(4) Mss. Rem. et Pomp. perperam *mundana contra nativitatem omni*, etc., in mss. Tol. et Urb., *mundanam contra nativitatem omni.*

(5) *Curiositatem vitæ veteris usurpatione* illam auctor appellat, qua nondum baptizati, dum inter paganos vitam veteris hominis agerent, genesim a mathematicis postulare solebant; et ita in hac nova nativitate simile quidpiam eos petituros præsentiens, monet genituram ab astrologis quidem postulare licitum ipsis non esse, sed interim profanam observationem in sacram convertens, ex iisdem Zodiacis signis, quibus mathematici genituram scribere solebant, spiritale natalitium thema per allegoriam describendum aggreditur. In tribus mss., *usurpati* pro *usurpatione* legitur.

(6) *Horoscopus* hic est punctum illud temporis, quo quis nascitur, uti apud Persium Sat. VI, vers. 18: Manilius lib. III, vers. 189, *ortivum cardinem* appellat. In duobus mss. *Oroscopi* sine adspiratione scribitur.

(7) Ab Ariete auctor incœpit, genituram mysticam Neophytis conditurus, tum quod ab hoc signo annus ordiretur non civilis solum, sed Ecclesiasticus etiam, quem a paschatæ intra Arietis signum incidente initium sumpsisse videbimus adnot. 2 in tract. 45, quo quidem tempore Neophyti per baptisma in novam vitam renascebantur : tum quod eumdem ordinem in nativitatibus condendis mathematici sequerentur, ut colligere licet ex Augustino hæres. LXX, quæ est Priscillianistarum : *Constituunt enim*, inquit, pag. 22, tom. VIII, *in capite Arietem, Taurum in cervice, Geminos in humeris, Cancrum in pectore, et cætera nominatim signa percurrentes, ad plantas usque perveniunt, quas Piscibus tribuunt, quod ultimum signum ab astrologis nuncupatur.*

(8) De hete baptizatis tradito, qui ritus heic indi-

Digitized by Google

infudit. Idem non tumidus cervice, non torvus fronte, non minax cornu Taurus, sed optimus, dulcis, blandus ac mitis vos admonet (9) Vitulus, ut nulla ullo in opere captantes auguria, ejus sine malitia succedentes jugo, terramque vestræ carnis domando fecundantes, lætam divinorum seminum messem cœlestibus horreis inferatis. Et admonet prosequentibus Geminis, id est duobus salutare canentibus testamentis, ut principaliter idololatriam, impudicitiam, avaritiamque fugiatis, quæ est incurabilis cancer. Leo autem noster, sicut Genesis protestatur (*Gen.* XLIX, 9), leonis est catulus, cujus ista pia sacramenta celebramus, qui ad hoc recubans obdormivit, ut vinceret mortem; ad hoc evigilavit, ut beatæ resurrectionis suæ in nos munus immortalitatis conferret. Quem competenter sequitur Virgo prænuntians Libram, ut nosceremus (10) Dei per Filium, qui incarnatus processit ex virgine, æquitatem justitiamque terris illatam : quam qui constanter tenuerit ac fideliter ministraverit, non dicam Scorpionem, sed, sicut Dominus ait in Evangelio, omnes omnino serpentes illæsa planta calcabit. Sed **264** nec ipsum quoque diabolum, qui vere est acerrimus Sagittarius, formidabit umquam, variis atque igneis sagittis (11) armatus, totius humani generis omni momento corda distringens : propter quod sic Paulus Apostolus ait : *Induite vos armaturam Dei, ut possitis vos constare adversus nequitias diaboli, accepto scuto fidei,* A *per quod poteritis omnes sagittas illius mali, quæ sunt igne plenæ, extinguere* (*Ephes* VI, 11). (12) Is enim infelicibus non numquam immittit Capricornum vultu deformem, et per cornu exilioris labra liventia spumantibus venis ebulliens, palpitante ruina captivi tota miserabiliter per membra desævit. Alios amentes, alios furiosos, alios homicidas, alios adulteros, alios sacrilegos, alios avaritia efficit cæcos. Longum est ire per singula. Varias atque innumerabiles nocendi artes habet : sed has omnes salutari profluens (13) amne non magnopere noster Aquarius delere consuevit; quem necessario uno sequuntur duo Pisces in signo, id est duo ex Judæis et Gentibus populi, baptismatis aqua viventes, in unum populum Christi uno signo signati.

B

TRACTATUS XLIV.

(1) *Ad Neophytos post baptisma* VII.

Die dominico de comparatione tritici.

I. Exultemus, fratres, in Christo, tantique proventus redditu ditati, Deo patri omnipotenti laudes et gratias referamus; qui **265** zizania, lolium, lappas, tribulos in læta frumenta mutavit, quæ diligenti cultu purgata, molarisque lapidis pio pondere feliciter fracta, ordinabiliter (2) creta, omni furfure abjecto, mirifico splendore in farinam candidam micuerunt; quæ nullo adulterata fermento est, (3) conspersa ac subacta diligenter. Sal inditum est illi; levigata est oleo (4) cremiali, officiis competentibus

cari videtur, diximus adnot. 7 in tract. 32, et adnot. 5, in tract. 42. Ileic autem *lac beatum* dici videtur Christi sanguis, qui baptizandis tamquam infantibus porrigebatur. Ms. Rem. perperam *lacte beatum vagi-* C *turis hiantibus*, etc. Ms. Vat. *lacte* item scribit. Postea mss. Rem., Pomp., Vat., Urb., Zen. et edit. Ven., *infundit* pro *infudit*.

(9) Christum in Scripturis *agnum* sæpe appellari palam est omnibus; eumdem autem vocari quoque vitulum testatur S. Barnabæ epistola num. 8, quam in hanc rem S. Hieronymus laudat in cap. XLIII, vers. 19 Ezechielis. Inferius *idolatriam* pro *idololatriam* in mss. Rem. et Pomp. quod frequens esse in codicibus jam animadvertit Baluzius.

(10) Mss. Rem. et Zen., *per Filium Dei*. Nota *processit ex Virgine* pro *natus est ex Virgine*.

(11) Hic adjectivus cum sequenti rara, sed a Zenone non aliena syntaxi ad *Sagittarium* refertur.

(12) Mss. Pomp. cum aliis et cum editis ita prima manu habebat, sed correctum est *Iis;* non placet : *is* autem est diabolus. Dein pro *deformem et per cornu exilioris*, manuscripti libri Tolent. atque Zenonian., *deforme per cornu exilioris*. Ms. Urbin., *deformem*, *qui cornu exiliens*. D

(13) Edit. Ver. cum aliquot mss. *omne*, perperam. *Non magnopere* pro *non magno opere*, seu facile, de quo vide adnot. 9 in tract. 6, lib. I.

TRACT. XLIV.—(1) Prima inscrip. in ed. Ver. In Zen. et ed. Ven., *ad Neophytos :* in cæteris mss. autem secunda. Sicut autem vineæ comparationem S. Zeno explicans tr. 27 rationem vini apud antiquos condendi satis enucleate breviterque ob oculos posuit; ita nunc comparationem tritici Neophytis propositurus, antiquam panis conficiendi rationem non minus diligenter paucis exhibet : de qua allegari solet Seneca epist. 90, sed eo luculentius multo Zeno noster illam exponit. Hujus autem comparationis occasionem dedit fortasse Paulus apostolus per allegoriam de azymis paschalibus (I *Cor.* V, 7); quæ quidem

lectio vel nunc paschali tempore legitur. Hac panis quidem comparatione alii quoque Patres de Neophytis loquentes utuntur, cum illos ex Paulo *panes* appellant. Vide inter cæteros Augustinum serm. CCXXVII et CCXXIX, ubi eamdem allegoriam fuse prosequitur, et simul explicat.

(2) *Cretus* hoc loco non a *cresco*, unde *cretus* idem est ac creatus, progenitus, sed a *cerno* originem ducit, quod significat *cribrare*. Plinius lib. XXXIII, num. 26, pag. 260, tom. II, *Cribro tenui cernitur*, et lib. XVIII, num. 19, pag. 14, *farinario cribro subcernitur*. Hinc ergo *ordinabiliter creta* dicuntur, quæ ex ordine cribrata sunt. Simili sensu apud Palladium lib. XII, cap. 22, *bene creti cineris*.

(3) Ms. Rem. et edit. Ven., *consparsa* : et sane similiter apud Tertullianum lib. IV adversus Marcionem cap. XXIV, alii legunt *consparsionum* pro *conspersionum*. At *conspersa* ex communiori scriptione præfertur. Hunc autem textum egregie illustrat locus Catonis de Re rust. cap. 74 : *Farinam in mortarium indito : aquam paulatim addito, subigitoque pulchre :* ubi *subigere* pro *attrectare*, *agitare*, *miscere* dicitur.

(4) *Germinali* habebant editi et nonnulli mss., sed in aliis tribus Rem., Tol. et Urb. *gremiali* legitur. Hanc lectionem ut retineremus pene suaserant duo ejusdem sæculi auctores, qui *gremiale oleum* similiter habent, Quinctus Octavius Horatianus cap. 9, et Theodorus Priscianus lib. I, cap. 3, quos tamen pro uno eodemque auctore habendos Fabricius ostendit in bibliotheca latina. Sed melius *cremiale* legendum est; *g* enim pro *c* in mss. scriptum sæpe observatur, et hac ratione apud Columellam lib. XII, cap. 19, *gremia* legitur in mss. ubi *cremia* recte editum fuit; et similiter *cremiales arbores* legendum notavit Nerius Analectorum num. 11, apud Ulpianum lib. XXIV, D. tit. 3, L. *de soluto matrimonio*, § 10, ubi in Pandectis Florentinis *gremiales arbores* scribitur. *Cremium* autem et *cremiale* a *cremando* vocatur, quod cremari

Digitized by Google

temperata, in panes azymos reddita. Ili, quos videtis, egregia coctura suave redolentes, qui excocti sunt non furno, sed fonte; non humano, sed igne divino: non illos aura corrupit: non fumus amarus infecit: non frigus elisit: **266** (quod plus est) (5) sine fermento levati sunt. Certe (6) cacabacii non sunt, non vetusti, non usti, non crudi, non mucidi. Lacteus illis color est: lacteus sapor est.

II. Sed fortassis, quod nonnulli (7) forma videntur minores, si secus **267** aliquid de pistore sentiatur, mea nihil interest, fratres: quia etsi pauper sum, tamen frontem meam tueor, et fidem meam novi. Certe si quid sciunt, dicant (8) *operarii, qui mecum* sunt. Lucro gaudeo, sed *sine furti conscientia*, sane confiteor. *Denique et vos retinetis (9) pondus antiquum : habetis aginam : exagium facite, quemad-*

facile potest. *Cremia* quidem apud Columellam loco laudato sunt ligna tenuia et sicca, quæ ignem facile concipiunt. *Levi quidem igne et tenuibus admodum lignis, quæ cremia rustici appellant, fornacem incendemus* : et hinc intelligitur locus vulgati interpretis ps. ci, 4 : *Ossa mea sicut cremium aruerunt ;* cujus vocis significationem eamdem affert Hieronymus in cap. x Oseæ. *Cremiales* item arbores in Pandectis sunt, quæ facile accenduntur. Ex his ergo *cremiale oleum* legendum pariter est apud memoratos Scriptores; et significatur, uti et apud Zenonem, commune oleum, quod in lucernis adhiberi solebat. Notandum denique est, farinæ massam jam conspersam atque subactam, præter sal inditum, oleo quoque conspergi consuevisse, ut panis fieret; quod tamen non de omni pane intelligendum putamus, sed de aliquo, quem hoic ad Neophytos Auctor transfert, ut significet oleum, quo illi ungi solebant sive ante baptisma, sive post, præsertim in chrismate, pro quo Augustinus serm. 227, *oleum* appellat.

(5) Spectare auctor videtur illa Pauli (1, *Cor.* v, 7), ubi primos illos christianos azymos panes vocat, qui scilicet expurgato, ut ait, veteri fermento malitiæ et nequitiæ, nova conspersione sine ullo fermento, quo massa tota corrumpitur, azymi mundi de fonte levati sunt

(6) *Cacabacei* legendum videri potest, siquidem Tertulliani codices adversus Hermogenem cap. 41, *cacabaceus* scribunt. Sed *cacabacius* apud Papiam legitur voc. *Panis. Similiter*, ait, *et cacabacius panis calidus siccat : frigidus vero minus multo siccus ex parte extenuat.* Cacabacei significatio penes Tertullianum perturbati et turbulenti motus, qui in cacabis ebullientibus deprehenditur, vim exprimit. *Motus non turbulentus, nec cacabaceus* (scilicet ad cacabi seu *ollæ undiquè ebullientis similitudinem*, ut idem ipse paulo ante dixerat), *sed compositus et temperatus.* Hæc significatio qui panibus convenire queat, haud intelligi potest. Alia igitur interpretatio exquirenda, quæ Zenonis ætate huic voci responderit. Joannes Filesacus lib. I Selectorum cap. 3 et 14 a κακκαβίζειν perdicum voce deducit, ut garrulos et nugaces significet. Sed etsi id hominibus convenire queat, tamen cum auctor non homines, sed panes *cacabacios* appellet; nihil est quod in hanc sent utiam eum locutum credamus. Porro ex cacabis hanc vocem derivare palam est. Cacabi autem erant coquinæ vasa ex Varrone de Lingua Latina lib. IV, cap. 27, quorum duas species Columella distinguit lib. XII, cap. 41 et 46, *fictilinos et æneos.* Fuisse autem et pistorios cacabos, ubi panes a pistoribus coquerentur, ex hoc unico Zenonis loco colligunt Casaubonus in Heliogabalum Lampridii pag. 150, et ex eo Bulengerus de Convivis lib. IV, cap. 18, et ii dicti, inquiunt, *panes cacabacii, qui saporem malum ex aqua in cacabo calefacta retinerent.* Sed neque hæc interpretatio satisfacit, cum non satis intelligatur, quomodo pistores in coquendo pane cacabis uterentur, ex quibus malus, ut illi putant, sapor in panem ipsum suo cum detrimento rediret. Memoratus Papias *clibanicium panem* recenset *coctum in testa*, eumdemque siccum valde testatur, ut videri possit idem, ac quem *cacabacium* paulo ante vocavit; testa autem cacabi species est. At S. Paulini Nolani locus ex epist. XXXIII, num 9, pag. 201, edit. Ver. huic voci intelligendæ facem præferet. Sic autem ille ait : *Cum ædificia, quæ immaculata, adhuc operis tui gratia splendent, obscurata nœniis insipientiæ meæ, et, ut digno versibus meis utar verbo, cacabata ridentibus multis.... adspicies*, etc. ubi *cacabata* vulgare quoddam adjectivum Paulinus usurpat, ut aliquid amplius, quam *obscuratum* significet. *Denigrata* exponit Rosweidus in annotationibus p. 906. Hinc *ollæ cacabatæ* apud Pelagium in Vitis Patrum libello XV, sunt ollæ fuligine denigratæ. Itaque *panes cacabacii* sunt vulgares et viles panes, ex farina non lectissima nec bene cribrata conditi, et idcirco fusci, quibus sane *panes lactei coloris* Zeno opponit, nec non illos, qui certa forma certoque signo notati a pistoribus venum exponuntur. Tandem hi *cacabacii* panes illi esse videntur, quos *sordidos* et *Sardinienses* vocat lex Valentiniani de *Annon. civil. et pan. grad.* quibus ex adverso locat panes *mundos;* et forte etiam idem est *plebeius* ille panis, cui *siligineum* ex lectissima farina compactum opponit Seneca epist. CXIX.

(7) Difficultatem hæc verba maximam primo adspectu ingesserunt, cum non statim intelligeretur, quomodo ex Neophytis quidam *forma minores* videri possent, ut exinde adversus pistorem, id est episcopum Zenonem, qui se pauperem profitetur, furti suspicio rediret, a qua se vindicandum hoc loco putavit. At cum ex aliis tractatibus constet, pueros, adolescentes, juvenes et senes quamplurimos cujusque sexus et conditionis baptizatos fuisse, qui fere ex Gentibus ad Christianam religionem transibant; suspicari cœpimus nonnullos pueros vel adolescentulos Gentilium ad baptisma susceptos, per allegoriam *minores forma* videri potuisse, quippe qui ob ætatem nimis teneram non viderentur esse ejusmodi, ut satis apti et instructi, vel liberi baptisma peterent. Hinc autem furti cujusdam suspicio in Episcopum recidit, ac si cupidus lucrandi plurimos, pueros *minores*, quam par esset, id est nondum sui compotes, nec idoneos qui de capienda religione decernerent, vel non satis instructos ac probatos, a parentum lateribus abstraxisset, quod sine furto esse non poterat, cum filios a parentibus abducere non liceat, nisi compotes sui christianam fidem amplecti, patresque deserere velint. Ipse quidem Zeno ab hac suspicione non aliter se purgat, quam experimento et probatione illorum, quos ipsis auditoribus probandos exhibet, nihil dubitans, quin omnes *tripondes*, id est (ut explicabimus) satis instructos, liberos ac pares cæteris omnibus, ætate nihil impediente, inveniendi sint. Forte etiam loquitur de adultis, quos non statim suscipiendos, nisi multum probati et instructi fuissent, sententia erat, qua quorumdam in iisdem suscipiendis celeritas reprehendebatur. Vide Martene tom. I de Antiqu. Eccl. ritib. cap. 1, art. 8, num. 5 et sequentibus. Hujus autem reprehensionis eadem vindicatio est.

(8) *Operarii*, qui in catechumenis instruendis, probandis ac initiandis Zenoni cooperabantur, quosque, si quid contra se de neophytis sciant, testes appellat, procul dubio sunt presbyteri et diaconi, ac proinde clerum Zenoni jam fuisse manifestum est.

(9) Hic locus cum ad pistorii, ut ita dicamus, panis pondus, quod vel olim certum esse debebat, allegorice pertineat, recte pro *edignam*, quod legitur in

Digitized by Google

modum vultis : singulos ponderate : invenietis nullum habere 268 minus. (10) Tripondes sunt omnes, numismatis sacri una libra signati, (11) qui mensæ deserviunt.

269 TRACTATUS XLV.

(1) *De die Dominico Paschatis* I.

Sæculorum hæres, et (2) pernici cursu procurrens

tribus codicibus, vel *hæginam*, quod alii codices et editi habent, *aginam* scribendum est cum Casaubono in Lampridium pag. 150. Est autem *agina* ex Festo trutinæ pars, qua sub exagio pondera veruntur. Hinc *in neutram partem pronus et præceps mediæ aginæ æquilibrato impetu ferebatur*, dixit Tertullianus adversus Hermogenem cap. 41, *Exagium* porro idem est ac examen, quod per trutinam de ponderibus fit. Gloss. Gr. Lat. Ἐξάγιον *Pensitatio*. Similiter apud Cassianum Coll. 1, cap. 22, *exagium* dicitur, quo monetæ, utrum justi sint ponderis, probantur. Legitur in Novella Theodosii *de pretio solidi*, et in veteri lapide apud Gruterum pag. 647, 6, *sub exagio pecora vendent*. Vult ergo S. Zeno Neophytos quoque, de quibus dubitatio esset, ad examen vocari : et nihil ambigit quin, si ponderentur, omnes pares et apti inveniantur ; id quod significant illa : *Invenietis nullum* (quæ lectio manuscriptorum Pomp. et Vat. melior visa est, quam alia cæterorum *nullam*) *habere minus* aliis, minus scilicet eo quod ad suscipiendum baptisma necesse sit, ac in aliis Neophytis reperiebatur.

(10) Hæc vox *tripondes* apud Zenonem singularis laudatur a Casaubono in eumdem locum Lampridii, ubi *omnes* optime legit pro *homines*, cum *hominis* mentio allegoriæ panis non congruat : *omnes* autem panes *tripondes* recte dicantur. *Tripondes* vero et *omnes* ille non de panibus, vel neophytis, sed de auctoris tractatibus accipiendum putavit ; et is *significat*, inquit, *se acceptam fidem de sacrosancta Trinitate in omnibus suis sermonibus integram servasse*. Sed perperam, cum de panibus, non de sermonibus hoc in tractatu perpetuo agatur ; ac proinde *tripondes* dicuntur panes, de quibus hactenus, id est Neophyti, in quibus omnibus eamdem fidem, institutionem, voluntatem, quæ ad baptisma requiritur, sub exagio, seu examine inventam fri S. Zeno pollicetur. Porro ut de ipsa voce *tripondes* dicamus aliqua, *tripondium* triplicis dati ponderis pondus est, exempli gratia trium librarum, vel assium (Vide Instit. *de hæredit. instituenda*, § *Si plures*), sicut et *dupondium*, seu *dipondium* nummus duorum ponderum dicebatur. Itaque *tripondes* sunt panes, qui tribus statis ponderibus, verbi gratia libris, ponderant. Panes, qui Imperiali largitione populo tradebantur, sub Aureliano duabus libris singuli pendebant, ut ex Zosimo colligitur. Auctum subinde pondus partim ab eodem Aureliano, partim ab aliis usque ad libras tres, ut Salmasius notat in Vopiscum pag. 375. Num *trilibres* panes *tripondes* Zeno appellavit ? ex eo tamen quod is panes, de quibus agit (agit autem de panibus, qui a pistoribus in publicum usum certo signo notati vendebantur) *una libra signatos* vocat : pistorium panis pondus ea tempestate uniis libræ fuisse satis insinuat ; id quod nihil prohibet, quin possent esse panes dimidio minus pendentes, uti sunt illi sex panes seu buccellæ in lege Valentiniani memoratæ Cod. Theod. *de Anon. civ. et pan. grad.* quæ *ex triginta sex unciis* constabant ; quod tamen semilibre pondus *parvulorum* tantum *panem* proprium fuisse videtur : sic enim Cassianus Collat. 11, cap. 19, nominat *datos paxamatios* (erat id tum parvi panis nomen) *quos* inquit, *parvulos panes vix unius libræ pondus habere certissimum est* ; quod ita accipi debet, ut non singuli paxamatii, sed utrique vix una libra penderent, uti ex contextu colligitur. Itaque si parvi panes dimidia, grandiores una libra pendere commode poterant. Quid autem *tripondes* eos auctor dixerit, *si una libra*, non tribus signati fuere ; non aliter intelligi potest, nisi si cogitemus, solemne Zenoni fuisse in omnibus allegoriis, quos ad Neophytos transfert, tria et unum, cum possit, adsumere ; unde pariter tract. 35 memorat *denarium aureum triplicis numismatis unione signatum*. Id autem vel spectat fidem in Deum unum et trinum, in qua nisi quis esset bene instructus et constans, non recipiebatur ad baptisma : vel ad ipsum baptisma pertinet, quod in ejusdem Unitatis, ac Trinitatis confessione nominе neque confertur. Tandem quod heic auctor ait *una libra signati*, tract. 43 in fine dixit *uno signo signati*.

(11) Hæc postrema verba eo respicere videntur, ut Neophyti omnes indicentur esse panes non cacabacei seu vulgares, sed lectissimi, quales sunt, qui in usum mensæ certa magnitudine certoque pondere a pistoribus fiebant, ut pluribus conjecimus adnot. 6. Secus hæc verba cum superiori sensu nihil congruerent, et mutilus esset sensus, cui deessent aliqua, ut congruus finis haberetur. Forte punctum præcedere debent hæc verba : *Qui mensæ deserviunt*, et hi sunt sacri Zenonis ministri altari servientes ; reliqua autem desunt.

TRACT. XLV.—(1) In mss., *Incipit tractatus diei Dominici*. Ed. Ven., *De die Dominico*. Apud Joan. Veron. ejusque exscriptores Guillelmum Pastrengum et Petrum de Natalibus recensentur *De die Dominico tractatus* II cum et superiori, ut vidimus, in mss. eadem sit inscriptio. Edit. Ver., *De Pascha*. Cum autem in pascha hic tractatus sit habitus, et de ipso die dominico paschatis agat, titulus, quem præfiximus, compactus fuit. In ms. Rem. longa hæc marginalis notatio legitur : *Recitanda in conventu a diacone ipso die paschatis coram pontifice, postquam ipse cum diaconibus a cubiculo descenderit, et sederit porrectis secundum morem malis cum pace præstita, dicente pontifice : surrexit Christus et aliis : Et ill.* Sic ibi. Singularis hic Veronensis Ecclesiæ et præcipuus diei paschatis ritus nullo alio exemplo confirmatus, non ad sacra officia publica pertinebat, quæ in choro ecclesiæ fierent, sed in conventu, id est (ut adnot. 1 in tract. 41 vidimus) in capitulo habebatur, quo sane pontificem cum clero identidem descendisse, antequam in ecclesiam ad sacra officia proficisceretur, multis liquet. Morem tamen porrigendorum malorum alia quadam die post missam notatum legimus in pervetusto rituali edito ad usum ecclesiæ Remensis, cujus meminit P. Martene, tom. IV de Antiq. Eccles. Ritib., cap. 33, num. 8, in quo hæc habentur : *Benedictio pomorum in die festo beatorum Jacobi et Christophori* hac præmissa rubrica : *Post missam dictæ diei presbyter exiens in albis cum stola benedicit poma nova, et post benedictionem clericus distribuit assistentibus. Sequitur benedictio*, etc. Romæ pariter in ecclesia Græcorum S. Athanasii in Epiphania mala aurantia, benedicta ab episcopo Græco ejus ecclesiæ præside, nunc quoque ex veteri ritu adstantibus porriguntur. Simile quidpiam Veronæ die ipso paschatis sæculo VIII circiter factum ex hac marginali notatione colligitur. Dum pacem dabat episcopus, dixisse videtur : *Surrexit Christus* ; cui qui pacem accipiebant, id respondisse feruntur : *Et ill.*, id est, *et illuxit nobis*, quæ verba paschalis diei propria, et in antiquis etiam ordinibus celebria omnes norunt. Vide etiam adnot. 1 in tract. 41.

(2) Editi *paterno* ; mss. Rem., Tol., Vat., *paternici*, et ita etiam scriptum erat in ms. Pomp. in quo tamen posteriori manu correctum *paterni*. Sed ex *paternici* emendandum duximus *pernici* cum ms. Urb. nam sermo est de paschalis diei cursu, quem in sua annua *orbita* pernicem quidem auctor appellat, tract. 51;

Digitized by Google

atque recurrens, solemni motu rotatus in sese, proferens sibi de fine principium, natalitia infinita de occasu, dies sempiternus eluxit : quo discussa convolutæ hyemis tristitudine, novo vento Favonio blandiente, diversis floribus, genere, colore pariter et odore una nativitate diffusis, germinantia undique dulce prata respirant. Exsultat æstas nova, **270** sed dives, in frumenti varias moles (3) spiceam feliciter contundens palmam : quam prosequetur congrue mustulentus autumnus, ut necessario gratiæ panis vini quoque jucunditas jungeretur. Quis non hæc cœlestibus mysteriis coaptata cognoscat? hyems namque pigra, sordida et tristis ad eos pertinet, qui idololatriæ deservientes, mundanis voluptatibus compediti, libidini vacantes et gutturi, longe (4) moliti, id est æternæ morti sunt a Deo, quod opus tenebrarum dilexerunt, destinati. Ver sacrum fontem debemus accipere, cujus divite ex alveo, Favonio non vento, sed Spiritu sancto generante, odorem divinum beata spirantes fide, (5) diverso charismate, sed una nativitate Ecclesiæ flores clarissimi, ac dulces nostri funduntur infantes. Æstas autem fidelis est populus, (6) A angelicus et mundus, qui sponsionis suæ palam fortiter retinens, peccatorum paleis (7) limpidatus, semet pretiosum frumentum divinis horreis inferre desiderans, licet suo uberet fonte, tamen æstuat semper justæ operationis **271** ardore. Autumnus quoque (8) martyrii locus est, in quo non vitis, sed fossoris sanguis effunditur : ut vita beata pretiosæ mortis vindemia comparetur. Dies vero ad sacramentum pertinet resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, qui in omnibus omnia est : qui vere æternus est, ac sine nocte dies; cui duodecim horæ in Apostolis, duodecim menses serviunt in Prophetis; quem Evangeliorum salutaria (9) quatuor prædicant tempora; cui non anniversarii, sed quotidiani fructus respondent, hymnum canentes Deo credentibus populis, B qui omni immortalitatis semine propagantur in sæcula. In hujus diei luce gradientes exsultemus fide, jucundemur bona conversatione, ut perpetuam vitam adipisci mereamur; per Dominum Jesum Christum.

272 TRACTATUS XLVI.

De (1) *Pascha* II.

(2) In stabili cursu, multiformi gratia redimitus,

Sæculorum vero *hæredem* paschalem resurrectionis diem vocat, propterea quod perenni orbita rediens, sæculorum æternorum imaginem referat. *Revertens* pro *recurrens* scriptum erat in sola edit. Ver. et Pat. *Rotatus in sese* cum duplici *se* scriptum reperimus in quatuor mss. et edit. Ven. *Principium* porro idem dies appellatur, et principium quidem anni, ut ex tractatibus sequentibus liquebit : *Pascha est enim vere anni principium*, inquit Ambrosius in lib. de Mysteriis, cap. 2 : *Primi mensis exordium, novella germinum reparatio, ac tetræ hyemis nocte discussa, primi veris restituta jucunditas;* ex quibus explicantur, quæ S. Zeno mox subjicit, cum paschalem diem in initium veris conjicit. Eadem invenies apud eumdem Ambrosium, lib. I Hexaemer., cap. 4, cum quibus concinit S. Gaudentius tractatu I, pag. 24, qui hujusce rei originem in antiquum Hebræorum ritum rejicit, apud quos Nisan Martio respondens, Deo præcipiente, primus erat mensium, ut ne tamen christiani in aprilem pascha nonnunquam transferre vetarentur speciali de causa, quam idem episcopus ibidem considerat. Quemcumque autem in diem sive martii, sive aprilis pascha incideret, hic semper anni ecclesiastici principium habebatur, licet vulgari consuetudine cum Romanorum ritu concinente annus a martio inchoaretur. C

(3) Contaminatus erat hic locus in editis, ubi legebatur *spicam feliciter contundens palma*. Mss. correctionem suggesserunt, qua indicatur, frumenti spicas per æstatem in varias moles seu acervos *contundi*, cum spicæ eo tempore tundantur in area, et frumenti grana in varios acervos coacta, in horrea inferantur. Similiter ex sex mss. et edit. Ven. *prosequetur* posuimus pro *consequitur*, quod futuro autumni æstatem subsequentis tempori minus congruit. D

(4) Tres mss. *inoliti*. Sed *moliti* placet, cum *molio* non minus ac *molior* reperiatur; unde *molior* passive a Lucilio usurpatum legitur apud Nonium II, 543, ex quo hoc *longe moliti* idem est ac *longe destinati*, ut idem S. Zeno explicat.

(5) Diversa in baptismate charismata sunt, quatenus diversa est baptizandorum dispositio; qui enim *plus crediderit*, *nobiliorem se ipse præstabit*, inquit S. episcopus, tract. 31; tractatu autem 33, hortans catechumenos ad fidem augendam, hanc rationem affert : *Quoniam quantum quis crediderit, tantum beatitudinis et habebit.*

(6) Pro *angelus* scripsimus *angelicus*, ut omnia sint epipheta vocis *populus*, cum de neophytis sermo sit, quos per baptisma in angelos quodam modo transmutatos, alibi autem *æthereos* pronuntiat.

(7) *Limpidatus*, id est purgatus, mundatus, a *limpido*, quod verbum usurpat Vegetius, l. II, 18, 1, sicut et l. II, 27, 4, *elimpido*. Paulo post *suo uberet fonte*, sumpto *uberet* neutra significatione pro *fecundet, exuberet;* sicuti etiam Columella adhibuit, l. V, c. 9, 11 : *Neque enim olea continuo biennio uberat*, id est fecunda non est. Neophyti autem ex gratia, quam in sacro fonte acceperunt, uberes sunt et fecundi.

(8) De martyribus non raro Zeno meminit, quod qua ratione in ævum ejus cadere potuerit, siquidem vixit sæculo quarto, vide adnot. 20 in tract. 27, et præsertim Diss. I, cap 2, § 8. Quæres fortasse quid *non vitis, sed fossorum sanguis effusus* tradatur. Id ad quarti sæculi martyres præcipue pertinet, quippe episcopi et ecclesiastici fere fuerunt sacræ vineæ fossores et cultores, quos potissimum impetitos eo sæculo legimus, quod prioribus sæculis non omnino convenit, cum et clerici et laici christiani passim a Gentibus mactabantur. Neque vero quispiam existimet *vitis* nomine Christum intelligendum, qui de se ait : *Ego sum vitis vera; fossores* autem esse universos Christi cultores : nam hi (si allegoriam Evangelicam auctor spectasset) non *fossores*, sed *palmites* appellandi fuissent; et *fossor* seu *agricola* dicendus fuisset *Pater*, cum scriptum sit Joannis XV : *Ego sum vitis, vos palmites. Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est.*

(9) Quatuor tempora hoc loco sunt quatuor anni tempestates hactenus memoratæ, quas ut quatuor Evangeliorum symbola auctor accipit.

TRACT. XLVI.—(1) In mss., *Tractatus paschæ* : in ed. cum Zen. *de Pascha* II. Hic autem et sequens tractatus similia continent, iisdemque nonnunquam verbis utuntur, ita ut ex altero alterum corrigere, explicare et intelligere liceat.

(2) Edit. Ven., *intestabili :* alii editi libri *instabili*. Mss. quatuor, *instabilis cursus;* alii duo disjunctive, *in stabili cursu*, quod cum Sparaverio magis placet, cum præsertim tractatu sequenti in eamdem sententiam *stabilis cursor* initio legatur. Ms. Rem., *multiformi gratiæ* perperam heic scribit, bene autem in sequenti tractatu *multiformi gratia*, uti utrobique alii codices et editi præferunt. Idem ms. Rem. necnon

Digitized by Google

temporum solemni vestigio dies salutaris advenit. Idem sui successor, idemque decessor, longæva semper ætate novellus, (3) anni parens, annique progenies, antecedit, sequiturque tempora et sæcula infinita. Parit sibi de fine principium; et tamen a cunis genitalibus non recedit. Profecto sacramenti dominici imaginem portat; nam occasu passionem, resurrectionemque ortu redivivo concelebrat, per quem nobis munus futuræ beatitudinis pollicetur : hoc quoque nostris (4) competentibus præstaturus, quos nunc invitat felix occasus, ut sacri oceani lacteo profundo demersi, (5) inde novello novelli que cum die resurgentes, nobiscum possint ad immortalitatis gloriam pervenire.

273 TRACTATUS XLVII.

De (1) *Pascha* III.

Stabilis cursor, multiformi gratia redimitus (2) per temporum ambages pernicibus plantis sua recalcans officio solemni vestigia dies salutaris advenit. Idem sibi successor, idemque decessor, longæva semper ætate novellus, anni parens, annique progenies, antecedit, quæ sequitur, tempora, et sæcula infinita disseminat. Parit sibi de fine principium; hoc nostris A quoque hodie competentibus **274** præstaturus, quos jam nunc felix invitat occasus, ut sacri oceani lacteo profundo demersi, surgentes inde novello novelli cum die, sua luce radiantes, nobiscum possint immortalitatis per aerium tramitem cursu servato ad repromissionis tempus, ubi in perpetuum quis oritur, pervenire.

TRACTATUS XLVIII.

De (1) *Pascha* IV.

(2) Morte sua vivens, sepulcri nido vegetatus, innumerabiles temporum metas (3) perenni curru, una eademque orbita lustrans dies magnus advenit : menses in tempora, tempora in annos, annos in sæcula pandens. Sine pausa crescit in senium; et tamen B a cunis genitalibus non recedit. Profecto sacramenti dominici imaginem portat; nam occasu passionem, resurrectionemque ortu redivivo concelebrat, per quem nobis quoque resurrectionem futuræ beatitudinis pollicetur.

275 TRACTATUS XLIX.

De (1) *Pascha* V.

Sempiterni (2) currus auriga teretis metæ sua re-

Vaticano et Urbinate *per temporum*, sed male; nisi forte desit accusativus *ambages*, uti sequenti in tractatu habetur.

(3) Paschalis dies anni parens dicitur, quod inde annus incipiat, qua de re satis diximus adnot. 2 in tractatum superiorem.

(4) De competentibus vide quæ dicentur in tract. C 50, adnot. 5.

(5) Tractatu sequenti hæc eadem efferuntur sic : *Surgentes inde novello novelli cum die*, etc.

TRACT. XLVII.—(1) In mss. et edit. Ven., *Præfatio Paschalis;* in Ver. edit. *de Pascha VII.* Similis est præcedenti, ac proinde adnotata ibidem heic repetenda sunt. In marginali adnotatione ms. Rem. hæc leguntur : *Quinta feria paschæ in conventu fratribus coram pontifice recitanda ante stationem.* De conventu satis diximus adnot. 1 in tract 41. *Statio* autem a stando dicta, quod populus ante Deum stans, preces offerret, etsi olim pro ipso jejunio sumpta fuerit (ut patet ex Hermæ lib. III, Simil. 4, in quem locum vide Cotelerii adnot. 56), propterea quod singulis jejunii diebus stationes haberentur; tamen subinde precatio omnis solemnis, quæ processione indicta de una ad aliam ecclesiam, vel oratorium, aut etiam ad aliquod altare, ibidem stando habebatur a populo, *statio* dici cœpit. Hoc sensu in marginali adnotatione *statio* accipitur, D cum per paschales dies, quibus nullum jejunium erat, hæ aliæque stationes ad sequentes tractatus in Remensi ms. designatæ haberentur. Harum porro supplicationum paschalium meminit S. Gregorius Turonensis in libro de Vitis PP., cap. 6, ejusque ritus nonnullæ rubricæ in antiquis quarumdam Ecclesiarum Ordinibus, seu Ordinariis reperiuntur. In nostra autem Veronensi Ecclesia easdem stationes habitas feriis 2, 3, 4 et 5, infra octavam paschæ, ex hac aliisque marginalibus adnotationibus Remensi codici affixis suo loco deinceps referendis liquet, quarum catalogum in feriarum seriem ob oculos in generali præfatione posuimus. Num aliis diebus ejusdem hebdomadæ stationes haberentur necne, ex notis iisdem non constat : at haberi nihilominus potuere, ut ne in codice laudato mentio facienda fuerit, quod has ante stationes vel nihil, vel alia aliunde lectio recitaretur. Equidem in *Carpso* rituali libro ms. Veronensis Ecclesiæ, qui ante medium duodecimum sæculum a Stephano presbytero et cantore scriptus fuit, ut fusius ostendimus, dissert. 3, cap. 2, § 1, singulis hebdomadæ paschalis diebus stationes ad certas ecclesias assignantur, quarum hic catalogum appendendum putamus, cum præsertim ecclesiarum, ad quas stationes in Remensi codice indicatæ habebantur, nomina cognoscere pergratum nonnullis præcipue Veronensibus futurum sit. C

Feria II, Statio ad S. Stephanum.

Feria III, Statio ad SS. Apostolos et S. Laurentium.

Feria IV, Statio ad SS. Petrum et Joannem.

Feria V, Statio ad S. Firmum.

Feria VI, Statio ad S. Mariam Organam et S. Vitalem.

Sabbato, Statio ad S. Zenonem et S. Proculum.

In Dominica octavæ Paschæ, Statio ad S. Anastasiam.

(2) Ms. Urbin., *per temporis.* Dein *suo* pro *sua* in mss. Vaticano, Remensi ac Pompeiano legitur : et *dies Salvatoris* pro *dies salutaris* in eodem codice Vaticano.

TRACT. XLVIII. —(1) *Tractatus Paschæ* in mss. At *de Pascha sermo* in in edit. Ver. A medio ad finem similis est tractatui 46, ut conferenti patebit. D

(2) Hæc sumpta sunt ex iis, quæ de Phœnice vulgo dicuntur, quod quidem animal resurrectionis et paschatis proinde symbolum Patres sæpe commemorant, uti et S. Zeno, tract. 16, lib. I, num. 9.

(3) Tractatu 49, *Sempiterni currus* fit mentio; ubi licet ms. Pomp. *cursus* habeat, tamen ut *currus* retineatur, additum *aurigæ* nomen suadet. At heic *cursu* pro *curru* habet editio Veneta; et tr. 50, *nec otioso cursu* omnes et mss. et editi libri non absimili scriptura præferunt. Utrumque scribi et intelligi æquissime potest.

TRACT. XLIX.—(1) Sic in editis; in mss. autem : *Item in die Paschæ.* Hic quoque tractatus, sicut et cæteri sequentes, nonnulla habet similia, iisdem sæpe verbis expressa, quod semel monuisse sufficiat.

(2) Ms. Pomp., *cursus.* In ms. Tol. pro *teretis* scribitur *terrestis*, forte *terrestris.*

Digitized by Google

plicans complicando gyro solemni vestigia, dies salutaris advenit. Idem sibi successor, idemque decessor : longæva semper ætate novellus : anni parens, annique progenies : (3) antecedit, quæ sequitur, tempora : et ut sæcula colligenda disseminet, parit sibi de fine principium. Hic est, quo similiter, verumtamen semel, amore hominis sui, ejus artifex Deus, et Dominus noster occidit, et exortus est rursum, numquam sane repeliturus occasum. Hic, inquam, quo ferales disruptæ sunt tenebræ : quo mors subacta est : quo homines, quos (4) susceperant mortuos, refundere inferi coacti sunt vivos. Quem ut semper, et ubique aucti fide, numero, charitate nostris cum fratribus celebremus, præstabit Deus Pater omnipotens.

TRACTATUS L.

De (1) *Pascha* VI.

Nec otioso cursu, reciprocis ambagibus operis mundani pensa (2) perpetuans, genitalis semper, novellus occasu, a se **276** in semet sua (3) per vestigia revolutus, dies salutaris advenit; officiis sacramenti dominici omnibus omni genere munerum largus. Namque piis mercedem sacerdotibus præstat, consequentibus ministris (4) promotionis **277** augmentum, immortalitatis fidelibus fructum, (5) pœ-

(3) Ms. Vat., *antecellit*. Mox *semina* pro *sæcula* in ms. Pomp.

(4) Ms. Urb., *susceperunt*.

Tract. L.—(1) *Præfatio Paschalis*, vel *Item Præfatio* in plerisque mss. et edit. Ven. At *de Pascha V*, in cæteris editis. Ms. Rem. hanc adnotationem marginalem addit : *Tertia feria Paschæ in conventu fratribus coram pontifice recitanda ante stationem.* Vide adnot. 1 in tractatum 47.

(2) Mss. Rem. et Vat. *perpetuitatis;* Tol. et edit. Ven. *perpetuatis:* sed retinere maluimus *perpetuans* ex aliis mss. et editis, quo significatur paschalem diem advenire, qui *reciprocis ambagibus mundani operis pensa perpetuo itu ac reditu carpit :* tractatu autem 16, lib. 1, num. 8 : *cursus ambagibus carpit pensa mundana*, auctor de luna disserens similiter scripsit. Vide tract. 52, ubi eadem allegoria aliis verbis expressa invenitur. Post pauca *muneris* pro *munerum* in ms. Pompeiano legitur.

(3) Tres mss. et edit. Ven. carent præpositione *per*.

(4) Præcipua sacra officia, quæ in ipso paschatis die (quatenus tamen a Sabbati sancti vigiliis exordiebatur) sæculo quarto Veronæ peragebantur, hoc loco S. Zeno paucis indicat : quod testimonium quanti faciendum sit, ex iis præsertim, quæ de *promotione*, seu ordinatione *ministrorum*, ac de *pœnitentium cura*, seu reconciliatione hoc die habitis traduntur, eruditi statim intelligent. Etenim ad *promotionem* ministrorum quod attinet, hoc testimonium, quatenus recordamur et legimus, omnium nedum antiquissimum, sed etiam unicum, in quo de ordinationis die paschali tamquam ex ritu peractæ mentio fiat. Exstat quidem Leonis epist. 11, al. 81 ad Dioscorum Alexandrinum, in qua cum sacrarum ordinationum tempus legitimum statuatur *post diem Sabbati ejus noctis, quæ in prima Sabbati lucescit;* et cum hanc diem ipsum esse pascha existimarent, qui Leonis editiones antiquas curarunt, hunc titulum huic epistolæ apponendum vel jam appositum retinendum duxere : *De ordinatione presbyteri, aut diaconi, ut Sabbato sancto celebretur, id est die dominico.* At novissimus operum S. Leonis editor diss. 3, num. 5, et in adnotationibus ad eamdem epist. xi, non solum hanc sententiam ex eo Leonis textu haud colligi ostendit, quippe quod ibidem de omni die dominico sermo est, non autem de die præcipuo paschatis : sed præterea alia testimonia considerans tum ex Gelasii ep. ix ad episcopos per Bruttios et Lucaniam constitutos c. 11, ubi commemoratis omnibus ordinationum legitimis nunc quoque temporibus, unum Sabbatum sanctum, in quo vel nunc ordinationes haberi legitime queunt, prætermittitur; tum ex synodo Romana sub Zacharia papa, an. 743, c. 2, ex Lemovicensi sub Benedicto, an. 1034, ex Claromontana sub Urbano II, an. 1095, etc., ubi de ejusdem sabbati ordinationibus summum silentium; dum cæteros dies legitimos enumerant, illud generale effatum, *numquam in Paschate ordinationum benedictiones celebratas fuisse*, pronuntiat, idque vel ex eo confirmat, quod *tota hæc solemnitas regenerandis catechumenis erat consecrata :* et huic sententiæ ipse Mabillonius accedit, tom. II Musei Italici, pag. 104, si hæc de ritu Romanæ solius Ecclesiæ pronuntiata fuissent, possent facile concedi; quatenus ejus disciplinæ, de qua nunc quærimus, nullum Romanum monumentum exsistit. At cum de omnium Ecclesiarum disciplina statuatur; id quam sit falsum, ex hoc unico Zenonis testimonio convincitur, in quo aperte et de die paschatis sermo est, et de *promotionibus ministrorum*, quæ eo die præcipuo quodam ex ritu haberi consueverant. Et sane mos, qui nunc obtinet, ut episcopi die sabbati sancti legitimas ordinationes possint peragere, non de novo inventus, sed ex antiqua disciplina manasse credendus quidem fuerat : sed nullo antiquo documento, quod superesset, poterat confirmari, nisi hoc, quod ex S. Zenone considerandum proponimus. Addamus et aliud monumentum, quod si non præcipuum hujus disciplinæ ritum subindicat, ut ex Zenone colligitur; saltem praxin confirmat, qua die quoque paschatis ordinationes rite fuisse habitas manifestum est. Hoc monumentum suggerit codex Prioratus S. Gabrielis, cujus fragmentum recitatur in ms. Historia monasterii Fiscannensis apud Martene, tom. II, p. 666 de Antiq. Eccl. Ritib. : *In diebus Mauritii archiepiscopi venerunt Fiscannum ad paschale festum duo Franciæ episcopi, id est Letzelinus Parisiensis, et Fulco Ambianensis missi in legatione ad Willelmum..... tamque in ipso sacratissimo Resurrectionis die supradictus Letzelinus episcopus, volente et petente Abbate Fiscanni, publice missas fecit, atque intra sacra missarum solemnia quosdam ex monachis presbyteros ordinavit.* Sera nimis tempora hoc testimonium spectat, quæ ad Zenonis ætatem nihil conferunt : sed ad refellendam, quam hoc impugnamus sententiam, convincendamque ritus ejus successionem, quem a Zenonis ævo deduximus, non nihil pertinet. Porro in Zenonis textu ministrorum vox animadvertenda est, qua omnes cleri gradus, qui sacerdotium (*sacerdotes* enim tum hoc, tum tr. xvi, lib. 1, n. 6, presbyteri intelliguntur, licet *sacerdotis* nomen plerumque apud antiquos episcopum significet) consequuntur, auctor innuit : nam his *augmentum promotionis* hoc die præstitum affirmans, de uno minori ad alium altiorem gradum eosdem provectos subindicat, idque ipsum varietatem graduum inter promotos exstitisse palam insinuat. Quod si ad Veronæ clerum hæc verba directa consideres, jam plures cleri gradus inter *operarios* tr. 44, a Zenone memoratos hac in urbe per id quoque tempus fuisse facile conjicies. De *pœnitentium cura* adnot. sequenti.

(5) Pœnitentium reconciliatio olim non videtur facta fuisse nec in ipso die paschatis, nec in sabbato sancto, sed feria quinta in Cœna Domini : ut ex Sacramentario Gelasiano omnibusque ordinibus atque scriptoribus liquet. Nam præcipua Veronæ saltem id temporis, disciplina? sicuti in Ecclesia Me-

Digitized by Google

nitentibus curam, (6) Catechumenis lucis viam, Competentibus (7) remissam omnium peccatorum. Sicque cunctos in unam Christi corporis gratiam congregatos ad cœlestia regna perducit, per Dominum et Salvatorem nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. (8)

278 TRACTATUS LI.

De (1) *Pascha* VII.

Perpetis anni pernicem cursum in (2) bissenæ mutationis augmentum, una eademque, nec ipsa, sed ipsa orbita circumducens, dies magnus advenit, suo sibi semper novellus occasu. Quod præterit, sequitur (3) : quod futurum est, antecedit. In omnibus novus est; et tamen in omnibus vetus est. Punctis omnibus commutatur, non natura, sed numero. Fit filius horarum, qui pater est omnium sæculorum. Hic est dies, fratres, quo a Domino nostro cunctus redemptus est orbis; quo æthereo semine novellus, (4) id est noster vivificatus est populus. Hic, inquam, qui nobis resurrectionis monstrat exemplum : cujus sane conditione nos beatiores sumus : quia ille occidit, semper ut vivat; fidelis autem post secundæ nativitatis occasum resurgens, horrore numquam intercipitur tenebrarum.

279 TRACTATUS LII.

De (1) *Pascha* VIII.

Speciosо circulo sacer inflexus dies, in mundani operis pensa (2) quadriga temporum fertur, duodenis mensium perpeti curru mutationibus dives, nulla statione contentus : quia immortalitas ejus est cursus. Verum currat, an recurrat, ambiguum est : cujus præteritum restat, ut redeat. Mira prorsus ratio! Innumerabilium sæculorum diversa mensura conterendo innovat spatia; et tamen ejus semper orbita est una : qui nos admonet, fratres, passionis resurrectionisque dominicæ unanimes atque concordes salutaria celebrare mysteria; per Dominum et conservatorem nostrum Jesum Christum. (3)

TRACTATUS LIII.

De (1) *Pascha* IX.

Magnificus, fratres dilectissimi, sæculorum pater adest dies, omni genere fructuum fetibus pollens, divite sinu, momentis quibus velis, quatuor temporum munera (2) expungens. (3) Denique Competentibus

---

diolanensi Ambrosii ævo feria sexta in Parasceve pœnitentes reconciliabantur ex ejusdem epist. XX ad Marcellinam, num. 26, quod ipsum multo serius obtinuit in Hispania et aliquot Gallicanis Ecclesiis, uti probat Martene to. II de Antiq. Eccl. Ritib. lib. I, c. 6, art. 5, n. 10. Sed forte *pœnitentium curam* Zeno vocat, qua illi perfecte Christo reddebantur, quod ad sacram synaxim ipso solum die paschatis admittebantur.

(6) Duplicem hic notat baptizandorum gradum *Catechumenorum* et *Competentium*. Etsi enim omnes baptizandi sequiori ætate in tres vel quatuor etiam gradus distinguebantur, ut videre licet apud Ducangium; olim tamen non nisi in duos gradus hic a S. Zenone memoratos distincti fuere, ut liquet ex Origene, lib. III in Celsum, S. Isidoro, lib. II de Officiis divinis, Rhabano, lib. I de Institutione clericorum, et Leidrado Lugdunensi de Sacramento baptismi, cap. 1. Hoc autem inter utrosque discrimen intercedit, quod *Catechumeni* a catechesibus audiendis dicti (unde et *audientes* a Latinis patribus sæpe appellantur, Tertulliano de Pœnit., Cypriano ep. XIII et 24 et aliis) verbo Dei eruditi bantur, ut, quod S. Zeno ait, *viam lucis* cognoscerent : *Competentes* autem erant hi, qui in via salutis jam satis instructi, baptisma enixe simul postulabant; nam *quid aliud sunt Competentes*, inquit Augustinus, serm. CCXVI, num. 1, *quam simul petentes?* et hi peractis scrutiniis, in vigiliis potissimum paschæ baptizabantur, *remissam omnium peccatorum* consequentes.

(7) Ms. Rem. *remissa*, perperam; accusativo enim casu hoc nomen elatum ex contextu patet, et *remissam peccatorum* similiter scriptum legitur tract. XVI, lib. I, n. 12, in quem locum vide adnot. 53, ubi *remissam* pro *remissionem* aliis usitatum ostendimus.

(8) Cod. Tol. addit. *amen*.

TRACT. LI. — (1) Sic in Ver. edit. In mss. et edit. Ven. *Præfatio paschalis :* codex vero Remensis hanc notam in margine exhibet : *In paschate quarta feria paschatis in conventu fratribus coram pontifice recitanda ante stationem.*

(2) Conjunctim *bissenæ* scripsimus, ut in mss., licet editi distincte *bis senæ* præferant. Sic et alii aliorum auctorum codices et editi conjunctim sæpius eamdem vocem scripsere. *Bissena* autem *mutatio* duodecim menses spectat, per quos annua *orbita* circumducta, dies paschalis redit. Vividum porro S. Zenonis ingenium ex illis verbis deprehenditur, cum anni *orbitam*, qua cursum suum paschalis dies circumducit, *unam eamdemque nec ipsam, sed ipsam* per antithesim vocat; a qua locutione non multum absimilis illa, qua tract. 16, lib. I, num. 8, de Phœnice jam jam post occasum renascente sermonem faciens : *Denique*, inquit, *festo exsultat in tumulo, non umbra, sed veritas : non imago, sed Phœnix : non alia, sed quamvis melior alia, tamen prior ipsa.*

(3) *Advenit. Sequitur*, *quod*, etc., in ms. Vat.

(4) *Id est Christianus vivificatus est populus.* In Cod. Urb. et forte tum *id est noster*, tum *id est Christianus* glossemata sunt, quæ e margine, ubi a quopiam fuerant apposita, in textum irrepsere.

TRACT. LII. — (1) In mss., *Incipit Præfatio*, vel *Item Præfatio*. In edit. Ven. cum Ver., *Præfatio Paschalis :* in Ver. et cæteris *de Pascha : sermo* VII. Ms. Rem. hæc in margine notata objicit : *Secunda feria Paschatis in conventu fratribus recitanda coram pontifice ante stationem.*

(2) *Quadriga* ablativus est, et quatuor anni temporum loco ponitur.

(3) In Codd. Pomp. et Urb. *Amen.*

TRACT. LIII. — (1) Ed. Ven., *Præfatio Paschalis.* Ms. Ven. addit : *pro baptizandis.* Edit. Ver. *de Pascha sermo* IX *pro baptizandis.* Tandem cæteri mss., *Tractatus Paschæ.*

(2) *Expungo* pro *distribuo* accipitur, ut tract. 38, *expungit apophoreta*, id est munuscula domum transferenda distribuit. Vide ibidem adnot. 16. Sic quidem in Gloss. Græc. Lat. διαιρέτης *divisor, expunctor* redditur, ac si *dividere*, seu *distribuere* et *expungere* idem significent, ac verbum Græcum διαιρέω.

(3) *Denique* pro *paucis* Zenoni usitatum, ut videre poteris ex indice; vindicatur autem hæc significatio annot. 4, in tract. 7 hujus libri. Porro in editis et mss. mala interpunctione erat : *Denique Competentibus nostris finitur hyems. Hodie peccatorum oleo confecto lætabuntur.* Quodnam *peccatorum oleum*, quo lætari Competentes debeant? error apertus. Ms. Pomp. *peccatorum* habebat, et secunda manus correxit *peccatores;* sed neque proinde difficultas plane diluitur. Itaque alia interpunctione utendum censui-

nostris finitur hyems hodie peccatorum : oleo confecto **280** lætabuntur. Hodie eos etiam ver arridens diversos in flores diverso charismate (4) redditurum est, cum salubri unda perfusi, limpidæ æstatis messe gaudentes, (5) panem novum cœperint manducare : quos autumnale quoque non morabitur mustum, quo repleti inebriatique, feliciter Spiritus sancti calore fervebunt : qui ut numquam refrigescant, (6) omnibus nobis præstabit Deus Pater omnipotens.

281 TRACTATUS LIV.

De (1) *Exodo* I.

In die Paschæ.

Sicut lectio divina testatur, in Ægypto a Pharaone populoque ejus Israel Dei populus (2) captivitatis ingenti jugo acerrime premebatur (*Exod. c.* I). Hunc Deus præcipit proficisci, duce Moyse videlicet et Aaron (*cap.* XII, 31), iter demonstrante nubis columna per diem, eadem ignis quoque per noctem (*cap.* XIII, 21 *et* 22). Finditur mare; et dextra lævaque in abruptum digestis aggeribus stupens unda solidatur (XIV, 21 et 22). Dei populus navigat plantis. Mira res! Iter ejus barbaris vehementer urgentibus, nec eques potest sequi, nec navis. Maria cum mulieribus tympanum quatit (XV, 20) ; hymnus canitur ; Dei populus liberatur ; resolutisque undis via cum persecutore deletur (XIV, 28). Quantum spiritaliter intelligi datur, Ægyptus mundus est iste. Pharao cum populo suo diabolus et spiritus omnis iniquitatis. Israel populus Christianus, qui proficisci jubetur, ut ad futura contendat. Moyses et Aaron per id, (3) quod erant, sacerdotium, per suum numerum, demonstrabant duorum testamentorum sacramentum. Columna viam demonstrans Christus est Dominus. Quod duplicem nubis et ignis imaginem gerit, judicia duo designat, unum aquæ, quod gestum est, ignis alterum, quod (4) futurum. (5) Mare fontem **282** sacrum debemus accipere : in quo quibus aquis Dei servi liberantur, iisdem, qui non fugiunt, sed portant peccata, delentur. Maria, quæ cum mulieribus tympanum quatit, typus Ecclesiæ fuit : quæ cum omnibus Ecclesiis, quas peperit, hymnum canens, et (6) pectoris verum tympanum quatiens, populum Christianum ducit non in eremum, sed ad cœlum.

TRACTATUS LV.

De (1) *Exodo* II.

Sacram legem qui spiritaliter accipit, fratres, iste est, qui ejus fructu (2) lactatur. Judæi etenim cum

mus. Oleum porro ab antiquis sacrum Chrisma intelligitur dicente Optato lib. VII advers. Parmen. : *Oleum nominant illum liquorem, qui in nomine Christi conditur, quod chrisma, postquam conditum est, nominatur.* Cum vero huic oleo *lætitiæ fructus* a Zenone tribuatur, illud indicari videtur, *unde*, ut Cyprianus ait epist. 70, *baptizati unguntur*, quo scilicet die paschatis Neophyti confirmabantur. *Oleum donum Spiritus sancti* auctor vocat tr. 14, lib II, de quo aperte Augustinus loquitur serm. CCXXVII, quem ad baptizatos die paschatis habuit. Neque tamen negarimus significari posse illam charismatis unctionem, quæ inter baptismi ritus accensetur.

(4) Ms. Pomp. et edit. Ven. *redditurus* sine particula *est*, quæ item deest in codd. Tol. et Zen. Sed *redditurum est* plane legendum, cum ad ver neutrius generis referatur, quod *redditurum*, id est mutaturum, *est*. Competentes *in flores diversos*, quales Neophyti suave redolentes appellari solent ; uti sane *dulcissimi flores mei* a Zenone vocantur tract. 15, lib. I, n. 5, in fine. Diversi autem sunt hi flores ex charismate diverso, scilicet ex diversa præparatione ac fide, de quo discrimine Zeno satis tract. 31 et 33.

(5) Panis hic est Eucharistia sub panis specie neophytis data, sicuti vox *mustum* eamdem Eucharistiam significat, quam sub vini specie iidem percipiebant. His allegoriis cum S. Zeno in rebus aliis frequenter utitur, tum vero frequentius in mysteriis sacramentisque indicandis, quæ ne aperte verbis propriis exponerentur, ex arcani disciplina cautum fuerat, de qua re plura Emmanuel Schelestratius in tractatu singulari de Disciplina arcani cap. 4, artic. unico, § 5, luculenter disserit, ubi et hunc Zenonis, quem *antiquissimum et doctissimum auctorem* vocat, locum considerat.

(6) Mss. Tol. et Vat. cum edit. Ven. *in omnibus*. Eadem editio cum ms. Pomp. in fine addit *Amen*.

TRACT. LIV. — (1) Mss. Vat., Tol., Urb., Pomp. et index Rem. : *Tractatus diei Paschæ cujus supra*, id est S. Zenonis, qui memoratus fuerat in clausulis tractatuum superiorum. Concinit autem hic tractatus cum aliquot mox subjiciendis, qui de *Exodo* in iisdem mss. inscribuntur, ut jure hæc eadem inscriptio in editis huic quoque tractatui præfixa fuerit. Utrumque vero titulum et codicum et editionum hoc primo in tractatu retinuimus, cum in ipso paschali festo hic tractatus habitus sit occasione lectionis Exodi de rubri maris transitu, qui paschatis et baptismi symbolum fuit, ex quo etiam ea lectio hoc paschali tempore recitari et explicari solebat. Eadem ratio de cæteris, qui sequuntur, tractatibus habenda est.

(2) Editi cum paucis mss. ; *captivatus*.

(3) Sparaverius correctione additioneque legendum putat : *Moyses et Aaron per id, quo erant, sacerdotium, perque suum numerum*, etc. At nihil opus est, cum S. Zenonis mens sit innuere Moysen et Aaron *per id, quod erant* (erant autem sacerdotes, ps. XCVIII, 6) demonstrasse sacerdotium, *per suum* vero *numerum* demonstrasse duo testamenta, quæ binariis quibusque numeris significata affirmare solemne Zenoni fuit, ut liquet ex tract. 13, lib. II.

(4) Indicatur ignis judicium ; quo sub finem mundi omnia concremabuntur ex II Petri III, 7 : *Cœli et terra igni reservati in diem judicii et perditionis impiorum hominum* ; quod ipsum significavit Joannes in Apocal. cap. XX, vers. 9 et seqq.

(5) Baptismi typum fuisse Erythræi maris transitum, ut innuimus adnot. 1, diserte tradunt cum Zenone sancti Patres, inter quos unum Cyrillum Hierosolymitanum commemorare sit satis, qui Catechesi I ad recens illuminatos : *Tyrannus ille*, inquit (id est Pharao) *ad mare usque veteres persequebatur : ipse vero impudens improbitatis princeps dæmon ad ipsas usque salutares undas te sequebatur. Ille ex mari submersus est : iste in aqua salutis suffocatur.*

(6) Mss. Tol. et Vat., *pectoris verum*.

TRACT. LV. — (1) In ms. Rem. *Item tractatus* sine alio titulo. Cæteri tum mss., tum edit. *de Exodo*. Hæc autem marginalis rubrica legitur in ms. Rem. : *In Pascha coram pontifice in cubiculo recitando post diaconorum ingressionem ipso die paschatis.*

(2) Sparaverius legendum putat *lætatur*, a qua correctione non multum discrepat ms. Tol. in quo *lætatus* scribitur. At *lactatur* pro *pascitur* dici potuit.

Digitized by Google

carnaliter sentiunt, in gregibusque pecuinis agnum (3) bifaria natura commissum, qui inveniri non potest, quærunt, sic (4) agnum verum Christum, quem invenerant, perdiderunt: non enim intellexere, quia ex hædis humana designabatur caro suis onusta peccatis, ex ovibus spiritus majestatis: quæ utraque in Christo concreta, agnum legitimum præstiterunt. Hic est agnus, fratres, de quo (5) Lex ait: *Pascha est Domini* (*Exod.* XII, 11, 27). Apostolus quoque Paulus: *Pascha nostrum immolatus est Christus* (I *Cor.* V, 7). Cur autem dignatus fuerit immolari, Joannes Baptista ante prædicavit his **283** verbis: *Ecce agnus Dei, ecce, qui tollit* (6) *peccata mundi.* (*Joan.* I, 29). Hic itaque dictus est (7) primitivus, quia paternæ antiquitatis solus est conscius. Hic (8) maturus, quia post ipsum non est ullus. Hic sempiternus, quia occisus est, et inventus est vivus. Hic immaculatus a peccato, quia solus est mundus. Hic salutaris, quia per ipsum vincimus mortem. Hic masculus, quia Dei est virtus. Hic, inquam, agnus perfectus, quia in ipso magnus ille sacerdos pio mysterio sua victima inclusus, hodie Deum reddidit hominem, quem (9) litavit.

A

B

TRACTATUS LVI.

De (1) *Exodo* III.

Tempus non sinit, fratres, (2) imagini reddere veritatem. Verumtamen Judæ quid (3) monumentis tui criminis gratularis? In Ægypto **284** servisti diu, (4) non sorte peregrini, sed merito. Ereptus es inde: non tua evasisti virtute. Columna nubis te perduxit per diem, ut (5) ostenderet cæcum (*Exod.* XIII): ignis columna per noctem, ut admoneret arsurum. Angelus prævius tua castra promovit, ut etiam præsenti Deo probareris ingratus (*cap.* XIV). Per mare pedibus ambulasti, ut patereris in terra naufragium (*cap.* XVII). Ad hoc sane in eremo aquam de petra bibisti, manna de cœlo gustasti (*cap.* XVI), ut cum esses ad egestatem postmodum devolutus, præteritorum bonorum recordatione acrius torquereris.

TRACTATUS LVII.

De (1) *Exodo* IV.

Mira, fratres (2) carissimi, historiæ sacræ sic est perlecta narratio. Cum Israelis populus (3) enormi captivitatis jugo depressus, a rege Pharaone duris conditionibus in Ægypto necaretur (*Exod. cap.* I); miseratione Dei, duce Moyse, jussus est proficisci (*cap.* XII). Huic non circulus solis per diem, sed columna nubis; non candida luna, sed ignis columna per noctem iter pandebat ignotum: qui ut inter duo elementa pervenit, ibidem (4) præsentariæ exitum mortis expavit (*cap.* XIV). Hinc enim persequentium **285** Ægyptiorum infestis mucronibus (5) premebatur: inde maris magno clausus obice premebatur.

(3) *Bifaria natura agnum* auctor vocat, qui ex duplici hædorum et ovium specie constat, ut ex sequentibus tractatibus liquebit.

(4) Voces *agnum* et *Christum* absunt a ms. Rem. In Tolentinate vero *Christum* deest.

(5) Edit. Ven. pro *Lex ait* habebat *litare:* Edit. Ver. *lætari:* ms. Zen. et Sp. *lætare:* sed nullo sensu, qui satisfaciat. Cæteri codices *Lex ait*, ubi *Lex* sicuti passim pro Moysis libris sumitur, ut alibi animadvertimus, ita nunc indicat librum Exodi, in quo quidem textus *Pascha est Domini* legitur. Neque moveat, quod in vulgata ejus loci interpretatione sit: *Phase, id est transitus Domini: pascha* enim et *phase*, vel *transitus* idem sunt; nam, ut Hieronymi verbis utamur in cap. 31 Isaiæ, pag. 423, tom. IV: *Manifestum est pascha, hoc est, phase Domini non passionem significare, sed transitum.* Hinc eadem Zenoniana interpretatio usurpata visitur a Tertulliano adversus Judæos cap. 11, et præsertim a Gaudentio serm. 2, pag. 40.

(6) Sic mss. Rem. et Tol. Ita etiam erat in ms. Pomp., sed correctum *peccatum*, uti et in editis legitur.

(7) Tractatu 62 hujus libri, ubi similia repetuntur, *Primitivus*, inquit auctor *quia præter Patrem ante ipsum nullus et primus.*

(8) Sparaverius mallet legi *unicus*, et bene. At laudato tract. 62, *maturus* repetitur, sed alia ratione, *quia æternus est.* Porro auctoritate ms. Rem. antiquissimi scripsimus *non est ullus* pro eo quod alibi scribitur *est nullus.*

(9) Nimirum *sacrificavit*, quippe quod Christus se *hominem* Deo patri per mortem crucis obtulit, ut hominem faceret quodam modo Deum.

TRACT. LVI. — (1) Mss. Rem. Tol. Vat. Urb., *Sequentia Exodi*; Pomp. Zen., *Item de Exodo;* in editis *de Exodo.* Hic porro tractatus similis est tract. 58 et utrique, ut facilius intelligantur, conferendi: alicubi enim, ubi variant, unus ex altero explicatur.

C

(2) *Reddere veritatem imagini* idem est ac explicare quid imago seu figura vere significet. Indicat autem Zeno se brevitate temporis, quod inter tot officia paschalia reliquum est, impediri, quominus possit exponere, quid spectarit, quod Judæis olim, dum ex Ægypto liberati fuerunt, in imagine contigit. In ms. Pomp., *imaginis* legitur: in edit. Ven. *veritate*, quorum neutrum placet.

(3) *Monumenta* criminis Judæorum auctor appellat ipsam Exodi historiam, ex qua palam est ipsos sive in captivitate, sive dum liberarentur, sive etiam post, variis criminibus reos fuisse, quod in sequentibus satis exponit. Judæos porro Exodi historiam in sui nominis commendationem ingessisse, in eaque perperam gratulatos Zeno affirmat, quod non minus inde gloriæ, quam ignominiæ in ipsos redeat: si enim patent divina ipsis collata beneficia, produntur etiam dura et criminosa gesta, quibus illi divinis beneficiis male responderunt.

D

(4) Judæos *non sorte peregrini*, sed ut loquitur tract. 58, *non necessitate, sed merito*, scilicet ob sua crimina, in captivitate diutius relictos affirmat.

(5) Ms. Rem., *custodiret.*

TRACT. LVII. — (1) Mss. *Incipit Exodi secunda;* ed. *de Exodo.* Hic tractatus post lectionem de Exodo habitus ex prima periodo cognoscitur.

(2) Mss. Tol., Pomp., Vat., Urb., *dilectissimi.* Sic deest in ms. Vat. et sane abundare videtur. Dein *prælecta* pro *perlecta* in ms. Tol.

(3) Duo mss. Rem. et Tol., *in ormi:* ms. Pomp. *mortis*: alii autem tum mss., tum editi *in orta* præter unum codicem Urbinatem, qui genuinam lectionem textui insertam exhibuit. Paulo post *prehenius* pro *depressus* in eodem ms. Urb., dein pro *Duce Moyse* in ms. Pomp., *Moyses* solum legitur.

(4) Edit. Ven. *præsentatæ.*

(5) Ne repetatur vox *premebatur*, quæ iterum hoc eodem membro occurrit, eam Sparaverius hoc loco subaudiri mallet, vel legi *terrebatur.* Post pauca pro

Etenim illi nullæ inerant naves, nulla transfretandi præsidia : cum subito divina providentia scinditur mare : aquæ dextra lævaque gelido stupore frenatæ, vitreos diriguntur in muros, præstolantes transitum Dei populi, ut (6) persequentibus mare sint. Inducitur in viam Israel ingratus, in qua nec gladios possit timere, nec fluctus. Mira res ! medio pulverulentus exsultat in profundo, (7) qui circa se videret feliciter triumphum suum perire naufragio. Hæc Judæus prædicat, fratres : et tamen Deo demens adhuc usque non credit, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

TRACTATUS LVIII.

De (1) *Exodo* V.

Tempus non sinit imagini reddere veritatem. Verumtamen, Judæe, **286** quid (2) designatione tui criminis gratularis? In Ægypto servisti diu non necessitate, sed merito (*Exod. cap.* I). Ereptus es inde (*cap.* XV) : non tua evasisti virtute. Columna nubis te deduxit per diem, ut ostenderet cæcum : ignis columna per noctem, ut significaret arsurum (*cap.* XIII). Angelus tua castra præcedit : necubi crimen excuses. Per mare ambulas (*cap.* XIV) : veloces pedes (3) tuos ad effundendum sanguinem dextra lævaque in se refugiens unda testatur (*Psalm.* XIII).

A Denique eremo exciperis (*Exod. cap.* XVII), quo te nunc pervenisse cognoscis. Ubi sane ad hoc aquam de petra bibisti, manna de cœlo gustasti (*cap.* XVI), ut scires miser, quid fueras perditurus. (4)

TRACTATUS LIX.

De (1) *Exodo* VI.

Judæi, unde se beatos putant, infelices inde esse noscuntur : etenim (2) commodius puto misero in statu suo manenti, quam beato in ultimas miserias devoluto. Nam (3) prædicant patres suos Ægyptium populum fugiendo delesse (*Exod. cap.* XIV) : Deum suis præfuisse majoribus, eorumque iter præcessisse : non intelligentes, quia exinde eos a facie sua remotos, post suum dorsum cum (4) post futuris abjecerat :

B **287** (5) Erythræum quoque in geminas ripas medium scissum mare, ductisque dextra lævaque aggeribus in aciem stipatis, undarum salvo liquore, arefactam profundi in semet contra se obnixam, stupidam pependisse naturam : viam inter fluctus (6) micuisse terrenam, quæ utique non cœlestis populi meritum, sed terreni per orbem totum dispersionis futuræ denuntiabat exitium. Ideo eos in eremum inde perduxit (*Exod. cap.* XV), vulneraque detestabilis mentis curanda lacte cum melle providendo commonuit (*cap.* XVI) : nam infirmis ac languidis

clausus mss. Rem. Tol. *clausui*, et cod. Vat. pro *clausus obice* scribit *clausui objicere*.

(6) Ms. Pomp., *transeuntibus*, quod si legendum sit, ut sane probabile est, desunt hoc loco aliqua, et supplendum sic : *ut transeuntibus agger, persequentibus mare sit. Agger* posuimus, cum undæ hinc atque hinc suspensæ, tract. 59, *aggeres* appellentur.

(7) Sic mss. Tol. et Zen. cæteri editi et mss. *quia*, quod minus placet.

TRACT. LVIII. — (1) Mss. Sp. et Zen. addit *ad Judæos*, contra quos sane posteriori quoque ætate tractatus a Patribus nonnumquam habitos (ut alios testes omittamus) ex Possidii indiculo liquet : ubi memorantur S. Augustini *adversus Judæos tractatus duos*, qui injuria temporum interciderunt. Id autem ne cuipiam sit mirum, cum post redditam Ecclesiæ pacem, et postquam ecclesiæ publicæ patuerunt, ea disciplina inducta fuerit, ut ad Episcoporum sermones exaudiendos non tam fideles et catechumeni, sed hæretici, Gentiles, et Judæi exciperentur; unde can. 84 concilii Carthaginensis IV sancitum legimus, *ut episcopus nullum prohibeat ingredi ecclesiam, et audire verbum Dei, sive Gentilem, sive hæreticum, sive Judæum usque ad Missam catechumenorum*. Missæ catechumenorum nomine intelligitur illa missio, qua catechumeni post D divinum verbum dimittebantur. Ex hac vero consuetudine, ut testatur concilium Valentium can. 1, nonnulli ad fidem perducebantur : *Sic enim*, inquit, *Pontificum prædicatione audita, nonnullos ad fidem attractos evidenter scimus*. Hæc autem nos ea de causa monitum voluimus, non quod hosce tractatus a Zenone adversus Judæos vere præsentes habitos fuisse credamus, sed ut appareat, quam imbecillum sit eorum argumentum, qui ut Zenonem ad antiquiora sæcula evehant, his tractatibus utuntur, ac si posterioris ævi antistites adversus Judæos publice in Ecclesiis non disseruerint. Cæterum occasione lectionum paschalium, in quibus de divinis erga Judæos beneficiis sermo est, hos tractatus a Zenone recitatos liquet, ut exprobrato ipsorum ingrati animi vitio, verum Dei cultum ad christianos translatum monueret, quibus sane omnia evenerunt, quæ in Veteris Testamenti figuris indicantur. Hic porro tractatus, paucis additis, quibusdam mutatis, eadem continet, quæ tractatus 56. Vide igitur quæ ibidem adnotavimus.

C (2) Tractatus 56, habet *monumentis tui criminis*.

(3) Edit. Ven., *suos*.

(4) Ms. Rem. concludit sic : *Explicit tractatus de Exodo S. Zenonis*.

TRACT. LIX. — (1) Ed. Ven. cum ms. Zen. *de Judæis* hunc et sequentes octo tract. inscribit : mss. cæteri *de Exodo*. Utrumque titulum præposuit Veronensis editio, quod semel monuisse sufficiat.

(2) Ms. Urb. *esse commodius*. Ne autem æquivocationem patiaris, subaudi *homini misero*, et significatur præclarius multo agi cum homine misero, qui in suo statu maneat, quam cum beato et felici, qui in miserias ultimas devolvatur.

(3) Edit. Ver. et aliquot mss. *prædicat* : correximus ex quinque mss. et edit. Ven. quippe nominativi loco *Judæi* intelliguntur.

(4) *Post futuris* pro *posteris* accipitur, qua voce Vitruvius lib. IX, cap. 7, et Gellius lib. XVII, cap. 7, de re, quæ deinceps futura est, utuntur.

(5) Hunc textum contaminatum Sparaverius judicans, corrigendum putavit, ita tamen ut illum sine antiquis libris sanare se non posse professus sit : *Erythræum quoque in geminas ripas medium scissum mare, ductisque dextra lævaque aggeribus, in aciem stipatis undis, sudo liquore arefacta profundi semita, contra se obnixam stupidam pependisse naturam*. Codices plures habuimus, nihil tale subolevit uspiam; et ex interpunctione, quam posuimus, non ita contaminatum hoc testimonium videri posse putamus, ut intelligi nequeat.

(6) *Miscuisse* habebant editi et mss. nonnulli; melior visa est lectio mss. Rem. Vat. et Pomp. Paulo post in ms. Sp. *meritis* legitur pro *meritum*; in Rem. *exitum* pro *exitium*; et inde eodem Rem. cum Tol. et Pomp. *Adeo* pro *Ideo*.

Digitized by Google

mannæ teneritudinem irroravit; non enim erant idonei, aut digni, qui cœlestis panis perpetua soliditate fruerentur. Petra illis scaturivit in fontem (*cap.* XVII): ut biberent detritis (7) lacunis, ut merebantur, cœnulentum postmodum laticem, Domino dicente: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi lacus detritos, qui non possunt aquam portare* (*Jer.* II, 13). Postremo infelices quid sperant de imagine, cujus nosse non sunt meriti veritatem, (8) Dominum nostrum Jesum Christum?

288 TRACTATUS LX.

De (1) *Exodo* VII.

Pharisæus quemadmodum legitimum pascha possit celebrare, non video: (2) cujus eminens famosumque illud templum miserabili vastatione campis æquatum suo pulvere jacet sepultum. Sacerdotalis cathedra pestilentiæ (*Psal.* I, 1), cultorum suorum (3) sacrilegio, jure deleta est. Exinanitum cornu jam non spirat unguenta. Dies festos in luctum (*Amos* V, 21), et cantica ejus in lamentationem conversa prophetæ testantur (*Id.* V, 23, V, 22; *Is.* I, 14). Tauros, arietes, hircos et agnos a Domino sæpe reprobatos (4) accepimus (*Jer.* VI, 20). Quid ultra? (5) Non potest, fratres, ullum celebrare mysterium, cujus sacrificium divina sententia advertitis esse damnatum per Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus (6) cum Patre et Spiritu sancto in omnia sæcula sæculorum.

289 TRACTATUS LXI.

De (1) *Exodo* VIII.

Judæus legitimum gerere se pascha contendit; cui nihil aliud de veteri sacramento, quam inanibus intexta suspiriis (2) fabula remansit. Denique regium illud templum campis æquatum jacet. Altaria (3) ejus subversa manu cum suis sibi sacrificiis, sparsa in pulverem vanuerunt. Sacerdotalis cathedra pestilentiæ suo nomine deleta est (*Ps.* I, 1). Agnus salutaris (*Exod.* XII, 5), qui designatur (4) ex ovibus

(7) Ms. Rem, *senaculis* pro *lacunis*, male; est enim *senaculum* locus in quo senatus habetur. Forte *cœnaculis* a *cœnum*. Heic autem indicantur *lacunæ* a Jeremia II, 13, memoratæ, quæ quidem in Zenonis interpretatione *lacus detriti* appellantur, in vulgato autem interprete *cisternæ dissipatæ*, id est consumptæ, *quæ continere non valent aquas*.

(8) Mss. Vat., Pomp., Urb. et edit. Ven., *per Dominum*, sed male; nam vox *Dominum* refertur ad *veritatem*, quam Judæos *nosse non meritos* Zeno insinuat.

TRACT. LX. — (1) Mss. Rem., Tol., Urb., Pomp., *Item sequentia Exodi*; Vat., *Tractatus sequentiæ Exodi incipit*; Ms. Zen. et edit. Ven., *de Judæis*. Utramque inscriptionem præfixere editores Veronenses.

(2) Constans et pervulgata sententia est, Judæis in uno Hierosolymorum templo legitime sacrificare licuisse. Hujus rei testis antiquissimus S. Clemens Romanus in epistola I ad Corinthios num. 41, S. Justinus in dialogo cum Triphone p. 4, edit. Parisiensis an. 1569, S. Phileas martyr in sinceris ejusdem Actis apud Ruinartium pag. 454 et alii. Cum porro paschale celeberrimum sacrificium esset agnorum, de quibus præceptum est Exodi cap. XII, jam hos solum in eodem templo potuisse mactari, ut pascha legitime celebraretur, exploratum est. Huic tamen sententiæ adversatur Philo lib. III de Vit. Moysis, et tract. de Decalogo, qui paschalem agnum non a sacerdotibus, sed a singulis ex lege mactatum prodit, et S. Gaudentius, qui serm. II, pag. 36 et 37, in domibus singulis, non autem in templo singulos agnos occisos fuisse testatur. Philonis auctoritatem expungit Pater Lamy in tractatu de Veteri Judæorum paschate, ac si ille hæc scripserit, propterea quod Alexandrino schismati faveret. Tripho Judæus non minoris forte auctoritatis habendus, qui apud Justinum martyrem de paschali agnorum sacrificio id ipsum confessus est, pag. 42. Gaudentio autem præter memoratos Patres satis sit opposuisse Hieronymum, qui cum Zenone nostro similiter sentit. *Nec immolemus agnum, vel mysticum pascha celebremus, quia hæc absque templo fieri lege prohibentur.* Hinc ergo jure S. Zeno hoc et sequentibus etiam in tractatibus haud legitimum habuit Judæorum pascha, quod illi demolito adhuc templo legitime se celebrare posse contendebant, cum nec pascha sine sacrificio, nec sacrificium sine templo celebrari queat.

(3) In mss. Rem., Vat. et Pomp., *sacrilego jure*.

(4) Ita ex mss. Rem., Tol., Pomp., Vat. Urb., cum alias legeretur *acceperunt*.

(5) Ms. Pomp. repetit: *Non potest, non potest.*

(6) Ms. Tol., Vat., Urb., Pomp. et Zen., *cum Spiritu sancto*.

TRACT. LXI. — (1) Mss. *Incipit de Exodo*: ed. Ven. *de Judæis*, idque alia manu in ms. Pomp. Hic tractatus, paucis additis, quibusdam mutatis, eadem continet, ac tractatus 60 quem præmisimus, et 62 quem subjiciemus.

(2) *Fabula* proprie a *fando* sermonem quemlibet significat; unde quod Plautus dixit in Stichio act. 4, sc. 4, vers. 71, *lupus in sermone*, id Terentius Adelph. act. 4, sc. 1, vers. 21, exposuit *lupus in fabula*. Hinc *fabula* sæpe vera est historia, quæ sermone traditur; unde S. Hieronymus: *Et ne veteres replicando historias longum faciam..... brevem tibi fabulam referam, quæ accidit infantiæ meæ temporibus.* Pro scripta etiam historia idem Hieronymus ipsa voce utitur in Epist. ad Phil. cap. 1: *Longum est diversa judicum gesta percurrere, et totam Samson fabulam ad veri solis* (*hoc quippe nomen ejus sonat*) *trahere sacramentum.* Hinc Phædrus *veras fabulas* memorat 2 fab., vers. 5, et *fabulari* pro *vera narrare* apud Scriptores non raro legitur. Nihil itaque mirum, si S. Zeno hoc loco veram sacræ et antiquæ historiæ et scriptis et verbo traditæ narrationem *fabulæ* nomine appellavit.

(3) Auctoritate manuscriptorum Tol. et Vat. delevimus vocem *Dei*, quæ post *altaria* legebatur. Postea *delata* pro *deleta* in ms. Urb., sed hæc eadem sententia totidem fere verbis superiori tractatu repetita habet *deleta*.

(4) Exodi cap. XII, vers. 5, ex vulgato Interprete hoc de paschali agno præceptum fertur: *Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus; juxta quem ritum tolletis et hædum*, quibus agnus et hædus distincti censentur, non vero tanquam unum animal, quod ex agni et hædi natura particeps sit, ut Zenonis textus ponit. Cum Zenone tamen concinens S. Gaudentius serm. IV, pag. 53, recitato Exodi præcepto hæc notat: *Hinc advertere Judæi debuerant, legem Dei spiritualiter intelligendam, quoniam ab agnis et hædis sumendum legerunt agnum, qui immolandus erat; cum sit istud contrarium, ut, si agnus est, ab agnis sit pariter et hædis.* Hæc autem animadversio ab Hebraica veritate aliena, ex aliqua profecto interpretatione fluxit, quam ibidem sane S. Gaudentius prodit in hæc verba: *Ab agnis et hædis sumetis.* Sic

Digitized by Google

et ex hædis, inter pecora non potest inveniri. Dies festi ejus, et cantica secundum **290** Dei vocem in (5) planctum et luctum profecerunt (*Amos* v, 23). Superba illa civitas servit. Sane ovium greges infinitos interficit, quos in amaritudine assumit. Quis non intelligat, fratres, illud pascha non esse, sed (6) bromosum latronis cruenti convivium? (7)

291 TRACTATUS LXII.

De (1) *Exodo* IX.

Pharisæi agere se legitimum pascha contendunt: qui cum templo summo, ut putabatur, summum sacerdotium perdiderunt; regalis unguenti cornu privati sunt. Circumcisio testimonium mentis impuræ jam jamque illis imminere supplicium denotati vulneris (2) inflictu minatur. Omne genus pecudum cum suo sibi sacrificio reprobatur. Jejunia eorum, dies festi, omnisque solemnitas abominatio est apud Deum (*Amos*, v, 21; *Is.* I, 14; *Jer.* VI, 20; *Is.* LVIII, 5, *et Zach.* VII, 5). Cum hæc ita (3) sint, a quibus, quomodo, unde pascha celebratur? Adde quod agnum legitimum suo vitio, quem invenerant, perdiderunt: quem Scriptura designabat (4) ex ovibus et hædis (*Exod.* XII, 5): ex hædis utique, propter peccatricis indumentum carnis; ex ovibus, propter spiritum

item integrum Exodi versum 12, recitat serm. 3, pag. 48: *Agnus autem perfectus, masculus, anniculus erit vobis; ab agnis et hædis sumetis.* Eamdem plane interpretationem lectionemque habet Ambrosius lib. I de Abraham cap. 5, num. 40; nec non epist. 23 ad episcopos Æmiliæ num. 19. Hæc autem interpretatio, etsi hebraico textui videatur plane congruere, hebraicæ tamen locutionis vim non plene exhibet, ejusque argumenti, quo Zeno et Gaudentius utuntur occasionem dedit. Cum enim vi interpretationis præceptum tradatur, ut *agnus* immolandus in paschate, *ex agnis et hædis sumatur;* ille agnus ex agnorum et hædorum natura particeps esse debere creditus est; quod tamen non ita hebraicæ locutionis ratio significat. Qui enim in prima parte versiculi agnus præcipitur in hebræo שֶׂה appellatur; quæ vox etsi agnum quandoque significet, ut Jeremiæ cap. L, v. 17, שֶׂה כִּשְׂבִים *pecora ovium*, quandoque tamen caprarum partus innuit, ut Deut. XIV, v. 14, וְשֵׂה עִזִּים *pecora caprarum*. Hinc ergo ea vox per se non *agnum* proprie, sed *pecus* alterutrius speciei sive ex agnis, sive ex capris significat. Hac autem significatione adhibetur Ex. XII, 5, ibique præterea in secunda versiculi commate particula ו hebraica, quæ *hædis* præfigitur, non pro *et*, sed pro *vel* accipienda est, uti alibi sæpius; et sic versus ille intelligendus: *Pecus*, seu partus animalium lanigerorum (id enim *pecus pecoris* significat, de quo adnot. 4, in tract. 65), *perfectus masculus, anniculus erit vobis; et hunc ex agnis, sive ex hædis sumetis.* Ita exiguum interpretationis latinæ discrimen Zenonem et Gaudentium in alienam explicationem induxit.

(5) Ms. Urb., *in planctis et luctu illi profecerunt. Illi* item additur in mss. Sp., Pomp., Zen. et edit. Ven. Post pauca *absumit* pro *assumit* in mss. Tol. et Pomp.

(6) Ita scribunt mss. Rem. et Pomp. Filesacus lib. I Selectorum pag. 241, hoc *bromosum convivium* interpretatur de eo, quod *ex avium seu agnorum carnibus constat;* forte quia βρῶμα apud Hesychium βρῶσιν, seu cibum sonet. At hujus vocis alibi a Zenone repetitæ interpretationem explicavimus adnot. 10 in tract. 15, lib. I, ubi etiam restituendum ostendimus locum S. Gaudentii serm. 2, in quo nostrum

majestatis. Qui primitivus est dictus, quia (5) præter Patrem ante ipsum nullus est primus. Maturus, quia æternus est. Perfectus, quia Dei virtus Deique sapientia est. Immaculatus, quia peccatum non habet solus. Salutaris, quia mortem mutavit in vitam: propter nos qui est occisus, et vivit: sepultus, et resurrexit: homo æstimatus est, et inventus est Deus gloriosus in sæcula sæculorum.

292 TRACTATUS LXIII.

De (1) *Exodo* X.

Si Judæi vacuatæ imaginis recordatione gloriantur, quanto magis Christianus, in quo non est figura, sed veritas? Quam ex rebus ipsis agnoscite pariter, et probate. Judæi majores suos Pharaonis exercitusque ejus gravi servitutis jugo depressos de Ægypto (2) prædicant liberatos (*Exod.* XIV). A diaboli rabie, idolorumque turba violenta non tantum *nostri* majores, sed omnis Christiana progenies de vera Ægypto, id est de isto mundo, semper momentis omnibus liberatur. Illis ducatum Moyses præbuit: dux noster Christus est Dominus. Illis columna nubis atque ignis viam demonstravit: nobis Testamenti Veteris ac Novi clarissima oracula viam (3) et verum Christum Dominum prodiderunt, qui ait: *Ego sum via et veritas*

agnum paschalem *sine bromo* (non *sine brodio*, ut vulgata fert lectio) sumendum contendens, satis innuit Judæorum paschale convivium fuisse *cum bromo*, quod *bromosum* hoc Zeno appellat.

(7) Mss. Tol., Vat., Urb., Pomp., Zen., nec non edit. Ven. hanc clausulam apponunt, *per Dominum nostrum Jesum Christum.* Vox tamen *nostrum* abest a Cod. Tol.

TRACT. LXII. — (1) Ms. Zen. et edit. Ven. *de Judæis;* cæt. cod. *Incipit de Exodo.* Paucis additis, quibusdam mutatis eadem hoc repetuntur, quæ in secundo et duobus præcedentibus continentur, ac proinde notata in eosdem legenda sunt.

(2) Ms. Pomp. *in fletu.*

(3) Idem ms. *sunt.* Paulo post *Addo* pro *Adde* in ms. Rem.

(4) Vide adnot. 3 in tractatum præcedentem. Aliam vero, non autem multo absimilem allegoriæ interpretationem apud S. Gaudentium loco ibi laudato reperies.

(5) Erat in editis, et ms. Zen., *præter Patrem, cui etiam coæternus est divinitate cum sancto Spiritu, ante ipsum*, etc. At verba, quæ inter duas virgulas leguntur, a reliquis mss. absunt, additaque solum apparent posteriori manu in margine ms. Pomp., et exinde in textum S. Zenonis intrusa. Sane tract. 55, ubi hæc eadem sententia repetitur, nulla sancti Spiritus facta mentione sic scriptum est: *Hic itaque dictus est primitivus, quia paternæ antiquitatis solus est conscius.* Neque idcirco Spiritus sancti æternitati quidquam præjudicii creatur, quippe quem S. Zeno aliis testimoniis una cum Patre et Filio coæternum luculenter prodit. Vide inter cætera tract. XIII, lib. II, num. 1.

TRACT. LXIII. — (1) Mss. *Sequentia Exodi* præter Zen., in quo sicut et in edit. Ven. *de Judæis.* Notandum quoque hunc tractatum in omnibus mss. nullo numero signari, et hinc in tabula ms. Remensi præfixa desideratur ejus titulus, at in corpore insertus sine numero legitur inter tract. 46 et 47 libri primi.

(2) Mss. Tol. et Vat., *prædicabant.*

(3) Particula *et* abest a ms. Pompeiano.

Digitized by Google

(*Joan.* XIV, 6). Illorum profugus populus per mare rubrum dextra lævaque undarum stupentibus rupibus pede sicco transivit (*Exod.* XIV, 21) : at nostrum mare, (4) quos voluntarios suscipit, feliciter naufragos facit : interimensque universa peccata genitali unda submergit, ut cœlestes effecti terram desiderare non norint. Denique illi post mare ad eremum pervenerunt : nos post baptismum (5) ad paradisum pervenimus. Illis irrorata est esurientibus manna (*Exod.* 15) : **293** nos autem esurire non possumus (6) sempiternum, qui cœlestis panis (7) nobiscum portamus annonam. Illis sitientibus petra fluxit in poculum (*Ibid.* XVII, 6) : (8) ad Christi fontem qui biberit, in æternum sitire non novit. Illis in deserto suavitas lactis et mellis exhibita est : nobis vero, quod plus est, melle dulcior ac lacte candidior, æternæ vitæ beatitudo Dei tribuetur in regno.

TRACTATUS LXIV.

De (1) *Exodo* XI.

Quid tumet Pharisæus inanis, quem (2) momenti præterita delectat umbra ? Exsultat, quod in Ægypto creverit : at in originali decrevit solo. Quod captivitatis sit nexibus exsolutus : sed est nunc usque barbarici furoris moribus alligatus. Deus illi ducatum præbuit : idem a sua cum facie postmodum abjecit. Consecutus est regnum, ut post regiam dignitatem majore dedecore (3) Imperio Romano serviret. Sane vultis scire quantæ sit sanctitatis ? Quem mare sustinuit adunatum, non potest terra bajulare dispersum.

294 TRACTATUS LXV.

De (1) *Exodo* XII.

Quamdiu, Judæe, (2) bruti cordis nec dum discutis tenebras, sacræque legis oracula jam in Christo completa nec probando cognoscis ? Verumtamen pro tuo sensu si vis pascha legitimum celebrare, agnus requirendus est tibi (*Exod.* XII, 5), sicut præceptum est, (3) ex agnis et hædis discordi natura commissus, quem in gregibus pecuinis ipsi tui non invenere majores. Atque utinam tu invenias : dignus es enim immolatione tali, qui salutem tuam in (4) incerti pecoris sitam visceribus opinaris. Sane quod passim multos occidis, edacitatis est tuæ. Quod diversis in locis, (5) vanitatis. Quod cum amaritudine comedis, infelicitatis. Taceo, quod commemoratio est ingrati, non remedium, (6) sacrificium, quod ipse reprobat fieri, qui præcepit. Hoc solum dico. Imple vel in cæteris legem, sicut scriptum est : *Præcinge lumbos tuos. Indue pedibus calciamenta. Arripe baculum manu* (*Ibid.* XI). In eremum proficiscere, si tuos vis imitari majores. (7)

295 TRACTATUS LXVI.

De (1) *Exodo* XIII.

Judæos legitimum pascha celebrare non posse paucis accipe, Christiane. Salomonis templum hostili vastatione subversum cum ruina sua jaceat sepultum : ubi sacrificant ? Sacerdotes jam non habent,

(4) Relativum *quos*, quod omnes editi habent, etsi absit a mss., nihilominus retinuimus, cum sententia illud postulare videatur.

(5) *Paradisum* hoc loco non cœlum, sed Ecclesiam auctor vocat, in quam quidem per baptisma ingredimur. *Paradisi* quidem vox apud Græcos usitata, ab Hebraico פַּרְדֵּס *pomarium*, vel *hortum* originem ducens, eamdem significationem propriam habet, ut videre est apud Xenophontem in Oeconomico, et Hellenicorum lib. IV, cap. 4. A Græcis ad Latinos eadem vox traducta eamdem propriam significationem sortita est, uti apparet ex Firmiliani epist. LXXV, inter Cyprianicas ; nec non ex vulgato interprete in Cant. IV, 13, etc. Hinc hortus ille peramœnus, in quo primi parentes a Deo positi fuerant, *paradisus* proprie vocatur. At sicuti per allegoriam cœlestis illa regio deliciis affluens, qua beati æternum potientur, *paradisus* dicitur : simili allegoria Ecclesiam, quam *horti conclusi* nomine in Scripturis indicatam nonnulli Patres observarunt, *paradisum* S. Zeno appellare potuit, et hac quidem significatione illam perbelle *eremo* opposuit.

(6) Legere maluimus *sempiternum*, quo adverbio Plautus quoque utitur Aulul. II, 1, 16, pro eo quod editi ei mss. codices sine sensu scribunt *sempiternam*. Mox *quia* pro *qui* in mss. Vat.

(7) Num spectant hæc morem illum antiquum deferendi semper secum, domum quoque, Eucharisticum panem, de quo more satis dictum tract. 5, lib. I, adnotat. 29.

(8) In Ms. Pom. *at* pro *ad* scribitur.

TRACT. LXIV.—(1) Tituli hujus tract. tum in mss., tum in edit. idem plane sunt, ac in tractatu superiori.

(2) Ms. Vat., *momentis*. Postea mss. Rem., Tol., Vat. et Urb., *delectatur* pro *delectat* : idque scripsissemus libenter, si legeretur *qui* pro *quem*.

(3) Ms. Rem., *in perpetuum Romana* ; Mss. Vat., Tol., Urb., *in perpetuum Romano* ; edit. Ven., *in perpetuum imperio Romano* : alii codices et editi, ut in textu scripsimus.

TRACT. LXV.—(1) Mss. *Item de die Paschæ* ; ms. Zen. *ad Judæos* hunc tractatum inscribit. Edit. Ven., *de Judæis* ; Veronensis *de Exodo* et *de Judæis* simul. Nos *de Exodo* retinuimus, cum id superioribus *de Exodo* inscriptis congruat, nec inscriptionum series ob hunc unum immutanda videretur.

(2) Nonius II, 75 : *Brutum dicitur hebes et obtusum*. Vetus Scholiastes in Horatium, qui lib. I, ode 34, vers. 9, hac voce utitur, notat : *Bruti graves et tardi dicuntur* : unde Isidorus lib. X, lit. B. : *Brutus quasi obrutus, quia sensu caret ; est enim sine ratione, sine prudentia.*

(3) Vide adnot. 3, in tract. 61.

(4) *Incertum pecus* ; auctor vocat agnum qui ex agnorum hædorumque natura particeps, nullibi inter lanigera animalia invenitur. Lege adnotationem nuper allegatam. Inter *lanigera animalia*, inquam ; nam *pecoris* heic dictum est, non *pecudis* ; *pecus* autem *pecudis* omne animal significat, quod pabulo terrestri vescitur ; at *pecus pecoris* animalium, quæ lanam induunt, præcipuum est, ut statuit Basilius Faber in *Thesauro eruditionis* voc. *Pecus*. Tract 61, *inter pecora*.

(5) Edit. Ven. perperam *vagaris* pro *vanitatis*.

(6) Hanc syntaxim in juniorum gratiam sic construendam monemus : *Taceo, quod sacrificium, quod ipse reprobat fieri, qui præcepit, est commemoratio, non remedium ingrati.*

(7) In ms. Tol. *mores* pro *majores* scribitur. Ms. Rem. hanc clausulam subjicit : *Explicit S. Zenonis de die Paschæ feliciter.*

TRACT. LXVI.—(1) Ms. *Incipit Exodi*. S lus cod. Zen. cum Ven. edit. *de Judæis*. Edit. Ver. utroque titulo utitur. Similia continet ac tractatus 60.

Digitized by Google

(2) qui eorum pro salute sacrificent. Tauros, hircos, arietes, et agnos abhorret Dominus ; unde sacrificant? Deum dereliquerunt, altaria ejus everterunt : cui sacrificant? Sane hoc solum proprium retinent, quod, ut vilem libidinem magis ac magis augeant, vilioribus se lavacris omni momento (3) baptizant, Deo semper ingrati.

296 TRACTATUS LXVII.

De (1) *Exodo* XIV.

Judæos non tantum legitimum pascha celebrare non posse, sed religionis divinæ prorsus nihil retinere paucis accipite. Salomonis templum, de quo præsumebant, (2) cecidit. Altaria Dei ipsi everterunt. Lex et prophetæ usque ad Joannem. Sacerdotibus eorum luctus (3) indicitur. Immolatio aufertur. Cessat unguentum. Circumcisio vacuatur. Sabbatum (4) denotatur. Neomeniæ et dies festi odio habentur. (*Is.* I, 13.) Potiuntur eorum Romani regno. Nihil, ut arbitror, (5) restitit illis proprium, nisi quod Agno salutari neglecto, ingrati viles agnos cum amaritudine, homines (6) amari manducant.

TRACTATUS LXVIII.

De (1) *Exodo* XV.

Judæos legitimum pascha celebrare non posse, periti legis, Deo ipso loquente, cognoscite : a quo appellatur (*Matth.* XXI, 13; *Luc.* XIX, 46; *Jer.* VII, 11) synagoga spelunca latronum : sacerdotalis cathedra (*Ps.* I, 1) pestilentia : sacrificium (*Is.* LXVI, 3; *vide Deut.* XXIII, 18) canina mactatio **297** jejunia (*Is.* LVIII, 5; *Zach.* VII, 5) odium : populus (*Matth.* III, 7; XII, 34). progenies viperarum. Posthæc quid præsumant, æstimare non possum, homines, qui salutem suam in pecorum morte constituunt : cum Deus posteaquam de Egypto egressi sunt, ubi (2) imaginarium pascha gesserunt, dicat (*Exod.* XII; *Is.* I, 11-12) : *Plenus sum holocaustomatis arietum et pinguamine agnorum : quis enim hæc exquisivit de manibus vestris?* Utique, fratres, incunctanter eis ademit pascha, qui id per quod ab eis pascha geritur, reprobavit. At imaginem colunt. Nec ipsam quidem, qui falso colit imaginem, qui ejus non diligit veritatem. Sane hoc solum competenter gerunt innocentes : quod agnos passim, quasi lupi rapaces, (3) occidunt.

TRACTATUS LXIX.

De (1) *Daniele in Pascha* I.

Evigila, Christiane, omnique sæcularis somni torpore discusso, apertis auribus cordis a pueris disce virtutem. Sed vide, ne æstimes falsum, quod eis cessit incendium. Veritatem ratio protestatur. Qui nunc in se credentes baptizat Spiritu sancto et igni, ipse tunc quoque (2) numero suæ affuit Trinitatis.

(2) Sparaverius cum hanc quoque sententiam, uti cæteræ, per interrogationem efferendam putat, tum vero *quis* pro *qui* scriberet, et *sacrificet* pro *sacrificent*.

(3) Antiquissimum simul et frequentissimum apud Hebræos fuisse aquæ, qua se suaque lavabant, usum, patet ex Exodo XXIX, 4, et XXX, 19; Lev. XVI; Deut. XXI, 6, et aliis ex locis. *Multa Judæorum baptismata* a S. Marco Evangelista commemorantur cap. VII, 3 et 4 : *Pharisæi enim et omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditiones seniorum. Et a foro nisi baptizentur, non comedunt : et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum et urceorum et æramentorum et lectorum.* Baptismatis a Judæis in peccatorum purificationem adhibiti meminit S. Basilius, hom. de Baptismo. Baptismatis item quo proselyti abluebantur, quicumque nimirum, sive ex gentibus, sive ex christianis inter Hebræos admitti volebant, testimonium locupletissimum adfert Maimonides Hilc. Issur. cap. 13, num. 1, 4 et 5. Heic autem S. Zeno, cum illa baptismata memoret, quorum frequentia *libido magis ac magis augetur*, balnea potius Hebræis quoque, sicuti et Gentibus usitata, videtur innuere : hæc enim plurimum ad libidinem contulisse patet ex Hieronymo, epist. LXXIX, ad Salvinam, num. 7, quam monuit, caveat, ne *balneorum calor novum adolescentulæ sanguinem incenderet. Quotidie* autem Hebræos lavare consuevisse *omnia membra* testatur Tertullianus de Orat. cap. 17. Vide etiam Gaudentium, serm. IX, p. 108. Erat etiam secta inter Hebræos quorumdam, qui in græca formula renuntiandi Judaicæ religioni ex regio codice a Cotelerio edita in observationibus ad l. I. Recognit. S. Clementis, § 53, Ἡμεροβαπτίσται, id est *quotidie baptizantes*, appellati, *docebant*, ut ibidem traditur, *neminem salvum fieri posse, nisi quotidie lavet.*

TRACT. LXVII. — (1) Omnes mss. *De die Paschæ;* Zen. cum edit. Ven. *de Judæis* inscribit. In edit. Ver. duæ inscriptiones *de Exodo* XIV *et de Judæis*. Ne seriem interverteremus, retinuimus titulum *de Exodo*, cum contineat eadem fere, ac in reliquis hac inscriptione prænotatis, quæ iisdem quandoque verbis heic repetuntur.

(2) Ita correximus ex mss. Rem., Vat., Pomp., Urb., Zen. et edit. Ven.; reliqui mss. et editi *excipit.*

(3) Mss. Tol., Pomp., Vat., *indictus.*

(4) *Denoto* heic arguere, reprehendere, seu nota aliqua affigere significat, uti sæpe apud Tertullianum, de Pallio, cap. 1, *habitus denotare;* cap. 2, *quid denotas homines;* et de Orat. cap. 2, *Oblitos patris denotamus.* Reprehenduntur a Deo Sabbata, Isaiæ c. I, 13.

(5) Mss. Tol., *illis extitit;* Zen., *illis restitit;* cæteri codices et editi ut in textu. *Restat* autem pro *reliquum est*, vel *superest*, uti heic accipitur, usurpatum invenies a Cicerone, ep. XIII ad Brutum, a Terentio, Phorm. 1, 2, 35 et aliis.

(6) Ms. Pomp. ita cum aliis legebat, at emendatum alia manu *amara :* perperam. In fine autem hæc clausula legitur in ms. Rem. *Explicit S. Zenonis de die Paschæ :* similia habet ms. Pompeianus.

TRACT. LXVIII. — (1) Mss. Rem., Tol., Vat., Urb., *Tractatus Paschæ.* Pomp. *de Pascha.* Zen. *de Pascha et Judæis.* Edit. Ven. *de Judæis.* Edit. Ver. *de Exodo* XV, *de Judæis.*

(2) *Imaginarii fasces.* Livius, lib. III, cap. 41, *Imaginaria paupertas* Seneca, epist. 20.

(3) Mss. Tol. et Vat., *occiderunt.*

TRACT. LXIX. — (1) Hos omnes de Dan. tract. paschali tempore habitos occasione lectionum, quæ ex Dan. ea quoque tempestate inter sacra paschalia officia recitabantur, ipse titulus huic tractatui et ultimo præfixus in mss., nec non textus nonnullorum tractatuum qui baptisma paschali tempore collatum memorant, satis declarant. Hic autem primus de Daniele tractatus in mss. Rem. Tol., Vat., Urb., *Tractatus Daniel*(vel *Danielis*) *in Pascha* inscribitur. In Pomp., *Tractatus Daniel in Pascha cujus supra*, id est S. Zenonis : in Zenon. autem et edit. Ven. *De tribus pueris :* tandem in edit. Ver., *de Daniele* VIII, *de tribus pueris.*

(2) Quod tres pueri Trinitatis figuram gererent, *rem sacramento*, id est in figura, *gestam* auctor affir-

Digitized by Google

Denique rem sacramento gestam esse cognosce. In caminum (3) missi (*Dan. c.* III), ut submersi sunt **298** flammis, statim (4) invisibili rore incendia temperantur : mors refugiens mutat officium : incensores cremantur : incensis hymnum canentibus flamma blanditur : Deus a creatura benedicitur universa. In tribus una mens, una virtus, unus triumphus exsultat. (5) Melioratur vita supplicio. Rex non inviderat pueris, si non eos præcepisset ardere.

TRACTATUS LXX.

De (1) *Daniele* II.

Martyrii quodam modo pars est, fratres dilectissimi, martyres non horruisse supplicium : quantum etenim multiformis (2) crudelitatis lugubris contemplatio retrahit a corona ; tantum generosa ac perfecta **299** fides, quique illi (3) fuerit cruciatus, sua complicat vota. Denique tres pueri in illo sacro certamine præ oculis Deum sibi proposuere, non flammas (*Dan. c.* III) ; præmium (4) futurum, non pœnam. Sicque inter tetros undantis incendii globos triumphantes barbarum regem, minas omnes, ipsum quoque supplicium, docuerunt ignes sanctis hominibus non esse fortiores, per Dominum Jesum, qui est benedictus in sæcula sæculorum.

TRACTATUS LXXI.

De (1) *Daniele* III.

Trium puerorum (2) martyrium qui credit interritus, potest etiam ipse adipisci martyrium. Tanta enim vis certaminis fuit, ut eam ipse quoque ignis horruerit : nam a barbaro rege nimia crudelitate tribus pueris consulente, fornacis ultra quam solet, septenario pabulo ignis armatus est (*Dan. c.* III). Credo divina providentia (3) sacramento Trinitatis **300** spiritalem quoque numerum convenire. Denique nec (4) irrorati camini eis baptismatis defuit gratia. O admirabile incendium ! O vere spectaculum Deo dignum ! Qui audiunt, timent : qui incenderant, ardent : qui incensi sunt, sanctificati et incolumes de camino procedunt, per Dominum nostrum Jesum Christum.

TRACTATUS LXXII.

De (1) *Daniele* IV.

Ingens supplicium aliquotiens ingentior prosequitur gloria, maxime divinis in rebus : in quibus felices obnixa devotione suam religionem custodiunt

mat, cujus quidem sacramenti Trinitatis ob trium puerorum numerum meminit tract. 71, 73, 74, vide adnot. 3 in tract. 71.

(3) Mss. Vat. et Pomp., *jussi* pro *missi*.

(4) Mss. Tol., *sibilo roris* pro *invisibili rore*.

(5) *Meliorare proprietatem* L. XIII, § 5, D. *de usuf. et quemadmod.*

TRACT. LXX.— (1) Mss. Tol., Vat., Urb., *Tractatus Danielis*. Pomp. et ed. Ven., *de Daniele*. Zen. *De tribus pueris*. Utraque autem inscriptio præposita in edit. Ver. Licet in tabula libri primi ms. Rem. num. XI inscribatur, *Tractatus Danielis*, in corpore tamen titulo caret. In margine porro hæc rubrica legitur : *Festivitate SS. Firmi et Rustici fratribus recitanda*. Hi martyres, qui Diocletiano et Maximiano imperantibus Veronam suo sanguine consecrarunt, quorumque corpora alio olim traducta, Luitprando regnante, S. Annonis episcopi diligentia cum sacris aliorum quatuor martyrum exsuviis eidem urbi restituta fuerunt, tanto semper in honore apud Veronenses habiti sunt, ut non solum in eorum memoriam multæ, tum in urbe, tum in diœcesi ecclesiæ Deo dicatæ inveniantur, nominaque ipsorum in publicis litaniis fuerint inserta, nec non in precibus, quæ leguntur ad calcem Ordinis Romani ex Capitulari codice editi a Francisco Blanchinio ; sed præcipua etiam ipsorum fieret mentio in Canone Missæ, præcipuoque colerentur officio, cum antiphonis ac responsoriis propriis, ut liquet ex mss. liturgicis libris Ecclesiæ Veronensis, ac in eorumdem memoriam tres Missæ celebrarentur, in Missali ms. sæculi XII descriptæ, quarum prima VI kal. junii, pag 111, hac inscriptione præmittur : *Translatio SS. Firmi et Rustici, Primi et Marci, Apollinaris et Lazari ;* altera VI idus augusti, pag 129 : *Vigilia Firmi et Rustici ;* tertia ipso martyrii die, nimirum V idus augusti eadem pagina : *Sanctorum Firmi et Rustici*. Cum itaque istos martyres tanta celebritate Veronensis Ecclesia coleret, nihil mirum, si festo eorum die hic S. Zenonis sermo inter sacra solennia fratribus recitaretur. Hinc autem Remensem codicem ad eamdem Ecclesiam pertinuisse maxime confirmatur.

(2) Editiones Veneta et Veronensis cum aliquot mss. *crudelitas*. Correximus ex edit. Pat. et mss. Tol., Pomp., Zen. Mox *recta* pro *perfecta* in mss. Tolent et Vaticano.

(3) Sparaverius legi mavult *fuerint*. Dein *pia* pro *sua* in ms. Urb. et pro *complicat* ms. Pomp. in margine scribit *amputat*.

(4) Mss. Tol., Vat., Rem., *futuri :* postea iidem mss. codd et Zen. *cæteros* pro *tetros*. Dein mss. Rem. et Pomp. *barbarorum* pro *barbarum ;* at in Pomp. correctum *barbarum*.

TRACT. LXXI.— (1) Mss. *Incipit tractatus Danielis* excepto Zeno niano, in quo *De tribus pueris*, sicut et in Veneta editione.

(2) Martyres etiam dicti, qui tormentis objecti, mortem non obierunt. Hinc Commodianus instruct. 48, *Multa sunt martyria, quæ sunt sine sanguine fuso*. Celebres sunt inscriptiones epist. VIII et X S. Cypriani *Martyribus et confessoribus*, in quibus martyres utique dicuntur, qui in tormentis non occisi sunt ; *neque enim* (rationem addit idem Cyprianus ep. 37) *virtus eorum, aut honor minor est, quominus ipsi quoque inter beatos martyres aggregentur ;* et non aliter Zeno noster tractatu superiori : *Martyrii quodam modo pars est, martyres non horruisse supplicium*. Codex Pomp. et edit. Ven., *martyrum* pro *martyrium* perperam scribunt ; sed in ms. Pompeiano posteriori manu correctum legitur.

(3) Solenne Zenoni est, in Scripturis ex numero binario, vel ternario, vel septenario, etc., *sacramentum*, id est mysterium et figuram aliquam, deprehendere. De numero binario vide plura exempla tr. 13, lib. II ; de numero septenario habes exemplum tract. 14, lib. I, adnot. 12 ; de ternario autem hic in trium puerorum numero, quem *numeri sacramentum* vocat tract. 76, ac similiter tract. 14, lib. II, *sacramentum numeri* appellavit tria illa, quæ Thamar protulit, monile, annulum, virgam. Ms. Rem. et edit. Ven., *spiritalis quoque numerus :* Ms. Urb., *specialis quoque numerus :* Vat. vero *Trinitatis quoque numerus*.

(4) Ms. Tol. *inrotati :* forte *inroranti* legendum est, *inroratis floribus* apud Columellam 9, 14. Zeno autem *rore invisibili caminum ignis temperatum* prodit. tractatu 69.

TRACT. LXXII.—(1) Inscriptiones tum in mss. tum in ed. eædem ac in tract. sup. notatæ nobis fuerunt. Rem. in marg. addit : *Sabbato primo primi mensis coram pontifice ante processionem recitanda*. Primus mensis antiquis est Martius. Cum porro *processionis*, non autem, ut alibi, *stationis* nomine hoc loco utatur

Digitized by Google

potius quam salutem. Igitur cum audio tres pueros incensos (*Dan. c.* III), prius vehementer horresco; mox deinde eorum particeps optaverim fieri, cum cognosco inter flammas rorulentos (2) hymnum Deo cecinisse securos (*Ibid.*, *c.* IV) : tanta est enim fidei virtus tantaque potestas, ut cultoribus suis etiam ipsa elementa contra suam naturam famulari compellat. Unde, fratres, atrocissimæ rei non vos terreat contemplatio **301** : non enim ulla est metuenda jam pœna, cum incensorum superstes (3) insultet ignibus vita.

TRACTATUS LXXIII.

De (1) *Daniele* V.

Mirum, fratres dilectissimi, ac delectabile certamen Deo, historia sacra prodidit nobis, ignis ac fidei. (*Dan. c.* IV.) Etenim duo discordantia devotione Dominica in unam concordiam convenere : namque tribus in pueris fides puniri non timuit : immissis camino, ignis exæstuans (2) detulit, ut eos unius virtutis esse persensit. Denique arsit incendium incendentibus, non incensis. O admirabilis ratio! O inæstimabilis gloria Dei! (3) Sacramento Trinitatis tam potentis elementi subacta natura est. Qui putabantur incendio exstingui, emicant beatioresi ncensi.

TRACTATUS LXXIV.

De (1) *Daniele* VI.

Credulo percipe corde rem miram, Christiane, omnique virtutum exemplo (2) famigerabilem. (3) Hebræi vere tres pueri, senum constantia majores, juvenum virtute fortiores, sibi pares, Trinitatis **302** sacramento præmuniti, unitatis una fide solidi, æqualitate pares, passionis victoria gloriosi. Hos barbarus rex, quod ejus statuam adorare contempserint, incendi præcepit. Qui ubi jactati sunt in fornacem ignis ardentis, hos devote cupidus ignis excepit. Lambunt (4) rosidos flammæ blandientes. Mira res! opacitas intus, incendium foris est : intus hymnus canitur, foris ululatus auditur. O magna potentia Dei! Incensores (5) incendio concremati sunt : et qui incensi sunt, incendio suo superstites, triumphantes de camino procedunt, præstante Domino nostro Jesu Christo.

TRACTATUS LXXV.

De (1) *Daniele* VII.

Exsulta, Christiane, et Deum fortiter time, diaboli si vis incendia non timere. Ecce pueri (2) sacramento muniti, tres numero, sed una virtute, anhelantibus flammis, camino rugiente non læduntur. Incensi hymnum canunt : barbarum regem fidei tenacitate confundunt. Vindicantur de incensoribus suis. Deum vident. Mors transit in vitam, metus in gloriam. Sic quis non optet ardere (3) ?

303 TRACTATUS LXXVI.

De (1) *Daniele* VIII.

Tres Hebræi venerabiles, (2) numeri sacramento muniti, ætate teneri, sed fidei soliditate robusti, supplicio suffragante gloriosi, amore divinæ religionis regis adorare imaginem contempserunt, utpote qui ipsum contempserunt regem : qui ira sufflatus, solito septies amplius caminum jussit incendi : ac ne quid immanitati sævientis deesse videretur, pice et stupa armatum (3) incitatur incendium : æstuantibus globis rubescit quoque ipsum alienis ignibus cœlum. Illo præcipitantur insontes : ibidemque, propter quem præcipitantur, inveniunt. Denique excipiuntur non flamma, sed (4) rore ; Dei dignatione, non pœna.

marginalium notarum Scriptor; aliqua id generis *processio* innuitur, quam a conventu fratrum seu capitulo (quo quidem Veronensem clerum convenisse ex aliis annotationibus animadvertimus) ad ecclesiam haberi solitam Ordo VI Romanus a Mabillonio editus memorat; cum scilicet post habitum in capitulo fratrum conventum, qui initio ejusdem Ordinis laudatur, episcopo missas celebraturo exinde ad ecclesiam processio fiebat : sic enim ille Ordo inscribitur : *Ordo processionis, si quando episcopus festivis diebus missam celebrare voluerit :* incipit autem : *Postquam prima hora celebrata fuerit, in conventu fratrum, qui apud quosdam capitulum nuncupatur*, etc., processionis autem ordo sequitur. In Carpso quidem ms. nostræ Veronensis Ecclesiæ libro *processionis* sæpe fit mentio, qua a secretario ad ecclesiam vel a choro ad aliquod altare, etc., Clerus prodibat. In conventu igitur fratrum, sive in secretario, vel choro hic S. Zenonis tractatus sabbato primo primi mensis legebatur coram pontifice, antequam processio vel ad ecclesiam, vel ad altare aliquod haberetur.

(2) Trium puerorum canticum, cum in Hebraico textu Danielis non inveniatur, tum a Judæis, tum ab Heterodoxis quibusdam respuitur. At S. Zeno aliis cum Patribus et Ecclesia catholica ut canonicum accepisse hinc satis cognoscitur. Mss. et editiones Ven. et Ver., *rosculentos*. At *rorulentos* scribendum, ut in editione Patavina emendatum est, manifestum fit ex tract. 69.

(3) Ms. Urb., *insultat*.

TRACT. LXXIII.—(1) Mss. *Tract. Danielis*. Zen. cum ed. Ven. *De tribus pueris*. Ver. editio utrumque præfixit.

(2) *Detulit* hoc loco pro *reveritus est* accipitur.

(3) Vide adnot. 3 in tract. 71.

TRACT. LXXIV.—(1) Tituli iidem ac in tract. sup.

(2) Hac voce Zeno iterum utitur tract. 15 lib. II, num. 1, in quem vide quæ animadversa nobis sunt adnot. 3.

(3) Ms. Rem. *Hebræis*. Ms. Tol. *verum* pro *vere* ; et infra *solida* pro *solidi*.

(4) Ms. Tol., *roscidos;* et *roscidum* quidem frequentius scriptum legitur. At cæteri Mss. *rosidos*, et similiter *rosida mella* in mss. Virg. Ecl. VIII, v. 37; *rosidum solum*, Columella 5, 6. *Roscidus* autem, vel *rosidus* idem est ac *roridus*, *rorulentus*, id est rore aspersus.

(5) Ms. Pomp. *incendio Dei*. In ms. rem. per saltum a voce *incendio* ad alteram similem intermedia verba ab amanuensi prætermissa fuere.

TRACT. LXXV. — (1) In plerisque mss., *Invitatio fontis*. Zen. et ed. Ven. *De tribus pueris*, qua inscriptione retenta in Ver. edit. additum fuit *de Daniele*. Hunc unum titulum nos, ut cæterorum series et sensus etiam postulabat, retinuimus.

(2) Vide adnot. 3, in tract. 71.

(3) Mss. Rem., Pomp. et edit. Ven. addunt. *Amen*. In Rem. autem hæc clausula præterea legitur. *Explicit tractatus Danielis S. Zenonis*.

TRACT. LXXVI.—(1) Inscriptio eadem ac tract. 73.

(2) Vide adnot. 2 in tract. 69.

(3) Legebatur *citatur*, supplevimus ex ms. Pomp. in quo nescimus cur, quave manu *in* abrasum fere fuerit.

(4) Editi libri habebant *rore Dei, dignitate*, non

Digitized by Google

O felix supplicium, quod incolumitate superante immortalitas prosequitur, et corona !

TRACTATUS LXXVII.

De (1) *Daniele* IX.

Non hodie mihi ad vos sermo est, fratres carissimi, **304-306** (2) de humanis gestis, aut meritis : nec (3) Daniel inducitur inter frementium leonum rabidos rictus intrepidus (*Dan. c.* XIV), cœlesti prandio satur : nec (4) Jonas inter æstuantes procellas sollicitique maris fluctus insanos tutior piscis alvo, quam (5) alveo navis (*Jon.* I *et* II) : nec tres pueri, quo ardere putabantur incendio, de suis incensoribus vindicati : sed de Domino nostro, quem (proh nefas !) venerantur (6) externi (si tamen dicendum est) sui carpunt. Sane (7) nullis argumentis armatus, quibus illi libenter utuntur, qui adversis veritatem falsa componunt, sed cœlestibus testimoniis multis, manifestis, ac puris, ut docti probent, minus instructi se se confirment, rudes discant, (8) ipsique, qui blasphemare nituntur, salutis suæ bono vel sero, si potest fieri, resipiscant (9).

pœna. Cum vero mss. libri *dignatione* pro *dignitate* habeant ; mutata interpunctione optimus sensus consistit.

TRACT. LXXVII.—(1) In ed. titulus erat : *Pro fidei veritate*, quem reperimus in uno recent ms. Zen. Cæteri habent : *Tractatus Danielis in Pascha*, quem proinde in seriem tractatuum *de Daniele* conjiciendum putavimus. Ultimo autem loco ponendus visus est, cum Auctor alios tractatus de trium puerorum incendio ab se jam habitos commemoret. Male quidem *de Daniele* hunc tractatum inscribi putamus, cum non sit tractatus, in quo de Daniele agatur, sed potius longioris tractatus exordium, in quo non de Daniele, nec de Jona, nec de tribus pueris, nec de humanis gestis, aut meritis, sed *de Domino nostro* se acturum pollicetur. Forte hoc erat unum ex exordiis, quæ a magnis quoque oratoribus parata adnotavimus in Admonitione ante tract. 30, quibus dein orationis corpus ex tempore subjiciebatur ; et hinc forte factum est ut reliqua oratio ex tempore habita, nec scripta desideretur. At cum absit oratio ipsa, quæ ad Christi æternam generationem pertinuisse videtur (nam adversum Arianorum hæresim se disputaturum Zeno recipit) cumque mss. omnes, uno excepto, *de Daniele* inscribant, eamque inscriptionem laudent Joannes Veronensis Mansionarius, Guillelmus Pastrengus, et Petrus de Natalibus, qui allegant *de Daniele in Pascha tractatus* II, nimirum tractatus 69, et præsentem, qui eo titulo in mss. prænotantur, jam hunc titulum haud deserendum putavimus.

(2) Indicare hoc loco Auctor videtur habitum jam tract. 16 lib. II, *De Susanna*, in quo quidem *de humanis gestis, aut meritis* agitur.

(3) De hoc paucis egit tract. 8, lib. I, n. 3.

(4) Vide tract. 17, lib. II, qui *de Jona* inscribitur.

(5) *Alveo* abest a ms. Tol.

(6) *Externi*, qui *Dominum nostrum* Jesum Christum *a suis*, id est ab Arianis, *carptum venerabantur* (*si tamen dicendum est ;* quod hi non vero et Christiano cultu illum venerarentur) profecto Ethnici sunt ; et forte illi ex Gentibus potissimum innuuntur, qui inter tot Arianorum cum Christianis dissidia, Christianos divinitatem Christi simplici fide ac traditione defendentes probabant quodam modo, adversabantur autem Arianorum artes et vim, qua isti ad suam hæresim tuendam utebantur. Audiatur Ammianus Marcellinus, ethnicus scriptor hujus ætatis celeber, lib. XXI, cap. 16 : *Christianam religionem absolutam et simplicem anili superstitione confundens* (Constantius Imperator Arianorum patronus) *in qua scrutanda perplexius quam componenda gravius, excitavit dissidia plurima ; quæ progressa fusius aluit concertatione verborum, ut catervis Antistitum, jumentis publicis ultro citroque discurrentibus per synodos, quas appellant, dum ritum omnem ad suum trahere conaretur arbitrium, rei vehicularis succideret nervos.* Themistius alia ratione Arianos, qui contra Catholicos persecutionem acerbissimam moverant sub Valente, comprimere conatus in ea oratione ad eumdem Imperatorem, quæ προσφωνητικὸς inscribitur, dum divinas res supra humanam ratiocinationis vim positas ostendere studuit, veneratus est alio modo divinam Verbi generationem, perinde ac Catholici, qui Arianorum curiositatem cum Zenone criminabantur : eaque ratione idem gentilis Philosophus a Valente obtinuit, ut cum Christianis mitius ageret, quod Socrates, lib. IV, cap. 32, et Sozomenus lib. VI, c. 36, tradunt. Ea autem Themistii oratio ad Valentem adhuc exstat.

(7) *Argumentis se nullis* acturum pollicetur, iis scilicet, quibus Ariani divinam Christi generationem curiosius perscrutari delectabantur, quam Arianorum consuetudinem alibi S. Zeno sæpe reprehendit. Vide inter alia totum tract. 1, lib. I, ms. Vat., *armatur* pro *armatus ;* sed utrumque legi potest, dum non ad Zenonis personam, sed ad *sermonem* referatur, qui *nullis argumentis armatus* proditur.

(8) Contra Arianos ergo disputare multa hoc in tractatu volebat S. Antistes : et hinc quoque Arianos aliquot, quorum saluti sermocinando prospiceret, Veronæ fuisse exploratum est.

(9) In ms. Rem. hæc clausula legitur. *Explicit tractatus Daniel in Pascha.*

APPENDIX PRIMA

AD OPERA SANCTI ZENONIS EPISCOPI,

COMPLECTENS : 1° POTAMII TRACTATUS DUOS ET EPISTOLAM UNAM ; 2° SANCTI HILARII INTERPRETATIONEM QUINQUE PSALMORUM ; 3° SANCTI BASILII CÆSAREENSIS TRACTATUS QUATUOR.

MONITUM EDITORIS.

Triplicem hanc opusculorum seriem hic rescribere non debuimus, quandoquidem prima in tomo VIII, secunda in tomo IX *Patrologiæ* nostræ ex integro jaceat, tertia vero inter Opera S. Basilii collocanda

Digitized by Google

potiori jure reservetur. Hinc igitur lectorum rationibus, inde Cursus nostri unitati consulentes, nullas chartæ impensas in superfluam recusionem faciemus, nihil omnino exscripturi, nisi observationes quasdam a Ballerinis huic editionis suæ loco præmissas. Quod autem ad ipsa opera præsentem appendicem efficientia pertinet, lectorem eo tomorum VIII et IX Bibliothecæ nostræ remittemus, ubi Potamii nec non Hilarii tractatus hic memoratos legere est, de sancto Basilio rogantes ut Patris illius Operum editionem exspectare velit.

At vero, ne, sic agentes nobis ipsis pugnare videamur, ut qui in secundo tomo S. Hilarii Operum non- A nullas epistolas jam alibi ante editas recuderimus, notandum est, illas epistolas non, ut ita dicam, propter se citari, quasi Hilario a quibusdam perperam tributas; sed operis historici a S. Hilario elucubrati partem integrantem constituere, nec sine lectoris molestia a sancti Episcopi argumentationibus, quibus intermiscentur, potuisse divelli. Unde satis superque cum contradictionis, tum imperitiæ crimen effugimus; de cætero, quia se dat occasio, monentes, sic nos in similibus circumstantiis gesturos ut scrupulosiorem liberioremque agendi rationem pariter vitemus. M.

307 BALLERINIORUM OBSERVATIONES

PRIMÆ ZENONIS OPERUM APPENDICI PRÆMISSÆ.

I. Tractatus illos undecim (*nempe duos Potamii*, *Hilarii quinque*, *Basilii quatuor*), qui ex variis auctoribus in ms. Remensi aliena manu Zenonianis subjecti, ab aliis vero amanuensibus in aliorum codicum calce eodem ordine eademque manu transcripti, ac pro Zenonianis ab editoribus habiti, inter Zenonianos permisti et editi sunt (quod omnium controversiarum causa potissima vel occasio fuit), nos nunc manuscriptorum ope, et certis indiciis moniti, separatos a cæteris in Appendicem primum rejicimus, de quo satis sint, quæ pluribus disseruimus in præfatione dissertationis primæ. Nunc quibusnam auctoribus iidem sint adjudicandi, quod ex laudatis codicibus non apparet, quærendum et statuendum nobis est. Quinque tractatus in Psalmos opus esse coævi Pictaviensis episcopi S. Hilarii nihil est dubitandum, cum C non tam stylus Hilarium palam referat, sed totidem etiam verbis inter Hilarii opera reperiantur; et non Hincmarus solum in libro de Prædestin., cap. 25, sed Hieronymus quoque in epist. XXXIV, ad Marcellam, num. 3 et 5, quasdam sententias recitet tamquam Hilarii, quæ in hisce tractatibus inveniuntur: ut omittamus in explanatione psalmi CXXVII, num. 11, interpretationes *in superiores psalmos* allegari, quæ Hilarianum profecto commentarium in alios psalmos, de quibus in Zenonis codicibus nihil est, aperte innuunt.

308 II. Quatuor porro tractatus *de Livore et Invidia; de Adiende tibi, de Jejunio*, et *de Avaro divite* esse ex S. Basilio Latine translatos, sed ita ut duo primi integri, alii duo mutili habeantur, si quis Basilianos D Græcos ejusdem argumenti conferat, dubitare profecto non poterit. Antiqua autem hæc interpretatio est, et ævo, uti videtur, Zenoniano lucubrata; quæ cum Græco textu non ad litteram omnino congruens, liberiori ingenio reddita fuit. Hanc quidem, uti certo credimus, interpretationem tractatus *de Jejunio* jamdiu per orbem vulgatam his memorat S. Augustinus, lib. I contra Julianum, num. 18, et lib. I Operis Imperfecti num. 52, cumque ea Græco exemplari non B omnino adhærens inventa esset, novam interpretationem se iniisse ibidem profitetur. *Quod si reperi*, inquit, *interpretatum, tamen propter diligentiorem veri fidem, verbum et verbo malui transferre de Græco.* Interpretationis autem auctorem si quis a nobis quærat, Rufinum Aquileiensem presbyterum esse opinamur. Hunc enim nonnullas ex Basilii homiliis Latine reddidisse ipse in historia satis prodit lib. II, cap 9. Porro styli ratio et interpretandi libertas, quæ hisce in interpretationibus emicat, cum cæteris Rufinianis probe congruit. Hæc probabilia. Sed his ad demonstrationem accedit præfatio ejusdem Rufini, quam octo Basilii tractatibus ab eodem Rufino Latine redditis præfixam P. Garnier Benedictinus, in novissima Basilii operum editione, ex duobus mss. regio et Colbertino edidit tom. II, pag. 713, in qua hæc Rufinus aperte pronuntiat: *Aliqua tibi in Latinum verti olim poposceras, Aproniane fili charissime; quod ex parte aliqua feci in præsenti, dum in Urbe essem, sed et nunc aliquantum addidi. Octo ergo beati Basilii breves istos homiliticos transtuli libellos.* Et ut nihil quidem dubii sit, inter octo tractatus huic præfationi subjectos reperiuntur tres ex his, qui inter Zenonianos circumferebantur, *de Livore et Invidia*, qui ibidem est homilia IV, pag. 726; *de Adiende tibi*, qui est homilia II, pag. 717, et *de Avaro divite*, qui est homilia III, pag. 723; quartus autem *de Jejunio*, qui ibidem desideratur, est ille quem Augustinus locis laudatis allegat, quique eamdem interpretandi licentiam ac stylum præfert, ut de eodem interprete dubitare possit nemo. Hinc porro ea solvitur controversia, quam versat editor Benedictinus in generali præfatione tom. II, num. 61, quot scilicet **309** Basilii sermones Rufinus interpretatus sit, octo, an decem. Rationem dubitandi ingerunt duo ejusdem Rufini testimonia, primum in laudata præfatione, ubi *octo* homilias abs se translatas Aproniano misit, alterum ex historiæ lib. II, cap. 9, ubi *denas* ferme abs se latinitate donatas testatur. *Exstant quoque utriusque ingenii* (Basilii et Gregorii Nazianzeni) *monimenta magnifica tractatuum*

Digitized by Google

quos ex tempore in ecclesiis declamabant : ex quibus nos denas ferme singulorum oratiunculas transfudimus in Latinum. Ex hoc postremo loco Tillemontius, t. IX, p. 501, decem Basilii homilias a Rufino Latine redditas opinatur. P. Garnier voculam *ferme* considerans, *non plus octo orationes* eum vertisse suspicatur, *quod non plures, sed totidem ad Apronianum miserit.* At si octo istis addatur homilia *de Jejunio*, quæ ab Augustino notata, in nostris codicibus legitur, novem saltem a Rufino translatas palam est, et totidem forte latinitate donavit, quod cum formula *ferme decem* mirifice convenit.

III. Nunc reliquum est de duorum brevium tractatuum auctore inquirere, qui inter Hilarianos ac Basilianos nostris in codicibus inserti sunt. Latinitatis quidem ille ac syntaxeos valde obscuræ et implicatæ, quæ a Zenoniana plurimum distat : ut Gaspar Barthius hos profecto tractatus respiciens scripserit, aliquos Zenonianis intermistos sermones *longe recentiores* esse, *quam quilibet de grege cæterarum concionum;* ac si ipsorum auctor ad posteriorem multo ætatem, in qua barbare scriberetur, pertineat. Unus tamen locus, quem in editione Veronensi et reliquis inde deductis prætermissum, nos ex editione Veneta et manuscriptis omnibus restituimus, auctorem antiquum et certum prodere visus est. Sic enim in tractatu *de Lazaro* legitur : *Age, age Photami, servus Dei vivi, si aliquid prævalcs, de lacrymis Domini pauca narrato.* Patet hic auctorem inconcinna apostrophe ad se conversa secum loqui, sequc excitare, ut de Domini lacrymis uberius disserat. Itaque Photamius illi nomen est, quo Græcæ originis nomine commode reddito per *P* (*P* enim et *Ph* promiscuæ non numquam in antiquis monumentis scribuntur, ut eruditis notum est; qua quidem ratione mox in tract. II qui *de martyrio Isaiæ* inscribitur, **310** *Phithonicorum* pro *Pythonicorum* scripsit librarius codicis, ex quo editio Veneta sumpta fuit, et paulo absimiliter librarius antiquissimi Remensis *Ephythonicorum*) auctor ejusmodi tractatuum videtur esse Potamius, ille, inquam, Potamius Episcopus, cujus epistola ad S. Athanasium inter monumenta ab Acherio edita reperitur. Sane stylus plane idem est, idque ut magis appareat, eam epistolam tractatibus subjiciendam judicavimus, et ita etiam omnia quæ ad nos pervenere Potamii illius opera, nunc primum suo auctori reddita simul habebis. Quis autem sit Potamius iste, non liquet. Stylus obscurus valde, quemne Mercurius quidem alicubi interpretetur, novum Spicilegii Acheriani editorem movit, ut Græcum eum suspicaretur, qui Græce scripserit, et Latine a quodam posterioris ævi interprete redditus sit. In Indice enim Chronologico tomi III, de Potamii memorata epistola paulo post medium quartum sæculum scripta loquens : *Videtur*, inquit, *e Græco versa; sed fœdissimis mendis conspersa ad nos venit;* et in adnotatione ad eamdem epistolam pag. 299, *versionis* iterum meminit, miraturque cur Acherius tam obscuram fœdamque epistolæ versionem ediderit. Hæc sententia refelli non poterat, quamdiu de una epistola sermo fuit : scripta enim id generis e Græco Latine reddita facile invenies At ex tractatibus, quos non nisi ex celebrioribus scriptoribus latinitate donatos reperire licet, auctorem Græcæ forte originis, sed Latinæ alicujus urbis episcopum fuisse colligimus, qui scilicet ejus urbis, cui præfectus erat, lingua scribere coactus, difficili stylo usus sit; quemadmodum et alii Græcæ originis auctores Latine scribentes, a nativa Romanæ linguæ puritate ac felicitate plerumque absunt. Hic tamen Potamius alius plane est ab ejusdem ætatis ac nominis episcopo Ulyssiponensi, cui epistolam apud Sirmium conscriptam, quæ in Hilarii Fragmentis legitur, non obscure refert Phœbadius, pag. 301, tom. IV Bibliothecæ PP. Ulyssiponensis enim Potamius Nicænæ fidei olim defensor, a Constantio corruptus ad Arianos accessit; cum Potamius noster, epistolæ quam subjiciemus auctor, non tam post Sirmiense, sed post Ariminense etiam concilium (si inscriptioni codicis fidendum est) catholicæ fidei adsertor, ad Athanasium scripsit. Itaque alterius incertæ, at Latinæ urbis episcopus judicandus est (*a*).

311 IV. De cæteris porro tractatibus quos in duobus codicibus Urbinate et Vaticano sub finem descriptos in præfatione generali memoravimus, non est cur laboremus : quippe certo ac suo quique Auctori in iisdem codicibus attributi, Gaudentio, Vigilio, Hieronymo, Zenonianis non fuerunt adscripti, nec adscribi quidem potuerunt. Unus tractatus *de Signo sanctæ Crucis*, qui in duobus manuscriptis Tolentinate ac Vaticano Basilianis a Rufino redditis sine ullo auctoris nomine statim subjicitur; in Pompeiano autem codice cum postremo Basilii tractatu uno contextu descriptus fuit, aliquid præcipuum habere videtur, ut in Appendicem cum reliquis conjiciatur; nam Zenoni peræque ac cæteri tributus apparet, unde Tolentinas ms. hanc clausulam in hujus fine apponit : *Expliciunt tractatus S. Zenonis*, etc. At cum nec in editis Zenoni fuerit affictus, nec in omnibus Zenonianis codicibus inveniatur, ab eodem imprimendo supersedendum judicavimus. Solum hoc loco satis fuerit indicare, quid et cujus auctoris sit. Etsi omnibus in codicibus in cæterorum tractatuum ac solutæ orationis formam describatur uno contextu, re tamen hymnus est ex versibus dimetris iambicis catalecticis, qui incipit *Cultor Dei memento*, octoque strophis conficitur. Hoc detecto de Auctore inquirendo solliciti, ne quod in cæteris feliciter obtigit, in hoc uno deesset, post multa tandem deprehendimus eum hymnum esse fragmentum hymni longioris Prudentii, nimirum hymni 6 libri ΚΑΘΗΜΕΡΙΝΩΝ, qui hymnus apud Prudentium inscribitur *Ante somnum*, constatque ex strophis 39. Ex his septem tantum postremæ de Cruce loquentes in hymno nostro leguntur : nam octava quamdam hymnorum clausulam refert. Hunc eumdem hymnum reperimus etiam apud Georgium Cassandrum inter *Hymnos Ecclesiasticos*, pag. 217,

(*a*) Conf. Gall. Proleg. in Potamium, Bibliothecæ nostræ tom. VIII, col. 1411, a linea 3.

Digitized by Google

editionis Parisiensis an. 1616, quos iste ex codice hymnorum collectionem veterem continente typis dedit : unde ipsum hymnum e Prudentio jamdiu decerptum patet, ut in Zenonianos codices referri potuerit. **312** Unam hymni clausulam, quam nec apud Prudentium, nec apud Cassandrum aliquo saltem in hymno deprehendimus, non nullis utilem hic describimus.

Laus sit Patri supremo,
Quem nemo vidit unquam,
Patris sermoni Christo,
Et Spiritui beniguo. Amen.

POTAMII EPISCOPI

TRACTATUS DUO, QUIBUS ACCESSIT EPISTOLA AD ATHANASIUM.

TRACTATUS I. DE LAZARO.

Grandi, fratres, stupore, grandique miraculo per ambiguas curas hinc inde in concavo vertiginis sinu pronis fluctibus torqueor, etc.

Cætera videsis Patrologiæ tom. VIII, *col.* 1411-1415.

TRACTATUS II. DE MARTYRIO ISAIÆ PROPHETÆ.

Isaias cum Christum prædicaret, vel cum futuræ damnationis elogium Israelitico populo nuntiasset, atroci feritate blasphemantium commota barbaries, etc.

Cætera videsis ibidem, col. 1415-1416.

EPISTOLA AD ATHANASIUM AB ARIANIS (IMPETITUM), POSTQUAM IN CONCILIO ARIMINENSI SUBSCRIPSERUNT.

Domino Fratri gloriosissimo ac beatissimo Athanasio episcopo Potamius.

Tanti carceris fossa crudam illuviem damnabilis officinæ coacervatam, etc.

Cætera videsis ibid., col. 1416-1418.

SANCTI HILARII EPISCOPI

TRACTATUS I SALMORUM CXXVI—CXXX.

TRACTATUS PSALMI CXXVI.

I. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam. In vanum est vobis diluculo surgere.* Volunt plures sanctum Salomonem ædificationi civitatis et templi studentem, etc.

Reliqua legere poteris Patrologiæ nostræ tom. IX, *col.* 694-703.

TRACTATUS PSALMI CXXVII.

I. Quoties de timore Domini in Scripturis est sermo, animadvertendum est, numquam eum solitarium relinqui, tamquam sufficientem nobis ad consummationem fidei, sed subjici multa et anteferri, etc.

Reliqua reperies ibid., col. 704—710.

TRACTATUS PSALMI CXXVIII.

Sæpe impugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel. Sæpe impugnaverunt me a juventute mea. Etenim non potuerunt mihi.... Et non dixerunt qui præteribant : Benedictio super vos, benedicamus vos in nomine Domini.

I. Instituimur dictis propheticis, ad tolerantiam præsentium passionum, etc.

Reliqua videsis ibid., col. 711—718.

TRACTATUS PSALMI CXXIX.

I. Inter multa præclara quæ ad Romanos Apostolus scribit, cum de fide Gentium et infidelitate Judæorum locutus esset, et multa super judiciis Dei tractasset, ait, etc.

Cætera videsis ibid., col. 718—725.

TRACTATUS PSALMI CXXX.

I. Brevis psalmus est, et distinctione magis quam tractatu explicandus, ad humilitatem nos et mansuetudinem docens, etc.

Reliqua videsis ibid., col. 725—727.

SANCTI BASILII CÆSAREENSIS

TRACTATUS QUATUOR, RUFINO INTERPRETE.

TRACTATUS I. DE LIVORE ET INVIDIA.

I. Bonus est Deus, et indignis largitur quæ bona sunt : malus est diabolus, et malitiam quam semel ipse concepit, hanc etiam homines docet, etc.

TRACTATUS II. DE ADTENDE TIBI.

I. Sermonis usum Deus nobis, qui nos creavit, indulsit, pro eo ut cordis occulta consilia invicem nobis verbi ministerio panderemus, etc.

TRACTATUS III. DE JEJUNIO.

I. *Canite tuba in initio mensis, in die insignis solemnitatis vestræ*, propheta præcipiebat populo Israel, etc.

TRACTATUS IV. DE AVARO DIVITE.

I. Duplex est tentationum species. Aut enim tribulatio cor vexat humanum, et sicut aurum in camino, etc.

Quatuor illos tractatus, uti jam monuimus, inter Opera S. Basilii collocandos reservamus.

ADMONITIO IN SPARAVERII ANNOTATIONES.

Franciscus Sparaverius Nobilis Veronensis, in Latinis Græcisque auctoribus apprime versatus, politiorumque litterarum ac eruditionis excultor eximius, de quo plura Scipio Maffeius prodidit part. II Veronæ Illustratæ, postquam non nulla lucubravit summa cum laude, postrema ætate novam S. Zenonis editionem meditabatur, in quam plures adnotationes paravit. At morte præventus an. 1697, opus imperfectum reliquit. Veronensis autem editionis ordinem secutus, commentarium perduxit ad medium

Digitized by Google

usque sermonem *De ædificatione Domus Dei*, post quem tres alii supra decem sermones ea in editione supersunt sine ullo commentario; quem tamen parasse, etsi descriptus non fuerit, vel saltem animo præcepisse, indicant adnotationes aliquæ, in quibus ad observationes in eosdem postremos quoque sermones lectorem remittit. Hisce autem in adnotationibus et corruptiora quædam loca tentavit emendare, et difficiliores quasdam sententias explicare naviter et erudite studuit. Uno codice usus, quem posterius etiam accepisse videtur, alios sæpe desideravit, queis sinceram lectionem restitueret. Aliquos tractatus supposititios plane cognovit : at cum vulgatum de Gallieni ætate præjudicium nondum detexisset, hæsit alicubi, quominus aliquos addititios tractatus alienos crederet, alicubi etiam genuinum Zenonis sermonem, qui ei ætati non congruit, ab eodem abjudicandum putavit : ut ne tamen certum sit an, mutaturus fuisset sententiam, si editioni perficiendæ A longiorique meditationi tempus superfuisset. Etsi vero id opus imperfectum et veluti ex tempore ac sine præmeditatione lucubratum (unde αὐτοσχεδίασμα inscriptum ab auctore fuit) immaturus celeberrimi viri fetus sit; ob multa tamen præclara, quæ continet, in editione nostra haud prætermittendum judicavimus, ne vel exspectatio quamplurium, quibus illud notum, et in desiderio est, vel vir ille de hac editione bene meritus sua laude fraudetur. Duo tandem advertenda maxime sunt : primo nos hasce animadversiones in novæ editionis seriem, Auctoris ordine commutato, daturos, quod lectorum commodo necessarium est visum, si quando inter legendos Zenonis tractatus Sparaverii observationes velint consulere : dein vero, sicubi lectionem ab hoc indicatam B ab editis nostris diversam invenies, eam Veronensis editionis lectionem esse, quam in adnotationibus a nobis suo loco commemoratam reperire licebit.

FRANCISCI SPARAVERII ADNOTATIONUM

IN B. ZENONIS VERONENSIS SERMONES ΑΥΤΟΣΧΕΔΙΑΣΜΑ.

IN TRACT. I LIB. I DE FIDE.

Pag. 4. *Non ab alio, sed ejus ex voluntate præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio nascatur*, etc. In ms. est : *Non ab alio commodetur, sed ejus ex voluntate nascatur. Cæterum si*, etc. D. Paulus ad Romanos, cap. x, num. (*a*) 17. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Cyrill. Hierosol. Catech. proœm. fol. 6 : Δεῖ ἀκούειν τὰ περὶ θεοῦ ζῶντος· δεῖ ἀκούειν τὰ περὶ κρίσεως· δεῖ ἀκούειν τὰ περὶ Χριστοῦ· δεῖ ἀκούειν τὰ περὶ ἀναστάσεως, καὶ πολλά, etc., repete argumentum ex eodem capite num. 14, ad Romanos. C

Pag. 4. *Quod nisi insinuationem legis omni devotione succincta præcedens amplectatur fides*, etc. Non negat didascaliæ necessitatem, non tollit auditionem, sed requirit Spiritus sancti inspirationem, atque auxilium. Clemens Alexand. Strom. lib. II, 361, ideo fidem gratiam vocavit, quia ἐξ ἀναποδείκτων εἰς τὸ καθόλου ἀναβιβάζοντα τὸ ἁπλοῦν, ὃ οὔτε σύνθλη ἐστὶν, οὔτε ὕλη, οὔτε ὑπὸ ὕλης : *ex indemonstrabilibus adscendere faciat ad incomprehensibile, quod neque cum materia est, neque materia, neque sub materia :* ad hoc autem requiritur θεόθεν anticipata opinio : πρόληψις, seu præjudicium, quo rectam opinionem putet, quam de credendis concepit, atque docenti se morigerum præbeat, cum non satis sit audire, sed oporteat eruditionem audire, atque ultro amplecti. Clemens D Alexand. Πίστις ἐστὶ πρόληψις ἐκούσιος, *fides est voluntaria anticipatio;* neque male sentiebat Epicurus apud eumdem : Μὴ δύνασθαι μηδένα, μήτε ζητῆσαι, μήτε ἀπορῆσαι, μηδὲ μὴν δοξάσαι, ἀλλ' οὐδὲ ἐλέγξαι χωρὶς προλήψεως, *neminem posse nec quærere, nec dubitare, neque probare, aut redarguere, sine anticipatione.* Eadem in Laertio, 274.

Pag. 5. *Alioquin ista innumerabilis simplicitate sua felicior turba*, etc. Turbam felicem simplicitate sua appellat christianam, hoc cum Martiale vera simplicitate bonam. Christiani ob id apud Ethnicos tradu cebantur tamquam obtusi, et fatui, quod inter cæteros indicat Arnobius, libro II, 45. quod tamquam imperiti facile adsentirentur. Sed Jesus in Spiritu exsultans Matthæi cap. XI, num. 25, agit Patri gratias, quod abscondiderit mysteria sapientibus et intelligentibus, et revelaverit parvulis, hoc est, ut divus Paulus interpretatur I ad Corinth., cap. XIV, 20. Parvulis malitia, perfectis virtute. Tertull. lib. VI adversus Marcion., cap. 25 : *Reos habuit sapientes, atque prudentes, ex ipsis operibus tot ac tantis intelligibilem Deum non requirentes, vel perperam in ipsum philosophantes, et ingenia hæreticis subministrantes.*

Pag. 6. *Nam per ipsam Dei voluntas populis intimatur*, etc. Docetur, nota fit. Ælius Spartian. in Vero versus finem : *Quod quidem contrarium his, quæ de adoptionis pœnitentia per auctores plurimos intimata sunt.* Ammian. Marcell. lib. XXVIII, cap. 3, *vicinarum gentium strepitus nostris ducibus intimarent*, et passim in Cod. Theodos.

Ibidem. *Nunc severa, nunc blanda præmium demonstrat, et gladium*, etc. D. Paulus ad Rom. cap. IV, num. 15, ὁ γὰρ νόμος ὀργὴν κατεργάζεται, *lex iram operatur*, hoc est punit qui eam transgrediuntur. Cæterum, quæ sequuntur, *unicuique quod elegerit tributura, ut jure possit implere, quod gerit*, corrupta puto, quibus opem, nec subsidiariam ferre sum potis.

Pag. 7. *Lex semper manat ex libro genitali; fides autem tenaciter inhæret suo soli proposito*, etc. Leges ἄξοσιν apud Athenienses consignatas, tabulis apud Romanos antiquitus notum fuerit, qui legerit Plutarchum in Solone, Tit. Livium, atque Dionysium in historiis. Sed insecutis temporibus, cum annua Prætorum edicta ex albo ad perpetuum jus deducta fuerint, auctore Juliano J. C. Adriani imperatoris auctoritate, libris exceptæ, uti constat ex lege prima *de his, qui not. infam.* Has itaque perpetuo easdem manere dicit, quod verum est, donec fuerint abrogatæ, quarum librum genitalem vocat, hoc est originalem, seu archetypum, unde illis fides adstrueretur. Fides contra non alio nititur quam se ipsa, et si solum titubet, non restabilita, interit.

Ibidem. *Lex hominis conscientiam alloqui tantum potest, videre autem non potest*, etc. Potest, quæ facienda sint, aut credenda docere ; non potest videre, quid homo credat, neque de ejus fide cognoscere.

Ibidem. *Lex partibus et discitur, et docetur*, etc. Lex nimirum dividua quæ, ut subdit, tota nec intelligitur, nec tenetur. At fides individua. Tertull. de

(*a*) *Numerus* auctori idem ac *versus*.

Digitized by Google

Virg. veland. cap. 1 : *Regula fidei una omnino est, sola immobilis, et irreformabilis.*

Ibidem. *Adde quod ab omnibus appetitur, ut a nullo completur*, etc. ; lego *et a nullo completur*. Magis servatam volunt, quam servare.

Ibidem. *Adde quod index Dei voluntatis est, non Dei originis, aut naturæ*, etc. Deus ipse legem edixit, eamque D. Paulus ad Romanos, cap. VII, num. 12, ob id vocavit Sanctam, quam nihilominus legem peccati, et mortis appellavit cap. VIII, num. 2, et contraposuit fidei, quam legem dixit spiritus vitæ in Christo : pergit num. 11 : Εἰ δὲ τὸ πνεῦμα τοῦ ἐγείραντος Ἰησοῦν ἐκ νεκρῶν οἰκεῖ ἐν ὑμῖν, ὁ ἐγείρας τὸν Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ζωοποιήσει καὶ τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν, διὰ τὸ οἰκοῦν αὐτοῦ πνεῦμα ἐν ὑμῖν, *Quod si spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in vobis, qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit mortua corpora vestra, propter inhabitantem spiritum ejus in vobis.* Justinus martyr Apologia I, 58 : *Ut ab initio exsisteremus, non nostrum id fuit, itidem vero, ut delectu adhibito ea sectemur, quæ grata illi sunt, per donatas ab eo rationis virtutes persuasione ipsius id fit ad fidem nos adducentis.* Huc credo respexisse Zenonem, dum dixit *Dei originis, aut naturæ.*

Pag. 8. *Si tractatum fidei dixerimus*, etc. Hoc epicheremate videtur velle, neque fidem tractari posse, quæ in recto judicio stat, et ut ait Clemens Alexandrinus Stromat. lib. II, 362, est fundamentum prudentis electionis θεμέλιος ἔμφρονος προαιρέσεως, neque tractatui fidem posse conciliari, quia demonstrationes desunt. Idem ὁ πιστεύσας τοίνυν ταῖς Γραφαῖς ταῖς θείαις, τὴν κρίσιν βεβαίαν ἔχων ἀπόδειξιν ἀνανεύρρητον, τὴν τοῦ τὰς Γραφὰς δεδωρημένου φωνὴν λαμβάνει Θεοῦ. *Qui divinis credidit Scripturis, firmum habens judicium, cui contradici nequit, demonstrationem, ejus qui Scripturas dedit vocem accipit.* Ad quam rem dicebat Ambrosius : *Auser argumenta, ubi fides quæritur. In ipsis gymnasiis suis jam dialectica taceat : piscatoribus creditur, non dialecticis :* sicuti et Augustinus : *Noli intelligere, ut credas, sed crede ut intelligas : intellectus merces fidei est.* Sed indiget fides cognitione. Theodoritus, sermone 1, περὶ θεραπευ. 479, δεῖται μέν τοι ἡ πίστις τῆς γνώσεως, καθάπερ αὖ ἡ γνῶσις τῆς πίστεως· οὔτε γὰρ ἄνευ γνώσεως πίστις, οὔτε γνῶσις δίχα πίστεως γένοιτο ἄν *Indiget autem fides cognitione, sicut et cognitio fide indiget ; neque enim posse potest fides sine cognitione, neque cognitio sine fide.* Neque minus indiget tractatu. Clemens Alexand., Stromat. lib. I, 286, ἀλλὰ καθάπερ καὶ ἄντι γραμμάτων πιστὸν εἶναι δυνατὸν φαμεν· οὕτως συνεῖναι τὰ ἐν τῇ πίστει λεγόμενα οὐχ' οἵοντε, μὴ μαθόντα ὁμολογοῦμεν : *quemadmodum vel sine litteris fidelem posse esse dicimus, ita quæ in fide dicuntur, non posse intelligere eum, qui non didicit, confitemur.*

Pag. 8. *Video prætereu, sicut adsertorum indicant nomina, quæ si auferas nulla fortassis*, etc., scilicet hæreticorum, qui corpus Christi Ecclesiam impiis sectis laniarant.

Pag. 9. *Multos fuisse tractatus*, etc. Tractatus sunt disputationes, quibus opiniones suas suasum ibant ; labore enim, et favore captabant, quibus persuaderent, et quibus veros Christianos seducerent. Tertull. *de Resurrect. carn.*, cap. 5 : *Ita nos rhetoricari quoque provocant hæretici, sicut et philosophari.*

Ibidem. *Eligendum quid sit, non potest nosci*, etc. Intellige in catechumeno, aut initiando, alioquin paradoxum esset ; nam recta fides una, a qua non licet nec deficere, nec desciscere, et quam infra nominat illam nobilem, et antiquam, quæ Deum Deo credendo promeruit, quæque credere non didicit, sed præsumpsit.

Pag. 11. *Quæque credere non didicit, sed præsumpsit :* repete notas in hunc ipsum sermonem, supra, ad pag. 2, ad illa verba, *quod nisi insinuationem legis.* Fuere divinitus inspiratorum ; qui e re nata Christiani facti, ultro se morti confessione obtulere, nulla prævia doctrina, aut professa voluntate. Sed A negandum non est quin causa quædam præcesserit, quæ commovente Deo opinionem impresserit, ex cujus præjudicio credere didicerint. Lato igitur modo heic intelligendus Zeno.

Ibidem. *Ne fides*, inquit, *intereat, cum male aut creditur, aut docetur*, etc. Eadem fuit sententia Tertulliani : uterque ex Apostolo ad Titum cap. III, num. 9, *De Præscript. hæretic.*, cap. 14 : *Fides in regula posita est, adversus regulam nihil scire, omnia scire est.* Deinceps : *At cum tenent quidem, et credunt, quærendum tamen dicunt ut defendant ; antequam defendant negant quod confitentur, se nondum credidisse dum quærunt.*

Ibidem. *Nunc scire cupio, fides ex doctrina constet, an ex credulitate, an ex utroque*, etc. Cyrillus Hierosol. Catech. 5, indivisibilem natura sua fidem, primo gradu dogmaticam facit συγκατάθεσιν τῆς ψυχῆς : Secundo, atque eminentiori, quæ fit ἐν χάριτος μέρει παρὰ τοῦ Χριστοῦ : admonens, ut posteriorem et gratiam adipiscamur, priorem imbibamus ex succo B Catholicæ Ecclesiæ, neque ductemur variis quæstionibus, neque curiosis colloquiis, sed sacrarum Scripturarum collatione in nobis roboremus.

Ibidem. *Sin vero ex utroque, patriarcharum semensa fides est, ac per hoc illis*, etc. Semensa, imperfecta, quasi dimidia mensura fraudati. Metiri est ad mensuram præbere, et minore mensura admetiri est fraudare mensuram. Cæsar de Bello Gallico lib. VII, cap. 71, *Frumentum parce, et paulatim metiri instituit*, hoc est parce et restricte, ut tempora ferebant, et annonæ caritas. Cyprianus, epistola LXXVI, prope finem parili, et eodem sensu ait : *An consecuti sunt quidem gratiam Dominicam, sed breviore, et minore mensura?* quod est semensa gratia. In hoc totus est noster, ut sicuti Abrahæ, et cæteri Patriarchæ per fidem justificati fuerunt sine doctrina, sed sola ἐπίνοια, ita et Christianum quemlibet velit, qua Christianum, nullo alio adminiculo, quam spiritus advenientis constitui. Sed quid fiet verbis Do- C minicis, *Ite, docentes?* Matth. XXVIII, 19, quid fiet Paulo ad Rom. XI, 17 : *Fides ex auditu?* At, ut videre est, non ita probat doctrinam, quæ simpliciter, et pure a vero Christiano fuerit inculcata, sed vaniloquentia fucatam, circumlocutionibus ad ostentationem paratis turgidam, sed in præcipuo languentem. Vide D. Paulum, ep. I ad Timoth., cap. VI, num. 4, et Clementem Alex., Stromat. lib. I, non longe a principio. Si enim simpliciter credidissent, neque mentem rebus imperceptibilibus suam onerassent, Saturnillus non tam absona et monstrosa fuisset commenta, non Basilides, non Carpocrates, non Valentinus, non tot alii. Quid in perversum rapuit Origenem, quid Arium? nisi superflua in fide inquisitio, qua sapientiæ studio sapientiam perdiderunt. Et huc referenda sunt nostri verba paulo ante prolata : *Quia nec erit nec proprium, nec firmum, quod habet statum semper incertum, quippe cum unius electio sit alterius reprobatio : vel si omnes omnino amplectendæ sint*, etc. Porro obscuritatem facit, quod D alias usurpet legem pro mandato veteris Testamenti, alias pro disciplina fidei Christianæ, quod salebrosum est, et impeditum. Nam si, ut ille ipse approbat, non sumus amplius sub lege, sed sub gratia, quid opus retentare de lege edicente ; quæ christiano inutilis est? Si distinctionem hanc observaveris suo loco et tempore, in hoc tractatu res facilius procedet.

Pag. 14. *Quæ duobus confligentibus Christianis, ab altero eorum si non transducitur, perfidia, cum transducta fuerit, fides vocatur*, etc., eum non transducitur in animos, in adsensum, id est persuadetur, quod Titus Livius dixit *transduci in sententiam* lib. XLIV, cap. 40, Cicero, lib IV de Finibus initio : *Si istud obtinueris, traducas me ad te totum licebit.*

Ibidem. *O quam præsumpta*, etc. Monet Claud. Salmasius ad Ælium Spartian., cap. 2, quandoque *præsumptionem* esse de re pene certa, fiduciam

Digitized by Google

quamdam, et spem indubitatam rei necessario eventuræ, ut heic. Exclamat ergo Zeno : *O quam male præsumpta fides!* subintelligendum enim illud *male*, quæ cum indubitata prius haberetur, ut debuit, novellæ traditioni locum dare debet.

Pag. 15. *Forte in eo se quis æstimat fideliorem*, lege *æstimet* ex ms.

Ibidem. *Eo enim res deducta est, ut fides nostra per Dei requiratur injuriam*, etc. Anonymus, apud Eusebium, Eccles. hist. v, cap. ultimo, de hæreticis habet, quæ huc transferre libet ad lucem Zenonis. *Sacras Scripturas audacter adulterarunt, primitivæ fidei regulam rejecerunt, atque ipsum Christum ignorantes non contendunt, quid sacræ doceant Scripturæ, sed cujusmodi syllogismorum figura impietatem suam confirment.*

Pag. 16. *Cur legem lege distringis?* etc. Heic legem habe pro dogmate Ecclesiastico.

Ibidem. *Sin vero fidem spiritus calles*, etc. Cyrillus Hierosol., Catech. 5 : Αὕτη τοίνυν ἡ κατὰ χάριν δωρουμένη πίστις ἐκ τοῦ πνεύματος, οὐ δογματικὴ μόνον ἐστὶν, ἀλλὰ καὶ τοῦ ὑπὲρ ἄνθρωπον ἐπεργητικὴ. *Hæc igitur secundum gratiam donata fides ex spiritu, non modo est dogmatica, verum etiam supra humanas vires effectiva.* Sunt enim divisiones gratiarum, ministeriorum, et operationum ab uno, et eodem spiritu dividente seorsum singulis, sicut vult. Vide Paulum ad Corinth. epist. I, cap. XII.

Ibidem. *Cetina cymba*, etc. Metaphorice cetum, qui Jonam deglutivit, et vivum per maria vehebat, cymbam dixit cetinam.

Ibidem. *Solis cursus, ac lunæ ab occidui*, etc. Tangit historiam Josue, cap. X, num. 12 et 13.

Ibidem. *Si obvenerint dura, fidem tamquam granum sinapis te habere demonstra*, etc. Potius spem, sed spes non est sine fide. Noster sermone sequenti : *Fides si non sit, quomodo spes ipsa nascetur?* Clemens Alexand., Pædagog. primo, cap. 6. Revera sanguis fidei est spes, in qua continetur quemadmodum fides ab anima. Cum autem spes expiraverit, perinde ac si sanguis effluxerit, vitalis facultas dissolvitur.

Pag. 17. *Heic tibi ego respondere non audeo*, etc. quia naturam divinam scire haud est hominis. Clemens Alexand., Strom. lib. v, 582 : Ἡ μὲν γὰρ ζήτησις ἀτιδὴς, καὶ ἄορατος. ἡ χάρις δὲ τῆς γνώσεως παρ' αὐτοῦ διὰ τοῦ υἱοῦ. *Inquisitio enim nec ex forma, neque ex adspectu fieri potest : gratia autem cognitionis est ab ipso Deo per Filium.* Atque ista quidem non adhuc perfecte : intelligimus enim Deum quantum possumus, ut ait Aurelius Augustinus, lib. v *de Trinitate*, hoc est bonum sine qualitate, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsentem, sine habitu continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione omnia mutantem, atque impassibilem : *Quisquis Deum ita cogitat, et si nondum potest invenire quid sit, pie tamen cavet, quantum potest, aliquid de eo sentire, quod non sit.* Cognoscentes οὐχ ὃ ἐστὶν, ὃ δὲ μὴ ἐστὶ non quod est, sed quod non est, ut consonat ibidem Clemens.

Ibidem. *Multos enim seduxit suspicio illorum.* Ms. addit : *suspicio illorum et in vanitate detinuit sensus illorum.*

Pag. 18. *Neque attenderent fabulis et genealogiis*, etc. Epist. I ad Timotheum, cap. I, num. 5. Ad quem locum Theodoritus : *Ductas ex Abraham et ex David recensebant genealogias perscrutantes scilicet, an ex iis Dominus secundum carnem natus esset.*

Ibidem. *Negat quodam modo Deum quisquis rationibus humanis*, etc., pressius et solidius ms. *Negat quodam modo Deum quisquis adserit Deum. Defensio enim*, etc.

IN TRACT. II LIB. I. DE FIDE, SPE ET CHARITATE.

Pag. 19. *Quibus si deneges charitatem, utræque inutiles erunt.* Ms. *Quibus si deneges charitatem, utræque cessabunt.*

Ibidem. *Tolle spem et interempta sunt omnia*, etc. Hoc idem argumentum applicuere fidei Cyrill. Hierosol., Catech. 5, et Theodor. θεραπευτ. λόγῳ α ; sed multo congruentius Noster spei. Conferre tuum erit lector.

Ibidem. *Ad litteratorem puer*, etc. Litterator est, qui elementa prima docet, legere et scribere. Lampridius, in Alexandro Severo, cap. 3, primæ vocat pueritiæ magistros : oppositi litteratis : rem notam facio ex notis Salmasii ad Tertull. de Pall., cap. prostremo, et ex Voss. *de arte Grammat.* lib. I, cap. 1.

Ibidem. *Profundo gurgiti nauta commisit*, etc. Gurges heic pro mari aliorum exemplo. Propertius, lib. I, Eleg. XVII, v. 14 :

Ah! pereat quicumque rates, et vela paravit
Primus, et invito gurgite fecit iter.

Idem Elegia VII, lib. III, v. 23 :

Positaque in gurgite vita.
Pætum sponte tua vilis arena tegat.

Pag. 19. *Quamvis in futuro sit posita, fidei tamen est jure subjecta*, etc. Habuit in mente illud D. Pauli ad Romanos cap. VIII, num. 25 : Εἰ δὲ ὃ οὐ βλέπομεν ἐλπίζομεν, δι' ὑπομονῆς ἀπεκδεχόμεθα : *si autem quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus.* Spes autem semper in futurum fertur ; Seneca loquens de Spe, epist. CI, ait : *Nihil sibi quisquam de futuro debet promittere.* Achil. Tatius Leucip. lib. IV, 221 : Ταῖς τοῦ μέλλοντος ἐλπίσιν ἠδόμην : *futuri spe lætabar.* Max. Tyr. serm. XXXVII, Αἱ ἐλπίδες προστάττουσαι τούτοις ἀνήνυτα πονεῖν, καὶ ἀτελεύτητα : *spes impellunt ad ea, quæ nec fieri possibilia, neque finem habitura.* Legerim porro *juri subjecta*, ut syntaxis procedat. Cum enim non sint condignæ passiones hujus mundi ad futuram gloriam, ut ait alicubi D. Paulus, spes illius futuri est constabilienda per fidem : alioquin, et illa corruat necesse sit.

Ibidem. *Et omni genere custodienda virtutum*, etc. quas et quales pete a D. Paulo ad Rom. cap. XII, a num. 7.

Pag. 20. *Ecclesiæ pulchritudo vel murus*, etc. Legerim potius *vel turris.*

Ibidem. *Contra spem autem est quod impossibile*, etc.; in ms. : *Contra spem autem est, quodi mpossibile est, et non videtur, sed possibile ac spei fit, cum Dei dicto indubitanter*, etc.

Ibidem. *Ut jure speremus aliena*, etc. Fides, quam a Deo imbibimus, nostra est : nostrum non est, quod fide exspectamus, sed virtutibus, et rectitudine vitæ expetendum ; ideo alienum dixit, quod a Deo decernendum. *Regnum utique cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt*, Matth. cap. XI, num. 12. Non quidem contentiosis orationibus, sed rectæ vitæ assiduitate, atque deprecationibus humillimis, et piis sine intermissione factis, quibus quia priorum peccatorum semina exstirpantur, et maculæ delentur dicitur vis inferri, et nobis et cœlo, ut suggerit Clemens Alexand., Stromat. lib. v. 553.

Ibidem. *Nemo enim censum debitori committit*, etc. Reddit rationem dicti superioris : nemo siquidem quem habet in ære suo, si rapiat, ære numerosiori suo periculo obruet ; neque rex bravium dabit desertori, sed victori, aut suas partes utrumque sustinenti pro viribus generose.

Pag. 21. *Qui habet dabitur illi*, etc. Matth. cap. XII, num. 12, et cap. XXV, num. 29, et alibi apud alios Evangelistas.

Ibidem. *Per hanc evadens Noe non invenit, cum quo diluvium fuisse conferret*, etc. Ille namque solus credens veras Dei minas, et obediens illius mandatis, per fidem servatus est, sic ut post diluvium omni homine (præter consortes in Arca) perempto non haberet, cum quo de aquarum immanitate sermones duceret.

Digitized by Google

Pag. 21. *Hæc Moysi in mari rubro terram vitream fecit*, etc. Aliud volebat supra sermone sexto de Exod. (nunc tract. 50, l. II) nimirum non aquarum superficiei obambulasse, sed diviso mari, atque hiante, et tamquam aggeribus hinc inde obstipato, iter profundum maris datum, quo Judæi evaderent. *Erithræum quoque in geminas ripas scissum mare, ductisque dextra lævaque aggeribus, in aciem stipatis undis, sudo liquore arefacta profundi semita.* Sic puto legendum.

Ibidem. *Paralyticos reformari*, etc. Paralysis est defectio motus, et actionis : at motu privari, seu actione, et motum recuperare, seu operationis facultatem, non videtur recte dici reformari : nam quod spectat ad sanitatem et morbum qualitas est, et dicuntur in categoriis affectiones, quæ de facili mutari possunt ; sed formæ non mutantur, nisi totius corporis mutatione eo corruente, quod prius fuerat. Nihilominus eodem sensu locutus Trebell. Pollio in triginta tyrannorum syntagmatio, nimirum Lolliano bis et Odenato semel. *Orientem jam in pristinum reformaverat statum, sed omnes omnino totius orbis partes reformaverat.*

Ibidem. *Cum suis sibi exsequiis*, etc. Aut fallor, aut scripsit Zeno *exsuviis* : non enim exsuviæ tantum, quod exsutæ sint, sed quod indutæ possint exsui. Habuit forsan in mente Tertulliani Apologiæ cap. 21, qui exsuvias *dixit sepulcri*, aut, ut malunt Rigaltius, *sepulti* : verum, utcumque sit, tolerabilius puto *exsuviis* dixisse, quam exsequiis.

Pag. 22. *Tamen sine hac utræque non prodcrunt.* Ms., *sine hac utræque non stabunt.*

Ibidem. *Fides paucorum est, charitas omnium*, etc. Quid hoc est ? Nonne christianæ fidei debet esse unita charitas, ut ea nihil prosit ad salutem, nisi per fidem proveniat? Certe D. Paulus, I ad Corinthios, cap. XIII, potiorem charitatem fide et spe posuit : atque fatendum est, eam difficiliorem, quia non tantum affectum impartitur, quantum et substantiam, et facultates, quibus privari majus quid putatur ; ut potius legendum sit : *fides omnium est, charitas paucorum.*

Ibidem. *Spes ac fides tempus habent*, etc. Supervacua est fides in futura vita, cum res evidenter appareant : sic spes iis quæ sperabantur, potitis, evacuata est : at cum anima corpore liberata est, perturbationibus non vexatur, et tunc charitas vires majores habet Theodorit. in epist. I, num. 13 Divi Pauli ad Corinthios.

Ibidem. *Quantoque ab ea diligentibus invicem crepitur, tanto invicem plus debetur*, etc. Non tantum post mortem charitas non minuitur, sed etiam in hac vita (si licet dicere) increscit semper : scilicet si provoceris plenioribus officiis, augeas et tu affectionis gradus : mutuum enim caritatis facit, qui pari conditione correspondeat. Ita videtur sentire : videas tamen opponi iis, quæ paulo infra dicit. *Non pro tempore, quia varia non est.*

Ibidem. *Pro persona*, etc.; ex persona, sic *pro honore* et pro sexu, ex honore, et sexu ; hoc est nulla personæ acceptatio est, aut distinctio.

Ibidem. *Hæc jura, urbes, et populos composita, pacemque conservat*, etc. Lego *composita pace.*

Pag. 23. *Jura evacuat.* Jura evacuare est jurium vim infringere, jura negligere atque contemnere. Infra, de circumcisione : *Si circumcidit, sabbatum corrumpit. Si non circumcidit, cum innocentis animæ interita præstitutæ circumcisionis jura evacuavit.* Sic Tertull. de Anima, cap. 46, *Telmissenses nulla somnia evacuant*, id est non spernunt, non contemnunt. Expressit Apostoli verba ad Corinth. I, cap. XIII, num. 5 et 7 : *Charitas non quærit quæ sua sunt, omnia suffert, omnia sustinet.* Rationem reddit Tertull. de Patientia, cap. 12 : *Charitas nec sua requirit, si offert sua, dum alteri prosit.*

Ibidem. *Fora compescit*, etc. Alias clamosa, et concertatoria. Cicero, de Claris Oratorib. 280 : *Thucidides hoc forense concertatorium judiciale non tractavit genus.* Propert., lib. IV, Eleg. 1 :

Et vetat insana verba sonare foro.

Seneca, Hercule furente, v. 172 :

Hic clamosi rabiosa fori
Jurgia vendens, improbus iras
Et verba locat.

Ibidem. *Hæc mare penetrat, urbem circuit, commercia nationibus necessaria subministrat*, etc. Vereor isthæc a Zenone dicta magis ad pompam, ut sermoni suo suppetias ferret ; quam quod re ipsa ita esse sentiret : nam maris transitus, atque pericula tentare, se naufragiis exponere, vitæ discrimina adire, non fuit creditum Horatio aliena charitate adsumptum, sed habendi cupiditate, et quod esset homo

Indocilis pauperiem pati.

Sic et Ovidius Metamorph. lib. I, v. 131, scelerato habendi amore tribuit, quod ausi fuerint vela ventis dare. Ex hoc tamen forsan deducet, rerum potestate per commerciorum communicationem facta, potuisse charitatem exerceri ; quod tamen ab instituto remotum.

Ibidem. *Hujus est munus, quod antiquorum aut virtutes ex libris*, etc. Certissimum est, per historicos oculis nostris subjici tamquam præsentia, quæ peractis longe sæculis acta fuere, neque minus ex philosophorum libris et cæterorum scriptorum, disciplinas, scientias, atque mores hauriri : libri siquidem mortui magistri dicti, quia facile illos volventibus, neque objicientes pudorem interpellantibus bis et amplius. Instrumentum quippe doctrinæ cum usus eorum sit, Plinius major non inscite dixerit, nullum librum tam malum, qui non aliqua parte prodesse possit : ut præcipue obnoxii esse, atque grati debeamus, qui labores suos, cogitationes, inventa nobis voluere communia. Esto gloriæ suæ potissimum velificati fuerint ; illa tamen sicuti speranda fuerat a gratia, et utilitate legentium, ut ista per hæc pleno voto expotirentur ; ita posterorum commodo etiam laborasse ideo dicendi sunt. Tot enim invidi contra, et malevoli, qui inventa sua non vulgant, sed aliorum commoda fraudantes, secum perire malunt, quam aliorum cognitionem locupletare.

Ibidem. *Audacis lupi rabie rotatus* in ms. *devoratus*, male.

Pag. 24. *Olim deprehendisset, interitus, nisi ea*, etc. Dele virgulam ante *interitus*, et interpretare *interiissent.* Nam hoc hac periphrasi vult.

Ibidem. *Perennis connubii fideli propagine benigna charitas illigasset.* Elementa invicem sibi subserviunt, et reciproco motu in se recurrunt : quo circa Empedocles amicitiam, et contentionem inter elementa, tamquam necessario concomitantes adnumerabat apud Sextum, Empiric. lib. VIII, adversus Mathem., ut quæ alterum alteri conciliarent, et rursus dissolverent. Seneca, Natur. quæst. lib. III, cap. 10 : *Omnium elementorum alterni recursus sunt : quidquid alteri perit, in alterum transit.* Illum consule. Itaque proprie Noster dicit perennis connubii fidelem propaginem.

Ibidem. *Ex lege discitur, sed in mentibus nascitur*, etc. Ambrosius, in Ps. CXVIII : *Vere diligit, qui sine tristitia, sine timore, voluntario potius studio quam coacta præcepta conservant.* Habitus ab affectione differre ait Aristoteles, quod habitus diuturnior, et permanentior sit ; illa sit facilis et moveri, et mutari. Virtus autem, quæ in habitum transit, τελείωσις τις, *est perfectio quædam*, et, ut ait D. Paulus de charitate, οὐδέποτε ἐκπίπτει, *nunquam excidit* : in mentibus ideo nasci ait, quia, ut alicubi Augustinus, *pascit esurientes charitas, pascit et superbia : vestit nudos charitas, vestit et superbia : jejunat charitas, jejunat et superbia, aut mitius loquendo, observatio præcepti, non charitas, non misericordia, quæ totum debet facere.*

Digitized by Google

Ibidem. *Ac per hoc operanti iram, recte subjacet legi*, etc. Ira supplicium est, et animadversio apud Paulum ad Roman., cap. XIII, num. 5, ideo *operari iram* Zenoni est accersere sibi pœnam legis prævaricatione promeritam.

Ibidem. *Rigida quædam dilectionis est forma*, etc. Corrigere quippe species dilectionis est, et εὐνοῶντος, ut ait Clemens Alexand. Pædagog. lib. I, cap. 8, nam qui minatur, aperte ostendit se nihil mali velle facere, neque ea, quæ minatur, exsequi, καταστίσας δὲ εἰς δέος τὴν ἐπὶ τὰς ἁμαρτίας ἀνέκοψε φοράν, καὶ τὸ φιλάνθρωπον αὐτοῦ ἐνδείκνυται, μέλλων ἔτι, καὶ διασαφῶν οἷα πείσονται, εἰ παραμένωσιν ἁμαρτωλοί. *Incusso autem timore impetum ad peccata reprimit, et suam in homines benevolentiam ostendit, adhuc differens et ostendens, qualia sint passuri, si peccatores, permanserint.*

Pag. 25. *Quoniam solam præsumit servare posse, quod præcipit*, etc. Levi mutatione lego *cum præcipit*, ut lectio, si non certa, saltem probabilis sit. B

Ibidem. *Quod alieno jure servemus*, etc. Charitas enim e divino præcepto proximo debetur.

Ibidem. *At cum ab eodem hujus devotionis invitatione inhabitari*, etc. Hoc est, cum a Deo fervore charitatis invitati, inhabitari cœperimus. Charitas est recta voluntas igne quodam sancti Spiritus, a quo est, et ad quem refertur, incensa, uti habet Prosper Aquitan. de Vit. contemplat., cap. 13. Devotionem autem fervorem bonæ voluntatis definit Joannes Cassin. in Collation.

Ibidem. *Quod ejus est, fit pro partibus nostris*, etc. Lego *fit pro partibus nostrum*.

Ibidem. *Ne admonitione pietati*, etc. Distingue, *ne admonitione, pietati aliquid derogetur*; proximum enim amare est se ipsum amare, et illum odio habere perinde est, ac si se ipsum oderit.

Ibidem. *Pateremur reverentiam veritatis*, etc., archetypi : homo enim ad imaginem Dei. Infra *imaginemque Dei dignissime venerando, declaremus, quid* C *ipsi veritati debeamus*, hoc est archetypo.

Ibidem. *Pateremur reverentiam veritatis ; in ea quæ res conditione dimissa*, etc. Lege, et distingue, *veritatis, in eaque res*, etc.

Pag. 26. *Si inclyti cujusdam Regis hominis tamen vultus quivis*, interpunge : *si inclyti cujusdam Regis, hominis tamen vultus, quivis.*

Ibidem. *Quem solum veretur, quidquid in virtutibus naturæ a regibus ipsis quoque metuitur?* legendum censeo, *quem non solum veretur, quidquid a virtutibus naturæ, sed a regibus ipsis*, etc., gradatur a minore ad majus. Si Regis imago, qui homo est, tantam venerationem exigit ; quanto magis Dei, qui supra præcipua naturæ, et supra reges naturæ vitutibus minores. Virtutes naturæ intelligi quidquid eminet in natura, cœlum nempe, terram, astra, sidera. Laertius in Zenone, Ἀρετὴ δέ τοι ἡ μὲν τις κοινῶς παντὶ τελείωσις : *Virtus autem alias est communiter uniuscujusque perfectio* 185. Plato, lib. V de Legib. 851, τὸν νῦν δὴ λεγόμενον φαυλότητός τε καὶ ἀρετῆς χώρας : *Quod modo dictum est de infelicitate et virtute regionis.* Ista autem Deum ut Creatorem verentur, et ejus jussui parere certum est.

Ibidem. *Ne sub sono nominis committatur regula veritatis*, etc. Id est ne prævaricetur contra veritatem, et obnoxius fiat mendacio. Ne committatur contra regulam veritatis. Commissa stipulatio dicitur jurisconsultis, cum placito non statur, ut necesse sit, vel ex stipulatione præstare id quod interest, vel eam quantitatem, quæ vice ejus sit quod interest, in stipulatione comprehensa, ut in L. Si pact. 14 ; cod Justinian. de Pactis. Quod in L. 9 : *Si quis cautioni non obt.* est, *non committitur stipulatio*, in Græco redditur οὐκ ἐνέχεται : non tenetur, scilicet, ut qui promisit, non possit conveniri apud Judicem, quod non commiserit contra factum in stipulatione promissum. Eadem forma sub titulo : *Rem. rat. hab.* in A latino legitur, *stipulatio committitur*, in Græco est βεβαιοῦται ἡ ἐπερώτησις, *stipulatio confirmatur*, id est ex ea agi potest, quod prævaricatum sit contra conventa. Sic pœnam committere est facto suo pœnæ fieri obnoxium, cum non committitur pœna, pœnæ vi non subjacere. βεβαιοῦται ἡ ποινή : *confirmatur pœna* vertunt Græci illud *committitur pœna* in dict. L. 9. § 1, *Si qui caut. non obtemp.*, id est ea culpa admissa est, quam pœna consequatur ; nam reus fit pœnæ, qui in præceptum commisit. In L. 2 Cod. Theodos., de Suscept. præpos. lib. XII, habetur : *Ne legem commissi incurrat*, hoc est *ne incidat in pœnam*, quam imposuit lex tale quid committentibus : atque ideo non inscite Turneb. Advers. lib. XXVIII, cap. 46, docuit, commissum piaculum dici, cum id patratum est, cujus causa piaculum dandum est.

Pag. 27. *Ideo nudus, quia voluntas ejus est turpitudo*, etc.; impudentis enim est denudare pudenda, quæ tecta voluit honestas. Lepidissime quamvis alio sensu, in altercatione Hadriani cum Epicteto, interroganti ipsi quare Venus nuda pingeretur, respondet : B

> Nuda Venus picta, nudi pinguntur Amores,
> Quibus nuda placet, nudos dimittat oportet.

Ibidem. *Quia inlicitis ardoribus semper conjunctus est gladius*, etc. vis et furor.

Ibidem. *Hic Joseph mulieri flagitat esse violentum, quem etiam, dum denudat, esse non invenit impudicum*, etc. Distorta sunt ista, nec ad rectam verborum structuram, quam exquirere sine libris haud facile mihi. Dicam quæ credam meliora. *Hic Joseph*, indeclinabile pro Josephum *muliebris agitat violentia, quem etiam, dum denudat, non invenit impudicum.*

Ibidem. *Hic Synagogam expugnavit, cum sua illi arma concedit*, etc. Puto respicere ad historiam, quæ narratur Numer. cap. XXV, tum ad eam, quæ Judic. recensetur cap. XX et XXI.

Ibidem. *Pejusque blanditur, quam furit*, etc. Dum amorem obsequentem quis habet, zelotypia et mancipatu amatæ tenetur rem familiarem, ut veneri suæ satisfiat, pessumdat ; immo se negligit et existimationem sui. At sine parili amore, qui cordis angores, qui animi cruciatus, qualis a semetipso externatio, quis furor? Zeno autem in blanditiis amoris pejus esse concludit, quia si non legitimus, offensio Dei accenditur quæ præ omnibus cavenda.

Ibidem. *In ipso fructu suo etiam ipse se odit*, etc. Fructus amoris est amor mutuus, in quo nemo se odit, et cujus neminem pœnitet ; de quo vide pulcherrimam disputationem Ficini in Convivium, orat. II, cap. 8, et orat. V, cap. 9. At post fruitionem rei amatæ pœnitudo venit. Petron. Afran.

> Fœda est in coitu, et brevis voluptas,
> Et tædet Veneris statim peractæ.

Aristenæt. lib. I, ep. 21, ἐλπιζόμενος ὁ γάμος, ἡδὺς εὔχαρις, καὶ λίαν εὐκταῖος· γέγονε, περιεφρονήθη : *Speratus coitus dulcis, gratus, optandus : ubi potitus es,* D *contemptus venit.* Itaque potius legendum, *in ipso fruitu sui*, in ipsa fruitione et voluptate. Schol. antiqua in Terentium Heautonti. actu I, scena 1, apud Vossium, *frui proprie est delectationem capere ex usu ; a fruor est fruiscor et fruniscor.*

Pag. 28. *Hominum mentes capit, et decipit, sic cupido vocari cœpit*, etc. Paronomasiam captavit in verbis *capio, et cupio.*

Ibidem. *Numerifero semper vicissitudinis delectamento*, etc. Procul dubio verbum hoc *numeriferum* mirificum est ; quid enim? an quia aliquando numerus pro corpore, aut corporis parte præcipua, ut in illo Sallustii Catil., 19. *C. Manlius ex suo numero legatos mittit*, et in Horatii epist II, 27, *Nos numerus sumus*, intelligere debeamus adducentem secum siderum, aut totam, aut præcipuam partem? Apertius fuisset, dixisse *numeroso*, qualiter in Plinio *varietas numerosa*, lib. IX, cap. 17, scilicet multiplici mutae

Digitized by Google

tione. Martianus Capella, lib. IX, dixit astriferum.

Nec cura astriferi te stimulant thalami.

Ibidem. *Tu eum breviatum paulisper*, etc. Breviatum, imminutum : breviare est minorem facere. Quintil. lib. I, cap. 9. *Versus primo solvere, mox mutatis verbis interpretari, tum paraphrasi audacius vertere, qua et breviare quædam, et exornare salvo poetæ sensu permittitur.* In novo Testament., Matth. cap. XXIV, num. 22, et Marci cap. XIII, num. 20, vulgatus interpres, breviabuntur dies illi, Græce κολοβωθήσονται : quod non tantum mutilationi convenit quam imminutioni, ut docent Grammatici.

Ibidem. *Tu populi cœlestis animum tenes*, etc. Ac si diceret, tu refers in terram paradisi consortum qualitates, in quantum ornas pacem, etc.

Pag. 29. *Tu martyres gloriosos a confessione*, etc. In hoc commatio de charitate erga Deum loquitur, quæ alias pietas dicitur : dicta prius spectant ad charitatem erga proximum. Habuit a D. Paulo ad Roman. cap. VIII, qui charitatem vocat, sicut et D. Matth. cap XXIV : *Abundabit iniquitas, et frigescet charitas multorum.* Mox redit ad charitatem erga proximum, more suo, re diversa, non diversa nomine confundens.

Ibidem. *Recte Deus diceris, quia Trinitatis*, etc. Clem. Alex. Strom. 4, sig. ἀγάπη τοίνυν καὶ ὁ Θεὸς εἴρηται, ἀγαθὸς ὤν : *Charitas ergo et Deus dicitur, cum sit bonus.*

IN TRACT. VII LIB. I, DE HUMILITATE.

Pag. 70. In ms. simpliciter est *de humilitate :* et titulum *de Psalmo* CXXX, adscitum esse ex ipso auctore cognoscimus; nam dum Psalmum CXXX interpretatur, profatur se alio instituto de humilitate egisse. *Sed qui plurimis aliis locis non nulla de humilitate tractavimus.*

Ibidem. *Otioso negotio*, etc. dum otium inani negotio trahunt, elegantissime dictum, ac si dixisset, quod vulgo toti in nil agendo occupati. Attilius, apud Plinium Cæcilium, Minutio Fundano, epist. lib. I, sentiebat, præstare otiosum esse, quam agendo nihil agere : eodem colore.

Ibidem. *Cum adscendunt verbis in cœlum*, etc.; id est cum de divinis loquuntur, et profitentur de illis se loqui posse : recole adnotata ad fol..

Pag. 71. *Nam mutato nomine, et cultu quasi prompta sit somniis, illas scholares calumnias, Dei usque ad Ecclesiam transmisere*, etc. Me sollicitum habuit hic locus, tamen putavi legendum, *permota sit somniis*, hoc est illas scholares calumnias ad Ecclesiam transmisere, quasi permota sit, aut permoveri debuerit illorum somniis; ut pro appositione sunt illustrandæ orationis causa. Suggerat, qui meliora potest. In ms. est *quasi promota somniis.* Græcismus.

Ibidem. *Scholares calumnias*, etc.; scholares frustrationes, deceptiones, errores, a verbo calvor, frustror, decipior : sic docent Carisius, atque Priscianus.

Ibidem. *Deus illis non colendus sit, sed quærendus*, etc. Eorum variis opinionibus qui se patiatur circumduci, nil fixum statuet, nec liquidum quid cognorit. De eorum varia sententia vide Plutarch. de placit. Philosoph. cap. 7, lib. I.

Ibidem. *Indicat ille, sed nobis*, etc. Servi Dei opera sua bona dum occultant, faciunt custodia propria, dum publicant faciunt utilitate aliena, ait alicubi S. Gregorius papa.

Pag. 72. *Exaltatio cordis ad paucos pertinet, oculorum elatio ad omnes*, etc. Magnanimitas enim naturalis virtus, sed non omnibus data, aut non ab omnibus exculta : oculorum potentia omnibus indifferenter communis, quos ideo in sublimi corporis parte collocavit natura, ut illorum usus promptior esset : istis aut fastum spiramus, aut amorem tamquam spicula dirigimus, aut incognoscenda intuemur, et ejusmodi, quibus se immunem Propheta profitetur.

Pag. 75. *Obumbraret neminem Prophetæ terrore* etc. obscurissima sunt mihi ista, nec lumen ab in- A genio meo possum præstare : putabam legi posse, *neminem profecto terrore*, sed quid τῷ *obumbret* supponam, non reperio, alioquin hinc alienum, et impropriam.

Ibidem. *Quorum lenocinio mundus in flore est*, etc. Lenocinantur oculi deferendo formas ad animam, ex quo gignitur affectio : ut enim in sensuum sedibus affectio gignitur, cum sentiunt, ita in anima, cum intelligit, docet Nemesius, cap. 7, περὶ τοῦ φανταστικοῦ. Quid si legas, *mundus infelix est*, alludendo ad visum pomi ab Eva, quo mortem generi accersivit? Genesis cap. III, num. 5, καὶ εἶδεν ἡ γυνή, ὅτι ἀρεστὸν τοῖς ὀφθαλμοῖς.

Pag. 74. *Non membratim Deum, sed totus exorat*, etc.; non motu membrorum, sed humili sui conscientia : non manus tendens, non oculos extollens, non lingua intonans, ut Pharisæum fecisse ait auctor, licenter quidem, et genio suo donans, quæ a sacro textu non hauserat.

B IN TRACT. XIII LIB. I, DE CIRCUMCISIONE.

Pag. 99. *Hanc cœlestis Sacramenti virtutem*, etc. Sacramentum heic mysterium est. Nemesianus et cæteri Cypriano inter ejus epistolas num. 78 : *Dum enim non desinis tractatibus tuis sacramenta occulta nudare, sic nos*, etc.

Ibidem. *Circumcisio est in damnum rotundi vulneris ferro circulata cicatrix*, etc., id est, abscisio circumcirca pudendum ferro facta. Peculiaris nostro auctori dicendi forma. Damnum ipsa abscissio est. Varro, lib. IV de Ling. Lat. : *Damnum a demptione est, cum minus refactum, quam quanti constet.* Paull. Juriscons. in lib. III de Damn. infec., *Damnum et damnatio ab ademptione et quasi diminutione patrimonii.* Quod autem de patrimonio, aut mercimonio sensere illi, ad quodcumque negotium traxit Noster, non insolita translatione. Juvenal. Satyr. XII, 34 :

Imitatus Castora, qui se
Eunucum ipse facit, cupiens evadere damno
Testiculorum.

C In Cod. Theodosiano, lib. VII, titul. XIII, Constit. 5, aiunt imperatores : *Si quis ad fugienda sacramenta militiæ fuerit inventus, truncatione digitorum damnum corporis expedisse* (qui ob id dicti *poltroni* Italico nomine, quasi pollice trunci). Ipsam autem Circumcisionem dixit *rotundum vulnus*, quam Græci περιτομήν, quæ glandem ambit et excludit. Circulata cicatrix, et rotundum vulnus videri possint ταυτολόγως dicta. Verum id dixisse expedivit, ne medicina vulnus resarctum putaremus, et eas partes redintegratas, quæ mutilatione ipsa gentis characterem exhibebant, quo ab alienigenis distinguerentur. Debuit ergo remanere rotunda cicatrix, quale fuerat vulnus.

Ibidem. *Major est ejus, qui in honorem Deæ suæ anus turpis atque amatricis*, etc. Tangit historiam Actis et Cibellæ, de qua Pausanias Achaic., et Arnob. lib. V.

Pag. 100. *Adversus sabbatum pugnat, quod violandum ullo opere in toto non esse præconat*, etc. *Præco-* D *nat* verbum factitium, sicut in Seneca epist. IV, *apologavit*, in Plinio Jun. lib. II, Epist. III, *prœmiatur :* valet *edicit, intonat, interminatur, notum facit.* Plaut. Asinar. Prologo :

Face jam tu, præco, nunc omnem auritum populum.

Usus enim præconis fuit, ut ea quæ dicebantur, magis exaudirentur. Clemens Alexand., Strom. lib. I, 277, Theognis 883 :

Μηδὲ λίην κήρυκος ἀν' οὖς ἔχε μακρὰ βοῶντος.

Neque nimis præconi aurem præbe longe lateque vociferanti.

Ideo per præconem etiam magistratuum edicta enuntiabantur : hinc Oraculum :

Εὐδαίμον πτολίεθρον, ἑνὸς κήρυκος ἀκούειν.

Felix urbs, vocem præconis quæ unius audit.

Citatur Plutarcho in septem Sapient. Conviv. Sabbato autem feriari ab omni opere Hebræis severissima sub pœna mortis præceptum, Exod. XXXI, 14.

Digitized by Google

Ibidem. *Circumcisionis jura vacuavit*, etc., labefactavit. Cyprian. Testim. I adversus Judæos cap. 16 : *Quid sacrificium vetus evacuaretur, et novum celebraretur.* Sic et epistola LXXVI, *inanes et vacuos* conjunxit.

Pag. 102. *Adde quod Circumcisio ista non tam salutem pollicetur, quam locum caputque criminis monstrat*, etc. Quasi dicat, illecebra mulieris natum fuisse peccatum in Adamo, quod coercendum in Abrahamo, et ejus sobole mutilatione membri, per quod hominis in fœminas desiderium completur. Philo Judæus, de Circumcisione. Ἐπειδὴ γὰρ τὰ νικητήρια φέρεται τῶν ἐν ἡδοναῖς φίλτρων ἡ ἀνδρὸς πρὸς γυναῖκα συνουσία, τὸ ὑπηρετοῦν ταῖς τοιαύταις, ὁμιλίης ὄργανον ἀκρωτηριάζειν ἔδοξε : *Quoniam enim inter omnes voluptatum illecebras primatum tenet viri congressus cum muliere, instrumentum ejus mutilari placuit* Cætera porro, quæ in Philone, exsequitur postmodum et Noster.

Ibidem. *Adam enim cum hoc membro illicitum pomum decerpit.* Ms., *Adam enim cum illicitum pomum hoc membro decerpit.*

Ibidem *Quia specialiter curam mortis mihi a Deo præstitam recognosco*, etc. Cura heic remedium est et medicina. Cicer. Tuscul. III, non longe a principio. *Corpora curari possunt, animorum nulla medicina*, quæ proprie *curatio* debuit dici. Neque aliter Cornelio Celso; sed Noster sic loqui amat, ut et aliis placuit. Vide Claudium Salmasium ad Julium Capitol. 245. *Mortis*, id est peccati, atque damnationis. Cyprianus de Opere, et eleemos., *Eleemosyna a morte liberat.* Philo Judæus, lib. I Allegor., versus finem, duplicem ait mortem, unam, qua separatur anima a corpore, alteram, quam animæ mortem vocat, nimirum quum ἀρετῆς φθορὰ fit, κακίας δὲ ἀνάληψις, *corruptio virtutis, et introductio vitii.*

Pag. 103. *Peritarum se, nisi veritatem requirat*, etc. Quid isthic loci habeat *veritatem* non video. Remedium a manuscriptis peterem, si sperare possem. Conjectura enim juvare non possum locum meo judicio corruptum.

Ibidem. *Quia hujus circumscriptio characteris potestati subjacet cordis*, etc. Cor, ut circumcisum probetur, peccata arcere debet, et improbas mentis affectiones defugere. Itaque carnalis circumcisio præputii nihili fuerit, nisi interna, et spiritalis accesserit : quod infra, ex Jeremia cap. IV, planius edocturus est

Pag. 104. *Per hanc injuriosam corporis stipem*, etc. Præputium, tributo veluti oblatum. Vide L. ager. de Verb. signif., etc.

Pag. 105. *Ut aut Moyses fallax sit, si circumcisio circumciditur rursum, ut hoc idem faciat*, etc. Enthymematis vis est. Aut Moyses, Deuteron. cap. XXX, num. 6, perperam denuntiavit circumcisionem faciendam corde, non verpa : aut Josue peccavit, qui circumcisionem verpa, non corde exsecutus est. Jos. cap. V. Nam, inquit, aut secundo circumcisos circumcidit, et membri partem potuit demere priori circumcisione omissam, quod repugnat : vel ex mente Moysis corda circumcidit, ut fieret homicida ; nam ferire cor scalpro, seu ferreo, seu petrino, seu cujuscumque materiei, vel levi stylo, est præsentaneam mortem infligere, ut neutro modo corpoream circumcisionem locum habere posse arguat. Accommodat hoc porro in suum sensum ingeniosissime eloquentissimus Pater, comparando spiritalis, et corporalis circumcisionis effectus, non quod Josue circumcisos circumciderit, sed cum quadraginta annos in deserto Hebræi fuerint, et plurimi seu neglectu, seu impietate hunc ritum omiserint, reducendus fuit, ut præceptum adimpleretur in omnes incircumcisos, non in alias circumcisos. Placuit autem quædam fingere, ut suavissimo gradu a Jesu Nave in Jesum Christum transiret, atque hunc ostenderet perfectorem veræ circumcisionis, quæ sub signo ab altero demonstrata fuit.

Ibidem. *Concentibus linguis*, etc. Venit in mentem A scribi posse *cientibus* aut *concientibus*, etc. Virg. Æneid. VI, v. 165 :

Ære ciere viros.

Pag. 106. *Ac ne non ex integro principium suo statui redditum videretur, prior vir consummatur in cruce*, etc. Vult, ne non perfecte vitæ restitutum credatur genus humanum, qua per Adamum exciderat : illius per lignum reatum Christus expiavit, atque propitiationem se exhibens Deo, in ligno vitam reliquit. *Non ex integro* : non perfecte, non plene. *Principium suo statui redditum*, hoc est vitæ.

Ibidem. *Spiritalis fœminæ*, etc. Quid si legamus *spiritalis Ecclesiæ.*

Pag. 107. *Hoc Spiritus sancti non signaculo, sed signo censemur*, etc. Eadem locutione Minutius Felix 35 : *Sic nos denique non notaculo corporis, sed innocentiæ ac modestiæ signo facile dignoscimur.* Signaculum et notaculum idem. Uterque intelligit circumcisionem. Tertull., in Apologet. cap. 21 : *Neque de ipso signaculo corporis, neque de consortio nominis cum Judæis agimus ; σφραγὶς signaculum, σημεῖον signum.* Tamen D. Paulus σφραγῖδα ἀντὶ τοῦ σημείου usurpavit, in priori ad Corinth. c. IX, n. 2 : ἡ γὰρ σφραγὶς τῆς ἐμῆς ἀποστολῆς ὑμεῖς ἐστε ἐν Κυρίῳ : *Nam signaculum apostolatus mei vos estis in Domino.* Vos nempe demonstratis, et testimonium exhibetis, quod vos qua Apostolus Christo lucri fecerim. Rursus in II ad Timotheum cap. II, num. 19, Signaculum Christiani vocatur spes resurrectionis ; quæ Nostro et Minutio signum est, non signaculum, *id est observatio voluntatis Dei*, nempe signaculum volunt in corpore residere, signum in mente, atque animo.

B

IN TRACT. XIV LIB. I, DE SPIRITALI ÆDIFICATIONE DOMUS DEI.

Pag. 109. In ms. inscribitur *de ædificatione Domus Dei a Salomone.* Antiquitus Christianos notum est, non tantum templa non professos, sed eorum nomen a suo instituto alienum putasse. Arnobius, lib. VI adversus Gentes, 191, dum templorum usum traducit, ostendit a Christianis improbata, ne viderentur participare de Judæorum superstitione, aut de Gentilium impietate, qui cultum suum in Deum destinatis parietum angulis reserarant. Conveniebant quidem Christiani in domos quasdam, aliquando cryptas, ubi persequentium tyrannorum periculo laterent : verum increscente eorum numero, atque Deo rem promovente, necesse fuit domorum numerum ampliare, ut capere possent advenientium multitudinem, et pro disciplina Deo facere, et quidem in eadem ipsa, ubi contigerat, civitate, quod testatur Eusebius, Ecclesiast. histor. VIII, cap. 1 et 2, qui loca ista οἴκους, dicit, non νεούς, non τὰ ἱερά, ut perstaret in consueta Ecclesiarum appellatione, quæ aliis etiam dictæ *Domus Dei* ; quia in obsequium Dei et sanctionem disciplinæ erant destinatæ ; nam huc eo convenichant, et congregabantur fideles, ut testis est Plinius Cæcil., epist. de Christianis, lib. X, ad Trajanum, ut carmen Christo quasi Deo secum invicem dicerent, seque Sacramento non in scelus aliquod obstringerent, at ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum abnegarent, etc. Inde nomen venit Ecclesiæ a Græco verbo, quod συναγωγὴν ὄχλου denotat. Clemens Alexandrin. lib. VII : Οὐ γὰρ νῦν τὸν τόπον ἀλλὰ τὸ ἄθροισμα τῶν ἐκλεκτῶν ἐκκλησίαν καλῶ : *Non enim nunc locum, sed electorum congregationem appello ecclesium :* neque aliter templum habebatur, nisi qui juxta mandata Dei vitam duceret. Aratus Diaconus lib. II de Demetrio Statuario :

C

D

Nos quia templa sumus, si crimina nostra recedant.

Pariliter cum Zenone nostro in hoc tractatu, et in sermone de psalmo CXXXVI, seu hujus, seu alius fuerit.

Ibidem. *Triumphali quodam modo uti sermone*, etc.

Digitized by Google

Sicut triumphalis apparatus, triumphalia ornamenta, paria eminenti triumphi titulo debent esse; ita oratio triumphalis, quæ gloriæ triumphantis digna sit, pompatica nempe, elevata, gemmea, verbisque phaleratis concepta; nam plurimum refert, ait Quintilianus, quæ sit natura rei quam exponimus.

Ibidem. *Novique operis arcem sacram laudibus geminare*, etc. Perspicuum est, loqui de loco, in quo coadunaretur ecclesia, qui forsan nuper electus, et in hunc usum accommodatus; quod evincitur ex his, quæ infra dicit: *ædificationemque vestram ædem ista de novella cognoscite, cujus quoque capacitatem felici numero fecistis angustam.* Pro incremento enim fidelium si una domus non sufficeret, alias sublegebant, sic ut essent unius corporis diversa membra, et invicem coadunata. Eusebius jam citato loco: Ὧν δὴ ἕνεκα μηδαμῶς ἔτι τοῖς παλαιοῖς οἰκοδομήμασιν ἀρκούμενοι, εὐρείας εἰς πλάτος ἀνὰ πάσας τὰς πόλεις ἐκ θεμελίων ἀνίστων ἐκκλησίας: *quo factum est*, aucto numero Christum profitentium, *ut priscis ædificiis jam non contenti, in singulis urbibus spaciosas ab ipsis fundamentis exstruerent ecclesias.* Vide Vales. adnot. ad cap. 11, lib. VII, ejusdem Historiæ.

Ibidem. *Structores magis possunt placere, quam sacerdotes*, etc. De templo Ephesino, de Capitolio, in quibus religio Deo vero improbata profitebatur, cum alias ædificiorum magnificentia, structuræ elegantia, dispositio operis de summa peritia ad miraculum artifices commendaret.

Pag. 110. *Quod possit quavis ruina in se mergentibus idololatriæ ædibus*, etc. Monstrum lectionis: levigabis si scripseris addita particula negativa *non: quod non possit.* Vult, quid ergo? Non invenietur, aut difficile erit inventu, vel tantillum loci, ubi fiat Deo, cui ruinæ casus non immineat? Idolorum templa corruunt, aut ruere possunt: ipsum Salomonis templum tam solido et perfecto artis profectu jam Deo probatum, non amplius est. Deus profatus est cœlum sibi thronum esse, terram suppedaneum suum, Isai. LXVI. Quid ergo? Dabo, inquit, templum firmius, stabilius, et gratius Deo, fidelem populum, cui ruina non nisi volenti immineat, adstruente Apostolo, I ad Corinth., cap. III, num. 16, ad cujus mentem Theodorit, in Isaiam cap. LXVI, num. 2, domum Dei veram, et templum sanctum interpretatur Τὸν κατὰ τὰς Θεοῦ ἐντολὰς πολιτευόμενον, τὸν δεδιότα, καὶ τρέμοντα τὴν τοῦ Θεοῦ προσταγμάτων παράβασιν τὸν πρᾷον τρόπῳ, καὶ ταπεινῷ φρονήματι χρωμένον, *Qui juxta mandata Dei vitam ducit, qui præceptorum divinorum transgressionem metuit, et reformidat, qui mitis est moribus, et humili sensu.*

Ibidem. *Quod si ita inter memorata*, etc. Aliud argumentum contra materialia templa. Si sumptus religioni pondus adderent, Christianorum ecclesiæ materiales, in quibus religio cæteris præstantior profitebatur, cultu essent inferiores, et Salomonis templo, et Ephesio, et Romano.

Pag. 111. *Ædificationem vestram ædem ista de novella cognoscite*, etc. Scilicet spiritalem ex materiali, quam novellam ait.

Ibidem. *Itaque ne quis operationem a me forte disquirat*, etc., hujus spiritalis nempe ædificationis.

Ibidem. *Speciosus unus et lapis*, etc. Christus. Petr. Apost. epist I, cap. II, n. 4: *Ad quem accedentes lapidem vivum ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum, et honorificatum, et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini.*

Pag. 112. *Illi septem solæ sufficiunt*, etc. Virtutes nempe, quæ totidem sunt.

Ibidem. *Non æneum inhæret mare*, etc. Erat in templo Salomonis, Reg. III, cap. VII, n. 23. At in Ecclesia est fons baptismi.

Ibidem. *Inæstimabilia unis plenitudinis tria illi sunt membra*, etc. Sancta Trinitas, Deus unus, et solus, cujus personas vocavit membra, nescio an proprie Augustinus pressius, et verius lib. VI de Trinitate: *In summa Trinitate tantum est una, quantum tres simul sunt, et ne plus aliquid sunt duæ, quam una res, et in se infinita sunt: ita et singula sunt in singulis, et etiam omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia.*

Ibidem. Desunt reliqua; hic enim est postremus tractatus, in quem Sparaverius Veronensis editionis ordinem secutus, adnotationes dum lucubraret, morte intercaptus fuit.

IN TRACT. XV LIB. I. DE TRIPLICI GENERE SACRIFICIORUM.

Pag. 117. *Nisi si quis ante personam noscat, et rationem*, etc. Ratio est animus medullaque negotii, uti interpretatur Cassiodorus in sua Rhetorica; intellige porro *personam et rationem* disjunctive. Quintilian. lib. V, cap. 8: *Nulla quæstio est, quæ non sit aut in re, aut in persona:* scilicet ut ubi personæ notio sit necessaria, ea sit cognoscenda; ubi res seu ratio, in eam inquirendum; ubi de utroque, cumulanda sit disquisitio. Aristotel. Rhetoric. lib. II, cap. 18: Τά τε γὰρ ἀμφισβητούμενα ζητεῖται πῶς ἔχει, καὶ περὶ ὧν βουλεύονται: *Quæ enim in controversia versantur, disquiruntur, quomodo sint; et consultantur, de quibus sint.* Porro in hoc sermone cumulat disquisitionem de persona divina, et de ratione sacrificiorum, ut et Christum Deum esse concludat, et sacrificium christianum Deo solum acceptum persuadeat.

Pag. 117. *Es Judæo deterior Christianus*, etc. Quales Ebion, Carpocrates, Prodicus, et eorum sectatores, de quibus videsis Theodoritum, lib. I, cap. 5 et 6, et lib. II, cap. 1, αἱρετικῆς κακομυθ.

Pag. 118. *Quantis catenis vincta tenebrarum mens laboret incredulorum*, etc. Qui Scripturarum vi oppugnati, neque cedunt veritati, neque contrarium adsumptum possunt defendere.

Ibidem. *Detrimento matris limæ moderato dente figurata*, etc. Distinguo, *auri argentique detrimento, matris limæ moderato dente figurata.* Auri argentique detrimento dicit, quæ in usum meliorem cum potuissent converti, in inania simulacra, et impietatis fundamenta conversa fuissent. Limam porro dici matrem horum deorum, quibus partum accommodarat, potiorem quam magnam matrem Atydem. Arnobius, lib. VI, 200, dixit: *Descobinata de limis*; moderatus enim limæ dens, ut ait Noster, non aliud quam scobem rodendo demere potest.

Ibidem. *Nunc Judæorum quoque sacrificia a Deo repudiata.* Elegantior est ms. lectio: *Deo repudiata.*

Pag. 119. *Quod non ex sacculo, sed ex corde profertur*, etc. Quales hostiæ vivæ ex sacculo? Farinam posses, aut panes dicere, quorum usum in sacrificio fuisse constat. Saccus autem, aut sacculus proprie ad panes, farinam, et fruges recipiendas. Vide Aristophanem Lysistr. 909, et inibi Schol. Bisseti.

Ibidem. *Bramosis pecudibus*, etc. Lege *bromosis* a verbo Græco βρωμέω, quasi fœtidis, et graveolentibus, quod verbum in Isidori glossario pro *immundis* etiam invenias. Differt inter βρωμέω, et βρομέω, de quo, infra.

Pag. 120. *In prædiis autem vestris fumantia undique sola fana non nostris*, etc. Erant templa, et altaria passim, et in agris, et in prædiis agricolarum superstitione locata, quasi numinibus proximis cessura ipsis essent cuncta prospera. In Canonum Cod. Eccl. Africanæ cap 58. Idolorum templa superesse dolent Patres: Ἐν πολλοῖς τόποις παραθαλασσίοις, καὶ διαφόροις κτήσεσι, καὶ ἐν τοῖς ἀγροῖς, καὶ ἀποκρυμμένοις τόποις, *in multis locis maritimis, in diversis possessionibus, in agris, et in locis abditis et reconditis*, quæ decernunt supplici libello ab Imperatore elicere, ut destruantur, et hoc idem testatum reliquit L. XVI Codic. Theodos., de Pagan. sacrif.: *Si quæ in agris templa sunt sine turba et tumultu diruantur.* Quod autem dicat *in prædiis autem vestris fumantia undique fana*, indicat passim homines pro

Digitized by Google

libitu thus accendisse sive in suo, sive in alieno, cujus apertissimum argumentum in lib. XII Cod. Theodos. de Paganis, etc. Sive L. 16, tit. X, in qua et vapore fumasse legitur, quod est synonymum illorum *fumantia undique fana*. Horatius lib. III, od. 18 :

Vetus ara multo
Fumat odore.

Arnob. lib. VII : *Quid interest, unde fumus altaribus conficiatur in sanctis, vel ex visci, quo genere nubes suffitionis exæstuent*. Dolet ergo Zeno, qui Christo nomen dederant, permittere ut in suis prædiis non solum templa perstarent, sed in illis impia sacra peragerentur, cum demolitione eorum impedire possent damnatam superstitionem; immo de eorum possessione, et dominio gloriari, quum jus templorum, ut tueantur ab occupantibus, coram judice vindicent.

Pag. 121. *Sed et illi qui per sepulcra discurrunt, qui fœterosis prandiis cadeveribus sacrificant*, etc. Mos fuit antiquis, certo die quotannis plerumque anniversario, quæ νεκύσια, ἢ περιδεῖπνα dixere, ad monumenta cœnas celebrare. Docent inscriptiones apud Gruterum, fol. 237, num. 5, e marmore Ravennati : *Sub hac conditione, ut quotannis rosas ad monumentum ejus deferant, et ibi epulantur*, et altera apud Sponium 292, e marmore Neapolitano, in quo fit mentio *juris monumenti cum cœnaculo*. Videtur idem factitatum a christianis contagione Ethnicarum superstitionum, quas et in aliis plurimis ritibus retinuerant, cum vigentem vulgarem consuetudinem non fuerit tam promptum uno ictu resecare. Minus in culpa, dum Christi martyres, et pro in eum constanti fide mortem passos, ὡς θείους, καὶ θεοφιλεῖς ἀνδρὰς : non ut homines mortuos venerarentur. Sed non destitisse etiam in affinium memoriam, nescio quas agapas, et convivia in cœmeteriis indicere, hinc liquet, quod hanc superstitionem exstirpare tentet adhuc Zeno, et quod Cyprianus, epist. LXVIII in Martiali quodam, qui se profitebatur Christianum, reprehendat, Gentilium turpia, et lutulenta convivia, et collegia diu frequentasse, filios in eodem collegio apud profana sepulcra deposuisse, ibique consepelivisse. Quis dubitat sic sepultis sub tractas Ethnicorum cæremonias? Impium quippe visum fidelibus mortuis infidelium more deputata convivia, a quibus et vivi cavere debuissent veri Christiani. Obiter adverto, Prudentium hymno in exsequiis defunctorum, diu post Zenonis tempora, adserere a Christianis monumenta corollis, floribus et liquaminibus sparsa, quod negat Theodoritus lib. VIII Θεράπευτ. 599, qui circa ejus ætatem fuit. An ille ut poeta locutus? An severior apud Orientales disciplina? Quod ad verbum *fœterosis*, quod putidum videtur nimis, in sermone de Jona infra legitur : *Non aris fœtentibus funestos excitant ignes*, et in tertia invitatione ad fontem (nunc tract. 30) *fœtidas cunas* dixit, quod et heic reposuerim, quamvis illud prius verbum rursus legatur in vulgatis invitatione quarta ad fontem (nunc tr. 31). Tertullianus Apologetico, cap. 14, Tabidosa animalia dixit, pari inquinamento.

Ibidem. *Subito sibi martyres pepererunt*, etc., solitos per agros, et per vias tamquam memoriæ martyrum altaria construere, in quibus tamen nullum eorum corpus, ac ne quidem ullæ partes reperirentur, notum est e Canon. 83 Ecclesiæ Africanæ, qui somnia et mentitas revelationes vocat eorum, qui hæc passim instituebant tamquam pia, et honori martyrum conformia : idcirco Zeno damnat, cui amore luxuriandi atque bibendi in infamibus locis lagenis, et calicibus subito sibi martyres pepererunt, cum Christianum nomen professi, ritus ethnicos retinerent, quorum erat proprium in hujusmodi solemnitatibus poculis se proluere, cantionibus etiam ridiculis, et obscœnis oblectari, ut notum ex oratione Libanii ab Allatio edita. Veri Christiani luxum, et hanc edendi intemperantiam repudiabant, sacrificia pro martyribus offerebant, ut Cyprianus epist. XXXIV suo sæculo factum testatur; qualia autem ista sacrificia delineat nobis Theodoritus, in fine lib. VIII Θεραπευτικῆς : hoc latino sensu, martyrum solemnitates peraguntur, et pro illa veteri pompa, turpique rerum, et verborum obscœnitate, modestiæ celebrantur festivitates, non ebrietatem, et jocos, risusque exhibentes, sed divina Cantica sacrorumque sermonum auditionem, et preces laudabilibus lacrymis ornatas.

Pag. 122. *Qui Ægyptia corde candidis faciunt*, etc. Locus contaminatus : legerem, *qui Ægyptiaco die candidis faciunt*. Ægyptiacus dies frequens occurrit in Kalendario Romano veteri Heruvart; infaustum fuisse alii notarunt, ad cujus omen averruncandum candidis fecisse hinc suadeor. Horatius Epodo :

Quique vos bubus veneratur albis.

Arnob. lib. II, 91 : *In Albano antiquitus monte nullos alios licebat, quam nivei tauros immolare candoris*. Illud porro *facere* est sacrificiorum proprium. Cato, de Re rust., cap. 139, *Uti tibi jus si et porco piaculo facere*. Columell. lib. II, cap. 22, *Nisi prius catulo feceris*. Sic Græci. Theocrit., Idill. 28, versus finem ῥεῖξω πόρτιν ἔρωτι : faciam vitula amoris. In Antisiodorensi concilio, Canon 1, prohibetur, ne calendis januariis bucula, aut ceruolo fiat, ut legit Fronto Ducæus, quem ad illud concilium vide. Bucula aut ceruolo facere, est bucula seu ceruolo sacrificare.

Pag. 123. *Salutemque pecudum, violenter scissis*, etc, Lege ex mss. : *Salutemque suam pecudum violenter scissis in ventribus quærunt*.

Ibidem. *Ut obumbrent furta turpissimæ utilitatis*, lego *turpissimæ voluptatis*. Innuit maritos insanientes in servas, aut libertas, quibus ut facilior sit congressus, aut quarum minus verecundus venereus prætextus, rem œconomicam committunt, quo frequenti negotiorum necessaria participatione obumbrent voluptuosi negotii secretum.

Ibidem. *Qui publicanas mulieres*, etc. publicas, vulgares. Papias : *publicus, publicanus, sicut rusticus, rusticanus*. Publicanas vocat, quasi quæ turpe vectigal populi conductum haberent. Vide Caium l. C. in L. 13. De Publican. Porro quid hic sibi velit τὸ *vi* non perspicio, nam adversus istas non oportebat alia vi uti quam argentea vel aurea.

Pag. 124. *Itaque dulcissimi flores mei*, etc. Non dubito, quin nemo non videat, legendum fratres mei. Error forsan natus ex abbreviata in manuscripto scriptura.

IN TRACT. I LIB. II. DE GENESI.

Pag. 141. *In exordio carminis sacri*, etc. Carmen sacrum Ovid. Remed. Amor. 252, opponitur infami seu magico, sicut in Cod. Theodos. L. XVI, tit. X. cap. 7, castis precibus, dira carmina. Amplissimus fuit hujus vocis usus; nam non tantum versibus poeticis attribuerunt hoc nomen, sed etiam illis, quæ conceptione verborum pronuntiarentur, ut in precationibus, et dedicationibus. Testimonium in Livio lib. XXXIX, cap. 15, in Plinii Cæcilii Panegyrico c. 63, Seneca Consolat. ad Marcian., cap. 13 : *Pulvillo postem tenenti, et Capitolium dedicanti, mors filii nuntiata est, quam ille exaudisse dissimulans, et solennia Pontificalis carminis verba concepit, gemitu non interrumpente precationem*. Item et in imprecationibus. Livius, lib. X, cap. 28. *Jurare cogebatur diro quodam carmine in exsecrationem capitis, familiæque, et stirpis composito*. Et vates dictos eventus cecinisse, notum est ex eodem lib. I, cap. 55. In his autem omnibus usurpatum carminis nomen, quia, ut argumentor ex Festo in verbo *occentassit*, clare et cum quodam canore pronuntiarentur effata, ut procul exaudiri possent. Hinc apud Plinium, lib. XXVIII, cap. 2, *incantamenta carminum*, et ex duodecim tabulis, *qui fruges excantassit*, et qui *malum carmen incantassit* ob hanc rationem, ut puto. Sed ex his, quid carmen pertineat ad Libros sacros, videre non possum. Non sum nescius, carmen etiam dici de oratione soluta, neque solemni-

Digitized by Google

ter concepta. Cicero, *de Legibus* lib. II, 202: *Discebamus enim pueri duodecim, ut carmen necessarium.* Livius, lib. I, cap. 25: *Fœdus multis verbis, quæ longo effata carmine, non operæ est referre.* Plin. Panegyric., cap. 3: *Gratioremque existimari, qui delubris Deorum puram castamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit.* Zeno, cujus diffusum ingenium et eloquium, blanditus forsan sibi, de eo nomine captavit novitatem et raritatem ex allusione; ideo eo usus est etiam serm. V de Isaia et alibi.

Pag. 142. *Non, inquit, fac ad tuam, sed ait: faciamus ad nostram*, etc. Consimilia istis habet Tertullianus adversus Praxeam c. 12, a quo videtur sumpsisse Noster.

Ibidem. *Unus homo ad duorum imaginem et similitudinem fingitur, nec tamen in eo quid, cujus sit, invenitur*, etc. Hac pericope infert, duos esse qui jubent, duos qui operantur: opus ad similitudinem ductum efficientium, nec ad alterutrius similitudinem, quem dicere posse factum, ergo illi duo iidem.

Ibidem. *Cui detraxeris, nescio.* Rectius ms. *Cui detraxeris, nescis.*

Pag. 143. *At ille, cui jubetur, est, inquis inferior*, etc. Quæcumque Pater facit per Filium, non per instrumentum servile facit, sed per virtutem naturalem et substantiam, ait Damascenus, lib. II *de Fid. Orthod.* cap. 4. Tertullianus, in proxime citato loco adversus Praxeam: *Cum quibus enim faciebat hominem, et quibus faciebat similem? Cum filio quidem, qui erat induturus hominem; spiritu vero, qui erat sanctificaturus hominem, quasi cum ministris et arbitris ex unitate Trinitatis loquebatur.*

Ibidem. *Paterni cordis est excultor*, etc. Origenes in Joannem tom. I, 42, interpretatur cor Dei esse, τὴν νοητικὴν αὐτοῦ, καὶ προθετικὴν περὶ τῶν ὅλων δύναμιν. Τῶν δὲ λόγον τῶν ἐν ἐκείνῃ τὸ ἀπαγγελτικὸν: *ejus vim intelligentia præstantem, atque universa juxta eorum naturam componentem;* λόγον *vero illud esse, quod quæ in illo sunt (corde) renuntiet;* inferens nullum aptiorem excogitari posse, qui Patris consilia renuntiet, quam Servator. Convenientissime Zenonis intentioni. Sed in ms. legitur *exsecutor* non *excultor.*

IN TRACT. II LIB. II, DE GENESI.

Pag. 144. *Nisi quis hostem a quo impugnatur expugnet, numquam bonis suis poterit esse securus*, etc. Hinc illud: ex bello pax. Veget. pro lib. III: *Qui desiderat pacem, præparet bellum; nemo audet offendere, quem intelligit superiorem esse, si pugnet.* Aurel. Augustin. de verb. Domin. *Non quæritur pax ut bellum exerceatur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur.*

Ibidem. *Chaos in principio fuisse, id est informem indigestamque latentis naturæ congeriem*, etc. Quid sit Chaos alibi a me dictum: heic pro sensu vulgari loquitur; aliter ipse et proprietate sermonis melius in sermone de Resurrectione: *Similiter in Inferno dives ille tenacissimus, quem Chaos immensum a pauperis felicitate discrevit;* hoc abyssum dixit Philo περὶ κοσμοποι, et τάρταρον. Lucian. de Astrolog.

Pag. 145. *Igitur si, ut volunt, Deus materiam, qua usus est, non fecit, sed æterna sit, ut ipse est, duo sunt ergo principia, et quidem repugnantia*, etc. Concludit inter duo principia alterum debuisse esse antiquius, a quo alterum pendere non debeat: *Quid enim principale*, ait Tertullian. adversus Hermog. cap. 4, *nisi quod super omnia? nisi quod ante omnia? et ex quo omnia?* Aristotelis natural. Auscult. lib. I, cap. 6, n. 2: δεῖ τὰς ἀρχὰς μήτε ἐξ ἀλλήλων εἶναι, μήτε ἐξ ἄλλων, καὶ ἐκ τούτων πάντα: consonantissime, *oportet principia, neque ex se invicem esse, neque ex aliis, sed ex ipsis cuncta*, quibus consimilia habet Metaphys. lib. V, cap. 1.

Ibidem. In ms. deest *ergo*, et scribitur *duo sunt principia.*

Ibidem. *Unde non est principium*, etc. Hoc est, tantum abest, ut sit fortius, ut neque possit credi principium. Sic Martial. epig. XV, lib. I:

Unde potest avidus captæ leo parcere prædæ?

id est, *quomodo potest?*

Ibidem. *Unde non est principium, quod senescit*, etc. Principium enim ingenitum et incorruptibile neque capax mutationis est a minori *ad majus*, neque a majori in deterius; senescere namque mutationum deterrima, corruptioni proxima, *et*, ut Solonem dixisse referunt:

Τοῦ ζῆν χειμών.

Prudentius in exsequ. defunctor.

Quia cuncta creata necesse est
Labefacta senescere tandem
Compactaque dissociari.

Pag. 146. *Hic est Deus noster, qui se digessit in Deum*, etc. Obscurissima loquendi forma obscurissimam rem adumbravit; Christi enim generationis modum Deus solus noscit, nemo alius intelligit. Infra, tract. 3, lib. II: *Procedit in nativitatem, qui erat, antequam nasceretur, in Patre æqualis in omnibus, quia Pater in ipsum alium se genuit ex se, ex innascibili scilicet sua illa substantia.* Item tract. 5 ejusdem libri: *Quomodo autem generatus sit, qui processit, dementis est opinari.* Item tract. 1, lib. II: *Quid? quod inde non esse approbatur inferior: quia unde processit paterni cordis est excultor.* Placuit autem generationem æternam Jesu Christi processionem appellare: sic Cyrillus Alexand. in sanct. Symbol. VI, 42: Πρόοδον ἀπόῤῥητον, καὶ ἄφραστον ineffabilem atque indicibilem processionem Verbi generationem appellavit.

Pag. 147. *Et tamen utrumque commeando.* Rectius in ms. *et utroque in utrumque commeando.*

IN TRACT. III LIB. II, DE GENESI.

Pag. 148. *Incunctanter est Christus*, etc. Sine hæsitatione, sine dubitatione; nam ex hæsitatione et dubitatione fit mora, id est cunctatio. Cicero in Catilinam oratione II, fol. 124: *Cum hæsitaret, cum cunctaretur, quæsivi quid dubitaret.* Alia lectio *incontanter*, sed prior vera, quam et ms. retinet.

Ibidem. *Arcano insuspicabili*, etc. Nec suspicione sola investigando. Papias. *Suspiciones indicia quædam, et vestigia.* Rursus: *Suspicio est velut de quibusdam conjecturis.* Insuspicabile quod nec conjiciendo attingi possit, id est neque demonstrationibus neque conjecturis.

Ibidem. *Filii non sine affectu, sed sine revelamine amplectebatur*, etc. Diligi enim Filium a Patre pluribus locis Evangelicis enuntiatum est, Joannis cap. III, n. 35. Item cap. V, n. 20: *Pater enim diligit Filium et omnia demonstravit illi.* Alibi: *Hic est Filius meus dilectus.* Sed quod non a principio; sed convenienti tempore, hoc est ubi *advenit plenitudo temporis*, ut ait D. Paulus ad Galatas cap. IV, n. 4, miserit Filium suum, seu, ut Noster infra, serm. IV, *visibilem* se præbuerit, *cum humanum genus visitaturus esset*, ideo dixit sine revelamine, id est mundo ignotum, non revelatum.

Pag. 149. *Procedit in nativitatem*, etc. Dixi in adnot. ad pag. 139.

Pag. 150. *Ex innascibili sua illa substantia*, etc. Thales interrogatus, quid omnium esset antiquissimum, respondisse fertur Deum ἀγέννητον γάρ. Caret enim generatione, principio, et fine, cum sit infinitus; nec Deus dicitur natus, sed carnem sumpsisse, et qua homo a Deo assumptus natus ex Maria Virgine, quæ dicta θεοτόκος in concilio Ephesino, nam quod Verbi natura, ipsiusque Divinitas principium sumserit ex sancta Virgine, sed quod sacrum illud corpus anima intelligente perfectum ex ea traxerit cui et Dei Verbum secundum hypostasim unitum, secundum carnem natum dicitur, ut Nestorio scripsit Cyrillus, cujus sententiæ subscripsit Synodus action. 1.

Ibidem. *In qua beatus manens in sempiternum on-*

Digitized by Google

nibus, quæ habet, habentem filium paria procreavit, etc. Heic quoque neque vola, neque vestigium recti sensus apparet. Ne nihil dicam, conjicio sic legi posse: *Omnibus, qui habent Filium paria procuravit:* ut priora reponerem præivere mihi verba sermonis quinti proximi in fine: *Sane quærant illum, qui eum non habent secum.* Solet enim et verbis, et sensu eodem passim in similibus locis uti, ut unus alteri præluceat; quærere enim Deum est timore et obedientia totum se illi mancipare: at Deum habere est, cum in nostro habitaculo vere Deus inhabitat, atque in nobis est fides, spes, puritas et timor, ut scripsisse Barnabam apostolum refert Clemens Alexandrin., Stromat. lib. II, 411. Cæterum pro *paria procreavit* repono *paria procuravit,* referendo ad illam beatitudinem, in qua paulo ante dicitur Deus manere in sempiternum; nam fidelibus et rectis datum, ut evaderent, et ipsi filii Dei: Divus Paulus ad Romanos cap. VIII, n. 14: ὅσοι πνεύματι Θεοῦ ἄγονται, οὗτοί εἰσιν υἱοὶ Θεοῦ.

IN TRACT. IV LIB. II, DE GENESI.

Ibidem. *Manens unus æternaliter ex semetipso,* ita in ms. *Exinde visibilis necessario effectus, quia orbem terræ erat ipse facturus, humanumque visiturus genus.* Ita in ms.

IN TRACT. V LIB. II, DE FIDE.

Pag. 154. In ms. inscribitur *de Fide.*

Ibidem. *Perpetuitatis indiscretæ,* etc. Paulo post dicet *sine discrimine,* quod idem valet, id est inseparabiliter. Serm. III: *Sine revelamine.* Serm. IV: *exinde visibilis effectus.* Serm. V: *Incomprehensibilis sapientia e regione cordis eructat verbum, omnipotentia se propagat.*

Pag. 155. *Namque temperat se propter rerum naturam Filius, ne æternæ majestatis Dominum non possit mundi istius mediocritas substinere,* etc. Exinanivit semetipsum, ne mundus collaberetur divinæ majestatis apice insuetus. Nemo enim Deum videbit, et vivet. Tertull. advers. Praxeam, cap. 14: *Visum quidem Deum secundum hominum capacitatem, non secundum plenitudinem Divinitatis.*

IN TRACT. VI LIB. II, DE EO QUOD SCRIPTUM EST, etc.

Pag. 158. *Si hominem solum, sicut quidam putant, ab utero Virginis,* etc. Talis fuit Carpocrates, de quo vide Theodoritum Hæreticar. fabul. lib. I, c. 5, Christus autem verus Deus et verus homo. Cyrill. Alex. in ep. ad Monach. Ægyp. f. 15: ἐπελάβετο τοίνυν σπέρματος Ἀβραάμ, καὶ κεκοινώνηκεν αἵματος, καὶ σαρκὸς, ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος, ἴδιον ποιησάμενος σῶμα τὸ ἐκ γυναικὸς ἵνα μὴ μόνον ὑπάρχων Θεὸς, ἀλλ' ἤδη καὶ ἄνθρωπος γεγονὼς καθ' ἡμᾶς, νοοῖτο διὰ τὴν ἕνωσιν. οὐκοῦν ἐκ δυοῖν μὲν πραγμάτων ὁμολογουμένως, θεότητός τε, καὶ ἀνθρωποτήτος, ὁ Ἐμμανουήλ. Πλὴν εἷς κύριος Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, εἷς τε καὶ ἀληθῶς Υἱὸς, Θεός τε ὁμοῦ, καὶ ἄνθρωπος, οὐ θεοποιηθεὶς ἐξ ὧν τοῖς κατὰ χάριν. Θεὸς δὲ μᾶλλον ἀληθινὸς ἐν ἀνθρωπείᾳ μορφῇ πεφηνὼς δι' ἡμᾶς. *Apprehendit ergo Dei Verbum semen Abrahæ, corpusque ex muliere sibi construens, carnis et sanguinis particeps factus est. Ita ut jam non solum Deus sit, sed propter naturarum conjunctionem homo quoque nostri similis esse intelligatur. Ex duabus etenim rebus divinitate nimirum et humanitate, unus certo constat Emmanuel, unus Dominus Jesus Christus, unus verus Filius, qui Deus simul, et homo est, non homo deificatus, par illis qui per gratiam divinæ naturæ participes efficiuntur; sed Deus verus, qui propter nos in humana forma apparuit.* Vitalianus episcopus ex sermone de fide ἐν τοῖς πρὸ τῆς συνόδου κατ' Ἔφεσον: *Si quis Dominum et Salvatorem nostrum in duos divellit, et alterum quidem verbum Dei Filium appellat, alterum vero hominem assumptum vocat, neque confitetur unum et eumdem, anathema sit.*

Ibidem. *Mortem gestat, ut mortem devincat:* nescio cur repudiarint mss. lectionem, quæ habet *mortem gustat.*

Pag. 159. *Provisionis piæ,* etc. Hoc est divinæ œconomiæ providentiæ. Nescio quis apud Suidam tres gradus facit divinæ providentiæ, κατ' οἰκονομίαν, κατ' εὐδοκίαν, κατὰ συγχώρησιν: heic de ea, quæ κατ' οἰκονομίαν, intellexisse Zenonem dicere debemus, quam Tertullianus vocavit œconomiæ sacramentum adversus Praxeam cap. 2, illam nimirum, quæ *unitatem in Trinitate disponit, tres dirigens Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum: tres autem non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie,* etc. Æmilius Portus, quid esset Providentia divina κατ' οἰκονομίαν, in Suida aut non intellexit, aut non expressit.

Ibidem. *At si, ut ratio ipsa proclamat, cessare nullo modo potest varietas ista regni,* etc. Quid, quæso, ista varietas, si totus in hoc est, ut ostendat unum et indivisibile regnum Patris, et Filii? Quid si legas *vastitas?* Sensui saltem aptius erit: et Plinius c. 7, Dei dixerat multiplex ministerium, sensu tamen ἀθέῳ et impio. Difficile est in aliorum scriptis sine autographo, aut saltem apographo recta sapere: nam quidquid conjicias, plerumque dissidebit ab auctoris conceptu, qui aliis, et aliis verbis potuit exprimi, quamvis mentem illius adsequaris.

Ibidem. *A legis conditore homini a Deo assumpto justisque ejus est deputata rebus dispositis, non Deo, non sempiterno rectori, maxime cum in Evangelio sic dicatur,* etc. Ista omnia, ut minus cohærent, ita hiulca esse credo, nec sine librorum ductu suppleri posse. Totum hunc locum concipio hac forma: si alius melius conjecerit, subscribam: *Cessare nullo modo potest vastitas ista regni... a legis conditore homini a Deo assumpto,* id est Christo, *justisque ejus est deputata rerum dispositio;* ita enim lego, *non rebus dispositis.... non Deo, non sempiterno rectori,* etc.

Pag. 161. *Aut Filius tradendo, quod non habeat perditurus,* etc. Legendum *quod habeat,* sensu ipso exigente, et ita postea in ms. scriptum esse deprehendi.

IN TRACT. VII LIB. II, DE NATIVITATE DOMINI. I.

Pag. 163. *Alia modestius, sed morducius nocens, dicit quidem Dei Filium Deum, sed non ex Patre nobilitatis perpetuitate progenitum,* etc. Arianæ hæresis mentio, de qua heic fit, procul dubio persuadere potest, a Zenone (Vide dissert. I, cap. 2 et 3) hunc sermonem conscriptum non fuisse. Is enim cum vixerit sub Gallieno, et Arius disseminaverit suum dogma sub Constantino; certum est in hoc non potuisse notari tamquam præteritum, quod scriptoris tempore nondum evenerat. Non negarim quidem in Justiniani epistola ad Mennam, diserte innui ab Ario Origenis venena hausta, cum gradus in sancta et consubstantiali Trinitate excogitavit: ab Epiphanio et Hieronymo Origenem patrem Arianorum, Anomæorum, et Manichæorum vocari, ex quo inferebat editor Veronensis a Zenone non Arii dogmata damnata, qui posterior fuit, sed in Origene Ariana, qui prior se fuit. At quamvis non abnuerim ex Origenis doctrina compegisse dogma suum Arium; nemo tamen dixerit, eadem Origenis et Arii fuisse. Certe Origenes Filium paternæ substantiæ portionem esse, et Patri coæternum fuisse sensit, ut ostendit Socrates, lib. VII Histor. Eccles. cap. 6, et consentit Huetius in Origenianis lib. II, cap. 2, qu. 2, num. 24. Arius contra Filium, Οὐκ ἀεὶ ἦν ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος, ἀλλὰ ἐξ οὐκ ὄντων γέγονεν· διὸ μὲν ἦν ποτὲ ὅτε οὐκ ἦν: et Gelasius Cyzicen., lib. II, cap. 5, Socrat. lib. I, cap. 5, et Hermias Sozomen. lib. I, cap. 15: *Non ab æterno Dei Verbum fuisse, sed ex nihilo ortum esse, et propterea tempus fuisse aliquando, quum non esset,* quæ sunt ipsissima, quæ habet scriptor hujus sermonis Origeni incommunicabilia. Accedit quod Sozomenus de hoc Arii dogmate dicat, vocata εἰς ζήτησιν τὰ πρότερον ἀνεξέταστα: *in quæstionem, quæ antea mi-*

Digitized by Google

nime in discussionem venerant ; et planius Gelasius in d. lib. II, cap. 2, ἤρξατο προφέρειν τινὰ ξένα περὶ τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως, ἃ τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις οὐδεὶς πώποτε ἐζήτησεν, ἢ παρεισήνεγκεν : *Cœpit circa fidem in Christum peregrina quædam proferre, quæ prioribus temporibus nemo quæsierat umquam, aut introduxerat.* Cadit ergo opinio illorum qui præfuere editioni Veronensi, dum putarunt hunc sermonem Zenoni adscribi potuisse, quod errores, qui ab Ario disseminati sunt, fuerint antequam Arius nasceretur, quod scriptorum auctoritate et rerum collatione falsum convincitur.

IN TRACT. VIII lib. II, DE NATIVITATE DOMINI II.

Pag. 168. *Insuspicabilis secreti*, etc. Vide adnotata ad pag. 142.

Ibidem. *Vera cognitio est Deum cognoscere nisi Deum*, etc. Dicam ad sermonem de Jona pag. 194. Moderationis quippe humanæ est in orbita suæ cognitionis perstare.

Ibidem. *Nihilque ex eo amplius requirendum, quam ut quis ejus noverit voluntatem*, etc. Lactantius Firmianus, divinar. Instit. lib. II, cap. 5, ad hanc sententiam pie et eleganter : *Satis est homini ad plenam perfectamque prudentiam, si Deum esse intelligat : cujus intelligentiæ vis, et summa hæc est, ut suspiciat, et honorificet communem parentem generis humani*, etc. Conjunge adnotata supra ad tractat. 5, l. II.

Ibidem. *Cæterum providentis Dei de Deo argumentationibus vanis*, etc. Si *providentis* legas, intelligas oportet de œconomia divina, qua stant quæ ad ipsam Trinitatis constitutionem faciunt. Si legas *procedentis*, aptius videbitur titulo sermonis : lectoris sit arbitrium. Supra ex Cyrillo verbi generationem dictam adnotavi πρόοδον, ἀπόῤῥητον, καὶ ἄφραστον.

Ibidem. *Velle dispositum*, etc. velle percipere quod sit dispositum a decretis divinis.

Ibidem. *Ut contentiosi putant*, etc. Philosophi nimirum, qui rem in utramque partem disquirendo contendunt, et altercantur, quod si fiat præter modum, audiant Publium Mimum, apud Agel., l. XVII, cap. 14 :

Nimium altercando veritas amittitur.

Pag. 169. *Dispositioni subjaceat* etc.; id est fato, quod sensere, impie licet, esse supra Deum. Homer. Odyss. lib. III, versic. 236 :

. . . . . οὐδὲ θεοὶ περ
Καὶ φίλῳ ἀνδρὶ δύνανται ἀλάλκειμεν ὁππότε κεν δὴ
Μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι τανηλεγέος θανάτοιο.

. . . . . *neque dii ipsi*
Etiam ab amato viro poterunt arcere, quandocumque tandem
Fatum perniciosum corripuerit asperæ mortis.

Et alibi ipse sæpe. Eadem Seneca Tragic. Œdipo vers. 989 :

Non illa Deo vertisse licet,
Quæ nexa suis currunt causis.

Hinc Cinisceus, apud Lucianum, in Jove confutato, Jovis ipsius impotentiam ridet, quod pendere a fato debuerit. *Dispositio* autem pro fato inde dicitur, quod juxta saniores, sit dispositio et providentia divina. Seneca, lib. V Natural. quæst. cap. 18: *Dispositor ille mundi Deus*, qui providet, et decretis suis cuncta regendo disponit. De fato vide Hieroclem et Lipsium in aureolo libello de Constantia.

Ibidem. *Remotis enim paulisper nominibus Patris, et Filii*, etc. Esto non considéres paternitatem et filiationem, in quibus alius injuria dimanat ad alium. Vide congesta in titulum Digestorum J. C. de Injuriis.

Ibidem. *In prædestinatæ sibi Virginis templo* (ms. templum) *sibimet castra metatur*, etc. Translaticium est castra pro sede, et mansione. Castigatius loquitur infra sequenti serm. fol. 163 : *Cœlo egressus metatura prædicta sacrario templi virginalis hospes pudicus illabitur.* Prædestinata, hoc est præelecta, prædicta sibi mansione : metatum enim, metatio, metatura idem. Tertull. de Pallio cap. 2 : *Nostra certe metatio totum versiforme est*, id est nostra habitatio, id quo in hoc mundo permanemus. Græci titulum Codicis Justinianei de *Metatis* vertunt, et interpretantur περὶ μετάτων ἤτοι ἀπλήκτων de *Metatis*, sive *hospitiis*. In gloss. Isidori *Metatores*, *mansionum præparatores*. Latin. Pacatus Panegyr. cap. 6 : *Sive enim divinus ille animus venturus in corpus dignum prius metatur hospitium*, id est præparat. In lib. XV, Cod. Theodosian. de Metatis : *Nemo qui propriæ domus possessione lætatur, militari Sacramento munitus alterius domum infestare pertentet, sed aut sua contentus, aut certe in suis recipiat, qui in alterius sibi metatum existimat vindicandum.* Metator igitur, qui præparat hospitium, metatum, metatio, metatura hospitium ipsum, et in Cod. Theodosiano ipsum etiam onus hospites recipiendi.

Ibidem. *In hominem gigniturus*, etc. generandus in hominem.

Ibidem. *Ibidemque salvo quod erat, meditatur esse quod non erat*, etc. Salva divinitate meditatur esse homo. Cyrill. Alex. ad Nestorium in epistola, quæ incipit : Καταφλυαροῦσιμέν ὡς ἀκούω, fol. 165, προῆλθεν ἄνθρωπος ἐκ γυναικὸς· οὐκ ἀποβεβληκὼς τὸ εἶναι Θεὸς, καὶ τὸ ἐκ Θεοῦ γεγενῆθαι πατρὸς, ἀλλὰ καὶ ἐν προσλήψει σαρκὸς, μεμενηκὼς ὅσπερ ἦν : *Prodiit homo ex mulicre, deitate interim aut ex Patre nativitate non abjecta : mansit enim in ipsa carnis assumptione, quod prius erat.*

Pag. 170. *Mundum non, ut assolet, infans* (ms. *non mundum, ut assolet infans*) *fusus ingrediens, sponte vitæ reptantis præviis lacrymis auspicatur*, etc. Plin. libr. VII Procem. queritur, a natura hominem nudum, et in nuda humo natali die objici ad vagitus statim, et ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrymas, et has protinus vitæ principio; quæ Zeno cum scriberet, ipse respexit.

Pag. 171. *Denique purgationes, quæ sunt tarditate periculosæ*, etc. Hoc est difficiles Hippocratis verbo in libro de aere, locis, et aquis οὐ χρηστὰι, quibus remedia præscribit lib. I de Morb. mul. 603. Faciles autem dicunt καθαρσίας χρηστάς, quod bene et ex naturæ præscripto procedent; ut et Erotianus interpretatur χρηστῶς, καλῶς : vide Bartholi. Eusth. in Erotiani Lexic. voce καλῶς.

Ibidem. *Nulla puerum maternorum viscerum prosecuta sunt damna*, etc.; ms. *nullo puerum maternorum viscerum prosecuta sunt damno.*

Ibidem. *Post partum virgo permansit, obstetricis incredulæ periclitantis enixa in testimonium reperta ejusdem esse virginitatis, incenditur manus, qua tacto infante statim edax illa flamma sopitur; sicque illa medica feliciter curiosa diu admirata mulierem virginem, admirata infantem Deum, ingenti gaudio exsultans, quæ curatum venerat, curata recessit. Ita Christus in hominem se fecit nasci*, etc. sic in ms.

Pag. 172. *Ita Christus in hominem se fecit nasci*, etc. Dixerat supra, prima generatione uno consensu ex paterni oris affectu filium processisse : hic de secunda loquitur, pari consensu humanitati se Filium subjecisse, quod est se fecit in hominem nasci, sed addit ita natum, *quemadmodum homo non potest nasci*, nam incorrupta matris virginitate nemo, sine puerperæ dolore nemo, sine fletu, sine lacrymis nemo, sine sordium involucro nemo, etc.

IN TRACT. IX LIB. II, DE NATIVITATE DOMINI ET MAJESTATE.

Ibidem. *Cœlo egressus metatura prædicta*, etc. Consule notas ad sermonem superiorem.

Pag. 173. *Comparat sibi corpus suo judicio nasciturus*, etc. hoc est suo decreto, et voluntate, voce consona libris sacris Joannis cap. V, num. 27, ὁ πατὴρ ἐξουσίαν ἔδωκεν υἱῷ, καὶ κρίσιν ποιεῖν : *Pater*

Digitized by Google

potestatem dedit Filio, et judicium suum facere, scilicet pro suo arbitrio agere.

Ibidem. *Qui ex se natus non crederetur, nisi quia sicut fuit virgo incorrupta post conceptum, permanet talis quoque post partum*, etc. *Nisi quia* intrusum est, et contra rectum sensum inculcatur. Quidquid ab auctore scriptum fuerit, interim legendum censeo: *Non crederetur, quum sicut fuit virgo incorrupta post conceptum, permanserit talis quoque*, etc.

Pag. 174. *Quia inter Patrem hominesque adstitit medius*, etc. Id explicatius dicit Joannes Chrysostomus in orat. de Ascensione Christi. Ὠργίζετο ἡμῖν ὁ Θεός, ἡμεῖς δὲ τὸν φιλάνθρωπον δεσπότην ἀποστρεφόμενοι. καὶ μέσον ἑαυτὸν ἐμβάλλων ὁ Χριστὸς, ἑκατέραν φύσιν εἰς φιλίαν συνήγαγε, καὶ τὴν παρὰ τοῦ πατρὸς ἐπικειμένην ἡμῖν αὐτὸς τιμωρίαν ὑπέμεινεν: *Iratus nobis erat ut Deus, et nos benignum Dominum adversabamur: medium se interponens Christus, utramque naturam in gratiam reduxit, et pœnam a Patre nobis imminentem ipse sustinuit.*

IN TRACT. X LIB. II, DE ABRAHAM. I.

Ibidem. *Sara uxor ejus non inferior, vitæ longæ transactis cursibus, qualem filium ediderit, partus effusione percepit. Sed quia utrisque ætas ademerat spem sobolis pignus succidaneum*, etc. in ms. *Sara uxor ejus non inferior, longæ vitæ transactis cursibus, pius autem filius ederit, partus effusione perciperet. Sed utrisque ademerat spem sobolis*, etc., locus corruptus.

Ibidem. *Pignus succidaneum*, etc., quasi quod succederet non dato, sed dando florenti ætate. Alludit ad hostias succidaneas. Agell. lib. IV, cap. 6: *Succidaneæ hostiæ dicuntur, quoniam si primis hostiis litatum non erat, aliæ post easdem ductæ hostiæ cædebantur.*

Ibidem. *Sic meruit fides, quod ademerat tempus.* Ms. *Sic merito fidelitatis, quod ademerat tempus*, male.

Pag. 175. *In occasus sui terminum versabatur*; ms. melius *in occasus sui termino.*

Ibidem. *Ecce prima devotio*, etc. Devotio non cultus tantum est, sed et debiti erga superiorem aut benevolum agnitio, quasi vota sua illi submitteret et consecraret. Seneca, III de Benefic. cap. 5: *Audi voces petentium: nemo non victuram semper in animo suo memoriam dixit, nemo non deditum se, et devotum professus est.* Nemesian. Cyneget. 82.

Et fidos ad bella duces, et milite multo
Agmina, queis fortes animat devotio mentes.

Ibidem. *Unicus ille filius solliciti senis.* Lege ex ms. *solliciti.*

Pag. 176. *Necessariis sacramentis protinus præparatur*, etc. Alludit ad etymon sacramenti, quod a *sacer* seu *sacrum* derivant, ut quidquid ad sacrum pertineat, sacramentum sit. Victimam autem Deo mactare est sacrum facere, ad quod requirebantur instrumenta, ignis, ligna, gladius, quæ Zeno *sacramenta* vocat, et paulo infra *mysteria.*

Ibidem. *Securus de fide generis sui pater filio.* Distingue cum ms., *Pater filio, de quo non dubitabat*, etc.

Ibidem. *Pedes quoque constringit, ne in exitu mortis concitata victima calcitraret*, etc. Infra serm. proximo, *et ne quid minus ab hostia videretur, pedem ligatura distringit: ne incitata victima displiceret.* Versio vulgata Gen. XXII, num. 9, habet: *cumque alligasset Isaac filium suum*, ex quibus incertum restat, utrum alligasset manibus, an pedibus, at in Græca legitur καὶ συμποδίσας Ἰσαὰκ τὸν υἱὸν αὐτοῦ: quam lectionem agnoscit et Philo in commentario, *quod Deus sit immutabilis*, et hanc Zeno expressit. Suidas: Συμποδίσας, συνδήσας τοὺς πόδας: tunc enim litare credebantur, et aptum sacrificium esse, ait Servius ad lib. II Georgic. 395, cum dedicatum animal victimæ patiens invenitur. Plin. lib. VIII, cap. 45: *Notatum, nec claudicante nec aliena hostia Deos placari, nec trahente se ab aris.*

A Ibidem. *O fratres secura devotio!* etc. Lege *o patris secura devotio!*

Ibidem. *Etenim explorationis tentamina porriguntur*, etc. Id est, pergit adhuc Deus Abraham tentare, patiens ab eo exseri ferrum, et sublevata ejus manu ictum in cervicem filii paulo minus quam descendere, ut in tantis animi motibus, quos *casus* Zeno vocat, fides, et pietas in Deum magis esset perspicua. Potuisset quidem satis arguisse, quod filium nulla tergiversatione duxisset in montem, quod unicum prompte obtulisset; sed voluit explorationis tentamina porrigi, atque sinere gladium educi, ictum librari, ut in extremo discrimine, patris constantia explorata, ipse succurreret.

Ibidem. *Sed vos ejus.* Legendum *vox.*

Pag. 177. *In illo sacrificio solus Deus dolvit*, etc. καταχρηστικῶς: tribuit dolorem Deo, et tanto licentius, si ut ita voluisse visus sit, adscripserit deo imentum Deo: sed τῷ ἰδιωτισμῷ, et modo vulgari locutus est. Dolent, qui amittunt, quocirca doluisse dicit
B Deum, quod pro præsenti humana victima dimissa, aliam arietinam de suo substituere, si licet dicere, debuerit, ut sacrum adimpleretur.

IN TRACT. XI LIB. II, DE ABRAHAM. II.

Pag. 178. *Non enim præcepta virginitas provocatur. Sed nec*, etc. In hoc impeditissimo loco libere pronuntiare non ausim. Itaque meo judicio aut opus ἀκέφαλον est, aut lacuna non perspecta latet, aut membra aliunde divulsa in minus aptum locum translata sunt, quæ expedienda felicioribus ingeniis relinquo.

Ibidem. *In transactæ ætatis, et generantis genitalis flore consumitur*, etc. Quid si legas *fluore?* hoc est imminutione et lapsu, Virgilii exemplo II Æneid. 169:

Ex illo fluere ac retro sublapsa, etc.

Certe ne credibile est, voluisse effetam ætatem, et sicca genitalia florescentium prærogativa censere.

Pag. 179. *Atque ex intimis vitæ curriculis*, etc. Con-
C taminatissimus hic sermo est ut elegantissimus, et florentissimus, et qui sine meliorum Codd. ductu vix sanari possit. Lectio vulgata tum heic imperfecta est, et sine sensu: legerem propius ad sensum auctoris, *atque ultimis vitæ curriculis Saræ uterum filius aperire, cui jam aviæ reverentiam senectus verecunda detulerat.*

Ibidem. *Sub hac igitur, charissimi, sperationis nativitate*, etc. In hoc membro ulcus monstro, medicinam non possum; præstent Æsculapii meliores; quid si legas *sperata?*

Ibidem. *Immaculata hostia*, etc., sine labe et culpa.

Ibidem. *Nec victima imparatus*, etc. Promptus, non repugnans.

Ibidem. *Uxoria munera*, etc. An uxoria munera intelligit, quæ præstant conjuges liberis operam dantes, intermissa per ætatem a Sara? Sed tunc legendum fuerit non *nesciebat*, sed *omiserat.* An legendum *muliebria munera*, qualia sunt fluxus menstrui, qui re-
D quiruntur in efformando et alendo fœtu? Hoc prælalim; nam uxoria munera, quæ mutua affectus, consilii, atque operum collatione constant, nec tantum lecti et rei venereæ congressu, a Sara abdicare, ei injuriam est inurere manifestam. Certe in libris sacris Genes. cap. XVIII, num. 11, legitur: *Et desierant Saræ fieri muliebria*, etc.

Ibidem. *Mira prorsus, carissimi, et speranda sæculis post futuris divinæ ordinationis propago formata ad principium, ætas peracta revocatur.* Lego ac distinguo: *Mira prorsus, chariss., et speranda sæculis post-futuris divinæ ordinationis propago formatur: ad principium ætas peracta revocatur*, etc. In Isaaco enim typus Christi, cujus ex ortu futuris post sæculis redimendum fuerat genus humanum. Clemens Alexand. Stromat. lib. II, 367: Τὸν Ἰσαὰκ ὡς καθωσιωμένον ἱερεῖον, ἀλληγορήσας, ἐξελέξατο ἑαυτῷ, τύπον ἐσόμενον ἡμῖν οἰκονομίας σωτηρίου. *Isaac tamquam victimam conse-*

Digitized by Google

cratam allegorice sibi deleyit, typum futurum salutaris œconomiæ : et hoc voluit Zeno.

Pag. 180. *Ad principium ætas peracta revocatur*, etc. Opponuntur finis et principium, senectus et juventus: hic principium juventus est, ætas peracta senium.

Ibidem. *Nihil in substantia resederat corporis*, etc. Hoc est in corpore succus non residebat. Succi ubertas corpus hebitius, et corpulentius facit, tenuitas gracilius, et macilentum. Tertull. de Chamæleonte: *Quippe nec succus est corpori, quod munitioribus multo liquet*; Chamæleon enim adeo emaciatus est, atque exsuccus, ut pellicula vivere dicatur. Substantia est id, quo quodque est. Suidas: οὐσία. λογικὴ χρῆσις τὸ τῆς οὐσίας ὄνομα ἀπὸ τοῦ εἶναι ῥήματος οἷδε παρῆχθαι, αὐτὸ τὸ ὂν πρᾶγμα οὐσίαν καλοῦσα, quod corpus ipsum sit necesse est. Isidorus, in Origin., Corpus subsistit, et ideo substantia est.

Tangere enim et tangi, nisi corpus nulla potest res.

canebat Lucretius lib. I. Spiritales enim substantiæ sicuti corpus non habent, ita neque ab illis recte abjudicaveris corpus. Hoc nomen substantiæ sero in latium venit, et vix quidem, sed Zenonis sæculo jam obtinuerat, ut quod ille scripserit, *nihil in substantia resederat corporis*, sit, ac si dixisset, nihil in corpore resederat corporis. Martial. 7. Spectacul.

Inque omni nusquam corpore corpus erat.

Hujusmodi umbras dicimus, et pumices, aut arida ut pumices, ut in Plauti Aululari, act. II, IV, 18.

Ibidem. *Angelus Isaac nomen imposuit, ut firmaret lætitia*, etc. In sacris libris non dicitur ab angelo, sed a patre nomen impositum. Risum porro hoc nomen interpretantur Philo Judæus, Clemens Alexandrinus, alii, ex eo quod Sara subriserit, parituram se dicente Deo, præter spem partus, quoniam decrevisset ætas. Joseph cap. 23, περὶ ἀρχαιοτήτων.

Ibidem. *Festinata educatione nutritus*, etc. Educationem natura præveniente eodem sensu Quinctilianus I. VI, procœmio, *celerius occidere festinatam maturitatem*, et hoc est, quod Philo dixerat in libro de Abrahamo 377: ἤδη τελειοτέρας τῆς ἡλικίας ἐξέφαινον ἀρετάς, ὡς, etc. *Jam perfectioris ætatis ostendebat virtutes, quales*, etc. Educatio et παιδεία non tantum est ipsa instituendi ratio, sed educationis perfectio, et τελείωσις. Cassiodor. variarum 23 lib IX: *Educavit liberos pondere moderationis æquales, et morum societate vere germanos, quorum infantiam bonis artibus enutritam, juventutem quoque armis exercuit, formans animum litteris, membra gymnasiis, et quidquid in illo viro gratia divina concessit, integra perfectione transmissum cernas in posteros.*

Ibidem. *Ut ait Apostolus contra spem natum*, etc. Ad Roman. cap. IV, num. 18: ὃς παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι ἐπίστευσεν: contra spem, quantum fuerat secundum naturam; in spe autem, quod Dei promissioni credidisset.

Pag. 181. *Qui cum hostiam provideret, cujus loco electus fuerat requirebat*, etc., qui anxius de hostia se succidaneum faciebat, ac si diceret: dum quærebat hostiam, se requirebat.

Ibidem. *Ad hujus ergo personam Christi refertur verecunda nativitas*, etc. Non dubitabam, quin legendum esset *veneranda nativitas*: verecundari enim non decuit, neque pudere, ubi in conceptu et partu turpitudo nulla, immo spes redemptionis adimpleta est. At vulgatam lectionem probat Valesius ad Ammianum, lib. XIV, cap. 6, ex eodem loco, et lib. XXI, cap. 16: *Marci illius dissimilis, Principis verecundi*, et lib. XXX, cap. 8, de Artaxerxe: *Temperantia morum ita tolerabilem eum fecit, et verecundum*; itaque electionem lectori facio.

Ibidem. *Sed virginalis uteri aula secretior*, etc.; quæ intacta viro; nam, etsi in Isaaco typus sit Christi, differentia tamen maxima inter utriusque conceptum, quod ille naturali, hic supernaturali et divino modo processerit.

Ibidem. *Sed virginalis uteri aula secretior divini sermonis arte formata in se tabescentis corporis vulva portavit*, etc. Et hic locus ex illis est qui opem librorum implorant, et perspicatioris ingenii curam. Certum est, hoc agi, ut ostendatur, Dei voluntate, non ex sanguine, neque e carnis, aut viri voluntate, verbo, non semine, ut ait alibi Noster, filium cœternum patri, immortalis, atque incorruptibilis naturæ, in terrenæ mulieris, et humanæ tabi obnoxiæ alveum descendisse, ut carnem ex ea assumeret mutuaturus in humanam salutem Deus simul, et homo, habens carnem sine semine ex homine, spiritum cum semine ex Deo, ut Tertullianus dicit de Carne Christi cap. 18. Sed oratio hiat; non enim recte retuleris *divini sermonis arte formata* ad virginalem aulam, quæ non peculiariter formata, sed peculiariter sanctificata: neque quid portavit in se tabescentis corporis vulva deprehendes, nisi aliqua suppleveris: at quæ? Cave, tabescens corpus intelligas de Christo; nam illud neque tabi, neque corruptioni obnoxium, de quo in Psalm. XV, num. 10: *Neque dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Deerit forsan quiddam, et imperfecta fuerit oratio: at ariolari inutile fuerit sine libris. Quid si legas, divini Sermonis arte formatum? hoc est corpus Christi. Ferri forsan poterit: sed nondum mihi satisfactum.

Pag. 182. *Non semine progenitum certissimum Dominum*, etc. Illud *certissimum* suspectissimum mihi est.

Ibidem. *Sed quia nescit æternitas mori*, etc. Totum hunc locum ex conjectura restituo: *Sed quia nescit æternitas mori, neque Dominus post sepulcrum* (repetito ἀπὸ κοινοῦ scil mori) *ad Judæos remansit sola damnatæ voluntatis invidia, quia Dominum nec agnoscere voluerunt, cum nefarium fuerit etiam tardius adorari.* Elegantissime concludit, Deum qua immortalem mortem pati non potuisse, qua hominem Deo unitum post voluntariam mortem non potuisse diu mori; Judæos idcirco reos, quod inefficaciter voluerint omnino sublatum, quem negarant Christum, et quem ex ejus factis debuissent adorare. *τὰ et sola crediderunt cogitatione puniri*, neque quid sibi velint, neque quid ad rem faciant, video: ideo ea rejicio, male ab aliquo forsan intrusa: glossema ineptum illorum *sola damnatæ voluntatis invidia.*

Ibidem. *Ab auctore itaque*, etc. A Juda, quem Acta Apostolorum cap. I, num. 16, vocant ὁδηγὸν τοῖς συλλαβοῦσιν Ἰησοῦν. *Ducem eorum, qui comprehenderunt Jesum.*

IN TRACT. XII LIB. II, DE ABRAHAM III.

Pag. 184. *Hic justitiam non didicit, sed genuit*, etc. Non doctus ab aliquo, sed a se ipse ordinem naturæ secutus. Tertull. adversus Judæos cap. 2: *Unde Abraham amicus Dei deputatus, si non de æquitate et justitia legis naturalis?* Justitiam autem genuit, quod crediderit Deo, propter quod accepit signum circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio, ut sit pater omnium credentium per præputium, ut imputetur eis justitia, et sit pater circumcisionis, non iis tantum, qui sunt ex circumcisione, sed et iis qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abraham, ut docet Divus Paulus ad Rom. cap. IV.

Ibidem. *Non illum accessus infecerat urbium, cujus conversatio lex*, etc. Plenius in ms., *infecerat urbium: non habuit legem, cujus conversatio lex*, etc.

Pag. 184. *Refrigerate vos, inquit, sub ista arbore magna*, etc. Habitabant enim antiquitus sub arboribus, Etymologicon et Suidas in δενδρυάζειν quorum tegmine arte aliqua accedente, arcebant imbres et aeris injurias, quercuum præcipue, quorum fructu etiam alebantur. Juvenal. Satyr. 6:

Glandem ructante marito.

Ibidem:

Sylvestrem Montana Torum cum sterneret uxor
Frondibus.

Et signanter Abrahami arbor quercus fuit. Gen. cap. XVIII: *Ad quercum Mambre.*

Digitized by Google

Ibidem. *Incepta est causa, ubi Abrahæ fides tentatione fortior militaret.* Apocryphum est quod legitur in parva Genesi, a Mastipham dæmoniorum supremo Deum his verbis interpellatum: Εἰ ἀγαπᾷ σε Αβραάμ, θυέτω τὸν υἱὸν αὐτοῦ. mutuatum, a loco Job. cap. I, a num. 9.

Ibidem. *Devotus sic stricto vultu puerum ducit ad aram: reprimit gladium medium: pectus fidei militabat*, etc. Pro *stricto vultu*, quod nihili heic esse puto, reposuerim *sicco vultu*, hoc est lacrymarum experte: in vultum enim excurrunt lacrymæ, et inibi subsidentes inde decurrunt. Virgil. Æneid. lib. I, 469, de Ænea,

Multa gemens largoque humectat flumine vultum.

Et Silius, Italicus lib. II, madentes dixit sudore vultus, non insucto dicendi modo. Virgilius rursus lib. IX, 251.

Et vultum lacrymis atque ora rigabat.

Et Seneca Hercul. 1228:

Hic durus malis
Lacrymare vultus nescit.

Possit et legi *soluto vultu.*

Ibidem. *Puerum ducit ad aram: reprimit gladium medium, pectus fidei militabat*, etc. Ut ostendatur Abrahami mens imperturbata, *reprimit gladium*, non conducunt, quæ actum renitentis indicant, non volentis: tum quid sit gladius medius perspicere non possum. Ut sensus constet totum hunc locum putarim legendum: *Devotus sic sicco vultu puerum ducit ad aram; arripit gladium, namque pectus fidei militabat. Non pallescit vultus, non contremuit manus. Quærit puer ubi sit victima, quam mox, ne percuteretur tenera ætas, offendit, quo nec pater ferire posset.* Levissima mutatio est, atque ex Vulgatæ ductu, pro *medium*, quod gladio Abrahami non potest convenire, repono *namque*, quæ particula conjunctiva fulcit sequentem periodum, alioqui hiulcam. Sequitur, *quam mox ita ne percuteret.* Editor Veronensis de hac lectione incertus, pro varia lectione, aut pro emendatione posuit in margine *quem*, cujus relativi tamen nullam correlationem demonstravit: *ita ne percuteret, ita* supponit qualitatem actus, qui nullus cum indicetur, merito adverbium illud expungendum duxi: legitur, *tenera ætas ostendit*, sed longe a vero est, Isaacum ostendisse victimam, nam religatus et vittatus, non poterat ostendere, quæ pone se, et pone patrem: immo pater ipse offendit. Gen. cap. XXII, num. 13: *Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio.* Itaque reposui *offendit*, quam scilicet victimam, *ne percuteretur tenera ætas*, id est Isaacus, pater *offendit, quo* immolare posset, *nec pater*, id est sine parricidio.

IN TRACT. XIII LIB. II, DE SOMNIO JACOB.

Pag. 180. *Contestans*, etc. Ipse videtur interpretari, *id est duo testamenta gerens*: sed illud *gerens* videtur superfluere, et contra rationem intrusum. Simplicius esset, *contestans duas acies, id est duo testamenta*: id est præbens testimonium, testimonio suo approbans utrumque testamentum.

Ibidem. *Hanc Isaias in modum forcipis vidit, quibus ad conflanda labia inquinata ab uno de Seraphim ab ara Dei*, etc. Locus Isaiæ est cap. VI juxta Septuaginta interpretum editionem, quam semper sequitur: verum in illa nihil de conflatu, sed legitur tantum ἥψατο τοῦ στόματός μου: *tetigit os meum*, quomodo et in Vulgata. Sed auctorem juvat ludere de verbo, quo, ut usus est in illis, *in unum populum per confessionem nominis Christi noscuntur esse conflati*, posset concludere: conflatio et puritatem designat, et unitatem.

Pag. 189. *Quæ ideo materiæ ligni sunt comparata, sive quod in ejus usu, et perpetuo, et totius maneat testatoris voluntas*, etc. Triphoninus, in tit. de Bonor. poss. cont. tab. cap. 19, *Liberis datam bonorum possessionem contra lignum*, hoc est contra testamentum ligneis tabulis conscriptum. Isidorus lib. IV, cap. 24, Tabulæ testamenti ideo appellatæ, etc., sunt, quia ante chartæ et membranarum usum in tabulis dolatis non solum testamentum, sed etiam epistolarum alloquia scribebantur. Qui exactiora cupit, adeat Cujacium, Observ. lib. II, cap. 14.

Ibidem. *Dei filium nuntiabat*: corrige ex ms., *nuntiabant.*

Ibidem. *Quia neque refugæ descendunt*, etc. Melius ms.: *Quia neque refugæ adscendunt, qui post peccatum in cœlum numquam recepti noscuntur, neque lucis descendunt, quia numquam in terris, sed semper in cœlo manserunt.*

Ibidem. *Amen amen dico vobis*, etc. In ms. est unicum *Amen.*

Pag. 191. *Hæc igitur omnia combinata*, etc. Glossæ *combinare* ζευγνύειν, id est jungere, copulare, proprie de duobus, quod et Noster in ipsa voce *combinata* voluit; ac si diceret duo testamenta simul juncta unum fructum parturiunt.

Ibidem. *Conversio, audientia, intellectus*, etc. Hujus ad cœlum scalæ gradus digni sunt, qui noscantur, digni qui serventur, illi præcipue, qui nos jam rore cœlestis doctrinæ alitos contingunt; nam virtutum hi apices, et in quibus tota Christi doctrina referretur. Conversio, audientia, intellectus, hi proprii Neophytorum, aut potius ad fidem tendentium, nam conversio est ab alia in Christianam sectam inclinatio. Cyprianus de se ad Donatum: *Qui possibilis, aiebam, est tanta conversio, ut repente, ac perniciter exuatur, quod vel genuinum situ materiæ naturalis obduruit, vel usurpatum diu senio vetustatis inolevit?* Audientia ducit ad percipienda mysteria. D. Paul. ad Rom. c. X, num. 7: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Cyrill. Hierosol. præfatione, οἱ πόδες σου εἰς τὰς κατηχήσεις σπευδέτωσαν: *Festinent pedes tui ad catecheses audiendas.* Demum intellectus est voluntas recta, Christianæ sapientiæ se accommodans. Intellectus enim cum intelligibilibus conjugatum nomen est, ait Synesius in Dione, *ut neque si finis sit cœlum intueri satis sit in humum non curvari, sed post mediam visus consistentiam necesse sit ad superiora converti.*

Ibidem. *Perseverantia consummatio*, etc., respicit ad dictum Christi Matth. cap. XXIV, num. 13: Ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται. *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit;* non satis est perseverare, sed τελειεῖν oportet.

IN TRACTAT. XIV, LIB. II, DE JUDA.

Pag. 193. *Qui consolatus*, etc., post solemnia luctus; nam præstituto tempore desinebat luctus, atque omnia læta muniaque solita peragebantur; sed et natura præstat, quod ait Seneca Epist. LXIII: *ut custodienti quoque dolorem, elabatur, eoque citius, quo est acrior, desinat.*

Ibidem. *Æstivalia induit*, etc. Tam Græca quam Latina versio habent *Theristron*, quod Hesychius interpretatur λεπτὸν ὕφασμα, θερινὸν ἱμάτιον: *Textus seu velum tenue, vestis æstiva.* S. Hieronymus in tradition. ait, esse genus vestimenti Arabici, quo mulieres illius Provinciæ velantur.

Ibidem. *Quæ pudoris integritatem faciem velando monstrabat*, etc. Tertull. de Virgin. veland. cap. 3: *Arbitrio permissa res erat, ut quæque voluisset, aut tegi aut prostitui.* Nonnius Dionys., lib. XLII, v. 351; quas mulieres faciem velarent αἰδομένας verecundas vocavit, nam ut repetit ibidem Tertull., cap. 14, concupiscentia non latendi non est pudica, cum alias ipsa latendi forma magis amorem acuat, nam ii Venerum Sectatores,

. . . . . Ὅτι μᾶλλον ἐποπτεύουσι γυναῖκας.
Καὶ πλέον ἱμείρουσι καλυπτομένοιο προσώπου.

.... Quo magis intuentur mulieres,
Etiam eo plus amant abscondita facie.

Nonnius ibidem.

Ibidem. *Conceptu signata, quem veræ fornicariæ habent perosum.* Aristæn., lib. I, epist. XIX: Ἦν οὐκ

ἕδει λαβεῖν ἐν γαστρί, ὅπως μὴ διὰ παιδογονίαν ἀτιμωτέρα γένοιτο τοῖς συνοῦσι, τῆς ἀκμῆς τὸ ἄνθος ἄωρον ἀποβαλοῦσα τοῖς πόνοις : *nec prægnantem eam fieri expediebat, ne puerperium minueret ei apud amantes gratiam, traducto in partionis laboribus ætatis flore.* Procop. in Ανεκδότοις, fol. 76, de Theodora adhuc scenica : Ἐτύγχανε δὲ ὑπό τινι κυήσασα τῶν ἑραστῶν, τοῦ δὲ κακοῦ οὐχὶ τοῦ καιροῦ αἰσθομένη. πάντα μὲν ὥσπερ ἀμβλύσκειν εἰώθει, ἐποίει. *Evenit ut ex amatorum suorum uno conciperet, quod infortunium sero et præter tempus cognoscens, omnia tentavit, ut, quemadmodum consueverat, abortionem faceret.*

Ibidem. *Secundum condictum*, etc. Festus condictum ait, *quod in communi est dictum.* Simplicius Papias : *Condicere, constituere, denuntiare, decernere*, et ad mentem Nostri, id est secundum decreta et pacta, seu secundum quod constitutum fuerat. Plautus Curculione scena I, vers. 5.

Si media nox est, sive est prima vespera,
Si status condictus cum hoste intercedit dies, tamen est [eundum.

Ibidem. *Sine labore accusatoris vidua prægnans*, etc. Nam venter ipse prægnans, et tumens ream concubitus indicabat. Aristotel. Rhetoric., lib. I, cap. 15, ad hoc concudebat : Οὐδὲν ἂν ἔδει μαρτυριῶν, εἰ ἐκ τῶν λόγων ἱκανὸν ἦν θεωρῆσαι : *Non opus testimonis si rationibus satis sit rem perspicere*, nam quod manifestum est, unicuique manifestum est, neque ullam patitur probationem. Quinctil., lib. V, cap. 12 : *In rebus apertis argumentari tam sit stultum, quam in clarissimum solem mortale lumen inferre.*

Pag. 194. *Judas, quantum intelligi datur ex parte Prophetarum, ex parte Patriarcharum, patrumque typus erat, qui ob justitiam Dei omnes homines filios computabant*, etc. Patriarchæ fuere Abraham, Isaac, Jacob, quos tres propatores agnoscit solos et Clemens Alexand., Stromat. lib. I, 284, Judas non erat Patriarcha, sed Patriarchis proximus, atque eorum progenies, qui habebat in se traditam a majoribus notitiam divinorum promissorum, quibus eorum posteri futuri essent in gentem magnam. Propheta nec erat, licet credatur persensisse ob justitiam Dei omnes homines, omnesque gentes in Abrahamo, et ejus semine benedictas, novumque Testamentum futurum, quo Mosaicum per fidem in Christum aboleretur, quod vaticinium demum protulit Hieremias cap. XXXI, et hoc est, quod dicat ex parte Prophetarum, et ex parte Patriarcharum Judam typum fuisse, scilicet, qua agnosceret semen Abrahæ, et suum non in Judaico tantum populo, sed in cæteris gentibus per fidem computandum; Gen., cap. XVIII, 18, XXII, 18, et XXVI, 4, ut insequeretur in Her., Onan, et Sela de Ethnico, Judaico, et Christiano populo argutari, quod subtiliter, et ingeniose facit. De justitia Dei vide adnotata ad tract. 3 lib. I.

Ibidem. *Igitur Her primitivus filius est populus, id est* ἡμιθέοι : ἡμιθέαι ante Judam dicuntur fuisse plus annis 1300. Igitur non poterant primitivo Judæ filio comparari, qui ante illum. Sed assumpto suo historiam accommodat, servato potius sermonis decore, quam rerum proprietate. In ms. : *Igitur Her primitivus filius, primitivus est populus, id est hemithei*, quod probo.

Pag. 195. *Sela autem prædictorum tertius frater minor ex gentibus venientis*, etc. Placet magis manuscripta lectio : *ex gentibus veniens.*

Pag. 196. *Præcedunt vos in Regno Dei* : elegantius in ms., *in regnum.*

Ibidem. *Quod cum ea convenit, communionis sanctæ significat sacramentum.* Ms., *Quod convenit in ea fidelium communionis sanctæ significabat sacramentum.*

Pag. 188, *Amen.* In ms. non est.

IN TRACT. XV LIB. II, DE JOB.

Pag. 199. *Ut pars felicitatis sit, nosse quid fecerint*, etc. Theophylactus Simocat. historiam vocavit, ἀκοὴ ἡδύσμα, τῇ δὲ ψυχῇ παιδευτήριον, *auditioni oblectamentum, animis scholam discendi* : reddit rationem Agath. procem. Histor., quia λανθάνει ταῖς ψυχαῖς ὠφέλιμα τὰς ἀρετὰς ἐσοικίζουσα, *leniter et placide virtutes animis insinuat* : instruunt enim nos exempla, et ducit imitatio potius quam natura aut præcepta.

Ibidem. *In confusam molem parietibus tectisque labentibus*, etc. In ruta, cæsa : *Ruta* quæ Nonio sunt *diruta. Cæsa* Palladio, lib. I, cap. 9, *contusa.* Festus utrumque complexus. *Ruta Cæsa, quæ venditor possessionis, sui usus gratia, concidit, ruendoque contraxit* : quod verius putem, licet Ulpian. in lib. XVII, § 6, de action. emptionibus ruta dicat, quæ eruta, ut arena, creta, similia; cæsa esse arbores cæsas, et carbones. Sed solitum sub uno nomine diversa procedente tempore aggregari.

Pag. 200. *Sepelit, antequam jugulet, taleque commentus impietatis excidium*, etc. Levissima mutatione lego. *Jugulat. Tale commentus*, etc. Sic enim gratius auribus occinit.

Ibidem. *Populosis ulceribus*, etc., ita grassantibus et serpentibus, ut ex parte fieret totum vulnus.

Ibidem. *Populosis ulceribus non distinctum est, sed totus unum vulnus ei factus.*, etc. Non arridet correctio Editoris Veronensis, qui voluit *non distinctus est, sed totus unum vulnus est factus.* Legerem, *non distinctum est*, intelligo vulnus, *sed totus unum vulnus est factum.*

IN TRACT. XVII LIB. II DE JONA PROPHETA.

Pag. 205. *Curiositate non sunt inquirenda secreta*, etc. Stultissimi enim sunt, qui de humanis divina præjudicant, ait Tertull., lib. II adversus Marcion. c. 6, Agath. lib. II, fol. 67, edit. Reg. cœlestia rimari ait, πρᾶγμα οὕτω μακάριόν τε, καὶ ἀνεφίκτον, καὶ μεῖζον ἢ κατ' ἀνθρώπους, καὶ μόνῳ τῷ ἀγνοεῖσθαι θαυμαζόμενον, *adeo beatum et imperceptibile, et humanum intellectum exsuperans, ut eo solo, quod ignoretur, admirandum sit.*

Pag. 206. *Corpoream aeris hujus, ut quidam putant, inanitatem se disserere posse*, etc. In aere materia est, et ideo corpus habet. Apud Sextum Empiricum, adversus Matth., lib. VIII, 367, philosophi, qui elementa sentiebant terram, aquam, aerem, ignem, corporea elementa voluisse dicuntur. Et quidem certum est, aerem corpus habere, cum sit capax raritatis et densitatis. Quod autem nec videri, nec tangi possit propter ejus raritatem, et quod, ut ait Philo de somniis, εἴκων τε καὶ ἀντιπεριστάμενος τοῖς σώμασι, *cedat et circumsistat corporibus*, inanitatem sapit, ut eodem modo, ubi corpora crassa non sunt, vacuus aer dicatur. Martial. spectac. Epigr. 11,

Deprendat vacuo venator in aere prædam.

At Plinius, lib. II, cap. 38, non prorsus inane vocavit, sed inani simile, causis jam dictis : neque propterea inanis esse possit, qui sit instrumentum vitæ, respirationis, visus, auditus, cæterorumque sensuum; et sine cujus usu, vel exigua temporis parte homini perendum sit, ut docet Hippocrates in libro de Flatib.

Ibidem. *Quis terram aqua portari, an aquam terræ gremio contineri se nosse præsumat?* Terram et mare eumdem constituere globum, atque communem centrum habere, Stoici censere in Diogene Laertio Zenon, 201 : Μέσην τὴν γῆν κέντρου λόγον ἐπέχουσαν, μεθ' ἣν τὸ ὕδωρ σφαιροειδές, ἔχον τὸ αὐτὸ κέντρον τῇ γῇ : *mediam esse terram centri locum obtinentem, post eam aquam esse globosam, quæ eodem, quo terra, centro contineatur.* Strabo lib. II, 112 : Ὑποκείσθω δὴ σφαιροειδὴς ἡ γῆ, σὺν τῇ θαλάσσῃ μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ἐπιφάνειαν ἔχουσα τοῖς πελάγεσι. *Hoc ergo pro certo habeto, terram globum esse simul cum mari, eamdemque habere cum maribus superficiem.* Philo Judæus de Mund. opific. ait, utrasque terram et aquam contineri ὡς ἂν ὑπὸ δεσμοῦ τὴν γῆν, *veluti vinculo* colligatas, sic ut non tantum aqua terram circumeat, sed ineat, atque subeat. Plin. lib. II, cap. 65, elegantissime : *Ita formasse artifex Natura credi debet,*

Digitized by Google

ut cum terra arida et sicca constare per se, ac sine humore non posset: nec rursus stare aqua nisi sustinente terra, mutuo complexu jungerentur, hac sinus pandente, illa vero permeante totam, intra, extra, supra venis et vinculis discurrentibus, ut ex his cum unitas globi terrei et aquei satis constet, probabilius sit aquam terræ gremio contineri, ut sentit Plinius, quod sensisse, et Ptolemæum refert Casaubon. ad Strabonem, pag. 5 et 6, quam quod M. Tullius, de Republic., apud Macrobium, lib. II Commentariorum, cap. 5, velut insulam mari circumfusam terram senserit, et Stoici loco supra ex Laertio laudato, *τὴν γῆν ἐν ὕδατι εἶναι, terram in aqua esse;* aqua enim vaga et fluxa cum sit, terra solida atque consistens, naturæ fuerit convenientius illam ab hac contineri, quam e contra, quod non obscure videtur et innuisse Aristoteles, dum lib. II cap. 2 Meteororum inquit: *Εἰς τε τὸ κοιλότατον ἡ ῥύσις, καὶ ἡ θάλασσα τὸν τοιοῦτον ἐπέχει τόπον τῆς γῆς; Ad id quod cavissimum est, fluxio effici solet, et terræ locum ejusmodi mare occupat.* Liceat autem super hoc paucis ratiocinari. Terra erat circumfusa et oppressa aquis in mundi natali. Genesis c. I, num. 9 et 10. Deus voluit segregari aquam a terra, et factum est; nam eo jubente, emersit terra, quam *arida* Scriptura vocat; in hac excavasse profundissimos alveos, ut maria reponerentur, arguunt Psalmi XXXII, num. 7, verba: *Congregans sicut in utre aquas maris.* Igitur velut in utre, aut, si mavis, in recipiente, aquæ in terra sunt. Alveos autem, et cavernas in terra factas in receptaculum aquarum censere et Conimbricenses Physic. lib. IV, cap. 5, qu. 3, art. 2, et de cœlo lib. II, cap. 14, quæst. 3, art. 2, allegantes etiam Joannem Damascenum, Allatium ad Eustathii fol. 6, notarum, fol. 46, et Gerardum Joannem Vossium de Idololatr. lib. II, cap. 67. Neque argumentum deest, quia si aqua non sustentaretur a terra, nulla daretur maris profunditas; at experientia nautica dari testatur suis limitibus et quantitatibus, nisi excipias loca circa insulas Flandricas, et circa non nullas alias Pacifici maris; ergo mare terræ inhæret, et ab ea sustinetur: de quibus ratio naturalis, spero, quæstionem dirimet.

Ibidem. *Quis spiritus aerios, quis figuras ventorum*, etc. Ut puto spiritus intelligit pro aura, et placido flatu, cum nimirum leni, tranquilloque motu delabitur, ut in Catullo, Carmine nuptiali.

Ut flos..... quem mulcent auræ.

Et Ovidius Metamorphos. lib. I, 107:

Placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri.

Talem intelligas in Epigrammate Græco Anthol., lib. VII, cap. 117:

Εἴθ' ἄνεμος γένομην σὺ δέ γε στίχουσα παρ' αὐγὰς
Στήθεα γυμνώσαις καί με πνέοντα λάβοις.

Ventos autem ab eo dici, cum impetuosius spirant, et quibus materia copiosior violentiam potiorem et diuturniorem suggerit. Achil. Tatius in Aratum 158: Ἄλλοι δὲ διαφέρειν ἄνεμον λέγουσιν αὔρας, ἄνεμον γὰρ εἶναι ῥύσιν ἀέρος, αὔραν δὲ ἀναθυμίασιν γῆς. *Alii ventum ab aura discrepare volunt: quippe ventum, aiunt, esse fluentem aerem, auram vero terrenam exhalationem*, quam distinctionem videas in auctore libri de mundo. Aristotelem Meteorologic. lib. II, cap. 4, credo eadem ratione distinguere inter flatum, quem πνεῦμα, et inter ventum, quem ἄνεμον vocat. Sed ut vidimus confunduntur.

Pag. 207. *Quis inter marinos æstus fluminum augmenta*, etc. Huc usque de fluviis auctis aut imminutis ab æstu, aut recessu maris a me nondum in libris aut visum, aut lectum, quantum meminerim. Aliqua de fontibus in Gadibus uno, et de altero Burdigalæ, quorum causas nobis ignotas esse fateri cogimur: ni dicamus, quod Socrates in Phædone, plurimas cavitates esse sub terra, per quas aquæ sibi invicem A obvient irrumpantque, quæ incurrant facilius in hos fontes, quam in alios. Sed non tollitur dubitatio, cur enim in illos sic potius, et non in omnes.

Pag. 208. *Sollicitique gurgitis præruptorum montium canis voluminibus repugnantium littorum spumantia ora contundens*, etc. Hæc inquinata esse nemo non viderit. Legerem potius, dum melioris scripturæ notitia datur: *Lacessitum fremit mare, sollicitat gurgites præruptorum montium canis voluminibus, repugnantiumque littorum spumantia*, etc. Gurges enim pro fluctu. Virg. lib. III Æneid. 564:

Tollimur in cœlum curvato gurgite.

Sic prærupti montes sunt undarum ipsi fluctus, abrupti veluti a majore monte, et jactati ventis. Idem, lib. I Æneid. 109:

Insequitur cumulo præruptus aquæ mons;

Ut viderentur montium portiones albicante spuma canæ. Apoll. Rhod. Ἀργοναυτικῶν lib. II, 571: B

. . . . . Ὑψόθι δ' ὄχθης
Λευκὴ καγχλάζοντος ἀνάπτυε κύματος ἀχνη.

in littus summum
Alba undæ fractæ expumat lanugo.

Jam ipsa spuma maris infectum. Cæterum undarum tumidos hos æstus fluctusque Apollonius ipse dicto lib. II, vers. 583 vocavit ἀποτμήτῃ σκοπιῇ ἴσον, abrupti æmulos scopuli. Achil. Tat. ἐρ, lib. II, ἐώκει δὲ τῶν κυμάτων, τὰ μὲν ὄρεσιν, τὰ δὲ χάσμασιν: *E fluctibus alii montibus, alii voraginibus similes erant.*

Ibidem. *Quem solum expetebat bona illa tempestas*, etc. Pariliter locutus est Appuleius, lib. I de Asino: *At illæ probæ, et fideles januæ.* Mox. *Ac recordabar profecto, bonam Meroem non misericordia jugulo meo pepercisse, sed sævitia cruci me reservasse.* Bona illa tempestas: ironice: *Exspectabant*, quod vellent, non ad genium Zenonis; *expetebat* quod retinuimus, optimum. C

Ibidem. *A ligneo ad navigium vitale*, etc. Navigium vitale vocat cetum; quem paulo post vocat ferinam voraginem.

IN TRACT. XIX LIB. II, IN ILLUD GENESEOS, etc.

Pag. 217. *Nihil est homini timenti Deum tam necessarium atque conveniens, quam ut se ipsum noverit*, etc. Notissimum illud est, γνῶθι σεαυτὸν: quod alii ad moderationem, alii ad confidentiam trahunt. Noster ad indicandum quanti sit homo, hominem hortatur, ut se scilicet ex imagine Dei noscat, quam portare in tantum dignus factus est, in quantum operibus non infregerit, aut, quod damnabilius, deleverit, ad hoc ut illecebras mundi spernat, et adserat suo auctori imaginem suam puram, illibatam et dignam ætherea sede.

Pag. 218. *Tantum anima potestatis habet, ut cum sui domicilii septo teneatur, tamen quidquid voluerit, omnibus momentis illustret*, etc. Cicero Catone major 195: *Credo Deos immortales sparsisse animas in corpora humana, ut essent, qui terras tuerentur, quique cœlestium ordines contemplantes, imitarentur vitæ modo atque constantia.* Rotundius et planius Philo Judæus: περὶ κοσμόποι. 15: Ἀνατέμνων ὁδοὺς λεωφόρους ἁπάσας, διὰ γῆς ἔρχεται, καὶ θαλάσσης, τὰ ἐν ἑκατέρᾳ φύσει διερευνώμενος. καὶ πάλιν πτηνὸς ἀρθεὶς καὶ τὸν ἀέρα, καὶ τὰ τούτου παθήματα κατασκεψάμενος, ἀνωτέρω φέρεται πρὸς αἰθέρα, etc. *Aperit sibi vias quascumque per terram, per mare, utriusque naturam perscrutatura. Rursus sublimis evolans; aeremque, et ejus passiones contemplata rapitur ulterius ad summum æthera*, et quæ sequuntur, quæ si contuleris cum Maximo Tyrio in fine dissertationis sextæ, non minori elegantia consimilia reperies. D

Ibidem. *Non ergo carnale hoc domicilium imaginem Dei debemus accipere, sed cœlestis hominis spiritalem, quam in se credentibus Dominus*, etc. Eadem fuit Ori-

Digitized by Google

genis sententia, qui non forma corporis, neque animi, sed actionibus voluit in nobis repræsentari imaginem Dei ex Apostolo, tum prima ad Corinth., cap. xv, num. 49, ubi ait : Καθὼς ἐφορίσαμεν τὴν εἰκόνα τοῦ χοϊκοῦ, οὕτως φορέσωμεν καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου : *Quemadmodum portavimus imaginem terreni hominis, ita portemus et imaginem cœlestis :* tum ad Coloss. cap. III, num. 10, ubi dans præcepta recte vivendi, hortatur, fiamus κατ' εἰκόνα τῶν κτίσαντος *secundum imaginem ejus, qui creavit*, quam Origenis sententiam prætermissam ab Huetio, reperies inter Theodoriti quæstiones in Genesim ἐρωτ. 20, et hoc est, quod Zeno heic ait, *sed cœlestis hominis spiritalem ;* ergo non terreni hominis, quod exsequitur expressius in fine serm. IV, de Gen. (nunc tract. XX, lib. II), subdens, quam rationem *Paulus evidenter prodidit dicens : Quemadmodum portavimus imaginem ejus, qui de limo est, portemus ejus imaginem, qui de cœlo est.* Deus enim, ut Theodoritus comment. ad Coloss. cap. 3, num. 10, ait, et Augustinus alicubi, hominem in puritate creavit, et ideo ad suam similitudinem ; at homo per peccatum imaginem obtrivit, quam ut renovare posset, venit Christus donando peccata ex gratia. Variatum porro est in hujus mysterii interpretatione. Nam et noster alias videtur ad animam referre in hoc ipso sermone, et in IV, nunc. XX, alias serm. III, nunc tract. V, lib. II, ad id, quo Deus hominem assumpturus esset, dum ait : *Ne quam filius hominem induturus, pati videretur injuriam ;* quod et Tertullianus sensit. Theodoritus aliter. Sed nos Philologum, non Theologum agimus.

IN TRACT. XX LIB. II, IN EUMDEM LOCUM GENESEOS.

Pag. 219. *Usque adeo incertus, ut idem in duobus per orbem totum non possit inveniri*, etc. Imitatus est Plinium, lib. VII, cap. 1, in quo naturæ vis summa emicat, aut potius Dei summi potentia, qui in infinitis personis diversas effigies, et infinitas præstet ; quod, ut ait Plinius, ars affectando in paucis non possit. At locus, ut planior sit, interpungendus sic est : *Tristitudine : nunc macie deformis, nunc enormi pinguedine : usque adeo incertus*, etc.

IN TRACT. XXI LIB. II, DE PSAL. C.

Pag. 220. Quærit eleganter, pie, et ad plebis sibi commissæ fructum ; qui stent simul misericordia, et judicium in Deo, cum altera indulgentis, et propitii sit, alterum exasperati, et provocati hominum injuriis ; quod ut solvat, tria hominum genera distinguit, unum impiorum, de quibus judicium jam peractum dicit : alterum piorum re, in quibus judicium non habet locum : tertium eorum, qui nomine tenus pii sunt, cæterum Deum inhonorant, et in hos solos judicium et misericordiam habere posse locum concludit.

Ibidem. *Cum aut dicta non pro lucis intelligunt*, etc. Si legas *non pro dictis*, planior erit sensus, et convenientior.

Pag. 223. *Tamen a ministeriis dæmonum*, etc. In ms. *a mysteriis.*

Ibidem. *Multos namque Dei metus in Ecclesia continet.* Est metus Dei, est metus Ecclesiasticarum pœnarum. Metus Dei est unica Christiana disciplina, qui ab amore non distinguitur ; ipsum enim sapere est timere Deum : Ps. CX, num. 9. Noster, infra, de Psal. 127 (nunc in Appendice, in qua Hilario illum abjudicamus) : *Nobis autem timor Domini omnis in amore est, non in metu ; dilectionis autem nostræ in eum hoc proprium officium est parere monitis, statutis obtemperare, pollicitis confidere.* Clemens Alexand., Strom. lib. II, arguit amorem ex timore, quod timor sit principium dilectionis, increscendo enim fit fides, deinde dilectio. Sophocl. Ajace v. 1104 :

Δίος γὰρ ᾧ πρόσεστιν, αἰσχύνη θ' ὁμοῦ,
Σωτηρίαν ἔχοντα τόνδ' ἐπίστασο.

Metus enim cui adest et pudor simul,
Hunc posse salvum esse scito.

A Nescio igitur, qua ratione velit imminuere conditionem ejus, qui Dei metu in Ecclesia continetur. Sed erat et metus Ecclesiasticarum pœnarum, nam in peccatores erat inquisitio et denuntiatio. Vide Canon. 61 et 71 Basilii Magni in Epitome Canon. Harmenopol, lib. V, tit. III, de quo forsan intellexit Zeno.

Ibidem. *Unum justorum, qui non tantum, ut dictum est, non judicabuntur.* Supple ex ms. : *Non judicabuntur, sed istum mundum ipsi judicabunt, Apostolo dicente*, etc.

Pag. 224. *In falso maleficio.* Distingue in ms., *in falso, in maleficio.*

Ibidem. *Alterum vero, quem venena conterentem in adulterio*, etc. Distingue *alterum vero, quem venena conterentem, in adulterio, in homicidio*, etc.

Ibidem. *Ita erit, ut justis corona, peccatoribus aut excusatis, aut emendatis indulgentia.* Theodoritus in Isai. cap. 64, num, 6 : Οὔτε ἔλεος τοῦ Θεοῦ ἄκριτος, B οὔτε ἡ κρίσις ἀνήλεος. διάτι τοῦτο τοῖς ὑπομένουσι καὶ τοῖς ποιοῦσι τὸ δίκαιον, τὴν τοῦ ἐλέου χορηγίαν συνέζευξεν : *Non est expers judicii misericordia Dei, neque judicium misericordiæ : ideo exspectantibus et facientibus justitiam misericordiæ indulgentiam copulavit.*

IN TRACT. XXII, LIB. II, IN ISAIAM I.

Pag. 225. *De cœlo et terra Prophetam fuisse testatum, quasi de aliqua re esse conquestum*, etc. Nota interrogationis deest in ms. nec ei locus heic videtur esse. *Fuisse testatum*, hoc est in testimonium vocasse. Cœlum et terra autem in testimonium advocatur non de se, sed de filiis ingratis, deque Judæorum perfidia : quocirca corrigendus videtur hic locus : *Cœlum et terram prophetam fuisse testatum*, pergo meo judicio emendare. *Vel cum dicit, audi, cœlum et terra, tamquam numquam aut cœlum audierit aut terra, cum jussui Dei et cœlum obsecundet, et terra : Cum cœlum pluvias, et fruges terra non deneget.* Plenior sic erit et concludentior periodus.

C Ibidem. *Vel cum dicitur.* Ms. *vel cum dicit.*

Pag. 226. *Quid illud, quod per mare medium terrenum duxit ingressum*, etc., distingue virgula, post *mare medium*, id est fecit ingressum terrestrem medio mari.

Pag. 227. *Per quam Crucem evaserunt Pharaonem*, etc. Philoni Judæo in libro, *quod deterius potiori insidietur*, Pharao est ἀν ασκιδνῶν, καὶ ἀπορρίπτων τὰς περὶ τῶν καλῶν δόξας, *dissipator atque destructor bonarum opinionum.* Theodoritus quoque in primam ad Corinth. cap. X, eumdem vocat εἰνόνα τοῦ διαβόλου, iconem diaboli, ut ex istis interpretari facillime possis, quid his verbis sibi velit Zeno.

IN TRACT, XXIII, LIB. II, IN ISAIAM II.

Pag. 228. *Eumque ne forte pœniteat, publica objurgatione confutat*, etc. Objurgat ne pœniteat ? (*Vide adnotationem 3 in hunc tract. 23 lib.* II) nugæ : immo ut pœniteat, et a num. 16 benignitate sua salutis viam illis ostendit. Legendum autem, *nisi forte pœniteat.* Addit autem *forte* ex eventu, quia semper in D deterius confirmati, nulla resipiscentia effectus minarum consequi meriti sunt, quas Isaias cap. I, illis Dei verbis interminatur.

Ibidem. *Humana sentienti nundinari deterius est quam puniri*, etc. Humana sentientem explicat sermone proximo, esse perinde *ac apud sapientes et honestos.* Nundinari eodem sequenti sermone respondet illis, *nota confundi ;* nundinari autem arripuit Zeno ex ritu prisco XII Tabularum ; nam actor, cui testimonium deerat, pro foribus rei tribus nundinis querebatur de reo cum convicio, quod dicebatur *vagulari, vagulatio :* vide Festum in *Portum* et in *Vagulatio.*

IN TRACT. XXIV, LIB. II, IN ISAIAM III.

Pag. 229. *Vehemens commotio est, fratres, cum is de injuria sua queritur, qui se potest facillime vindicare*, etc. Hæc gnomia in tantum placuit, ut infra, ser. 4,

Digitized by Google

repeteret. *Non enim leve crimen est, cum de eo ille queritur, qui mox eum potest et punire.* Immo lenis commotio illa est, cum quod animadversione peragi potest, verbis et minis exsequitur. Ammianus Marcellinus, lib. XIX, in fine de Lauritio, qui in Isauriis tumultuantibus, neque æqua promoventibus, minis potius quam acerbitate pleraque correxit: poterat vi, et armis, sed verbis speravit corrigere se posse quod factum est. Huc quodque tendebant minæ divinæ, ut persuaderent correctionem: nec desinit allicere num. 17: *Discite facere bonum, etsi fuerint peccata vestra, ut coccinum, sicut lanam dealbabo.*

Ibidem. *Apud honestos gravius est aliqua nota confundi, quam mori*, etc. Scilicet ignominia pejor morte. Claudian. de bello Gildonico 451:

Nonne mori satius vitæ quam ferre pudorem?

IN TRACT. XXV LIB. II, IN ISAIAM IV.

Pag. 230. Et hic inscribitur *de Judæis* in ms.

Ibidem. *Sed quia mors apud incredulos futurorum putatur pœnæ compendium*, etc. Ad illorum mentem Horatius, lib. I, epistol. XVI, versu ultimo:

Mors ultima linea rerum est.

Et Seneca Troadibus 397.

Post mortem nihil est, ipsaque mors nihil,
Velocis spacii meta novissima.

Sed post mortem restat judicium, ex quo aut gloria, aut pœna æterna consequitur.

Ibidem. *Ac pene pro infecto*, etc. Heic est pro non faciendo, perfectum participium pro futuro.

Ibidem. *Denique res impleta est Domini passione*, etc. Cœlum et terram contestatus fuerat Isaias; at hoc in medio die perdidit diem, et illa motu concussa perdidit firmitatem: utraque testimonium perhibuere, denuntiata illis pœna, reos Judæos factos, cum peccatorum exsecrabilissimum atque detestabilissimum Christi morte patrarunt.

Ibidem. *Cœlum in medio die perdidit.* Ms., *Cœlum medio die.*

Ibidem. *Hinc æstimare licet, quid eis sit reservatum*, etc. Concludit ex priori propositione, morte non omnes pœnas finiri.

IN TRACT. XXVI LIB. II, IN ISAIAM V.

Ibidem. *Judaicum populum salutis suæ omisisse præsidium*, etc. Quum admonitus Isaiæ interminatione divina, non destitit ab impietate, maluitque ultro esse in reatu, quam eniti ad salutem.

Ibidem. *In quo eum non severitas apud omnes condemnat, fratres venerandi, sed pietas*, etc., ac si diceret misericordiam potius meretur, quam convicium. Humanum enim est condolere proximo, seu perdito, seu voluntaria præcipitatione pereunti.

Ibidem. *Neque enim potest de quoquam bene mereri, quem pater patientissimus et clementissimus abdicavit*, etc. Heic hiat oratio, neque videre possum quo sint referenda, aut quid importent. Quocirca non nulla deesse censeo.

Pag. 231. *Filios appellat, ut exaggeret crimen*, etc. toties ista repetit, ut videri possit, tanti ingenii virum argumentorum penuria laborasse. At vir doctrina et pietate insignis præmaluit æstimationem sui vilescere, quam in Ecclesia semen verborum suorum supprimere. Non quotidie ista expromebat, sed aut quotannis, aut statis anni temporibus, aut forsan longioribus, ut audientibus non futura fuerit ingrata ea repetitio, cujus jam alias factæ, non poterant aut scire, aut meminisse: qua fiducia tempus in fructuosiorem Dei cultum impendendum, novorum argumentorum inventioni atque exquisitis verborum lenociniis, quorum si opus foret, non indigus erat subtraxisse, credibile est.

IN TRACT. XXVII LIB. II, IN ISAIAM VI.

Ibidem. *Propheta quod pro veteri vinea*, etc. Ex psalmi inscriptione arguit, tempore novellæ vitis Christianæ perfectum, quod exegerat Asaph in vetere Judaica. Inscriptiones autem psalmorum per Esdram conservatas, et ipsas propheticas, et a Septuaginta senioribus divino afflatu Græce versas, impium et levissimum esset spernere, et recusare. Vide Theodoritum præfatione in psalmos.

Ibidem. *Qui prior vinea Domini dictus est*, etc. Præter auctoritatem psalmi hujus Isaias, cap. v, num. 7, domum Israel vocavit vineam Domini exercituum; Deus ipse per Hieremiam, cap. II, num. 21, profatur plantasse vitem frugiferam totam veram; et Oseas, cap. X, in principio, vitem frondosam Israel dixit. in qua fructus abundans.

Ibidem. *Pro fructibus spinas generavit, pro uva labruscam*, etc. Isaias, cap. v, num. 2: Exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas: in Græco est ἀκάνθας, spinas. Utramque lectionem secutus Noster. Labrusca enim ad maturitatem fructum non perducit, sed flore tenus profert, Dioscorides, lib. v, cap. 2. Ideo dixit floruit quidem, sed infeliciter flore discusso nullos potuit fructus afferre; addidit autem et spinas, quibus Theodoritus allusum, ait, ad coronam, qua caput Domini cinxerunt.

Pag. 232. *Aliam sibi, id est populi nostri, pro sua voluntate plantavit*, etc. Isaias, dicto cap. v, num. 6: Καὶ ἀνήσω τὸν ἀμπελῶνά μου, καὶ οὐ τμηθῇ, οὐδὲ μὴ σκαφῇ. καὶ ἀναβήσονται εἰς αὐτὸν, ὡς εἰς χέρσον ἄκανθαι, καὶ ταῖς νεφέλαις ἐντελοῦμαι, τοῦ μὴ βρέξαι εἰς ἑαυτὸν ὑετὸν. ὁ γὰρ ἀμπελὼν Κυρίου Σαβαὼθ, οἶκος τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ἄνθρωπος τοῦ Ἰούδα νεόφυτον ἠγαπημένον: *Et dimittam vineam meam, et non putabitur, neque fodietur: et adscendent in eam tamquam in terram incultam spinæ, et nubibus mandabo, ne pluant in eam imbrem. Vinea enim Domini Sabaoth, Domus Israel, et homo Juda novella plantatio dilecta.* Vulgata aliter. Origenes in Matthæi cap. XXI, num. 33, observat, a Christo non minas intentatas vineæ, sed agricolis, intelligens vineam esse regnum Dei seu mysteria regni Dei, quæ cum fuerit incuriose, et fraudulenter habita a prioribus, locata fuit fidelioribus et exactioribus agricolis, scilicet Christianis. Zeno perstat in verbis et sententia psalmi, et Isaiæ, prout e Græco dedit. Porro illud, *id est populi nostri*, glossema intrusum ab alio quam ab auctore videtur.

Ibidem. *Beatissimi ignoscite agricultores*, etc. Horatius Epod. 2, beatum agricolam vocavit, de quo causas ibi vide. Noster imitatus *beatissimum* dixit. Philostratus Heroicis admiratur agricolæ etiam in vinetis beatitudinem. Ὡς ποικίλη, inquit, σοὶ ἡ ὥρα τοῦ χωρίου, καὶ ὡς ἐκδεδώκασιν ἐλαροὶ οἱ βότρυς, quam varia est tibi prædii pulchritudo, quamque hilares eruperunt racemi.

Ibidem. *Mensura servata computatur in surculum*, etc., in malleolum, de cujus mensura consule Columellam lib. III, cap. 19.

Ibidem. *Animatus ibidem genitalis humor, manente semper substantia nutriatur*, etc. Lego *genitalis humoris manente semper substantia*; non enim animatur genitalis humor, sed malleolus genitalis humoris, id est terræ substantia. Lucretius, lib. II:

Humorum guttas mater cum terra recepit,
Feta parit nitidas fruges arbustaque læta.

Cicero, de natura Deor. lib. II: *Terra gravidata seminibus omnia parit, et fundit ex sese, stirpes amplexa alit et auget, ipsaque alitur vicissim a superis externisque naturis.*

Ibidem. *Pura materia tabulatis infertur*, etc. Solent agricolæ arbores decacuminare, ubi visum est commodius. Natura enim recisæ parti subvenit, nova sufficiendo germina, quæ adulta post annum partim præcidunt, partim relinquunt, et quotannis eodem loco eligentes, scamnum amplum in arbore faciunt, quod tabulatum est, et veluti bassis expansa, e qua solidiores rami relicti vitis novos palmites sustentant in spem futuri proventus. Columell. lib. v, cap. 6: *Cum deinde adolescere incipient, falce arbores formandæ, et tabulata instituenda sunt; hoc enim nomine*

Digitized by Google

usurpant agricolæ ramos, truncosque prominentes, eosque vel propius ferro compescunt, vel longius promittunt, ut vites latius diffundantur. Plin. lib. XVII, cap. 23: *Tabulata ulmorum ab octavo pede altitudinis dilatantur in collibus, siccisque agris, a decimo secundo in campestribus et humidis.* Per isthæc scamna seu tabulata electi palmites digeruntur, quos puram materiam vocat; nam materia sunt palmites novelli in spem futuri proventus. Columell. lib. III, cap. 10: *Unde etiam materiæ vehementissimæ reperiuntur, aut in capite vitis, aut in crure vicino radicibus.* Idem lib. V, cap. 5: *Putationis autem ratio eadem est, quæ in jugatis vitibus: uno tantum differt, quod pro materiis longioribus pollices quaternum, aut quinum gemmarum relinquuntur.* Puram autem vocavit, quod non omnes palmites reservandi, sed fructuosiores pro arte eligendi. Ibidem 180: *Mox ubi materia vitis exigit, insequitur pampinator, et supervacuos deterget; fructuososque palmites submittit.* Idem, cap. sequenti 188: *Cætera putationis ratio est, ut veteres palmites, quibus proximi anni fructus pependit, omnes recidantur, novi circumcisis undique capreolis, et nepotibus, qui ex his nati sunt, amputati committantur.* Plin. lib. XVII, cap. 22: *Quidquid materiæ adimitur, fructui accedit.*

Pag. 233. *Longius invitata producitur*, etc., quasi extensione, et dilatatione palmitum invitetur ad prolixiorem ubertatem.

Ibidem. *Decore dissipato*, etc. neque enim simpliciter, ut cæteri fructus colligitur, ut servetur, sed quæ ad usum vini, colligitur ut calcetur et dissipetur.

Ibidem. *Duabusque tabulis vehementer urgetur*, etc. Quia prelum per se strictius parum quantitatis subiget. Servius Georgic. II, vers. 242, docet prela esse trabes, quibus uva jam calcata premitur, intellige in torculo tabula superior et inferior est; inferior est ipsius torcularis pars inferior asseribus junctis, et contignatis simul constans, super quam acini prius calcati et expressi digeruntur, a quibus superimposita alia tabula asseribus solutis et divisis, ut minui et augeri possit, contumax succus exigitur, ne quid sit reliqui. Plin. lib. XVIII, cap. 31, de torculis ait: *Spaciosa melius premunt.* Adjuvanda igitur prela tabulis, nam ampliori materiæ quantitate comprehensa opus celerius producitur.

Ibidem. *Medullitus exigatur*, etc. Medulla est intima pars. A medulla exsugere est totum exprimere; sic a vinaceis succus medullitus exigitur, ut nec minimum supersit.

Ibidem. *Et patrifamilias cellis vinariis*, etc. Melior lectio ms., *Patrisfamilias.*

Ibidem. *Ut melius veterascendo reddatur*, etc. Vinum vetustate commendari protritum. Pindar. Olymp. IX, antistroph. 2,

. . . . Αἶνει δὲ παλαιὸν
Μὲν οἶνον, ἄνθεα δὲ ὑμνων νεωτέρων.

Laudat autem vetus quidem vinum, flores autem hymnorum recentium. Cicero Lælio 223: *Ea vina, quæ vetustatem ferunt, esse debent suavissima.* De vinis, quæ et quantam vetustatem sentiant, consule Athenæum Παρεκβολαῖς lib. I, cap. 21.

Pag. 234. *Luxuriosi crines falce tunduntur*, etc. Non male editori Veronensi suboluit legendum *tondentur*, ut proprietas verborum et sensus servetur; non enim vites tundendæ sunt, sed neque falce retusa secandæ, Columell. lib. IV, cap. 24: *Ne vitis laniata, scabrataque putrescat humoribus, nec plagæ consanentur.*

Ibidem. *Ad jugum pervenit.* Jugata vitis, quæ pedamentis diversis transversa ducitur. Varro, de Re rustica lib. I, cap. 8: *Quibus stat rectis vinea, dicuntur pedamenta, quæ transversis jugantur, juga.* Jugum aliud simplex, aliud compluviatum. Plin. lib. XVII, cap. 24: *Sparsis per terram palmitibus, aut per se vite subvecta, vel cum adminiculo sine jugo, aut pedatæ simplici jugo, aut compluviatæ quadruplici.* Idem, lib. codem, cap. sequenti. *Alii proximo quidem anno recidunt, quarto demum perducunt ad jugum.* Habet jugata vitis cruois figuram, ideo dicit: *Ad jugum pervenit, cum præerogata omni facultate, pauperibus crucem suam portans.* Hujusmodi adsimilitudines placuere antiquis Patribus, ut videre est in Justino martyre Apolog. II, fol. 90, et Tertull. Apologetico, c. 16.

Ibidem. *Cum præerogata omni facultate*, etc. Erogare est distribuere, elargiri. Plin. Paneg. 75: *Interrogandus videris, satisne computaveris imperii reditus, an tantas vires habeat frugalitas principis, ut tot impendiis, tot erogationibus sola sufficiat.* Legendum igitur *præerogata*, non *prærogata*, ut legitur in editione Veronensi. Solebant Christiani tunc (semper enim persecutio imminebat) bona sua divendere, et pretia erogare Ecclesiis in usum pauperum fidelium, aut ipsi abs se electis elargiri, non tantum ut liberi mundanis curis expediliores in martyrium irent, sed etiam ut Christi præcepto parerent. Marci cap. X, n. 21: Venderemus cuncta, pauperibus daremus, ut haberemus thesaurum in cœlo, et alacriores sequeremur eum. Pontius, de Cypriano: *Distractis rebus suis ad indigentiam pauperum sustentandam, tota prædia pretio dispensans, duo bona simul junxit, ut et ambitionem sæculi sperneret, qua perniciosius nihil est, et misericordiam, quam Deus etiam sacrificiis suis prætulit impleret.*

Ibidem. *Consummata omni justitia*, etc., id est adimpleto omni eo, quod ad justitiam divinam spectat; quæ sit justitia divina collige ex notis ad fol. 337, infra, nunc tract. III, l. I. Eodem colore Cyprianus, epist. LXXVII: *Ut ex vobis pax jam martyrii sui consummatione præcesserit*, id est peractum sit, quidquid opus fuerat ad confitendum Christo.

Pag. 235. *Similiter judicii die a Christo confessorum sanguinis vindicta ad ultimum quadrantem exigitur*, etc. Heic comparatio longius procedit et claudicat. Non enim in expressoribus musti culpa poterat excogitari, quam exigeret in fusoribus innocentis Christiani sanguinis; illi impenderant sese, ut mustum colligerent, et ministerium perficerent; isti ut sanguinem spargerent, et disciplinam pessumdarent; illis merces, istis animadversio debetur.

IN TRACT. XXVIII LIB. II, IN ISAIAM VII.

Pag. 236. *Compendiosum felicitatis genus alterius periculo discere, quid debeas evitare*, etc. Publius Syrus ad hanc ipsam mentem:

Bonum est fugienda adspicere alieno in malo.
Ex vitio alterius sapiens emendat suum.

Ibidem. *Iram Dei generaliter comminantis qui vult effugere, debet illi inculpate servire*, etc. Scopus enim divinæ legis est vitia amputare, atque animos devios in viam rationis revocare. Hierocl. Comment. in carm. Pythag. num. 18: Θεὸς τοὺς κακωθέντας αὐτεξουσίαις ὁρμαῖς, καὶ τὸν ἐν αὐτοῖς ὀρθὸν λόγον ἀμνημονήσαντες ὡς μετὰ κακοὺς κολάζει κατὰ τὸν νόμον τὸν ἀπαγορεύοντα τὰ κακά. *Deus quos appetitus animi voluntarii a recto abduxerunt, et qui rectæ rationis, cujus sunt compotes, obliti videntur, hos tanquam improbos ulciscitur ex lege quæ mala vetat;* qua autem de causa, consule Clementem Alexand. Stromat. lib. IV, 536.

Ibidem. *Urgentium sacramentorum non sinit pondus*, etc. Quot sunt mysteria in fide Christiana, tot sacramenta vocantur scriptoribus antiquis; et ipsa christiana professio sacramentum christianæ religionis dicitur Septimio semper Florenti lib. IV adversus Marcionem cap. 2, Sacramenta Nostro nominata intelligi putem de cœna eucharistica, quam sacrificii Dominici sacramentum vocavit Cyprianus, epist. LXIII. Certe præter istud, urgens sacramentum aliud esse non potest, cætera differri possunt; hoc suum tempus habet, et non potest dispesci, si pro dignitate et merito fiat. Possit intelligi, et de tinctione

Digitized by Google

Catechumenorum, nam et hæc utpote indicta non erat dissernenda.

Ibidem. *Vinea Dei*, etc. Confer sermonem olim in psalmum LXXIX, nunc tract. 27, lib. II, et quæ ibi adnotavi. Nam heic videtur sermo non diu factus post sermonem eum, cum dicat *memoratæ vineæ disputatio*, quæ non alibi, quam in eo sermone in psalm. LXXIX.

IN TRACT. XXX LIB. II, INVIT. AD FONT. I.

Pag. 240. *Jam mater nostra adoptat, ut pariat, sed non ea lege*, etc. Majus est parere quam adoptare; parere est opus naturæ; adoptio legis atque naturæ imitatio. Vult adoptionem per baptismum non esse ad filiationem, sed verum partum, quo fiamus veri filii Dei; sed amplius, non talem esse parturitionem, qualem mulieris, sed qualem divinitus mysterio infusa gratia hominem perficit, et Deo asserit.

Pag. 241. *Altaris feliciter enutrita cancellis*, etc., erat nimirum altare cancellis septum, ne plebs tumultuaria accessione sacerdotis munera perturbaret, neve reverentiam sacris diminueret. Euseb. Eccles. histor. lib. X, cap. 4, ex oratione panegyrica de exædificatione Ecclesiarum 381 : *Postremo sanctum sanctorum, altare videlicet in medio constituit :* αὖθις καὶ τάδε ὡς ἂν εἴη τοῖς πολλοῖς ἄβατα, τοῖς ἀπὸ ξύλου περιέρραττε δικτύοις, *ut hæc sacraria multitudini inaccessa essent, ea rursus ligneis cancellis munivit.* Auctor vitæ Basilii Macedonis, cap. 55 et 56 : Καὶ αἱ τῶν ἐκτὸς διείργουσαι τὰ θυσιαστήρια κιγκλίδες ; *Et qui ab exterua parte templi sanctuarium secludunt cancelli.*

IN TRACT. XXXI, LIB. II, INVIT. AD FONT. II.

Ibidem. *Ad æthereas portas, fratres, intrate*, etc. Ms. *æthereas portas*, omissa præpositione, quod retineo.

Ibidem. *Æternique gurgitis alveo genitali condentes ullam pro personis operari ne æstimetis heic gratiam*, etc. Quid istud *condentes?* utique incongruum ; cum potius *condendi* dicendum esset, si sensus pateretur. Dubium diu me hæc scriptura habuit, neque unguinm morsus quidquam adjuvit, ut pro genio quid substituerem. Quid si legamus, *capientes undam*, metaphorice, ut solet? ut sic legendum sit, *æternique gurgitis alveo genitali capientes undam, pro personis*, etc.

Ibidem. *Pro personis operari ne æstimetis heic gratiam*, etc. Horum interpretamentum dabit sequens invitatio quarta, in qua *genere, ætate, sexu, conditione diversi, mox unum futuri*, et in serm. I ad neophytos : *Ex quo qui eratis ætate diversi, diversi natione, subito germani fratres, subito unigeniti emersistis infantes.*

Ibidem. *Judicio vestro nascimini*, etc., hoc est electione vestra, et fide, constanti proposito.

Ibidem. *Hominem istum vestrum veterem*, etc. Tertull. de Resurrect. car. c. 47 : *Per simulacrum enim morimur in baptismate, sed per veritatem resurgimus in carne.* Excerpta ex Theodoto edita post Clem. Alexand. fol. 800 : Θάνατος δὲ τέλος λέγεται τοῦ παλαιοῦ τὸ βάπτισμα.

Pag. 242. *Fœterosis cum pannis*, etc. Vide adnotata supra, ad pag. 115.

IN TRACT. XXXII LIB. II, INVIT. AD FONT. III.

Pag. 243. *Ad desiderata quantocius festinate*, etc., scilicet Sacramenta baptismi. Fides jam allicuit, catechesis firmavit, destinata genitalis unda concepit, aqua per Sacramentum cnixura est : enitimini igitur ad partum, ut simul futuri s tis lactentes.

Pag. 244. *Ecce mox infantum dulcis vagitus auditur :* corrige ex ms. : *Ecce vox infantum et dulcis vagitus auditur.*

Ibidem. *Quæ tunc non laborat*, etc. Quæ excipit liberos, quo numerosiores sunt, indicat Ecclesiam omnium salutem in Christo oppetentem, etc.

IN TRACT. XXXIII LIB. II, INVIT. AD FONT. IV.

Ibidem *Mox unum futuri*, etc. Vide in fine, et ex illis, *hæc est mater omnium quæ nos adunatos ex omni gente et natione collectos unum post modum efficit corpus*, hæc interpretare. Adde D. Paul I ad Corint. cap. XII, num. 12.

Ibidem. *Quoniam quantum quis crediderit et operatus fuerit*, etc. In ms. desunt illa *et operatus fuerit.*

Pag. 245. *Hæc est mater omnium*, etc. Ecclesia. Supra invitat 3. Ultro currite ad matrem, quæ tunc non laborat, si quos pariter numerare non possit.

IN TRACT. XXXIV LIB. II, INVIT. AD FONT. V.

Ibidem. *Quos sua parturit fides*, etc. Per fidem enim homo accedit ad baptismum, credens sic placiturum Deo, et sibi fore remuneratorem, per quod renascitur, et novus partus fit.

Ibidem. *Mundi hujus fugientes insidias*, etc. Baptismus enim non tantum resecat præterita peccata, sed etiam, ut ait Theodoritus, hæretic. fabul. lib. V, cap. 18, mortis dominicæ et resurrectionis efficit participes, dona Spiritus Sancti largitur, et facit Dei hæredes atque Christi cohæredes. Vide Cyrill. Hierosol. Catech. mystag. 2 fol. 235.

IN TRACT. XXXV, LIB. II, INVIT. AD FONT. VI.

Pag. 246. *Igne dulcissimo temperata, blando murmure jam vos exspectat*, etc. Alludit ad balnea quæ in more, et luxu antiquorum, quorum alia fervens tia, alia calida, alia tepentia, alia frigida pro conditione et gustu. Fervens tia abominatur Epigrammatographus ille apud Salmasium in Lampridium fol. 113, sicuti et apud Athenæum, lib. I, cap. 14, Antiphanes ; atque ab horum usu defatigatione lassos prohibet Cornel. Cels. lib. I, cap. 3. Istis sudorem provocabant ad differentiam sudationis assæ (uti vocat Celsus lib. III, cap. 23) quæ captabatur in laconicis. Frigida ab exercitatione prohibet Plutarchus in commentario de sanitate tuenda. Calida a tepentibus diserte distinxit Vitruvius lib. V, cap. 10. Ideo tepentia igne dulcissimo temperata, quæ allevarent et foverent, non resolverent, magis grata.

Pag. 247. *Quod unctui, quod tersui opus est*, etc. Homerus Iliad. X. v. 577 :

Τὼ δὲ λοεσσαμένω, καὶ ἐλαίῳ χρῖσθον Ἄχαιοι.

Postquam loti fuerunt et uncti pingui oleo.

Cornel. Cels. lib. I, cap. 3 : *Ubi paulum conquieverunt intrare et descendere in solium, tum multo oleo ungi, leniterque perfricari.*

IN TRACT. XXXVI LIB. II, INVIT. AD FONT. VII.

Pag. 248. *Lacteum genitalis fontis ad laticem convolate*, etc. Alludit ad novam nativitatem, qua baptismo regeneratus laticem fontis, tamquam nutricis Ecclesiæ lac, sugit non ore, sed mersione, et lavacro. Figurate nimirum in hoc et similibus ludit, non enim erat aqua bibenda, non vasa replenda, non ardor corporalis sitis exstinguendus ; sed Sacramentum imbibendum, templum interius spiritui divino præparandum, atque ardor divini amoris excitandus magis, et cumulandus, non exstinguendus. Sed viri eloquentis prompta facultas, quandoque ad normam non exacta videtur protulisse, ut gratiam captaret magis, atque ejus mentem intelligentibus lenocinium faceret. In ms. conjunctim legitur, *convolate incontanter, ac fortiter bibite*, quod elegantius sonat.

Pag. 249. *Hoc ante omnia scientes, quia nec effundere licet, nec rursus haurire*, etc. Intellige sine pœnitentia, quam interpretationem ipse dedit supra, Invitatione sexta : *Quam qui non polluerit, regna cœlestia possidebit.* Alio sensu nec rursus hauritur, quia hæc sacra mersio non iteratur.

IN TRACT. XXXVII, LIB. II, INVIT. AD FONT. VIII.

Ibidem. *Cupiditate, et velocitate cervina*, etc. Allusio manifesta ad Psalm. XLI : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum :* nec male, si, ut nos ad illum Psalmum docet Theodoritus, cervi feris venenatis devoratis sitim vehementissimam contrahunt,

Digitized by Google

ut aquas magnopere expetere illis sit necesse. Quadrabit nimirum homini, qui illuvie peccatorum squallido, cum animam suam venenosa labe atque serpente infecerit, cœlesti numine tactus, ad fontem baptismatis properet, ut a captivitate diaboli liberetur, peccatorum remissam consequatur, animam regeneret, accipiat signaculum sanctum atque indelebile, quo regno cœlesti conciliatus, adoptionem Dei consequi mereatur, cujusmodi delineat Cyrillus Hierosol. in Proœmio.

IN TRACT. XXXVIII LIB. II, AD NEOPHYTOS I.

Pag. 250. *Post devotissima completa expiationis sacræ*, etc., Ante baptismum Catechumeni præparabantur jejunio. In excerptis ex Theodoto fol. 801. A. Διὰ τοῦτο νηστεῖαι, δεήσεις, εὐχαὶ γονυκλισίαι. Tertull. de Baptism. cap. 10: *Ingressuros baptismum orationibus crebris, jejuniis, et geniculationibus, et pervigiliis orare oportet, et cum confessione omnium etiam retro delictorum.* Hinc destinabatur baptizandis sabbatum primum post Pascha post Quadragesimæ jejunium expletum, et actum pœnitentiæ exercitium. Cyrill. Hierosol. in Proœmio Catech. Πολλή σοι ἡ προθεσμία, τεσσαράκοντα ἡμερῶν μετάνοιαν ἔχεις: *Satis longum habes intervallum, cum pœnitentia dierum quadraginta tibi datur.* Tertull. ibid. cap. 9. Diem baptismo solemniorem Pascha præstat. Vide Canon 45 et 46 Laodicenos. De confessione autem ante baptismum vide eumdem Cyrillum, Catech. 3, 18.

Ibidem. *Post clarissimæ noctis suo Sole*, etc. Sole justitiæ Christo pernoctante, et divinitatis splendore illustrante; vigilabant enim, ut adstipulatur Tertull. jam citatus, et pervigilia pie in oratione insumebant, ut elicitur e Concilio Eliberitano cap. 35.

Ibidem. *Post lactei fontis lavacro vitali*, etc., lacteum dicit nativitati novæ conveniens, futurum alimentum ad immortalitatem.

Ibidem. *Ex quo qui eratis ætate diversi*, etc. D. Paulus, I ad Corinth. c. XII, num. 12.

Pag. 251. *Læto celebrat convivio*, etc. Ritum dat Justinus Martyr. Apolog. II, 92. Et ante Tertull. advers. Marc. lib. IV cap. 34, 558. C. et Jobus, apud Photium, 595, 43. Ad hoc enim ducit necessitas gaudii, et gratulatio salutis, ut ait Tertull., de Baptismo cap. ultimo.

Ibidem. *Nutrimentorum lenocinio*, id est ciborum varietate ganeonibus expetita.

Ibidem. *Obrutum pectus sæpe crudis atque acidis vomitibus inurgetur*, etc. Pectus obruitur, cum cibi corpus superent, neque a corpore cibi superantur, ut ait Hyppocrates, περὶ τόπων τῶν κατ' ἄνθρωπον. Cyprianus, epist. 64: *Cœnis atque epulis etiam nunc inhiant, quarum crapulam nuper superstite in dies cruditate ructabant. Inurgetur* autem dicit, quod vomitiones provocarent. Seneca Consolation. ad Helu. cap. 9: *Vomunt, ut edant; edunt, ut vomant, et epulas quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur.* Suetonius Vitellio, c. 13: *In jentacula et prandia, et cœnas commessationesque facile omnibus sufficiens vomitandi consuetudine.*

Ibidem. *In quo musti vestri dulcedo.* In ms. *in quo non musti vestri dulcedo*, etc.

Ibidem. *Esurientes accipite*, etc. Sobrie, non ad satietatem.

Ibidem. *Paterfamilias*, etc, Christus, qui vino et pane corpus et sanguinem suum communicat.

Ibidem. *Tres pueri unanimes legumina*, etc. Ananias, Misael et Azarias. Vide Danielem, cap. I.

Ibidem. *Oleum Christus infundit*, etc. Solebant enim denudari, et oleo ἱπορκιστῷ, hoc est exorcisato a capillis ad pedes perungi, inde ad lavacrum baptismi deduci. Ritum docet et explicat Cyrillus Hierosol., Catech. mystag. II, 231 et 232.

IN TRACT. XXXIX LIB. II, AD NEOPYTOS II.

Pag. 253. *In prima nativitate persistens*, etc. Primam nativitatem vocat, quam a matre habuit, secundam quam a sacro Fonte. Christus dum dixit Joannis cap. III: *Nisi renati fueritis ex aqua et spiritu*, secundam nativitatem indicavit.

Ibidem. *Fex incensa omnibus momentis exurit*, etc., legerem potius *fax*. Sic Cyprianus, ad Donatum de se: *Postquam cœlitus spiritu hausto in novum me hominem nativitas secunda reparavit*, deinde addit: *Vitiis adhærentibus obsecundans eram, et desperatione meliorum malis meis velut propriis et vernaculis favebam;* eadem epistola ad Donatum. Seneca, controvers. lib. I, 8: *Ille in nos dominatur affectus, qui animum primus intravit. Luxuria, avaritia, desidia, injustitia, timor non dediscuntur, et quotidie hæc omnia castigantur aut puniuntur: in tantum etiam vitiorum tenaces sumus.*

Ibidem. *Conscientia suum numquam deserit peccatorem.* Seneca, epist. XLIII: *Bona conscientia turbam advocat, mala etiam in solitudine anxia atque sollicita est.*

Ibidem. *Sed fortiter examinati estis*, etc., tractum a militibus, qui fortes dicti, et pro munere fortiter facere tenebantur. Trebell. Poll. Claudio, cap. 9: *Ipsis, qui superfuerant, fortiter facientibus.* Ammian. Marcell. lib. XVII, cap. 6: *Ne vita postea consul. et affuisse et fortiter fuisse firmatur.* Themistius, orat. 9: Ἡ Ῥωμαίων φωνή, καὶ ὁ θεσμὸς τῆς πολιτείας τοῖς στρατιώταις ἐξ ἀνδρίας μόνης τὰς ἐπωνυμίας νομοθετήσας. *Romanorum more et instituto milites de sola fortitudine indigitantur.* Christianus autem militare dicitur. Tertull. ad Martyr. cap. 3: *Vocati sumus ad militiam Dei vivi.* Fortiter examinatos dicit, id est tyrocinium viriliter et inculpate præstitisse.

Ibidem. *Novum judicii genus*, etc., id est, quod alicubi in diverso sensu dixerat Tertullianus, *confessio nominis non examinatio criminis.* Absolvitur, si fatetur se impium, se reum; excusare autem non debet, quod abominari et abjurare debet.

Pag. 254. *Puniri festinant*, etc. Pœna innoxia baptismi. Alludit ad id, quod per baptismum moriatur homo vetus; inde pergit de gladio, de interfectione, et de elementi sacri gurgitis sepultura.

IN TRACT. XL, AD NEOPHYTOS III.

Pag. 255. *Pia sanctione, ut aiunt, claves vere aureas misit*, etc. Illud, *ut aiunt*, solet de dicto vulgari, et tamquam proverbio; at apud adagiorum collectores quæsitum reperire non potui, ut possit commodo expungi. Aurea dicta, quæcumque in pretio, jam scimus, et tangit Martial. ad carmina Pythagoræ. Sic claves, de quibus hic Zeno agit, procul dubio quantivis pretii et æstimationis sunt, quippe quibus cœli janua reseretur. Data namque per eas ligandi et solvendi animas potestas ministris Ecclesiæ tum peccantibus post baptismum, et pœnitentibus: tum emergentibus ad baptismum ex secta impia, et nomen Christo dantibus, ut nihil minus quam aureæ dici possint, quæ tantum præstare possint, ut adserant nos Deo, volentes tamen in mandatis ejus perstare, et Christi sanguinis fructum emereri.

Ibidem. *Non illas, quæ maligno beneficio crimina excipiunt*, etc., quæ abscondunt reum, ut animadversioni subtrahatur, quod malignum beneficium vocat.

Ibidem. *Nostræ acervatim absolvunt*, etc., a quantocumque cumulo peccatorum. Supra de psalmo LXXIX, nunc tract. XXVII: *Omnia omnino peccata baptismate Spiritus sancti vigore amputantur.*

Ibidem. *Nec aliquid subsecivi esse patiuntur*, id est nil relinquunt inabsolutum, nihil extra clusum, omnia delicta hujus Sacramenti gratia deleta. Subsecivum est, quidquid de extremitate perticæ superest, dictum a subsecante linea, ait Frontinus de agrorum qualit. 49. Solebant agrimensores agros per centurias quadrilateras dividere, quod autem extra quadratum, et de extremitate perticæ excurrit, illud subsecivum dicere. Centuria est ager ducentorum jugerum, qui apud antiquos cum centum hominibus

Digitized by Google

adsignaretur, inde nomen habuit, ait Siculus Flacc. de condition. agrorum. Aggenus, in Frontin : *Subseciva dicuntur quæ assignari non potuerunt, idest cum sit ager centuriatus in loca culta divisus, quæ in centurias erant, cùm centuria explèri non potuit, subsecivum appellant. Hæc aliquando auctor divisionis aut sibi reservavit, aut aliquibus concessit, aut Reipublicæ, aut privatis personis, quæ subseciva quidam vendiderunt*, etc. Vide eumdem Aggen. fol. 57 et 58, ut plenissime de subsecivis discas. Hæc enim satis sunt ad percipiendam Zenonis mentem, qui ex hoc more indicare voluit, per virtutem baptismi nihil exceptum.

Ibidem. *Salvo reo punitur reatus in eo.* Ms. habet *punitur reatus in reo.*

Pag. 256. *Inde est, quod nostra non habet necessaria tormenta confessio*, etc., nam ultro fiebat. Matth. cap. III, num. 6; Marci cap. I, num. 5, et Actor cap. XIX, num. 18 : Cyrill. Hierosol. Catech. 3, Πρῶτον ἐδείκνυν τὰ τραύματα, εἶτα ἐπῆγεν ἐκεῖνος τὰ ἰατρεύματα. *Primum ostendebant vulnera, deinde ille medicamenta apponebat.* Loquitur de Joanne baptizante.

Ibidem. *Cæterum qui parcit venefico, homicidæ, adultero*, etc., *nisi ejus curaverit mentem*, etc. Seneca, epist. 95, post medium. *Non contigit tranquillitas, nisi immutabile certumque judicium adeptis : cæteri decidunt subinde, et reponuntur, et inter omissa appetitaque alternis fluctuantur.* In nova nativitate Christiano id erat debitum, ut renasceretur mutatis pridianis moribus; nova quippe professio, dum ne fucata, mors fuerat criminum, vita virtutum, ut eleganter et θεοδότιν Cæcil. Cyprianus in epistola elegantissima, cujus et ista ad hanc rem sunt : *Tantum sitiat pectus, et pateat ; quantum illuc fidei capacis adferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus.*

IN TRACT. XLII, AD NEOPHYTOS V.

Pag. 259. *Etenim vester contractus omnis ablatus est*, etc. Ad annum Jubilæi hæc referenda sunt, non quod inter Christianos mos ille et lex Mosaica locum haberet, sed a simili adumbrat, quantum differentiæ fuerit inter superstitionem impiam ethnicam, et securitatem religiosam christianam. De Jubilæo notum est ex libris sacris, et ex Josepho lib. III Antiquitatum cap. 10, quinquagesimo quoque anno contractus omnes adæquatos, fenus remissum, servos manumissos; quæ autem de corporeis sancita fuerant, de spiritualibus adsumit Zeno, ut nexus sæculi, nexus voluptatum, nexus diaboli per baptismum dicat solutos, fractos, abruptos, et neophytum adsertum in conscientiæ fiduciam, qua enitì possit ad salutarem vitam, si constiterit in fide, spe, charitate et constantia in mandatis Dei.

Ibidem. *Non vos ullus terror exagitet*, etc., fide et spe constantes.

Ibidem. *Ne quid adulterum pariat*, etc., lego *ne quid adulterinum.*

IN TRACT. XLIII, AD NEOPHYTOS VI.

Pag. 262. *Sed curiositatem vestram bene novi*, etc.; vocat curiosos in eo, qui fieri possit, ut dicantur renati infantes ejusdem ætatis, cùm veteris vitæ usus adhuc sub eorum schola sit; et eam usurpant amodo, a qua ut deterret, ita novæ genituræ horoscopos scrutatur eleganter et ad propositum ingeniose.

Pag. 264. *Sed has omnes salutari profluens omne non magnopere*, etc., lege ut in ms. *amne.*

IN TRACT. XLIV, LIB. II, AD NEOPHYTOS VII.

Pag. 265. *Quæ nullo adulterata fermento est*, etc. tractum a dicto Christi Matth. cap. XVI : *Cavete a fermento Pharisæorum*, quod interpretatur Origenes Pharisæorum doctrinam, de qua Jesus non vult discipulos suos comedere, parata illis potiori, recenti, et spirituali massa. Theodoretus, in epistolam primam ad Corinth., cap. V, num. 6, vetus fermentum vocatum ab Apostolo ait, τὸ πρὸ τοῦ βαπτίσματος, *quod fuit ante baptismum*, quod dediscendum fuerat a baptizatis, et edenda azyma, ut Paschate Judæi edebant, jam pro Christianis immolato Christo, qui illorum Pascha verum est.

Ibidem. *Levigata est oleo germinali*, etc. Tertullianus, de Baptismo, cap. 7: *Exinde egressi de lavacro perunginur benedicta unctione.* Cyrill. Hierosol. jam citatus, ait unctos prius ante baptisma : sed tu vide Pamelium ad locum Tertulliani.

Ibidem. *Officiis competentibus temperata*, etc., quos describit serm. I, 255.

Pag. 266. *Certe cacabacii non sunt*, etc. Tertull. adversus Hermog. cap. 41 : *Si æqualis momenti, jam non turbulentus, nec cacabacius, sed compositus et temperatus.* Turbulentus videtur opponi composito et sedato : cacabacius ebullienti et despumanti, ut turbulentus sit, qua movetur in cacabo humor ignei æstus ebullitione. Cacabacius, cum ebullitionis motu sopito, effervens nihilominus, labiis admotus ferri non possit, ut videtur et Noster voluisse, panes non esse adeo ardore ferventes, qui labia et dentes arceant, non adeo vetustos, ut dentes frangant, non sic ustos, ut sint potius carbones quam panes, non crudos, ut massa adhuc sint, non mucidos, ut nauseam moveant. Cæterum panes in clibano coquebantur, puls in cacabo. Julius Paul., in l. XVIII, § 3, De Instruct. et instr. legat. lib. XXXIII Digest., ut minus recte dicere visus sit Zeno, dum panes cacabacios non esse dixerit. Sed (*Vide Adnot.* 6, *in pag.* 266) vocem visus est amare magis quam proprietatem.

Ibidem. *Sed fortassis, quod nonnulli forma videntur minores*, etc. Quid hoc? An perstat in metaphora de panibus azymis? At infra dicet tripondes esse sine discrimine omnes. An intelligit de forma et statura corporis? At hoc non cadit sub adsumpto novæ nativitatis, et remotum a proposito est. Obscura isthæc mihi.

Pag. 267. *Denique et vos retinetis pondus antiquum ; habetis hædinam*, etc. Isaacus Casaubonus, in Æl. Lampridium 150, rectissime monet, pro *hædinam* legendum *aginam*, quam lectionem confirmat Tertull. proxime citato loco adversus Hermogenem : *In neutram partem pronus et præceps ; mediæ* (*quod aiunt*) *aginæ æquilibrato impetu ferebantur.* De agina, vide festum.

Ibidem. *Exagium facite*, etc. Inscriptio VI, f. 647 : *Ratio docuit utilitate suadente, consuetudine micandi summota, sub exagio potius pecora vendere, quam digitis concludentibus tradere, ut adpenso pecore proficiat venditori sub conspectu publico fide ponderis comprobata, ut quantum caro occisi pecoris adpendat, et emptor norit, et venditor.* In novella XV Theodosii : De ponderibus quoque, ut fraus penitus amputetur, e nobis aguntur exagia. Exagium igitur pensatio est. Glossæ ἔξαγιον pensatio : ἐξαγιάζω examino, perpendo.

Ibidem. *Singulos ponderate, invenietis nullam habere minus*, etc. Nullam habere minus, cujus? aliquid deesse res ipsa clamat, quod quantitatem denotet; nam quod alii substituunt *nullum*, nullo modo habere locum censeo.

Pag. 268. *Tripondes sunt homines*, etc. Hoc est trinæ virtutis pondere aucti, macti; quod baptizati in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti, non solum veteribus peccatis exciderint, sed facti filii Dei, atque cohæredes Christi, participent illius mortem, illius resurrectionem, atque dona Spiritus sancti. Cæterum dupondium, tripondium apud scriptores est duo pondo, tria pondo, subintellecto, quod rei propositæ convenit. Sic Varro, lib. IV de Ling. latin. versus finem, dupondium a duobus ponderibus dici ait, ut neque speciem, neque corpora, sed pondus cujuscumque rei connotare innuat. Vage igitur applicata ea nomina, et in glossis *dupondium* δινούμιον dicitur, cum nummus de qualibet pecunia intelligatur. Justinianus imperator in proœmio digestorum, juri civili operam dantes primo anno, vetet imposterum dupondios appellari, quasi frivolo, et in contemptum facto

Digitized by Google

eognomine morarentur, alioquin excitandi decore nominis, et honestate studiorum, quibus honorificum tituluin, et a suo nomine elargitus est : ut procul dubio dupondium de drachmis vilissimi pretii ab eo intellectum credamus, quo sensu inter alios et Seneca, epist. XVIII, dupondio saturum eum esse voluit, quem minimus et vilissimus cibus expleverit. Contra pro duobus et tribus aureis accipitur in aliis glossis apud Salmasium in Lampridium, quem consule. Alias etiam libris accommodatum, et quidem aureis, ut adstipulatorem do Gronovium, de Sestert. lib. I, c. 7. Noster in majori momento de sacramento Baptismi dixit, quod Trinitatis divinæ virtute attracta, quantivis pretii, et dignationis pondus tinctus meruerit. Cæterum Casaubonus loco citato in Lampridium 150, monuit legendum *tripondes sunt omnes, non homines*, et sententia ita requirit.

Ibidem. *Qui mensæ deserviunt*, etc. Ista ad quid dicta sint, non capio, per me abesse possunt.

IN TRACT. XLV LIB. II, DE DIE DOMINICO PASCHAT. I.

Pag. 269. In ms. est sine titulo, et inscribitur serm. XXXIII, lib. I.

Ibidem. *Sæculorum hæres*, etc. Diem sæculorum hæredem dixit, quia a sæculis indesinenter renascatur usque, et hinc communem sæculorum conditionem jactet. Consonanter itaque in tragœdia, e malis effugium desperans Neoptolemus apud Sophoclem Philoctete 1322 et sibi adfutura profatur :

. . . . Ὡς ἀν αὐτὸς ἥλιος
Ταύτῃ μὲν αἴρῃ, τῇ δὲ δ' ἀν δύνῃ πάλιν.

Donec iste sol hic oritur, atque illic vicissim occidit.

Ibidem. *Paterno cursu*, etc. Quia dies solis filius. Pindarus Olymp. B. antristroph. 2. ἀμέραν παῖδα Ἁλίοῦ vocavit.

Ibidem. *Meta rotatus in se.* Ms. *in sese.*

Ibidem. *Proferens sibi de fine principium*, etc. Hoc est, quod paulo post dicit, *proferens natalitia infinita*, natales infinitos *de occasu*, quod sermone seq. *idem sui successor, idemque decessor;* et quod serm. 5: *Parit sibi de fine principium*, quod septimo : *Quod præterit sequitur ; quod futurum est antecedit ;* et aliis alibi dicendi elegantibus formulis, ut ex exemplo, quantum penu apud eum fuerit, arguere sit. Apud Athanæum, lib. X, cap. 19, ænigma tale :

Εἰσὶ κασίγνηται δίτται, ὧν ἡ μία τίκτει
Τὴν ἑτέραν· αὐτὴ δὲ τεκοῦσα πάλιν γ' ὑπὸ ταύτης τεκνοῦται.

Sorores duæ sunt, quarum altera parit alteram, et eam quæ peperit, rursum parit altera. Diem et noctem intelligit.

Pag. 270. *Sed dives in frumenti varias moles spicam feliciter contundens palma*, etc. Hinc sine meliore ductu non me expedio. Forsan legi possit. *Qua dives in frumenti varias moles* culmos *spicam feliciter contundit palma*, id est triturat ; aut forsan aliquid deest. In ms., *Spicam feliciter contundens palmam, quam prosequetur congrue*, etc.

Ibidem. *Gutturi longe moliti, id est æternæ morti sunt a Deo, quod opus tenebrarum*, etc. In ms., *Gutturi longe inoliti, id est æternæ morti sunt ideo, quod opus tenebrarum.*

IN TRACT. XLVI LIB. II, DE PASCHA II.

Pag. 272. *Instabili cursu, multiformi gratia redimitur, temporum solemni vestigio dies salutaris advenit*, etc. Lege *in* disjunctim, *stabili cursu*, ut respondeat *solemni vestigio*, hoc est rato et fixo, *multiformi gratia redimitus*, etc. Quæ lectio e serm. 8 (nunc tract. seq.) confirmatur et ita in ms.

Ibidem. *Anni parens, annique progenies antecedit*, etc. Distingue et interpunge, *progenies, antecedit, sequiturque*, etc. Dicitur autem anni parens, quia veteris anni ecclesiastici initium a Pascha sumebatur, et Pascha dicebatur annus novus, ut præter Nostri hujus auctoritatem docet Josephus Scaliger, l. I de emendatione temporum fol. 6. Cur autem dicatur anni progenies, notum fuerit, qui legerit Cleobuli Ænigma de anno apud Laertium.

Ibidem. *Inde novello, novellique cum die*, etc. Novellus dies ei est, qui jam renatus per lavacrum salutare novam vitam inchoare facit ; novellusque ipse quasi planta novella. Cyril. Hierosol. Catech. I : Πρὸ τούτου κατηχούμενος ἦς, νῦν δὲ πιστὸς κληθήσῃ. μεταφυτεύῃ λοιπὸν εἰς τὰς ἐλαίας τὰς νοητάς : *Ante catechumenus eras, nunc vero fidelis vocaberis, transplantaris rursus in spiritales oleas*, etc. Et ideo dicti νεόφυτοι, D. Paulo in epist. I ad Timoth. cap. III, num 6, et ipse Noster infra septies alloquitur Neophytos post baptisma, quasi novellos surculos in Ecclesia plantatos.

IN TRACT. XLVIII, LIB. II, DE PASCHA IV.

Pag. 274. *Morte sua vivens*, etc. Quia occidere et redire potest, ut diceret Catullus.

Ibidem. *Sine pausa crescit in senium, et tamen a cunis genitalibus non recedit*, etc. Tempora dicuntur senescere ; cum tamen de die in diem renoventur. Sine pausa dicit, quia latenter fugit tempus, et volat. Ovid. XV Metamorph. vers. 183 :

Tempora sic fugiunt pariter, pariterque sequuntur,
Et nova sunt semper : nam quod fuit ante, relictum est,
Fitque quod haud fuerat ; momentaque cuncta novantur.

IN TRACT. L LIB. II, DE PASCHA VI.

Pag. 277. *Catechumenis lucis viam competentibus*, etc., simul petentibus. In ms. distinguitur : *Catechumenis lucis viam, competentibus remissam omnium peccatorum*, quod amplector, et placet. Infra, serm. VIII, (nunc supra tract. XLVII) : *Hoc nostris quoque hodie competentibus præstaturus*, etc.

IN TRACT. LII LIB. II, DE PASCHA VII.

Pag. 279. *Sacer inflexus dies*, etc. Paschatis.

Ibidem. *Verum currat, an recurrat, ambiguum est, cujus præteritum restat, ut redeat*, etc. Cicero de Senectute 192, in contrarium ait : *Horæ quidem cedunt, et dies, et menses, et anni, nec præteritum tempus umquam revertitur.* Oportet igitur credere Zenonem intelligere de nomine, ac si diceret solemnitatem Paschæ sic restare, ut redeat rursus, licet anterioribus annis exacta. Sic Tibullus diem natalitium Messalæ anniversarium *hunc diem* dixit, quasi illum ipsum veræ nativitatis, lib. I eleg. 7.

Ibidem. *Mira prorsus ratio, innumerabilium sæculorum diversa mensura conterendo innovat spatia ; et tamen ejus semper orbita est una*, etc. Aristoteles, Physic. lib. VI, cap. 11, sect. 4, docet : οὔτε γίνεσθαι, οὔτε φθείρεσθαι οἷόντε ἀεὶ τὸ αὐτὸ, καὶ ἓν :... *Nec fieri, nec interire quidquam, quod sit semper unum, et idem*, uti est in motu cœli. Vult admirabile esse, sæculorum multiplici recursu conteri, et consumi tempora, et tamen eorum orbitam stare semper eamdem. Diversa pro multiformi, quod sermone superiori dixerat una, eademque, nec ipsa, sed ipsa : *Innovat* porro *spatia*, hoc est tempora ; nam tempus dictum spatium mundani motus, ut Plato atque Zeno Citiæus sensere, ut est in Laertio et Alcinoo.

IN TRACT. LIV LIB. II, DE EXODO I.

Pag. 281. *Moyses et Aaron per id*, etc. Lego : *Moyses et Aaron per id, quo erant, sacerdotium, perque suum numerum*, etc.

IN TRACT. LV LIB. II, DE EXODO II.

Pag. 282. *Iste est, qui ejus fructu lactatur*, etc. Malim *lætatur* : infra, *de quo lætari Pascha est Domini.* Perperam, qui corrigere se putarunt *litare.* Tertullianus, de Corona cap. 3 : *Eadem immunitate a die Paschæ in Pentecostem usque gaudemus.* Celerin. inter epist. Cypr. num. 20 : *Pro cujus fructu ego in lætitia Paschæ flens die ac nocte.*

Ibidem. *In gregibusque pecuinis, agnum bifaria natura commissum, qui inveniri non potest*, etc. Captat argumentum ex absurdo, quasi ad Pascha Judæorum adhiberi debuerit agnohædus, qnomodo dicitur hircocervus, quod non est. Græca Exodi cap. XII, num. 3, habent : λαβέτωσαν ἕκαστος πρόβατον κατ'

Digitized by Google

οἰκίαν, *sumat unusquisque ovem per domum;* mox num. 5 : Πρόβατον τέλειον ἄρσεν, ἐνιαύσιον, ἀπὸ τῶν ἀρνῶν, καὶ τῶν ἐρίφων λήψεται ; *ovem perfectam, masculum, anniculum ab agnis et hœdis accipietis.* Interpres nimis laxe vertit *pecus.* Melius Cyprianus, lib II Testim., cap. 15 : *Accipiant sibi singuli ovem sine vitio perfectam, masculum, anniculum ab agnis et hœdis accipietis.* Vulgata *tollat agnum,* mox num. 5 : *Tolletis et hœdum,* ut amphiboliam tollat; ovis enim non potest esse communis mater agnis et hœdis. Theodoretus quæst. 24, in Exodum : Κελεύει τοίνυν αὐτοῖς λαβεῖν οὐ μόνον ἐκ τῶν προβάτων ἄρνας ἐνιαυσίους, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν αἰγῶν ἔριφους ; *Mandat igitur illis, ut accipiant non tantum ex ovibus agnos anniculos, sed etiam ex capris hœdos.* Poterant igitur promiscue adhibere aut agnum, aut hœdum, ut si unius copia non suppeteret, alius non excluderetur : quod et Italus interpres expressit dicens, *prenda un agnello, od un capretto,* et hic est in gregibus pecuinis *agnus bifaria natura :* sed non bene exprimitur hœdus, dum dicitur agnus alterius naturæ, quod dictum non tantum obscurum est, sed etiam improprium. Bifariam adjective dicit pro duplici, quomodo et Appuleius in libro de Philosophia rationali.

Ibidem. *Hic est agnus, fratres, de quo lætari, Pascha est Domini,* etc. In ms. est *lætare,* sed diphtongi in eo numquam habent locum. Judæi agni veri occisione Pascha celebrant; Christiani in agno typico congaudentes, et redemptionis suæ memoriam recolentes. Origenes in Joannem, tom x, 160, Pascha verum vocat, quod Πνεύματι, καὶ ἀληθείᾳ ἐνεργούμενον, ὑπὸ τῶν πνεύματι, καὶ ἀληθείᾳ προσκυνούντων τὸν Θεὸν, *spiritu et veritate perficitur ab his, qui spiritu et veritate Deum adorant.* At quæ non suggerunt veri Paschatis lætitia celebrandi nostri disertissimi Auctoris in sermonibus de Pascha florentissimæ allocutiones, in quibus et adeptæ redemptionis fructum exponit, affectus excitat, ut muneris pretium noscamus, et dum noscere facit, nos consecutæ salutis gaudio perfundit?

Pag. 283. *Hic maturus, quia post ipsum est nullus,* etc. In textu Græco est, ἐντέλειον, possit interpretari *perfectus, maturus,* nec renuerim. Sed heic non recensentur qualitates agni, sed Christi, neque enim agnus qua agnus primitivus debet esse, neque sempiternus potest, neque immaculatus a peccato, cum peccatum in bruto non cadat, nec cætera, quæ adjungit, solius Christi propria, unde putem legendum, *hic unicus,* quod verbum sequentibus consonat, *quia post ipsum est nullus,* et tendunt ad ea *unigenitus et primogenitus,* quibus Christus a Joanne, cap. I, num. 14, et cap. III, num. 16, et ab Apostolo, ad Colossen. cap. I, num. 18, decoratur, quæ lectio, *hic unicus,* tanto magis confirmatur, quia de ango perfecto infra, postremo loco loquitur.

Ibidem. *Deum reddidit hominem quem litavit,* etc. Sueton, Othon. cap. 8. *Nam et victimas Divi patri cæsas litavit,* eodem sensu.

IN TRACT. LV LIB. III, DE EXODO III.

Pag. 284. *Servisti diu, non sorte peregrini, sed merito.* Quid? Peregrinis datum ut indigenis serviant? immo æstimari ab incolis debent, et defendi. Plato, de legib. lib. v : Ἔρημος γὰρ ὢν ὁ ξένος ἑταίρων τε καὶ ξυγγενῶν, ἐλεεινότερος ἀνθρώποις, καὶ Θεοῖς. *Nam cum peregrinus amicis cognatisque careat, majorem et apud Deos, et apud homines meretur misericordiam.* Hebræi præcipue, qui ex Josephi merito poterant et regis Ægyptii clientelam sperare, et protegi in loco quem per Josephum habuerant, subditi, non servi. Sed rara est inter diversas gentes amica conversatio; nam ut hi illis, sic his illi in morum diversitate retinent affectuum discrepantiam, ut pronum sit incolis ut potentioribus illos opprimere. Adde Herodotum, Euterpe cap. 160.

Ibidem. *Ignis columna per noctem, ut admoneret* A *arsurum,* etc. Putabam ista referri ad incendium, quod contigit in excidio templi narratum Josepho περὶ ἁλώσεως, lib. VII, a cap. 22. Sed aliter Auctor ipse infra, serm. v (nunc supra tract. LIV), de igne æterno per Christi sententiam Judæis infligendo intelligere profitetur, dum ait : *Quod duplicem nubis, et ignis imaginem gerit, judicia duo designat, unum aquæ, quod gestum est, ignis alterum, quod futurum.*

IN TRACT. LVII LIB. II, DE EXODO IV.

Ibidem. *In ortu captivitatis jugo depressus,* etc. Infra, serm. v (nunc tract. LIV) : *Sicut lectio divina testatur, in Ægypto a Pharaone populoque ejus Israel Dei populus captivatus ingenti jugo acerrime premebatur.* Vult Judæorum populum in Ægypto pridem non invidiose habitum, qua cohabitatione diuturna, qua grata Josephi memoria; mox suspicione prosperitatis seu invidia motos Ægyptios destinasse deprimere, quod decretum ortum captivitatis populi B Israelis vocat Zeno, et inde captivatum populum.

Pag. 285. *Inde maris magno clausus obice premebatur,* etc. Illud *premebatur* in superiori periodo adhibitum, commode possit deleri, ne ingrata fiat illius verbi repetitio, et sensus alioquin stabit subintellecto eodem ἀπὸ κοινοῦ. Quid si substituas *terrebatur?* hoc malim, neque ullo commodiore verbo putem.

Ibidem. *Medio pulverulentus,* etc. Hoc est siccus, humore aquarum expers.

Ibidem. *Quia circa se,* etc. Lego *cum circa se.*

Ibidem. *Triumphum suum,* etc. Hostem triumphatum per metonymiam.

IN TRACT. LVIII LIB. II, DE EXODO V.

Ibidem. In ms. additur *ad Judæos.*

Pag. 286. *In Ægypto servisti diu, non necessitate, sed merito,* etc. Non quod tamquam externus exosus esses, non forte peregrini, ut loquitur supra, aut quod religione dissimilis; sed quod religionem tuam C pessumdederas, ultionem promeritus es. In Ægypto autem idololatria peccasse indicium sumo ex Theodoreti quæst. 40 in Exodum.

Ibidem. *Veloces pedes tuos ad effundendum sanguinem, dextera lævaque in se refugiens unda testatur,* etc. Ne credas imputari, quod tot hostes cecideriut, atque eorum sanguinem effuderint in adeptione terræ promissæ, nam Dei præcepto fecerunt. Sed intelligit de sanguine Christi, quem effusuri erant tantæ injustitiæ rabie concitati.

IN TRACT. LIX LIB. II, DE EXODO VI.

Ibidem. *Commodius puto misero in statu suo manenti, quam beato in ultimas miserias devoluto,* etc. Euripid. Belleroph. apud Stobæum serm. XCVII : Ὁ δ' οὐδὲν οὐδεὶς διὰ τέλους δὲ δυστυχῶν, τοσῷδε νικᾷ. τοῦ γὰρ εὐ τητώμενος οὐκ οἶδεν αἰσὶ δυστυχῶν, κακῶς τ' ἔχων. οὕτως ἄριστον μὴ πεπειρᾶσθαι καλῶν· ἐκεῖνο γὰρ μεμνήμεθ', Οἷος ἦν ποτε κἀγώ.... ἴσ' εὐτύχουν ποτέ. Ex versione Ugonis Grotii, *At ultimæ qui ætatis assi-* D *due est miser. Hoc vincit alios, se quod orbatum bonis non sentit usque assuetus infortunio. Meliora numquam scisse tanto est tutius. Nam semper illud hæret. Ah qualis fui quantusque fatis usus olim prosperis!* Hujusmodi sententiæ versus in eodem, Troadibus, vers. 634. Et Iphigenia in Taur., vers. 1021.

Pag. 287. *Erythræum quoque in geminas ripas medium scissum mare, ductisque dextra; lævaque aggeribus, in aciem stipatis undarum salvo liquore, arefactam profundi in semet contra se obnixam, stupidam pependisse naturam,* etc. Erroribus refertissima ista esse nemo non viderit, quos sanare sine libris me posse non profiteor. Audendum tamen fuit, negotio ex integro ingeniis melioribus relicto. Sic autem lego : *Erythræum quoque in geminas ripas medium scissum mare, ductisque dextera lævaque aggeribus, in aciem stipatis undis, sudo liquore arefacta profundi semita, contra se obnixam stupidam pependisse naturam.*

Digitized by Google

Ibidem. *Quæ utique non cœlestis populi meritum*, etc. In ms. Legitur *meritis*.

IN TRACT. LXI, LIB. II, DE EXODO VIII.

Pag. 289. *Agnus salutaris, qui designatur ex ovibus et hædis, inter pecora non potest inveniri*, etc. Non possum præterire Auctoris opinionem, qui visus est putasse, in Paschate Hebraico adhibendum animal, quod ovis et hædi participaret naturam, in quo (*Vide adnotationem nostram* 4, *in Tract.* 61) errasse notavi supra in serm. 2, de Exodo, pag. 282, nam quod ibi non credatur jocus, sed opinionis constantia, faciunt non tantum quæ heic dicuntur, sed quæ ait infra serm. XII (nunc tract. LXV) : *Agnus requirendus est tibi ex agnis et hædis discordi natura, quem in gregibus pecuinis ipsi tui non invenere majores.*

Pag. 290. *In planctum et luctum profecerunt*, etc. Adde ex ms., *Illi profecerunt.*

Ibidem. *Sed bramosum latronis cruenti convivium*, etc. Legendum *bromosum* a Græco βρόμεω, *strepo, fremo*, ex eo Bacchus Bromius dictus. Etymologici Auctor : Βρόμιος παρὰ τὸν βρόμον, καὶ γὰρ τῆς Σεμέλης κεραυνωθείσης, etc.

IN TRACT. LXVI, LIB. II, DE EXODO XIII.

Pag. 295. *Sacerdotes jam non habent, qui eorum pro salute sacrificent*, etc. Lege cæteris consonanter : *Sacerdotes jam non habent, quis eorum pro salute sacrificet ?*

Ibidem. *Ut vilem libidinem magis ac magis augeant, vilioribus se lavacris omni momento baptizant*, etc. Hunc morem etiam Assyriis fuisse testatur Strabo, lib. XVI : Τὸ λουτρὸν ἐν ἕθει ἐστὶν ; quod potest *Arabi* ad munditiem ; Ovid. Amor. lib. V, Eleg. VII, postrema, sed etiam ad delicias, et incentiva libidinis fuere qui traherent. Artemidorus lib. II, cap. 66, vocavit ὁδὸν ἐπὶ τροφήν, *viam ad cibum*, quod, ut ille inferebat, non prius ederint quam laverint, tum accepto cibo, sed et ante cœnam. Sed in Suida legitur ἐπὶ τρυφήν, viam ad *delicias*, quod rectum esse etiam Rigaltius putavit. Alter scriptor apud eumdem Suidam in λουτρὰ, ait, μεθ' ἡδονῆς πρὸς ὠφέλειάν τε, etc., adhibita lavacra. Hieronymus Salvinam monet cavere, ne balnearum calor novum adolescentiæ calorem incenderet. Certe lavacro etiam lassitudini mederi docet Athenæus, libro I, capitul. 19.

IN TRACT. LXX, LIB. II, DE DANIELE II.

Pag. 298. *Martyrii quodam modo pars est fr. dil. martyres non horruisse supplicium*, etc. Tertull., Scorpiac. cap. 8, de istis ipsis tribus pueris : *O martyrium, et sine passione perfectum, satis passi, satis exusti sunt, quos propterea Deus texit, ne potestatem ejus mentiti viderentur.*

Ibidem. *Etenim multiformis crudelitas*, legendum ex ms. *Multiformis crudelitatis, lugubris contemplatio.*

Ibidem. *Quique illi fuerit cruciatus, sua complicat vota ;* legendum nimirum *fuerit*, hoc est tanto ardentius appetebant certamen, quanto atrocius videbatur, cui illis occurrendum erat. Puto typographicum fuisse sphalma pro *fuerint*, quod scripserit, *fuerit.*

IN TRACT. LXXIV, LIB. II, DE DANIELE VI.

Pag. 301. In ms. præter primum omnes inscribuntur *de tribus pueris.*

Pag. 302. *Lambunt rosidos flammæ blandientes.* Infra serm. VII, nunc tract. LXXVI, *Excipiuntur non flamma, sed rore Dei.*

IN TRACT. LXXV, LIB. II, DE DANIELE VII.

Ibidem. *Anhelantibus flammis, camino rugiente non læduntur*, etc. Anhelantibus, inhiantibus, appetentibus. Cicero in Catilinam primæ initio, *Catilinam furentem audacia, scelus anhelantem.* Ammianus Marcellinus lib. XXVI, fol. 449 : *Velut imperatoris cognatus altius anhelabat :* altiora, quæ animo suo conceperat, ut consequeretur, annitebatur. Ignis hujusmodi appetitu videtur ferri, ut circumjacentia abrodat et rapiat. Ovid. Metamorph. lib. IX, num. 172 :

Sorbent avidæ præcordia flammæ.

Affinia in parte sunt, quæ habet Salomon in Proverb. cap. XXX, num. 16, de igne, qui numquam dicit : *Sufficit. Camino*, addit, *rugiente*, hoc est crepitante flamma. Virgil., Georgic. lib. I, 85.

Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis.

IN TRACT. LXXVI, LIB. II, DE DANIELE VIII.

Pag. 303. *Supplicio suffragante gloriosi*, etc. Quod illud ipsum, quod pati debuerant *supplicium*, refrigerium eis factum sit.

Ibidem. *Caminum jussit incendi*, etc., fornacem. Virgil., lib. III Æneid., 579 ;

Ingentemque insuper Ætnam,
Impositam ruptis flammam expirare caminis.

Ad quæ Servius : *Caminis fornacibus Græce dixit.* Isidorus, lib. XIX, cap. 6 : Caminus est fornax, et est Græcum derivatum ἀπὸ τοῦ καύματος, id est a calore.

Ibidem. *Æstuantibus globis*, etc. Virgil., Georgic. I, 472 :

Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam,
Flammarumque globos, liquefactaque volvere saxa.

Pindarus Pythior., Od. 1, Stroph. 2, dixerat, ex Ætnæ cavernis eructari πυρὸς ἀγνότατας (*f.* ὑγροτάτος) παγὰς ποταμοὺς τε, *Ignis liquidissimos fontes fluviosque.*

Ibidem. *Rubescit quoque ipsum alienis ignibus cœlum*, etc. Varro lib. VI de Ling. lat., 78 : *Aurora dicitur ante solis ortum, ab eo, quod ab igne solis tum aureo aer aurescit.* Aer enim, et cœlum eodem sunt significatu. Plin. lib. II, cap. 38 : *Namque, et hoc cœlum appellavere majores, quod alio nomine aera :* aer enim ob raritatem facile quasvis recipit impressiones : In sole lumen habet exactum : in luna dilutiorem : in stellis dubium : in nubilo interdiu perturbatum : noctu prorsus caret : in iride picturatos refert orbes. Sic et in magno incendio videtur et ipse accendi, et contrahere ab igne ruborem, cum potius ipsa flamma diffundat in aerem vim suam, et colorem, sicuti vis, et potestas solis in aere qualitates variat, ut docet Cleomed. l. II Πυλικῆς θεωρίας.

IN TRACT. LXXVII, LIB. II, DE DANIELE IX.

Pag. 304. *Nec tres pueri quo ardere putabantur incendio de suis incensoribus liberati.* Alia distinctio est in ms. : *Quo ardere putabantur incendio, de suis incensoribus*, etc.

Ibidem. *Sed de Domino nostro, quem (proh nefas!) venerantur*, etc. Cum hujus argumentum ignotum mihi sit, quorsum hæc verba retulerit divinari non possum. Plures quidem Zenonis tempore hæreticos fuisse constat, sed de quibus voluerit, brevitas sermonis scire non permittit.

Ibidem. *Nullis argumentis armatus*, etc. Philosophicis nempe et demonstrativis, quæ a Christiano exsulare debent, quoniam cum fides sit firma opinio, ut ait Cicero, partit. Orator. 21, nulla eget demonstratione. Cyrillus : Τὸ πίστει παραδεκτὸν ἀπολυπραγμόνητον εἶναι χρή. Τὸ γὰρ βασανιζόμενον, πῶς ἔτι πεπίστευται. *Quod fide suscipitur, non debet curiose examinari ; nam quod rationibus inquiritur, quomodo adhuc creditur ?* De hoc latius supra.

N. B. *Notis abhinc usque ad col.* 600 *sequentibus, quæ textui in duobus præcedentibus Patrologiæ tomis edito respondent, horum tomorum paginationem parenthesibus inclusam præposuimus. Eo cui libuerit se lector conferat.*

IN TRACT. DE LAZARO IN APPENDICEM REJECTUM.

Pag. 313. (*Tom.* VIII *nostræ editionis Patrologiæ, col.* 1411). *In concavo vertiginis sinu*, etc. Legendum censeo *voraginis.*

Ibidem (*Ibid.*). *Deo hic familiaris.* In ms. sic legitur : *Deo hic familiaris, ut fertur, teste Evangelio cum apud Joannem quadragenariæ*, etc.

Ibidem (*Ibid.*). *Cum quadragenariæ voluntatis gestu*

Digitized by Google

carnis detrimenta pensasset, etc. Quid sit gestus quadragenariæ voluntatis, ego non assequor, forsan nec alius. Suboluit legi posse *quadragenariæ vitæ gestu*, nam Lazarum juvenem infra vocat, quod quadragenariæ atque consistenti ætati indigitamentum incongruum non est. Gerere autem vitam est carnis pondus portare, cui particulis minimis consistenti, atque illis quotidie decedentibus, alienæ extrinsecus in earum locum accedunt, ut ait Alphenus in l. 76, de judiciis, quod est carnis detrimenta pensare.

Ibidem (*Ibid.*). *Nam sub occasu jam propero*, etc. Seneca, Hercul. fur., vers. 178,

Properat cursu
Vita citato.

Ante illum Anacreon, ode quæ incipit : Ἐπὶ μυρσίναις τερείναις,

Τροχὸς ἁρματος γὰρ οἷα
Βιοτὸς τρέχει κυλιθείς.

Rota ceu voluta currus,
Cita namque currit ætas.

Ibidem (*Ibid.*). *Quod terrenis artubus debebatur*, etc. Homini ex humo : imo potius humo quam homini.

Ibidem (*Ibid.*). *Ut nobis ipsis juxta librum Genesis*, etc. Ut communiter et nobis juxta Scripturas, lutus et causam dedit, et materiam, qua efficeremur.

Ibidem (*Ibid.*). *Optimus luti liquor*, etc. *Optimus* meo judicio superfluit ; luti liquorem dixit, id est lutum ductilem, qualem requirit plastices.

Ibidem (*Ibid.*). *Longe alibi Christo censore*, etc. Potius *censente*, dum nollet mortuum Lazarum mortis esse mancipium, quem esset ad vitam revocaturus, atque ita legendum censeo.

Ibidem (*Ibid., col.* 1412). *Dum desinit esse quod erat, forma vel fabula*, etc. Habebat formam hominis, at sine spiritu non erat homo, sed forma, sed fabula, ludibrium humanitatis et fastus humani.

Ibidem (*Ibid.*). *Graves tenebrarum globos*, etc. Tenebras spissas et crassas.

Ibidem (*Ibid.*). *Succidita incrementi, et decrementi vicissitudine renascentes*, etc. Tertull. de Pallio, c. 2, Dies et nox invicem vertunt. Ultima autem dies dicitur non reditura. Propertius, lib. II, Eleg. XV : Quia

Nobis, quum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda ;

ut canit Catullus non poetice, sed vere carmine V, num. 5.

Pag. 314 (*Ibid.*). *Pendulo mandibularum rictu*, etc. Rictus est non tantum os et orificium, sed labia, quæ maxillas tegunt ; ideo rictus *mandibularum*, labia vult intelligi. Pomponius Prestibula apud Nonium : *Quis hic est, quamobrem heic prostat rictum, et labia quum considero*. Lucillius, Satyr. lib. III, apud eumdem. *Malas tollimus nos, atque utimur rictu*. Ovid., Metamorph. lib. XIV.

Aspiciam fluidos humano sanguine rictus.

Distinctio autem, quam facit Theodorus Gaza in Aristotele, inter mandibulas et maxillas improbatur Julio Cæsario Scaligero in Historiam Animal., lib. I, sect. 93. Hippocrates in prognostic. Θανατώδες δὲ χείλεα ἀπολυόμενα, καὶ ψυχρὰ, καὶ ἔκλευκα γινόμενα : *Lethale quoque labra resoluta, prudentia, frigida et exalbida*. Quandoque auctor affectatione peccat, cui accedente prava scriptura, fiat obscurus necesse est.

Ibidem (*Ibid.*). *Elisis in ore dentibus*, etc. Si scriptura mendo caret, vix credibile quatriduano mortis decubitu dentes excidisse. Si legamus *interclusis dentibus*, aptius videri possit.

Ibidem (*Ibid.*). *De terrena labe confectus*, etc., de terrena illuvie, sordibus ; ideo eleganter subnectit, *putris gleba marcesceret*.

Ibidem (*Ibid.*). *Nervorum traduces*, etc. Quia nervi inter se sunt conjugati, ac veluti per traduces uni alteri juncti, initio ducto a cerebro, vel medulla spinali, ut infra Hippocratem et Galenum decernitur, quorum opinionem video præferri Aristotelis, qui a corde volebat, ipsa αὐτοψία contra ipsum stante.

Ibidem (*Ibid.*). *Cum corporis qualitate*, etc. Circumlocutio pro ipso corpore.

Ibidem (*Ibid.*). *Miserabili tabo infelix sepultura damnaret*. Arnobius, lib. IV, pari elegantia : *Atque in ultimam tabem diffluentium viscerum macerutione consumi*.

Ibidem (*Ibid.*). *Contractis membris*, etc. Quod dixerat Ovid. VI Fastorum, 495, de Isthmo,

Est spatio contracta brevi ;

Noster de mortuo Lazaro dixit, quia mortua membra, succo amisso vegetabili, fiunt minora et contractiora.

Ibidem (*Ibid.*). *Inter jejunas et numerabiles costas*, etc. Extenuatas, carne detectas, et ideo eminentiores, quæ apertius numerarentur.

Ibidem (*Ibid.*). *Fœtenti jam sentina*, etc. Corporis alveo.

Ibidem (*Ibid.*). *Per solum cadaveris*, etc. Respicit ad superiora, *hoc est ipsi humo magis quam homini*. Vult enim hominem humum, terram, solum, lutum.

Ibidem (*Ibid.*). *Heu ! quando non poterat*, etc. Hoc est, mirumne fuerat? quomodo non poterat? *Quando* pro *quomodo*.

Ibidem (*Ibid.*). *Heu quando non poterat cadaver quatuor diebus et quatuor noctibus per totum oris, fellis et phlegmatis, flumina sentinarum corruptis artubus fœtentia pulmonis spiramenta conflare?* etc. Moschio Medicus apud Plutarchum Symposiac. tertio, capite postremo dicebat : Τὴν σῆψιν, τῦξιν, καὶ ῥύσιν σαρκὸς, εἰς ὑγρὸν φθορᾶς μεταβαλλούσης ; *putrefactionem esse colliquationem et fluxum quemdam carnis corruptæ et in humorem mutatæ*, quod Plutarchus etiam ex se repetit in commentario, quem inscripsit, Περὶ τοῦ πότερον ὕδωρ ἢ πῦρ χρησιμώτερον, ideo recte dixit *flumina*. Sentinas autem, unde corruptorum humorum adversatorum flumina derivantur. Sicut enim fellis vesicula attrahit choleram amaram, et eamdem excludit, quæ corruptioni magis obnoxia in vivente, quanto magis in mortuo : sic et phlegma, quod excrementum frigidum et humidum facilius corrumpitur in corruptu, nimirum ubi deest salillum illud animæ Plautinum. De ore autem, quid dixit? An quia ex ejus faucibus exhalent odores tetri?

Ibidem (*Ibid.*). *Cum ipsa etiam rosa pudoris et venustatis fragranti folio*, etc. Rosæ elogia habentur in Anacreonte et in Achille Tatio, quæ invidiam cunctis floribus faciant. Sed nova florum in hoc sæculo reperta controversiam de priscorum sententia merito movere possunt.

Ibidem (*Ibid.*). *De rosario falce pollicis vellicata*, etc. Ipsam manum metaphorice falcem pollicis vocavit : nam pollice et indice junctis vellitur. Martial., lib. X, Epigramm. 93 :

Ut rosa delectat, metitur quæ pollice primo.

Ibidem (*Ibid.*). *Marcenti morte tristis albescat*, etc. Non rosæ tantum, sed quodcumque in speciem pulchrum est, facile evanescit. In Epigram. Platonis apud Laertium, de malo :

Σκέψαι τὴν ὥρην ὡς ὀλιγοχρόνιος.

Appuleius in Apologia vertit,

Quam pereat brevi tempore forma, vide.

Catullus carmine nuptiali, seu LXIII, aptissime atque elegantissime :

Ut flos in septis secretus nascitur hortis
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber,
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ ;
Idem cum tenui carptus defloruit ungui
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ.

Videre comparanti licebit apertam allusionem τῶν falce pollicis vellicata marcenti morte albescat τοῖς :

Cum tenui carptus defloruit ungui.

Ibidem (*Ibid.*). *Ita ut colore floris careat*, in ms. additur : *Ita ut et colore floris careat, et odore.*

Digitized by Google

Ibidem (*Ibid.*). *Aqua ipsa si de flumine rapta sit*, etc. Quomodo fiat, ipse Auctor dicit, quod limum contrahat : si quidem aqua, et aer media sunt elementa, et mistionem patiuntur, ut tradit Aristoteles lib. II de Generatione et Corruptione, cap. 3, versus finem; hujus putrefactionis rationem reddit ille ipse Meteorol. lib. IV, cap. 1 : quod *in se majore major sit caliditas propria, atque frigiditas, quam ut potentiæ, quæ in circumfuso aere sunt, evincant. Unde etiam fit, ut mare in partes quidem distractum celeriter putreat, sed integrum, et totum haud quaquam, et reliquiæ aquæ pari modo.*

Ibidem (*Ibid.*). *Limum liquor abducit.* Ms. *obducit.*

Ibidem (*Ibid.*). In ms. sic legitur : *Nemo ergo mirari debet, si hominem, quem spiritus sapientiæ sale conditum redolenti aura servaverat, et ex cœli suavitate anima vivacitate nectarea et balsami generositate melliflua corpus rexerat, ne faceret divortio recedentis spiritus lutea malis, pigra glebositas caduca*, etc.

Ibidem. (*Ibid.*). *Et balsami generositate melliflua rexerat, ne fieret divortio recedentis spiritus lutea moles*, etc. Rosa, inquit, avulsa a rosario torpescit : aqua a suo corpore sejuncta putrescit. Quid mirum si homo amisso spiritu fœteat ? In quo demonstrando, ubi totus est, procul dubio credendus non scripsisse, *ne fieret divortio recedentis*, etc., ne destrueret adsumptum ; sed pro *ne* scripsisse *cum*, aut quid simile, quod librario pro scriptura breviata facile fuit corrumpere : tum illa nectarea, et melliflua humilia nimis sunt, et forsan aliud scripserat convenientius huic eleganti sermoni.

Ibidem (*Ibid.*). *Caduca linea defunctorum*, etc. Hæc possent omitti, et credo ab alio inconsiderantor intrusa, deturpant enim potius quam adornent orationem.

Ibidem (*Ibid.*, *col.* 1413). *Inde est, quod per distantiam rerum*, etc. Quid si legatur *per discordiam rerum?* Non possunt enim distare, quæ in unum compacta sunt : de quorum resolutione infra elegantissime.

Ibidem (*Ibid.*). *Qui corporis floriarum*, etc. Verbum novum modo incorruptum.

Ibidem; (*Ibid.*). *Liventi gena*, etc. Liventi facie lurorem præferente, lurida. Silius Italic. lib. XIII, vers. 559 :

Has passim nigrum pandens mors lurida rictum.

Euripid. Elect. 319. Αἷμα δ' ἔτι πατρὸς κατὰ στέγας μέλαν σέσηπεν, *Sanguis vero patris adhuc in tectis ater putrescit.* Virg., Æneid. lib. III, 622, *Et sanguine vescitur atro*, ut ex hoc loco, et Euripidis liqueat, Servii interpretationem non esse ibidem admittendam.

Ibidem (*Ibid.*). *Et pro voce cadaveris nigri fellis teter mortui fœtor hauritur*, etc. Distinguo : *Et pro voce cadaveris, nigri fellis teter fœtor hauritur* : abjecto verbo mortui, quod sensu, et constructione superfluit. Vult, quod sentitur ex cadavere esse tetrum odorem, vocem quam reddit cadaver, esse fœtorem ex felle nigro, hoc est mortuo et corrupto.

Pag. 315 (*Ibid.*). *Qui quatuor istis partibus loca dederat*, etc. Id est, qui istis qualitatibus temperabat, at locum non dederat, sed in loco coercebat atque frenabat.

Ibid. (*Ib.*). *Dominante flagro*, etc. Præeunte ratione quam flagrum metaphorice dicit, quia motus moderari debet et coercere, ad instar aurigæ, uti vocavit Pythagor. in fine aurei Carminis, et Plato in Phædro. Aurigæ autem proprium est flagrum. Euripid. Rheso 766 : Πλῆκτρα τ' ἐκ ἐπὶ ζυγοῖς ἵππων, etc. et scuticæ non jugis equorum applicatæ erant. Suidas : Κέντρα καὶ τὰ τῶν ἵππων πλῆκτρα, Euripid. Iphig. in Aul. 220. Cæterum rationem Θεῖον ἡγεμόνα τοῦ βίου vocavit etiam Plutarchus in Carm. de Auditione *divinum vitæ ductorem.*

Ibidem (*Ibid.*). *Hunc ergo Lazarum, cui liventi errante connixu per cerulas venas membra tabuerant*, etc. Heic silere cogor, atque etiam a conjecturis abstinere : adeo cæcutio, ut nihil videam, et in ms. ista corruptissima sunt.

Ibidem (*Ibid.*). *Immani objectus ex pondere lapsis perenni valva gravis libra detruserat*, etc. Legi posse credo, *immani obtectus pondere lapidis perenni valvæ gravis libra detruserat.* Perennem valvam dixit, quod numquam ei esset reseranda : valvam maluit pro *valvis :* gravem autem libram, quam poetæ inexorabilem Parcam, Ἄτροπον, ἐπὶ τὰ παρελθόντα πάντα ἄρρητά ἐστι, ut ait auctor libr. de Mundo, c. 7 ; Appuleius vertit : *Atropos præteriti temporis fatum, quod ne Deus quidem faciet infectum :* sed verba Græca non expressit, quæ sonant : *Quoniam ea, quæ præterierunt verti et reparari nequeunt.* Si *lapsis*, ut in vulgatis præmalimus, dicemus dictum antique pro *lapidis*, cui auctoritatem dant ex Ennio, lib. XV Amalium :

Occumbunt multi letho, ferroque lapique.

Ibidem (*Ibid.*). *Lacrymarum ubertatibus ebriatæ*, etc. Translatitie dictum, ut si cibo et potu essent abstinentes et siccæ, lacrymarum ubertate udæ essent, et madidæ.

Ibidem (*Ibid.*). *Et hebræas voces*, etc. Locutione, et sermone hebraico, qui illis naturalis et consuetus fuerat. In ms., *et hebræas græcessando voces*, quod non intelligo.

Ibidem (*Ibid.*). *Mistas Salvatoris in laudibus expiabant*, etc. Semper Zeno Hebræis infestus, numquam non omittit eos vellicandi occasionem : ideo credi posset voluisse hebræas voces Christo alias exosas, expiatas ipsius laudibus. Quid si legas pro *expiabant, complicabant*, quod non fuerit ab auctoris genio alienum ? Quamcumque autem ex his sententiam sequaris, consulo deleas præpositionem *in*, hoc modo : *mistas Salvatoris laudibus ;* in ms. distinguitur : *hebræas voces fractis in unum singultibus mistas Salvatoris in laudibus expiabant.*

Pag. 316. (*Ibid.*, *col.* 1414). *Flevisse narratur*, Ms. *Flevisse narratur. Age, age, Photami, servus Dei vivi, si aliquid prævales, de lacrymis Domini vel pauca narrato. Flebat Deus mortalium lacrymis excitatus.*

Ibidem (*Ibid.*). Diabolus per malitiam suam fecit invenire nocentes. Heu tenuis aura de cœlo, corpus, quod rexeras succiduis artubus deserebas, sed non te Pater : non Filius aliquando despexit : pro sua morte factus est Christus ipse mortalis. Harum ad lacrymas, etc. Illa omissa in edito sunt.

Ibidem (*Ibid.*). *Sed quod sororum fletibus temperaret :* quod infra dicit, *fletus fletibus recontrabat*, hoc est sono unisono. Arist., Quintil. libro I Περὶ τῆς μουσικῆς : Ὁμόφωνοι φθόγγοι, οἵ τινες δύναμιν μέν ἀλλοίαν φωνῆς, τάσιν δὲ ἴσην ἐπέχουσι : *Unisoni soni sunt, qui potestatem quidem vocis aliam, tensionem vero æqualem obtinent.* Illud autem *recontrabat*, qualecumque sit, potius reformarem in econtrabat, factum ex *econtra.*

Ibidem (*Ibid.*, *col.* 1415). *Et ad documenta virtutum ipse*, etc. Distinguo, *et ad documenta virtutum, ipse, qui fuerat.* Ut discerent Christi virtutem. Aliter hic locus legitur in ms. : *Et ad documenta virtutum ipse se mortuus, et adhuc pedibus vinctus, ut Christus jusserat, suis manibus resolvebat. Quæ rogo vos*, etc.

Pag. 317 (*Ib.*). *Acies dirigitur in parentes*, etc. Parentes, et propinquos conjunxit Cicero VII, in Verrem. Olim parentes pater, mater, et qui parentum loco. Caius in L. appellat, de verborum significatione : mox posteriori ætate dicti omnes qui aliquo modo conjuncti essent. Julius Capitolin. Gordiano III, cap. 23 : *Ducit uxorem filiam Misithei, quem causa eloquentiæ dignum parentela sua putavit.* Flavius Vopiscus Aureliano, cap. 31 : *Achilleo cuidam parenti Zenobiæ parantes imperium.* Idem Tacito cap. 10 :

Digitized by Google

Cornelium Tacitum, quod parentem suum diceret. Acies dirigitur in parentes, hoc est in Mariam et Martham ejus sorores, ut cum Casaubono sentio ad Capitolini Marcum.

IN TRACT. DE MARTYRIO ISAIÆ PROPHETÆ, IN APPENDICEM REJECTUM.

Ibidem (*Ibid.*). Isaiæ martyrium certum est in Sacra scriptura non reperiri, sed ex apocrypho disseminatum apud plures memoratur. Sintque pro omnibus Justinus martyr, in Dialogo cum Triphone 349; Tertullianus, Scorpiaco cap. 8; et Origenes tum Comment. in Matth. 225, tum in responsione ad Africanum 232. Illud verum an falsum fuerit, non disquiro. Apud Hebræos pro certo haberi refert Huetius ad priorem Origenis locum.

Ibidem (*Ibid., col.* 1415). *Isaias cum Christum prædiceret, vel cum futuræ damnationis elogium*, etc. Ambigit causam, neque apud alios certa. Quidam apud Origenem homil. 1 in Isaiam credidere sectum, quasi legem prævaricantem.

Pag. 318 (*Ib.*). *Duabus eum violento supplicio quasi offulis bifidavit*, etc. Offa absegmen carnis globi forma, ideo dicitur Martiali curva, lib. ult., Epigram. 221, penita tunc dicta, cum caudæ juncta esset; cauda enim antiquitus penis. Videndus Festus in *Penis*, et *in penita offa*, Arnobius, lib. VII, 230: *Offa autem penita est, cum particula visceris cauda pecoris amputata.* Isidorus, Origin. lib. XX, cap. 2. Nescio unde habuerit offam esse proprie frustum dentium. An maxilla tunc ex quadam similitudine sequiori illo sæculo offa, et offula dicta? Noster pro avulsa parte a corpore, et absegmine quantocumque carnis usurpavit.

Ibidem (*Ibid.*). *Aut ipsa lamina insontis viri per jugerum fidiculæ sævientis per costas stridente ictu sulcaret*, etc. Accedo Octavii Ferrarii τοῦ μαχαρίτου opinioni, qui in Electis, lib. priori cap. 6, fidiculas docet fuisse nervos sive funiculos, quibus religabant arctissime martyris aut cruciarii membra, ut intumescens pars sævius lacerareturr; hinc metaphora *jugerum, et sulcaret.* Ungulis enim proscindebant membra, et dum percurrerent costas, collisione ossium stridorem referebant. Cæterum scripturam corruptam clamat perversa syntaxis.

Ibidem (*Ibid.*). *Sed in tanto cœlestis palestræ miraculo nullus (ut arbitror) spectaculo resultanti, ita videre eum poterit, qui gesta numerare pertentet*, etc. Corrupta esse ista sentio, atque forte sic reformanda. *Sed in tanto cœlestis palestræ miraculo, nullus, ut arbitror, spectaculo resistente ita videre*, etc. Spectaculorum alia grata sunt, quibus visum libenter accommodamus, alia ingrata et inhumana, quæ vel cogitatione abhorremus, et a quibus oculos abstinemus, cujus modi in Ædipo Tyranno Sophoclis 1305.

. . . . οἷον καὶ στυγοῦντ' ἐποικτίσαι.

Quod vel hostem ad misericordiam commovere queat; nam, quod alicubi ait Polybius, 721: οὐδεὶς τοῖς παρὰ φύσιν ἐγχρονίζων εὐδοκεῖ, *Nemini rebus contra naturam immorari est gratum.* Spectaculum igitur resistere dicitur, quod repellat spectatorem, uti factum, quamvis alia causa, in Eumenidum Æschili tragœdia, quarum in scœnam ingrediente choro, τοσοῦτον ἐκπλῆξαι τὸν δῆμον, ὥστε τὰ μὲν νήπια ἐκψῦξαι, τὰ δὲ ἔμβρυα ἐξαμβλωθῆναι, *ita percussum terrore populum, ut infantuli deliquium, gravidæ abortum paterentur*, narrat ejus vitæ auctor.

Ibidem (*Ibid.*). *Ita videre eum poterit*, etc.; ms. *ita videre se poterit.*

Ibidem (*Ibid.*). *Veteris disciplinæ novam de passionibus celebritatem advertite*, etc. Ex veteri dignitate, quantæ sit Christianæ dignitas passionis ob martyrium Christi. Tertull. Scorpiac., cap. 8, de his qui ante Christum. *Statim ut coli Deus cœpit, invidiam religio sortita est, qui Deo placuerat occiditur.* Mox de Christianis: *Utique qui spiritu Dei agebantur, ab ipso in martyria dirigebantur;* demum concludit: Talia a primordio, et præcepta, et exempla debitricem martyrii fidem ostendunt.

Ibidem (*Ibid., col.* 1416). *Cum in capite hoc est colectæ sensualitatis umbilico*, etc. Caput umbilicum vocat, hoc est centrum omnis sensualitatis; nam in capite omnis motus, sensusque principium sumit, quod subjecta membra parendo exsequuntur. Sicuti enim cor officina spirituum vitalium, ita spiritus animales in cerebro resident, ubi quoque omnium sensuum locus est. Plin. lib. II, cap. 37: *Hanc habent sensus arcem, huc venarum omnis a corde vis tendit, hic desinit, hic culmen altissimum, hic mentis est regimen.*

Ibidem (*Ibid.*). *Et stridore reciproco sulcos dentium duceret, labebatur*, etc. Colliduntur inter se hæc membra, et absonum quid reddunt, nesciam Auctoris, an librariorum culpa. Jam a dentium stridore peracto, pergit incipere de capillorum messe, et capitis cute detrita, quod præposterum est.

Ibidem (*Ibid.*). *Hebræas capitis litteras testum verticis mersit*, etc. Aliud fuisse munus Pontificium, aliud munus Propheticum notius est quam ut dicere debeam. Pontifices inter habitus sacerdotalis ornamenta habuisse etiam in capite, ἐπὶ τῆς μίτρας, nomen Dei in lamina aurea inscriptum, notum ex Exodi cap. XXVIII, a num. 36. Sed illud neque in Pontifice perpetuum, neque in cute, neque Prophetæ commune. Quid ergo sibi velint Zenonis ista (*Potamii non Zenonis, ut ex Admonitione nostra liquet*), satius est fateri me non intelligere, quam aliena comminisci quæ ut non illustrent, obscurent potius obscurissimam periodum.

Ibidem (*Ibid.*). *Concinamenti nisu sector sollicitus defixisset*, etc. Ut medium spinæ teneret, neque serra hinc inde prævaricaretur, quod facile in tantum ossium articulatione aliqua sollicita cura adhibenda fuerat, quam *concinamenti nisum* vocat suo more. In ms. *Nissus est*, quod est nixu.

Ibidem (*Ibid.*). *Fontis fluenta purpurei laxatis venarum lapsibus*, etc., propalatis, et apertis ductibus sanguis decideret, non jam guttis, quæ digito possent abstergi, sed irruptione et inundatione, qua totum corpus obrueret. Corrigenda porro interpunctio est; neque enim duo puncta locum habent post *imber infudit*, sed illorum loco reponenda commatis nota sic, *infudit, ut tecta gurgite.*

Ibidem (*Ibid.*). *Ne venas vermiculatim pollice profanus*, etc., in ms. *profanatus.*

Ibidem (*Ibid.*). *Non tremeret, neque miraretur, quale esset illud, unde victus erubescere cogeretur*, etc. Forsan legendum *non terreret*, neque *miraretur, qualecumque illud esset; unde victus erubescere cogeretur:* hoc est non objectabat facinus, neque objurgabat auctorem cædis suæ; quid enim objurgaret, si res ipsa ad pudorem cogere debuit, aut tam indigna, tamque atrocia in Prophetam immerito peregisset? Victum vocat, qui cædem Prophetæ machinatus, cum videret eum imperterritum atque morti proximum mortis contemptorem. Euseb., Histor. Eccles., lib. V, cap. 1: Τὸ γὰρ νενικῆσθαι αὐτοὺς οὐκ ἐδυσώπει, διὰ τὸ μὴ ἔχειν ἀνθρώπινον ἐπιλογισμόν. *Neque enim ex eo quod a martyribus victi fuissent, pudore frenabantur, quippe humana ratione essent destituti.* Anguntur enim, dum obtinere non possunt, quod conando enituntur, et idcirco victi. Tat. Achill., lib. VI, 407: Ἀγῶνα θεάσασθε καινὸν· πρὸς πάσας τὰς βασάνους ἀγωνίζεται μία γυνή, καὶ πάντα νικᾷ. *Videte novum certamen: omnibus suppliciis resistet una mulier, cunctaque vincet*, id est perstabit in proposito, neque amovebitur quantumcumque detrita, et lancinata vestris tormentis.

Ibidem (*Ibid.*). *Ut tecta gurgite*, etc. Ms., *Ut tecta gurgite sanguinis venarum pictura non tremeret, et quale esset illud, unde victus erubescere miraretur.*

Ibidem (*Ibid.*). *Patuerunt quippe internorum viscerum*, etc. Huc usque in isto sermone per ambages ivimus, et conjecturas forsan alienas ab Auctoris mente affinximus, cum aliter non potuerimus in tam per-

Digitized by Google

plexo tamque confuso labyrintho : tamen, cum utcumque huc progressi fuerimus, paulisper interim subsidere decrevimus, nam aliquibus sine fructu immorari neque laudis est, neque operæ pretium. Primum nescire fatendum est, *de quo castidico* juvene loquatur, quum Isaias jam senex octogenarius et ultra, tantum enim vixisse dicitur, *juvenis* nomen non meretur. *Laqueata commercia* intelligamus licet de intestinis, quæ flexuosis gyris, anfractibusque ἐπαναδιπλοῦνται *replicantur*, ut ait Aristoteles, quid ad cætera? Quis sonus *buccinæ ferientis*, neque enim subsidium ab actis passionis hujus? Pro Belial certum est intelligere Manassem filium Ezechiæ, sub quo, ut ait D. Hieronymus, Isaias sectus in duas partes occubuit. At dum eum dicit *prodigum genealogiæ*, manemus in incerto, voluerit ne despexisse sobolem, et successorem, quod falsum redarguitur ex Matthæi cap. 1, Μανάσσης ἐγέννησε τὸν Ἀμών, aut quid aliud, quod nedum concipere possum.

Pag. 319 (*Ib.*). *Vir cruentus, et prodigus genealogiæ.* Adhuc animus gestit in istis tentare. De prodigalitate neque in sacris litteris, neque in Josepho quidquam Manassi imputatur. Itaque hæc scriptura suspecta est, neque enim credibile, Zenonem rerum cognitione instructum, atque sacra Lectione imbutum adscribere illi voluisse immeritam culpam. Ideo censerem legendum potius *cruoris prodigus*, pro *cruentus et prodigus*. Suffragatur Josephus, qui ἀρχαιολογ. lib. x, cap. 4, sub hoc ait : Τῷ αἵματι ῥεῖται τὰ Ἱεροσόλυμα. Præterea cur *prodigum genealogiæ* dixerit rationibus jam dictis non video. Igitur, scripturam non recte procedere dicemus, et, si res mei sit arbitrii, scribendum ducerem ἀντὶ τοῦ *genealogiæ*, *genethliacus*. Convenit nimirum genethliaci titulus illis, quos Manassi subjunctos attribuit recte, ex lib. iv Regum, cap. xxi, num. 6. Genethliacos dicit Agellius, lib. xiv, initio, *qui de motu deque positu stellarum dicere posse, quæ futura sunt, profitentur ;* at pressius et proprius Manilius, lib. i, fol. 2, a vers. 30 :

> Primique per artem
> Sideribus videre vagis pendentia fata,
> Nascendi quæ cuique dies, quæ vita fuisset,
> In quas fortunæ leges quæque hora valeret.

Qui Genesim et horam nativitatis alicujus inquirunt, ut illi de vitæ successu prædicationes suas accommodent.

Ibidem (*Ibid.*). *Mathematicus Catabolicorum, fatidicorum et pytonicorum antistes*, etc. Pro fatidicorum legitur in ms. *phitidicorum*, monstrum lectionis. Mathematicus propria significatione est, qui disciplinas scit, et qui in illis versatus cum laude et gloria nominis sui videtur, quod voluerit consecutus, ut ait Cicero circa principium lib. i de Oratore. Sed abusus aliud voluit, nam quos gentilitio vocabulo Chaldæos dicere oportebat, mathematici dici cœpti ; Agell. lib. i, cap. 9, hi nimirum, qui stellarum potestati hominum fata subjiciunt. Sextus Empiricus, lib v : Γενεθλιάλογίαν σεμνοτέροις κοσμοῦντες ὀνόμασιν· οἱ Χαλδαῖοι, μαθηματικούς, καὶ ἀστρολόγους σφᾶς αὐτοὺς ἀναγορεύουσι : *Genealogiam Chaldæi magnificis ornantes nominibus, se ipsos mathematicos appellant*, et *astrologos :* idcirco magi, incantatores, mathematici, astrologi eodem reputantur in canone 36 synodi Laodicenæ.

Ibidem (*Ibid.*). *Catabolicorum, fatidicorum et pytonicorum antistes.* Tertullianus, de Anima, cap. 28, in fine : *Scimus etiam magiæ licere explorandis occultis per catabolicos, et paredros, et pytonicos spiritus.* Catabolici verbum, de quo prius dubitabamus, certum habemus ex loco Tertulliani citato ; sed ejus interpretationem ad gustum nostrum non habemus ; nam quam habet Turnebus in Adversariis, prorsus non placet, licet videatur approbata ab Leone Allatio in suo de Engastrin, cap. 4, quem vide, et in eo de Pytonicis.

Ibidem (*Ibid.*). *Intra loricam sacri pectoris fidei comitium, prædicationis*, etc. Videtur ex his dissectus Isaias, quasi ab ejus extis futura perquirerent, quod contradicit causis, quas tetigit initio sermonis. Frustra fuerit, si moneam *sacrum pectus* heic haberi pro corde in animo residenti, *loricam* autem pro ossibus, quæ præcordiis et vitalibus natura circumdedit.

Ibidem (*Ibid.*). *Prædicationis politicæ litterarum curiam requirebat*, etc. Lego *litterariam curiam*, quasi sperarent in ejus præcordiis videre inscriptum, quod aut prædicasset, aut quod prædicaturus fuisset. Curia etenim templum mentis atque consilii, uti vocat Cicero pro Milone.

Ibidem (*Ibid.*). *Et quale esset illud*, etc. Lego *et tale esset illud.*

Ibidem (*Ibid.*). *Erubescere cogeretur.* Ms. *miraretur.*

Ibidem (*Ibid.*). *Dentibus alienis*, etc., serræ.

Ibidem (*Ibid.*). *Resupinatos sectores et pendulos*, etc., Debuerant enim curvi stare, et depressi, ut serram ducerent, reducerentque in partibus imis.

Ibidem (*Ibid.*). *Qui figuras gentium cum suo persequutore damnarunt*, etc. Justinus Martyr Dialogo in Triphon. : *Si intellexissent magistri vestri eos, credite, fuisse, dispuncturos, quæ de cæde Isaiæ scripta erant, quem serra lignea dissecuistis, quod ipsum et sacramentum est, Christum bifariam genus vestrum concisurum, atque alios quidem dignos, atque in se credentes una cum sanctis Patriarchis et Prophetis regno æterno dignaturum ; alios autem infideles cum gentibus ad condemnationem missurum.*

IN INTERPRETATIONEM PS. CXXVI, IN APPENDICEM REJECTAM.

Pag. 322 (*Tom.* IX *Patrologiæ nostræ*, *col.* 692). Contra morem Zenonis est de historiis esse sollicitum, et inquirere superstitiose in tempora, quibus facta successerint, quæ in sacris Libris præfigurata leguntur, cum semper præcipue tendere nisus sit, ut populum duceret, quo Archipastore Christo ipse doctrinam Christianam animis fidelium intimaret, ne quid a se requirendum superesset in muneris injuncti exercitio. Utitur item in hoc digressionibus longis, præter quod soleat, et in sola prophetiæ applicatione tendit in externam quamdam disquisitionem, quæ nihil spiritui, tota inani curiositati conferat : alioquin solitus acuto sermone auditorum animos pertentare, διδασκαλικὸς esse potius quam ἐξηγητικὸς, tum etiam ἐξήγησις ipsa enthusiastica est, incohærens ; exempli gratia quæ longa παρέκβασις de domo Dei ? cum potius in id satagere debuisset, ut cuilibet domus generi tum spiritali, tum corporeæ, tum animatæ, tum inanimatæ exigeretur, divinus favor, pro prophetæ instituto, qui quidem etsi forsan præfixerit sibi de Templo Hierosolymis, ἁπλῶς cum fructu majore ad quamcumque domum, et Civitatem, sed ad humanum quemcumque conatum in quo, nisi adjuvante Domino, nil homo profecturus sit, trahi poterat. Neque satis constat Christianum virtutibus et doctrinis Dei plenum, tamquam domum istis fundamentis ædificatam per Dominum, non debere sua sollicitudine custodiri, cum Christus præcipiat et suis electis Apostolis vigilandum et orandum, ne tentatio eos seduceret ; et D. Paulus, ad Romanos cap. xi, num. 22, dicat : Vide ergo bonitatem et severitatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt severitatem, in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate ; alioquin, et tu excideris. Ergo conatus ex nostra parte esse debet, ut fulciamus quod Deus commodavit nobis. Humanæ siquidem naturæ imbecillitas maxima, sed gratia divina resistenti tentationibus adest, ut docet idem Apostolus ad Corinth. ii, cap. xii, num. 8. Mitto reliqua, nam cum ad verbum reperiantur in Hilario Pictaviensi, credo fuerit justitiæ opus illi relinqui, neque Zenonis conscientiam alieno labore onerare. Hilarii autem esse arguit, quod cum is dicatur Origenem in Psalmos exscripsisse, si recte perpenderis, Origen-

Digitized by Google

nus prorsus hic sit interpretandi modus, ut ex comparatione eorum liquet, quæ in Sacra Scripta commentariorum supersunt illius.

IN INTERPRETATIONEM PSAL. CXXVII, IN APPENDICEM REJECTAM.

Pag. 330 (*Tom.* IX *nostræ edit. col.* 703). Sermo de Psalmo CXXVII, legitur iisdem verbis in Hilarii Pictaviensis operum Syntagmate : sed sicuti superiorem illi reddere non dubitavimus, hoc Nostrum fraudare prorsus ausi non sumus. Zenonianum enim quid sapit, et elegantem illam majestatem, qua inter PP. Latinos præcelluisse acutissimi vir judicii Isaacus Casaubonus censuit. Tum cohæret sibi auctor in isto, ut vagatur in illo, quo dissimilis ingenii partum facillime noscas. Sed in tractatu *de Timore* (nunc tract. VIII, lib. I) easdem sententias, easdem verborum lacinias, eosdem mentis conceptus reperias, strictius quidem et pressius, ut illum prius, hunc posterius composuisse, et utrosque ejusdem ingenii factura cognoscas (*Vide Dissertationem nostram* 1, *cap*, 1, § 2, *et adnotationes in tract.* 8, *lib.* I).

Ibidem (*Ibid.*). *Numquam eum solitarium relinqui*, etc. Timor Domini est obedientia præceptorum, qui et sanctus dicitur Psal. XVIII, versic. 10. Hic dum fide excitatur, præceptis docetur, pietate imbibitur, voluntate obfirmatur, sapientiam parit. Cum igitur hac virtutum societate nascatur, non poterit solitarius dici.

Ibidem (*Ibid. col.* 704). *Quod per Salomonem in Proverbiis dictum est*, etc., cap. 2, num. 3, quæ Schol. Septuagint. Interpret. Hilario adscribunt, quorum tamen auctoritate non moveor. Certe sermo hic cum sermone de Timore sic consonat, ut sententiæ quidem in hoc Zenonis sint, dictio et compositio nec abludat, ut dubitare vix restet.

Pag. 331 (*Ib.*). *Metuentis id perpeti, quod sibi nolit accidere*, etc. Infra de Timore *metuis autem, quod tibi nolis accidere*. Aristotel. de Morib. lib. III, cap. 9 : φοβούμεθα δὲ δηλονότι τὰ φοβερὰ· ταῦτα δέ ἐστιν, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, κακά. *Timemus ea omnia quæ exterrent, quæ uno verbo mala sunt.* Totum autem locum ex ms. lege : *Sed quantum ad communem humanæ imbecillitatis trepidationem metuentis est id perpeti, quod sibi nolit accidere. Exsistit, et commovetur in nobis de reatus*, etc.

Ibidem (*Ibid.*). *Hic ergo timor non docetur*, etc. Infra de Timore (nunc tract. VIII, lib. I) : *Timor Dei et discitur, et docetur, quia non in trepidatione, sed in doctrinæ ratione consistit; sicuti scriptum est : Venite, filii, audite me : timorem Dei docebo vos.* Sequitur : *Sed ex naturæ infirmitate occurrit;* ms. legit, *sed ex natura infirmitatis.*

Ibidem (*Ibid. col.* 705). *Cæterum si quis timeat, neque parcat :* lege ex ms. *neque pareat.*

Pag. 332 (*Ib.*). *Multæ sunt autem viæ Domini*, etc. Origenes, in Joannem t. IX, perplures esse vias docet ad tollendum peccatum, quarum aliæ vulgo sint manifestæ, aliæ vero solis iis innotescant, qui divina sapientia illuminati eas cognoscere possint. Inter has recenset flagella, spiritus malos, morbos difficillimos, atque infirmitates laboriosissimas ; verbo est illa crux, quam tolli jubet Christus ei qui velit venire post se, ut ait Clemens Alexandrinus Stromate VII, non necessitate, metu, vel spe, sed ex libero animi instituto, quam viam regiam dicit, et quam ingreditur regale genus : Αὐτὴ ἡ ὁδὸς λέγεται βασιλικὴ, ἣν τὸ βασιλικὸν ὁδεύει γένος.

Ibidem (*Ibid.*). *Docens nos omnes.* Melius distinguit ms. *docens nos, omnes, qui in Christum crediderint, unum esse*, etc.

Ibidem (*Ibid., col.* 706). *Labores fructuum manducandos*, etc.; in Græco : Τοὺς πόνους τῶν καρπῶν σου φάγεσαι ; Schol. Græca adnotant : Καρπὸν οὐ τὴν ἐπικαρπίαν ἐκάλεσαν, ἀλλὰ τὸ μόριον τῶν χειρῶν. Symmachus apud Theodoritum κόπον χειρῶν σου ἐσθίων, *laborem manuum tuarum manducans*, quibus adnectit, Ὡς εἶναι δῆλον, ὅτι καὶ οἱ ἑβδομήκοντα καρποὺς οὐ τὴν ἐπικαρπίαν ἐκάλεσαν, ἀλλὰ τὸ μόριον τῶν χειρῶν, *Ut planum sit etiam septuaginta interpretes carpos non fructuum perceptionem vocasse, sed manuum partem.* Sed scriptor noster etiam ex difficili psalmi interpretatione acumen ingenii sui exserit. Fructus est merces laboris, non labor merces fructuum. At quod operamur in Deum, spiritale est, ut manducare labores fructuum sit præmium consequi ex fructu bonitatis, castitatis, misericordiæ, patientiæ, tranquillitatis, qui sunt fructus per quos in hac corporali vita anima nostra alenda sit, ut æternis bonis perfruatur.

Pag. 333 (*Ibid., col.* 707). *Ut ex misericordia Dei pacifica, et utilis*, etc., deest verbum quod regat ; restitue ex ms. : *Ut ex misericordia Dei suppetat pacifica, et utilis*, etc.

Ibid. (*Ib.*) *Sed si hæc perfecta bona fuissent, non tamen cœlestia bona sunt*, etc. In Psalmo CXXVI, num. 3, filii dicuntur hæreditas Domini : sed hæc hæreditas non semper jucunda, neque grata, cum neque perpetuum, immo rarum ut filii sint parentibus gaudio. Exstat proverbialis locutio Ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα· cui consonat Euripides Œnomao apud Stob. Tit. 76, κακοὶ γεγῶτες, ἐχθίστη νόσος : *Malis moribus nati inimicissima pestis.* Cæterum neque perfecta bona vocavit filios, ducto exemplo ex Abraham, qui sine prole usque ad decrepitam senectam mansit, quamvis Deo acceptus et gratus esset, et ex filiis Isaac, qui fraterno dissidio paternos affectus exagitarunt, quamvis et ipse favore divino frueretur : neque cœlestia bona dici patitur, cum negata Sanctis, peccatoribus usitata, non speranda virginibus, quarum conditio nuptiarum beatior prædicatur.

Ibid. (*Ib.*) *Cui uxor diu sterilis bis arrepta est*, etc. Semel in Ægypto, Genesis cap. XII, rursus in Gerara Palæstinæ ab Abimelecho, Genesis cap. XX.

Ibid. (*Ib.*) *Et viventis funus parricidali fratrum mendacio plangens.* Intelligit de Josepho, quem venditum a fratribus, ut mortuum luxit, Genesis cap. XXXVII.

Pag. 335 (*Ibid., col.* 709). *Dominus autem non ambigitur, hoc animæ nostræ esse domicilium*, etc. Justinus Martyr Dialogo cum Tryphone. Τὸ μυστήριον οὖν τοῦ προβάτου ὃ τὸ πάσχα θύειν ἐντέλλεται ὁ Θεὸς, τύπος ἦν τοῦ Χριστοῦ, οὗ τῷ αἵματι κατὰ τὸν λόγον τῆς εἰς αὐτὸν πίστεως, χρίονται τοὺς οἴκους ἑαυτῶν, τουτέστιν ἑαυτοὺς, οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτὸν : *Mysterium, arcanumque agni, quem Pascha immolare Deus mandavit, typus et figura erat Christi, cujus sanguinem juxta rationem nostræ in illum fidei, ædes suas, hoc est se ipsos, adspergunt in eum credentes.*

Ibid. (*Ib.*) *Nisi in operum bonorum ministerio versentur*, etc. : illud *bonorum* abest a ms.

Ibid. (*Ib.*) *Optimorum quasi laborum*, Ms. *opimorum.*

Ibid. (*Ib.*) *In hac terra nostri corporis plantatur* : Ms. *plantantur*, et rectum, puto.

Pag. 336 (*Ibid.*) *Assistentes ; et quia*, etc. lectio ms. est, *tamquam plantatæ olivæ in mensæ nostræ circuitu assistentes, quia hæc timentium beatitudo est. Propheta subjecit. Ecce sic benedicetur*, etc.

Ibidem. (*Ibid., col.* 710.) *De Hierusalem, et Sion in superioribus Psalmis frequenter, sumus locuti*, etc. Hinc argues in aliosPsalmos sermones edidisse, eosque periisse. Alii dicunt pro Hilario argumentum, quasi qui cum in superiores Psalmos scripserit, atque in illis quædam de Jerusalem et Sion legere sit ; hinc concludendum sit, Hilario et hunc esse adscribendum. Sed materia de Sion et Jerusalem cunctis potuit esse communis, quod passim videmus. Zenonem sæculis ante Hilarium fuisse constat. Cum igitur plurima, et præcipua in hoc sermone reperiantur e sermone *de Timore* desumpta, qui inscribitur nostro Auctori, aut et ille ab eo fuerit abdicandus, aut sicut ille adserendus Zenoni est, et hic quoque, aut dicendus Hilarius suffuratus a Zenone. In tanta ambiguitate cum Origene concludo de epistola Pauli ad Hebræos. Εἴ τις ἔχει ταυτὸν τὸν λόγον ὡς Ξήνωνος αὐτὸν

Digitized by Google

εὐδοκιμεῖτω καὶ ἐπὶ τούτῳ. οὐ γὰρ εἰκῇ οἱ ἀρχαῖοι ἄνδρες ὡς Ξήνωνος αὐτὸν παραδεδώκασι. Τίς δὲ ὁ γράψας τὸν λόγον, τὸ μὲν ἀληθὲς Θεὸς οἶδεν. A

IN INTERPRETATIONEM PSAL. CXXVIII, IN APPENDICEM REJECTAM.

Pag. 337. (*Ibid.*, *col.* 711). *Non otiosa virtus religiosi viri est, neque quietam exigit vitam*, etc. Male corrigere tentant, *non otiosa ætas*. Ut plurimum erroneæ sunt marginales notæ in editione Veronensi, et qua corrigere tentant, strenuissime depravant: legendum autem esse *virtus*, indicio est, quod paulo infra dicat, *sed ea sæpe etiam ab ipsis initiis ætatis infesta sunt*, quæ si prius dixisset, non fuisset de ætate repetiturus. Confirmatur infra adhuc ex illis. *Certamen tamen non sufficit ad coronam*, etc. Quasi virtute constante, permanente et continua hic agon sit peragendus, quod virtutis est non ætatis. Hostis enim noster, quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit: eos enim pulsare negligit, quos quieto jure se possidere sentit, ut usurpem verba et sententiam Gregorii Magni, homil. 2. B

Pag. 338 (*Ibid.*, *col.* 712). *Per direptionem substantiæ ejus primum deserviturus*, etc. Lego *desæviturus*.

Ibid. (*Ib.*) *Et non sibi efficit, quisquis aliquid per turbulentæ voluntatis impetum gerit*, etc. Nova forma dicendi *non sibi efficit*, pro *non a se efficit*. Quod ad Zenonis sensum consimiliter Aristoteles, de Moribus lib. II, cap. 4: Οὐ λεγόμεθα, inquit, κατὰ τὰ πάθη σπουδαῖοι ἢ φαῦλοι, non dicimur *ex perturbationibus aut boni, aut mali*, sicuti dicimur ex habitu virtutum, aut vitiorum, quoniam κατὰ τὰ πάθη κινεῖσθαι, κατὰ τὰς ἀρετὰς, καὶ τὰς κακίας οὐ κινεῖσθαι, ἀλλὰ διακεῖσθαι λεγόμεθα, *perturbationibus moveri, virtutibus aut vitiis non moveri dicimur, sed disponi*.

Ibid. (*Ib.*) *Aut in corporis voluptates alendas adhortationis sollicitamur instinctu*, etc. Clemens Alexand., Pædagog. lib. III, cap. 7, voluptatem contra ponit honesto; quippe si liceat omnibus vesci, ex omnibus bibere, et in coitu vagari pro libitu, nascetur nefarium divitiarum studium, et præceptorum divinorum contemptus: quo excludemur hæreditate regni Dei, quod ut obtineat hostis ille noster, voluptatum incentivum, quod inter omnia est vehementissimum, præbet. C

Ibid. (*Ib.*) *Sed potius in his detestandi officii intercessio fœda miseranda est, quod sint vasa diaboli*, etc. Titus apud Philostratum de vita Apollonii, lib. VI, cap. 14, ob devictos Judæos captasque Hierosolymas coronas ablatas recusavit, quod non ipse talia se patratum diceret, sed Θεῷ ὀργὴν, φήναντι χείρας accommodasse. Eadem forma Clemens Alexand. Stromat. lib. VII, vocat diabolum in peccatis nostris σύνεργον potius quam ἔνεργον, quod quid sit in postremo totius operis Stromatum Commentario declarat inquiens, τὸ σύνεργον ὑπηρεσίαν σημαίνει, καὶ τὴν σὺν ἑτέρῳ λειτουργίαν; ut sit ministerium et cooperatio cum alio; hujusmodi *ferialis minister vocatur* in L. VI De Custod. reorum in Cod. Theod. lib. IX, tit. 3.

Pag. 339 (*Ibid.*, *col.* 715). *Sæpe impugnaverunt me a juventute mea*, etc. Aliter legitur in ms.: *Sæpe impugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel: Quid dicere debeat? tum deinde tamquam doctus, et exemplo propheticæ confessionis imbutus, Israel ipse jam loquitur*.

Ibid. (*Ib.*) *Quia iterari necesse est, quod et diu geritur, et numquam obtinetur*, etc. Appius Claudius apud Titum Livium, lib. V, cap. 6: *Ad disciplinam militiæ plurimum intererat insuescere militem nostrum, si res lentior sit, pati tædium, et quamvis seræ spei exitum exspectare, et si non sit æstate perfectum bellum, hyeme operiri.* Hujus modi adversarium nostrum delineat Augustinus, de Sing. Cleric.: *Tamdiu diabolus sopitum ignem sine ullis flammis occultat, donec duas faculas jungens simul ambas accendat; et tamdiu cessat sævitiæ suæ tela supponere, donec sicut peritus venator, quod occisurus est, laquei vinculis alliget.*

Ibid. (*Ib.*). *Et hinc sit impugnationis nostræ assiduitas quia non sit impugnantium prævalens fortitudo*, etc. Quod enim assidue impugnet in causa est, quod non expugnet, et hinc debilitas ejus arguitur.

Ibid. (*Ib.*). *Mos autem est eorum, qui nequaquam longis atque assiduis prœliis prævalent, ut victorem exercitum et firmis agminibus incedentem a tergo adeant*, etc. Veget. lib. III, cap. 9: *Si adversarium intelligit potiorem, certamen publicum videt: nam pauciores numero, et inferiores viribus superventus, et insidias facientes sub bonis ducibus reportaverunt sæpe victoriam.*

Ibid. (*Ib.*). *Ita et peccatores tentatos in cassum fideles viros*, etc., Ms. *tentant*, et rectum est; respicit ad ea, quæ dixit supra: *In omni igitur quam perpetimur injuria, alterius opus, alterius instinctus est.*

Ibid. (*Ib.*). *Fabricabant: indefiniti enim temporis significatio est*, etc. Fallitur. Non indefiniti, sed imperfecti temporis significationem habet, aliud est χρόνος ἀόριστος: aliud χρόνος παρατατικός. Hesychius παρατατικὸς, ἐκτεταμένος, quasi extensivum in rem non perfectam. Ita Apellem et Policletum operibus suis inscripsisse *faciebat*, testis est Plinius in præfatione naturalis historiæ, tamquam inchoata semper arte et imperfecta, contra judiciorum varietates superesset artifici regressus ad veniam veluti emendaturo quidquid desideraretur. Diomedes, lib. I, cap. 4: *Præteritum imperfectum, id est præteritum, non tamen perfectum: cum quasi præteriisse tempus affirmamus, alioquin cœpimus, nec perfecimus, unde nonnulli inchoativum tempus appellavere.*

Pag. 340 (*Ibid.*, *col.* 714). *Et tamquam funem longum implexa ea semper extendere*, etc. Ms. Et tamquam funis modo in longum implexæ semper extendere, etc., fol. 141.

Ibid. (*Ib.*). *Moyses ad Dominum arcuit.*; ms. *arguit*.

Pag. 341 (*Ibid.*, *col.* 715). *Humilitatis nostræ corpore in gloriam corporis sui conformando.* Corrige ex ms. *humanitatis*.

Ibid. (*Ib.*). *Est enim speciale adversus fideles infidelium omnium odium*, etc. Sic et Tertullianus Apologet. cap. 1, exprobrat gentilibus, quod solo odio nulla culpa convictos damnarent Christianos; nam odium ex præconcepta opinione adversus genera contingere adserit Aristoteles Rhetoric. lib. II, cap. 4.

Ibid. (*Ibid.*). *Ad terrena sua, et originalia revertentes*, etc. Prudentius de Exsequiis defunctorum:

> Si terrea forte voluntas
> Luteum sapit, et grave captat,
> Animus quoque pondere victus
> Sequitur sua membra deorsum.

Ibid. (*Ib.*). *Pudorem iniquitatis suæ judicii tempore sentientes*, in ms. elegantius deest *suæ*.

Ibid. (*Ib.*). *Amissa resurrectionis demutatione*, etc. Habuisse præ oculis puto, dum hæc scriberet, locum D. Pauli ad Philip. cap. III, vers. 21: ἐξ οὗ καὶ σωτῆρα ἀπεκδεχόμεθα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, ὃς μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ: *Unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* D

Pag. 342 (*Ibid. col.* 716). *Humana sunt corpora aut firma, aut infidelitate*, etc.; ms. *Humana sunt corpora, aut fide firma, aut infidelitate ruitura.*

Ibid. (*Ib.*) *Plus enim metit conscientia, quam gesta*, etc. Lege *gestat*, ut sensus constet, et ita in ms. Porro, et si hic in psalmum CXXIX Commentarius totidem pene verbis reperiatur in Hilario, nihilominus non ausim (1) Zenoni eripere, cum dicatur in veteri manuscripto illi adscribi; ut interdicto, uti possidetis, ut loquuntur Jurisconsulti, noster vincat necesse est. Certe de Zenone in pluribus participat, ni dicamus Hilarium in suum usum accommodasse, et nonnulla addidisse a medio præcipue, unde desciscere videtur.

(1) Vide Præfationem generalem, num. 2, ac præsertim procœmium dissertationis primæ in fine.

Digitized by Google

Cæterum sequens sermo in psalmum CXXIX meo judicio tam diversa œconomia, sic aliena ratione et forma dicendi variat, ut antestari posse me sine dolo malo credam Zenonis non esse.

IN INTERPRETATIONEM PSAL. CXXX, IN APPENDICEM REJECTAM.

Pag. 350 (*Ibid. col.* 725). De sermone (1) posteriore in psalm. CXXX. qui reperitur in Hilario, et in quo omnia argumenta, omnes colores fere qui in priori reperiuntur, concludendum est, aut Zenonis recta esse, pro ejus more repetendi pluries quæ in uno, aut suffarcinatum ex priore. Hilario certe non adscribendus, cum Zenonis structura sit, sensus illius, forma dicendi illius, nisi qua aut restrictior, aut dispositione parum diversa. Hinc etiam liqueat plagii crimen incurrisse, qui sermonem de psal. CXXVII et CXXVIII Hilario adscripsere, quamvis mala manus accesserit, et ut mangonizaret, corrumperet, et vappam vino immiscuerit. In hunc nulla restant observanda, quæ non adnotata fuerint in priorem. Itaque nihil addo.

Pag 351 (*Ibid., col.* 726). *Corde autem, ex quo secundum evangelium.* Ms. habet. *Cor autem, ex quo*, etc.

(1) Vide proœmium, diss. I, in fine, et cap. 1, § 2, ejusdem dissertationis cum præfatione ad Appendicem.

APPENDIX SECUNDA

COMPLECTENS DUOS DE SERMONIBUS ET MARTYRIO SANCTI ZENONIS LIBROS, CUM DUPLICI DISSERTATIONE IPSIS SUBJUNCTA, AUCTORE FRANCISCO BONACCHI.

LIBER PRIMUS.

DE SERMONIBUS SANCTI ZENONIS

EPISCOPI VERONENSIS.

CAPUT PRIMUM.

Rationes dubitandi an S. Zeno Sermonum qui ipsius nomine inscribuntur sit auctor.

De Sermonibus, qui Divo Zenoni tribuuntur, diversa doctorum virorum sententia est. Quidam enim, recentiores præcipue, nullum Sermonem Sanctum Zenonem scripsisse putant; illos vero, qui ipsius nomine prodierunt, Sermonum collectionem dicunt, quæ plures habeat auctores. Rectius tamen alternant alii, Sermones de quibus agimus, nonnullis exceptis, edidisse Zenonem. Verum de horum auctore Sermonum cur dubitent, his potissimum rationibus adducuntur: quod scilicet antiquitus hi sermones penitus fuerint ignoti; compluresque eorum apud alios auctores reperiantur; ut puta sermones in Psalmos, qui totidem fere verbis in commentariis Divi Hilarii leguntur, et sermones in illud *Attende tibi*, et de Livore et invidia, tum ex stylo, tum ex communi sententia Divi Basilii esse videantur. Maximum autem pondus ad has augendas dubitationes affert temporis conjectura. Sanctus namque Zeno, imperante Gallieno anno 360, martyrium subiisse dicitur: horum vero sermonum auctorem a Gallieni temporibus multum abesse, ex eo evidenter intelligitur, quod in sermone de Continentia sententiam Divi Pauli allegans ex epistola prima ad Corinthios quadringentos ferme annos ab eadem epistola scripta numeret, quæ septimo et quinquagesimo C. anno data ad Corinthios creditur. Tum etiam quod in quibusdam sermonibus errores confutet Arii, cujus impia dogmata anno Christi 325 Nicæni concilii decreto damnata ipso vivente, et Imperatoris Constantini mandato igni tradita sunt. Has rationes, et si quæ aliæ sunt expendemus, et in hac quæstione quid sentiendum sit, Deo dante, demonstrabimus. Primum vero horum sermonum auctorem veteribus ostendemus non ignotum: tum recentiorum doctorum opiniones diligentissime discutiemus.

CAPUT II.

Sermones Sancti Zenonis antiquitus noti.

Extare apud Veronenses in vetusto ex membranis manuscripto codice sermones S. Zenonis in præfatione ad eosdem sermones, Veronæ typis impressos anno 1586 testantur Raphael Bagatta, et Baptista Perettus, eosdemque in antiquissimo libro Veronensis Episcopatus a Guarino Oratore repertos esse, ac de iis in antiquis lectionibus officii S. Zenonis mentionem fieri dicunt. At multo ante Guarinum eosdem sermones vidit Ratherius, Veronensis episcopus, qui teste Ughello, anno 929, Veronensem regebat Ecclesiam. Ipse namque horum sermonum suis in opusculis (quæ e tenebris Dacherius eruit, et in secundo tomo Spicilegii habentur) meminit, primo de contemptu canonum agens, ubi sic legitur: *Utar hic auctoritate Zenonis Beati in sermone videlicet, quem de Juda Patriarcha, et Thamar nuru ipsius more suo luculentissime fecit, dicentis: Omnium corrupte viventium Diabolus pater est.* Hunc locum in prælo mandatis sermonibus non reperiri notat Dacherius in margine: et in Bibliotheca Patrum editionis Parisiensis anni 1624 reperitur his verbis: *Pater omnium corrupte viventium Diabolus designatur.* Et in manuscripto sermonum S. Zenonis, quod in Archivio Reverendissimorum canonicorum insignis hujus Cathedralis Ecclesiæ Pistoriensis servatur: *Pater enim omnium corrupte viventium Diabolus designatur.* Eumdem locum in sua Synodica laudat Ratherius. *Et cum specialis noster Doctor atque provisor Beatus utique Zeno dicat in sermone utique, quem de Juda filio Jacob, et Thamar nuru ipsius elegantissime composuit. Quod omnium corrupte viventium Diabolus pater sit.*

Neque solis Veronensibus hi S. Zenonis sermones

Digitized by Google

noti fuere. In monasterio namque S. Remigii Remensis, ut testatur Ruinart in actis S. Arcadii Martyris, habetur codex manuscriptus, *quem sæculo nono huic Monasterio Hincmarus Remorum Pontifex concessit*, in quo continentur *Tractatus S. Zenonis Veronensis Episcopi in duos libros divisi, iidem omnino qui in Bibliotheca Patrum editi sunt.* Quod testantur, et monachi S. Mauri in Parisiensi editione operum S. Hilarii anni 1693 in admonitione ante Psalmum CXXVI.

Servatur etiam in hoc Archivio reverendissimorum canonicorum hujus Cathedralis supradictus manuscriptus codex pergamineus, in quo extant tractatus S. Zenonis Veronensis episcopi, et ipsi in duos libros digesti, iidemque sermones sunt, qui in Bibliotheca Patrum leguntur, alio tamen ordine : quo ordine se illos digesisse dicunt Bagatta et Perettus in eadem præfatione. In fine vero hujus Pistoriensis manuscripti duo sunt inserti sermones, unus S. Gaudentii Brixiensis episcopi, qui in manuscripto Veronensi non reperitur, alter S. Vigilii episcopi, de sanctis martyribus Sisinno, Alexandro et Martyrio. Tituli hujus manuscripti Pistoriensis non conveniunt cum iis, qui in sermonibus prælo cusis leguntur inscripti : et ex quibusdam conjicitur S. Zenonis sermones in Officio divino consuevisse legere Veronenses. Videlicet ex sermone de Genesi, qui inter typis editos primas obtinet, in manuscripto ordine septimus est, et ita inscribitur : *Tractatus Genesis. In sexagesima. Lect.* I, *secundam require in antea in folio quinto :* quod et in aliis observare est, ut in sermone de Genesi, qui est secundus in iis, qui editi fuerunt in lucem, in manuscripto ordine 27, et concluditur ex more : *Tu autem, Domine, miserere nobis ;* et sermone de Job, qui in manuscripto ponitur 15 initio legitur : *Tractatus de Job. Lectio B. Zenonis hujus sedis episcopi.* Ita antiquitus legi solebant in Ecclesiis litteræ Polycarpi et quorumdam qui fuerunt apotolorum discipuli : liber Hermetis et aliorum. Secundo etiam libro manuscripto in plurium sermonum fine sic legitur : *Explicit de humilitate tractatus S. Zenonis feliciter :* sicque in aliis. Non itaque soli Guarino horum sermonum editio tribuenda est, cum, et Veronæ publice in choro legi consueverint, et ab aliis auctoribus laudentur, et in aliis bibliothecis reperiantur. De illis enim et Petrus de Natalibus in suo Sanctorum Catalogo (*Lib.* I, *cap.* 43) meminit, pluresque recenset : et Paulus episcopus Semproniensis, aliique recentiores. Verum de his hactenus dicta sint satis. Nunc eorum sententiam DD. qui Divum Zenonem horum sermonum auctorem negant, attentius expendamus.

CAPUT III.

Sixti Senensis de Sermonibus S. Zenonis judicium consideratur.

Ex diversis auctoribus, qui pene ducentis annis a S. Zenone floruerunt, eos collectos esse sermones qui S. præsuli tribuuntur, ex eo conjicit Sixtus Senensis, quod inter ipsos nonnulli sermones de Psalmis, e S. Hilarii commentariis, ne verbo quidem immutato, transcripti sint. Tum etiam quod sermo in illud *Attende tibi*, et sermo de Livore et Invidia D. Basilii sint. Ob diversitatem quoque styli in reliquis sermonibus diversos suspicatur auctores : præcipue ex sermone de Continentia ubi Auctor *affirmat se a Christi ortu abfuisse annis quadringentis et amplius.* Dicendum itaque prædictos sermones, qui ad expositionem sacræ Scripturæ pertinent, parum accurate recensitos reperiri apud Sixtum Senensem, qui aliorum forte opera in eorum collectione usus est. Nam quinque tantum leguntur apud Sixtum Senensem, qui in Genesim sunt conscripti, quibus et sermones de Abraham, de somnio Jacob, de Juda, et Thamar annumerantur. Verum in mandatis prælo sunt novem : nimirum in Genesim quatuor, de Abraham tres, unus de somnio Jacob, et de Juda unus. In Exodum Sixtus quinque numerat, cum in dicta editione quindecim reperiantur. In Psalmos apud Sixtum septem sunt, in editis prælo novem. Illud etiam observandum est cum Peretto et Bagatta, Sixtum in eo errasse, quod dixerit sermonem in Psalmum LXXIX, et sermonem in Psalmum c apud S. Hilarium reperiri, quod falsum est. Neque tractatus, seu sermo in Psalmum XLIX qui est inter opera S. Zenonis, in operibus S. Hilarii legitur. Quinque vero sermones, et apud S. Zenonem, et apud S. Hilarium reperiuntur, nempe in Psalmum CXXVI, dempto proœmio : in Psalmum CXXVII, CXXVIII, CXXIX, CXXX. Nec sermo primus in Psalmum XXX de humilitate inter sermones S. Hilarii habetur, ut notant etiam PP. Congregationis S. Mauri in præfata editione operum S. Hilarii anno 1693. In Isaiam quatuor Sixtus numerat, in excusis septem sunt, si eis adnumerentur sermo de Martyrio Isaiæ. Tres de Daniele ponit Sixtus, novem sunt in dicta editione.

His itaque observatis fatendum est prædictos quinque sermones de Psalmis apud S. Hilarium legi, eorumque S. Hilarium auctorem esse probant prædicti PP. Congregationis S. Mauri. Fatendum etiam inter opera S. Basilii non solum esse duos sermones a Sixto notatos, nempe sermonem in illud *Attende tibi*, et sermonem de Livore et Invidia : sed et sermonem de Evangelio secundum Lucam de duplici tentationum specie, et sermonem de Jejunio. At his non obstantibus male infert Sixtus Senensis sermones, qui S. Zenonis nomine circumferuntur, *collectionem esse ex diversis Auctoribus, qui ducentis pene annis fuerunt Zenone posteriores.* Sermones namque, de quibus agitur, centum et quatuor numerantur : qui vero apud S. Hilarium et Basilium habentur, novem sunt. Cur ergo reliqui nonaginta quinque S. Zenoni tribuendi non sunt ? Quid enim magis obvium in operibus antiquorum PP., quam inter unius S. Patris scripta aliorum Patrum, et auctorum etiam hæreticorum elucubrationes reperiri ? Hoc manifesto patet in libris Tertulliani, Origenis, SS. Cypriani, Ambro-

Digitized by Google

sii, Hieronymi, Joannis Chrysostomi, ut apud Bellarminum et alios, qui de scriptoribus ecclesiasticis tractant. Si autem propter illos tantum novem sermones, qui apud alios reperiuntur, de sermonibus D. Zenonis esset dubitandum : dubitandum utique esset de operibus plurium SS. PP. de quibus nemo dubitat. Illud quoque considerandum videtur, quod si opera S. Zenonis ex variis auctoribus collecta fuissent, sicut illi novem sermones inter aliorum opera reperti sunt, ita cæteri apud alios legerentur auctores. Nec enim est cur credamus illorum omnium Auctorum, e quibus prædicti sermones descripti putantur, penitus nomina et opera excidisse. Si ergo illi novem tantum apud Hilarium et Basilium habentur, reliqui D. Zenonis opus dicendi sunt : neque temere fingendi sunt auctores ignoti, cum tot vetera monumenta habeamus nomine S. Zenonis inscripta, de quibus supra egimus cap. 2 : quæ si vidisset Sixtus Senensis, non ita facile S. Zenonis opus collectionem esse sermonum ex diversis auctoribus affirmasset.

CAPUT IV.

De annis quadringentis est amplius in Sermone de Continentia illapsis.

Quod autem ad Sermonem attinet de Continentia, ubi Auctor de prima epistola D. Pauli ad Corinthios testimonium affert, his verbis : *Tempus coarctatum est, superest, ut qui habent uxores sic sint quasi non habentes, præterit enim figura hujus mundi*, subdit : « At cum ante annos ferme quadringentos, vel eo amplius Apostolicum hoc operetur edictum » (Non enim a Christi ortu, ut est apud Sixtum Senensem, sed a scripta Epistola prima ad Corinthios quadringentos annos, et amplius excurrisse dicit Auctor), certum videtur, ut Sixtus observat, hunc Sermonem temporibus Gallieni, sub quo Martyrium subiisse traditur S. Zeno, convenire non posse. At hanc difficultatem sustulit Eminentissimus Baronius in notis ad Martyrologium Romanum duodecima Aprilis, cujus verba hic referre non pigeat. *Quod vero ad S. Zenonem martyrem spectat, errare certe illi nobis videntur qui unum asserentes Zenonem eum Ambrosii temporibus vixisse volunt, eaque potissimum innixi ratione, quod auctor in oratione de pudicitia (alias de continentia) numeret ab Apostoli Pauli ad Corinthios primam scribentis Epistolam tempore annos (ut ait) ferme quadringentos, et eo amplius. Certe si quis numeret annos quadringentos ab anno Domini quinquagesimo septimo, quo illam esse a Paulo scriptam Epistolam in annalibus demonstravimus, oportuit auctorem eorum scripsisse anno Domini quadringentesimo quinquagesimo septimo ; post obitum vero Ambrosii, qui (ut habet Marcellinus in Chronico) obiit anno Domini trecentesimo nonagesimo septimo, annis sexaginta. Quamobrem cum illa numeri nota nec (ut volunt) Ambrosii temporibus aptari possit, mendosum esse neminem puto jure posse negare. Sed his accedit quod dum auctor in eodem sermone invehitur vehementer in fœminas, quæ gentilibus nubunt, dum apertissime monstrat Idolorum templa tunc fuisse patentia, et victimas solitas immolari aliud prorsus ab Ambrosii temporibus illud fuisse sæculum auctor aperte significat ; cum constet jam olim non tantum a Constantino, ut ait Eusebius in Vita ipsius, lib. II, cap. 42, 43, et a Constantio ut Ammonius, lib. XIX, et alii testantur victimas fuisse vetitas et templa jussa claudi. Sed eo tempore nec Romanos obtinere potuisse vel aram unam erigere Victoriæ, ut pluribus ad Valentinianum scribit Ambrosius, et adversus Symmachum disputat. Sic igitur cum ex his, quæ dicta sunt, nulla ratione ea lectio subsistere possit annorum quadringentorum, nec minus trecentorum superadditis illis quinquaginta septem, qui præcesserunt illius Pauli epistolæ scriptionem, jure meritoque in recentiori editione restitutus est numerus annorum ducentorum. Nam numerando ducentos annos, et amplius (quod habet vetus lectio) ab anno Domini ducentesimo quinquagesimo septimo, quo (ut diximus) ea ad Corinthios epistola scripta est, ad Gallieni tempora, qui imperare cœpit anno Domini ducentesimo quinquagesimo quinto, sub quo Zeno ponitur passus, deducitur numerus restitutus. Rursum vero dum in sermone secundo de avaritia auctor ait in nummis excudi solere signum idololatriæ, eademque Idola, quæ coluntur in templo, clare demonstrat Auctorem longe ante Christianorum imperatorum tempora claruisse. Nam a Constantino Magno jussum esse, ut nummus Crucis signo imprimeretur, testatur Sozomenus lib. I, cap. 8. Sed multo apertius numismata ipsius, et successorum Augustorum, quæ extant, id demonstrant. Adhuc insuper cum auctor in sermone de Spirit. ædific. Domus Dei plene demonstrat eo tempore nullum Templum, aut perrarum fuisse erectum, quod posset componi cum ædibus Idolorum : prorsus significat, se ante Constantini tempora claruisse, cujus opera certum est, tam in Occidente (præsertim Romæ) quam in Oriente, ut Hierosolymis, Anthiochiæ et Constantinopoli, aliisque in locis augustissimas erectas esse Basilicas.* Has Eminentissimi Baronii observationes leviter admodum infringere audet Combefisius in judicio auctorum quos recenset in primo tomo suæ Bibliothecæ concionatoriæ de S. Zenone agens ; nihil aliud contra eas afferens quam hæc verba : *Ut non sit necesse ad ea recurrere, quæ Baronius, ut illam novi Martyrologii sub Gallieno Zenonis epocham tueatur.* Quod si saltem vel summis labiis eas attigisset, nullo pacto dixisset Baronium ad tuendam Martyrologii novi epocham incassum laborasse. Quasi novum Martyrologium conficiis egeat rationibus suam ad tuendam auctoritatem.

CAPUT V.

Tillemontii errores in redarguendo Baronio.

Acriori sane calamo contra Baronium utitur Tillemontius (*Nota* 6, IV *tom. de persecut. Valeriani*), quasi labore inutili levia congesserit, ut assereret S. Zenonem auctorem sermonum de quibus agitur. Certe quidem, et ipse Baronius fatetur eos inter sermones, qui vulgo Divo Zenoni tribuuntur, quosdam esse, quorum ipsemet D. præsul non est auctor, præ-

Digitized by Google

cipue ubi contra Arianos agitur, de quibus infra tractabimus (*cap.* 7). At ut vidimus, non est cur ex paucis aliorum sermonibus inter sermones D. Zenonis admixtis, sermones reliquos S. Zenoni minime tribuamus. Fallitur itaque Tillemontius, primo dum asserit Baronium suis in annalibus nullam mentionem de S. Zenone, neque de ejus sermonibus fecisse: nam ante primum Christi annum recenset quemdam sermonem D. Zenonis de Nativitate, quem dicit sextum, cum idem in editione Parisiensi in bibliotheca PP. anni 1634 sit secundus, ubi quæ de obstetrice incredula dicuntur ex apocryphis sumpta esse notat. De hac tamen obstetrice in prædicta editione nihil legitur. In hoc vero ms. Pistoriensi, quæ de obstetrice notat Baronius reperiuntur. Antiquiori forsitan et correctiori autographo Perettus et Bagatta in edendis operibus S. Zenonis usi sunt. Item ad annum Christi 47, Baronius ex sermone S. Zenonis de timore confirmat S. Theclam bestiis simul et igne fuisse damnatam. Et anno 589, miraculum narrat, quod tum contigit, cum Athesi fluvio inundante, et ad fenestras ecclesiæ S. Zenonis martyris atque Pontificis excrescente stantes pro foribus apertis aquæ ecclesiam non introierunt. Quod Baronius de S. Zenone in annalibus ex professo non egerit, non ea est ratio, quod nil solidi de eo exploratum habuerit, ut Tillemontius putat, sed quod sui non erat instituti privatarum ecclesiarum res prosequi, ut idem Baronius ad annum Christi 75 testatur.

Fallitur etiam Tillemontius, dum dicit antiquitus solis Clericis permissum esse videre sacrificium Missæ, non autem reliquis Christianis. Quid enim hoc absurdius excidisse potuit homini in Ecclesiastica historia versato : cum luce meridiana sit clarius quod excommunicati, catechumeni et pœnitentes Missæ sacrificio interesse unice vetarentur. Nam quod addit de velamine expanso, quod laicis impediebatur sacrificium Missæ videre, id non Ecclesiæ Occidentali, ut ipse falso autumat, sed Orientali solemne fuit. In Ecclesia namque Occidentali, et præcipue Romæ, nullis velaminibus adhibitis sacra celebrabantur, contra morem Valentinianorum, quorum sacra in abdito fiebant. Ita Baronius ad annum Christi 145 : « Hinc quoque accidisse putamus, ut Romæ ubi Valentinus diu versatus est, nequaquam ipsa sacra (ut mos est in Oriente) velis inter agendum obductis operirentur, sed patentibus omnibus, non tantum diei luce, sed luminibus incensis fierent ubique clara atque conspicua. Siquidem nihil veritas erubescit nisi solummodo abscondi : ac proinde ne pansis velis occultata sacrificia, sacris illorum viderentur esse similia, omnia aperta, omnibusque patentia consulto Romana Ecclesia sua mysteria esse voluit. » Hæc adhibet commenta Tillemontius, ut unam ex animadversionibus, et aptissimam quidem Baronii eludat, qua errorem circa annorum numerum irrepsisse demonstrat. Ex eo namque quod auctor sermonis de Continentia in fœminas invehatur, quæ gentilibus nuberent, dicatque, tunc temporis Idolorum templa fuisse patentia, ac victimas immolari solitas, manifesto concludit, hoc tempus minime convenire posse quadringentis annis in eodem sermone expressis. Quomodo namque clarius demonstrari poterat error, quam ex eodem sermonis contextu ? Ut vero evidentius pateat Tillemontium nugari potius quam Baronium reprehendere, ejusdem sermonis verba proferamus : *Quid quod illius Sacrificium* (viri gentilis) *publicum est, tuum* (uxoris Christianæ) *secretum. Illius a quolibet libere tractari potest ; tuum etiam a Christianis minime consecrari, sine sacrilegio videri potest.* Hæc quidem verba non de cultus differentia (ut Tillemontius putat), sed de cultus exercendi libertate esse intelligenda ex ipso contextu patet. Divus enim Zeno hic agit de impedimento, quod uxori provenit ex connubio cum gentili circa exercitium et libertatem Religionis quare prius agit si eodem die contingat, et in Ecclesia, et in Fano festa celebrari. Ita ante prædicta verba : *Proponamus itaque ut sæpe contingit in unum sibimet convenire diem, quo tibi Ecclesia, illi adeunda sint templa.* Tum addit aliud impedimentum quod cultus gentilium libere et publice exerceatur : Christianorum vero secreto, et contra jussum Imperatorum, ideoque dicit neque permissum Christianis sine sacrilegio videre consecrari sacrificium, sine sacrilegio, inquam, quia hi, qui sacris Christianorum intererant, licet Christiani, tamen ut sacrilegi et Deorum contemptores, plectebantur. *Tuum etiam a Christianis minime consecrari sine sacrilegio videri potest.* Cur ergo Tillemontius hæc verba depravat, et sacrilegium in Christianis fingit, si dum Missæ intersunt videant consecrare ? Certe si auctor sermonis de continentia vixisset quadringentos et amplius annos post scriptam primam ad Corinthios, quæ juxta Baronium, ut vidimus (*Cap.* 4), quinquagesimo septimo Christi anno scripta fuit, vixisset utique tempore Marciani aut Leonis imperatorum, sedente in Romana cathedra S. Leone papa, anno quadringentesimo quinquagesimo septimo ; quo tempore certe non dixisset Idolis publice sacrificia fieri : Christianos vero occulte sacra peragere ; cum multo ante Constantini Magni tempora ipse Tillemontius (*Tom.* IV *Hist. Imp. art.* 54) narret templa idolorum clausa, publicumque christianæ religionis cultum propagatum. Mirum tamen quanta ipse audacia dicat facile dilui posse per Baronium adducta ! Unam tantum Baronii notationem, et adeo leviter ipse carpit, de reliquis vero, quæ supra ipsius Baronii verbis retulimus, ne verbum quidem : nempe quod in sermone de avaritia Auctor sermonum dicat, solere in nummis excudi idola, quæ colebantur in Templo, et in sermone de spirituali ædificatione domus Dei idem Auctor affirmet, eo tempore nullum Christianorum templum, aut perrarum fuisse erectum, quod posset cum Idolorum ædibus comparari. Quid ad hæc objicit Tillemontius, ut facile adeo Baronium redarguat ?

Alia sunt vetustatis indicia in præfatione operum

Digitized by Google

S. Zenonis non ita prætereunda, ut Tillemontius præterierit, quæ hic ad lectoris commodum ex præfatione eadem exscribimus. *Antiquissimi Auctoris esse indicium, cum sæpe ad Judæos sermonem habuerit: Catechumenos in sacrum Fontem invitaverit: reprehenderit Græcos tunc ad fidem Christi conversos, quod vana sua sapientia etiam in Ecclesia Dei vana quædam de Deo introducerent, ut sermone primo de Psalmo* CXXX (hic sermo apud Hilarium non reperitur), *idem ostenditur, cum in sermone de spirituali ædificatione Domus Dei Auctor demonstrat, tum non fuisse jam Templa Christianis constructa, sed novum populum et minimum numero extitisse. Ad Neophytos porro sermone* IV *cum de iis mentionem facit, qui universam rem familiarem pauperibus erogarent, quippe Dei templum essent, cum templum idololatriæ antea extitissent. Id ipsum præterea licet perspicere ad Neophytos sermone* V *cum eos hortatur, ut idololatriam fugiant, et ne captent amplius auguria. Quid? Nonne id clare patet ex sermone primo de Pascha, et sermone de patientia? quorum altero interpretatur autumnum sui temporis martyres significare; patientiam in altero coronam martyrum appellat quotidianam? Beata Thecla S. Pauli apostoli discipula, et prima illius sexus martyr in sermone de timore in exemplum timoris Domini adducitur. Quosdam meminit in sermone de resurrectione in idololatria suo tempore obiisse: et Christianos quosdam arguit corporum resurrectionem non credentes. Ab eo præterea descripta est S. Arcadii vita suo tempore, ut Petrus Equilinus testatur, martyrio in Mauritania coronati. His profecto et hujusmodi aliis quam plurimis antiquissimus horum sermonum auctor demonstratur.*

CAPUT VI.

De styli diversitate a Sixto Senensi et aliis recentioribus in Sermonibus D. Zenonis notata.

Styli diversitas in sermonibus S. Zenonis, his exceptis, qui apud alios reperiuntur, tanta utique non est, ut in ipsis propriis ejusdem S. episcopi character dignosci non possit. Quamvis tamen diverso stylo iidem sermones conscripti essent, pro certo tenendum est quod ex una styli diversitate Auctor nequeat diversus inferri. Ea enim exceptione utuntur ut plurimum heterodoxi, ut sinceris SS. PP. operibus detrahant. Liceat hic afferre judicium evangelistæ Marcellini Pistoriensis e D. Francisci Familia, quam vocant de Observantia, viri doctrina quidem, potissimum vero sanctitate, atque apostolico zelo in concionibus habendis clarissimi, de quo Possevinus meminit in apparatu: qui non modo tractatum de conversione peccatoris ad Deum, et lectiones in Tobiam a Possevino notatas edidit, sed et annotationes in librum Judicum, et lectiones in Cantica Canticorum, ubi de Commentariis S. Basilii in Isaiam prophetam contra Erasmum agens ita de styli diversitate disseruit vulgari quidem sermone, quem nos latine reddimus (*Lect.* 21). *Ipse* (de Erasmo loquitur) *versionem commentariorum S. Basilii in Isaiam e græco in latinum sermonem aggressus..... dicit stylum ipsorum Basilii non esse, sed alicujus eodem nomine nuncupati vel alterius, qui nomine S. Basilii edidit. Nam phrasis ac verborum textura ab ea, qua Basilius est usus admodum cum sit diversa, fieri non potest, ut commentaria illa a tam diserto theologo sint conscripta. Ita fit ut parum nasutus lector illis commentariis amplius non fidat, nec iis utatur eaque parvi pendat; quod autem de Basilio affirmo, idem de Augustino diversis in locis, de Hieronymo, et aliis dicendum est..... styli diversitas diversum non innuit auctorem: cum idem auctor aliis in libris alio utatur stylo, ut liquide constat ex Augustino, qui alio in libris de Civitate Dei, alio in Psalmis est usus. Quod ipse Erasmus minime inficiabitur, in uno eodemque libro diversos modos adhiberi, ut idem Augustinus in ipso Psalmorum tractatu; quoniam, ut ipse Erasmus affirmat alio initio, alio in fine ratione usus est. Aliam rationem dico, non quod hic brevior, illic longior tantummodo sit; sed quia hic, et illic diversis modis utatur. Aliud siquidem est summatim sententias afferre tanquam notationes, aliud ad modum homiliæ fusius declarare.... Quapropter cum Psalmorum initio Augustinus notationum (ut ita dicam) stylo scribat, in fine vero (quod Erasmus fatetur) longius, ut in homiliis fit, protrahat sermonem; nonne itaque dicendus ipse Augustinus eodem in libro diversus? Quid vero in re tam manifesta est immorandum? An non Magni Basilii præcepto in proœmio de vera et pia fide doctori secundum temporis, loci auditorumque quibuscum loquitur, vel quibus scribit rationem stylus variandus est? Nonne ipsius Basilii hæc sunt verba? Quemadmodum enim non eadem instrumenta in manus sumet, et qui prælium est initurus, et qui colere agrum velit; alia siquidem supellex instrumentorum iis congruit, qui in pacis quiete res sibi ad victum necessarias parant: alii armorum apparatus iis, qui in bello se adversus hostiles copias instruunt: similiter quoque nequaquam eodem dicendi genere utatur, et qui in sacra doctrina cohortatur, et qui in disputatione sibi repugnantes redarguit. Siquidem aliud est genus dicendi, quo utimur in refellendo, aliud, quo in cohortando ..... Infert itaque (non enim hic brevitatis causa totum est exscribendum) debere stylum sicuti expediens videtur accommodari. Quæ cum ita sint parum, quin imo nihil Erasmi probat argumentum, cum dicere solet: Hoc non redolet stylo hujus vel illius: igitur tantum abest ut partum ipsius agnoscamus.* Hæc de styli diversitate quoad sermones D. Zenonis dicta sufficiant, cum, ut initio diximus, in omnibus ipsius sermonibus, demptis iis, quos excepimus, suo utatur proprio stylo ac phrasi S. Zeno, ut inspicienti patet.

CAPUT VII.

Sermones S. Zenonis, ubi contra Arii errores agit, temporibus ejusdem S. Zenonis conveniunt.

Baronius notat (*In notis ad Mart. prid. id. Aprilis*) sermonem quintum libri tertii, qui in impressis in dicta editione Parisiensi primus est, inter sermones

Digitized by Google

de Nativitate Christi, et in eo dicit Arii hæresim egregie dilui, et elevari. « Ubi agit de Hæreticis illis, qui dicerent Dei Filium esse Deum, sed non Patri coæternum, et tempus fuisse, quando non fuit. Ejusmodi portentosas voces atque sententias, numquam antea auditas, quam post Arii emergentem hæresim, nemo est qui nesciat, qui illorum temporum res gestas calleat. » Ita ipse Baronius, ex quo necesse inferri videtur sermonem prædictum S. Zenonis temporibus minime convenire. Attamen ut ingenue dicam quod sentio, memoria Baronium hic arbitror excidisse. Quod ut agnoscamus notandum est, D. Zenonem de Ario, neque in novissimo laudato sermone, neque alibi meminisse. De errore autem Arii hæc habet: *Alia modestius, sed mordacius nocens dicit quidem Dei Filium Deum, sed non ex parte nobilitatis perpetuitate progenitum fuisse, fuisseque tempus quando non fuit.* Hunc errorem ante Arium inauditum dicit Baronius. At eumdem errorem ipsemet Baronius multo ante Arium, et ante D. Zenonem suis in annalibus agnovit : nempe anno Christi 229, quando Beryllus quidam episcopus Bostrensis in Arabia *ausus quidem temere asserere Salvatorem et Dominum nostrum Jesum Christum propria substantiæ incircumscriptione non ante fuisse quam in humanam carnem migraret, neque propriam habuisse ex se divinitatem, sed solam Patris in eo extitisse.* Ita Eusebius, lib. VI, cap. 26, apud Baronium supradicto anno. De hoc Beryllo meminit S. Hieronymus, et de ejus hæresi libro de Scriptoribus Ecclesiasticis ; et Augustinus libro de Definitionibus orthodoxæ fidei, cap. 3. Hanc autem eamdem esse ac Arii hæresim ex Athanasio patet, qui his verbis Arii sententiam refert (*De Syn. in Dec. contra hæresim Arianam*) : *Non fuisse Filium antequam gigneretur indeque ratiocinari vellent, eum ne ante carnis quidem naturam extitisse.* Quod idem est ac illud quod apud S. Zenonem legimus : *Fuisseque tempus quando non fuit.* Neque dicas hanc Berylli hæresim, quæ vix exorta statim interiit, minime innotuisse, cum ipse Beryllus ab Origene ad catholicam sententiam redactus sit in Synodo contra eum habita in Arabia. Nam S. Zeno vel Syria oriundus, vel ad eam appulsus, in eaque prædicans (ut habetur ex veteri ms. initio operum S. Zenonis in dicta editione Parisiensi typis mandato : *Non queo tanta hujus S. opera narrare, quæ veniendo a Syria usque in Italiam mirabilia per ipsum Deus ostendit,* Orientis res compertas habuit. In Occidente vero hanc hæresim fuisse vulgatam, ex eo constat quod Dionysius papa, qui anno Christi 261, Petri Cathedram regebat, dum S. Zeno adhuc viveret, in causa Dionysii Alexandrini, qui Romano Pontifici delatus, quasi divisionem in divinis Personis videretur admittere ; non modo Dionysium Alexandrinum a falsis criminationibus purgatum absolvit, et Sabellianam hæresim damnavit coacto Romæ concilio, sed editis commentariis contrariam etiam Arii sententiam tanto ante Arium confutavit teste Athanasio (de Sententia Dionysii contra Arianos) : *Porro ex Dionysii Romani episcopi voluminibus contra eos qui Filium Dei opus, aut creaturam asseverant scriptis clare ostenditur, hæresim Christo rebellium Arianorum non tunc jam primum, sed olim ab omnibus damnatam fuisse.* Ita Athanasius apud Baronium, anno Christi 263. Cum itaque, et S. Zenonis tempore Arii error prodierit, quid mirum si ipse suis in sermonibus contra eum egerit ? Non itaque a S. Zenonis ætate sermones in quibus Arii refelluntur errores discrepant, neque alterum Zenonem recentiorem ipsorum auctorem fingere necesse est. De duobus tamen Zenonibus infra capite undecimo.

CAPUT VIII.

De Eminentissimi Bellarmini judicio circa Sermones S. Zenonis.

Bellarminus (*De Script. Eccles., an.* 260) æquissimum tulit de sermonibus S. Zenonis judicium, aperte cum dicat sermones in illud *Attende tibi*, et in Evangelium Lucæ, et de jejunio, et de livore, et invidia S. Basilii esse. Sermones item de Psalmis, si non omnes, majori tamen ex parte apud S. Hilarium reperiri. In aliis Zenonem brevem et obscurum optime notat ; et in quibusdam etiam eadem sæpissime repetentem. Nihil de correctione annorum in sermone de Continentia notat, utpote qui sapientissimas Baronii notationes expenderat, cujus judicio defert. Nihil quoque de errore Arii. Neque Sixti Senensis secutus morem, infert ex iis quæ in iisdem sermonibus animadvertit, D. Zenoni omnes esse penitus eripiendos. Ingenue fatetur quod suum facessat animum nempe de Sermonibus S. Zenonis, nullam apud veteres extare mentionem. At ipse non vidit quæ supra (*Cap.* 2) retulimus, quibus aperte cognoscitur non fuisse veteribus ignotos S. Zenonis sermones. Quod autem Eusebius et Hieronymus de illis non meminerint, non inde colligitur eos D. Zenoni tribuendos non esse : quia, et Hieronymus, et Eusuebius, ut idem Bellarminus observat de Athenagora, alios auctores præteriere. *Quod autem S. Hieronymus hunc scriptorem omiserit, non esse adeo mirum, cum satis constet Catalogum S. Hieronymi ex historia Eusebii esse desumptum, quoad illos scriptores qui Eusebium præcesserunt.* Ita Bellarminus. De industria forte S. Zenonem Eusebius præteriit, ne Arii errores tanto ante reprehensos in Operibus ejusdem indicaret. S. Hieronymus quoque, et Bellarminus anno 260, quo S. Zeno Martyrium subisse dicitur, nihil agunt de Aurelio socio et contubernali S. Pontii, de quo Oudinus in supplemento de Scriptoribus Ecclesiasticis. Itaque nec mirum esse debet a D. Hieronymo et Eusebio S. Zenonem omissum. Illud autem quod Bellarminus observat, sermones scilicet quosdam S. Zenonis ita breves fuisse, ut sermones dici non mereantur ultro fateamur necesse est. At hi sermones breviores præfationis titulo inscribuntur in hoc ms. Pistoriensi, ut sermone sexto, qui in prælo commissis est quintus de Pascha, hoc titulo inscribitur : *Incipit præfatio.* Et sermone decimo

Digitized by Google

sexto, qui in prælo commissis est sextus de Pascha. *Incipit Præfatio Paschalis.* Et vigesimo sexto in prælo commissis septimo de Pascha. *Incipit præfatio.* Et quadragesimo quarto in prælo commissis octavo, *Præfatio Paschalis.* Cum vero ex antiqua Liturgia Gallicana apud Martene (*Tom.* v, *pag.* 86 *edit. Paris., An.* 1717) constet, solere ante lectiones Prophetarum, et Apostolorum legi præfationem ad cohortandam plebem, ut debita religione sacris interesset; has forsitan præfationes in eum vel similem usum composuit, vel dictavit S. Zeno, idque verisimile esse colligi ex eo potest, quia in his parvis sermonibus de Mysteriis agitur quæ eo die celebrantur. Nam, et in excusis quidam sermones breves inscribuntur : *Invitatio fontis*, vel *Invitatio ad fontem*, quibus Catechumenos baptizandos alloquitur. Alii quoque incepti sermones esse possunt, quos non scripserit D. Zeno, sed dum verba faceret, eos exceperint ipsius discipuli, neque postea absolverint, imperfectosque reliquerint. Quapropter aliqui sermones eadem habent, quæ alii, quia, ut puto, plures erant, qui sermones exciperent, et sensum retinentes alii verbis aliis exponerent.

CAPUT IX.

Philippi Labbe de S. Zenone dissertatio expenditur.

Philippus Labbe de S. Zenone agens aliena opera et parum sincera in hac concinnanda dissertatione usus est. Quæ enim contra S. Zenonis sermones congerit non omnia cum relatis conveniunt auctoribus. Falso tribui S. Zenoni sermones de quibus agimus, primum asserit, suæque astipulari sententiæ plures putat, eosque recenset. *Ita sentiunt*, inquit, *ex Catholicis Auctoribus Sixtus Senensis, Baronius, Molanus, Possevinus, Bellarminus, Miræus, eorumque simii Cocus, Rivetus, similesque novatores critici; ut oleum operamque apud idoneos Judices perdidisse videatur Raphael Bagatta et Baptista Perettus, qui adversus Sixti Senensis doctissimam censuram, eos saltem omnes, Zenoni Veronensi episcopo sub Gallieno martyrium passo vindicare voluerunt.* At fallitur dum pro se adducit Baronium, ut ipse Tillemontius observat (*Tom.* IV, *not.* 6, *de persecut. Valer.*) Baronius namque quosdam tantum sermones ex iis, quorum Auctor dicitur S. Zeno, eidem adscribendos negat; reliquos D. Zenonis proprios agnoscit, et quorumdam loca in Annalibus habet, ut supra notatum est. (*Cap.* 5). Neque Bagattam et Perettum oleum et operam perdidisse putat, qui eos suis in annotationibus (*Prid Id. April.*) ad Martyrologium Romanum commendat. *Plura autem eodem argumento erudite notata habes in præfatione Operum S. Zenonis* (hæc Bagattæ et Peretti est), *quæ jussu et diligentia Illustrissimi, et Reverendissimi Augustini Valerii cardinalis amplissimi episcopi Veronensis nuper sunt edita. Probamus quidem ea ut multo studio egregie curatum opus. Licet in aliquibus, ut diximus, in his quæ ad veritatem quorumdam sermonum spectant, non æque eidem assentiamur.* Molanum non vidi. Possevinus, tomo tertio Apparatus sacri, littera Z, verbo S. Zeno, ad verbum refert judicium Sixti Senensis : de suo hæc addit : *Cæterum cum tomo secundo Bibliothecæ SS. PP. editionis secundæ extent eodem titulo S. Zenonis Veronensis episcopi, et martyris, et doctoris eximii de pluribus Scripturæ locis, et rerum Divinarum argumentis. Veronæ quoque editi fuere anno* 1588, quibus potius affirmare videtur sermones esse S. Zenonis, quam negare. De Bellarmino jam vidimus (*Cap.* 8) quid in illis sermonibus reprehendat, et cum ad Baronii censuram lectorem remittat, pro S. Zenone sentire videtur. Miræus, in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 25, hæc habet : *S. Zeno Veronensis episcopus sub Gallieno Imperatore Martyrium fecit; ejusque meminit Gregorius Magnus, lib.* III, *cap.* 19, *in Dialogis. Sub ejus nomine editi sunt sermones varii primum Venetiis* 1508, *et postea emendatius* 1586 *Veronæ. Horum non paucos ex Basilio, Hilario, et aliis posterioribus Auctoribus transcriptos esse notant Sixtus Senensis, Molanus, Bellarminus et alii. Præter hos, et Baronius in notis ad Martyrologium consuli poterit.* Non omnes igitur sermones D. Zenoni præripit Miræus, sed eos tantum qui apud alios reperiuntur, præsertim cum adstipuletur Baronio, qui demptis quibusdam, reliquorum sermonum S. Zenonem fatetur auctorem. Fallitur etiam Labbeus in numero sermonum, quos nonaginta recenset. Sunt autem quatuor et centum. Quæ contra affert de sermonibus S. Basilii et Hilarii, de his supra (*Cap.* 3, *cap.* 6, *cap.* 7). Item de styli diversitate. De sermonibus contra Arianos nihil addendum his, quæ supra diximus. Suam tamen sententiam de sermonibus S. Zenonis non videtur tulisse Labbeus : Initio enim Baronium consulendum monet; tum Joannis Mariæ judicium refert in expurgatorio indice, cujus hæc verba sunt : *Joannes vero Maria in expurgatorio indice nihil videtur velle affirmare. Cæterum, inquit, his pro assertione sermonum S. Zenonis obstantibus non magnis conjecturis, nonnullos non esse illius existimat Baronius, præsertim quibus Ariana hæresis confutatur. Multas rationes et optimas conjecturas ad id probandum se habere profitetur.* Mihi tamen Baronio assentiri videtur Joannes Maria, cum aperte dicat conjecturas contra sermones S. Zenonis non esse magni ponderis. *His pro assertione sermonum S. Zenonis obstantibus non magnis conjecturis.* Quod demum ad Perettum et Bagattam spectat, utrumque omnes sermones nomine S. Zenonis inscriptos eidem tribuisse videtur affirmare Labbeus. *Ut oleum operamque apud idoneos judices perdidisse videatur Raphael Bagatta, et Baptista Perettus, qui adversus Sixti Senensis doctissimam censuram eos, saltem omnes, Zenoni Veronensi episcopo sub Gallieno martyrium passo vindicare voluerunt.* Ut constet quid Bagatta et Perettus circa eosdem sermones affirmare voluerint, eorum verba ex præfatione superius allegata exscribemus. *Quod autem tres sive quatuor sermones in his reperiantur, quos S. Zenoni aliqui putant adscribi non posse; nempe, qui inscribitur de præcepto, Attende tibi; Sermo de Evangelio secundum Lucam de triplici tenta-*

Digitized by Google

tionum specie. Sermo de livore et invidia, et sermo de jejunio, qui inter S. Basilii homilias græce scripti reperiuntur, quamvis argumenta non desint, quibus probare liceret, eos quoque sermones ad S. Zenonem nostrum pertinere, cum etiam plurimos summo studio et gravissimis laboribus in Græcia multo ante S. Basilium prædicando ad Christum converteret, tamen ea in re contentiosi esse nolumus. Ad id vero quod Auctor Bibliothecæ Sanctæ scribit, nempe septem sermones in Psalmos, quos enumeravit, esse descriptos ex S. Hilarii commentariis, dicimus illum quoad numerum errasse. Sermones enim in Psalmum LXXIX, *et in Psalmum* C, *in commentariis S. Hilarii non reperiuntur. Quoad reliquos quinque, cum duo sermones de Psalmo* CXXX, *in his sermonibus legantur, secundus vero sit certis quibusdam vocabulis, et iisdem fere sententiis similis priori, qui quidem prior in commentariis S. Hilarii non reperitur, eum etiam, secundum scilicet, dicimus a S. Zenone more suo fuisse aliqua ratione repetitum, et propterea ad illum pertinere; sed in commentariis S. Hilarii ab aliquo fuisse insertum, quemadmodum videmus inter Opera Hieronymi, Augustini, et aliquorum SS. PP. conciones et libellos non ignobilium auctorum irrepsisse. An vero reliqui quatuor eadem ratione fuerint in iisdem commentariis inserti, aliorum sit judicium.* Si ergo aliorum judicio stare non renuunt, et de his de quibus dubitatur sermonibus nolunt esse contentiosi : non ea igitur Bagattæ et Peretti mens est, ut probent omnes sermones S. Zenoni esse tribuendos.

CAPUT X.

De Dupinio et Combefisio.

Dupinus more suo temere admodum de D. Zenone in hac sermonum controversia judicat. At nihil habet quod ab aliis non mutuetur. Nam quod circa errores Arii sermone quinto de nativitate a Baronio accepit, jam supra capite septimo evidenter apparet ipsius Baronii testimonio, etiam ante S. Zenonem, eoque magis ante Arium, errores ipsius Arii fuisse damnatos. Sermones qui apud SS. Basilium et Hilarium reperiuntur, ut ipse Dupinius ex Sixto Senensi et Bellarmino notat, reliquis sermonibus S. Zenonis nihil obesse diximus capite tertio. Errorem annorum in sermone de continentia cum Baronio corrigendum agnovimus capite quarto. Ita de Combefisio dicendum, cum et ipse nihil afferat, de quo supra actum non sit. Videndum remanet an alter S. Zeno vere extiterit, cujus opus Sermones, de quibus controversia est esse possint.

CAPUT XI.

Unus est S. Zeno Veronæ Episcopus.

Duos fuisse Zenones et ipse Baronius credidit, ut videre est in adnotationibus ad Martyrologium Romanum tertia Maii, ubi agens de S. Juvenale Narniense Episcopo, Veronensem Ecclesiam in exemplum adducit, quæ duos Zenones habuerit, ut et in Narniensi Cathedra duos Juvenales sedisse probabile reddat. In notis autem ejusdem Martyrologii duodecima Aprilis de Martyrio S. Zenonis agens palinodiam canit. *Ex quo autem, ut accepimus, non accipit Veronensis Ecclesia duos Zenones, a priori vostra sententia haud inviti recedimus.* Hoc animadvertit Tillemontius, non tamen animadvertit Ughellus, nec Papebrochius, qui Baronium citant pro assertione duorum Zenonum. Sola namque S. Ambrosii allata epistola duos admittere Zenones, vel priorem tempore Gallieni, de medio tollere, ut Dupinius et alii contra historiam et traditionem Veronensis Ecclesiæ contendunt, arduum sane est. Baronius enim, qui S. Ambrosii epistolam viderat, ejusque auctoritate litem componi de sermonibus S. Zenonis posse putarat, cum audivit Veronensem Ecclesiam unum tantum recipere Zenonem, ab opinione duorum Zenonum recessit. Verba autem S. Ambrosii, hæc sunt (*Lib.* VI, *cap.* 46) : *Tu autem* (ad Siagrium episcopum Veronensem scribit) *sine alicujus fratris consilio hoc judicium tibi solus judicandum putaris, in quo tamen ante judicium præjudicium feceris, ut puellam Zenonis S. Memoriæ judicio probatam, ejusque sanctificatam benedictione, post tot annos sine auctore criminationis, sine accusatore, sine professore delationis in periculum reatus deducendam arbitrarere.* Nihil aliud de Zenone subditur in tota hac Epistola, neque in sequenti ad eumdem Siagrium Veronensem episcopum. Quibus in verbis, ut patet, S. Ambrosius Zenonem episcopum non dicit, ut Tillemontius affirmat, quamvis ex probata, ac benedictione sanctificata Indicia (si benedictio pro solemni consecratione intelligatur, quod aliorum judicio relinquo) Episcopum fuisse Zenonem conjicere liceat. At illud certum est, a S. Ambrosio hunc Zenonem, nec Veronensem dici, neque Siagrii decessorem. Itaque ex iisdem S. Ambrosii verbis error manifestus apparet Ughelli (*Tom.* V *Ital. Sacr. de Epist. Veron.*), Papebrochii (*In Actis SS. Aprilis duod. die, cap.* 1, *n.* 2), Labbei, Combefisii, qui Siagrium successorem Zenonis ponunt auctoritate S. Ambrosii male percepta, ut in verbis supra relatis constat. Nam ex eadem Epistola, si bene inspiciatur, contrarium potius videtur intelligendum. Tunc enim ille Zeno, quem S. Ambrosius nominat, Veronensis Episcopus putari posset, si Indicia virgo a Zenone probata, et benedictione sanctificata fuisset Veronensis ejusdem Zenonis subdita. Indiciam vero non fuisse Veronensem apertissimis conjecturis evincitur ex eadem epistola D. Ambrosii. Primo namque S. Ambrosius Siagrium arguit, quod sine præcedenti inquisitione Indiciam virginem inspectioni subjecerit. *Tu autem sine alterius fratris consilio hoc judicium tibi solus judicandum putaris.* Si Veronensis fuisset Indicia, consilio minime indiguisset, cum sibi nota foret tamquam subdita : si ergo ita eum reprehendit, hoc facit eo quod Indicia non erat subdita episcopo Veronensi ; quod magis constat ex illis verbis : *Tibi soli judicandam putaris.* Non enim hoc potest intelligi de asciscendis sibi in judicio Sacerdotibus Veronensibus, qui judicandi potestatem non habebant, quæ penes Siagrium tota erat in diœcesi Veronensi, sed

Digitized by Google

de aliis episcopis. Nam pluribus in locis degit Indicia, ut inferius videbimus. Si autem sibi subditam judicasset Siagrius, quem alium in judicando collegam ei fuisset opus adhibere? Num de imperitia notare Siagrium Ambrosius voluit, quasi assessore indigeret? Doctissimus fuit Siagrius, ut Ughellus testatur. Dicendum est itaque quod licet Veronæ commissum stuprum diceretur, tamen virgo, ut putabatur stuprata, Veronensis non erat, et ea de causa ipsius episcopum esse consulendum, ut de Indicia ejusque moribus haberetur notitia. Ex quo etiam conjicitur, neque Mediolanensem fuisse Indiciam, cum ipse S. Ambrosius ab aliis notitiam de ea quæsierit. *Præsertim cum hoc judicium nostrum cum fratribus et consacerdotibus nostris participatum processerit.* Episcopos autem fuisse eos, a quibus consilium exquisierit, ipsemet dicit in fine epistolæ. *Die ipso, qui dictus erat cognitioni, subtraxerunt se episcoporum conventui.* Quod autem subdit de benedictione et probatione Zenonis, si Veronæ probata et sanctificata fuisset Indicia, certe hoc non reticuisset Ambrosius; quare videtur hanc Siagrio præbuisse externam notitiam ad culpatæ Virginis defensionem. Hoc vero tantum dicit Indiciam Veronæ fuisse tempore suspecti partus, et opinati stupri. *Hic vero cum editus partus, et expositus, vel necatus (dum invidiæ magis quam probationi consulitur) dissipatus sit per aures universorum, strangulata est libertas calumniarum. Si peperit nempe Veronæ fuit. Visebatur frequenter a virginibus et mulieribus, in honore semper erat. Visebatur a sacerdotibus propter pudicitiæ reverentiam, et gravitatis speculum. Quomodo ergo potuit occulere crimen, quod se vel specie sui proderet? Quomodo texit uterum? Quomodo parturiens vocem repressit? Sed hoc non patitur dolor.* Cum vero altius repetit de conversatione Indiciæ, non Veronenses adhibet testes Ambrosius, sed sororem suam, ibidem affirmans Indiciam Romæ habitasse. *Habitasse eam Romæ in domo nostra nobis absentibus, nulli eam se virorum familiaritati dedisse.* Aliam adhibet testem, quam filiam vocat, forte quia Mediolanensis erat, ideoque sibi subdita. *Paternam quoque filiam nostram interrogavi.* Diu autem Romæ fuisse putandum est, parvi enim temporis mora ad vitæ mores discernendos satis esse non poterat. Et hanc Romæ moram ante Episcopatum S. Ambrosii fecisse conjicitur ex eo quod ipse dicat *nobis absentibus.* Si enim sui Episcopatus tempore Romæ fuisset Indicia, superfluum videretur ipsum suam hanc absentiam indicasse. Ut vero totam Indiciæ vitam haberet inspectam, ab ejus nutrice testimonium quærit. *Nutricem quoque liberæ conditionis interrogavimus, cui et status haud quaquam degeneri servitio obnoxius libertatem vera fatendi daret, et fides, atque ætas ad veritatem adstipularetur,* et *officium nutricis ad cognitionem secreti.* Cum itaque S. Ambrosius non Veronensibus testibus vitæ, et conversationis Indiciæ probet innocentiam, utique dicendum est, eam Veronensem non fuisse. Perperam enim exteros testes induxisset Ambrosius, quibus noti esse non poterant Indiciæ mores. Si vero Indicia Veronensis non erat, neque qui eam benedictione Deo sacraverat Zeno a S. Ambrosio laudatus Veronensis putandus est: eique S. Zenonis Episcopi Veronensis sermones adscribendi non sunt.

Quare Godefridus in Vita S. Ambrosii, lib. IX, cap. 8, hanc Indiciam nulla ratione adductus vel auctoritate Veronensem dixit. Cautius Tillemontius egit, qui eam Veronensem asserere non est ausus. Carthaginensem forte potius dicendam puto. Nam cum Ambrosii testimonio eam Romæ domi suæ fuisse constet, et Paulinus Ambrosii Vitæ scriptor alias duas virgines simul cum sorore ejusdem Ambrosii virginitatem coluisse dicat, quas inter Indiciam fuisse optime conjicit Baronius in Vita Ambrosii. *Aliæ item Virgines se illi junxerunt, inter quas fuit Indicia.* Harum vero alteram, dum Paulinus scriberet, Carthagine confectam ætate degere ipsemet testatur: eam Carthaginensem putare minime quidem a veritate alienum videri potest. Hæc sunt Paulini verba. *Postea vero cum adolevisset,* et *esset* (Ambrosius) *in urbe Roma constitutus cum matre vidua,* et *sorore, quæ Virginitatem jam fuerat professa comite alia Virgine, cujus Virginis soror Candida,* et *ipsa ejusdem professionis, quæ nunc Carthagine degit jam anus.* Fateor tamen ex verbis allatis, non satis constare an Candida, vel ejus soror, Carthagine fuisse dicatur: at cum sorores eas fuisse affirmet Paulinus, communem amborum patriam putare tutius videtur. Neque ab hac me removet opinione, quod Indicia sororem matrimonio junctam Veronæ habuerit, cum et tertiam sororem habere potuerit, et inter exteros non raro matrimonia jungantur: neque illud quod Ambrosius addit, scilicet Indiciam Romæ ipso absente domi suæ fuisse. *Habitasse eam Romæ in domo nostra nobis absentibus.* Absentiam namque suam indicasse Ambrosium ea ratione putandum est, ne videatur Indicia propter Ambrosii præsentiam virtutem, castitatemque coluisse: non vero credendum est dum adhuc adolescens Romæ fuit Ambrosius in ejus domo, eo etiam præsente non habitasse: cum Paulini testimonio constet alias virgines eo tempore cum Marcellina Ambrosii sorore fuisse.

Graviori etiam errore labuntur Dupinius et Tillemontius, qui penitus divinando Zenonem tempore Gallieni extitisse negant. Id namque certum redditur ex Veronensi historia et traditione non modo, sed ex veteri ms. quod refert Mabillonius suis in Analectis, in quo S. Zeno episcopus Veronensis ponitur octavo loco, quod et omnes affirmant. Octavus autem episcopus Veronensis temporibus S. Ambrosii aptari minime potest; Ughellus enim, qui secundum Zenonem inter Veronenses episcopos numerat, decimo octavo loco illum locat, nulla tamen auctoritate subnixus, nisi Ambrosii, ex qua hoc affirmari non posse demonstravimus; et Baronii, qui a sua sententia descivit. Erravit namque Papebrochius, qui successionem undecim primorum episcoporum Veronensium incertam existimavit, cum ea ex ms. Mabillonii certa

Digitized by Google

probetur. Unus itaque est S. Zeno, octavus Veronensis episcopus, qui circa Gallieni tempora illam regebat Ecclesiam.

CAPUT XII.

Nulli alii sermones, de quibus agitur, quam S. Zenoni sunt adscribendi.

Cum itaque tot sæculis, ut supra demonstratum est (*cap.* 2), laudatos sermones S. Zenonis nomine inscriptos, eidem D. præsuli Exteri, et Veronenses adscripserint, non video cur sint aliis recentioribus, quorum ignorantur nomina tribuendi, demptis his quos supra recensuimus : (*cap.* 3) potissimum vero, cum ea, quæ temporibus D. Zenonis minime congruere videbantur, sublata fuerint, neque styli diversitas obstet. (*Cap.* 4, 5 *et* 7.) His ergo sermonibus S. Zenonis nomen inscribendum, eosdemque pro D. Zenonis genuino partu habendos esse quis neget? Miror equidem tam facile a Dupinio Joannem Nesteutam, seu Jejunatorem fuisse scriptores inter Ecclesiasticos recensitum, ipsique aliqua attributa opera veteribus prorsus incognita (quam levibus vero adductus Dupinius fuerit rationibus ostendemus) (*Vide in fine notationes in Dupinium*); Tillemontium quoque miror aliosque potissimum heterodoxos S. Chrysostomo homilias detrahere, ut huic Joanni adscribant, quem ipsi levis tincturæ hominem fatentur. S. Zenoni autem se tam præbeant infensos, ut ea solum referant quæ ad suos illi sermones detrahendos facere videantur. Tam vero multa prætereant, ut supra vidimus de Dupinio et Tillemontio tractantes, quæ ipsum S. Zenonem horum sermonum auctorem demonstrant. Ab iis itaque tamquam ab iniquis judicibus malisque rerum æstimatoribus caveamus, qui sententiam suam vel non inspecta vel occultata veritate temere proferunt, tantaque fiducia, quasi e tripode oracula et responsa divinitus darent. Potiori itaque veritatis jure eorum cavillationes negligamus. Quo namque pacto fides illis habenda est, qui negant subdole veritatem, eamque impudentissime aspernantur? Missos itaque faciamus eos, qui nobis contraria senserunt, et S. Zenonem auctorem fuisse sermonum, de quibus egimus, fateamur.

LIBER II.

DE MARTYRIO SANCTI ZENONIS,

EPISCOPI VERONENSIS,

CAPUT PRIMUM.

Probatur S. Zenonis Martyrium ex veteribus Veronensis Ecclesiæ monumentis.

Exstat Veronæ, in monasterio S. Zenonis, in veteri ms. rythmica quædam de civitate Veronensi narratio, cujus partem tam præviam operibus S. Zenonis Veronæ in lucem editis, quam in bibliotheca PP. videre quisque potest, et in ea S. Zeno martyris titulo decoratur. *Octavus Pastor Confessor Zeno, Martyr inclytus.* Hanc narrationem clarissimus vir Ludovicus Antonius Muratori suo in celeberrimo Opere de Scriptoribus rerum (*Tom.* II, *p.* 2) Italiæ elucubratam putat anno 790, integramque refert ex Mabillonio (*Tom.* VIII *Analect.*, *edit. Paris.*, *an.* 1675, *p.* 375), qui illam ex Laubiensi autographo exscripsit, eamque dicit a Ratherio Veronensi episcopo, ibi fuisse appositam, imperante Pipino, Caroli Magni Filio anno, ut Muratorius putat, 970. Philippus quoque Ferrarius Ordinis Servorum in suo Catalogo Sanctorum Italiæ duodecima Aprilis ex officio antiquo S. Zenonis partem Hymni refert, in quo etiam S. Zeno Martyr dicitur.

Martyr Excelsi fuit, et sacerdos
Gentes effrenas penetrans marinas.
Iude Veronam Deus hunc ad urbem
Mittere curat.
Qua Deo multum populum lucratus
Instruit verbis, solidavit actis.
Pro Deo tandem patiendo mortem
Vivit in ævum.

Integer exstat inter opera D. Zenonis Veronæ impressa cujus initium *præsulis Sancti*. Hæc quoque Ferrarius ad vitam S. Zenonis adnotat. *Etsi quo genere Martyrii S. Zeno occubuerit ignoratur, illum tamen Martyrem esse dubitari non debet; cum eum S. Gregorius Papa libro tertio, capite decimo nono Dialogorum, Martyrem vocet; et Ecclesia Veronensis illum semper uti Martyrem coluerit. Accedit, quod majus est, auctoritas Martyrologii Romani, ut plures scriptores omittamus de S. Zenone martyre verba facientes, in quibus Paulus Diaconus, libro* XVIII *de Gestis Romanorum in Mauritio.* Martyrem quoque fuisse S. Zenonem ex lectionibus, quæ in ejusdem officio antiquitus legebantur, Perettus et Bagatta testantur in compendio Vitæ S. Zenonis, quod in bibliotheca PP. ad opera ejusdem habetur appositum : idemque confirmat Joseph Dondori Ordinis Cappucinorum, (*Pietà di Pistoia*, *p.* 2, *Vita di S. Zeno*) qui eas lectiones vidit tam in lectionario Ecclesiæ Pistoriensis (quod jam periit) quam Veronensis. Hujus Viri diligentiæ multa nostræ Civitatis antiqua monumenta debemus, quæ solerti cura quæsita publici juris fecit. Observat etiam eximius hic Auctor tria Festa de S. Zenone Veronæ celebrari. Solemnius Festum Ordinationis VI Id. Decembris, quo nullam de Martyrio S. Zenonis Veronæ mentionem fieri dicit. Martyrii prid. Id. Aprilis. Translationis 12 Kal. Junii. Quod Festum unice celebratur : Festum vero Ordinationis et Martyrii Pistorii quoque colitur. Constat itaque antiquitus Veronæ S. Zenonem habitum fuisse martyrem. Perpetuaque atque continua traditione hoc titulo decoratum testatur etiam card. Valerius episcopus Veronensis in Epistola nuncupatoria Operum S. Zenonis ad Sixtum V. P. M. Ea vero quæ contra hanc

Digitized by Google

Veronensium traditionem objiciuntur diluemus inferius, cap. 6.

CAPUT II.

Monumenta Ecclesiæ Pistoriensis S. Zenonem Martyrem demonstrant.

Cathedralis Ecclesia Pistoriensis, quæ prius S. Martinum episcopum titularem venerabatur, qua de causa S. Zenonem patronum, mutato titulo, colendum susceperit, conjici potius potest quam demonstrari. Exstat apud Joseph Dondori (*Pietà di Pistoia p. 1, della Chiesa Cattedrale*) quædam notitia, qua innuitur post miraculum Athesis, qui suis aquis ad valvas Ecclesiæ S. Zenonis Veronæ substitit, neque intus effluxit, cœpisse Pistorienses hunc S. præsulem venerari : et procedente tempore in patronum electo ecclesiam Cathedralem ipsius nominis titulo decorasse. Perantiquam vero fuisse hanc tituli mutationem in Ecclesia Pistoriensi ex Martyrologio et Kalendario dignoscitur, quæ in vetusto codice ms. Archivii capituli ejusdem Cathedralis habentur simul cum libro canonicæ vitæ jussu Ludovici Pii imperatoris edito in conventu episcoporum Aquisgrani habito anno 816, ut initio ejusdem libri legitur (Baronius tamen hunc conventum ponit anno 817). Hoc in Calendario de S. Zenone martyre fit mentio tamquam hujus ecclesiæ Patrono, ut inferius videbimus. Quemadmodum, et in alio ms. quod inscribitur *Ordo de Divinis Officiis secundum Pistoriensis Ecclesiæ consuetudinem*, cujus vetustatem licet conjicere ex titulo de reconciliatione pœnitentium ab Episcopo publice facienda feria quinta in Cœna Domini; in eo autem VI id. Decembris, hæc de Festo S. Zenonis leguntur. *In Festo S. Zenonis Patroni nostri nostra Ecclesia devotius et accuratius quam in aliis Festivitatibus solemnizat.* Pistoriensem vero Ecclesiam S. Zenonem tamquam martyrem antiquis temporibus veneratam esse ex iisdem mss. constat. Nam in prædicto Kalendario ms. 11 Kal. Maii, quo die S. Zenonis natalitia celebrabantur, hæc habentur : *Depositio S. Zenonis Patroni nostri Veronensis martyris.* Sexto tamen Idus Decembris sic habetur in eodem Kalendario. *Natale S. Zenonis Patroni nostri.* In alio ms. cujus supra mentionem fecimus, quod inscriptum est : *Ordo de Divinis Officiis secundum Pistoriensis Ecclesiæ consuetudinem.* Sexto Idus Decembris ad Laudes, et in Vesperis adnotatur Hymnus *Præsulis Sancti*, cujus supra partem retulimus (*cap.* 1), in quo martyrium S. Zenonis commemoratur. Totum vero officium est de confessore pontifice. At in Festo mensis Aprilis antiphonæ ad Laudes de Martyribus tempore Paschali notantur, scilicet *Sancti tui, Domine.* Ad Benedictus antiphona *Acceptum*, quæ est propria S. Zenonis, vel *Lux perpetua*, quæ est de Martyribus. Ad Primam antiphona *In cœlestibus regnis*, quæ pariter est de communi Martyrum tempore paschali. In Vesperis antiphona *Sancti tui, Domine*, de communi Martyrum tempore paschali. In aliis Antiphonis et Responsoriis quæ ex historia S. Zenonis desumuntur, neque integræ ponuntur, forsitan martyrium sancti hujus Præsulis recolitur. Cum vero antiquum officium non viderim, hoc affirmare non ausim. Extat in eodem Archivio aliud ms. de Divinis Officiis Ecclesiæ Pistoriensis recentius eo de quo superius. In hoc enim disponitur ordo Officii pro Festo S. Francisci; in illo autem Sanctorum antiquiorum Officia tantum ordinantur, et mea quidem sententia ad decimum sæculum conscriptum est. Hoc itaque recentius ms. Officium solummodo notat pro Festivitate S. Zenonis mense Decembri. De martyrio tantum ad Vesperas et Laudes meminit; ubi indicat Hymnum *Præsulis Sancti*, in quo S. Zenonis Martyrium commemoratur (*vid. in cap.* 1) : reliquum vero Officium, et Missa de confessore pontifice est. Hoc namque Festo Ordinatio S. Zenonis celebratur. In alio ms. in eodem Archivio pariter asservato, cujus titulus est : *Liber Hymnorum et Kalend. Ecclesiæ Pistoriensis*, hæc habentur : *Sexto Idus Decembris S. Zenonis episcopi.* Mense vero aprilis nihil de S. Zenone. In supradicto Martyrologio ms. ejusdem Archivii, quod ut ex Sanctis recensitis conjicitur ad decimum sæculum conscriptum est, sexto Idus decembris ita legitur : *Eodem die Natali S. Zenonis episcopi et confessoris.* Duodecimo vero Kal. Maii nihil habetur in textu de Festo S. Zenonis. In margine tamen diverso atramento et longe recentiori charactere : *Item eodem die Depositio S. Zenonis Episcopi, et.... Patroni nostri :* ubi post verbum *et* interponitur citra quædam significans *Confessoris.* At rasa videtur littera ubi cifra est, et ut puto M., quæ *Martyris* dicebat, quia locus angustus totum verbum *Confessoris* scribi minime patiebatur. Cifram appositam dixerim ab aliquo qui S. Zenonem confessorem putabat.

Idem observare licet in alio Martyrologio ms. sæculo decimo, quod Pistorii extat in publica Bibliotheca almæ domus Sapientiæ, in quo sic legitur : *Pridie Idus Aprilis..... et Confessoris Eodem die S. Zenonis episcopi, qui inter procellas persecutionis Veronensem..... Valeriani, et Urbem mirabiliter rexit, et tempore Gallieni imperatorum, et turba pa...ganorum ad fidem convertit : tamen ejus depositio celebratur Pistorii* XII *Kal. Maii. Et ejus solemnis Festivitas* VI *Id. Decembris, ut ibi dicitur.* Verba *et Confessoris* adjecta sunt diverso charactere et atramento, sicuti et illa *Valeriani et.* Post nomen Gallieni rasum est aliquid tanto spatio, quantum apte capit hæc verba, *martyrio coronatus est*, quorum loco hæc eodem diverso charactere sunt scripta *Imperatorum, et turba pa...* reliqua vero eodem charactere in margine. Quod autem rasa sint verba *martyrio coronatus est*, tum ex spatio abraso, tum ex eo quod verbum *confessoris* superadditum sit, evidenter patet.

Hic vero error irrepsit, quia solemnior festivitas S. Zenonis VI Idus Decembris Veronæ agebatur, et Pistorii nunc quoque agitur; qui dies Ordinationis est, et Officium legitur de confessore pontifice præsertim Veronæ, ubi, ut observat Dondori (*Loc. cit. cap.* 1), de martyrio S. Zenonis nulla fit mentio.

Digitized by Google

Pistorii vero, ut supra observavimus, in hymno *Præsulis Sancti* commemorabatur martyrium S. Zenonis, et nunc quoque in Oratione et Lectionibus secundi Noeturni. At hanc correctionem fecisse crediderim aliquem Officiorum Ecclesiæ Pistoriensis ignarum, cujus ignoratio ex eo cognoscitur..... *Valeriani et* quod verba addita : *Et tempore Gallieni imperatorum, et turba Paganorum ad Fidem convertit*, cum superioribus minime cohæreant. Qua enim ratione bis in anno idem Festum celebrandum sit in eadem Ecclesia, utique non constat. Diversum ergo esse debet Festum mensis Aprilis a Festo mensis Decembris; nempe hoc Ordinationis, illud Natalis; neque tantum ritu solemniori vel minus solemni distingui debent. Quare perperam adnotavit : *Ejus solemnis Festivitas* VI *Idus Decembris*, etc. Hic error ex ms. irrepsit in aliqua Martyrologia typis edita, ut videre est in publica et amplissima bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Fabroni sumptibus Pistorii constructa, in qua asservatur Martyrologium Florentiæ editum opera Francisci de Bonaccursiis anno 1486, in quo de S. Zenone sic : *Pridie Idus Aprilis.... Item S. Zenonis Veronensis episcopi et confessoris, qui tribus annis Valeriani et Gallieni fide clarissimus, sanctitate conspicuus Christi Fidem genti suæ ferventissime prædicavit, et magnam turbam paganorum ad Fidem Christi convertit. Tamen Festivitas ejus celebratur sexto Idus Decembris.* Mense autem Decembris ita in eodem Martyrologio : VI *Idus Decembris apud Veronam S. Zenonis ejusdem urbis episcopi et confessoris tolius sanctitatis viri.* Ubi nihil de Festo Ordinationis, in quo satis aperte liquet Ordinationis, et Depositionis, seu martyrii Festa confundi, quæ optime in Martyrologio Romano et aliis distinguuntur. Licet igitur in veteribus monumentis hujus Ecclesiæ Pistoriensis confusio reperiatur in Officio S. Zenonis de ritu martyris et confessoris, tamen evidenter constat semper illum tamquam martyrem fuisse habitum; ita ut continuata traditio de Martyrio S. Zenonis evidentissime demonstretur, quæ nostris etiam temporibus perseverat.

CAPUT III.

Externis auctoritatibus probatur Martyrium S. Zenonis.

Sanctus Gregorius Magnus libro tertio Dialogorum, capite 19, miraculum narrans fluvii Athesis S. Zenonem martyrem dicit : *Apud Veronensem urbem fluvius Athesis excrescens ad B. Zenonis martyris atque pontificis Ecclesiam venit : cujus Ecclesiæ dum essent januæ apertæ, aqua in eam minime intravit.* Paulus etiam Diaconus, de Gestis Longobardorum libro tertio, cap. 23, martyrem, et ipse affirmat, de miraculo Athesis agens; *Destructa sunt itinera, dissipatæ sunt viæ, tantumque Athesis fluvius tunc excrevit, ut circa Basilicam B. Zenonis martyris, quæ extra Veronensis urbis muros sita est, usque ad superiores fenestras aqua pertingeret : licet B. Gregorius post Papa scripserit in eamdem Basilicam aquam minime introisse.* Manuscriptum Modoetiense, ut Muratorius notat (*Rer. Ital. t.* I, *pag.* 447) ad illud verbum martyris addit et *confessoris*. Rabanus, quem refert Papebrochius, de S. Zenone hæc habet : *Eadem die in Civitate Veronæ, Passio S. Zenonis Martyris.* Die vero octava Decembris : *In Civitate Veronæ Natale S. Zenonis Martyris.* Rabanus autem scripsit imperante Ludovico Pio. Notkerus quoque pridie Idus Aprilis, et VI Idus Decembris S. Zenonem martyrem dicit. Ecclesia quoque Frisingensis tamquam Episcopum et martyrem S. Zenonem colit, ut idem Papebrochius affirmat (*In actis SS. mens. Aprilis, die* 12, *c.* 2, *n.* 3). Beda item in Martyrologio pridie Idus Aprilis. *Apud Veronensem Civitatem Passio S. Zenonis martyris, de quo B. Gregorius in libro Dialogorum refert* VI Idus Decembris. *In Civitate Verona Natale S. Zenonis martyris.* Usuardus et ipse in Martyrologio pridie Idus Aprilis : *Eodem die S. Zenonis Episcopi, qui inter procellas persecutionis Veronensem Ecclesiam mirabiliter rexit, ac tempore Gallieni martyrio coronatus est.* Nota hic verba Usuardi, quæ eadem sunt ac verba Martyrologii ms. quod hic Pistorii in bibliotheca almæ Domus Sapientiæ asservatur, de quo diximus capite secundo, ubi de ipsius ms. correctione, seu potius depravatione egimus, quod sententiam nostram confirmat, deleta scilicet fuisse in eodem ms. verba illa, *Martyrio coronatus est.* Vandelbertus in suo Martyrologio metrico VI Idus Decembris sic cecinit (*Apud Dacherium, t.* V *Spicilegii*) :

Has quoque Zenon habet conjuncto
Martyr honore.

Item Petrus Galesinus in notis pridie Idus Aprilis hæc refert : *S. Zenonis episcopi et martyris, ut ex S. Gregorii testimoniis atque ex omni martyrologio constat, idque pluribus ostenditur in libro, qui de SS. Episcopis Veronensibus nuper in lucem editus est. Hoc ipso die Martyrium* : VI *Idus Decembris Ordinatio :* XII *Kalendas Junii translatio Veronæ celebratur. Ejus Vita a Coronato Notario conscripta Lobii extat. Tu præterea lege Surium.* Constantius Felicius in suo Kalendario pridie Idus Aprilis vernacula lingua sic habet, quod nos latine reddimus : *Zenon Veronæ episcopus martyr sub Gallieno imperatore.* Et VI Idus Decembris : *Zenon Veronensis episcopus miraculis admodum clarus tempore Gallieni imperatoris floruit, cujus filiam a Dæmone liberaverat.* Caute igitur legendus De Aste, qui prid. Idus Aprilis in suis Disceptationibus in Martyrologium Romanum adducit Felicium et Galesinum, utpote qui S. Zenonem confessorem non martyrem nuncupaverint : quare timendum est ne et in aliis auctoribus afferendis fallatur, sicuti in his fallitur. Falsum est enim quod dicit : *Item Vuitford, Bellinus, Galesinus, et Felicius omnes uno ore buccinando S. Zenonem episcopum, et confessorem.* Quod alienum esse a veritate, ex nuper allatis Galesini et Felicii verbis licet agnoscere.

CAPUT IV.

Romani Martyrologii auctoritas Martyris nomen S. Zenoni decernit.

Hi omnes, quos supra recensuimus, ante Roma-

Digitized by Google

num Martyrologium a Summo pontifice Gregorio XIII, emendatum de martyrio S. Zenonis testantur. Eisque idem Martyrologium consentit, in quo festum martyrii a festo ordinationis S. Zenonis optime distinguitur. Pridie namque Idus Aprilis ita de Martyrio S. Zenonis: *Veronæ, Passio S. Zenonis episcopi, qui inter procellas persecutionis eam Ecclesiam mira constantia gubernavit, et Gallieni tempore Martyrio coronatus est.* Sexto Idus Decembris: *Veronæ Ordinatio S. Zenonis episcopi.* Martyrologii hujus auctoritas apud æquos judices satis esse deberet. Neminem siquidem fugit Romanam Ecclesiam, caput et magistram cæterarum maxima usam semper esse solertia in inquirendis martyrum actis; iisdemque a rudium hominum et hæreticorum erroribus vindicandis. Qua plane solertia semper licet Romana Ecclesia usa sit; in Martyrologio tamen emendando exactiorem præstitit curam, ut in brevi eidem Martyrologio apposito ipsemet testatur Gregorius: nempe ipsum Martyrologium Romanum, « nonnullis in locis librariorum et typographorum negligentia mendosum per viros eruditos ad fidem historiæ, quæ rerum gestarum, personarum, locorum, temporum varietate continetur, adhibitis etiam codicibus vetustioribus atque emendatioribus correctum fuisse. » Quod autem aliqui veteris Romani Martyrologii auctoritate S. Zenonem non Martyrem, sed Confessorem fuisse conentur asserere eos errare in rejiciendis contrariis objectionibus demonstrabimus (*cap.* 7). Et sane mirum est quosdam, qui inter Catholicos connumerari volunt, contra Romanum Martyrologium tam leviter effutire, ita ut ipsum nullius apud se esse auctoritatis ostendant.

CAPUT V.

Quam fidem mereatur Vita S. Zenonis a Coronato quodam Notario conscripta, in qua S. Zeno Confessor dicitur.

Iis quæ objiciuntur respondendum in præsens. Et primum de quodam Coronato Notario agendum, qui S. Zenonis vitam, rudi stylo describens de ipsius morte hæc habet: *Dei voluntate quando placuit in pace receptus est.* Ita apud Ughellum. (*Tom.* v *Ital. sac., de Veronen. Ep. n.* 8, *in vit. S. Zen.*) De hoc Coronato meminerunt etiam PP. Congregationis S. Mauri in Operibus S. Hilarii in admonitione ad Psalm. CXXVI, cujus commentarium de vita S. Zenonis initio operum ejusdem S. episcopi in bibliotheca S. Remigii servari dicunt hoc inscriptum titulo: *Sermo Venerabilis Coronati Notarii de vita S. Zenonis episcopi et confessoris.* In quo sermone prædicatur *Zeno a matris utero sanctificatus.* Et de ejus morte sic: *Non multo post in pace receptus est.* Opusculum hoc ex codice ædino Abbatiæ S. Salvatoris Montis Amiati totidem exscripsit verbis Ughellus, et in eo nihil penitus habet de sanctificatione S. Zenonis in utero matris: et ipsa verba de illius obitu variant, ut apud Ughellum videre est loco supra citato, ubi sic legitur: *De voluntate quando placuit in pace receptus est.* In codice S. Remigii: *Non multo post in pace receptus est.* Illa quoque in duobus his codicibus diversitas notanda est. Nam in codice Remensi legitur S. Zenonem fuisse ordinatum episcopum Veronensium, de qua Ordinatione in codice Abbatiæ S. Salvatoris Montis Amiati apud Ughellum nulla fit mentio. Vita quoque S. Zenonis, quæ a Coronato conscripta dicitur, quam Ughellus refert, ab ea discrepat quæ apud Papebrochium legitur (*tom.* II, *mens. Aprilis die* 12). Quare Tillemontius nullius auctoritatis hanc Coronati elucubrationem putat, quod certius redditur ex diversitate, quam in prædictis duobus mss. adnotavimus. Non multum itaque Combefisio fidendum qui codices mss. de Vita S. Zenonis a Coronato descripta non absimiles esse dicit; nam et inferius videbimus, eum in referendis auctoribus non satis tutum. Hanc eamdem Coronati elucubrationem Tillemontius scriptam putat post translationem corporis S. Zenonis, quæ ad annum 805, tempore Pipini regis facta fuit. Certum vero illud est hunc Coronatum Notarium non eadem qua S. Zeno ætate vixisse: narrat enim miraculum Athesis, quod S. Gregorii Magni temporibus contigisse trecentis, et amplius annis a S. Zenone certum est. Hujus itaque ms. incerta fides est, neque tot antiquis et certis monumentis, quæ supra retulimus, præferenda. Quin potius ut dubiam rejiciendam esse quisquis intelligit.

CAPUT VI.

Explicatur Panvinius, qui libro quarto Antiq. Veron. dicit, Ecclesiam Veronensem antiquitus S. Zenonem non coluisse uti Martyrem: et Aloysium Lippomanum primum fuisse, qui Officium S. Zenonis tamquam Pontificis Martyris ordinaverit.

Panvinii Veronensis auctoritatem Dupinius Tillemontius et alii contra S. Zenonis Martyrium sentientes plurimum laudant, quam hic ex Ughello suscepimus explicandam. « Verum quoniam (ut opinor) de Martyrii genere non constaret, Ecclesia Veronensis ab initio usque ad nostra sæcula anniversariam de eo tamquam de pontifice confessore commemorationem fecit. Primus Aloysius Lippomanus Veronensis episcopus, testimoniis quæ supra retuli adductus, nostro tempore ejus solemnem memoriam tamquam pontificis martyris in Ecclesia Veronensi fieri instituit. » Idem asserere Cardinalem Valerium in libro de Præsulibus Veronensibus folio 15, testatur de Aste. At Cardinalis Valerius in dedicatoria operum S. Zenonis Sixto V nuncupata S. Zenonem martyrem dicit, et in eodem libro SS. episcoporum Veronensium, ut patet ex Petro Galesino, quem supra retulimus (*cap.* 3), idem affirmat. Ipse etiam Panvinius S. Zenonem martyrem probat, licet in ea sententia fuerit, ut putaverit Ecclesiam Veronensem Officium S. Zenonis tamquam confessoris pontificis antiquitus celebrasse. Hoc ex Panvinii verbis Dupinius, et Tillemontius non observarunt, sed id solum, quod suæ ipsorum sententiæ favet, opinatam scilicet quoad titulum Confessoris traditionem Veronensis

Digitized by Google

Ecclesiæ, ab ea fide desciscentes, quæ si desit, nutat omnis historiæ veritas. Hæc tamen quæstio inspecta ms. veritate facile dissolvitur. Nam ex Veronensis, nec non Pistoriensis Ecclesiæ monumentis supra relatis (*cap.* 1 *et* 2) ex iisque potissimum quæ Pistoriensem Ecclesiam a Veronensi mutuatam esse credendum est, liquido constat in Lectionibus, in Hymno et in Antiphonis Martyrium S. Zenonis commemorari. Verum quidem est reliquum Officium Festorum S. Zenonis ex communi confessorum pontificum ordinatum fuisse; et ita patet confundi ritum de martyre et confessore in Officio S. Zenonis, ea forte de causa, quia cum solemnis festivitas, tam apud Veronenses quam apud Pistorienses de S. Zenone VI Idus Decembris, qui dies Ordinationis est, celebraretur, unum tantum officium duabus festivitatibus rudis antiquitas accommodavit, ita ut memoria martyrii S. Zenonis unice servaretur in Lectionibus, Hymno, Antiphonis, et forsitan in Oratione, quæ in nostro etiam officio immutata non videtur in præsens, cum multam præ se ferat antiquitatem. Hoc igitur præstitisse Lippomanus dicendus est: sustulisse scilicet hanc Officii confusionem, et relicto ritu Confessoris Pontificis pro die Festo Ordinationis, ritum totius Officii de Pontifice Martyre pro Festo Natalitio S. Zenonis prid. Idus Aprilis destinasse. Illud autem certum est ante Lippomanum Festum Ordinationis VI Idus Decembris solemnius celebrari solitum Veronæ: post Lippomanum vero solemniorem Festivitatem die Natalis seu martyrii ibidem celebrari his quoque nostris temporibus prid. Idus Aprilis consuevisse; et hoc præceptum fuisse a Lippomano, putaverim, ut Martyrium S. Zenonis celebriori memoria ageretur. Lippomanum namque primum fuisse qui memoriam Martyrii S. Zenonis instituerit, nullo pacto dici potest, cum id veteribus omnibus monumentis adversetur. Non ergo primus martyrii celebritatem instituit Lippomanus, sed admixta discrevit Officia, et Confessoris Officium Ordinationi, Martyris Natali S. Zenonis addixit.

CAPUT VII.

De Martyrologio Usuardi a Molano correcto, et de Martyrologio Romano antiquo, et de aliis Martyrologiis.

Molanus in adnotationibus ad Martyrologium Usuardi pridie Idus Aprilis, ubi de S. Zenone, hæc verba Usuardi sustulit: *Ac tempore Gallieni martyrio coronatus est.* Cujus correctionis rationem his verbis reddit: *De Zenone sustuli Usuardi verba, ac tempore Gallieni martyrio coronatus est. Honorari eum ut confessorem constat ex Romano Martyrologio et officio Mediolanensis Ecclesiæ, die octava decembris et aliunde; extatque Lobii narratio venerabilis Coronati Christianissimi notarii de Vita S. Zenonis episcopi et confessoris. Gregorius interim tertio Dialogorum cap.* 19, *bis eum martyrem nominare maluit quam confessorem, eo quod inter procellas persecutionis multa viriliter pertulerit; qua eadem causa Juvenalem quoque alibi martyrem nominat.* De narratione Coronati notarii jam dictum est (*cap.* 5). De officio Mediolanensis Ecclesiæ nihil est quod dicamus; die namque octava decembris celebratur festum ordinationis S. Zenonis, uti confessoris pontificis, non modo Mediolani, sed et Veronæ, et Pistorii, et Pisis. Ita et de cathedra S. Petri tum Romana, tum Antiochena Festum celebratur absque ulla mentione martyrii. In Missali tamen Ambrosiano jussu Frederici cardinalis Borromei Archiepiscopi Mediolanensis edito, octava die decembris festum Conceptionis B. Mariæ virginis habetur, cum commemoratione S. Zenonis, et in orationibus S. Zeno martyr et pontifex dicitur. Quod autem, ut Tillemontius affirmat in Missali Ambrosiano anni 1560, nulla fiat commemoratio de martyrio, mirum non est, cum et Veronæ, ut supra (*cap.* 1) ex Dondorio notavimus, de martyrio S. Zenonis in festo ordinationis ejus altum silentium. Nunc de Martyrologio Romano dicendum est. Quæstio autem non est de Martyrologio Romano emendato, in quo S. Zeno martyris titulo decoratur, sed de Martyrologio Romano antiquo, ut Combefisius putat, qui Molani errorem non animadvertit, cum illum vel Molanus post editum Usuardi Martyrologium agnoverit. Ipse enim fatetur in epistola ad lectorem ante Usuardi Martyrologium se pro Romano Martyrologio usum fuisse Martyrologio Bellini de Padua, neque ullum alium Martyrologium Romanum vidisse. *Extant* (ait ipse) *alia Romanæ Ecclesiæ Martyrologia, quæ non vidi.* Cum vero Martyrologium Romanum tempore Baronii editum vidisset, notationes suas in Usuardum correxit ac Martyrologio Romano accommodavit; sed morte præventus edere non potuit. Ita testatur Baronius in prolegomenis de Martyrologio Romano ante suas notationes, capite nono. *Præterierunt enim Molanum quamplurima antiqua ms. Romani Martyrologii exemplaria, ex quibus quodnam qualeve esset Germanum ipsum Romanum Martyrologium intelligere certius potuisset. Tolerabilis quidem, et venia dignus error, cum ipse tam longe positus, ea nescierit quæ illi, qui Romæ agunt, vix magno labore, pervigili, diligentia, et summa sunt industria consecuti. Gavisus vero non mediocriter fui, cum nuper opportune admodum accincto jam ad secundam editionem typographo conjecturam suspicionemque hanc meam ex litteris reverendissimi Domini Henrici Gravi theologi Lovaniensis minime vacuam aut inanem fuisse cognovi. Scribit is enim ad me reverendissimum Dominum Molanum accepto jam recens edito Martyrologio Romano notationes suas, quas in Usuardum jam pridem scripserat probe recognitas auctasque eidem Martyrologio attemperasse atque accommodasse; sed et præmatura morte subtracto, minus facere licuisse.* Hæc Baronius. Illud quoque est observandum, ipsum scilicet Molanum in opusculo de Martyrologiis affirmare Ecclesiam romanam uti solitam Martyrologio Usuardi aucto, in quo S. Zeno tempore Gallieni martyrio coronatus dicitur. Martyrologium ergo Romanum, quod idem est ex ipsius sententia, ac Martyrologium auctum Usuardi S. Zenonem martyrem esse confirmat; Martyrologium vero Bellini, quod vidit Molanus, S. Zenonem confessorem dicit VI Idus decembris.

Digitized by Google

eo scilicet die, quo festum ordinationis celebratur. Prid. autem Idus Aprilis nullatenus de S. Zenone ipse meminit. Quare mirandum non est ipsum Bellinum confessorem putasse S. Zenonem eo die, quo ipsius memoria celebratur officio confessorum. Id enim, et in hac diœcesi Pistoriensi fit, ubi S. Zeno ut martyr colitur usque in præsentem diem ; attamen VI Idus decembris in kalendario singulis annis notatur titulo confessoris, ad indicandum scilicet ritum, quo ipsius festum celebratur, licet in oratione et lectionibus secundi nocturni martyrii ipsius memoria recolatur. Octava decembris : *Ordinatio S. Zenonis episcopi et confessoris, patroni et Ecclesiæ cathedralis titularis.* Duodecima vero Aprilis : *S. Zenonis episcopi et martyris* (*kalend. Pistorien.*). Idem etiam notandum est in edicto hoc anno 1732 ab illustrissimo et reverendissimo Domino Columbino Bassi, episcopo nostro Pistoriensi, et Pratensi promulgato, circa translationem quorumdam festorum, ubi festum Immaculatæ Conceptionis B. M. V. transfertur, eo quod occurrat cum festo ordinationis S. Zenonis, quo in loco S. Zeno titulo confessoris nominatur. *Officium conceptionis B. M. V. duplex secundæ classis recitandum die octava decembris; quæ dies solemnissima nobis est ob festum Ordinationis S. Zenonis episcopi et confessoris, patroni et ecclesiæ cathedralis titularis, duplex primæ classis.* Quod etiam dicendum est de Martyrologio ms. de quo supra (*cap.* 2), in eo enim octava die decembris S. Zeno episcopus et confessor dicitur. Quin, et ipsum Martyrologium Romanum correctum eadem die ordinationis S. Zenonis non dicit martyrem; hæc enim habet : *Veronæ ordinatio S. Zenonis episcopi.* Cui vetusta kalendaria Ecclesiæ Pistoriensis supra recensita conveniunt. In eo namque, quod primo loco posuimus VI Idus decembris legitur : *Natale S. Zenonis patroni nostri,* licet in eodem kalendario XII kalen. Maii S. Zeno martyrii titulo illustretur. In alio ms. relato VI *Idus decembris S. Zenonis episcopi.* Itaque si in aliis etiam Martyrologiis VI Idus decembris S. Zeno confessor legatur, hoc ea ratione factum fuisse dicendum est, quia eadem die S. Zenonis festum ritu confessorum celebratur. Quod cum esset præ aliis festis celeberrimum, ab eodem auctores Martyrologiorum confessoris titulum desumebant; ut etiam Felicius in suo kalendario servavit. Nam prid. Id. Aprilis cum S. Zenonem martyrem dixisset; VI Idus decembris episcopum solummodo nominavit. Non est igitur cur S. Zenoni martyrii palmam detrahamus, licet in aliquibus Martyrologiis S. Zeno unice nuncupetur.

CAPUT VIII.

Ea expenduntur, quæ contra S. Gregorii auctoritatem aliqui auctores, Dupinius præsertim et Tillemontius, objiciunt.

Sancti Gregorii auctoritatem (*Sæcul.* 6, *t.* IV, *de S. Greg., loc. cit.*), elevare conantur Dupinus et Tillemontius nimiæ credulitatis ipsum insimulantes, additque Tillemontius S. Gregorium contra veritatem historiæ martyris titulum aliis largitum esse. At hos calumniarum rivulos e fontibus hæreticorum recentiores hi derivarunt. Quanta vero temeritate S. Gregorium levitatis arguant, ex eo patet quod ipse sanctissimus pontifex Augustino Cantuariensi Archiepiscopo de cultu alicui tamquam Martyri exhibendo, ita præcepit, dum eidem Augustino S. Sixti martyris reliquias indulsit (*Epistolarum, lib.* II, *Ind.* 7). *Fecimus quod petisti, quatenus populus, qui in loco quodam S. Sixti martyris corpus dixerunt venerari, quod tuæ fraternitati, nec verum, nec veraciter Sanctum videtur, certa sanctissimi et probatissimi Martyris beneficia suscipiens, colere incerta non debeat. Mihi tamen videtur, quia si corpus, quod a populo cujusdam Martyris esse creditur, nullis ille miraculis coruscat, et neque aliqui de antiquioribus existunt, qui se a parentibus passionem ejus audisse fateantur, ita reliquiæ quas petisti seorsum condendæ sunt, ut locus, in quo præfatum corpus jacet modis omnibus obstruatur, nec permittatur populus certum deserere, et incertum venerari.* Hæcne censenda credulitas est, quæ ad Martyris titulum alicui tribuendum, populi rumore contempto, vel miracula exigit, vel probatam antiquorum traditionem? Num quod S. Gregorius aliis præscripsit in Martyris cultu adhibendo, ipsum non præstitisse credendum est? Quid habent recentiores hi, quod in tribuendo S. Zenoni martyris titulo S. Gregorium erroris redarguant? Coronati Notarii narrationem? Incerti auctoris apocryphum opusculum, nulla dignum fide, ut ipsimet fatentur, et superius probavimus (*cap.* 5)? Ecclesiæ Veronensis contrariam traditionem? Manifestum Panvinii errorem, ut ex antiquis constat monumentis. (*Cap.* 6.) Romani veteris Martyrologii auctoritatem? Imprudentem Molani lapsum, qui pro Romano, Bellini Martyrologium adhibuit (*cap.* 7). Hæcne sunt argumenta, quibus S. Gregorio fidem habendam non esse demonstrent? Cujus auctoritas, et ipsius Veronensis Ecclesiæ, et hujus Pistoriensis traditioni ac vetustioribus ms. consonat. (*Cap.* 1, 2.) Dicent fortasse in laudato S. Gregorii responso, non de solo Martyrii titulo agi, sed de cultu dubiis S. Martyris reliquiis tribuendo : neque in dubium verti an D. Zeno sanctitatis laureola dignus sit, sed id solum Confessor ne tantum, an simul etiam martyr habendus sit. At ex eo quod S. Pontifex tam prudens et cautus fuit in dubiæ reliquiæ cultu permittendo, num tam levis esse debuerat, ut Zenonem martyrem primus diceret, quem, si martyr non fuisset, universa Verona tamquam Confessorem veneraretur. Gaudeat itaque S. Zeno gloriosi sui Martyrii se tantum habere Patronum et assertorem, qui tanto usus consilio est, tanta prudentia antequam sanctos cultu Martyris dignaretur, neque tam cæco impetu acutis suis calamis tanti Pontificis auctoritatem hi recentiores proscindant. Cur ea tantum afferunt, sine ullo delectu, quæ ita facile incerta et falsa probantur contra S. Gregorii probatam fidem? Cur hæc, quæ in hujus libelli tractatione digesta sunt, videre neglexerunt, quorum plura apud Baronium et alios quos laudavimus au-

Digitized by Google

ctores videre potuissent? A calumniis itaque absti- A neant, neque Bedam aut alios culpent, si forte S. Gregorii auctoritate ducti, S. Zenonem martyrem dixerint. Nonne Verona Urbs est Italiæ præclara, cujus S. Patronum facile agnoscere poterat Gregorius summus Pontifex, et ipse Italus Romanus, in rebus Italiæ versatissimus, tum propter res Italiæ gestas, tum propter Romani pontificatus administrationem? De Paulo etiam Diacono, qui S. Zenonem martyrem dicit quid dubitant? Qua ratione putant ipsum auctoritate S. Gregorii ductum id affirmasse? Cum ille Patria Aquileiensis ac Desiderii Longobardorum regis, a secretis Veronensem urbem a Papia non longe admodum sitam apprime calluerit. Num ignorare potuit, quo cultu Patronum suum Verona coleret universa? Hæc pro S. Gregorii auctoritate, qui B lib. III Dialogorum, cap. 19, S. Zenonem martyrem asserit, dicta sufficiant. De eo vero, quod Tillemontius temere admodum affirmat, scilicet S. Gregorium contra veritatem historiæ, alios sanctos Martyres nominasse, seorsim agendum est.

CAPUT IX.

Quam leviter Dupinius et Tillemontius, S. Zenonem non Martyrem, sed Confessorem jactitent.

Cum itaque ea everterimus, quæ contra S. Zenonis martyrium objiciuntur, admiratione quidem digna videtur, Dupinii, Tillemontii ac quorumdam recentiorum securitas, qui antiquitate contempta, novis semper opinionibus præcipites assentiuntur. Hoc vero ut evidenter agnoscas, hic ex Gallico sermone in lati- C num ipsorum effata exhibemus. (*Dupin, Biblioth. Eccl., t.* I, *part.* I, *trium prim. sæcul.*) *Communis opinio est* (ait Dupinus) *quemdam fuisse Zenonem Veronæ episcopum, qui sub imperio Gallieni, Martyrium tulerit. Et ipsi sermones quidam tribuuntur a Guarino, editi Venetiis et Veronæ prælo excusi anno* 1508 *et* 1586, *qui postea in bibliotheca PP. fuere inserti. At hujus auctoris, quem prorsus antiquitas ignoravit opera rejiciuntur. Et in dubium vertitur an hujus nominis Episcopus Veronæ fuerit, qui sub Gallieni Imperio martyr obierit.* Ad hoc probandum, nihil aliud affert, quam S. Ambrosii epistolam ad Syagrium scriptam (*lib.* I, *cap.* 11), in qua dicit de Zenone quodam mentionem fieri, falso tamen Syagrii decessore. Affert et Molani correctionem ac Panvinii opinionem de tra- D ditione Ecclesiæ Veronensis de quibus supra egimus (*lib.* II, *cap.* 6, 7). Quam vero turpiter labatur negando S. Zenonem tempore Gallieni Veronæ Episcopum, manifesto patet ex Mabillonii ms. supra relato (*lib.* II, *cap.* 1), qui in Veronensium Episcoporum albo, octavo scribit loco Zenonem. Octavus autem Episcopus Veronæ, nonnisi temporibus Gallieni convenit. Tillemontius quoque (*tom.* IV, *mon. Eccles. de Persecut. Valeriani, not.* 5) adductus rationes, quas supra rejecimus, tanti facit, ut nullo alio pacto hanc solvi quæstionem posse putet, quam si S. Zenonem tempore Gallieni non vixisse credamus. *Ratio facilior ab his omnibus difficultatibus se extricandi est, bona fide nos agnoscere, nullum nos habere argumentum S. Zenonem tempore Gallieni fuisse.* Missalis Mediolanensis meminit, anno 1560, editi, ubi ritu Confessoris Festum S. Zenonis habetur. At observare debuerat, ipsum Festum Ordinationis esse, non martyrii, in quo etiam Veronæ nulla de Martyrio fit mentio (*lib.* II, *cap.* 7). Auctoritate Coronati Notarii Confessorem S. Zenonem probat. *Unica historia* (ait ipse) *quam de hoc Sancto habemus, quæ post sanctum Gregorium ante nonum sæculum scripta dicitur, ipsum in pace quievisse dicit, nihilque pro Fide eum tulisse narrat.* Eam historiam postea improbat, cum in ea S. Zenonem Gallieni tempore vixisse dicitur. *Utcumque sit hæc vita a quodam Coronato Notario composita tot erroribus abundat, ut nullius auctoritatis habenda sit.* Alia omittimus de quibus supra egimus. Constat autem ex his, quam temere spretis antiquioribus auctoribus et monumentis, viam veritatis obtrudant, incertas tantummodo asserentes, falsasque rationes. Quo enim pacto quis fidem iis adhibeat, quæ incerto et nullius auctoritatis scriptore afferuntur? Eaque spernat, quæ ipsum Romanum Martyrologium, Beda, Paulus Diaconus, aliique clarissimi auctores testantur, quorum opera ubique diffusa justa reprehensione non caruissent, si aliquis in eis error irrepsisset? At recentiores hi, qui se præ omnibus veteribus sapere falso putant, et pro libito auctoritates easdem recipiunt et respuunt, nimia facilitate antiquos carpunt auctores, a quorum sententia recedere, in his præsertim, quæ ad veterem historiam pertinent, nisi de apertissimo arguantur errore, non satis tutum, quin a periculo non longe procul esse crediderim.

CAPUT X.

Examinantur reliqua quæ Papebrochius refert pridie idus aprilis, quibus S. Zeno Confessor asseritur.

Plura apud Papebrochium leguntur, de quibus supra opportune tractavimus. De Bellino enim et Molano egimus, cap. 7, item de Ecclesiæ Veronensis traditione, cap. 6. De aliis quæ restant hic dicemus, ut omnia quæ novimus, discutiamus. Non proinde mirum videri debet, quod in Ecclesia Ambrosiana et in Missali ejusdem Ecclesiæ anni 1522 et 1560, sicuti et in Breviario S. Zeno Confessor dicatur, cum in eadem Ecclesia solum Festum Ordinationis S. Zenonis agatur, quod de Confessore Pontifice celebratur, tam in Ecclesia Veronensi, quam Pistoriensi, in qua, ut observavimus (*cap.* 7), ad hæc usque tempora idem Festum sub titulo Confessoris Pontificis notatur in Kalendario ad ritum indicandum. Nunc autem ipsa Ambrosiana Ecclesia, ut videre est in Missali prædicto anni 1692, S. Zenonem martyrem colit pridie Idus Decembris : id autem non leve est argumentum ad confirmandam martyrii S. Zenonis veritatem : Cum ipsa Ecclesia Ambrosiana suis in ritibus observandis adeo religiosa, ita antiqua Missalia correxit, quod utique non fecisset, nisi certo sibi constitisset S. Zenonem martyrio coronatum. Si vero S. Zeno-

Digitized by Google

nem in Martyrologiis aliquibus et Missalibus, confessorem, non Martyrem legimus, eo quod Ordinationis ejus Festum celebraretur, facile et in diplomate Ludovici Pii, S. Zeno Confessor dici potuit, eo quod ejus princeps Festum, scilicet Ordinationis solemnius Veronæ celebrabatur, et vix e sæculo homines Festum ipsius Martyrii noverant celebrari. Hoc vero probabilius redditur, quia antiquitus in Quadragesima nullum Festum Sanctorum celebrabatur, ut ex Concilii Toletani canone anno 656 habiti colligitur (*Apud Martene, tom.* v, *pag.* 63) : *Nihil de Sanctorum solemnitatibus, sicut ex antiquitate regulari cautum est, convenit celebrari.* Et hujusmodi Canoni concordat ms. hujus cathedralis Ecclesiæ Pistoriensis, ex eoque hujus nostræ Ecclesiæ antiquitas comprobatur. De Festo namque Martyrii S. Zenonis mense Aprili sic habet : *Si Festum B. Zenonis occurrat in aliquo die Quadragesimæ, vel in die Resurrectionis, vel sequenti die Lunæ, vel Martis, eo anno nihil de eo facimus. Si autem occurrat die Mercurii, vel in aliquo sequenti ipsius Paschalis Hebdomadæ, vel ipso die Octavæ resurrectionis, tum sola Oratio fit de eò cum sua Antiphona.* (*Ordo Offic. Ecclesiæ Pistorien., tit. de Deposit. S. Zenon., cap.* 2.) Qua de causa puto, quod in alio ms. Kalendario, de quo etiam supra, Festum S. Zenonis in hac Ecclesia Pistoriensi assignatum fuerit XII Kalendas maii, ne scilicet ita frequenter, vel in Quadragesima, vel in solemnitate Paschali occurreret et impediretur. Cum itaque Festum Martyrii S. Zenonis pridie Idus, sæpe vel Quadragesima, vel paschalibus solemniis omitteretur, vel tantum de eo commemoratio fieret, notio ejus vel nulla, vel ita occulta erat, ut potius quam Martyr Confessor ob solemniorem ipsius Ordinationis Festivitatem a Laicis potissimum diceretur. Quoad reliquias autem S. Zenonis Confessoris, quæ extra Civitatem Veronæ venerantur, dico plures fuisse S. Zenones Confessores, ut ex Martyrologiis constat, neque eas esse S. Zenonis Veronensis, illa excepta, quam a Valterio Germano Episcopo Veronensi, anno 1038, Ulmam translatam dixit Hermannus Contractus (*Ughell. tom.* v *Ital. sac., de Episc. Veron.*). Quapropter sapienter admodum Papebrochius, eo quod non omnia de martyrio S. Zenonis monumenta comperta habuerit, a sua voluit abstinere sententia. *Nos omnia judicio prudentiorum virorum permittimus. Sufficiat ostendisse quod de S. Zenone scriptum reperimus.* Hæc ille.

CAPUT XI.

Quæ de S. Zenonis martyrio superius digesta sunt, brevi colliguntur epilogo.

Ecclesiæ Veronensis, sicuti etiam insignis hujus Cathedralis Ecclesiæ Pistoriensis, continuata traditio, martyrem S. Zenonem demonstrat. Quamvis enim in Festis S. Zenonis celebrandis, ritus, et Martyris, et Confessoris admixtus fuerit, semper tamen Martyrii meminerunt hæ duæ Ecclesiæ, quæ S. Zenonem Patronum suum venerantur et colunt. Hæc traditio S. Gregorii auctoritate probata ad annum 595 posterioribus quoque sæculis celeberrimorum auctorum testimonio ac monumentis vetustissimis confirmatur. Confirmatur in primis testimonio Venerabilis Bedæ, qui circa annum 731; confirmatur testimonio Pauli Diaconi, qui post elapsum annum 774; confirmatur testimonio Wandelberti, qui anno 855, vel circiter floruerunt. Rithmica quoque narratio, de qua supra (*cap.* 1), quæ, ut Muratorius putat, circa annum 790, elucubrata fuit, et a Ratherio Veronensi episcopo, in Laubiensi, Cœnobio anno 970 collocata, S. Zenonem Martyrem esse confirmat. Martyrologium in Pistoriensi Bibliotheca piæ Domus Sapientiæ, licet depravatum, sæculo undecimo elabente S. Zenoni Martyris nomen attribuit. Alia insuper, quæ Pistorii exstant, ms. Kalendarium videlicet, et Ordo Divini Officii Cathedralis hujus Ecclesiæ posterioribus sæculis eidem D. Præsuli Martyris cultum impertiunt. Quibus Galesinus et Felicius Martyrologio Romano non adhuc emendato a Gregorio XIII minime refragantur. Hic namque scripsit anno 1556, ille vero anno 1578. Martyrologium denique Romanum anno 1584, emendatum, omnem sustulit dubitandi locum, et Martyrem S. Zenonem definivit : ita ut non sit opus de Aste correctionem admittere, qui Martyrologium Romanum correctum, non agnito Molani errore, ita legendum voluit : *Hæc adeo implexa controversia in præsentiarum eliminetur, interposito sanctorum placito, adinstar Molani enuntietur. Veronæ S. Zenonis Episcopi, qui inter procellas persecutionis eam Ecclesiam rexit, et multa passus vitam finivit.* Si vero in aliquibus Martyrologiis S. Zeno Confessor tantum dicatur, hoc vel 6 Idus Decembris notatur, quando ordinationis Festum de Confessore Pontifice celebratur, vel pridie Idus Aprilis appositum invenitur imperitia nonnullorum, qui Ordinationis et Martyrii Festa non plane callentes, a solemniori Ordinationis Festo Confessoris titulum mutuati, eumdem quoque Martyrii Festo tribuerunt.

DISSERTATIONES DUÆ

IN APPENDICIS VICEM DUOBUS PRÆCEDENTIBUS LIBRIS DE SERMONIBUS ET MARTYRIO S. ZENONIS SUPERADDITÆ, AUCTORE FRANCISCO BONACCHI.

DISSERTATIO PRIMA,

SIVE SANCTI ZENONIS EPISCOPI VERONENSIS EPOCHA.

CAPUT PRIMUM.

§ I. — *Iterum scribendi occasio et finis.*

Exacto ferme biennio ab editis in Sermones et Martyrium S. Zenonis lucubrationibus meis, libri a Clarissimis Viris Petro et Hieronymo Ballerini Presbyteris Veronensibus copiam habui anno 1739 Ve-

Digitized by Google

ronæ typis excusi. Eximium profecto laboratumque opus, quo conquisitis undique vetustioribus mss., adhibitisque aptissimis ac eruditissimis adnotationibus Sermones S. Zenonis (quem splendoris gradum aliis in editionibus numquam sunt adepti) nitori suo restituti, suoque Auctori vindicati jure quidem ac merito dicendi sunt. Summa quidem voluptate affectus, dum non tam oculos, quam in illud mentem conjiciens, rerum ordinem optime digestum, latini sermonis nitidam elegantiam, omnis generis consummatam doctrinam, non satis posse mirari, gavisus sum. Cum vero præclaris tot rationibus ac monumentis S. Zenoni sermones suos adjudicari conspexi, tenuitatis meæ, in iisdem sermonibus pro genuino S. ejusdem Patris fœtu asserendis non quidem piguit, quam viderem tantæ eruditionis ubertate pensatam. Hærere tamen mihi contigit, cum præclarissimos hosce viros in ejusdem S. Zenonis Epocha constituenda aliud a veteri vulgata opinione (cui ego sum adstipulatus sententiæ) opinari deprehendi, rationibusque non levis ponderis suam confirmare sententiam. Qua de re, ut a mea opinione non sine judicio recederem, vel temere in ea consisterem, quæ ad difficultatem faciebant, attentius examinanda duxi, quo tamen exitu lectoris judicio ex animo ac libenter committo. Minime mihi quidem probari potest illud Tillemontii consilium mutandæ D. Zenonis Epochæ, ut a variis dubitationibus se extricet, qui in ea temporibus Gallieni firmanda dat operam Astrologi, namque est ad conciliandos planetarum motus arbitrio suo systemata sibi fingere. Historici vero in antiquorum enarrandis gestis, veteribus monumentis inniti, quæ si desint, ea sua in obscuritate relinquere. Hac igitur mente, de tempore quo D. Zeno Veronensis Ecclesiæ episcopatum gessit, agere constitui, non ut in mea sententia animo perstem obfirmato, verum ut id experiar, an diversas hinc inde contrariasque rationes ad veritatem revocare contingat (*V. cap.* 9 *de Martyrio S. Zenonis lib.* II).

§ II. — *Prima ratio Epochæ S. Zenonis Arianis temporibus posthabendæ.*

Urget quidem argumentum illud, quosdam scilicet S. Zenonis Sermones Arii errores impetere, ut Ario posteriorem Zenonem quis arbitretur, vel sermones illos Zenonis non esse fœtum existimet. Hoc Eminentissimus Baronius putavit, illud clarissimi Ballerinii. Baronii rationes refutavimus libro primo de Sermonibus S. Zenonis, capite septimo. De iis quæ uberrime a doctissimis Viris disputata, atque adnotata sunt novissima in editione Veronensi agendum modo (*Dissert. primæ cap.* 2, § 2). Arii itaque errores præcipuos recensere, eorumque originem perscrutari operæ pretium erit: tum D. Zenonis contra eosdem errores allegatas sententias conferre, ut hac ratione opposita juxta se posita lucidiore discrimine discernamus.

§ III. — *Arii errores præcipui.*

S. Alexander Patriarcha Alexandrinus, qui Arii impietatem prior est insectatus, eumque suo cum auctore anathemate perculit, ipsius errores enumerat in epistola ad Alexandrum episcopum Constantinopolitanum: *Qui asserunt tempus aliquando fuisse, cum non esset Filius Dei: postea factum cum non ante extiterit: talem fuisse tum, cum factus erat, qualisquisque hominum est. Omnia enim Deum ex nihilo fecisse, qua sententia etiam Filium Dei comprehendunt. Quibus etiam consequenter addunt, eum natura posse mutari virtutis, et vitii capacem esse. Itaque hoc posito eum ex nihilo factum: non enim natura, aut quidquam præter cæteros filios habuisse prærogativæ (nullum namque natura Filium Dei esse affirmant, neque quemquam esse, qui ulla cum eo proprietate conjunctus sit), sed cum esset natura mutabilis, et propter singularem in vita, et moribus rite instituendis diligentiam, ac studium non ad vitia deflecteret, Deum eum elegisse.* (*Refert Theodor., cap.* 4 *Hist. Ecc.*)

§ IV. — *Recensitos errores unde Arius hauserit.*

Has impias in Filium Dei blasphemias non adinvenit Arius, sed ab aliis antiquioribus hæreticis accepit eodem S. Alexandro teste. *Quippe cum ipsi sitis docti a Deo, et non ignoretis, tum Ebionis, et Artemæ doctrinam, quæ non ita pridem veram Ecclesiæ pietatem oppugnare cœpit, tum pestiferum studium Pauli Samosateni Episcopi Antiochiæ, qui concilio omnium ubique Episcoporum, atque adeo judicio Ecclesiæ ejectus est. Lucianus successor factus multorum annorum spatio, hoc est tantisper, dum tres Episcopi alius post alium Ecclesiam illam rexere, exclusus ab Ecclesia mansit. Istorum hæreticorum impietatis fœces, hi qui modo in lucem editi Filium Dei ex nihilo ortum asserunt, quique sunt velut stolones occulti ex illis nascentes animis, hauserunt. Arium dico Achillam, et reliquam illis adhærentium turbam* (*In eadem Epistola*). Cui et S. Athanasius adstipulatur. *Videtur mihi aut ignorantiam callide simulare, quasi nescirent, etiam ante Concilium Nicænum Hæresim istam abominabilem fuisse, quo tempore Artemas ejus fundamenta jaciebat.* (*De Syn. Arim. et Seleuc.*)

§ V. — *Ebionis errores circa Filii divinitatem.*

Ebionem nominat S. Alexander non tamquam primum, sed ut præcipuum Filii divinitatis hostem. Ipse siquidem Cerinthi, Simonis Magi discipuli et apostolorum coetanei, hæresim jam collapsam instauravit, propagavitque. (*Till. t.* 2, *Nota pr. de Cerinthithianis. Theod. l.* II, *adver. hæreses, cap.* 3). Cerinthus etenim *Jesum similiter ac Hebræi dicebat natum esse secundum naturam ex viro et muliere, nempe Joseph et Maria; temperantia autem et justitia, et aliis bonis excelluisse, Christum autem in specie columbæ e supernis in ipsum descendisse, et tunc Deum, qui ignorabatur, prodisse, et quæ scripta sunt miracula fecisse; tempore autem passionis recessisse quidem Christum, Jesum autem passionem obiisse.* Eodem modo *Ebion omne initium Filii ex Maria concedens, non ex Deo hominem, sed ex homine Deum proferat, neque subsistens antea, quod in principio apud Deum Deus*

Digitized by Google

erat Verbum, Virgo in carne susceperit, sed carnem genuerit per Verbum, quia in Verbo non antea existentis Unigeniti Dei naturam dicat, sed sonum vocis elatum. Ejusdem Ebionis errorem et refert Theodoretus. *Dominum Jesum Christum dicebat ex Joseph et Maria esse natum, qui homo quidem erat, sed virtute, vitæque innocentia et integritate aliis antecellebat.* Carpocras, quem Ebioni posteriorem facimus, et ipse Cerinthi, et Ebionis errorem amplexus, ut Augustini verbis utamur (*De Hær. cap.* 7). *Hic etiam Jesum hominem tantummodo, et de utroque sexu putasse perhibetur, sed accepisse talem animam, quæ sciret ea quæ superna essent, atque nuntiaret.*

§ VI. — *De Artema, seu Artemone.*

Artemas Ebionis hæresim non ipse, sed Theodotion ab inferis revocavit. Theodotione tamen notior Artemas, quamvis ille auctor, seu restaurator fuerit, hic eam propagavit (*Eus. Hist. l.* v, *c.* 28). Qua de re S. Alexander omisso Theodotione Artemam hujus hæresis assertorem nominat, sicuti et Augustinus. *Ita hæresis cujusdem Artemonii fuit, sed cum defecisset instaurata est a Paulo.* Hæresi tamen XXXIII, Theodotionem erroris hujus auctorem agnoscit. *Theodotiani a Theodotione quodam instituti, hominem tantummodo Christum asseverant.* Theodoretus prius Artemonem locat, cujus errorem ita refert : *Dominum J. C. solum hominem esse dicebat* (*Artemon*) *natum ex Virgine, prophetis tamen virtute præstantiorem.* Tum Theodotum, de quo ita breviter. *Theodotus Bizantinus coriarius idem cum eo* (Artemone) *sentiens.* Hi duo hæretici, vel coetanei fuere, vel ætate suppares circa annum Christi 200. Divulgatos eorum errores etiam Romæ Victor Papa anathemate damnavit, cum ipsorum auctoribus Theodotione et Artema.

§ VII. — *De Paulo Samosateno.*

Quæ de Cerintho, Ebione, Theodotione et Artema per compendium a D. Augustino ac Theodoreto dicta sunt, jam retulimus : modo de Paulo Samosateno agentes distinctius recensitorum hæreticorum impia dogmata percipiemus, quæ a Samosateno renovata, et a S. Dionysio Alexandrino contra ipsum pertractata, ac in conciliis Antiochenis discussa atque damnata manifestiora erunt. Dionysius itaque contra decem Pauli Samosateni quæstiones scribens, ita de ipsius circa Christum Dominum opinionem ante primam quæstionem habet : *Dicis duas hypostases esse, et duas personas, unius et solius Christi, et duos Christos, et duos Filios, unum natura Filium Dei, qui fuit ante sæcula, et unum homonyme Christum, et Filium David, qui non fuit ante, et fuit in tempore, et secundum beneplacitum Dei accepit nomen Filii.* (*In Ep. ad Paulum Samosatenum, quam refert Labbe, t. p. Conciliorum in concilio. Antioch. pr., pag.* 850, *ed. Paris.*) Samosatenus itaque in Deo personas confundebat unum Deum asserens, ut illi exprobrat Dionysius. *Ecclesia, inquis, duos Deos non dicit, neque traditum accepit.* Patrem cum Filio confundens, quem hic superius referente Dionysio dicebat *natura Filium Dei.*

A Ad quæstionem vero quintam. *Quod autem dicit* (Samosatenus) *ingenitum Patrem, dicit, ut doceat Christum recentem esse, et creaturam.* Christum quoque ante Mariam non fuisse jactabat. *Tu vero dicis quod ante Mariam non erat.* Ita S. Dionysius ante primam quæstionem de ipsius Samosateni opinione testatur. Purum hominem fuisse Christum aperte asserit ipse Paulus. *Videmus enim Christum ire ad passionem, et dicere : Nunc anima mea turbata est. Age, estne hæc natura Dei?* Iterumque contra Dionysium instat. *Quod scriptum est :* Tristis est anima mea usque ad mortem, *de quo vis ut confiteamur? Annon est natura homo, cujus anima tristis est?* Eodem modo cæteris in omnibus quæstionibus suum hunc refricat errorem. Christum vero ex Virgine natum fatetur
B idem Paulus. *Scriptum est in Evangelio quod puer crescebat et confortabatur, quasi diceret : Crescebat Jesus, ex Spiritu Sancto et ex Maria Virgine natus.* Ebionis inhærens errori, qui, et ipse Jesum (ut ex Hilario supra retulimus) ex Virgine natum agnoscit; in eo a Cerintho et Carpocrate discordans, qui Christum volebant *natum esse secundum naturam ex viro et muliere; nempe ex Joseph et Maria, et de utroque sexu.* Theodoretus tamen ipsum quoque Ebionem docuisse perhibet Christum *ex Joseph et Maria esse natum* (*lib.* II *de Hæreticis fabulis de Ebionitis*). Duas tamen Ebionitarum sectas distinguit, quæ in eo tantum discordes erant, quod una Christum ex utroque sexu natum vellet, altera ex Virgine. Quod et Eusebius affirmat (*Eus. Hist.*
C *l.* III, *cap.* 3). Quamvis autem Christum hominem diceret Samosatensis, assumptum tamen propter eximiam Virtutem in Deum voluit : ita contra ipsum Dionysius : *Vides in quantum absurdi te præcipitas, cum dicis Virum sumptum a Deo Verbo.* Superius etiam : *Absurdum autem est dicere hominem Christum magis Deo placuisse quam omnes homines ad habitandum in eo.* Deum itaque fatebatur Christum non natura, sed participatione. Quare idem S. Dionysius cavendum monet ab eo quod Paulus dixerit, Christum natum ex Spiritu Sancto et Maria. *Cum igitur callide ait Samosatenis ex Spiritu Sancto, et Maria, decipere vult, ut sicut scriptum est,* non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt, sic dicat *de Nato, ex Dei-*
D *para. Quod autem dicit ingenitum Patrem, dicit ut doceat Christum recentem esse et creaturam.*

Contra hos Pauli Samosateni errores concilii primi Antiocheni Patres eidem Paulo scripserunt. *Hunc autem Filium genitum Unigenitum imaginem Dei invisibilis, primogenitum omnis creaturæ sapientiam, et Verbum, ac virtutem Dei ante sæcula non præcognitione, sed substantia, et hypothesi Deum Dei Filium cum in Veteri et Novo Testamento cognovimus, confitemur, et prædicamus. Qui autem contra dicit Filium Dei non esse ante constitutionem mundi, dicitque credere, et confiteri esse Deum, non esse aliud quam duos Deos prædicare. Qui Filium Dei non esse Deum prædicat, hunc alienum esse ab Ecclesiæ Regula arbitramur, et omnes Ecclesiæ Catholicæ nobiscum sentiunt.*

Digitized by Google

(*In Epist. sex Episcoporum Samosaten. apud Labbe.*)

His circa errores Pauli Samosateni animadversis : cur S. Patriarcha Alexander omissis Cerintho, Carpocrate atque Theodotione, de Ebione et Artema mentionem tantummodo fecerit, tum ipsius Ebionis et Artemæ cum Paulo Samosateno in errore consensio, tum Cerinthi et Carpocratis dissensio ab Ebione et Artema in causa fuit, quod hi Christum ex Virgine, illi vero ex Joseph et Maria natum asseruerint. Ad Theodotionem vero quod spectat, nihil de eo S. Patriarcham videlicet meminisse; non errorum diversitas ad silendum impulit, sed quos Artemas Theodotionis errores clariores fecerit.

§ VIII. — *Arii errores a S. Alexandro Patriarcha enumeratos Ebionis, Artemæ, ac Pauli Samosateni erroribus conformes.*

Primo S. Alexander Arianos arguit : *Qui asseruerunt tempus aliquando fuisse, cum non esset Filius Dei. Ebion omne initium Filii ex Maria concedebat.* Artemon Dominum Jesum Christum *solum hominem esse dicebat natum ex Virgine.* Paulus Samosatenus *Christum* (aiebat) *et Filium David qui non fuit ante, et fuit in tempore*, hominemque passim esse dicebat, ut adnotavimus.

Secundo. *Omnia enim Deum ex nihilo fecisse, qua sententia etiam Filium Dei comprehendunt.* Hic error licet ex præcedentibus oriatur, attamen in præfatis hæreticis expressus non reperitur. Ita ipsi Ariani eorumdem hæreticorum sententiam explicabant.

Tertio. *Quibus etiam consequenter addunt eum natura posse mutari, Virtutis et Vitii esse capacem. Non enim natura, aut quidquam præter cæteros Filios habuisse prærogativæ (nullum namque natura Filium Dei esse affirmant, neque quemquam esse, qui ulla cum eo proprietate conjunctus sit), sed cum esset natura mutabili, et propter singularem in vita et moribus rite instituendis diligentiam ac studium non ad vitia deflecteret, Deum eum elegisse.* Mutabilem esse natura Christum ex illo falso asserto sequitur quo Ebion et Artemas hominem ipsum esse tantummodo volebant, quare apte S. Alexander dicit : *Quibus etiam consequenter addunt.* Samosatenus vero aperte hunc asserit errorem. *Quomodo igitur qui crescebat, et confortabatur, hunc dicis ante sæcula esse.* S. quoque Dionysius contra Samosatenum infert hoc absurdum ipsius instantiæ respondens, qua textum Evangelii opposuit. *Tristis est anima mea usque ad mortem;* subdens : *Alioqui, et Spiritum Sanctum intelliget Samosatensis patibilem esse.* Non esse autem Christum natura Filium Patris Æterni, eumque ob eximias virtutes in Filii dignitatem assumptum, docebat Ebion ex allato S. Hilarii textu : *Hebion non ex Deo homine Deum proferat.* Theodoretus etiam testatur Ebionis errorem referens. *Homo quidem erat, sed virtute, vitæque innocentia, et integritate aliis antecellebat.* Et S. Augustinus : *Accepisse* (Jesum) *talem animam, quæ sciret ea quæ superna essent, atque nuntiaret.* Idem sentiebat Artemas. *Prophetis autem virtute præstantiorem.* Clarius Samosatensis, Ebionis, et Artemæ errorem sectatus ipsorum sententiam explicat : *Duos* (dicis) *Filios, unum natura Filium Dei, qui fuit ante sæcula, et unum homonyme Christum, et Filium David, qui non fuit ante, et fuit in tempore, et secundum beneplacitum Dei accepit nomen Filii.* Ita Dionysius contra Paulum, et inferius : *Ais enim quod Verbum erat ante Mariam, Christus vero non erat ante Mariam, et quod Maria non genuit Verbum (non enim senior Verbo est), sed genuit Christum exinde honoratum in Filium Dei.* Christum creaturam esse non natura Filium Dei manifesto asserit. *Quod autem dicit ingenitum Patrem, dicit, ut doceat, Christum recentem esse et creaturam.* Ita Pauli dolum profert Alexandrinus Dionysius.

Aliis hæreticis eosdem errores ex Theodoreto adscribunt Domini Ballerinii. *Contrarium hunc errorem undecim tenuerunt heterodoxorum sectæ a Theodoreto nominatæ lib.* XI *adversus hæreses, nimirum Ebionitæ, Nazareni, Cerinthiani, Artemon, Theodotus, Melchisedechiani, Helceseitæ, Paulus Samosatensis, Sabellius, Marcellus, Photiniani, quibus addendæ aliæ duæ Carpocratianorum ex Irenæo lib.* I, *cap.* 24, *et Berillus ex Eusebio, lib.* VI, *cap.* 11. Non ita tamen sunt hæc accipienda, ut in omnibus hi hæresum Parentes consenserint. Nazzarei siquidem, Augustino teste, Christum Dei Filium fatebantur. *Nazzarei cum Dei Filium confiteantur esse Christum, omnia tamen veteris legis observant.* Qua de re cum Epiphanius dicat : Nazzareos multa cum Ebione habuisse communia, hoc de observatione legalium intelligendum est, cum et ipsi Ebionei legalia servarent. *Ebionei Christum etiam tantummodo hominem dicunt. Mandata carnalia legis observant, circumcisionem scilicet carnis, et cætera, a quorum oneribus per novum Testamentum liberati sumus* (*S. Aug. de Hær. c.* 10, § 7). Dissentiebant itaque circa Divinitatem Christi Nazzarei, et Ebionitæ, hi tantummodo hominem, illi vero Dei Filium agnoscentes Christum : Cerinthum quoque et Carpocram in eo non convenire cum Ebione adnotavimus, cum hic ex Virgine, illi ex Joseph, et Maria, et de utroque sexu Christum natum esse asseruerint. Photinum vero Ebionis et Pauli Samosateni errores refrixisse non est ambigendum. Hunc circa medium quarti sæculi in concilio Sardicensi, et ab ipsis Arianis in Sirmiensi eorum conventiculo damnatum, ejusque sectarios D. Zenonem impetisse volunt eadem in adnotatione Domini Ballerinii. *Photiniani omnium novissimi, quos ipsi Ariani condemnarunt, hoc loco a Zenone indicari videntur ex ea præsertim formula, ut quidam putant.* At potuit, et vetustiores hæreticos impetere D. Zeno Gallieni temporibus scribens. Sancti quidem Præsulis verba eos tantum respiciunt, qui Christum purum hominem affirmabant. *Si hominem solum, sicut quidam putant, ab utero Virginis eum sumpsisse principium, quæ spes futuræ Beatitudinis credenti, cum scriptum sit : Maledictus homo, qui spes habet in homine?* Ex iis vero eos præcipue qui ex Virgine natum fatebantur, ut Ebion, Artemas, et

Digitized by Google

Paulus Samosatenus : Non vero Cerinthum, Carpocram, aliosque Christum ex Joseph, et Maria, ac de utroque sexu natum blasphemantes. Quem errorem nempe Christum purum hominem ex Virgine natum ætate Gallieni in Ecclesia serpuisse ac divulgatum fuisse, inferius demonstrabimus. Interim adnotasse sufficiat S. Alexandrum Patriarcham Alexandrinum in laudata epistola Ebionem, Artemam ac Samosatenum enumerasse ante Gallienum, ipsiusque Gallieni ætate, utpote qui magis in errore conformes Arianæ hæresi stravere viam.

§ IX. *Arius circa suos errores inconstans et varius.*

S. Alexandro ad Alexandrinam Cathedram assumpto, Arius, qui se posthabitum iniquo ferebat animo, invidia tabescens Alexandrique in illibatos mores mutire cum non posset, in ipsius doctrinam dentem acuere ausus est. *Nam cum S. Alexander Filium confiteretur honore Patri æqualem, ac ejusdem essentiæ, ex adverso Arius Filium nugari cœpit creaturam, et facturam, et fuisse quando non erat, et quæ magis sunt impia. Digna profecto quæ oblivioni mandentur ac æterno silentio.* Ita Gregorius Cæsareensis. Quamvis enim et vivente gloriosissimo Martyre S. Petro Alexandrino Patriarcha virus cœpisset suum Arius evomere, eaque de causa fuerit ab eo degradatus : *Attamen tunc* (ut Christiani Lupi verbis utar) *utpote duntaxat Diaconus prædicare et publice populum docere necdum poterat.* Alexandri vero tempore jam Sacerdos ac Verbi prædicandi ipsi demandata cura, aperte in concionibus apostolicæ Alexandri doctrinæ detrahere, Ebionique, Artemæ, et Pauli errores recoctam veluti crambem opponere cœpit. Qua de re ab eodem S. Alexandro damnatus, atque ab Ecclesia ejectus, Ebionis et Artemæ hæreses, quas divulgarat, a summo pontifice Victore Romæ damnatas, Paulique Samosateni, qui eas instaurare ausus est, tanta episcoporum frequentia in concilio Antiocheno profligatas, docere ac defendere cum non auderet, cautius agens, easdem circumvelare alioque aspectu concinnare curavit. Illud in primis : Christum nempe ante Mariam non fuisse ; fuisseque tempus quando non fuerit Filius ; mutabilemque a Deo creatum : has, inquam, quas primo sparserat blasphemias, ita temperavit, ut fateretur Filium ante tempora, et ante sæcula plenum Deum extitisse Unigenitum, immutabilem ; suamque impiam doctrinam veluti catholicum dogma venditans, se docere professus est, Filium non esse ingenitum, ut Patrem, neque partem ingeniti, in eo Catholicos carpens, utpote qui Filium Patri æqualem asserentes, ejusdemque substantiæ, Filium ingenitum facerent, partemque esse substantiæ Patris docerent. Suam tamen impietatem retinens, ibidem docebat, Filium ex ullo subjecto, quod idem est, ac ex nihilo, sed voluntate et consilio Patris creatum; antequam gigneretur, non fuisse pro generationis verbo creationem intelligens. Hæc omnia ex ipsius Arii Epistola ad Eusebium episcopum Nicomediensem clarius intelligemus. *Nos autem quæ sit nostra sententia* (ita Arius) *sensusque, et docuimus et docemus : Filium nimirum neque ingenitum esse, neque partem ingeniti ullo modo, neque ex ullo subjecto, sed voluntate et consilio ante tempora, et ante sæcula plenum Deum extitisse, unigenitum, immutabilem, et ante quam gigneretur, aut conderetur, aut præfiniretur non fuisse : nam ingenitum non erat. Exagitamur igitur quod Filium principium, Deum Patrem carere principio dicimus ; atque tum hac de causa, tum quod dicimus, eum ex nihilo constare, nos persequuntur adversarii. Istud vero sic ideo asseruimus, quod non sit pars Dei Patris, neque ex ullo subjecto existat. Hac de re nos insectantur* (*Extat apud Theod., Hist. eccl., cap.* 4). Idem pressius, at majori cum dolo expressit ipsemet Eusebius Nicomediensis Arii Arianæque hæresis validissimus propugnator : *Neque enim de duobus ingenitis nos audivimus, neque unum in duo divisum, neque illud ullam corpoream affectionem subiisse didicimus, credimusve, Domine mi Pauline, sed unum ingenitum, unum ex eo vere, sed non ex substantia ejus genitum, naturæ ingeniti omnino, et ejus essentiæ expers* (*In Ep. ad Paulin.*). Unum ingenitum eum Ecclesia Catholica fatetur, ut videatur Menandri errorem damnare, qui Dominum J. C. dicebat ingenitum. Ingenitum dicebat et Ebion, ut refert Theodoretus. *Is unum dicebat ingenitum, sicut et nos, et eum ostendebat esse mundi opificem.* Ab ea vafritie, quam in Samosateno notavit S. Dionysius Alexandrinus. *Quod autem dicit ingenitum Patrem, dicit ut doceat Christum recentem esse, et creaturam.* Indivisum et incorporeum dicit Deum, ut innuat Catholicos consubstantialitatem Filii cum Patre sustinentes, divisionem in Deo admittere. Id, et Praxeani Catholicis succensebant falso religionis zelo, ut ex Tertulliano. *Quomodo autem numerus sine divisione ponatur, procedentes retractatus demonstrabunt.* Consubstantialitatem itaque negat Eusebius. *Unum ingenitum, unum ex eo vere, sed non ex substantia ejus genitum, naturæ ingeniti omnino, et ejus essentiæ expers.* Alios quos Arius aperte asserit errores ex negata consubstantialitate manentes silentio præterit; nempe Filium non extitisse antequam gigneretur, aut conderetur : et ex nihilo fuisse productum, ut dogmatis virus, quantum valet, abscondat. Hanc Arii ejusque sectatorum circa suos errores varietatem notavit Augustinus. *Audio vos jam emendasse, an forte falsum est eos hoc aliquando dixisse quod fuerit aliquando Pater sine Filio? tamquam fuerit lux æterna sine candore quem genuit.* Et in libris de Trinitate : *Si Filius est, natus est, si natus est, erat tempus quando non erat Filius. Posteriores Ariani abjecerant istam sententiam.* Ab ipso veromet Ario hanc variationem cœpisse constat ex iis quæ supra hoc in eodem paragrapho ex Theodoreto retulimus.

§ X. — *Propriæ Arii Arianorumque verborum formulæ suis in explicandis erroribus.*

Propria Arii ejusque sectatorum verba suis in ex-

Digitized by Google

primendis, vel antiquis resumendis erroribus adhibita, accurata observatione recensenda videntur, ut collatis S. Zenonis sententiis evidentius inspici possit, num contra Arium, an contra antiquiores hæreticos verba fecerit S. Præsul.

Cœpit itaque Arius, teste S. Athanasio (*Orat. pr. contra Arian.*), contra S. Alexandri catholicam doctrinam insanire. *Non semper Deus erat Pater, non semper Filius : nam cum omnia sint ex nihilo, etiam Dei Filius ex nihilo emersit. Et cum omnia sint condita, ipse quoque conditum quiddam, et opus haberi debet. Et cum omnia prius non essent, sed postea extiterint, fuit profecto cum Verbum non erat. Et quia non erat antequam fieret, principium existendi habuit. Tum enim extitit cum Deus eum conditum voluit.* Inferius vero. *Etiam id quoque addunt : Eum non natura in Patre existere, nec esse proprium ejus substantiæ Verbum, nec propriam sapientiam, in qua mundum istum creavit, sed in Patre esse aliud proprium, et peculiare Verbum, aliamque item propriam sapientiam in qua sapientia istud Verbum fecit. Atque adeo ipsum Dominum Christum respectu rationalium, quæ verbis utantur, Verbum esse nuncupatum.* Arii errores enumerare pergit Athanasius. *Rursus idem ait : Deum non nos propter illum, sed illum propter nos condidisse. Erat enim, inquit, solus Deus, nec erat Verbum cum eo. Deinde cum vellet nos procreare, tunc quoque istum procreavit, quem, postquam genitus est, appellavit Verbum. Non enim est Patris proprius, et naturalis fœtus Verbum, sed et ipsum gratia extitit. Quin et hoc quoque jactant : Christum non esse naturalem, et veram Dei potentiam, sed sicut erucæ bruchi appellantur potentiæ Omnipotentis Dei, ita ipsum quoque appellari Omnipotentiam Patris. Etiam illud inter cætera adjunxit, Filium non exacte cognoscere Patrem, sed ne suam quidem ipsius substantiam plene cognitam habere.*

Tota tandem Catholicos inter et Arianos contestatio ad unam Filii cum Patre consubstantialitatem vel asserendam vel negandam redacta est. Hujus rei ad comprobandam fidem, formulam a Valente Vasacio, aliisque gregalibus in Ariminensi Synodo exhibitam satis erit afferre : *Credimus in unum, et solum, et verum Deum Patrem Omnipotentem, Conditorem Opificemque omnium : et in Unigenitum Filium Dei ante omnia sæcula, et initia, et ante omne tempus, quod in intellectum cadere potest existentem, et ante omnem comprehensibilem substantiam natum impatibiliter ex Deo, solum ex solo Patre, Deum de Deo, similem Patri suo, qui ipsum genuit, cujus, secundum scriras, generationem nemo novit, nisi solus qui eum genuit Pater. Vocabulum porro substantiæ, quia simplicius a Patribus positum est, et a populis ignoratur, et scandalum affert, eo quod in Scripturis non contineatur, placuit ut de medio tolleretur, et nullam posthac de Deo substantiæ mentionem esse faciendam (Refert S. Athan. de Syn. Ar. et Seleu.).*

Hac ætate S. Zenonem Veronensi Ecclesiæ præfuisse contendunt Domini Ballerinii, qui illius episcopatum ab anno 356 ad annum 380 producunt. *Quidquid autem id est, procul dubio inter annum 356 et 380 circiter Zenonis Episcopi ætas statuenda est.* De hoc ætatis systemate inferius.

§ XI. — *Errorum hactenus recensitorum ætas ad Gallienum usque.*

Prætermissis hæreticis illis minus circa errores suos inter se consentientibus Ebionis, Artemæ, Paulique Samosateni ætas firmanda est ; tum si qui ipsorum errores Artemam inter et Samosatenum professi sunt, inquirendi. S. namque Alexander Patriarcha tres hos hæreticos ante Gallienum, vel sub Gallieni tempora eumdem errorem divulgasse, eosdemque Ario, et Arianis in Filii divinitate convellenda præcessisse testatur, ut vidimus. Brevis hæc chronica disquisitio ad Epocham D. Zenonis firmandam plurimum conducere dicenda est, cum ipsius sententiis hos errores impetitos videamus. Ebion itaque primo cadente sæculo circa annum Christi 82 a Tillemontio locatur (*t.* II, *not, pr. de Nazz. et Ebion. et in Ch. an.* 82. *Sp. ad an.* 74). Baronius vero ipsum ad annum C. 74 refert. Suos Ebion errores non solum in Asia sparsit, sed et Romæ. Ebionis errores Artemas instauravit, non autem ipse primus, sed Theodotus, seu Theodotion Bizzantinus, cui se cum adjunxisset Artemas, hæresim celebriorem reddidit, damnatique sunt a Victore summo Pontifice circa annum Christi 196. Theodotionem ante annum C. 219 diem suum obiisse conjicit Tillemontius. Artemas forte Theodotioni superstes, ut hæresis auctor agnitus fuisse videtur. Hunc errorem licet a S. Pontifice Victore damnatum, non subito extinctum fuisse dicendum est : nam et in Tertulliano notatur. *Et Pater Deus est et Judex Deus est, non tamen ideo Pater et Judex semper, quia Deus semper, nam nec Pater potuit esse ante Filium, nec Judex ante delictum. Fuit autem tempus cum et delictum, et Filius non fuit, quod Judicem, et qui Patrem Dominum faceret.* Hic circa annum C. 216 scribebat Beryllus quoque Bostrensis in Arabia Episcopus, circa Christi annum 229 de eodem errore insimulatus fuit. *Ausus asserere* (ut Eusebius narrat *Hist. l.* VI, *c.* 33), *Dominum ac servatorem nostrum antequam inter homines versaretur, non substitisse in propriæ personæ differentia, nec propriam, sed paternam duntaxat divinitatem in se residentem habere : cumque ea de re plurimi Episcopi quæstiones ac disputationes adversus illum habuissent, rogatus una cum reliquis Origenes, primum quidem cum illo familiariter collocutus est, ut quænam esset hominis sententia exploraret. Postquam vero liquido cognovit quid diceret, errorem ejus coarguit, allatisque rationibus ac demonstrationibus convictum hominem quasi manu apprehendens ad veritatis viam perduxit.* Idem Origenes, qui ante annum C. 256 adhuc in vivis erat, hunc errorem redarguit. *Intelligat enim ille* qui dicere *audet : fuit aliquando cum non esset filius.* Ex quibus verbis optime inferunt doctissimi Ballerinii: *Hinc quidem probatur, alios*

Digitized by Google

quosdam hunc errorem id temporis docuisse quem Origenes reprehenderet. Ad Gallieni tempora propius accessit, qui anno C. 266 obiisse dicitur; S. Dionysius Alexandrinus Patriarcha, hic ut iidem eruditissimi Ballerinii notant in epistola ad Euphranorem, cujus fragmentum suppeditat Athanasii epistola, de sententia Dionysii, no. 4, Sabellianos impugnans. Etenim ait, cum sit res facta non erat ante quam fieret: *At ea de causa ad Dionysium Romanum ille delatus, et ab eodem reprehensus apologia se se purgavit, in quam multa conjecit, quibus eum errorem rejicit, quem subinde Ariani excepere : unde cum hi ejus auctoritatem pro se allegarent, Athanasius loco memorato, num.* 9, *prædecessoris sui sententiam optime vindicat, auctoritatemque ex inimicorum manibus noviter eripit.* Eodem tempore Paulus Samosatenus errores quos ab Ebione et Artema hauserat, in lucem ausus est propalare, contra quem, ut vidimus, idem S. Dionysius scripsit.

Ebionis itaque hæresim primo adhuc labente sæculo exortam circa secundi sæculi finem, ac tertii initium ab Artemone instauratam, toto sæculo tertio usque ab Gallieni tempora, et post Gallienum quoque serpuisse adhuc in Ecclesia comperimus, non Alexandriæ tantummodo, sed et in Italia et Romæ vulgatam : eam adoptavit Arius tanto Ecclesiæ Catholicæ detrimento, ut elapsis tot sæculis adhuc perniciem suam novis in Arianis diffundat.

§ XII. — *D. Zenonis textus adducuntur, qui contra Arii errores facere putantur.*

Iis prænotatis, quæ ad rem præsentem facere videbantur, nunc propius ad quæstionis nodum accedamus oportet, D. Zenonis textus, qui contra Arium laudantur, expendentes. Hos D. Ballerinii allegant, quos iisdem ipsorum verbis hic exscribimus : « *Harum locutionum* (ita Ballerinii) *vocumque præcipuarum vis ut manifestior fiat, quid Ariani ex una parte senserint, quid ex alia Auctor contra scripserat, certis quibusdam capitibus exponere perutile fuerit, unde vel illi, qui non plane eruditi in hisce materiis sunt, Auctorem contra Arianos ex proposito disserentem agnoscant. Hi hæretici ex Athanasio in lib. de Decretis Nicænis, num.* 18, *pag.* 215, *de Filio Dei loquentes hujusmodi formulis utebantur.* Ex non existentibus non erat antequam genitus est. Fuit aliquando cum non esset. *Quibus significaret Divinum Verbum*, ex non existentibus, *id est ex nihilo ut cæteræ creaturæ conditum*, non fuisse antequam genitus est, unde et fuit aliquando cum non esset. *His ut contrairet noster Autor cum Catholicis primum docuit, tract.* 3, *lib.* II, *Deum Patrem, alium se, id est Filium Deum*, genuisse ex se, ex innascibili sua illa substantia, in qua beatus manens in sempiternum omnibus, quæ habet habentem Filium paria procreavit. Et tract. II, lib. II, Totum se, *inquit Pater*, reciprocavit in Filium, *quibus Divinum Verbum non ex nihilo, seu ex non extantibus, sed ex ipsa Patris substantia genitum aperte prodidit. Dein ut exploderet alteram formulam*, non erat antequam nasceretur, *seu alteram eo recidentem.* Fuit aliquando cum non esset, *quibus Divino Filio æternitatem Ariani negabant*, coeternitas, *vocem sæpius inculcat*, tract. II, lib. II, una originali coæternitate tract. VI, lib. II, num. 4, cum quo originalis perpetuique regni una possessio : coæternitatis omnipotentiæque una substantia, una æqualitas, una virtus majestatis augustæ. *Huc etiam illa pertinent tract.* LV, *ubi Filium* paternæ antiquitatis solum conscium, *id est coæternum Patri fatetur; et ut alia dimittamus tract.* VII, *exploratissime eam hæresim notat quæ* modestius, sed mordacius nocens, dicit quidem Dei Filium Deum, sed non ex Patre nobilitatis perpetuitate progenitum, fuisseque tempus quando non fuit. *Hæc præcipue verba Baronium moverunt, cum Arianam hæresim directe feriant : nemo enim ante Arium similia docuit, nemo ante hoc tempus adeo expresse hæresim hujusmodi notavit, et refellit, nec notare, et refellere quidem potuit.* » Hæc DD. Ballerinii. Antequam vero de his aliisque D. Zenonis allatis textibus agamus, præmittendum est.

§ XIII. — *Mysterii SS. Trinitatis notitiam ab ipso Ecclesiæ initio, præcipue vero tertio Ecclesiæ sæculo floruisse.*

Commendatissimus Petavius, Athanasii atque Basilii testimoniis adductis, evidenter ostendit : *Primis illis Ecclesiæ sæculis complures extitisse Sanctos, et eruditos Patres, qui sinceram, et legitimam Trinitatis doctrinam, et ipsi tenerent, et tam docendo iis quibuscum degebant, tum scribendo posteritati traderent.* Idem præstat et Thomasinus; ex iisdem nos aliquas SS. Patrum sententias ad hujus paragraphi adornandum titulum seligemus, præcipue quæ tertii sæculi Patres protulere. Omissis itaque iis, quæ in libro qui Pastor inscribitur leguntur, et quæ in S. Clementis Romani, Ignatii martyris, Aristidis Atheniensis, Polycarpi martyris, qui primo sæculo recensentur monumentis : nec non Justini Philosophi, et martyris Irenæi, Athenagoræ, Theophili Antiochensis sententiis, qui secundo, easque apud ipsum Petavium videre est; illorum SS. Patrum monumenta, qui labente secundo vel tertio currente sæculo, de sanctissimæ Trinitatis mysterio meminere, expressiora desumendo proferemus in medium, cum ea hujus tractationis ætatem propius attingant.

Hippolyti Martyris qui floruit circa C. annum 222, de sanctissima Trinitate sententias profert Petavius : *Multo luculentiora perfectæ ac veræ divinitatis in Filio ejusque persona a Patre distincta Hippolytus idem testimonia dedit in Opusculis contra Beronem et Helicem, apud Anathasium, in quibus duplicem in Christo naturam accurate discernit, et divinam eamdem plane esse demonstrat, quæ est in Patre,* « Verbum enim Dei nulla re mutatum esse, *dicit eo ipso quod carnem induit*, nec in nullo prorsus in quo idem est cum Patre, factum esse idem cum carne propter exinanitionem ; sed cujusmodi erat absque carne, ita mansisse extra omnem circumscriptionem. « *Rursus*

Digitized by Google

« Deum *illum* Infinitum simul et Incircumscriptum hominem esse ait, et intelligi utriusque substantiam perfecte perfectam habentem. » *Quod potest esse clarius summæ absolutæque Divinitatis in Christo prædicium? Nam et infinitum Deum hunc esse prædicat, et immensum, et immutabilem, et idem omnino cum Patre, quod ad naturam attinet, cum sit ejus Filius, ideoque re ipsa distinctus. Denique,* « divinitas (*inquit ex Anastasii versione*) ut erat ante incarnationem, est et post incarnationem secundum naturam infinitam incomprehensibilis, impassibilis, incomparabilis (*immo* inalterabilis), inconvertibilis, per se potens, et ut totum dicamus subsistens, substantialis sola infinitæ virtutis Bonum. » *Potuitne vel hoc sæculo quisquam disertius, expressius, significantius divinitatem Filii, ac Personarum discrimen exponere, quam vel scriptor ille fecit antiquus, antequam Nicænus Consessus liquidam ea de re scientiam explicasset?*

Clementis Alexandrini de Trinitate Sententias, quas *sine erroris suspicione* scriptas fatetur Petavius ad librum primum de Trinitate videndas remittit. Nos ex Thomasino afferemus, qui Clementem ab omni erroris suspicione demonstrat alienum. *Vide* (Thomasini verba sunt) (*l. III th. Dogm., tr. 2, cap. 44, num. 1*) *ut ejus æternitatem ante tempora astruat.* « Nullus (hæc vero Clementis) certe hominum vel deorum fuit ante hunc mundum, non autem sumus ante mundi constitutionem, qui eo quod esse oporteret in ipso Deo sumus geniti. Dei Verbi sumus nos figmenta ratione prædita, per quem antiqui sumus, quoniam in principio erat Verbum: sed quoniam Verbum quidem erat ab alto petita origine, divinum universorum principium, et fuit, et est. Quia autem nunc nomen accepit olim sanctificatum, potestate dignum, Christus, novum mihi vocatum est canticum. Hic ergo Verbum Christus, et ut nos olim essemus, erat enim in Deo, et ut bene videmus, causa fuit. Nunc autem apparuit hominibus hic ipse Verbum, qui solus est ambo Deus, et homo. » *Vide ut mox Christum dicat ante carnem assumptam fuisse illum ipsum Deum, qui est, seu qui est ipsum esse, et in eo qui est, hoc est in Patre fuisse.* « Apparuit autem nuper qui prius erat Servator: apparuit qui est in eo qui est: ὁ ἐν τῷ ὄντι ὤν, quoniam Verbum, quod erat apud Deum doctor apparuit, per quod omnia sunt fabricata » *et infra.* « Verbum Dominum, qui revera est Deus manifestissimus, qui est universorum Domino exæquatus; quoniam erat ejus Filius, et Verbum erat in Deo » *Apertissime Deum esse Verbum docet, et Patri coæqualem quo Filium.*

Ab libro Pædagogi primo vide ut tres divinas Hypostases conjungit, a reliquis sejungat omnibus, ei subjungat totam naturam intellectualem, Ecclesiam. « O miraculum mysticum! Unus quidem est universorum Pater. Unum est etiam universorum Verbum, et Spiritus sanctus unus, et ipse est ubique. Una autem sola Mater est Virgo: mihi autem placet eam vocare Ecclesiam. » Plura apud eumdem Thomasinum vide.

Clementi Alexandrino Origenem subjiciemus discipulum Magistro ex eodem Thomasino; de quo tamen contraria nobis forte alleganda erunt inferius; cum a se ipso sæpe diversus, quandoque sibi contrarius Origenes inveniatur, ut vere de illo dixerit S. Hieronymus: *Interdum magnus dormitat Homerus.* Origenis testimonia, quæ subdimus ex S. Athanasio Thomasinus desumpsit. *Si est, inquit Origenes, ulla imago invisibilis Dei, ipsa quoque imago invisibilis fuerit; immo hoc quoque ausim addere, quod cum sit ille similitudo Patris fieri non posse, ut fuerit quando non fuerit. Quando enim Deus, qui secundum Joannem Evangelistam lux dicitur, splendore caruit suæ Majestatis? ut quis audeat Filio principium adscribere quasi antea nondum existenti? Quando autem non erat ineffabilis illa, innominabilis, inenarrabilisque Patris substantiæ imago, forma, ratio, quæ Patrem cognoscit? Cogitet secum quicumque audebit dicere; Erat quando non erat Filius se hoc ipsum dicere. Erat quando sapientia non erat, quando ratio non erat, quando vita non erat.* Et statim ibidem. *Idem Origenes alibi dicit: Sed fas non est, neque periculo vacuum est ob infirmitatem nostram, quantum in nobis est, spoliare Patrem Unigenito suo, secum semper existente Verbo; spoliare item eum sapientia in qua lætabatur; inde enim colligeretur eum non semper lætatum fuisse: Ecce nos demonstramus istius modi sententiam a Patribus ad Patres quasi per manus traditam esse. Vos autem novi Judæi, et Discipuli Caiphæ, quos verborum vestrorum Patres ac Majores demonstratis, cum ne unum quidem ex prudentibus, aut doctis in auctorem citare possitis.*

Theognostum addimus ex Athanasio: Cum eum cum Origene simul nominatum vides in bibliotheca Photii. *Discite* (ita Athanasius) *igitur nunc, Christo rebelles Ariani, Theognostum virum disertum non abhorruisse a vocabulo substantiæ, scribens enim de fide hipotyposeon ita locutus est:* « Non forinsecus aut ex rebus extraneis Filii substantia constat, neque ex non entibus producitur, sed ex Patris substantia ita progenitus est, ut a luce jubar, ut ex aqua vapor. Neque enim id ipsum est quod aqua, neque jubar id ipsum quod sol, sed non alienum tamen rerum ut profluentem eum esse dicas Patris substantiæ, idque ita ut interim substantia illa Patris divisionem non patiatur. Quemadmodum enim sol non diminuitur suis ex se profluentibus radiis; ita nec substantia Patris diminutionem sustinet, imaginem sui Filium progignens. »

Ultimo Neocæsariensem Gregorium adducimus, qui sua in Fidei confessione sic habet: « Unus Deus Pater Verbi viventis, Sapientiæ subsistentis, et virtutis suæ et figuræ sempiternæ: perfectus perfecti Genitor: Pater Filii Unigeniti, Unus Dominus, solus ex solo, Deus de Deo et Filius verus veri Patris. Mox, et unus, *inquit*, Spiritus Sanctus ex Deo substantiam habens, etc. Imago Filii, perfecti perfecta, vita viventium causa, Fons sanctus, sanctitas sanctificationis præstatrix. » *Postremo ita concludit,* « Trinitas perfecta. »

Digitized by Google

Hæc satis esse videntur ad sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis fidem notam et manifestam tertio præsertim Ecclesiæ sæculo demonstrandum. Plura qui cupit apud Petavium et Thomasinum inveniet. Illud tamen modo liceat observare, quanti hæc SS. Patrum, quos laudavimus, facienda sint monumenta, ad Arii Arianorumque profligandos errores. Num itaque Hippolytus Martyr, Clemens Alexandrinus, Origenes, Theognostus, Gregorius Neocæsariensis, Ario et Arianis posteriores sunt reputandi? Cur itaque Ario posterior Noster Zeno?

§ XIV. — *D. Zenonis sententiæ, quibus Arianis contraire ipse S. Pater creditur, considerantur.*

Ad sententias D. Zenonis examinandas procedendum modo. Prima ex Tractatu, seu Sermone tertio secundi libri allegatur. « *Deum Patrem*, Alium se, *et Filium Deum*, genuisse ex se ex innascibili illa substantia, in qua beatus manens in sempiternum, omnibus quæ habet habentem Filium paria procreavit. » Totum hunc sermonem, quia brevis est hic exscribemus : non enim omnes, qui hæc nostra legent, sermonum S. Zenonis copiam habebunt. *Principium, fratres dilectissimi, Dominus noster incunctanter est Christus, quem ante omnia sæcula Pater in profundo suæ mentis arcano insuspicabili ac soli sibi nota conscientia Filii non sine affectu, sed sine revelamine amplectebatur. Igitur ineffabilis illa incomprehensibilisque sapientia sapientiam, omnipotentia omnipotentiam propagat. De Deo nascitur Deus; de ingenito unigenitus, de perfecto perfectus. Totum Patris habens, nihil derogans Patri. Procedit in nativitatem, qui erat antequam nasceretur in Patre æqualis in omnibus, quia Pater in ipsum alium se genuit ex se, ex innascibili sua illa substantia, in qua beatus manens in sempiternum omnibus, quæ habet habentem Filium paria procreavit, qui est Deus Benedictus in sæcula sæculorum.*

Hoc in sermone contra nullum errorem invehit S. Zeno, sed Filii divinitatem populo explicat. Quomodo igitur vel leviter suspicari potest, ipsum Arianis contradicere? *Hic* (Arianis) *ut contrairet noster auctor, cum Catholicis primum docuit*, etc. Nonne conformiter loquitur, et D. Hippolyto, qui verbum dicit *idem cum Patre*. S. vero Zeno dicit, quod *Pater in ipsum alium se genuit ex se, ex innascibili scilicet sua illa substantia?* Et D. Clementi Alexandrino, qui ait : *Universorum Principium et fuit et est* (Verbum). D. Zeno initio sermonis : *Principium, Fratres dilectissimi, Dominus noster incontanter est Christus*. Item S. Clemens de Filio. *Erat enim in Deo, qui est in eo qui est et, Verbum in Deo*. S. Zeno pariter : *De Deo nascitur Deus, qui erat antequam nasceretur in Patre æqualis in omnibus*. Thaumaturgus tandem Gregorius, qui Gallieni tempore obiit, de Patre et Filio sic loquitur : *Perfectus Perfecti Genitor, Pater Filii Unigeniti, Unus Dominus, solus ex solo, Deus de Deo*. Cui non tantum eodem sensu, sed iisdem ferme verbis concinit S. Zeno : *De Deo nascitur Deus, de ingenito Unigenitus, de solo solus, de toto totus, de vero verus, de perfecto perfectus*. Cum ergo neque Martyr Hippolytus, nec Alexandrinus Clemens, nec Thaumaturgus Gregorius tot annos Ario antiquiores contra Arianos egerint; neque S. Zeno contra eosdem egisse dicendus est.

Si vero dandum est aliquid, S. Zenonem videlicet in laudato sermone errorem aliquem confutasse, certe nonnisi iis in verbis : *Procedit in nativitatem, qui erat antequam nasceretur in Patre æqualis in omnibus*. Quibus non alius carpitur error, nisi Ebionis, Artemæ, ac Pauli Samosateni tanto ante Arium asserentes, Christum Dominum ante Mariam non fuisse. Non enim probanda videtur tertia nativitas Verbi, licet per similitudinem, quam doctissimi Ballerinii comminiscuntur. Cum D. Zeno duas tantum Christi nativitates apertissime agnoscat : de hoc tamen inferius. Eumdem errorem arguit, et Origenes : *Cum sit ille similitudo Patris, fieri non posse ut fuerit quando non fuerit. Cogitet secum quicumque audebit dicere : Erat quando non erat*. Nulla itaque ratio ex verbis hujus Tractatus D. Zenonis erui potest, qua ipsum Arii vel Arianorum errores oppugnasse probetur.

Ad secundum tractatum quod spectat, ex eo illa verba adducunt Domini Ballerinii : *Totum se* (Pater) *reciprocavit in Filium: quibus*, (ut ipsi inferunt) *Divinum Verbum non ex nihilo, seu ex non extantibus, sed ex ipsa Patris substantia genitum aperte prodidit*. Utique fatendum est, non modo ex hujus sermonis verbis Filium consubstantialem esse Patri, sed ex pluribus aliis D. Zenonis sententiis apertissime illud inferri. At quid inde ad Arianos? Cum plurimi SS. Patres, Ario anteriores, et primo, et secundo, et tertio Ecclesiæ sæculo scribentes id aperte docuerint. Theognostus quidem ante Arium apertius quam D. Zeno Athanasio teste idem asseruit. *Non ex non extantibus, sed ex Patris substantia productum esse Filium*.

Hoc in secundo sermone adnotantibus iisdem Dominis Balleriniis S. Zeno contra Hermogenem aliosque hæreticos agit, *qui materiam Deo coæternam et increatam posuere;* seu potius (ut iidem arbitrantur) *S. Zenonem appellare hoc loco Poetas, et Philosophos Gentium, qui eumdem errorem jamdiu docuerunt*. Mihi tamen Sabellii hæresis S. Zenonis coæva hic suggillari videtur. Sabellius etenim Hermogenis de ingenita materia errorem amplexus est. Conjecturæ huic favet, quod in hoc eodem sermone S. Zeno distinctionem divinarum Personarum egregie exprimit. *Hic est Deus noster qui se digessit in Deum. Hic Pater qui, suo manente integro statu, totum se reciprocavit in Filium, ne quid sibi derogaret. Denique alter in altero exultat cum Spiritus Sancti plenitudine una originali coæternitate retinens*. Eadem aptissima similitudine explicat, ut in eodem sermone videre potes. Omnia autem hæc optime faciunt contra Sabellium. S. vero Zenonem iis in disserendis imitatum fuisse Lactantium dicere arbitrium est. Probandum prius Zenonem Lactantio posteriorem. Si vero S. Zeno

Digitized by Google

ante Lactantium scripserit, ut Deo adjuvante ostendemus, Lactantius Zenonis imitator dicendus erit.

Ea quoque eruditissimorum Adnotatorum nota admittenda non est. Ad illa etenim S. Zenonis verba : *Hic Pater, qui suo manente integro statu totum se reciprocavit in Filium, ne quid sibimet derogaret,* sanctum Zenonem Arianos carpere volunt. *Ne quis fortasse ex generatione Filii immutatam Patris substantiam putaret. Ariani enim Catholicis eamdem Patris et Filii substantiam confitentibus exprobrabant, hac ratione Filium particulam esse divinæ substantiæ, quæ per generationem a Patre separata fuerit.* At eamdem sententiam antiquissimus Justinus Martyr apertius expressit in dialogo cum Triphone : *Virtutem illam esse Dei, ac Deum a Propheta nuncupari, non ita ut solis lux solo vocabulo numeretur, sed numero alterum quiddam : non tamen recisione tanquam Patris substantia secetur, uti cætera divisa, atque secta non sunt eadem atque erant ante sectionem ;* exemplumque affert : *Ignis a quo multi accenduntur ignes, sine ulla ejus immutatione, a quo plures accensi sunt.* Quid contra Arianos expressius ? Tertullianus etiam contra Praxeam de tribus Personis agens ait : *Quomodo autem numerum sine divisione patiuntur procedentes retractatus demonstrabunt.* Adde quæ § 13, ex Athanasio de Theognosto retulimus. *Nec substantia Patris diminutionem substinet imaginem sui Filium progignens.* Erit itaque Justinus, Tertullianus, Theognostus Ario posterior ? Apagesis. Neque Zeno igitur. Ex iis vero evidenter agnoscitur, divisionem divinæ substantiæ ex distinctione Personarum Sanctissimæ Trinitatis illatam, non esse argumentum a solis Arianis Catholicis objectum ; sed Judæis, Patripassianis, Sabellianis, ac Samosatensibus, seu Paulianistis commune.

Idem dicendum est de coæternitatis voce sæpius a divo Zenone inculcata Tract. II, lib. II, Tract. VI, lib. II, num. 4, *ut exploderet alteram formulam :* « Non erat antequam nosceretur ; » seu alteram eo recidentem : « Fuit aliquando cum non esset. » His nempe formulis non solos Arianos Filio æternitatem negasse constat, sed præ aliis, et Ebionem, et Artemam, et Paulum Samosatenum ; quare S. Dionysius Alexandrinus, et ipse eamdem coæternitatis vocem sæpius inculcat contra ipsum Samosatenum : *Unus est ergo Christus, qui est in Patre coæternum Verbum, una ejus Persona, Deus invisibilis, et visibilis factus. Deus enim apparuit in Carne natus ex Muliere, qui erat ex Deo Patre genitus ex utero ante Luciferum, tamquam ex corde Verbum ex Patre editum, et simplex, atque expers partium Verbum Caro factum est secundum Scripturas, non divisum in carnem, et Verbum, quasi in homine habitet Verbum, hæc enim fuga generationis est* (in *Ep. ad Paulum Samosatenum*). Samosatenus ipse S. Dionysio objicit (*Qu.* 5) : *Quomodo igitur qui crescebat et confortabatur hunc dicis ante sæcula esse, et simul cum Patre ingenito non habentem initium, et coæternum ?* Cui Dionysius : *Generatio Christi ex Patre ex æternitate non potest intelligentia comprehendi.* Vides contentionis cardinem esse æternitatem Filii in errore Ebionis, Artemæ et Pauli Samosateni, qui idem sentiebant. Sex quoque episcopi in epistola ad eumdem Samosatenum, coæternitatis voce licet non utantur, adest tamen sensus idem in verbis : *Hunc Filium qui semper cum Patre est, credimus implevisse voluntatem Patris in creatione Universi* (*extat apud Labbe cum præc. T.* I *Conc. p.* 845). Si recolas ea, quæ § 13 habentur, intelliges profecto notitiam coæternitatis Filii cum Patre adeo vetustam esse, ut ab ipso initio Ecclesiæ inter Christianos manifesta fuerit : Qui namque unum Deum in tres distinctas Personas profitetur, et coæternum Filium cum Patre confiteatur oportet.

§ XV. *Tractatus septimus lib. secundi, in quo S. Zeno præcipue in hæreticos agit, speciali consideratione perpenditur.*

Superius alios D. Zenonis Tractatus seu Sermones consideravimus, in eis vero contra hæreticos aperte non disserit ; at in hoc contra hæreticos manifesto disputare se dicit. *Quibus omnibus exempla vel ratio, quam prosecuturi sumus, argumentationis totius uno ictu omnes nervos abscindit.* Initio itaque contra tres præcipue sectas Christi Divinitati infensas tractare proponit, ita enim exorditur : *Licet Sectæ sint plures, quæ injuriam Christi fabulari nitantur, tamen tres sunt quodam modo principales, e quibus duæ ejus quam cupiunt depravatam simulant se esse cultrices. Una denique asserit, J. C. ab utero Virginis Mariæ sumpsisse principium, Deumque exinde ob justitiam factum esse non natum. Alia modestius, sed mordacius nocens, dicit quidem Dei Filium Deum, sed non ex Patre nobilitatis perpetuitate progenitum, fuisseque tempus quando non fuit. Tertia Judæa est vere cæca, quæ cum in lege* (*ut dicere solet*) *sua legat ubique duas Patris et Filii designari Personas, tamen nunc usque contendit, Deum Filium non habere.* Quæ sint hæ sectæ a D. Zenone designatæ, videndum modo est.

Clarissimi Ballerinii Photinianos D. Zenonem indicasse in prima recensitarum sectarum adnotant. *Photinianos autem, quos alii Zenonianæ ætatis Patres passim refellunt nostrum Auctorem voluisse perstringere, facile intelliges.* Cum vero Photinus non eumdem errorem hic a S. Zenone indicatum docuerit, ipsum hic non perstringi dicendum est. *Una denique asserit J. C. ab utero Virginis Mariæ sumpsisse principium, Deumque ex inde ob justitiam factum esse, non natum.* Ita S. Zeno. Photinus vero : *Non ab utero Virginis Mariæ,* sed tunc Christum esse cœpisse, cum Spiritus Sanctus visus est super illum.

Cum vero Photinianos potius insectatus S. Zeno dicendus sit, eam rationem afferunt : *Quatenus vero idem ob justitiam Deus factus traditur, fuit quidem hic Nestorii celebris error, at qui jamdiu ante a Paulo Samosateno et Photino prædicatus fuerat, hoc tamen discrimine, quod Nestorius, notante Garnerio disserit,*

Digitized by Google

7, *de ortu et incrementis hæresis Pelagianæ* c. 7, *docuit Christum hominem non ex meritis, sed ex Divina gratia jam inde a Matris utero, a Divino Verbo assumptum fuisse : cum Paulus Samosatenus eumdem Christum hominem natum dixerit, qui ex Virtutum merito* (*justitiam Zeno vocat*) *in Deum profecerit.* At concedamus licet Photinum cum Samosateno in eamdem ivisse sententiam; *si jam diu ante a Paulo Samosateno* idem error *prædicatus fuerat*, cur Photinum posteriorem, non Samosatenum anteriorem impetisse S. Zeno putandus est? Cur non dicendum, S. Zenonem in Pauli Samosateni errorem disseruisse, qui saltem Gallieno imperante impium suum dogma vulgavit? Ipse tamen ejusdem hæresis auctor non fuit, quam tanto ante, et Cerinthum, et Ebionem, et Carpocratem, et Artemam sparsisse vidimus. Hi etenim docuerunt non modo a Mariæ utero Christum sumpsisse principium, sed ob Virtutis suæ meritum aliis præcelluisse, Deumque factum. Et Gallieni itaque tempore contra eumdem errorem agere potuit S. Zeno, neque ad Photinianos confugere necesse est.

Secundo loco hanc hæresim ponit S. Veronensis Antistes. *Alia modestius, sed mordacius nocens, dicit quidem Dei Filium Deum, sed non ex Patre nobilitatis perpetuitate progenitum, fuisseque tempus quando non fuit.* Hanc esse Arianorum hæresim adnotant Domini Ballerinii. *Qui* (Ariani) *etsi Christum Dei filium prædicarent, non tamen ab æterno, sed in tempore genitum prodidere, unde effatum illud apud ipsos solemne:* « Fuit tempus quando non fuit. » *Videsis Athanasium de Decretis Nicænis num.* 18, *Hilarium lib.* IV *et* VI, *de Trinitate, ubi ipsam Arii epistolam allegat, in qua eadem formula inculcatur. Neque mireris quod hic Filius*, Deum, *dici potuerit, et nihilominus negari Patri coæternus et æqualis; Nam illum Deum abusive fatebantur Ariani non proprie, ut ex Hilarii frag. num.* 26, *et aliunde notum est.* Fuisse quidem hunc unum ex Arii erroribus fatendum est, cujus tamen Arius auctor non fuit, ipsis aientibus eruditissimis Adnotatoribus, qui Origenem contra Perettum et Bagattam defendentes, eumdem errorem Origenem reprehendisse ex Athanasio probant, ejusdem Origenis adductis verbis. *Intelligat enim*, inquit ille, *qui dicere audet fuit aliquando, cum non esset Filius*, quod et notavimus supra, aliosque Origenis textus adduximus. Fatentur itaque ex allatis Origenis Sententiis probari, alios *quosdam hunc errorem id temporis* (Origenis videlicet) *docuisse, quem Origenes reprehenderet.* Cum proinde Origenes non uno in loco, sed pluribus, et ex professo validisque rationibus hunc refellat errorem, invaluisse itaque et Origenis tempore comprobatur : quapropter et tanto ante Arianos convellere illum potuit S. Zeno. Recole quæ supra retulimus de Tertulliano, Beryllo, Dionysio Alexandrino, qui ab eodem crimine se purgat apud S. Dionysium Romanum Pontificem. *Accusamur quasi qui dicamus Filium unum esse ex numero rerum factarum, et nequaquam Patri suo consubstantialem. Falsum esse crimen, quo mihi objiciunt, quod Christum Deo consubstantialem esse negassem.* Et ea etiam, quæ de Paulo Samosateno exhibuimus, eo usque evidenter constare intelliges percrebuisse hunc errorem, et ante, et Gallieni temporibus : quare mirum non est sanctum præsulem contra ipsum eadem ætate apud populum habuisse Sermonem : ita ut hac ratione illum ad quartum sæculum amandare non sit opus.

Quinimmo si conjecturis est locus, Alexandrinum Dionysium coævum respexisse S. Zenonem puto : Nam cum initio Sermonis tres hæreses notasset, postea numero tertio ad Christianum verba convertit sua. *Videamus nunc, optime Christiane; quemadmodum inter Patrem Filiumque tempus infulcias.* Validaque ratione perstringit. *Si enim tempori non sibi debent, quod est alter alteri obnoxius, procul dubio, ut tu vis, major est natura, quam Deus : At cum naturam ex nihilo fecerit Christus; sit autem ex natura tempus, ineptum satis est opus suo præponere Artifici : ac per hoc solum interest, quod soli se sciunt.* Inde pluribus scripturæ testimoniis Christum Deum esse demonstrat. Et hæc verba ad Arianos directa volunt doctissimi Adnotatores, quos optimos Christianos appellatos dicunt *ironice :* At nihil est in textu, quod ironiam sapiat, quare, et serio dicta sunt accipienda : Superius etenim quando in hæreticos invehit quanto ardore loquatur, observa. *Cum hæc ita sint, humanitas te versuta cognosce vel sero, et intemperanti linguæ silentii frænos impone. Dementiæ genus est invisibilis incomprehensibilisque velle opinari secretum* (*Adn.* 14 *in eumd. Serm. d. Tr.* 7, *n.* 2).

Tertia Judæa est vere cæca (ita S. Zeno) *quæ cum in lege* (*ut dicere solet*) *sua legat ubique, duas Patris et Filii designari Personas, tamen nunc usque contendit Deum Filium non habere* Hoc in Sabellianos fuisse dicta pro certo habendum est, quorum hæresis tunc grassabatur. Eam hæresim Judaismum appellavit et S. Basilius. *Judaismus est. Sabellianismus in Evangelicam prædicationem invectus. Qui enim rem unam pluribus nominibus appellatam esse dicit, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, et unam trium hypothesim exponit, quid aliud facit? Nonne sempiternam Unigeniti, quæ sæcula antecessit, existentiam negat? Negat item adventum illius ad homines quadam dispensatione factum, descensum ad inferos, resurrectionem, judicium. Negat porro peculiares Spiritus operationes.* Novatianus quoque hunc errorem in hæreticos notat. *Hæc enim contumelia hæreticorum ad ipsum quoque Patrem redundabit, si Deus Pater Filium Deum generare non potuit.* Non autem in Sabellianos ipsi posteriores, sed in Praxeanos dicit. Meæ huic sententiæ favent et ipsi Domini Ballerinii, qui hoc in sermone præclare agi contra Patripassianos et Sabellianos adnotant. *Præclara hæc adversus Patripassianos, seu* (*ut a Latinis postea dicti sunt*) *Sabellianos confessio, qui unam Patris Personam duplici tantum voce distinctam comminiscebantur. Catholici autem Patrem et Filium, duplicem Personam, duplici distinctam nomine confitentur.*

Digitized by Google

Iis igitur diligenter expensis, nullum erui posse argumentum constat ad S. Zenonem post Arium quarto sæculo reponendum. Cum ea quæ in ejus sermonibus contra Arium vel Arianos dicta videbantur, propria sede circa Gallieni tempora locari debeant, eo quod errores, quos S. Præsul vel innuit, vel confutat tempore illo maxime viguerint. Hoc non concedunt Domini Ballerinii : Quin eosdem errores S. Zenonem latuisse, si tertio sæculo ejus ætas constituatur, affirmant. Hunc rationis hujusmodi nodum solvamus igitur.

§ XVI. *Hæresum, quas S. Zeno commemorat, notitia circa Gallieni tempora communis.*

Allata Origenis sententia, cujus jam supra mentionem fecimus : *Intelligas enim qui dicere audet, fuit aliquando cum non esset Filius*, concedunt Domini Ballerinii in adnotationibus ad septimum tractatum S. Zenonis lib. II, *alios quosdam hunc errorem id temporis docuisse.* At in dissertationis primæ capite primo § 2, unum aut alterum tantummodo fuisse opinari videntur hujus erroris assertorem. *Fuisse id quoque temporis alium aliquem, qui id doceret, quod Ariani subinde docuere.* S. quoque Dionysium Alexandrinum adducunt. In Ægypto quidem extitit S. Dionysius Alexandrinus, Origenis discipulus, qui non ut Arianis præcineret, sed ut Sabellianæ hæresi *in Lybia finitimisque nationibus grassanti sese opponeret, eam locutionem incaute usurpavit.* Tum narrata ipsius Dionysii ad summum pontificem Dionysium delatione, hujus reprehensione ac Alexandrini Dionysii defensione, prosequuntur. *Hac ergo ex historia exploratum fit, tertio quidem sæculo eam formulam a nonnullis in sola quoque Ægypto adhibitam* (*unde paucis in monumentis Alexandrinam Ecclesiam spectantibus legitur*), *et ea adhibitam mente, ut Sabellianam hæresim Catholico sensu refellerent, non ut novam inducerent atque defenderent. Ex quo Dionysius Alexandrinus commonitus eam formulam displicere, in Apologia Catholicum dogma ita diserte confirmavit, ut qui ex Antiquis Arii errorem Dionysio vehementius luculentiusque rejecerit inventus sit nemo. Quis itaque contra hunc vel aliquem alium ejusdem generis, et loci hominem, tamquam Arii errores propugnantem istis in Occidentis regionibus unum nostrum Scriptorem pro concione pluries, et acriter disseruisse, et non potius intelligat ab hoc palum impugnari Arianos sæculo quarto ubique, ac præsertim in hisce Italiæ finibus duce Auxentio debacchantes; Cum præsertim non eam solam, quæ in S. Dionysio Alexandrino reprehensa fuit, sed alias plures locutiones ex proposito, et sæpius impugnet ante Arium nemini umquam auditas.*

Beryllı itaque hæresim, et Dionysii Alexandrini verborum lapsum tamquam rem domesticos inter parietes actam, occultamque volunt Ballerinii : at hoc non patitur eorum temporum historia. Quid Eusebius de Beryllo testetur audiamus (*Hist. l.* v, *c.* 23). *Tunc temporis Beryllus de quo superius dictum est Bostrorum in Arabia Episcopus Ecclesiasticam pervertens regulam, nova quædam, et aliena a Fide Catholica inducere conatus est; ausus temere asserere Dominum ac Servatorem nostrum, antequam inter homines versaretur, non substitisse in propriæ Personæ differentia : nec propriam, sed Paternam dumtaxat Divinitatem in se residentem habere. Cumque ea de re plurimi Episcopi quæstiones, ac disputationes adversum illum habuissent, rogatus una cum reliquis Origenes, primum quidem cum illo familiariter collocutus est, ut quænam esset hominis sententia exploraret. Postquam vero liquido cognovit quid diceret, errorem ejus comperit, allatisque rationibus ac demonstrationibus convictum hominem, quasi manu apprehendens ad veritatis viam perduxit, et ad pristinam sanamque sententiam revocavit. Extant hodieque, tum Beryllı, tum Synodi ipsius causa congregatæ edita monumenta, in quibus, et disputationes in Ecclesia ejus habitæ, et singula, quæ tunc gesta sunt, continentur.* Vides hic plurimos Episcopos de errore Beryllı quæstiones habuisse ; synodum habitam ; disputationes, atque monumenta vulgata, quæ si post centum circiter annos vidit Eusebius, potuit et Gallieni tempore S. Zeno videre. Vidisse autem et S. Antistitem et alios Episcopos, Sacerdotes, atque aliquos Fideles sinceritatis Fidei studiosos, et innotuisse in Ecclesia, ex eo constat, quod S. noster Doctor pro concione contra eumdem disseruerit errorem.

De Dionysii Alexandrini quæstionibus quomodo se res habuerit narrat S. Athanasius (*De sent. Dionys.*) : *Quum igitur Dionysius Episcopus certior factus de Pentapolitanis, zelo religionis epistolam hanc, quemadmodum dixi contra hæresim Sabellii ad Ammonium et Euphranorem scripsisset. Quidam ex Ecclesia recte quidem sentientes, sed tamen ignari ejus causæ, cur ita ab eo scriptum esset, Romam ascenderunt, ibique eum apud Dionysium ejusdem nominis Romanum præsulem accusaverunt. Re comperta Alexandrinus simul, et contra Sabellii sectatores, et Arii dogmata, propter quæ ab Ecclesia ejectus fuit, volumen composuit, ubi æquales, sed tamen contrarias hæreses esse docet in Sabellii dogmatis, et blasphemias eorum, qui dicunt Dei Verbum opus, aut creaturam esse ; postulavitque a Romano Præsule, ut acta sibi indicaret, quibus acceptis, opus edidit sub nomine elenchi et apologiæ, ubi sceleratum officium Christi rebellium redaryuit, et quo pacto hanc infamiam contra ipsum excitarint, demonstrat.* Pentapolitanis Sabellii hæresi infectis, ut eos ad Fidem revocaret S. Dionysius Alexandrinus ad Ammonium et Euphranorem dedit epistolam, ex qua dissensio orta est, ut idem Athanasius testatur. *Unde suspicio nata est.* Cum in eadem epistola quædam legerentur sinceritati Fidei non conformia, quidam ex Ecclesia *Romam ascenderunt, ibique eum apud Dionysium ejusdem nominis Romanum Præsulem accusaverunt.* Non itaque in scriniis occultæ litteræ ad Ammonium et Euphranorem latuerunt, sed Ecclesiæ innotuerunt Alexandrinæ. Quidam etenim *ex ea Ecclesia*, ex ejus scilicet Ecclesiæ Clero, et ut par

Digitized by Google

est credere, ab eodem Clero deputati (agebatur enim de proprio Episcopo coram Summo pontifice accusando) *Romam ascenderunt, ibique eum... accusaverunt.* Publica accusatio ab Ecclesia Alexandrina contra suum Episcopum Romam apud Summum Pontificem delata, potuitne toti Italiæ occultari? Nonne et omnibus Orbis Ecclesiis tantæ rei notitiam cum de Christi Divinitate ageretur, fuisse vulgatam dicendum est? Maxima siquidem fuit in Dionysium contentio, maximæ excitatæ turbæ, ut opportune Thomasinus observat. *Serio hic perpendendum est, quanta in Dionysium concitata sit tempestas, ex eo quod una vel altera epistola visus esset aliquantulum decedere de constantissima et antiquissima Ecclesiarum omnium doctrina in Filii Divinitate profitenda. Nisi enim constantissima fuisset ea, et vetustissima Ecclesiarum Fides, non ad eam adductus fuisset Dionysius sui purgandi necessitatem, non apud Dionysium Romanæ Ecclesiæ Antistitem in crimen vocatus esset, non ei se per epistolas purgare compulsus fuisset.* Ita Thomasinus, cui adstipulatur ipsemet Dionysius Alexandrinus in Apologia ad Romanum Pontificem Dionysium. *Cæterum hæc et istiusmodi a me scripta, quasi cæcutientes dissimulant se videre, sententiolisque inconditis veluti saxis eminus me lapidare conantur.* Quid mirum igitur si Veronensis Præsul S. Zeno errorem, quo Dionysius insimulabatur pro concione reprehenderit, ipsa reprehendendi ratione suffragante, ut notavimus. Illud accedit etiam ad quæstionis hujus manifestissimam et publicam notitiam demonstrandam, quod non modo pluribus scriptis epistolis Dionysius ab eo crimine se defendit. *Quod si temporis, et personæ ratio eum ad talia scribenda traxit, alias quoque postmodum epistolas scripsit, quibus se de suspicione purgavit;* sed duo edidit volumina. Primum contra Sabellii hæresim, simul et contra eos, qui in eum ingerebant, male de Christi Divinitate sensisse. *Re comperta Alexandrinus simul, et contra Sabellii sectatores, et Arii dogmata... volumen composuit* (Arii dogmata dixit Athanasius quamvis tot ante Arium annos scripserit Dionysius); secundum Romano Pontifici scripsit, ut sese defenderet: *Postulavitque a Romano Præsule, ut acta sibi indicaret, quibus acceptis, opus edidit sub nomine elenchi et apologiæ.* Ipse quoque Romanus Pontifex Dionysius eodem Athanasio auctore, cujus verba retuli, commentarios in lucem dedit, quibus *voluminibus contra eos qui Filium opus aut creaturam asseruerant scriptis clare ostenditur, hæresim Christo rebellium Arianorum, non tunc jam primum, sed olim ab omnibus damnatam fuisse. Ab omnibus,* inquit: omnibus itaque notam hæresim damnatam dicit; neque enim damnari potuit ab omnibus, quin etiam omnibus esset nota. Alexandrino quippe Dionysio interat sua scripta non in Alexandrina tantum Ecclesia, sed et Romæ, et in Italia, atque universa in Ecclesia sui ad defensionem vulgare, ut infamiam sibi irrogatam depelleret. Romani quoque Dionysii erat in universa Ecclesia damnatum errorem ostendere.

A Concedendum itaque Dominis Ballerinis S. Dionysium Alexandrinum hanc formulam: *Cum sit res facta, non erat antequam fieret,* ea mente adhibuisse, *ut Sabellianam hæresim Catholico sensu refelleret.* Ex eo tamen nullatenus inferendum est, minus notum fuisse hunc errorem, et ob id minime redarguendum, etiamsi tantum Dionysio Alexandrino excidisset; quin ea potissimum ratione publice reprehendendus erat, ne Alexandrini Dionysii auctoritas, et sanctitas errori spargendo obstetricante veluti manu maximum pondus et occasionem præberet. Qua de re mitius cum illo agens, ita monet: *Videamus nunc, optime Christiane, quemadmodum inter Patrem Filiumque tempus insulcias: Si enim tempori non sibi debent, quod est alter alteri obnoxius, procul dubio ut* B *tu vis, major est natura, quam Deus. At cum naturam ex nihilo fecerit Christus, sit autem ex natura tempus; ineptum satis est opus suo præponere Artifici: ac per hoc solum interest quod soli se sciunt* (*S. Zeno serm.* VII, *l.* II). Libuit S. Zenonis verba repetere: ipsa etenim per sese Alexandrinum Dionysium compellari demonstrant rhetorico more licet absentem. Charitatem spirant, summam Viri opinionem exprimunt, brevi, at energica vi errorem evincunt Dionysiano tempori accommodatissima.

At non in uno Alexandrino Dionysio, neque a nonnullis tertio sæculo in sola Ægypto, et paucis tantum in monumentis Alexandrinam Ecclesiam spectantibus, hanc formulam legi concedendum est, ut putant Domini Ballerinii (*d. Dissert.* I, *c.* I, § 2): C Quin per totam Ecclesiam hanc hæresim diffamatam circa tempora Dionysii Alexandrini, imo circa initium tertii sæculi pro certo habendum: Quod ut planum fiat, quæ supra de ætate hujus hæresis sunt adducta, ad mentem sunt revocanda: Scilicet Ebionis errorem non in Asia solum ante secundi sæculi initium, sed et Romæ fuisse vulgatum, ac magis magisque diffamatum Theodotione atque Artema a Summo Pontifice Victore damnatis circa annum Chr. 196. Errore profligato serpuisse adhuc deprehenditur in Ecclesia non modo Orientali, sed et in Occidentali, aliquo tamen cum moderamine, ut assolent hæretici ad Ecclesiæ censuram eludendam. Artemon quippe Christum Dominum dicebat esse hominem tantum ex Virgine natum, Prophetis præ- D stantiorem. Damnata hæresi, non ita aperte ante Mariam Christum non fuisse: sed fuisse tempus quando non fuit, Divinitatemque propriam in eo non fuisse, sed Patris, heterodoxi affirmabant, quorum opinionem Tertullianum adoptasse comperimus in jam relatis verbis ineunte sæculo. *Et Pater Deus est, et Judex Deus est, non tamen ideo Pater et Judex semper, quia Deus semper. Nam nec Pater potuit esse ante Filium, nec Judex ante delictum. Fuit autem tempus cum et delictum, et Filius non fuit, quod Judicem, et qui Patrem Dominum faceret.* Tertulliano e vivis sublato, Beryllus Bostrensis doctrinæ laude ab Eusebio commendatus, eumdem errorem asseruit circa C. an. 230, quem serpere adhuc circa

Digitized by Google

medium tertii ejusdem sæculi, et in Italia, et Romæ evidenter dignoscitur ex eo, quod Novatianus Romanus presbyter contra eumdem errorem agat adhuc Catholicus sub S. Fabiano Papa. *Hic ergo cum sit genitus a Patre, semper est in Patre. Semper autem sic dico, ut non innatum, sed natum probem... sed quia ante omne tempus est, semper in Patre fuisse dicendus est. Nec enim tempus illi assignari potest, qui ante tempus est. Semper enim in Patre, ne Pater non semper sit Pater.*

Contra eumdem errorem et Origenes disseruit, licet in sincera Mysterii SS. Trinitatis doctrina non sibi constans : *Quod cum sit ille similitudo Patris, fieri non posse quod fuerit, quando non fuerit.* Non itaque Berylli hæresis momentanea dicenda est, neque toti Occidenti prorsus ignota, atque uni forsitan Zenoni comperta, cum et Tertulliano, et Novatiano, ac Dionysio Romano pontifici, Latinis Patribus : Origeni, Theognosto, Dionysio Alexandrino, Græcis, ipsique Paulo Samosateno hæretico, totoque tertio sæculo perstrepuisse universæ Ecclesiæ cognitam ac publice manifestam ex adductis probetur.

Ad hujus paragraphi complementum Dionysii Alexandrini textus ex Athanasio afferamus (*De Dec. Nicenæ Synodi*). *Nunquam fuit Deum non esse Patrem : semper Christum fuisse Verbum, et Sapientiam, et Virtutem. Neque enim cum hæc antea non genuisset Deus, postea genuit, sed neque a se ipso Filius est, sed a Patre habet esse. Jam quia splendor est Æternæ Lucis, omnibus modis ipse quoque Æternus est : Luce enim semper existente, certum est, et splendorem semper existere; eo enim ipso lucem esse, quo splendeat, intelligitur; non enim fieri potest, ut lux non luceat... Sancti Spiritus mentionem feci, sed ita ut pariter adjungerem undenam ille, et per quem venerit : Sed ipsi ignorant Patrem a Filio alienari non posse, et sub Patris vocabulo primarium conjunctionis auctorem contineri, et Filium a Patre quasi domicilio disgregatum non esse, eo quod Patris vocabulum hanc communionem indicet, et in Patris Filiique manibus esse Spiritum Sanctum, sed ita ut neque a mittente, neque a ferente segregetur. Qui fieri igitur posset, ut cum istis nominibus utar, suspectus habear quasi ista separari dividique existimaverim. Hoc igitur pacto unitatem, quæ indivisibilis est, in Trinitatem dilatamus; et Trinitatem, quæ diminui non potest, in Unitatem consummamus.... Et tamen scilicet accusamur, quasi qui dicamus, Filium unum esse ex numero rerum factarum et nequaquam Patri suo consubstantialem.* Alia congerit S. Dionysius : Sed hæc sufficiant ad ea, quæ proposuimus, confirmanda. Nam quanti hæc facienda sint, intelligat Lector ipse per sese.

§ XVII. *An S. Zeno alias Arianis tributas formulas impugnarit?*

Tres a S. Zenone impetitas hæreses, multo ante Arii ortum disseminatas fuisse, demonstravimus, quas et sæculo tertio convellere potuit S. Doctor. Insistunt tamen Domini Ballerinii, aientes : *Non eam solam, quæ in S. Dionysio Alexandrino reprehensa fuit, sed alias plures locutiones ex proposito, et sæpius impugnat ante Arium nemini unquam auditas.* Pergunt inauditis ante Arium locutiones auctoritate Socratis, Sozomeni, Ruffini, atque Hilarii probare. Quas hactenus consideravimus formulas auditas ante Arium, ex iis quæ protulimus satis superque constat : pariter non unum Zenonem contra ipsas disseruisse, neque Occidenti fuisse ignotas. Alias, quas afferunt, formulas consideremus, ut in aperto sit, an contra ipsas ante Arium inauditas conciones suas habuerit S. Zeno, easque ex proposito et sæpius impugnaverit.

Ariani æqualitatem (ita Domini Ballerinii) *Filii cum Patre inficiabantur, inferioremque Patre Filium prædicabant. Auctor* « æqualem » *Patri Filium* « in omnibus » Tract. III et Tract. IV lib. II, « æqualitatemque amborum unam » *urget Tract.* VI. *num.* 4, *et formulis quidem adeo expressis, ac repetitis sæpius aliis vocibus statuit, ut non casu aliquo, sed ex consilio contra errorem jam dominantem hæc se profiteri subindicet : unde Tract.* I *lib.* II, « Deum Dei Filium » Æqualem Patri a Catholicis prædicari, *distincte affirmat : quæ prædicatio nonnisi in quartum sæculum contra Arii hæresim cadit. Hanc porro æqualitatem non adseruit auctor, sed pluribus statuere et confirmare etiam integris quandoque tractatibus voluit, objectiones rejiciens, quas Ariani solum commoverant. Vide Tract.* I *et* VI, *lib.* II. Æqualitatem Filii cum Patre tutati sunt ante S. Zenonem omnes Patres, qui de Christi Divinitate scripserunt; eam quippe impetebant antiquiores omnes hæreses, quæ Christum hominem, non Deum esse inficiabantur : Quapropter tanto ante Gallieni tempora S. Hippolytus Martyr æqualitatem Christi cum Patre asseruit, cujus verba retulimus, quibus apertissime dicit, quod Verbum *idem est cum Patre.* Clemens etiam Alexandrinus supra laudatus : *Verbum Divinum, qui revera est Deus manifestissimus, qui est universorum Domino coæquatus.* Tuendæ tamen æqualitatis Filii cum Patre urgentior Divo Zenoni necessitas fuit ea ætate, qua forte Veronensi ecclesiæ præerat : eo quod Origenes contra ipsam æqualitatem disseruerit in libro contra Celsum. *Proximum* (ita Origenes) *mundi molitorem esse Filium Dei Verbum, qui velut suapte manu mundum fabricaverit. Patrem vero Verbi eo ipso quod Filio suo atque Verbo jusserit mundum facere, esse primarium opificem.* Hunc præcipue errorem confutavit S. Zeno in Sermone primo a Dominis Balleriniis indicato. *At ille cui jubetur, est, inquis, inferior. Quid? Quod inde non esse probatur inferior : quia unde processit Paterni cordis est exsecutor; non enim minus est facere magna, quam dicere. Quamvis et quod dictum est a Patre vel dici potest, quia Verbum est Filius, sine Filio non est, et quod factum est a Filio, vel fieri potest, sine dignatione Paterna non est, quia Filius sine Patre non est.* In sermone quoque quinto. *Cum imperat Pater Orbem fieri opus cum dicto com-*

Digitized by Google

pletur a Filio. Quomodo autem, quantus, aut qualis fieri debeat, nemo præcipit, interrogat nemo; neque enim sine Patris esse possit injuria, si hac necessitate opus esset illi, qui in sinu Patris commanens voluntatis ejus perfectionem non didicerat, sed habebat. Tanta majestate sermonis, tanta vi rationum in heterodoxos invehit S. Præsul.

Apertius tamen contra æqualitatem Filii cum Patre Origenem fuisse locutum asserit S. Hieronymus, qui ipsum scripsisse testatur: *Deum Patrem esse lumen incomprehensibile: Christum collatione Patris splendorem esse perparvum, qui apud nos præ imbecillitate nostra magnus esse videatur. Duarum statuarum majoris, et parvulæ unius, quæ mundum impleat, et magnitudine sua quodam modo invisibilis sit; et alterius sub oculos cadat, ponit exemplum, priori Patrem, posteriori Filium comparat.* Eademque in Epistola S. Hieronymus eumdem Origenis errorem refert quoad Spiritus Sancti Personam. *Tertium dignitate, et honore post Patrem, et Filium esse Spiritum Sanctum... rursum majorem Filii Fortitudinem esse, quam Spiritus Sancti; et consequenter ipsius Sancti Spiritus majorem esse Virtutem cæteris quæ Sancta dicuntur.* Non defuit itaque S. Zenoni, et Gallieni tempore parata occasio de æqualitate non Filii modo cum Patre, sed et Spiritus Sancti cum Patre et Filio, naviter suis in concionibus agendi, quare primum Sermonem seu Tractatum ita concludit: *Constat ergo æqualem esse, quod invicem vivit cum Spiritu Sancto.*

Concilium quoque Antiochenum primum eumdem in Paulo Samosateno reprehendit errorem. Scilicet Filium in procreando mundo *Paternam implesse voluntatem, eique ut id faceret præcepisse Patrem.* Inæqualitatem vero excludunt ejusdem concilii Patres. *Operatur utpote Verbum simul et Deus, per quem omnia fecit Pater, non tamquam per instrumentum, neque tamquam per Scientiam, non per se existentem.* In eadem sententia loquitur et Alexandrinus Dionysius contra Samosatenum verba illa explicans Hieremiæ: *Ego sicut agnus innocens, qui ducitur ad Sacrificium,* ita in Persona Christi loquitur: *Ego, inquam, qui semper Persona Christus æqualis Patri nulla dissimilitudine substantiæ coæternus Domino Spiritui,* etc. Compertum itaque est, errorem hunc de inæqualitate Filii ad Patrem tertio sæculo, et Gallieno imperante viguisse, ita ut in illum agere ejusdem urgeret necessitas temporis. Non enim Ariani soli contra æqualitatem Filii cum Patre sunt oblocuti. At forte quis Origenis scripta ab Arianis falsata causari volet: Num forte eum latet Origenis æstuosum ingenium, quasi mare non semper tranquilla veritate pacatum, sed fluctibus variarum opinionum æstuans frequenter ad falsitatis scopulos allisisse? Hanc siquidem scriptorum ipsius corruptionem inane commentum esse, evidenti ratione ostendit Hieronymus. *Solus inventus est Origenes, cujus scripta in toto orbe pariter falsarentur: et quasi ad Mithridatis litteras omnis veritas uno die de voluminibus illius raderetur. Si unus violatus est liber, non universa ejus opera, quæ diversis et locis et temporibus edidit simul corrumpi potuerunt?*

Aliam formulam Arianorum propriam in D. Zenonis sermonibus deprehendere sibi videntur Domini Ballerinii: *Cum Auctor « unam substantiam » acriter inculcet, quam cæteri ejusdem ævi Patres adversus Arianos ex proposito dimicantes inculcarunt; consubstantialis licet vocem nequaquam adhibeat, satis se nihilominus adversus eam hæresim decertantem prodit.* Hoc ab argumento immunem S. Veronensem Præsulem fore arbitrabar, eadem ratione, quam ipsi suggerunt Domini Ballerinii. *Consubstantialis licet vocem nequaquam adhibeat.* At mea quidem sententia etiamsi *Consubstantialis vocem* sæpius adhibuisset S. Zeno, a tertio sæculo non esse removendum pro certo habeo. Huc ea ratione adducor, ut credam, quod *Consubstantialis* vox multo etiam ante concilium Nicænum apud Patres, et Ecclesiæ doctores in usu fuerit. Testatur hoc ipse Cæsariensis Eusebius verbi hujus *consubstantialis* inimicus, ab Athanasio allegatus (*In Ep. ad Episc. in Africa*). *Sed ipsi interim mire incusant, quod per voces non in scriptura solemnes, sed tamen pie inventas, condemnati sunt, cum ipsi tamquam exterioribus exorti de terra loquuntur: episcopi vero contra non has voces ipsi excogitarunt, sed eas a Patribus contestatas acceperunt, et scriptis suis inseruerunt. Siquidem prisci episcopi ab his annis prope centum et triginta, tum qui Romæ, tum qui in nostra Civitate pontificatum gessere accusaverunt eos, qui Filium creaturam dicerent, aut qui negarent eum consubstantialem Patri. Neque ejus ignarus erat Eusebius episcopus Cæsariensis, qui cum prius suffragaretur Arianicæ Sectæ, postea tamen Nicæni concilii Decretis subscripsit, et apud suos id ipsum propriis litteris affirmavit, cujus hæc verba sunt:* « Novimus quosdam ex priscis eruditos, et præclaros Antistites aliosque scriptores, cum de Patris, et Filii Deitate loquerentur, voce consubstantialitatis usos esse. » Hac voce tanquam a Patribus accepta usus est S. Dionysius Alexandrinus Gallieno coævus contra Samosatenum: *Desertum dicis eum qui erat natura Dominus, et Verbum Patris, per quem omnia pariter fecit, et per quem Sancti Patres homousion Patri vocaverunt.* Dionysio autem hujus vocis antiquiorem usum fuisse probat doctissimus Christianus Lupus pluribus allegatis S. Irenæi, ac Tertulliani textibus, ex quibus infert: *Quapropter hæ voces (consubstantialis, consubstantiva Virtus, ejusdem substantiæ) neque a Romano, aut Alexandrino Dionysio adversum Paulum Samosatensem, neque a Tertulliano, neque item a S. Irenæo sunt, sed sunt ab ipsis Apostolis. Etenim non dumtaxat uterque Dionysius, ac item Tertullianus, sed et ipse S. Polycarpi discipulus S. Irenæus eis utitur tamquam communibus in Ecclesia, ideoque Apostolicis. Eas Tertullianus a Latina, Irenæus accepit a Græca Ecclesia. Hinc illæ apud utramque sunt antiquissimæ* (*In Dissert. post hu. de voc. subst. Essent. Pers. c. 4, quæst. 2, edit. nov. Ven.* 1724). Optime quidem. Sapientissimus

Digitized by Google

quippe Vir institutum noverat in Ecclesia tradendi Catechumenis Apostolorum Symbolum. Num forte nudas litteras tradebant? Nonne et mysteria in eo contenta explicabant? Hinc ubique semper Filii Divinitas, et cum Patre consubstantialitas propagata, et ita alte Fidelium cordibus infixa, ut tanta fortitudine, atque constantia, exiliis, cruciatibus, sanguine et ipsa morte, contra hæreticos hanc Fidei confessionem tutandam duxerint Orthodoxi. Hanc Verbi Divinitatis Fidem ex eo in Ecclesia vulgatam, communem, et publicam agnoscunt Petavius, Lupus, Thomasinus, quod contentiones tantæ in Alexandrinum Dionysium fuerint excitatæ. Audi Lupum : *Ista vox tunc formosa, ac gloriosa* (nempe consubstantialis) *est non dumtaxat apud Romanam, adeoque et omnem Latinam Ecclesiam, sed etiam per Pentapolim, ac omnem Ægypti diœcesim. Hæc vocis gloria fuit accusandi et corripiendi Patriarchæ fundamentum. Quarto discimus, quod etiam Dionysius Patriarcha agnoverit istam vocis abnegationem esse crimen : hinc ipsam abnegavit, rescripsit aliud a se non dictum de ista voce, quam quod non esset expressa in Sacris litteris. Haud dubie hoc dictum fecit illum suspectum, et accusationi dedit originem, et ad se purgandum professus est non solummodo significatam rem, sed et ipsam vocem sibi omnino probari.* Hæc Gallieni tempora respiciunt. Qua de re igitur S. Zeno, etsi non bis, aut ter, sed centum unius substantiæ voce usus esset, et voce « consubstantialis » qua de re censendum est in Arianos habuisse conciones, cum et tertio sæculo perstrepentibus Dionysii Alexandrini accusationibus, atque Pauli Samosateni hæresi debacchante, ipsius vocis inculcandæ tantam habuerit occasionem? Semel tantum hujus vocis *homousion*, seu *consubstantialis* mentionem fecisse S. Zeno (ipse namque, et antiquiores Patres, unius tantum substantiæ Vocabulum adhibuit) aliqua licet insubsistenti ratione procederet argumentum. Cum vero nihil tale in eo deprehendi vel per umbram possit, cur a sua ætate a tertio nempe sæculo detrudendus sit, utique non video.

Idem dicendum est de absurdo quod in Catholicos impingebant Ariani. *Hanc unam substantiam, ut Ariani de medio tollerent, objiciebant hac ratione de Patris substantia aliquid fuisse demptum, ut Filius gignere-tur, sicque imminutum, et imperfectum Patrem a Catholicis admittendum dictitabant.* Fides etenim unius Dei in tribus distinctis personis, quod perinde est ac unam divinam substantiam in tribus a se invicem distinctis personis profiteri, semper in Ecclesia floruit, hæreticorumque solemne fuit contra Catholicos hanc calumniam obtrudere, quod dividentes personas substantiam divinam dividerent, atque imminuerent, ac plures deos admitterent : quod animadverterunt et Patres concilii primi Antiocheni contra Samosatenum : *Qui autem contradicit Filium Dei non esse ante constitutionem mundi, dicitque credere, et confiteri esse Deum, non esse aliud, quam duos deos prædicare. Qui Filium Dei non esse Deum prædicat, hunc alienum esse ab ecclesiastica regula arbitramur.* Antiquissimus etiam S. Justinus martyr si non apertius, ac S. Zeno contra hanc calumniam, ex æquo tamen disseruit. Audias illum iterum : *Virtutem illam esse Dei* (de Verbo Deo loquitur) *ac Deum a Propheta nuncupari, non ita ut solis lux solo vocabulo numeratur, sed numero alterum quiddam esse ; non tamen recisione, tamquam Patris substantia secetur, uti cætera divisa, atque secta non sunt eadem, atque erant ante sectionem* (*In Dial. cum Tryph.*). Vide quæ dixi § 13 et 14.

§ XVIII. *De formulis Arianorum propriis nusquam meminit S. Zeno.*

De Arianorum formulis huc usque consideratis nullum superesse dubium, S. Zenonem suis in sermonibus minime contra Arianos egisse, demonstratum esse, confidimus. Modo vero, et illud tamquam certum ponimus, ipsum S. Præsulem ne unam quidem propriam Arianorum formulam leviter attigisse. Quod ut constet in mentem illud revocandum est, quod superius ostendimus, Arium nempe, ejusque sectatores, post Arii ab Ecclesia expulsionem, errores suos quadam ex parte immutatos, alia circumvestitos exhibuisse. Illum præcipue correxit errorem a Beryllo, seu a Samosateno acceptum, quem primo S. Alexander patriarcha Ario objecit. Asserunt *tempus aliquando fuisse cum non esset Filius Dei.* Arius in Epistola ad Eusebium Nicomediensem, Filium ante tempora genitum fatetur *ante tempora, et ante sæcula plenum Deum exstitisse.* Sanctus Zeno primum Arii errorem confutavit illis verbis : *Videamus nunc, optime christiane, quemadmodum inter Patrem Filiumque tempus infulcias : si enim tempori non sibi debent, quod est alter alteri obnoxius, procul dubio, ut tu vis, major est natura, quam Deus. At cum naturam ex nihilo fecerit Christus, sit autem ex natura tempus, ineptum satis est opus suo præponere Artifici.* Optime contra primum errorem argumentum procedit ea ratione, quia ex tempore interposito inter Patrem et Filium inferretur, naturam majorem esse Deo. *Procul dubio, ut tu vis, major est natura, quam Deus.* Nam Christus naturam fecit ex nihilo : *Cum naturam ex nihilo fecerit Christus.* Tempus vero quid naturale est. *Sit autem ex natura tempus.* Si ergo tempus ante Christum Deum creatum est. *Opus suo præponitur Artifici.* At contra Arii errorem emendatum, scilicet quod Christus fuerit *ante tempora, et ante sæcula plenum Deum.* Nihil valet argumentatio, eo quod sui in erroris emendatione Arius tempus Creatori postponit, neque deduci potest : *Ineptum satis est opus suo præponere artifici.* Contra primum itaque errorem, quem Arius ab anterioribus hæreticis mutuum acceperat, urget Zenonis ratio, ideoque vel contra Samosatenum coævum, vel contra Dionysii Alexandrini imprudentem verborum lapsum S. Zeno argumentum fecisse dicendus est, non contra Arium, quem a pristino errore resilientem, novumque docentem S. Doctoris non revincit instantia. Illud vero maxime notandum est, S. Zenonem tamquam certum proponere Chris-

Google

tum ex nihilo fecisse rerum naturam. *At cum naturam ex nihilo fecerit Christus.* Arius vero Christum ex nihilo esse dicebat. *Tum quod dicimus eum* (Christum) *ex nihilo constare.* Ita Arius. Hunc errorem S. Zeno neque uno verbulo arguit. Illi ergo compertus non erat, si cum præcise convellendus esset, proprium ad confirmandum argumentum præterit. Ante ipsum ergo errorem scripsit.

De reliquis propriis Arianorum formulis quas recensuimus, apud S. Zenonem altum silentium. Formulæ Arianorum hæ sunt: *Non semper Deus erat Pater, non semper Filius. . . Cum omnia sint condita, ipse quoque* (Filius) *conditum quiddam, et opus haberi debet. . . Eum* (Filium nempe) *non natura in Patre existere, nec esse proprium ejus substantiæ Verbum, nec propriam Sapientiam, in qua mundum illum creavit, sed in Patre esse aliud proprium, et peculiare Verbum, aliamque item propriam sapientiam, in qua sapientia ipsum Verbum fecit: Atque adeo ipsum Dominum Christum respectu rationalium, quæ verbis utuntur, Verbum esse nuncupatum. . . . Deum non nos propter illum* (Filium) *sed illum propter nos condidisse. . . Cum vellet nos procreare, tunc quoque istum procreavit, quem postquam genitus est, appellavit Verbum: Sed et ipsum gratia exstitit. . . Christum non esse naturalem, et veram Dei potentiam, sed sicut erucæ, et bruchi appellantur potentiæ Omnipotentis Dei, ita ipsum quoque appellari Omnipotentiam Patris. . . Filium non exacte cognoscere Patrem, nec suam quidem ipsius substantiam cognitam habere.* Hæ sunt quas Socrates *lib.* I, *cap.* 6, *novellas, et inauditas Arii adsertiones vocavit:* Et Sozomenus *lib.* I, *cap.* 15, *quod a nemine umquam dictum fuerat ipse* (Arius) *in Ecclesia ausus fuerit prædicare; ante quos utrosque Ruffinus lib.* X *hist. cap.* 1: *Prava quædam de fide Christi proferre, et quæ antea in quæstionem numquam venerant, cœpit* (Arius) *unde et Hilarius Arianam novam hæresim vocat lib.* VII *de Trinitate n.* 3, *hæresim novellam n.* 6, *et novellam luem post quadringentos fere annos nuper inventam lib.* I, *ad Constantium num.* 5, *quam scilicet ante Arium docuit, et propugnavit nemo.* Contra hæc D. Zeno nec mutit quidem. Alias formulas, seu errores alios, quos Arius a Samosateno, Artema ac Ebione hausit, eumdem auctorem nostrum impetisse vidimus, et ea quæ Dionysio Alexandrino exciderunt, eo quod incaute protulerit. *Cum sit res facta, non erat antequam fieret:* Hæc vulgata atque damnata ab Ecclesia, ut demonstratum est supra, cum Arii tempus minime connotent, sed Gallieni; nulla ratione ab hujus imperatoris ævo removendus est S. Zeno: Quin imo cum de Arii propriis erroribus nullam fecerit mentionem, multo ante vixisse dicendus est.

Ex eo quidem S. Zenonem tertio sæculo scripsisse constat, quod circa præcipuum illum Arii errorem. *Cum vellet nos procreare* (Pater), *tunc quoque istum* (Filium) *procreavit.* Quamdam cum hoc errore affinitatem verborum saltem in quibusdam S. Zenonis sermonibus reperiri putat Petavius, de quo inferius agemus. Si namque post Arium sermones suos habuisset A sanctus Zeno, cautius profecto sententiam expressisset suam, neque in Arianismi suspicionem potuisset adduci: Sicuti aliis etiam Antenicænis Patribus contigisse comperimus.

Arii etiam impia dogmata præ oculis non habuisse nostrum Zenonem evidenter concluditur, quia in prima hæresi, quam Tractatu septimo lib. secundi commemorat nempe: *Una denique asserit J. C. ab utero Virginis Mariæ sumpsisse principium: Deumque exinde ob justitiam factum esse non natum.* Qui Pauli Samosateni error est: Contrarium Ario errorem indicat. Arius nempe Episcopum gratia factum esse Deum prædicat. *Cum vellet nos procreare, tunc quoque istum procreavit, quem postquam genitus appellavit Verbum: sed et ipsum gratia extitit.* Arius (inquam) B gratia Deum extitisse dicit. Error contra quem invehit S. Zeno, non gratia, sed merito, *ob justitiam* Deum factum asserit.

Quantum profecto longe ab impietate Arii, Arianorumque insectanda abfuerit S. Veronensis Antistes, hac manifesta observatione evidenter ostenditur: Numquam in Tractatibus S. Doctoris Arium, vel Arianos nominari: De concilio Nicæno ne verbum quidem reperiri: De Constantino, et Constantio nullam mentionem fieri. Cum vero iis temporibus S. Zeno a Dominis Balleriniis constituatur, quando ipsimet Ariani primævos impii sui Doctoris errores ab antiquis hæreticis acceptos anathematizarunt, ut in Antiochena Arianorum synodo post Constantini mortem habita anno C. 341, in qua formula Fidei C edita est, et in ea damnantur ii, quæ asserunt: *Tempus, aut momentum, aut sæculum esse, vel fuisse antequam gigneretur Filius: Vel si quis dixerit, Filium creaturam esse tanquam unam ex creatis.* Ita et in formula a Narcisso Cilice, aliisque tribus Episcopis promulgata, qua anathemate feriuntur, qui dicerent Filium esse *ex non existentibus, vel ex altera hypostasi, et non ex Deo, aut fuisse aliquando tempus cum nondum esset.* Idem, et in synodo Sirmiensi ab Arianis habito anno 351. Cum inquam a Dominis Balleriniis ætas S. Zenonis post omnia hæc reponatur, anne credibile est S. Zenonem in antiquas hæreses ab ipsis Arianis damnatas disserere, recentesque omittere voluisse? Nihilque de celebri contentione illa circa verbum τὸν ὁμοούσιον penitus attigisse? quæ tanto, et Catho D licorum, et Arianorum ardore, et defensa, et impugnata fuit eo ipso tempore, quo Veronensi ecclesiæ S. Zenonem præficiunt eruditissimi laudati Viri. De hoc vero agemus, cum de Arianorum formulis redibit sermo. Intactas itaque S. Zeno Arianorum proprias formulas cum reliquerit, Ario posteriorem habendum non esse evidentissime constat.

§ XIX. *SS. Patres Ario posteriores, Arii, et Arianorum proprias formulas suis in operibus exprimunt.*

Aliquot seligemus SS. Patrum, qui post Arium scripserunt, sententias, ut in iis proprias Arianorum formulas indicemus. Ex supra enumeratis Arianorum formulis prima est: *Non semper Deus erat Pater, non semper Filius.* Contra hunc errorem pro con-

Digitized by Google

cione ad Populum exclamavit S. Alexander Patriarcha Alexandrinus, qui eam hæresim primus damnavit. *Semper Deus, semper Filius, simul Pater, simul Filius. Cum Deo ingenito Filius perpetuo existit, semper genitus ab ingenito genitus; neque cogitatione, neque momento ullo Deus Filium antecedit. Semper Deus, semper Filius ex ipso Deo Filius.* Theodoretus quoque synodalibus epistolis Sardicensis concilii hoc additamentum subdit · *Profitemur neque Patrem sine Filio, neque Filium fuisse unquam sine Patre, nec esse posse, quod est Verbum sine Spiritu. Absurdissimum namque est dicere aliquando Patrem non fuisse Patrem, et Patrem sine Filio neque nominari, neque esse posse, ipse Filius testatur.*

Secunda Arii hæresis est. *Cum omnia sint ex nihilo, etiam Dei Filius ex nihilo emersit.* Hanc formulam refert Athanasius in laudata prima oratione contra Arianos, sicut et reliquas, quas ex ipso retulimus. De ea meminit, et S. Hilarius. *Plures autem non vere Divinitatis Deum, neque ex Paternæ Majestatis naturæque proprietate subsistere disserunt; sed æternæ substantiæ Deoque diversæ, quæ in adoptionem Filii electa sit modo creaturarum ex nihilo, quibus nulla origo anterior sit, constiterit.* Et in lib. II de *Trin.* num. 4: *Ut aliqui hujus nunc temporis prædicatores, qui ex nihilo, atque a tempore formam, et sapientiam, et Virtutem Dei provehunt.* S. Gregorius Nazianzenus (*Orat.* 49) *Filium Dei mutabilem, et convertibilem, utpote non de Patris substantia constitisse confingant: Et qui initium ex tempore, et ortum ex nihilo, et nomen ex altero habere semper docuerunt.* Lucifer Caleritanus lib. I apologetico pro S. Athanasio: *Catholicam dicit fidem illam, quæ dicat, Deum non habere verum Filium, quæ dicat fuisse, quando non fuerit, quæ dicat factum ex nihilo?* Ita ille adversus imperatorem Constantium.

Tertia Arianorum formula. *Etiam id quoque addunt. Eum non natura in Patre existere, nec esse proprium ejus substantiæ Verbum, nec propriam sapientiam, in qua mundum istum creavit: sed in Patre esse aliud proprium, et peculiare Verbum, aliamque item propriam sapientiam, in qua sapientia istud Verbum fecit: atque ideo ipsum Dominum Christum respectu rationalium, quæ verbis utuntur, Verbum esse nuncupatum.* Ita S. Athanasius (*Oratio citata 5 contra Arianos*), et de Sententia Dyonisii. *Ad cætera mala sua, et hanc quoque sententialem, et esterquilinio depromptam adjecit. Verbum non esse Patri suum ac proprium, sed alterum esse Verbum in Deo; hunc autem Dominum nostrum esse alienum a Patris substantia, dici Verbum imaginarium, neque esse naturaliter verum Dei Filium, sed adoptione hoc nomen obtinuisse utpote creaturam.*

Quarta Arii formula ex eodem S. Athanasio: *Rursus idem ait Deum non nos propter illum, sed illum propter nos condidisse; « Erat enim, inquit, solus Deus, nec erat Verbum cum eo: Deinde cum vellet nos procreare, tunc quoque istum procreavit, quem postquam genitus est appellavit Verbum. »* S. Hilarius secundo fragmento historico num. 26: *Tradebant autem Arii talia: Patrem Deum instituendi Orbis causa, genuisse Filium, et pro potestate, sui ex nihilo in substantiam novam, atque alteram, Deum novum alterumque fecisse: profani in Patrem ex nihilo opinantes aliquid ei simile potuisse generari: blasphemi in Christum infinitatis eum Paternæ generositate expoliantes.* In libro XII de *Trin.* num. 43, idem Hilarius: *Aut forte velis, id quod in opera creatur, ita intelligi oportere, ut propter opera sit creatum. Id est ut Christus causa efficiendorum operum sit creatus ut ipse servus potius, et operator mundi maneret, non Dominus gloriæ natus esset.* S. quoque Gregorius Nazianzenus (*Orat.* 46) quartam hanc, et sequentem quintam formulam commemorat: *Filius quoque ità credendus est* (Arii hæresim refert ipsius Arii sensum exprimens) *ut per Esaiam populo dictum est, Filios generavi, et exaltavi; et alibi Dii estis, et Filii Altissimi omnes vocamini; sed et primogenitus ita habebitur, quomodo et Israel a Deo primogenitus Filius appellatus est, nec non et primogenitus totius creaturæ, quasi in ordine factorum primogenitus habeatur, ut ex eo seriem quamdam creandis mundi rebus assignant.*

Quinta Formula. *Non enim est Patris proprius, et naturalis fœtus Verbum, sed et ipsum gratia extitit.* Eadem exprimit S. Hilarius lib. IV de Trinitate num. 3: *Aiunt namque hæretici non ex Deo esse Christum, id est Filium non ex Patre natum, neque Deum ex natura, sed ex constitutione esse, adoptionem scilicet ejus in nomine, quia sicut plures Deo Filii, ita et hic Filius sit; dehinc liberalitatem in dignitate; quia sicut Dii plures sunt, ita et hic Deus sit: indulgentiore tamen in eo, et adoptionis, et nuncupationis affectu, ut, et præ cæteris sit adoptatus, et adoptivis aliis major ipse sit Filius, et excellentius cunctis naturis creatus, creaturis ipsis cæteris præstat. Aiunt etiam quidam eorum, Dei Omnipotentiam confitentes in similitudinem eum Dei creatum, et ex nihilo, ut cætera in æterni illius Creatoris sui imaginem constituisse: Verbo videlicet de non extantibus jussum esse subsistere, Deo potente similitudinem sui ex nihilo coaptare.* Hæc satis esse possunt ad innuendum SS. Patres, qui post Arium scripserunt, Arii proprias hæreses enuntiasse, ac refutasse: Quod in S. Zenonis sermonibus inveniri non potest.

§ XX. *Nullum argumentum ex eo, quod in operibus SS. Patrum vel innuantur, vel refellantur recentiores hæreses, erui potest, ad ipsorum SS. Patrum Epocham constituendam.*

Non utique inficior ex iis, quæ D. Zeno suis in tractatibus dixerit veritatem omnibus Arii erroribus contrariam aperte deprehendi; nam Filium ejusdem esse substantiæ cum Patre apertissime cum fateatur, ipsique Patri æqualem coæternumque; perinde est ac Patrem semper fuisse Patrem asserere; Filium ex nihilo non fuisse creatum; neque initium habuisse etiam ante omnes creaturas, ut Ariani delirabant,

Digitized by Google

neque aliud esse Verbum in Patre a Christo Domino diversum; eoque minus Verbum propter nos esse factum, minimeque essentiam Patris sua cognitione comprehendere. Hæc procul dubio ex ejusdem S. Zenonis doctrina esse a fide devia demonstrantur. At cum superius ostensum sit, SS. Trinitatis Mysterium ab ipso Ecclesiæ initio fuisse notum, nihil profecto mirum est, si in eodem explicando errores oppositi, etiam recentiores, perstringantur.

Mos a majoribus acceptus semper in Ecclesia viguit, semperque viget novos exortos errores Veteris ac Novi Testamenti, necnon SS. Patrum doctrina refellere, quod et in recentiorum hæreticorum impiis dogmatibus refutandis præsenti etiam tempore in usu est. Num itaque et Scripturæ canonicæ, et SS. omnes antiquiores Patres, atque Ecclesiæ doctores Calvino, Luthero, Jansenio posteriores sunt? Quis hoc vel suspicari audeat?

Certe in Ephesina synodo, ut exemplum aliquod præcipuum afferamus, anno Christi 431 celebrata, testimonia allata sunt, ut ex ejusdem concilii actis constat, et Basilii, qui anno C. 378, Ambrosii, qui an. C. 397, Gregorii Nazianzeni, qui an. C. 389, Gregorii Nisseni, qui an. C. 394 defuncti sunt, allegatæ, inquam, sententiæ fuerunt, ad Nestorii convellendos errores; quin et S. Cypriani qui 170, et Athanasii, qui 60 ferme annis ante idem Ephesinum concilium e vivis excesserant. Nemo autem ausus est, hos SS. Patres Ephesinæ synodo posteriores asserere, posteriores licet hæreses prædamnarint. Verum afferre libet S. Athanasii textum quo Eutychetis ante septuaginta fere annos ita præcise redarguit exortum errorem, ut illum præ oculis habuisse videatur. *Hæc quando prodierunt? Imo quis infernus ista eructavit? Ut consubstantiale dicat corpus ex Maria genitum cum Verbi divinitate, aut Verbum in carne, et ossa, et costas, et nervos, et prorsus in corpus esse commutatum, et a sua natura degenerasse? Quis ista in Ecclesia, aut a Christianis audivit? Fictione non revera Deum Verbum corpus esse factum? Aut quis ita impius fuit, ut vel verbis diceret, vel animo cogitaret, ipsum Deitatem, qua Patris est consubstantialis, fuisse circumcisam, et ex perfecta redditam imperfectam? Et illud corpus, quod in cruce pependit non corpus humanum, sed ipsam esse opificem Sapientiam* (*Ep. ad Epict. Corinth. Epis.*). Quid expressius haberi potest ad improbandam Eutychetis hæresim, qua docebat in Christo unam tantum esse naturam, non duas, divinam scilicet et humanam, sed has duas naturas post adunationem confusas et contemperatas fuisse? Attamen tanto post Athanasium tempore Eutyches hæc somniavit deliramenta, quæ idem S. doctor tanto ardore revincit.

Addit huic rei fidem id quod in hoc verbo *consubstantialis* explicando, in ipso concilio Nicæno anno 325 celebrato, factum est: nempe ut Eutychetis in ipsius Verbi explicatione damnaretur hæresis, quæ post 126 annos in Chalcedonensi concilio proscripta fuit, quod ipsius Cæsareensis Eusebii testimonio probatur in epistola, quam suæ Ecclesiæ clericis dedit. *Eodem modo etiam illud Filium Patri consubstantialem esse ratione, et exquisitum est et probatum, non more corporeo debere intelligi, neque quidquam habere simile cum mortalibus animantibus. Nam neque divisione substantiæ, neque mutatione Paternæ essentiæ et facultatis posse constare. Ingenitam enim Patris naturam ab iis omnibus prorsus alienam esse, nihil aliud ostendere, quam Filium Dei ad reliquas creaturas nullam habere similitudinem, sed unius Patris, qui illum genuit, omnino similem esse, neque ex alia, quam ex Patris substantia et essentia genitum.* Eadem epistola affirmat Constantinum Magnum Verbum consubstantiale intellexisse. *Consubstantiale de corporis affectionibus non posse intelligi, neque Dei Filium vel divisione, vel defectione, ut ita dicam, ex Patre constare. Nam non posse fieri, ut natura, quæ materiæ expers est, quæ sola intelligentia percipitur, quæ corpore vacat, corpoream ullam affectionem in se excipiat.* Vides quam præcise Eutychetis error explicatur, configiturque, qui carnem Christi in divinitatem transisse somniabat. *Nam non posse fieri, ut natura, quæ materiæ expers est, quæ sola intelligentia percipitur, quæ corpore vacat, corpoream ullam affectionem in se excipiat.* Et illud ejusdem Eutychetis, « Christum, ut Deum fuisse passum, » apertissime refellitur. *Neque divisione substantiæ, neque defectione, neque mutatione Paternæ essentiæ et facultatis posse constare.* Itaque verbum illud *consubstantiale* explicando, quod de sola divinitate Christi, qui eamdem cum Patre habet substantiam intelligi debeat, apertissime duæ in Christo agnoscuntur naturæ, divina scilicet et humana, contra impium Eutychis dogma, qui post adunationem easdem confundendo, unam tantum in Christo confusam, et divina, et humana, naturam admittebat. Minime igitur ex allatis contra Arii errores S. Zenonis doctrinis inferri potest, ipsum Ario posteriorem fuisse. Perinde siquidem esset, ac Athanasium, Nicænumque concilium postponere concilio Chalcedonensi. Stat itaque quod probandum suscepimus. Nullum argumentum, ad SS. Patrum ætatem firmandam, desumi posse ex ipsorum doctrina, qua recentiores hæreses convelluntur.

§ XXI. *Tractatus Fidei, quos S. Zeno commemorat lib. primo, Sermone primo de Fide, de Arianorum formulis intelligendi non sunt.*

In sermone primo de Fide ad hæc verba D. Zenonis: *Sequitur, ut scire debeamus utrum tractatum Fidei, an Fidem tractatus debeamus asserere*, adnotant doctissimi Ballerinii: *Hic S. Zeno non Nicænum tractatum intelligit, sed eos, qui post Nicænum ab Arianis conscripti fuerunt, quos post pauca multos tractatus appellat, propterea quod tum in pseudosynodis, tum etiam a nonnullis episcopis separatim editi fuere.* Ita et adnotatione 15, 16, 29. 32, potissimum vero adnot. 33, hos, quos S. Zeno commemorat tractatus formulas esse volunt circa fidem ab Arianis conscriptas, qua observatione confirmari putant: *Hasce S.*

Digitized by Google

Zenonis sententias, cum his temporibus (vulgatæ scilicet Arianorum hæresis) *historia probe congruere, adeo ut nihil simile superioribus sæculis, quibus illum vixisse nonnulli existimant, afferri queat, cui illæ peræque respondeant.* Ita et cap. 1 Dissertationis secundæ affirmant pariter. *Erant quippe plures Fidei formulæ tum variis Arianorum et Semiarianorum synodis editæ, tum quæ a quibusdam episcopis in suæ sectæ defensionem promulgabantur. Hæ itaque sunt* « Illi multi tracta- « tus, multæ Fides, et quidem novellæ, et litis la- « bore, et favore nutritæ » *quas S. Zeno commemorat, tract.* I, *num.* 3, *lib. prim.*

Nulla tamen incumbit necessitas, hos tractatus a D. Zenone enuntiatos de formulis Arianorum intelligere; quod ut manifestum sit, animadvertendum est, erudite quamvis iidem Ballerinii adnotent, *Expositiones Fidei, seu formulas Fidei ab episcopis in concilio tractantibus editas, tractatus Fidei, seu etiam solum tractatus appellari solere.* Attamen tractatus nomen his formulis, seu expositionibus Fidei non ita esse proprium, ut aliam quamvis tractationem extra concilium habitam significare non possit; nempe et concionem ad populum habitam, et apologeticos tractatus pro Fide, aut contra; hoc iisdem S. Zenonis sermonibus comprobatur, qui omnes tractatus titulo inscribuntur; quare ut iidem monent inferius clarissimi viri S. Zeno tractatus nomine, *non simplices Fidei formulas, sed fusiores expositiones Fidei, in quibus suam quisque Fidei sententiam argumentis et rationibus adstruere conabatur, ut ex contextu exploratum est,* accepit. Hoc sensu et Tertullianus Valentinianorum et Marcionitarum, aliorumque hæreticorum contra Fidem disputationes *retractatus* appellat. *Eædem materiæ apud hæreticos et philosophos volutantur, idem retractatus implicantur.* Præcise etiam *tractatus* dicit de hæreticis loquens: *Sed cum decipiendi gratia prætendunt, se adhuc quærere, ut nobis per sollicitudinis injectionem tractatus suos insinuent.* Non tantum vero agit Tertullianus de hæreticorum disputationibus circa Fidem, sed et Catholicorum. *Venio itaque ad illum articulum, quem et nostri prætendunt ad ineundam curiositatem, et hæretici inculcant ad importandam scrupulositatem.*

Sanctus quoque Zeno in hoc Sermone de Fide quoscumque tractatus, quibus de Fide agitur sive Catholicorum sive hæreticorum, nomine tractatus intelligit, quod ex ipsius verbis percipi potest præcipue num. 2. *Disputatio enim sicut excolit Fidem, ita si versuta sit eradicat Fidem, quia Fides profecto non est, ubi quæritur Fides,* et inferius: *Multos fuisse tractatus, multas Fides, et quidem novellas, et litis labore, ac favore nutritas.* De Catholicorum vero disputationibus circa Fidem post ejusdem sermonis medium addit. *Sed non eo dicam, ut ingratum faciam doctrinæ beneficium, sed ut sciat unusquisque, aliud esse Fidem, aliud esse tractatum, nec Fidem per tractatum posse vel dari, vel nasci, vel destrui.*

Illud quoque notandum est, complures tam in Tertulliano, quam in hoc D. Zenonis Sermone consimiles reperiri sententias, quas hic conferre non pigeat.

Tertullianus. *Ea est,* inquit, *materia Sapientiæ sæcularis temeraria interpres Divinæ Naturæ, et Dispositionis,* quibus Valentinum carpit subdens: *Inde eonas, et formæ nescio quæ, et trinitas hominis apud Valentinum.*

S. Zeno (*Serm. præd. n.* 3): *Sin vero quod magis est, sub sono legis, ac Fidei sæcularis amore jactantiæ accensus nascentis Dei de Deo Spiritusque Sancti inæstimabilem, incomprehensibilemque Divinitatis perpetuitatem jure ipso, quo ex sese est, argumentis te cogere, examinare, metiri ac discernere posse præsumis.* Illa etenim verba *sæcularis amore jactantiæ accensus argumentis te cogere, examinare, metiri, ac discutere* philosophiam Gentilium reprehendit, ut Tertullianus. *Ea est materia sapientiæ sæcularis temeraria interpres Divinæ naturæ.* Aliis vero S. Zenonis: *Nascentis Dei de Deo Spiritusque Sancti,* etc., Valentiniani reprehensi videntur, qui turpiter adeo circa Dei (verbo sit venia) originem suis in conibus delirarunt. Nam et in fine sermonis Apostoli textum D. Pauli allegat noster auctor, quo Genealogias, et fabulas carpit S. Apostolus.

Tertullianus (*l. c. c.* 10). *Cæterum si quia, et alia tanta ab aliis sunt instituta, propterea in tantum credere debemus, in quantum possumus invenire, semper quæremus, et nunquam omnino credemus. Ubi erit finis quærendi? Ubi statio credendi?*

S. Zeno: *Video præterea, sicut adsertorum indicant nomina* (*quæ si auferas nulla fortassis est pugna*) *multos fuisse tractatus, multas fides, et quidem novellas, et litis labore, ac favore nutritas, quas, quia vera vix potest inveniri, credo ne populi penuria laborarent venales esse propositas. Verumtamen ex his omnibus eligendum quid sit, non potest nasci, aut comprehendi, quia non erit nec proprium, nec firmum, quod habet statum semper incertum, quippe cum unius electio sit alterius reprobatio.* Et Tertulliani itaque tempore multi erant Fidei Tractatus: *Et alia tanta ab aliis sunt instituto;* quibus concinit S. Zeno: *Multos fuisse tractatus, multas fides et quidem novellas.* Uterque etiam ambiguitatem causatur. Tertullianus: *Semper quæremus, et nunquam omnino credemus. Ubi erit finis quærendi? Ubi statio credendi?* S. Zeno: *Non erit nec proprium, nec firmum, quod habet statum semper incertum, quippe cum unius electio, sit alterius reprobatio.*

Tertullianus (*l. c. c.* 11): *At enim si quod debui credere, credidi, et aliud denuo puto requirendum, spero utique, et aliud esse inveniendum, nullo modo speraturus istud, nisi quia, aut non credideram, qui videbar credidisse. Ita Fidem meam deserens, negator invenio. Semel dixerim. Nemo credit, nisi qui, aut non habuit, aut perdidit.*

Pressius, pari tamen vi, sanctus Zeno: *Fides profecto non est, ubi quæritur Fides.*

Tertullianus: *At cum tenenti quidem, ut credunt, quærendum tamen dicunt, ut defendant, antequam*

Digitized by Google

defendant, negant, quod credunt : confitentes se nondum credidisse dum quærunt.

S. Zeno : *Edicat mihi perniciosa ista adinventio tractatus sui, quo proficit pugna? Ne fides, inquit, intereat, cum male aut creditur, aut docetur. Quod malum est ista ratio mox videbimus.* Numero vero sexto sic habet : *Negat quodam modo Deum quisquis adserit Deum : defensio enim nonnisi imbecilli præstatur, nec potest eum revereri, qui ingenii sui putat esse, quod ille fuerit æstimatus.*

Tertullianus : *Novissime ignorare melius est, ne quod non debeas, noris, quia, quod debeas, nosti.* Fides *inquit* tua te salvum fecit. *Non exercitatio scripturarum. Fides in regula posita est. Habes legem, et salutem de observatione legis ; exercitatio autem in curiositate consistit, habens gloriam solum de peritiæ studio. Cedat curiositas Fidei ; cedat gloria saluti. Certe aut non obstrepant, aut quiescant adversus regulam. Nihil ultra scire, omnia scire est.*

S. Zeno : *Manifestissimum puto, nimis astuto simplicem meliorem, quia simplex omnibus Dei verbis simpliciter credit ; astutus autem nimia sapientia infatuatus, inquisitionibus vanis semetipsum confundit.*

En quot uniformes sententiæ diversa sub phrasi includuntur : et alias similes notare cuique liceat. Mihi interim persuasum est, quod et aliis persuasum fore confido, ex his tractatibus seu de Fide disputationibus, nullo pacto conjici posse tempora Ario, ejusque sectariis posteriora, cum et Tertulliani ætate hi multi, et Catholicorum, et hæreticorum tractatus spargerentur, contra quos multa adeo ipse disserit. Quæ vero allatæ sunt sententiæ, in genere contra curiositatem in Fidei rebus tractandis quibusvis temporibus aptari possunt.

At cur tantummodo de Tertulliano agam, quasi ipse unus de eodem disputaverit argumento? Nonne et de illo antiquiores secundi sæculi Patres tractationes longiores instituerunt? S. Irenæus certe de hac causa quinque suos contra hæreses libros scripsisse præfatur. *Quoniam* (ita Irenæus) *nonnulli repudiata veritate sermones, et genealogias varias inducunt, quæ quidem quæstiones potius, ut Apostolus ait, præstant, quam ædificationem Dei, quæ in Fide est : ac per probabilitatem subdole comparatam seducunt mentem imperitorum, eosque depravandis oraculis Divinis, iisque, quæ recta dicta sunt male exponendis, captivos trahunt, scientiæque prætextu multos evertunt.*

Eodem sensu D. Zeno (*Serm.* 1, *n.* 4, *l.* 1) : *Igitur cum possibilitatis humanæ non sit Fidei videre secreta, nusquam, Frater, tua curiositas, nusquam tua proficit pugna ; quia quem putas vel de tuis ipsis studiis fidelissimum, hic infidelis ; et quem putaveris infidelem, hic fidelis est. Forte in eo se quis existimat fideliorem, si loquatur argute, cum magis verus sit ille fidelis, qui sua in prædicatione non ultra quam licitum est, aciem suæ tetenderit mentis : eo enim res deducta est, ut Fides nostra per Dei requiratur injuriam.... Cum hæc ita sint cur legem lege distringis? Cur sub imagine Fidei Fidem deponis? Cur ipsum Fontem Divinitatis philosophicis argumentis exhaurire conaris? Si peritiam legis ostendere cupis, lectionum nubila disserena. Doce, eam sibi non esse contrariam : doce omnia, quæ canit, esse credenda. Cæterum si ejus partem probes, reprobes partem, quomodo per hanc Fidem quæris, quam etiam ipsam infidelitatis ream constituis?* Vides hic S. Zenonem eos carpere, qui dolo fideles decipiunt. *Quia quem putas vel de tuis ipsis studiis fidelissimum, hic infidelis est.* Hos et carpit S. Irenæus: *Quoniam nonnulli repudiata veritate, sermones, et genealogias varias inducunt, ac per probabilitatem subdole comparatam, seducunt mentes imperitorum.* Commendat S. Zeno eos, qui in explicandis Scripturis simplicitatem sectantur, et contra eos reprehendit, qui Scripturas corrumpendo, Fidei contradicunt. *Cum magis sit ille fidelis, qui sacra in prædicatione non ultra, quam licitum est aciem suæ tetenderit mentis : eo enim res deducta est, ut Fides nostra per Dei requiratur injuriam.... Cum hæc ita sint, cur legem lege distringis? Cur sub imagine Fidei Fidem deponis?... si peritiam legis ostendere cupis, lectionum nubila disserena. Doce eam sibi non esse contrariam.... Cæterum si ejus partem probes, reprobes partem, quomodo per hanc Fidem quæris, quam etiam ipsam infidelitatis ream constituis?* Quid est quærere Fidem per Dei injuriam ; legem lege distringere ; sub imagine Fidei deponere Fidem ; partem probare et partem legis reprobare ; Fidem infidelitatis ream constituere? nisi corruptis adductisque perperam Scripturæ textibus veritati Catholicæ contra ire. Hoc non tanta quidem sermonis elegantia, sed magis obvio sermone arguit S. Irenæus : *Eosque depravandis oraculis Divinis, iisque, quæ recta dicta sunt, male exponendis captivos trahunt.* Philosophicas argutias detestatur D. Zeno : *Cur ipsum Fontem Divinitatis philosophicis argumentis exhaurire conaris?* Detestatur et S. Irenæus. *Sermones, et genealogias varias inducunt, quæ quidem quæstiones potius, ut Apostolus ait, præstant,* etc. Affectationem scientiæ causatur D. Zeno : *Si peritiam legis ostendere cupis.* Idem et S. Irenæus. *Scientiæque prætextu multos evertunt.*

Quæ huc usque sunt allatæ D. Zenonis sententiæ, quis putet Arianorum tempora sapere? At nec quæ sumus allaturi, ea licet tamquam præcisa adnotentur, Arianorum tempora respicere, dicendum est. Quod etenim dicit S. Zeno. Novellas fides, seu Tractatus *venales esse propositos* de largitionibus a Constantio in eos factis, qui pro Arianis starent, exponere, sensus eorum verborum non patitur. Hæc sunt verba : *Quas, quia vera vix potest inveniri, credo ne populi penuria laborarent venales esse propositas.* Obvius sensus est : Ne scilicet populi penuria disputationum, seu tractatuum de Fide, quam novellam S. Zeno dicit, quia contra Fidem Catholicam, ideo expositas in foro fuisse, ut curiosis emptoribus distraherentur.

Hæc quoque D. Zenonis verba : *O quam indefensa* (Fides) *quæ regum, judicum, divitum, aliquoties quod*

Digitized by Google

pejus est gentium desiderat per momenta patrocinia. De patrocinio suæ ipsorum sectæ a Constantio, et Valente, imperatoribus ab Arianis captato exponere, quæ ratio est? Nam et post primum Ecclesiæ sæculum imperatoribus, ac Romano senatui oblatas Christianorum defensiones fuisse constat; et a S. Quadrato Athenarum episcopo, atque Aristide, Christiano Philosopho, Hadriano imperatori: a S. Justino martyre primum Antonino Pio, tum Marco Aurelio, et Lucio Vero imperatoribus, ac senatui Romano; et a Melitone episcopo Sardensi in Asia, Marco Aurelio imperatori: atque ab aliis, nempe ab Apollinari episcopo Herapolitano, a Miltiade theologo, et aliis. Christianos vero esse eos, qui regum nomine nuncupantur, excogitata interpretatio est, nulla vel levi conjectura suffulta. Sensus quippe proprius allatorum verborum est. Tractatus Fidei suum pondus, et vices emendicare a regibus, a judicibus, a divitibus, et quod magis urget, ab ipsa gentilium philosophia, atque fabulis poetarum; quod factum fuisse in recensitis pro christianis apologiis in confesso est. Ipse namque S. Justinus martyr, aiente Eusebio (*l.* IV *Hist. c.* 18), defensionem pro Christianis, ubi de Christiana Fide agitur, *Non solum nostris, id est Divinis, sed etiam gentilium scriptis confirmaverit.* Hæc S. Zenonis in allatis verbis interpretatio ipsius contextui consonat, cum hoc in eodem numero de doctrina agat, non de vi per imperatores, præfectos, vel judices Catholicis inlata. *Nunc scire cupio, Fides ex doctrina constet, an ex credulitate, an ex utroque? Sin vero ex utroque Patriarcharum semensa Fides est, ac per hoc illis constitutionis nostræ decernendi sunt libri, ut possint esse perfecti. O quam misera est Fides, quam verba concinnant! O quam debilis, cujus quotidie dissipantur variis argumentationibus membra! O quam indefensa, quæ regum*, etc. Doctrinam, libros, verba, argumentationes hic enuntiari vides, non arma, non milites, ut in SS. Patrum testimoniis in adnotatione adductis inspicitur, S. Ambrosii: *Pone nunc ante conspectum sæcularibus Arianos studiis intentos, qui Societatem potentiæ Regalis affectant, ut armis militaribus impugnent Ecclesiæ veritatem;* S. Hilarii: *Neque postea præsumant, atque usurpent, et putent se consensus cognoscere Clericorum, et innocentes homines variis afflictationibus, minis, violentiis, terroribus frangere, atque vexare.*

Si vero penitus sancti Zenonis sensum inspiciamus, non possunt ipsius verba sine manifesta extorsione de imperatorum Arianorum protectione Arii asseclis præstita intelligi. Ipsi namque imperatores Fidem oppugnabant; ac de eo in laudatis textibus Ambrosius, et Hilarius conqueruntur. S. autem Zeno de patrocinio ab imperatoribus præstando agit, quod significant illa verba: *Desiderant per momenta patrocinia.* Id S. Quadratus, S. Justinus aliique apologiarum Scriptores ab imperatoribus, et Senatu expetebant, ut a persecutione cessarent, et persecutoribus judicibus, præsidibus, ministris Christianos liberos esse juberent.

Tempus etiam, quo hic D. Zenonis Tractatus scriptus fuerit, conjicere sibi posse videntur clarissimi Ballerinii (*Adn.* 38): *Quod si cui probetur, jam hic primus Tractatus lucubratus fuisset post diem quartam Kal. Aprilis anno* 364, *quo Valens regnare cœpit.* Ita ipsi. Cum vero alienam eorum viderimus interpretationem, excidit conjectura temporis.

Si vero conjecturis indulgere liceat, potiori jure ante annum C. 254, quo Origenes obiisse creditur, vel post ipsius Origenis obitum, tractatum hunc scriptum fuisse dicendum erit. Conjecturæ hujus rationes consideremus.

Prima ratio est, quod hic Tractatus epistola potius fuisse videtur, quam concio ad Populum habita. Ita adnotant ipsimet sapientissimi Ballerinii: *Unum illud movebat, ne hunc primum Zenonianis Tractatibus accenseremus, quod epistola potius ad quemdam, quem Fratrem appellat, tradita, quam tractatus ad Populum habitus videatur; eum enim perpetuo alloquitur, multisque argumentis ab ejusmodi Tractatuum scriptione, quæ plena erat periculi, deterrere, et amovere conatur. Accedit, quod Petrus Calo, Ordinis Prædicatorum, qui vixit ineunte sæculo* XIV, *in mss. collectaneis apud Henschenium tom.* II, *Aprilis pag.* 76, *opera commemorans S. Zenonis, quæ se vidisse ait* « in ms. Monasterii S. Zenonis de Verona » *non* « Tractatus » *solum* « octoginta, » *sed et* « epistolas » *se in eo legisse affirmat. Inter Opera vero S. Zenonis nulli melius epistolæ nomen, quam huic tractatui convenire potest.* Si ergo hic Tractatus epistola dicenda est, quod a verosimili non abhorret, dico hanc epistolam a S. Zenone Origeni fuisse datam post annum Christi 232 quando degente Alexandriæ Origene tantis fuit exagitatus vexationibus propter errores, quibus ejus scatebant scripta, præcipue opus illud quod Periarchon inscribitur, seu de Principiis: quo in libro multa a Philosophis Ethnicis mutuavit, multisque refertus erroribus a S. Hieronymo notatur. Si vero post Origenis mortem scriptam fuisse epistolam quis opinaretur, alicui Origenis sectatori missam fuisse, dicendum erit. Ea enim omnia quæ contra hos tractatus congerit S. Doctor in librum Periarchon optime congesta videntur, quod hac secunda ratione confirmatur.

Nempe toto in eodem tractatu, seu Epistola nihil de hæreticis nominatim meminit S. Zeno, neque usquam contra eosdem invehit: quare videtur potius in eo, quem alloquitur fratre reprehendere curiositatem nimiamque subtilitatem in rebus Fidei, philosophicamque rationem sequi iis in explicandis. Hoc ex his, quæ superius allatæ sunt D. Zenonis sententiis manifestum est, atque toto ex hujus Tractatus contextu evidentius patet. S. etenim Doctor totus in eo est, ut ostendat Fidem non addici, ut cæteræ disciplinæ, ideoque internam dicit initio illis in verbis: *Christianæ Fidelitatis felicitas maxima est Fidei nosse naturam, quæ talis, ac tanta est, ut unicuique homini non ab alio commodetur, sed ex ejus voluntate nascatur.* Neque illo verbo *voluntate* gratiam

Digitized by Google

excludit (ut opportune adnotant celeberrimi Ballerinii) (*adn.* 3, *Tr.* 1). *Quod cum S. Zeno dixit, illud unum in animo habuit, non ut gratiam excluderet, de qua tum non agebatur, quamque et paulo post, et alibi satis luculenter adstruit, sed ut eos refelleret, qui argumentis, et tractatibus Fidem exponere conabantur, ac si ejusmodi industria Fides cordibus inseretur;* Glossemaque illud textui D. Zenonis contra ms. veritatem intrusum merito abraserunt. *Homini non ab alio, sed ejus ex voluntate, præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio nascatur.* Internam itaque S. Zeno esse Fidem affirmat, quæ non addiscitur, sed illuminante Deo, ac revelante concipitur; quare sequitur: *Cæterum sit ut quidam putant, docentis pendet ex ore, procul dubio eodem aut cessante, aut aliter docente consumitur.* Præcipuus itaque sancti Doctoris scopus est, ostendere non humana arte neque hominum eruditorum scientia, ac peritia, fidem haberi, cum errori humana mens sit obnoxia, *aut aliter docente.* Non reprobat quidem doctrinam: *Sed non eo dico, ut ingratum faciam doctrinæ beneficium, sed ut sciat unusquisque, aliud esse Fidem, aliud esse Tractatum.* Nam fidem supra naturam esse aperte docet. *Igitur cum possibilitatis humanæ non sit Fidei videre secreta*, suo tamen semper argumento inhærens, Tractatuum, sive disputationum circa Fidem vitium optime arguit; quando videlicet argumentationibus philosophicis, et humanis rationibus quis nimis indulget, modumque de Fide tractandi fratri quem alloquitur, præscribit. Vide eumdem Tractatum circa finem num. 5 et 6. Quæ omnia cum tractatibus auctorum, quos supra memoravimus secundo, et tertio Ecclesiæ sæculo exaratis conveniant, nulla ratio est hunc D. Zenonis Sermonem ad Fidei formulas ab Arianis editas amandare. Quin satius videtur illum Origenis tempore scriptum fateri, vel ipsi Origeni transmissum, qui propter nimium philosophiæ studium, tot erroribus sua respersit opera. Potuit, et post Origenis mortem alicui Origenianæ doctrinæ addicto scribi ad illius instructionem.

Accedit tertia, et ultima ratio: Nullam scilicet circumstantiam in hoc S. Zenonis tractatu reperiri, neque in aliis, ut in iis, quæ prolaturi sumus, patebit, quæ necessario aptari debeat Arianorum temporibus.

Reperiri putant, et quidem irrefragabiles Adnotatores solertissimi Veronenses (*Adn.* 33, *eod. Tr.* II, *l.* 1). *Ut autem intelligantur quæ de vago incertoque Fidei Arianorum statu id loci traduntur, simulque confirmetur dilucide hasce S. Zenonis sententias, cum hujus temporis historia probe congruere, adeo ut nihil simile superioribus sæculis, quibus illum vixisse nonnulli existimant, afferri queat, cui illæ peræque respondeant, recitanda putamus aliquot insignia Patrum loca, quæ cum præsenti mirifice concinunt* Tum duo allegant S. Athanasii textus, et S. Hilarii unum. In S. Athanasii adducto textu commemorantur decreta, et conventus Arianorum. *Nec tamen suis decretis ipsi sunt contenti... ipsi quoque conveniunt et de Fide statuere simulant.* Commemoratur Nicæna synodus, et Arianorum pseudosynodus in secundo ejusdem S. Athanasii textu. *Disceptantesque adversus Nicænam Synodum, multas et ipsi Synodos celebrarunt.* Et in S. Hilarii textu de Nicæna Synodo mentio fit, et latorum in Synodis anathematum. *Conscii enim nobis invicem sumus, post Nicæni conventus synodum, nihil aliud, quam Fidem scribi.... monstruas de Deo Fides decernimus, decretis pœnitemus, pœnitentes defendimus, defensos anathematizamus.* Profecto in hoc S. Zenonis tractatu hujusmodi res ne vel per somnium quidem quis leget. Nihil de Ario, quem usquam suis in Tractatibus vel implicite nominat. Nihil de Nicæna Synodo; Nihil de Arianorum Synodis, de anathematibus nihil. Qua ergo conjectura S. Zenonis sermones Arianorum temporibus conformes ostendere quis poterit? Evidentissima siquidem est diversa scribendi ratio inter S. Zenonis Sermones, adductosque Athanasii, et Hilarii textus, quam et oblevatis oculis quisque conspicere potest. Fatentur ipsimet Veronenses perspicacissimi adnotatores (*Adn.* 36, *In eod. Tr.* 1, *lib.* 1), S. Zenonem tractatus nomine non accepisse Fidei formulas, seu symbola, *sed fusiores expositiones Fidei, in quibus suam quisque Fidei sententiam argumentis, et rationibus adstruere conatur, ut ex contextu exploratum est.* Ili Fidei tractatus, seu disputationes ab ævo nascentis Ecclesiæ in usu fuere; quid ergo S. Zenonis sententiæ ad solas Arianorum formulas coarctandæ sunt, cum nullæ in iis Arianorum temporum circumstantiæ inveniri possint? Hoc sine aperta vi fieri non posse dicam. Circumstantia namque illa de multitudine formularum Fidei, eorumque contrarietate inter Arii sectatores nil quidem revelat. Cum S. Zeno ipsis opinantibus Dominis Balleriniis non de brevioribus formulis ad instar symboli, sicuti erant formulæ Arianorum, sed fusioribus Fidei expositionibus agat. Horum vero tractatuum circa Fidem multitudinem sane majorem inter Gnosticos fuisse, et Valentinianos Ecclesiastica Historia recenset. Satis itaque superque ostendisse arbitramur, nullam incumbere necessitatem S. Zenonis sententias ad Arianorum tempora rejicere: Quin cum Origenis temporibus apprime conveniant, Origeni potius directum hunc primum de Fide Tractatum saniori utique judicio affirmandum est. Cui nihil in hoc Tractatu discordans; quin imo mirum in modum consentire omnia ex iis, quæ dicta sunt, facile est opinari.

Alia multa profecto sunt, quæ tum in hoc, tum in reliquis S. Zenonis Tractatibus clarissimi Adnotatores ad Arianos trahunt, et secundo horum Tractatuum libro titulum, *Contra Arianos*, ipsi confingunt. At in iis omnibus eruditionem quidem satis præcipuam; in interpretationibus vero, quæ Arii errores, ac tempora concernunt arbitrium potius, quam genuinum D. Zenonis sensum deprehendet attentus lector.

§ XXII. *De Zenonis doctrina, quasi Arianismum oleus*

Digitized by Google

a Petavio traducta explicatur, defenditur, sana, et Catholica demonstratur.

Maximum vero pondus iis, quæ hactenus disseruimus accedit ex eo, quod tantum abest S. Zenonem Arii erroribus, de quibus egimus, obstitisse, ut eorum eidem a Petavio reus insimuletur. *At Petavius Antenicænis aliquot Patribus male traductis, cum venerit ad Zenonem episcopum Veronensem, eum, quem post Nicænam synodum florentem subindicat, nec non adversus Arianos testimonium dicentem alicubi allegat, una cum Mario Victorino ejusdem sæculi scriptore, ob aliquot ejusdem generis locutiones, in ejusdem erroris suspicionem inducere nihil dubitat.* Accenset nempe Petavius D. Zenonem cum iis Antenicænis Patribus, qui *ævo, dignitate, ac potentia superiorem esse Verbo Patrem arbitrati sunt*, ex quibusdam adductis S. ejusdem Patris sententiis, quarum unam afferre sufficiat ex Tractatu v lib. II : *Principium, Fratres, Dominus noster incontanter est Christus, quem ante omnia sæcula Pater adhuc utrumque in semetipso Deus beatæ perpetuitatis indiscreta Spiritus plenitudine, nescio qua sua conscientia velatum Filii non sine affectu, sed sine discrimine amplectebatur; sed excogitatarum, ut ordinem instruerent, rerum ineffabilis illa Virtus, incomprehensibilisque Sapientia e regione cordis eructat Verbum, Omnipotentia se propagat, de Deo nascitur Deus, totum Patris habens, nihil derogans Patri*, etc. Ita D. Zeno cui Sententiæ subinfert Petavius : *Hic Zeno Verbum Dei ex omni Æternitate in Patris sinu, et essentia velut indiscretum, et affixum hæsisse, latuisseque demonstrat; postea vero cum designatam a se rerum universitatem moliri vellet, eum ipsum ex sese propagasse, ac genuisse dicit; atque hanc primam e duabus esse nativitatibus, quam in sequentibus sermonibus* (nunc tract. VII et VIII) *exponit.*

Nullam vero allato S. Zenonis textui lucem afferre constat, quæ ut præcipua in dicta dissertatione 2, cap. 1, § 2, laudatur hæc ejusdem S. Doctoris sententia : *Videamus nunc, optime Christiane, quemadmodum inter Patrem, et Filium tempus infulcias.* Recolendum namque est quod supra circa Arii errores notavimus paragrapho nono : Arium videlicet primo cum Ebione, Artema, et Paulo Samosateno asseruisse, *Christum ante Mariam non fuisse, fuisseque tempus, quando non fuit.* Postea vero cum a S. Alexandro Patriarcha Alexandrino ab Ecclesia ejectus fuerit, hunc errorem correxit, asserens : *Filium ante tempora, et ante sæcula plenum Deum extitisse unigenitum, immutabilem, et antequam gigneretur, aut conderetur, aut præfiniretur non fuisse : nam ingenitum non erat.* Verba itaque S. Zenonis : *Videamus nunc optime Christiane quemadmodum inter Patrem, et Filium tempus infulcias*, tempus excludunt tantummodo inter Patrem et Filium, qui fuit primus error ab Ario antiquioribus ab hæreticis haustus, et evulgatus : non vero excludunt errorem ab Ario correctum, qua correctione, et ipse Arius tempus excludebat inter Patrem et Filium, *Ante tempora, et ante Sæcula plenum Deum extitisse.* Arianus hic sensus a Petavio in S. Zenonis allatis verbis notatur, nempe : *Verbum Dei ex omni æternitate in Patris sinu, et essentia, veluti indiscretum, et affixum hæsisse, latuisseque... postea vero cum designatam a se rerum universitatem moliri vellet, eum ipsum ex sese propagasse, ac genuisse.* Excludunt, inquam, tempus inter Patrem, et Filium, sed non prius, et post; cum Pater in sensu Arii genuerit Filium ante omne creatum tempus, ei non videtur adversari sancti Zenonis sententia, qua asserit, Filium in Deo Patre velatum, ac delitescentem, tunc e corde Patris prodiisse, *cum res omnes procreare voluit*, ut Petavius explicat, allatis ejusdem S. Zenonis verbis : *Cujus ex ore ut rerum natura, quæ non erat, fingeretur, prodivit cordis ejus nobilis inquilinus exinde vi-* B *sibilis effectus, quia humanum genus visitaturus erat.* Quapropter eadem semper ambiguitas in D. Zenonis sensu manet, ejusdemque erroris conjectura.

Absit tamen, longeque procul absit a nostro D. Zenone hujusmodi Arianæ pestis suspicio. Sana prorsus de SS. Trinitate, ac præcipue de Divinitate Filii ejus doctrina est : ipsius enim Catholica mens unde magis, quam ex ejusdemmet verbis erui possit, non video. Proferantur itaque Zenonis sententiæ, quibus diserte adeo coæternitatis Filii, æqualitatisque cum Patre, ejusdemque substantiæ, ac in Persona distinctionis veritas exhibetur.

Quid apertius de coæternitate? *Hic est Deus noster Æterni Dei coæternus Filius* (*S. Zeno l.* II, *Tr.* IX, § 2). Si coæternus Filius, non prius Pater, et postea Filius, sed tota simul in Æternitate cum Patre C Filius una in substantia, in Persona distinctus a Patre. De coæternitate non solum Filii, sed et Spiritus Sancti cum Patre. *Hic est Deus noster qui se digessit in Deum. Hic Pater qui suo manente integro statu, totum se reciprocavit in Filium, ne quid sibimet derogaret. Denique alter in altero exultat cum Spiritus Sancti plenitudine una originali coæternitate renitens.* Ac de Filio agens et explicans, cur primogenitus ante omnem aliam creaturam dicatur, ejusdem cum Patre coæternitatem, perinde confirmat. *Hic itaque dictus est primitivus, quia Paternæ antiquitatis solus est conscius.* Si conscius, ergo et coæternus, conscius enim est simul sciens, eadem utique notitia, ac Pater, suam antiquitatem, seu magis æternitatem novit.

D Coæternitatem Filii simul cum unitate substantiæ, et æqualitate cum Patre manifestissime etiam profitetur. *Cum quo* (nempe Filii cum Patre) *originalis perpetuique Regni una possessio coæternitatis, omnipotentiæque una substantia, una æqualitas, una Virtus majestatis augustæ.* De distinctione quoque Personæ Filii a Persona Patris in unitate substantiæ, et coæternitate, nil clarius hac, quam subjicimus, excogitari potest sententia. *Si enim Verbum in Deo est, et Deus est Verbum, et hoc est in quo est, quod ille est, qui inest : Duplex Persona; duplex vocabulum, sed originalis perpetuitatis, et Deitatis est una substantia, Domino ipso dicente* « Ego et Pater unum sumus » *quod non utique sit ait, ut in unum duos redigendo confun-*

Digitized by Google

deret, sed ut duorum unam Divinitatis, Potestatisque esse Omnipotentiam nos doceret. (*S. Zeno. d. l.* II, *Tr.* VII, *num.* 2.) Personas agnoscit duas, Patrem, et Filium in una *Originalis perpetuitatis ac Deitatis substantia.* Originalem itaque perpetuitatem tam in distinctione Personarum, quam in unitate substantiæ fatetur D. Zeno.

At illud præcipue ad S. Zenonis de SS. Trinitate sinceram discernendam doctrinam est afferendum, quod profert tractatu primo ejusdem secundi libri de æqualitate Patris, Filii, et Spiritus Sancti. Integrum exscribimus. Agnoscat lector primis etiam Ecclesiæ temporibus perfectam de Mysterio SS. Trinitatis floruisse notitiam. *Carnalis mentis homines, fratres dilectissimi, scandalum patiuntur, non studio noscendæ, sed frustrandæ veritatis, quoties Deus Dei Filius, qui Patris maxima est gloria, æqualis Patri a Catholicis, prædicatur. Denique inde est, quod legis fundamenta temnentes, versuta disputatione, prætermisso Deo de Deo exeunte, ad communia humanitatis nomina, quæ possunt argumentis attingi Patris et Filii festinant, nec intelligunt, quia in exordio carminis Sacri, Deus de Deo sua sibi et Divinitate, et nomine comparatus, omnes humani sensus opinationes excludit, quippe cum dicat:* « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, » *non inquit, Fac ad tuam, sed ait* « Faciamus ad nostram, » *ne quam Filius hominem induturus pati videretur injuriam. Videtisne, Fratres dilectissimi, quia nullus exerte hic alteri jubet in opere, nullus otiosus est. O Sancta æqualitas, ac sibi soli dignissima individuæ Deitatis! Unus homo ad duorum imaginem, et similitudinem fingitur, nec tamen in ecquid cujus sit invenitur. Si igitur in opere extraneo paritas sacra distingui non potest, Deus in alio se inferior esse quemadmodum potest? Quidquid enim uni ex duobus indiscrete in omnibus sibimet simulantibus detraxeris, cui detraxeris nescis.*

At ille cui jubetur, est, inquis, inferior. Quid quod inde non esse approbatur inferior, quia unde processit Paterni cordis est executor; non enim minus est facere magna, quam dicere. Quamvis, et quod dictum est a Patre, vel dici potest, et quod factum est a Filio, vel fieri potest sine dignatione Paterna non est, quia Filius sine Patre non est ipso dicente..... Si non facio facta Patris mei, nolite mihi credere : sed si mihi credere non vultis, factis credite, et agnoscite, quia in me est Pater, et ego in illo..... *Constat ergo æqualem esse, quod invicem se capit in Spiritu Sancto.*

Tanto rationum pondere, ac Scripturæ auctoritate æqualitatem in Patre, et Filio demonstrat Zeno : ex hac æqualitate demonstrata, et coæternitas, et substantiæ Unitas, necnon et Personarum distinctio necessario emergit. Nemo enim sibi æqualis est, sed alteri.

Explicata itaque D. Zenonis mente circa Sanctissimæ Trinitatis Mysterium, Filiique Divinitatem, nunc ad examen ii sunt revocandi textus, quibus S. hujus Doctoris sententia Arium sapere dubitatur. Unum superius attulimus, at eumdem hic majoris distinctionis causa iterum afferre opportunum videtur. *Principium, Fratres, Dominus noster incontanter est Christus : quem ante omnia sæcula Pater adhuc utcumque in semetipso Deus, Beatæ perpetuitatis indiscreta Spiritus plenitudine, nescio qua sua conscientia velatum, Filii non sine affectu, sed sine discrimine amplectebatur. Sed excogitatarum, ut ordinem instrueret rerum, ineffabilis illa Virtus, incomprehensibilisque substantia e regione cordis eructat Verbum. Omnipotentia se propagat. De Deo nascitur Deus, totum Patris habens, nihil derogans Patri*, etc. *Quomodo autem generatus sit, qui processit, dementis est opinari. Namque temperat se propter rerum naturam Filius, ne Æternæ Majestatis Dominum non possit mundi istius mediocritas sustinere. Cum imperat Pater orbem fieri, opus cum dicto completur a Filio.*

Secundus textus a Petavio notatus. *Quem* (Filium) *ante omnia sæcula Pater in profundo suæ mentis arcano insuspicabili ac sibi soli nota conscientia, Filii non sine affectu, sed sine revelamine amplectebatur. Igitur ineffabilis illa incomprehensibilisque Sapientia Sapientiam, Omnipotentia Omnipotentiam propagat : De Deo nascitur Deus ; De Ingenito Unigenitus ; De solo solus; De toto totus; De vero verus; De perfecto perfectus : Totum Patris habens, nihil derogans Patri, procedit in nativitatem, qui erat antequam nasceretur in Patre.* Quibus verbis subinfert Petavius : *Ergo Filium antequam a Patre gigneretur, in Patre extitisse significat : generatio vero, et nativitas fuit cum res omnes procreare voluit, quod in secundo sermone declarat :* « Cujus ex ore, ut rerum Natura, quæ non erat fingeretur, prodivit Unigenitus Filius cordis ejus nobilis inquilinus, ex inde visibilis effectus, quia humanum genus visitaturus erat, etc. »

Petavius itaque duas in Christo Domino Nativitates S. Zenonem agnovisse fatetur : primam eumdem S. Doctorem assignasse putat non æternam, sed cum res omnes procreare voluit : sicque Filium ex *omni æternitate in Patris sinu, et essentia veluti indiscretum, et affixum hæsisse :* Indiscretum videlicet a Patris Persona non distinctum, neque propriam hypostasim habuisse ante rerum creationem. At S. Zeno (ut optime reponunt eximii Ballerinii) primam Verbi nativitatem æternam asserit, quod ex ipsius sententia luculenter ostenditur. En S. Doctoris verba : *Quapropter duas esse nativitates Domini Nostri Jesu Christi necessario scire debet Populus Christianus, ne quem patiatur errorem : unam qua natus est, alteram qua renatus : sed sicut est Spiritualis prima sine matre, ita sine Patre secunda carnalis : hæc miranda, inenarrabilis illa, Propheta dicente : Nativitatem ejus quis enarrabit? Cur autem sit inenarrabilis Patre loquente noscamus. Dominus ipse nos docet. Eructavit cor meum Verbum bonum*, etc. *et apud Salomonem hactenus dicens : Ego ex ore Altissimi prodivi ante omnem creaturam.* Prosequitur S. Zeno de eadem prima generatione, seu nativitate disserens in eodem Tractatu : *Admirabilis gratia, Fratres charissimi, conspicuæ veritatis, quæ dum secerni potest, tamen sibi-*

Digitized by Google

met externa esse non potest. Si enim Verbum in Deo, et Deus est Verbum, et hoc est in quo est, quod illud est, qui inest, duplex persona, duplex vocabulum, sed originalis perpetuitatis, ac Deitatis est una substantia, Domino ipso dicente : Ego et Pater unum sumus. *Quod non utique sic ait, ut in unum duos redigendo confunderet, sed ut duorum unam Divinitatis potestatisque omnipotentiam nos doceret.*

De duabus hisce nativitatibus agit S. Doctor etiam Tract. VIII, num. 1 : *Igitur duas nativitates esse Domini J. C. rudis, aut negligens disce Christiane, ne quo decipiaris errore. Unam quam tibi non licet quærere, alteram quam legitime si possis, permitteris edoceri. Prima itaque nativitatis Domini Nostri in Patris, et Filii tantum conscientia manet, nec quidquam habet interjectum, neque conscium, quod ex Paternitatis affectu processit uno consensu. Secunda vero carnalis prodita, ita invenimus esse completam.*

Duas itaque personas S. Zeno in hac prima nativitate fatetur : *Si enim Verbum in quo est, quod illud est, qui inest duplex persona, duplex vocabulum ;* et duas hasce personas in una substantia originalis esse perpetuitatis apertissime asserit : *Sed originalis perpetuitatis, ac Deitatis est una substantia ;* easque non confusas absolute dicit, prosequitur quippe immediate · *Domino ipso dicente*, Ego et Pater unum sumus; *quod non utique sic ait, ut in unum duos redigendo confunderet, sed ut duorum unam Divinitatis potestatisque esse omnipotentiam nos doceret.* Quid clarius dici potest ad exprimendam æternam unitatem Divinæ substantiæ; distinctionemque personarum. Coæternitas etenim distincte exprimitur cum dicit : *Sed originalis perpetuitatis, ac Deitatis est una substantia.* Hæ itaque D. Zenonis sententiæ penitus excludunt Petavii interpretationem, qua vult S. Antistitem Veronensem asseruisse : *Verbum Dei ex omni æternitate in Patris sinu, et essentia velut indiscretum* (in persona) *et affixum hæsisse, postea vero cum designatam a se rerum universitatem moliri vellet, eum ipsum ex sese propagasse, ac genuisse.* Non enim esset absolute verum, quod idem S. Doctor manifesto docet : *Quod non utique sic ait, ut in unum duos redigendo, confunderet.* Quippe si antequam *designatam a se revera universitatem moliri vellet, licet ex omni æternitate in Patris sinu, et essentia velut indiscretum* (in persona) *et affixum Filium hæsisse*, intelligamus, utique duo (eos in unum redigendo) confusi fuissent, saltem antequam *designatam a se rerum universitatem* (Pater) *moliri vellet.* Quo nihil magis absonum a Zenonis sententia asseri potest.

Illa quoque D. Zenonis sententia de eadem prima nativitate Christi Domini, Petavii sensum non patitur. *Prima itaque nativitas Domini Nostri in Patris, et Filii tantum conscientia manet, nec quidquam habet interjectum, neque conscium, quod ex Paterni oris affectu processit uno consensu.* Prima nativitas Domini nostri si nihil habet interjectum, ergo neque intercedet prius, nec post : Æterna itaque est. At quid immorandum in tam clara de æterna Filii generatione D. Zenonis doctrina ; Non etenim explicatione indiget quod Tractatu IX, num. 2, protulit disertissimis verbis : *O nova ratio ! Amore imaginis suæ coactus in infantem vagit Deus. Hæc est enim potestas Dei, ut salvo quod est, possit esse quod non est. Hic est Deus noster, æterni Dei coæternus Filius.*

Ipse itaque sese explicat S. Zeno, quid intellexerit in objectis a Petavio textibus, cum dicit quod *Pater indiscreta Spiritus plenitudine, nescio qua sua conscientia velatum sine discrimine amplectebatur* (Filium). Et in Tractatu III lib. II : *Quem ante omnia sæcula Pater in profundo suæ mentis arcano insuspicabili, ac soli sibi nota conscientia Filii non sine affectu, sed sine revelamine amplectebatur.* Nihil aliud certe quam discrimen æternam inter Verbi nativitatem, et temporalem ejusdem Filii Dei incarnationem, mirabilem hanc esse dicens : imperscrutabilem illam variis circumlocutionibus asserens. *Duas* (ait) *nativitates esse Domini Nostri J. C.... unam, quam tibi non licet quærere, alteram, quam legitime si possis, permitteris edocere.* Prosequitur iisdem fere verbis ac in objectis textibus : *Prima itaque nativitas Domini nostri in Patris, et Filii tantum conscientia manet*, ac proinde inscrutabilem superius dixit. *Nescio qua sua* (Patris) *conscientia velatum.* Hic in *Patris, et Filii tantum conscientia manet*, quod in idem recidit, ad exprimendam mysterii profunditatem incomprehensibilitatemque. Non excludit tamen Filium ab hac generationis notitia cum utrique, et Pater et Filius ejusdem generationis, ut ipse ait, sint conscii *in Patris, et Filii tantum conscientia manet.* Illud vero, *nec quidquam habet interjectum*, idem significat ac alia verba *indiscreta Spiritus plenitudine.* Cum Filius una sit substantia cum Patre, ea etenim Verba *Spiritus plenitudine*, essentiam seu substantiam Divinam exprimunt. Eodem sensu intelligendum est illud, *Nescio qua sua conscientia velatum*, nempe imperceptibilem esse Verbi generationem. Ea vero quæ sequuntur, *Sine discrimine nequidquam habet interjectum*, unitatem essentiæ exprimunt. Hæc contra Valentini Æonas apprime faciunt, quibus perverse adeo æternam Verbi generationem confundere molitus est impius hæresiarcha.

Eodem sensu S. Zeno Tractatu VII libri II, de duabus Christi nativitatibus agens, æternam Verbi generationem *inenarrabilem* dicit, temporalem vero *mirabilem.* Hæc *mirabilis* (temporalis scilicet), *inenarrabilis* illa, *Propheta dicente : Nativitatem ejus quis enarrabit?* Eaque ratione inenarrabilem dicit, quod cor divinum eructaverit verbum bonum, et ore Altissimi prodierit æternum Verbum ; nempe, ut alibi ait, quod generatio Verbi in Patris, et Filii tantum conscientia maneat, sua conscientia velatum. Quapropter contra Divinæ Majestatis scrutores vehementius invehit : *Dementiæ genus est invisibilis incomprehensibilisque velle opinari secretum, ejusque interna discutere, cujus extraria nequeat suspicari.* Ita in eodem Tractatu VII, ibique ad idem argumentum plura. *Cæterum providentis Dei de Deo argumentationibus vanis opinari velle dispositum non colentis, sed dementis.*

Digitized by Google

Hæc et alia, de eadem æterna Verbi generatione Tract. VIII, num. 1, quibus cum Verbum velatum in sinu, vel conscientia Patris dicitur a S. Zenone, nil exprimitur aliud, quam incomprehensibilis, et arcana Æterni Verbi generatio. Verbum a Patre in persona distinctum esse in allatis supra Zenonis sententiis manifestissime patet. Verbum autem indiscretum, et sine discrimine in sinu Patris delitescens asserere, idem est ac unam substantiam in Patre, et Filio fateri, incomprehensibilemque ejusdem Verbi generationem.

Reliqua vero verba sunt, quæ majorem difficultatem pariunt: *Sed excogitatarum, ut ordinem instrueret, rerum ineffabilis illa Virtus, incomprehensibilisque sapientia e regione cordis eructat verbum : Omnipotentia se propagat; de Deo nascitur Deus ; totum Patris habens, nihil derogans Patri* etc. *Quomodo autem generatus sit, qui processit, est dementis opinari. Namque temperat se propter rerum naturam Filius, ne æternæ Majestatis Dominum non possit mundi hujus mediocritas sustinere. Cum imperat Pater orbem fieri, opus cum dicto completur a Filio.* Et Tractatu III lib. II: *Igitur ineffabilis illa, incomprehensibilisque Sapientia Sapientiam, Omnipotentia Omnipotentiam propagat. De Deo nascitur Deus; de Ingenito Unigenitus; de solo solus; de toto totus; de vero verus; de perfecto perfectus; totum Patris habens; Nihil derogans Patri : procedit in nativitatem qui erat antequam nasceretur.* Demum Tractatu IV ejusdem libri II : *Cujus ex ore, ut rerum natura, quæ non erat, fingeretur, procedit Unigenitus, Filius cordis ejus nobilis inquilinus, exinde visibilis effectus, quia humanum genus visitaturus erat.*

Hæ, inquam, S. Zenonis sententiæ nihil aliud significant, nisi Æterni Verbi productionem procedere non tantum ex cognitione Divinæ essentiæ, ac Divinarum personarum, sed etiam ex cognitione creaturarum, tum quoad essentiam, tum quoad existentiam, nec non ex cognitione rerum possibilium, quorum omnium una cognitio in Patre est. *Deus Pater non integre, perfecteque seipsum dixisset, si aliquid esset minus in Verbo, quam in se ipso*, ut S. Augustinus docet. (*S. Aug. l.* XV *de Trin. c.* 14.) Idem apertissime exprimunt illa D. Zenonis verba (*Zeno Tract.* V, *lib.* II): *Sed excogitatarum, ut ordinem instrueret, rerum ineffabilis illa Virtus, incomprehensibilisque sapientia e regione cordis eructat verbum. Omnipotentia se propagat, de Deo nascitur Deus, totum Patris habens, nihil derogans Patri*, etc. *Quomodo autem generatus sit, qui processit, dementis est opinari : Namque temperat se propter rerum naturam Filius, ne æternæ Majestatis Dominum non possit mundi istius mediocritas sustinere.* Excogitatarum rerum ordinem dixit, ut æternam Patris cognitionem significaret, tum addit: *Omnipotentia se propagat*, ut rerum extra Divinam essentiam creationem futuram significaret. Omnipotentia siquidem Divina extra se ipsam res hujus mundi creans operatur. Hac cognitione nempe *excogitatarum, ut ordinem instrueret rerum, produci Verbum* immediate dicit: *Ineffabilis illa Virtus, incomprehensibilisque sapientia e regione cordis eructat verbum*, addens: *Totum Patris habens, nihil derogans Patri*, ut significaret ex plena, ac perfecta Patris cognitione tum Divinæ substantiæ, ac Divinarum Personarum, quam creaturarum omnium, et quoad naturam, et quoad existentiam D. Verbi generationem processisse. Eodem sensu dixit alibi (*lib.* II *Tr.* IV): *Sicut sacra Scriptura testatur, erat ante omnia manens, unus et idem alter* (nota distinctionem æternam personarum Patris, et Filii) *ex semetipso in semetipsum Deus, secreti sui solus conscius, cujus ex ore, ut rerum natura, quæ non erat, fingeretur, prodidit Unigenitus Filius, cordis ejus nobilis inquilinus, ex inde visibilis necessario effectus, quia orbem terræ erat ipse facturus, humanumque visitaturus genus, alias æqualis in omnibus Patri.* Illa verba notanda sunt, *ex semetipso in semetipsum Deus*, quæ processionem Verbi ex cognitione Divinæ essentiæ significant. Tum alia: *Cujus ex ore ut rerum natura, quæ non erat, fingeretur, prodivit Unigenitus Filius*, etc. quæ processionem ejusdem Verbi ex Divina cognitione creaturarum pariter significant, unico Divinæ mentis actu non tum cum creatæ sunt, sed ab æternitate; rerum etenim naturam nondum esse, futuramque creationem asserit. *Ut rerum natura, quæ non erat fingeretur. Orbem terræ erat ipse facturus.* Quæ omnia verbis illis concluduntur: *Alias æqualis in omnibus Patri.* Si in omnibus æqualis, ergo et in æternitate.

Hanc generationem ineffabilem prædicat: *Quomodo autem genitus sit, qui processit, dementis est opinari.* Cujus ineffabilis generationis arcanum absconditum, ut probet, subdit: *Namque temperat se propter rerum naturam Filius, ne æternæ Majestatis Dominum non possit mundi istius mediocritas sustinere.* Simul objectionem illam prævertens, quod ex his creaturis in Dei cognitionem ascendere. Nam licet ex cognitione Divini intellectus circa res creatas Verbum processerit, attamen cum hæ finitæ sint, non plenam Virtutem (ut pro captu nostro loquamur) Verbum exerit suam illas creando, *sed temperat se propter rerum naturam* (finitam scilicet) *Filius*; ita ut non possimus ex harum rerum cognitione æternam Divini Verbi generationem attingere. Quapropter cum alibi dixit S. Zeno: *Procedit in nativitatem, qui erat antequam nasceretur* (*Tr.* III, *lib.* II, *Adn.* 7, *ad eadem verba*), hæc nativitas non de æterna generatione Filii, ut Veronenses Adnotatores explicant, sed de secunda nativitate, seu Incarnatione sunt intelligenda, ne tertiam Divini Verbi nativitatem contra S. Doctoris mentem, ut supra demonstratum est, cogamus admittere. Scholasticam namque illam distinctionem, scilicet S. Zenonem intellexisse Filium esse genitum a Patre, antequam decretum ferret creandi hanc rerum universitatem, *non prioritate temporis, sed prioritate rationis* exsufflandam censeo, utpote Zenoniano tempori minime convenientem. Quamvis enim in eo sermone S. Doctor de æterna Verbi generatione principaliter agat; nil officit, quod incidenter de

Digitized by Google

Incarnatione pauca illa verba inserat, quibus æternam generationem a temporali nativitate distinguat. Hoc genuino D. Zenonis verborum sensu omnis ambiguitas, Arianicæque pestis imaginata suspicio excluditur penitus.

Concedendum tamen Petavio est, S. Zenonem in ultimo relatis sententiis non ita distincte fuisse locutum propter Arii errorem : Verbum scilicet solum a Patre ante omnia sæcula creatum, omnes alias res ipsum Verbum creasse. Id et ipsi fatebuntur doctissimi Ballerinii qui tanto studio, eruditione tanta, ac doctrina S. Zenonem ab eodem errore vindicare nituntur toto fere capite primo secundæ dissertationis. Petavio tamen non assentiendum, qui re non discussa cum sentire iis videtur, qui D. Zenonem Nicæno concilio posteriorem volunt. Ex eo quippe evidenter constat, multo ante idem concilium scripsisse, quod non ita distincte contra proprium Arii errorem disseruit, utpote sibi ignotum, neque adhuc inventum. Si etenim sermones post Arium exarasset suos, quam luculenter profecto Arii impios errores evertisset, qui tanta vi et eloquentia alios ab Ario adoptatos errores, et ante ipsum vulgatos disjecerit, ac profligaverit. Hæc sane propria est catholicæ S. Zenonis doctrinæ propugnandæ ratio. Nam quæ hactenus disputavimus, ostendunt, nullum Arii proprium errorem a D. Zenone impetitum fuisse : quinimmo (quod et aliis antenicænis Patribus contingit) quædam in ipsius sermonibus reperiri, quæ verborum cortice pro Ario facere videantur ; cum aliis vero ipsius sententiis collata, catholicam sententiam continere agnoscuntur. Id perinde est ac funditus eversam eorum opinionem ostendere, qui ex commemoratis, et confutatis a S. Zenone Arii erroribus, ut falso astruunt, S. eumdem doctorem a tertio sæculo amovendum, et ad quartum referendum inani certe conatu contendunt.

CAPUT II.

PLURA E SERMONIBUS S. ZENONIS ARGUMENTA PETUNT DOCTISSIMI BALLERINII, UT EJUSDEM EPOCHAM QUARTO SÆCULO ASTRUANT : POTIORA CIRCA ARIANORUM ERRORES PRIMO CAPITE CONSIDERAVIMUS, ALIA RESTANT, QUÆ SUBSEQUENTIBUS PARAGRAPHIS AD LANCEM SUSPENDIMUS PONDERANDA.

§. I. *De aliis hæresibus quarto sæculo exortis non agit S. Zeno.*

Quasdam hæreses quarto decurrente sæculo in Ecclesiæ agro venefícas veluti herbas enascentes S. Zenonem radicitus suis eradicare sermonibus voluisse asserunt eximii Ballerinii (*Dissert.* I, c. 2, § 3) : « *Primum Tract.* I, *num.* 5, *lib.* I *præter eos qui in Dei Filium errores sparserunt, illos etiam reprehendit* (S. Zeno, ut ipsi putant) *qui in Spiritus sancti Divinitatem subtilius ratiocinantes peccabant*... sub sono legis » *inquit* « ac Fidei sæcularis amore jactantiæ « accensus, nascentis Dei de Deo, Spiritusque sancti « inæstimabilem Divinitatis perpetuitatem, jure ipso, « quo ex sese est, argumentis te cogere, examinare, « metiri, ac discernere posse præsumis. » *Et contra hos Spiritus sancti æqualitati præjudicantes Tract.* 13, *num.* 1, *lib.* II, *præclaram illam professionem edidit* Spiritus sanctus.... habens unam substantiam, virtutem, deitatem, majestatem, voluntatemque Patris, et Filii. *Qui autem ex antiquioribus hæreticis Spiritui sancto detraherent, atque decerperent una cum Filio, ut auctoris textus fert, nemo unus est omnium. Posteriores solum Ariani, seu potius Semiariani id erroris invexere.* Hoc Sozomeni auctoritate confirmant (*Sozom. l.* VI, *c.* 23). *Utrique* (Anomiani scilicet, seu puri Ariani, et Semiariani) *enim Spiritum sanctum ministrum esse, et ordine, atque honore tertium, et substantia similem asseverabant.*

In allatis verbis S. Zenonis Tract. primo num. 5, lib. primo, nihil de Spiritu sancto lego ad impugnandum eorum errorem, qui dicerent Spiritum sanctum ministrum esse ordine, et honore tertium, ac substantia a Patre, et Filio dissimilem. Eos reprehendit S. Doctor, qui philosophicis argumentis divinitatem Filii, et Spiritus Sancti perscrutari præsumunt. *Sæcularis amore* (ita S. Zeno) *jactantiæ accensus nascentis Dei de Deo, Spiritusque sancti inæstimabilem Divinitatis perpetuitatem jure ipso, quo ex sese est, argumentis te cogere, examinare, metiri, ac discernere posse præsumis? Verba illa,* « *jure ipso, quo ex sese est,* » Pernarum distinctionem non recipiunt, nec relationes inter easdem Personas naturam divinam exprimunt, quæ *ex sese est.* Persona vero Filii a Patre procedit, et Spiritus sancti persona a Patre, et Filio. Scrutatores ergo divinæ essentiæ, ac Majestatis arguit S. Zeno, neque de æqualitate Patris, et Filii, et Spiritus sancti agit, quam Semiariani impugnabant. Hic est hujus tractatus S. Zenonis scopus, totusque in eo est ut ostendat ea, quæ fidei sunt, humanis rationibus non esse inquirenda, ut legenti tractatum hunc evidenter patet, numero quinto potissimum in illis verbis : *Cur legem lege distringis? Cur sub imagine fidei, fidem deponis? Cur ipsum fontem Divinitatis philosophicis argumentis exhaurire conaris?*

Aliis in verbis tractatus XIII lib. II, num. 1, supra relatis S. Zeno fidem non profitetur, neque contra hæreses agit ; explicat autem mysterium somnii Jacob, is enim est sermonis titulus : *De somnio Jacob :* de quo ita S. Zeno : *Jacob habet imaginem Christi, sed et lapis ipse, quem ad caput suum posuisse cognoscitur : quoniam caput viri Christus, qui aliquoties lapis est nuncupatus. Scala autem duo testamenta significat, quæ et Evangelicis intexta præceptis credentes homines, voluntatemque Dei facientes ; quasi per quosdam observantiæ gradus in cœlum levare consueverunt. Hanc in Apocalypsi Joannes bis acutum gladium cum uno capulo nuncupavit, quem ex ore Domini prodire descripsit. Gladius enim Spiritus sanctus est unum capulum habens, id est unam substantiam, virtutem, deitatem, majestatem, voluntatemque Patris, et Filii, contestans duas acies, id est, duo testamenta gerens, quorum regalibus monitis, et creduli, devotique servantur, et increduli desertoresque puniuntur*

Digitized by Google

Verba illa : *Unam substantiam, virtutem, deitatem, majestatem, voluntatemque Patris et Filii*, explicant gladii similitudinem; quare præmisit S. Zeno : *Gladius enim Spiritus sanctus est, unum capulum habens, id est unam substantiam*, etc. Qua occasione, et sinceceram catholicamque doctrinam de Spiritu sancto tradit. Nam et ante Semiarianos Spiritus sancti divinitas, et cum Patre, et Filio æqualitas nota erat. Mirum itaque non est, sanctum Zenonem in explicando somnio Jacob, prædicta de Spiritus sancti divinitate scripsisse, quæ licet Semiarianis adversentur, S. Zenonem vel coævum, vel posteriorem Semiarianis non faciunt. Lege, quæ Petavius congerit SS. Patrum sententias contra errores in Spiritum sanctum ab hæreticis posterioribus prolatos Tract. II Theolog. Dogm. lib. VII, cap. 8.

At enim vero non soli Ariani errores contra Spiritum sanctum vulgarunt. Primum fuisse Origenem, qui contra Spiritus sancti æqualitatem cum Patre, et Filio obloqueretur Petavius demonstrat lib. I de Trin. cap. 14, Tract. II Theolog. Dogm., num. 8. Effugiumque illud nonnullorum Origenem patrocinantium, quod ab Arianis corrupta fuerint ejus scripta evidenter revincit. Nos Origenis textum, in quo contra Spiritum sanctum agit, supra retulimus (*c.* 1, § 18, *Epist.* 41, *apud Pet.* n. 13). Ejusdem erroris labe circa Spiritus sancti personam S. Dionysii Alexandrini scripta fuisse respersa notat S. Basilius. Quamvis itaque S. Zeno expresse contra impugnantes S. Spiritus divinitatem tractasset, nulla inde ratio, ipsum Semiarianos respexisse, cum et sæculo tertio et Origenes, et S. Dionysius hac labe comperiantur infecti.

S. Doctorem nostrum Photinianos non reprehendisse Tractatu 7, l. II, iis in verbis : *Una denique asserit Jesum Christum ab utero Virginis Mariæ sumpsisse principium, Deumque exinde ob justitiam factum esse non natum*, demonstravimus supra (*c.* 1, § 25.), ubi et adnotationem tertiam expendimus, in qua iidem eximii Adnotatores Origenis textum allegant, quo et sæculo tertio hunc invaluisse errorem probatur (*Baller. d. Tr.* VII, *l.* II, *adnot.* 3, *Orig. l.* VIII). *Virtutum suarum merito anima Christi cum Verbo Dei unum efficitur.* Ita Origenes ibidem relatus.

Neque illa verba Tractatus VI ejusdem libri VIII, nempe *si hominem solum, sicuti quidam putant ab utero Virginis eum sumpsisse principium, quæ spes*, etc. Photinianos designant. Conjectura quippe illa ex his verbis accepta : *Sicut quidam putant, quasi hunc errorem æque ac Arianum præsentem indicent*, ut iidem Adnotatores animadverterunt. *Photiniani omnium novissimi, quos ipsi Ariani condemnarunt, hoc loco a S. Zenone indicare videntur ex ea præsertim formula...* ut quidam putant... nil probat. Nam ipsimet erudite admodum eadem adnotatione tertia a pluribus antiquioribus hæreticis eumdem errorem disseminatum fuisse notant; tot vero inter hæreticos Photinianos tantum discernere quis audeat? Præsertim cum, et de Origenis temporibus, ac Sabellii, et Pauli Samosateni sæculo tertio scribentium potuerit etiam mathematico sensu accepto tempore affirmare S. Zeno, *ut quidam putant.* Vide quæ diximus cap. 1, § 15.

Audium vero, vel Audæum a quo Antropophormitarum hæresis erupit S. Zenonem confutasse nulla ratione constat. In laudato quippe tractatu XIX, et in tractatu XX lib. II, explicat illa verba Genesis : *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Et hanc imaginem non in corpore consistere asserit : *Non ergo carnale hoc domicilium imaginem Dei debemus accipere, sed cœlestis hominis spiritalem, quam in se credentibus Dominus ætherea nativitate renovatis, plenitudinis suæ pio de fonte largitur.* Nullum contrarii erroris assertorem indicat, nullum reprehendit. Si vero tacite velimus S. Doctorem aliquem errorem coarguisse, Tertulliani sententias notare potuit, qui imaginem Dei in hominis corpore reponebat putans hominem creatum ad imaginem Christi. *Limus ille jam tunc imaginem indutus Christi* (*Tertull. lib. de resur. Carnis cap.* 6). Quod et in S. Irenæo notatur, quasi imaginem Dei in corpore constituerit. Vide Petavium Tract. III, Theolog. Dogm. de Opificio Dei lib. II, cap. 2, num. 3.

Idem dicendum est de formulis illis, quas clarissimi Ballerinii *præcisas* vocant; nempe tractatus V lib. I, ubi S. Zeno sic habet : *Sed dicet aliquis, Etiam Maria Virgo, et nupsit, et peperit. Sit aliqua talis, et cedo; cæterum illa fuit virgo post connubium, virgo post conceptum, virgo post Filium.* Et Tractatus II lib. II : *Maria virgo incorrupta concepit, post conceptum virgo peperit, post partum virgo permansit.* In his formulis *Mariam ante partum, in partu, et post partum virginem* dici, iidem Adnotatores legunt. In primo Textu S. Zeno objectionem refellit non hæreticorum, sed eorum, qui nubunt. In secundo satis eloquenter, ut solet, singularem Virginis partum oratorio more describit, neque de ullo errore meminit, quo Mariæ virginitas in dubitationem adduceretur. Quod vero eas formulas *reperire non liceat in quopiam, antequam B. Mariæ virginitas quarto sæculo oppugnaretur*, num id asseri possit, cum non omnia SS. Patrum opera, quæ primo, secundo et tertio sæculo edita sunt habeamus, aliis judicandum permittimus. Illud vero pro certo tenendum est, Mariæ virginitatem, et primo sæculo a Cerintho et Carpocra traductam, aliisque hæreticis, qui Christum Dominum ex utroque sexu natum obloquebantur. Tertio autem sæculo, Tertullianus de virginitate Mariæ post partum perperam sensit. *Et Christum* (inquit) *quidem Virgo enixa est, semel nuptura post partum, ut uterque titulus sanctitatis in Christi censu dispungeretur per Matrem virginem, et univiram.* Origenes etiam sua ætate Mariæ virginitatem impetitam testatur, quem errorem redarguit: *In tantam quippe nescio quis prorupit insaniam, ut assereret negatam fuisse Mariam a Salvatore, eo quod post nativitatem illius juncta fuerit Joseph.* Tertulliani testimonium ad Mariæ virginitatem impugnandam adducebat Helvidius; cui reponit S. Hieronymus : *Tertullianum in testimonium vocat,*

Digitized by Google

et Victorini Pictaviensis episcopi verba proponit. Et de Tertulliano quidem nihil amplius dico, quam Ecclesiæ hominem non fuisse... Verum nugas terimus, et fonte veritatis omisso opinionis rivulos consectamur. Numquid non possum tibi totam veterum Scriptorum seriem commovere, Ignatium, Polycarpum, Irenæum, Justinum martyrem multosque alios apostolicos, et eloquentes viros, qui adversus Hebionem, et Theodotum Bizantinum hæc eadem sentientes plena sapientiæ volumina conscripserunt? Non unus itaque S. Zeno Mariæ tuetur virginitatem, si et primis Ecclesiæ sæculis ante ipsum Zenonem tot Patres virginitatis Mariæ assertores ab Hieronymo producuntur. Neque quarto tantum sæculo virginitas Mariæ impiis patuit hæreticorum calumniis. Nihil ergo convincit adducta ratio, ut quis putet, S. Zenonem redarguere voluisse Eunomium, qui *Mariam a Josepho post Divini Verbi partum cognitam pro concione affirmavit.* Quare ex eadem ratione a tertio sæculo non est expellendus, quin velimus ad quartum sæculum amandare, et Ignatium martyrem, et Polycarpum, et Irenæum pariter martyrem, *aliosque apostolicos, eloquentes viros qui adversus Hebionem, et Theodotum Bizantinum, et Valentinum hæc eadem sentientes plura plena sapientiæ volumina conscripserunt.*

§ II. *Tractatus* XIV *lib.* I, *occasione novæ Ecclesiæ Veronæ constructæ a D. Zenone habitus, quartum sæculum non indicat.*

Tribus primis Ecclesiæ sæculis quibusdam privatis in locis sacros cœtus habuerunt (Christiani) *quos ecclesias, vocabant, novas tamen, publicasque in eum usum ædes ædificare illis non licuit. Solum per Constantinum imperatorem, qui Christo nomen dedit, publicarum ecclesiarum construendarum facultas quarto primum sæculo facta fuit: ac proinde auctorem de nova publica Ecclesia tam explorate disserentem ante id sæculum vixisse perperam dixeris.* Ita domini Ballerinii. Huic tamen tam præcisæ assertioni, Christianos scilicet ante Constantinum publicas non habuisse ecclesias, manifesto repugnat Ecclesiastica historia.

Tertio namque sæculo publicas capacioresque a Christianis extructas fuisse ecclesias, testatur Eusebius (*Hist. Eccl., lib.* VIII, *c.* 1); *Similiter, et singulis ecclesiarum antistitibus summum honorem, cultum ac benevolentiam ab omnibus tam privatis, quam provinciarum rectoribus deferri vidisses. Jam vero quis innumerabilem hominum quoties ad fidem Christianam confugentium turbam, quis numerum ecclesiarum in singulis urbibus, spatiosas ab ipsis fundamentis extruerent ecclesias. Atque hæc progressu temporis increscentia, et quotidie in majus, et melius proficientia, nec livor ullus atterere, nec malignitas dæmonis fascinare, nec hominum insidiæ prohibere umquam potuerunt, quamdiu omnipotentis Dei dextera populum suum, utpote tali dignum præsidio texit, atque custodivit.* Hæc Eusebius de Ecclesiæ statu ante Diocletiani persecutionem: quod et confirmatur ipsius edicto Diocletiani, quo Christianorum ecclesias dirui A mandavit. Plures ergo ante Constantinum Diocletiano posteriorem a Christianis constructæ fuerant ecclesiæ publicæ, et quidem amplæ.

Antiquiorem publicarum ecclesiarum inter Christianos ædificationem ponit Tillemontius auctoritate Origenis ductus, *qui combustas* ecclesias commemorat, quod in persecutione Maximi factum variis conjecturis argumentatur (*Tillem. Tr.* 3, *Mon. Eccles. de persecut. Maxim., Art.* 6). Et Alexandri imperatoris tempore Christianis permissum ecclesias construere probat: ipse namque imperator Alexander Christo templum construere cogitavit, Christianisque locum quemdam publicum, quem sibi adjudicari popinarii contendebant, concessit teste Lampridio, melius esse dicens, ut quomodocumque illic Deus colere- B tur quam dari popinariis; ibique Christianos ecclesiam ædificasse recte opinatur cardinalis Bona. Quia et apostolorum ætate publicas fuisse Christianis ecclesias ex D. Joanne Chrysostomo constat; ipse namque Antiochiæ ecclesiam ab ipsis apostolis fundatam fuisse dicit, quam ea de causa omnium ecclesiarum matrem appellat; ipsa pluries diruta semper reædificata fuit. S. quoque Augustinus testatur, S. Stephani cappellam, quæ suis temporibus conspiciebatur a temporibus apostolorum, ibi ædificatam. Et Romæ ecclesiam S. Petri ad Vincula ab ipso S. Petro consecratam, vetustissimis monumentis probat eminentissimus Bona. Ecclesias quoque ædificatas fuisse in locis, ubi S. Petrus, ac S. Paulus apostoli martyrio affecti sunt, ex quodam Caio refert Eusebius.

C Ante Decii persecutionem, aiente S. Gregorio Nisseno, ubique a Christianis templa excitata, et idolorum fana fuisse diruta, atque eversa comperitur (*Greg. Nissen. in Vita S. Gregor. Thaum.*): *Cum jam in omnes partes divini Verbi prædicatio divulgata esset, et omnes tam qui urbem habitarent, quam qui agrum vicinum incolerent ad piam doctrinæ fidem traducti essent, altaribus, atque delubris, quæ inibi inerant simulacris eversis..., omnibus item in omni loco templa ad orandum sub nomine Christi studiose exstruentibus, furor quidam, atque invidia invasit eum, qui tunc præerat imperio Romanorum.*

Hæc a Tillemontio colliguntur; at non pauca dubitanter videtur afferre. Nam ad ea, quæ ex cardinali Bona refert, non sibi vacare dicit illa ad examen D revocare, ut dijudicare valeat, quid sit de iis sentiendum. De triumphis autem, quos Eusebius Caii auctoritate erectos dicit, ubi martyrium SS. Petrus et Paulus passi sunt, probabile Tillemontius putat ad conventus habendos loca a Christianis ibidem destinata: auctoritatem vero Gregorii Nisseni, qui ubique in Christi honorem templa a Christianis erecta testatur hac restrictione admittit, si ad litteram intelligatur.

A Baronio autem dissentit, qui pontificalis Damasi, ut nuncupatur, auctoritate; Calixtum summum pontificem ecclesiam in honorem beatissimæ Mariæ Virginis trans Tiberim Romæ asserit ædificasse. Baronio hæc objicit; tantam rem solis conjecturis, ac tam parvi momenti auctoritate, ut pontificalis

Digitized by Google

Damasi est; *quo in libro falsa, atque incerta non* A *pauca reperiuntur confirmari non posse.* 1. In Pontificali Damasi a Bollando edito, ubi pontificum vitæ usque ad Felicem IV digeruntur, hæc minime reperiri. Dubitationibus igitur Tillemontii omissis, quæ cardinali Bonæ, Eusebio, ac Gregorio Nisseno aggerit nulla dubitationum suarum adducta ratione, quæ contra Ecclesiæ ædificationem a Calixto trans Tiberim Romæ factam objecit, attentius consideremus.

De Pontificali, ut perhibent, Damasi, ejusque auctoritate varia est Tillemontii sententia; id observat Honoratus a S. Maria, vir de re critica optime meritus, Carmelitarum, quos excalceatos appellant, alumnus. Tillemontius siquidem cum Pontificalis auctoritate indiget, suas ad adstruendas opiniones illud commendat; si vero adversetur spernit. *Tille-* B *montius* (ita laudatus auctor) *Indice hoc ad diem obitus apostolorum constituendum opus habens, illum non sine laude nominat.* Sed cum idem ab ejus opinione *dissentiat de anno exitus apostolorum, quem Tillemontius in annum* 66, *Bucherius in annum* 65, *incidisse tradunt. tum...*, parum refert (subjicit) quid Index hic narret, tenere. Totus enim in errore ad Atherum usque versatur..., *Baronius hujus Damasi Pontificalis auctoritate confirmare nititur, Calixtum pontificem ædem Beatæ Virgini trans Tiberim construendam curasse. At Tillemontius veritus, ne id sententiæ suæ de Maria Virgine Ephesi quiescente detrimento esset, cujus non levius monumentum est, ibi fuisse templum Deiparæ consecratum, quod unum per ea tempora ipsius nomen præ se ferret:* hoc pacto ka- C lendarii hujus accipit testimonium res tanta, minuta adeo auctoritate, qualis est Pontificalis Damasi..., auctoritas, fulciri non debet.

Pontificalem librum non adeo contempsere viri magni in litteraria republica nominis, Blanchinius, atque Schelstratius, ut antiquos omittam; atque ex heterodoxis ipsis non paucos, quos inter Blondellus merito numerandus; sed quod spectat ad ecclesiam S. Mariæ trans Tiberim Romæ a Calixto S. P. tempore Alexandri imperatoris constructam, conjecturæ omnes historicæ hujus pontificalis narrationem confirmant. Summa libertas ab eodem imperatore Christianis concessa circa religionis exercitium, quod et Tillemontius ipse fatetur. Locus trans Tiberim ad ipso Alexandro imperatore Christianis concesso D ex Lampridii testimonio, ut ibidem Dei cultus exerceretur. Certe nulli alii usui esse poterat locus ille, nisi ad publicam ecclesiam ædificandam; si etenim privatis conventibus Deum colere voluissent Christiani, ipsis ut recte advertit Baronius, *complura privata loca ad id opus deesse non potuissent.* Ad publicam itaque extruendam ecclesiam locum sibi concedi petierunt, ut ibi potissimum Deiparæ Virgini ecclesiam excitarent, ubi olei fons ad partum ejusdem designandum divinitus manarat. Non enim poterant in eo loco cæmeterium extruere, cum ex duodecim Tabularum præscripto Romæ mortuos sepelire vetitum esset.

Constat igitur ex his quæ hactenus disseruimus ab ævo apostolorum, ac secundo ecclesiæ sæculo, potissimum vero tertio publicas, ac frequentes habuisse Christianos ecclesias, præcipue vero Alexandro ac Philippis imperantibus. S. itaque Zenonem occasione novæ constructæ ecclesiæ sermonem habentem, quartum sæculum attigisse minime reputandum est, cum ecclesiarum constructiones ea ætate, qua Veronensi Ecclesiæ præerat, plures in Ecclesiastica historia recenseantur.

Multa congerunt Domini Ballerinii, et summa quidem eruditione in Baronium, Perettum et Bagattam, ut ecclesiam Veronæ ædificatam D. Zenonis tempore publicam fuisse, demonstrent (*d. Dissert.* 1, *c.* 2, §. 4 *et* 5). Nos jam et in universa Ecclesia publicas ac frequentes fuisse demonstravimus. At non post facultatem a Constantino imperatore Christianis datam ecclesias ædificandi, ut ipsi contendunt, sed et tertio potissimum sæculo; quare ex publica ecclesia de qua loquitur S. Zeno inferri non potest, quarto sæculo sermonem hunc S. Præsulem habuisse.

Contra Baronium autem agentes iidem clarissimi viri eam potissimum rationem urgent, Baronium scilicet ex his S. Zenonis verbis: *Aut nullum, aut perrarum est per omnem Ecclesiam Dei orationis loci membrum, quod possit quavis ruina in se mergentibus idololatriæ ædibus nunc usque aliquatenus comparari*, collegisse S. Zenonem hujus sermonis *auctorem ante Constantini tempora claruisse, quippe quod hujus imperatoris opera, Romæ præsertim augustissimæ Basilicæ erectæ fuerunt. Optime quidem* (prosequuntur ipsi) si nullum tantum orationis locum, *cum idolorum ædibus comparari posse auctor affirmasset, non vero cum* vel perrarum, *addidit: hinc enim aliquam alicubi Ecclesiam magnificentissimis idolorum templis nequaquam cedere satis intelligit.* At illud præcipua animadversione in hoc est observandum (quod ipsimet adnotant) verba illa *quavis ruina in se mergentibus idololatriæ ædibus* comparationem instituere inter Christianorum ecclesias, et idolorum templa non integra, sed ruinis diruta, ita ut Ecclesiæ non essent comparandæ, *ne dum cum stantibus idolorum templis, sed ne cum ruinosis quidem:* hoc vero sensu quis non dicat, nos in scirpo nodum quærere, si Baronio succenseamus, qui hæc verba temporibus ante Constantinum convenire jure ac merito putat. Nam si post Constantini tempora scripsisset Zeno, nonne hac occasione Constantini pietatem celebrasset, qui dejectam Christi religionem tot amplissimis templis decoravit? Et quo pacto sine invidiæ nota potuisset S. Antistes Veronensis asserere, ecclesias Christianorum post dilatatam a Constantino religionem, ne ruinosis quidem comparandas esse idolorum templis? Neque allucinati Perettus, et Bagatta dicendi sunt, qui ex S. Zenonis assertione: *Tunc non fuisse jam templa* (conspicua scilicet ædificia) *Christianis constructa* opinati sunt, eadem ratione qua S. Zeno suo ævo ecclesias ne

Digitized by Google

cum diruta quidem idolorum templis conferendas esse affirmavit.

Adnotant insuper domini Ballerinii verba illa S. Zenonis, *Quavis ruina in se mergentibus idololatriæ ædibus*, non accipienda esse de ruina, *quam imperatores legibus intulere, cum idolorum templa deleri jusserunt* (*d. Adn.* 5) : cui adnotationi libens assentior. At quod intelligenda sint *illa, quam eædem ædes quovis casu, aut vetustate corrosæ minabantur* alienum a mente S. Zenonis puto. Potius ruina illa indicari videtur Philippi imperatoris tempore, quando fuerat Christianis impune idolorum templa destruere, ut supra ex S. Gregorio Nisseno retulimus; quare mirum non est, et christianas mulieres ad ecclesiam accedentes reprehendi a D. Zenone, quod auro fulgentes (*totum inauratæ corpus*) incederent, et quod gentiles, si pro viris doctis ipsi gentiles intelligendi sint, ut explicant iidem Ballerinii, concionibus S. Zenonis adessent; atque complures cujusque generis, ætatis, sexus, conditionis, imo, et nationis catechumenos sacro baptismate ablutos, cum summa quiete frueretur Ecclesia. Hæ quidem conjecturæ sæculum quartum non indicant. Nam et Valeriani, ac Gallieni persecutione S. Cypriani Carthaginiensis episcopi martyrio affecti corpus magno cum honore, ac solemni publica pompa sepulturæ traditum fuit (*Spond. ad an*, 261, 11, 4).

Aliud argumentum, quo hoc in eodem sermone quartum sæculum indicari probent, ex aliis verbis D. Zenonis petunt eruditissimi viri; illud iisdem ipsorum verbis afferre libet : *Postquam...* haud præcipuum... *esse dixit* (S. Zeno) *de novæ Ecclesiæ ædificatione...* laudibus geminare... quippe... quod id cum gentibus, vel Judæis potest esse commune... *hanc hujus postremæ sententiæ rationem subdit :* « Nam « et illis si liceat, vel si velint fortassis cultius synagogas ædificant, cultius erigant capitolia. » Ubi capitolia scriptum pro templa adnotant, tum prosequuntur : *Nunc adverte duas sententias disjunctive positas...* si liceat, vel... velint... *quarum prima ad Judæos pertinere minime potest*, si quidem Judæorum secta nulla lege prohibita... *traditur a Theodosio leg. de Judæis, an.* 393 ; *et solum anno* 421, *leg.* 22, *ejusdem tituli cautum fuit*, ne deinceps nullas facerent condi synagogas... *quod ipsum confirmatum legitur anno* 423, *leg.* 25 *et* 27. *Itaque Judæos respicit secunda sententia...* si velint... *prima autem...* si liceat... *palam pertinet ad Gentiles, quibus proinde templa ædificare auctoris ætate non licuisse exploratum est, quod nonnisi in quartum sæculum cadere potest, cum per Christianos imperatores idolorum templa vel ante Julianum interclusa fuerunt, vel post Julianum ita tolerata, ut nova tamen construi non permitterentur.* Acuta sane, et conveniens ratio, si S. Zenonem quarto sæculo scripsisse compertum esset; at cum ex iis quæ ab initio, et hucusque considerata sunt, constet S. Zenonem a tertio sæculo removendum non esse, dicendum potius est, sententiam illam... si liceat... Judæos respicere, alteram... si velint... Gentiles, quibus tertio sæculo extruere templa liberum erat. Judæis vero numquam sine principis auctoritate synagogas extruere licuit, utpote qui advenæ, et extorres in alieno solo habitarent. Teste etenim Josepho Antiquitatum Judaicarum lib. XIV, cap. 17, aliquando etiam in Asia a provinciarum præsidibus, et magistratibus Judæos fuisse prohibitos sua sacra exercere indubitatum est, eisque imperatorum placito fuisse permissum, nempe a Cæsare post reparatam a Pompeio victoriam ; et Marco Antonio, et P. Dolabella. Alia, quæ his duobus paragraphis quarto nempe et quinto afferunt domini Ballerinii opportuniori loco tractabimus.

Eruditissimis Ballerinis concinit conterraneus meus dominus Cajetanus Cennius sacro-sanctæ basilicæ Vaticanæ presbyter beneficiatus. At fidenter satis suam opinionem promovere satagens ab impostoribus deceptos, et Ecclesiæ rerum adhuc rudes autumat eos, qui ante Constantinum publicas extitisse Christianorum ecclesias affirmant. Videat quos carpat auctores; eminentissimos nempe Baronium et Bonam, et quem tanti facit Tillemontium; præcipue vero Bencinium, et Thomasinum inani sane conatu perstringit. Clarissimi vero Bencinii reformidans rationes, Eusebiique præcisos textus, quos idem Bencinius affert in Oriente publicas extructas ante Constantinum ecclesias fatetur, in Occidente negat. At qua ratione inspiciamus. Gallieni edictum refert primo eximius Bencinius Dionysio summo pontifici directum, aliisque episcopis, quo *per universum orbem* mandat restitui Christianis religiosa loca, qua de re confirmatur libri pontificalis assertio in Vita Dionysii. *Hic* (Dionysius) *presbyteris ecclesias divisit, et cæmeteria, et Parochias diœceses instituit.* Optime itaque infert Bencinius : *Potius Dionysius Gallieni indulgentia omnes Christianorum ecclesias in Deciana persecutione direptas restituere, dividere, et ad priorem formam reformare.* Quid ad hæc Cennius? *Per universum orbem concessam facultatem ad solum Orientem restringet?* Tum Valeriani ad senatum de aperiendis libris Sybillinis affatum adducat ex Vopisco ipse Bencinius. *Miror vos, P. C., tamdiu de aperiendis libris Sybillinis dubitasse, quasi in Ecclesia Christianorum, non in templo omnium deorum tractaretis.* Subdit Bencinius. *Ecclesiam Christianorum opponit Gentilium templo, et adeo a Christianis locum religiosum habitum, putatumque, ut interdicta omnis ratio, quæ sacra non esset. Ecclesiæ itaque erant Christianorum, seu sacræ ædes ad religionis agenda mysteria.* Valeriani verba de ecclesia Christianorum, quæ Romæ erat, intelligenda esse, quis prudens inficiabitur? Et in Occidente itaque erant ecclesiæ. Addit idem Bencinius Alexandri imperatoris rescriptum pro Christianis contra popinarios, de quo supra egimus, quod nonnisi de ecclesia Romæ ædificanda intelligi posse probavimus; et Eusebi textum a nobis supra laudatum, quem de ecclesiis in Oriente tantummodo extructis accipere, depravare est. Facile putat hæc solvere Cennius dicens : *Nihil mihi*

Digitized by Google

promovent aliter consideranti res Christianorum ante Constantinum ; Ecclesias enim totius Occidentis reputo instar titulorum urbis, domos nempe privatas fidelium, quibus ecclesia clam gentibus, seu idololatris addicta erat ad sinaxes, et collectas faciendas. Addat quæso *persecutionum tempore.* Expedita sane ratio, pro libito tamen consideret. Quis enim prudens opinionem antiquis omnibus monumentis contrariam et pro arbitrio conceptam fucum facere sibi patiatur. Falso etenim asserit : *Occidentalium certe templorum nullus affertur testis.* Constat falsitas ex mox adductis. Quod vero nullam Ecclesiæ consecrationem ante Constantinum solemniter factam fuisse legatur. Quid inde? Inanis profecto ratio! Nonne et sine solemni consecratione publicæ construi Ecclesiæ poterant? Quot et hisce temporibus publicæ Ecclesiæ sunt, licet non consecratæ?

§ III. *Quæ S. Zeno Tractatu decimo lib. primo de Veronensium largitionibus profert, quibus multos redemptos fuisse ait, non indicant captos a Barbaris post Hadrianopolitanam pugnam.*

S. Zenonis textum laudant eximii Ballerinii (*d. Dissert.* 1, *c.* 2, § 7), quem, cum aliis duobus S. Ambrosii textibus conferentes ex iis utpote conformibus redemptionem captivorum post Hadrianopolitanam Romanorum cladem S. Zenonem indicasse putant. Horum itaque textuum conformitas primo consideranda est, ipsique textus exscribendi sunt, ut de eorum conformitate constet. S. Zenonis textum ita referunt : *In fine tractatus* x, *l.* 1, *liberalitatem suorum auditorum auctor* (S. Zeno) *commendans... sed hæc inquit* « Non ad vos fratres, quorum largitas provinciis omnibus non est, quorum pia semina totius « quodam modo orbis per membra jactantur a vobis « multi redempti; multi edictis feralibus liberati; « multi conditionibus duris exuti gratias agunt. » S. Ambrosii duos textus sic allegant : *Recitanda hoc loco sunt duo S. Ambrosii testimonia ex lib.* II *de officiis, quæ de hac redemptione certe loquuntur, et ex iis apparebit quanta captivorum fuerit infelicitas, quantaque sit ejus scriptoris cum auctore nostro consensio. Primum itaque S. Ambrosius cap.* 15, *num.* 70 : « Summa « etiam liberalitas captos redimere, eripere ex hos- « tium manibus, subtrahere neci homines, et maxime « fœminas turpitudini ; reddere parentibus liberos, « parentes liberis, cives patriæ restituere. Nota sunt « hæc nimis Illyrici vastitate et Thraciæ; quanti ubi- « que venales erant toto captivi orbe, quos si revo- « ces unius provinciæ numerum explere non pos- « sint? » Barbari enim (*prosequitur num.* 71) « ni- « hil deferebant humanitatis ad misericordiam, nisi « quod avaritia reservaverat ad redemptionem. » *Aliud testimonium cap.* 28, *num.* 136, *ejusdem lib.* II, *his verbis exprimitur :* « Nos aliquando in invidiam « incidimus, quod confregerimus vasa mystica, ut « captivos redimeremus... Quis autem est tam du- « rus, immitis, ferreus, cui displiceat, quod homo « redimitur a morte, fœmina ab impuritatibus « barbarorum, quæ graviores morte sunt. Adolescen- « tulæ, vel pueruli, vel infantes ab idolorum conta- « giis, quibus mortis metu inquinabantur? » *Advertistin* (sic prosequuntur Ballerinii) « toto captivos orbe... quos qui redimeret subtraheret neci? *Quid cum auctoris nostri verbis magis consentiens?* » *Igitur ut ad argumenti summam tandem redeamus, cum noster auctor liberalitatem suorum auditorum in redimendis captivis munificentissime demonstratam commendans, redemptionem eorumdem captivorum, de quibus scripsit Ambrosius, spectet, qua una verum fieri potuit, ut id generis...* Largitas, provinciis omnibus nota esset, ejusque pia semina totius quodam modo orbis per membra jactaretur... *ut idem auctor prodit, haud dubie tractatus decimus l.* II *habitus patet post annum* 378, *quo barbari tantum captivorum numerum partim ex Romanis militibus jam devictis, partim ex tot Romanis provinciis subactis deduxere.*

Multos redemptos asserit S. Zeno : *multi redempti*, eos tamen non dicit captivos, ut S. Ambrosius : *Captos redimere, eripere ex hostium manibus, quanti ubique venales erant.* Illud namque verbum *redempti* necessario non includit captivitatem redemptorum : redimi namque dicebantur, et Christiani, qui soluto pretio præsidibus ab ejuranda fide liberabantur, ne ad colenda idola compellerentur, et hic est S. Zenonis genuinus sensus : nam cum dixisset *multi redempti*, ut declararet, se non de captis ab hostibus loqui, sed de Christianis, qui ad idololatriam imperatorum edictis adigebantur, immediate prosequitur : *multi edictis feralibus liberati*, non a captivitate liberatos dicit, sed *ab edictis feralibus*, quibus persecutio in Christianos promulgabatur, ea conditione, ut nisi Christo renuntiarent, bonorum direptione, exilio, cruciatibus, et morte plecterentur. Has conditiones, quibus edictis adstringebantur Christiani, duras dicit S. Zeno, et ab iis liberati Veronensium subsidiis summo se beneficio affectos profitebantur. *Multi conditionibus duris exuti, gratias agunt.* Ne tamen ad arbitrium S. Zenonis textum interpretari videamur, meminisse oportet duodecimi canonis primæ synodi S. Petri Alexandrini episcopi, quo ab omni culpa immunes declarantur infideles, qui pecunia se persecutione liberarunt, idque exemplo D. Pauli apostoli confirmat, *qui suas Thessalonicæ persecutiones*, ut Christianus Lupus exponit (*Lup. tom.* 1, *Dissert. Proem. post c.* 16), *permisit per Jasonem ac alios cives pecunia redimi, atque ita se liberari a necessitate prævaricandi, aut moriendi.* Redemptionis autem vocabulo liberationem hanc exprimi, qui nosse cupit, Tertullianum legat, qui suo in libro de fuga sæpe sæpius eodem vocabulo utitur. *Qui quærit, an persecutio fugienda, subsequentem quoque quæstionem jam prospiciat necesse est, an si fugienda non est, redimenda certe sit :* Ita de hoc agere incipit, fugam in persecutione contra Evangelii mentem, simul et redemptionem a persecutione improbans ab Ecclesia ad Montanum transfuga Tertullianus, quo loco sæpius redemptionis vocabulum inculcat. Christianum Lupum

Digitized by Google

adeat studiosus lector, comperietque frequentissimum ante Tertullianum fuisse hunc redimendi morem. *Ego credo fuisse vetustum* (ita contra Baronium nervosa ratione arguit idem Lupus). *Certe si novus fuisset, Tertullianus ipsum sibi familiarissima posterioritatis præscriptione invasisset.* Neque unus, aut alter hoc subsidio a persecutionis furore se eximere procurabat, sed integras ecclesias hac redemptione suæ immunitati prospicere sategisse ex eodem Tertulliano constat. *Parum denique est si unus, aut alius ita eruitur : massaliter totæ Ecclesiæ tributum sibi irrogaverunt* (*l. c. c.* 12). Et non modo ut cruciatus, et necem evaderent, sed ut etiam divina peragere illis permissum esset : quod ex eodem Tertulliano infert laudatus canonum illustrator : *Ex his discimus fuisse duas istarum redemptionum causas, nempe non dum taxat ad persecutionem evitandam, sed etiam ad obtinendam Synaxeon libertatem.* Alienum itaque a S. Zenonis mente est, cum redemptos dicat, non ab hostibus, sed a feralibus edictis Veronensium largitionibus fideles, ita ipsum explicare, ut in Hadrianopolitana clade captos a Gothis Christianos significare voluerit.

Neque S. Zenonis textus Ambrosii sententiis allatis concordes esse dicendum est, cum illa verba *edictis feralibus liberati*, quæ in S. Zenonis sermone leguntur, non captos ab hostibus indicent, ut S. Ambrosius exprimit *eripere ex hostium manibus*, sed exemptos a persecutione Christianos.

Illa tamen diversitas præcipua animadversione digna est. S. etenim Ambrosius, qui post Hadrianopolitanam cladem scripsit aperte illam nominat : *Nota sunt hæc nimis Illyrici vastitate, et Thraciæ.* S. autem Zeno ne per somnium quidem illius meminit, sed illis in verbis, *edictis feralibus liberati*, circumstantia exprimitur, quæ captis a Gothis minime convenire potest. Hi namque nullo edicto urgebantur, sed armis, et vi in captivitatem redacti pactione, et pecunia redimebantur. Tum vero maxime constat S. Ambrosium diversis scripsisse temporibus, ac S. Zeno, cum in allata secunda S. Ambrosii sententia omissa sint hæc verba, post verbum redimeremus interpunctione signata : *Quod Arianis displicere poterat, ne tam factum displiceret, quam ut esset, quod in nobis reprehenderent.* Quis enim perspicacissimo licet, ac linceo polleret intuitu singulis in sermonibus S. Zenonis Arianorum mentionem conspicere valeat? Mirum profecto, quod in omnibus Patrum operibus, quæ Arii, et Arianorum ævo scripta leguntur, plura reperiantur, quæ Ariana tempora expresse notant, hujus rei in S. Zenonis sermonibus ne vestigium quidem minimum liceat aspicere. Nonne hoc evidens est argumentum, ipsum multo ante Arium scripsisse? Nulla ergo S. Zenonis cum Ambrosii sententiarum consensio, quam eruditissimi exaggerant Ballerinii. *Advertistin... toto captos orbe.. quos qui redimeret...* subtraheret neci... Nam S. Zeno *edictis feralibus* liberatos dicit.

§ IV. *Recte conjicit Baronius ex sermone decimo libri primi in editione ultima Veronensi, S. Zenonem* longe ante Christianorum imperatorum tempora claruisse, *eo quod ibi S. Zeno dicat in nummis excudi solere signum idololatriæ, eademque idola, quæ colerentur in templo.*

Hæc sunt D. Doctoris verba : *Aurum, argentumque, Christiane, si vera dicenda sunt exsecraris in simulacris solis, non in penetralibus tuis ; nam, et illic aureis argenteisque innumerabilibus veluti templis tereti moneta percussis inesse similiter regum vultus signaque cognoscis ; nihilque aliud distat, nisi quod in tua domo minuta sunt, in templo majora, quæ si erogaveris, pecunia est, si servaveris simulcra* (*Lib.* I *Tr.* 10, *n.* 3). Baronium reprehendunt doctissimi Ballerinii hæc adnotantes ad illud verbum, *simulacra : Simulacra non erant idola quædum vera in nummis sculpta, ut hunc locum perperam accipit cardinalis Baronius in adnotationibus ad martyrologium secundæ editionis die* 12 *Aprilis, sed nummos ipsos, qui vultus imperatorum, aliaque signa nummis insculpi solita præferebant, simulacrorum nomine Zeno appellat.* Quis non videt S. Doctorem loqui de iisdem simulacris insculptis, quæ colebantur in templis. *Nihil aliud distat, nisi quod in tua domo minuta sunt, in templo majora.* Namque cum dicit : *Et illic aureis argenteisque innumerabilibus veluti templis tereti moneta percussis inesse similiter regum vultus, signaque cognoscis, nihilque aliud distat, nisi quod in tua domo minuta sunt, in templo majora*, aperte significat eadem in nummis sculpi signa, et regum imagines, quæ in templo super aras majora erant. Qua S. nostri præsulis sententia illud confirmari constat ; nempe solere imperatores Ethnicos suos in nummis vultus exhibere sub imagine suorum numinum, ut in veteri numismate, *in quo effigiatum Serapidem similem Hadriano* conspici, et hunc perantiquum fuisse morem Spondanus ex Baronio testatur (*Spond. ad an* 362, § 6) : At enim vero, et ipsæ Gentilium imperatorum imagines in nummis cusæ in templo colebantur, cum inter deos relati, aris, statuis, ac templis in ipsorum honorem erectis, tamquam Dei ab Ethnicis habebantur. Non est igitur cur Baronio succenseamus, qui genuinum S. Zenonis sensum accipiens, ex eo jure ac merito infert, S. Zenonem longe ante Christianorum imperatorum tempora claruisse. Alia S. Zenonis verba : *quæ si erogaveris, pecunia est, si servaveris simulacra*, indicant Christianis permissum fuisse uti pecunia idololatriæ signis percussa ad erogandum, tantum scilicet ad usum humani commercii. Qui vero pecuniam servasset, pecunia abutebatur, et in ea non usum respiciens, sed rem, affectione quadam, et honore idola in nummis contenta prosequi videbatur.

§ V. *S. Zeno Tr.* XLV, *lib. secundi quartum sæculum non indicat.*

Et hæc S. Zenonis verba : *Autumnus quoque Martyrii locus est, in quo non vitis, sed fossoris sanguis*

Digitized by Google

effunditur (*Adn.* 8, *ad eumdem tr.*). Quartum innuere sæculum volunt Domini Ballerinii. *Ita ad quarti sæculi Martyres* (ita ipsi) *præcipue pertinet, quippe episcopi, et ecclesiastici fere fuerunt sacræ vineæ fossores et cultores, quos potissimum impetitos eo sæculo legimus, quod prioribus sæculis non omnino convenit, cum et clerici, et laici Christiani passim a Gentilibus mactabantur.* At prioribus sæculis convenire testatur Eusebius (*Hist. l.* VI, *cap.* 21), Maximinum scilicet imperatorem in Christianos persecutione mota jussisse solos Ecclesiarum præsides tamquam auctores doctrinæ Evangelicæ neci dari. Tunc duo summi pontifices Pontianus, et Anterus non adhuc elapso duorum mensium spatio martyres obierunt. Constat etiam ex S. Cypriani epistola, et D. Zenonis, ætate Valeriani imperatoris edicto in episcopos, presbyteros, et diaconos fuisse præcipue animadversum, quare et Sixtus summus pontifex, et S. Laurentius diaconus, atque idem S. Cyprianus, aliique episcopi, eodem anno martyrio coronati leguntur. Quapropter dicendum est, S. Zenonem *fossoris* nomine hos sanctos præsules indicasse, neque sola suppositione, quod S. Zeno quarto sæculo scripserit, ad episcopos quarto sæculo in Arianorum persecutione martyrio affectos effugiendum est. Nusquam etenim legitur in Ecclesiastica historia, quarto sæculo edicto proposito persecutionem in episcopos potissimum sævisse. Neque ullum SS. Patrum a Dominis Ballerinis allatum testimonium, ne leviter quidem hoc indicat; quæ testimonia si cum S. Zenonis verbis invicem conferantur, diversum sæculum indicari quisque primo aspectu conspiciet, eo quod in iisdem testimoniis Ariani, Nicænum concilium, Valens imperator proprio nomine commemorentur, quod a Zenone prorsus alienum est, ut supra sæpius notatum est.

§ VI. *Quadringentorum annorum numerus in tractatu quinto S. Zenonis libri primi de Continentia, anachronismus est Tabellariorum vitio in ms. illapsus, accurate satis a Baronio, Peretto, et Bagatta emendatus.*

Hæc quadringentorum annorum nota, quæ in S. Zenonis tractatu de Continentia legitur, præcipuum forte argumentum est, quo ad ejusdem S. Præsulis ætatem a tertio sæculo amovendam uti possint hi, qui sub Gallieno ipsum floruisse negant. Idem plurimi faciunt cum Tillemontio clarissimi Ballerinii (*Dissert.* 1, *cap.* 2, § 1). Nos ut omni cum evidentia in eo expendendo procedamus, eorumdem verba exscribemus. *Itaque*, quadringentorum ferme annorum, *notatio, quia tradita Corinthiis Epistola Pauli ad auctoris ætatem recensentur.* Tract. V lib. I, evidens argumentum est, *eum sæculo quarto scripsisse: Sic enim ibi habetur:* « At cum ante annos ferme quadringentos, vel eo amplius apostolicum hoc operetur edictum, quo et vivaciores fuere homines, et rarissimi Christiani; cur ergo Christiano orbe ipso pene jam *toto, hominumque vivacitate mundo senescente de-* trita obtundam verbis palpantibus aciem veritatis. » *Quæ quidem Chronica notatio tum in mss. omnibus, tum in editione prima Veneta palam ac distincte posita est, nec nisi in posteriori editione Veronensi, ex qua aliæ profectæ sunt ab editoribus* (Peretto et Bagatta) *numerorum mendum incusantibus proprio marte mutato eo anno præjudicio movente, quod Auctorem tertio sæculo vixisse opinarentur.* « Quod objicitur (inquiunt), sermonem de Continentia non esse S. Zenonis martyris, cum in eo legatur auctor abfuisse a S. Pauli doctrina divulgata annis quadringentis, et eo amplius... dicimus textum, sicuti multis in locis est mendosus, ita ut sæpe fit in numeris, ibi esse depravatum. » *Quam corrigendi rationem nullo codice innixam, immo contra fidem codicum usurpatam* (qui *præterea non per numerales litteras CCCC, sed voce, quadringentas numerum exprimunt*), *Tillemontius considerans adnotatione* 6 *in persecutione Valeriani, illam satis certam, et tutam esse ait, ut se quis a gravissimis difficultatibus facile subducat, atque expediat.*

Itaque S. Zenonis textus incorruptus hoc in loco est habendus; notatio ergo quadringentorum annorum eumdem S. Doctorem sæculo quinto scribentem fateri nos coget. Nam cum epistola prima ad Corinthios juxta Baronii Chronologiam anno Domini 57, conscripta sit, hunc igitur S. Zeno sermonem protulit anno 457. Id ego minime crediderim adrisurum eruditissimis Ballerinis, qui pro IV sæculo acerrime pugnant: neque vero, ut facile demonstrari possit, tempori huic cætera quæ in eo tractatu leguntur satis conveniunt.

Cum itaque quadringentorum annorum lectio textui ipsius sermonis repugnet, ut optime Baronius notavit, manifesto dignoscitur anachronismus, et error circa annorum numerum in textum S. Zenonis illapsus.

Suæ ut adstipulentur sententiæ eximii Ballerinii textum incorruptum volunt, et quadringentorum annorum numerum non fuisse vitiatum. At eam ineunt rationem, ut ad quartum sæculum S. Zenonem revocent, scilicet usitatum dicunt auctores inter, et anteriores, et coævos, et posteriores Zenoni, ut quinquaginta annorum excessum non curarent, quam ad insinuandam assertionem suam aliquot producunt exempla, quæ hic examinanda proferimus. *Arnobius, qui Diocletiano imperante, id est sub initio quarti sæculi floruit, Hieronymo teste, nonne hæc Ethnicum adversus Christianos loquentem induxit libro* II, *pagina* 44.... Ante quadringentos annos religio, inquit, vestra non fuit...? *In Formula fidei, quam Pseudosynodus Antiochena scripsit anno* 345, *et recitatur ab Athanasio in libro de Synodis, hæc de Paulianistis leguntur:* « Christum autem ipsum, et Filium Dei factum esse, ex quo nostram carnem ex Virgine assumpsit, non totis abhinc quadringentis annis. » *Eusebius Cæsariensis ejusdem sæculi Scriptor qui diem obiit anno* 340, *sic effatur lib.* II *contra Marcellum Arausicanum, cap.* 1..., « In primis paradoxum illud est incepisse hoc verbum ab annis hinc

Digitized by Google

retro quadringentis impletis... » *Pseudosynodus Sardicensis in decreto apud Hilarium frag.* 3, *numero* 1, *tom.* II, *pag.* 648, *editionis Veronensis* (*nostræ vero editionis, tom.* I, *col.* 659), *eumdem Marcellum Ancyranum reprehendit inter cætera propterea quod... « initium... inquit... regnandi accepisse Dominum dicat ante quadringentos annos... Hæc autem pseudosynodus habita est an.* 347. »

Arnobii testimonium quod adducunt Domini Ballerinii annorum 90 circiter excessum continet : Antiochenæ autem pseudosynodi, si illud *non totis* pro ultimo anno non completo accipiatur, quinquaginta quatuor. Eusebii contra Marcellum 60 et amplius : pseudosynodi Sardicensis quinquaginta trium annorum excessum exprimit. Quomodo igitur ex iis tam diversis annorum computis canon chronologicus instituendus est, ut Ballerinii volunt quinquaginta annorum excessum a scriptoribus sæculi quarti non attendi? Obstant huic penitus novo canoni et ipsi allati textus. Obstat pseudosynodi Antiochenæ textus ; illa enim verba *non totis*, indicant, et annorum quæ supra decem vel centum numerantur haberi rationem : Indicat idem Eusebii textus illis verbis *quadringentis impletis.*

At enim vero hoc non esse in more positum inter auctores quarti sæculi evidens est. Arnobius enim lib. primo adversus Gentes cum Christianæ religionis initium definiat, aperte dicit : *Trecenti sunt enim ferme minus, vel plus aliquid, ex quo cœpimus esse Christiani, et terrarum in orbe censeri.* Quo textu Sevechius adnot. 106, in librum secundum Arnobii, anachronismum esse probat in allato numero quadringentorum annorum. *Locum vitiosum esse non attinet dicere ex eo, quod Arnobius lib. primo scripsit annos* 300, *plus minus ex quo Christiani esse cœperint, et in orbe terrarum censeri : facile videre est in objectione illa pagani, cum inquit... quadringentos... in numerorum notis valde esse oberratum.* Ad pseudosynodum vero Antiochenam.... dico Marcelli errorem indicari, ut statim post relata verba : *Non satis abhinc quadringentis annis*, subjungitur : *Ab eo enim tempore volunt Christum initium regni adeptum esse regnique finem habiturum post consummationem, et judicium. Tales sunt discipuli Marcelli, et Scotini.* Ejusdem Marcelli errorem Eusebius carpit, et pseudosynodus Sardicensis reprehendit. Minime quidem video, cur unius hæretici error ejusque sectatorum ad usitatum morum probandum allegari possit inter omnes quarti sæculi scriptores, qui contra eumdem errorem sentiunt : cum vero totum errorem respuant, et notam temporis respuere censendi sunt. Eusebius certe improbasse dicendus est, si ea quæ scribit de Christi nativitate recenseamus. Vide Spondanum in Apparatu ad Annales Baronii numero 31.

Alia congerunt testimonia Patrum Domini Ballerinii nempe S. Philastrii episcopi Brixiani, *qui S. Ambrosio coætaneus scripsit ante annum* 391, *in omnibus editis ante editionem Hamburgensem a Joanne Fabricio elaboratam, hæc tradit cap.* 3.... Et inde a Domino usque nunc anni 490, plus. *Sed Philastrius, addit mox in subjecta adnotatione Fabricius....* ante annum Christi 391 scripsisse se significat cap. 85, atque interfuit concilio Aquileiensi anno Christi 387. Hinc numerum manifeste corruptum ita restituendum esse judicavit Latinus Latinius, cui alii viri eruditi assentiuntur. *Et in textu proinde Hamburgensis editionis emendavit sic....* Et inde a Domino usque nunc anni 380, plus.... *Hæc tamen ex non observata ejus sæculi consuetudine in annis adnotandis pendent. Equidem non hoc uno capite eadem notatione Philastrius usus legitur, sed et capite* 106, *pag.* 206, *ubi scribitur....* quod contrarium invenitur, si ita qui senserint, non quadringentos jam plus annos transisse cognovimus, ex quo venit Dominus, atque completos :... *Ubi minus legendum Fabricius censet...* quadringentos jam plus minus annos... *cum si hoc significare voluisset S. episcopus haud addidisset...* atque completos... Immerito quidem arbitrio suo correxisse S. Philastrii textus incusatur Fabricius : nam objecta consuetudo asseritur, non probatur ; et ex uno incorrupto textu alios manifesto corruptos corrigere, ut Fabricius corrigit, quis audeat redarguere? Si enim S. Philastrius ipsemet, se ante C. A. 391, scripsisse testatur, quis non videt vitiatum numerum quadringentorum annorum in aliis textibus ; quod vitium ex iisdem vitiati textus verbis eruitur, ea enim verba : *plus minus atque completos indicant*, ut jam notavimus non rudi Minerva annos describi, sed circiter, quis vero hoc circiter accipiat pro excessu 90, vel etiam 50, annorum spatio : cum etenim superius dixerit *plus minus*, tum posterius corrigit, *atque completos*, ut si quis dixerit quatuor centum annis plus minus, quinimmo completis. Nam cum S. Philastrius affirmet, se ante annum Christi 391 scripsisse, quomodo completos 400 annos postea potuit asserere. Corruptus itaque textus est ; vel ipse S. scriptor in computandis annis erravit : eum namque utpote non ita exactum in re chronologica redarguit Christianus Lupus de origine Meletiani Schismatis agens. *Miscet tempora facta, varia, vera falsis.* Ita de S. Philastrio idem Lupus. Baronius vero vitiatum codicem circa 400 annorum numerum putat.

Tertulliani quoque textum laudant eadem dissertatione. *Tertullianus adversus Nationes lib.* I, *quem ineunte tertio sæculo scripsit...* tercentos... *Ferme annos pro...* ducentis... *Christianæ religioni vindicat, c.* 7.... Igitur ætati nostræ nondum anni 300 (scribendum ex testimonio sequenti, pro eo quod in editis est 250, mutato c. in l.) et *capite* 9 ;... ut supra diximus, ætati nostræ nondum anni trecenti... At cur non corrigendum potius capitis noni textus, ubi anni trecenti leguntur ex capite septimo, ubi ducenti et quinquaginta numerantur ; cum septimi capitis textus veritati magis consonet? Num ex vitioso textu incorruptus textus corrigendus est? An veritati præferendus est error? Illud enim, *ut supra diximus*, nihil addit, si pro trecentis ducenti quinquaginta anni le-

Digitized by Google

gendi sunt. Non enim subsistit exaggeratus mos de quinquaginta annorum spatio a scriptoribus antiquis non haberi rationem. Tertullianum vero annorum Christi veram Epocham tenuisse constat ex eo, quod annos enumerans (ut noster S. Zeno fecit) a tempore quo prima Divi Pauli epistola scripta fuit centum sexaginta annos exprimit, quibus si quinquaginta, et septem addantur, quando ipsa epistola data fuit, annum ducentesimum decimum septimum indicat, in quo scribebat ipse Tertullianus.

In reliquis autem, quæ citantur Chronologicis notis, nempe S. Petri Chrysologi, *qui circa medium quintum sæculum floruit serm.* 145, *de Generatione Christi in fine*... annos quingentos circiter... *a Christo nato enumerat*. Cui S. Petri Chrysologi sententiæ, assertio S. Hilarii lib. primo ad Constantium, quam Domini Ballerinii pariter afferunt, conformis est; concedendum quidem, cum rotundo numero sæcula numerantur inter medium annorum numerum non attendi, quod et in præsenti fit, cum sextum, decimum, duodecimum sæculum commemoramus. Nam et nunc decimo octavo sæculo vivere dicimur, cum adhuc medium sæculum minime attigerimus. At hæc sæculorum nota nihil proficit ad intentum, cum S. Zeno in hoc sermone non sæcula enumeret, sed annos a scripta prima D. Pauli epistola ad Corinthios, ut ipsemet indicat illis verbis : *ferme vel eo amplius*, quæ in usu non sunt, cum integra sæcula significantur : ac proinde non eadem ratione ac ii, qui sæcula indicant, explicandus est.

Arduum sane est ex uno anachronismo (frequentissime enim vetustioribus in libris reperiuntur) firmam constituere epocham, quam ad sustinendam nova prorsus conjectura adinvenienda est, quæ nulli hactenus criticorum in mentem venit, neque ratione ulla probari potest. Quinquaginta scilicet annorum excessum pro nihilo in antiquorum scriptis habendum... Hoc utique divinitare est, si canone isto chronologiæ difficultates sunt dissolvendæ. Quid ergo tanta concertatio inter viros eruditos de S. Irenæi opinione circa Jesu Christi ætatem? (Coincidit quæstio; nam Christianæ religionis epocha ab annis Jesu Christi initium habet). Ipsi namque tribuitur putasse nonnisi post quinquagesimum annum Christum Dominum ex hac vita sublatum. Cur in ipsius defensionem adducere, libros ejus fuisse vitiatos? Mineri certe licentia usus esset Irenæus, si viginti annorum spatio tantummodo Jesu Christi vitam protraxisset, quam veteres alii scriptores, qui ex hac nova conjectura Christianam æram quinquaginta, nonaginta, et amplius annos excedentem suis in annorum calculis exhibuere. Neque S. Epiphanii locum, quo S. Justini martyrium sub Hadriano posuerit, insanabilem dixisset Petavius, licet S. Justinus triginta post annos circiter sub Antonino martyr obierit. Sanari enim poterat hæc conjectura, qua non tam excessus, quam annorum defectus suppleri potest. At certum est, Justinum ea non esse usum, cum in Apologia prima, absque excessu, vel defectu ullo verum Christianæ æræ annum recensuit. *Ne qui vero præter rationem ad eorum, quæ nos docti sumus eversionem dicat ante annos centum quinquaginta, nos asseverare Christum sub Cyrenio natum esse, docuisse autem quæ docuit posterius sub Pontio Pilato*, etc., et ex ipsius verbis S. Epiphanii demonstratur anachronismus. Quis ergo inficiabitur ex hoc uno canone ad resecandum in anachronismis annorum excessum totam pessumdari, everti et confundi chronologiam? Fateor per plura Ecclesiæ sæcula ex consulum serie annos fuisse consignatos : At hæc est vera annorum Christi recensendorum ratio, ut Augustinus docet. *Per Olympiadas, et consulum nomina, multa sæpe quæruntur a nobis, et ignorantia consulatus, quo natus est Dominus, et quo passus est, multos coegit errare.* Quare ex iisdem consulum fastis veram assecutus Christianam epocham, in epistola ad Hesichium a Christi Domini nativitate ad sua usque tempora verum annorum numerum reddidit. *A nativitate Domini hodie computantur anni ferme* 420. *A resurrectione autem, vel ascensione ejusdem anni* 390. Non ea igitur necessitate adigebantur SS. Patres, cum per seriem consulum anni digerebantur rotundo aliquo numero, qui non unius, aut duorum, aut decem, sed 50, vel etiam 90, annorum excessum contineret. Quinimmo auctore Augustino, si quis error in annorum numero reperiebatur, ex ignorantia consularium Fastorum contigisse dicendum est. *Ignorantia consulatus, quo natus est Dominus, et quo passus est multos coegit errare :* quod maxime notandum est, Augustinus enim non hanc allegat consuetudinem ad anachronismos Veterum conciliandos, sed veros errores dicit *coegit errare*. Quis autem magis agnoscere debuit consuetudinem hanc, si tunc viguisset : Augustinus eorum temporum suppar, aut coetaneus, seu recentiores nostri ævi scriptores tot sæculis ab illis distantes, qui hæc ad suas epochas tuendas comminiscuntur?

Ne tamen longius divagemur a scopo ad numerum 400 annorum, quem in tractatu D. Zenonis de Continentia legimus, redeamus oportet. Quamvis 50 annorum excessum in antiquis scriptoribus non computandum, ut Domini Ballerinii asserunt, pro certo haberemus : attamen ita certum est notam illam 400 annorum in eodem D. Zenonis tractatu anachronismum continere, ut liberaliter licet concederemus, ex eadem 400 annorum nota inferri non posse S. Præsulem quinto sæculo claruisse, nempe anno 457 qui numerus a scripta prima epistola ad Corinthios anno Christi 57 additis 400 annis in laudato sermone expressis, exurgit; nullo tamen modo S. Zenonis episcopatus epocha ab anno 356 ad 380 constitui posset, ut iidem præclari viri statuere contendunt. Hoc ea ineluctabili ratione probatur, quod ejusdem sermonis textus non modo aptari non potest sæculi quinti œconomico Ecclesiæ statui, sed nec sæculi quarti, et præcipue anno 356 ad 380 id modo considerandum suscipimus.

Christianam mulierem in eodem tractatu averten

Digitized by Google

studens S. Antistes a connubio cum viro gentili luculenter admodum incommoda illi exhibet, quæ circa religionis exercitium ex hoc connubio proveniunt. Inter alia hæc habet: *Quid quod illius sacrificium publicum est, et tuum secretum? Illius a quovis libere tractari potest, tuum etiam a Christianis ipsis minime consecratis sine sacrilegio videri non potest.* Ita in editione ultima Veronensi: at in hoc Pistoriensi mss. *pro sacrilegio habet sacrificio. Tuum etiam a Christianis ipsis minime consecratis sine sacrilegio videri non potest.* In Bibliotheca Patrum: *Tuum etiam a Christianis ipsis minime consecrari sine sacrilegio videri potest.* Hæc verba: *Illius sacrificium publicum est, tuum secretum. Illius a quovis libere tractari potest, tuum etiam a Christianis ipsis minime consecrari* (ita cum editis legere placet rationibus inferius deducendis) *sine sacrilegio videri potest;* hæc verba, inquam, temporibus indicatis nempe ab anno 356 ad annum 380 convenire nullo modo possunt. Anno quippe 356 Constantio Constantini Magni Filio imperante, lege ab eodem Constantio lata, templa idolorum clausa, ac sacrificia interdicta fuerant, nec reserata templa, ac sacrificia idolis permissa, nisi anno 361 Juliano Apostata ad imperium post Constantium elato. Julianus tamen idolis licet cultum restituere studuisset, numquam tamen Christianorum sacrificia vetuit brevissimo imperii, seu tyrannidis suæ decursu. Postea vero Joviniano in imperium succedente, ac Valente, et Valentiniano, tum Gratiano, ac Valentiniano Juniore, ac demum Theodosio ad annum 390 usque et ulterius, quamvis gentilium superstitio adhuc permitteretur, tamen Christianorum ecclesias palam, ac publice frequentatas, ibique libere sacrificia christiano more peracta fuisse ex historia Ecclesiastica indubitatum est. Toto itaque isto tempore nempe ab anno 356 ad annum 380 et ultra Christianorum sacrificia publica fuere, et libere peragi potuerunt, non secreta: Itaque non hoc tempore scribebat S. Zeno, qui econtra ait, Gentilium sacrificia publica esse, et a quovis libere tractari posse, Christianorum vero secreta. Tertio itaque sæculo tum cum Gentilium sacrificia publica erant, secreta Christianorum, constituenda est S. Zenonis epocha, ut Baronius, Perettus, et Bagatta constituunt notam illam 400 annorum non ex arbitrio, *non proprio marte, neque ullo codice innixi, vel contra fidem codicum,* sed ex ipso hujus tractatus contextu corrigentes, ut alia corrigunt in his eisdem S. Zenonis tractatibus accuratissimi Ballerinii.

Et hæc potissima ratio est, cur quæ in editis lectio habetur, illi præferatur, quam iidem in ultima Veronensi editione afferunt; quod hæc minime, illa vero maxime sensui conformis existat, quem ipse S. Zenonis tractatus exigit. S. etenim doctor, ut Christianam deterreat mulierem a connubio cum gentili viro, Christianæ religionis, et idolorum cultum invicem confert. *Illius* (ita S. Zeno) *sacrificium publicum est, tuum secretum; Illius a quovis libere tractari potest, tuum etiam a Christianis ipsis minime consecrari sine sacrilegio videri potest.* Antithesis hic est duo continens orationis membra invicem opposita. Primum: *Illius sacrificium publicum est, tuum secretum.* Apertissime hic exprimitur solemnis, ac frequens idolorum cultus; cui ex adverso respondent verba, *Tuum secretum*, quæ aperte vetitam, ac periculis pœnisque a tyrannis indictis obnoxiam religionem Christianam significant. Horum verborum sensum neque quinto, neque quarto sæculo accommodari posse jam vidimus. Secundum orationis, seu antithesis membrum: *Illius a quovis libere tractari potest.* Libertas hic publice idolis sacrificandi manifesto edicitur. *Tuum etiam a Christianis ipsis minime consecrari sine sacrilegio videri potest:* quibus verbis libertatem religionis Christianis ablatam significari nemo jure poterit inficiari, ac proinde oppositio quam orationis vis, et ornatus exigit hac lectione evidentissima est. Eo vero modo, quo legunt, atque explicant Domini Ballerinii sensus S. Zenonis non constat et antithesis vis, et ornatus tollitur. Volunt quippe per illa verba *tuum secretum* significari Ecclesiæ disciplinam in occultanda sanctissima Eucharistia non modo Gentilibus, sed catechumenis. *Secretum vocat, quippe quod ex Arcani disciplina sacrificium seu Eucharistiæ mysterium non paganos solum, sed ipsos catechumenos accurate colendum esset:* Et pro illo verbo *consecrari*, ita corrigunt. *Legebatur in editis consecrati: Correximus ex ms. Pompeiano, et duobus Zenonianis* (scilicet consecratis) *Consecrati autem dicebantur qui Baptisma susceperant. Itaque minime consecrati sunt catechumeni, qui alia formula minime initiati dicebantur, de quibus ex memorata disciplina arcani cautum erat, ne in Eucharistiæ Sacramentum oculos conjicerent.* Si pro minime consecratis catechumeni intelligendi essent, nihil ad intentum argumentationis facerent D. Zenonis verba, antithesis nulla in illis esset: Nam etiam si a conspiciendo sacrificio arcerentur catechumeni, publicum nihilominus fuisset sacrificium, et libere a Christianis peragi potuisset: perperam itaque dixisset S. Doctor: *Sacrificium publicum est, tuum secretum. Illius a quovis libere tractari potest, tuum etiam a Christianis ipsis minime consecrari sine sacrilegio videri potest.* Occultatio namque sanctissimæ Eucharistiæ catechumenis, et eorum ab ecclesia ejectio tempore sacrificii, neque secretum Christianorum sacrificium faciebat, neque illis libertatem adimebat sacrificandi. Ut igitur constet sensus prædictorum verborum, *pro consecratis, consecrari* legendum est, et de libertate Christianis a tyrannis ablata sacra ministeria peragendi sunt intelligenda, ita exigente ipso sermonis contextu, quod neque quarti, neque quinti sæculi conditionibus convenit; sed necessario tertii sæculi statum indicat, quando imperatorum editis tamquam sacrilegi, deorumque contemptores Christi fideles puniebantur, qui sacra peragerent, vel sacris interessent.

Nihil frequentius in antiquis mss. amanuensium incuria unam litteram pro alia scribere, ita ut pro

Digitized by Google

consecrari, consecrati exararent : quam correctionem unius litteræ repugnantibus etiam editis, et mss. et ipsi domini Ballerinii in his edendis sermonibus adhibuerunt, ut in adnotatione 21 ad tractatum secundum libri primi : *Urbem pro Orbem faciti unius litteræ mutatione perperam in mss. et editis scriptum est. Emendationem sensus persuasit.* Editorem quoque lectionem mss. præferunt in adnotatione 4, ad Tract. XIII lib. II : *Editio Veneta capitulo, cæteræ capulo mss. autem capitulo, quod retinuissemus, si quo exemplo probari potuisset et in eamdem, qua capulum significationem usurpatum fuisse. Hic autem capulum, id est manubrium gladii significari apertissimum est : Capitulum vero idem significare nullibi alias invenimus. Itaque capulo reliquimus, ut inferius quoque capulum retinuimus, eum editis, ubi mss. habent capitulum. Et amanuensi antiquo, ex quo alii profecerint, tribuendum credimus, quod cum vocem capulo, et capulum per abbreviationem scriptam putaret, capitulo, et capitulum expresserit.* Integram quoque dictionem addere aliquando iidem solertissimi adnotatores compulsi sunt, ut tractatu III lib. I, adnot. 13 : *In editis, clausis ; porro tum in mss. tum in editis hic locus uno contextu effertur, ita ut plane intelligi nequeat ; sic enim scribitur :* Clausis oculis tertio dives est avaritia. *Correximus ut in textu : ubi cum verbum dispergit aperte supplendum fuit, ut sensus constaret ; tum vero punctum affigendum, post quod tertia orationis a Paulo propositæ pars, quæ avaritiam spectat a Zenone exponitur iisdem verbis* : Tertio dives est avaritia, etc. *ita commode intelligitur utique referri ad eloquentiam, et fortitudinem avaritiæ facientes, de quibus hactenus disseruerat.* Hujusmodi correctiones præter editorum, et mss. lectionem in eruditissimis adnotationibus ad Tractatus S. Zenonis a D. Ballerinis elucubratis passim videre est, ea ratione allata, *ut sensus constet : ne sensus esset suspensus : contextus persuasit : sententia persuasit : ut sententia efflagitat : sententiæ autem magis congruum.* Cum itaque et in hoc loco editorum lectio contextui magis consonet, præ aliis lectionibus retinenda est, et legendum. *Illius a quovis libere tractari potest : tuum etiam a Christianis ipsis minime consecrari sine sacrilegio videri potest.* Ut sensus sit Christianos sacris interessentes contra imperatorum edicta tanquam sacrilegos plecti, ut jam contra Tillemontium explicavimus. Ex hac genuina textus restitutione patenter anachronismus emergit circa ea, quæ hic allatis præcedunt verba. *At cum annos ferme quadringentos vel eo amplius.* Quippe cum anno Christi 475 asseri non posset, neque ab anno 360 ad 380 Christianorum sacrificia secreta, ac vetita fuisse, idolorum vero publica, ac libera, legendum procul dubio est pro *quadringentos, ducentos*, ut Baronius optime hunc textum corrigit. Neque huic officit correctioni, omnia mss. quadringentos exprimere, nam et hoc *amanuensi antiquo*, ex quo *alii profecerunt, tribuendum credimus.* Quare sapientissime monet clarissimus P. Honoratus a S. Maria quod : *Nihilo magis deferendum est magno similium* A *mss. numero, cum omnia ab eodem corrupto exemplari forte profecta esse possint, a quo easdem quoque maculas conceperint. Intelligentia quidem, et contextu sermonis argumento esse poterunt ad verba auctoris ab amanuensis verbis secernenda.* Hac regula usi sunt criticorum celeberrimi, Stephanus Baluzius scilicet, et Nicolaus Rigaltius, aliique. Baluzius ad verbum *Absinthia* in notis ad Salvianum sic habet : *Hunc locum ita correximus propria auctoritate, tametsi, et editiones, et mss. libri repugnarent. Utrobique enim constanter legitur.* Quid juvat stomachum abstinentia si, etc. *Sed vitio librariorum irrepsit hic error. Nam Salvianus absinthia* opponere voluit dulcibus, ut *silentia clamori, et antidotum veneno. Nostram conjecturam confirmat ipse Salvianus. Unde interim colligitur, ve-* B *rissimam esse Nicolai Rigaltii observationem, qui in præfatione ad Tertullianum adnotavit etiam veterum librorum fide falsissimas lectiones asseri.* Nam et sunt libri, inquit, depravatissime correcti, neque ulla spes reducendæ unquam veritatis, nisi tam veteres nanciscamur, ut sint omni correctorum antiquitate vetustiores et alibi idem Baluzius. *Ita correximus ex ingenio, cum antea legeretur*, injuriæ, *sicut enim mollitiem voluptatis opponit asperitatibus, sic longas delicias injuriæ : alioquin enim vox* injuriæ *nullum hic bonum sensum facit.* Hæc attulimus exempla, quæ sunt præcisa, cum et in S. Zenonis textu antithesis oppositio nullo alio sensu, quam eo, quo ejus verba explicavimus, reperiri possit : nullaque major afferri possit ratio ita corrigendi textum, quam ipsius contextus C sententia.

Illud in hoc quinto S. Zenonis tractatu primi libri expendendum restat argumentum ex iis verbis conflatum. *At cum ante annos ferme quadringentos* (ducentos ex correctione legendum) *vel eo amplius, Apostolicum hoc operetur edictum, quo et vivactores fuere homines, et rarissimi Christiani ; cur ergo Christiano orbe ipso pæne jam toto, hominumque vivacitate, mundo senescente detrita, obtundam verbis palpantibus aciem veritatis*, etc. Illa verba adhibent, *Christiano orbe ipso pæne jam toto*, quibus quartum sæculum indicari contendunt Domini Ballerinii, Marcellini auctoritatem propriam ad confirmandam sententiam adducentes, qui lib. XXI, c. 2, *ipsos quoque Romani imperii milites Christianos fuisse prodit ;* cui et Zonaræ D textum addunt his supplentes verbis. *Unde Julianus Augustus in Galliis acclamatus* « ut omnes nullo impediente ad sui favorem illiceret, adhærere cultui Christiano fingebat ; nam verebatur » *ait Zonaras lib.* XIII, n. 11, milites, quos prope universos Christianos esse noverat. Dein Tertullianum quem sibi adversari sentiunt explicare conantur : *Qui suo tempore omnes Romanas urbes Christianis impletas testetur.* Oratorie ibi illum loqui autumantes, Tertulliani verba hæc sunt : *Externi sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum, sola vobis reliquimus templa* (*in apol. cap.* 37). Demus oratorie dictum, et quodam cum excessu : At quis

Digitized by Google

potet Tertullianum gentibus pro Christianorum defensione talia prolaturum fuisse, si numero adeo pauci Christiani iidem fuissent? Ridiculam prorsus fecisset Apologiam suam. Tertulliani itaque tempore, si non urbes, insulas, castella, municipia, etc, Christiani ita impleverant, ut gentibus non esset locus; adeo tamen frequentes erant, ut implere quodam modo viderentur. Quapropter sicut Tertulliani expressio in quartum sæculum cadere minime potest, neque D. Zenonis textus, in quo orbem pene jam totum Christianum legimus, ad quartum sæculum trahendus est. Idem de aliis Eusebii sententiis a dominis Ballerinis adductis dicendum.

Verum enim vero ut hæc magis constet D. Zenonis sententia, præcipua consideratione Gallieni edictum expendamus. Refert illud Eusebius. *Indulgentiam* (ita Gallienus) *beneficii nostri per universum orbem diffundi præcipimus, ut cuncti* (Gentiles) *a religiosis locis abscedant.* Jubet imperator *per universum orbem* Christianis religiosa loca restitui. Tertio itaque sæculo diffusi per universum orbem Christiani erant. Num et Gallienum oratorie hoc in edicto locutum dicemus? Ab Trajani etiam tempore in tantum numerum excrevisse Christi fideles ex eo constat, quod magistratus ad ipsos necandos impares fuisse legamus; demonstratur quoque exuberanti fructu fidem Christi eodem tertio sæculo propagatam, cum Thaumaturgus Gregorius quindecim reliquisse infideles (totidem namque fideles erant, quando Neocæsariensem suscepit Cathedram) in Domino moriens gloriari poterit. Testatur hoc Nissenus Gregorius: *Creseeret autem mysterium Christianorum, et in multitudinem ubique terrarum propagaretur Ecclesia per eos, qui semper sermoni adjungerentur in magnitudinem exurgens* (*To.* III, *in Vita Gregorii Thaumaturgi*). Quin et ipse sanctissimus martyr Cyprianus sub imperatore Gallieno martyrio coronatus, de pace lapsis concessa ad Antonianum scribit: *Quæ litteræ per totum mundum missæ sunt, et in notitiam Ecclesiis omnibus, et universis fratribus perlatæ sunt.* Constat igitur ex iis omnibus, quæ ab exordio hactenus consideravimus, nullum ex D. Zenonis textibus deduci argumentum posse, ut quis illius epocham constituere quarto sæculo adigatur. Mox ad alia, quæ externo petuntur argumenta opitulante Deo procedamus.

CAPUT III.

§ I. *Ex S. Ambrosii Epistola ad Syagrium Veronensem episcopum, S. Zenonem quarto sæculo vixisse, probari nau potest.*

Syagrium, ad quem occasione Indiciæ virginis litteras dedit Ambrosius, *Veronensem episcopum tam fuisse, ipsius epistolæ contextum plane convincere*, Indiciamque virginem contra juris ordinem ab ipso Syagrio inspectionis subjectam, ejusdem Syagrii jurisdictioni subditam tota epistola tradi dominî Ballerinii asserunt. Indiciam tamen Veronensem non fuisse, plura ad hoc demonstrandum primo libro de sermonibus S. Zenonis capite undecimo a nec sunt allegata. Ex ipsius epistolæ contextu plane constat S. Ambrosium neque Veronensem, neque episcopum dicere, quem nominat Zenonem. Indiciam vero Syagrio non fuisse subditam, nisi obtenta delicti, cujus, licet falso, insimulabatur hæc Virgo manifestissimis conjecturis ex ejusdem epistolæ textu crutis, citato loco demonstravi. Hoc ut magis magisque pateat, notandum est in hac D. Ambrosii responsiva epistola ad Syagrium, agi de illegitimo judicio Veronæ a Syagrio instituto contra Indiciam: *Tu autem sine alicujus fratris consilio hoc judicium tibi solus judicandum putaris, in quo tamen ante judicium præjudicium feceris, ut puellam Zenonis sanctæ memoriæ judicio probatam, ejusque sanctificatam benedictione post tot annos sine auctore criminationis, sine accusatore, sine professore delationis in periculum reatus deducendam arbitrarere. Cui invidia esset a vanis, hæreticis, ut ipsi volunt, a turpibus personis conflata per scelus.* Ea vero erat, et D. Ambrosii temporibus in Ecclesia judiciorum disciplina constituta per Nicænos canones quintum, et decimum sextum, a Sardicensi concilio canone XIII et XIV, confirmatos, *ut nullus episcopus judicet, retineat, excommunicet, ordinet alienum parochianum.* Nam licet tempore persecutionum exigente necessitate episcopo in aliena diœcesi, vel in alienum subditum jurisdictionem suam exercere permissum fuerit: hæc tamen consuetudo per relatos Nicænos canones sublata est, ut optime contra Socratem notat Christianus Lupus. *Secundo falsum est* (ita Lupus *Tom.* I, *In Scholio ad* 2 *canonem concilii Constant.*) *quod episcoporum ad alienas Ecclesias demigratio, seu alienarum Ecclesiarum quoad judicia, ordinationes, aut quamvis administrationem sit interdicta ad excludendum vetustum morem toleratum olim causa Gentilium persecutionum. Gentilium persecutiones jamdudum extinctæ erant, et ex earum necessitate toleratum mortem jampridem excluserat Nicæna synodus per quartum et sextum canonem, confirmatum, atque innovatum a tertio Sardicensi.* Hujus concilii canone XIV, sola permittitur appellatio ad Metropolitanum, ei qui se ab Ordinario injuste excommunicatum causetur. *Qui ejicitur, potestatem habeat confugiendi ad episcopum Metropolis ejusdem provinciæ;* interim dum appellationis judicium agitur ordinarii firma stante sententia, donec legitime sententia in secunda instantia lata fuerit. *Priusquam autem diligenter, et ex fide singula examinata fuerint, qui communionem non habet, non debet ante rei cognitionem sibi communionem arrogare.* Quæ omnia secundo canone Constantinopolitani concilii anno Christi 381 celebrati, innovari notat idem Lupus.

Qua de re, cum et D. Ambrosii ætate hæc disciplina vigeret, quomodo idem Ambrosius Syagrio succensere potuerat: *Tu autem sine alterius fratris consilio hoc judicium tibi soli judicandum putaris.* Si subdita Syagrii fuisset Indicia? Potuit quidem Syagrius, et in non subditam judicium exercere propter

Google

delictum, ut ferebatur, Veronæ commissum. At illum reprehendit Ambrosius, quod sine consilio alterius fratris (semet modeste innuens) judicium ageret. Licet enim ratione patrati stupri Indicia ipsius Syagrii jurisdictionis subderetur; attamen cum extera esset, ut ipsius vitam ac mores agnosceret, consilium Syagrio expetendum fuit ab ipso potissimum Ambrosio, cui nota erat Indicia. Nulla alia ratio reprehensionis hujus adduci potest. Nam si Veronensis fuisset virgo, ut falso putabatur stuprata, et ipsi Syagrio nota, cur ab aliis notitia de illa exquirenda erat? De hac notitia agere S. Ambrosium ex ipsius epistolæ verbis manifestum est, cum hanc notitiam Syagrio præbeat, benedictionem et sanctificationem Zenonis pro Indicia allegans, ejusque innocuos mores textibus comprobans, at non Veronensibus, sed exteris, ut eodem 11 capite pluribus ostendi (*lib.* 1 *de Serm. S. Zen.*). Non ergo Veronensis Indicia fuit.

Ipsum vero D. Ambrosii textum afferunt eximii Ballerinii, quo evidentius constare dicunt, Indiciam Veronensem fuisse. *Quid si ex iis ipsis, quæ in Ambrosii epistola narrantur, Indiciam virginem Veronensem fuisse luculentius confirmemus? Etenim Maximus sororis vir postquam lite adversus Indiciam mota de quibusdam bonis..* judicia attentasset.. *cum vehementer angeretur* .. quod Virgo in agro affinitatis suæ refugisset consortium, muro interjecto (*in eadem utique domo*) discretas ædes uxoris suæ ac virginis, divisamque germanitatis inter sorores societatem .. *esse jusserat .. quod argumentum est evidens, mediæ domus partem ad Indiciam spectasse; si enim ex alia urbe Veronam advenisset, Maximus pro hostili, et averso in illam animo, eam domo, et urbe pellere, ac in suam patriam remittere potuisset.* Ita ex ipso D. Ambrosii textu præclari viri argumentantur. Si vero eumdem textum ad examen revocemus, non *de quibusdam bonis* Maximum judicio cum Indicia contendisse, neque eadem fuisse domum, interjecto muro ab eodem Maximo Indiciæ cognato divisam facile comperiemus. Integrum D. Ambrosii textum afferamus. *Te miror Frater* (ita Ambrosius Syagrio) *qui tantopere defendas Maximum non fuisse accusatorem, sed parentis dolore doluisse invidiam sparsi rumoris, cum ille se inimicum, et adversarium litigatorem proposito jam jurgio negare non potuerit adversus sacram virginem judicia attentavisse, muroque interjecto discretas ædes uxoris suæ, et virginis divisam germanitatis inter sorores societatem, aliaque proh dolor! et quod Virgo in agro affinitatis suæ refugisset consortium.* Inimicitiam Maximi probat ex jurgio, *proposito jam jurgio*, et divisa, *muroque interjecto*, societate *inter sorores*, et cohabitatione *discretas ædes*. Si de bonis civili judicio actum esset, inimicitiam propter intentatam litem probare non potuisset Ambrosius. Jus etenim suum civili actione prosequi infensum animum, seu odium minime arguit. At ex eo inimicum demonstrat Maximum, quod cum Indicia virgo propositi tenax a sæcularibus convenA tibus, confabulationibusque, ac ludis abhorreret; atque ut Deo vacaret etiam in agro suæ consortium affinitatis refugisset, et forte Maximi licentiam, quod innuere videtur Ambrosius, addens, *aliaque proh dolor!* Quare Maximus odio in Indiciam flagrans, conflavit calumniam, cujus fautores habuit eos, qui virginis Indiciæ continentia, ac sæcularium consuetudinum fuga offensi erant. *Nam et hic vidimus dudum, et illic esse comperimus, qui compositam hanc querantur calumniam, quos aiunt, et offensos favisse Maximo, quod ista virgo non circumeat domos, nec eorum matronas salutet, atque ambiat.* Ita Ambrosius. Nulla hic de re familiari mentio fit; quapropter si Ambrosii verba proprio inspiciamus aspectu, hæc facti hujus veritas apertissime ex ipsis verbis emerB git. Indicia, quæ Romæ, et alibi multo tempore fuit, ut ex hujus epistolæ textu, ac ex iis, quæ alias expendimus, constat, Veronam se conferens, ut apud sororem habitaret, contiguam domui Maximi, ipso consentiente domum conduxit aperto muro, ut, accessum ad sororem habens, posset tam libere secum habitare, nolens in domo cognati aliorum consuetudine distrahi, quare nec ruri cum Maximo esse voluit. Continentia Indiciæ virginis offensus Maximus primo jurgatus, ut videtur, propter liberum Indiciæ accessum e sua in domum uxoris, tum actione judiciali intentata, cui occasionem consensus præstitus de aperiendo muro a Maximo dare potuit, muro obstruxit aditum, uxoremque prohibuit, ne ad sororem Indiciam accederet, ægro id forte seC rente animo ipsa uxore sua. Demum in Indiciam stupri calumniam conflavit. Hæc ex iis, quæ apud Ambrosium leguntur, obvio emergunt sensu. Cæterum litem de quibusdam bonis, ac unam esse domum a Maximo divisam dicere divinare est. Si enim reponas, nulla opus fuisse lite ad obstruendum muro aditum, si duæ fuissent domus cum Maximus proprio arbitrio id facere potuisset. At quid si forte attentavit facere, et ex suorum, et Indiciæ familiarium resistentia, qua jurgium ab Ambrosio commemoratum ortum fuisse videtur, ad judicia confugere necesse fuerit? Si vero hæc non probentur, minus ea probanda esse dicendum, quæ nullo textus adstipulante suffragio excogitata promuntur. Litem jurgio exortam *proposito jam jurgio*, et prohibitum D tantum Indiciæ accessum interjecto muro ad uxorem dicere, nulla de re familiari mentione facta, non civile, sed quod crimen concerneret, judicium indicat. Potuit namque Maximus, qui stupri facinus Indiciæ impegit, et furti timorem insinuare judici, ut obstruendi aditum, post præstitum consensum facultas concederetur.

Quid vero scirpum in nodo quærimus? Fuerit Veronensis Indicia. Quid inde? Num ex eo Zenon qui ei benedixit, eamque sanctificavit episcopus fuit? Nil minus. Benedictio, et sanctificatio a Zenone Indiciæ impertita, non fuit solemnis ejusdem virginis consecratio, quod ut evidenter appareat, observanda Ambrosii verba sunt: *Puellam Zenonis Sanctæ me-*

Digitized by Google

moriæ judicio probatam, ejusque sanctificatam benedictione post tot annos... in periculum reatus deducendam arbitrarere. Nota verbum illud *Puellam*. Puellæ non consecrabantur, sed adultæ, et ætate grandiores, et quadraginta annorum probata Virginitate ex constitutione S. Leonis Magni. Vide Christianum Lupum in librum Tertulliani de Præscriptionibus in Scholio ad caput tertium, verbo : si virgo, quæst. 6. quæstione etiam secunda ex epistola 2 Innocentii primi ad S. Victricium Rothomagensem Archiepiscopum cap. 12 et 13, Virgines distinguit, aliasque velari meruerunt, et alias, quæ *necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se permanere promiserunt.* Et hæ puellæ erant, quæ provectiorem ætatem non attigerant, ut in eadem epistola cap. 1 et 2 : *Puella, quæ necdum velata est, sed proposuit sic manere.* Cum itaque puella esset Indicia, quando a Zenone benedicta fuit, ex hac benedictione, quæ a solemni consecratione ab Episcopo facienda distinguitur, deduci minime potest, eumdem Zenonem ab Ambrosio nominatum, fuisse Episcopum. Quin etiam si pro solemni consecratione acciperetur hæc Zenonis benedictio, neque ex eo inferri posset, Zenonem episcopum fuisse. Nam etsi in Ecclesia Latina ordinaria potestate solus episcopus potuerit sacras consecrare virgines, attamen et presbyter ex delegatione episcopi consecrare poterat. Patet ex concilio Carthaginensi tertio, capite 36, circa annum Christi 398 celebrato (nempe paulo postquam S. Zenonem obiisse volunt Domini Ballerinii) : *Presbyter inconsulto episcopo Virgines non consecret ; Chrisma vero numquam conficiat.* Vide iterum eumdem Lupum quæstione quinta. Conjectura igitur de Zenonis, qui Indiciæ benedixit, episcopatu evanescit, cum neque illum Episcopum Ambrosius nominet, neque ex benedictione Indiciæ ejus Episcopatus inferri possit : quare omnis suspicio ablata est, Zenonem hunc fuisse eumdem ac S. Veronæ Præsulem, ut sine ulla ratione asseruere Dupinus et Tillemontius, qui penitus divinando Zenonem Veronensem episcopum tempore Gallieni non extitisse ausi sunt affirmare.

§ II. *Antiquus ordo Episcoporum Veronensium minime probat S. Zenonem quarto sæculo vixisse : quinimmo ipsum tertio sæculo vixisse confirmat.*

Vetustum satis Rhythmum afferunt antiquarum rerum peritissimi Ballerinii, quo ætatem S. Zenonis quarto sæculo determinari putant. (*Diss.* 1 *c.* 3. § 3.) Rhythmum accipe, studiose Lector.

Primum Veronæ prædicavit Euprepius episcopus,
Secundus Dimidrianus, Tertius Simplicius,
Quartus Proclus Confessor, Pastor egregius,
Quintus fuit Saturninus, et Sextus Lucilius,
Septimus fuit Gricinus doctor et episcopus,
Octavus Pastor et confessor Zeno martyr Inclytus.

Hactenus Ballerinii ; at hæc etiam subjungenda quæ immediate sequuntur ;

Qui Veronam prædicando reduxit ad Baptis[mium.
A malo spiritu sanavit Galli filiam,
Boves cum ..... vergentem reduxit a pelago.

Gallieni in hoc penultimo versu legendum notant Ballerinii ex ms. Lobiensi ipsa Ratherii episcopi Veronensis manu exarato. *In hoc autem non Galli, ut Mabillonius ediderat, nec Gallieni Cæsaris, ut nos e duobus posterioris ævi mss.* (nempe e ms. Zenoniano ac Pompeiano) *loco laudato* (Dissert. 3, cap. primo § 54) *scripsimus, sed Gallieni filia palam legitur.* Hunc Rhythmum e Diptychis Ecclesiæ Veronensis erutum arbitrantur, maximoque in pretio habendum censent ; monent insuper : *Neque vero, si quæ falsa posterioribus catalogis insecta sunt, objiciantur, ut ex iis ordinis etiam Episcoporum elevetur ; nam sola Episcoporum nomina in ordinem distributa sumi potuerunt ex Diptychis, in quibus nihil præter eorum nomina legebantur, ut proinde hæc series satis tuta et vera habenda sit ; ad historica autem facta, vel chronicas etiam notas quod pertinet, cum hæc aliunde sumi debuerint, pro monumentorum, e quibus ea petita fuerunt ratione vel vera, vel fabulosa Episcoporum ordini potuerunt interseri, et sæpe ex opinione vulgi fabulis leviter assentientis intrusa sunt nonnulla, quæ ab eruditis falsissima demonstrantur. Quod monitum præcipue volumus, ne quis omnibus præter Episcoporum ordinem Anonymi Pipiniani dictis fidem accommodandam existimet, cum ea quæ de Gallieni Cæsaris filia inseruit, falsa sint, ut sequenti paragrapho ostendemus.* Volunt itaque in allato Rhythmo ordinem tantum attendi, ac seriem Episcoporum Veronensium, falsa esse, quæ de filia Gallieni dicuntur, autumantes.

Rhythmi hujus antiquitatem maxime suspiciendam et ego duxi de uno Zenone Veronensi episcopo agens ; certamque primorum octo episcoporum Veronensium seriem ipsius Rhythmi auctoritate contra Papebrochium asserui. Immerito tamen clarissimum hunc Virum erroris in eo me redarguisse ingenue fateri exigit veritas. Hoc manifestum fiet ex his quæ modo disserenda suscipio.

Tria de hoc Rhythmo ponunt doctissimi Ballerinii. Primo, aiunt ipsum e Diptychis Ecclesiæ Veronensis fuisse concinnatum : Secundo, seriem et ordinem octo primorum Episcoporum sincerum in ipso contineri : Tertio, ea quæ de Gallieni Imperatoris filia in eodem leguntur esse falsa. Singula perpendamus.

E Diptychis Ecclesiæ Veronensis acceptum fuisse hunc Rhythmum, nullo nec vetusto, nec recentiori monumento probatur ; Ecclesiæ namque Veronensis Diptycha nulla extant : ea tantum conjectura adducitur, quod cujusque Civitatis Episcopos *in diptychis ex ordine scribere, et inter Missarum solemnia ad secundum Memento omnes etiam Sanctos recitare, ex antiqua disciplina mos fuerit, tum in Oriente, tum in Occidente.* Utrum hoc ita sit, in dubium revocare non est opus ; indicasse modo sufficiat quam levi ratione affirmetur hujusce Rhythmum e Diptychis Ecclesiæ Veronensis originem trahere. Si enim hæc Diptycha

Digitized by Google

extarent, tum ex eorum cum Rhythmo collatione dignosci posset, num ab iisdem Diptychis acceptus esset ; cum vero non extent, arbitrio suo quisque potest unde hic Rhythmus sit habitus excogitare. Non fuisse vero acceptum, non levi argumento esse potest Monumentorum antiquorum Ecclesiæ Veronensis et Rhythmi hujus dissonantia : in hoc etenim Rhythmo Secundus Veronæ Episcopus Dimidrianus, Tertius Simplicius, ac Septimus Gricinus dicitur. At in tabula lapidea, quæ prope januam Ecclesiæ S. Proculi aspicitur, hæc series primorum episcoporum legitur : *Hac æde vetustissima plurium Virorum Divorum Sacrario Euprepii, Petri Apostoli discipuli, hujus urbis episcopi I, Gricini II, Agapii III, Proculi IV, Martyrumque Cosmæ, et Damiani*, etc. Fuit quidem hic lapis anno 1502 eadem in Ecclesia locatus, sed illi omnia vetustiora monumenta consonant. Consonat vetusta membrana (*SS. Episcop. Veron. Antiqua Mon. per Bagattam et Perettum collecta Ven. an.* 1576) : *Hæc sunt corpora Sanctorum sepulta in Ecclesia S. Proculi, et primo in Altari inferiori ejusdem jacet corpus S Proculi episcopi Veronensis, et fuit quartus episcopus..... In alio altari ad dextrum latus præfati altaris jacet Corpus S. Agabii episcopi, et fuit tertius Veronensis. In alio altari ad sinistrum latus præfati altaris jacent corpora SS. Euprepii et Gricini : qui quidem Euprepius fuit primus episcopus Veronensis, missus et consecratus a Beato Petro Apostolo, et similiter Gricinus secundus episcopus Veronensis.* Consonat et *inscriptio* in Altari S. Agabio erecto : *Agabio qui in Pontificatu tertio successit.* Consonat inscriptio in Altari SS. Euprepii et Gricini sito in Ecclesia S. Proculi : *Euprepio Veronæ a Christi anno* 72 *Præsuli primo, et Gricino laborum socio et comiti locus restitutus.* Duo itaque diversi Episcoporum Veronensium ordines reperiuntur ; quis ergo e Diptychis manare dicendus est ? Qui in Rhythmo legitur, an qui in veteribus monumentis ? An censendus est Anonymus Pipinianus, ut Domini Ballerinii Rhythmi auctorem nominant e diptychis eruisse, qui diptycha forte vidit numquam ? An vero Ecclesiæ, ubi eadem monumenta publice sunt exposita, in quibus donec mos viguit legendi ex Diptychis nomina inscripta, quotidie legebantur ? Antiquitate præstet Rhythmus cæteris monumentis vetustior, itaque et verior ? Quid si et in eo manifestus deprehendatur error, licet et aliis monumentis communis ? Rhythmum errores continere putant iidem Ballerinii : *Ne quis omnibus præter Episcoporum ordinem Anonymi Pipiniani dictis fidem accommodandam existimet, eum ea quæ de Gallieni Cæsaris filia inseruit falsa sint.* Recentiora monumenta quis credat tunc adinventa, cum in lapidibus et in membranis inscriberentur ? Nonne omni jure censere debemus ex aliis antiquioribus fuisse desumpta ? Ludibrio quidem cunctis esset, qui sine ullo vetustatis adminiculo tamquam vetusta exhiberet, quæ ipse proprio marte adinvenit.

Ast ego id quod sentio aperte dicam. Neque episcoporum Veronensium seriem, quæ in Rhythmo, neque eam quæ in veteribus monumentis legitur e Diptychis Veronensis Ecclesiæ desumptam puto : quod hac ratione adducor, ut credam, nam et in Rhythmo, et in monumentis Veronensibus manifestus circa episcoporum tempora reperitur error. In utrisque etenim S. Proculus quartus Veronensis episcopus dicitur, et in utrisque ante Gallienum imperatorem vixisse, cum utrobique quartus episcopus nuncupetur, et octavus S. Zeno, quem Gallieni temporibus Episcopatum Veronensem gessisse apertissime affirmant : *A malo spiritu sanavit Gallieni filiam.* Hæc Rhythmus. Anno 236 S. Proculum vixisse in Psalmista antiquo Ecclesiæ SS. Apostolorum notatur : *Anno Domini* 236 *vivebat S. Proculus quartus episcopus Veronensis, frater S. Tuscæ Virginis, magistræ S. Teuteriæ Virginis* ; et in Martyrologio Ecclesiæ Cathedralis Veronensis die 23 Martii sic legitur : *Eadem die S. Proculi Veronensis Episcopi, qui tempore Maximini sequebatur beatissimos Martyres Firmum, et Rusticum, cupiens una cum ipsis martyrio coronari, sed tamen a satellitibus expulsus in pace quievit.* Idem in aliis mss. inspicitur. Tempus vero quo S. Proculus Veronensi præerat Ecclesiæ ex certis monumentis habetur, ut clarissimi Ballerinii demonstrant dicta Dissert. prima cap. 3, § 3 : *S. Proculus* [ita iidem Auctores] *quarto sæculo ineunte in vivis erat, cum Maximiano Imperatore Veronam ducti fuere SS. Firmus, et Rusticus, qui subinde martyrio coronati sunt, ut palam fit ex antiquis ipsorum actis a Marchione Maffeio editis in calce diplomaticæ historiæ, p.* 303. *In nonnullis quidem actorum mss. pro Maximiano Maximinus legitur, ad cujus proinde Imperium Proculi ætatem provehendam arbitrati sunt ; at eum ex actis pateat Imperatorem id temporis Mediolani fuisse, Maximinus autem eo in urbe numquam fuerit, quippe qui vix Italiam ingressus in Aquileiæ obsidione mortem oppetiit, ut recte probavit noster P. Petrus Paduanus ex Ordine Conventualium apud Ughellum tom.* v. *Italiæ sacræ pag.* 685, *cumque pluribus exemplis liqueat, hæc duo nomina Maximiani et Maximini in codicibus promiscue scribi, facileque confundi, potior immo, et genuina apparet aliorum codicum Maximianum scribentium lectio, quæ quidem in Antiquis mss. quæ viderunt et allegarunt Bollandi Socii ad diem* 24 *Martii in S. Proculi inventa est ; ac jure propterea S. Proculus et SS. Firmus, et Rusticus in antiquis Martyrologiis omnibus, nec non in Romano referunt ad Diocletiani, Maximianique persecutionem, quæ desævire cœpit an* 303. *Quartus itaque Veronensis Episcopus quarto ineunte sæculo floruit.*

Optime quidem circa S. Proculi ætatem ; at inferri minime potest : *Quartus itaque Veronensis episcopus, quarto ineunte sæculo floruit.* Nam ratio cur quarto loco sit constitutus S. Proculus in serie Veronensium episcoporum ea est, quo omnia monumenta Ecclesiæ Veronensis et ipse Rhythmus ipsum Maximini tempore floruisse referunt, et ante

Digitized by Google

Gallieni tempora, quare et annum exprimunt ipsum imperatorem : *Anno Domini* 236 *vivebat S. Proculus;* ita in allato Psalmista antiquo, et in Martyrologio Ecclesiæ Cathedralis : *Eodem die S. Proculi Veronensis episcopi qui tempore Maximini sequebatur beatissimos Martyres*, etc. Quapropter hoc errore factum est, ut qui ordinem primorum Veronensium Episcoporum conscribi curarunt, S. Proculum quartum episcopum constituerint, ut Maximini temporibus concordaret. Itaque evidenter dignoscitur, non ex veteribus diptychis, sed ex variis monumentis ordinem ipsum concinnatum fuisse.

Conantur quidem Domini Ballerinii errorem hunc excludere ab eodem Rhythmo genuinam restituentes lectionem ex Lobiensi ms. carmini illi *a malo Spiritu sanavit Gallieni filiam*, in quo versu pro Gallieni Mabillonius legerat *Galli*, hac ratione scilicet, quod in eodem carmine non legatur *Gallieni Cæsaris*, ut in aliis mss., sed Gallieni tantum, qua observatione opinantur nomine Gallieni non imperatorem, sed alium Gallienum quarto sæculo viventem significari, cujus filiam ab obsessione dæmonis liberarit S. Zeno. Ex ea [restituta lectione] *illa difficultas simul adimitur, quam unam in Anonymo Pipiniano inesse putabamus, quasi Gallieni imperatoris fabulam ebibisset. Hinc etiam confirmari posse videtur, quod Dissert.* 1, *cap.* 3, § 4, *suspicati sumus eum cujus filiam S. Zeno sanavit a dæmone, fuisse vere Gallienum aliquem, qui per nonnullos in imperatorem migravit.* Ut genuinam atque cæteris præferendam ego quoque habeo lectionem antiquioris ms. Lobiensis ea potissimum ratione, quod versus a *malo spiritu sanavit Gallieni filiam* eodem numero constet, ac cæteri alii, ut inspicienti patet; si vero vel *Galli* legatur, vel *Gallieni Cæsaris* eodem numero non constat. At ex eo tantum, quod *Gallieni* legatur sine additamento *Cæsaris*, alter Gallienus ab Imperatore diversus comminiscendus sit, minime assentior, cum passim Gallienus legatur sine addito *Cæsaris* vel *imperatoris*, neque alius a Gallieno Imperatore diversus possit intelligi. In promptu habemus exemplum in allato textu martyrologii Ecclesiæ Veronensis : *Eodem die S. Proculi Veronensis Episcopi, qui tempore Maximini sequebatur beatissimos Martyres*, etc., neque ad nomen *Maximini* additur *Cæsaris*. Alius igitur exquirendus est Maximinus. Idem in Martyrologio Ordinis Prædicatorum : *Pridie idus Aprilis : Eodem die S. Zenonis Episcopi, qui inter procellas persecutionum Veronensem urbem mirabiliter rexit, ac tempore Gallieni Martyrio coronatus est.* GALLIENI scribitur sine addito CÆSARIS : quin et Usuardus in Martyrologio pridie idus Aprilis : *Eodem die S. Zenonis Episcopi.... ac tempore Gallieni martyrio coronatus est.* Et in Martyrologio Romano jussu Gregorii XIII anno 1584 editi, duodecima Aprilis : *Veronæ passio S. Zenonis Episcopi, qui inter procellas persecutionis eam Ecclesiam mira constantia gubernavit, et Gallieni tempore Martyrio coronatus est.* Ubi GALLIENI nomen aspicitur absque eo, quod vel Cæsar, vel Imperator nuncupetur, quod passim in aliis ms., et editis observare quisque potest. Nullum itaque est argumentum, eo quod in hoc Rhythmo *Gallieni* nomen sine adjecto *Cæsaris* inspiciatur, neque potest qui Gallienum hunc non esse Cæsarem inficiari. Quare superfluum est, alium Gallienum quarto sæculo fingere, cum in hoc Rhythmo dignitatis vocabulum Gallieni nomini non additum fuisse constet, ut idem in hoc versu numerus, ac in cæteris versibus servaretur : alia etenim ms. in quibus Cæsaris nomen adjectum est, Rhythmi numerum sustulerunt : *A malo spiritu sanavit Gallieni filiam.* Ita Lobiense ms., et optime. *A malo spiritu sanavit Gallieni Cæsaris filiam.* Ita in ms. Ariminensi, in quo non idem servatur numerus. Auctorem vero Rhythmi carminum numerum præ oculis habuisse, constat ex præcedenti versu : *Qui Veronam prædicando reduxit ad baptismum, a malo spiritu sanavit Gallieni filiam.* In primo etenim versu non *baptismum*, sed *baptismium* scripsit, non alia sane de causa, nisi ut idem numerus constaret in versibus. Et in hoc itaque Rhythmo Gallieni nomen de Gallieno Cæsare accipiendum est. Quare fit ut eodem errore laboret hic Rhythmus, qui in aliis veteribus mss. reperitur, scilicet S. Proculum sub Imperatore Maximino Veronæ fuisse episcopum, qui revera floruit sub Maximiano : ideoque hoc errore ducti veterum monumentorum auctores, quarto loco inter Veronenses præsules S. Proculum recensuere. Ipsum tamen S. Zenone posteriorem fuisse ex ipso Rhythmo cæterisque monumentis ostenditur, eo quod S. Zenonem Gallieni tempore et Rhythmus, et mss. collocent. Jure igitur ac merito Ughellus Petri Paduani auctoritate, quem ipsi Domini Ballerinii commendant, S. Proculum posteriorem facit Zenoni.

Verum enimvero etiamsi Episcoporum Veronensium seriem a vetustissimis Ecclesiæ ipsius diptychis desumptam esse constaret, non ex eo quis posset asserere in iisdem inalteratum Episcoporum Ordinem contineri; id ipsamet evincunt, quæ Domini Ballerinii adducunt exempla; nempe Missalis Mozzarabici, cujus textum ad hujus veritatis evidentiam hic exscribimus, ex tituto qui inscribitur : *Omnium Offerentium*, ubi sic legitur : *Facientes commemorationem beatissimorum Apostolorum, et Martyrum, Gloriosæ Sanctæ Mariæ Virginis, Zachariæ, Joannis, Infantium, Petri, Pauli, Joannis, Jacobi, Andreæ, Philippi, Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Jacobi, Simonis, et Judæ, Matthiæ, Marci, et Lucæ.* Nota illa verba : *Joannis, Infantium*, si tempus mortis attenditur multo tempore post interfectum fuisse Joannem Baptistam, quo fuerint Innocentes occisi. Si vero nativitatis, incertum. Nota etiam quoad ordinem apostolorum, Paulum ultimum apostolorum secundo loco post Petrum nominari, non ratione temporis, vel ordinis, sed quia Romanæ Ecclesiæ mos semper fuit, ut observat Le Brun, numquam sejungendi Apostolos Petrum et Paulum. Neque in reliquis ille ordo servatur, qui in Evangelio Lucæ digestus habetur, qui et Matthæi x, 1, et Marci iii

Digitized by Google

16, diversus legitur. Post Apostolorum nomina Mozzarabicum sic habet : *Item, et pro spiritibus pausantium, Hilarii, Athanasii, Martini, Ambrosii, Augustini, Fulgentii, Leandri, Isidori, David, Juliani, item Juliani.* Hilarius, Athanasius, Martinus, Ambrosius, Augustinus hic recensentur, qui diversarum Ecclesiarum episcopales sedes obtinuere, et in Oriente, et in Occidente, nec ullus Hispanicarum Ecclesiarum fuit Episcopus. Quapropter nulla ratio ordinis hic habita videbitur, sed tantum devotionis causa fuisse in dipthychis relatos Sanctos hos præsules dicendum est. Sequuntur postea in eodem Mozzarabico Leander et Isidorus, episcopi Hispalenses ; Isidorus Leandro successit, at Leander episcopatum suscepit anno 584, juxta Chronologiam Cenni nostri : fuit ne ipse primus Hispalensis episcopus? Neque unus ipsius decessorum nominatur. Sabinus certe qui quarto ineunte sæculo Concilio Eliberitano subscripsit, fuit episcopus Hispalensis, qui minime in his dipthychis recensetur ; neque ullus alius, qui ante Leandrum post Sabinum Hispalensem Ecclesiam tenuerit : nam et ante Leandrum in Cathedram Hispalensem sedit Sallustius, qui circa annum 519 cum Joanne Illicitano ab Hormisda Summo Pontifice Vicarius Apostolicus fuit constitutus. Nullus itaque hic attenditur episcoporum ordo. Post Isidorum ponitur David. Iste concilio Toletano quarto subscripsit per Marcum Presbyterum Vicarium suum, cui concilio S. Isidorus præsedit, fuit autem Auriensis episcopus. Neque hic igitur series Hispalensium episcoporum respicitur, quinimmo interrumpitur. Cum post David Auriensem episcopum Julianus Hispalensis nominetur, qui circa annum 681 Hispalensem regebat Ecclesiam, omissis aliis, qui Isidorum inter et Julianum eamdem gubernaverunt. Juliano Hispalensi, Julianus alter Toletanus sufficitur. Hæc circa Mozzarabicum Missale observasse sit satis, ex iis namque evidenter apparet nullum in iis recensendis Episcoporum nominibus ordinem fuisse servatum.

Quod vero ad Romanum Ordinem, quem in prolegomenis ad Anastasium Tract. 3, pag. 51 ex ms. Capituli Veronensis celeberrimus Franciscus Blanchinius protulit, ita in eo legitur : *Exaudi Christe..... nostro illi a Deo electo Pontifici vita III. Sancte Firme. Respondetur. Tu illum adjuva. Sancte Procul. Resp. Tu illum adjuva. Sancte Zeno. Tu illum adjuva. Exaudi, Christe, Domino nostro illi : Augusto Serenissimo imperatori nostro a Deo coronato ; magno et pacifico, vita et victoria III, Sancte Paule. Resp. Tu illum adjuva. Exaudi Christe, Dominæ Nostræ imperatrici salus, et vita. Sancta Maria. Resp. Tu illam adjuva.* Et profecto ante S. Zenonem S. Proculus invocatur : at ea ratione superius adducta, quod scilicet omnia antiqua Veronensia monumenta sub imperio Maximini per errorem S. Proculum posuerunt, quod et in aliis monumentis a Dominis Balleriniis allatis notandum.

Neque in Ecclesia Ambrosiana in Canone Missæ tam ante quam post consecrationem ordo servari conspicitur. In primo Memento : *Sed et beatorum Apostolorum, et Martyrum tuorum Petri, et Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, et Thadæi, Xisti, Laurentii, Hippolyti, Vincentii, Cornelii, Cypriani, Clementis, Chrysogoni, Joannis, et Pauli, Cosmæ, et Damiani, Apollinaris, Vitalis, Nazarii, et Celsi, Protasii, et Gervasii, Victoris, Naboris, Felicis, et Calimeri.* Post Consecrationem vero : *Nobis quoque... societatem donare digneris cum tuis Sanctis, Apostolis, et Martyribus Joanne, Jacobo, Stephano, Andrea, Barnaba, Petro, Marcellino, Agnete, Cæcilia, Felicitate, Perpetua, Anastasia, Agatha, Euphemia, Lucia, Justina, Sabina, Thecla, Pelagia, atque Catharina,* etc. Vides hic S. Hippolytum, qui sub Alexandro imperatore circa annum 229 Martyr obiit, post S. Xistum Pontificem, et Martyrem, et S. Laurentium Martyrem nominari, qui Gallieni tempore circa annum 260 pro Fide mortem oppetiere. Vincentius, qui sub Diocletiano, Cornelio, Gallo imperante, et Cypriano, Gallieni ævo martyrio coronatis anteponitur. Clemens, qui sub Trajano initio secundi sæculi, Cornelio et Cypriano postponitur. Joannes et Paulus, imperante Juliano Apostata, Martyrio affecti, Cosmæ et Damiano sub Diocletiano imperatore martyribus anteferuntur. Tandem ne diutius in hac re, quæ de se patet, ostendenda Lectorem detineam, post Consecrationem in eodem Ecclesiæ Ambrosianæ Missali Thecla D. Pauli discipula post alias S. martyres nominatur, quæ secundo, tertio ac quarto sæculo martyres obiere.

Idem in Canone Romani Missalis observabit diligens Lector ipse per sese. Quapropter procul dubio constat ordinem in hujusmodi diptychis minime attendi, neque attendi posse, cum in describendis Sanctorum nominibus vel tempus observetur, quo in Canone, aut in Litaniis positi sunt, ut constat ex additione nuper facta a S. P. Benedicto XIV, qui S. Joseph post Joannem Baptistam in Litaniis adnumeravit, vel alia Sancti prærogativa. Qua de re Martyres ante pontifices, et hi ante confessores, et Virgines tempore licet recentiores locantur. Accedit etiam in hujusmodi diptychis sanctos Episcopos a reliquis separatim describi solitos, nec non hæreticos, vel schismaticos Episcopos vetitum fuisse in iis accenseri. Quæ itaque ratio ex hujusmodi diptychis emergit ad Sancti alicujus constituendam Epocham, potissime vero S. Zenonis, cum nullo modo probetur octo primorum episcoporum Veronensium seriem e diptychis ejusdem Ecclesiæ desumptam, neque ulla hujusmodi diptycha ampliùs reperiantur. Compertum itaque cum sit, per errorem S. Proculum quarto loco inter Veronenses Episcopos recensitum fuisse, neque ulla suppetat ratio, qua probetur Rhythmum Anonymi Pipiniani e diptychis Ecclesiæ Veronensis concinnatum fuisse : Ordoque Episcoporum licet ex iisdem diptychis desumptus, tempus et seriem Episcoporum minime ordinatam exhibere, corruit argumentum a Dominis Balleriniis deductum.

Digitized by Google

Quartus itaque Veronensis Episcopus (S. Proculus) *quarto* ineunte sæculo floruit. Cum vero S. Zeno octavus inter Veronenses Episcopos numeretur, inde concludunt, post medium quartum sæculum S. Zenonem Ecclesiæ Veronensi præfuisse. At enim vero licet in dubium revocari non possit, S. Proculum *quarto ineunte sæculo floruisse*, illud vero falsum est, ex iis quæ supra ostendimus, S. Proculum quartum fuisse Episcopum Veronensem. Vixit itaque S. Proculus initio quarti sæculi, at non ante S. Zenonem, qui Gallieni ætate post medium tertium sæculum Veronensi Cathedræ præerat, ut inferius etiam ostendemus; neque quartus Episcopus Veronensis dicendus est, sed cum Ughello nonus, S. Zenonis, qui octavus fuit, successor.

Sextum Veronensem episcopum hoc in eodem Rhythmo Lucilium legimus. Hunc D. Ballerinii Lucillum esse contendunt, qui anno 347 Sardicensi Concilio subscripsit. At ipsi ea integritate, qua pollent, in hac potissimum Zenoniana editione notant, in actis Concilii ejusdem Sardicensis subscriptum reperiri Lucium, sicuti et in Synodica ad Julium Papam. Lucium hunc eumdem esse, quem S. Athanasius, et in prima, et in secunda, ad Constantium Apologia Lucillum nominat, pro certo habendum puto: nam quamvis ipse se Lucium nominet, *Lucillus forte ob parvam staturam diminutive vulgo dictus fuit*, ut iidem Domini Ballerinii optime notant: cujus rei exemplum in Episcopali Oratorio Pistoriensi S. Antonini Episcopi Florentini epistola propria manu subscripta suppeditat, quæ inter sanctorum Reliquias distincta veneratione custoditur; in ea enim se Antonium subscripsit, non Antoninum, ut vulgo nuncupatur. Lucillum itaque Sardicensi concilio anno 347 subscripsisse fateor, neque Ughello assentior, qui eidem Concilio non Lucillum, sed Lucidum subscripsisse dicit. Nihilotamen minus hunc Lucillum sextum non fuisse Episcopum Veronensem pro certo habeo. In Rhythmo etenim Lucilius legitur pro Lucidio, non Lucillus pro Lucio: nam quod pro Lucio Lucillus sit vocatus, hoc in aliis nominibus diminutione quadam frequenter accidit; pro Lucio vero vel Lucillo Lucidum scribere, nulla diminutio est, quæ vel staturam hominis, vel affectum proferentis exprimat, sed aliud prorsus nomen. Pro Lucidio Lucilium legi id amanuensis vitio fieri potuit: et forte antiquus character tempore detritus corpus *d* amisit, lineamque *l* tantum retinuit, quo factum est, ut pro *d l* scriberetur, et pro Lucidio Lucilius. Inter Veronenses namque antiquos Episcopos Lucidius reperitur et Lucillus; Lucilius vero numquam. Et hic Lucidius sanctitate conspicuus Veronæ colitur, de quo ita habetur in Sanctorum episcoporum Veronensium antiquis monumentis: *S. Lucidii Episcopi Veronensis corpus requiescit in Ecclesia S. Stephani, ut ex tabula vetusta ex membranis in Sacrario S. Stephani, ex Francisco Corna, et ex tabula Sanctorum die 26 Aprilis de quibus supra.* De eodem Lucidio 26 Aprilis meminit et Martyrologium Romanum. Nullum proinde argumentum ex Rhythmo allato peti potest ad S. Zenonis Epocham quarto sæculo constituendam; cum S. Proculus, qui quarto ineunte sæculo Veronensem regebat Ecclesiam errore, ut supra ostensum est, quarto loco inter episcopos Veronenses descriptus sit. Et S. Lucilius, qui sextus episcopus numeratur, Lucidius vere sit nominandus, et alius sit a S. Lucillo, qui Sardicensi concilio interfuit, cum inter Veronenses episcopos numquam Lucilius legatur, sed Lucidius. An vere falsa sint, quæ de Gallieni filia in hoc eodem Rhythmo leguntur, modo inspiciendum est.

§ III. *De narratione Coronati Notarii seu vita S. Zenonis a Coronato Notario descripta, quid sentiendum sit.*

Coronati Notarii de S. Zenone narrationem fabulis accensent Domini Ballerinii his potissimum rationibus (*Dissert.* I, *cap.* 3, § 3): *Primo mirum illud factum, quo unica Gallieni filia Zenone ad Imperatorem per nuntios accito a dæmone liberata traditur, adeo insigne et solemne esse debuit, ut incredibile plane sit, quod per quinque circiter sæcula nihil de illo litteris quispiam prodiderit, primusque, qui ejus fecerit mentionem, septimo vel octavo sæculo Coronatus Notarius fuerit. Dein numero* 5, *monasterium, in quo S. Zeno cum pluribus aliis et eodem quidem Zenonis nomine appellatis, degeret, Veronæ publicum fuisse indicatur, quod de tribus primis sæculis, cum Christiani persecutionum causâ latitantes, nihil publicæ ædificationis præferebant, incredibile omnino est. Præterea Imperatoris nomine Zeno rogatus, ut filiam ejus a dæmone vexatam sanaret, cum eo profectus ejecisset dæmonium,* coronam regalem, *quam ipse Gallienus imperator,* capite suo gestabat, *ab eodem accepisse traditur, quam mox pauperibus distribuit: cum ante Aurelianum id generis ornamentum Romanis Imperatoribus non fuerit in usu. Quis dein tueri probabiliter poterit ethnicum imperatorem Zenoni concessisse,* ut idola omnia destrueret, et in Christi nomine Ecclesias fabricaret, *idque cum is Veronam repetisset, factum fuisse? ita ut cum ne una quidem publica alibi Christi ecclesia fuerit. Veronæ per Zenonem imperatoris ejus mandato plures fuerint constructæ, uti proditur numero* 7. *Sed plura alia, quæ considerari possint, omittamus; hæc enim ad narrationis hujus figmentum demonstrandum apud idoneos judices satis superque sint.*

Tanquam incertum et dubium nos etiam hanc Coronati narrationem rejecimus propter diversitatem præcipue, quæ in diversis mss. reperitur. Aliud ms. recenti quidem charactere conscriptum, at ab antiquioribus, ut par est credere, exemplatum penes me habeo, a quadam Sanctimoniali Abbatissa Pistoriensis Conventus S. Joannis Baptistæ dono acceptum, cujus copiam in fine hujus paragraphi inspicere poterit Lector. In pluribus ab eo ms. differt, quod afferunt Domini Ballerinii inter monumenta de S. Zenone pag. CXLVII. Inter alia hæc habet ms. hoc Pistoriense, quæ in edito ab iisdem præclaris viris in ultima Veronensi editione non leguntur: *In diebus Imperatoris Gallieni, qui per successiones Cæsarum*

Digitized by Google

vigesimus septimus in eorum est Catalogo subrogatus, quo etiam tempore Dionysius Vir Reverendissimus a B. Petro Apostolo vigesimus sextus romanæ præsidebat Ecclesiæ, in Provincia Italiæ in Civitate Verona B. Zenonis acta claruerunt. Desunt vero hæc : *Quamvis plura sint nomina in monasterio nostro de nomine isto, quem vos dicitis.* Quæ in edito leguntur num. 4. Numero vero 5 in edito legitur : *Quo S. Dei Episcopus dum iter ageret, ante pervenit, quam hi, qui missi fuerant, milites.* In ms. vero : *Sanctus quoque Episcopus cum celeri peregrinatione iter ageret, ante pervenit, quam hi, qui missi fuerant, milites.* Desinit ms. in narratione Miraculi, quo Gallieni filia a dæmone liberata fuit, hac de causa, ut puto, quod Sanctimoniales S. Francisci Regulæ addictæ, Festum tantummodo S. Zenonis celebrarent sine octava, ut et præsenti tempore fit, ideoque solas eas lectiones pro celebrando officio sibi compararunt, quæ pro Festo die usui erant, cæteras, quæ pro diebus octavæ legebantur, omittentes, in quibus reliqua digesta erant, quæ post liberationem Filiæ Gallieni in ms. describuntur.

Incertam licet ac dubiam hanc eamdem narrationem crediderim, et adhuc credam, attamen apertius de ea quid sentiam, re melius considerata patefacere non verebor. Nomen illud *Notarii* additum Coronato videtur innuere S. Zenonis Vitam a quodam Notario, qui persecutionum tempore Acta Martyrum conscribebat, et D. Zenoni contemporaneo exaratam fuisse. Quod vero hæc vita inscribatur : *Sermo Venerabilis Coronati*, etc., hoc ideo factum fuisse puto, quod in lectiones pro Divino Officio redacta fuit, eo quod Veronensis Ecclesiæ traditioni conformis erat. Quare non multum a verosimili distare videtur antiquitus lacinia quædam fuisse reperta hujus vitæ a Coronato Notario descriptæ, non vero totam, quæ ab ipso conscripta fuit. Quapropter ad eamdem vitam continuandam alia ab aliis insecta sint. Hoc suadet diversitas ms., nam cum Ecclesiæ, quæ S. Zenonis festum celebrabant, imperfectam S. Zenonis vitam, ac pauca a Notario coronato scripta viderent, quisque quæ deerant curavit diversis quidem verbis supplere, cum non unus in id, sed plures separatim incumberent : omnes tamen, quæ in cartulis, seu reliquiis scriptorum Coronati legebantur retinentes, vel forte aliquid addentes, quod non in omnibus mss. inspicitur, ut illud, Sanctum scilicet Zenonem a Matris utero sanctificatum. Ordinatum Episcopum Veronensem, et similia. Alia amplificasse, nempe omnia idola Veronæ destructa. Plures ædificatas Ecclesias. Et illud quod diversis verbis exprimi in ms. notavi. In pace defunctum esse S. Zenonem. Idem quippe, et in hymnis factum fuisse videmus, præcipue in hymno *Præsulis Sancti* in quo legitur : *Magnus Excelsi fuerat Sacerdos*, ut in editis a Dominis Balleriniis inter monumenta pag. 168. Ferrarius vero ex aliis mss. legit : *Martyr Excelsi fuit, et Sacerdos.* Pro variis namque D. Zenonis solemnitatibus verba mutabant, ita ut in festo Ordinationis canerent : *Magnus Excelsi.* In Festo Natalis *Martyr Excelsi.* Ita et in lectionibus religioni habebant commemorare Martyrium in Festo Ordinationis S. Zenonis, quare in pace defunctum fuisse legebant : Martyrii tamen æquipollentia verba intacta relinquebant, ut in eodem hymno, *Præsulis Sancti. Pro Deo tandem patiendo mortem, vivit in ævum.* In hoc vero ms. Pistoriensi, quod nuper commemoravimus, legitur : *In Deo tandem patiendo mortem.* Si cui vero hæc non probantur, certum tamen est, hæc eadem, et Auctoritati, et Traditioni, aliisque conjecturis, quas recensuimus, inniti. Excogitatum vero Gallienum sæculo quarto ab Imperatore Gallieno diversum nulla ratione fulciri; ut ex iis quæ ab initio huc usque ponderata sunt, et ex iis, quæ mox subjicie-
mus, constabit, et primo :

Mirum illud factum, quo unica Gallieni Filia Zenone ad Imperatorem per nuntios accito a dæmone liberata mirifice traditur, litteris non fuisse a quopiam traditum, asseri minime potest. Numquid si S. Zenonis acta in Diocletiani persecutione periere? Num actorum Ecclesiæ Veronensis et Monumentorum vetustiorum indicem proferre possumus, in quo nihil de ea re adnotatum videamus? Nonne incendio tota fere Verona consumpta est? Facta ergo quæ ad nos usque scripto non pervenerunt, litteris mandata non fuisse, dicendum non est. E veteribus autem scriptis, quæ de S. Zenone habemus confusa licet, derivasse ex eo demonstratur, quod in iis, quæ sub Coronati Notarii nomine sunt edita, legitur : *Evolvimus tanti Viri Virtutes.* Adnotant ad hæc verba Domini Ballerinii : *Cave ne ex hac voce, volvimus, scriptum aliquid ante Coronatum existimes de Zenonis gestis, unde is, quæ litteris consignavit, ebiberit.* Nihil aliud afferunt suam hanc ad confirmandam cautelam, quod id ostendat. Quin ms. Pistoriensi quod proferemus inferius aperte constat, ex antiquioribus mss. ea, quæ nunc habemus, esse desumpta. *Nos itaque, licet iis, qui talia conscripsere, simus impares, et penitus ad exprimenda, quæ gessimus inefficaces, quomodo rei materiam verborum compositio non æquiparat, ea tamen quæ de B. Zenonis Virtutibus, vel scriptis, vel carminibus ediscere voluimus, disseramus.* Quæ autem huic mss. fides habenda sit, ex inferius adnotandis constabit. Ex residuis itaque cartulis, quæ de Coronati Notarii S. Zenoni contemporanei vita remanserunt, hæc concinnata fuisse a verosimili non abludit, quamvis enim aliis, et aliis verbis in diversis mss. legantur, in re tamen convoniunt; ex quo conjicitur omnes, qui S. Zenonis miracula narraverunt, unum præ manibus habuisse scriptum mutilum licet, et corrosum, cui sese conformarint : non igitur unica populari traditione nituntur ea, quæ de S. Zenone, et præcipue quæ de Gallieni Filia scripta leguntur. Hæc de prima conjectura, qua Domini Ballerinii narrationem impetunt.

Magis profecto urget secunda ratio, qua verba ista in Coronati narratione notantur. *Indica nobis si*

Digitized by Google

disti Zenonem Episcopum, quem nos ex jussu Imperatoris perquirimus. Ita milites S. Zenoni. Quibus ille : *At ille respondit dicens : Quamvis plura sint nomina in monasterio nostro de nomine isto quem vos dicitis : tamen quod missi estis, dicite.* At in sæpe citato hoc Pistoriensi ms. hæc verba desunt. Sic enim habet : *Indica nobis si vidisti Zenonem Episcopum, quem nos ex jussu Regis perquirimus. At ille respondit : Ad quid missi estis dicite.* Videntur itaque ab alio adjecta ea ratione, qua superius, nempe ut ex cartulis Coronati Notarii corrosis, et mutilis ita narratio continuaretur, ut pro lectionibus in officio S. Zenonis sufficiens esset, non solum pro die festo, sed pro tota octava; quod et in aliis narrationis hujus locis factum esse, ex diversis mss. apparet.

Tanti vero faciunt præcipue Tillemontius tertiam, quam objiciunt Domini Ballerinii conjecturam, ut ea sola totam de Gallieni Imperationis filia a dæmone liberata narrationem corruere existiment. Quare vel cum Mabillonio in antiquo Rhythmo Gallum, non Gallienum legendum putant (At Gallienum vere legendum ex Lobiensi ms. probant solertissimi Veronenses editores) vel alium a Gallieno imperatore diversum Gallienum confingunt. Conjectura eruitur ex eo quod Gallienus liberata a dæmone filia corona aurea, *quam ipse Gallienus Imperator capite suo gestabat, donarit* S. Episcopum. Volunt enim *ante Aurelianum in generis ornamentum Romanis Imperatoribus non fuisse in usu.* Quam vero longe a veritate distent, ex pluribus antiquis numismatibus manifestum est. Augustus in nummi effigie corona radiata capite redimitus inspicitur. Trajanus quoque duobus in nummis et Valerianus Gallieni Pater, Gallienus vero tribus in numismatibus tali corona videntur ornati. Hæc numismata exhibet Harduinus post secundum Caii Plinii tomum ab ipso editum. Et in numismatibus aureis Romanorum Imperatorum ab Jacobo de Bie collectis, Tab. 40 Pupienus, Tab. 41 et 42 Philippi, pater et filius, Tab. 42 Hostilianus, Tabula 43 Æmilianus, Tab. 44 Valerianus et Gallienus eadem corona radiata insigniti aspiciuntur. Romæ insuper in Barbarinis ædibus dum antiqua cementa effoderentur, numisma repertum est, ut Romanæ Litteratorum ephemerides anni 1677, pag. 173, referunt, tribus imaginibus insculptum, nempe Valeriani, Gallieni Imperatorum, et Valeriani junioris, ubi Gallienus radiata corona distinguitur. Cautius igitur in rebus antiquis agendum est, neque enim omnia antiqua monumenta perspecta nobis sunt, plurima perierunt. Temere aliquando spernuntur antiqua mss., quæ magis vera sunt, ut in hac Coronati narratione contingit : eo etenim capite, quo infirmari putabatur, magis confirmari conspicimus; cum ex hac a Gallieno S. Zenoni corona dono data, non omnia quæ in ea continentur inter fabulas recensenda esse evidenter appareat, præcipue quæ de Gallieni filia scribuntur.

Neque veritati de Gallieni filiæ liberatione officit, quod adnotant iidem rerum historicarum peritissimi Ballerinii (*Adnot.* 10, *in Monum.* p. 148). Nempe in Coronati narratione ter unicam appellari filiam Gallieni, cum præter filiam, duos etiam masculos habuerit, ut ex Gruteriana inscriptione, p. 275 ostendunt ipsi. Nam cum Gallienus unam tantum filiam habuerit, quod verbo unica exprimitur, hoc sermonis barbarici, qua tota hæc narratio redundat, donandum est.

Quod tandem non probandum videtur : *Ethnicum Imperatorem Zenoni concessisse, ut idola omnia destrueret, et in Christi nomine Ecclesias fabricaret* : exaggerate dictum fuisse, fatendum est, non a Coronato, sed ab ipsius consarcinatoribus. Cæteroqui enim constat Gallienum edicto publico mandasse religiosa loca Christianis restituenda; quare a verosimili non videtur alienum, et D. Zenoni concessisse, ut Ecclesiam construeret, de qua S. Præsulem sermonem habuisse, superius vidimus. Non autem in omnibus mss. hæc reperiuntur, desunt enim in ms. Abbatiæ S. Salvatoris Montis Amiati, quod refert Ughellus.

De hac igitur Coronati Notarii narratione ita sentiendum videtur. Prologum additum esse a variis, quod ipsa in pluribus ms. diversitas suadet. Ex antiquis autem Coronati monumentis sola duo miracula a temporis injuria residua remansisse; scilicet miraculum hominis in Athesim, dum plaustro ferretur demersi, ac a S. Zenone liberati, et liberationem Filiæ Imperatoris Gallieni; quæ tamen miracula non verbis Coronati narrantur, nisi forte quibusdam, quæ eodem in ms. leguntur. Quod evenisse videtur, quia Coronati verba interpolatis et corruptis litteris sensum perfectum non exprimebant, ad continuandam narrationem alia sunt addita, et quædam, quæ non probanda videntur, hæc ea sunt, quæ in omnibus exemplaribus non reperiuntur, ut ex collatione ms. quisque conjicere potest. Hoc et in præsenti ms., quem fideliter exhibemus, si cum edito a Dominis Ballerinis conferatur, poterit observari. Nihil autem certius in eadem narratione contineri dicendum est, quam coronam a Gallieno D. Zenoni donatam, ut ex variis numismatibus comprobatur.

I Ms. Pistoriense Monasterii S. Joannis Baptistæ.

In solemnitate S. Zenonis Episcopi, et Con. *Ad Vesperas Ant.* : Dominus Jesus Christus, *cum reliquis de Laudibus, in fine Laud.*

D. omnes.

Cap. Ecce Sacerdos Magnus :

HYMNUS.

Sancti Zenonis præsulis
Hymnum Christi deferimus
Qui evitavit sæculum
Mercatus Christi præmium
Qui in adolescentia
Dei præcepta tenuit,
Stipemque largam jugiter
Erogavit pauperibus.
Piscandi arte usus est
Dogma sequens orthodoxum,
Mersit manum in gurgite,
Piscavit Christi gratiam.
Instar Petri apostoli
Digna sortitus merita,

Digitized by Google

Pater Pistoriensium,
Confessor, gemma præsulum.
Crebris quoque jejuniis
Carnis repulit vitia,
Sæpe docendo populum
Destruxit mundi idola.
Magnus existens medicus,
Infirma sanans corpora,
Sæpe liberos animos
Obsessos a diabolo.
Tanta repletus gratia
Obiit in Christi requiem,
Et nobis semper maxima
Ostendit mirabilia.
Rogemus ergo populi
Confessorem Altissimi,
Ut ipse nobis impetret
Pacem et indulgentiam. Amen.

℣. Ora pro nobis, Beate Zeno.

℟. Ut digni eff. prom. Christi.

Ad Mag. Ant. Dum Zeno Pontificatus honore polleret valde, meritis non paucis existentibus, Gallieni Cæsaris filiam a ruinosa peste Dei virtute sanavit. *Ps. Mag.*

Ad Mat. Invitatorium.

Confessorum Regem adoremus. Qui cœlestis regni meritum, et gloriam contulit sancto suo Zenoni. *Ps. Venite, exult.*

In primo Noct. Ant.

Ab utero matris fuit santificatus beatus Zeno, et a cunabulis benedictus. *Ps. Beatus vir qui. Ant.* Probitatis et scientiæ jugibus incrementis ad hoc pertingere meruit, ut per sacerrimam vitam pastor in populis efficeretur. *Ps. Quare frem. Ant.* Continuis jejuniis et orationibus crebris a Domino petebat, ut sibi aditum prædicationis in populis aperiret. *Ps. Domine, quid mult.*

℣. Ab utero matris fuit sanctificatus Beatus Zeno.

℟. Et a cunabulis benedictus.

In Festo S. Zenonis Episcopi et Conf.

Lect. I.

Olim peritissimorum disciplinabilis mos exstitit, virorum indagatione diligenti sanctorum vitas exquirere, earumque seriem styli officio sollicite, ac rationabiliter memoriæ posteritatis assignare, quatenus ob suæ studium doctrinæ, virorum in orbe imitatione potirentur, et eorum quandoque consortio in perennis vitæ gloria fruerentur. Sic etenim instat sapientis mens ad investigandas sanctorum vitas, tamquam si aliquis sitiens ardore solis adustus avide fontium concupiscat fluenta, vel etiam si quis desideratissimum ex remota regione audire ambiat nuntium, aut certe si quilibet deliciarum dapibus educatus in quodam longinquo itinere positus, esuriem ad solitam sui cupiat ventris pervenire satietatem. ℟. Hic est sacer antistes Zeno, quem gemina virtute Dominus sanctitatis et sapientiæ decoravit. Cujus præclara fulserunt in mundo miracula, et in cœlis adeptus est Angelorum commercia. ℣. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est. Cujus, etc.

Lect. II.

Nos itaque licet eis, qui talia conscripsere simus impares, et penitus ad exprimenda quæ gessimus inefficaces, quomodo rei materiam verborum compositio non æquiparat, ea tamen quæ de beati Zenonis virtutibus vel scriptis, vel carminibus ediscere valuimus, disseramus. ℟. Ab utero matris fuit sanctificatus B. Zeno, et a cunabulis benedictus ab hoc pertingere meruit, ut pastor in populis per sacerrimam vitam efficeretur.

℣. In omnem terram exivit sonus conversationis ejus, et Sanctitas luculenter emicuit. Ut Pastor, etc.

Lect. III.

In diebus Imperatoris Gallieni, qui per successiones Cæsarum vigesimus septimus in eorum est catalogo subrogatus, quo etiam tempore Dionysius vir reverendissimus a beato Petro Apostolo vigesimus sextus Romanæ præsidebat Ecclesiæ, in provincia Italiæ, in Civitate Verona B. Zenonis acta claruerunt. Cujus viri virtutes ad liquidum quas in conversatione vel in miraculis peregit explicare non sufficientes, aliquas tamen juxta quod attingere possumus, enarrare veridica ratione conamur.

℟. In secretiori parte Oratorii continuis jejuniis et crebris orationibus a Domino petebat; Ut sibi dignaretur aditus prædicationis in populis aperire. ℣. Ad convertendas in amorem Episcopi animas hominum die noctuque deditus erat. Ut, etc.

In secundo Noct. Ant. Affabilis ita erat in sermonibus, et in habitu mitis, ut Deus in illo collaudaretur ab omnibus venientibus ad se.—*Ps. Cum invoc.—Ant.* Dum exercitio piscationis fungeretur in fluvio, vidit quemdam hominem in plaustro sedentem per præceps in amnem demergi. *Ps. Verba mea. Ant.* Vir Dei elevata sursum manu fecit signum sanctæ Crucis dicens: revertere retro, Satanas, ne perimas hominem quem Deus creavit. *Ps. Domine Dominus noster.* ℣. Sacerdos Dei Zeno sedebat super lapidem. ℟. Et artis apostolicæ documenta sequens piscabatur in flumine.

Lect. IV.

Fuit itaque a matris utero sanctificatus, et a cunabulis benedictus, ut assertione divina in eo repeti videretur, quod Jeremiæ dictum est: Priusquam te formarem in utero, novi te, et antequam exires de ventre, sanctificavi te. Denique probitatis atque scientiæ jugibus incrementis ad hoc pertingere meruit, ut per sacerrimam vitam pastor in populis mereretur. Nempe audiant populi omnes, qui ejus cupiunt nosse miracula, quia in omnem terram sonus exiit conversationis ejus, et sanctitas luculenter emicuit. ℟. Affabilis ita erat in sermonibus, et mansuetudine, atque habitu mitis. Ut Deus in illo collaudaretur ab omnibus ad se venientibus. ℣. Ita existebat alacer, ut mox ad eum properantes relictis, idolis, Domino crederent Jesu Christo. Ut Deus.

Lect. V.

Erat enim sedens in Monasterio in secretiori parte oppidi Veronensis continuis jejuniis, et orationibus crebris a Domino petebat, ut sibi dignaretur aditum

Digitized by Google

prædicationis melliferæ in populis aperire. Igitur ad convertendas in amorem Christi animas hominum die noctuque deditus erat. Revera quod Sanctus ejus Spiritus purarum illuminator mentium, doctor existebat, sicut ipsa veritas loquitur, dicens : Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Ita sane affabilis erat in sermone, et in habitu mitis, ut jure Deus in ipso collaudaretur ab omnibus venientibus ad se. Ita alacer, et in splendifico nitore facundiæ vividus, ut mox ad eum properantes, relictis idolis et pravitate gentilitatis, Domino crederent Jesu Christo. ℟. Dum in fluvio Adasi piscationis exercitio fungeretur, erectis sursum oculis, vidit hominem in plaustro sedentem, bobus subjunctis in amnem demergi. ℣. Tanta enim velocitate ferebatur, ut cunctis ostenderetur antiqui hostis arte peractum. Bobus.

Lect. VI.

Per idem tempus juxta Urbem Veronam dum egrediens idem vir a monasterio, in Adasi flumine piscationis exercitio fungeretur, erectis sursum oculis, vidit ex adverso quemdam hominem in plaustro sedentem, bobus subjunctis per præceps in amnem demergi. Tanta quippe miserabilis velocitate ferebatur, ut palam cunctis cernentibus daretur intelligi hoc diaboli arte fuisse peractum. Sanctus itaque vir dum intentis luminibus hoc a longe prospiceret, cognovit lymphaticam viri ruinam, factum diaboli esse. Itaque interea Vir Dei elevata sursum manu, fecit signum sanctæ crucis frequenti vice dixit : Revertere retro, Satana, ne perimas hominem quem Deus creavit.

℟. Quod signum ut vidit diabolus, velut fumus a vento raptus evanuit, et clamoribus, ac stridore nefando de alta rupe cum impetu decideret ait, ℣. Et si non hic me permittis animas hominum mea obsessione lucrari, tamen paratus sum in patrias notas circumquaque sitas ad tuum pertinaciter obire impedimentum. Et si, etc.

In III. Noct. Ant. Beatus Zeno dixit, non te permittit Dominus aliquid agere adversus servum suum. *Ps. Domine, quis.—Ant.* Miserabilis Pater, totaque domus regia mœrore affligebatur, eo quod puella acriter suffocaretur. *Ps. Domine, in virt. Ant.* Sacerdos Dei Zeno sedebat super lapidem, et artis apostolicæ documenta sequens, piscabatur in flumine. *Ps. Domini.* ℣. Quod signum ut vidit dæmon, evanuit velut fumus ℟. Cum clamoribus et stridore nefando.

Lect. VII.

His itaque peractis, cum detestabili ululatu et clamore discessit. Festinans itaque dæmon ingressus est cito palatium Cæsaris Gallieni, arreptamque filiam ejus, quo tunc tempore unica parentibus erat ; cœpit crudeliter vexare. Miserabilis ergo Pater, simulque tota domus regia, in tristitiam versa, cruciabatur et mœrore ingenti affligebatur, eo quod acriter puella suffocaretur. Quæ dum crudeli vexatione corriperetur, erupit per os infantulæ regiæ filiæ dæmon clamare dicens : Non egrediar a corpore isto, nisi Zeno episcopus venerit, ac per ipsius imperium coactus migrabo. Mox itaque ut hoc Regi Gallieno innotuit, missis apparitoribus sollicita intentione cœpit investigare, sicuti Sanctum potuisset invenire virum. ℟. Festinans itaque dæmon ingressus est palatium Cæsaris Gallieni. Et comprehensam ejus filiam cœpit tam crudeliter vexare. ℣. Miserabilis pater totaque domus regia cruciatu et mœrore affligebatur. Et comp.

Lect. VIII.

Ex jussu autem Regis milites ad virum Dei gressibus pergunt. Ille vero sedebat super lapidem, qui in proximo erat Monasterii, et artis apostolicæ documenta perficiens, ex more piscabatur in flumine. Venientes ergo milites, quia ignotus eis erat, cœperunt sollicite sanctum Dei interrogare dicentes : Quis es tu, homo Dei? Indica nobis si vidisti Zenonem Episcopum, quem nos ex jussu Regis perquirimus. At ille respondit : Ad quid missi estis dicite. Ego enim quamvis tantillus servus sim, tamen Christi Zeno vocor. Igitur conferentes ad invicem milites, dicentes inter se : Quid multa colloquimur? Indicemus pro qua re destinati sumus ad istum virum. Tunc patenter intimantes beato Sacerdoti dixerunt : Rogat te Rex venire ad se, quia vult faciem tuam videre. Quid meam Rex vult cernere faciem? qui omnium Christianorum manifestis indiciis inimicus esse non desinit? At illi respondentes, dixerunt : Obsecrat enim te Rex, ut filiam ipsius, quæ immani atrocitate a dæmone vexatur, sanitati restituas, quia unica illi est. Ille vero dixit eis : Dominus Jesus Christus Omnipotens est. Ite, inquit, ego paulatim subsequor vos. Oportet enim ut mirabilia Dei luce clarius omnibus manifestentur. Quo dicto milites viam qua venerunt, repedarunt. ℟. Ingrediente Christi confessore palatium, et facto crucis signo, mox cœpit dæmon clamare dicens : Tu, Zeno, expellis me. Ego propter tuam sanctitatem stare non possum. ℣. Et si hinc abiero, eo Veronam, ibique invenies me. Ego propter ℣. Gloria Patri. Ego.

Lect. IX.

Exurgens vero beatus Sacerdos Zeno, ne diutius absconderetur civitas supra montem posita, fecit orationem, perrexitque ad palatium, ubi cruciabatur et lamentabiliter affligebatur pro sua filia Rex Sanctus quoque Episcopus cum celeri peregrinatione iter ageret, ante eum provenit quam hi qui missi fuerant milites. Ingrediente siquidem Christi confessore palatium, et facto Crucis signo cœpit confestim per os infantulæ dæmon clamare, dicens : Ecce tu Zeno venisti ad expellendum me, et ego propter tuam sanctitatem stare non possum. His quidem auditis tenens Sacerdos manum puellæ, dixit : In Nomine Domini nostri Jesu Christi præcipio tibi, exi ab ea, dæmon. At ille publica et horribili voce cœpit clamare dicens : et si hinc a te fuero expulsus, eo Veronam, ibique invenies me;

Digitized by Google

et eos in quibus habitem, stantes in platea, exspectantes te. Christi namque sacerdos mox ab omni dæmoniacæ incursionis ludificatione restituit filiam Regis.

Ad Laudes et per horas. Ant.

Dominus Jesus Christus Omnipotens est, oportet enim ut mirabilia Dei omnibus manifestentur. *Ps. Dominus reg. cum reliq. de laud. Ant.* Exurgens beatus Sacerdos fecit orationem, perrexitque ad palatium, ubi affligebatur pro sua filia Rex. *Ant.* Ingrediente Christi Confessore palatium, facto crucis signo per os puellæ dæmon clamavit, dicens : Tu, Zeno, venisti ad expellendum me, et propter tuam sanctitatem stare non possum. *Ant.* Tenens B. Zeno manum puellæ, dixit : In Nomine Domini Jesu Christi præcipio tibi, exi ab ea, dæmon. *Ant.* Christi namque Sacerdos ab omni dæmoniacæ incursionis ludificatione sanam restituit filiam Regis. *Capitulum.*

Ecce Sacerdos Magnus qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus, et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.

HYMNUS.

Præsulis Sancti redeunt colenda
Festa Zenonis Dominum sequentis,
Qui diem nobis celebrem sacravit
Fine beato.
Magnus Excelsi fuerat sacerdos,
Prædicans gentes bene trans marinas,
Inde Veronam Deus hunc ad Urbem
Mittere curat.
Quo Deo multum populum lucratus
Instruxit verbis, solidavit actis,
In Deo tandem patiendo mortem
Vivit in ævum.
Nunc in æternum meritis coruscat
Clarus et mundo manifestus omni,
Qui Deo soli studuit placere
Corpore vivens.
Pastor æterno radians triumpho
Servulos audi tibi supplicantes,
Præmium justis, veniamque posce
Crimine lapsis.
Quo Dei magna miseratione
Ordinem cœli decimum replentes
Ipsius cultum videamus omni
Tempore sæcli. Amen.

℣. Ora pro nobis, B. Zeno. ℟. Ut dig. eff.

Ad Benedictus. Ant. Acceptam B. Zeno coronam a Rege distribuit pauperibus dicens : Si Dominus operatur excelsa, ipsi perpetuæ laudes referantur, et gloria. *Ps. Bened.*

Orat. Deus qui nos sancti Zenonis Sacerdotis et Confessoris tui annua beatæ confessionis solemnitate lætificas, præsta, quæsumus, ut callida hostis incursione tua, freti virtute devicta, pervenire ad gaudia, ipso interveniente, mereamur æterna. Per, etc. *Ad III, cap.* Ecce Sacerdos.

℟. *Bre.* Ab utero matris fuit sanctificatus. Beatus Zeno. ℣. Et a cunabulis benedictus. ℣. Gloria Patri. Ab utero. ℣. Quod signum. ℟. Cum clamoribus.

Ad Sextam. Cap. Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi, ideo jurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam.

℟. *Bre.* Quod signum ut vidit dæmon, evanuit velut fumus. ℣. Cum clamoribus ac stridore nefando. Evanuit. ℣. Gloria Patri. Quod signum. ℣. Sacerdos Dei ℟. Et artis Apost.

Ad Non., cap. Fungi Sacerdotio, et habere laudem in nomine ipsius, et offerre illi incensum dignum in odorem suavitatis.

℟. *Bre.* Sacerdos Dei Zeno sedebat super lapidem. ℣. Et artis Apostolicæ documenta sequens, piscabatur in flumine. Sedeb. ℣. Gl. Patr. Sacerdos.

℣. Justum deduxit. ℟. Et ostendit illi.

In secundis Vesp. Ant. Dominus Jesus cum rel. *Ps. Dixit Dominus*, in fine *ps. Memento. Cap.* Ecce Sacerdos. Hymnus Sancti Zenonis. ℣. Ora pro nobis. ℟. Ut dig. eff. *Ad Mag. Ant.* Sancte confessor Zeno, pastor Domini gregis, te deprecamur, intercede pro nobis, ut mereamur tecum esse in cœlis. *Ps. Mag. orat. ut supra.*

Laus Deo Patri.

Notæ in allatum ms. Pistoriense.

1. Notanda primo est conformitas hujus Pistoriensis ms. cum mss. veterioribus Veronensibus. Nam Antiphonæ ad Vesperas et Laudes eædem sunt atque illæ, quas ex mss. Veronensibus referunt Domini Ballerinii inter monumenta pagin. CLXIV et CLXV. Ita si valde pauca excipias, et responsoria ad lectiones, sicut et Oratio : Deus qui præsentem diem, etc., eadem omnino est pag. CLXII, hymni quoque *Præsulis Sancti*, et Sancti Zenonis præsuli pagina CLXVIII et CLXIX. Quæ de re manifestum est hoc Pistoriense ms. recenti licet manu exaratum a Veronensibus vetustissimis mss. exscriptum fuisse.

2. Longiorem præfationem nota diligens lector, et in pluribus diversam ab ea, quæ in editione Veronensi ultima leguntur, quod eam non esse Coronati Notarii satis indicat.

3. Hic error amanuensis est, ut puto; nam in summis pontificibus numerandis vero numero recensetur Dionysius a Beato Petro vigesimus sextus. Gallienus vero imperator in serie Romanorum Cæsarum 43 numeratur a Joanne Ludovico Gothofredo sua in Anthologia cosmica, lib. primo in elencho imperatorum Occidentis.

4. Post hæc in re penitus convenit hoc ms. Pistoriense cum edito a Ballerinis pagina CXLVII, verbis non item. Plura tamen iisdem verbis leguntur in utriusque, quod nostræ conjecturæ favet. Nempe cartulas quasdam, sed characteribus detritis atque corrosis vitæ S. Zenonis a Coronato Notario descriptæ fuisse repertas, et a diversis aliis et aliis verbis suppletas et continuatas, quibusdam etiam additis, quæ non in omnibus mss. reperiuntur, retentis iis quæ in ipsis corruptis cartulis legi poterant, quæ eædem in ms. leguntur.

5. Hæc non de Confessore, sed de Martyre dicuntur ; quare videtur hæc oratio ad festum Ordinationis accommodata, cum in festo Martyrii forte legeretur : *Deus qui nos sancti Zenonis Sacerdotis et*

Digitized by Google

Martyris tui annua beatæ confessionis solemnitate lætificas, etc. In festo autem Ordinationis dempto verbo *martyris*, repositum fuit ejus loco *confessoris*, relictis aliis *beatæ Confessionis*, quæ tantum martyri, non confessori conveniunt. Reliqua ex collatione cum edito a Dominis Ballerinis lectori notanda relinquimus : ea enim fidelitate ms. hoc Pistoriense exhibuimus, ut etiam Amanuensis intactos exhibuerimus errores.

CAPUT IV.

EA, QUÆ CONTRA S. ZENONIS EPOCHAM TERTIO SÆCULO MANUTENENDAM FACERE VIDEBANTUR, SUBLATA JAM ESSE CONFIDIMUS ; EAMDEM NUNC TERTIO SÆCULO CONFIRMANDAM VARIIS RATIONIBUS SUSCIPIMUS.

§ I. *S. Zenonis episcopi Veronensis et martyris epocha ex iis, quæ circa ipsius sermones sunt observata, atque etiam observanda sunt, tertio sæculo statuenda ostenditur.*

Multa pro re disseruimus, quæ hic breviter perstringere inutile non videtur. Ea enim non modo ad elevanda objecta faciunt, quin et ad stabiliendam D. Zenonis Epocham maxime conducunt. Lectori tamen ut detrahamus fastidium, loca, ubi hæc supra fusius tractata sunt, indicasse sufficiat. Illa potissima conjectura est, qua evidentissime demonstratur S. Zenonem tertio sæculo floruisse, scilicet nullum vestigium vel leve in ipsius sermonibus reperiri posse, quo sæculum quartum indicetur. Nusquam Arium vel per umbram nominat. Errores contra fidem, quos vel innuit, vel confutat, Ario anteriores probavimus cap. 1, § 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, Arianorum proprias errorum suorum formulas, neque suis in scriptis S. Zenonem indicasse comperimus § 18, 19, cum SS. Patres Ario posteriores de iis frequentem mentionem fecerint, § 19, 20, 21. Tantum vero abest, quod S. Zeno contra Arium scripserit, ut in ejus sermonibus dictiones quasdam Petavius redarguerit (sed perperam) tamquam Arianismum redolentes. Si namque S. hic doctor post Arium sæculo quarto scripsisset, suspicionem omnem sentiendi cum Ario ipsum sublaturum fuisse, putandum est. § 22, de Hæresibus quarto sæculo exortis, nullam mentionem facit cap. 2, § 1. Quæ vero de publica Ecclesia ædificata disserit, vel quod a ferolibus edictis redemptos Veronensium largitionibus fideles commemorat, ea et tertio sæculo convenire demonstratur § 2, et 3. Tertium vero sæculum aperte designari a S. Zenone ex eo constat, quia *in nummis excudi solere* « dicit » *signum idololatriæ, eademque idola, quæ colerentur in templo* § 4. Anachronismum vero esse quadringentorum annorum nota in sermone de Continentia amanuensium errore illapsum ostendimus, § 6. Inane vero commentum esse alium Zenonem S. Ambrosii temporibus fingere, constat ex iis, quæ tertio hoc capite sunt adducta.

Alia in sermonibus S. Zenonis non desunt, quæ antiquitatem ante quartum sæculum indicant : id etenim quod de Obstetrice incredula asserit, cujus intemeratum inspecturæ Deiparæ Virginis candorem combusta manus, et Pueri Jesu sanata dicitur, nusquam in Patribus quarti sæculi legitur : ejus tamen rei meminit Clemens Alexandrinus, quæ exeunte secundo sæculo ut apocrypha rejiciebatur, ut ex Hieronymo iidem notant Domini Ballerinii (*L.* II, *Tr.* VIII, *adnot.* 17).

Tractatu vero quinto libri primi verba illa : *Quid quod illius Sacrificium publicum est, tuum secretum. Illius a quovis libere tractari potest, tuum etiam a Christianis ipsis minime consecrari sine sacrilegio videri non potest*, apertissime quarto sæculo repugnare ostendimus supra cap. 2, § 6.

Accedit et illud quod de peccato primorum parentum in sermone de circumcisione exprimit S. Zeno. *Adam etenim cum inclytum pomum hoc membro decerpsit, sic in genus humanum jus mortis induxit : Necessario ergo luxurioso populo Deus hoc signum dedit, ut locum matricalis culpæ cum denotat, etiam alia crimina fugienda cognoscat* : scilicet peccasse Adam non vetitum edendo pomum, sed non exspectata jussione Dei concumbendo cum Eva. Quæ opinio licet eam Zeno non ut suam, sed ut aliorum retulerit, ut optime aliis adductis S. Doctoris textibus, quibus vera et communis peccati originalis sententia exprimitur, Domini Ballerinii comprobant (*Diss.* II, *c.* 4) ; adeo tamen antiqua est, ut ejus vestigia in uno S. Clemente Alexandrino ex aliis SS. Patribus legatur : quarto vero sæculo ita obsoleta, ut ne verbum quidem in ejusdem ævi scriptoribus de ea reperiatur.

Ea etiam, quæ de secundis nuptiis et tertiis S. Zeno profert tract. V, lib. I, mirum in modum iis consentiunt, quæ S. Irenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, aliique vetustissimi Patres in eam sententiam dixerunt. Vide septimum caput dissertationis secundæ, et ibi ea, quæ iidem Domini Ballerinii eruditissime disserunt.

Tractatu vero seu sermone XXVII libri secundi n. 3, persecutionem Ecclesiæ vindemiæ comparans S. Zeno, hæc habet : *At ubi vindemiæ venerit tempus, id est persecutionis dies, passim uvæ diripiuntur, id est inconsiderate sanctis omnibus violenta infertur manus. Ad torcular comparantur, id est ad supplicii locum deducuntur. Ab operariis ibidem concultantur, hoc est summa cum contumelia a persecutionibus illusi jugulantur*, etc. Quæ præsentem persecutionem, seu frequentem ac obviam indicant. Conantur quidem Domini Ballerinii verba hæc ad persecutionem Constantii in Catholicos amandare, at nullo opitulante textu, et quæ ex aliis Patribus ejusdem ævi producunt, aperte tempus Constantii connotant, quod in S. Zenonis verbis minime observare licet. Apertius in sermone de Patientiæ laudibus, illam efferens, sic ait : *Tu prophetas provexisti : Christo tu Apostolos glutinasti. Tu quotidiana Martyrum mater es, et corona* (*lib.* I *tr.* VI, *n.* 8). De Prophetis et Apostolis agens tempore præterito loquitur, cum vero de

Digitized by Google

Martyribus præsenti. Idem in sermone 13 lib. I, n. 11, Martyrium cum circumcisione conferens : *Non sanguinem sterili solemnitate dimittimus, sed pudoris sanguinem retinemus, quem ambitiose plerumque effundimus, cum pro nomine Domini diabolum movendo vastamus* (*Tr.* VII, *n.* 1); et sermone sequenti de Humilitate, idololatriam præsentem exprimit contra Philosophos agens nomine Græcorum. Arianos vero intelligere Philosophorum nomine, ut Adnotatores Veronenses explicant (*Adnot.* 2 *et* 3, *in eumdem*), alienum a sensu D. Zenonis videtur, nam infideles præcise carpit. *Quod nunc faciunt infideles.* Infidelium vero nomine non Ariani, qui lustralibus Baptismi aquis tingebantur, sed ethnici designantur. Vide et tract. 15, num, 2. Plura enim hujusmodi sunt in sermonibus D. Zenonis observanda, quæ jam piget perscrutari.

A

B

§ II. *Traditio constans atque continuata S. Zenonem tempore Gallieni floruisse demonstrat.*

Veronensis Ecclesiæ antiqua omnia monumenta hanc traditionem testantur, S. Zenonem scilicet Gallieni imperatoris ætatè ejus Ecclesiæ Cathedram tenuisse. Hæc lector videre poterit in libro qui *SS. Episcoporum Veronensium antiqua monumenta inscribitur*, edito a Raphaele Bagatta, et Baptista Peretto, ac Venetiis impresso, anno 1576, et in ultima Dominorum Ballerinìorum Veronensi editione sermonum S. Zenonis post Dissert. tertiam. Testantur et monumenta Ecclesiæ hujus Pistoriensis. Kalendaria quoque ac Martyrologia fere omnia celebriora præcipue, et in iis, quod præ cæteris maximi faciendum est, Martyrologium Romanum. In eadem sententia auctores ad sæculum decimum sextum usque fuere omnes. Quæ opinio in eorum adeo insedit animis, ut sermones potius non esse S. Zenonis assererent, ea ratione qua videbantur Gallieni temporibus convenire non posse, ut S. Zenonis Epocham a Gallieni ejusdem ætate amovere non cogerentur. Id de Sixto Senensi atque Labbeo observant eximii Ballerinii. Traditionis tamen hujus penitus inspiciendæ sunt vires et fundamenta.

C

Primus, qui traditioni huic fundamenta jecerit, ut Domini Ballerinii opinantur, Coronatus Notarius Vitæ S. Zenonis scriptor fuisse creditur. *Cui traditioni, seu potius præjudicio unus Coronatus Notarius septimi vel octavi sæculi scriptor fundamentum posuit ex quo alii subinde antiquitatem non Zenoni solum, sed Veronensi etiam Ecclesiæ honorificam prædicarunt* (*Dissert. pr. cap.* 2, § 2, *cap.* 3, § 3). Pluraque congerunt, ut narrationi hujus Coronati detrahant, de quibus supra eglmus. Modo tamen, ut indulgentius agamus; si S. Zeno quarto sæculo, anno scilicet 380 circiter obiisset (ut Domini Ballerinii opinantur, quod concedendum non esse ex iis quæ supra expendimus, constat), Coronatus vero ipsius vitam septimo sæculo scripsit, demus anno 650, nempe annis 270 post. S. Zenonis mortem; ut Coronatus præjudicium hoc (ut dicitur) feliciter adeo vulgaret, ita ut amplecteretur ab omnibus non solum vulgi, sed et Cleri hominibus, qui Coronati narrationem in antiphonas, lectiones, responsoria, versus, atque hymnos scindentes, ea in Officiis Divinis uterentur. Necesse itaque est opinari, Veronam ita Patroni sui, quem tanto semper obsequio et honore coluit oblitam, ut tam parvo tempore annis scilicet 270, neque Zenonis ætatis nulla in ea memoria reperiretur. Quis prudens suum hoc in animum inducere poterit? Extabat ergo septimo sæculo memoria temporis quo vixerat S. Zeno. Itaque si quarto sæculo S. Zeno vixisset, non tempore Gallieni, sed anno 380 circiter, Gratiano, Valentiniano et Theodosio imperantibus. Quomodo Coronatus Ecclesiæ Veronensi ita potuit illudere, ut patenti mendacio ita assentiretur, illudque celebriori solemnitati decantaret ipsa in Ecclesia? An antiquos Patres nostros ita impudentes habebimus? Coronatus itaque S. Zenonis ætatem narravit secundum Ecclesiæ Veronensis, non vulgi traditionem.

D

At dices, alia esse, quæ fabulam sapiunt in antiquis Officiis Ecclesiæ Veronensis de Zenone relata. Quæ sunt hæc? Nihil certe aliud quod improbabile videatur, nisi illud : S. Zenonem scilicet fuisse sanctificatum, quasi Baptistam alterum in utero Matris, si ita intelligenda sunt ea verba : *Fuit itaque a matris utero sanctificatus, et a cunabulis benedictus, ut assertione divina in eo repeti videretur quod Jeremiæ dictum est. Priusquam te formarem in utero, novi te, et antequam exires de ventre sanctificavi te* (*Lect.* IV *Officii S. Zen. Vid. sup. ms. Monial. S. Joan. Baptistæ Pist.*). Quod aliter legitur in vita a Coronato Notario per Dominos Ballerinios inter monumenta relata, nempe : *Et quia ipse Dominus dixit bona operantibus : Priusquam te formarem in utero, novi te, et antequam exires de ventre, sanctificavi te. Ille enim a cunabulis benedictus, et a ventre sanctificatus erat.* At non præoccupato in veteres animo, et quem primo aspectu hæc verba sensum ingerunt statim est accipiendum, sed quid ipsi Scriptores antiqui iisdem verbis exprimere voluerunt : ea enim verba : *Fuit itaque a matris utero sanctificatus, et a cunabulis benedictus*, ut in ms. Pist. in vita supradicta : *Ille enim a cunabulis benedictus, et a ventre sanctificatus erat*, non sanctificationem in utero, et antequam nasceretur proprie significant, sed post nativitatem. *A matris utero sanctificatus, et a cunabulis benedictus.* Proprius itaque sensus esse videtur, S. Zenonem infantem statim natum baptizatum fuisse, quod primis illis Ecclesiæ temporibus non ita passim factum fuisse constat; plurimi enim adulti ab idololatria ad Fidem convertebantur, ita ut veluti quædam singularis prærogativa in S. Zenone videretur commendanda, ut ipse a Christianis Parentibus ortus judicaretur : quare et in ms. hæc quæ sequuntur verba, verum hunc sensum confirmant : *Denique probitatis, atque scientiæ jugibus incrementis ad hoc pertingere meruit, ut per sacerrimam vitam pastor in populis mereretur.* Item in vita. *Et ad hoc pertingere meruit, ut per vitam sanctam pastor in populo esse mereretur, et*

Digitized by Google

ideo quia in omnem terram exivit sonus ejus, et Sanctitas emicuit. Quibus significatur, ea de causa ad Cathedram Veronensem sublatum fuisse Zenonem, quod a christianis parentibus sanctissime jugiter vitam traduxerit sacris studiis occupatus. Quod autem Jeremiæ textum Baptismo Zenonis infantis accommodaverint, vel Coronatus, vel alii, hoc encomiastice factum fuisse dicendum; nam cautione quadam Jeremiæ textum in ms. Pistoriensi allatum videmus. *Ut assertione divina in eo repeti videretur quod Jeremiæ dictum est*, etc. Nihil itaque in Veronensis Ecclesiæ Officiis de S. Zenone incongruum et fabulosum reperitur, quod traditioni huic officere possit. Vide quæ de Gallieni filia per S. Zenonem liberata a dæmone supra diximus.

At enim vero illud asserere, ab una Coronati Notarii narratione manasse, S. Zenonem Ecclesiæ Veronensi præfuisse tempore Gallieni imperatoris, a quo et Ecclesia Veronensis, totque alii hanc traditionem acceperint, non satis tutum. Quid si Coronatus Notarius ab Officiis Veronensis Ecclesiæ fit mutuatus, quæ sua in historia collegit? (hoc in sententia Dominorum Balleriniorum dictum volo, qui Coronatum Notarium sæculo septimo, vel octavo scripsisse opinantur). Hac etenim constituta Coronati Notarii Epocha, cum ante septimum et octavum sæculum Officia de S. Zenone in Ecclesia Veronensi celebrata fuisse in dubium verti non possit; Coronatum potius ab Officiis Ecclesiæ Veronensis, quam Veronensem Ecclesiam a Coronato accepisse dicendum est. Nam antiquioris ævi præsumptio hoc suadet. Licet enim quarto et quinto sæculo forte non eodem modo Officia Ecclesiastica fuerint disposita, ut post decimum sæculum disposita leguntur antiquis in mss. Forma tamen Officiorum mutata, historiæ sanctorum, quæ a primis sæculis in Ecclesia legebatur, nullum præjudicium afferre evidens est.

Constat ulterius alia in Ecclesia Veronensi monumenta antiquitus fuisse præter Coronati Notarii narrationem. Ipsi enim eximii Ballerinii observant in Coronati narratione deesse miraculum a D. Zenone patratum: *Nempe mortuum fluvio abreptum, vitæ redditum..... Cujus miraculi a Coronato licet prætermissi testimonium profert Anonymus Pipinianus, ut nos ex duobus mss. restituimus.* Anonymus Pipinianus Coronato Notario posterior, quem scripsisse *octavo sæculo exeunte, vel saltem ineunte sæculo nono*, optime ex ipso contextu probant Domini Ballerinii, hoc miraculum a Coronato prætermissum suo in Rhythmo commemoravit his verbis: *Mortuum e fluvio exemptum suscitavit.* Non a Coronato itaque accepit, sed aliunde. Undenam? An ex vulgari traditione? Nonne et potuit ab aliis monumentis vetustioribus habere? Sine ulla itaque ratione opinari e vulgi Triviis habuisse, præjudicium est, eorum qui antiquorum scripta minus probant, cum valde arduum sit in eam sententiam ire; Veronenses videlicet nullam prorsus de Zenone notitiam antiquiorem retinuisse:

A De hoc miraculo, et lectione secunda secundi Nocturni, quæ in Officio S. Zenonis in præsens legitur, habetur mentio. *Sed cum propterea Gentilium Sacerdotes adversus eum* (Zenonem) *conclamarent, Vir sanctus doctrinam suam miraculo comprobavit: Nam hominis cadaver, quod tunc forte in fluvio volutabatur, longe vocavit, et ei vitam cum omnium admiratione restituit. Quo miraculo universa pene Civitas simulacris deorum rejectis, Christi Fidem suscepit.* Plura hic quam in Anonymo Pipiniano leguntur, quæ cum neque Coronatus narret ex aliis vetustioribus mss. ortum habuisse dicendum. Non a solo itaque Coronato Notario ea quæ de S. Zenone leguntur sunt derivata, sed aut ab Ecclesiæ Veronensis traditione, vel ab antiquioribus monumentis. Quare et liberatio filiæ B Gallieni imperatoris a Dæmone inter fabulas adscribenda non est, neque S. Zenonis Epocha Gallieni tempore veluti falsa spernenda, cum nihil in his historicis factis reprehendi possit, quod improbandum videatur.

Illud vero maximi in hac re ponderis esse dicendum est. Si traditonem Ecclesiæ Veronensis pro vindicandis S. Zenonis sermonibus cum ejusdem ecclesiæ Veronensis circa ætatem ejus de S. sui Præsulis traditione conferamus. Jure quidem ac merito Domini Ballerinii in hac traditione insistunt (*Dissert.* 1, § 1), ut S. Zenonem sermonum auctorem demonstrent, ms. Remense sæculo nono antiquius adducunt, Ratherii episcopi Veronensis testimonium sæculo decimo scribentis, qui tribus in locis Sermo- C nes S. Zenonis laudat, Anonymi cujusdam Monachi Cœnobii Veronensis, qui sermones S. Zenonis se legisse testatur, idem comprobat Joannes quidam Presbyter mansionarius ecclesiæ Veronensis. Alios etiam citant sæculi XIV et XV auctores, Petrum Calo Ordinis Prædicatorum, Guillelmum Poetrengum, Petrum de Natalibus, Flavium Blondum, quos videas Dissertatione prima cap. 3, § 1. Additis mss. omnibus, in quorum non tantum Titulo, sed pluries vel in principio, vel in fine sermonum S. Zenonis nomen inscribitur. Idem, et in hoc Pistoriensi Capitulari ms., et nos observavimus.

Neque pauciora, neque minoris auctoritatis ad traditionem ætatis S. Zenonis Gallieni imperatoris ævo suppetunt argumenta. Et primo ms. Remense D in quo Coronati Notarii vita de S. Zenone inserta est, quæ in ea parte potissimum, qua de Gallieni imperatoris filia a dæmonis obsessione liberata agit, ab injectis falsitatis indiciis vindicata pro genuina habenda est, quam septimo, vel octavo sæculo exarasse putant Domini Ballerinii; ignotus Scriptor, quem in ms. Capituli Veronensis sæculi noni repertum a Bartholomæo Campagnola ejusdem Capituli Cancellario accepisse dicunt iidem Ballerinii, cujus scriptum exhibent inter monumenta pag. 151; Monachus, quem iidem auctores Zenonianum vocant in Vita S. Zenonis hic, circa finem sæculi IV, vixisse dicitur, ipsumque *antiquiori aliquo monumento usum* conjiciunt; quare reprehendi forte non poterit qui

Digitized by Google

diceret præjudicii loco habendum esse eorum assertionem, qui dicunt hunc Zenonianum Monachum a Coronati Notarii narratione, quam forte numquam vidit, sumpsisse, quæ de S. Zenone scriptis mandavit. Anonymus item Pipinianus nono cadente sæculo scribens, cujus Rythmus Ratherii Veronensis episcopi manu conscriptus Lobii extat, quem de Gallieno imperatore intelligendum in eo versu... A malo spiritu sanavit Gallieni filiam...

Supra notavimus mss. omnia S. Zenonem imperante Gallieno vixisse probant, ut apud eosdem Ballerinios in Officiis pro S. Zenone videre potest inter monumenta pag. CLXIV et sequentibus, quæ sunt conformia ms. huic Pistoriensi supra relato in fine § tertii, cap. 3. Hæc mss. Ecclesiæ Veronensis aliarumque ecclesiarum, quæ eadem Officia a Veronensibus acceperunt, tot sunt irrefragabilia argumenta, quibus ejusdem Ecclesiæ Veronensis traditio probatur; neque a vulgi rumoribus orta dicenda sunt, quæ in Divinis Officiis recitabantur. Martyrologia quoque idem confirmant, tam Veronensis, quam ab exteris vel scripta, vel edita. Vide quæ referunt Perettus et Bagatta in antiquis monumentis S. episcoporum veronensium, p. 12 et sequentibus. Vide quæ a me relata sunt lib. II, de Martyrio S. Zenonis, cap. 1, 2, 4, 7, 11.

Auctores vero hic colligere, qui traditioni huic suffragantur, non oportet, cum omnes, qui ante Dupinum et Tillemontium scripsere, Gallieni imperatoris tempore Epocham S. Zenonis constituant. Quis itaque, si bene sapiat, Dupini et Tillemontii sententiam probare audeat, potentissimum cum traditionem tot sæculis probatam falsis vanisque suspicionibus inani labore vellicare sint ausi, ut superius ostendimus. Si ergo traditio de sermonibus S. Zenonis tantis non adjuta suffragiis pro constanti et vera accipienda est (ut eam libenter accipio), qua de causa traditio de S. Zenonis ætate Gallieno imperante sit respuenda, non video.

DISSERTATIO SECUNDA.

RATIONUM, QUAS D. D. BALLERINII PRO ET CONTRA SANCTI ZENONIS MARTYRIUM AFFERUNT, EXAMEN ET JUDICIUM.

Sine judicio ac temere facturus sane videar, si de S. Zenonis martyrio audeam judicium ferre. Ab hoc ferendo judicio libratis hinc inde rationibus eruditissimi Ballerinii tantopere in S. Zenonis rebus versati abstinuerunt. Quid ego viribus, ingenio, eruditione instructissimis viris ornatisque bonarum litterarum artibus, adeo impar affirmare attentabo? Cum vero illud venit in mentem, non causæ difficultate absterritos eximios viros alterutræ opinioni suum cohibuisse assensum, ac facile quæstionis hujus exitum lectoribus permisisse. *Lectorum judicio, quod non difficile ferri poterit, omnia remittimus.* Sine temeritatis nota, hoc mihi posse sumere non diffido. Norunt quippe ingenui hi, sapientesque viri Ciceronis monitum, obesse *scilicet plerumque iis, qui discere volunt auctoritas eorum, qui se docere profitentur: desinunt enim suum judicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo quem probant, judicatum vident* (*De Nat. deor.*). Norunt S. Ambrosii effatum: *Aperit sibi diligentia januam veritatis* (*In Luc. in proœm.*). Ac proinde studio præcipuo omnia hinc inde seligentes, quæ tum ab iis producuntur, qui S. Zenonem martyrem fuisse probant, tum ea, quæ contra ab iis afferuntur, qui martyrem fuisse negant: causam instruunt, ut ejus veritas facile deprehendi ab unoquoque possit. Instructa itaque causa, sententia ferenda est, non tam auctoritatis quam rationis momenta pensando. Hoc opitulante Deo pro viribus præstare suscipio.

§ 1. *Num S. Ambrosius in testem vocari possit contra S. Zenonis martyrium.*

Qui confessorem S. Zenonem, non martyrem fuisse affirmant, S. Ambrosii auctoritatem exaggerant, hunc quem supparem Zenoni asserunt in epistola ad Syagrium (ut volunt Zenonis successorem) eumdem Zenonem non martyrem dicere, sed sanctæ memoriæ episcopum proclamantes, inferunt primo: *Itaque nihil de martyrio ejus Ambrosium cognovisse palam videtur, et si Ambrosius nihil de illo rescivit, jam Zenonem non martyrio, sed naturali morte in pace functum probabilissimum est, nisi quo paris ætatis atque auctoritatis documento Ambrosii testimonium elidatur* (*Apud Baller. Dissert.* III, *c.* 2, § 2). Gravissime vero contra præcipuam veræ critices legem peccare eos qui ita fidenter asserunt, facile demonstratur. Præceptum critices est cavendum, maxime ne auctorum verbis sensus illos affingamus, quos ipsa verba non exprimunt, neque eadem verba opinionibus nostris apiemus. Meminit cujusdam Zenonis in epistola ad Syagrium S. Ambrosius his verbis: *Tu autem sine alterius fratris consilio hoc judicium tibi solus judicandum putaris, in quo tamen ante judicium, præjudicium feceris, ut puellam Zenonis Sanctæ memoriæ judicio probatam, ejusque sanctificatam benedictione, post tot annos, sine auctore criminationis, sine accusatore, sine professore delationis in periculum reatus deducendum arbitrarere* (*S. Amb. lib.* VI, *cap.* 46). Judicium Lectoris appello, an ex his tantum verbis possit inferri Zenonem hunc Veronensem fuisse episcopum Syagrii decessorem, ita ut ex eo, quod hunc Zenonem martyrem non dixerit Ambrosius, sed Sanctæ memoriæ, conjicere prudenter quis possit S. Zenonem Veronensem episcopum, martyrem non fuisse? Neque etenim de Zenone in citata epistola ulla alia mentio fit. At de hoc egimus, et in libro primo sermonum S. Zenonis cap. 11, et in addita dissertatione cap. 3, § 1.

§ II. *Discutiuntur ea quæ ad elevandam S. Gregorii Magni auctoritatem opponuntur: qui S. Zenonem martyrem appellat.*

Præ hoc autem Ambrosii testimonio sequior nunis

Digitized by Google

est S. Gregorii Magni quæ pro Martyrio antiquior supetit auctoritas. Is enim qui duobus post sæculis vixit, cum Athesis miraculum recitans Martyrem illum appellavit, fieri potuit ut memoria lapsus eum Martyrem dictum crediderit, quem Joannes, a quo de miraculo fuerat instructus, simplicem episcopum et confessorem pronuntiaverat, nisi forte ipse Joannes, et in titulo lapsus probabilius credatur. Ita contra S. Gregorium Magnum S. Zenonem Martyrem appellantem argumentantur hi, qui ipsum S. Veronensem præsulem autumant Confessorem (*Apud Baller. Dissert.* III, c. 2, § 2). Inspiciamus modo an juxta veræ critices normam procedant.

Cum de SS. Ecclesiæ Patribus agitur, Doctores critici, et Dupinus ipse, ac Tillemontius ita præscribunt, nempe Veterum probatorum Scriptorum auctoritatem a Catholicis summa veneratione excipiendam, neque ab ea nisi urgentissimis rationibus recedendum.

Urgensne ratio est incertum S. Ambrosii textum, expresso S. Gregorii textui opponere? Zenonem nominat Ambrosius, at neque Episcopum dicit, neque Veronensem, neque Syagrii decessorem. Si vero detur (non datur tamen) S. Ambrosium Zenonem Veronensem nominasse (incidenter nominet), quæ necessitas illum martyrem appellare? Neque episcopum Zenonem dicit Ambrosius. Cur itaque episcopum fuisse et Veronensem contendunt? Si martyrem Zenonem nolunt, quia martyrem Ambrosius non dicit; neque episcopum itaque fuisse, neque Veronensem eadem ratione fateri coguntur. Vid. c. 3, § 1, supra.

Urgentissimane hæc ratio? *Is enim* (Gregorius) *qui duobus post sæculis vixit, cum Athesis miraculum recitans martyrem illum appellavit, fieri potuit, ut memoria lapsus eum martyrem dictum crediderit, quem Joannes, a quo de miraculo fuerat instructus simplicem episcopum et confessorem pronuntiaverat: nisi forte ipse Joannes eo in titulo lapsus probabilius credatur*: Si aliunde certo constaret S. Zenonem confessorem non martyrem fuisse, tunc memoria lapsum S. Gregorium fuisse, opinari obvium certe crediderim: at cum ex allato S. Ambrosii incerto textu non constet, memoriæ lapsum adinvenire tantum abest, ut urgentissima ratio sit, quin calumniæ loco habendum nemo jure inficiabitur.

Urgentissimam rationem forte credent S. Zenonis martyrio adversantes, quod *in S. Gregorio defectus id generis sine exemplo non sint. Nam Molano animadvertente in secunda Usuardi editione, S. Juvenalis Narniensis episcopus cujus festa dies* V *nonas Maii in Romano Martyrologio signatur, martyr dicitur lib.* IV, *c.* 12, *a S. Gregorio, cum merus confessor fuerit. Aliud nos exemplum afferimus ex epistola olim* 73, *lib.* IX, *nunc* 62, *lib.* VI, *ubi idem Pontifex beatissimum Martyrem vocat S. Leucium episcopum Brundusinum, qui in laudato Martyrologio, nec non Calendario ms. Bibliothecæ Casanatensis, scripto ineunte sæculo* IX, *ad Monasterium quoddam Beneventanum olim pertinente,* III *Id. Januarii episcopus et confessor nominatur, atque uti confessor quidem in ipsa ejus Ecclesia Brundusina nunc quoque temporis colitur.* Urget quidem nimis hæc ratio: S. Gregorius *in appellandos S. Juvenalem Narniensem episcopum, et S. Leucium episcopum Brundusinum martyres erravit:* erravit itaque in appellando martyre S. Zenone: erravit ergo in omnibus. Particulares errores in aliis S. Gregorium errasse, minime probant. At non erravit in appellando martyre S. Juvenale episcopo Narniense, ut in dissertatione post duos libros de Sermonibus, et Martyrio S. Zenonis ostendimus, neque errasse convincitur in S. Leucio episcopo Brundusino. Fatentur etenim ipsi Domini Ballerinii aliis in editionibus *Leontium non Leucium* appellari. *Verum quidem est Leontium in editionibus post Romanam illum appellari non Leucium. At cum ejus corpus Brundusii requiescens ibidem tradatur, Brundusina autem Urbs nullum cujusquam S. Leontii corpus apud se requiescens umquam agnoverit, ut illud S. Leucii episcopi olim habuit, antequam Beneventum transferretur, melior videtur lectio priorum Gregorii editionum, quæ cum quinque mss. in Benedictina allegatis Leucium præferunt.* Leontium vero non Leucium S. Gregorium scripsisse ex ipso contextu epistolæ satis evidenter emergit. Nam si de S. Leucii episcopi reliquiis egisset, episcopum illum nominasset Gregorius, et episcopum Brundisinum. Solummodo S. martyris corpus in Brundusina ecclesia quiescere asserit S. pontifex. *Quia ejusdem beatissimi martyris corpus in Brundusii ecclesia, cui visitationis impendit officium, esse dignoscitur.* Nam superius indicat ecclesiam monasterii, cui præerat Opportunus abbas, qui sacras reliquias expetebat, nomine ipsius sancti decoratam fuisse. *Sanctuaria ejusdem martyris, quæ de ecclesia nomini ipsius dicata, ut astruit, furto ablata sunt.* Quare si de sancto Leucio, qui Brundusinæ Ecclesiæ episcopus fuit, locutus fuisset, utique et hoc indicasset. An ne, et in hoc memoria lapsum S. Gregorium dicemus, in eum calumnias cumulando? *Quod vero Brundusina ecclesia. . . nullum cujusquam S. Leontii corpus apud se requiescens numquam agnoverit,* gratis asseritur. Nullam de eo nunc temporis exstare memoriam in eadem Ecclesia asseri potest. At sexto sæculo Brundusii non requievisse corpus ejusdem S. Leontii, quis contra S. Gregorii auctoritatem mutire audeat? Quot Sanctorum corpora multis in ecclesiis extiterunt, quorum non est memoria, bellis, incendiis, vastationibus absumpta? Nam in editione romana *multitudine antiquissimorum exemplarium* usos se fuisse testantur, qui eam curarunt editionem. Non urgent itaque adductæ rationes; quare a S. Gregorii assertione de S. Zenonis Martyrio recedendum non est.

Minus urget assertio Coronati Notarti, qui S. Zenonis vitam conscripsit: multis etenim improbabilibus refertam esse fatentur ipsimet, qui contra Martyrium S. Zenonis opinantur. Improbabile scriptum cum S. Gregorii auctoritate conferre quis audeat? Si quis vero auderet, istum injuria pro vene-

Digitized by Google

ratione S. Pontificem affecturum, nemo non videt. De hac vero vita a Coronato descripta videas supra dissertatione prima, cap. 3, § 3.

Addunt præterea : *In perantiquo Remensi codice... ubi exponitur miraculum Athesis, inserta apparent ipsa S. Gregorii verba... et in his pro eo quod apud S. Gregorium scribitur* « ad ostendendum meritum martyris, » *ibidem positum fuit,* « ad ostendendum meritum Confessoris. » *Unde suspicio est, Veronensem quicumque fuerit, qui eam additionem in ms. illo olim Veronensi, nunc autem Remensi apposuit, ex Gregorii verbis Martyrem in Confessorem correxisse, Sanctumque pontificem in eo lapsum putasse, quod S. Zeno Veronæ Confessor haberetur, non martyr; qua eadem de causa Monachus Zenonianus Gregorium appellans, ejusque verba recitans, martyris nomine prætermisso, Sancti supposuit scribens,* « ad ostendendum meritum Sancti, » *vel ut in ms. Lectionario Brixiano legitur, cujus mentionem Maffeius noster in præfatione ad Monachum Zenonianum pag.* 317 *Hist. diplom.* « ad ostendendum meritum Confessoris. » *Nisi forte hoc ms. Lectionarium Brixianum ipsam Coronati vitam ex simili exemplo Remensi sumptam contineat, uti sane illam continet Lectionarium aliud ms. Ecclesiæ Tridentinæ, quod eamdem additionem et formulam Gregorii verbis præfert.*

In ms. Coronati ab Ughello relato circa miraculum Athesis excrescentis inserta S. Gregorii verba minime leguntur ac in Remensi, et in ms. Lectionario Brixiano, ac Tridentino. Quæ varietas conjecturam nostram confirmat, Coronati Notarii vitam de S. Zenone non integram ad posteros pervenisse, sed corrosis vetustate cartulis quædam pauca remansisse a pluribus postea aliis, et aliis verbis continuata, ut hic patet, ubi in Remensi, Brixiano, ac Tridentino ms. verba Gregorii inseruntur, quæ in aliis mss. inserta non sunt. Correctionis vero causa superius adducta, nempe... *Suspicio est Veronensem quicumque fuerit, qui eam additionem... apposuit ex Gregorii verbis Martyrem in Confessorem correxisse, S. Pontificem in eo lapsu putasse, quod S. Zeno Veronæ Confessor haberetur, non martyr.* Correctionis, inquam, hujus causa nullo adjuta probabilis circumstantiæ indicio, emendicata videtur. Alia probabilior suppetit, quam ipsimet suppeditant Domini Ballerinii in admonitione ad monumenta num. 2, nempe Coronati opusculum, quo vitam S. Zenonis exaravit in Lectionario fuisse relatum, quod, et de Zenoniani Monachi scripto testantur. *In sacris officiis* (Monachi Zenoniani scriptum) *pro Coronati vita locum fere occupavit.* Hæc officia pro Festo Ordinationis S. Zenonis episcopi ordinata fuere de Confessore Pontifice. Nam de Martyrio S. Zenonis antiquitus raro Festum celebrabatur, ut constat ex canone Concilii Toletani anni 656, et ex ms. Capituli Pistoriensis, quæ lib. II, de martyrio S. Zenonis cap. 10, exscripta videre potes. Die vero octava decembris Missa pro S. Zenone legitur in Sacramentario Gregorii Magni tamquam de Confessore Pontifice. *Qui beato Pontificatui Zenonis æternam in cœlis coronam præparasti :* ita in eadem Missa in oratione secreta ; et ad *Deus qui tali Ecclesiæ fecisti Pontificem.* Quibus Ordinatio S. Zenonis aperte commemoratur. In prima itaque oratione ipse S. Gregorius, qui bis S. Zenonem Martyrem appellarat consuetudinis Ecclesiæ Veronensis non ignarus, Confessorem dicit. *Venerabilem diem complendam : Beati Confessoris tui Zenonis devotione Sancta hodie celebrantes.* Quæ orationes eædem sunt ac illæ, quæ in tertia missa pro Ecclesia Veronensi, seu Monasterio S. Zenonis, et in die Ordinationis S. Zenonis recitabantur, ut adnotant Domini Ballerinii. Sicut in missa itaque et in Officio pariter Zeno Confessor legitur, in Martyrologiis, et Lectionariis, non quod Martyrem non putarent, sicuti neque Confessorem, sed Martyrem reputavit S. Gregorius. Sed ut officiorum ritui, et orationes, et Lectiones accommodarent, plura de his citato lib. 2 videre potes. Illud vero non omittendum, nempe in scripto Monachi Zenoniani correctionem hoc modo factam : pro verbis enim S. Gregorii *ad ostendendum meritum martyris*, scriptum est : *Ad ostendendum meritum Sancti*, ea de causa credendum est, quod is, qui ita correxit satis esse putavit, ne ritui Confessoris aliquo verbo detraheretur, reticere tantummodo martyris nomen sine additione verbi Confessoris, alioqui sciens vere Martyrem fuisse Zenonem, ideoque Confessorem noluit appellare. Qua de re illa forte verba, quæ in opusculo Coronati leguntur : *Non multo post in pace receptus est*, sublata mentione Martyrii S. Zenonis, ejus mentionis loco posita sunt. Nam in aliis mss. diversa conspiciuntur, ut in eodem lib. II cap. 5 de Martyrio S. Zenonis adnotavimus. Varietas hæc et in Lectionario ms. antiquo in Episcopali Archivio Pistoriensi ab eruditissimo P. Zacharia S. J. reperto evidentissima legitur his verbis expressa : *Qui dum hoc juxta Dei adjutorium ageret, Dei voluntatem, quando placuit volente, non post longo tempore receptus in pace est.* Lectiones vero pro octava die decembris dispositæ conspicuuntur, qua Ordinationis Festum celebratur. Testantur quoque Perettus, et Bagatta, atque Dondorius noster, oculati testes, in Lectionibus pro festo martyrii S. Zenonis ordinatis, quæ ex Coronati scripto desumpta fuisse constat, martyrii mentionem fieri, et Veronæ, et Pistorii. Vide quæ attulimus lib. II cap. 1 de Martyrio S. Zenonis. Correctiones igitur, de quibus agitur, non ex ea opinione ortæ sunt, quod S. Gregorium in tribuendo titulo Martyris S. Zenoni quis errasse crediderit ; sed ex eo, quod hæc scripta in lectionibus digesta pro officio Ordinationis S. Zenonis usui erant. Qua de causa et in hymno *Præsulis Sancti* in secunda stropha diverse legitur primus versus : *Magnus Excelsi fuerat sacerdos*, alibi : *Martyr Excelsi fuit, et Sacerdos.* Nempe pro diversis Festivitatibus Magnus in Festo Ordinationis, Martyr in Festo natalis, seu Martyrii, cum aliunde constet, in tertia stropha martyrem fuisse. *Pro Deo tandem patiendo mortem, vivit in ævum.* His etenim in verbis non ita facilis erat mutatio ; licet in supra allato ms. Pistoriensi, et in his

Digitized by Google

verbis mutatio conspicua sit. *In Deo tandem patiendo mortem, vivit in ævum*, loco Verbi *pro* posito *in:* tantam adhibebant cautionem ne *martyris* verbum, vel Martyrii mentionem, in Officio Ordinationis episcopi immiscerent.

§ III. *De aliis post S. Gregorium scriptoribus qui S. Zenonem Martyrem affirmant.*

Quod in rebus bellicis evenire solet, ut extincto Duce totus dispergatur exercitus, et in direptionem inimicorum cadat, idem in hac Litteraria concertatione de S. Zenonis martyrio evenisse arbitrantur, qui contra sentiunt. Sancti Gregorii Magni auctoritate prostrata, reliquorum scriptorum Martyrio S. Zenonis adhærentium turbam uno ictu confixam apertissime clamant. *Si porro ex his probabile sit S. Gregorium, dum Zenonem appellavit Martyrem, unius nominis errore defecisse, nihil prosunt Pauli Diaconi, Joannis item Diaconi, Rabani Mauri. Notkerii testimonia, quippe quos ex S. Gregorii Dialogis sicuti miraculum Athesis, quod memorant, ita et Martyrii titulum, quem Zenoni affigunt derivasse manifestum est. Eadem ratione cadunt etiam cæteri posteriores Wandelbertus, Usuardus, aut potius Usuardi additamentum, et Adonis Auctores et alii, qui afferri solent, quos vel ex S. Gregorio, vel ex aliis Gregorii asseclis profecisse, satis credibile est* (*Apud Ball. d. Diss.* 3, *cap.* § 2). At stat adhuc integra S. Gregorii de Martyrio S. Zenonis assertio, et reliquorum ergo scriptorum sub tanto duce minime nutat auctoritas. Qua vero ratione tanto ardore proclamant, scriptores omnes S. Gregorio posteriores, *vel ex Gregorio, vel ex aliis Gregorii asseclis profecisse?* Num Paulus Diaconus, ut alibi observavimus, Veronæ adeo vicinus, nullum alium præ oculis habuit sua in historia concinnanda, quam S. Gregorii Dialogos? Ipsum namque Paulum jussu Caroli Magni Lectiones Sanctorum pro totius anni Festivitatibus ordinasse Sigebertus testatur; alios itaque præter Gregorium vidit, et Veronensis Ecclesiæ instituta illi comperta fuere. Quapropter si S. Gregorius in appellando Martyre S. Zenone deceptus esset contra Veronensis Ecclesiæ traditionem, illius errorem correxisset potius, vel præteriisset silentio saltem, non illum suæ assertionis laudasset auctorem. Si ergo laudavit, vera fuisse quæ S. Gregorius asseruit, et suo tempore octavo decurrente sæculo comperit. Num Wandelbertus, Usuardus, Ado, multum licet a Verona distantes, vel *Usuardi additamentorum*, et *Adonis auctores* uni Gregorio studuerunt? At qua ratione id suaderi potest? Quinimmo cum edita omnia celebriorum auctorum Martyrologia in compellando Martyre S. Zenone concordent, quis in animum sibi inducere potest, ut credat, neque ex iis unum Gregorii errorem deprehendisse, adversante potissimum (ut putatur) Ecclesiæ Veronensis consuetudine celebrandi Festum S. Zenonis ritu Confessoris, non vero Martyris? Hoc præcipue de iis dicendum est, qui Usuardi, et Adonis Martyrologiis S. Zenonis nomen veluti martyris addiderunt. Iis profecto S. præsulis notitiam, quam Usuardus, et Ado non habuerunt, perspectam fuisse, certum est. Si ergo nomen S. *Zenonis*, ut Martyris in iis Martyrologiis addidere, *ita certo horum auctorum temporibus S. Zenonem pro martyre fuisse habitum, minime revocari debet in dubium.*

Horum auctorum assertioni neque allati codices refragantur. Non Vaticanum anno 1806, ubi in calendario mense aprili expresse *S. Zenonis Martyris* mentio fit. Quod vero mense decembri in prima oratione pro Missa Confessor dicatur, hoc ea ratione factum est, quia tunc festum Ordinationis celebrabatur, non Martyrii, quod occurrente Quadragesima, vel Paschate omittebatur. Neque officit ms. Veronense Monasterii S. Spiritus, quod pariter mense aprili S. Zenonem Martyrem memorat, quamvis die Translationis, et Ordinationis Confessorem nominet ea ratione, qua supra. Hoc in Ecclesiastico officio minime insuetum videri debet, cum et in Nativitate S. Joannis Baptistæ, et in cathedra S. Petri, et Romana, et Antiochena, et in festo S. Joannis Evangelistæ eodem modo sine commemoratione martyrii agatur eorum festum, licet in decollatione S. Joannis Baptistæ, et in festis S. Petri, et S. Joannis ante portam latinam, martyrii recolatur memoria. Maxime vero illud notandum est, quod Domini Ballerinii testantur in admonitione ad *Monumenta:* scilicet Missam pro festo Ordinationis S. Zenonis dispositam legi etiam in aliis festis, et Martyrii, et Translationis. *Hæc quoque Missa ponitur die* VIII *decembris sub hoc titulo: Dedicatio S. Zenonis, nec in eo Missali aliæ Missæ alibi uspiam de S. Zenone reperiuntur. Propterea quod cum hæc dies* VI *Idus decembris prima sit ex illis tribus, quæ S. Zenoni consecratæ sunt* (*Missale enim incipit ab Adventu*), *hæc eadem Missa aliis quoque diebus legebatur.* Quare mirum non est, si in orationibus, quæ in ea describuntur nomen Martyris non reperiatur, cum pro Festo Ordinationis fuerit concinnata; et in aliis Festis facilis erat mutatio unius nominis, nempe *Confessoris in Martyris*, absque eo quod rubrica distincta id notare opus esset.

§ IV. *De Traditione et ms. antiquis Ecclesiæ Veronensis et Pistoriensis, festa S. Zenonis celebrantium.*

Fatentur Domini Ballerinii in argumentis quæ contra S. Zenonis Martyrium referunt, Paschali tempore, nempe aprili mense, quo Martyrii S. Zenonis memoria celebratur, antiphonas et Evangelium indicari de communi Martyrum. *Negari quidem non potest, antiphonas Missæ S. Zenonis pro Paschali tempore in Carpso* (Martyr. antiq. seu rituale Ver. Eccl. sic dict.) *indicatas, nec non Evangelium ejusdem temporis duobus in aliis codicibus descriptum ejusmodi esse, quæ per id tempus de Martyribus dici solent.* Idem observare est in ms. Codicibus Ecclesiæ hujus Pistoriensis, quæ jam exhibuimus lib. de Martyrio S. Zenonis, cap. 2, sed et in Vesperis, et in Laudibus, quæ indicantur de Communi Martyrum tempore Pa

Digitized by Google

schali. Quod Panvinii errorem declarat, asserentis ante Lippomanum Veronensem Ecclesiam S. Zenonem Confessoris cultu ecclesiasticis in officiis coluisse. Constat etenim ex superius adductis, ante Lippomanum Veronensem, et Pistoriensem Ecclesiam ritu Martyris festum S. Zenonis aprili mense celebrasse. At de hoc vide quæ diximus dicto libro secundo, cap. 6.

Traditionem hanc eludere conantur qui contra sentiunt, opinantes antiquitus Paschali tempore eas Antiphonas, et Evangelia Martyribus et Confessoribus fuisse communia : quod probare nituntur hac conjectura : *Enim vero in antiquis Missarum libris a Venerabili Cardinali Thomasio editis hæc rubrica :* «In communi unius Martyris, vel Confessoris» *apposita legitur tum in Antiphonario pro officio temporis Paschalis, pag.* 281, *tum in Lectionario, pag.* 80, *tum in Capitulari Evangeliorum, pag.* 217, *et id ipsum quoque notatur in Responsoriale, et Antiphonario pro Officio temporis Paschalis, pag.* 314, *et pro officio communi, pag.* 361, *adeo ut quod ex id generis Antiphonis, et Evangeliis eruitur argumentum ad statuendum cultum Martyris potius quam Confessoris traduci non possit. Illud autem quod ex Missis certum elicere possumus cultus testimonium, sunt orationes, vel graduale responsorium, si quidem proprium Sancti nomen præferat. Ubi enim Martyris, vel Confessoris titulus nomini proprio additus, utrum Confessor, an Martyr habitus fuerit, tute judicabit. Omnes vero orationes quas in sex mss. Veronensis Ecclesiæ libris, et in omnibus quidem S. Zenonis Missis inferius describendis legere licet, unum Confessoris Pontificis, non autem martyris titulum constanter ingerunt, et responsorium graduale subjectum Epistolæ ipso in Carpso designatum non alio titulo eumdem Sanctum appellat : Sancte Confessor Zeno*, etc. *Quis ergo ex Antiphonis, et Evangelio, quæ pro Martyre, vel confessore olim communia fuisse deprehenduntur contra expressum orationum testimonium, pro martyrio statuendo arguere velit ? Immo hinc potius confirmare licet, eas Antiphonas, et Evangelium Paschalis Missæ S. Zenonis, quæ Martyrum propriæ nunc habentur, Confessoribus etiam communia olim fuisse, cum præsertim idem Carpsus, et alii rituales libri officium etiam Paschale S. Zenonis totum de Confessore Pontifice recitandum exhibeant, quod non fecissent profecto, si Paschalis Missa, quæ cum officio concordare debebat, Martyris propria indicata fuisset.* Novum prorsus et inauditum in Ecclesia, ritum (commentum potius dixerim) eodem officio, et pro Martyribus, et pro Confessoribus uti in celebrando Martyrii festo, vel die obitus Confessoris. Antiquorum namque Missalium quæ Thomasius edidit rubrica, nempe : *In commune unius Martyris, vel Confessoris*, non eo sensu accipienda est, quo nostris temporibus *Confessoris* nomen accipitur. Modo enim hi dicuntur Confessores, qui pie et religiose viventes, singulari sanctitate præditi obdormierunt in Domino. Antiquis vero temporibus ii dicebantur Confessores, qui publice coram Præside, vel in tormentis Fidem professi fuerant, sanguine licet ac morte *martyrium non consummassent*. De his igitur intelligenda rubrica est. Potissimum vero cum olim Confessoris et Martyris nomen synonymum fuisse videatur, ut in Missali Gothico ab eodem Eminentissimo Thomasio edito, ubi in collecta SS. Ferreoli et Ferruccionis sic legitur : *Deus, cujus amore piissimi Confessores et Martyres tui Ferreoli, et Ferruccionis cruore adserunt, et morte confirmant ; qui dum tibi tam libenter sumptum a te vitæ munus impendunt*, etc. Et in Sacramentario S. Gregorii S. Donatus Martyr episcopus Aretinus, titulo Confessoris distinguitur : *S. Confessoris et Episcopi tui Donati.* Idem notat Sollerius in observatione ad textum Usuardi septimo Idus Augusti, nempe eumdem S. Donatum, cum in Martyrologiis notissimus sit Martyr, in nonnullis Hieronymianis apographis Confessorem tantummodo nuncupari. Quod et in S. Marcello Papa est observandum xvii kal. Feb. In Missali quippe a Thomasio Romæ edito, Confessor et Pontifex dicitur : *S. Marcelli Confessoris atque Pontificis.* Et in Sacramentario ejusdem Gregorii, Martyr : *Beati Marcelli Martyris tui atque Pontificis.* Sicuti etiam S. Felix Nolanus Presbyter et Martyr, titulo Confessoris inscribitur xix *Kal. Feb.* : *Natale S. Felicis Confessoris.* Nulla itaque distinctio in allata a Thomasio rubrica facienda est, cum nomen Martyris et Confessoris in eadem significatione antiquitus acciperetur, et ipsius qui morte consummarunt martyrium, nomen tribuatur confessoris. Qua de re manifeste patet, quam leve sit ex illis rubricæ verbis : *In commune Martyris, vel Confessoris* imaginari, olim fuisse communes Antiphonas et Evangelia, tam pro Martyribus quam pro Confessoribus (eodem sensu, quo nunc intelligitur Confessoris nomen) quæ modo pro solis Martyribus tempore Paschali sunt in usu. At vero ut indulgentius agamus, si qua distinctio inter nomen Confessoris et Martyris in eadem rubrica admittenda est, hæc unica admitti debet : nempe idem officium pro Martyribus dispositum commune fuisse iis qui stricto nomine Confessores nuncupantur, nempe illi qui fidem publice professi, atque etiam tormentis excruciati, cruenta morte non sunt affecti. Hi et in præsenti eodem Martyrum officio coluntur, et veri Martyres sunt, ut S. Marcellus, S. Joannes, S. Silverius, SS. Martinus et Pontianus, omnes Pontifices, qui in eo tantum a reliquis Martyribus distinguntur in octavo Responsorio ad Matutinum. Nam pro Martyribus qui mortem in tormentis oppetiere, disponitur responsorium : *Hic est vere Martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit*, etc. Pro superius recensitis Responsorium : *Domine, prævenisti eum.* Vide Breviarium romanum in commune unius Martyris.

Nihil vero confert observatio illa, quæ ad Martyrem a Confessore discernendum adducitur. *Illud autem quod ex Missis certum elicere possumus cultus Testimonium, sunt orationes vel graduale responsorium, si quidem Sancti nomen præferat : ibi enim*

Digitized by Google

Martyris, vel Confessoris titulus nomini proprio addi tus, utrum Confessor, an Martyr habitus fuerit, tute judicabit. Plurium namque Sanctorum martyrum nomina in orationibus Missæ commemorantur sine titulo martyrii, ut videre est in Sacramentario S. Gregorii. Pridie Idus Junii in Festo Sanctorum Basilidis, Cirini, Naboris et Nazarii; III Kal. Decembris in Festo Sanctorum Felicis et Adaucti; III Idus Septembris in Festo Sanctorum Prothi, et Hiacynthi; pridie Idus Octobris in Festo S. Callisti Papæ; et in Missalibus a Thomasio editis V Kal. Septembris in Festo S. Hermis (seu Hermetis) et Nonis Octobris in Festo SS. Marcelli et Apulei, etc. In Graduali vero post Epistolam vix invenies, præcipue in antiquis Missarum libris (ut in Missa S. Zenonis legitur) proprium nomen Sancti cujus Festum celebratur. In Festo vero S. Martini Episcopi undecima die Novembris ejus nomen sine addito Confessoris inspicitur in Graduali. Non itaque ex orationibus, vel graduali Responsorio, sed aliunde discerni potest, utrum Martyres an Confessores Sancti sint appellandi. Aliunde vero de S. Zenonis Martyrio constare inferius ostendemus.

In hac vero re de qua agimus, alia ratio est. Negari profecto non potest in orationibus, et in Graduali post Epistolam S. Zenonem Confessorem dici. Sed hoc in Festo Ordinationis, in quo Missa de Confessore Pontifice recitatur, de quo etiam agemus postea. Itaque cum plures Festi dies pro S. Zenone celebrentur, ex uno Festo Ordinationis argumentum sumi non debet ad alia Festa, neque ex eodem inferendum est ipsum Confessorem, non Martyrem fuisse: eoque minus inferendum est, iisdem antiphonis, et Evangelio Paschali tempore coli, et Martyres Pontifices, et Pontifices Confessores. Cum itaque fatentibus ipsis qui contra sentiunt, in dubium verti non possit, in veteribus codicibus Veronensis et Pistoriensis Ecclesiæ 12 Aprilis ordinari Missam, et Officium de uno Martyre pro Festo S. Zenonis, certius esse non potest easdem Ecclesias cultu Martyris S. eumdem Præsulem veneratas esse.

Si vero aliqua irrepsit in his Ecclesiis Officiorum confusio, ex eo factum est quod officio proprio pro Festo Ordinationis S. Zenonis digesto in aliis festivitatibus, nempe Martyrii et Translationis uterentur; at Veronensis Ecclesia, hac Officii confusione non obstante, semper in Festo Aprilis ad Primam, ut ex antiquis Martyrologiis probat Baptista Perettus suis in Scholiis ad Vitam S. Zenonis, recitarit, *Prid. Id. Aprilis: Eadem die S. Zenonis Episcopi, qui inter procellas persecutionum Veronensem Urbem mirabiliter rexit, ac tempore Gallieni martyrio coronatus est;* et Ecclesia Pistoriensis in Vesperis et Laudibus, et ad Horas antiphonis de Communi unius Martyris usa sit. Hanc officiorum confusionem sustulit Lippomanus. Jure vero ac merito id fecisse, et ex jam allatis apparet, et ex iis quæ afferuntur constabit.

Maxime vero id est animadvertendum, nempe in ipso Officio pro Festo Ordinationis digesto quædam esse, quæ nonnisi de Martyre possunt intelligi. In prima Missa inter monumenta a Dominis Ballerinis relata (*pag.* CLVIII) duæ orationes ante Epistolam ponuntur, et in secunda sic legitur: *Deus, qui nos S. Zenonis Sacerdotis et Confessoris tui annua beatæ Confessionis solemnitate lætificas, præsta, quæsumus*, etc. Quæ Missa pro die Ordinationis concinnata, aliis etiam Festis S. Zenonis recitabatur. *Eadem Missa aliis quoque diebus legebatur.* In admonitione ad monumenta num. 5, et in adnotatione 2 ad eamdem Missam. *Ecclesia Veronensis hac oratione singulis S. Zenonis Festis in officiis usa apparet ex ms. Capitulari, et alio Monalium S. Mariæ de Campo Martio.* Eadem oratio et in ms. Pistoriensi supra tradito legitur. In hac itaque oratione verba illa: *Annua beatæ Confessionis solemnitate*, de simplici Confessore intelligi non possunt, nam Confessionem exprimunt, quæ Fidei publicam Confessionem significant: quapropter cum eadem oratione singulis Festis S. Zenonis usa dicatur Ecclesia Veronensis, aliqua mutatione adhibita ea uti debuerat. Festo etenim Translationis et Ordinationis aptari non poterant illa verba: *Annua beatæ Confessionis solemnitate;* ita probabile est illud verbum *Confessionis* mutari solitum in verbum *Ordinationis*, et Translationis, ut Festum exigebat, quod et in præsenti fit in commemorationibus, seu suffragiis Sanctorum, post Laudes, et Vesperas; mutatur enim in oratione S. Zenonis verbum: *Ut cujus solemnitate lætamur*, ita: *Ut cujus commemoratione lætamur*, nulla id præscribente rubrica. Ita factum fuisse dicendum, quamvis in veteribus ritualibus libris hoc non adnotetur. Quare et illud nomen *Confessoris*, vel pro *Martyre* intelligendum, ut supra ostendimus, et adjecta verba suadent. *Annua beatæ Confessionis solemnitate*, vel et ipsum *Confessoris* nomen in *Martyris* mutatum fuisse, arbitrandum est. Quidquid autem de hac mutatione sit, verba illa, *Beatæ Confessionis* Martyris, non simplicis Confessoris sunt propria. In secunda Missa, in oratione post Communionem sic legitur: *Concede, quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui venerandam gloriosi Confessoris tui Zenonis translationem*, etc. Adjectum illud *gloriosi* simplici Confessori non convenit. In iis quæ communia dicuntur ad Missas S. Zenonis pertinentia, introitus ad Missam: *Statuit ei Dominus* pro Martyre Pontifice, sicut etiam pro Martyre non Pontifice in communi videtur. Notatur in his Evangelium pro Martyribus tempore Paschali. Quare constat Mense Aprili Missam pro S. Zenone de Pontifice Martyre celebrari solitam. Admiscentur alia quæ pro Pontifice Confessore in Missa leguntur pro diversitate Festorum S. Zenonis.

In versu secundi Nocturni alius versus notatur de communi Martyris: *Posuisti, Domine, sup. cap. ejus.*

Secundus hymnus incipit: *Deus tuorum militum*, ut hymnus pro uno Martyre.

Secunda stropha hymni quinti, quæ incipit: *Magnus Excelsi*, alibi legitur: *Martyr Excelsi* Peretto,

Digitized by Google

et Bagatta testibus, in antiquis monumentis Sanctorum episcoporum Veronensium, et Ferrario in Vita S. Zenonis. Mutabatur scilicet pro diversitate Festi : nempe in Festo Ordinationis *Magnus*, in Festo martyrii *Martyr*. Expresse tamen in eadem stropha martyrii memoria exprimitur :

Pro Deo tandem patiendo mortem
Vivit in ævum.

Quæ verba non ita facilem mutationem patiebantur.

Benedictionis formula in Festo S. Zenonis sic habet : *Omnipotens Deus et Dominus det vobis copiam benedictionis, qui B. Zenonem sibi ascivit virtute Confessionis. Amen.* Illa verba : *Virtute Confessionis* martyrium exprimunt; simili etenim modo apud Thomasium XVIII kalendas Febr. S. Felicis martyrium significatur in oratione : *S. Felicis, Domine, confessio recensita conferat nobis*, etc., *qui in confessione tui nominis perseverans, meruit honorari.* Et in Natali Sanctorum Martyrum Processi et Martiniani, VI Non. Julii in Sacramentario S. Gregorii legitur : *Deus, qui nos Sanctorum tuorum Processi et Martiniani confessionibus gloriosis circumdas et protegis*, absque alia mentione Martyrii.

§ V. *Quo ritu aliæ Ecclesiæ Festa S. Zenonis celebrarunt.*

Sancti Zenonis cultum, et in Italia, et extra eam late diffusum probant eruditissimi Ballerinii. Mediolani, Patavii, Pisis, in diœcesi Novocomiensi, Tridentina, Tarvisina, Aquileiensi, aliisque pluribus Festum Ordinationis S. Zenonis colitur, VI Id. Decembris, ritu Confessoris Pontificis. At in diœcesi Brixiana sex Ecclesiæ, quæ pridie Idus Aprilis Festum celebrant, S. Zenonem ritu martyris venerantur, et in ipsa urbe Brixiæ una Ecclesia, quæ antea VI Idus Decembris Festum agebat ritu confessoris, nunc pridie Idus Aprilis S. Zenonis natale ritu Martyris peragit. Una est Ecclesia in Tarvisina Diœcesi, quæ eodem die officium recitat de Confessore Pontifice. At in universa Congregatione Montis Cassini, ut in Calendario pro eadem Congregatione digesto apparet, die octava Decembris commemoratio fit *S. Zenonis Episcopi et Martyris*. Ecclesia Frisingensis, quæ ab anno 730, S. Zenonem colere cœpit, ritu Martyris Pontificis Natale S. Zenonis recolit. Monasterium quoque S. Zenonis Hallensis eumdem ritum S. Zenoni impertitur pridie Idus Aprilis; Confessoris Pontificis cultum VI Idus Decembris. Evidens itaque ea consuetudo est, et Veronensis, et aliarum Ecclesiarum celebrandi Festum Ordinationis S. Zenonis ritu Confessoris Pontificis VI Idus Decembris. Pridie Idus Aprilis ritus Martyris, una excepta in Tarvisina diœcesi. Festum vero Ordinationis de Confessore Pontifice peragendum esse, usui Veronensis Ecclesiæ non modo conformis est, sed et communi ritui Romanæ Ecclesiæ. Quare Sixtus V, in suo Brevi 26 Novembris 1588, ex relationibus Eminentissimorum Cardinalium Cong. Rituum, cui hoc fuerat ab eodem Pontifice demandatum, præcipit die A Ordinationis S. Zenonis Festum celebrandum esse de confessore Pontifice : aliis duobus Festis nempe Natalis et Translationis, de Martyre pontifice. *Essendo de mandato di Sisto V, stato diligentissimamente, e secondo la forma del detto Breviario* (Romano) *emendato* (l'Offizio proprio di S. Zenone) *della Congregazione degl' Illustrissimi Cardinali deputati sopra i riti, e ceremonie Ecclesiastiche, e da alquanti nomini per dottrina, e per pietà excellenti con auttorità di esso Sommo Pontifice a ciò eletti, essendo prima a pieno informati intorno all' uso, e al titolo dell' offizio, come nella Chiesa, e sua diocese in diversi tempi avanti, e dopo la riforma era stato celebrato, e vedute anche, acciò non mancasse cosa alcuna a questa informazione, alcune ragioni, che di qua* (da Verona) *gli furono da altri mandate, giudicando, che non si devosse far l'offizio di Martire, ma di Confessore solamente, e quelle come mal fondate da essi rifiutate, fu da Sua Santità confirmato con precetto a tutto il Clero secolare, e regolare dell' uno, e dell' altro sesso della diocese Veronese, a quelli cioè, che recitano il divino Offizio secondo il rito del Breviario Romano, che debbano divotamente al suo tempo debito recitarlo, come dissusamente si legge nel Breve Apostolico sotto di 26 Novembre 1587, stampato col detto Offizio l' anno sequente 1588, nel quale Offizio è stata fatta la provisione di proprio per ciascuna delle tre Feste dette di sopra : nella prima si fà l' Offizio di Confessore Pontefice, e nell' altre due di Martire, e Pontefice, come in detto Offizio si legge.*

§ VI. *De aliis Monumentis, et Veteribus ms.*

Vetustissimum monumentum Anonymi Pipiniani S. Zenonem Martyrem appellat Octavus Pastor, et Confessor Zeno Martyr inclytus, cui et Guillelmus Pastrengus adstipulatur. Hos unum S. Gregorium secutos dicunt, qui laureolam martyrii S. Zenoni detrahere nituntur (*Apud Baller. d. Diss.* 3, c. 2, § 2). At S. Gregorius in S. Zenone Martyre nuncupando non est deceptus, neque memoria lapsus, ut supra ostensum est; stat ergo, et Anonymi Pipiniani, et Pastrengi auctoritas pro S. Zenonis Martyrio. Eos vero S. Gregorium secutos dicunt, sed non probant. Et illud addere non verentur : *Quin Anonymus Pipinianus cum Sanctum Zenonem Martyrem et Confessorem appellet, vel ex hoc apparet eum inscium Martyr ne an Confessor S. Zeno fuerit, utrique quæ ferebatur appellationi, ne erraret, voluisse satisfacere, et idcirco martyris titulum a S. Gregorio ita sumpsisse, ut Confessoris tamen nomen ex antiqua, totque testimoniis formata suæ Ecclesiæ traditione prætermittendum nequaquam putaret, qua eadem causa accidisse quispiam existimet, ut tum in ms. Medoetiensi Pauli Diaconi* 6, 1, *Rerum Italicarum, pag.* 447, *tum in uno e duobus objectis monumentis utrumque nomen pariter jungatur.* Perbelle quidem at leviter admodum! Figmenta hæc eorum sunt, qui non omnem non movent lapidem, ut opinioni suæ fucum faciant. Adfuerunt ne dum hæc Anonymus Pipinianus scriberet, ut suæ mentis arcanum illi aperiret? His versutis commentis

Digitized by Google

quale, firmum licet et certum monumentum, si admittantur, in tuto esse poterit? Magis tamen antiquitati studeant necesse est, et aliis in antiquis codicibus verba Confessoris et Martyris simul juncta reperient, ut in sanctis Martyribus Ferreolo et Ferrucione supra exemplum dedimus. Norint etiam antiquitus cum simplicis Confessoris vix Festa celebrarentur nomine Confessoris aliquando Pontificem solere intelligi, quod in Missali Gothico apparet a Thomasio edito, ubi titulus legitur : *Missa unius Confessoris*. In prima vero oratione ita scribitur : *Sancti Confessoris tui et Episcopi*. In secreta : *Sancti Confessoris tui*, et in aliis duabus orationibus : *Confessoris et Episcopi*. In titulo, et oratione secreta idem valet nomen *Confessoris*, ac in aliis *Confessoris et Episcopi*. In Missali quoque Francorum ab eodem Eminentissimo Thomasio edito S. Hilarius Confessoris titulo scribitur : *S. Hilarius Confessor tuus*, ita in oratione et precibus; at in oratione super oblata *Confessor et Pontifex* nominatur. Anonymus ergo Pipinianus, qui Confessorem et Martyrem S. Zenonem dicit, Pontificem et Martyrem significasse putandus est. Idem in Medoetiensi ms., et alibi, ubi hæc reperitur inscriptio. Neque minus allucinantur, dum in *charta anno 769 in vico Campellione Mediolanensis diœcesis scripta*, et ab inclyto atque de Litteraria Republica optime merito marchione Maffeio edita inter monumenta, *quæ ipsi in Veronensi historia illustranda usui fuerunt parte prima, pag.* 375, in qua memoratur *Basilica Beatissimi et Confessoris Christi Zenonis*. Quis non videt verba illa *Confessoris Christi* de simplici Confessore enunciari non posse? Quid vero refricant adhuc inscriptionem, *quæ temporibus Andreæ Patriarchæ Aquileiensis, id est, sæculo* IX *in templo S. Gregorii, nunc autem vulgo S. Helenæ*, in dedicationis monumentum *erecta adhuc cernitur, ubi intra Sanctorum, quæ ibidem continentur reliquias, hæ recensentur : S. Vigilii Confess., S. Proculi Confess., S. Zenonis Confess.*, cum ejusdem inscriptionis manifestum errorem in Scholiis ad vitam S. Zenonis Baptista Perettus evidenter demonstret. *In instrumento authentico primæ consecrationis Ecclesiæ S. Gregorii Martyris apud Cathedralem, quæ etiam S. Helenæ vocatur, de quo supra cap.* 7 *dictum est, quod asservabunt in Archivio multum reverendi Capituli Dominorum Canonicorum, ita legitur :* « Maxentius Patriarcha Aquileiensis consecravit Ecclesiam, quam construxerat Pacificus Archidiaconus Ecclesiæ Veron. in honorem Beati Georgii, et Beati Zenonis Martyrum, aliorumque venerabilium Sanctorum, sub die XVI Kal. Octobris, et reliquias supradictorum Sanctorum in locello altaris ejusdem Ecclesiæ manu propria collocavit : Regnante Domino Carolo in Italia, anno pietatis ejus XLI, indict. V. Cui consecrationi præsens fuit Rotaldus Episcopus Veronensis. » *Hæc ex memoriali D. Alexandri Canobii, qui, ut mihi asserit ex dicto instrumento ea fideliter exscripsit. D. autem Carolus obiit die* 28 *Januarii, anno Christi* 814, *teste Carolo Sigonio Historiarum de regno Italiæ, lib. quarto..... Aliquis fortasse non deerit, qui objiciat S. Zenonem Episcopum Martyrem non fuisse, cum in lapide posito in pariete Ecclesiæ supradictæ S. Gregorii, quæ et S. Helenæ appellatur incisæ sunt litteræ quæ docent, quod in reconsecratione dictæ Ecclesiæ anno Domini* 1140, *primo Decembris, inter alias reliquias in locello majoris Altaris impositas, fuerint etiam impositæ reliquiæ S. Zenonis Confessoris..... Cui respondebitur, quod cum hæ reliquiæ sint eædem quæ olim collocatæ ibidem fuerant in prima consecratione Maxentii Patriarchæ, sub titulo S. Zenonis Martyris, ut paulo supra dictum est : nulla ratio patitur, quidquid in illo lapide contra fidem instrumenti primæ consecrationis, et historiæ veritatem dicatur, ut a veritate Martyrii S. Zenonis recedatur.* Primam consecrationem sub die XVI Kal. Octobris nono sæculo incipiente celebratam, cum secunda sub die primo Decembris anno 1140 confundunt. Quanti vero facienda sit hæc inscriptio in secunda consecratione posita, ostendit manifestus error in ea patens, cum S. Vigilium episcopum Tridentinum Confessorem indicet, qui omni dubio procul Martyr obiit.

Et Coronatum Notarium non timent afferre, qui S. Zenonem in pace quievisse asserit, Coronatum inquam, quem ut totum scatentem fabulis respuere prius, nunc laudant, ejusque prosequuntur auctoritatem. At jam supra observavimus Coronati narrationem in lectiones distributam pro officio Ordinationis S. Zenonis. Quare non est alienum, ut quis hoc sibi in animum inducat, ut credat mentionem martyrii pro eodem festo fuisse sublatam. Hoc suadet varia lectio, quæ in diversis mss. inspicitur, ut notavimus, lib. de martyrio S. Zenonis, cap. 5, suadentque similes aliæ mutationes in eodem officio superius notatæ. Joannes quidem præsbyter Mansionarius Ecclesiæ Veronensis, et ipse in sua historia imperiali ms. de S. Zenone asserit : *Quievit in Christo*. At immediate ante scribit : *Post multa supplicia quievit in Christo*. Forte in lectionibus Festi Ordinationis, ablatis verbis quæ mentionem martyrii exprimebant, illa tantum relicta sunt : *Requievit*, aut *receptus est in pace*, eo modo : ac *si quis* ex textu Joannis presbyteri nuper laudati delevisset illa verba *post multa supplicia*, et reliquisset *quievit in Christo*. Neque vero aliena sunt hæc verba in Festo martyris recolendo, ut in Martyrologio Romano, 1584, XIX kal. Feb., ubi de S. Felice legitur : *Clarus miraculis in pace quievit*. Detractam vero a Festo Ordinationis mentionem martyrii constat ex eo quod Perettus et Bagatta cum nostro Dondoro in lectionibus, quæ 12 aprilis et Veronæ, et Pistorii antiquitus legebantur in Festo martyrii S. Zenonis eam se vidisse testentur.

Quoad statuta vero Veronensis urbis, ubi de cultu Zenonis agitur, quæ Perettus refert in Scholiis ad Vitam S. Zenonis, neque martyr, neque confessor in illis legitur S. Zeno, sed patronus et urbis protector. Alibi forte cum addito *confessoris* scribitur S. Zeno. At in antiquis codicibus, ut supra vidimus, confessoris nomen martyrem significare certum est. Si vero posteriori ætate alicubi legatur, id ex veteribus libris

Digitized by Google

derivasse dicendum. Neque enim statutorum conditores rubricas ecclesiasticas consulebant, dum leges darent, sed codicis et digestorum. Aliud libet exemplum afferre quo aperte martyres vocari confessores demonstratur. Præbet illud Perettus. S. Paulinus namque pluries confessorem, et pluries martyrem S. Felicem Nolanum appellat :

> Ipse Opifex, Lux nostra Deus, Felicis amici
> Natalem tanta voluit decorare medela,
> Ut Confessoris meritum sublime patenti
> Munere monstraret, non ut cumularet honorem
> Martyris hoc opere, ingentes cui contulit olim
> Nobilibus titulis benedicto nomine palmas.

Eodem modo nunc confessoris, nunc martyris titulo S. Felicem decorat idem S. Paulinus in vita ejusdem S. Felicis versibus hexametris exarata. S. Augustinus ipse eumdem S. Felicem modo confessorem, modo martyrem vocat in libro de Cura pro mortuis, cap. 1 : *Quod materno et pio affectu desideravit esse completum, ut scilicet in beatissimi Felicis confessoris basilica poneretur.* Et in cap. 4 : *Cum ergo fidelis mater fidelis filii defuncti corpus desideravit in basilicam martyris poni, siquidem crediderit ejus animam meritis martyris adjuvari.* De eadem basilica S. Felicis loquitur Augustinus.

Si vero in Litaniis et Canone missæ inter confessores S. Zeno recenseatur, hoc ea ratione factum fuisse putandum est, quod processio die Ordinationis fiebat (idem modo in hac Pistoriensi Ecclesia fit) ut Litaniæ et missæ Canon cum officio concordarent. In Canone vero post confessores pontifices locatum S. Zenonem par est credere, eo quod posterius additum fuerit; nam et S. Proculus post SS. Hilarium, Martinum, Augustinum, Gregorium, Hieronymum legitur, eos licet ætate præcesserit. Alio autem tempore, et occasione recitatas esse Litanias, quid inde? Cum Litaniis jam pro Festo Ordinationis dispositis uterentur.

In Commemorationibus communibus, seu suffragiis sanctorum, si confessor S. Zeno appelletur, jam ex sæpe adductis exemplis patet prisco more et martyres appellatos fuisse confessores. Nam et in benedictione pontificali in Festo S. Zenonis, ubi præcipue confessor inscribitur, hæc verba leguntur : *Omnipotens Deus et Dominus det nobis copiam benedictionis, qui B. Zenonem sibi adscivit virtute confessionis.* Hæc verba, *virtute confessionis*, martyrem, non simplicem confessorem significant.

Quæ restant, nempe : *Quod nec Ratherius, qui S. Zenonem suis in operibus et honorificis quidem titulis allegat, nec manuscripti tractatus, inter quos Remensis antiquissimus huic ipsi Ecclesiæ inter sacra officia inservivit, nec calendaria sive nostra, sive aliena, quorum plura vidit P. Henschenius, cap. 1, n. 3, pag. 70, martyrem illum vocant, sed solo confessoris titulo insigniunt;* hæc, inquam, argumenti negativi abusum hac in disceptatione præ se ferunt, neque tanti sunt ponderis, ut præcisa responsione quis ea suscipiat refellere; cum tot aliis monumentis, ut mox videbimus, S. Zenonis martyrium comprobetur. Quod vero Calendaria concernit, recole quæ diximus, et ea etiam quæ disseruimus, lib. de martyrio S. Zenonis, cap. 10. Probabile vero utrum sit, S. Zenonem sub Gratiano Valentiniano juniore ac Theodosio imperatoribus martyrium subiisse, supervacaneum est inquirere, cum jam supra Gallieni imperatoris ævo S. Zenonis epocham constituerimus.

His omnibus discussis, quæ contra S. Zenonis martyrium objecta fuerunt, illud prætercundum non est, nempe edito jam a Dominis Ballerinis sermonum S. Zenonis libro, sermonem quemdam S. Petronii episcopi Veronensis ipsi editores invenerunt, in quo S. Zeno confessor nominatur his verbis : *Probat hoc ædis istius ampliata sublimitas, quæ dum sacratissimum confessorem gremio sustinet, fragrantia suavitatis ejus longe lateque dispergitur.* Titulus sermonis est : *Sermo S. Petronii episcopi Veronensis in Natale S. Zenonis.* Hunc sermonem typis dedit præclarissimus litterariæ reipublicæ splendor, marchio Scipio Maffeius, de quo inter alia sic habet : *Il codice è di poca antichità, ma fu ricavato da un altro, che dovea essere d'assai maggior età.* Cum itaque ab antiquiori codice hoc ms. originem ducat, neque desint exempla, vetustiora mss. quæ S. Zenonis martyrium concernunt, fuisse secunda manu corrupta, ut in duobus Martyrologiis capituli cathedralis Pistoriensis et bibliothecæ almæ domus Sapientiæ hujus ejusdem civitatis ostendimus, lib. de Martyrio S. Zenonis, cap. 2, incertum videtur, an autographo sermone S. Petronii vere legatur *confessorem*. Nam epithetum illud *sanctissimum* martyris potius quam confessoris videtur proprium. Si tamen confessionis nomen pro martyre accipiamus, ut priscis temporibus factum fuisse indubitatum est, nullo modo martyrio S. Zenonis officere satis constat. Quanti vero momenti hujuscemodi rationes sint, ex sequenti paragrapho prudens lector dijudicet.

§ VII. *Auctores mss. atque monumenta quæ S. Zenonis martyrium asserunt.*

Plura collegimus de martyrio S. Zenonis agentes, lib. II, cap. 1, 2, 3, 4, quæ ibi eruditus lector inspicere poterit, S. Gregorii incorruptum testimonium, Pauli Diaconi, Rabani, Notkerii, Bedæ, Usuardi, Vandelberti, aliorumque recentiorum, qui communi calculo martyrem S. Zenonem decernunt, neque plures alii desunt, qui eisdem consentiunt; Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii, 35, Ado die octava decembris in additionibus, Guillelmus Pastrengus Veronensis in libro de Originibus, qui sæculo XIV scripsit : *Zeno Veronensis episcopus Gallieni imperatoris tempore insignis habetur, et martyrium patitur.* Ita Pastrengus. Sixtus Senensis in Bibliotheca, libro IV : *Zeno Veronæ episcopus et martyr.* Hermannus Contractus in Chronico de sex mundi ætatibus : *Passi sunt* (Gallieno imperante) *Romæ Fabianus papa..... Veronæ Zeno episcopus.* Bernardinus Corius, et ipse in Historia Mediolanensi de Gallieno imperatore agens, S. Zenonem Veronensem episcopum martyrio corona-

Digitized by Google

tum dicit. Idem asserit Vincentius Bellovacensis suo in Speculo historiali, lib. II, cap. 83. Marianus Scotus in Chronico S. Zenonis martyrium ponit anno Christi 369, quæ vero contra tantorum virorum auctoritatem opponuntur, supra rejecta sunt. Complura etiam ms. ac vetera monumenta martyrem S. Zenonem confirmant. Quæ in Ecclesia Pistoriensi reperiuntur, cap. 2, lib. de Martyrio S. Zenonis exscripsimus; pag. tamen 69, error irrepsit in adducendis catalogi cujusdam verbis: *Depositio S. Zenonis patroni nostri Veronensis martyris*, ita legi, ut antiqui characteres, et vetustate non leviter assumpti primo aspectu præ se ferebant. At perlustrante illustrissimorum Canonicorum Archivio Adm. R. Patre Francisco Antonio Zacharia S. J. summæ, consummataeque eruditionis viro, antiquarum rerum peritissimo, cujus aciem nihil fugit, attentiorique diligentia inspecto ms. ita legendum esse, compertum est, ut hic vides, nostri Vicvis mr. Nam post verbum *Patroni nostri* punctum est, alia verba sic legenda sunt separatim ab antecedentibus *Victoris martyris*. Errores namque meos fateri non erubesco.

Vetustissimum ms. Anonymi Pipiniani *octavo sæculo exeunte vel saltem ineunte sæculo nono* scriptum, ut Domini Ballerinii optime conjiciunt, S. Zenonem martyrem canit in suo Rythmo:

Octavus pastor et confessor, Zeno martyr inclytus.

Authenticum instrumentum tempore Caroli regis Italiæ qui teste Sigonio, lib. IV Hist. de regno Italiæ, anno 814 obiit, stipulatum occasione primæ consecrationis ecclesiæ S. Gregorii et Zenonis, quæ nunc Veronæ S. Helenæ nuncupatur, cujus verba supra retulimus, S. Zenonem martyris titulo decorat.

In quodam privilegio a Berengario monasterio S. Zenonis concesso anno 901, S. Zeno bis confessor et semel martyr dicitur, sicuti antiquitus in usu erat martyres confessores etiam appellare.

In alio quoque privilegio eidem monasterio, anno 1055 concesso ab Henrico imperatore, S. Zeno bis martyr dicitur.

Ecclesia Frisingensis, quæ a S. Corbiniano primo ejusdem Ecclesiæ episcopo, cujus obitus anno 730 contingit, cultum S. Zenonis hausit, martyrem semper agnovit.

Calendarium sæculi noni, Sacramentario S. Gregorii præfixum, die XII aprilis in Biblioth. Vaticana anno 1806 S. Zenonem martyrem nominat.

Hic accensenda mss. Ecclesiarum Veronensis et Pistoriensis, de quibus supra egimus.

Alia subsequuntur Martyrologia, et Calendaria edita, et ms. Cassinense editum, tom. VII *Rerum Italicarum*, *pag.* 936, in quo *mense aprili Zeno* « martyrio coronatus dicitur. » Joannes præsbyter Veronensis, in Historia imperiali ms., sic habet: *Post multa supplicia quievit* (S. Zeno) *in Christo*, II *Idus Aprilis*; Charta, in vico Campellione diœcesis Mediolanensis, anno 769 scripta, S. Zenonem beatissimum Christi confessorem appellat. Martyr etiam S. Zeno dicitur *in Martyrologio antiquo ex membranis manuscripto ecclesiæ cathedralis Veronæ*. Idem *in Martyrologio antiquissimo Fratrum ordinis Prædicatorum, quod servatur in loco quem Fratres S. Anastasiæ depositum vocant. Idem in Martyrologio antiquo ex membranis manuscripto monialium Ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ in Campo Martio ordinis Minorum. Idem in Martyrologio monialium S. Luciæ Veronæ ordinis S. Benedicti, Perettus in Scholiis. In Martyrologio ordinis Prædicatorum post concilium Tridentinum reformato dicitur: Pridie Idus Aprilis eadem die S. Zenonis episcopi, qui inter procellas persecutionum Veronensem urbem mirabiliter rexit, ac tempore Gallieni martyrio coronatus est.* Iisdem fere verbis Perettus aliud refert Martyrologium, quod Viola sanctorum inscribitur, et aliud Martyrologium *apud S. Marcum in urbe Roma.*

Quædam quoque fragmenta a Panvinio collecta se vidisse idem Perettus testatur, quæ martyrii S. Zenonis mentionem faciunt; ipsius verba referam ex cap. 5 Vitæ S. Zenonis. *In alcuni frammenti di Fratre Onofrio Panvinio Veronese Cronista diligentissimo, investigatore delle cose antiche, i quali vedemmo adi 4 Febbraio 1574 appresso, Paolo suo Fratello si fà mentione di aver letto, che S. Zeno Vescovo di Verona sia stato legato, e molte volte preso, e battuto. Et un fatto a questo conforme si legge essergli avenuto essendo andato a predicare nelle parti oltramarine dell' Asia, e particolarmente nella Soria. Perciocchè da un Pontefice de Dei falsi e bugiardi con suoi seguaci fu preso, legato e battuto, e di poi fù per aspri luoghi crudelmente strascinato, et avendo legate le mani, et i piedi, e crudelmente battuto, mezzo vivo, e moribondo fù da quelli lasciato in abandonno: mà subito doppo la loro partenza per virtù Divina fù dalla morte preservato, da legami sciolto, e nel pristino stato miracolosamente ritornato. Avendo di poi liberato un figliuolo di quell' empio, e crudele pontefice idolatra dal demonio, che crudelissimamente lo tormentava per la crudeltà usuata dal Padre contro la Persona di S. Zeno, subito corse la fama di questi due miracoli per que i luoghi per il che a lui concorreva gran moltitudine di infermi acciocchè per esso il benefizio della sanità acquistassero, i quali esso per virtù Divina nella pristina Sanità ritornava. E quivi sece gran frutto distruggendo gl' idoli, e confermando la dottrina sua co miracoli, e particolarmente cacciandone il demonio da i corpi umani, e da i luoghi agl' idoli dedicati.*

Consonant his fragmentis, quæ in hymno præsulis sancti leguntur:

Magnus Excelsi fuit et Sacerdos,
Gentes effrenas penetrans marinas,
Inde Veronam Deus hunc ad Urbem
Mittere curat.

Consonat, et Vetustissimum ms. Anonymi Pipinlani.

Non queo tanta hujus Sancti opera narrare
Quæ veniendo a Syria usque in Italiam
Mirabilia per ipsum Deus ostendit.

Plures Ecclesiæ S. Zenonem tamquam Martyrem venerantur. In Patavina diœcesi inter alias Ecclesias una est Montis Silicis S. Thomæ Apostoli, et S. Ze-

Digitized by Google

nonis Confessoris Christi nuncupata. In Brixiana diœcesi ubi S. Zenonis cultus vetustissimus extitit, quindecim Ecclesiæ S. Zenoni dicatæ numerantur quarum novem die octava Decembris Ordinationis Festum officio Confessoris Pontificis colunt, sed reliquæ prid. Id. Aprilis Officio Martyris. Hallæ quoque Monasterio Salisburgensis diœcesis officio Martyris, et in Festo Aprilis, et die Translationis S. Zeno veneratur. *In universa Congregatione Montis Cassini ejus Sancti* (Zenonis) *memoriam peractam didicimus ex Calendario, quod præfixum vidimus.* « Psalterio Monastico Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cassinensis S. Justinæ de Padua » *Venetiis edito anno* 1606, *in quo leguntur mense Decembri die octavo* « Conceptio Beatæ Mariæ Virginis duplex majus, et Zenonis Episcopi, et Martyris commemoratio.»

Hæc sufficiant, omissis aliis quæ afferri possent, et quæ in hac Dissertatione commemoravimus, satis enim esse videntur ad martyrium S. Zenonis probandum.

Quid etenim contra hæc afferunt ii qui adversus S. Zenonis martyrium opinantur? Extortum et incertum S. Ambrosii textum : emendicatum et improbabilem in S. Gregorium memoriæ lapsum : imprudentem in clarissimos auctores credulitatem. Plura mss. quæ in Festo Ordinationis S. Zenonis ipsum Confessorem dicunt, tum cum officio Confessoris Pontificis peragi Festum debuerat. Quam vero impudenter asserant! *Nec Calendaria sive nostra, sive aliena... Martyrem illum vocant, sed solo Confessoris titulo insigniunt*, ex his, quæ mox retulimus mss., et Martyrologiis, atque Calendariis evidenter constat. Afferunt et inscriptionem lapideam in ecclesia S. Georgii Veronæ, nunc S. Helenæ, in qua error manifesto deprehenditur, et falsitas demonstratur.

Unam Ecclesiam habent S. Zenonis de Ruvico in Tarvisina diœcesi, quæ prid. Id. Aprilis, quando martyrii Festum celebratur, officio, Confessoris Pontificis memoriam recolat S. Zenonis; alteramque inscriptionem in *Ecclesia Montis Aurei Diœcesis Veronensis, quam nondum hactenus editam, et a P. Josepho Blanchinio olim diligenter exscriptam* D. Ballerinii ediderunt, et in ea S. Zeno Confessor scribitur. Quis itaque errorem Ecclesiæ S. Zenonis de Ruvico, duarumque harum inscriptionum, contra tot monumenta traditionesque quam plurium aliarum Ecclesiarum clausis etiam oculis non agnoscat? Quanti sunt hæc, ut illa possint eludere? Commentum vero illud, quod e cerebro, propria opinione obdurato, solummodo emersit, nempe Antiphonas et Evangelia pro Martyribus tempore Paschali, communia esse etiam Confessori Pontifici, quis non rideat?

JUDICIUM.

Sancti Zenonis martyrium S. Gregorii Magni auctoritate probatum, cui Ecclesiæ Veronensis, aliarumque Ecclesiarum traditio, et unanimis celebriorum auctorum, ac veterum codicum, manuscriptorumque consensus palam suis in scriptis expressus suffragatur, in dubium revocare non possunt. Confessoris titulus in Festo Ordinationis S. Zenoni adscriptus, officiumque eodem die Festo de Confessore Pontifice celebratum, quod Ecclesiastico ritui conforme est; neque una Ecclesia in Tarvisina diœcesi, quæ pridie Idus Aprilis Festum de Confessore Pontifice celebrat, quando memoria martyrii S. Zenonis recolitur, tot aliis Ecclesiis, quæ eodem die de Martyre Pontifice Festum agunt, argumento esse potest, S. Zenonem inter Confessores, non inter Martyres recensendi. Evidens namque est Festorum S. Zenonis distinctio; nam omnes aliæ Ecclesiæ VI Idus Decembris Ordinationem S. Zenonis celebrant officio Confessoris Pontificis : pridie vero Idus Aprilis Martyrii memoriam agunt officio Martyris Pontificis. Quapropter si in aliquo Martyrologio eodem Festo Aprilis S. Zeno Confessor nuncupatur, errore id factum fuisse constat contra tot insignium Auctorum sententiam, vetustissimam Codicum antiquorum veritatem, atque Veronensis Ecclesiæ aliarumque traditionem. Itaque cum Summus Pontifex Sixtus V exacte hac causa discussa judicium suum tulerit, ut in suo Brevi sub die 26 Novembris 1588, præcipiens, ut Ordinatio S. Zenonis officio Confessoris Pontificis, Martyrii vero ac Translationis Festa officio Martyris Pontificis celebrarentur, judicium hoc quisque exosculari debet, sanctumque Zenonem verum Martyrem venerari, in posterum ab omni disceptatione abstinendo. *Laus Deo, Deiparæque Virgini, ac Sancto Zenoni Martyri, Episcopo Veronensi. Amen.*

ANNO DOMINI CCCLXX-CCCLXXIV.

SANCTUS OPTATUS

EPISCOPUS MILEVITANUS.

PROLEGOMENA.

I PRÆFATIO.

(*Auctore Ludov. Ell. Du Pin.*)

Præfationis hujus tres erunt partes. Prima, de Vita Optati; altera, de libris ejus: tertia, de nova illorum, aliorumque monumentorum ad Donatistas pertinentium editione.

Digitized by Google

I. — DE VITA OPTATI.

Optatus Afer et Milevitanus episcopus. Quando scripserit. Quousque vixerit Optatus. Quam laudatæ memoriæ. Unde nomen ejus in Martyrologium romanum irrepserit. — Primum paucis absolvetur : nam vix quidquam aliud de Optato nobis compertum est, nisi eum Afrum fuisse, quod testatur Hieronymus, et Milevitanum episcopum. Quo tempore floruerit ex ejus opere colligitur. Nam libro primo § 13, ait, *ante annos sexaginta et quod excurrit* per totam Africam persecutionis tempestatem esse divagatam, Diocletiani autem persecutio, de qua hic procul dubio loquitur, incepit a mense februario anni æræ vulgaris 303, et desiit in Occidente anno 305, ex quo infertur scripsisse Optatum post annum 365, et circa annum 370, libro ejusdem operis quarto *Photinum præsentis temporis hæreticum* vocat; quibus verbis eum in vivis superstitem adhuc fuisse indicare videtur. Sed Photinus e medio sublatus est anno 376, ut docet Hieronymi Chronicon. His accedit testimonium Hieronymi scribentis, Optatum sub Valentiniano et Valente principibus scripsisse, ac proinde inter annum 372, quo Valentinianus proximo post bissextilem die imperator electus est, et 375, quo idem apoplexia correptus interiit xv kalend. septemb. in Castello Brigitione, ut testatur Idatius. Unum est quod cum hac epocha congruere vix possit; Siricii nempe nomen, quod in catalogo Romanorum episcoporum quem texuit Optatus lib. II, § 3, reperitur post Damasum. Nam cum Siricius ad sedem Romanam non fuerit evectus ante annum 384 aliquot annis post mortem Valentiniani et Valentis et octoginta a persecutione Diocletianea, non potuit circa annum 370, vivente Valentiniano Optatus Siricium inter episcopos Romanos recensere, ac scribere hunc esse socium suum totumque orbem sibi per eum commercio formatarum in unam communionis societatem concordare. Sed nodus ille facile solvetur, si dicamus, quod necessario supponendum, Siricii nomen post absolutum opus adjectum fuisse vel ab alio, vel potius ab ipsomet Optato. Cur Optato potius quam alteri ista additio tribuenda sit, ratio est quod § sequentis initio scriptor seriem texens eorum qui ex parte Donati se Romanos episcopos esse jactitabant, de Macrobio loquitur tamquam præsente et vivo cum hæc scriberet : *Ecce præsentes sunt*, inquit, *ibi* (Romæ) *duorum memoriæ apostolorum, dicite si ad hos ingredi potuit aut obtulit illic, ubi sanctorum memorias esse constat. Ergo restat, ut fateatur socius vester Macrobius se ibi sedere, ubi aliquando sedit Encolpius*, etc. Quis non ex his intelligat Macrobium Encolpii successorem in serie Romanorum episcoporum e parte Donati superstitem adhuc fuisse cum hæc scriberet Optatus? At sub finem hujus capitis duo recensentur post Macrobium. *Igitur quia Claudianus Luciano, Lucianus Macrobio, Macrobius Encolpio, Encolpius Bonifacio, Bonifacius Victori successisse videntur.* Ex his *Claudiani* et *Luciani* nomina adjecta esse patet postquam scriptum erat opus. Sed hæc ab auctore potius quam ab alio addita videntur; non certe a recentiori exscriptore, cui nota esse non poterant nomina ignobilium illorum episcoporum de quibus altum in historia silentium. Itaque Optatus circa annum 370, sub Valentiniano et Valente, sedente Romæ Damaso, suos adversus Parmenianum libros sex elucubravit. Sed vixit usque ad pontificatum Siricii ac Theodosii imperium, quo tempore libros suos recensuit, eaque forte additamenta confecit quæ libro septimo continentur, de quibus modo dicemus. Quo anno diem extremum clauserit incertum est. Illius tamen memoria ob Ecclesiam egregie defensam in honore semper fuit apud Christianos. Hunc Augustinus venerabilis memoriæ catholicæ communionis episcopum vocat, et hujus testimonium Ambrosiano comparare non veretur. Sancti nomen jam ab initio sexti post Christum sæculi ipsi tributum legitur ab eximiæ sanctitatis et eruditionis viro Fulgentio Ruspensi episcopo, qui sancti Optati auctoritatem, sancti Ambrosii et sancti Augustini testimoniis adjungit. In Martyrologio Romano ad diem 4 junii adscriptus est a Baronio inter sanctos Optatus Milevitanus, cujus nomen in nullo alio Martyrologio legere est, nisi in catalogo Petri de Natalibus, qui Optatum Antissiodori episcopum, cujus natalis celebratur ad diem 31 Augusti, putavit eumdem esse cum Optato Milevitano, eaque die memoriam ipsius factam credidit. Cujus errorem agnoscens Baronius, Optatum Antissiodorensem ad diem 31 Augusti restituit; sed religioni ducens Optatum nostrum, cui locum inter sanctos in Martyrologio Petrus de Natalibus dederat, ab eo prorsus expungere, hunc ad diem 4 junii revocavit, nescio qua de causa, nisi forte quia is qui Baronium in nova Martyrologii Romani editione præiverat, die præcedenti Cæcilium presbyterum Carthaginensem inter sanctos adscripserat. Nam et annus et dies mortis Optati plane incertus, ac nullibi gentium sub ejus invocatione Ecclesia aut ara Deo consecrata legitur.

II. — DE LIBRIS OPTATI.

Occasio operis Optati. Quis fuerit Parmenianus quem refellit Optatus. Opus Parmeniani. — Longe ampliorem disserendi materiam nobis præbet Optati opus quantumvis mole exiguum. Hujus occasionem ipse scriptor exponit libro primo, § 1. « Donatistæ maledicis ubique vocibus adversus Catholicos perstrepebant. A multis Catholicis sæpe desideratum fuerat, ut ad eruendam veritatem ab aliquibus defensoribus partium conflictus haberetur. Sed Donatistæ, causæ suæ diffisi, et Catholicos fugientes, accessum prohibebant, aditum intercludebant, consessum vitabant, colloquium denegabant. Parmenianus autem eorum episcopus non contentus dictis, quæ in ventos abeunt, Catholicos incessere, animi sui sensa scriptis aperuit. Hac occasione arrepta Optatus veritate cogente, scriptis ejus respondere aggressus est, ut hac ratione esset inter absentes quodammodo collatio. »

Parmenianus ille cujus opus refellit Optatus, Donato

Digitized by Google

successerat circa annum 350, in cathedra quam Majorinus adversus Cæcilianum Carthagini erexerat. Afrum non fuisse Parmenianum testimonio Optati compertum est, qui bis illum peregrinum appellat, semel libro primo, § 5, et libro tertio, § 3, ac præterea de illorum numero fuisse testatur, quos Donatistæ circumeuntes maria et terras proselytum suum effecerant et Carthagini ordinaverant. Parmeniani opus cui respondet Optatus, diversum est ab epistola ejusdem Parmeniani ad Tichonium Donatistam, contra quam libros tres conscripsit Augustinus. In hac reprehendebat ea quæ Tichonius Donatista de Ecclesia scripserat suæ sectæ placitis contraria. At vero in tractatu illo, quem refutat Optatus, catholicam Ecclesiam aggrediebatur. Diversa utriusque operis divisio, diversa methodus, diversum argumentum; quamquam eadem utrobique in Ecclesiam catholicam convitia legerentur.

Divisio operis Optati. Utrum liber septimus Optati genuinus sit. Rationes dubitandi. Quid de illo judicandum. — Totum opus suum in Parmeniani tractatum partitur Optatus in sex libros, quorum argumentum refert § 7 libri primi. Totidem, et non plures Optati libros recenset Hieronymus. Nunc septimus accessit quem olim post viros doctos spurium esse existimavi, et alterius scriptoris. Tria me præcipue ad id credendum movebant. Primum, silentium Optati ipsius et Hieronymi. Nam etiamsi diceretur Optatum cum primum sex tantum libros scribere instituisset, septimum postea adjecisse, de Hieronymo vix credi aut dici potest quod si hujus tempore liber septimus Optati cæteris fuisset annexus, hunc ab ipso in Catalogo suo prætermissum iri. Secunda ratio, qua præcipue afficiebar, hæc erat, quod crimen traditionis quod Optatus libro primo pessimum vocat, Idololatriæ comparat, ac damno æternæ vitæ plectendum esse docet, in isto libro multis elevetur; ita ut conquisitis undique rationibus parum solidis, et exemplis ad rem haudquaquam facientibus, id intendat, id moliatur auctor, ut traditores excusentur a crimine. Tertio, nonnulla mihi videbatur inter hunc librum et alios styli diversitas quæ suspicionem ingerebat, alium potius esse hujus scriptorem.

Hæc erat mens mea nondum consultis Optati codicibus manuscriptis. At postquam intellexi id omne quod ad elevandum traditionis crimen pertinet, abesse a codicibus manuscriptis quos mihi videre contigit, præcipuum arietem qui adversus hunc librum militabat ereptum mihi esse sensi. Deinde cum vidi partem hujus libri septimi adscriptam fuisse ad finem libri tertii, quæ licet ad eum pertineat ob argumenti similitudinem, ablegatur tamen ad septimum in omnibus manuscriptis, re attentius ponderata, in eam opinionem adductus sum, partem illam operis Optati, quæ liber septimus dicitur, non esse revera librum distinctum a cæteris, sed additamenta ad quosdam libros ab ipso Optato composita opere jam confecto. Et quidem cum ad ea quæ primo libro dixerat de traditione Donatistarum, quos tamen fratrum loco haberi volebat, objici posset a Donatistis; siquidem Patres nostri traditores sunt, cur nos fratres appellatis? cur ad communionem vestram invitatis? Huic difficultati occurrendum esse putavit Optatus, exponendo cur et quare Donatistas ad communionem suam invitaret, licet traditorum filios, quod § 1, 2 et 3, exequitur, qui proinde ad librum primum pertinent. Quæ de muscis morituris quæ perdunt suavitatem unguenti, 3 et de Jamne et Mambre dicuntur § 4 et 5, ad libri secundi finem, aut potius ad quartum pertinent, ubi similia convitia refelluntur. Quæ vero sequuntur de Macario cum præcedentibus non cohærent, sed haud dubie additamentum sunt ad librum tertium. Ita id quod dicitur liber Optati septimus, nihil aliud est quam triplex additamentum ad tres Optati libros, atque ideo non plures quam sex revera fuerunt aut enumerandi sunt. Verisimile est in veteribus Optati codicibus quos præ manibus habebat Hieronymus, hæc additamenta ad finem apposita fuisse sine libri vii inscriptione; hinc effectum, ut sex tantum librorum Optati mentionem fecerit. Denique dissimilitudo styli qua etiam commovebar, occurrebat præsertim in additamento spurio de levitate traditionis; ac aliunde Optati stylum non omnino æqualem esse legentibus patebit. Ex his quid de Optati libro septimo sit sentiendum satis intelligitur.

Utilitas librorum Optati. — Quanta sit librorum Optati utilitas, docet operis argumentum. Ecclesiam catholicam adversus Sectarios acriter propugnat, quod genus scriptorum quovis tempore pariter utile est: nec enim de controversiis ad Ecclesiam spectantibus idem judicium ferendum ac de privatis circa aliquod dogma speciale quæstionibus. Hæ, quamdiu durant sectæ, quæ vel dogma quoddam catholicum oppugnant, vel errorem aliquem docent, vigent et agitantur; sublatis hujusmodi sectis oblivione delentur, et hæresi semel exstincta, haud tanta est librorum qui illam oppugnarunt utilitas. At cum omnes hæreses, omnia schismata commune hoc habeant, ut Ecclesiam a qua discesserunt aggrediantur, scripta quibus adversus aliquos propugnata est æque valent adversum omnes; omnibus hæreticis qualescumque sint, adversantur, et Catholicis quamdiu erunt hæretici aut schismatici æque utilia censebuntur.

Quot et quanta ad doctrinam et disciplinam Ecclesiæ pertinentia contineantur in libris Optati.— Sed præter ea quæ Ecclesiæ defensionem et Donatistarum schisma spectant, vix in antiquis monumentis ullum reperiri potest (non dico ejusdem molis, sed longe prolixius opus) quod tot et tanta ad doctrinam et disciplinam christianam pertinentia tam aperte contineat. Christianos omnes unam eamdemque fidem, unum et idem symbolum habere testatur Optatus, cujus hæretici desertores sunt. Præcipua fidei capita breviter, dilucide, ac orthodoxe omnino exponit. Ostendit unam esse sanctam catholicam Ecclesiam

Digitized by Google

per totum orbem terrarum diffusam, nec aliam esse posse, aut eam angustis regionis alicujus limitibus circumscribi. Hanc constare ex episcopis, presbyteris, diaconis, et fidelium turba. Episcopos in primo sacerdotio, presbyteros in secundo, et Diaconos in tertio constitutos affirmat; quo satis ostendit episcopos eminere super presbyteros, non secus aceminent presbyteri supra diaconos. Romanam Ecclesiam cæterarum matrem, et unitatis centrum, propter Petrum, qui caput apostolorum fuit, agnoscit. Docet hominem suapte natura infirmum esse et imperfectum, gratiaque Dei indigere ut perfectus evadat: nobis omnibus peccatum esse innatum, ac baptisma necessarium ut ejus remissionem obtinere valeamus. « Nihilominus tamen hominis, » ait, « esse quod bonum est velle, et in eo quod voluerit currere, quamquam ipsi datum non sit perficere, ut post spatia quæ debet homo implere, restet aliquid Deo ut deficienti succurrat. » Quibus videtur paulo plus arbitrii nostri viribus tribuere quam par est. « Neminem hominem a peccato per hanc vitam immunem esse, sacramentum baptismi in nomine Trinitatis semel collatum iterari non debere, » ait. Videtur tamen pro persuaso habere eorum qui apud hæreticos baptizantur, lavacrum non esse ratum, quod fidem in ministro requirat, sed quia fidem in suscipiente necessariam supponit, ut videre est libro 5, § 8; at de iis qui a schismaticis aut malis ministris baptizati sunt in fide, non dubitat quin ratum haberi debeat eorum baptisma. Joannis baptismo semel tinctos ante institutionem baptismi Christi iterum lotos non esse arbitratur. Exorcismum ut ritum baptismo prævium commendat. Meminit chrismatis tamquam rei sanctæ, nec non et unctionis quæ in baptismate fieri solebat. Verbis adeo perspicuis suam mentem aperit circa realem Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam, et circa adorationem quæ huic debetur, ut nihil expressius optari queat. Multas observat cæremonias pertinentes ad celebrationem Eucharistiæ quam sacrificii nomine insignit. Ex iis quæ dicit, patet illius tempore sacrificium pro tota Ecclesia oblatum fuisse; in eo Dominicam orationem recitari consuevisse: sacra celebrata super altari ligneo ornato et ad majorem reverentiam linteo cooperto; calices aureos et argenteos, et ornamenta adhibita fuisse. Ecclesiam ait suos habere judices, plecti crimina, et pœnitentiæ subjici eos qui gravia peccata admisisse se confitentur, aut eorum rei peraguntur. Virginitatem laudat, sed ad eam servandam non vult teneri, nisi eos qui voto sese obstrinxerint: advertit ætate sua virgines quæ se Deo consecrabant, votum illud solemniter nuncupasse, earumque capiti mitellas impositas fuisse, quod voti ab ipsis emissi indicium erat. Quanta veneratione suis temporibus Sanctorum reliquiæ colerentur, satis testatur cum de tumulo beatorum Petri et Pauli verba facit, dum Lucillæ factum improbat quæ pseudomartyris aut saltem nondum vindicati martyris os libare dicebatur, et cum de iis quos Donatistæ tamquam martyres colebant loquitur libro tertio. Verbi divini prædicationem munus fuisse episcoporum proprium indicat, hunc que solemnem fuisse morem, ut tractatus omnis in Ecclesia a nomine Dei inciperetur, et ut ejusdem Dei nomine terminaretur. Pœnitentiæ publicæ semel addictos ad ordines promoveri vetitum fuisse ex Purpurii Limatensis dicto quod ab ipso refertur l. 1, colligere est: *Exeat huc quasi imponatur illi manus in episcopatu et quassetur illi caput de pœnitentia.* Unde etiam infertur ordinationem episcopalem manus impositione perfici. Quod vero ait Cæcilianus ibidem, ut si nihil Felix in se contulisset tamquam adhuc Diaconus ordinaretur, suspicioni locum dat, diaconum episcopum tunc temporis ordinatum fuisse absque prævia manus impositione in presbyterum. Basilicas Christianorum complures fuisse compertum est ex eodem Optato: imo quadraginta et amplius Romæ jam tum fuisse cum Victor a Donatistis illuc missus est episcopus, testis est libro primo, § 4. Hæc et alia hujusmodi multa libros Optati accurate legentibus observatu dignissima occurrent.

De stylo Optati. — Quod ad stylum ejus pertinet, magnificus est, vehemens et pressus, sed minus nitidus ac politus. Quos expugnat, acriter urget; quos narrat eventus, oculis quasi subjicit; quæ loca profert, ingeniose explicat; subtilissime et acutissime mentem suam exprimit, et verbis ac locutionibus utitur ad ea quæ promere vult significandum aptissimis. Narrationes festivas atque jucundas instituit, quarum exemplum si quis habere velit, legat descriptionem aucupii, quæ librum sextum claudit, qua nihil elegantius aut concinnius excogitari potest. Uno verbo quod auctor hujus operis magnæ eruditionis et excellentis ingenii fuerit, nemo rerum istarum peritus inficiabitur.

De allegorica expositione Scripturæ quam sequitur Optatus. — Unum est quod in eo reprehendi posset, allegoricus ille sensus secundum quem plurima sacrarum Litterarum testimonia exponit. Vitium illud quod in concionatore ferendum esset, vix condonandum videtur auctori polemico religionis partes adversus hæreticos agenti, quibus in controversiis firma et indubitata oportet esse argumenta. Sed Optato res erat cum adversariis qui eadem ratione agebant, et Scripturæ testimoniis abutebantur, ut Ecclesiam calumniarentur et sectam suam collaudarent. Videri possunt testimonia a Parmeniano in hoc opere laudata, quæ in sensum omnino alienum ab ipso detorquentur. Iis animadversis, restat ut quid in hac editione Optati a nobis præstitum fuerit exponamus.

III. — DE HAC NOVA OPTATI LIBRORUM, ALIORUMQUE AD DONATISTAS PERTINENTIUM MONUMENTORUM EDITIONE.

Quid a nobis præstitum. — In quatuor præcipue versatus est labor noster; in emendando textu; in novis notis confiociendis, aut aliorum observatio-

Digitized by Google

nibus edendis; in adjiciendis veteribus monumentis ad historiam Donatistarum pertinentibus; in texenda breviter hujus schismatis ab ejus origine ad finem usque historia.

Textus Optati huc usque corruptissimus. Enumeratio præcedentium editionum. Manuscripti codices quibus usi sumus. — Optati textus huc usque corruptissimus fuit. Typis primum excusus est Moguntiæ anno 1549, cura Joannis Cochlæi. Plura in hac editione menda, quam versus fuisse affirmat Balduinus, qui novam hujus operis editionem Parisiis adornavit anno 1563, adjutus collatione exemplaris manuscripti quod ipsi communicaverat Espensæus, Parisiensis Theologus haud ignobilis. Sex tantum libros priores continebat isthæc editio; sed septimum paulo post minutioribus caracteribus exaratum adjecerunt. At emendatiorem alteram editionem idem anno 1569, Parisiis fieri curavit duobus manuscriptis usus, quorum unum debebat Joanni Tilio episcopo Meldensi, alterum Maceræo Theologo Parisiensi: horum ope multa loca restituit; fatetur tamen in Præfatione multa adhuc menda, multas lacunas superesse. Juxta editionem illam Commeliniana facta est anno 1599. Sæculo sequente Albaspinæus episcopus Aurelianensis, qui fere primus e nostris antiquæ Ecclesiæ disciplinæ illustrandæ serio incubuit, librorum Optati novam editionem molitus est, quæ Parisiis statim ab ejus morte prodiit anno 1631. At tantum abest ut in hac editione textus emendatus fuerit, ut e contra scateat innumeris mendis typographicis, quas editoris incuria parum cavit. Eodem anno Mericus Casaubonus edidit Londini septem Optati libros, sed in emendando hoc auctore nullo usus est codice manuscripto, et ex conjecturis tantummodo loca multa, seu recte, seu perperam immutavit. Eruditissimus Rigaltius, Tertulliano, Minutio et Cypriano in lucem editis, Optatum etiam addere statuerat, et conjicere licet eum, cum esset artis criticæ peritissimus ac in antiquitate et manuscriptorum codicum notitia versatissimus, multa magni momenti menda abstersurum, atque ab eo Optati textum in integrum restitutum iri: verum antequam opus illud aggrederetur e vivis excessit. Denique Priorius novæ librorum Optati editioni, quæ Parisiis impensis Joannis Dupuis Bibliopolæ facta est, præfuit. Is in monito ad Lectorem fatetur corruptissimum esse textum Optati: at non tantum ille nihil quidquam præstitit ut emendatior prodiret, sed et negligentia sua nova irrepere sivit in textum σφάλματα, *quid facias*, inquit, *ubi melioris notæ codicum maxima penuria est*. Nihil equidem si ita res esset. At licet rari sint admodum manuscripti codices Optati, non tamen omnino nulli sunt; et si vel paululum diligentiæ adhibuisset, vix fieri potuisset quin in unum aut alterum Optati codicem incidisset. Ego Priorio vel felicior vel sollicitior quinque codices Optati manuscriptos inveni, quorum ope innumera pene menda sublata sunt, ac textus ill integrum ubique ferme restitutus est. Primus A isque antiquissimus est codex S. Theodorici apud Rhemos septingentorum ad minus annorum. Secundus non quidem ejusdem antiquitatis, sed optimæ notæ est manuscriptus codex S. Germani a Pratis, qui sane emendatissimus est. Tertium, qui fuit olim Maceræi Theologi Parisiensis, mihi subministravit Philippus Silvius, sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, in cujus manus pervenit, recentiori manu exaratus ac valde mendosus. Quartus est manuscriptus codex S. Pauli Cormaricensis prope Turones, qui nunc in Bibliotheca Colbertina numero 1951, ascriptus est. Sexcentorum et amplius annorum est iste codex et optimæ notæ, atque utinam omnes Optati libri in eo etiamnum haberentur: at quod dolendum intercidere, folia quæ priores quinque libros continebant ac sexti B initium. Præter hæc habentur in hoc manuscripto codice monumenta ad veterum Donatistarum historiam pertinentia, quæ in nullo alio manuscripto codice reperire est. Hoc autem circa istos codices observandum, codicem Philippi Silvii videri excerptum a codice S. Theodorici, et codicem San Germanensem ex Cormaricensi. Horum ope codicum vix dici potest quot loca restituerimus; corrupta emendavimus, luxata suis restituimus locis, omissa supplevimus, ascititia resecavimus; uno verbo textus Optati nativo splendori restitutus integer et emendatus prodit. Conjecturis vix quidquam indulsimus nisi manuscriptis codicibus innixi. Variantes lectiones separatim a notis in fine uniuscujusque paginæ ascripsimus, ex quibus intelligitur quot et quanta C sublata sint a nobis menda et errata, et quot loca obscura ac sensus plane vacua lucem acceperint. Hæc quoad emendationem textus, cui præterea illustrando non parum conducit ejus in articulos aut paragraphos distinctio, cum brevibus argumentis ad marginem appositis, quod nondum a quoquam in Optati libris præstitum fuerat.

Quod spectat ad notas, paucas sane, breves et necessarias de novo confecimus, ac singulis paginis post variantes lectiones una cum notis Albaspinæi, Merici Casauboni, Barthii, et incerti Scriptoris subjecimus: Balduini vero observationes et Albaspinæi appendicis loco libris Optati integras adjecimus; sed repurgatas ab innumeris mendis typographicis quæ in editionibus Albaspinæi et Priorii irrepserant. Prio- D rii notas non prætermisissemus, si quid in eis quantivis pretii inventum fuisset quod ab aliis non esset observatum; sed qui aliorum habet annotationes, has frustra requireret.

Monumenta ab ipso Optato suis libris adjecta. — Variorum notas excipiunt monumenta vetera ad historiam Donatistarum pertinentia, ordine chronologico digesta et ad manuscriptos codices ac meliores editiones exacta.

Novum non est hujusmodi monumenta Optati libris assuere, hoc ipsum præstiterat Optatus qui ad faciendam fidem eorum quæ de Donatistarum historia scripserat, acta ipsa et monumenta ad finem librorum suorum apposuerat, ut testatur libro primo,

Digitized by Google

§ 13, ubi loquens de concilio Cirtensi in testimonium adducit scripta Nundinarii diaconi et vetustas actorum hujus concilii membranas, *quas*, inquit, *dubitantibus proferre poterimus, harum namque plenitudinem rerum in novissima parte istorum libellorum ad implendam fidem adjunximus.* Item de epistola ordinatorum Majorini adversus Cæcilianum loquens eodem in libro, § 20, ait, se *eam inter cæteros actus in posterum habere.* Volumen quoque actorum Eunomii et Olympii in novissimis sui operis partibus descripsisse se testatur ibidem, § 26. Et § sequenti acta purgationis Felicis pariter ab ipso laudantur, quæ in monumentorum suorum congerie ab ipso omissa fuisse non est verisimile.

Ex his forte actis quæ S. Optatus ad finem operis sui apposuerat, derivata sunt ea quæ in manuscripto codice S. Pauli Cormaricensis habentur gesta purgationis Cæciliani et Felicis Aptungitani, necnon variarum epistolarum Constantini imperatoris ad Donatistas pertinentium sylloge, quæ monumenta in editionibus Albaspinæi ac Priorii una cum collatione Carthaginensi adjuncta sunt Optati libris, cum prius a Massono fuissent separatim edita anno 1589, et deinceps a Pithæo.

Ad istorum exemplum, in nostra editione vetera omnia monumenta quæ ad historiam Donatistarum pertinent, acta scilicet conciliorum et collationum episcopalium, epistolas episcoporum, edicta et epistolas imperatorum, gestaque proconsularia exhibuimus.

Primum inter ea locum occupat edictum in Christianos latum a Diocletiano et Maximiano, cujus tenorem Lactantio et Eusebio referimus, quod licet ad Donatistas non pertineat, quoniam schismati postea locum dedit et ab eo Donatianæ sectæ epocha repetitur, in capite actorum ad historiam Donatistarum pertinentium apponendum esse duximus.

Sequuntur acta Martyrum Africanorum, quæ ad traditionis crimen Catholicis intentatum a Donatistis spectant. Hæc excipiunt gesta purgationis Felicis et Cæciliani, quæ licet posteriora sint, tamen exponunt ea quæ tempore persecutionis acciderunt. Secuti sumus in iis editionem clarissimi viri Baluzii, qui hæc acta cum manuscripto codice Thuaneo qui nunc est Bibliothecæ Colbertinæ, collata inseruit Miscellaneorum suorum lib. II, cum notis quas etiam subjecimus. Post hæc legere est monumenta quædam ad initium schismatis Donatistarum pertinentia: succedunt epistolæ Constantini quæ ad Cæciliani et Donatistarum causam spectant, necnon ea quæ ipso imperante ea de re decreta sunt.

Donatistæ nihil frequentius Catholicis objiciebant, quam ea quæ passi erant sub Leontio, Ursatio, et Macario. Ad id spectat Donatistæ cujusdam sermo nunc primum a nobis editus e codice manuscripto bibliothecæ illustrissimi et reverendissimi episcopi Catalaunensis, quingentorum circiter annorum, sed opus vetustissimi admodum scriptoris. Hunc sequitur passio Marculi sacerdotis Donatistæ, cujus etiam mentio fit apud Optatum, quæ jam edita fuerat Analectorum Mabillonii tom. IV, nunc prodit emendatior ex collatione ad codicem Corbeiensem, qui nobis etiam suppeditavit integram Maximiani et Isaac Donatistarum passionem, cujus partem tantum ibidem ediderat Mabillonius. Inde ad Carthaginensem collationem usque occurrent leges tum Ecclesiasticæ tum civiles in Donatistas latæ. Civilibus ex codice Theodosiano depromptis, eruditissimi viri Jacobi Gothofredi commentarium subjecimus.

Acta collationis Carthaginensis cura et studiis clarissimi atque eruditissimi viri Baluzii emendata juxta ejus editionem suo loco inseruntur. Novas adornavimus notas præsertim circa sedes episcoporum Africanorum qui collationi adfuerunt. Multa jam de iis observaverat Baluzius, sed rem post eum accuratius tractavit eruditus Pater Theodoricus Ruinart in notis ad notitiam Episcoporum Africanorum sub Hunnerico. Ab his, ne quid dissimulemus, mutuati fere sumus omnia quæ de illis sedibus diximus. Atque ut materiam exhauriremus, Geographiam sacram seu notitiam provinciarum et episcopatuum Africæ texuimus, quam sequitur tabula Geographica a peritissimo geographo delineata, in qua tum provinciarum Africanarum divisio, tum præcipuarum sedium episcopalium situs oculis subjiciuntur.

Denique universo operi post hanc præfationem, Donatiani schismatis historiam præposuimus, in qua non diserte et ornate, sed accurate et chronologico more singula exponuntur suisque temporibus consignantur.

---

7 DE OPTATO ET EJUS LIBRIS

VETERUM TESTIMONIA.

D. Hieronymus, in libro de Viris illustribus, cap. 121.

Optatus Afer episcopus Milevitanus ex parte catholica scripsit sub Valentiniano et Valente principibus adversum Donatianæ partis calumniam libros sex, in quibus asserit crimen Donatianorum in nos also retorqueri.

S. Augustinus, lib. II *de Doctrina Christiana, cap.* 40, *num.* 61.

Nonne aspicimus quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus doctor suavissimus et martyr beatissimus; quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, ut de vivis taceam.

Digitized by Google

Idem, lib. I *contra epistolam Parmeniani, cap.* 13, *num.* 5.

Legant qui volunt quæ narrat et quibus documentis quam multa persuadeat venerabilis memoriæ Milevitanus episcopus Catholicæ communionis Optatus, sive de Lucilla pecuniosissima tunc et factiosissima fœmina; quam pro Ecclesiæ disciplina sanctus Cæcilianus adhuc diaconus læserat, vel de cæteris factionis ejus consortibus, sive furibus Ecclesiastici argenti, sive ad episcopatum se non pervenisse dolentibus et sibi prælatum Cæcilianum insidiis quibus poterant insectantibus, sive de Numidis episcopis quos ista factio convocaverat ad perniciem Cæciliani, ut illo deposito alter eis ordinaretur. *Hæc habentur libro primo Optati.*

Idem, in libro de unitate Ecclesiæ, cap. 19, *num.* 50.

Nec nos propterea dicimus nobis credi oportere, quia ipsam quam tenemus commendavit Milevitanus Optatus vel Mediolanensis Ambrosius.

Idem, in Breviculo Collationis, cap. 20, *num.* 38.

Sed hinc repulsi (episcopi Donatistæ) velut aliquid validissimum prolaturi petierunt Optatum legi, quod et ante petiverant, unde se probaturos dicebant Cæcilianum ab imperatore damnatum... Optatum vero legi multo instantius flagitabant... Recitatus est Optatus recitantibus Donatistis ubi ait : *Eodem tempore Donatus petiit ut ei reverti licuisset et ad Carthaginem accederet; tunc a Philumeno suggestore ejus imperatori suggestum est, ut bono pacis Cæcilianus Brixiæ teneretur et factum est...* In quibus verbis Optati cum omnino nulla Cæciliani damnatio sicut illi demonstraturos se esse promiserant reperiri potuisset, jussit cognitor totam paginam recitari, ut de superioribus, et inferioribus verbis voluntas ejus qui scripserat, nosceretur; et ex officio recitatum est : *Cæcilianus omnium supramemoratorum sententiis innocens pronuntiatus;* quod cum reciteretur Donatistæ dixerunt hoc se non petiisse recitari stomachantes adversus eos qui risum tenere non potuerunt, cum audissent quam apertam contra semetipsos paginam protulissent. *Vide de eadem re capitula collationis Carthaginensis diei tertiæ* 375, 477 *et sequentia usque ad* 484 *et postea capitulum* 532, *et sequentia usque ad* 539, *et epistolam concilii Zertensis apud S. Augustinum* 141, *num.* 9.

§ *S. Fulgentius, lib.* II *ad Monimum, cap.* 13.

Sanctus autem Milevitanus episcopus in sexto adversus Parmenianum libro consilium de virginibus Paulum supererogasse testatur his verbis : *Virginitas enim voluntatis res est, non necessitatis, et cætera quæ habentur infra, lib.* VI, § 4, *pag.* 94, *et cap.* 15. Neque enim a veritate receditur in hac supererogatione Apostoli, sive quod sanctus Ambrosius, sive quod sanctus Augustinus, sive quod sanctus Optatus senserunt a nobis quoque salva veritate fidei sentiatur.

***Honorius Augustodunensis, in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap.* III.**

Optatus Afer Milevitanus episcopus sub Valente scripsit adversum Donatianæ partis calumniam.

Martyrologium Romanum, ad diem IV *Junii.*

Milevi in Numidia sancti Optati episcopi doctrina et sanctitate conspicui.

I HISTORIA DONATISTARUM

Origo Christianæ Religionis in Africa. Persecutiones in Christianos. Persecutio Diocletiani. Sacrorum codicum traditio. — Christianam Religionem non a principio ab Apostolis ipsis accepit Africa (1) sed lapso jam sæculo a Romanis, ut verisimile est (2), prima Evangelii semina suscepit; quæ paulatim exculta, brevi magnam sementem protulere : cujus partem licet persecutionum furor aliquando demessuerit, ab ipsis tormentis et cædibus incrementum accepit, ut vere omnino a Tertulliano, Christianorum qui in Africa erant nomine dictum fuerit ad Ethnicos : *Plures efficimur, quoties metimur a vobis.*

(1) *Non a Principio ab Apostolis ipsis accepit Africa.* Petilianus in epistola quam refellit S. Augustinus, lib. de Unit. Ecclesiæ c. 15, de origine religionis christianæ in Africa sic loquitur. *De nobis* (Christianis Afris) *dictum est : Erunt primi qui erant novissimi. Ad Africam enim Evangelium postmodum venit, et ideo nusquam litterarum Apostolicarum scriptum est Africam credidisse.* Cui respondens Augustinus, non contendit Afros ab Apostolis ipsis et a principio Evangelium accepisse, sed tantum *nonnullas barbaras nationes etiam post Africam credidisse.* Unde certum sit Africam in ordine credendi non esse novissimam. Tertullianus quoque in libro de Præscriptionibus adversus hæreticos fatetur Ecclesias Africanas non esse apostolicas, hoc est, nec ab apostolis, nec ab apostolicis viris qui cum apostolis perseveraverint, fuisse fundatas. Salvianus e contra videtur sentire l. VII de Providentia, Carthaginensem Ecclesiam ab apostolis fuisse institutam. Sed minor ei debetur fides extraneo et recentiori ac aliis Afris et antiquioribus.

(2) *A Romanis ut verisimile est.* S. Augustinus epist. olim. CLXII, nunc XLIII de Romana Ecclesia loquens : *Unde,* inquit, *Evangelium ad ipsam Africam venit.* Innocent. I, epist. ad Decentium Eugubinum ait esse *manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam Insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Petrus Apostolus aut ejus successores constituerint sacerdotes,* et D. Gregor. lib. VII, epist. 32, ad Dominicum Carthaginensem episcopum : *Scientes præterea,* inquit, *unde in Africanis partibus sumpserit sacerdotale exordium, laudabiliter agitis quod sedem Apostolicam diligendo ad officii vestri originem prudenti recordatione recurritis.*

Digitized by Google

Semen est sanguis Christianorum. At nulla umquam in Christianos sævior tempestas excitata est in Africa, quam Diocletiano et Maximiano imperantibus post proposita ubique terrarum anni 303 initio in Christianos edicta. Tunc in provincia Proconsulari Anulinus, et in Numidia Florus bellum Christiano nomini intulerunt, quod sic describit Oppotatus lib. III, § 8 : *Omnibus notum est, quid eorum operata sit artificiosa crudelitas : sæviebat bellum Christianis indictum; in templis dæmoniorum diabolus triumphabat ; immundis fumabant aræ nidoribus, et quia ad sacrilegia venire non poterant, ubicumque thus ponere cogebantur. Omnis locus templum erat ad scelus. Inquinabantur prope morientes senes : ignorans polluebatur infantia; a matribus parvuli portabantur ad nefas ; parentes incruenta parricidia facere cogebantur : alii cogebantur templa Dei vivi subvertere; alii Christum negare, alii leges divinas incendere ; alii thura ponere.* Et idem Auctor, lib. I, § 13 : *Hujus persecutionis per totam Africam divagata tempestas, alios fecit martyres, alios confessores, nonnullos funestam prostravit in mortem, latentes dimisit illæsos. Quid commemorem laïcos, qui tunc in Ecclesia nulla fuerant dignitate suffulti ? quid ministros plurimos ? quid diaconos in tertio ? quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos ? Ipsi apices et principes omnium, aliqui episcopi illis temporibus, ut damno æternæ vitæ, istius incertæ lucis moras brevissimas compararent instrumenta divinæ legis impie tradiderunt.* Hoc enim erat peculiare Diocletianeæ persecutionis malum quod Christiani libros sacros igni comburendos tradere cogerentur. Quippe existimabant homines vafri hac potissimum ratione christianam Religionem ex animis hominum aboleri posse, si libri quibus doctrina christiana continetur e medio tollerentur. Hinc Diocletiani et Maximiani edicto præcipue cavebatur, ut sacri codices flammis absumerentur; atque ut id executioni mandaretur, *Principibus et magistratibus suo cuique loco injunctum fuit, ut libros deificos extorquerent e manibus episcoporum et presbyterorum*, ut refertur in actis Felicis episcopi Tubyzacensis. Huic edicto parentes singulorum locorum magistratus, lectores, presbyteros et episcopos coram se sisti jubebant, Scripturas ab iis expostulabant ; tradere renuentes tormentis affici et in carcerem conjici jubebant, in proposito permanentes, ad proconsulem aut ad alium superiorem magistratum missi, capite plectebantur. Discurrebant per Christianorum ædes apparitores et milites, scrutabantur secretiora domus, non tantum libros sacros, sed vasa sacra aurea et argentea, calices, lucernas, aliaque ornamenta undique conquisita asportabant, ne præparatis quidem in pauperum usus vestibus parcebant ; ac demum, ut fieri solet in hujusmodi casibus, perditissimi homines pretiosa quæque tam sacra quam profana compilabant. In Africa præsertim ita grassatam esse persecutorum rabiem, fidem faciunt vetera monumenta, quæ Optati libris annexuimus. Sed quod dolendum magis est, ex iis etiam intelligimus plures Christianos, ut ait Optatus non tantum laicos, sed et clericos ac ipsos etiam episcopos metu tormentorum ac mortis, tum sacros codices, tum alia sacra vasa aut instrumenta tradidisse. Hi, Traditores vulgo dicti sunt. Alii e contra studio flagrantes immoderato palam, etiam si nemo inquireret, profitebantur se codices sacros habere, quos traditurus negarent, atque sese morti objiciebant. Quanto illi prudentiores simul et religiosiores qui codices sacros silentio suo tectos conservabant, ita tamen ut apprehensi et interrogati, neque traderent, neque traditurus se esse profiterentur.

Mensurius Carthaginensis quid de codicum sacrorum traditione censuerit. Quid Secundus Tigisitanus Numidiæ Primas. — Ex his fuit Mensurius Carthaginensis antistes, qui antecessoris sui Cypriani doctrinam sequens, eos qui se *non comprehensi persecutionibus offerrent et ultro dicerent se habere scripturas quas non traderent, licet ab eis hoc nemo quæsisset*, improbavit, et tamquam martyres honorari vetuit. *Ipse vero se sacros codices, ne a persecutoribus invenirentur, abstulisse atque servavisse, et horum loco in basilica scripta hæreticorum reliquisse, testatus est in epistola ad Secundum ; quæ cum invenissent persecutores, et abstulissent, nihil amplius esse postulatum.* Quia quamvis quidam *postea Carthaginensis ordinis suggessissent Proconsuli, quod illusi fuissent qui missi erant ad Christianorum scripturas auferendas et incendendas, quia non invenerunt nisi nescio quæ ad eos non pertinentia, ipsas autem in domo Episcopi custodire, inde deberent proferri et incendi, Proconsul ad hoc eis consentire noluit.* Ita prudentia Mensurii servati sunt Carthagine præcipui codices sacrorum librorum.

Numidiæ Primas Secundus Tigisitanus verbis quidem jactans gloriam, rei gestæ ignaros fefellit ; at virtutis expers, quibus quid egisset ignotum non erat, derisui fuit. Ad Mensurium quippe dedit litteras, quibus aiebat, « Missos ad se a curatore et ordine Centurionem et Beneficiarium qui peterent divinos codices exurendos, eique a se responsum, *Christianus sum et Episcopus, non traditor.* Cumque ab eo vellent aliqua cebola aut quodcumque accipere, neque hoc eis dedisse, exemplo Eleazari Maccabæi, qui nec fingere voluit suillam carnem se manducare, ne aliis præberet prævaricationis exemplum. » At Purpurius Episcopus Limatensis vir perfrictæ frontis jactantiam illam Secundi sequenti exprobratione compescuit, cum accusatus ab eo homicidii his eum dictis subsannavit : *Tu quid egisti, qui tentus es a Curatore et ordine ut scripturas dares ? Quomodo te liberasti ab ipsis, nisi quia dedisti aut jussisti dari quodcumque, nam non te dimittebant passim.* Hoc convitio repressa est Secundi audacia, qui ex accusatore reus factus sibi timens utpote Traditionis conscius, consilio Secundi fratris sui filii totum negotium ad Dei judicium remisit, et coepiscopos suos Traditionis manifeste ac propria confessione convictos, ab omni pœna immunes esse passus est ; ne et ipse ejusdem criminis reus perageretur.

Traditi codices sacri a Paulo Cirtensi et Silvano. —

Digitized by Google

Cirtensis civitatis quæ Metropolis civilis provinciæ Numidiæ fuit, episcopus erat Paulus. Ad eum venit XIV Kalendas Junias Munatius Felix flamen perpetuus curator coloniæ Cirtensis ; interpellavit episcopum ut proferret scripturas legis, et si quid aliud haberet. Is respondit scripturas esse penes lectores ; quod autem habebat hic sese dare paratum esse. Rursum interpellatus ut ostenderet lectores, aut ad illos mitteret, reposuit eos esse notos Edesio et Junio exceptoribus. Dein Paulus et ejus clerici calices, lucernas, vestes pauperum ac universam Ecclesiæ supellectilem necnon unum codicem indagantibus tradiderunt: inde sese magistratus ad domos lectorum contulerunt, qui non multum repugnantes sacros codices tradidere. Imprimis vero Sylvanus, tunc subdiaconus, qui lucernam et capitulatam argenteam quæ latebant, ultro protulit, dicens se pone arcam eas invenisse.

Comprehensi Christiani in civitate Abitinensi et in carcerem conjecti. Consilium Cæciliani et Mensurii de visitandis caute martyribus. — Fervente etiamnum persecutione pridie Idus Februarii anni 304, in civitate Abitinensi Saturnus Presbyter cum filiis quatuor Saturnino juniore et Felice Lectoribus, Maria Sanctimoniali, Hilarione infante, et cum eo Dativus, Felix, Ampelius, aliique complures tam viri quam mulieres celebrantes dominica sacramenta, a coloniæ Magistratibus comprehensi sunt et una Carthaginem perducti, ibique post gloriosam confessionem in carcerem conjecti. Ad eos conveniendos et visitandos, uti par est credere, incaute et glomeratim concurrebant Christiani, ex quo invidia concitabatur, plurisque morti objiciebantur. Quod cernens Mensurius, Cæciliano archidiacono in mandatis dedit ut inconsultam illam turbam a foribus carceris arceret, ne tumultus fieret, et invidia concitaretur. Hinc ansam postea Cæciliani calumniandi arripuerunt hujus adversarii ac fingendi *ipsum lora et flagra cum armatis ante fores carceris posuisse, et ab ingressu atque aditu cunctos qui victum potumque martyribus afferebant gravi injuria propulsasse :* quæ calumnia a verisimili omnino abhorret nec aliam habere videtur originem quam quod Cypriani consilium secutus *commendarit ut caute et non glomeratim* (verba sunt Cypriani ep. v) *nec per multitudinem sibi junctam ad conservandum et visitandum confessores, Christiani concurrerent, atque ut cum temperamento hoc ageretur per Presbyteros alternis vicibus eo venientes, ut scilicet temporibus serviretur, quieti prospiceretur et plebi provideretur.*

Quid de Felicis Aptungitani causa constiterit. — Felicem Aptungitanum Episcopum Cæciliani, ut mox dicemus, ordinatorem, traditionis etiam crimine infamarunt Donatistæ. At ex testimoniis eorum qui ea de re, postmodum inquisitione facta anno 314, ab Æliano proconsule jussu Constantini imperatoris auditi sunt, immunem ab eo crimine Felicem fuisse constitit. Quippe Cæcilianus qui Duumvir erat Aptungitanæ coloniæ, cum propositum est edictum de diruendis Ecclesiis et comburendis libris Christianorum, testatus est se, cum missum est edictum, Zamæ fuisse, quo cum venissent Christiani quidam inquisitum num ad ipsum pervenisset sacrum præceptum, respondisse nondum; sed vidisse se ejus exempla et Zamæ et Furmis basilicas et scripturas dirui, quapropter proferrent scripturas si quas haberent, tunc misisse eos ad Felicis domum et Galatium secum ubi Christianorum orationes fieri consueverant, perrexisse et inde cathedram et epistolas salutatorias ablatas et ostia omnia combusta, et cum ad domum Felicis episcopi misisset officiales publicos, ab iis renuntiatum esse illum absentem. Ita nihil a Felice traditum esse hujus testimonio compertum. At ingentius qui postea fuit Decurio Ziquensium, Felici infensus quod Maurum episcopum Uticensem amicum et hospitem suum ob emptum Episcopatum excommunicasset, Cæcilianum convenit, et ab eo petiit quasi Felicis nomine, ut scripto testaretur codices sacros combustos esse tempore duumviratus sui. Cum id ipsi denegasset Cæcilianus, Augentium amicum et collegam Cæciliani in ædilitate adhibuit intercessorem, ad cujus preces Cæcilianus epistolam scripsit Felici, qua testabatur anno duumviratus sui præsente Galatio quasdam epistolas salutatorias e basilica fuisse ablatas, et Ingentius huic epistolæ addidit Felicem dixisse : *Tolle clavem, et quos in cathedra libros et super lapide codices tolle illos, sed vide officiales ne tollant oleum et triticum.* Cui cum respondisset Cæcilianus : *Tu nescis quia ubi scripturæ inveniuntur ipsa* 3 *domus diruitur.* Felicem ad hæc dixisse : *Quid ergo faciemus ?* Cæcilianum respondisse : *Tollat aliquis de vestris in area ubi orationes facitis et illic ponantur, et ego venio cum officialibus et tollo,* atque huic consilio paruisse Felicem, et in area codices sacros poni mandasse : illuc Cæcilianum cum officialibus venisse et omnia tulisse secundum sacrum præceptum. Cæcilianus in judicio totum istud epistolæ suæ adjectum esse contendit atque Ingentium falsi redarguit, qui suspensus imminentium tormentorum metu fassus est hæc epistolæ se addidisse in vindictam Mauri hospitis sui, ut Felici traditionis notam inureret.

Nomina Episcoporum concilii Cirtensis. — Persecutione codicum tradendorum paulum relaxata anno æræ vulgaris 305, III nonas Martii (1), decem aut undecim episcopi Numidiæ convenerunt Cirtæ in domum Urbani Donati ad ordinandum in hac urbe Episcopum in locum Pauli Cirtensis. Primum inter eos antiquitatis jure locum tenebat Secundus Tigisitanus, cum quo consedere Donatus Masculitanus, Victor Russicadensis, Marinus ab Aquis Tibilitanis, Donatus Calamensis, Purpurius Limatensis, Victor Garbensis, Felix a Rotario, Nabor a Centurionis, Secundus minor filius fratris Secundi Tigisitani. Cirtam quoque venerat Menalius incertum cujus in Numidia sedis episcopus, sed qui ne a suis civibus thurificasse

(1) *Anno* 303, III *Nonas Martii.* De hac epocha vide annotationem 62, in lib. I Optati.

Digitized by Google

probaretur, oculorum dolorem fingens ad consessum suorum procedere trepidavit.

Accusantur plures Traditionis a Secundo. Purpurius homicidii accusatus ferociter respondit. Absolvuntur omnes Deo servata eorum causa. — In Concilio propositum est a Secundo, ut antequam episcopum ordinarent, probarent sese adstantes, hoc est, purgarent se ab accusationibus aut suspicionibus criminum. Tum is Donatum Masculitanum interrogavit, num tradidisset; hic neque factum ingenue fassus est, neque plane negavit, sed respondit se quæsitum a Floro ut thurificaret et traditum non fuisse in manus ejus: addens, *quia Deus mihi dimisit, ergo et tu serva me Deo*, ita veniam criminis quasi admissi petens; cui reposuit Secundus: *Quid ergo facturi sumus de martyribus quia non tradiderunt, et ideo coronati sunt?* Donatus rursum ait: *Mitte me ad Deum, et ibi reddam rationem.* Tum Secundus jussit eum recedere in partem alteram et stare quasi reum. Deinde Marinum ab Aquis Tibilitanis compellavit his verbis: *Dicitur et te tradidisse.* Respondit Marinus se dedisse Paulo Cartulas, codices vero suos salvos esse; hunc etiam in partem alteram secedere jussit Secundus. Donatus Calamensis ab eo similiter interrogatus, respondit se dedisse codices medicinales, et hoc responso dato stetit in medio. Victor a Russicade accusatus a Secundo quod tradidisset quatuor Evangelia, aperte ac sine ullis ambagibus crimen fassus est: *Valentiniamus*, inquit, *Curator fuit, ipse me coegit ut mitterem illa; hoc delictum mihi indulge, et indulget mihi Deus.* Hoc responso dato statim cum reis stare jussus est. Tum Purpurium Limatensem non traditionis, sed homicidii insimulavit Secundus, ita eum compellans: *Dicitur te necasse filios sororis tuæ duos Milei.* Hic homo ferox et impudens, crimen illatum in accusatorem retorsit: *Putas*, inquit Secundo, *me terreri a te sicut et alii? Tu quid egisti, qui tentus es a curatore et ordine ut scripturas dares? Quomodo te liberasti ab ipsis, nisi quia dedisti, aut jussisti dari quodcumque? nam non te dimittebant passim.* Tum in minas prorupit: *Ego*, inquit, *occidi, et occido eos qui contra me faciunt:* (o ferinam immanitatem!) *ideo noli me provocare ut plus dicam, scis me de nemine tractare.* Simul omnes rei stantes murmurare cœperunt adversus Secundum. Quod videns Secundus alter hujus fratris filius, patruum sic allocutus est: *Audis quæ dicat in te? paratus est recedere et schisma facere, non tantum ipse, sed et omnes quos arguis; quos scio quia dimittere te habent et dare in te sententiam, et remanebis solus hæreticus: ideo quid ad te pertinet quis quid egit? Deo habet reddere rationem.* Tum Secundus Tigisitanus id metuens, consultis Victore Garbensi, Felice a Rotario, et Nabore a Centurionis, tribus scilicet judicibus superstitibus qui in sententiam Secundi minoris descenderunt et talem causam Deo servari debere censuerunt, reorum absolutionem pronuntiavit, eosque sedere jussit. Tunc dictum est ab omnibus *Deo gratias*, et sederunt.

Ordinatio Silvani. Nundinarii diaconi dissensio a Silvano. — Hæc prior pars synodi. Posterior fuit electio et ordinatio episcopi in locum demortui. Silvanus is de quo prius dictum, *qui sub Paulo episcopo lucernam et capitulatam argenteam ultro tradiderat*, propositus est ut ordinaretur in ejus locum: *tunc a populo acclamatum est: Traditor est, alius fiat; purum et integrum civem nostrum volumus.* Adversus hujus electionem reclamatum est a clero et ab honoratis civibus; sed arenarii rustici aliique e vili plebecula mercede conducti in area martyrum honoratos cives incluserunt, ac sublatum Silvanum a Muto arenario episcopum proclamarunt, quem Secundus et alii episcopi qui Cirtam convenerant ordinavere. A Silvano deinde, præsentibus episcopis, Victor presbyter est ordinatus, qui ut fieret presbyter viginti folles Silvano dedit, quos ante cathedram episcoporum positos, ipsi diviserunt inter se. Hæc omnia patefecit Nundinarius Silvani diaconus iratus adversus episcopum suum a quo fuerat loco motus. Quæ res Purpurium Limatensem et alium ejusdem factionis episcopum nomine Fortem impulit, ut ad Silvanum et ad Cirtenses scriberent quavis ratione Nundinarii diaconi exulceratum animum placari oportere, ne quæ sciebat palam faceret: quod cum factum non fuisset, Silvanus harum rerum documenta et testes exhibuit coram Zenophilo proconsule, ut habent gesta.

Origo schismatis. Lucillæ adversus Cæcilianum rixæ. — Quantumvis Secundus Tigisitanus et Mensurius Carthaginensis non bene concordarent, nihilominus tamen quamdiu vixit Mensurius, nullum inter eos schisma erupit: at eo mortuo, ab iisdem episcopis qui concilio Cirtensi adfuerant, ordinatione Majorini quem Cæciliano prius ordinato opposuerunt, Carthaginensis primum Ecclesia, ac postea tota Africa in duas partes scissa est. Cujus divisionis origo et causæ accuratius et elegantius describi non possunt quam ipsis Optati verbis. *Hoc*, inquit, (*schisma*) *apud Carthaginem post ordinationem Cæciliani factum esse, nemo est qui nesciat: per Lucillam scilicet, nescio quam fœminam factiosam: quæ ante concussam persecutionis turbinibus pacem, dum adhuc in tranquillo esset Ecclesia, cum correptionem archidiaconi Cæciliani ferre non posset: quæ ante spiritalem cibum et potum, os nescio cujus martyris, si tamen martyris, libare dicebatur: et cum præponeret calici salutari os nescio cujus hominis mortui, etsi martyris, sed necdum vindicati, correpta, cum confusione, discessit irata. Irascenti et dolenti, ne disciplinæ succumberet, occurrit subito persecutionis enata tempestas.*

Mensurius ad curiam citatus ornamenta Ecclesiæ Botro et Celestio commendat.— *Iisdem temporibus Felix quidam diaconus, qui propter famosam nescio quam, de tyranno imperatore tunc factam epistolam, appellatus est, periculum timens, apud Mensurium episcopum deliluisse dicitur. Quem cum postulatum Mensurius publice denegaret, relatio missa est, rescriptum venit, ut si Mensurius Felicem diaconum non reddidisset, ad palatium dirigeretur. Conventus non*

Digitized by Google

leves patiebatur angustias : erant enim Ecclesiæ ex auro et argento quamplurima ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec secum portare poterat. Quæ quasi fidelibus, senioribus commendavit, commemoratorio facto, quod cuidam aniculæ dedisse dicitur : ita ut si ipse non rediret, reddita pace Christianis, anicula illa illi daret, quem in episcopali cathedra sedentem inveniret. Profectus causam dixit : jussus est reverti : ad Carthaginem pervenire non potuit.

Ordinatio Cæciliani in episcopum Carthaginensem, nec non causæ atque origo schismatis. — *Tempestas persecutionis peracta et definita est. Jubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio, Christianis libertas est restituta. Botrus et Celestius, ut dicitur, apud Carthaginem ordinari cupientes, operam dederunt, ut absentibus Numidis, soli vicini episcopi peterentur, qui ordinationem apud Carthaginem celebrarent. Tunc suffragio totius populi Cæcilianus eligitur : et manus imponente Felice Autumnitano, episcopus ordinatur. Botrus et Celestius de spe sua dejecti sunt. Brevis auri et argenti sedenti Cæciliano, sicuti delegatum a Mensurio fuerat, traditur, adhibitis testibus. Convocantur supra memorati seniores, qui faucibus avaritiæ commendatam ebiberant prædam. Cum reddere cogerentur, subduxerunt communioni pedem. Non minus et ambitores, quibus et ordinari non contigit : nec non et Lucilla, quæ jamdudum ferre non potuit disciplinam : cum omnibus suis potens et factiosa fœmina, communioni misceri noluit. Sic tribus convenientibus causis et personis, factum est ut malignitas haberet effectum. Schisma igitur illo tempore confusæ mulieris iracundia peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit. Ab his tribus personis contra Cæcilianum causæ confictæ sunt, ut vitiosa ejus ordinatio diceretur.*

Quo tempore initium schismatis statuendum. — Contigere isthæc post persecutionem peractam et libertatem Christianis restitutam in Africa indulgentia Maxentii, ac proinde postequam iste Africæ potitus est, quod non contigit nisi post mortem Maximiani Herculii qui anno 310 e vivis sublatus est : postquam Alexander qui tunc Præfecti Prætorio in Africa vicem gerebat ac partes Galeni tuebatur a Rufio Volusiano et Zena, quos cum copiis Maxentium in Africam miserat, victus atque interfectus est, ut testes sunt Zozimus et Aurelius Victor. Hinc indulgentia illa a Maxentio in Africam mitti non potuit, et libertas per illum Christianis restitui ante annum 311, quo anno persecutionem in Occidentis partibus finem accepisse testatur Eusebius.

Visitator Ecclesiæ Carthaginensi datus a Clericis Secundi. — Antequam Cæcilianus ordinaretur, jam Secundus clericos Carthaginem miserat, qui licet ad clericos Carthaginenses accedere noluerint, a Lucilla suscepti visitatorem nominaverant, si fides habeatur Augustino id narranti serm. XLVI, de Pastoribus c. 15. Hoc tempore Ecclesiam quoque Carthaginensem turbavit Donatus a Casis-nigris, qui, eodem teste in Breviculo collationis diei 3 convictus est in concilio Romano : *Cæciliano etiamnum diacono schisma fecisse Carthagine.*

Concilium 70 Numidarum Carthagini. Accusatio Cæciliani. — Secundus et episcopi Numidiæ vocati Carthaginem ad ordinationem episcopi, invenerunt Cæcilianum jam ordinatum : ægre tulere se non expectatos, inprimis Secundus Primas, conveniens esse existimans ut princeps a principe, hoc est, Primas a Primate ordinaretur. At Carthaginensis clerus et populus, quibus jampridem Secundus et Numidæ invisi erant, hos excipere noluerunt ; sed susceptis sunt ab iis qui Cæcilianum odio habebant, a Lucilla scilicet et ejus fautoribus, a senibus illis quibus credita fuerant ornamenta sacra, a Botro et Celestio qui indignabantur ordinatos se non fuisse. Septuaginta fuerunt aut circiter episcopi Numidiæ, Augustino teste, et inter eos, omnes illi qui concilio Cirtensi adfuerant, Traditores scilicet et homicidæ, una cum Silvano Cirtensi et Donato a Casis-nigris præcipuo dissensionis incentore. Ad basilicam in qua Christiani conveniebant, nullus accessit ; sed in domo quadam privata conventiculum suum habuerunt. Vocatus ab iis Cæcilianus, innocentia sua fretus, mandatum hoc ipsis significat : *Si est quod in me probetur, exeat accusator et probet. Illo tempore*, inquit, *Optatus, a tot inimicis nihil in eum potuit confingi : sed de ordinatore suo, quod ab iis falso Traditor diceretur, meruit infamari. Iterum a Cæciliano mandatum est, ut si Felix in se, sicut illi arbitrabantur, nihil constituisset, ipsi tamquam adhuc Diaconum ordinarent Cæcilianum. Tunc Purpurius solita malitia fretus, quasi et Cæcilianus filius sororis ejus esset, sic ait :* Exeat huc quasi imponatur illi manus in Episcopatu, et quassetur illi caput de pœnitentia. *His rebus compertis, tota Ecclesia Cæcilianum retinuit, ne se latronibus tradidisset.*

Damnatio Cæciliani. — Absentem itaque damnaverunt Cæcilianum, quod vocatus adesse noluerat, quod a Traditoribus esset ordinatus, et quod victum afferre martyribus in custodia constitutis prohibuisse dicebatur. Prolata in eum ejusque ordinatores dejectionis atque excommunicationis sententia, in ejus locum Majorinum, qui lector fuerat dum Cæcilianus erat archidiaconus, domesticum Lucillæ ipsa suffragante, et hujus argento corrupti (nam quadringentos folles eam propterea episcopis dedisse postea compertum fuit) episcopum illicite ordinarunt : sic altare contra altare erectum est : hinc schismatis ac dissensionis initium.

Litteræ synodi in Cæcilianum. Divisio Africæ. Cæcilianus in communione totius orbis permanet. — Post sententiam prolatam, litteras, ut fieri solet, nomine concilii ad Ecclesias Africanas miserunt, livore, ut inquit Optatus, dictante conscriptas ; quibus Cæciliani ordinatores traditionis reos esse calumniabantur, Cæciliani ordinationem irritam esse pronuntiabant, ac omnes monebant ut ab ejus communione abstinerent, et Majorinum pro legitimo agnoscerent Episcopo. Creditum est a pluribus Africanis, numerosi concilii

Digitized by Google

litteris in Cæcilianum datis : hinc non tantum Carthaginensis, sed et universa Africana Ecclesia in duas partes est divisa ; aliis Cæciliani innocentiam defendentibus, et cum eo communionem retinentibus ; aliis stantibus a parte Majorini et a Cæciliani communione discedentibus. At cum ad Ecclesias transmarinas causam hanc deferre adversarii Cæciliani tunc temporis ausi non essent, Cæcilianus in communione totius orbis Ecclesiarum permansit, e contra vero Majorinus nullum habuit extra Africam qui cum eo communicaret, aut illum pro episcopo Carthaginensi haberet. Ad Cæcilianum ab omnibus transmarinis Ecclesiis communicatoriæ mittebantur, non autem ad Majorinum.

Constantinus Cæcilianum pro legitimo episcopo agnoscit.—5 Quin etiam Constantinus imperator, qui superato anno 312 Maxentio, Italiam et Africam imperio suo adjunxerat, pecunias quas in sumptus ministrorum Ecclesiæ Catholicæ provinciarum Africæ, Numidiæ et utriusque Mauritaniæ ex fisco largiebatur, Cæciliano tamquam legitimo Carthaginensi episcopo distribuendas commisit ; et litteris ad eum datis schismaticos acerbe perstringit, tamquam incompositæ mentis homines, id agentes ut sanctissimæ ac catholicæ Ecclesiæ populum improba atque adulterina falsitate corrumpant ; aitque se dedisse in mandatis Anulino proconsuli et patricio vicario præfectorum, ut hujus rei curam gerant ; et si quos hujuscemodi homines in hac amentia perseverare contigerit, Cæciliano scribit, ut absque hæsitatione supradictos judices adeat, idque ipsis referat, ut in reos quemadmodum iis coram mandaverat, animadverterent.

Adversarii Cæciliani libellos dant proconsuli adversus eum. Petunt ab imperatore sibi dari judices. — Idem imperator ad Anulinum de immunitate clericorum in Africa scribens, eos tantum a publicis functionibus eximit, *qui in Ecclesia catholica cui Cæcilianus præest sanctissimæ religionis ministrant.* Acceptis his litteris Anulinus Cæcilianum et clericos Carthaginensis Ecclesiæ accersivit, perlectoque ipsis imperiali præcepto eos hortatus est, ut unitate consensu omnium facta, immunitate sibi concessa fruerentur, et absque impedimento deinceps divinis rebus inservirent. Verum post paucos dies quidam ex adversariis Cæciliani, adjuncta sibi populi multitudine, proconsulem adiverunt atque duos libellos obtulere, unum in aluta signatum, cujus hæc erat superscriptio : *Libellus Ecclesiæ catholicæ criminum Cæciliani traditus a parte Majorini :* alterum sine sigillo cohærentem eidem alutæ : petieruntque ut eos libellos ad comitatum dirigeret. Ita rem refert ipse Anulinus in relatione ad imperatorem data Carthagini XVII kal. Maias Constantino Augusto III Cos., qui consulatus incidit in annum æræ vulgaris 313. Libellos sibi oblatos simul cum relatione ad imperatorem, ut cuncta posset dignoscere, misit Anulinus. Cæcilianum interim in suo statu reliquit. Libellus sine signo annexus alutæ, non alius erat quam is quo sibi judices e Gallia dari postulabant, quem refert Optatus conceptum his verbis : *Rogamus te, Constantine, optime imperator, quoniam de genere justo es, cujus pater inter cæteros imperatores persecutionem non exercuit, et ab hoc facinore, immunis est Gallia. Nam in Africa inter nos et cæteros episcopos contentiones sunt ; petimus ut de Gallia nobis judices dari præcipiat pietas tua. Datæ a Luciano, Digno, Nasutio, Capitone, Fidentio et cæteris episcopis partis Donati,* aut potius *Majorini*, ut observavimus hoc loco.

Constantinus dat judices tres e Gallia episcopos qui Romæ causam definiant una cum Miltiade Rom. episcopo. — Constantinus imperator, accepta in Galliis, ubi tum versabatur, relatione Anulini proconsulis, et libellis eidem relationi adjunctis, permoleste omnino tulit, ut ipse ait in epistola ad Miltiadem : *In istis provinciis quas divina Providentia suæ devotioni spontanea deditione tradiderat, et in quibus maxima erat populi multitudo, plebem quasi in duas partes divisam ad deteriora deflectere, et episcopos inter se dissentire.* Ut igitur dissidio finem imponeret Constantinus, tres episcopos e Gallia judices dedit, Maternum Agrippinensem, Reticium Augustodunensem, et Marinum Arelatensem, qui cum Miltiade Romano episcopo Romæ rem judicarent. Simul Anulino mandavit, ut Cæcilianum cum decem episcopis partis suæ, et adversarios Cæciliani totidem Romam navigare præciperet, intra diem sextum nonas octobris ; ut illic episcopali judicio causa eorum disceptaretur. Atque ut judices dati negotii plenissimam haberent cognitionem, exempla libellorum ab Anulino missorum ad singulos eorum transmisit cum litteris quibus eos hortabatur, ut causam hanc accuratissime cognoscerent et ex præscripto justitiæ judicarent. Exstat ejus epistola ad Miltiadem data, quæ ipsum judicem ejus causæ esse vult una cum Reticio, Materno et Marino, collegis ejus.

Romam ex utraque parte mittuntur. Concilium Romanum sub Miltiade. Cæcilianus innocens pronuntiatus ; in Donatum sententia lata. — Anulinus juxta mandatum imperatoris Cæciliano et adversariis ejus præcipit ut deni ex utraque parte Romam irent. Cui mandato se parituros cum utrique promisissent, rei certiorem fecit imperatorem. Ergo Cæcilianus una cum decem episcopis partis suæ et totidem ex ejus adversariis (quorum antesignanus erat Donatus Casensis) Romam venerunt : cumque huc etiam venissent tres episcopi Gallicani judices a Constantino nominati, hi una cum Miltiade et quindecim episcopis Italis, quorum nomina et sedes refert Optatus, lib. I, § 23, in domo Faustæ in Laterano, (hoc est in ea parte Laterani palatii quæ Faustæ imperatrici destinata erat) Constantino III et Licinio iterum Coss. anno 313, sexto nonas octobris die, sexta feria convenerunt. His novemdecim considentibus episcopis causa Cæciliani et Donati cœpit agitari. Res per triduum acta est, assistentibus Notariis qui acta conficerent. Primo die Cæcilianus et accusatores ejus steterunt se coram judicibus. De accusatorum personis trac-

Digitized by Google

tatum est, et quidam eorum, quorum vita maculis A inquinata erat, secundum leges ab actione repulsi sunt. A cæteris quæsitum ut testes et probationes in Cæcilianum producerent, tum illi nihil in eum proferre potuerunt; sed id tantum allegavere Cæcilianum ab universa plebe Carthaginensi accusatum fuisse. At judices hujus accusationis quæ tumultuosis solum clamoribus, nulla documentorum attestatione, nulla testium fide nitebatur, rationem habendam esse nequaquam censuerunt. Requisierunt ab iis, ut certos accusatores et testes inducerent, qui simul cum iis ex Africa venerant, et cum præsentes fuissent, a Donato subtracti dicebantur, quia testificati erant nihil habere se quod in Cæcilianum dicerent. Eos se exhibiturum ille promisit, atque ita mansit in pendulo Cæciliani causa. Donatus autem B Casensis accusatus et convictus est, Cæciliano etiamnum archidiacono, schisma fecisse Carthagine, et confessus se rebaptizasse et episcopis lapsis manum imposuisse. Secunda die a quibusdam novus libellus denuntiationis adversus Cæcilianum datus est; quo facto agitata rursum cognitio, et tamen nihil quidquam in Cæcilianum potuit probari. Eadem die actum videtur de concilio septuaginta episcoporum qui Cæcilianum damnaverant, quorum quasi gravissima opponebatur auctoritas. Adversus illos multa dicta sunt: Traditores eos fuisse Cæciliani inimicos, ambitiosos homines, Lucillæ obnoxios et ejus pecunia corruptos, aliaque ejusmodi: adversus Cæcilianum quod a Felice Aptungitano Traditionis reo ordinatus fuisset. Hæ quæstiones plures et intricatis- C simæ erant, a quibus abstinendum esse sibi duxerunt concilii Romani patres, ac de Cæciliano tantum et Donato judicium ferre voluerunt. Hic iterum pollicitus est se die sequenti idoneos testes criminum Cæciliani exhibiturum: at cum promissis stare non posset, ad judicium accedere amplius noluit. Itaque tertia die Cæcilianus omnium ore innocens pronuntiatus est, et communio cum eo servata: e contra a singulis in Donatum propria confessione convictum sententiæ latæ sunt. In cæteros autem episcopos qui Cæcilianum damnaverant, nihil pronuntiatum, nec ullus eorum a communione Ecclesiæ expulsus est; sed cunctis episcopis partis Majorini 6 optio data est, ut si ad unitatem redire vellent, in suis honoribus permanerent, etiamsi extra Ecclesiam ordinati fuis- D sent a Majorino; ita ut ubicumque duo essent episcopi, unus a Cæciliano, alter a Majorino ordinatus, is confirmaretur qui prior esset ordinatus, alteri vero plebs alia regenda provideretur. Hæc ex Optato, lib. 1, § 24, et Augustino, ep. XLIII, et Breviculo collationis diei 3 collegimus. His peractis, Miltiades et reliqui episcopi quæcumque in concilio gesta fuerant, una cum actis ipsius concilii ad imperatorem Constantinum direxerunt, verbo etiam affirmantes quod judicium suum fuisset pro rerum æquitate depromptum, eosque potius noxæ obnoxios esse dicentes qui contra Cæcilianum putaverunt quædam commovere.

Quid post synodum Romanam in Africa gestum. — Post istud judicium contigisse puto, quod narrat Optatus, lib. 1, § 26, his verbis: *Eodem tempore idem Donatus petiit, ut ei reverti licuisset, et nec ad Carthaginem accederet. Tunc a Filumino, suffragatore ejus, imperatori suggestum est, ut bono pacis Cæcilianus Brixiæ retineretur: et factum est. Tunc duo episcopi ad Africam missi sunt, Eunomius et Olympius. Venerunt, et apud Carthaginem fuerunt per dies quadraginta, ut pronuntiarent ubi esset Catholica. Hoc seditiosa pars Donati fieri passa non est: de studio partium strepitus quotidiani sunt habiti: novissima sententia eorumdem episcoporum Eunomii et Olympii talis legitur; « ut dicerent illam esse Catholicam, quæ esset in « toto orbe terrarum diffusa, et sententiam decem et no- B « vem episcoporum jamdudum datam, dissolvi non « posse. » Sic communicaverunt clero Cæciliani, et reversi sunt. De iis rebus habemus volumina actorum, quod si quis voluerit, in novissimis partibus legat. Cum hæc fierent, Donatus ultro prior ad Carthaginem redit. Hoc audito, Cæcilianus ad suam plebem properavit. Hoc modo iterum renovellatæ sunt partes.*

Novi tumultus Donatianæ factionis adversus Cæcilianum. — Itaque Donatianæ factionis homines in pervicacia sua permanentes, novos etiam tumultus per Africam concitare cœperunt, et ex iis nonnulli imperatorem adire ausi sunt, ac de novo Cæcilianum accusare. Quibus cum respondisset imperator: *Frustra id eos jactare cum res fuissent apud urbem Romam ab idoneis ac probatissimis viris episcopis terminatæ, obnixe ac pertinaciter responderunt, quod eorum omnis causa non fuisset audita; sed potius iidem episcopi quodam loco se clausissent, et prout aptum ipsis fuerat judicassent.*

Novæ eorum ad imperatorem querelæ. Gesta apud Ælianum Africæ proconsulem de innocentia Felicis Aptungitani. — His permotus Constantinus imperator, ut dissensionibus tandem aliquando finem imponeret, causam Felicis Aptungitani in publico Africæ judicio examinari præcepit, et concilium priori longe numerosius indixit in urbem Arelatensem, ut tota Cæciliani causa iterum ad examen revocaretur. Scripsit igitur ad Verum seu Verinum vicarium Africæ, ut de vita Felicis Aptungitani et de crimine Traditionis cujus insimulabatur, publice inquireretur. Cum autem Verus incommoda valetudine teneretur, Ælianus proconsul quæstionem habuit loco Vicarii, Alfium Cæcilianum qui tempore persecutionis curator fuerat municipii Autumnitanorum, accersiri jussit cum Ingentio scriba, Claudio, Saturnino, Calidio, Gratiano, Superio stationario, Solone servo publico, aliisque testibus ad quæstionem necessariis. Lecta sunt acta municipalia, interrogati Saturninus et Calidius junior curatores, Superius stationarius et Cæcilianus Duumvir, Ingentius quæstioni applicitus, iisque omnibus auditis, hanc proconsul sententiam pronuntiavit: *Felicem religiosum episcopum liberum esse ab exustione instrumentorum Deificorum manifestum est, cum nemo in eum aliquid probare potuerit*

Digitized by Google

quod religiosissimas scripturas tradiderit vel exusserit. Omnium enim interrogatio suprascripta manifestata est nullas scripturas Deificas vel inventas, vel corruptas, vel incensas fuisse. Hoc actis continetur quod Felix episcopus religiosus illis temporibus neque præsens fuerit, neque conscientiam accommodaverit, neque tale aliquid fieri jusserit. Ingentius e contra convictus quod Alfii Cæciliani epistolæ nonnulla addidisset quibus Felici crimen Traditionis imponebatur, in carcerem conjectus est, et illic detentus donec Constantinus anno sequenti Probiano proconsuli Æliani successori scripsit ut eum ad comitatum mitteret. Acta illa confecta sunt ab Æliano Volusiano et Anniano consulibus xv kalendas martias, hoc est, die decima quinta mensis Februarii anni 314 (*a*), quatuor mensibus post synodum Romanam.

Epistolæ Constantini quibus Arelatense concilium indicit. — Eodem anno, mense Augusto, habitum est Arelatense concilium. Scripserat Constantinus ad Ælafium (*b*), seu ut alii legunt, Ablavium, aut potius Ælianum Africæ proconsulem, ut Cæcilianum cum aliis episcopis quos ipse deligeret, necnon aliquos alios ex provinciis Byzacena, Tripolitana, Numidia et Mauritaniis, atque etiam aliquos ex ejus adversariis, data evectione publica per Africam et Mauritaniam inde ad Hispanias transportari juberet, ut intra diem kalendarum Augustarum Arelatem pervenirent. Dederat etiam imperator litteras ad episcopos, quos adesse concilio volebat, quibus mandabat eis, ut accepto publico vehiculo, intra kalendas Augusti in urbem Arelatensem convenirent, quo statuerat ex diversis ac prope infinitis locis episcopos adesse, ut causa Cæciliani et Donatistarum jam judicata auditis iterum partibus finiretur. Exemplum hujus epistolæ ad Chrestum Syracusanum scriptæ retulit Eusebius, cui similia fuisse exempla ad reliquos episcopos missa par est credere. In eo quod ad Chrestum directum est, potestatem illi facit adjungendi sibi duos secundi ordinis, hoc est, ut existimo presbyteros, diaconos, aut alios clericos, et tres servulos itineris sui socios. Idem etiam cæteris episcopis indultum esse ex eo constat, quod simul cum episcopis concilio adfuerint et subscripserint presbyteri, diaconi et alii clerici plures.

Nomina et numerus episcoporum concilii Arelatensis. — De numero episcoporum concilii Arelatensis certatur inter scriptores. Sexcentos fuisse scribit Ado; sed levis admodum fidei scriptor in hoc negotio. Ducentos fuisse suspicatus est Baronius ex corrupto Augustini loco, lib. I contra Parmenianum, c. 5, ubi mentione facta Romani judicii sub Miltiade, quem Traditionis 7 accusabant Donatistæ, post sententiam ab eo latam hæc habebantur: *Usque adeo dementes sunt homines, ut ducentos judices apud quos victi sunt, victis litigatoribus credant esse postponendos.* Existimavit scilicet Baronius, quod de ducentis judicibus hic dicitur, pertinere ad concilium Arelatense; cum tamen de Romano hic agatur, quod novemdecim tantum haud dubie episcoporum fuit. At in genuino Augustini textu de ducentis judicibus nihil habetur; sed ut restitutum est ex veteri codice Vaticano in postrema editione operum Augustini legi debet: *usque adeo dementes sunt homines, ut contra judices apud quos victi sunt, victis litigatoribus credant.* Quam lectionem hujus loci genuinam esse patet: nam omnes codices manuscripti omittunt postrema verba *esse postponendos*, quæ a Lovaniensibus adjecta sunt, ut sensum aliquem efficerent: et cum vox *contra* forte ab Amanuensi per duplex *cc* aut *ca* expressa fuisset, inde exscriptores numerum ducentorum effecerunt. Ruit ergo ex omni capite Baronii conjectura, et aliunde numerum episcoporum concilii Arelatensis colligere oportet. Constantinus in epistola ad Chrestum, ait jussisse se plurimos ex diversis ac prope infinitis locis episcopos in urbem Arelatensem intra Kalendas Augusti convenire; quæ verba concilium istud valde numerosum fuisse videntur innuere. At primum in confesso est apud omnes vocatos tantum fuisse ex Occidentis partibus quæ Constantino parebant, et inter triginta tres, quorum nomina in subscriptionibus leguntur, occurrunt episcopi ex omnibus Occidentis partibus, Italia, Apulia, Dalmatia, Galliis, Britanniis, Sardinia, Sicilia, Hispania et Africa. Nihil autem vetat episcopos tot diversarum regionum dicere ex diversis ac prope infinitis locis congregatos. Deinde utrum omnes episcopi a Constantino vocati adfuerint incertum est. Duplex tantummodo monumentum est ex quo episcoporum, qui ad concilium istud convenere, numerus et nomina possint colligi, nempe superscriptio epistolæ concilii ipsius et subscriptiones concilii. At superscriptionis certior auctoritas, nam variant subscriptiones, suntque non parum perturbatæ atquæ corruptæ; sed par utrobique episcoporum numerus, qui triginta tres non excedit et eadem fere nomina, atque unum ex altero illustratur et emendatur. In superscriptione primus occurrit Marinus Arelatensis, sequitur Acratius, qui melius

(*a*) *Die 15 mensis Februarii, anni 314.* Docet id Augustinus in libro ad Donatistas post collationem. At in actis dicitur auditus Cæcilianus Duumvir xiv kalendas Septembris Volusiano et Anniano Coss. Quæ ut conciliet Valesius, censet quæstionem inchoatam mense Februario et mense Augusto perfectam. At tamdiu intermissam fuisse, aut sub indice pependisse cognitionem, quam Augustinus vocat diligentissimum examen, vix credibile est, cum præsertim teste Optato mandasset imperator, *ut remotis necessitatibus publicis, de vita Felicis Aptungitani quæreretur*; volens scilicet hoc judicium Arelatensi prævium esse. Verisimilius est mendum esse in gestis, cum præsertim in iis Licinius Constantino conjungatur, ut imperii particeps, qui circa finem hujus anni cum Constantino bellum gessit, et victus est in Cibalensi prælio die octava Octobris commisso.

(*b*) *Ælafium.* In manuscripto codice legitur *Ælafio*; sed nulla hujus apud veteres memoria: e contra Ablavii nomen illustre. Potuit Ablavius tunc temporis Vicarius esse Africæ. Baluzius legendum censet *Ælianum* pro *Ælafium*, qui *Ælianus* tunc proconsul erat Africæ, ut ex gestis, de quibus supra, quod non abhorret a verisimili.

Digitized by Google

in subscriptionibus Agrætius Trevirensis, Theodorus Aquileiensis, Natalis presbyter civitatis Ursolensium forte Urgelitanæ, Proterius Capuensis episcopus, Vocius Lugdunensis, Verus Viennensis, Probatianus seu Probatius presbyter Tarraconensis, Cæcilianus Carthaginensis, Faustinus presbyter de civitate Arausicorum, Surgentius episcopus civitatis Pocofelis, forte vici Biltensis in Africa, Gregorius Portuensis, Reticius Augustodunensis, Ambitausus seu Imbetausus Remensis, Termatius presbyter de civitate Bastigensium, Merocles Mediolanensis, Pardus Arpitanus, Adelfius de colonia Londinensium, Hibernius forte Eborius Eboracensis, Fortunatus episcopus Cæsariensis in Mauritania, Aristasius forte Anastasius Beneventinus seu Beneventensis, Lampadius Utinensis, Vitalis Verensis in Africa proconsulari, Maternus Coloniensis, Liberius Emeritensis, Gregorius alter cujus nomen et locus non exstant in subscriptionibus, Crescens qui forte idem cum Chresto Syracusano, Avitianus Rotomagensis, Dafnus Vasionensis, Orientalis Burdegalensis, Quintasius Calaritanus, Victor Uticensis, et Epictetus Centumcellensis. Horum omnium nomina, episcoporum esse existimans Valesius, tres ac triginta episcopos synodo Arelatensi adfuisse inde collegit. At cum inter istos triginta tres quatuor presbyteros fuisse constet ex subscriptionibus, nempe Natalem, Probatium, Faustinum, Termatium, residui sunt episcopi tantum viginti novem, quibus addendi sunt ex subscriptionibus Oresius Massiliensis, Mamertinus Elosatium, Restitutus Londinensium, Faustus Tuburbitanus, et Victor a civitate Legisvolumini seu Legensis in Numidia, quorum nomina prætermissa sunt in superscriptione epistolæ synodicæ. Inde exurgit numerus episcoporum triginta quatuor, quibus addendi sunt quindecim presbyteri, viginti quinque Diaconi, sex Exorcistæ, et duo Lectores, quorum nomina in subscriptionibus leguntur. Hæc de numero Patrum qui concilio Arelatensi interfuerunt.

Concilii Præses. Decreta Concilii Arelatensis. — Præfuit consessui Marinus Arelatensis, cujus nomen primum legitur in superscriptione epistolæ synodicæ. Adfuere alii duo judices qui in priori judicio sederant Maternus et Agrætius. Sylvester qui Miltiadi Romano pontifici successerat, cum ab urbe recedere minime potuisset, illuc Claudianum et Vitum presbyteros legatos misit qui vices suas implerent cum duobus diaconis. Porro etsi ex omnibus Occidentis partibus ad hoc concilium episcopi convenerint, major tamen eorum pars ex Galliis; nam sexdecim episcopi Gallicani in subscriptionibus numerantur. Congregati igitur episcopi in civitate Arelatensi kalendis Augusti, Volusiano II, et Anniano Coss. anno 314, causam Cæciliani rursum examinarunt. Præsens erat reus, præsentes accusatores, de quibus hæc ait concilium in epistola Synodica: *Graves ac perniciosos legi nostræ atque traditioni effrenatæ mentis homines pertulimus, quos et Dei nostri præsens auctoritas et traditio ac regula veritatis ita respuit, ut nulla in illis aut dicendi ratio subsisteret, aut accusandi modus ullus, aut probatio conveniret.* Innocens itaque ab eorum calumniis pronuntiatus est Cæcilianus, ipsi vero, *judice Deo et matre Ecclesia*, verba sunt epistolæ synodicæ concilii, *quæ suos novit et comprobat, aut damnati sunt, aut repulsi:* damnati scilicet accusatores præcipui ac schismatis auctores, cæteri a communione pulsi donec ad Ecclesiam catholicam redirent, quo in casu indultum est iis qui clerici erant inter Donatistas, ut in gradu suo manerent, et circa episcopos idem statutum quod prius in concilio Romano, ut in locis ubi unus erat tantum episcopus partis Majorini, is ibi permaneret. Ubi vero, unus communionis Cæciliani, alter Majorini, is ibi confirmaretur qui prior foret ordinatus, alteri vero plebs alia regenda committeretur, aut servato Episcopi honore et dignitate in eadem Ecclesia permaneret, ac Collega decedente in ejus locum succederet. Ea de causa concilium in epistola synodica ad Sylvestrum innuit se mitius cum schismaticis egisse, sic ad eum scribens: *Utinam, frater dilectissime, ad hoc tantum spectaculum interesse tanti fecisses: profecto credimus quia in eos severior fuisset sententia prolata, et te pariter nobiscum judicante, cœtus noster majori lætitia exultasset.*

Canones concilii Arelatensis. — Peracto judicio causæ propter quam convocati erant in urbem Arelatensem episcopi, non hæc tantum sibi tractanda esse existimarunt ad quæ fuerant invitati, sed et præterea ut Ecclesiis suis consulerent, leges in provinciis suis observandas edere decreverunt. Conditi sunt itaque ab ipsis canones viginti duo, et ad Sylvestrum papam transmissi, ut per eum qui primæ ac præcipuæ orbis Ecclesiæ præerat, cæteris Ecclesiis innotescerent.

Canones Concilii adversus traditores et de baptismo hæreticorum. — Ex his canonibus duo sunt præcipue qui ad præsentem causam pertinent, decimustertius, quo cavetur: *ut qui scripturas sanctas tradidisse dicuntur, vel vasa dominica, vel nomina fratrum suorum, ab ordine cleri amoveantur; sed quia multi sunt qui contra Ecclesiasticam regulam pugnantes per testes redemptos putant se ad accusationem admitti debere, statuitur ut non admittantur, nisi ex actis publicis docuerint, crimen Traditionis ab eis quos accusant fuisse commissum. Eorum vero qui a Traditoribus ordinati fuerant ordinatio irrita non esse pronuntiatur, nec quidquam ordinatis obesse.* Quæ duo ad causam Cæciliani pertinent, primum quia Traditionis crimen quod ejus adversarii Felici, Mensurio, aliisque catholicis episcopis intentabant, ex actis publicis probare minime poterant, sed tantum vulgi rumorem aut testes pecunia corruptos ad eos infamandos allegabant. Alterum, quia Cæciliani ordinationem potissimum impugnabant, eo quod esset a Felice Aptungitano Traditionis reo aliisque episcopis Traditoribus ordinatus: quæ ratio nullius erat roboris, statim atque Traditoris ordinatio irrita non erat. Alter canon qui causam Afrorum spectat, est

Digitized by Google

octavus, de Baptismo hæreticorum, cujus hæc verba sunt : *De Afris, quod propria lege sua utuntur ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit interrogent eum symbolum, et si perviderint eum, in Patre, et Filio, et Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur ut accipiat Spiritum sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Quo canone usus rebaptizandi eos qui ad Ecclesiam veniebant in Africa receptus ad eos tantum hæreticos restringitur, qui Trinitatem non agnoscebant, ac proinde in Patre, et Filio, et Spiritu sancto non erant baptizati, hoc est, in illa fide Trinitatis. Non enim dicit concilium ut interrogentur de forma baptismi, sed de fide : *interrogent eum symbolum..... Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem baptizetur.* Huic definitioni consentanea videtur Optati de baptismo hæreticorum sententia, qui fatetur, lib. I, § 10, ea omnia quæ Parmenianus dixerat de vitioso et irrito baptismo, ad baptismum eorum hæreticorum pertinere qui falsaverunt symbolum ac de Trinitate prave sentiunt ; eamdemque Trinitatis fidem, lib. V, § 3, 4, et 8, in suscipiente requirit ; ac demum ibidem Donatistas reprehendit quod postquam homo interrogatus in baptismate responderat fidem Trinitatis, iterum post illud *unum credo* exigerent *alterum credo*. Quidquid sit canon Arelatensis de quo agimus speciatim non est conditus adversus Majorini partem, sed circa legem Afris propriam de rebaptizandis iis qui ab hæreticis baptizati fuerant cum ad Ecclesiam veniebant, quam concilium hoc canone temperavit.

Epistola synodica concilii Arelatensis. — Qui convenerant in urbem Arelatensem episcopi, antequam discederent, synodicam epistolam ad Sylvestrum scripsere, qua ipsum eorum quæ gesserant certiorem faciunt, et simul canones a se conditos ipsi transmittunt, ut per eum cæteris Ecclesiis innotescerent. Ad imperatorem quoque scripserunt, et ab eo licentiam abeundi petiere. Interim quidam ex parte Majorini Constantinum adierunt ad judicium ejus provocantes (*a*), quorum appellationem primum detestatus est Constantinus, in hæc verba prorumpens : *O rabida furoris audacia !* sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt. Indignatus scilicet eos episcoporum judicio non stare, et ad sæcularia judicia provocare, suumque postulare judicium. Scripsit igitur ad episcopos concilii Arelatensis horum hominum pervicaciam acerbe perstringens, laudans concilii judicium, et episcopos rogans ut exemplo Christi patientiam adhiberent data schismaticis adhuc optione eligendi utrum mallent, ita ut si eos in proposito perseverare animadverterent, protinus ad proprias sedes redirent. Denique in eadem epistola monet eos misisse se Arelatem officiales suos qui pertinaces ad comitatum perducerent, et dedisse litteras ad Vicarium Africæ, ut quotquot ejus insaniæ similes invenerit, statim eos ad comitatum dirigat, ut sic tandem aliquando turbis et dissensioni finis imponeretur.

Appellatio Donatistarum ad imperatorem. Cæcilianus et ejus adversarii vocati. — His acceptis nuntiis, multi ex parte Donati imperatoris iram veriti cum Cæciliano in concordiam rediere. Qui vero pertinaciores fuere, ad comitatum perducti sunt : hi partim per se, partim per suffragatores quos in palatio habebant, imperatorem interpellare non destiterunt, ut ipse inter partes judicium ferret. Quod cum primo aversatus esset Constantinus, tandem continuis Donatistarum aditionibus victus cessit, utque ipsis os prorsus occluderet, de Cæciliani innocentia judicium ferre constituit. Ac primum quidem Cæcilianum ex Africa accersere decreverat, sed mutata, ad petitionem Donatistarum episcoporum, sententia, episcopos partis Donati qui in comitatu erant in Africam reverti jussit, ut illic causa omnis quæ ipsis adversus Cæcilianum competebat ab amicis seu judicibus quos elegisset, cognosceretur et finiretur. Verum imperatori paulo post in mentem venit timendum esse, ne si in Africa causæ hujus cognitio institueretur, a turbulentis quibusdam e Donatistarum factione perturbaretur judicium, nec secundum veritatem ferretur, aut si res bene judicata esset, ut erant obstinati animi, judicio acquiescere recusarent ; mutato consilio statuit, ut Cæcilianus potius et ejus adversarii accerserentur ad comitatum ; ut ipse inter eos judicium ferret. Scripsit igitur tum ad Cæcilianum, tum ad episcopos ejus adversarios, ut Romam ad se venirent, qua in urbe morabatur mense Augusto anni 315, ut ex codice Theodosiano liquet. Extat hujus epistola ad episcopos Cæciliani adversarios, in qua postquam mutati consilii rationem reddidit, pollicetur ipsis quod si præsente Cæciliano vel unum e criminibus quorum eum accusabant probare potuerint, perinde id apud se futurum ac si universa quæ ei intenderant probata essent. Eodem tempore videtur scripsisse ad Probianum Africæ proconsulem (*b*), ut Ingentium decurionem Ziquensium qui Felicis epistolam adulterasse

(*a*) *Ad judicium ejus provocantes.* Sunt qui existimet provocationem istam Donatistarum ad imperatorem interpositam fuisse a judicio Miltiadis et concilii Romani. At quoties de judicio Romano et Arelatensi loquitur Augustinus, toties dicit Donatistas conquestos esse apud imperatorem de primo judicio, et a Secundo ad ipsum Imperatorem appellasse. Ipse imperator in epistola ad Ælafium referens quid de judicio Romano dixissent sibi Donatistæ, ait illos respondisse : *Quod illic omnis causa non fuisset audita, sed pauci quidam episcopi quodam loco se clausissent, et prout ipsis aptum fuerat, judicassent.* At idem Constantinus in epistola ad episcopos, quam ad Arelatensis synodi Patres datam esse vix quisquam dubitare potest, provocasse eos dicit ad judicium suum, et provocationem hanc verbis illis detestatur : *o rabida furoris audacia !* etc., quæ verba Optatus refert tamquam prolata post synodi Romanæ judicium. At cum nullam Arelatensis Concilii mentionem fecerit, haud mirum si verba illa ad synodum Romanam retulerit, quæ ad Arelatense judicium pertinent.

(*b*) *Eodem tempore videtur scripsisse ad Probianum Africæ Proconsulem.* Sunt qui epistolam illam scriptam esse censeant anno superiori ante Concilium Arelatense. At verisimilius est accersitum non esse

convictus erat coram Æliano proconsule Probiani prædecessore, atque ideo hujus jussu in carcerem conjectus fuerat, ad comitatum sub idonea prosecutione mitteret, *ut illis*, inquit, *qui impræsentiarum agunt, atque diuturnis diebus interpellare non desinunt audientibus, et coram assistentibus apparere et intimari possit frustra eos Cæciliano episcopo invidiam comparare, atque adversus eum violenter insurgere voluisse. Ita enim fiet, ut omissis sicut oportet ejusmodi contentionibus populus sine dissensione aliqua religioni propriæ cum debita veneratione deserviat.* Die dicta Cæcilianus, nescio quam ob causam, Romæ sicut jussus erat non occurrit : tum hujus adversarii qui ad comitatum redierant imperatorem interpellarunt ut in Cæcilianum velut contumacem sententiam ferret. Sed imperator dilatione data, præcepit ut eum Mediolanum sequerentur. Tum vero quidam ægre ferentes quod Constantinus Cæcilianum absentem damnare noluisset, ipsumque Cæciliano favere ac sibi infensum esse suspicati, fuga se subtrahere cœperunt. Quod ubi cognovit providus imperator reliquos ab officialibus custoditos Mediolanum perduci jussit. Qui autem sese furtim e comitatu subtraxerant, cum in Africam pervenissent, novos illic tumultus excitarunt. Eorum dux ac signifer erat Menalius ille truculentus homo de quo superius dictum est, qui in veteri insania perseverans seditionem excitare paratus erat, ni Domitius Celsus, Africæ Vicarius, tumultum quem apparabant inhibuisset. Hujus rei certior factus a Celso Constantinus, scripsit ad eum ut Cæciliano et ejus adversariis palam faceret se venturum propediem in Africam, atque ibi inter partes laturum

A esse judicium, facta diligenti inquisitione, ac seditiosos et irreligiosos puniturum esse. Hoc consilio Donatistarum episcopos Lucianum, Capitonem, Fidentium et Nasutium cum Mammario presbytero qui in Gallias jussu imperatoris venerant ut Cæcilianum accusarent, ad lares proprios redire permisit, eisque tractoriam cum annonaria ad Arelatensem usque portum ut inde in Africam navigarent, dari jussit a præfectis Prætorio; qui hujus rei certiorem fecerunt Celsum Africæ Vicarium litteris datis IV Kalendas Maias anni 316 (*a*).

Judicium Imperatoris in gratiam Cæciliani. — Tandem Constantinus omisso in Africam transeundi consilio causam Cæciliani judicare statuit. Cum igitur Cæcilianus et ejus adversarii Mediolanum venissent,
B ubi degebat Constantinus mense Novembri anni 316, de causa, remotis omnibus arbitris, cognovit imperator ac auditis utriusque partis allegationibus et omni controversia diligentissime discussa et examinata, cum nullum e criminibus quæ Cæciliano objiciebantur ab accusatoribus ejus probari potuisset, ipsum innocentem, illos calumniosissimos esse pronuntiavit, et de hoc judicato rescriptum misit ad Eumalium Africæ Vicarium, datum IV Idus Novembres, Sabino et Rufino Coss. anni 316.

De Donato Carthaginensi. — Interim Majorinus e vivis excessit et in ejus locum ab episcopis communionis ejus ordinatus est Carthagini Donatus, non ille jam toties memoratus Donatus Casarum-nigrensium episcopus, sed alius ejusdem nominis qui prin-
C cipatum sibi apud suos arrogavit et a quo *Donatiani* nomen accepere (*b*). Vir erat litterarum humaniorum

Ingentium a Constantino nisi cum ipse causam judicare decrevit; nam si accersitus fuisset ob judicium Arelatense, jussisset Constantinus eum Arelatem mitti a Probiano, non ad comitatum suum. Probianum Africæ proconsulem fuisse anno 315, docet lex 1 de Annona codicis Theodosiani data ad Proclinianum (legendum Probianum) ut lege 5, de Appellationibus quæ Romæ data est hoc ipso anno 315. Probianus certe jam successerat Æliano qui anno 314 Proconsul Africæ fuit. Fieri equidem potuit ut Probianus ei successerit anno 314 post habitum judicium de Felicis innocentia, idque probare contendunt quidam ex lege 1 ad S. C. Claudianum codicis Theodosiani, data Kalendis Aprilis anni 314, quæ est ad Probum, cui etiam directa est lex tertia codicis Justinianei de servis fugitivis. Sed Probum hunc proconsulem Africæ fuisse et eumdem cum Probiano nihil est quod probet.

(*a*) *Litteris datis* IV *Kalend. Maias anni* 316. Celsus Vicarius erat Africæ initio anni 316, ut docet lex 1 cod. Theod. de officio judicum, data Treviris in Idus Januarii, Sabino et Rufino Coss., quorum consulatus incidit in annum 316. Baronius existimavit epistolam de qua agimus, datam fuisse post concilium Arelatense; at fallitur, nam concilium illud habitum non est ante Kalendas Augusti. Hæc autem epistola data est in Kalendas Maias, atque ita fieri non potest, ut data sit episcopis partis Donati e concilio Arelatensi discedentibus.

(*b*) *Non ille jam toties memoratus Donatus Casarum nigrensium Episcopus, sed alius ejusdem nominis a quo Donatiani nomen accepere.* S. Augustinus aliquando Donatum Carthaginensem eumdem esse credidit cum illo *qui* libellum imperatori cum aliis obtulerat, ut

D judices transmarini adversus Cæcilianum darentur. At postea probabilius esse competit non ipsum, sed alium Donatum ejusdem schismatis id fecisse, qui non erat Carthaginensis Donatistarum episcopus, sed a Casis-nigris, et tamen primus apud Carthaginem ipsum nefarium schisma commisit, ut ait ipse libro Retractationum 1, cap. 21. In collatione Carthaginensi cum allegassent Catholici Donatum Carthaginensem in synodo Romana sub Miltiade esse damnatum, Donatistæ contenderunt, ut narrat Augustinus in Breviculo collationis diei 3, quod non Carthaginensis, sed Casensis in judicio Miltiadis astitisset, idque concessere Catholici. Optatus videtur etiam lib. III supponere Donatum a Casis-nigris et Carthaginensem unum et eumdem esse, cum allegat libellum supplicem datum Constantino, tanquam ab episcopis partis Donati, ut probet Donatum Carthaginensem hujus factionis se principem semper dici voluisse. At Augustinus de illo supplici libello mentionem faciens habet, uti observavimus, *partis Majorini*, non *partis Donati*. Albaspinæus duos equidem distinguit Donatos, sed utrumque Carthaginensem episcopum fuisse suspicatur, et Casensem ad Carthaginensem sedem post Majorini obitum translatum fuisse censet, quem exceperit alter Donatus Magnus Parmeniani prædecessor. Verum Optatus unum tantum agnoscit episcopum inter Parmenianum et Majorinum, uti a nobis observatum est. Verisimilius dici posset Donatum a Casis-nigris ad Carthaginensem sedem translatum, Carthaginensem simpliciter esse dictum, et diu sedem hanc tenuisse. At cum inter partes litigantes in collatione Carthaginensi constiterit Carthaginensem a Casensi diversum fuisse, non est quod nunc ea de re dubitetur, cum præsertim

Digitized by Google

peritus, eloquens, eruditus, morum integritate ac temperantia commendabilis, sed elati adeo animi, ut nullum hominem sibi comparandum arbitraretur, suæ partis episcopos loco mancipiorum haberet, ac mortales cunctos, ipsos etiam imperatores et magistratus ab eis constitutos contemneret. Is tantum apud suos auctoritatis obtinuit, ut eum omnes impense colerent, per eum jurarent, et in ore populi non diceretur episcopus, sed Donatus Carthaginis. Totam ille Africam in duas partes divisit, quarum unam partem suam ipse dici voluit, ita ut ab iis qui ex diversis Africæ provinciis Carthaginem veniebant, non quæreret illud quod humana fert consuetudo de pluviis, de pace, de proventu anni, sed illius ad singulos quosque venientes hæc essent verba : *Quid apud vos agitur de parte mea* ? Ac deinceps non modo communionis ejus homines vulgo Donatistæ dicti sunt, sed et ipsi in judiciis et actis publicis professi sunt se esse de parte Donati. Quod cum ipsis exprobratum fuisset in collatione Carthaginensi, licet nomen istud repudiarint, de Donato tamen tamquam auctore suo sic magnifice locuti **10** sunt, per os Petiliani : *Donatum autem sanctæ memoriæ martyrialis gloriæ virum, præcessorem scilicet nostrum* (nota hæc verba quibus non unius tantum Carthaginensis episcopi, sed omnium hujus partium episcoporum præcessor appellatur), *ornamentum Ecclesiæ istius civitatis loco suo meritoque veneramur.* Nec vero auctoritate sua tantum atque diversis artibus schisma in tota Africa propagavit, verum et scriptis illud propugnare aggressus est. Exstabant enim tempore Hieronymi multa ejus opuscula ad suam hæresim pertinentia, et de Spiritu sancto liber quem Ariano dogmati congruentem fuisse testatur. De ejusdem scriptis loquens S. Augustinus, observat etiam illum haud catholicam de Trinitate habuisse sententiam ; et quamvis ejusdem substantiæ, minorem tamen Patre Filium, et minorem Filio putasse Spiritum sanctum. *Verum*, inquit idem, *in hunc quem de Trinitate habuit ejus errorem Donatistarum multitudo intenta non fuit, nec facile in eis quisquam qui hoc illum sensisse noverit, invenitur.* Nonnullos tamen idem cum Donato sensisse alibi (ep. 185 ad Bonifacium comitem) testatur Augustinus ; sed omnes fere idem omnino profiteri se credere de Patre et Filio et Spiritu sancto, quod Catholica credit Ecclesia. *Quamquam aliqui ex ipsis volentes sibi Gothos conciliare, quando eos videbant posse aliquid, dicebant hoc se credere quod illi credunt. Sed*, inquit Augustinus, *majorum suorum auctoritate convincuntur, quia nec Donatus ipse sic credidisse asseritur, de cujus parte se esse gloriantur.* Hinc forte Epiphanius et Theodoritus Donatianis Arianorum errorem affingunt. At nulla cum illis de dogmatibus fidei fuit quæstio, sed tantum de sola communione, de Ecclesia, et sacramentorum quæ in ea administrantur auctoritate. Circa hoc postremum caput subscripserat epistolam Donatus in qua hoc agebat ut nonnisi in ejus communione baptismus Christi esse credatur, contra quam librum scripserat Augustinus, qui jam non exstat, sed cujus argumentum refert Retractationum, lib. I, c. 21.

Leges Constantini de Donatistis. — Crescente Donatistarum numero et furore, Constantinus imperator contra illos severissimam legem tulit, qua basilicas et loca in quibus congregabantur, ipsis jussit auferri ac fisco vindicari. Sed ista severitate non modo non repressa, sed et accensa est illorum insolentia, tantumque abfuit quin ad Ecclesiæ Catholicæ sinum reducerentur, ut e contra in eam acrius ac petulantius sævierint. Quod cum accepisset Constantinus, ad universos episcopos et ad plebem Ecclesiæ Catholicæ per Africam epistolam prudentem admodum et mansuetam scripsit, qua dicit *se quod fides debuit, quantum prudentia valuit, prout puritas potuit tentasse per omnia humanitatis et moderationis officia, ut pax sanctissimæ fraternitatis per concordiam stabilita teneretur. Sed quia ob pervicaciam quorumdam non potuerit id assequi ita esse consilia moderanda, ut donec cœlestis medicina procedat, patienter sustineantur ea quæ nequissimi homines tentant et faciunt, et nihil ex reciproco reponatur injuriæ, vindicta eorum Deo servata. Quod si observetur, sperare se ut cito per gratiam summi Dei languescentibus eorum institutis vel moribus qui se miserrimæ contentionis vexillarios præbent, turbæ conticescant.* Verum quos non represserat severitas, nec domare potuit mansuetudo ac lenitas optimi principis, immo ex ejus indulgentia majorem sumentes audaciam, gravius in dies Catholicos vexarunt. Eo tempore videntur orti Circumcelliones, rustici et feri homines, ita dicti quod circum cellas discurrerent, Catholicos ad nutum Donatistarum episcoporum vexantes et compilantes, adeo ut quosdam etiam ex illis occiderent ; atque ad eos videntur pertinere hæc verba Constantini in epistola modo laudata : *Cum debeat fides nostra confidere quidquid ab hujusmodi hominum furore patietur, martyrii gratia apud Deum esse valiturum.*

Gesta coram Zenophilo. — Inter Donatistarum antesignanos erat Silvanus Constantiniensium episcopus ordinatus, uti diximus, a primis auctoribus schismatis, cum tamen diaconus Traditionis crimine maculatus fuisset. Nundinarium habebat diaconum arcanorum omnium hujus sectæ conscium. Quem cum Silvanus excommunicasset et cum eo in gratiam redire renuisset, palam is omnia fecit, ac imprimis Silvanum fuisse Traditorem, et pecuniam a Lucilla datam ut Majorinus ordinaretur episcopus. Quæ duo cum magni momenti essent, et causæ Donatistarum multum officerent (inde enim sequebatur eos hujus criminis reos esse cujus Ecclesiam insimulabant et Majorini ordinationem vitiosam esse constabat), horum probationem gestis publicis et coram judice

Episcoporum translatio in Occidente non fuerit in usu, nec umquam Donato objectum fuerit quod e sede Casensi per ambitum ad Carthaginensem translatus fuerit.

Digitized by Google

fieri postularunt Catholici. Res demandata est Zenophilo consulari Numidiæ et acta idibus Decembris Constantino Maximo Augusto VI et Constantino Juniore Nob. Cæsare Coss. qui fuit annus Christi 320. Prolata sunt acta Munatii Felicis curatoris Cirtensium Diocletiano VIII et Maximiano VII Coss., xiv Kalendas Junias; ex quibus constitit a Silvano ultro traditas esse lucernam et capitulatam argenteas. Lectæ sunt litteræ Purpurii Limatensis, Fortis et alterius episcopi in gratiam Nundinarii; ex quibus intelligebatur quantum timerent ne Nundinarius ea quæ sciebat, patefaceret. Producti testes qui Silvanum invitis Cirtensis populi primoribus et honoratis ab Arenariis proclamatum Episcopum et deinde ordinatum esse, quique tunc eum palam Traditionis accusatum fuisse affirmarunt. Addiderunt pecuniam datam Silvano et episcopis a Victore ut presbyter ordinaretur, et cupas aceti sublatas e templo Serapis a Silvano et Purpurio episcopis, necnon a Donfio et Superio presbyteris et Luciano diacono. Auditi etiam testes de data a Lucilla Numidis episcopis pecunia ut episcopus ordinaretur Majorinus. Istorum partem maximam gestorum habemus; sed deest judicium Zenophili, quo tamen Silvanum Traditorem declaratum fuisse certum est. Nam statim Silvanus in exilium pulsus est, *non quod Ursatio et Zenophilo persequentibus communicare noluisset*, ut aiebat Cresconius, sed, ut asserit Augustinus, lib. III contra hunc Donatistam, cap. 50: *Quia cum Traditor fuisset, permanere etiam hæreticus voluit, ut falsum honorem in ipsa parte Donati haberet, qui habere in Catholica nullum posset tam manifestis Traditionis suæ gestis publico judicio reseratis.* Inde etiam constat eo tempore Ursatium comitem in Africa Donatistarum furori sese opposuisse, et pro Catholicis adversus eos militasse: unde hunc tamquam primum tempestatis in se concitatæ auctorem traducebant Donatistæ.

Preces Donatistarum ad Constantinum quibus annuit. — Cum igitur Ursatius Donatistas furere non sineret et ad Catholicam Ecclesiam compelleret, libellum dederunt anno 321 Constantino imperatori, quo poscebant ut libere ipsos agere, nec invitos ad communionem Cæciliani cogi vellet, adjicientes *nullo modo se communicaturos Antistiti ipsius nebuloni, paratosque esse potius perpeti quidquid eis facere voluisset;* Cæcilianum designantes quem Antistitem Imperatoris appellant, quia eum innocentem esse pronuntiaverat et pro legitimo Episcopo Carthaginensi habebat. Orabant etiam Imperatorem in hoc libello, ut Silvanum et collegas ab exilio revocaret. Ad hæc non modo 11 non exarsit uti jure potuisset clementissimus imperator, sed e contra ipsis quæcumque poscebant solita benignitate indulsit; rescribens ad Valerium seu Verinum vicarium Africæ, ut libere eos agere sineret et eorum furorem Deo vindici dimitteret: simul in exilium pulsos ad propria redire permisit. Hoc rescriptum datum fuit v Maii anni 330.

Catholicorum a Donatistis vexatio. Leges Constantini in gratiam Catholicorum. — Nimia hæc imperatoris lenitas fecit ut Donatianæ factionis homines liberius in Catholicos grassarentur, præsertim in Numidia, ubi numerosior et validior erat pars Donati. Inter alia vero basilicam quam in civitate Constantina Numidiæ Metropoli (quæ ante Cirta dicebatur) fabricari jusserat Imperator, per vim invaserunt, et frequenter tum a Catholicis Episcopis, tum a judicibus ex imperatoris jussu commoniti eam reddere recusarunt. Quin etiam decuriones ac primores civitatum malignis suggestionibus incitarunt, ut lectores et hypodiaconos ac cæteros clericos Ecclesiæ catholicæ ad decurionatum et functiones publicorum munerum revocarent. Quamobrem episcopi Ecclesiæ catholicæ per Numidiam ad imperatorem scribere compulsi sunt, ejusque auxilium implorare. Et quoniam Imperatoris animum ad lenitatem et patientiam pronum noverant, nullam de inimicis vindictam poposcerunt, nec vi et auctoritate imperatoris basilicam sibi reddi postularunt, sed alium locum sibi ex fisco concedi, ut ibi novam Ecclesiam ædificarent. Imperator multis invectus in Donatistarum factionem et laudata prolixe Catholicorum Episcoporum patientia, quod hi petebant indulsit, et statim litteras dedit ad Rationalem, ut locum ad fiscum pertinentem Ecclesiæ catholicæ in dominium traderet, et ibi ex fisci sumptu basilicam erigi præcepit. Consulari quoque mandavit, ut in hujus Ecclesiæ fabricatione Episcopos adjuvaret, ac Lectores Ecclesiæ Catholicæ, hypodiaconos et reliquos clericos ad munera et decurionatum cogendos non esse statuit, et eos qui Donatistarum instinctu ad illa vocati fuerant, jussit ab iis absolvi. Exstat lex illa in codice Theodosiano, leg. 7, de episcopis ad Valentinum consularem Numidiæ iisdem fere verbis concepta quæ referuntur in epistola Constantini ad episcopos Numidas; suntque hujusmodi: *Lectores divinorum apicum et hypodiaconi cæterique clerici qui per injuriam hæreticorum ad curiam devocati sunt, absolvantur, et de cætero ad similitudinem orientis minime ad curias devocentur, sed immunitate plenissima potiantur.* Data hæc lex est sicut et epistola Nonis Februariis Serdicæ. Sed consulum nomina quæ non sunt adscripta in epistola, in lege reperiuntur, Gallicani scilicet et Symmachi quorum consulatus incidit in annum 330. Atque hinc epistolam illam Constantini, totumque illud de basilica Constantiniensi negotium cum nupero scriptore exquisitæ eruditionis ad hunc annum referimus, potiusquam ad annum 317 aut 318, quibus hæc contigisse suspicatus erat Henricus Valesius.

Dogmata Donatistarum. — Cum Donatistæ totius orbis Ecclesias Cæciliani communioni adhærere et a sua alienas esse intellexissent, eo temeritatis processerunt ut dicerent Ecclesiam catholicam in sola parte sua permansisse et in aliis orbis partibus quasi contagione communionis exstinctam. Cumque veteri Africanorum placito pertinacius adhærerent extra veram Ecclesiam, baptismum et alia sacramenta ir-

rita esse, cunctos ad se venientes qui in Ecclesiis quas adulterinas esse arbitrabantur baptizati erant, iterum baptizari jusserunt, sacrificia et omnia Catholicorum sacra tamquam impura detestabantur, Eucharistiam ab ipsis consecratam tamquam rem profanam conculcabant, chrismatis confectionem, sacram unctionem, ordinationes, allaque omnia sacramenta irrita esse censebant, altaria velut polluta immundis eorum sacrificiis radebant aut exurebant, calices frangebant, parietes et pavimenta Ecclesiæ aqua lavabant; episcoporum sacerdotia, virginum vota apud Catholicos emissa nullius roboris esse censebant; ac demum Catholicorum communionem prorsus abhorrebant. Hæc et alia eorum documenta consectaria erant falsæ illius persuasionis, quod Ecclesia per totum orbem periisset, et veteris Afrorum episcoporum doctrinæ, quod extra Ecclesiam nihil ratum ac validum fieri posset. Ecclesiam autem periisse aiebant, quod Cæcilianum a Felice Aptungitano ordinatum Traditionis reo et alios Traditores, ut asserebant, manifestos pro episcopis habuisset et a communione sua non expulisset. Existimabant scilicet Ecclesiam veram ex solis hominibus in speciem sanctis et justis constare debere; fatebantur quidem in Ecclesia malos cum bonis esse permixtos, sed occultos tantum, non autem publicos et manifestos. Hæc erat equidem primævæ Ecclesiæ disciplina, ut iis qui idololatris aliisque peccatoribus criminum reis ab Ecclesia expulsis communicarent, communio denegaretur : ac ita initio schismatis cum damnatus foret a concilio septuaginta episcoporum Cæcilianus, excusari poterant nonnulli ex iis qui cum ipso communicare renuebant. Verum cum judiciis subsequentibus innocens pronunciatus est, nullus nisi pervicax communionem ejus fugere potuit, cum præsertim damnatus fuisset a judicibus ad quos istud judicium non pertinebat. Postquam vero universæ Ecclesiæ extra Africam ei communicarunt, asserere Ecclesiam Catholicam propterea periisse summæ dementiæ erat. Qui primi adversum Donatistas egerunt, in id unum intenti fuere ut Cæciliahum et ejus ordinatorem Felicem a criminibus objectis purgarent; atque ita ostenderent se merito cum eis communionem fovere; e contra vero adversarios suos Traditores esse, aut Traditorum filios. At succedente tempore in id incubuerunt Ecclesiæ defensores, ut probarent fieri non posse ut Ecclesia catholica de toto orbe periisset, et in sola parte Donati, hoc est, in paucis Afris subsitisset. Quo probato jam constabat baptismum aliaque sacramenta a Catholicis collata rata esse et valida. Sed id insuper molitus est Augustinus, et aliqua ex parte ante eum Optatus, ut ostenderent baptismum fore validum etiamsi a schismaticis aut hæreticis conferretur, ac proinde duplici ex capite peccare Donatistas, dum baptizatos a Catholicis rebaptizabant; primum quod baptismum veræ Ecclesiæ rejicerent : secundo, quod baptismum legitimum a quocumque collatum foret iterarent.

Concilium Donatistarum adversus iteratum Baptisma.—Nec vero fuit unanimis omnium Donatistarum de baptismi iteratione sententia. Scripsit enim Tichonius Donatista, referente Augustino, ep. 93, ad Vincentium Rogatistam, n. 43 : *a ducentis et septuaginta episcopis communionis Donatianæ concilium Carthagini celebratum, in quo concilio per septuaginta et quinque dies postpositis omnibus præteritis limatam esse sententiam atque decretam, ut Traditoribus immensi criminis reis, si baptizari nollent pro integris communicaretur. Deuterium etiam Macrianensem episcopum ejusdem communionis Traditorum plebem congregatam Ecclesiæ miscuisse, et secundum statuta illius concilii fecisse cum Traditoribus unitatem, eique Deuterio post hoc factum jugiter communicasse* **12** *Donatum ; nec solum huic Deuterio, sed etiam universis Manrorum episcopis qui per quadraginta annos usque ad persecutionem per Macarium factam, Traditoribus sine baptismo communicarunt.* Nullum alibi reperire est concilii illius vestigium, quod quidem non ante annum 330 celebratum videtur, non autem initio schismatis, ut probat primo numerus episcoporum hujus concilii tantus, ut Donatistarum factionem tunc confirmatam et late propagatam fuisse in Africa ostendat. Secundo, Tichonii verba, qui observat cum hæc scriberet, adhuc superstites fuisse multos ex iis per quos certissima hæc et apertissima esse ostenderentur, hoc est, testes oculatos. Floruit autem Tichonius anno circiter 380, ac proinde contigisse istud necesse est multis annis post initium schismatis. Tertio, quia Donatum Carthaginis episcopum tunc fuisse indicat. Postquam enim dixit : *Deuterium secundum hujus concilii statuta fecisse cum Traditoribus unitatem*, addit : *eidem Deuterio post hoc factum jugiter communicasse Donatum*. Ergo temporibus Donati Carthaginensis sub quo Donatistarum factio præcipue viguit, habitum est illud concilium circa annum 330, Tichonii de illo concilio testimonium verum esse, astruit Augustinus, quod Parmenianus rescribens adversus eum, non refellit ista tamquam falsa, et quod Tichonius commemorat *multos cum hæc scriberet, in vivis fuisse per quos hæc certissima et apertissima esse ostenderentur*. Nihilominus tamen Donatus ipse aliique Donatistæ, neglecta hujus concilii auctoritate, baptizatos a Catholicis iterum baptizare præsumpserunt.

Episcopi Donatistarum in urbe Roma. — Eodem tempore aut etiam aliquot annis antea Donatistæ ut partem in urbe Roma viderentur habere, illuc primum interventores Episcopos ex Africa furtim ad paucos erraticos et peregrinos præsertim Afros qui Romæ tunc degebant, miserunt, a quibus illi regerentur. Primus illorum fuit Victor Garbensis episcopus Numidiæ, qui diversus non videtur esse ab eo qui concilio Cirtensi interfuit. Is ubi Romam venit, *erat ibi*, ut ait Optatus, *filius sine patre, tyro sine principe, discipulus sine magistro, sequens sine antecedente, inquilinus sine domo, hospes sine hospitio, pastor sine grege, episcopus sine populo. Non enim grex aut populus appellandi erant pauci, qui inter*

Digitized by Google

quadraginta et quod excurrit basilicas quæ Romæ tunc erant, locum ubi colligerent non habebant. Quapropter speluncam quamdam foris a civitate cratibus sepserunt, ubi conventiculum haberent. Hinc *Montenses* seu *Campitæ* aut *Rupitæ* Romæ dicti sunt. Huic successit Bonifacius Ballitanus episcopus item Numidiæ; ex Africa quoque Romam missus. Hi duo sunt de quibus Augustinus ait lib. de unico baptismo contra Petilianum, quod Donatistæ *Afris partis suæ primo interventores adventitios furtim longeque miserint.* Cum enim essent aliarum sedium in Africa episcopi, nec sub titulo Romanæ sedis ordinati, non poterant dici episcopi Romani, sed tantum interventores, ut loqui amant antiqui. At deinceps deceptæ in urbe Roma plebeculæ quasi proprios episcopos ordinarunt. Primus inter hos numeratur Encolpius, de quo nihil compertum. Huic successit Macrobius, qui primum presbyter Ecclesiæ Catholicæ in Africa fuerat, *librumque scripserat ad Confessores et Virgines, moralis quidem, sed valde necessariæ doctrinæ et præcipue ad custodiendam castitatem aptissimis valde sententiis communitum, ac postea ab Ecclesia catholica desciscens Donatistarum in urbe Roma occultus episcopus fuit,* ut ex Gennadio discimus. Adhuc superstes erat et Romæ sedebat hic Macrobius eo tempore quo primum scribebat Optatus, hoc est circa annum 370. Huic successit Lucianus, Luciano Claudianus qui post annum 380 Romæ degebat, ut discimus ex Epistola episcoporum Italiæ ad Gratianum et Valentinianum imperatores, ad quos de Donatistis et Claudiano scribunt in hæc verba: *Per Africam quoque Restitutum nomine causam dicere apud episcopos jussit vestra clementia. Debuit acquiescere, sed idem sæva et insolentium manu a causæ dicendæ necessitate diffugit. Per Africam rursum sacrilegos rebaptizatores nutu Dei præcepistis expelli, sed ab expulsis Claudianus est ordinatus et ad perturbandam urbem Romam quasi episcopus destinatur. Qui contra scripturæ præcepta divinæ, contra jura Evangelica vacuos omnes mysteriorum, atque ut ejus verbum exprimamus Paganos fuisse, vel præteriti temporis dicat episcopos vel præsentis. Quem quidem jussit tranquillitas vestra Roma pulsum patriam repetere propriam. Sed contemptis judiciis et quidem sæpe constrictus, residet tamen sollicitans pretio frequenter pauperiores et redemptos rebaptizare non veretur. Spoliat magis eo quod fuerant consecuti, quam tribuit quod manifestum est bis non posse conferri.* Ad quorum relationem Gratianus de isto Claudiano ad Aquilinum urbis Vicarium sic scripsit: *Claudianus etiam ab his qui contra divina præcepta vitia Religionis instaurant, ab his, inquam, quos expelli jusserumus accitus, quasi parum facinoris aggressus esset, si in Africa persitisset, Romæ sese dicitur intimasse: falsusque præceptor vel expertes adhuc devio profanare mysterio, vel jam initiatus ex integro nititur flagitio majore corrumpere. Cum Religionis sanctissimæ disciplinam non cumulet iteratio, sed evertat, quem nos Claudianum dissimili pœna ac meruit prosequentes repetere tantummodo patriam hactenus remota severitate præcepimus, sed residere etiam nunc dicitur imperitos sollicitans, et cassum omnino mercedem requirens, perdit animas corporum redemptorum.* Quis Claudiano successerit incertum. At Collationi Carthaginensi interfuit Felix, qui se urbis Romæ dicebat Episcopum, et Donatistarum mandato subscripsit, ut habetur in gestis collationis diei 1, cap. 149, cujus nomen cum relectum fuisset, ac ipse in medium prodiisset, Aurelius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ Carthagini ita protestatus est: *Esto quia urbis Romæ episcopum se dicit, quare præjudicatur absenti, Innocentio scilicet vero Episcopo Romano.* Hunc Romanum fuisse verisimile est, nam Petilianus statim ait: *Quæ ratio huc eum detulerit nullus ignorat. Nobilitatem omnem hic esse Romanam, nec ipsi nescitis. Idem igitur turbo eademque necessitas* (clades scilicet Romanæ urbis quam Alaricus ceperat IX Kalendas Septembris anno 410) *eum huc detulit.* In hoc Felice videtur defecisse successio Pseudoepiscoporum Romanorum partis Donati.

Non autem solum Romæ Donatistæ miserunt episcopos, sed et in Hispaniam ad domum unius mulieris imaginarium miserunt episcopum, ut testis est Augustinus, nec quidquam omiserunt circumeuntes maria et terras, ut suæ sectæ proselytos adjungerent. Hæsit tamen intra Africam eorum secta, ubi aliquandiu numerosissima fuit: et in paucis Romæ Montensibus ac in domo vel patrimonio unius Hispanæ mulieris.

Donatistæ ad unitatem variis modis invitati. — Post mortem Constantini Africa Constanti obtigit, in qua cum Donatistarum factio novos tumultus excitaret, imperatoris jussu, Cæciliano tunc instante, assentiente Leontio comite, duce Ursatio, Marcellino tunc Tribuno, laboratum est ut ad catholicam unitatem Donatistæ reducerentur. Oblatum est ipsis, ut si vellent Ecclesiæ catholicæ uniri, Ecclesiasticos honores retinerent. Sollicitantur ad salutem præmiis ac variis illecebris; sed cum rigidus et inflexibilis eorum in schismate perstaret animus, et nova 13 quotidie adversus Ecclesiam catholicam molirentur, sæcularis potestatis auxilio repressi sunt, et a Leontio et Ursatio in quosdam turbulentiores sævitum, nonnullæ basilicæ quas invaserant ereptæ, quod sine vi fieri non potuit. Quidam in carcerem conjecti, alii proscripti et in exilium missi: quæ pœnæ quamvis ipsorum facinoribus deberentur, tamen inde occasionem arripuerunt calumniandi Catholicos quasi persecutores et hostes Christianorum qui crudeliter in innocentes sævirent. Hæc et alia videre est in sermone cujusdam Donatistæ, quem primum in lucem emittimus. Ursatio et Leontio qui primi Donatistas vi armorum compressisse leguntur, successit Gregorius, ad quem tam contumeliosas Donatus litteras dedit, cum *maculam senatus et dedecus præfectorum* appellans et aliis hujusmodi conviciis proscindens.

Gratus Cæciliani successor. Paulus et Macarius in Africam missi et qua de causa Circumcellionum furor. — Cæciliano Carthaginensi mortuo ante annum 347,

Digitized by Google

successit Gratus, qui concilio Sardicensi hujus anni adfuit inter episcopos Catholicos. Supererat tum adhuc in vivis Donatus Carthaginensis ad quem Athanasii adversarii e Pseudo-Sardicensi synodo scripserunt, quam epistolam postea Donatistæ jactaverunt, ut probarent se cum Orientalibus Ecclesiis aliquando communionem habuisse. Hujus Grati Carthaginensis episcopi tempore, et forte ad ejus preces Constans imperator Paulum et Macarium anno 348, in Africam misit, non quidem primum ad faciendam unitatem, sed ut eleemosynas ex fisco pauperibus largirentur : qui cum ad Donatum venissent et qua de causa missi forent indicassent, ille solito furore succensus, inquit Optatus, in hæc verba prorupit : *Quid est imperatori cum Ecclesia? et de fonte levitatis suæ multa maledicta effudit. Miserat imperator ornamenta domibus Dei, miserat pauperibus eleemosynam, inquit idem, nihil Donato. Cur ergo insanivit? cur iratus est? cur quod missum fuerat repudiavit? Et cum illi qui missi fuerant, dicerent se ire per provincias singulas et volentibus accipere se daturos, ille dixit ubique se litteras præmisisse, ne id quod allatum fuerat, pauperibus alicubi dispensaretur. Nihilominus Paulus et Macarius per provincias discurrebant, ac eleemosynas spargebant in vulgus, et cunctos ad unitatem hortabantur. Cum autem ad Bagaiensem Numidiæ civitatem pervenissent, tunc Donatus alter hujus civitatis Episcopus impedimentum unitati et obicem venientibus opponere cupiens, præcones per vicina loca et per omnes nundinas misit, et magnam in eos furiosorum hominum turbam commovit, quos Circumcelliones appellabant, genus hominum agreste et famosissimæ audaciæ, inquit Augustinus, non solum in alios immania facinora perpetrando, sed nec sibi eadem insana feritate parcendo; qui mortem sibi præcipitiis, flammis et aquis consciscere gloriosum et martyrio proximum esse existimabant. Hos agonisticos nuncupavit Donatus, quasi pro veritate et justitia decertantes, cum tamen contra omne jus et fas aliena raperent et immaniter in alios sævirent. Cum autem hujusmodi hominum genus ante adventum Pauli et Macarii per loca singula vagaretur, ducibus Axido et Fasir qui ab ipsis insanientibus sanctorum duces appellabantur, nulli licuit securum esse* (sic enim rem narrat Optatus, lib. III, § 4), *in possessionibus suis, debitorum chirographa amiserant vires : nullus creditor illo tempore exigendi habuit libertatem. Terrebantur omnes litteris eorum qui se sanctorum duces fuisse jactabant : et si in obtemperando eorum jussionibus tardaretur, advolabat subito multitudo insana, et præcedente terrore creditores periculis vallabantur : ut qui pro præstitis suis rogari debuerant, metu mortis humiles impellerentur in preces. Festinabat unusquisque debita etiam maxima perdere : et lucrum computabatur evasisse ab eorum injuriis. Etiam itinera non poterant esse tutissima, quod domini de vehiculis suis excussi ante mancipia sua, dominorum locis sedentia, serviliter cucurrerunt. Illorum judicio et imperio inter dominos et servos conditio mutabatur. Unde cum hujus partis episcopis tunc invidia fieret, Taurino tunc comiti scripsisse dicuntur : hujusmodi homines corrigi in Ecclesia non posse; mandaverunt, ut a supradicto comite acciperent disciplinam. Tunc Taurinus ad eorum litteras, ire militem jussit armatum per nundinas, ubi Circumcellionum furor vagari consueverat. In loco Octavensi occisi sunt plurimi, detruncati sunt multi : quorum corpora usque in hodiernum, per dealbatas aras aut mensas potuerunt numerari. Ex quorum numero cum aliqui in basilicis sepeliri cœpissent, clarus presbyter in loco Subbulensi, ab episcopo suo coactus est, ut insepultam faceret sepulturam. Unde proditum est, mandatum fuisse fieri, quod factum est : quando nec sepultura in domo Dei exhiberi concessa est. Eorum postea convaluit multitudo. Sic invenit Donatus Bagaiensis, unde contra Macarium furiosam conduceret turbam. Ex ipso genere fuerunt qui sibi percussores sub cupiditate falsi martyrii in suam perniciem conducebant. Inde etiam illi, qui ex altorum montium cacuminibus viles animas projicientes, se præcipites dabant. Ecce ex quali numero sibi episcopus alter Donatus cohortes effecerat. Hoc metu deterriti illi, qui thesauros ferebant quos pauperibus erogarent; invenerunt in tanta necessitate consilium, ut a Sylvestro comite armatum militem postularent : non per quem alicui vim facerent, sed ut vim a Donato supra memorato episcopo dispositam, prohiberent. Hac ratione factum est, ut miles videretur armatus. Jam quidquid subsecutum est, videte, cui debeat aut possit adscribi. Habebant illic vocatorum infinitam turbam, et annonam competentem constat fuisse præparatam : de basilica quasi publica fecerant horrea; exspectantes ut venirent, in quos furorem suum exercere potuissent; et facerent quidquid illis dementia sua dictasset, nisi præsentia armati militis obstitisset. Nam cum, ante venturos milites, metatores (ut fieri solet) mitterentur; contra Apostoli præcepta competenter suscepti non sunt, qui ait :* cui honorem, honorem : cui vectigal, vectigal : cui tributum, tributum : nemini quidquam debueritis. *Contusi sunt qui missi fuerant cum equis suis, ab iis, quorum nomina flabello invidiæ ventilabat Parmenianus. Ipsi magistri fuerunt injuriæ suæ; et quid pati possent, ipsi prærogatis injuriis docuerunt. Reverterunt vexati milites ad numeros suos, et quod duo vel tres passi fuerant, universi doluerunt. Commoti sunt omnes : iratos milites retinere nec eorum præpositi valuerunt. Sic admissum est, per quod invidia unitati facta est, hoc est, compressa Circumcellionum per vim audacia, imo et nonnulli cæsi inter quos Marculus et Donatus Bagaiensis, Maximianus et Isaac, quorum velut martyrum memoriam celebrarunt et acta passionis conscripserunt Donatistæ, quæ a nobis in fine hujus operis edita sunt. Plerique tamen schismaticorum episcopi cum suis Clericis timore correpti fugerunt, aliqui sunt mortui; qui fortiores fuerunt capti et longe relegati sunt. Ex horum numero videtur fuisse Donatus Carthaginensis, quem idcirco in collatione Carthaginensi Petilianus* **14** *Donatista martyrialis gloriæ virum appellat.* Hæc præsertim in Numidia gesta sunt; nam provincia proconsularis ab his turbis immunis fuit. Illa sunt

Digitized by Google

tempora et facta Macariana, ex quibus Donatistæ Catholicis *invidiam conflabant : et tamen horum omnium*, inquit Optatus, *nihil actum est cum voto Catholicorum, nihil cum consilio, nihil cum conscientia, nihil cum opere; sed omnia in dolore Dei amare plorantis et in ultionem aquæ, sacri scilicet lavacri; quam contra interdictum iterum movebant.* Hoc tamen pacto unitas procurata est et pax in Africa restituta, cujus beneficii gratias agit Deo, omnium Africæ Episcoporum Catholicorum nomine, Gratus Carthaginensis episcopus in concilio Carthaginensi anni 349, his verbis : *Gratias Deo omnipotenti et Christo Jesu, qui dedit malis schismatibus finem et respexit Ecclesiam suam ut, in ejus gremium erigeret universa membra dispersa, qui imperavit religiosissimo Constanti imperatori, ut votum gereret unitatis et mitteret ministros sancti operis famulos Dei, Paulum et Macarium.*

Duo Canones in Donatistas. — In eodem concilio duo canones condili sunt ad Donatistas pertinentes; unus quo sancitum est illicitas esse rebaptizationes eorum qui interrogati in Trinitate secundum Evangelii fidem et Apostolorum doctrinam confessi erant ac deinde aqua tincti : alter ne ut Martyres colerentur homines qui se aut præcipites dederant, aut alio aliquo pacto mortem sibi consciverant, aut meruerant occidi.

Calumnia in Macarium de imagine collocanda in altari. — Circa hæc tempora contigit id quod narrat Optatus, *ut Donatistæ hunc rumorem in vulgus spargerent, Paulum et Macarium venturos, qui interessent sacrificio, ut cum altaria solemniter aptarentur, proferrent illi imaginem, quam primo in altari ponerent, et sic sacrificium offerretur. Hoc cum acciperent aures, percussi sunt et animi, et uniuscujusque lingua in hæc verba commota est, ut omnis qui hæc audierat diceret : qui inde gustat, de sacro gustat : et recte dictum erat, si talem famam similis veritas sequeretur. At ubi ventum est a supradictis, nihil tale visum est, ex eo quod fuerat paulo ante fama mentita; nihil viderunt oculi christiani quod horrerent : nihil probavit aspectus ex iis, quibus perturbatus erat auditus. Visa est puritas, et ritu solito solemnis consuetudo perspecta est : cum viderent divinis sacrificiis, nec mutatum quidquam, nec additum, nec ablatum. Pax a Deo commendata, volentibus placuit : quare nullus eorum debet argui, qui de collegio Donatistarum ad pacem transitum fecit : qui fuerant sinistra opinione turbati, simplici ac pura veritate firmati sunt.*

Ab hac calumnia depulsi ad aliam confugerunt Donatistæ dicentes: Macarium non debuisse ab episcopis ad communionem admitti, multo minus permittendum ei ut populum in Ecclesia alloqueretur, quod episcoporum tantum esse videbatur. Quibus respondet Optatus, communicasse Macarium cum episcopis ut laicum, non ut episcopum, et allocutum quidem esse populum in Ecclesia, sed insinuandæ alicujus rei causa, non autem tractandi, hoc est concionandi quod est episcoporum, nec populum more episcoporum salutasse in nomine Dei orationis initio, nec ullum sacerdotale officium exercuisse.

Pax Ecclesiæ Africanæ quamdiu duraverit. Donati mors in exilio. Parmenianus Donati successor. — Africanæ Ecclesiæ unitas et pax a Macario procurata per annos fere quatuordecim sub Constante et Constantio perseveravit. Eo tempore Vitellius Afer librum composuisse videtur de hoc argumento, quod odio sint mundo servi Dei, in quo Catholicos insectabatur ut persecutores, suos ut servos Dei injuste persecutionem patientes exhibebat. Scripsit idem et aliud opus, in quo veterem de Traditionis crimine calumniam in Catholicos rursum ingerebat.

Donatum Carthaginensem in exilio ante Juliani imperium vitam finiisse colligitur ex Optato, qui libro III, § 3, ait in eo impletum esse quod de principe Tyri dictum est a Propheta : illum in terra non sua moriturum, et id Donato contigisse omnibus notum esse. Donato successit Parmenianus post annum 350, forte anno 355, quo mentionem ejus facit Hieronymus in Chronico. Is est quem refellit Optatus, et de quo jam satis multa dicta sunt in hujus operis præfatione, interim in sede catholica Grato successit Restitutus, qui concilio Ariminensi anno 359 interfuit, et Restituto Genethlius, qui ad annum 390 pervenit.

Status Ecclesiæ Africanæ post restitutam unitatem. — Ecclesiæ Africanæ post restitutam unitatem statum sic recte depingit Optatus lib. II, § 15. *Cum*, inquit, *Africanos populos et Orientales, et cæteros transmarinos pax una conjungeret, et ipsa unitas repræsentatis omnibus membris corpus Ecclesiæ coagularet: dolebat hoc diabolus, qui semper de fratrum pace torquetur. Illo tempore sub imperatore christiano, desertus in idolis tamquam inclusus, jacebat in templis. Hoc eodem tempore duces et principes Donatistarum merita relegaverant sua. In ecclesia nulla fuerant schismata, nec paganis licebat exercere sacrilegia : pax Deo placita apud omnes Christianos populos habitabat : diabolus mœrebat in templis, Donatistæ in regionibus alienis.*

Libertas a Juliano Donatistis reddita. — At Constantio mortuo die Novembris tertia anni 361, Donatistæ Juliano imperatori libellum obtulere, ut sibi restituerentur basilicæ quas ablatas querebantur, atque pristinam consequerentur libertatem. Libellus erat oblatus nomine Rogatiani, Pontii, Cassiani et aliorum episcoporum ac clericorum partis Donati, et in eo Juliano serviliter adulabantur dicere non veriti, *quod apud eum sola justitia haberet accessum.* Illaud gravate imperator apostata, cui hoc erat in votis ut Christianam religionem quavis arte destrueret, precibus eorum annuit, prævidens fore ut inde magnum accederet Ecclesiæ Africanæ detrimentum. Redire igitur pro voto suo præcepit, quos intellexerat ad disturbandam pacem cum furore esse venturos, et abrogatis quæ adversus Donatistas statuta erant, omnem eis libertatem aut potius licentiam quidvis moliendi concessit. Itaque eadem voce Donatistis libertas est reddita, qua voce idolorum patefieri jussa sunt templa. Reduces igitur episcopi, inter quos

Digitized by Google

Parmenianus Carthaginensis episcopus accensetur, preces suas et imperatoris rescriptum magistratibus obtulerunt, ac eo muniti nihil non in Catholicos ausi sunt. Sic eorum tunc temporis facinora describit Optatus, lib. II, § 17 : *Eisdem pene momentis*, inquit, *vester furor in Africam revertitur, quibus diabolus de suis carceribus relaxatur. Et non erubescitis, qui uno tempore cum inimico communia gaudia possidetis! Venistis rabidi, venistis irati, membra laniantes Ecclesiæ : subtiles in seductionibus, in cædibus immanes, filios pacis ad bella provocantes. De sedibus suis multos fecistis exterres, cum conducta manu venientes, basilicas invasistis : multi ex numero vestro per loca plurima (quæ sub nominibus dicere longum est) cruentas operati sunt cædes, et tam atroces, ut de talibus factis, ab illius temporis judicibus relatio mitteretur.* Eo tempore innumera facinora et sacrilegia a 15 Donatistis patrata sunt, quæ late describit idem Optatus eodem in libro, tum etiam libro VI, ubi ea legere poteris.

Leges Imperatorum in Donatistas. — Juliano qui die 26 Junii anni 363, sublatus est, successit Jovianus qui cito mortuus, nihil de rebus ad Africanam Ecclesiam spectantibus statuere potuit. At Valentinianus senior Donatistas severis legibus compescuit, quarum una exstat data x kalendas Martias Treviris anno 373, qua antistitem qui baptisma iteraverit sacerdotio indignum esse declarat. Eodem tempore Romanus comes qui copiis in Africa præfuit usque ad annum 373, schismaticos ea quæ vellent libere agere non permisit, cum eum inter persecutores suos numerent Donatistæ in collatione Carthaginensi. Posthæc Gratianus severam legem adversus eos tulit XVI kalendas Novembris anni 377.

Donatistæ in multas sectas divisi. — Circa hæc tempora Donati secta in multas partes est divisa ; atque ut omittamus Tichonii et Parmeniani de Ecclesia et iterato baptismo dissidium, plures emerserunt inter Donatistas factiones in Mauritania et Numidia, quas haud vulgo notas fuisse scribit Augustinus : hinc Urbanenses in quodam Numidiæ angulo, et Claudianistæ qui postea cum Primiano Parmeniani successore in gratiam redierunt. At Rogatistarum et Maximianistarum frequentior est apud Augustinum mentio et notior historia.

Rogatistarum schisma. — Rogatistarum auctor fuit Rogatus Maurus Episcopus ac forte Cartennensis; atque ob id per Mauritaniam Cæsariensem sparsi numero pauci. Causa secessionis eorum a cæteris Donatistis incerta. Reliquis erant mitiores et Circumcellionum gregibus non utebantur. Sed Rogatus de nescio quibus suorum rebus acerrima perseverantia etiam forensi disputatione confixisse legitur. Jactabant illi Christum cum veniret ad judicium in suis tantum reperturum fidem; atque ita non minus erant Donatistis quam Catholicis odiosi. Cum igitur reliquum corpus Donatistarum factionem hanc ægerrime ferret, sæculares principes in eos excitavit. Per id tempus Valentiniano et Valente imperantibus Firmus Maurus Nubelis Mauritaniæ regis filius, is fratre Zamma latenter interempto : cum ob id comitem Africæ Romanum nomine, cui Zamma fuerat acceptus infestum haberet, metuens ne damnatus occideretur, ab imperio descivit et Mauritaniæ regnum occupavit. Hac occasione usi Donatistæ per barbarum regem, Rogatum ejusque asseclas in Mauritania Cæsariensi sævissime et acerbissime vexaverunt (adeo ut vocarentur a Rogatistis Firmiani sicuti Catholicos Donatistæ Macarianos vocare consueverant), nihil non agentes ut eos ad gremium suum redire compellerent aut sævitiam vindicta saturarent. Duravit ea persecutio tantisper donec Theodosius senior contra Firmum a Valentiniano in Africam cum exercitu missus perduellem imperii pluribus præliis fractum ad vitam laqueo finiendam compulit; Rogato qui Firmo superstes fuit in schismate permanente. Per id tempus, qui Rogatistarum Cæsariensis episcopus erat, cum Firmo tyranno suorum incolumitatem pactus portas ei aperuit, atque in vastationem non Catholicos tantum, sed universam civitatem dedit. Rogato mortuo successit Vincentius in sede et schismate. Fuit et alius Vincentius Victor ejusdem sectæ, prioris Vincentii discipulus et cultor, qui licet ad unitatem Catholicam rediisset, non tamen adeo deposuerat Vincentii pristinam veneration-em, quin eum sibi apparuisse jactaret, et adjutorem fuisse ad conficiendum opus quod adversus Augustinum edidit de anima et ejus origine.

Maximianistarum schisma. Primianus Maximianum damnat. Concilium Carthaginense adversus Primianum. Concilium Cabarsustitanum in Primianum. — Nullum autem inter Donatistas dissidium majus ac celebrius fuit, quam quod inter Primianistas et Maximianistas intercessit. Cœpit istud schisma paulo post annum 391, quo Primianus ordinatus est in locum Parmeniani Carthaginensis episcopus ex parte Donati, sicut eodem ferme tempore apud Catholicos Genethlio successerat Aurelius. Is Primianus recens ordinatus Maximianum, diaconum Ecclesiæ suæ, qui Donati ferebatur esse consanguineus, ejus superbia se læsum putabat, et cum eo tres alios diaconos Rogatianum, Donatum et Salgamium damnare constituit, et de facto in Maximianum absentem sententiam tulit. Maximianus divitis cujusdam fœminæ opibus fretus, sicut olim Majorinus Lucillæ potentia, Primiano restitit, et adjuncta sibi plebis Carthaginensis parte ac senioribus quibusdam, horum nomine litteras et legatos ad universum chorum episcoporum misit, deprecans ut Carthaginem venirent. Ipse Maximianus vicinos Episcopos adiit, quibus innocentiam suam exposuit, concitavit invidiam Primiano, atque eum deinde apud illos accusavit. Hi ergo Carthaginem cum venissent numero 43, Primianus ad eos accedere noluit, et conducta multitudine atque impetratis officialibus basilicarum januas obsedit, et episcopis, qui adversus eum venerant, ingrediendi in eas et agendi solemnia facultatem interdixit. Semel, iterum et tertio ad eorum concilium vocatus adesse renuit, missos a concilio male mulctavit. In eum absentem

Digitized by Google

episcopi non ausi sunt tum temporis ultimum ferre judicium, *sed quodam præjudicio consuluerunt*, inquit Augustinus l. IV contra Cresc., cap. 6, *ut Primiano, si causæ suæ fideret, sequenti celebriori concilio respondendi seseque purgandi relinqueretur locus.* Quod concilium Cabarsussi in Byzazena paulo post habitum priori numerosius, et centum, si Augustino fides, episcoporum, cum tamen in subscriptione epistolæ hujus concilii quinquaginta trium tantummodo nomina exstent. In eo concilio sententia definitiva in Primianum lata his verbis : *Decrevimus omnes sacerdotes Dei, præsente Spiritu sancto, hunc eumdem Primianum, primo quod super vivos episcopos, alios subrogavit : quod incestos cum sanctorum communione miscuerit : quod presbyteros ad conjurationem inquandam constringere pertentarit : quod Fortunatum presbyterum in cloacam fecerit mitti, cum ægrotantibus baptismo succurrisset : quod communionem Demetrio presbytero denegarit, ut cogeret filium abdicare : quod idem presbyter objurgatus sit, quod episcopos hospitio suscepisset : quod supradictus Primianus multitudinem miserit, quæ Christianorum domos everteret : quod obsessi sint episcopi simul et clerici, et postea ab ejus satellitibus lapidati : quod in basilica cæsi sint seniores, quod indigne ferrent Claudianistas ad communionem admitti : quod innocentes clericos putaverit esse condemnandos : quod se nobis audiendum noluerit exhibere, cum basilicarum fores ne ingrederemur, multitudine et officio intercluserit : quod legatos a nobis, ad se missos injuriose rejecerit : quod loca multa vi primo, dehinc auctoritate judiciaria usurpaverit : præter alia illicita ejus admissa, quæ pro honestate styli nostri siluimus, a sacerdotali choro perpetuo esse damnatum : ne eo palpato, Dei Ecclesia, aut contagione, aut aliquo crimine maculetur. Placuit sane nobis et Spiritui sancto, quod tempus tardis ad convertendum reservetur sub eo, ut quicumque consacerdotum vel clericorum suæ salutis immemores, a die damnationis supradicti Primiani, id est a die* VIII *kalendarum Juliarum, usque ad diem* **16** VIII *kalendarum Januariarum, minus a Primiani damnati communione recesserint, tali sententia constringantur : Laici quoque nisi se a supradicto die damnationis illius, intra diem Paschæ futuræ, ab ejus consortio separaverint, non posse quemquam nisi per pœnitentiam, siquidem meminerint, Ecclesiæ reformari.* Hinc discimus concilium hocce habitum fuisse die 24 Junii anni 393, cum concilium Bagaitanum, in quo hujus acta rescissa sunt, consules habeat anni 394. Dejecto Primiano iidem episcopi Maximianum Carthaginensem episcopum in ejus locum designarunt, qui paulo post a duodecim episcopis ordinatus est contra Primianum sicut olim Majorinus contra Cæcilianum.

Concilium Bagaiense contra Maximianum et ejus asseclas. Primianistarum in Maximianistas persecutio. — Adversus istorum conatus ut sese tueretur Primianus, concilium numerosius cogendum esse non dubitavit, et in eo Maximiani causam agendam. Habitum est Bagai in Numidia 24 die Aprilis anni 394. Adfuere A tercentum et decem episcopi : in eo non tantum absolutus est, sed et damnatus Maximianus ac ejus ordinatores cum clericis Ecclesiæ Carthaginensis qui ordinationi ejus interfuerant. Cæteris qui partes Maximiani secuti erant, tempus datum usque ad diem VIII kal. Januarii, intra quod si rediissent nihil in eos statuitur ; sin vero id præstare neglexerint, sententia in eos fertur, ita ut non possint post præstitutum diem nisi per pœnitentiam admitti ac proinde amissis honoribus suis. Hujus sententiæ, quam integram ferme ex variis S. Augustini locis retulimus inter vetera monumenta, auctor fuit Emeritus episcopus Cæsariensis : quæ cum in concilio decernenda recitata est, ore lætissimo omnes acclamaverunt, partim gavisi quod tam esset diserta, partim quod in B ea schismaticis suis tam insigniter insultassent. Postquam vero omnium consensu publicata est, magnis illico animis damnatos persequi cœperunt. Ad basilicam Maximiani conversi, quam non basilicam, sed speluncam vocabant, concitato grege suo evertendam curarunt ; neque hoc contentus Primianus Maximianum propriis ædibus mandata procuratione, ut in exorcisterium Ecclesiasticum converteretur, favente sibi sacerdote legato Carthaginis deturbavit. Talibus initiis plures e Maximianistis territi intra diem dilationis pristinis se sociis reddiderunt, et recepti sunt ab iis tamquam purgati atque innocentes. Alii e contra in proposito obstinate permanserunt, neque ut ad Primianum redirent adduci potuerunt. Itum idcirco ad proconsules qui, licet a Christianis imperatoribus C constituti, erant nihilominus Ethnici. Apud hos inductum est decretum Bagaiense, allegatæ leges adversus hæreticos, quibus jubebantur basilicis expelli : impetratæ ab iis jussiones quibus exequendis officiorum et civitatum auxilia postulata, ut qui erant damnati in concilio Bagaiensi suaque propria conventicula frequentabant, loca et basilicas quas non invaserant, sed cum populis sibi cohærentibus perpetua possessione retinebant, ex illis expellerentur. Hisce molestiis quidam facile cesserunt neque multa passi sunt ; qui autem resistere tentaverunt, graviter afflicti ; qui superiores viribus non fuere, victi sunt et expulsi, aliique in eorum locum ordinati.

Primianistarum actio adversus Salvium Membresitanum, Felicianum Mustitanum et Prætextatum Assuri D *tanum.* — In Ordinatores Maximiani qui nominatim damnati fuerant in concilio Bagaitano præcipue sævitum ; ac præsertim in Salvium Membresitanum episcopum, in cujus locum anno ipso 394. Restitutus fuerat Primianistis ordinatus. Delata causa ad Herodem proconsulem Nummasius Restituti advocatus petiit, ut Primiani communioni Membresitana Ecclesia traderetur, allegans Salvium e Maximiani ordinatoribus unum Bagaiensis plenarii concilii decreto esse damnatum, adeoque ut hæreticum cedere debere Restituto loca omnia quæ tamquam episcopus tenebat, aut certe ad Primianum redire. Ita judicatum a Proconsule. Felicianum quoque Mustitanum ac Prætextatum Assuritanum qui pariter erant ex

Digitized by Google

ordinatoribus Maximiani coram eodem proconsule accusarunt causam agente adversus primum Titiano, die 2 Martii anni 395, et eadem quæ Nummasius dixerat in Salvium allegante. Proconsul Herodes qui jam in Salvium et Prætextatum sententiam dixerat, Felicianum quoque damnavit, jussitque ut explosis Maximianistis Ecclesiæ Primianistis episcopis traderentur. Nihilominus tamen Felicianus et Prætextatus Ecclesias suas retinuerunt, quamquam a Primianistis Assuritanus episcopus ordinatus esset Rogatus, cui postea ad Catholicam conversa Donatistarum exercitus, hoc est Circumcellionum agmen, linguam et manus præcidit. Frustra adversus eos Primianistæ anno sequenti Theodorum proconsulem et magistratus adierunt. Manserunt in suis sedibus donec malis victi, cum Primiano in societatem redierunt. At Salvius Membresitanus iterum coram Serano proconsule citatus in judicio causam defendit; ea forte fiducia, inquit Augustinus, quod sciret adversarios suos legibus contra hæreticos promulgatis uti non posse apud judicem nisi etiam seipsos eis pariter irretirent.

At apud Seranum Proconsulem, vel gratia plus valuit, vel magis forte Bagaiense concilium quod illic etiam contra eumdem Salvium recitatum est. Sic enim interlocutus est : *Lis episcoporum secundum legem ab episcopis audienda est : episcopi judicaverunt: quare non aut sub satisfactione ad chorum reverteris vetustatis; aut ut habes scriptum terga persecutoribus prodis.* Cum Salvius parere proconsulis consilio renuisset, jussit eum proconsul ab Ecclesia sua expelli; et quia Membresitanorum, qui sibi favebant, fiducia sedem retinere tentabat, Abitinensibus vicinis mandatum est ut judicium in eum latum exsequerentur. Comprehensus ab iis Salvius non tantum de Ecclesia sua pulsus, sed miserabili pompa ludibrio habitus. Capto enim seni (ut refert Augustinus l. IV contra Cresconium, unde fere tota hæc narratio desumpta est) mortuos canes alligaverunt in collo, et sic cum illo quantum libuit saltaverunt. Factum inhumanum cum Etruscorum regum qui mortua vivis corpora conjungebant comparandum : imo tanto fœdius quanto mortui canes mortuis hominibus fœdiores sunt. Adeo ut si Salvio seni et episcopo de duobus suppliciis eligendum, longe potius elegisset hærere cum cadaveribus humanis quam saltare cum caninis. Privari interea Ecclesia sedibusque suis et pati hæc omnia potuit Salvius, neque tamen ad Primiani communionem redire voluit; atque ita egit cum suis, ita justitiam extulit pro qua talia se pati dicebat, ita se sanctum persuasit quia passus, ita adversarios iniquissimos quia fecerant, ut alteram ei basilicam sui Membresæ fabricarint, in qua dum sedet novis ab antagonista Restituto molestiis affectus est, et propter cellulas et agellos forensi cum eo strepitu controversiaque conflixit; atque ita a partibus Primiani adversus Maximianum et eos qui cum illo in Bagaiensi concilio damnati fuerant, apud quatuor vel amplius proconsules in foro per advocatos litigatum est.

Gildonis tyrannis. — Mortuo Theodosio XVII kalend. Februarii anni 395, post aliquot menses Gildo comes et utriusque militiæ in Africa magister ab anno 386, tyrannidem occupat et universa potitur Africa. Apud hunc hominem barbarum et paganum inter alios Donatistas gratia multum valebat Optatus Thamugadensis 17 episcopus in Numidia Gildonianus satelles dictus quod de Gildonis satellitio esset. Hic homo ferus et Gildoni non dissimilis non tantum Catholicis sed et omnibus gravis fuit. Solitus agmine militari comitatus incedere, viduas opprimebat, pupillos bonis evertebat, uxores a maritis avellebat, dominos res suas vendere cogebat, et venditorum pretium cum ipsis dividebat, uno verbo, vi, rapinis ac fraudibus in omnes grassabatur. His moribus cum esset, a suis tamen tanto habebatur in pretio, ut eum non modo non ausi fuerint damnare, sed ne monere quidem, inter tantos Africæ gemitus imo pacis osculum non detrectarint, in ejus manibus Eucharistiam posuerint et vicissim acceperint, ac demum extincti in carcere, quia de Gildonis satellitio fuerat, Optati natalitia quotannis tamquam martyris magna celebritate frequentaverint. Hujus opera usi Primianistæ Maximianistas et Rogatistas graviter vexaverunt et plerosque ad Primianum redire compulerunt. Cives, ut diximus, Assuritani et Mustitani episcopos suos Felicianum et Prætextatum adversus Primianistarum conatus huc usque tuiti fuerant. Iis gravissima exitia comminatus est Optatus, nisi relicta suorum antistitum defensione, eos ad Primiani communionem redire cogerent. Cives militem Optati formidantes paruerunt. Felicianus et Prætextatus cum aliter sedes suas retinere non possent, manus dederunt, cœtus numerosus episcoporum habitus cui etiam interfuit Primianus cum Optato Gildoniano. In eo recepti sunt duo illi episcopi servato honore, ac retentis sedibus suis suscepti sunt a Primianistis, et quicumque ab ipsis in schismate baptizati fuerant sine iterato baptismo recepti. Rogatistas quoque non parum vexavit Optatus, sed in Catholicos præcipue sæviit et in eos Circumcelliones rursum excitavit, a quibus innumera mala passi sunt Cathólici. Non enim jam ut antea fustibus tantum armati discurrebant, sed omnis generis armis ac telis instructi, aperte vim faciebant, basilicas invadebant ac compilabant, episcopos et clericos occidebant aut male mulctabant, et latrocinia palam ac publice exercebant.

Lex Honorii in invasores Ecclesiarum.—Ad hos tumultus compescendos, sublato jam Gildone (qui a fratre suo Mascezile oppugnatus, a suis desertus, initio anni 398, laqueo vitam finiit), Honorius imperator legem dedit die 25 Aprilis anni 398, qua eos qui in ecclesias catholicas irruentes sacerdotibus, ministris vel cultui et loco aliquid injuriæ faciebant, comprehendi et convictos capitali supplicio affici jubet, vultque ut cunctis esset liberum factas atroces sacerdotibus aut ministris injurias velut publicum crimen persequi. Si vero multitudo violenta se armis aut

Digitized by Google

locorum difficultate tueatur, judicibus mandat, ut a comite Africæ armatæ apparitionis præsidium deposcant, ne rei talium criminum evadant.

Decreta conciliorum de promovendis ad clerum aut relinquendis in eo Donatistis. — Interim Catholici nihil non tentabant ut Donatistas ad concordiam invitarent. Jam observatum est initio schismatis redeuntes ad Ecclesiam episcopos et clericos ex parte Donati cum honoribus suis fuisse susceptos. At crescente eorum numero et pervicacia in subsequentibus conciliis statutum fuerat, ne quis Donatistarum cum honore suo reciperetur in Ecclesia, sed tantum in numero Laicorum. In concilio Hipponensi anni 393, propositum est, ut exciperentur ab hac lege ii quos aut non rebaptizasse constiterit, aut qui cum suis plebibus ad Catholicam communionem transire voluerint. Sed hanc exceptionem placuit non confirmari priusquam de ea transmarina Ecclesia consulta foret. Iterum in Carthaginensi concilio anni 397 mandatum est ut consulerentur Siricius Romanus episcopus et Simplicianus Mediolanensis, utrum infantes baptizati a Donatistis, cum ad Ecclesiam Dei salubre proposito fuerint reversi, ad sacri altaris ministerium promoveri possent. Ad questionem propositam Romanus et Mediolanensis antistites responderunt, id esse prohibitum. Nihilominus tamen Africani episcopi inopia clericorum et necessitatibus ecclesiarum suarum, quæ ita desertæ erant ut multæ ecclesiæ ne quidem diaconum vel illiteratum haberent, coacti; statuerunt parvulis apud Donatistas antequam rationis usum haberent baptizatis, qui deinde agnita veritate ad Ecclesiam Dei accedentes per manus impositionem recepti sunt, in clerum promoveri posse. Utque istud statutum gratum haberent transmarini episcopi, legationem solemnem ad Anastasium Romanum et Venerium Mediolanensem miserunt ex concilio Carthaginensi habito anno 401, mense Junio. Addiderunt etiam id quod prius proposuerant, ut nonnulli Donatistarum Clerici qui cum honoribus et plebibus suis transire desiderabant, recipi possent: sed non ausi sunt istud caput urgere. At de infantibus baptizatis apud Donatistas ad clerum promovendis omnino satagendum esse duxerunt, ut Afrorum voluntati transmarini episcopi consentirent. Quid ad hæc responderit Anastasius certo non liquet: nam in concilio Carthaginensi habito anno eodem, mense Septembri, de hujus litteris hoc tantum habetur, eum *paternæ ac fraternæ charitatis sollicitudine ac sinceritate adhortatum esse Africanos antistites, ut de hæreticorum et schismaticorum injuriis quibus Africanam Ecclesiam graviter vexabant nullo modo dissimularent.* Indulsisse tamen eum ut baptizati apud Donatistas pueri possent ad ordines promoveri verisimile est: nam circa istud caput nihil amplius Africani petunt a sede Apostolica. Sed circa alterum de recipiendis Donatistis cum honoribus suis *statuunt ut litteræ mittantur ad fratres et Coepiscopos et maxime ad sedem apostolicam in qua præsidet Anastasius, quo noverit habere Africam magnam necessitatem, propter Ecclesiæ pacem et utilitatem, ut ex ipsis Donatistis quicumque*

A *Clerici correcto consilio ad catholicam unitatem transire voluerint secundum uniuscujusque episcopi Catholici voluntatem, atque consilium, qui in eodem loco gubernat Ecclesiam, si hoc paci christianæ prodesse visum fuerit, in suis honoribus suscipiantur.* Addunt, *id prioribus ejusdem divisionis temporibus factum esse*: nec id à se postulari aut statui, ut decretum concilii, *quod in transmarinis partibus de hac re habitum fuerat dissolveretur.* Sed ea conditione ut illud maneret erga eos ex quorum reditu non magnum accederet animarum lucrum, hoc est, ut ii secundum transmarini concilii decretum non susciperentur in honoribus suis; sed ab hac exciperentur *hi per quos catholicæ unitati consulitur.*

In eodem concilio Africano catholici episcopi sta-
B tuerunt: *ut litteræ darentur ad judices Africanos a quibus peteretur, ut judiciaria potestate atque diligentia in fide christiana, quid gestum sit in omnibus locis in quibus Maximianistæ basilicas obtinuerunt, qui ab eis schisma fecerunt, inquirant et gestis publicis propter firmam notitiam omnibus necessariam faciant inhærere. Deinde placuit etiam episcopis, ut legati prædicandæ pacis atque unitatis sine qua salus christiana non potest obtineri, e numero suo ad ipsorum Donatistarum episcopos et plebes mitterentur, per quos omnibus innotesceret quam nihil haberent quod adversus Ecclesiam catholicam possent dicere, et manifestum fiat omnibus per gesta municipalia quid ipsi circa Maximianistas egerint, quos jam plenarii concilii sui* **18** *auctoritate damnatos, in suis honoribus denuo receperunt, et baptis-*
C *mum quem damnati et exclusi dederant, acceptaverunt, ut notum sit, quam stulto corde resistant paci Ecclesiæ toto orbe diffusæ, cum ista faciant pro parte Donati, neque se istorum quos ita receperunt communione propter intuitum pacis contaminari dicant: et nos contendant, id est Ecclesiam catholicam etiam in extremis terrarum partibus constitutam per eorum communionem inquinatam, quos tunc accusantes convincere nequiverunt, suis artibus vigilantissimi antistites Donatistas a schismate revocare et in Ecclesiam inducere pro virili satagebant.*

Descriptis et actis S. Aug. contra Donatistas. Psalmus abecedarius.—Sed jam tempus est ut dicamus de sancti Augustini scriptis et conflictationibus adversus Donatistas quibus illi fracti, debilitati et tandem victi sunt. Is
D cum anno 391 ad presbyterii gradum in Ecclesia Hipponensi promotus fuisset, psalmum abecedarium composuit ad rudioris populi captum accommodatum, ut in humillimi vulgi et omnino imperitorum notitiam pervenire valeret Donatistarum causa ac eorum quantum fieri posset memoriæ inhærere. In eo totius schismatis historiam et brevem ejus refutationem humili et aperto sermone exposuit. Hoc autem in Retractationibus opusculum locat post alterum de fide et symbolo quod in concilio Hipponensi anni 393 composuit.

Liber contra epistolam Donati.—Librum etiam contra epistolam Donati qui partis Donati secundus post sui tempore scripsisse testatur in eodem presbyterii Majorinum episcopus fuerat, lib. Retractationum c. 21.

Digitized by Google

Hac in epistola Donatus hoc agebat, ut nonnisi in ejus communione baptisma Christi esse crederetur.

Epistola ad Maximinum. — Exstat et ejus etiamnum presbyteri Epistola (num. 23) ad Maximinum episcopum Donatistam Sinitensis oppidi, qui Catholicum ecclesiæ Mutugennensis rebaptizasse dicebatur et diaconum suum fecerat, qua eum hortatur ut aut fateatur factum et quantis potuerit documentis in epistola sua defendat : aut si negat et rebaptizandum non esse existimet, id palam profiteatur et ad Ecclesiam redeat. Denique invitat eum vel ad colloquium vel ad rescribendum ut concordia Ecclesiæ sanciatur. Is episcopus postea post transmarinam peregrinationem amplexus est catholicam pacem et in eadem sede remansit, ut discimus ex epistola Augustini 105. At postquam Augustinus factus est episcopus, Donatistas, scriptis, epistolis, sermonibus, collationibus exagitare non destitit.

Proculeianus invitatus ab Augustino ad collationem. — Initio episcopatus Proculeianum partis Donatianæ apud Hipponem episcopum ac proinde suum adversarium jam senem ad collationem per litteras invitavit. Proculeianus primum collationem sese haud refugere simularat, modo adessent deni ex utraque parte graves et honesti viri. At mutata voluntate quæsivit, cur non isset Augustinus Constantinam quando ibi plures ipsi erant, vel ipsum ire debere Milevim ubi concilium proxime habituri erant : indicans sese Augustino imparem. Per alias litteras ad Eusebium episcopum quoque Donatistam datas eidem Proculeiano exprobravit Augustinus, quod juvenem qui matrem cædere solitus erat ac minatus fuerat se cum ad partem Donati transiisset eam perempturum, recepisset, et sanguinem matris spirantem rebaptizasset. Rursumque Proculeianum invitat ad colloquium, eique offert ut si se imparem putet, cujus voluerit collegæ sui imploret auxilium : *Quamquam*, inquit, *et iste qui se tot annorum Episcopum dicit, quid in me tyrone timeat quominus mecum velit conferre sermonem non satis intelligo. Si doctrinam liberalium litterarum quas forte ipse aut non didicit aut minus didicit, quid hoc pertinet ad eam quæstionem, quæ vel de sanctis Scripturis vel documentis Ecclesiasticis aut publicis discutienda est, in quibus ille per tot annos versatur, unde meis deberet esse peritior. Postremo est hic frater et collega meus Samfucius Turrensis ecclesiæ qui nullas tales didicit quales iste dicitur formidare. Ipse adsit, agat cum illo.*

Tertiam quoque dedit ea de re epistolam ad eumdem Eusebium ad quem superior data est, qua commonet Proculeianum ut jam monitus de cæsa ab isto juvene matre, hunc a communione repellat. Addit, *Subdiaconum quemdam Spaniensis Ecclesiæ, vocabulo Primum, cum ab accessit indisciplinato Sanctimoniadium prohiberetur, a clericatu remotum, et irritatum adversus disciplinam transtulisse se ad Donatistas, necnon ab iis rebaptizatum esse. Duas etiam sanctimoniales concolonas suas de fundo catholicorum Christianorum sive ab eo raptas, sive ipsum sponte secutas rebaptizatas esse, et nunc cum gregibus Circumcellionum inter vagabundos greges fœminarum versari, quod Proculeiano quoque per Eusebium innotescere vult, ut a sua communione eum removeat qui non ob aliud illam delegit, nisi quia in Catholica clericatum propter inobedientium et perditos mores amiserat. Id se denique observare ait, ut quisquis apud Donatistas propter disciplinam degradatus, ad Catholicam transire voluerit, in humiliatione pœnitentiæ recipiatur, quo et ipsi eum forsitan cogerent si apud eos manere voluisset. Epistolæ Augustini in quibus hæc habentur sunt nunc* 33, 34 *et* 35.

Collationes S. Augustini cum Donatistis. — Habitæ sunt deinde a sancto Doctore collationes cum Donatistis, una anno 397 aut insequenti, apud *Tubursicum*, cum Fortunio Donatista hujus urbis episcopo aliisque Donatistis, de qua consule epistolas S. Augustini 43 et 44. Alia per litteras habita est cum alio ejusdem sectæ episcopo, Honorato nomine et cum Clarentio item episcopo : idemque actum esset cum Crispino Calamensi ætate et fama inter suos celebrato nisi per eum stetisset. Severinum etiam consanguineum suum hortatus est per epistolam quæ nunc est 52 Augustinus, ut Donatistarum schisma desereret.

Liber contra partem Donati. Libri contra epistolam Parmeniani. Libri de baptismo. — Circa idem tempus scripsit Augustinus duos libros quorum titulus erat, *Contra partem Donati*, in quorum primo dixerat, *non sibi placere ullius sæcularis potestatis impetu schismaticos ad communionem violenter arctari. Et vere*, inquit, *tunc mihi non placebat, quoniam nondum expertus eram vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantum eis in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinæ.* Hoc opus circa annum 398 aut 399, ab Augustino elaboratum huc usque desideramus. Ad annum 400 revocari debent ejusdem libri adversus epistolam Parmeniani ad Tichonium scripti, in quibus celebrem agitat solvitque quæstionem, *utrum in unitate et eorumdem communione sacramentorum mali contaminent bonos.* Pollicetur in eodem opere se latius tractaturum de baptismo, quod promissum statim exsolvit editis septem de Baptismo libris.

Liber contra quod attulit Centurius a Donatistis. — Circa idem tempus cum attulisset ad Ecclesiam quidam Laicus nomine Centurius nonnulla Donatistarum in Catholicos dictata vel scripta in paucis velut testimoniis quæ suæ causæ suffragari putabant, his brevissime respondit Augustinus libello cujus hæc erat inscriptio, *Contra quod attulit Centurius a Donatistis.* Hocce opusculum non exstat.

19 *Libri contra Petilianum.* — De Petiliano Donatista Constantiniensium Episcopo dictum a nobis est alias. Is cum unam epistolam contra Catholicos Donatianis presbyteris et diaconis scripsisset, partem ejus præsente Fortunato ejusdem loci Catholico episcopo et Alypio Tagastensi S. Aug. obtulerunt hujus urbis Catholici. Statim ille hujus epistolæ fragmentum refellere aggressus, idque libro primo confecit. Deinde cum integram Petiliani intercepisset epistolam librum secundum in eam conscripsit sedente Anastasio Romano

Digitized by Google

pontifice, aut saltem obitu ejus, qui incidit in diem 27 Aprilis anni 402 nondum comperto, in qua verba singula Petiliani refert et suam iis responsionem subjicit. Sed prius id quod scripserat adversus partem epistolæ, pervenit ad Petilianum qui respondere conatus est, cui responsioni tertium librum opposuit Augustinus.

Liber de unitate Ecclesiæ. — Antequam edita esset ista responsio epistolam ad Catholicos qui vulgo *Liber de Unitate Ecclesiæ* dicitur, conscripsisse videtur. Nam hujus initio meminit duorum priorum librorum in Petilianum, non tertii.

Libri contra Cresconium.—Grammaticus etiam quidam Donatista Cresconius cum invenisset primum Augustini librum in Petilianum, putavit ei respondendum, et responsionem suam ad Augustinum misit. Cui operi libris quatuor ille respondit, ita sane ut tribus perageret quod universa responsio flagitabat. Sed cum videret de sola Maximianensium causa qua suos schismaticos damnaverunt et eorum aliquos rursum in suis honoribus receperunt, baptismumque ab eis extra communionem suam datum non repetiverunt, responderi posse ad cuncta quæ scripsit, quartum librum adjecit, in quo id quantum potuit diligenter et evidenter ostendit. Quando autem hos quatuor libros scripsit, jam contra Donatistas leges dederat Honorius Imperator. Ita Augustinus ipse de hoc opere in lib. II Retractationum, ex quibus intelligimus scriptum post annum 406, cum leges Honorii de quibus loquitur datæ sint anno 405.

Libri Probationum et testimoniorum contra Donatistas.—*Posthæc ut ad Donatistas pervenirent*, inquit idem Augustinus ibid., *contra eorum errorem et pro catholica veritate necessaria documenta curavi sive de Ecclesiasticis, sive de publicis gestis, sive de Scripturis Canonicis, et primo ad illos eadem promissa direxi, ut ipsi ea si fieri posset exposcerent. Quæ cum venissent in eorum quorumdam manus, nescio quis exstitit qui suo nomine tacito contra hæc scriberet, ita se confitens Donatistam tamquam hoc vocaretur. Cui ego respondens alium librum scripsi. Illa vero documenta quæ promiseram junxi, et ex utroque unum esse volui, eumque sic edidi, ut in parietibus basilicæ quæ Donatistarum fuerat prius præpositus legeretur, cujus titulus est*, Probationum et testimoniorum contra Donatistas. *Alterius libri quem supra commemoravi, titulum esse volui*, Contra nescio quem Donatistam.

Admonitio Donatistarum de Maximianistis. — His duobus libris qui nunc desiderantur, tertius qui amissus quoque est, accedebat, cui titulus *Admonitio Donatistarum de Maximianistis*, qui quidem libellus erat brevissimus, ut posset facilitate describendi in plurium manus pervenire, et ipsa sui brevitate facilius memoriæ commendari.

Liber de unico baptismo. — Post aliquod tempus, sed ante collationem Carthaginensem, cum amicus quidam illius a nescio quo Donatista presbytero librum Petiliani de unico baptismo accepisset et ad Augustinum attulisset, enixe rogans illum ut ei responderet, precibus ejus satisfecit et librum quo respondet eumdem titulum habere voluit *De unico baptismo*. Hic liber exstat.

Non exstat alius grandis liber contra Donatistas, in quo ostendebat eorum adversus Ecclesiam Catholicam impium ac superbissimum errorem sola funditus Maximianistarum causa subverti.

Catholici Donatistas ad collationem invitant. — Dum hæc privatim in Donatistas molitur Augustinus, id agebant Africani episcopi ut Donatistas quovis modo ad collationem adducerent, rati nulla alia via schismaticos aut reconciliari aut superari posse. Igitur in concilio generali episcoporum Africæ anno 403, die 25 Augusti, Carthagini habito decretum est, ut solemni instrumento provocarentur Donatistæ ad collationem habendam inter delectos ex utraque parte episcopos. Simul a Septiminio petierunt et obtinuerunt tum conveniendi Donatistas, tum inquirendi de gestis in causa Maximianistarum. Donatistæ pro suo more collationem recusarunt. Tunc epistolam laicis ejusdem sectæ scripsit Augustinus, ut ex hac episcoporum repudiatione suspectam causæ suæ justitiam tandem habere discerent.

Donatistæ irritati ob hanc provocationem. Legati a Catholicis ad imperatorem missi. — At Donatistæ quo clementius et instantius invitabantur ad pacem, eo ferocius ac sævius in Catholicos furere cœperunt. Argumento esse potest Crispinus, Calamensis episcopus, magnæ inter suos auctoritatis, qui Possidium ejusdem civitatis Catholicum episcopum sic insectatus est, ut is vix fuga saluti suæ consulere potuerit. Ob hæc et alia facinora Crispinus in judicium vocatus et tamquam hæreticus accusatus, cum ex præscripto legis Theodosianæ anni 392 decem auri librarum mulctam sibi impositam vidisset, coram proconsule causam suam per triduum peroravit atque hæretici crimen a se amoliri conatus est. Sed justam ac legitimam fuisse hoc nomine prolatam sententiam Possidius in publica disputatione probavit; et tamen remissa Possidii rogatu mulcta, Crispinus imperatorem appellavit qui eamdem mulctam ipsi cæterisque Donatistis inflixit. Cum hæc agerentur Circumcelliones in Maximianum Bagaiensem, qui basilicam legibus repetierat et in Servum Tubursicuburi episcopum, qui aliam petebat aliosque episcopos, clericos, et laicos tam atrociter grassati ut concilii Carthaginensis anno 404 habiti Patres die 26 Junii Theasium et Evodium legatos ad imperatorem mittendos esse censuerint, qui ei exponerent quam immania a Donatistis in Catholicos patrarentur, quique poscerent ut Ecclesiæ tuitioni providerent ac legem Theodosii promulgatam in ordinatores vel ordinatos hæreticos seu etiam in possessores locorum in quibus eorum congregatio deprehenditur, confirmarent, et in Donatistas valere juberent. Similiter ut alia lex quæ de hæreticis vel ex donationibus vel ex testamentis aliquid capiendi vel relinquendi jus adimit, repeteretur; ita tamen ut iis qui consideratione unitatis et pacis se corrigere voluerint, hæreditatis aditus pateret, si adhuc in hæ-

Digitized by Google

resi constitutis aliquid ante donationis vel hæreditatis obvenerit : his tamen exceptis, qui lite pulsati putaverint ad Catholicam transeundum, quia de talibus credibile est non metu cœlestis judicii potius quam terreni commodi aviditate unitatem Catholicam præoptasse. Huic publicæ legationi et litteris concilii ad imperatorem adjectæ sunt querelæ privatorum qui injuria affecti erant a Donatistis.

Edictum de Unitate ab Honorio latum. Unitas facta Carthagini. — His commotus Honorius in Donatistas seu Rebaptizantes severissimum tulit edictum pridie idus Februarii, Stilicone II et Anthemio Coss., hoc est anno 405. Hujus edicti partis sunt leges quatuor hac una et eadem die datæ in Cod. Theodosiano. Dictum est autem Unitatis edictum, quia per illud sub pœnis 20 gravissimis injunctum erat hæreticis et schismaticis ad Catholicam Ecclesiam redire. Missum ad Hadrianum PP. Italiæ et speciatim die 5 Martii ad proconsulem Africæ, ut ibi promulgaretur et executioni mandaretur. Vi hujus edicti cito Unitas apud Carthaginem facta, tardius in cæteris Africæ provinciis id potuit obtineri. In concilio Carthaginensi habito 23 Augusti ejusdem anni, decretum est ut quia apud Carthaginem tantum unitas facta erat, darentur etiam litteræ ad judices, ut et in aliis provinciis et civitatibus operam impendi jubeant unitati, utque gratiarum actiones de Carthaginensi Ecclesia pro universa Africa de exclusione Donatistarum cum episcoporum litteris ad comitatum mitterentur. Et rursum missi duo clerici ad comitatum ad gratiarum actionem agendam et petendam Donatistarum ubique in Africa exclusionem.

Maximinus Sinitensis Donatista collationem postulat. — Anno 406, die 30 Januarii, Maximinus episcopus Sinitensis aliique nonnulli Donatistæ audientiam in publico apud Ravennam consessu coram præfecto prætorii petierunt ubi cum Catholicis causam suam ventilarent. Quid statutum fuerit incertum, nihil certe actum est. Maximinus redux in Africam ad Ecclesiam Catholicam accessit.

Statutum de Episcopis et Episcopatibus Donatistarum. — Anno 407, in concilio Carthaginensi mense Junio, statuitur ut plebes quæ conversæ sunt a Donatistis et habuerunt episcopos, eos inconsulto concilio retineant : quæ autem habuerunt episcopum et eo defuncto non habere proprium episcopum, sed ad alicujus episcopi diœcesim pertinere voluerint, id etiam ipsis non denegetur. De episcopis vero ipsis hoc decretum, ut qui ante legem de Unitate latam ab imperatore ad Catholicam accesserint, plebes suas et ecclesias retinerent. At qui nonnisi post illud edictum promulgatum ad Ecclesiam venerant, Ecclesiis suis omnino spoliantur, eæque ac cuncta ad eas pertinentia Catholicis horum locorum episcopis adjudicantur.

Honorii leges in Donatistas. — Eodem anno Honorius legem tulit qua hæreticis et schismaticis ad Ecclesiam redeuntibus ab omnibus pœnis quas ex legibus incurrerant, immunitatem concessit.

Anno 408, Stilicone ad diem 23 Augusti interfecto, novæ per Donatistas turbæ excitatæ sunt, quasi eo mortuo legibus soluti essent, et ne audaciæ color deesset, indulgentiam ab Honorio factam commenti sunt. Sed commentum statim dissiparunt leges ab imperatore eodem anno et sequenti in eos latæ. His severe exsequendis cum incumberent præsides, pœnam sanguinis a factiosis schismaticis amoliri conatus est Augustinus. Verum ut sunt versatiles principum leges, circa medium anni 409 Honorius Hæreticis exercendæ superstitionis suæ potestatem concessit. Sed eam libertatem, flagitantibus concilii Carthaginensis Patribus, a quibus quinque episcoporum legatio ad comitatum missa erat, revocavit eodem anno, et severissimam in eos legem tulit datam VIII Kalend. Septembris hujus anni 410 ad Heraclianum comitem Africæ : *qua oraculo penitus remoto quo ad ritus suos hæreticæ superstitionis homines obrepserant, plectendos eos pœna proscriptionis et sanguinis statuit, si ultra convenire per publicum execrandu sceleris sui temeritate tentaverint.*

Edicta de convocatione episcoporum ad collationem. — Tandem cum ab utraque parte petita esset collatio, eamque enixe flagitarent Catholici, atque ea de causa legatos ad imperatorem Honorium misissent, ab eo edicta est, sanctione data Ravennæ pridie idus octobris sub consulatu Varanis, anno scilicet 410, qua Donatistas episcopos et Catholicos in urbem Carthaginensem intra quatuor menses convenire jubet, ut electis ab utraque parte sacerdotibus, causa committatur disputationibus agitanda. Quod si intra præstitutum tempus Donatistarum episcopi non convenerint, trini edicti vocatione contumaces declarentur, quibus transactis si provocati adesse contempserint, cedat cum Ecclesiis populus qui doctores suos cum silentio cognoverit superatos, sciatque Catholicæ legis veris imperiis serviendum. Cui quidem disputationi principe loco judicem sedere voluit Flavium Marcellinum et Notarium, cui omnem in congregandi et evocandi episcopos, actionis instituendæ et moderandæ, ac de toto negotio statuendi tribuit potestatem. Marcellinus hoc edicto munitus, mandatum proposuit quo cunctos per Africam tam Catholicæ quam Donatianæ partis episcopos commonebat, ut intra tempus lege præscriptum, id est, intra quatuor menses qui ad diem Kalend. Juniarum concludebantur, Carthaginem concilii faciendi gratia convenirent, omnibusque magistratibus per Africam injungebat, ut episcopos convenirent, eisque significarent ut intra quatuor menses Carthaginem venirent. Præterea ut Donatistas ad collationem promptiores redderet, jussit ut iis qui se ei affuturos esse respondèrent, Ecclesiæ, eaque loca quæ tenuisse illos antea constitisset restituerentur. Adjecit quod si Donatistis esset suspectus, se non recusaturum ut alius judex quem ipsi elegerint Donatianæ partis et fidei vel superioris vel similis dignitatis secum resideat. Denique declaravit quod sive pro Donatistis sive pro Catholicis lata foret sententia, in nullo Donatistarum

Digitized by Google

episcopos aliquam molestiam esse passuros, sed liberos et ab omni injuria alienos ad propria redituros.

Mandata episcoporum ad collegas qui collationem habituri erant. — Juxta illud mandatum Donatistarum episcopi Carthaginem ex omnibus provinciis Africanis convolarunt, et ibi congregati die XV Kal. Junias certiorem fecerunt epistola sua Marcellinum se in hanc urbem advenisse collationis ineundæ gratia. Catholici quoque episcopi, cum illuc advenissent, epistolam etiam dederunt ad Marcellinum, qua gratam sibi collationem esse testantur, et consentiunt ut ii quibus agendi causam suam delegarunt officium, subscribant prosecutionibus suis et omnium nomine disputent. Hanc vero conditionem unanimi episcoporum omnium consensu ratam Donatistis offerunt, se, si adversarii ostendere potuerint Ecclesiam perlisse, et in sola parte Donati remansisse, nullum apud eos episcopalis muneris aut honoris locum habituros; sin vero e contra Donatistæ victi fuerint et ad unitatem redire voluerint, hoc iis se concedere ut honorem Episcopatus non amittant : ita ut ubi sunt duo episcopi, Catholicus honoris sibi socio copulato, sedeant ambo eminentius sicuti peregrinus episcopus juxta collegam, ac primum subinde locum honore sese prævenientes in diversis basilicis occupent, et uno eorum defuncto deinceps jam singulis singuli pristino more succedant : aut si forte Christiani populi singulis delectantur episcopis et duorum consortium inusitata rerum facie tolerare non possunt, tam Catholici quam Donatistæ de medio secedant et Ecclesiis singulis damnata schismatis causa in unitate pacifica constitutis ab his qui singuli in singulis Ecclesiis invenientur, unitate facta, per loca singula constituantur episcopi.

Gesta collationis. — Kalendis Junii anni 411, in secretario seu prætorio Thermarum Gargilianarum Carthagini convenerunt episcopi utriusque partis. Lecto imperatoris edicto Marcellini mandato, et episcoporum tum Catholicorum tum Donatistarum epistolis, non allum præter Marcellinum cognitorem elegerunt 21 Donatistæ, sed de tempore elapso nonnihil cavillati sunt. Recensiti deinde episcopi omnes qui aderant et mandatis subscripserant, inventi e Catholicis 286, et ex Donatistarum parte 279. Lecti ab utraque parte septem qui causam omnium nomine agerent, quæ dicebantur a Notariis ex utraque parte excepta et recognita, et inde acta ab officio confecta : quibus peractis cognitio in diem tertium Junii comperendinata est. Hac die semper tantum ex utraque parte delecti actores cum totidem consiliariis ac chartarum custodibus quatuor, et notariis ad locum collationis venerunt. Cum gesta nondum forent descripta, post brevem altercationem ad sextum Iduum Juniarum dilata collatio. Quo die acta est inter partes magna animi et vocis contentione causa. Quæ fuerint ab utraque parte dicta et allegata, hic referre nihil necesse est, cum ea ex actis ipsius collationis et breviculo S. Augustini ad calcem hujus operis a nobis memoratis, abunde repeti possint. Hoc unum imprætentiarum dicam post acrem et diuturnam collationem, Cognitorem in gratiam Catholicorum adversus Donatistas sententiam tulisse ac de novo conventicula Donatistarum prohibuisse, et Ecclesias quas fiduciario decreto Donatistis reddi voluerat, Catholicis tradi jussisse. Indulsit tamen episcopis Donatistis ut ad propria remearent, quatenus in propriis constituti, aut ad unam veramque Ecclesiam reverterentur, aut satisfacerent legibus. Denique loca ea in quibus Circumcellionum turbæ convenirent, a fisco occupanda esse decernit. Hujus collationis breviarium texuit Augustinus, et post collationem librum ad Donatistas, in eos scripsit, ne a suis episcopis seducerentur ulterius.

Lex Honorii, post collationem, contra Donatistas. — Cum quidquid in collatione gestum fuerat, latamque a Cognitore sententiam accepisset imperator, insequente anno, III kalendas Februarii, legem dedit, qua multas pecuniarias varias pro varia cujusque conditione in Donatistas qui ad catholicam Ecclesiam accedere nollent, imponit jubetque eorum episcopos ac clericos ab Africa expelli ac in exilium mitti, et quæcumque ecclesiis eorum collata fuerant, Catholicis ecclesiis adjudicat.

Donatistarum furor accensus. — Hac lege multi ex Donatistis emendati ad Catholicam redierunt; ast nonnulli ea potius exacerbati plusquam antea insanierunt. In diœcesi Hipponensi Restitutum presbyterum catholicum exceptum insidiis trucidarunt, uti et Innocentium presbyterum e domo raptum oculo effosso digitoque amputato truncaverunt. Marcellinus Tribunus cui causæ hujus exsecutio erat injuncta, habita in reos quæstione moderata, non sulcantibus ungulis, non urentibus flammis, sed virgarum verberibus confessionem scelerum eruerat. In reos ex legum severitate animadvertendum erat, ut qualia fecerant talia paterentur. Augustinus autem cui non placebant atrocia ulla ac præcipue capitalia supplicia, per litteras apud Marcellinum, Donatum proconsulem et Apringium egit instantissime ut pœna mortis imo et detruncationis membrorum remitteretur. Sed hoc a Marcellino petiit, ut acta quibus Donatistarum crimina probabantur, publica fierent et populo proponerentur, ut pudore ac ignominia homines ab hominibus talia scelera patrantibus averterentur. Cæteri etiam antistites pro reis ne capitali supplicio plecterentur, apud judices intercedebant : nec tamen ista catholicorum mansuetudo potuit Donatistarum furorem mitigare. Narrat Augustinus Macrobium, unum ex eorum episcopis, stipatum cuneis perditorum utriusque sexus hac atque illac circumiisse et sibi basilicas per vim aperuisse.

Calumniæ Donatistarum in Marcellinum. — Ut autem judicium a Marcellino contra se latum infirmarent, aiebant eum pretio corruptum catholicis, quorum communionis erat, favisse et in eorum gratiam sententiam tulisse, sed perperam et noctu. Asserebant etiam eum non permisisse, ut omnia pro suis partibus Donatistæ proferrent ac vim sibi conquerebantur illatam quod in secretario Thermarum Gar-

Google

gilianarum collationis tempore fuissent conclusi. Quæ vitilitigatorum effugia merito ridebant Catholici : nam corruptum auro judicem gratis et sine teste dicebatur; si quid vero proponendum erat adversus eum, id ante disputationis exordium facere eos oportuerat. Quod non modo non fecerant, sed et offerenti ut alium judicem qui secum sederet eligerent, responderant se alterum nolle judicem, atque hunc prolixe non semel laudaverant : quod ad actionem pertinet, unicuique clepsydra adjecta quidquid voluisset et quantum voluisset dicendi licentiam dedisse. De vi illata quia in Gargilianis Thermis inclusi fuerant non magis conqueri posse, si locus fuisset querelæ, catholicos quam Donatistas cum ibi utrique essent : at quomodo pro carcere habebatur locus ubi erat et judex et in quo retenti non sunt, sed unde dimissi quando voluerunt ? De sententia noctu lata forensis rabulæ Petiliani cavillatio erat; nihil enim obstat quin si causa postulet, diutius judex possit etiam sedere. Nihilominus hæc Donatistarum calumniandi audacia atque protervia ita increvit, ut de remedio apponendo Patres Africani in commune consuluerint in synodo Cirtensi seu Zertensi anno post collationem habito, cujus nomine Augustinus epistolam scripsit ad Donatistas olim CLII nunc CXLI, qua hujusmodi calumniam diluit. Data est XVIII kalend. Julias.

Mors Marcellini. Confirmatio sententiæ Marcellini. — At Donatistæ non contenti Marcellini honorem calumniis suis infamare, vitam etiam appetiverunt, et, quasi Heraclianæ factionis hominem, sub invidia tyrannidis oppressum licet innocentem, ut die 13 Septembris anni 413, jussu Marini comitis qui Heraclianum in Africa debellaverat, capite plecteretur effecerunt. Hinc occasionem cœperunt jactitandi irritum esse judicium a Marcellino latum : quod cum intellexisset Honorius, severissimam in eos legem tulit die 22 Junii anni 414, et alia lege data 30 Augusti anni 415, statuit ea quæ a Marcellino, quem *spectabilis memoria virum* appellat, in Donatistas gesta erant et in publica monumenta translata, firmitatem perpetuam habere.

Non melius Donatistis cessit importuna apud Bonifacium comitem interpellatio, qui rejectis mendacissimorum hominum calumniis Augustini consilia prætulit sibi præscripta in eximio illo libro seu epistola quæ est de Correctione Donatistarum.

Gesta Augustini cum Emerito. — Anno 418, prima Maii, universalis concilii Carthaginensis Patres decreta condidere ad extinguendas Donatianæ sectæ reliquias. Mense vero septembri proximo, cum Augustinus apud Juliam Cæsaream versaretur cum quibusdam collegis, occurrit forte in Emeritum hujus urbis episcopum ex parte Donati, qui unus fuerat ex actoribus collationis, quem cum ad Ecclesiam adduxisset, cum eo concertare voluit. At Emeritus ne mutire quidem aut hiscere ausus est, et Augustini sermonem patienter contra suos audivit. Librum paulo ante adversus hunc Emeritum scripserat Augustinus, cui titulus erat *Ad Emeritum Donatistarum episcopum post collationem*, quo res quibus illi vincuntur vel victi esse monstrantur, breviter complectebatur. Qui liber periit, sed extat ejus liber de gestis cum Emerito, et sermo eo præsente ad Cæsariensis Ecclesiæ plebem dictus.

22 *Concilium Donatistarum.* — Circa idem tempus habitus est Donatistarum conventus, cui Petilianus cum aliis plusquam triginta episcopis interfuit. In eo consilium inierunt, quo pacto edictis quibus adeo premebantur, obviam irent, cum viderentur se potius pristinis ignibus daturi (imo id reipsa facerent spe nominis martyrum apud suos potiundi) quam ut in insulas deportarentur. In eodem conventu ab iis id statutum est : *Ut qui catholicis communicaverint, episcoporum vel presbyterorum tantum si sacrificium non obtulerint aut in populo non tractaverint, ad veniam perveniant et in suis honoribus recipiantur.*

Donatistarum schisma debilitatum. — Interea Dulcitius Tribunus et Notarius imperialium jussionum contra Donatistas in Africa executor, pœnas legibus in eos sancitas severe exigebat, intestabiles Donatistas esse declarabat, mulctas imperatas imponebat, basilicas eorum et bona ecclesiæ catholicæ adjudicabat, episcopos et clericos in insulas et provincias longinquas exulatum mittebat. Hujus igitur vigilantia multi tum temporis ad Ecclesiam redierunt, et Donatiana secta, quæ antea in Africa vigebat, fracta et debilitata prorsus est. At nonnulli in pervicacia sua obstinati perdurabant, quorum alii basilicas ne Catholicis traderent, alii pro suo more vario mortis genere mortem sibi conciscebant, ut pro martyribus haberentur. Nonnulli in catholicos irruebant et ex iis plurimos neci tradebant : dum e contra catholici antistites sollicite mortis pœnam a Donatistarum capite depulsarent.

De Gaudentio Thamugadensi. — Cum malorum hujuscemodi dux et fax esset Gaudentius Thamugadensis, unus e septem actoribus Donatistarum in collatione, dedit ad illum litteras Dulcitius exhortans eum ad unitatem catholicam et dissuadens incendium quo se ac suos cum ipsa Ecclesia consumere minabatur : addens etiam ut si se justos putarent, fugerent potius secundum præceptum Domini Christi quam se nefandis ignibus concremarent. Respondit Gaudentius duabus litteris, breviore una, festinante ut alebant perlatore, alia prolixa, quasi plenius diligentiusque respondens. Dulcitius ambas ut eas Gaudentii epistolas existimavit ad eum esse mittendas refelleret, simulque eum per litteras consuluit, quodnam istis hæreticis responsum dari oporteret. Augustinus ambas Gaudentii epistolas uno libro redarguit, qui cum in ejusdem pervenisset manus, rescripsit ille quod ei visum est; sed Augustinus responsionem ejus contempsit nec dignam refutatione judicavit. Ad postulatum vero Dulcitii respondit istorum insaniam non debere obstare quominus ad unitatem faciendam allaboraret et Principis leges exsecutioni demandaret.

Digitized by Google

Lex Theodosii Junioris in Donatistas.— Eædem leges a Theodosio Juniore renovatæ sunt, lege data 30 Maii anno 428, sed paulo post Donatistarum secta Vandalorum irruptione a legibus imperatorum tuta fuit. Nonnullis etiam ex iis qui se Arianorum adversarios non esse fingebant, Vandali favisse videntur. Nihilominus eamdem plerique eorum ac Catholici sortem subierunt et sub Arianorum jugo miseram vitam traxere. Certe Fastidiosus episcopus Arianus cujus verba referuntur a Fulgentio, Donatistas æque ac Catholicos insectatur.

Reliquiæ Donatistarum ad sextum usque sæculum. — Superfuerunt tamen diutissime in Africa schismatis hujus quamvis languentis et attriti reliquiæ, ut ex epistolis Gregorii Magni ad Afros datis liquet, ex quibus intelligimus non paucos in Africa Donatistas fuisse eorumque numerum hoc ipso tempore licet a Gennadio Exarcha compescerentur crevisse, plures ab eis in suam sectam adductos et rebaptizatos, quosdam etiam Catholicos episcopos ab iis ex ecclesiis suis pulsos. Cui malo ut mederetur Gregorius, jussit synodum congregari quam habuit Dominicus, Carthaginensis episcopus, omni cura incumbens ut Africanam Ecclesiam ab hac labe purgaret. Adversus eos tum temporis a Mauricio imperatore missa sunt rescripta; sed conquesti sunt Africani episcopi ea exsecutioni non demandari. Qua de re missis Africanorum ad eum litteris certiorem fecit Gregorius imperatorem, rogavitque ut severe in eos animadverteretur. Ipse vero episcopis Africanis scripsit Donatistas episcopos qui ad Ecclesiam accedebant ea lege recipiendos, ne pateret eis ad Primatum aditus.

Ita per ter centum annos et amplius in Africa duravit illud schisma, quod infausto tempore ac omine ortum; sub Constantino neque judiciis Ecclesiasticis neque civilibus extingui potuit; sub Constante imperatore compressum, ad tempus sub Juliano recruduit, et per multos annos magnam Africæ partem implevit; donec scriptis, disputationibus et legibus imperatoriis imminutum est et ad paucos redactum, quorum infelices hæredes ad sextum aut septimum usque sæculum in aliquibus Africæ angulis latitarunt.

---

23 GEOGRAPHIA SACRA

AFRICÆ

SEU NOTITIA OMNIUM EPISCOPATUUM ECCLESIÆ AFRICANÆ

EX COLLATIONE CARTHAGINENSI, NOTITIA EPISCOPORUM AFRICÆ SUB HUNERICO, EX CONCILIO CARTHAGINENSI SUB CYPRIANO, ALIISQUE CONCILIIS TUM AFRICANIS, TUM GENERALIBUS, AC MONUMENTIS SACRIS ET PROFANIS EXCERPTA.

Africæ descriptio. — Africæ nomen tripliciter olim et nunc acceptum legimus. Primum pro tertia orbis parte, quæ ab Asia, Isthmo vel Nili ostiis disterminatur, et undequaque mari ambitur. Quo in terrarum tractu non modo provinciæ quæ mari Mediterraneo alluuntur, Mauritania scilicet, Zeugitana provincia cujus caput Carthago, Libya, et Ægyptus: sed et interiora terrarum Antiquis vix nota, Æthiopiæ appellatione designata continentur. Haud tam late patet altera *Africæ* acceptio, juxta quam non modo Æthiopia ab Africa secernitur, sed et hæc peculiarem diœcesim, ut aiunt, constituit, ab Ægypto distinctam, et ab Oceano, scilicet Atlantico ad intimum majoris Syrtis sinum protenditur: quæ provincias Mauritaniam, Numidiam, Tripolitanam et Zeugitanam continet. Hæc autem ultima provincia proconsularis, *Africæ* nomine proprie donatur, quæ tertia est, eaque strictissima hujus vocis acceptio. Africa secundum mediam illam acceptionem ab Occidente et Septentrione littorum obliquo spatio mari alluitur, patetque in longitudinem latus ejus Occidentale ab Atlante ad Cotes Promontorium juxta fretum DM passuum. Inde a parte Septentrionali ab Herculei freti ostiis ad Mercurii Promontorium secundum Plinium sunt millia passuum MCX secundum Antonini Itinerarium MCCCCXXXI: sin autem soli, hoc est, sinuum et amfractuum littoris ratio non habeatur; sed tantum cœli, hoc est, si linea recta ducatur, a Cotibus ad Mercurii Promontorium millia passuum MXXX. A Mercurii Promontorio ad Syrtis minoris internum latus expositum Orienti, Polybio, Plinio et Antonino sunt CCC millia passuum. a quo non multum distant nostræ rationes. Regio quæ inter duas Syrtes interjacet versa in Septentrionem, Plinio CCL millia passuum, Antonino CCCLXXX. mille passuum, secundum nos CCCL mille passuum. Syrtis major, si Plinio fides, circuitus est DCXXV millia passuum, aditus autem CCCXV, circuitus CCCCL. Secundum nos aditus non plus quam CCL millia passuum. A Promontorio ad sinus intima CCX millia passuum. Ibi sunt Aræ Philenorum qui extremus est Africæ limes. Ab Austro Africa montibus et interiori adjacet Libyæ, ac plus vel minus late patet, quo magis vel minus in mare terræ prominent. Hæc omnia in Tabula Geographica videre est.

Africæ divisio. — Dividitur autem Africa a Plinio in Mauritanias duas (Tingitanam, et Cæsariensem) Numidiam et Zeugitanam quæ Africa proprie dicitur

Digitized by Google

ac in duas distribuitur, quarum una dicitur Byzacena, altera Tripolitana. In veteri Notitia Africæ Constantii imperatoris, ut ferunt, temporibus facta, sic describitur et dividitur Africa: *Vergentem ad Austri terram invenies terram Mauritaniam, cujus homines barbari quantum ad vitam et mores, Romanis tamen subditi..... Exinde post Mauritaniam Numidia provincia.... Proxima huic provinciæ Africæ regio in omnibus dives occurrit.* Apud Ptolemæum ac Pomponium Melam Africa quoque dividitur in tres tantum partes, Mauritaniam, Numidiam et Africam stricte sumptam, sub qua comprehenduntur Byzacena et Tripolitana.

Hæc quoque fuit antiquissima Ecclesiæ Africanæ divisio, ut testis est omni exceptione major D. Cyprianus in epistola edit. Oxon. 48, ad Cornelium, ubi limites et partes Africanæ Ecclesiæ sic describit: *Sed quoniam latius fusa est nostra provincia: habet enim Numidiam et Mauritanias duas cohærentes.* In concilio Carthaginensi de iteratione baptismi sub eodem Cypriano habito, *cum in unum Carthagini convenissent* 24 *Episcopi plurimi ex provincia Africa, Numidia, Mauritania:* quibus constat jam tum Ecclesias istarum provinciarum unum corpus Ecclesiarum constituisse et in quatuor provincias Ecclesiasticas fuisse tum divisas.

Nihil aut parum videtur Constantini imperatoris temporibus in ea divisione Africæ immutatum; nam is in epistola ad Cæcilianum Carthaginensem, quæ refertur ab Eusebio l. x Hist. Eccl., c. 6, quatuor item provincias Africæ enumerat his verbis: *Quandoquidem placuit nobis ut per omnes provincias Africæ, Numidiæ, et utrinsque Mauritaniæ.* Nihilominus idem in epistola ad Ablavium de Arelatensi concilio, Tripolitanam addit provinciam, et Numidias plurali numero enuntiat, Ablavio injungens ut *Cæcilianum cum aliquibus ex his quos ipse delegerit, sed et de Byzacenæ, Tripolitanæ. Numidiarum et Mauritaniarum provinciis singulos quosque cum aliquibus ex suis quos putaverint eligendos Arelatem mittat.* Ibi Tripolitana statui videtur tamquam Africæ provincia a quatuor aliis jam tum distincta. Licet autem Numidiarum hic et alibi in plurali fiat mentio, non propterea tamen existimandum est duas fuisse provincias Numidiæ, seu civiles, seu Ecclesiasticas. Nam e duabus Numidiis una semper coaluit provincia, quæ unam tantummodo Metropolim urbem et unum Primatem habebat, ut constat ex concilio Milevitano anni 402, in quo statuitur ut *Archivus Numidiæ et apud primam sedem sit et in Metropoli, id est, Constantina.* Ecce unam Metropolim et unum Primatem totius Numidiæ. Et ne quis dicat de una tantum Numidia hic agi: in concilio Carthaginensi anni 397: *Crescentianus* dicitur *primæ sedis Numidiarum Episcopus:* in Græco πρώτης καθέδρας τῶν δύο Νουμιδιῶν. S. Augustinus ep. LIX ad Victorinum agens de contentione quæ erat inter duos episcopos circa Primatum Numidiæ, omnes episcopos Numidiæ uni paruisse Primati supponit. Sunt qui Sitifensem Mauritaniam, quæ deinceps a Numidia avulsa provinciam peculiarem constituit, alteram fuisse e duabus Numidiis censeant. Sed in concilio Carthaginensi anni 416, diserte distinguuntur Numidiæ duæ a Mauritaniis Sitifensi et Cæsariensi.

Circa tempora Theodosii imperatoris Africa in sex est divisa provincias, quæ a Sexto Rufo, et in Notitia imperii enumerantur, suntque Africa stricte sumpta, sive proconsularis provincia, Numidia, Byzacium, Tripolis, Mauritania Sitifensis, et Mauritania Cæsariensis. Tingitana vero ab Africa avulsa Hispaniæ attributa est. Eamdem divisionem provinciarum et formam induit Ecclesiastica πολιτεία, ut ex conciliis ex universis Africæ provinciis congregatis notum est, in quibus sex illæ provinciæ enumerantur. Sunt qui Sitifensem provinciam existiment non ante annum 419, inter Ecclesiasticas Africæ provincias locum peculiarem obtinuisse et Primatem habuisse, idque ex canone 17 concilii Carthaginensis hujus anni. Sed hi oppido falluntur. Nam in concilio Carthaginensi anni 397, legati Mauritaniæ Sitifensis, provinciæ suæ nomine leguntur Carthaginem venisse ad concilium et omnia postulata detulisse: quod solis provinciis quæ primas sedes habebant licebat, ut constat ex canone 18 Cod. Afric. In epistola Augustini ad Victorinum, quæ nunc 59, anno 401 scripta, diserte habetur non tantum duas esse Mauritanias, sed utramque suum habere Primatem: *Legi*, inquit, *in eadem tractatoria etiam ad Mauritanias esse scriptum, quas provincias scimus habere Primates.* Anno 402 Nicetius Sitifensis, qui concilio Milevitano interfuit, vocatur Episcopus primæ sedis Mauritaniæ Sitifensis. Anno 403, Lucianus et Macrianus Sitifensis provinciæ Episcopi, legatione funguntur in concilio Carthaginensi. Anno 407, separatim enumerantur Sitifenses episcopi ut provinciæ a cæteris diversæ. Anno 411, in collatione Carthaginensi seorsim enumerantur sex provinciæ, et inter eas Sitifensis: *Præsto sunt universi de omnibus scilicet provinciis Africanis, id est, de provincia Proconsulari, de provincia Byzacensi, de Numidia, de Mauritaniis Sitifensi et Cæsariensi et de Tripolitana provincia.* Et cap. 72 coll. Carthag. dicit: *Si de numero dubitatur, eant provinciales ad Mauros, eant ad Numidas, eant ad Byzacenos, eant quoque ad Tripolitanos, eant ad Provinciæ Proconsularis.* Anno 418, legati eliguntur ex hac provincia qui Carthagini demorentur. Demum initio concilii anni 419, legati Sitifensium nomine præsentes adsunt concilio antequam canon 17 fuisset exaratus. Nihil ergo absurdius quam fingere tum primum in hoc concilio Mauritaniam Sitifensem, diversam a Cæsariensi provinciam Ecclesiasticam constituisse. Quod spectat ad canonem 17, conciliis Carthaginensis anni 419, in codice canonum Ecclesiæ Africanæ sic habetur: *Placuit ut Mauritania Sitifensis, ut postulavit, Primatem provinciæ Numidiæ, ex cujus cœtu separatur, ut suum habeat Primatem: quem consentientibus omnibus primatibus provinciarum Africanarum, et omnibus episcopis, propter longin-*

Digitized by Google

quitatem habere permissa est. Ita lectus iste canon, Sitifensem provinciam Primate suo spoliaret, eamque Primati Numidiæ subjiceret, quod a Sitifensis provinciæ legatis postulatum, aut a synodo decretum esse nemo dixerit. Aliter porro legitur iste canon in duobus manuscriptis in hanc sententiam: *De primatu Mauritaniæ Sitifensis. Primatem vero proprium cum Mauritaniæ Sitifensis episcopi postularent, omne concilium episcoporum Numidiæ, consentientibus omnibus primatibus vel universis episcopis provinciarum Africanarum, propter longi itineris novitatem, primatem habere permissa est. Cum consilio Carthaginensis Ecclesiæ factum est.* Eodem modo Ferrandus hunc canonem legit, ita hujus decretum exponens in breviatione Canonum c. 82: *Ut Primatem proprium Mauritania Sitifensis habeat.* Sed ita intelligendus est iste canon, non quasi tum primum Primatem habuerit provincia Sitifensis, cum contrarium ex dictis aperte constet; sed hoc sensu quod tum fuerit confirmatum ipsi istud juris concilii decreto, idque consentientibus episcopis Numidiæ qui huc usque reclamaverunt. Hinc forte in epistola concilii Cabarsussitani, quod anno 393 a Donatistis celebratum est, unius tantum Mauritaniæ fit mentio, ita: *Sanctissimis fratribus atque collegis per universam Africam, hoc est provinciam Proconsularem, Numidiam, Mauritaniam, Byzacenam et Tripolim constitutis.* Sed, uti jam observatum a nobis est, concilio Catholicorum anni 397, ac cæteris deinceps adfuerunt Sitifensis Mauritaniæ Legati tamquam provinciæ Africanæ ab aliis diversæ, suumque Primatem habentis. Quam quam autem Tingitana Hispaniæ foret attributa, atque inter provincias Africæ non amplius numeretur, in istis conciliis attamen hujus provinciæ episcopi accensebantur episcopis Mauritaniæ Cæsariensis, ut constat ex Notitia Episcoporum Africæ sub Hunerico digesta, in qua Tingitanæ provinciæ episcopi sub Cæsariensi Mauritania recensentur. Hinc verisimile est Tingitanas ecclesias semper ad Africanam pertinuisse: unde in epistola Siricii ad Himmerium Tarraconensem, Hispaniarum provinciæ quinque tantum enumerantur: Tarraconensis, Carthaginensis, Bætica, Lusitania, **25** et Gallecia, nec ulla Tingitanæ fit mentio. Demum Justinianus imperator recuperata Africa anno æræ vulgaris 534, Constitutione sua, quæ exstat in codice Instit., leg. 1 tit. 27, hanc regionem in pristinum statum restituit et in sex diœceses partitus est, Tingitanam, Carthaginem, Byzacium, Tripolim, Numidiam, Mauritaniam, quibus Sardiniam adjecit.

De Primatibus Africæ. — Unicuique provinciæ suus erat in Africa Primas, verum non ut in aliis orbis partibus Ecclesiasticæ Metropoles Metropolibus urbibus affixæ erant, sed illic tota Metropolitani episcopi auctoritas seniori episcopo provinciæ deferebatur, si Carthaginensem sedem excipias, quæ non tantum provinciæ proconsularis certa Metropolis erat, sed et totius Africæ Occidentalis caput. Atque hinc non dicebantur vulgo Metropolitani, sed Primates, ut sæpe sæpius vocantur in conciliis Africanis, Metropoleon nomine Metropolibus civilibus servato. Hinc Primates non semper ejusdem sedis episcopos fuisse comperimus, sed diversarum. Sic Numidiæ Metropolitanus Cypriani tempore erat Novatus Thamugadensis, ut constat ex concilio Cypriani, Anno 305, Secundus Tigisitanus ex Optato. Anno 395, Megalius Calamensis ex Augustino. Anno 397, Crescentianus alterius sedis episcopus ex concilio Carthaginensi. Anno 401 et 402, Xantippus Tagosensis ex Augustino. Anno 411, Silvanus Summitanus ex collatione Carthaginensi. Anno 418, Valentinus Vaianensis. Anno 484, Felix Berceritanus ex catalogo episcoporum Catholicorum Africæ sub Hunerico. Similiter Byzacenæ provinciæ Primas tempore Cypriani Polycarpus Adrumetinus. Circa tempora collationis Carthaginensis Mizonius Zellensis. Anno 417, Latomius Tenitanus. Anno 418, Donatianus Teleptensis. Tempore Hunerici Nobasinnensis episcopus. Mauritaniæ Cæsariensis Primas in collatione Carthaginensi est Martinus Taborensis. In catalogo episcoporum Africæ sub Hunerico Glorinus Juncensis. Mauritaniæ Sitifensis anno 402 Nicetius Metropoleos civilis episcopus, sed in collatione Novatus ejusdem sedis episcopus nullam habet prærogativam, et anno 408, legatus est nomine provinciæ suæ, non igitur præses concilii et Primas. At tempore Hunerici Primas est Ruffinus Tamallumensis. Ex quibus abunde constat Primatum seu Metropoliticum jus in Africa non fuisse annexum Metropoli civili, sed antiquitati episcopi, et sic Metropolim ecclesiasticam fuisse sedem senioris episcopi.

Idipsum non obscure testatur Augustinus, cum quærit a Profuturo epist. CXLIX, nunc XXXVIII, quis Megalii Calamensis in Primatu successor sit. *Successorem Primatus ejus nosse volumus*, et ep. CCLXI, nunc CCXCIX (si tamen ejus est hæc epistola quam multi eruditi in dubium revocant) scribit ad Cœlestinum, Prisco provinciæ Cæsariensis episcopo episcopatum esse relictum, ea tamen conditione, ut ipsi non pateret aditus ad Primatum sicut cæteris: *Clamet*, inquit, *Priscus, provinciæ Cæsariensis episcopus, aut ad Primatum locus sicut cæteris et mihi patere debuit, aut Episcopatus mihi remanere non debuit.* Unde luce clarius infertur Primatum omnibus Africanis episcopis patuisse, nec Metropoli civili annexum fuisse, quandoquidem Cæsariensis antistes, qui Metropoleos civilis episcopus erat, non privatur jure Metropolitico Ecclesiastico, sed aditus ei ad jus Metropoliticum intercluditur. Epistola CCXVII, quæ nunc est LIX, excusat se Augustinus, quod ad concilium Numidiæ vocatus a Victorino, non venerit, eo quod senex Xantippus Tagosensis, rectius Tagorensis, Primatum sibi vindicaret; proinde et jus convocandi concilii. Quod si Metropolitica jura urbi fuissent annexa, de Primatu nulla potuisset inter episcopos esse difficultas, cum manifestum foret, quæ urbs esset Numidiæ Metropolis. Ut autem liquido constet contentionem tantum fuisse de antiquitate episcopi, non autem

Digitized by Google

de urbis dignitate, consulenda est concilii Milevitani anni 402 definitio, cui ipse Xantippus aderat Primatus Numidiæ jure fruens, ut videre est can. 53 concilii vulgo Africani. Hæc autem definitio ejusmodi est, cap. 56 : *Placuit ut quicumque deinceps ab episcopis ordinantur per provincias Africanas, litteras accipiant ab ordinatoribus suis manu eorum conscriptas continentes consulem et diem, ut nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur.* Ex his intelligere est totam inter episcopos Africanos dignitatem ab antiquitate episcopatus fuisse repetitam; nullatenus autem ab urbis magnitudine aut dignitate. Speciatim vero de Numidia idem constat ex canone 53 in quo statutum est, *ut matricula, et Archivus Numidiæ apud primam sedem sit, et in Metropoli, id est, Constantina.* Ecce apertam distinctionem Metropoleos civilis, et Ecclesiasticæ : propterea auctor Vitæ S. Fulgentii, c. 29, testis est, Fulgentium in concilio Juncensi, Quodvultdeo in contentione de Primatu prælatum, jus suum illi postea cessisse, quo relato subdit auctor iste : *Ubi sunt nunc illi quibus eminendi super cæteros dominentur affectus, qui se etiam suis prioribus anteponunt, indebita sibi privilegia vindicantes? Ecce beatus Fulgentius nec primatum quem meruit, defendere voluit.* Primatus ergo apud Africanos episcopos ipsius Fulgentii tempore prioribus debebatur, nec ulli sedi annexus erat. Demum Victor Tunonensis in chronico refert Boetio, Byzaceno defuncto, Primasium Adrumetinum damnationi trium capitulorum consensisse ut primatus jure frueretur. Hic mos in Africa permansit usque ad tempora Gregorii Magni. Nam is lib. I, epist. LXXV, ad episcopos Numidiæ statuit : *Ut illorum consuetudo de primatibus constituendis, cæterisque capitulis immota maneat, exceptis his qui ex Donatistis ad episcopatum perveniunt, quos provehi ad primatus dignitatem etiam cum ordo clericorum eos ad locum eumdem deferat, modis omnibus prohibet.* Igitur tempore Gregorii inter Africanos Primatus non erat sedibus annexus, sed eo antiquiores omnes episcopi indiscriminatim fruebantur, exceptis iis qui fuerant hæretici, quos ab hoc jure excidere vult Gregorius : quemadmodum olim Augustino teste ab eo exciderat Priscus.

Quin etiam in Provincia proconsulari summus honos habebatur antiquiori episcopo, licet eum præcederet Carthaginensis episcopus totius Africæ primas. Sic in concilio Carthaginensi II, Victor Abderitanus, et in tertio ejusdem nominis episcopus Pupianensis, cæteris, excepto Carthaginensi, præferuntur : et de hoc Victore hæc ait Epigonius, c. 54 cod. can. Eccl. Afric. : *Ætate pater, et ipsa promotione antiquissimus, vir laudabilis, frater et collega noster Victor vult hanc petitionem generalem omnibus effici.*

Uno verbo in Africa tum honor, tum dignitas, tum etiam jura et privilegia episcoporum tribuebantur antiquitati episcopatus, non autem Ecclesiæ cui præerant dignitati. Id constat ex dictis, præcipue vero ex epistola Augustini 59, in qua queritur se tertium nominatum, qui haud ita pridem episcopus erat, cæterisque qui antiquiores erant, præpositum : *Quæ res*, inquit, *et aliis injuriosa est satis, et mihi invidiosa :* idque luculenter confirmatur 26 ex can. 56 concilii Africani supra relato.

Carthaginensis Antistitis prærogativæ. — Cæterum ab hac lege semper excipiendus Carthaginensis antistes, qui universæ Africæ Primas erat et Exarchus, seu, ut ita loquar, Patriarcha. Diu ante ipsummet Cyprianum Agrippinus hoc jure fruebatur, is enim a Cypriano reliquorum episcoporum præses fuisse insinuatur : *Quod quidem*, inquit, *cum cæteris episcopis qui illo tempore in provincia Africa et Numidia Ecclesiam Dei gubernabant, statuit.*

Maxima quoque hujus sedis privilegia et jura in epistolis Cypriani elucent : sic ep. XLV, totam Africam provinciam suam vocat : *Quoniam*, inquit, *latius fusa est nostra provincia, habet Numidiam et duas Mauritanias sibi cohærentes.* Hinc ex universis Africæ provinciis consulitur, et respondet veluti præcipuam auctoritatem habens, ut videre est ep. LIX, LXI, LXX, LXXI, LXXIII et præsertim LXV.

Post hæc tempora illa Carthaginensis episcopi dignitas non imminuta, ut videre est ex omnibus conciliis Africanis, quæ ad hujus episcopi nutum flebant, et quibus ille, licet cæteris junior, præsidebat, ac omnium quæ gerebantur, auctor et caput erat : si quæ scribendæ erant epistolæ a conciliis, eas dictabat; iis omnium nomine subscribebat : ad hujus etiam concilium ex omnibus Africæ provinciis et synodis provocabatur, ut regulæ Ecclesiasticæ per totam Africam observarentur, utque fides illibata servaretur, invigilabat : diem Paschæ universis Africanis ipse nuntiabat, ut constat ex canone 51 codicis Africani : uno verbo, curam ac sollicitudinem omnium Ecclesiarum Africanarum ipse gerebat. Unde Aurelius episcopus can. 55 cod. Afric. ait, *se multarum Ecclesiarum, et ordinandorum curam sustinere.....* Et postea, *cunctarum se Ecclesiarum, dignatione Dei, sollicitudinem sustinere;* quapropter conceditur ei ibidem, *ut unde vellet, et de cujus nomine fuisset conventus, pro desiderio cujusque Ecclesiæ ordinaret episcopum.* Hinc tenebatur provincias omnes Africæ visitare, ut intelligitur ex canone concilii Carthaginensis anni 397, in cod. Canonum Ecclesiæ Africanæ, c. 52, ubi *Honoratus et Urbanus* Legati provinciæ Mauritaniæ Sitifensis aiunt *in concilio Hipponensi constitutum esse singulas provincias tempore concilii visitandas esse :* et rogant Aurelium ut *dignetur etiam hoc anno vel alio Mauritaniam provinciam visitare.* Quibus Aurelius respondit : *Tunc de provincia Mauritania, propterea quod in finibus Africæ posita sit, nihil statuimus, siquidem vicinæ sunt barbarico, sed præstet Deus ut ex abundanti non pollicentes venire possimus ad vestram provinciam. Cogitare enim debetis, fratres, quia hoc sibi, et Tripolitani, et Arzugitani fratres potuerunt exigere, si ratio pateretur.*

Hic fortasse alicui veniet in mentem hæc quæstio, utrum melius et convenientius Metropolitica dignitas antiquitati, quam urbi fuerit affixa, de qua quid sen-

Digitized by Google

tiam, hic mihi videtur apericndum. Censeo ergo, salvo aliorum judicio, longe satius esse ut Metropolitica dignitas urbi annexa sit quam antiquitati sacerdotii : cum enim alicui sedi affixa est, is ad eam eligitur qui huic dignitati sustinendæ par esse possit. At ubi ad omnes passim antiquitatis jure defertur, tunc ad minus idoneos pervenire potest. Præterquam quod senectus minus apta est ferendis laboribus, et illo caret animi ac corporis vigore qui in Metropolitano maxime desideratur. Itaque prudenter omnino Gregorius, lib. I, epist. LXXII, scribit ad Gennadium Patricium et Exarchum Africæ, ut *Concilium Catholicorum* admoneat, *ut primatem non ex ordine loci postpositis vitæ meritis faciat. Quoniam apud Deum non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio comprobatur : ipse vero Primas non passim, sicut moris est per villas, sed in una juxta eorum electionem civitate resideat.* Idem tamen Africanis epist. LXXV, *consuetudinem, quæ nihil contra fidem Catholicam usurpare dignoscitur, immotam permanere concedit, sive de primatibus constituendis*, etc.

Ut ut sit, fruebatur Carthaginensis antistes non tantum honoris sed et dignitatis ac auctoritatis prærogativa in universas Africæ provincias, ac speciatim primas erat provinciæ proconsularis, quæ inter alias prima censebatur. Hæc inter provincias Africanas media clauditur ab Ortu et Septentrione ; elago Africo. Ab Occidente dividitur a Numidia linea ducta ab ostiis Rubricati fluminis ad Mustim, ubi fluvium Bagradam attingit, et inde retro versus Occidentem ducta ad Narragaram, atque hinc ad Ammederam, ubi rursum Bagradam fluvium attingit et secat usque ad Capsam oppidum Numidiæ versus Meridiem. Ab Oriente et Meridie a Byzacena separatur linea ducta ab Uzita usque ad fluvium Bagradam. Tria habet Promontoria, Candidum, Apollinis adversum Sardiniæ, et Mercurii adversum Siciliæ, quæ in altum procurrentia duos efficiunt sinus.

NUMIDIA, Numidarum olim regnum, Masinissæ clara nomine, Metagonitis terra a Græcis appellata, Numidæ vero seu Nomades a permutandis pabulis Mapalia sua, hoc est, domos plaustris circumferentes. Ab Oriente adjacet provinciæ proconsulari, a qua superius descripta linea distinguitur. A Septentrione mari alluitur. Ab Occidente terminatur linea ducta ab Ampsagæ fluvii ostiis versus meridiem usque ad Maximianum oppidum. Ab Austro habet Libyam interiorem. Hujus provinciæ Metropolis civilis Cirta colonia, quæ Constantina dicta est et etiamnum dicitur.

BYZACENA provincia appellatur Regio fertilitatis eximiæ. Ab ortu habet fluvium Tritonem : ab Occidente Numidiam juxta lineam superius expositam : ab Austro Libyam interiorem. Hujus urbs præcipua Adrumetum.

TRIPOLITANA provincia a flumine Tritone et minore Syrti usque ad aram Phileni extenditur : mari alluitur a Septentrione : ab Occasu Tritone flumine finitur : a Meridie desertis Libycis.

MAURITANIA SITIFENSIS habet ab ortu lineam ductam ab Ampsagæ fluminis ostiis versus Meridiem usque ad Maximianum oppidum.

Adjacet ad Occidentem Sitifensi CÆSARIENSIS, quæ a Tingitana flumine Malva distinguitur : a Sitifensi linea ducta a promontorio Occidentali Numidici sinus, ubi sita est urbs Vabar usque ad oppidum Tubunas oblique in Orientem ad flumen Uzar prope Zaratha. Sitifensis caput est urbs Sitifis, Cæsariensis Julia Cæsarea.

MAURITANIÆ TINGITANÆ limites, ab ortu Malva fluvius : ab occasu mare Atlanticum : a Septentrione fretum Herculeum et mare Mediterraneum : a Meridie montes Atlantici. Tingis hujus provinciæ urbs præcipua.

Multitudo episcopatuum in Africa. — Totus ille tractus et antequam Romanis pareret, et postea innumeros fere incolas habuit. In eo civitates, oppida, municipia, castella, vici, tum indigetum, tum colonorum in magno numero fuere, et tam soli fertilitate ac frugum ubertate quam mercaturæ **27** commercio prædives extitit. Hinc tanta Christianorum in his locis multitudo, ad quos regendos Episcopi plurimi sunt constituti, et quidem longe plures ac frequentiores quam in quibuslibet aliis orbis Christiani partibus. Nam in his, episcopi in magnis tantum urbibus constitui consueverant, non autem in vicis aut villis et in modicis civitatibus, quod concilii Laodiceni canone 57, et Sardicensis canone 7, cautum est. At lex ista in Africa non obtinuit, ubi non tantum in magnis civitatibus, sed in cunctis oppidis ac nonnumquam in vicis et castellis ordinati leguntur episcopi : quam episcopalium sedium multitudinem jam a primis Ecclesiarum Africanarum initiis exortam auxit Catholicorum ac Donatistarum æmulatio. Sane cum in collatione Carthaginensi diei 1, cap. 181, Alypius Ecclesiæ Catholicæ episcopus admonuisset nonnullos ex episcopis Donatistis *in villis et in fundis esse episcopos ordinatos, non in aliquibus civitatibus*, regessit hoc ipsum in Catholicos Petilianus Donatista inquiens : *Sic etiam tu multos habes per omnes agros dispersos.* Et in hac collatione frequenter utrinque objectum est Episcopos de novo in multis locis ab utraque parte constitutos, ut numero vincerent adversarios. Ipse Augustinus cum diœcesim suam nimis extensam esse existimaret, in castello Fussalensi, quod 40 millibus ab Hippone regio distabat, episcopum ordinandum curavit, ut docet ep. CCLXI. Sed ne inde turbæ et dissensiones nascerentur, concilium Carthaginense II statuit can. 5, *ut diœceses quæ numquam habuerunt episcopos, non habeant : et illa diœcesis quæ aliquando habuit, habeat proprium..... Et si accedente tempore, crescente fide populus Dei multiplicatus desideraverit proprium habere rectorem, ejus videlicet voluntate in cujus potestate est diœcesis constituta, habeat episcopum.* Non vetat ista lex ne crescente numero fidelium novus episcopatus erigatur, sed ne id fiat nisi ex consensu et voluntate episcopi ad cujus diœcesim

Digitized by Google

pertinebat locus qui ad sedis episcopalis dignitatem evehitur. In concilio Carthaginensi anni 497, canone 53 Cod. Afric. conquestus est Epigonius: *Quod quamvis multis in conciliis statutum fuerit a cœtu sacerdotali, ut plebes quæ in diœcesibus ab episcopis retinentur, quæ episcopos numquam habuerunt, nonnisi cum voluntate ejus episcopi a quo tenentur, proprios accipiant rectores episcopos. Attamen nonnulli dominatu quodam adepto communionem fratrum abhorrent, vel certe, cum depravati fuerint, quasi in quadam arce tyrannica sibi dominatum vindicant, et tumidi ac stolidi adversus episcopum suas cervices erigunt, vel conviciis sibi concinnantes plebem, vel persuasu maligno et illicito favore eosdem volunt sibi collocare rectores. Quod quidem insigne mentis tuæ tenemus votum*, inquit, *frater religiose Aureli, qui hæc sæpe oppressisti non curando tales petitores, sed propter eorum malos cogitatus, et prave continuata consilia hoc dico, non debere rectorem accipere eam plebem, quæ in diœcesi semper subjacuit, nec umquam proprium episcopum habuit. Quapropter si universo sanctissimo cœtui placet hoc, quod prosecutus sum, confirmetur. Aurelius episcopus dixit. Fratris, et consacerdotis nostri prosecutioni non obsisto : sed hoc me et fecisse, et facturum esse profiteor circa eos sane, qui fuerint concordes, non solum circa Ecclesiam Carthaginensem, sed circa omne sacerdotale consortium. Sunt enim plerique conspirantes cum plebibus propriis, quas decipiunt, ut dictum est, earum scalpentes aures, blandi ad seducendum, vitiosæ vitæ homines, vel certe inflati, et ab hoc consortio separati, qui putant propriæ plebi incubandum, et nonnumquam conventi ad concilium venire detrectant : sua forte ne prodantur flagitia metuentes. Dico, si placet, circa hos, non tantum diœceses non esse servandas, verum et de propria ecclesia, quæ illis male faverit, omnimodo adnitendum ut etiam auctoritate publica rejiciantur, atque ab ipsis principalibus cathedris removeantur. Oportet enim, ut qui universis fratribus, ac toto concilio inhæserit, non solum suam jure integro, sed et diœceses possideat. At vero, qui sibimet putant plebes suas sufficere, fraterna dilectione contempta, non tantum diœceses amittant, sed ut dixi, etiam propriis publica careant auctoritate, ut rebelles. Honoratus et Urbanus episcopi dixerunt. Summa provisio sanctitatis tuæ cohæsit mentibus singulorum, et puto, omnium responsione ea quæ prosequi dignatus es, roboranda. Universi episcopi dixerunt, placet, placet.* Et iterum in eodem Concilio can. 56 : *Honoratus et Urbanus episcopi dixerunt. Audivimus constitutum, ut diœceses non mereantur episcopos accipere, nisi consensu ejus, sub quo fuerant constitutæ, sed in provincia nostra cum aliqui forte in diœcesi, concedente eo episcopo, in cujus potestate fuerant constitutæ, ordinati sunt episcopi, etiam diœceses sibi vindicant, hoc et corrigi charitatis vestræ judicio, et inhiberi de cætero debet. Epigonius episcopus dixit. Singulis episcopis servatum est quod decebat : ut ex massa diœcesium nulla carperetur, ut proprium episcopum habuisset, nisi ipse consensum adhibuisset concedendi. Sufficiat enim si concesserit, ut eadem diœcesis permissa proprium tantum episcopum habeat, cæteras sibi non vindicet diœceses, quia exempta de fasce multarum sola meruit honorem episcopatus suscipere. Aurelius episcopus dixit : Non dubito charitati vestræ omnium placere, eum, qui in diœcesi concedente episcopo, qui matricem tenuit, solam eamdem retinere plebem, in qua fuerat ordinatus. Quoniam igitur universa arbitror fuisse tractata, si omnia cum animo vestro convenerunt, sermone vestro cuncta roborate. Universi episcopi dixerunt : Omnia nobis hæc placuerunt, et hæc nostra subscriptione firmavimus, et subscripserunt. Aurelius episcopus Ecclesiæ Carthaginensis huic decreto consensi, et prælecto subscripsi, similiter et cæteri episcopi subscripserunt.*

Ex dictis duo colliguntur. Primum in Africa episcopos constitutos fuisse non tantum in magnis civitatibus, sed in omnibus oppidis, imo et in vicis atque castellis. Alterum, facile novos episcopatus erectos in diversis locis crescente numero fidelium, modo consentiret episcopus ad cujus diœcesim locus pertinebat. Hinc tanta episcoporum in Africa multitudo. Et quidem secundi sæculi initio Agrippinus Carthaginensis episcopus concilium habuit Carthagini *plurimorum episcoporum ex Africa et Numidia* : ut Cyprianus in epistolis 71, ad Quintum et 73, ad Jubaianum testatur. Numerum non exprimit. At sanctus Augustinus lib. de unico Baptismo contra Petilianum, septuaginta fuisse innuit his verbis : *Nam illud quod adjungit de episcopo Carthaginensi Agrippino, de inclyto martyre Cypriano, de septuaginta Præcessoribus Cypriani, quia hoc fecerunt et fieri præceperunt.* Sub Donato Cypriani antecessore in concilio nonaginta episcoporum damnatus Privatus Lambesitanus, ut Cyprianus testis est epist. 59. Sub Cypriano tria habita sunt concilia numerosa de baptismo hæreticorum. In duobus adfuere septuaginta episcopi, ut testatur ep. ad Jubaianum, et in tertio interfuisse leguntur octoginta septem, præter quos longe plures abfuisse verisimile est. At duo sunt monumenta e quibus numerus episcoporum Africæ certo erui potest. Primum est collatio Carthaginensis, in qua Catholici sic eorum numerum ineunt : subscripserunt mandato episcopi ducenti sexaginta sex, aderant præsentes viginti; abesse dicuntur centum **28** et viginti, ac viduatæ præterea Ecclesiæ sexaginta quatuor; ex quibus exurgit numerus quadringentarum septuaginta sedium episcopalium in Africa. Alterum est notitia episcoporum Afrorum sub Hunerico, quæ numerat episcopos quadringentos sexaginta sex, quibus si octo demas Sardiniæ episcopos, cæteri omnes ad Africam pertinent.

Post recuperatam a Justiniano imperatore Africam, Reparatus concilium habuit universale Africæ, in quo adfuerunt episcopi 217, quod argumento est ex ingenti illo episcopatuum numero, multos adhuc ex hoc tempore superfuisse. In concilio Lateranensi sub Martino epistolæ synodicæ Patrum provinciæ proconsularis subscripserunt epicopi 69 ex ista pro-

Digitized by Google

vincia : et Byzacenorum epistolæ synodicæ 46 episcopi. At ejectis ex Africa Romanis per Saracenos, tristissima fuit Ecclesiæ Africanæ facies, et pauci admodum in ea fuerunt episcopi ; ita ut Gregorii VII tempore vix tres habuerit episcopos, ut ex hujus epistolis colligitur, præsertim l. III, ep. 19, scripta anno 1076, ubi ait pervenisse ad aures suas : *quod Africa quæ pars mundi esse dicitur, quæque etiam antiquitus, vigente ibi Christianitate, maximo episcoporum numero regebatur, ad tantum periculum devenerit, ut in ordinando episcopo tres non habeat episcopos.* Ibidem ait, se nuper manum alicui imposuisse, qui secundus esset episcopus; et cum tertium expostularent ut per eos alii ordinari possent, scribit in ep. XX, ad clerum et populum Hipponensem, et XXI, ad Azir regem Mauritaniæ, Servandum presbyterum ad se ex Africa missum ad eorum preces episcopum esse consecratum.

Sed ut ad felicia illa Africanæ Ecclesiæ tempora redeamus, nos ex veteribus monumentis nomina sexentorum nonaginta episcopatuum in Africa eruimus : in provincia proconsulari scilicet 136, in Numidia 155, in Byzacena 135, in Mauritania Cæsariensi et Tingitana totidem : in Sitifensi 46, in Tripolitana 5, incertæ provinciæ 78, ex quibus exurgit numerus 690. Sicut autem omnes episcopales sedes Africæ his comprehendi affirmare non possum, ita nec ausim asserere hæc omnia loca uno ex eodem tempore simul sedes episcopales fuisse, sed nullus est ex iis qui non aliquando episcopum habuerit, ut ex monumentis Ecclesiasticis colligitur. Quamquam autem plerarumque sedium episcopalium provincia detecta fuerit, longe minor est numerus earum, quarum certus situs in Tabula Geographica potuit assignari. Nam 257 tantummodo locorum episcopalium positionem certam deprehendere potuit auctor tabulæ quantumvis sagax et in his rebus versatus : ex iis exstant, in Proconsulari 52, in Numidia 71, in Byzacena 51, in Mauritania Cæsariensi 51, in Sitifensi 46, Tripolitanæ vero quinque urbes episcopales notæ. Atque ut lector statim intelligat, quæ sedes in tabula locatæ sint, eæ asteriscum habent præfixum, ne frustra laboret in perquirendis iis quæ locum suum in tabula non habent.

Cæterum longe majorem quam ii qui ante nos ea de re scripserunt episcopatuum singulis provinciis assignatorum numerum invenimus : longe plurium etiam situm deprehendit et notavit auctor tabulæ. Multos errores sustulimus, Episcopatus plures in unum compactos divisimus, eumdem sæpius sub diversis nominibus repetitum, unum sub vero nomine sortiri locum jussimus, subditicia nomina sustulimus, mendosa aut perperam scripta emendavimus. Quantum autem in his perfecerimus, intelliget quisquis voluerit notitiam nostram cum Caroli a S. Paulo notitia comparare. Nolim hujus viri eruditioni et labori quidquam detractum : at affirmare ausim in ejus notitia et tabula plusquam ducentos esse errores in quos non impegimus. Nec propterea opus nostrum numeris omnibus absolutum et erroribus vacuum audemus affirmare. Scimus quam pronum sit et facile in his rebus labi, etiam viris doctissimis et in rebus hujusmodi versatissimis. Exemplo erit viri eruditissimi Holstenii in hoc negotio lapsus, qui inter episcopatus Africæ numerat Vicum-nigratem : *Vicus*, inquit, *Nigras in territorio Vagensi Vici-nigratis episcopus Gennadio ; De illustribus Scriptoribus c.* 73. At hic legitur legique debet : *Asclepius in Vagensi* (*seu Baiensi*) *territorio vici non grandis Episcopus.* Si qui mss. codices aliter habeant, ut observat, mendosos esse nemo non videt. Quis enim audivit hujusmodi nomen *Vicus-nigras ?* Erat equidem in Africa sedes *Nigrensium majorum ;* sed *Vicus-nigras* monstrum est et figmentum. Ita etiam *Duedemsai* positum pro *a Senemsalis*, ut feliciter restituit Baluzius; *Felicianentensis* pro *Feliciani Utinensis ; Vivensis* pro *Vinensis*, et alia multa quæ referre longum esset.

Sed antequam singulorum episcopatuum notitiam exhibeamus, de Carthaginensis urbis fortuna et situ, necnon de hujus Ecclesia et episcopis pauca præmittere operæ pretium esse duximus.

Historia urbis Carthaginensis. — CARTHAGO, in provincia proconsulari notitiæ num. 1, Græcis Καρχηδών urbs notissima, quam alterum post Romam orbis terrarum decus appellat Solinus Polyhistor. A Tyriis conditam esse conveniunt omnes, sed circa conditorum nomen et tempus quo condita est variant scriptores, ut advertit Appianus. A Zoro et Carchedone conditam scribunt Philistus apud Eusebium, Stephanus de urbibus, et Appianus. Romani et Carthaginenses a Didone muliere Tyro profecta. Alii Carthaginem non uno tempore conditam arbitrantur. Et priorem quidem sedem fuisse Βύρσαν, quæ eorum lingua *Busra* dicebatur, hoc est, *arx*. Id enim significat vox ista apud Phœnices et Hebræos, qui unius erant labii, Hebraice בצרה, quod nunc pronuntiamus *Botsra*. Posteriorem vero urbem dictam esse Carthaginem a verbo pariter Phœnicio *Kartha-Chadtha*, quod Νεάπολιν seu *Novam urbem* significat, ut distingueretur a veteri urbe, quæ ipsorum lingua Καδμεῖα dicebatur. De tempore quo condita est, mira etiam scriptorum varietas. Tres circa ejus epocham opiniones refert Eusebius in Chronico : primam Philisti, qui eam revocat ad numerum Eusebianum 808, hoc est 27 annis ante Trojam conditam secundum eumdem Eusebium. Idem Eusebius ad annum 971, Carthaginem conditam esse ait anno post Trojanum bellum 143. Demum ad annum 1167 observat quosdam hac ætate conditam existimare Carthaginem, qua in sententia est Trogus Pompeius qui Carthaginem conditam ait 73 annis ante primam Olympiadem, quod cum hoc anno concurrit. At Didonis adventus ex annalibus Phœniciorum colligi potest ; nam ab initio Iromi Tyriorum regis, cujus anno 11, templum Salomonicum erectum fuisse constat ex sacris litteris, ad annum septimum Pygmalionis quo Dido in Libyam profugit, fluxerunt anni 138. Concurrit

Digitized by Google

autem annus septimus Pygmalionis anno 3821 periodi Julianæ qui incideret in annum Eusebianum 1124, post conditam Trojam 290, a jactis templi Salomonici fundamentis 127, quæ verisimilior 29 est conditæ Carthaginis epocha : a qua non longe recedit Josephus, qui Carthaginem a Tyriis conditam ait annis 143 post templum Salomonicum. Stetit isthæc urbs Romæ æmula per annos 848, donec Cornelio Lentulo et Lucio Mummio Coss. penitus a Scipione deleta est atque incensa, anno urbis Romæ 608, periodi Julianæ 4568, jacuitque desolata ac diruta per annos 22. Anno autem desolationis 23, cum consules Romæ essent Q. Cæcilius Metellus Balearicus et T. Quintus Flaminius, a Romanis colonia isthuc deducta fuit auctore C. Sempronio Graccho tribuno plebis, atque ita oppidum eo loci instauratum, cui Junoniæ nomen datum, sed auspiciis non felicibus et nullo fortunæ successu. At anno post desolationem 102, quo C. Julius Cæsar v consul Romæ in curia cæsus fuit, ipso hoc Cæsare auctore majore copia colonorum eodem missa, felicioribus auspiciis mœnia refecta, urbs ædificiis frequentius exculta et populosior facta, pristinumque nomen Carthaginis ei redditum, cum decurreret annus urbis Romæ conditæ 810, concurrens cum anno primo Olympiadis 184. A qua instauratione adeo rursum fortuna crevit, ut proximis sæculis insecutis, cæteras Africæ urbes amplitudine, splendore, opibus superaverit, nec tantum provinciæ proconsularis, sed etiam totius Africæ caput fuerit. Imo et cum Alexandria Ægypti et Antiochia Syriæ de primo loco inter omnes imperii Romani urbes contenderit. De hujus urbis tunc temporis dignitate et potentia egregie pro suo more disserentem audiamus Salvianum lib. VII, de Gubernatione Dei. *Una tantum*, inquit, *universarum illic* (in Africa) *urbium principe et quasi matre contentus sum. Illa scilicet Romanis arcibus semper æmula, armis quondam et fortitudine, post splendore et dignitate : Carthaginensem dico et urbi Romæ maxime adversariam, et in Africano orbe quasi Romam : quæ universa penitus quibus in toto mundo disciplina reipublicæ vel procuratur vel regitur in se habuit. Illic enim omnia officiorum publicorum instrumenta, illic artium liberalium scholæ, illic philosophorum officinæ, cuncta denique vel linguarum gymnasia vel morum : illic quoque etiam copiæ militares et regentes militiam potestates, illic honor proconsularis, illic quotidianus judex et rector, quantum ad nomen quidem proconsul, sed quantum ad potentiam consul : illic denique omnes rerum dispensatores, et differentes inter se tam gradu quam vocabulo dignitates, omnium, ut ita dicam, platearum et compitorum procuratores, cuncta ferme et loca urbis, et membra populi gubernantes.* Sed irrumpentibus in Africa Vandalis a Genserico anno 439, 19 Octobris capta et occupata est, ac in potestate Vandalorum regum fuit per 45 annos, post quos a Belisario recuperata anno 534 Africa, Carthaginensis civitas imperio restituta est. Demum cum per annos circiter 172 stetisset, in potestatem Saracenorum venit, totaque fere diruta penitus concidit, fortunaque ejus in urbem vicinam Tunetem migravit. Clades illa accidit imperante Constantino Pogonato æræ vulgatis anno 585.

Quod spectat ad situm Carthaginis, sic eum describit Polybius lib. I : *Urbs namque hæc Carthago in sinum quemdam prona, peninsulæque ad figuram accedens, hinc mari, inde lacu maxima sui parte cingitur. Isthmus, quo Africæ jungitur, patet in latitudinem stadia* XXV. *Sitaque est in hujus spatii latere, quod vergit ad mare. Utica modico ab urbe intervallo : in altero secundum lacum est Tunes. Ad quæ duo loca cum mercenarii castra admovissent, et Carthaginenses a cætera regione exclusissent, ipsi jam Carthagini imminebant : ac modo interdiu, modo noctu ad muros accedentes metu et trepidatione maxima intus omnia miscebant.* Idem Polybius paulo post sic ait, de Amilcare duce loquens : *Cervix illa, quæ Africæ Carthaginem junxit, colles terrenos in ipsa commissione habet difficiles et arduos : inque his arte munitæ sunt viæ, per quas in regionem patet transitus. Tum autem Matho (hic hostium dux erat) omnia bello opportuna loca in illis collibus firmata præsidiis custodiebat. Ad hæc, cum Macar fluvius locis nonnullis similiter transitum impediat iis, qui ex urbe in regionem tendunt, ac propter aquarum copiam vado ut plurimum transiri nequeat, Matho pontem ei omni impositum, qui est unicus, magna diligentia tuebatur, urbe etiam ad illum exstructa : ex quo fiebat, ut non solum exercitus in regionem ducere non possent, sed ut ne singuli quidem hostem effugerent, qui transire conarentur. Hæc Amilcar videns,* etc. Idem Polybius libro eodem belli hujus ejusdem causas et initia exponens de Tunete oppido Carthagini vicino sic ait : *Mercenarii ira succensi adversus Carthaginenses, infesti ad urbem feruntur, et quindecim millia passuum ab ea Tunete castra ponunt. Erant hi supra viginti millia. Tum demum Carthaginensibus error suus ob oculos observari, cum nihil eos sera pœnitentia juvabat.* Et post pauca memorat, Gesconem ducem ad placandos eosdem hos iratos milites cum pecunia ex urbe Carthagine missum, profectumque mari Tunetem appulisse : ubi verba Græca cum aliis sic habent : Ὁ Γέσκων παραγενόμενος κατὰ θάλατταν μετὰ τῶν χρημάτων, καὶ προσπλεύσας πρὸς τὸν Τύνητα, τὸ μὲν πρῶτον λαμβάνων τοὺς ἡγεμόνας, etc. Quæ verba significare videntur, per mare navigari potuisse et appelli Tunetem. Judicium lectori relinquo. Et rursum idem libro XIV : *Tunes Carthagine abest stadia quasi* CXX. *Locus cum operibus tum suapte natura, sicut jam ante ostendimus, tutus, quique ex omni fere parte Carthaginis potest conspici.* Eumdem Polybii locum Livius in historiam suam transferens sic scribit : *Scipio gravem jam spoliis multarum urbium exercitum trahens, captivis aliaque præda in vetera castra ad Uticam missis, jam in Carthaginem intentus occupat relictum fuga custodum* TUNETA. *Abest ab Carthagine duodecim millia ferme passuum, locus tum operibus, tum suapte natura tutus ; et qui ab Carthagine conspici, et præbere ipse prospectum, tum ad urbem, tum ad circumfusum mare urbi posset.* Decad. III, l. X,

Digitized by Google

Strabo Geographorum, quorum scripta ad nos venere, antiquissimus, de Carthaginis situ sic scribit: CARTHAGO *in peninsula quadam jacet, quæ ambitum habet stadiorum* CCCLX *muro cinctum, cujus sexaginta stadiorum longitudinem collum occupat, quod a mari ad mare pertinet, ubi Carthaginensium elephanti stabula habebant, et locus amplissimus est. In media urbe arx fuit, quam Byrsam vocarunt, supercilium satis erectum, circum circa habitatum, in cujus vertice Æsculapii templum erat, quod Asdrubalis uxor capta urbe secum concremavit. Arci portus subjacent, et Cothon parva insula ac rotunda Euripo circumdata, ad cujus utramque partem sunt in orbem navalia. Eam urbem Dido condidit Tyro, colonis eo adductis, profecta. Et adeo bene cessit hæc Pœnis colonia,* etc. Et mox: *Quibus opibus usi, Carthaginenses scilicet, urbem suam Romæ æmulam fecere, et tria maxima contra Romanos bella gessere. Carthaginensium potentiam maxime ex ultimo eorum bello æstimare possis, quo a Scipione Æmiliano ipsi devicti, et urbs solo est æquata. Initio enim ejus belli* CCC *urbes in Africa habebant: in urbe hominum millia septingenta. Obsessi porro, et ut ad deditionem spectarent, coacti armaturæ gravis tradiderunt ducenta millia, catapelticorum instrumentorum tria* **30** *millia, ne porro iis bellum fieret. Sed cum rursus bellum gerere decrevissent, mox arma fabricari cœpere: ac singulis diebus* CXL *clypei compacti in armentarium referebantur, et gladii* CCC *et lanceæ quingentæ, et mille tela: quæ e catapultis mitterentur: ad quarum funes conficiendos ancillæ crines præbebant. Adhuc naves* XII *habebant ab anno quinquagesimo e fœderibus in secundo bello percussis. Tum vero tametsi in arcem confugissent, duobus mensibus* CXX *naves cataphractas construxerunt, et cum Cothonis ostium præsidio occuparetur, aliud effodere, unde subito classis erupit; adhuc enim antiqua materies in promptu erat, et fabrorum multitudo publicis alimentis sustentata operi faciendo intenta. Carthago tamen, tanta cum esset, capta est et deleta.* De Utica Carthaginensi vicina sic scribit idem Strabo paulo ante locum jam recitatum: *Utica et magnitudine et dignitate secunda est a Carthagine: atque hac excisa caput regionis fuit* (μητρόπολις) *et receptaculum* (ὁρμητήριον) *Romanis ad res in Africa gerendas. In eodem sinu sita est in quo Carthago, ad alterum ex promontoriis, quæ sinum faciunt. Horum id quod juxta Uticam est, Apollonium vocatur, alterum vero Hormæum. Urbes ipsæ ita sunt sitæ, ut unam possis ex altera cernere. Prope Uticam Bagrada fluvius labitur.* Appianus Alexander lib. de bellis Punicis, vertente doctissimo Sigismundo Gelenio: *Sita erat Carthago in intimo sinu magno, peninsulæ similis. Cervix enim eam a continente separabat lata* XXV *stadia. Ab ea cervice lingua quædam oblonga semistadium lata, excurrebat versus Occidentem inter stagnum et mare, rupibus undique munita, et muro simplice. Versus Meridiem et continentem, ubi etiam Byrsa erat in cervice, murus triplex erat, altus* XXX *cubitos absque propugnaculis et turribus, quæ binorum jugerum spatiis inter se distabant per circuitum, nixæ fundamentis* XXX *pedum, singulæ contignationum quatuor. Muri vero ad secundam contignationem pertingebant. Erant autem fornicati et capaces in quorum infima parte* CCC *elephanti stabulabantur, adjunctis pabuli promptuariis. Superius erant quatuor millium equorum stabula cum hordei penuariis. Virorum quoque diversoria,* XX *millium peditum, quatuor millium equitum. Tantus apparatus bellicus ordinarium locum habebat in solis mœnibus. Angulus autem, qui ab hoc muro præter dictam linguam ad portus flectebatur, solus erat debilis et humilis, neglectus a principio. Hi portus sic erant dispositi, ut navigatio esset ex alio in alium, et ab alto unum commune os patebat latum pedes* LXX, *quod claudebatur catenis ferreis. Primus portus negotiatorum erat, et in eo tabernæ in nautarum usum multæ varii generis. Interioris vero portus in medio fuit insula, quæ, sicut et portus, perpetuas habebat crepidines magnas navalibus refertas, quæ* CCXX *naves caperent: his cellæ imminebant, ubi condebantur instrumenta triremium. Unum autem quodque navale in fronte habebat duas columnas operis Ionici, ut circumspicientibus repræsentarent speciem porticus tam in portu quam in insula: in qua erat et præfecti classis prætorium, unde tubicen solebat canere classicum, et præco edicere, et præfectus prospicere. Erat autem hæc insula ori portus opposita, et in longum spatium patebat, ut præfectus procul videret omnia, quæ in alto fierent, cæterum adnavigantibus non essent conspicui recessus portuum: imo nec mercatoribus quidem portum suum intrantibus statim in conspectu erant navalia. Nam circumdata erant muro duplici: et porta negotiatores e primo portu in urbem transmittebat non transeuntes per navalia. Hæc erat illo tempore facies Carthaginis.* Hactenus verba Appiani, quæ juncta Polybii, Livii ac Strabonis testimoniis situm Carthaginis exacte repræsentant. Etsi autem nequidem Carthaginis rudera nunc subsistant, illa tamen peninsula etiamnum a nautis Promontorium Carthaginis appellatur.

Carthaginenses episcopi. — Primus e Carthaginensibus episcopis cujus ad nos memoria pervenerit est AGRIPPINUS. Hujus mentionem facit Cyprianus ep. nunc LXXI, ad Quintum, ubi baptismum hæreticorum irritum esse contendens, ita laudat Agrippini Carthaginensis episcopi ea de re decretum: *Quod quidem et Agrippinus bonæ memoriæ vir, cum cæteris coepiscopis, qui illo tempore in provincia Africa et Numidia Ecclesiam Domini gubernabant, statuit et librato consilii communis examine firmavit.* Et ep. LXXIII, ad Jubaianum, in qua hæc ait: *Apud nos autem non nova aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos qui ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sunt, et longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro, convenientes in unum episcopi plurimi hoc statuerint.* Scribebat hæc Cyprianus anno 254, quo tempore longa jam ætas intercedebat, et multi anni elapsi erant a statuto Agrippini; ac proinde videtur ille non tertio, ut vulgo putant, sed sub finem secundi Ecclesiæ sæculi Carthagini sedisse

Digitized by Google

Certe Tertullianus de baptismo hæreticorum loquens, in libro de Baptismo quem circa annum 200 conscripsit, videtur ad hoc Agrippini decretum respexisse, cum ait: *Circa hæreticos sane quid custodiendum sit digne quis retractet? Ad nos enim editum est.* Per hæc verba *ad nos enim editum est*, decretum Agrippini designari nullus dubito.

Post hunc a nonnullis collocatur *Cyrus*, cujus memoria exstat in martyrologio Romano pridie idus Julii, et in cujus festivitate habitum esse a S. Augustino sermonem ait Possidius, verum neutro in loco dicitur fuisse Carthaginensis episcopus. At DONATUM Cypriani antecessorem fuisse constat, ex ipso Cypriano epistola olim LV, nunc LIX, ad Cornelium Romanum episcopum, in qua narrat: *Privatum veterem hæreticum in Lambesitana colonia ante multos fere annos ob multa et gravia delicta, nonaginta episcoporum sententia condemnatum; antecessorum etiam nostrorum*, inquit, *quod et vestram conscientiam non latet Fabiani et Donati litteris severissime notatum.* Ubi Donatum antecessorem suum dicit eodem gradu quo Fabianus erat antecessor Cornelii, ac proinde sicut nullus fuit inter Fabianum et Cornelium in sede Romana, sic nullus inter Donatum et Cyprianum in sede Carthaginensi.

Huic ergo successit anno 248 CYPRIANUS, qui passus est die 18 kalend. Augusti, Tusco et Basso coss., anno æræ vulgaris 258, ut habetur in fastis Idatianis.

Cypriano successit LUCIANUS, cujus mentio fit apud Optatum, l. I, § 19, ubi prædecessores Cæciliani in sede Carthaginensi, ita enumerantur: *Erat altare loco suo in quo pacifici episcopi retro temporis obtulerunt Cyprianus, Lucianus*, etc. Hic in cod. ms. San-Germanensi inter Cyprianum et Lucianum nomen *Carpophori* legitur, quod, an vitio scriptoris irrepserit, an ex aliis mss. exciderit, incertum.

Post hunc nullus occurrit præter MENSURIUM, de quo Optatus libro I, qui tempore persecutionis Diocletianæ Carthagini sedit; ac demum a Maxentio evocatus ob occultatum Felicem diaconum, qui famosam adversus Tyrannum epistolam scripsisse ferebatur, cum causa dicta Carthaginem reverteretur, in itinere mortuus est anno 311.

In hujus locum CÆCILIANUS archidiaconus eligitur et ordinatur a Felice Aptungitano, 31 adversum quem MAJORINUS domesticus Lucillæ, qui lector in Cæciliani diaconio fuerat, a Numidis perperam ordinatus est: inde schisma cujus DONATUS qui Majorino circa annum 316 successit, antesignanus fuit.

Cæciliano ante annum 347 successit GRATUS. Is concilio Sardicensi interfuit, Donato superstite, qui sub imperio Constantis in exilium missus est, et in eo mortuus successorem habuit circa annum 355 PARMENIANUM.

Grato e contra successit RESTITUTUS episcopus, qui concilio Ariminensi anno 359, interfuit, et Restituto GENETHLIUS qui ad annum 390 pervenit.

Eo sub finem hujus anni mortuo successit AURELIUS, qui circa idem tempus habuit æmulum PRIMIANUM, Parmeniani successorem. In quo videtur successio Donatistarum episcoporum Carthaginis defecisse.

Aurelium excepit circa annum 425, CAPREOLUS, qui diaconum suum Besulam ad concilium Ephesinum misit, inquit *Liberatus*, in Breviario, cap. 5.

Capreolo substitutus est QUODVULTDEUS, sub quo Gensericus, Theodosio XVII et Festo coss., anno 439, Carthaginem invasit, et Quodvultdeum, ut narrat Victor Vitensis, cum clericis, navibus fractis, imposuit, qui tamen prospera navigatione Neapolim pervenit.

Eo in exilio mortuo ad preces Valentiani Augusti, post longum silentium desolationis, inquit Victor Vitensis, episcopus Carthaginensis ordinatus est DEO GRATIAS, Ætio et Studio coss., hoc est anno æræ vulgaris 454, VIII kalendas Novembris, qui Ecclesiæ Carthaginensi difficillimis temporibus per triennium præfuit, eoque mortuo, per 24 annos Ecclesia Carthaginensis pastore vacua fuit. Gensericus circa finem imperii, *Ecclesiam Carthaginis*, ait Victor Vitensis, *claudi præcepit dissipatis atque dispersis per diversa exiliorum loca, quia episcopus non erat, presbyteris et ministris.*

Genserico anno 477, die 25 Januarii sublato, Hunericus ejus filius et successor, Zenone imperatore, atque Placidia relicta Olibrii, rogantibus licentiam dedit, ut Carthaginensis Ecclesia quem vellet episcopum ordinaret. Igitur ordinatus est tunc EUGENIUS antistes Carthaginensis, anno 480 labente, aut anni 481 initio. Egregiis ille scriptis et præclara confessione nobilis in exilium cum cæteris episcopis Africæ actus est anno 484, a quo revocatus est a Guntabundo rege Genserici successore, dato Catholicis apud Carthaginem sancti martyris Agilei cœmeterio. Idem rex decimo anno regni sui, Ecclesias Catholicorum aperuisse et omnes Dei sacerdotes, petente Carthaginensi episcopo, ab exilio revocavit, teste Victore Turonensi in chronico. Sub hoc rege, quidquid dicant nonnulli, in pace vixit Eugenius, et nonnisi sub Thrasamundo circa annum 495, iterum in exilium missus est in Galliam, ubi circa annum 505, VIII idus Septembris, Viancii in territorio Albiensi supremum diem clausisse fertur.

Post expulsum a Thrasamundo Eugenium, sedem Carthaginensem per 27 annos vacuam fuisse testatur Anastasius Bibliothecarius, hoc est, per totum tempus imperii Thrasamundi, qui 27 annis et aliquot mensibus regnavit. Hildericus Ecclesiæ Catholicæ libertatem statim restituit, et Carthaginensi Ecclesiæ proprium donavit antistitem BONIFACIUM, quem in Ecclesia sancti Agilei ad postulationem totius urbis Carthaginensis ordinari jussit anno 523.

Eo circa annum 534 mortuo, REPARATUS ad Carthaginensis Ecclesiæ episcopatum evectus est, sub finem hujus anni aut sequentis initium; quo tempore Justinianus per Belisarium Patricium Africam recepit. Hic statim post ordinationem suam, restituta episcopali Carthaginis sede, in Fausti basilica concilium generale totius Africæ congregavit, ad quod

Digitized by Google

217 episcopi convenisse dicuntur. Lecti sunt ibi veterum conciliorum canones, multaque decreta fuerunt pro reparanda Ecclesiastica disciplina. Missæ sunt ex ea synodo legationes duæ, ad pontificem romanum una, altera ad Justinianum Augustum. Hac petitum est ab imperatore, ut res Ecclesiarum quas barbari rapuerant, Catholici antistites aliique sacri ministri reciperent : altera vero legatione episcopi Africani Romanum pontificem de pace Ecclesiis restituta certiorem faciebant : cujus sententiam de recipiendis ad Ecclesiam presbyteris Arianis qui ejurata hæresi redibant, ac de aliis nonnullis Ecclesiasticæ disciplinæ capitibus, sciscitabantur. Legati erant Caius et Petrus cum Liberato Carthaginensis Ecclesiæ diacono. Ilos Joanne II mortuo appulsos, Agapetus hujus successor excepit. Exstat hujus concilii synodica ad Joannem papam et Agapeti responsum ad primates, Reparatum scilicet Carthaginensem, Florentium Numidiæ, ac Pontianum Byzacenæ, et seorsim litteræ speciales ejusdem ad Reparatum. Is ob defensionem trium capitulorum in urbem regiam evocatus anno 552 depositus est, et a Justiniano relegatus Euchaidam, quo in exilio fidum comitem habuit Liberatum Carthaginensem archidiaconum, auctore Breviarii, quod defuncto episcopo suo in exilio in patriam redux anno 564 conscripsit.

Reparato anno 552 deposito, substitutus est Primosus, Reparati coram Justiniano imperatore apocrisarius. Is concilio quinto generali per legatum interfuit, et obiit ante Reparatum anno 562.

Huc usque series Africanorum episcoporum, quam interruptam continuare non licet, mentio tantum fit subinde quorumdam ut Dominici qui tempore Gregorii Magni Carthaginensem sedem obtinebat circa annum 590, Fortunii tempore Theodori papæ, circa annum 640, Victoris ejus successoris, qui sub Martino I, anno 650, floruit. Cyriaci denique tempore Gregorii VII sæculo undecimo. Atque hæc de Carthaginensi Ecclesia ejusque antistitibus. Nunc reliquæ sedes per provincias distributæ nobis enumerandæ sunt.

PROVINCIA PROCONSULARIS.

In ea, præter Carthaginensem de qua satis superque modo dictum est, hi sunt episcopi.

Abbiritanorum majorum, seu *Abaritanus*, Notit. num. 2, coll. Carth. d. 1, c. 133, not. 172.

Abbiritanorum minorum, coll. Carth. d. 1, c. 215, not. 172 et 454.

Abiddensis, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 100. Forte tamen est Byzacenæ ubi *Abidus* apud Ptolemæum.

* Abitinensis, coll. cart. d. 1, c. 211, not. 390.

Aborensis, coll. cart. d. 1, c. 133, not. 178.

32 Absasallensis. Synodicæ Patrum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscribit : *Dominicus episcopus sanctæ Ecclesiæ Absasallensis.*

* Abzeritensis, seu *Abseritanus*, vel *Abderitanus*, coll. carth, d. 1, c. 128, not. 133, apud Ptolemæum hic collocatur *Abdera.*

Advocatensis, coll. carth. d. 1, c. 206, not. 407.

Agensis. Synodicæ Patrum provinciæ proconsularis in concilio Lateran. sub Martino ultimus subscribit *Fortis episcopus S. Ecclesiæ Agensis :* in concilio Carthaginensi sub Cypriano num. 65, *Quintus ab Aggia.*

* Altiburitanus, seu *Altuburitanus*, notit. num. 44, coll. carth, d. 1, c. 128, not. 131.

* Aptugnitanus, *Aptungitanus*, aut *Autumnitanus*, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 116.

Araditanus, notit. num. 13, concilio Carthaginensi sub Bonifacio anni 525, adfuit *Æmilianus episcopus plebis Araditanæ.*

* Assuritanus, notit. num. 19, coll. carth. d. 1, c. 120, not. 21.

Ausanensis, notit. num. 47.

Bencennensis, forte *Beneventensis*, seu *Benentensis* notit. num. 9, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 114. Inter subscriptiones episcoporum Africæ concilii Arelat. I, reperitur *Anastasius de civitate Beneventina.*

Bonustensis, notit. num. 31, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 164.

Bosetensis, vel *Busitanus*, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 88.

* Bullensis, notit. num. 34.

* Bullensium regiorum, notit. num. 50, coll. carth. d. 1, c. 135, not. 233. Duarum etiam *Bullarum* meminit Ptolemæus, quarum altera ab eo dicitur *Bullamensa*, altera, *Bulla regia.*

Bulnensis, synodicæ Patrum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Victor episcopus sanctæ Ecclesiæ Bulnensis.*

Buritanus, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 167.

Cæciritanus, synodicæ Patrum provincia proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Quobulus episcopus Ecclesiæ Cæciritanæ.*

* Caniopitanorum, forte *Canapii*, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 203, Ptolemæus *Canopisium* locat inter Tabracam et Uticam.

* Carpitanus, notit. num. 29, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 75.

Cefalensis, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 181.

Cellensis, notit. num. 45, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 73.

Cessitanus, seu *Cicsitanus*, vel *Cissitannus*, notit. num. 27, coll. carth. d. 1, c. 206, not. 418.

Cilibiensis, vel *Elibiensis*, coll. carth. d. 1, c. 206, not. 410.

* Clypiensis, notit. num. 38, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 166. *Hodie Quippia* seu *Cupia*, quam Arabes vocant *Aclibiam.*

Cubdensis, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 189.

Culusitanus, notit. num. 33, coll. carth. d. 1, c. 138, not. 263. Idem videtur qui *Culcitanensis.* Synodicæ Patrum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Petrus episcopus sanctæ Ecclesiæ Culcitanensis.*

Digitized by Google

* Curubitanus, notit. num. 36, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 366.

* Drusilianensis, coll. carth. d. 1, c. 121, not. 49.

Egugensis. Synodicæ Patrum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Florentius episcopus sanctæ Ecclesiæ Egugensis.*

* Elefantariensis. In tabulis Peutengerianis occurrit in provincia proconsulari *Elefantaria* non procul ab Utica, diversa ab *Elefantaria* Mauritaniæ Cæsariensis. Duas etiam *Elefantarias* recenset Anonymus Ravennas.

Furnitanus, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 367.

Gisipensis majoris, notit. num. 24, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 231.

Giutrambacariensis. Synodicæ Patrum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Benenatus episcopus sanctæ Ecclesiæ Giutrambacariensis.*

Gunelensis, seu *Gunelmensis*, notit. num. 6.

* Hiltensis, coll. carth. d. 1, c. 133, notit. 230.

Hipponiensis Diarrhytorum, notit. num. 5, coll. carth. d. 1, c. 132, not. 161.

Hortensis. Synodicæ Patrum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Donatus episcopus sanctæ Ecclesiæ Hortensis.*

Labdensis, not. num. 18, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 358.

A lacu dulce, coll. carth. d. 1, c. 187, not. 305.

* Larensis, coll. carth. d. 1, c. 131, not. 158.

Libertinensis, coll. carth. d. 1, c. 116, not. 17.

Mattianensis. In synodica Patrum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Marcellus episcopus Mattianensis.*

* Maxulitanus, notit. num. 30, coll. carth. d. 1, c. 188, not. 324.

Meglapolitanus, notit. num. 39, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 216.

* Melzitanus, seu *Melditanus*, coll. carth. d. 1, c. 121, not. 35.

* Memblositanus, seu *Membrositanus*, notit. num. 8, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 205 et 225.

* Membressitanus, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 205.

Migirpensis, notit. num. 23, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 108.

* Missuensis, notit. num. 17, *Missuam* memorant Antoninus in Itinerario et Anonymus Ravennas, quam *Misuam* appellant Plinius et Tabulæ Peutingerianæ. Ptolemæus vero *Nisuam*. Procopius lib. II, de bello Vandalico *Missuam Carthaginensium navale* appellat. *Servus Dei episcopus Missuensis* concilio Carthaginensi sub Bonifacio anno 525, interfuit.

Mullitanus, notit. num. 15, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 168.

Mustitanus, coll. carth. d. 1, c. 121, not. 53.

Muzuensis, notit. num. 49, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 112.

* Naraggaritanus, notit. num. 48, coll. carth. d. 1, c. 208, not. 430.

* Neapolitanus, notit. num. 35, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 76. Hodie Arabes *Nabel* vocant.

Numnulitanus, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 98.

Ofitanus. Synodicæ Patrum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Fortunius episcopus sanctæ Ecclesiæ Ofitanæ.*

Pariensis. Synodicæ Patrum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Felix episcopus sanctæ Ecclesiæ Pariensis.*

33. Pertusensis. In concilio Bagaïensi damnatus est *Martialis episcopus Pertusensis*. *Pertusa* in Tabulis Peutingerianis inter oppida provinciæ proconsularis recensetur.

Piensis, notit. num. 4. Legendum fortasse *Picensis*, nam in Tabulis Peutingerianis *Picus* memoratur. Apud Polyb. *fit mentio loci qui Prion* dicitur. Synodicæ Patrum prov. Proc. subscribit *Felix episcopus Pariensis* : an ad istos *Piensis* quidquam pertineat incertum.

Pisitensis, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 183.

Puppianensis, notit. num. 12, concilio Carthaginensi sub Aurelio anno 397, interfuit *Victor senex Puppianensis*, et concilio Carthaginensi sub Bonifacio ann. 525, *Gaudiosus episcopus Ruppianensis.* Synodicæ Patrum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscripsit *Bonifacius episcopus sanctæ Ecclesiæ Puppianensis.*

* Puppitanus, notit. num. 11, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 77.

Rucumensis. In provincia proconsulari. In concilio Carthaginensi sub Cypriano interfuit *Lucianus a Rucuma*, et synodicæ Patrum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Maximus episcopus sanctæ Ecclesiæ Rucumensis.*

Saiensis, seu *Suensis*, coll. carth., d. 1, c. 128, not. 111.

Sicilitanus, coll., carth. d. 1, c. 143, not. 272.

* Seminensis, aut *Siminensis*, vel *Simminensis*, notit. num. 49. Synodicæ Patrum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscripsit *episcopus Seminensis*, et concilio Carthaginensi sub Bonifacio ann. 525, *Junianus episcopus Siminensis.* In Anonymo Ravennensi *Suminina* legitur.

A Senemsalis, coll. cart. d. 1, c. 201, not 393.

A Siccenni, forte *Sinitensis*, seu *Sinicensis*, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 186.

* Siccensis, coll. carth. d. 1, c. 139, not. 265.

* Sicilibensis, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 348.

Silemsilensis, coll. carth. d. 1, c. 201, not. 396.

Simidiccensis, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 256.

* Simittensis, notit. num. 37, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 65.

Sinnuaritensis, seu *Sinnuarensis*, aut *Sinnarensis*, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 185.

Succubensis. Synodicæ Patrum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Lucianus episcopus sanctæ Ecclesiæ Succubensis.* Forte etiam *Vindicius Sacubasensis*, qui interfuit con-

Digitized by Google

cilio Carthaginensi ann. 348, sub Grato, hujus sedis erat episcopus.

* Taborensis, col. carth. d. 1, c. 126, not. 70.

Tabracensis, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 63. Hodie *Tabarca* Genuensium oppidum.

* Tabucensis. Epistolæ synodicæ Patrum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Paulus episcopus sanctæ Ecclesiæ Tabucensis.*

Tacapitanus, notit. num. 5, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 227.

Taciane-Montensis, Conc. Carth. anni 525, subscribit *Ruffinus episcopus Taciæ Montanæ*, Conc. Cabarsussitano *Cresconius Tatienensis*, et ep. synod. Patrum prov. procons. *Probus Tatiamontensis.*

Taduensis. Synodicæ Patrum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Cyprianus episcopus sanctæ Ecclesiæ Taduensis.*

Tagaratensis, notit. num. 43, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 151.

Tagorensis, coll. carth. d. 1, c. 133 et 143, not. 201 et 275.

Tauracinensis. Synodicæ Patrum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Clarissimus episcopus sanctæ Ecclesiæ Tauracinæ.*

Telensis, pro *Zellensis*, notit. num. 14, coll. carth. d. 1, c. 135, not. 260.

Tennonensis, notit. num. 21, *Optatus episcopus Tonnonensis* subscripsit concilio Carthaginensi sub Bonifacio ann. 525. Celebris est *Victor Tunnonensis* auctor Chronici (irrepsit igitur *Turonensis* pro *Tunonensis* pagg. xxv et xxxi).

Theodalensis, seu *Theudalensis* et corrupte *Eudalensis*, notit. num. 53, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 107.

Tiburicensis. Synodicæ Patrum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Valerius episcopus sanctæ Ecclesiæ Tiburicensis.*

Tiburnicensis. Ep. synodicæ Patrum provinciæ proconsularis subscribit *Crescens episcopus Ecclesiæ Tiburnicensis.*

Tigimmensis, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 184.

Tijucensis, forte *Tyzicensis*, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 105.

* Timidensis, notit. num. 40. *Timidensium Martyrum* festivitas celebratur in vetusto kalendario Carthaginensi ad xi kal. Junii. Hæc urbs *Timida regia* dicebatur, cujus episcopum Faustum Confessorem laudat Augustinus, lib. vii de Baptismo contra Donatistas, cap. 22, qui quidem adfuit concilio Carthaginensi sub Cypriano. Restitutus episcopus timidensium regiorum subscribit concilio Carthaginensi sub Bonifacio. Inter episcopos provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscripsit *Felix episcopus Ecclesiæ Timidensis.*

Tinnisensis, notit. num. 32.

Tisilitanus, coll. carth. d. 1, c. 121, not. 50.

Peutingerus *Tichillam* locat in provincia proconsulari.

Titulitanus, notit. num. 51, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 95.

Tizzicensis. Synodicæ Patrum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscribit, *Vitalis episcopus sanctæ Ecclesiæ Tizzicensis.*

Trisipensis, seu *Trisipellensis*, coll. cart. d. 1, c. 128, not. 113.

* Tuburbitanorum majorum, coll. carth. d. 1, c. 133 et 135, not. 170 et 259. Inter episcopos Africæ in concilio Arelat. I, subscribit *Faustus episcopus de civitate Tuborbitana.* Synodicæ Patrum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscribit, *Germanus episcopus sanctæ Ecclesiæ Ciumtuturbo*, quem hujus urbis episcopum esse nullus dubito. Scriptum erat *Civ. m. Tuturbo*, hoc est, *Civitatis majoris Tuturbitanæ*, unde vitio exscriptoris factum est *Ciumtuturbo.*

* Tuburbitanorum minorum, notit. num. 52, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 170.

* Tubursicuburensis, coll. carth. d. 1, c. 121, not. 43.

* Tucaborensis, coll. carth. d. 1, c. 208, not. 426.

Tuggensis, seu *Municipii Togiæ*, coll. carth. d. 1, c. 187, not. 318.

Tulanensis, notit. num. 54.

Tuneiensis, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 110.

* Turensis, coll. carth. d. 1, c. 121, not. 54.

Turudensis, forte *Turusensis*, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 99.

34 * Turusitanus, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 187.

* Vallitanus, coll. carth. d. 1, c. 135, not. 249.

Ucrensis, seu *Verensis*, notit. num. 26, coll. carth. d. 1, c. 208, not. 428. In concilio Arelat. I subscribit, *Vitalis episcopus de civitate Verensium.*

Uculensis, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 130.

Villæ-Magnensis, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 173.

Viltensis, seu *Biltensis*, coll. carth. d. 1, c. 208. not. 431. Inter episcopos Afros in subscriptionibus concil. Arelat. I, reperitur *Surgentius episcopus de civitate Poco-feltis*, forte legendum *Vico-Beltis.*

* Vinensis, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 132. *Vinæ* civitatis mentio fit in Itinerario Antonini, Peutingero *Vina* vicus. Anonymo Ravenn. *Benda.*

Visicensis, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 69.

* Volitanus, notit. num 28, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 146.

Urcitanus, seu *Uci-majoris*, notit. num. 20, coll. carth. d. 1, c. 134, not. 220.

Urugitanus, forte *Uracitanus*, seu *Urcitanus*, notit. num. 20, coll. carth. d. 1, c. 187, notit. 315.

* Uticensis, notit. num. 22, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 128. Inter episcopos qui concilio Arelat. I subscripserunt, invenitur *Victor episcopus de civitate Utic.*,

Digitized by Google

* Utinensis, *coll.* carth. d. 1, c. 128 et 133, not. 135 et 169. Inter subscriptiones concilii Arelatensis I, occurrit nomen *Lampadii episcopi de civitate Utina.*

* Utinisensis, seu *Tinnisensis*, notit. num. 32, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 106.

Utmensis, seu *Utimmirensis*, notit. num. 10, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 66 et 104.

Uvazensis, vel *Uvaziensis*, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 94.

* Uzalensis, notit. num. 7, collat. carth. c. 204, not. 404. Conc. Carth. sub Bonif. Aug. l. 22 de civit. Dei, c. 8.

* Utzipparitanorum, notit. num. 46, coll. carth. d. 1, c. 131, not. 157. In Tabulis Peutingerianis est *Uzippira.*

* Uzitensis, seu *Uci-minoris*, notit. num. 25, coll. carth. d. 1, c. 134, not. 220. *Uzita* sex millibus distat a *Lepti* ex Hirtio.

* Zarnensis, seu *Zamensis*. Synodicæ Patrum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscribit, *Vitalis episcopus sanctæ Ecclesiæ Zarnensis.* In Tabulis Peutingerianis inter urbes provinciæ proconsularis legitur *Zama Regia.*

Zemtensis, coll. carth. d. 1. c. 133, not. 188.

* Zicensis, forte *Ziggensis*, notit. num. 41, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 356.

* Zurensis, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 179.

PROVINCIA NUMIDIÆ.

* Amburensis, seu *Amphorensis*, notit. num. 11, coll. carth. d. 1, c. 121, not. 30.

* Ammederensis, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 97.

Aquænovensis, notit. num. 73, coll. cart. d. 1, c. 198, not. 361.

Aquensis, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 365.

Arensis, coll. carth. d. 1, c. 201, not. 378.

Arsicaritanus, notit. num. 57.

Auguritanus, notit. num. 35, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 84.

Aurusulianensis, coll. carth. d. 1, c. 206, not. 413.

Ausucurrensis, notit. num. 15.

Auzagensis, seu *Ausvagensis*, coll. carth. d. 1, c. 176, not. 289.

* Azurensis, vel *Ajurensis*, coll. carth. d. 1, c. 188, not. 321.

* Babrensis, notit. num. 74.

Bagaitanus, forte idem cum uno e *Vagensibus.* Vide notam 8, in lib. III Optati.

* Bamaccorensis, notit. num. 14, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 137.

* Bazaritanus, seu *Vazaritanus*, notit. num. 32, coll. carth. d. 1, c. 129, not. 154.

Bazienus, seu *Bazitensis*, coll. carth. d. 1, c. 182, not. 300.

Belalitensis, seu *Belesasensis*, notit. num. 106, coll. carth. d. 1, c. 12, not. 68.

* Bofetanus, vel *Bosetanus*, notit. num. 63, coll. carth. d. 1, c. 120, not. 28.

Bucconiensis, seu *Bocconiensis*, notit. num. 13, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 354.

* Burugiatensis, seu *Burcensis*, notit. num. 5, coll. carth. d. 1, c. 201, not. 389.

Cælianensis, notit. num. 49.

Cæsariensis, notit. num. 47, *coll.* carth. d. 1, c. 132, not. 159.

Calamensis, notit. num. 3, *coll.* carth. d. 1, c. 139, not. 266.

Capsensis, coll. carth. d. 1, c. 208, *not.* 437, ubi *Capsæ* oppidi Numidiæ, inter solitudines fit mentio diversi ab eo qui in Byzacena.

Casarum medianensium, notit. num. 29, coll. carth. d. 1, c. 135, not. 255.

Casensis calanensis, notit. num. 43, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 224.

Casensium nigirensium, notit. num. 58, coll. carth. d. 1, c. 149, not. 278.

Castellanus, notit. num. 4, *Castelli* in Numidia meminere Sallustius et Hirtius.

Castello-Titulitanus, notit. num. 51.

Cataquensis, notit. num. 68, coll. carth. d. 1, c. 143, not. 271.

* Centenariensis, notit. num. 39, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 212.

Centuriensis, notit. num. 95, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 81.

* Centurionensis, notit. num. 6, coll. carth. d. 1, c. 202, not. 401.

* Ceramunensis, seu *Ceramussensis*, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 232.

* Constantiniensis, seu *Cirtensis*, vel *Circensis*, notit. num. 83, coll. carth. d. 1, c. 138, not. 264.

* Cuiculitanus, notit. num. 10, coll. carth. d. 1, c. 121, not. 33.

* Cullitanus. Est in Numidia *Cullu* municipium, cujus mentio fit in Itinerario Antonini et in Tabulis Peutingerianis, hodie *Collo*, cujus loci potius dicendi sunt episcopi *Victor* et *Fidentius*, de quibus in collat. Carthaginensi cap. 126 et 201, quam *Cululitanæ* urbis in Byzacena, atque hinc emendanda nota 87.

* Dianensis, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 352. *Diana* in Itinerario Antonini reperitur.

Fatensis, notit. num. 107.

Fesseitanus, notit. num. 12.

Formensis, notit. num. 104, coll. carth. d. 1, c. 209, not. 442.

Formensis, notit. num. 108.

35 * Fossalensis, seu potius *Fussalensis*, notit, num. 21. *Fussala* castellum quadraginta tantum millibus ab Hippone-regio dissitum, et ab ejus diœcesi avulsum tempore sancti Augustini, ut docet epistola CCIX. Miracula ibidem sancti Stephani meritis edita narrat idem, lib. XXII de Civit. Dei, cap. 8.

Garbensis, notit. num. 102, coll. carth. d. 1, c. 209, not. 441.

Digitized by Google

GAUDIABENSIS, seu *Gazabianensis*, notit. num. 13, coll. carth. d. 1, c. 201, not. 387.

GAURIANENSIS. notit. num. 99.

* GAZAUFALENSIS, notit. num. 2. In concilio Carthaginensi sub Cypriano subscripsit *Martyr Salvianus a Gauzafala : Gauzaphna* Ptolemæo : Procopio *Gazophila*. In Tabulis Peutingerianis habetur *Gazaupala*.

* GEMELLENSIS. coll. carth. d. 1, c. 206, not. 414.

* GERMANIENSIS, notit. num. 97, coll. carth. d. 1, c. 120, not. 26.

GIBBENSIS, seu *Gilbensis*, notit. num. 40, coll. carth. d. 1, c. 201, not. 391.

GILBENSIS, seu *Castro-Galbensis*, notit. num. 90, coll. carth. d. 1, not. 321.

DE GIRU-TARAZI, not. num. 121.

GUIRENSIS, seu *Girensis*, notit. num. 9, coll. carth. d. 1, c. 121, not. 34.

* HIPPONENSIUM-REGIORUM, coll. carth. d. 1, c. 138, not. 262.

HOSPITENSIS, not. num. 110, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 295.

* IDASSENSIS, notit. num. 27, coll. carth. d. 1, c. 182, not. 298.

* IDICRENSIS, notit. num. 16, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 145.

JUCUNDIANENSIS, coll. carth. d. 1, c. 180, not. 296.

IZIRIANENSIS, seu *Hizirzadensis*, notit. num. 55, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 213.

* LAMASUENSIS, notit. num. 112, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 143.

* LAMBESITANUS. *Lamesa*, seu *Lambesa*, Ptolemæo et Antonino. Numidiæ urbs, cujus episcopus *Januarius* subscribit concilio Carthaginensi sub Cypriano. *Privati* hæretici in *Lambesitana* colonia damnati meminit Cyprianus, epist. LV. Duplex *Lambesitanus* episcopus occurrit in concilio Carthaginensi sub Cypriano, unus num. 6, alter num. 75.

LAMBIENSIS, seu *Lambesitanus*. coll. carth. d. 1, c. 201, not. 375.

* LAMBIRITENSIS, seu *Lambiritanus*, notit. num. 19, coll. carth. d. 1, c. 206, not. 412. *Lambiridis* apud Peutingerum occurrit.

LAMIGGENSIS. notit. num. 101. coll. carth. d. 1, c. 133, 187 et 198, not. 163.

LAMIGGIGENSIS. notit. num. 122, coll. carth. d. 1, ibid.

LAMFUENSIS, sec *Lampuensis*, notit. num. 87, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 222, *Lambasudis* apud Peutingerum.

LAMSORTENSIS, notit. num. 23, coll. carth. d. 1, c. 149, not. 282.

* LEGENSIS, notit. num. 78, carth. d. 1, c. 121, not. 39.

LEGENSIS, notit. num. 85, coll. carth. d. 1, c. 187, not. 39. In concilio Arelatensi I subscribit, *Victor episcopus de civitate Legis volumini provinciæ Numidiæ*. Forte is est *Legensis*.

* LIBERALIENSIS, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 223.

LUGURENSIS, not. num. 82.

* MADAURENSIS, notit. num. 60, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 62. *Madurus* occurrit apud Ptolemæum.

MADENSIS, notit. num. 37. *Limitis Madensis* mentio fit in notitia imperii, sect. 55.

* MAGARMELITANUS, notit. num. 103, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 60.

MARCELLIANENSIS, seu *de Giru-Marcelli*, notit. num. 52, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 174.

* MAGOMAZIENSIS, seu *Macomadiensis*, notit. num. 84, coll. carth. d. 1, c. 116. not. 16.

* MASCULITANUS, notit. num. 94, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 122.

MATHARENSIS, notit. num. 38, coll. carth. d. 1, c. 120, not. 27.

* MAXIMIANENSIS, notit. num. 119.

MAZACENSIS, notit. num. 81, coll. carth. d. 1, c. 215, not. 445.

METENSIS, notit. num. 46, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 79.

* MESARFELTENSIS, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 360.

MIDLENSIS, seu *Midilensis*, notit. num. 41, coll. carth. d. 1, c. 193, not. 329.

* MILEVITANUS, notit. num. 114. Vide notam 1, ad lib. I Optati, pag. 1.

* MONTENUS, seu *Montensis*, notit. num. 25, coll. carth d. 1, c. 121, not. 52.

* MOXORITANUS, notit. num. 76.

MULIENSIS, notit. num. 109.

MUNICIPENSIS, notit. num. 56. Forte idem qui dicitur *Municipii Tulliensis* in concilio Carthaginensi anni 525, cui subscribit *Marianus episcopus municipii Tulliensis*, Numidiæ legatus.

* MUSTITANUS, notit. num. 71, coll. carth. d. 1, c, 206, not. 53.

* MUTUGENNENSIS, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 191.

NARATCATENSIS, notit. num. 100, concilio Carthaginensi anni 525, sub Bonifacio subscribit, *Columbus episcopus plebis Naraccatensis*.

NICIBENSIS, forte *Nibensis*, notit. num. 8, coll. carth. d. 1, c. 201, not. 381.

NOBABARBARENSIS, seu *Novabarbarensis*, notit. num. 26.

NOBACÆSAREENSIS, notit. num. 31. Idem forte locus qui *Vicus Cæsaris* dicitur in concilio Carthaginensi sub Cypriano, et *Vicus Augusti* in concilio Cabarsussitano.

NOBAGERMANIENSIS, seu *Novagermaniensis*, notit. num. 28. Diversa a *Germania* quæ num. 97. *Seniores Novæ Germaniæ* semel et iterum memorantur in codice canonum Ecclesiæ Africanæ can. 100.

* NOBASPARSENSIS, notit. num. 45. *Novæsparsæ* meminit Antoninus in Itinerario haud procul a Sitifi.

Digitized by Google

* Novapetrensis. Antoninus in Itinerario habet *Novapetra*. Coll. carth. d. 1, c. 187, not. 311.

Novasinensis, seu *Nobasinensis*, coll. carth. d. 1, c. 121, not. 32.

Octavensis, notit. num. 36. Urbs Numidiæ. Concilio Carthaginensi sub Cypriano interfuit *Victor ab Octavo. Octavensis* loci meminit Optatus lib. III.

Putiensis, notit. num. 17, coll. carth. d. 1, not. 281.

Pudentianensis, notit. num. 44, coll. carth. d. 1, c. 201, not. 385. *Vide* de eadem Ecclesia 36 ep. xxxiii, l. ii, Gregorii Magni ad finem Monumentorum nostrorum.

Regianensis, notit. num. 91. Gregorius Magnus lib. x, ep. xxxii, scribit ad Columbum Numidiæ episcopum occasione *Paulini* cujusdam *Regensis episcopi*, quem *Regianensem* esse suspicatur Theodericus Ruinart.

Respectensis, notit. num. 79.

* Ressianensis, seu *Ressanensis*, notit. num. 34, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 64.

* Rotariensis, coll. carth. d. 1, c. 187, not. 319.

* Rusiccadiensis, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 350. *Russicade* portus erat olim *Constantinæ*, nunc *Succaicade*.

* Rusticianensis, notit. num. 61, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 374.

* Seleucianensis, notit. num. 116, coll. carth. d. 1, c. 121, not. 42.

Siguitensis, seu *Suggitanus*, notit. num. 18, coll. carth. d. 1, c. 197, not. 340.

Silensis, notit. num. 92.

Sillitanus, notit. num. 54, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 115.

* Sinitensis, notit. num. 67, coll. carth. d. 1, c. 202, not. 398.

Sistronianensis, notit. num. 64.

Suavensis, vel *Suabensis*, notit. num. 96, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 194.

Susicaziensis, notit. num. 30.

* Tabudensis, notit. num. 42, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 208.

* Tacaratensis, notit. num. 113, coll. carth. d. 1, c. 121, not. 41.

* Tagastensis, notit. num. 118, coll. carth. d. 1, c. 136, not. 261.

* Tagorensis, not. num. 20, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 201.

* Tamogadensis, seu *Tamugadensis*, notit. num. 77, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 142. *Tamugadæ* meminit Procopius quam dicit sitam esse ad calcem montis Aurazii, qui hodie quoque vocatur *Auras*.

* Tegulatensis, seu *Teglatensis*, notit. num. 69, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 355.

* Tevestinus, seu *Tebestinus*, vel *Tibestinus*, notit. num. 75, coll. carth. d. 1, c. 121 et 180, not. 40 et 292.

* Tharasensis, notit. num. 53, concilio Carthaginensi sub Cypriano interfuit Zozimus *a Tharasa*.

* Tibilitanus, notit. num. 66, coll. carth. d. 1, c. 197, not. 50 et 544, et not. 50, in l. I Optati.

Tigillavensis, seu *Tigillabensis*, notit. num. 33, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 210.

* Tigisitanus, notit. num. 89, coll. carth. d. 1, c. 135, not. 257.

* Tignicensis, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 176.

Tinistensis, seu *Tinisensis*, coll. carth. d. 1, c. 180, not. 295.

* Tipasensis, notit. num. 65. *Diversa hæc Tipasa* a Mauritaniæ Cæsariensis urbe, de qua Optatus lib. 2, § 18, p. 42. *Firmus episcopus Ecclesiæ Tipasensis*, Numidiæ provinciæ legatus subscripsit concilio Carthaginensi sub Bonifacio, anno 525, et adfuit concilio V generali.

* Tiseditensis, vel *Tiseditanus*, seu *Tididitanus*, notit. num. 24, coll. carth. d. 1, c. 135, not. 258.

* Tubiniensis, seu *Tubuniensis*, notit. num. 72, coll. carth. d. 1, c. 121, not. 31. Ptolemæo *Tunuba* prope Mustim.

* Tuburnicensis. Apud Ptolemæum reperitur inter oppida Numidiæ *Tuburnica*, cujus crediderim episcopum Æneam *a Tuburnice*, de quo coll. carth. diei 1, c. 215, not. 453.

* Tubursicensis, notit. num. 22, coll. carth. d. 1, c. 143, not. 270.

* Tuccensis, coll. carth. d. 1, c. 65, et 130, not. 13, et 156.

A Turre rotunda, forte *a Robunda*, coll. carth. d. 1, c. 208, not. 420.

De Turres-Ammeniarum, notit. num. 105.

Turris-Concordiensis, notit. num. 86.

Vadensis, notit. num. 117.

Vadesitanus, notit. num. 98, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 103. *Vasidice* occurrit in Tabulis Peutingerianis.

* Vageatensis, seu *Vagadensis*, vel *Vagradensis*, notit. num. 111, coll. carth. d. 1, c. 180, not. 297. Erat urbs sita ad flumen Bagradam, quæ dicitur a Polybio *Macar*, et hodie fluvius Bagradas *Magerada* appellatur.

* Vagensis, vel *Vadensis*, notit. num. 7 coll. carth. d. 1. c. 215, not. 450.

Vagrotensis, notit. num. 88.

Vaianensis, seu *Baianensis*, coll. carth. d. 1, c. 99, not. 9, et 14.

* Velesitanus, notit. num. 80, coll. carth. d. 1, c. 135, not. 192 et 234. In Tabulis Peutingerianis *Velesi* habetur.

* Veselitanus, seu *Vegeselitanus*, notit. num. 59, coll. carth. d. 1, c. 135, not. 192, et 234.

Vesceritanus, pro *Berceritanus*, notit. num. 1, coll. carth. d. 1, c. 120, not. 18.

Vicensis, seu *Vicopacensis*, notit. num. 123, coll. carth. d. 1, c. 143, not. 277.

* Villaregensis, notit. num. 62, coll. carth. d. 1. c. 128, not. 139.

Ullitanus, notit. num. 113.

Digitized by Google

ZABENSIS, notit. num. 70, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 362.

* ZAMENSIS, coll. carth. d. 1, c. 121, not. 44.

* ZARAITENSIS, seu *Zarattensis*, notit. num. 120, coll. carth, d. 1, c. 128, not. 138.

ZATTARENSIS, notit. num. 50, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 121.

ZERTENSIS, coll. carth. d. 1, c. 187, not. 314.

ZUMMENSIS, coll. carth. d. 1, c. 113, not. 15.

PROVINCIA BYZACENA.

* ABARADRENSIS, notit. num. 23.

ABIDENSIS. In provincia Byzacena ex Ptolemæo.

*ACOLITANEUS, seu *Acolitanus*, notit. num. 59. *Quinctus* hujus Ecclesiæ episcopus subscribit epistolæ Patrum Byzacenorum in concilio Lateranensi sub Martino.

* ADRUMETINUS, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 67.

AFUFENIENSIS, notit. num. 2.

* AGGARITANUS, notit. num. 108, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 91.

AGGERITANUS, seu *Aggaritanus*, notit. num. 29, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 91.

* AMUDARSENSIS, notit. num. 1, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 93.

37 ANCUSENSIS, notit. num. 5, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 101.

AQUÆ-ALBENSIS, notit. num. 52, coll. carth. d. 1, c. 197, not. 335.

* AQUENSIUM REGIORUM, notit. num. 86, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 74.

AQUIABENSIS, notit. num. 26.

* ARSURITANUS, notit. num. 67. Ejusdem forte loci episcopus erat qui epistolæ Patrum Byzacenorum in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Bonifacius episcopus sanctæ Ecclesiæ Sasuritanæ.*

* AUTENTENSIS, notit. num 104. Epistolæ episcoporum provinciæ Byzacenæ in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Optatus episcopus sanctæ Ecclesiæ Autentensis.*

* AUZAGERENSIS, notit. num. 96, coll. carth. d. 1, c. 208, not. 424.

BAHANNENSIS, seu *Boanensis*, vel *Banensis*, notit. num. 73, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 80.

BENNEFENSIS, seu *Benefensis*, notit. num. 4, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 193.

BIZACIENSIS. *Bizacii* oppidi in ea provincia quæ Byzacena dicitur meminere Ptolemæus et Procopius.

BULELIANENSIS, notit. num. 16. Forte hujus sedis episcopus erat *Quodvultdeus episcopus plebis Bullamensis*, qui subscripsit concilio Carthaginensi sub Bonifacio, anno 525. *Bululæ* meminit Plinius, lib. v, c. 5.

CABARSUSSENSIS, coll. carth. d. 1, c. 208, not. 438.

* CAPSENSIS, notit. num. 60, coll. carth. d. 1, c. 126 et 208, not. 82 et 437.

CARCABIANENSIS, notit. num. 84, coll. carth. d. 1, c. 201, not. 380.

CARIANENSIS, seu *Casularum Carianensium*, notit. num. 58, coll. carth. c. 126, not. 90.

CEBARADEFENSIS. Epistolæ Patrum provinciæ Byzacenæ in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Mustulus episcopus sanctæ Ecclesiæ Cebaradefensis.*

* CELLENSIS. Epistolæ episcoporum provinciæ Byzacenæ in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Fortunius episcopus Cellensis.*

CENCULIANENSIS, seu *Cunculianensis*, notit. num. 114, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 118.

* CILLITANUS, seu *Cilitanus*, notit. num. 64, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 124.

CINCARITENSIS, seu *Cincaritanus*, forte *Circinitanus*, notit. num. 47, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 217.

CREPERULENSIS, seu *Crepedulensis*, notit. num. 40, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 202.

CUFRUTENSIS, notit. num. 62, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 152.

CULULITANUS, notit. num. 56, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 87.

CUSTRENSIS, forte *Castrensis*, notit. num. 15.

DICENSIS. Epistolæ episcoporum provinciæ Byzacenæ in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Candidus episcopus Ecclesiæ Patriædicensis.*

DECORIANENSIS, vel *Detorianensis*, notit. num 12. Epistolæ episcoporum provinciæ Byzacenæ in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Paschasius episcopus sanctæ Ecclesiæ Detorianensis.* Forte idem est ac *Turensis* infra.

DIONYSIANENSIS, notit. num. 111, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 359.

DURENSIS, notit. num. 61.

EGNATIENSIS, notit. num. 30.

* ELIENSIS, vel *Heliensis*, notit. num. 101, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 72.

FEBIANENSIS, seu *Rebianensis*, notit. num. 69. Epistolæ episcoporum provinciæ Byzacenæ in concilio Lateranensi sub Martino subscribit, *Salustius episcopus sanctæ Ecclesiæ Rebianensis.*

FERADITANÆ MAJORIS, vel *Feradimaiensis*, notit. num. 39, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 61.

FERADITANÆ MINORIS, seu *Peradamiensis*, notit. num. 31, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 215.

FILACENSIS, notit. num. 79.

FORATIANENSIS, notit. num. 66.

FORONTONIANENSIS, notit. num. 68.

FRONTONIANENSIS, notit. num. 71.

GAGUARITANUS, seu *Gauvaritanus*, notit. num. 100, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 148.

GATIANENSIS, notit. num. 22, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 368.

GERNISITANUS. Epistolæ Patrum Byzacenorum in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Felix episcopus Ecclesiæ municipii a Gernisis.* Forte idem est cum *Segermitano.*

GUMMITANUS, notit. num. 89, coll. carth. d. 1, c. 215, not. 449.

GURGAITENSIS, notit. num. 78, concilio Charthaginensi sub Cypriano interfuit *Felix a Gurgitibus.*

* HERMIANENSIS, notit. num. 32, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 200. Procopius *Hermionem* in his locis nominat.

Digitized by Google

HIERPINIANENSIS, seu *Irpinianensis*, notit. num. 53, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 199.

* HIRENENSIS, seu *Irensis*, notit. num. 94, coll. carth. d. 1, c. 215, not. 448.

* HORREÆ CÆLIENSIS, notit. num. 113, coll. carth. d. 1, c. 201, not. 384.

JUBALTIANENSIS, notit. num. 106, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 117.

JUNCENSIS, notit. num. 105, coll. carth. d. 1, c. 187, not. 313.

LIMMICENSIS. Epistolæ episcoporum provinciæ Byzacenæ in concilio Lateranensi subscribit, *Donatus episcopus sanctæ Ecclesiæ Limmicensis.*

* LEPTIMINENSIS, notit. num. 36, coll. carth. d. 1, c. 121, not. 48.

* MACOMADIENSIS, vel *Macomaziensis*, coll. carth. d. 1, c. 197, not. 333.

MACRIANENSIS MAJORIS, notit. num. 80, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 56.

* MANDAMUSITANUS, seu *Madassumitanus*, notit. num. 110, coll. carth. d. 1, c. 187, not. 307.

MARAGUIENSIS, notit. num. 74. Forte is est qui in epistola synodica Patrum Byzacenorum relata in concilio Lateranensi sub Martino dicitur *Taraquensis.*

* MARAZANENSIS, notit. num. 49, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 198.

* MASCLIANENSIS, notit. num. 9, coll. carth. d. 1, c. 208, not. 429.

* MASSIMANENSIS, seu *Maximianensis*, notit. num. 43. Epistolæ Patrum Byzacenorum in concilio Lateranensi sub Martino subscripsit *Bonifacius episcopus sanctæ Ecclesiæ Justini ac Maximiensis.*

MACTARITANUS, notit. num. 25, coll. carth. d. 1, c. 202, not. 219.

MATARITANUS, seu *Mattaritanus*, notit. num. 50, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 219.

MATERIANENSIS, notit. num. 90.

38 * MEDEFESSITANUS, seu *Menefessitanus*, notit. num. 57, coll. carth. d. 1, c. 135, not. 254.

* A MEDIANIS ZABUNIORUM, seu *Medianensis*, notit. num. 27, coll. carth. d. 1, c. 203, not. 403.

MIBIARCENSIS. Epistolæ episcoporum provinciæ Byzacenæ in concilio Lateranensi subscribit, *Joannes episcopus Ecclesiæ Mibiarcensis.*

* MIDICENSIS, coll. carth. d. 1, c. 187, not. 309.

MIDITENSIS, notit. num. 6, coll. carth. d 1, c. 142, not. 267.

MIRICIANENSIS, forte *Mimianensis*, notit. num. 72. Epistolæ Patrum Byzacenorum in concilio Lateranensi sub Martino subscripsit *Saturninus episcopus sanctæ Ecclesiæ Miricianensis.*

MOZOTCORITANUS, notit. num. 91.

MUZUCENSIS, notit. num. 42, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 190.

* NARENSIS, notit. num. 11, coll. carth. d. 1, c. 206, not. 411.

NATIONENSIS, notit. num. 75, coll. carth. d. 1, c. 208, not. 439.

* NEBBITANUS, forte *Neptitanus*, notit. num. 14, coll. carth. d. 1, c. 197, not. 342, cui adde *Neptem* in Anonymo reperiri et in Tabulis Peutingerianis.

OCTABENSIS, notit. num. 38.

OCTABIENSIS, notit. num. 24.

OPPENNENSIS, notit. num. 82.

PEDERODIANENSIS, notit. num. 46.

A PISSANIS, seu *Pesanis*, coll. carth. d. 1, c. 184, not. 301.

* PRÆCAUSENSIS, notit. num. 51. Forte *Præcisu* prope *Leptim minorem.*

* PRÆSIDIENSIS, notit. num. 76, coll. carth. d. 1, c. 208, not. 434.

PUTIZIENSIS, seu *Putiensis*, notit. num. 18, coll. carth. d. 2, c. 149, not. 281.

QUÆSTORIANENSIS, notit. num. 87. Epistolæ Patrum provinciæ Byzacenæ in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Stephanus Spesindeo episcopus sanctæ Ecclesiæ Quæstorianensis.*

RUFINIANENSIS, notit. num 85, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 123.

* RUSFENSIS, seu *Ruspensis*, notit. num. 102, coll. carth. d. 1, c. 121, not. 29.

* RUSPITENSIS, coll. carth. d. 1, c. 121, not. 29.

SCEBATIANENSIS, vel *Sebastianensis*, notit. num. 45.

SEBERIANENSIS, notit. num. 10.

SEGERMITENSIS, seu *Segermitanus*, notit. num. 99, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 59.

* SEPTIMUNICIENSIS, notit. num. 3. Memoratur *Septimunicia* ab Antonino in Itinerario.

* SUBLECTINUS, vel *Sullectinus*, notit. num. 93. In Anonymo Ravennensi habetur *Sublecte*, in Tabulis Peutingerianis *Sublecti.* Procopius, lib. 1 de Bello Vandal. *Syllectum* maritimum optimum vocat, quod primum appulit Belisarius, et inde per Leptim et Adrumetum *Crassam* pervenit, postea *Decimum*, qui locus 70 prope stadia Carthagine aberat. In concilio Bagaiensi ann. 394. *Martianus Sullectinus* Donatista episcopus ab aliis Donatistis fuit damnatus.

* SUFETANUS, notit. num. 21, coll. carth. d. 1, c. 142, not. 268.

* SUFETULENSIS, notit. num. 20, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 85. Forte ea quæ Abulfedæ *Sobaitele.*

* SULIANIS, notit. num. 112. Forte *Silvanæ*, seu *a Casis Silvanæ. Silvanum* in Byzacena collocatur in Tabulis Peutingerianis, episcopi hujus urbis fit mentio in collat. Carth. diei 1, c. 198, not. 357, ubi cujus provinciæ esset nescire nos diximus; sed in Tabulis Peutingerianis id postea didicimus.

TAGAMUTENSIS, notit. num. 19, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 96.

TAGARAIENSIS, seu *Tagariatanus*, vel *Tagazensis*, notit. num. 37, coll. carth. d. 1, c. 201, not. 382.

* TAGARBALENSIS, notit. num. 83. In Itinerario Antonini inter *Tacapem et Turrem Tamalleni* in limite Tripolitano occurrit *Agarlabas.*

TALAPTULENSIS, notit. num. 103.

TAMAZENUS, coll. carth. d. 1, not. 285.

* TAMBAIENSIS, vel *Tambeitanus*, notit. num. 13, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 125.

Digitized by Google

* Taprurensis, coll. carth. d. 1, c. 135, not. 250. A

* Tapsensis, notit. num. 109. *Tapsum* memorant Ptolemæus, Livius, Florus, Hirtius, Plinius, Tabulæ Peutingerianæ et Anonymus Ravennas. Hujus episcopus *Vigilius Tapsensis* celebris scriptor.

Tarasensis, notit. num 34.

* Tasfaltensis, seu *Tasbaltensis*, notit. num. 63, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 119.

* Teleptensis, notit. num. 81, coll. carth. d. 1, c. 121, 198 et 208, not. 36 et 425.

* Temonianensis, seu *Temoniarensis*, notit. num. 97, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 83.

* Tenitanus, notit. num. 33, coll. carth. d. 1, c. 120, not. 23.

Tetcitanus, notit. num. 77.

Theuzitanus, seu *Theuditanus*, notit. num. 17, B Plinius, lib. v, cap. 4, inter oppida libera *Theudense* memorat.

* Thusdritanus, coll. carth. d. 1, c. 121, not. 47. Idem forte qui *Tuzudrumes* vocatur in concilio Carthaginensi anni 525, sub Bonifacio et qui *Turditanus*. Epistolæ episcoporum provinciæ Byzacenæ in concilio Lateranensi sub Martino subscripsit *Benerius episcopus Ecclesiæ civitatis Turditanæ*.

* Ticensis, notit. num. 115, coll. carth. d. 1, c. 121, not. 51.

Tigiensis, seu *Tiziensis*, notit. num. 65, coll. carth. d. 1, c. 120, not. 24.

Tigualensis, seu *Ticualtensis*, notit. num. 95, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 58.

Trofimianensis, seu *Trofinianensis*, notit. num. C 35, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 226.

Tubulbacensis, notit. num. 7, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 78.

Tuccensis, coll. carth. d. 1, c. 130, not. 156.

* Turensis, seu *Turrensis*, notit. num. 98, coll. carth. d. 1, c. 121, not. 38.

Turreblandensis, notit. num. 98. coll. carth. d. 1, c. 208, not. 435.

* Turre-Tamallumensis, notit. num. 55, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 102.

* Tuzurritanus, seu *Tuziritanus*, notit. num. 48, coll. carth. d. 1, c. 120, not. 25.

Vadentinianensis, seu *Valentinianensis*, notit. num. 8. Epistolæ Patrum Byzacenorum in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Rodibaldus episcopus sanctæ Ecclesiæ Valentinianensis*. D

* Vararitanus, notit. num. 70.

* Vassinassensis et Aquis, notit. num. *

* Vegeselitanus, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 192.

A Vico-Ateri, seu *Vico-Ateriensis*, notit. num. 92, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 353.

39 Victorianensis, notit. num. 88, coll. carth. d. 1, c. 20, not. 388.

Vitensis, notit. num. 44. Hujus loci episcopus erat Victor, qui fuit auctor historiæ Vandalicæ.

Unuricopolitanus, notit. num. 107.

* Usilensis, seu *Usulensis*, notit. num. 54, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 92.

* Uzabirensis, seu *Unuzibirensis*, notit. num. 41, coll. carth. d. 1, c. 201, not. 395.

MAURITANIA CÆSARIENSIS.

ET TINGITANA.

Adquesirensis, notit. num. 66, coll. carth. d. 1, c. 188, not. 323.

Adsinnadensis, not. num. 115.

Alamiliarensis, not. num. 33.

* Albulensis, notit. num. 79. *Albularum* mentio fit in Itinerario Antonini et in Anonymo Ravennate.

* Altabensis, notit. num. 10. Apud Anonymum Ravennatem ibi legitur *Ataba*. Est alia *Altaba* in Numidia ex Itinerario Antonini.

Amaurensis, notit. num. 35.

Ambiensis, notit. num. 46.

* Aquensis, notit. num. 24, coll. carth. d. 1, c. 135, not. 244.

* Arsinnaritanus, notit. num. 95. *Arsennariæ* meminerunt Plinius, Ptolemæus, Antoninus, Anonymus Ravennas, et Pomponius Mela, ut coloniæ Romanæ.

Bacanariensis, notit. num. 40.

Balianensis, notit. num. 91, concilio Cabarsussitano interfuit *Pancratius Balianensis*.

* Baparensis, notit. num. 98. Forte *Vabarensis*, nam *Vabar* inter civitates Mauritaniæ Cæsariensis memorat Ptolemæus.

Bartimisiensis, seu *Vardimissensis*, notit. num. 45, coll. carth. d. 1, c. 135, not. 242.

Benepotensis, notit. num. 44.

Bidensis, notit. num. 85. *Bida* urbs a Ptolemæo memoratur inter civitates Mauritaniæ Cæsariensis. In Notitia imperii sect. 54, habetur *Limes Bidensis* sub dispositione Ducis Mauritaniæ Cæsariensis.

Bitensis, notit. num. 83.

* Bladiensis, seu *Badiensis*, coll. carth. d. 1, c. 121, not. 37.

Boncarensis, seu *Voncariensis*, notit. num. 62, coll. carth. d. 1, c. 208, not. 432.

Bulturiensis, notit. num. 89.

Cæsariensis, notit. num. 21, coll. carth. d. 1, c. 143, not. 274. Plerique putant oppidum esse qui D nunc *Alger* dicitur, at istud cum Itinerariis non concinit; potius debet *Tenes*, quæ portum habet et insulam sicut olim *Cæsarea*.

Caltadriensis, notit. num. 67.

Caprensis, notit. num. 53.

* Caput cillensis, notit. num. 38. Mentio fit hujus loci in Itinerario Antonini et in Notitia imperii.

* Cartennitanus, notit. num. 50. Urbs celebris cujus meminere Ptolemæus, Pomponius Mela, Plinius. Victor hujus urbis episcopus inter scriptores memoratur a Gennadio. *Rustici Cartenitani episcopi* mentio fit apud Augustinum in libro de gestis cum Emerito.

Digitized by Google

* Castellanus, notit. num. 75, coll. carth. d. 1, c. 135 et 180, not. 253 et 294.

Castelli-Jabaritanus, seu *Castelli-Aboritanus*, notit. num. 65.

* Castelli-Mediani, notit. num. 80. Apud Ammianum Marcellinum mentio fit *Mediani-Munimenti*.

Castelli-Tatroportensis, notit. num. 94.

Castellominoritanus, not. num. 31.

Castello Ripensis, notit. num. 119.

* Castranobensis, notit. num. 74. Ea est urbs quam Antoninus in Itinerario *Castra nova* appellat, et Anonymus Ravennensis in Tingitana locat.

Castraseberianensis, notit. num. 73.

Catabitanus, notit. num. 97.

* Catrensis, notit. num. 106.

Catulensis, notit. num. 48.

Cissitanus, notit. num. 107, coll. carth. d. 1, c. 206, not. 418.

Columpnatensis, notit. num. 12.

Corniculanensis, notit. num. 4. *Corniclano* meminere Anonymus Ravennas et Tabulæ Peutingerianæ.

* Elefantariensis, notit. num. 96. Concilio Cabarsussitano adfuit *Miggin ab Elefantaria;* sed duplex erat in Africa locus hujus nominis, ut patet ex Anonymo Ravennate, quorum unus erat in provincia proconsulari, ut etiam ex Tabulis Peutingerianis constat.

Fallabensis, notit. num. 28.

Fidolomensis, notit num. 17.

Flenucletensis, notit. num. 84.

* Florianensis, notit. num. 32. Ptolemæus inter urbes Mauritaniæ Cæsariensis memorat *Floriam*.

Flumenzeritanus, notit. num. 30.

Frontensis, notit. num. 58.

* Girumontensis, notit. num. 9.

Gorensis, concilio Carthaginensi sub Cypriano interfuit *Victor a Gor*, forte *a Garra* urbe Mauritaniæ Cæsariensis de qua Ptolemæus et Victor Vitensis.

Gratianopolitanus, notit. num. 81, coll. carth. d. 1, c. 135, not. 238.

Gunugitanus, notit. num. 111. *Gunugitanæ* coloniæ meminit Plinius, et *Gunugus* habetur in Itinerario Antonini et apud Anonymum Ravennatem.

* Gypsariensis, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 147.

* Icositanus, notit. num. 59, coll. carth. d. 1, c. 197, not. 336.

Idensis, notit. num. 14.

Idensis, notit. num. 16.

Jommitensis, seu *Jonnitensis*, coll. carth. d. 1, c. 208, not. 427.

Itensis, notit. num. 5.

Juncensis, notit. num. 1.

* Lapidiensis, notit. num. 61.

Larensis, coll. carth. d. 1, not. 158.

* Majucensis, notit. num. 121.

Malianensis, seu *Milianensis*, notit. num. 8, coll. carth. d. 1, c. 135, not. 245.

Mammillensis, notit. num. 78, coll. carth. d. 1, c. 135, not. 246.

Manazenensium Regiorum, seu *Manaccenseritanus*, notit. num. 82, coll. carth. d. 1, c. 201, not. 394.

Masuccabensis, notit num. 42. Ammianus Marcellinus memorat fundum *Muzucane*.

Maturbensis, notit. num. 90.

* Maurensis. notit. num. 124. Anonymus Ravennas *Mauræ* in Tingitana meminit.

Maurianensis, notit. num. 88.

Maxitensis, *notit. num.* 114.

Mediensis, *notit. num.* 47.

* Minnensis, *notit.* num. 49, concilio Carthaginensi sub Bonifacio an. 525, subscribit *Secundinus episcopus Minensis* provinciæ Mauritaniæ. *Minam* habet Antoninus in Itinerario. Est *Mina* fluvius ab Anonymo Ravennensi memoratus, nunc ejusdem nominis.

* Murustagensis, notit. num. 25. Hodie in his locis est urbs *Mustugan*.

Musertitanus, seu *Mutecitanus*, notit. num. 76, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 196.

Nabalensis, notit. num. 122.

Nasbincensis, notit. num. 39.

Nobensis, notit. num. 19, coll. carth. d. 1, c. 215, not. 451.

Nobicensis, notit. num. 7.

Novensis, seu *Nobensis*, notit. num. 93, coll. carth. d. 1, c. 215, not. 451.

Numidiensis, seu *Numidensis*, notit. num. 118, coll. carth. d. 1, c. 188, not. 325.

Nurconensis, seu *Murconensis*, notit. num. 102, coll. carth. d. 1, c. 135, not. 252.

* Obbensis, seu *Obbitanus*, notit. num. 56, coll. carth. d. 1, c. 193, not. 327.

Oboritanus, notit. num. 72.

Oboritanus, notit. num. 126.

* Oppidonebensis, notit. num. 64. *Oppidi-Novi* meminere Ptolemæus, Plinius, Antoninus, et Anonymus Ravennas.

* Opinensis, seu *Ospinensis*. In concilio Carthaginensi anni 419, sub Aurelio interfuit *Leo episcopus Ospinensis*, legatus Mauritaniæ Tingitanæ.

Pamariensis, notit. num. 43.

* Quidiensis, notit. num. 2, coll. carth. d. 1, c. 145, not. 273.

* Regiensis, notit. num. 51.

* Reperitanus, notit. num. 70.

* Rusaditanus, notit. num. 69. *Rusadir* colonia celebris Antiquis. Hujus meminere Ptolemæus, Plinius, Antoninus, et Pomponius Mela, sed tamquam Tingitanæ provinciæ ubi est *Russadir* promontorium. At locus is de quo hic agitur potius est *Rusazus*, colonia Augusti, quam Plinius, Ptolemæus, et Antoninus, in Mauritania Cæsariensi recensent.

* Rusguniensis, notit. num. 64. *Rusguniæ coloniæ* mentio fit in Itinerario Antonini, apud Plinium et

Digitized by Google

Anonymum Ravennatem, concilio Carthaginensi sub Aurelio an. 419, adfuit *Numerianus Rusguniensis*, unus ex legatis Mauritaniæ Cæsariensis.

* Rusubiccariensis, seu *Rusubicarensis*, vel *Rubicariensis*, notit. num. 77, coll. carth. d. 1, c. 197, not. 343.

* Rusubiritanus, notit. num. 22.

* Rusuccurritanus, notit. num. 54, coll. carth. d. 1, c. 135, not. 241.

Rusucensis, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 182.

Satafensis, notit. num. 116.

Sereddelitanus, notit. num. 92.

* Serrensis, seu *Sertensis*, notit. num. 117, coll. carth. d. 1, c. 135, not. 237.

Sestensis, notit. num. 36. Forte *Septensis*, de quo loco Procopius in libris de bello Vandalico non semel Arabibus *Sebta*, hodie *Ceuta*, longa obsidione nunc nobilitata.

Sfasferiensis, notit. num. 55.

Siccesitanus, notit. num. 80, coll. carth. d. 1, c. 197, not. 331.

Siguitanus, coll. carth. d. 1, c. 209, not. 444.

Sitensis, not. num. 112, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 349.

Subbaritanus, not. num. 23.

Sucardensis, notit. num. 13, coll. carth. d. 1, c. 135 et 201, not. 240 et 377.

Sufaritanus, notit. num. 87, coll. carth. d. 1, not. 236.

* Sufasaritanus, seu *Sufaritanus*, notit. num. 3, coll. carth. d. 1, c. 135, not. 236.

* Sugabbaritanus, notit. num. 20, coll. carth. d. 1, c. 135, not. 239.

Summulensis, notit. num. 104.

Tabazagensis, vel *Tabaïcensis*, aut *Tabaïcariensis*, seu *Tabadcariensis*, notit. num. 103, coll. carth. d. 1, c. 135 et 197, not. 247 et 339.

Taborentensis, notit. num. 18. Diversus a *Taborensi* provinciæ proconsularis de quo in nota 70.

* Tabuniensis, notit. num. 109. Hodie *Tobna*.

Tadamatensis, notit. num. 105.

Talensis, forte *Tablensis*, notit. num. 60, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 372.

Tamicensis, forte *Tamazucensis*, vel *Tamazensis*, notit. num. 120, coll. carth. d. 1, c. 163, not. 285.

Tanudaiensis, forte *Tamadensis*, notit. num. 100, coll. carth. d. 1, c. 197, not. 332.

* Tasaccurensis, notit. num. 108. Apud Antoninum in Itinerario *Tasaccora*, inter Mauritaniæ urbes memoratur.

* Ternamusensis, vel *Ternamunensis*, notit. num. 37, coll. carth. d. 1, c. 180, not. 291.

Tifiltensis, notit. num. 15, coll. carth. d. 1, not. 258.

* Tigabitanus, notit. num. 68. Apud Augustinum mentio fit in gestis cum Emerito *Palladii Tigabitani* episcopi, et epistola 228 *Honorati* successoris ejus. In codice Can. Eccl. Afr. cap. 97, mentio fit civitatis *Tiganensis* in Mauritania. *Tigavæ*, seu *Tigavarum* meminere Ptolemæus, Plinius, Ammianus, et Antoninus.

Tigamibenensis, notit. num. 34.

* Tigisitanus, notit. num. 27, coll. carth. d. 1, c. 209, not. 443.

* Timicitanus, notit. num. 6, coll. carth. d. 1, c. 135; not. 248 et 285.

Timidanensis, notit. num. 57.

Tingariensis, notit. num. 125.

* Tipasitanus, notit. num. 99. *Vide* not. 47, in lib. II Optati.

Tubunensis, notit. num. 123.

Tuscamiensis, notit. num. 110.

* Vagalitanus, notit. num. 26, coll. carth. d. 1, c. 208, not. 436.

* Vagensis, coll. carth. d. 1, c. 215, not. 450.

Vanarionensis, forte *Panatoriensis*, notit. num. 11, coll. carth. d. 1, c. 187, not. 306.

Vannidensis, notit. num. 52.

Ubabensis, notit. num. 71.

Villænobensis, notit. num. 41.

Vissalsensis, notit. num. 113.

Voncarianensis, notit. num. 101.

Usinadensis, notit. 29.

41 MAURITANIA SITIFENSIS.

Acufidensis, notit. num. 35.

Aquæalbensis, notit. num. 5, coll. carth. d. 1, c. 197, not. 335.

* Assabensis, seu *Assafensis*, notit. num. 24, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 144.

Asvoremixtensis, notit. num. 36.

* Castellanus, notit. num. 12.

Cedamusensis, notit. num. 29.

* Celensis, notit. num. 17, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 73.

* Coviensis, notit. num. 3. *Coba* municipium in Antonini Itinerario memoratum inter Saldim et Igilgilim. Consentiunt Anonymus Ravennas et Tabulæ Peutingerianæ.

* Equizetensis, seu *Equizotensis*, notit. num. 11 coll. carth. d. 1, c. 201, not. 383.

Mimentianensis, notit. num. 14, coll. carth. d. 1, c. 208, not. 440.

* Ficensis, notit. num. 22, coll. carth. d. 1, c. 215, not. 46.

Flumencispensis, notit. num. 25. *Vide* not. 16 ad librum II Optati.

Gegitanus, notit. num. 13, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 149.

* Ab Horrea aninicensi, notit. num. 7, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 370.

* Igilgitanus, notit. num. 4, coll. carth. d. 1, c. 121, not. 45. Hodie *Gigery*.

Jufitensis, forte *Jerafitensis*, seu *Jerafitanus*, notit. num. 9, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 71.

* Lemeiefensis, seu *Lemellensis*, notit. num. 16, *Vide* notam 42, ad librum II. Optati.

* Lemfoctensis, notit. num. 21. Ammianus

Digitized by Google

Marcellinus, lib. XXIX, c. 5. *Lamfoctense* oppidum inter Tindentium et Massimissensium gentes positum memorat.

* LESVITANUS, notit. num. 10, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 369.

* MACRENSIS, notit. num 17, coll. carth. d. 1, c. 206, not. 409.

MACRIANENSIS, notit. num 23, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 197. *Deuterius Macriunensis*, cujus meminit Tychonius Donatista apud Augustinum, epist. 93, n. 43. Erat hujus sedis episcopus, nam Mauris eum adscribit.

MARONANENSIS, notit. num. 26.

* A MEDIANIS ZABUNIORUM, coll. carth. d. 1, c. 203, not. 403.

MOLICUNZENSIS, notit. num. 27.

* MOPTENSIS, seu *Mozotensis*, notit. num. 33, coll. carth. d. 1, c. 143, not. 276.

NOBALICIANENSIS, notit. num. 19.

* OLIVENSIS, coll. carth. d. 1, c. 215, not. 447.

ORIENSIS, seu *Horrensis*, coll. carth. d. 1, c. 197, not. 338.

* PARTENIENSIS, notit. num. 32.

PERDICENSIS, notit. num. 39, coll. carth. d. 1, c. 121, not. 46.

PRIVATENSIS, notit. num. 31.

SALDITANUS, notit. num. 41. *Salde* nota colonia Augusti, de qua Plinius, Ptolemæus, et Tabulæ Peutingerianæ.

* SATAFENSIS, notit. num. 6, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 141.

SERTEITANUS, notit. num. 28, coll. carth. d. 1, c. 180, not. 293.

* SITIFENSIS, notit. num. 2, coll. carth. d. 1, c. 143, not. 269.

SOCIENSIS, notit. num. 15.

SURISTENSIS, notit. num. 38.

* TAMAGRISTENSIS, vel *Thamagristensis*, notit. num. 30, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 140.

* TAMALLENSIS, seu *Tamallumensis*, notit. num. 1, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 150.

* TAMASCANINENSIS, seu *Tamascaniensis*, notit. num. 34, coll. carth. d. 1, c. 178, not. 347.

TUBIENSIS, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 171.

* A TUBUSUBTU, seu *Tubusubditanus*, notit. num. 8, coll. carth. d. 1, c. 187, not. 308.

* TUCCENSIS, notit. num. 37.

* VAMALLENSIS, notit. num. 42.

* ZABENSIS, notit. num. 40.

ZALLATENSIS, notit. num. 20.

PROVINCIA TRIPOLITANA.

* GIRBITANUS, notit. num. 3, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 89. Hodie insula eadem vocatur *Gerbes*.

* LEPTIMAGNENSIS, notit. num. 1, coll. carth. d. 1, c. 121 et 133, not. 48 et 221. Hodie *Lebeda*, cujus ruina extant quæ magnitudinem quondam ejus ostendunt.

* OEENSIS, notit. num. 4, coll. carth. d. 1, c. 132, not. 162.

* SABRATENSIS, notit. num. 2, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 218. Hodie *La Tour de Sabart*.

* TACAPITANUS, notit. num. 5. Hodie *Capés*, seu *Cabés*.

INCERTÆ PROVINCIÆ.

ABENSENSIS, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 177.

ABISSENSIS, coll. carth. d. 1 c. 163, not. 286.

ANGUIENSIS, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 55.

APTUCENSIS, coll. carth. d. 1, c. 128 et 201, not. 127 et 386.

ARENENSIS, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 120.

AUSUGRABENSIS, coll. carth. d. 1, c. 201, not. 392.

BANZARENSIS, coll. carth. d. 1, c. 202, not. 402.

BARTANENSIS, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 86.

BAZARIDIDACENSIS, coll. carth. d. 1, c. 128, not. 136.

BELINIENSIS, concilio Carbarsussitano subscribit *Donatus Beliniensis episcopus*.

BETAGBARITANUS, coll. carth. d. 1, c. 206, not. 415.

BOTRIANENSIS, coll. carth. d. 1, c. 149, not. 280.

BUSLACENUS. In concilio Carthaginensi sub Cypriano num. 63, sententiam dixit *Felix à Buslaceni*.

CAMICETENSIS. Concilio Cabarsussitano subscribit *Datianus Camicetensis episcopus*.

CANIANENSIS, coll. carth. d. 1, c. 206, not. 408.

CASENSIUM BASTALENSIUM, coll. carth. d. 1, c. 188, not. 322.

42 A CASIS FAVENSIBUS, coll. carth. d. 1, c. 204, not. 405.

CEDIENSIS. In concilio Carthaginensi sub Cypriano sententiam dixit *Secundinus a Cedias*, et coll. carth. d. 1, c. 163, occurrit *Fortis episcopus Cediensis* ex Donati parte, diversus *a Quidiensi*, nam cap. 143 ejusdem collationis *Priscus episcopus Catholicus Quidiensis* dicit se adversarium non habere.

CELERINENSIS, coll. carth. d. 1, c. 180, not. 290.

A CEMERINIANO. coll. carth. d. 1, c. 201, not. 379.

CENENSIS, coll. carth. d. 1, c. 129, not. 153.

CERBALTIANUS, concilio Carthaginensi ann. 525, sub Bonifacio subscripsit *Constantius episcopus plebis Cerbalitanæ*.

A CIBALIANA, coll. carth. d. 1, c. 208, not. 422.

CRESIMENSIS, coll. carth. d. 1, c. 187, not. 310.

DRUENSIS, coll. carth. d. 1, c. 197, not. 334.

DUSENSIS, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 334 et 364.

DUSITANUS, coll. carth. d. 1, c. 197, not. 334.

EDISTIANENSIS, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 351.

Digitized by Google

Enerensis, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 209.

Erumminensis, concilio Cabarsussitano subscribit *Maximianus Erumminensis episcopus.*

Fissanensis, vel *Fiscianensis*, coll. carth. d. 1, c. 202, not. 399.

Girbitanus. Diversus ab eo qui in Tripolitana provincia. Nam duo *episcopi Gerbitani* subscripserunt concilio Carthaginensi ann. 525, sub Bonifacio.

Gittensis, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 228.

Guzabetensis, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 373.

Honoriopolitanus, concilio Carthaginensi ann. 525, sub Bonifacio subscripsit *Servus Dei episcopus plebis Honoriopolis.*

Lamzellensis, coll. carth. d. 1, c. 206, not. 416.

Laritensis, coll. carth. d. 1, c. 208, mentio fit *Restituti episcopi Laritensis* Donatistæ.

Lucimagnensis, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 371.

Lupercianensis, concilio Carthaginensi sub Cypriano num. 44, interfuit *Pelagianus a Luperciana.*

Merferebitanus, coll. carth. d. 1, c. 187, not. 303.

Milidiensis, coll. carth. d. 1, c. 208, not. 423.

Mizigitanus, concilio Carthaginensi ann. 525, sub Bonifacio subscripsit *Placidus episcopus plebis Mizigitanæ.*

Mugiensis, concilio Cabarsussitano subscribit *Latinus Mugiensis episcopus.*

Munacianensis, concilio Cabarsussitano subscribit *Victorinus episcopus Munacianensis.*

Murrensis, seu *Marrensis*, concilio Cabarsussitano subscribit *Crescentianus Murrensis episcopus.*

Nasaitensis, coll. carth. d. 1, c. 187, not. 302.

Nigizubitanus, coll. carth. d. 1, c. 202, not. 397.

Nigrensium Majorum, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 180.

Pauzerensis, coll. carth. d. 1, c. 187 et 201, not. 317 et 376.

Pittanensis, concilio Cabarsussitano subscribit *Maximus Pittanensis episcopus.*

Prisianensis, concilio Cabarsussitano subscribit *Secundianus Prisianensis episcopus.*

Rabautensis, concilio Cabarsussitano subscribit *Annibonius Rabautensis episcopus.*

Salaniæ Giutsitensis, coll. carth. d. 1, c. 135, not. 251.

Samudartensis, concilio Cabarsussitano subscripsit *Donatus Samudartensis episcopus.* Forte legendum *Amudarensis* provinciæ Byzacenæ, de quo in coll. carth. d. 1, c. 126, not. 93.

Sebargensis, concilio Carthaginensi ann. 525, sub Bonifacio subscripsit *Restitutus episcopus plebis Sebargensis.*

Selendetensis, vel *Sedelensis*, coll. carth. d. 1 c. 208, not. 421.

Simingitensis, seu *Simingitanus*, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 206.

Sinnipsensis, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 229.

Sitipensis, coll. carth. d. 1, c. 215, not. 456.

Stabatensis, concilio Cabarsussitano subscribit *Maximianus Stabatensis episcopus.*

Sululitanus, coll. carth. d. 1, c. 135, not. 243.

Tibaritanus, coll. carth. d. 1, c. 133, not. 204.

Tibuzabetensis, coll. carth. d. 1, c. 187, not. 304.

Tisanianensis, coll. carth. d. 1, c. 206, not. 406.

Tugutianensis, concilio Cabarsussitano subscribit *Benenatus Tugutianensis episcopus.*

Tunugabensis, coll. carth. d. 1, c. 129. not. 155.

Tunusudensis, coll. carth. d. 1, c. 120, not. 19.

Turensis, coll. carth. d. 1, c. 197, not. 337.

A Turre alba, collat. carth. d. 1, c. 198, not. 345.

Vartanensis, coll. carth. d. 1, c. 197, not. 330.

Vatarbensis, coll. carth. d. 1, c. 198, not. 346.

Vensanensis, coll. carth. d. 1. c. 202, not. 400.

Verronensis. coll. carth. d. 1, c. 198, not. 362.

Vindensis, coll. carth. d. 1, c. 208, not. 433.

Visensis, coll. carth. d. 1, c. 197, not. 341.

Utimarensis, coll. carth. d. 1, c. 126, not. 104.

Utimmensis, seu *Utinunensis*, vel *Utunnensis*, coll. carth. d. 1, c. 135, not. 207.

Zertensis, coll. carth. d. 1, c. 135 et 187, not. 237 et 314.

43 INDEX EPISCOPATUUM

QUI SUB ALIIS NOMINIBUS IN NOTITIA REPERIUNTUR.

QUONIAM PLURES EPISCOPATUS EX SUPRA SCRIPTIS APUD VARIOS DIVERSA HABENT NOMINA VEL DIVERSIMODE SCRIPTA, VISUM EST IN FINE HUJUS NOTITIÆ EA ORDINE ALPHABETICO APPONERE QUÆ IN SERIE EPISCOPATUUM DESCRIPTA NON SUNT, UBI PAULO INSIGNIOR DIVERSITAS OCCURRIT, ET SIMUL INDICARE SUB QUO NOMINE IN NOTITIA NOSTRA ET QUA IN PROVINCIA REPERIRI POSSINT.

Abaritanus, *vide* Abbiritanorum majorum. *Pr. Proc.*

Abderitanus, v. Abzeritensis. *Ibid.*

Ajurensis, v. Azurensis. *Numid.*

Digitized by Google

Amphorensis, *v.* Amburensis. *Ibid.*
Amudarsensis, *v.* Samudartensis. *Incert. provinc.*
Aquis, *v.* Vassinassensis. *Byzac.*
Ausvagensis, *v.* Auzagensis. *Numid.*
Autumnitanus, *v.* Aptugnitanus. *Pr. Proc.*
Badiensis, *v.* Bladiensis. *M. Cæs.*
Baianensis, *v.* Vaïanensis. *Numid.*
Bazitensis, *v.* Bazienus. *Ibid.*
Belesasensis, *v.* Belalitensis. *Ibid.*
Beneventensis, *v.* Bencennensis. *Pr. Proc.*
Berceritanus, *v.* Vesceritanus. *Numid.*
Biltensis, *v.* Viltensis. *Pr. Proc.*
Boanensis, *v.* Bahannensis. *Byzac.*
Bocconiensis, *v.* Bucconiensis. *Numid.*
Bosetanus, *v.* Bofetanus. *Ibid.*
Bullamensis, *v.* Bulelianensis. *Byzac.*
Burcensis, *v.* Burugiatensis. *Numid.*
Busitanus, *v.* Bosetensis. *Pr. Proc.*
Canapii, *v.* Caniopitanorum. *Pr. Proc.*
A casis silvanæ, *v.* Sulianis. *Byzac.*
Castrensis, *v.* Custrensis. *Ibid.*
Castro-Galbensis, *v.* Gilbensis. *Numid.*
Cicsitanus, *v.* Cessitanus. *Pr. Proc.*
Circensis, *v.* Constantiniensis. *Numid.*
Circinitanus, *v.* Cincaritensis. *Byzac.*
Cirtensis, *v.* Constantiniensis. *Numid.*
Ciumtuturbonensis, *v.* Tuburbitanorum Majorum. *Pr. Proc.*
Culcitanensis, *v.* Culusitanus. *Pr. Proc.*
Cunculianensis, *v.* Cenculianensis. *Byzac.*
Elibiensis, *v.* Cilibiensis. *Pr. Proc.*
Eudalensis, *v.* Theodalensis. *Ibid.*
Feradimaiensis, *v.* Feraditanæ Majoris. *Byzac.*
Fussalensis, *v.* Fossalensis. *Numid.*
Gauvaritanus, *v.* Gaguaritanus. *Byzac.*
Gazabianensis, *v.* Gaudiabensis. *Numid.*
Girensis, *v.* Guirensis. *Ibid.*
De Giru-Marcelli, *v.* Marcellianensis. *Ibid.*
Giutsensis, *v.* Salariæ Giutsensis. *Incert. Prov.*
Heliensis, *v.* Eliensis. *Byzac.*
Hizirzadensis, *v.* Izirianensis. *Numid.*
Horrensis, *v.* Oriensis. *M. Sitif.*
Jerafitensis, *v.* Jufitensis. *M. Sitif.*
Irensis, *v.* Ilirenensis. *Byzac.*
Irpianensis, *v.* Hierpianensis. *Byzac.*
Lemellensis, *v.* Lemeiefensis. *M. Sitif.*
Legisvolumini, *v.* Legensis. *Numid.*
Manaccenseritanus, *v.* Manazenensium regiorum. *M. Cæs.*
Marrensis, *v.* Murrensis. *Incert. Prov.*
Milianensis, *v.* Malianensis. *M. Cæs.*
Mozotensis, *v.* Moptensis. *M. Sitif.*
Municipii Togiæ, *v.* Tuggensis. *Prov. Proc.*
Mutucitanus, *v.* Musertitanus. *M. Cæs.*
Panatoriensis, *v.* Vanarionensis. *M. Cæs.*
Pappianensis, *v.* Puppianensis. *Pr. Proc.*
Pariensis, *v.* Piensis. *Ibid.*

A
Peradamiensis, *v.* Feraditanæ minoris. *Byzac.*
Poco-Feltis, *v.* Viltensis. *Prov. Proc.*
Rebianensis, *v.* Febianensis. *Byzac.*
A Robunda, *v.* A Turre rotunda. *Numid.*
Rubicariensis, *v.* Rusubiccariensis. *M. Cæs.*
Sacubasensis, *v.* Succubensis. *Pr. Proc.*
Sasuritanus, *v.* Arsuritanus. *Byzac.*
Sedelensis, *v.* Selendetensis. *Incert. Prov.*
Segermitanus, *v.* Gernisitanus. *Byzac.*
Septensis, *v.* Sestensis. *M. Cæs.*
Sertensis, *v.* Serrensis. *Ibid.*
Simminensis, *v.* Seminensis. *Pr. Proc.*
Sinitensis, *v.* A. Siccenni. *Ibid.*
Sinnarensis, *v.* Sinnuaritensis. *Ibid.*
Suensis, *v.* Saiencis. *Ibid.*
B
Suggitanus, *v.* Siguitensis. *Numid.*
Tabadcarensis, *v.* Tabazagensis. *M. Cæs.*
Tabaicensis, *v.* Tabazagensis. *Ibid.*
Tablensis, *v.* Talensis. *Ibid.*
Tamadensis, *v.* Tanudaiensis. *Ibid.*
Tamazensis, *v.* Tamicensis. *Ibid.*
Tamazucensis, *v.* Tamicensis. *Ibid.*
Taraquensis, *v.* Maraguiensis. *Byzac.*
Ticualtensis, *v.* Tigualensis. *Ibid.*
Tididitanus, *v.* Tiseditensis. *Numid.*
Tinnisensis, *v.* Utinisensis. *Pr. Proc.*
Tiziensis, *v.* Tigiensis. *Byzac.*
Tonnonensis, *v.* Tennonensis. *Pr. Proc.*
Tullensis Municipii, Municipensis. *Numid.*
Tunonensis, *v.* Tennonensis. *Pr. Proc.*
C
Turditanus, *v.* Thusdritanus. *Byzac.*
Turensis, *v.* Decorianensis. *Ibid.*
Turusensis, *v.* Turudensis. *Pr. Proc.*
Tuzudrumes, *v.* Thusdritanus. *Byzac.*
Tysicensis, *v.* Tijucensis. *Pr. Proc.*
Vabarensis, Baparensis. *M. Cæs.*
Vadensis, *v.* Vagensis. *Numid.*
Vagradensis, Vugeatensis. *Ibid.*
Valentinianensis, *v.* Vadentinianensis. *Byzac.*
Vardimissensis, *v.* Bartimisiensis. *M. Cæs.*
Vazaritanus, *v.* Bazaritanus. *Numid.*
Uci-Majoris, *v.* Urcitanus. *Pr. Proc.*
Uci-Minoris, *v.* Uzitensis. *Ibid.*
Verensis, *v.* Ucrensis. *Ibid.*
Vici-Augusti, *v.* Noba Cæsariensis. *Numid.*
D
Vici-Cæsaris, *v.* Noba Cæsariensis. *Ibid.*
Vico-Pacensis, *v.* Vicensis. *Numid.*
Unuzibirensis, Uzabirensis, *Byzac.*
Voncariensis, *v.* Boncarensis. *M. Cæs.*
Uracitanus, *v.* Urugitanus. *Pr. Proc.*
Urcitanus, *v.* Urugitanus. *Ibid.*
Utimmirensis, Utmensis. *Ibid.*
Utinunensis, vel Utunnensis, *v.* Utimmensis. *Incert Prov.*
Zellensis, *v.* Telensis. *Pr. Proc.*
Ziggensis, *v.* Zicensis. *Ibid.*

Digitized by Google

45 ADMONITIO
IN TABULAM GEOGRAPHICAM.

Africam, quam Romani proprie sic appellavere, et Mauritaniam; duabus tabulis geographicis descripsit Gerardus Mercator ex Ptolemæo : aliam tabulam earumdem regionum Abrahamus Ortelius variis ex auctoribus concinnavit : sed neutrum opus legentibus Historiam tum civilem, tum ecclesiasticam satis subsidii afferre potest, quod persuasum est iis qui vel minimum hujus rei experimentum fecere. Nicolaus Sanson Christianissimi regis Geographus meritissimus, R. P. Philippus Brietius e Soc. Jesu, et si qui alii Romanum imperium descripsere, hanc etiam Africæ partem, utpote imperio inclusam necessario tetigere. Petrus Du-Val Tabellulam etiam in lucem edidit, quæ explicando bello Africano Cæsaris usui esset. Verum hæc ejusmodi sunt, ut si explicandæ historiæ civili satis esse fortasse cuipiam videri possint, Historiæ tamen Ecclesiasticæ nullo modo sufficiunt. Primus, quod quidem sciam, veterem Ecclesiæ Africanæ statum in Tabula Geographica exponere aggressus est R. P. Carolus a Sancto Paulo, designatus episcopus Abrincensis. Opus arduum, in quo etiamsi multa peccaverit, illo tamen opere de republica Christiana optime meritum nemo non fatebitur.

Operis autem illius difficultas longe maxima, quæ ex multiplici fonte petitur. Et primo quidem ex ingenti episcopatuum numero, qui longe plures in Africa fuere quam in alia ulla Christiani orbis provincia : nec enim tantum ut in aliis orbis partibus in urbibus episcopales sedes erant, sed et in pagis, castellis, vicis et fundis; ita ut plusquam sexcentæ episcopales sedes in Africa numerentur. Quo fit ut tum propter numerum, tum propter obscuritatem locorum in quibus collocatæ erant, non omnium, sed insigniorum tantum situs in tabula describi possit. Quapropter in urbium, quam vocant, positione, plurimum errare necesse est eum qui nullam episcopalem sedem in tabula sua desiderari cupiet.

Secundo in id incumbendum fuit, ut sedium episcopalium nomina, quorum pleraque multipliciter deformata sunt, recte scriberentur. Et sane ea est in istis nominibus lectionum varietas, ut cui earum potissimum inhærendum sit, certo sciri vix possit. Quam varietatem partim ex ipsa re, partim ex Amanuensium aut ignorantia aut temeritate ortam esse arbitror. Ex ipsa re quidem, cum populorum et oppidorum Africæ nomina præterquam Afrorum linguis ineffabilia esse Plinius asserat, quod recte observavit R. P. Theodericus Ruinart, eruditus æque ac diligens scriptor, unde proclive fuit ut ex Romanis alii diversimode hæc nomina proferrent et scriberent. Quod vero ad Amanuenses spectat, iis in tot nominum propriorum scriptura errare facillimum fuit. Certe undelibet orta sit ista confusio magnam illam esse palam est, qua vero ratione illi occurri possit, et nomina corrupta emendari, dubia firmari, et ex multis et diversis nominibus quodnam potissimum eligendum sit, et cujus lectura adstrui possit non video. Scio equidem Nicolaum Sanson multa utilia et profutura in hanc rem suggessisse, sed quæ regula super his tradi potest quæ variis erroribus non sit obnoxia, nisi si quis linguam Punicam et Africanam perfecte calleat, cujus auxilio multa procul dubio restituere possit. Nunc vero in utriusque linguæ ignoratione, et in magna auctorum penuria quid fieri recte possit, aut quo pacto definiri quæ scriptura vitiosa sit, quæ recta haud satis scio. Cæterum hæc varietas multiplicem errandi ansam scriptoribus præbuit, dum alii urbem unam in plures diviserunt, alii nimium fortasse intelligendo, multas in unam conflarunt, quod utrumque quam turpiter Geographiam deformet, nemo est qui non videat.

Tertio maximus pars episcopatuum non proprie nomine civitatis, quod substantivum *fere est, sed* adjectivo *et derivato notati sunt : qua vero ratione nomen illud proprium sive substantivum, si aliunde nesciatur, ex adjectivo erui possit, viderint doctiores ; nomina enim ista ut plurimum analogiæ minime capacia sunt, cum fere omnia fœdam barbariem redoleant, qualia in Æthico, in Tabula Peutingeriana, et in Anonymo Ravennate passim occurrunt, et si sint maxime capacia, certum tamen videtur in iis exactæ analogiæ regulas non esse servatas. Carolus autem a Sancto Paulo pleraque istorum nominum* 46 *per* substantivum *efferre necesse habuit. Certe quibus episcopatuum dumtaxat catalogos contexere in animo est, ad istud minime cogi certum est : iis vero qui hosce episcopatus in tabulas geographicas referre volunt, necessitas incumbit istud faciendi. Dubitari autem merito potest an satis recte istud executus sit R. P. Carolus a Sancto Paulo, quippe qui episcopatum Agensem ab urbe Aga derivatum existimet, cum tamen alibi inveniatur episcopus* Agensis *sive ab* Aggia, *qui episcopatum Coviensem ab oppido* Covio *sic dictum putet, cum tamen a* Coba *municipio apud Ravennatem Geographum memorato derivatum viri docti existiment. Eadem etiam interdum peccasse mihi videtur Holstenius. Quædam autem etiam apud antiquos in* substantivo *reperiuntur, quædam vero reddi per substantivum videntur vix posse.*

Quarto nonnulli sunt episcopatus qui huic vel illi provinciæ ab auctoribus ecclesiasticis adscribuntur, quorum tamen præcipua oppida, et unde illis nomen in aliam provinciam transferri ab aliis auctoribus videntur. Exemplo sint episcopatus Mileritanus, Idicrensis et Cuiculitanus, quos Notitia Ecclesiastica provinciæ Numidiæ attribuit, cum tamen Mileum, Idicram et Cuiculum Antoninus ad Mauritaniam referat. Idem Antoninus Tabrucam, Simittam, Bullam regiam, Siccam Veneriam, Altiburum, Ammenderam et alias urbes eidem Numidiæ adscribit, quas Notitia in proconsularem transfert. Ergo alterutrum falli necesse est, aut certe provincias ecclesiasticas non undequaque et ex omni parte respondere civilibus, quod doctoribus discutiendum relinquo.

Has et alias difficultates superandas habuit R. P. Carolus a Sancto Paulo, quo minus mirum est illum in tot scopulos incautum impegisse. Queritur Nicolaus Sanson, et jure queritur episcopatus ab illo plurimos omissos, aliquot vero duplicatos vel triplicatos, circiter trecenta nomina vitiose scripta, centum ad summum et septuaginta duos episcopatus in Tabula collocatos, cum trecentorum positio potuerit stabiliri. Ex his centum et septuaginta duobus episcopatibus quinque aut sex, plus minus, suum in tabula geographica locum obtinere, alios omnes perperam locatos, et alia id genus sphalmata reprehendit, multa deinde suggerit quæ restituendo operi utilia forent, professus in excutiendis illis operam et ipsum haud vulgarem posuisse. Equidem dolendum est, et mihi inprimis ingratum venit tantum virum et de rebus geographicis tam bene meritum, opus istud, quod perutile futurum erat, in publicum non emisisse, sed erit for-

Digitized by Google

tasse cum eruditi patris eruditus filius paternas reliquias a tineis vindicabit, et bono publico vulgabit.

Interim multi viri docti in eisdem rebus explanandis diu multumque sudarunt, Lucas Holstenius, R. P. Joannes Garnerius e Societate Jesu, eminentissimus et doctissimus cardinalis Henricus Norisius, Stephanus Baluzius, et si qui alii; sed omnium in hac re diligentiam superavit R. P. Theodericus Ruinart Monachus Benedictinus, qui perpetuas et uberes notas in Notitiam Africæ edidit, qui manuscriptos codices inter se conferendo, ecclesiasticos auctores, et quotquot alios super ea re scripserant, diligenter evolvendo, depravata nomina corrigendo, et alia id genus in publicam utilitatem moliendo, venturis post se auctoribus nihil prorsus hac in re tentandum, nedum faciendum reliquisse videbatur.

Sed ecce tibi in postremis venit, non vero in minimis, clarissimus simul et eruditissimus Dominus Du Pin, sacræ Facultatis Parisiensis doctor et professor regius, qui dum novam sancti Optati Milevitani editionem molitur, et quicquid ad Donatistarum historiam pertinet, in unum corpus conferre statuit, nulli omnino labori parcere certus, molam hanc et ipse versare decrevit, nec aliorum se labore deterreri passus est; et quoniam antiqua illa Notitia quam præfatus R. P. Theodericus Ruinart elucidandam susceperat, manca videbatur et mutila, aliam ille locupletiorem edere, et post tantam aliorum messem spicilegium facere non dubitavit, nec sane irrito fructu, ut ipse expertus sum, quod nec alii in votis futurum erat. Cum autem ad absolutiorem eximii operis editionem nihil intentatum relinquere vellet, visum est ei et tabulam geographicam Notitiæ suæ adjungere, in qua Ecclesiæ Africanæ illius temporis statum ob oculos poneret quantum id ab eo præstari posset; quam mihi provinciam volenti sane neque abnuenti delegavit: hanc autem in me lubens suscepi egregie facturum ratus, si virum de republica litteraria tam bene meritum et gravioribus tunc intentum curis labore hoc utili quidem, sed ingrato relevarem: namque et mihi honorificum videbatur, si cum tot eruditis viris qui de ea re scripserant, symbolam meam conferrem, et jucundum imprimis Ecclesiam Africanam olim florentissimam e tenebris eruere, ac velut redivivam exhibere. Accedebat quod doctissimus geographus Nicolaus Sanson, qui vadimonium videbatur promisisse, morte, ut arbitror, præventus, ad illud venire non potuerit, et si quid auxilii jam sperandum esset, in una Caroli a sancto Paulo tabula situm esse, quam tamen multis erroribus aspersam supra diximus. Ergo novam Africæ tabulam daturum me suscepi, arbitratus posse me scopulos illos declinare in quos R. P. supradictus impegerat, de quibus ego præmonitus jamdudum fueram.

47 Hæc mihi ratio suscipiendi operis, sed dum aliis consultum volo, ipse mihi gravissimum onus, cui ferendo impar futurus eram imprudens imposui. Lectorum mihi aliquot auctorum conscius qui ex regionibus istis historice vel geographice scripserant, et excerptis meis geographicis fretus, quæ in usum condendarum tabularum, si quando opus esset, disposueram, arbitratus sum potissimum jam operis partem exactam esse, male cautus qui tam facilem desperati pene operis executionem animo præcepissem! Cum multa etiam mihi legenda superessent, quæ difficultatem minuerentne, an non forte etiam augerent nescius eram. Sed et erigebat me præfatus clarissimus dominus Du Pin, quem omnium instar mihi futurum esse confidebam, qui quicquid Garnerius, Norisius, Baluzius, Harduinus, Ruinartius scripserant, diligenter collegerat, et notas insuper suas benigne mihi impertiturus erat; uno verbo animos mihi addidit, et ad audendum quicquid hoc est laboris excitavit. Hæc autem fuit instituti mei ratio.

Quicquid difficultatis fuit in episcopatuum numero definiendo, inscriptione nominum stabilienda, in assignanda cuilibet episcopatui provincia sua, illud omne in viros doctos superius a me nominatos transferendum putavi; maxime vero in eum qui susciendi mihi operis auctor fuerat, mihi enim homini profano religio fuit hunc lapidem movere, iis contento quæ super ea re tanti viri scripserunt, quorum exhaurire scrinia non erat animus, nec argutos inter strepere anser olores. Cæterum quoniam pauca erant in eorum libris quæ ad Africæ descriptionem, provinciarum dispositionem, urbium aliorumque locorum certam positionem, aliaque hujusmodi pertinerent, id exequi mearum esse partium duxi. Itaque primum exacte et secundum novas observationes Africam delineavi, provincias ecclesiasticas exacte distribui, sedes episcopales in tabula Caroli a sancto Paulo non satis apte dispositas suo loco reddidi, omissas supplevi et quicquid in me fuit scientiæ et artis impendi ut quam emendatissima et accuratissima prodiret hæc tabula, quod ut præstarem quicquid apud geographos Pomponium Melam, Strabonem, Plinium, Ptolemæum, quicquid in Itinerariis et in Geographo Ravennate, item apud Historicos Polybium, Sallustium, Hirtium, Livium, Ammianum, Procopium, si quid apud Arabes Abulfedam et Geographum Nubiensem, quicquid quoque in recentioribus Joanne Leone, Sanuto, Marmolio occurrere potuit, studiose collegi (quod et a supra memoratis auctoribus ut plurimum factum fuisse agnovi, nam et hi falcem miserant in utramque messem). Ex his autem tabulam istam qualiscumque est concinnavi. Ne quis vero certum et indubium credat, quicquid in ea continetur, unum aut alterum lectorem monitum volo:

Primo, Earum urbium positiones certas esse quæ maris alluuntur, aut quæ lineolis inter se connectuntur, quippe quæ ex Itinerariis sive terrestribus sive maritimis notiores sunt. Ex aliis, quasdam ex Ptolemæo, quasdam ex historicis locatas, quarumdam positionem suppeditasse mihi viros doctos ex historicis ecclesiasticis desumptam, si non ex omni parte certam, tamen in paucis vitiosam. Habet hic certitudo, si sic loqui fas est, suos fines ultra quos vix aliud præter conjecturas esse in confesso est apud eruditos. Satius autem esse duxi urbes aliquas ex conjectura tantum locare, quamvis non suo fortasse loco quam illas prorsus omittere, arbitratus fore ut veritas inde facilius erueretur: vix enim sine autopsia certi aliquid in his rebus stabiliri potest. Tanta est ac tam multiplex nominum diversitas ut facile sit aberrare eum, qui oculorum in his subsidio non utitur, mihi certe persuasissimum est tabulas geographicas, quantumvis malas, dum aliæ non suppetunt, viam nihilominus ad veritatem sternere. Beatus autem fuero, si hæc, qualiscumque est, aliquantulo subsidio eruditis esse possit.

Secundo. Non tantum urbes certo episcopales in hac tabula exhibui, sed alias etiam inserui quarum aliquæ forsan etiam episcopales sunt. Hæc autem fuit inserendi causa quod illæ doctorum virorum conjecturis inservierunt. In rebus abstrusis minima quæque vestigia sive indicia veritatis pretiosa sunt, plura posituras eram si brevitas chartæ ferre potuisset, ideoque et populorum nomina hic omissa, non quasi prorsus inutilia, sed tanquam minus proficua.

Tertio. Propria sive substantiva urbium nomina quoties quidem non licuit ex puro Antiquorum fonte haurire, ea ex R. P. Carolo a sancto Paulo aut ab Holstenio desumpta sunt, et qua potuere analogia conficta esse videntur.

Quarto. Viri diligentis fuerat lectiones varias referre si quæ occurrissent in impressis aut manuscriptis codicibus, ut liberum esset cuique judicium suum, et hoc quidem prolixe

Digitized by Google

exsecutus est dominus DuPin : quia vero varietatem istam tabula nostra geographica ferre non poterat, nisi altero tanto aut etiam dupto fieret major, una ex diversis lectionibus eligenda fuit, eam vero selegimus quam doctis plus aliis placuisse intelleximus.

Quinto. Cum mutetur frequenter facies regionum, saltem quatenus ad imperiorum fines, 46 provinciarum numerum, urbium, populorum et fluminum nomina, et unicuique insigni mutationi suus tabulæ debeatur quæ statum illius temporis repræsentet, tabulæ istæ finem quarti et initium quinti sæculi proprie spectat, cum Donatistarum hæresis longe lateque in Africa grassaretur, et esset regio illa in sex septemve provincias divisa, sed et ævo paulo posteriori inservire potest, cum Vandalorum furor et persecutio in catholicos vigeret.

Sexto. Quamquam Collationis Carthaginensis describendæ scenæ, quod hujus tabulæ proprium esse debet, inutilis sit pars ista Italiæ quæ in ea repræsentatur cum adjacentibus insulis, tamen commode facturum arbitratus sum si urbem Romam ob oculos legentium ponerem, et prædictas insulas quæ Notitia Ecclesiæ Africanæ continentur, quemadmodum ea paulo post sub Vandalorum jugo ingemuit. Cæterum episcoporum sedes in Insulis Balearibus et Pityusis non notavimus, utpote nobis incognitas, et forte nunc hic, nunc illic sedem habebant, unde et totius regionis episcopi dicebantur.

Septimo. Metropoles civiles majoribus seu initialibus litteris designandas curavimus, Ecclesiasticas non item cum nullam earum fixam fuisse præter Carthaginem, alias vero seniorum episcoporum sedes fuisse doctus fuerim.

Octavo. Oppida quæ in tabula geographica asterisco notantur, ea sunt in quibus celebrata fuerunt concilia, et eorum quidem omnium nomina hic reperies, præter Novam Cæsaream, Macrianam et Juncum, quarum urbium situm pro comperto habere non licuit.

Cæterum urbis Bagaitanæ positionem quæ viros doctos non paucos fugerat, ex Geographia Nubiensi didici, et Cabarsussensis civitatis vestigia in hodierna Susa videre mihi visus sum : assentiat qui volet, nihil affirmare ausim.

Libenter etiam aliquas urbes, si licuisset, adjunxissem, Tononam, Vitam sive urbem sive regiunculam, Casas nigras et alias ejus generis, propter Victorem Tononensem, Victorem aliunde Vitensem, Donatum a Casis nigris et alios hujusmodi famosos viros. Cuivis certe geographo dolendum venit adeo famigerata loca omittere : quod tamen satius esse duximus quam super his aleam jacere. Vitæ quidem urbi Carolus a sancto Paulo in tabula sua locum dedit, sed quo auctore quibusve conjecturis fateor me nescire.

Nono. Locorum aliquot antiquorum hodierna nomina in notitia invenies, magis anxie in alia inquirere abstinui, nimirum difficillimum, ne dicam impossibile hoc erat, cum hodiernus illarum regionum status parum notus sit. Cæterum tutum non est pro antiquis recentiora nomina usurpare. Exemplo sit doctus et diligens Scriptor, qui quoties Cæsareensem in Mauritania episcopum nominare voluit, toties per Algeriensem eum designavit, quod verisimile non est.

NOTITIA LITTERARIA.

(*Ex Schœneman. t.* I, *p.* 343.)

§ I. *S. Optati Vita.* — Afer, Milevis in Numidia Episcopus sub Valentiniano et Valente principibus (1) inter annos 372 et 378 scripsit. Vixisse autem ad Theodosii imperium et Siricium usque, qui an. 384 episcopi Romani sedem occupavit, Dupinius verisimiliter statuit. Nec quicquam præterea seu de vita, seu de exitu ejus constat.

§ II. *Scripta.* — Scripsit *de schismate Donatistarum contra Parmenianum libros* VI, quorum ætatem recte Dupinius æstimavit. Ne enim ad Siricii tempora, cujus lib. II, § 3, mentio fit, ætatem eorum protrahere lubeat, sententia vetat ab eodem probata, auctorem iterum opus suum recensuisse eaque tamquam additamenta adjecisse, quæ jam *libri* VII nomine veniunt.

§ III. *Editiones.* — Optatum primum e tenebris, quibus diu latuerat, prodire jussit *Jo. Cochlæus*, an. 1549, sed nullo præter hoc lucis munere donatum, quamvis et indole sua et habitu, qui tum erat, vix alius scriptorum ecclesiasticorum tope liberali esset egentior. Multos quidem patronos ad hanc usque ætatem non invenit, sed duos, qui multorum instar, æternum de eo et omni re ecclesiastica promeruerunt, *Franciscum Balduinum* et *Ludovicum E. Dupinium*. Nam nec *Albaspinæi* ed. quæ post mortem ejus 1631, prodiit, nec *Merici Casauboni* Londini eodem anno facta multum profuit. Ilgakiana successu caruit. His vero auctoribus duæ Optati editionum familiæ constanter regnarunt. Balduini, a duabus edd. an. 1563 et 69, profecta ad finem sæculi XVII duravit, Dupiniana ab an. 1700, in compluribus repetitionibus et recens in Gallandiana et Oberthuriana viget. Testes per singula videamus.

(1) Ita Hieronymus in Vitis.

Sæc. XVI, 1549-1600.

1549.

Apud S. Victorem prope Moguntiam, ex officin. Franc. Behem Typographi, in-fol. Optati Milevitani quondam episcopi libri sex, de Schismate Donatistarum contra Parmenianum Donatistam, adversus quem et S. Augustinus postea tres ædidit libros. Ex bibl. Cusana prope Treverim cum *D. Conradi Bruni Ic. libris* VI, *de hæreticis in genere* et al. ejus opusculis peculiari sub titulo (1550) typis exscriptis. Titulus, quo Optatus a reliquo opere discernitur, is est quem supra adscripsimus.

Editor est Jo. Cochlæus, Canonicus Vratislaviensis, Bruni familiaris, cujus epistola (ad Arnoldum Abbatem Monasterii Ordinis Præmonstratensis in Tongerlo) de exemplo, ex quo typis exscriptum dedit Optatum, exponit. Erat nempe illud ex hospitali S. Nicolai prope Cusam per Christophorum Priorem fratrem Cartusiæ Trevirensis ipsi transmissum idque ex antiquo codice quopiam mendose ab indocto Librario (quales, addit, fuerunt olim servi litterati Monasteriorum) scriptum, et ab alio deinceps multo adhuc mendosius rescriptum. Acceperat præterea,

Digitized by Google

dum aliis libris edendis insudaret, hac tantummodo conditione, ut intra tres menses bona fide restitueret : (1) ut mirum adeo nemini esse possit, quod et otio ipse et aliis occupationibus præclusus, et destitutus subsidio alius exemplaris, parum emaculatum Optatum dederit, quem ex omni parte completum et redintegratum iri cum Bibliothecæ instructissimæ Tongerlensis copiis, tum Abbatis ipsius ingenio sperat et optat. Completorum specimina in laudata dedicatione Cochlæus prodidit, quarum maxima pars in litteras et syllabas male conjunctas aut disjunctas cadit. Præmissa sunt in titulo ipso Hieronymi, tum tituli pagina aversa Augustini contra Parmenianum testimonia et Gerhardi Lorichii Hadramarii Carmina in laudem et commendationem Optati. Post epistolam nuncupatoriam sequitur Compendium Summarum e libris Optati excerptum et in capitula digestum, deinceps brevis Donatistarum confutatio ex verbis S. Augustini super Ps. LXXXV, etc. Summaria Collatio Donatistarum ad Schismaticos hujus temporis, denique index rerum memorabilium. Neque vero oblitus est Cochlæus singulis libris argumenta præfigere.

1563.

Parisiis... in-8. Optati M. Libri VII, ad Parmenianum, de Schismate Donatistarum. — Quamquam auctorem nostrum sexcentis locis emendatum hac editione dare se posse profiteatur *Balduinus*, quorum maxima pars ms. exemplari, quod utendum ipsi dederat *Claudius Espencæus*, theologus Parisiensis, debeatur, superesse tamen non multo pauciores locos, qui magna mendi suspicione laborent, sed sanari sine auxilio veteris libri, vix ac ne vix quidem possint recte monuit. Quocirca satius duxit præsentibus frui, quam committere, ut eodem squalore, quo antea plane inquinatus fuerat, Optatus recuderetur. Ac speraverat aliquantisper fore ut accederet alterum emendationis præsidium ex codice Joannis Tilii episcopi Briocensis. Sed quod jam præstari non poterat, ab altera forte editione exspectare jubet. Præmisit editor epistolam ad Jo. Lentallerium, antistitem Aquiscinctiensem, in qua super Optato et hisce ejus libris multa præclare disputavit; præterea præfationem a Jo. Lucanium (Calvinum) valde prolixam et multa ex omni re ecclesiastica una cum acri Calvini impugnatione complectente, quam in editione altera resecuit. Num vero priori huic editioni Balduinus septimum jam librum addiderit, nullo quidem satis certo indicio cognoscere potui (2); cum primæ hujus Balduini editionis tanta sit raritas, ut ne Catalogis quidem Bibliothecarum locupletissimarum laudari eam meminerim.

1569.

Parisiis apud Claudium Fremy, via Jacobæa, sub divi Martini insigni, in-8. Delibatio Africanæ Historiæ Ecclesiasticæ, sive *Optati Milevitani libri* VII, *ad Parmenianum, de schismate Donatistarum*. Victoris Uticensis libri III, de persecutione Vandalica in Africa, cum annotationibus ex Fr. Balduini JC. Commentariis rerum Ecclesiasticarum.

Quem sexentis saltem locis emendatum priori dederat editione Optatum Balduinus, nunc non multo paucioribus purgatum mendis ex altera hac recensione prodire affirmat, duobus mss. exemplaribus subnixa, quorum alterum Jo. Tilio ep. Meldensi, alterum Macereo theol. Parisiensi deberet, vel sic tamen multum abesse, ut nunc tandem in integrum plane restitutus dici possit judicans; immo feci, inquit, ut lacunarum notæ indicarent, aliquot locos superesse etiamnum mutilos. Libri septimi paginas complures deficientes Tilianum exemplar supplebat, et quæ in isto desiderabatur pars postrema, eam exemplaria suppeditabant. Balduini adnotationes ad singulos Optati libros solas historias ecclesiasticas spectant, quarum mirifice callidus ille fuit. Ut vero plenior simul hic Donatistarum historia hauriretur et Optato abunde satisfieret, integram expositionem disputationis de Ecclesia in conventu Carthaginiensi olim præsente Augustino annis aliquot post mortem Optati cum Donatistis habitæ, quam annis superioribus sub titulo *Historiæ Collationis Carthaginensis* separatim ediderat, denuo recognitam adjecit, detractis iis, quæ ad rem minus pertinere videbantur, quæque in Calvinum et Bezam fervidiore animo pronunciaverat, et conscriptis simili ratione in Victorem prolegomenis. Hinc libello titulum fecit : *Delibatio Afr. Hist. Eccl.* Neque aliam ob causam, ut quam invidiam vehementioris invectionis et nimiæ in Calvinium acrimoniæ effugeret, sermonem prolixum, quo priori editioni præfatus erat, procul ab hac esse jussit, satis superque esse inquiens editam suo tempore semel fuisse, ejusque loci aliam ad lectores oratiunculam substituit. Nuncupavit librum Caspare Barchino IC. et causarum criminalium Judici Mediolanensi.

Parisiis, ap. Mich. Sonnium, sub sculo Basiliensi, via Jacobæa, in-8. Eadem prorsus cum præcedente; bibliopolarum nominibus tantum differunt.

1599.

Ex Bibliopolio Commelin. in-8. Optati Libri Sex de Schismate Donatistarum adversus Parmenianum, multo quam antehac emendatiores. Accessit Collatio Carthaginensis inter Catholicos et Donatistas sub Honorio imp.

Balduini est recensio prima unde etiam epistola ad Aquiscinct. Antist. nuncupatoria iterum exscripta. Inest etiam lib. VII, licet a titulo absit. Quocirca non vanis augurationibus suspicari nobis videmur primæ editio altera non ita profert, sed simili litterarum ac reliqui libri genere excusum. Ad primam igitur, si lubet, hæc Dupinii verba relicras.

(1) Hoc addit in admonitione ad Lectorem, quæ ad calcem libri visitur.

(2) Quem Dupinius et ex eo Fabricius in Bibl. Med. et Inf. Lat. ed. Mansi, t. v, p. 170, minutioribus typis exscriptum dicit librum septimum,

Digitized by Google

pariter Balduini editioni hunc librum fuisse addictum. Contra Collationem Carthaginensem, quam titulus pollicetur, non exspectes, sed Honorii tantum et Arcadii Impp. constitutionem contra Donatistas datam Ravennæ Constantio et Constante coss. *ex Cod. Theod. lib.* XLIV, c. Th. *de iis, qui super Religionem contendunt* transcriptam, quod indicatum tamen non est.

SÆC. XVII, 1613.

Lugd. Bat. ex off. Jo. Patii. in-8. Optati A. M. in N. E. de Schismate Donatistarum adversus Parmenianum lib. VII, multo quam antehac emendatiores ac emendationum ac notarum libello illustriores. Repetitio ed. an. 1599, seu primæ Balduini; præfatio quibusdam locis contractior apparet. Notæ textui præmissæ maximam partem lectionibus variis secundæ Balduini et Casparis Barthii emendationibus quibusdam conficiuntur. In quibus id offendit merito unumquemque, quod, cum lectiones alterius recensionis Balduini ad unam omnes laudibus efferantur, tamen prima deterior sit typis mandata.

1618.

Coloniæ Agr. sumpt. Ant. Hierati. in-fol. Opt. Milev. de schismate Donatistarum contra Parmenianum liber VII, in Bibl. Magna PP. T. IV, pag. 269.

1631.

Parisiis, apud Claudium Sonnium, via Jacobæa, sub Scuto Basileensi et Circino aureo. in-fol. S. Optati M. Opera cum observationibus et notis Rev. D. *Gabr. Albaspinæi* Aur. Ep. Accesserunt ejusdem de veteribus Ecclesiæ ritibus Observationum libri duo ac Notæ in Concilium Eliberitanum et quosdam alios antiquos Canones et aliquot Tertulliani libros.

Hanc editionem intuens nescies cui magis succensendum sit, librariorum impudentiæ, an ignorantiæ ejus qui eam adornavit, quem *Carolum Paulinum, ex Soc. J.* fuisse, ipsius ad Card. de Richelieu epistola in limine libri posita prodere videtur. Demptis enim Albaspinæi observationibus, quæ jam antea seorsim lucem adspexerant, per se satis quidem utilibus, ad Optatum tamen, quo nomine etiam a Merico Casaubono perstringuntur, minus facientibus, reliqua omnia supra quam dici potest, inepte sunt consarcinata. Textus quidem est secundæ recensionis Balduini, quem proximo loco excipiunt Albaspinæi in singulos Optati libros notæ, sensum breviter explicantes; dehinc Balduini in singulos libros adnotationes; tum ejusdem Historia Coll. Carthag. titulo Delibationis Historiæ Africæ, quem Balduinus toti libro Optatum et Victorem complectenti olim præfixerat, inepte huc traducto. Mox futiles illæ incerti auctoris dictæ emendationes et notæ ex ed. Lugd. Bat. quæ cum nihil præter diversitatem Secundæ Balduini recensionis a priori, quam Batava expressit, crepent, hic ubi ipsa secunda recensio descripta est, stupore plane admirabili sunt inculcatæ. Sequitur ex P. Pithœi Bibl. (1) appendix, quæ *acta* illa et *gesta*, quorum ab Optato fit crebra mentio, quæque suis libris annectenda Optatus ipse curaverat, complectitur; tum *fragmenta ex Historia Passionis SS. Dativi, Saturnini*, etc. Hinc veniunt: *Gesta Coll. Carth.*, etc., ut an. 1588. Parisiis a P. Massono erant in lucem edita, ad unguem excusa, collata tamen et emendata e codice ms. per Pithœum; jam vero, quod vix credas, Balduini iterum historia Coll. Carth. primæ ed. Claudunt agmen observationes Albaspinæi. Textum Opt. antecedunt Albaspinæi vita et observationes in capita potiora Donatistarum historiæ et Optati. Superest quod innumeris etiam mendis typographicis hoc opus scatere Dupinius notat. Ita jam satis dictum esse putamus ad judicium rectius de hac editione informandum, quæ ob insignem haud dubie quem præbet apparatum, nimium fortasse æstimata fuit.

Londini, typis Joh. Legat. in-8. Optati A. M. E. de schismate Donatistarum contra Parmenianum Donat. Libri Septem. In Eosdem Notæ et emendationes *Merici Casauboni* Is. F. Canon Cantuariens.

Textui Balduini Secundæ recensionis servato ea quæ mutanda existimaret, in notis, brevi quidem, sed egregie, quæ depravata vel obscura viderentur, dilucidante animadversione protulit. Emendationes utique solo ingenio et conjecturarum acumine nixæ absque codicum assensu. Præfatio in notandis edd. Lugduno-Batava et Parisiensi, nec non Albaspinæi observationibus consumitur.

1644.

Parisiis, Sumpt. Æg. Morelli. in fol. S. Opt. Milev. de schism. Donatistarum contra Parmenianum l. VII. cum Franc. Bald. V. C. commentariis et recognitionibus; in Bib. Magna PP. T. IV. col. 525.

1676.

Lutetiæ Parisiorum, vidua Jo. Dupuis. in-fol. Optati, Milevitani episcopi, Opera, cum observationibus et notis integris *Gabr. Albaspinæi, Franc. Balduini, Gasp. Barthii, Merici Casauboni*, etc., ex recensione et cum præfatione *Philippi Priorii*. Accedunt *Facundi*, Hermianensis episcopi opuscula, cum annotationibus *Jacobi Sirmondi:* adjectæ sunt *Gabr. Albaspinæi* observationes ecclesiasticæ, cum aliis ejusdem operibus. *Cat. de la Bibl. Roi.* T. I. p. 371.

1677.

Lugduni, apud Anissonios, in-fol. S. Opt. Mil. de schism. Donatist. contra Parm. in Bibl. Max. PP. T. IV. f. 341: cum additione ad lib. III, f. 369.

(1) In fine: « *Explicunt O. E. libri numero septem et Gesta Purgationis Cæciliani Ep. et Felicis ordinatoris ejusdem nec non epistolæ Constantini Imp. Deo Gr.* » *Sic habuit antiquissimum sed non integrum exemplar librorum O. M. ex quo hanc illorum appendicem primum exscripsi. A. C. P. P. CIↃ. IↃLXIIII.*

Digitized by Google

1679.

Paris. Sumpt. Ant. Dezallier, in Vico San-Jacobæo ad Coronam auream. S. Optati M. E. Opera cum observationibus et notis integris G. Albaspinæi A. E., Franc. Balduini JC., Gasp. Barthii, Merici Casauboni, etc. *Philippus Priorius* annotationes et præfationes adjecit. Accedunt *Facundi* Hermianensis E. pro tribus Capitulis concilii Chalced. Libri XII, cum annotationibus Jac. Sirmondi S. I. et ejus Facundi Opuscula. Huic quoque editioni adjectæ sunt Gab. Albaspinæi observationes ecclesiasticæ, cum aliis ejusdem operibus.

Titulus satis, quæ hujus editionis dotes sunt, exposuit; paucis ergo defungi licebit. Textus est primæ recensionis Balduini, seu potius expressa est editio Lugduno-Batava, ita tamen, ut notæ singulorum cum aliquo lectoris commodo textui statim subjunctæ sint, primum separatim Priorii, tum reliquorum. Historia Coll. Carth. Balduini ad exemplar primum an. 1566, seorsim editum et Jo. Tilio Ep. Meldensi inscriptum, proposita est. Observationes Albaspinæi ecclesiasticæ post Facundum sunt rejectæ. Cæterum hæc editio ut Parisiensis superior et Lugduno-Batava unice librariis quæstui suo prospicientibus debetur et Phil. Priorius operis forma jam descripta de collatione aliqua demum interpellatus est. Quid? quod nec alia de causa Facundum adjecerunt quam *ut hac forma editus Optatus justæ magnitudinis opus videretur*. Sunt Priorii ipsius in admonitione ad L. verba. Bene in hanc rem Mericus Casaubonus in præf. ed. Lond.: Eo jam res rediit; inquit, ut libri non usu æstimentur, sed mole et pondere; eo meliores utique, quo majores. Habitus externus hujus ed. admodum elegans est et nitidus. Cæterum nec Priorius novæ editioni a typothetarum mendis cavisse dicitur.

1700.

Lutetiæ Parisiorum, apud Andr. Pralard, in-fol. S. Optati Afri, Milevitani episcopi, libri VII, de schismate Donatistarum ad mss. codices et veteres editiones collati, et innumeris in locis emendati; quibus accessere historia Donatistarum, una cum monumentis veteribus ad eam spectantibus; nec non geographia episcopalis Africæ: opera et studio Ludovici Ellies du Pin. Cat. de la Bibl. Roi. T. I. p. 371. Præstantissima hæc editio ipsa ad manum non est, sed vide sequentem Antverpiensem.

Sæc. XVIII, 1701.

Amstelod, in-fol. Dupiniana recusa.

1702.

Antverpiæ, ap. G. Gallet Præf. Typographiæ Huguetanorum. S. Opt. A. M. E. de schismate Donatistarum Libri septem: ad mss. codices et veteres editiones collati et innumeris in locis emendati. Quibus accessere Historia Donatistarum una cum monumentis veteribus ad eam spectantibus: nec non Geographia episcopalis Africæ opera et studio *M.* Lud. Ell. Dupin (Sacræ Fac. Paris. nec non Phil. Prof. Reg.) cum ejusdem notis, ut et Gall. Albaspinæi, Mer. Casauboni, Gasp. Barthii et aliorum, *singulis paginis in hac editione subjectis.*

Præstat hæc iterata Dupiniana Parisiensem eo saltem, quod notas Albaspinæi, Mer. Casauboni, Gasp. Barthii et selectas incerti illius scriptoris, quas illa cum reliquis uberioribus Balduini et Albaspinæi observationibus ad calcem rejecerat, singulis statim paginis post Dupinii ipsius animadversiones exhibet. Quinque codices Dupinio in sanando textu præsto erant, *quorum ope vix dici potest*, inquit, quot loca restituerimus; corrupta emendavimus, laxata suis restituimus locis, omissa supplevimus, adscititia resecavimus, uno verbo, textus Optati nativo splendori restitutus integer et emendatus prodit. Variantes lectiones commode separatim a notis in fine uniuscujusque paginæ adscriptæ sunt; bono etiam consilio textus in articulos et paragraphos distinctus est, brevibus argumentis ad marginem appositis. Notas de suo addidit editor paucas et breves, tum vero superiorum editorum, tam eas, quæ ad textum illustrandum proxime spectarent, quam ampliores istos ad universam rem ecclesiasticam pertinentes Balduini et Albaspinæi commentarios, repurgatos ab innumeris mendis typographicis, quæ in Albaspinæi et Priorii irrepserant libros. Priorii notæ, quod inutiles omnes viderentur, omissæ sunt. Variorum notas excipiunt monumenta vetera ad Hist. Donatistarum pertinentia, tum ab Optato ipso, tum ab editionibus superioribus adjecta et hac nova editione aucta et commentariis variorum Dd. qui vel seorsim illa, vel in aliis operibus illustraverant, exornata. Nec omissa est Balduini historia Coll. Carth. Porro Dupinius animadversiones circa sedes Africanorum episcoporum, qui collationi Carth. interfuerant, ex Baluzio, Ruinarto imprimis collectas addidit. Denique Geographiam sacram i. e. notitiam provinciarum et episcopatuum Africæ contexuit et tabula Geographica ornavit. Universo operi post præfationem Donatiani schismatis historiam præposuit ordine chronologico accuratissime conscriptam. Indices postremo locupletes opus finiunt.

1709.

Venetiis, ex typograph. Jo. Bapt. Albritii, in-fol., *in Bibl. Vet. PP.* st. *Andreæ Gallandii* T. V. a. p. 461 usque ad 675. S. Optati episcopi Milevitani de schismate Donatistarum libri VII, ad mss. Codices et veteres editiones collati et innumeris in locis emendati opera et studio *M. Lud. Ell. Dupin.* Accessere Monumenta vetera ad Donatistarum Historiam pertinentia, quorum complura ab eodem Optato memorantur.

Ex notis Dupinianis eas potissimum, quæ ad textus varietatem adstruendam conducerent, G. selegit, iisque passim nonnullas intexuit ad idem institutum comparatas. Præfatus est de Optato in Prolegg. cap. XVIII, p. 29 sq.

Digitized by Google

1790-91.

Wirceburgi, in off. libr. Staheliana, in-8. II Tomi. S. Optati Afri Milevitani episcopi de schismate Donatistarum libri VII, aliaque huc pertinentia vetera Monumenta. Recudi curavit *Dr. Franciscus Oberthur.*

Primum hujus editionis tomum frustra in librariis oppidanis quæsivimus; alterum tantummodo inspicere licuit, unde intelleximus in priori textum Optati, et quæ ad eum spectarent monumenta comprehendi; hic *Varias Lectiones et Adnotationes contextum Opt. illustrantes*, nec non *Adnotationes ad quædam alia vetera, causam Donatistarum concernentia*, ex iis copiis, quas Dupiniana exhibet selectas. Præmisit duas epistolas hodœporicas primo vol. ad *Henckenium* Prof. Helmst. secundo ad *Bœnichium* Prof. Wirceb. admodum prolixas, in quibus, dum a viro candoris eximii et sensus tenerrimi per varias Germaniæ nostræ regiones lubens duci te patiaris, facile oblivisceris, quo loco obtingant. Pertinet autem ad novissimam hanc Optati editionem celeb. auctoris liber tribus Voll. his. ipsis annis editus : *Idea biblica Ecclesiæ Dei.*

Versiones. Unica tantum extat Francogallica *Vielii* ad primam Balduini ed. facta et a. 1564. *Paris. per Federic. Morel.* octonis exscripta hoc titulo : *L'histoire du schisme, blasphèmes, erreurs, sacriléges, homicides, incestes et autres impiétés des Donatians, écrite en latin par* Optat, évêque Milevitain, *mise en langue française et repurgée de plusieurs fautes, augmentée aussi par le supplément de quelques imperfections et explications de lieux difficiles*, par Pierre A Viel. Repetita est *ibidem* apud *Rob. Foust.* 8.

Codices. 1. *Codex Bibliothecæ Cusanæ prope Trevirim*, quo Cochlæus usus est. Mendis omnis generis obsitus.

2. 3. 4. Tres *Balduini* quorum unum in prima ed. adhibitum ab *Espencæo* Theol. Paris. acceperat; alterum *Jo. Tilio* Ep. Meldensi, Luciferi editori, tertium *Macerœo*, Theol. Paris. debebat.

5. *Codex S. Theodorici apud Rhemos* septingentorum circiter annorum a Dupinio æstimatur.

6. *Codex S. Germani a Pratis* non quidem ejusdem antiquitatis, sed optimæ notæ et reliquis emendatior. Est secundus Dupinii.

7. *Codex S. Pauli Cormaricensis prope Turones*, qui tunc, cum Dupinius eum consuleret, in bibl. B Colbertina extabat n. 1951, Sexcentorum annorum fuit et optimæ notæ, sed priores quinque libri cum initio sexti interciderant. Continebat autem monumenta ad veterum Donatistarum historiam pertinentia, quæ in nullo alio manuscripto codice adhuc tunc inventa erant. Quartus apud Dupinium est.

8. *Codex Phil. Silvii* S. Facult. Paris. tunc D. Tertius Dupinii, sed idem, quo jam Balduinus usus erat, dum penes Macerœum esset; recentiori manu exaratus et valde mendosus.

Vides ex his octo vel septem potius codicibus eos quos Dupinius in usum vocavit, cæteris fuisse præstantiores. Idem vero observat, codicem Silvii videri e codice S. Theodorici excerptum et Codicem San-Germanensem ex Cormaricensi. Cæterum cum quinC que mss. nominet, non plures tamen quam quatuor recenset.

CODICES MANUSCRIPTI

In variantibus Lectionibus quas ad finem cujusque paginæ librorum Optati adjecimus, sequentibus designantur notis.

Manuscriptus codex sancti Theodorici, ms. S. Th.

Manuscriptus codex sancti Germani a Pratis, ms. S. G.

Manuscriptus codex Philippi Silvii, ms. P. S.

Manuscriptus codex sancti Pauli Cormaricensis nunc Colbertinus, ms. C.

[1] SANCTI OPTATI AFRI

MILEVITANI [a] EPISCOPI (1),

DE SCHISMATE DONATISTARUM

ADVERSUS PARMENIANUM [b].

LIBER PRIMUS.

In hoc libro primo continentur, qui in persecutione fuerint traditores, et causæ schismatis, et ubi, et a quibus schisma sit factum. [c]

1. *Bonum pacis.*—Cunctos nos Christianos, clarissimi (*Vide not. 2 in pag. seq.*) fratres, omnipotenti Deo

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. Theodorici, *Optati Milibitani.* In ms. Philippi Silvii, *Optati Milivitani. Episcopi* nomen non legitur in mss. nisi in fine Operis.

[b] In mss. S. Th. et Phil. Silv., *libri numeri* VII. Nihil adjicitur in titulo in mss. sed in fine ms. S. Th. habetur : D *Explicit Liber Optati Episcopi, Libri* n. VII, *ad Parmenianum Schismaticorum auctorem.*

[c] Hæc inscriptio, quæ argumentum hujus libri continet, exstat in mss. S. Th. et Ph. Silv.

VARIORUM NOTÆ.

(1) *Milevitani Episcopi.* Urbis Numidiæ, quæ Antonino *Mileum*; Augustino et Victori Vitensi, *Milevis*;

(3) fides una commendat. Cujus fidei pars est, credere filium Dei[a], (4) judicem sæculi, esse venturum : eum qui jampridem venerit[b], et secundum hominem suum, per Mariam virginem natus sit[c], passus, et mortuus et (5) sepultus, resurrexerit[d] : et antequam in cœlum ascenderet[e] (unde descenderat) Christianis omnibus[f] victricem (6) pacem per Apostolos dereliquit[g]. Quam ne videretur solis Apostolis dimisisse, ideo ait : *Quod uni ex vobis dico, omnibus dico* (*Marc*, XIII, 37). Deinde ait : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan*, XIV, 27). Igitur[h] pax Christianis omnibus data est : quam rem Dei esse constat, *dum*[i] *dicit meam* : cum autem dicit, *do vobis, non solum* (7) suam voluit esse, sed et universorum in se credentium.

II. *Pax a schismaticis turbata.*—Quæ pax, si, ut data erat, sic integra in violataque mansisset, (8) nec ab auctoribus (9) schismatis[k] turbaretur, inter[l] nos et fratres

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. S. Germ. a Pratis et Phil. Silv. habetur *Dominum*. Idem sensus.

[b] Ita in mss. S. G. melius quam in editis aliisque mss. in quibus legitur, *venerat*.

[c] Ita in omnibus mss. In editis minus bene *est*.

[d] Ita in ms. S. G.

[e] In ms. S. G. *antequam ascenderet cœlum*.

[f] In editis habetur, *christianis nobis omnibus*, et ita in mss. S. Th. Sed in mss. S. G. et Phil. Silv. deest vox, *nobis*, estque superflua.

[g] Secuti sumus hoc in loco auctoritatem codicis S. G. In ms. S. Th. necnon in Silviano legitur, *storiam per Apostolos pacem dereliquit*. Quid sit *storiam* divinare difficile est : forte positum est pro *consolatoriam*, aut pro *statoriam*, hoc est firmam et permansuram pacem. Alii alia verisimiliora comminiscantur, nobis horum Codicum lectionem indicasse sufficiat. In editis legitur *suam*, sed male; mox enim dicit Optatus pacem illam et Dei esse et Fidelium.

[h] In editis, *Sic igitur*. In ms. S. Th. *Si igitur*. In mss. S. G et P. S. nihil præter *Igitur*, atque id melius.

[i] Ita in omnibus mss. In editis *cum*, sed minus bene.

[k] In ms. S. G. *Schismatum* : in aliis, *Schismatis*.

[l] In ms. S. G. *et inter*.

VARIORUM NOTÆ.

in Tabulis Peutingerianis *Mileu*; in concilio Carthaginensi de rebaptizandis Hæreticis sub Cypriano, *Mileum* dicitur. Ita etiam ab ipso Optato infra. Male distinguit Carolus a Sancto Paulo *Mileum* a *Milevo*, seu *Milevi* ; nam nullum est aliud oppidum hujus nominis in Numidia, et in mss. epistolæ Aug. ad Eusebium nunc 34 *Mileum* reperitur pro *Milevi*. E *Mileo* seu *Mileu* factum est *Milevum*, et inde *Milevis*. Duo in hac urbe habita sunt concilia, unum anno 402, alterum anno 416, quæ *Milevitana* dicuntur. Distabat a Cirtha Numidiæ Metropoli triginta circiter millibus, versus Sitifim. Nunc *Mela* vulgo dicitur, oppidum Regni Algeriani. Du Pin.

(2) *Fratres*. De Christianorum fraternitate diximus in observationibus nostris, atque ibi docuimus antiquos in ea multum mysterii et religionis posuisse, quod scilicet omne Christianitatis commercium in ea affinitate et cognatione versaretur : novum enim hominem et novam naturam, quam in aquis baptismi tamquam in utero Ecclesiæ induerant et adepti essent, qua etiam cum Christo et cum omnibus fidelibus vera reali cognatione essent conjuncti, non poterant testari magis quam in illa appellatione. Docet igitur illa nativitate, quæ communis esset orthodoxis et schismaticis, eos natos et factos esse orthodoxorum fratres, sed malos fratres, quod matri Ecclesiæ quæ eos genuerat, minus essent audientes. Cæterum, consequens est ex ea affinitate susceptum apud schismáticos baptismum vim habere producendi Christianos; quandoquidem ex eo affinitas illa contrahatur, quod negabant Donatistæ. Albasp.

(3) *Fides una commendat*. An id vult Optatus concordi et unanimi ejusdem fidei professione, gratos et acceptos Deo nos esse? an fidem esse quæ nos *commendat Christianos* ; Christiani nempe quotquot sumus, et pro Christianis a Deo agnoscimur, id nos juris per fidem, quæ unica est, omnes assequi? *fidem unam* ita videtur Optatus ipse explicare lib. v : *Una fides*, inquit, *hoc loco ab hæreticorum erroribus et ab eorum varia fide, fides unica separatur*. Nec aliter videtur aut certe non valde dissimiliter accipiendum τὸ *commendare*, in multis veterum locis, cum de Ecclesia Catholica loquuntur. Coll. Carth. edit. Commel. pag. 6 : *Hunc auctoritatem magisterii cœlestis secuti Apostoli Ecclesiam commendant in toto mundo fructificantem atque crescentem*, etc. Ita et ejusdem coll. pag. 68. August. Brevic. coll. die 3, cap. 4 : *Sic ostendentes divina testimonia consonare ut et illa, quibus commendaretur Ecclesia cum malorum commixtione*, etc. *Et illa testimonia quibus commendaretur non habere commixtos malos*, etc. Ubi *commendatur* pro *agnoscitur*, aut *describitur*. Idem August. et eodem loco : *Quoniam Donatistæ scripturarum testimonio unam Ecclesiam commendaverant*, id est, unicam esse probaverant, sed in his tamen nullus dativus personæ, qui est in Optato. Quare nihil affirmo.

Mericus Casaubonus.

(4) *Judicem sæculi esse venturum*. *Sæculum* talibus Scriptoribus *mundum* valet et quidquid in hac vita vivitur. Sic infra hoc libro Constantini Imperatoris verba sunt : *Petitis a me in sæculo judicium, cum ego Christi judicium exspectem*. Barthius.

(5) *Sepultus*. Duo in hoc verbo sunt intelligenda; Christi sepultura, et ejus ad inferos descensio, cujus mentionem non fecit, quod breviter mysteria illa perstringat : verum in auctoribus illius ævi et illius provinciæ, ut in divo Augustino, et in Capreolo frequens est illius descensionis mentio. Albasp.

(6) *Pacem*. Hoc verbo sæpius utitur, quare non erit abs re notare communionem Christianam visibilem et invisibilem, Ecclesiæque unitatem et coagulationem cum Christo, et per Christum cum Deo per pacem intelligi. Albasp.

(7) *Non solum suam*. Pax Dei deberet esse inter omnes qui fratres sunt, qui a Christo data est et relicta, ut in omnibus qui cum eo conjungi volunt, observetur, et colatur. Albasp.

(8) *Nec ab auctoribus schismatis turbaretur*. Non sane tum pertubabatur ab ipsis auctoribus schismatis, qui jampridem esse desierant, nec ea mens Optati est : *Turbaretur* igitur hic accipe pro *turbata fuisset*, ut postea quoque *posset* pro *potuisset*, *haberetis* pro *habuisselis*, etc. Contra autem, *potuissent*, pro *possent*, *remansisset* pro *remanerel*, et id genus alia sexcenta. Et sic quidem non unus loquitur Optatus : sed Arnobius, Zeno Veron., Lucifer Calaritanus, et alii. Ex melioris etiam ævi Scriptoribus, interdum Terentio et Virgilius ipse, quæ adeo Cicero, ut observarunt Grammatici. Vix tamen quisquam crebrius, quam facit hic Noster, quod deinceps semel a nobis monitus, lector ipse observabit. Mer. Casaub.

(9) *Auctoribus schismatis*. Principibus et antesignanis. Loquitur enim tam de iis qui schisma conflaverant, quam de eorum successoribus. Du Pin.

Digitized by Google

nostros hodie non esset ulla dissensio, (10) (11) nec illi inconsolabiles Deo lacrymas facerent, quod Esaias propheta [a] testatur (*C.* XXII, 4) : nec (12) falsorum vatum (13) nomen et actus incurrerent (14) : nec ruinosum ac (15) dealbatum extruerent 3 parietem (16) : (17) nec minus astutas, sed tantum [b] simplices everterent mentes : (18) nec male imponendo (19) omnibus capitibus [c] manum, (20) eversionis (21) velamenta (22) [d]

LECTIONES VARIANTES.

[a] Vox *Propheta* deest in editis, sed est in omnibus mss.

[b] Ita in omnibus mss. et ferri potest, atque ita exponi, *nec minus cautas, et tantum simplices everterent mentes*, hoc est, eos qui minus prudentes et minus cauti sunt ob nimiam simplicitatem. Itaque nihil videtur immutandum.

[c] In ms. S. Th. *captivis*, sed male. Alii codices habent *capitibus*, et ita legendum constat.

[d] In ms. Ph. Silv. *velamentum*, et ita etiam emendatum antiqua ac forte eadem manu in ms. S. Th.

VARIORUM NOTÆ.

(10) *Nec illi inconsolabiles Deo lachrymas, facerent, quod Esaias Propheta testatur.* Alludit ad hæc verba Is. XXII, v. 4 : *Recedite a me, amare flebo : nolite incumbere ut consolemini me super vastitate filiæ populi mei.* Istud autem *Deo lachrymas facerent*, non est intelligendum de lachrymis auctorum schismatis, sed de ipsius Dei dolore ob vastatam ab eis Ecclesiam, ut explicat ipse Optatus initio libri III : *Indicat Deus lachrymas suas quas vos fecistis, quas testatur nulla posse consolatione siccari, cum ad vos per Esaiam prophetam loquitur dicens : missum me facite, amare plorabo : nemo me poterit consolari in contritione filiæ generis mei.* Du Pin.

(11) *Nec illi inconsolabiles Deo lachrymas facerent, quas Esaias testatur.* Ea respicit Esaiæ verba, quæ cap. XXII, v. 4 : *Missum me facite, amare plorabo. Nemo me poterit consolari in contritione filiæ generis mei.* Ita olim legebatur. Totum locum describit, ac fuse prosequitur Optatus lib III, haud procul ab initio. Male igitur hic secuti Parisienses priores editiones quæ ad XXXII caput Esaiæ lectorem remittunt. Mer. Casaub.

(12) *Falsorum vatum.* Pseudo prophetarum; Doctorum mendacii; nec dicerentur, nec agnoscerentur factis suis pro falsis doctoribus. Du Pin.

(13) *Nomen, et actus.* Vestri episcopi non essent falsi, neque frustra eorum nomen in altari nominaretur : per *nomen*, honorem et dignitatem episcopalem; per *actus* vero, munia et functiones intelligendæ sunt. Albasp.

(14) *Falsorum vatum nomen et actus incurrerent. Falsorum fratrum*, non *vatum*, legendum monet eruditus et felicis ingenii adolescens Gaspar Barthius, ex verbis D. Pauli ad Corinth. II, cap. XI, vers. 27, κινδύνοις ἐν θαλάσσῃ, κινδύνοις ἐν Ψευδαδέλφοις, quæ allusit Optatus scilicet. Sed vide de falsis vatibus lib. III. *Incurrendi* autem verbo cum accusative utitur etiam pag. seq. *merito suo jugum servitutis incurrit*, et lib. VI. Incert.

(15) *Dealbatum.* Ecclesia comparatur ædificio, et Episcopi ædificare dicuntur, quo alluditur, aut ad illorum sepulcra dealbata, qui tempore Macarii occisi pro martyribus a Donatistis celebrabantur. Albasp.

Ibid. *Nec ruinosum ac dealbatum extruerent parietem.* Portenta sunt et si quæ portentis magis portentosa quæ Albaspinæus hic affert, ut locum per se planum et clarum pervertat et obscuret. *Ecclesia* (inquit) *comparatur ædificio, et episcopi adificare dicuntur, quo alludit, aut ad illorum sepulcra dealbata, qui tempore Macarii occisi pro martyribus a Donatistis celebrabantur.* Sed jam multa sunt hoc genus, quibus ejus notæ constant, ut hoc mirari nemo debeat. Cæterum de verbis si quis dubitat, alludit Optatus ad Ezech. XIII, ubi contra *dealbatum parietem*, quemadmodum olim legebant, multa prædicuntur. Integrum locum profert, et fuse tractat Optatus ipse lib. III, medio fere libro. Mer. Casaub.

(16) *Nec ruinosum ac dealbatum extruerent parietem.* Alludit ad verba Ezechielis prophetæ, c. XIII, qui de falsis Prophetis loquens : *Qui decipiunt populum meum, dicentes « Pax, » et non est pax :* addit : *Et ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto :* ita ut tempestate superveniente cito dirutus fuerit. Hujusmodi prophetis comparat Optatus Donatistarum principes, quorum societas non erat solidum et permansurum ædificium ut Ecclesia Christi, sed paries tantum ruinosus, licet exterius dealbatus. Du Pin.

(17) *Nec minus astutas, sed tantum simplices everterent mentes.* In his verbis, ut idem Barthius putat, nec sensus est nec vita. Ego, inquit, correctione pulchra utrumque restituam : lege, *nec minis astutas, spe tantum simplices everterent mentes.* Quas artes cum hodieque omnes agnoscere habeant, necesse neminem puto veritati non adsensurum. Hæc ille. Sed cum τὸ *tantum* in secunda editione Francisci Balduini non extet, videtur legendum : *Nec minus astutas et simplices everterent mentes.* Incert.

(18) *Nec male imponendo omnibus captivis manum eversionis*, etc. Etsi hoc leve est, monendum tamen legendum esse *omnibus capitibus*, non ob eam rationem, quam Albaspinæus affert, quod lib. II idem dixerit : *Extendistis enim manum, et super omne caput mortifera velamina prætendistis*, etc. Quæ ratio si valeret, cum captivorum et captivitatis eadem in re postea quoque meminerit, nihil hic mutandum esset; sed cum certum sit, eum ad sequentia Prophetæ verba alludere, quibus *super omne caput*, haud dubium, hic quoque idem voluisse Optatum. Quæ vero *velamenta* intelligat, quæ hic et alibi non uno loco, *eversionis velamenta* vocat, ipse docet lib. II : *Væ facientibus velamen, hoc est, imponendo manum super omnem ætatem*, etc. Ne quis ad cilicium trahat, quo publice pœnitentium capita operiri præcipiuntur, in concil. Agath., dist. 50, can. 63, de quo et in superiori canone : *Pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum, et cilicium super caput a sacerdote (sicut utique constitutum est) consequantur*, etc. Hieronymus etiam epist. XXX : *Fabiolam sacco indutam stetisse in ordine pœnitentium*, etc., testis, ut alios omittam. Quod sequitur, *nec maledicerent Deo*, pluribus ipse explicat lib. IV, quasi medio, si forte quis hic hæret. M. Cas.

(19) *Omnibus capitibus manum. Omnibus capitibus* legendum, ni fallor, ut ex his secundi libri constat : *Extendistis manum super omne caput*, quibus verbis docet Donatistas imposuisse pœnitentiam episcopis, presbyteris, cæteris clericis, fidelibus, et pueris, et omnibus quos poterant circumvenire et pervertere. Albasp.

(20) *Eversionis.* Qui innocenti pœnitentiam olim solemnem imponebat, eum evertebat, quia de fideli reum faciebat; præterea privabat eum communione corporis Christi, qua qui privabantur, mortui censebantur et vera vitæ usura carere. Albasp.

(21) *Velamenta.* Impositio manuum pœnitentiæ est quædam veluti obumbratio : cum enim Episcopi manum in pœnitentes porrigerent, eos veluti obumbrabant : quapropter vocat illam manus impositionem, *velamen.* Albasp.

(22) *Eversionis velamenta obtenderent.* Pergit alludere ad verba sequentia Ezechielis eodem cap. v. 18, ubi habetur in Hebr. et apud Sept. *Væ his qui consuunt cervicalia sub omni cubito manus; et qui faciunt velamina super caput omnis ætatis ut pervertant animas.*

Digitized by Google

obtenderent : (23) nec maledicerent Deo (24) : nec rebaptizarent fideles : nec nos eversas aut occisas innocentium [a] animas doleremus : quas prius [b] doluit Deus, per Ezechielem prophetam, dicens : (25) *Væ facientibus* (26) *velamen super omne caput, et super omnem ætatem ad evertendas animas. Animæ eversæ sunt populi mei, et maledicebant mihi in populo meo, ut occiderent animas, quas non oportuit mori : dum annuntiant populo meo vanas seductiones* (*Ezechiel.* XIII, 8). Et tamen admissa sunt hæc ab iis, qui nostri sunt fratres.

III. *Cur Schismatici fratres appellentur.* — Sed ne quis dicat, me inconsiderate [c] eos fratres appellare, qui tales sunt, ab Esaiæ prophetæ vocibus [d] exorbitare [e] non possumus [f]. *Quamvis et illi non negent*, et omnibus notum sit, *quod nos odio habent*, et exsecrentur, et nolint se dici fratres nostros : tamen nos recedere a timore Dei non possumus, quos hortatur Spiritus sanctus per Esaiam prophetam, dicens : *Vos qui timetis* (27) *nomen Domini* [g], *audite nomen Domini* [h] *: hi qui vos odio habent et exsecrantur,*

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. P. S. *innocentes.*
[b] In ms. S. G. *prior.*
[c] In ms. S. G. *inconsiderate me.*
[d] In editis post hæc verba, *ab Esaiæ Prophetæ vocibus*, additur participium *increpati*, sed deest in ms. S. G. et recentiori manu supra lineam adjectum est in ms. S. T. idque superfluum videtur.
[e] In ms. P. S. *orbitare.*
[f] In ms. S. G. *possum.*
[g] In ms. S. G. *Dominum.*
[h] In ms. *Verbum Domini.*

VARIORUM NOTÆ.

Ita Donatistæ manus imponentes, quod velamenti species est, super fideles omnis generis, hoc est pœnitentiam imponentes episcopis, presbyteris, cæteris clericis, fidelibus, pueris et omnibus quos poterant circumvenire et pervertere, evertebant eorum animas, spoliantes eos innocentia et dignitatibus suis tum coram Deo, tum coram hominibus. Sic mentem suam exponit Optatus, lib. II : *Hos actus vestros dolet Deus in Ezechiele Propheta, cum dicit :* Væ facientibus velamen, *hoc est imponentibus manum* super omnem ætatem ad evertendas animas. *Invenistis pueros ; de pœnitentia sauciastis, ne aliqui ordinari potuissent : agnoscite vos animas evertisse. Invenistis fideles antiquos, fecistis pœnitentes : agnoscite vos animas evertisse. Invenistis Diaconos, presbyteros, episcopos, fecistis laicos : agnoscite vos animas evertisse.* Du Pin.

(23) *Nec maledicerent Deo.* Qui fidelem olim rebaptizabat, aut qui fideli et innocenti manus pœnitentiæ imponebat, Deo maledicebat, quia in utroque olim sacramento fiebant exorcismi, quibus objurgabatur satanas, et discedere, et locum vero Deo dare jubebatur : Donatistæ ergo in pœnitentia quam insontibus imponebant, et in rebaptizatione, Deo maledicebant, quia exorcizabant fidelem in quo Deus habitabat, et eum maledictis tanquam satanam onerabant : quapropter in Augustino omnibus pene libris objicitur Donatistis, quod Deum, aut Christum, aut Spiritum denique sanctum exsufflarent, hoc est, exorcismis, exsufflationibus deterrerent et fugarent : flatu enim et sputo dæmones olim a Christianis exsufflabantur. Tertullianus ad Uxorem secundo, *aut aliquid immundum flatu expuis.* Albasp.

(24) *Nec maledicerent Deo.* Hoc etiam habetur in illo Ezechielis loco : *Et profanastis me in populo*, etc. Profanare seu profanum reddere est maledictis incessere, inhonorare. Du Pin.

(25) *Væ facientibus velamen*, etc. Ita tum legebant, Ezech. XIII, 18. Hodiernam Vulgatam si consulas, multum differre intelliges. Quod non mirum : raro enim consentiunt. Major, non hoc quidem loco, sed tamen in plerisque major cum Græca seniorum (ut fere in ejusdem aut majoris antiquitatis scriptis observes) convenientia. Exempli causa mox profert Optatus ex Isaia : *Vos qui timetis nomen Domini, audite nomen Domini. Ili qui vos odio habent, et exsecrantur, et nolunt se dici fratres nostros, vos tamen eis dicite, Fratres nostri estis.* Male ablegant editiones priores ad Isaiæ LIX, est enim Isaiæ LXVI, 5. Ibi Vulgata plane in aliam mentem : *Audite verbum Domini qui tremitis ad verbum ejus. Dixerunt fratres vestri odientes vos et abjicientes propter nomen meum, Glorificetur Dominus et videbimus in lætitia vestra*, etc. Græci autem, ἀκούσατε ῥήματα Κυρίου οἱ τρέμοντες τὸν λόγον αὐτοῦ, εἶπατε Ἀδελφοὶ ἡμῶν, τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς, καὶ βδελυσσομένοις, etc., vides per omnia consentire. Nam ista in Optato, *et nolunt se dici fratres nostros*, sunt ab Optato ipso, qui prolatis ex Scriptura testimoniis solet aliqua quasi supplens interserere, ut dilucidiora sint quæ profert : sæpe ut apta proposito videantur, quæ parum alioquin apposita. Inde est et illud *tamen ; vos tamen*, etc. Cætera verbatim ex Græco, nisi quod *audite nomen Domini*, pro *audite verbum Domini*, quod irrepsisse puto. Eodem hoc testimonio contra Donatistas utitur Augustinus post coll. cap. postremo. Profert et Tertull. contra Marcion., lib. IV, cap. 16, ex eadem qua Optatus versione. Vide et coll. Carth. I, pag. 64, unde quid Optatus de suo adjecerit liquido constabit. Hoc exemplo poterit lector similia alia loca, si operæ erit, expendere, eademque ad Hebraicam quoque veritatem exigere, atque inde (quod in multis succedet) varietatis causas rimari. Hæc enim in hac tanta ac tam beata luce illarum litterarum maluimus lectori relinquere, nisi ubi aliquid incidet, quod dignum vindice, quam iis immorari, quæ plerique fastidiant, quia cuivis obvia ; et quia multa, has nostras notulas instituto longius extruderent ac diffunderent. M. Casaub.

(26) *Væ facientibus.* Sic locus ille integer habetur apud Sept. Ezechiel XIII, 18 et 19 : Οὐαὶ ταῖς συῤῥαπτούσαις προσκεφάλαια ὑπὸ πάντα ἀγκῶνα χειρὸς, καὶ ποιούσαις ἐπιβόλαια ἐπὶ πᾶσαν κεφαλὴν πάσης ἡλικίας τοῦ διαστρέψειν ψυχάς. αἱ ψυχαὶ διεστράφησαν τοῦ λαοῦ μου, καὶ ψυχὰς περιεποιοῦντο. Καὶ ἐβεβήλουν με πρὸς τὸν λαόν μου, ἕνεκεν δρακὸς κριθῶν, καὶ ἕνεκεν κλασμάτων ἄρτων τοῦ ἀποκτεῖναι ψυχὰς ἃς οὐκ ἔδει ἀποθανεῖν, καὶ τοῦ περιποιήσασθαι ψυχὰς ἃς οὐκ ἔδει ζῆσαι, ἐν τῷ ἀποφθέγγεσθαι ὑμᾶς λαῷ εἰσακούοντι μάταια ἀποφθέγματα. *Væ his quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus : et faciunt cervicalia sub omni capite universæ ætatis ad capiendas animas : et cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei, et fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, et vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.* Quod noster Interpres vertit *Cervicalia*, Heb. מַסְפֻּדוֹת, D. K. ait esse *velamina quibus mulieres faciem suam velabant.* Vox Græca ἐπιβόλαια, *amiculum* generatim significat aut velamen. Sed *stragulum Tori* apud Galenum, quod secutus est noster interpres, tempore Optati legebatur, *velamen.* Du Pin.

(27) *Spiritus sanctus per Esaiam prophetam dicens : Vos qui timetis*, etc. Ita hic locus habetur apud Isaiam in Græco ut citatur ab Optato. Vulgatus noster interpres, qui cum Hebræo concinit, diverso prorsus sensu legit : *Audite verbum Domini qui tremitis ad verbum ejus : dixerunt fratres vestri odientes vos et abjicientes propter nomen meum.* Idem testimonium profert Tertull., lib. IV, contra Marc., c. 16, ex eadem

Digitized by Google

et nolunt se dici fratres vestros [a] (28), *vos tamen dicite eis, Fratres nostri estis* (*Esa.* LXVI, 5) : sunt igitur sine dubio fratres, quamvis non boni. Quare nemo miretur, eos me [b] appellare fratres, (29) qui non possunt non esse fratres (30). Est quidem nobis et illis spiritalis una nativitas, sed (31) diversi sunt actus. Nam et Cham, qui patris sui risit impie nuditatem (*Gen.* IX), frater innocentium fuit : et pro merito suo jugum servitutis incurrit, ut esset fratribus frater addictus. Ergo hoc nomen fraternitatis, nec interveniente peccato deponitur. Sed de istorum fratrum delictis dicam alio loco : qui sedentes adversum nos [c] (32), detrahunt [d], et contra nos scandala ponunt (*Ps.* XLIX, 20) : et (33) cum illo fure concurrunt (*Ibid.* 19), qui Deo furtum facit [e] (34) : et cum mœchis, id est, cum hæreticis, partem suam ponunt, et peccata sua laudant, et convitia contra nos Catholicos meditantur.

IV. *Cur Parmeniani Librum refellendum suscipiat.* — Omnes quidem per singula loca maledicis vocibus perstrepunt : (quibus ad aliqua de occasione respondam [f] ; (35) sed unum quidem [g] vix invenimus, cum (36) 5 quo per litteras, vel hoc modo loquamur ; Parmenianum scilicet, fratrem nostrum ; si tamen se a nobis vel hoc nomine nuncupari permittit. (37) Et quia (38) collegium episcopale (39) nolunt nobiscum habere commune, non sint collegæ, si nolunt : tamen (ut supra diximus) fratres sunt. Frater meus igitur Parmenianus, (40) ne ventose ac nude [h], ut cæteri, loqueretur, quidquid sentire potuit, non solum dixit, sed etiam in scriptura digessit. Cujus dictis, cum respondere, veritate cogente, compellimur : erit inter nos absentes quoquomodo collatio. Eodem modo satisfiet et desideriis aliquorum. Nam a multis sæpe [i] desideratum est ut ad eruendam [j] veritatem, ab aliquibus defensoribus partium conflictus haberetur :

LECTIONES VARIANTES.[1]

[a] Ita in mss. S. Th. S. G. et P. S. In editis, *nostros*, sed minus bene.

[b] In ms. S. G. *me eos.*

[c] Ita in mss. S. Th. S. G. et P. S.

[d] In ms. S. G. *denotant*, sed male.

[e] Ita in ms. S. G. In mss. S. Th. et P. S. *faciunt.*

[f] In ms. S. G. hæc per parenthesim adjecta sunt quæ desunt in aliis mss. sed non videntur aliena aut peregrina.

[g] Deest in ms. S. G.

[h] Ita in mss. In Cochlæi editione germanica, *cum nequitiose.* In priori Balduuii, *cum venenose ac nude.* Optime in aliis, *ne ventose ac nude*, hoc est, ne ut cæteri nudis tantum verbis quæ in ventos abeunt, suas partes tueretur.

[i] Hanc vocem quæ deest in editis, agnoscunt omnes mss. codices.

[j] In mss. S. T. et P. S, *erudiendam*, sed errore amanuensis, quem agnoscens exscriptor codicis San-Germanensis, correxit *ad exquirendam*, felicius restitutum est, *ad eruendam.*

VARIORUM NOTÆ.

qua Optatus versione. Eadem etiam utitur Aug. in lib. post Collat. c. ult. Du Pin.

(28) *Et nolunt se dici fratres vestros.* Hæc verba sunt Optati, qui prolatis ex Scriptura testimoniis, solet aliqua de suo quasi supplens inserere. Fratrum nomen repudiabant Donatistæ, ut præter Opt. testatur Aug., lib. III, contra Gaudent. et lib. III contra Parm., c. 2. Du Pin.

(29) *Qui non possunt non esse fratres.* Qui non possunt non esse baptizati, in cujus aquis tanquam in utero sunt concepti. M. Casaub.

(30) *Non possunt non esse fratres.* Eumdem agnoscentes Deum Patrem ; eamdem habentes fidem ; eodem baptismate regenerati. Du Pin.

(31) *Diversi actus.* In Cypriano, actus pro episcopali functione et pro ea disciplina, quam observare facit in sua diœcesi accipitur, uti cum ait unumquemque episcopum de suo actu esse responsurum. Albasp.

(32) *Qui sedentes adversum nos.* Hæc et sequentia pertinent ad Ps. XLIX, 19, et sequentes, et explicantur fuse de Donatistis ab Optato, lib. IV. Du Pin.

(33) *Cum illo fure concurrunt qui Deo*, etc. Ut verba constent, quæ nunc male cohærent, ita distinguenda sunt : *Ponunt, et cum illo fure concurrunt : qui Deo furtum faciunt* (Deum deserunt) : *et cum mœchis, id est cum hæreticis, partem suam ponunt*, etc. psalm. XLIX, 18. M. Casaub.

(34) *Cum illo fure concurrunt, qui Deo furtum facit.* Diabolo nempe. Du Pin.

(35) *Sed unum vix invenimus cum quo per litteras*, etc. *Loquamur*, hoc est, *loqui possimus.* Phrasis familiaris jur. consult., lib. XI, § 4 ; lib. VI, § 11. D. de judic. ubi *domum revocant* pro *revocare possunt*, *fungitur* pro *fungi potest* : et talia quæ in LL. sæpissime occurrunt. Iidem JCti. *possum facere* pro *debeo* usurpant, quod huic affine est, et notavit amicus olim noster C. Ritterhusius ad 4 Pauli sententiar. Plin., Valerian., lib. IV, cap. 6, de cucurbita : *Ejus aridæ cortices efficaciter possunt combusta sanare.* Idem cap. 36 : *Potest cum melle canceratis mederi, lateris dolores haustum ex vino miligare*, cap. 40. Aliquando magis absoluta. Idem cap. 48, ejus libri : *Siliquæ recentes stomachum avertunt, alvum solvunt, eædem siccatæ in contrarium possunt.* Barth.

(36) *Quo per litteras.* De eadem re conqueritur D. Augustinus, et cum Augustino de nostris possumus conqueri ; sed hoc peculiare est hæreticis fugere orthodoxorum colloquium. Albasp.

(37) *Et quia collegium episcopale nolunt*, etc. Collegium episcopale non aliud quam episcoporum universus ordo ac societas, quam late patet. Omnes enim toto orbe episcopi *collegæ*, et ita olim vicissim nuncupabant. Hinc aliquando *collegium* absolute pro *episcopale collegium ; et collegæ* pro *episcopis.* Ita apud Sidonium Apoll. *turba collegii*, pro *quantum est episcoporum*, epist. I, lib. VI, et qui *collegæ provinciales*, epist. V lib. VII, eos *sacerdotes provinciales* appellat, epist. XXV, lib. VI, quicumque essent ejusdem provinciæ episcopos, intelligens. M. Casaub.

(38) *Collegium episcopale.* Societatem, communionem, consortium, fraternitatem Ecclesisticam et episcopalem : distinguit inter fraternitatem et communionem, aitque Donatistas posse quidem jus communionis tollere et dirimere, sed non fraternitatis, quia hæc a nativitate consequitur, illa vero in consuetudine versatur. Albasp.

(39) *Collegium episcopale.* Societatem, communionem, consortium inter episcopos catholicos et episcopos partis Donati. Distinguit inter fraternitatem et communionem, aitque Donatistas posse quidem a communione excidere, non autem a fraternitatis nomine, quia ad hoc sufficit unitas fidei et eadem nativitas, ad illam vero præterea necessaria sunt externa charitatis et unitatis indicia. Du Pin.

(40) *Cum venenose ac nude, ut cæteri, loqueretur.* Ita primum correxit Fr. Balduinus, cum in Cochlei editione Germanica, omnium prima, legeretur *cum nequitiose.* Verum iterata editione Optati

Digitized by Google

et fieri potuit. Sed quoniam et accessum prohibent, et aditus intercludunt, et consessum vitant, et colloquium denegant : vel tecum mihi, frater Parmeniane, sit isto modo collatio : ut qui tractatus tuos, quos in manibus, et in ore multorum esse voluisti, non aspernatus sum, neque contempsi, sed omnia a te dicta patienter audivi, audias et tu humilitatis nostræ responsa [a].

V. *Cujus generis sint ea quæ in libro Parmeniani.*— Nam et ego intelligo, et tu non negas, et quivis sapiens pervidet, te nulla alia ratione tam prolixe tractasse, nisi ut Ecclesiam catholicam tuis tractatibus indigne pulsares. Sed, ut intelligi datur, aliud habet animus, aliud resonat sermo. Denique non omnia [b] te video dixisse contra catholicam [c] : imo multa pro catholica, cum catholicus non sis, ut et nobis necesse non fuerit respondere tractatibus tuis : nisi, quod dum male instructus es, (41) ut quod non vidisti, [d] sed falso audieris, loquereris, (42) cum in epistola Petri (43) Apostoli legerimus : *Nolite per opinionem* [e] *judicare fratres vestros* (*Jacobi* IV, 11) : (44) ut inter aliqua, quæ ad nos non pertinent (sicuti probaturi [f] sumus) diceres, a nobis contra vos (45) militem fuisse postulatum. Cæterum a te in aliis patribus tractatus tui, aliqua pro nobis dicta sunt, et contra vos, ut diluvii et circumcisionis comparatio : quædam et (46) pro nobis, et pro vobis, ut ea, quæ in laude dixisti baptismatis, (præter illud quod (47) carnem **6** Christi male tractaveris) : ideo et pro vobis, quia quamvis foris sitis, tamen ex nobis existis. Nam et illud pro ambobus, quod demonstrasti hæreticos (48) extraneos esse catholicis sacramentis : si tamen vos ipsos non eis adjungeres, quos esse schismaticos constat. Quædam pro nobis solis, ut unius Ecclesiæ commemoratio [g] : quædam contra vos per ignorantiam [h] (quia (49) peregrinus es) ut traditorum et schismaticorum accusatio [i] : etiam illud et [j] contra vos, quod dixisti de aleo et sacrificio peccatoris. Ac per hoc nihil contra nos a te dictum est, nisi quod ignoranter dixisti, a nobis militem postulatum : quod calumniose a te dictum esse, probationibus verissimis demonstrabimus. Tolle hanc calumniam, et noster es [k]. Quid enim magis [l] pro nobis et nostrum est [m], quam quod dixisti, (50) in comparatione [n] baptismatis semel factum esse diluvium? Et singularem circumcisionem salubriter [o] profecisse populo Judæorum, magis pro nobis, quasi noster locutus es : hæc enim nostra vox est, qui in (51) Trinitate [p] baptismatis unionem defendi-

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. post hæc verba adjectum est, *jam posco.*
[b] Ita in mss. In editis pessime et contra mentem Optati deest particula negativa.
[c] In ms. S. G. additur *fidem*, sed male, agitur enim de Ecclesia, non de fide.
[d] In ms. S. G. *videris.*
[e] In ms. S. G. *pro opinione.*
[f] In ms. S. G. *provocaturi*, minus bene.
[g] Ita in mss. S. G. et P. S. In mss. S. T. *ut unius Ecclesiæ commemorationem fuceres*, idem sensus, sed propius accedit ad stylum Optati et magis cum reliquis concinit lectio aliorum codicum.
[h] In ms. S. G. additur, *tuam.*
[i] Ita restituimus ex codice ms. S. G. In aliis vitio exscriptoris legitur, ut in editis, *accusationem.*
[j] Male in editis *est.*
[k] Ita in mss. longe elegantius quam in editis, *et eris noster.*
[l] In editis additur hic *dici*, sed deest in mss. et super fluum videtur.
[m] In editis, *et nostrum esse potest.*
[n] Ita in mss. non ut in editis, *in comparationem.*
[o] Deest in ms. S. G.
[p] In mss. S. T. et P. S. *in Trinitatem.*

VARIORUM NOTÆ.

idem vir diligentissimus F. Balduinus ex meliori exemplari ms. emendavit ac in contextum recepit : *Frater meus igitur Parmenianus, ne ventose ac nude, ut cæteri, loquar.* INCERT.

(41) *Ut quod non vidisti.* Vel quia multo ante Parmenianum hæc evenerant, vel quia peregrinus erat, et ita ea non viderat. ALBASP.

(42) *Cum in epistola Petri legerimus, Nolite*, etc. Immo Jacobi, ni valde fallor, cap. IV, 11. Erroris, ut conjicio, fuit hæc causa ; quod in Jacobo, laudata ab Optato verba, quæ proxime præcedunt ; eadem in Petri quoque epist. I, c. V, 6. M. CASAUB.

(43) *In epistola Petri.* Nihil simile est in epistola Petri, sed in epistola Jacobi c. IV, 11, ubi habetur : *Nolite detrahere alterutrum fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, et judicat legem.* Forte hunc locum respexit Optatus. DU PIN.

(44) *Ut inter aliqua*, etc. Non satis cohærent nisi loco, *ut, et* vel *id* scribas. Ita tamen Optatum scripsisse non ausim asserere, cum majora sint in hoc genere, quæ peccat non uno loco. M. CASAUB.

45 *Militem.* Macarius manu armata et imperatoris jussu plebem Donatistarum ad Ecclesiam coegerat, unitatemque fecerat, et quos schisma diviserat societatem coire compulerat, unde contra suam plebem militem a Romanis postulatum conquerebantur Donatistæ. ALBASP.

(46) *Pro vobis et pro nobis.* Donatistarum baptismus ab orthodoxis probabatur ; quare quæcumque in laudem baptismi dicebantur, pro utraque parte dicta videbantur. ALBASP.

(47) *Carnem Christi.* Quia peccatricem eam esse dixerat. ALBASP.

(48) *Extraneos.* Vel per sacramenta cætera Religionis, excepto baptismo, intelligit mysteria, vel in Cypriani consilii erat sententia, quo hæreticis baptizandi potestas tollitur. ALBASP.

(49) *Quia peregrinus es.* Peregrinus is vocatur apud antiquos, qui natus erat in alia diœcesi, qui quamvis multos annos in una moratus esset civitate, vel etiam quamvis ipsius civitatis factus esset episcopus, peregrinus adhuc censebatur, uti alibi probabimus. Cæterum non licebat presbyterum aut episcopum peregrinum ordinare ; quo respiciens Optatus tacite carpit Parmenianum, quod cum alibi natus esset, contra Canonum mentem Carthaginis constitutus esset episcopus peregrinus. ALBASP.

(50) *In comparationem baptismi.* Nihil magis ostendit baptismum non esse repetendum, quam ejus cum diluvio comparatio. ALBASP.

(51) *Qui in Trinitate baptismatis.* Quin in baptismo facto in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti dicimus generationis sacramentum bene et utiliter collatum, quamvis apud hæreticos factum sit. ALBASP.

Ibid. *In Trinitate baptismatis.* Ordo verborum, quæ alioquin subobscura videantur, hic est : *qui unionem baptismatis in Trinitate defendimus* : id est, baptis-

mus (52) : non pro vobis qui baptisma, (53) in cujus imagine [a] sunt illa duo (54) audaciter, et quod contra leges [b] est iteratis : (55) quamvis et vos ipsi non negetis, quia non debet iterari, quod semel jussum est fieri. Sed dum tu [c] subtiliter laudasti, quod omni laudis præconio dignum est, (56) callide vestram supposuisti personam, ut quasi, quia semel licet, vobis liceat (57), aliis denegetur. (58) Si traditoribus non licet, vobis licere non debuit, quorum (59) principes probamus fuisse traditores. Si schismaticis non licet, adæque vobis licere non debuit, apud quos (60) origo schismatis invenitur. Si peccatoribus non licet, etiam peccatores vos esse testimonio divino convincimus. Et tamen quia semel licet, non per electum hominem, sed per quod semel licet : ideo post vos (61) non emendamus, quia et apud nos et apud vos, unum est (62) sacramentum : cujus sacramenti ratio, tota quinto libro monstrabitur.

7 VI. *Argumenta librorum Parmeniani.* — A te quidem, frater Parmeniane, multa tractata sunt. Sed video mihi non eo esse respondendum ordine, quo a te dicta sunt singula. Tu enim primo loco dixisti comparationes laudesque baptismatis, et præter carnem Christi a te male tractatam, cætera bene dixisti: hoc enim magis pro nobis te dixisse, suo loco monstrabitur. Secundo autem loco, exclusis hæreticis, unam dixisti esse Ecclesiam : sed eam, ubi sit, agnoscere noluisti. Tertio loco, traditores (63) nullis certis personis aut nominibus accusasti. Quarto a te unitatis lacerati sunt operarii (64). Quinto, ut minima prætermittam [d], dixisti (65) de oleo et sacrificio peccatoris.

VII. *Divisio operis hujus, et singulorum librorum Argumenta.* — Sed mihi videtur primo loco traditorum et schismaticorum (66) indicandas esse civitates, personas, et nomina : ut quæ a te de iis dicta sunt, veros auctores et certos reos suos agnoscant. Deinde mihi dicendum est, quæ, vel ubi sit una Ecclesia, quæ est : quia præter unam altera non est. Tertio, a nobis militem non esse petitum, et ad nos non pertinere, quod (67) ab operariis unitatis dicitur esse commissum. Quarto loco, qui sit peccator, cujus sacrificium repudiat Deus, vel cujus (68) oleum

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. *imaginem*. In aliis et in editis, *imagine*.

[b] In ms. S. G. *legem*.

[c] Ita in mss. S. G. et P. S. In ms. S. T. omittitur, *tu*, ut et in editis.

[d] In ms. S. G. *ut minuta mittam*, idem sensus.

VARIORUM NOTÆ.

matis in nomine Trinitatis administrati. Non immerito tamen suspicetur aliquis, Optatum hic per Trinitatem baptismatis trinas illas mersiones intelligere, quas apostolorum uti vocant, can. 50, τρία βαπτίσματα nuncupat, et secundum baptisma, aut intelligi aut restitui debere in hunc modum, *qui in Trinitate baptismatis, ejus*, sive *baptismatis, unionem defendimus*. Priorem tamen interpretationem magis probo, quando et alii ita quoque loquuntur, *in Trinitate* baptizare, ἀντὶ τοῦ *in nomine Trinitatis*. Optatus ipse l. v, *baptisma Christianorum Trinitate confectum*, etc., eodem lib. *Nemo adhuc tinctus fuerat in Trinitate*, etc., ac deinceps sæpius. M. Casaub.

(52) *Qui in Trinitate Baptismatis unionem defendimus*. Qui baptismum invocato Trinitatis nomine collatum unum esse defendimus, nec iterari debere. Albasp.

(53) *In cujus imagine*. Diluvium et circumcisio erant imagines baptismi. Albasp.

(54) *In cujus imagine sunt illa duo*. Diluvium et circumcisio figuræ baptismi : et sicut unum est diluvium, nec iteratur circumcisio, ita unum est baptisma, quod semel administratur. Du Pin.

(55) *Quamvis et vos ipsi*. Donatistæ non docebant baptismum iterandum esse, sed rebaptizabant orthodoxos, quod eorum aquis vim ad sordes abluendas inesse negarent. Albasp.

(56) *Callide vestram personam*. Sensus est : Per ea quæ de baptismi laudibus prædicatis cum orthodoxis convenire videmini : verum longe aliter est : nam cum unum tantum esse baptisma, et illud ab illis dumtaxat conferendum esse penes quos est Ecclesia, doceatis; tacite, et callide jus baptizandi vobis solis adrogatis, et nobis qui ex vestra sententia, jus Ecclesiæ, traditionis crimine amisimus, tollitis. Albasp.

(57) *Ut quasi, quia semel licet, vobis liceat*. Donatistæ asserebant equidem baptismum semel conferendum, sed negabant verum esse apud catholicos baptisma, idque ratum ac validum tantum esse aiebant, quod a suis administrabatur. Du Pin.

(58) *Si traditoribus*. Cæcilianus, Cæcilianique successores et fideles qui cum eis communicarent, hoc est, omnes Africæ fideles, traditionis crimine a Donatistis notabantur, atque ob hanc causam baptizandi potestate carere ab iisdem existimabantur. Albasp.

(59) *Principes*. Majores et auctores, a quibus descendisti. Albasp.

(60) *Origo Schismatis*. Majorini ordinatio. Albasp.

(61) *Non emendamus*. Non rebaptizamus. Albasp.

(62) *Sacramentum*. Unum baptisma. Albasp.

(63) *Nullis certis personis*. Nullis testibus aut actis : vel nullum ex orthodoxis peculiari nomine aut actione instituta, traditionis accusatis ; sed eos omnes hoc crimine damnatis. Albasp.

(64) *Operarii unitatis*. Paulus et Macarius, qui ex mandato Constantis Imperatoris unitatem in Africa fecerant, hoc est, qui Donatistas ad Ecclesiam Catholicam adducere voluerant. Albasp.

(65) *De oleo et sacrificio*. In his duobus pene omnis sacerdotii vis et operatio consistit ; per oleum enim pœne omnia sacramenta intelliguntur, in quibus oleum sanctum adhibetur. Albasp.

(66) *Indicandas esse civitates*. Indicandum in qua civitate tradiderint sacros Codices, ut ex illius civitatis actis publicis manifestum posset fieri, et legi, quinam Diocletiani, aut Maxentii tempore hoc crimine tenerentur. Albasp.

(67) *Ab operariis unitatis*. De Paulo et Macario semper conquesti sunt Donatistæ, ut licet videre apud divum Augustinum ; verum Augustinus et Optatus negabant ad Ecclesiam pertinere, si quid alienum a Christiana charitate in illa expeditione factum esset. Albasp.

(68) *Oleum fugiendum*. Fugiendum et contemnendum est oleum hæreticorum aut peccatorum, quia ad illius unctionem gratiam suam Deus non infundit. Albasp.

Digitized by Google

fugiendum sit. Quinto, de Baptismate. (69) Sexto, de inconsideratis præsumptionibus et erroribus vestris.

VIII. *Carnem Christi nec peccatricem, nec aquis demersam dici debuisse a Parmeniano.* — Sed priusquam de rebus singulis aliquid dicam, quod carnem Christi male tractaveris, breviter ostendam. Dixisti enim, (70) carnem illam peccatricem, Jordanis demersam diluvio, ab universis sordibus esse mundatam. Merito hoc diceres, si caro Christi pro omnibus baptizata sufficeret, ut nemo pro se baptizaretur. Si ita esset, ibi esset totum genus hominum [a] : illic omne quod corporaliter natum est. Nihil esset inter fideles et unumquemque gentilem, quia in omnibus caro est : et dum nemo non est qui non habeat carnem; si, (71) ut [b] dixisti, caro Christi diluvio Jordanis demersa est, omnis caro hoc beneficium consequeretur. Aliud est enim caro Christi in Christo; aliud uniuscujusque in se. Quid tibi visum est', carnem Christi dicere peccatricem? Utinam diceres, caro hominum in carne Christi : nec sic probabiliter dixeras [c], quia unusquisque credens, in nomine Christi baptizatur [d], non in carne Christi, quæ specialiter illius erat. Addo [e], quod ejus caro de Spiritu sancto concepta, inter alios (72) non potuit in remissam peccatorum tingi, (73) quæ nullum videbatur admisisse peccatum (74). Addidisti, et Jordanis 8 diluvio [f] demersam : satis inconsiderate hoc usus es verbo : quod verbum soli Pharaoni, et ejus populo debebatur, qui pondere delictorum, tamquam plumbum, ita mersus sit, ut ibi remanserit. Christi autem caro, dum in Jordane descendit et ascendit, mersa a te dici non debuit : cujus caro ipso [g] Jordane sanctior [h] invenitur, ut magis aquam ipsa descensu suo mundaverit, quam ipsa mundata sit [i].

IX. *Hæreticorum mentionem supervacanee factam a Parmeniano.* — Etiam illud præterire non possum quod te subtiliter egisse considero : ut ad inducendos vel decipiendos animos auditorum, post circumcisionis et diluvii descriptionem, et post laudem baptismatis, hæreticos cum erroribus suis mortuos [j], et oblivione jam sepultos quodammodo resuscitare voluisti : quorum per provincias Africanas, non solum vitia, sed etiam nomina videbantur ignota. Marcion, Praxeas, Sabellius, Valentinus, et cæteri, usque ad Cataphrygas [k], temporibus suis a (75) Victorino Petavionensi [l],

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. *humanum.*
[b] Ita in ms. S. G. In editis et in ms. S. T. *sicut*, sed minus ad mentem scriptoris.
[c] Ita in omnibus mss. In editis, *dixeris.*
[d] In mss. S. G. et P. S. *baptizari potest.*
[e] In ms. S. G. *adde.*
[f] In ms. S. G. *diluvio esse demersam.*
[g] In mss. S. T. et P. S. *ab ipso Jordane.*
[h] In ms. S. G. *purior.*
[i] In ms. S. G. hæc referuntur ad Christum non ad ejus carnem, et ita habetur : *Ut magis aquam ipsam descensu suo mundaverit, quam ipse mundatus sit.*
[j] In ms. S. G. *cum erroribus suis jam mortuos*, quæ particula *jam* omittitur in posteriori membro.
[k] Verba hæc e loco suo mota restituimus.
[l] In mss. S. T. et P. S. *Pectaviensi.* In ms. S. G. *Pictavienensi.* S. Hieronymus *Pictavionensem* seu *Pitabionensem* vocat pluribus in locis. In inscriptione commentarii hujus Victorini, *Pictabionensis* dicitur, necnon in veteri catalogo librorum apocryphorum Gelasii Papæ, et martyrologiis Usuardi et Adonis, aliisque veteribus monumentis. *Pitabio* aut *Petabio* seu *Petavio* Noricorum est oppidum, cujus mentio fit apud Tacitum lib. III Hist. in cosmographia Æthici, in Itinerario Antonini, necnon apud Ammianum Marcellinum lib. XIV Hist., et Ptolemæum lib. II, cap. 15. Hujus urbis episcopus fuit Victorinus ille non Pictavorum in Gallia, ut fuse ostendit eruditus Launoius in Dissertatione de Victorino episcopo et martyre, in qua hunc Optati locum emendat ex conjectura, simulque observat editiones Optati mendosas esse, et emendatiorem fieri in votis habet.

VARIORUM NOTÆ.

(69) *Sexto de inconsideratis.* De his agitur libro sexto. ALBASP.

(70) *Carnem illam peccatricem.* De propria Christi carne non de corpore ejus mystico hanc blasphemiam dixerat Parmenianus. ALBASP.

(71) *Sicut dixisti caro Christi.* Pro *sicut* lege *si ut*, duobus verbis; ita enim sententia requirit, quæ alioquin nulla potest elici ex vulgata lectione. Si, inquit, ut tu quidem vis et interpretaris, caro Christi, id est, omnis caro peccatrix, etc. Quod autem hic, *nemo non est* pro *nemo est*, etsidurum, non ausim tamen emendare, quia haud dissimile alibi observavi.

M. CASAUB.

(72) *Non potuit in remissam peccatorum tingi. Remissam peccatorum* dicit pro *remissione* etiam alibi, quomodo et usurpat Cyprianus, de Bono patientiæ : *Dominus*, inquit, *baptizatur a servo, et remissam peccatorum daturus, ipse non dedignatur lavacro regenerationis corpus abluere.* Idem lib. III-epist. 14 : *Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habet remissam, sed reus est æterni peccati.* Similia alia apud auctores occurrunt. Nec aliter *offensa* vulgo pro *offensione* dicitur. INCERT.

(73) *Quæ nullum videbatur admisisse peccatum.* Minus caute, ne dicam pie locutus cuipiam videri possit Optatus, qui vim locutionis, non ignotæ quidem, sed antiquis minus usitatæ, non advertat. *Quæ nullum videbatur*, id est, quæ nullum admiserat. Ita apud Lampridium in Alex. Sev. *Fures judicare jussit in civitatibus ullis nunquam videri.* Plura exempla si requiris, adi Casaubonum, ad illa Capitolini, *ut octo pedes digito videretur egressus;* pag. 399. Quomodo et loquitur Apostolus, ut hic obiter moneam, I Cor. XI, 6 : *Si quis autem videtur contentiosus esse.* Atque iterum proximo capite : *quæ videntur membra*, etc., necnon et Christus, Lucæ VIII, 18, *quod videtur habere*, etc. Ac denique scriptor ad Heb. IV, 1, μήποτε δοκῇ τις ἐξ ὑμῶν, etc, Hujus autem locutionis apud hunc nostrum exempla, cum singulæ prope paginæ suppeditent, semel monuisse sufficiat. At lib. II : *Quid mendacem videre vultis Spiritum sanctum*, etc., et si ferri possit in Optato, puto tamen eum scripsisse *videri.* M. CASAUB.

(74) *Quæ nullum videbatur admisisse peccatum.* Id est quæ nullum admiserat. Vide notam M. Casauboni in hunc locum. DU PIN.

(75) *Victorino.* Episcopo Pictaviensi, qui sub Diocletiano martyrio coronatus est, quique multa scripsit teste divo Hieronymo, quorum ne quidem paginam habemus. ALBASP.

Ibid. *Victorino Pictaviensi, et Zepherino Urbico.* Notum loquendi genus jam multis observatum. Ita Victor Uticensis de persecutione Vandalica lib. I : *Cujus exitum ita Urbici captivi planxerunt, ut tunc se putarent magis tradi manibus barbarorum, quando ille perrexit ad cœlum.* De captivis eum Romanis agere discas e præcedentibus. Optatus infra, *postquam ordinatus in urbe purgatus*, id est, Romæ, idemque ali-

Digitized by Google

et (76) Zephirino [a] Urbico (77), et a (78) Tertulliano Carthaginensi, et ab aliis adsertoribus Ecclesiæ catholicæ superati sunt. (79) Ut quid bellum cum mortuis geris, quod ad negotium temporis nostri non pertinet [b]? Sed quia schismaticus hodie aliquid peccati, quod probare possis in catholicos, non habes [c], ideo ad prolixitatem scripturæ tuæ augendam, tot hæreticos cum erroribus suis commemorare voluisti.

X. *Hæreticorum et schismaticorum discrimen.* — Nunc alia quæstio est, ut quid a te memorati sunt illi, (80) apud quos non sunt sacramenta, quæ nobis et vobis videntur esse communia? (81) Sanitas non flagitat medicinam (82) : de se secura virtus, forinsecus non quærit auxilia, veritas non desiderat argumenta : 9 ægroti est, remedia quærere, inertis [d] et imbecillis est, auxilia comparare : mendacis est, argumenta conquirere. Interea dixisti, apud hæreticos (83) dotes Ecclesiæ esse non posse : et recte dixisti, scimus enim hæreticorum Ecclesias singulorum, prostitutas, nullis (84) legalibus sacramentis, et in se (85) jure honesti matrimonii esse : (86) quas non necessarias (87) recusat Christus, qui est sponsus unius Ecclesiæ : sicut in Canticis Canticorum ipse restatur (*Cant.* VI) : qui cum unam laudat, cæteras damnat, quia [e] præter unam, quæ est vera Catholica, cæteræ apud hæreticos putantur esse, sed non sunt : secundum quod indicat (ut supra diximus) in Canticis Canticorum, unam esse columbam suam, eamdem sponsam electam eamdem hortum conclusum, et fontem signatum (*Cant.* IV) : ut hæretici omnes neque claves habeant, (88) quas

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ita in mss. S. G. et P. S. In ms. S. T. et in editis, *Zepherino*, sed vulgo vocatur, *Zephirinus*.

[b] In ms. S. G. *qui ad negotium temporis nostri non pertinent.*

[c] In editis necnon in mss. S. T. et P. S. habetur, *sed quia schismatis hodie aliquid* [*quod probare possis in catholicos, non habes.* Haud dubie præferenda est lectio codicis.

[d] In mss. S. T. et P. S. *inertibus*, emanuensium incuria.

[e] In ms. S. T. *Qui*, minus bene.

VARIORUM NOTÆ.

cubi, *urbica commemoratio*, eadem mente. MER. CASAUB.

(76) [*Zepherino Urbico.* Romanæ urbis Pontifici, Urbicus enim in antiquis auctoribus pro Romanis accipitur, uti in concilio Arelatensi primo. ALBASP.

(77) *Urbico.* Urbis Romæ Episcopo. Nota locutio. DU PIN.

(78) *Tertulliano.* Inter Catholicæ historiæ asserto-res et vindices Tertullianum adnumeravit, et non immerito ; nam nemo unquam acrius in hæreticos vindictam exercuit, eosque persecutus est, quam auctor iste. ALBASP.

(79) *Ut quid bellum cum mortuis geris? Ut quid*, valet *quare* : sic statim infra ibid. : *Ut quid a te memorati sunt illi?* et lib. II : *Ut quid tale infringitis promissum?* et lib. III : *Ut quid hoc factum est vobis?* D. Hieronymus in Vita Hilarionis : *Ut quid, respondit, intrarem in eum qui habebat collegam meum?* et utitur hoc modo Martialis auctor tersissimus, lib. VII, epig. 33 : *Ut quid tu Domini Deique nostri præfers muneribus?* et alibi. INCERT.

(80) *Apud quos non sunt sacramenta.* Ego ex hoc et ex multis aliis locis quantum conjicio, Optatus non existimabat hæreticos posse baptizare ; quidquid sit, magnum inter hæreticos et schismaticos ponit discrimen. ALBASP.

Ibid. *Apud quos non sunt sacramenta*, etc. Ea erat Catholicorum etiam multorum a Cypriani usque temporibus in Africa sententia, de qua non uno loco Balduinus, baptizatos ab hæreticis, esse rebaptizandos. Quare quod postea hoc ipso libro, *ab Ecclesia alienum esse, quod Donatus confessus est, se rebaptizasse*, monet Balduinus, non id in Africa, sed Romæ, ubi contraria sententia semper obtinuit, esse pronuntiatum. Quod quidem verum est, cum pars sit sententiæ a Melchiade Romano in Donatum latæ. Cur tamen idem in Africa quoque a Catholicis Afris pronuntiari non potuerit, nihil obstat. Neque enim de rebaptizatione hæreticorum, sed schismaticorum illis verbis agitur, quam non minus improbant Afri, quam transmarini Catholici. Quod autem in rebaptizandis vel non rebaptizandis hæreticis discrimen a veteri Ecclesia observatum sit, consulendi sunt antiqui canones et Augustinus de Baptismo. M. CASAUB.

(81) *Sanitas non flagitat.* In Africa nullum est illarum sectarum vestigium : quare ergo contra illas declamasti? ALBASP.

(82) *Sanitas non flagitat medicinam*, etc. His comparationibus hoc efficere contendit Optatus, Parmenianum causæ suæ diffidere, qui a proposito suo excurrat et hæreticos aggrediatur, cum ipsi res sit adversum catholicos. DU PIN.

(83) *Dotes.* Per dotes intelligit Ecclesiæ proprietates, veluti potestatem, cathedram, annulum, fontem, et similia, quæ illi a Christo tamquam dotalia assignata sunt. ALBASP.

(84) *Legalibus sacramentis.* Cum Ecclesia sit Christi sponsa, multa de ea per jura et leges matrimonii ab antiquis explicantur ; quare hoc loco ait Optatus hæreticos non posse jure et vi matrimonii uti sacramentis, quæmadmodum orthodoxi utebantur, quia cum Christo non essent matrimonii dignitate conjuncti. ALBASP.

(85) *Jure honesti matrimonii.* Jus matrimonii quo utitur Ecclesia, est quod omnia confert sacramenta, dotesque quas a Christo accepit auctoritate legitimi matrimonii distribuit et impertitur quibus vult ; quo jure uti nequeunt hæretici, quia hisce dotibus carent : et quamvis per baptisma cum Christo conjuncti sint, tamen per hæresim subsequentem jus legitimi matrimonii amiserunt. ALBASP.

(86) *Quas non necessarias recusat Christus.* Id est, tamquam extraneas et ignotas. Sic lib. III : *Illis imputate qui populum Dei diviserunt, et basilicas fecerunt non necessarias*, id est, novas et peregrinas cum genuinis ac legitimis nihil habentes commune : qui crexerunt altare contra altare, etc. Qui necessarii dicantur in jure, consule jurisconsultos, verius tamen, ut alludat ad locum Isaiæ prophetæ, quem postea profert lib. III, *Ideo quoniam ascendistis in templa supervacanea*, etc. Proprie de templis videntur usurpasse. Ita Victor Uticensis, postquam narravit gentilium numinum ædes a Vandalis dirutas, ad Christianorum vastationes ita transit, *et ut de necessariis loquar, basilicam majorem, ubi corpora SS. Martyrum*, etc. M. CASAUB.

Ibid. *Non necessarias.* Una tantum est conjuncta cum Christo, et est ejus sponsa, quare cæteræ sunt adulteræ, et non necessariæ. ALBASP.

(87) *Non necessarias.* Extraneas, peregrinas. DU PIN.

(88) *Quas solus Petrus accepit*, Pluribus in locis docet soli Petro claves datas esse, ut inde consequens sit eos omnes schismaticos habendos esse, qui cum Petro et cum ejus cathedra et successore non communicarent. ALBASP.

Digitized by Google

solus Petrus accepit (89) : (90) nec annulum, quo A legitur fons **10** esse signatus (91) : (92) nec ali-

VARIORUM NOTÆ.

(89) *Quas solus Petrus accepit.* Ecclesiæ scilicet nomine, cujus personam gerebat. Du Pin.

(90) *Annulum.* Quid per annulum intelligant auctores illius antiquitatis, non satis constat. Tertullianus, de Pudicitia, non pro baptismo, sed pro absolutione usurpare videtur, *annulum denuo signaculum lavacri* : nam de peccatore in Ecclesiam redeunte loquitur qui non esset rebaptizandus, nisi velit absolutione gratiam baptismi et unionem cum Christo recuperari. Auctor etiam noster cum dicit annulo fontem signari, videtur aliquid aliud designare quam baptismum, eadem significatione a Clemente libro secundo Constitutionum capite quarto usurpatur, *ei antiquo amictu, annulo, et calceis redditis.* Albasp.

Ibid. *Nec annulum quo legitur fons*, etc. Hic sibi crucem figit Albaspinæus quid veteres per annulum intellexerint, vehementer anxius. Et quamvis expe- B dire se non possit, locos tamen aliquot Tertulliani, quibus annuli mentionem facit, quasi Optato non parum lucis allaturos, tum hic profert, tum ad lib. II ubi de annulo iterum quærit pari anxietate, pari felicitate. Toto enim cœlo utrobique errat : *quid per annulum intelligant auctores illius antiquitatis*, inquit, *non satis constat. Tertull. de Pudic. non pro baptismo*, etc. Illud primum vellem explicasset, quem annulum veterum intelligat, de quo non satis constet, qui sint illi veterum de uno eodemque annulo loci, qui difficultatem pariunt. Tertullianus de annulo loquitur, et Optatus de annulo. Sed Optatus, dum de dotibus Ecclesiæ disputat, et de annulo qui Cantic. IV, 12, etsi non legitur, ab Optato tamen intelligitur, quia *fons signatus* ibi legitur, eum annulum inter dotes Ecclesiæ refert Optatus et enumerat. Qua id ratione, aut quid per fontem signatum, de cujus annulo loquitur, intellexerit, ipse non explicat. Cæterum, cum duplicis annuli fuerit, olim inter ve- C teres baptismi ritus usus (ut a doctis observatum est): alterius quo fontes seu baptisteria certis temporibus obsignare mos erat; alterius autem quo baptizandi, fidei suæ professionem, quæ postea in publicas tabulas referretur, obsignabant; verisimile est Optatum per *fontem signatum* ad veterem illum signandi baptisterii morem alludere; et quam facit annuli mentionem, ad eumdem illum morem referendam. Haud quidquam tamen affirmare audeo. Quod autem lib. de Pudic. meminit annuli Tertullianus, factum occasione parabolæ prodigi, quæ XV Lucæ narratur, quam cum ita interpretarentur Catholici, ut ex illa vere pœnitentibus veniæ apud Deum, pristinæque locum gratiæ promitterent, ipse qui contrariam sententiam tuebatur, illorum interpretationem sugillat et rejicit. Eodem loco et stolæ meminit, et vituli saginati, quæ ad eamdem pertinent parabolam, eorumque receptas ab aliis interpretationes exagitat, aliasque ipse comminiscitur et adducit. Non igitur de eodem annulo loquuntur Tertullianus et Optatus, D ut mirum non sit, si nec eadem dicant. Utraque tamen quam illius quoque annulis affert Tertullianus interpretatio, ad solemnes illos baptismi ritus pertinere videtur. In priori enim, quam rejicit Tertullianus interpretatione, *signaculum lavacri* annulus exponitur; in posteriori autem, *quo pactionem fidei interrogati obsignabant*, a Tertulliano describitur. Hic Albasp. legat cui tanti erit noscere, quanta ille peritia, quanto judicio, in veterum lectione versatus fuerit. Quasi de eodem Tertullianus et Optatus annulo loquerentur, eos inducit. Diversas ejusdem parabolæ interpretationes in Tertulliano confundit. In priori interpretatione quæ *stolæ* seu *vestis prioris* affertur expositio, eam annulo tribuit. Quia neutram annuli, quæ in duplici illa parabolæ interpretatione, rationem, non modo assecutus est, sed ne suspicari quidem potuit, ipse alias comminiscitur, falsas, ridiculas, ineptas, ut omnem fidem superet. Interdum absolutionem interpretatur, interdum Spiritum sanctum; tandem et Confirmationem. Quam inique ita comparatum est, hi qui sunt indoctissimi, semper ut sint audacissimi! Nam quis alioqui crederet, virum gravem, tantæque in Ecclesia dignitatis, suæ existimationi tam male consulturum fuisse? Balduino autem, viro doctissimo, libens assentior, totam hanc de dotibus, seu ornamentis Ecclesiæ doctrinam Optati et frigidam esse et obscuram. Frigida utique, quæ fundamentis tam infirmis tota nitatur : ideo autem obscura, tum quod hic imperfecta, tum quod a nullo quod sciam veterum, ut ab ipso tradita sit, a quo lucem minus perfectis et dilucidis Optati locis mutuari possimus. Eidem Balduino assentior, eum quasdam quasi notas, et insignia quibus dignosci B posset Ecclesia, tradere voluisse. Eas autem notas quinque numero statuit, quarum tres, *fons, annulus, angelus*, ad baptismum pertinent. Fontis et annuli fundamentum ponit in Cantic. IV, 12; Angeli vero (de quo plura postea dicturi sumus) in Angelo piscinæ Betzaïdæ. Nam et Angelum aquis sacri lavacri intervenire credebant, et illam piscinam baptismi figuram fuisse, ut postea pluribus docebimus. Idem tamen Optatus lib. II, has dotes ab ipsis Ecclesiæ membris et visceribus, quæ vocat, distinguit, quæ in sacramentis et nominibus, sive Personis Trinitatis, vera nempe Trinitatis agnitione, non in ornamentis, sciscit ipse consistere. Distinguit igitur has dotes a sacramentis; quarum tamen ad baptismum pleræque pertinent. Porro si notas et indicia constituere voluit, quibus ornata dignosceretur Ecclesia, quid attinuit Angeli meminisse, quam ut peragentis salutaris aquæ mysteriis præsentem interesse concedamus, nemo tamen ita præsentem dixerit, ut videri possit? Hæc eo dico C pluribus', ne quis in his subtilibus argutiis, quas tanto noster hic conatu, frustra se torqueat, quasi magna ex iis mysteria eruiturus; excussa enim, leviora quam subtiliora comperiuntur. Ut vel eo nomine graviores allos et doctiores, ab iis abstinuisse putem. M. Casaub.

(91) *Nec annulum, quo legitur fons esse signatus.* Per fontem intelligere videtur fidem; per annulum, symbolum, aut baptisma, quod, ut ait Tertull. I. de Pœnitentia, *obsignatio est fidei.* Hinc apud Veteres baptismus sæpe signaculum dicitur. Opt. ipse I. II : *Nam et fontem constat unam esse de dotibus; unde Hæretici non possunt vel ipsi bibere, vel alios potare, quia soli sigillum integrum (id est symbolum Catholicum) non habentes, ad fontem verum aperire non possunt.* Et infra in hoc libro : *Bene subduxisti iis annulum, quibus aperire non licet ad fontem :* hoc est bene hæreticis abstulisti potestatem signandi sacro baptismate. Du Pin.

(92) *Nec aliquem illorum esse.* « Nec aliquis illorum sit, » postularet recta latinitas. Optatus fortasse rescripserat *esset* pro *sit*, solita enallage; unde postea, mutato casu τοῦ *aliquis*, factus est infinitivus. Aut si *aliquem* retinemus, tum scripserit Optatus *esse necesse*, quorum alterum propter affinitatem scripturæ sit omissum : prono sane lapsu et in manuscriptis passim obvio, ut postea quoque observabimus. Quid, quod compendia ejusmodi sive syllabarum, sive etiam vocum integrarum veteres scribæ quæsiverint, ut *nec esset* pro *necesse esset?* Quod et typographos aliquando retinuisse observare memini. Ego tamen in ea potius sum sententia, ab ipso Optato esse, hoc quidquid est : neque abhorret ab illo ævo. Illud maxime me movet, quod similes soloecismi (sive ἀναχόλουθα mavis appellare) præcedente particula *ut* occurrunt, apud hunc nostrum non uno loco.

M. Casaub.

Digitized by Google

quem [a] illorum esse, ad quem (93) hortus ille pertineat, in quo Deus arbusculas plantat. De quibus hæreticis, quamvis ad præsentem non pertineat causam, quod diu locutus es, et suffecerat et abundabat. Sed miror, quid tibi visum est, etiam vos ipsos eis adjungere, quos esse schismaticos constat, (94) dum Ecclesiæ dotes et hæreticis, ipsis, et vobis schismaticis denegasti. Dixisti enim inter cætera, schismaticos (95) a vite, velut sarmenta esse concisos : destinatos [b] pœnis, tanquam ligna arida, gehennæ ignibus reservari. Sed video te adhuc ignorare schisma apud Carthaginem a vestris principibus factum. Quære harum originem rerum, et invenies te hanc A in vos dixisse sententiam, cum schismaticis hæreticos sociasti. Non enim (96) Cæcilianus exivit a Majorino (97) (98) avo tuo (99) : sed (1) Majorinus a Cæciliano : (2) nec Cæcilianus recessit (3) a Cathedra Petri (4) vel Cypriani (5) : sed Majorinus, (6) cujus tu Cathedram sedes, quæ ante 11 ipsum Majorinum (7) originem non habebat [c] (8). Et cum hæc ita gesta esse manifestissime constet [d], et vos hæredes esse traditorum et schismaticorum evidenter appareat : satis te miror, frater Parmeniane, cum schismaticus sis, schismaticos hæreticis jungere [e] voluisse. Aut si sic tibi videtur, et ita placet : (9) cu-

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. *nec apud aliquem*, haud recte.
[b] In ms. S. G. *destinatis*.
[c] In ms. S. G. *non habet*.
B [d] In mss. S. T. et P. S. *constent*, sed perperam.
[e] Ita in omnibus mss. non ut in editis, *adjungere*.

VARIORUM NOTÆ.

(93) *Hortus*. Ecclesia, ni fallor. ALBASP.

(94) *Dum Ecclesiæ dotes*. Cum hæreticis schismaticos adjungas, dotes Ecclesiæ vobis denegatis, quos constat esse schismaticos. ALBASP.

(95) *A vite*. Non videtur his assentiri Optatus. ALBASP.

(96) *Cæcilianus*. Successit Mensurio, et sub eo, et propter eum ortum est schisma. ALBASP.

(97) *Exivit a Majorino*. Cæcilianus primum erat ordinatus Episcopus, Majorinus contra eum ordinatus ab ejus communione descivit. DU PIN.

Ibid. *Exivit*. Cæcilianus legitima et ordinaria via fuit ordinatus post Mensurium, post cujus ordinationem factione illius mulieris fuit ordinatus Majorinus ; quare Majorinus exivit, et secessit a Cæciliano ; non autem Cæcilianus a Majorino : is enim exire censetur qui schisma facit, et qui, alio sedente, locum et C sedem occupare nititur. ALBASP.

(98) *Avo tuo*. Hæc pugnare videntur contra ea quæ diximus in tertia observatione de Donato Casensi, cui nullus locus relinquitur in sede Carthaginensi, si pro avo Majorinum habuit Parmenianus : nam constat eum, extincto magno Donato, Carthagine ordinatum fuisse : cæterum Episcoporum successiones, et ordinationes non aliter exponuntur ab antiquis, quam mortalium generationes et affinitates ; neque aliter de iis loquuntur, quam si de aliqua familia et domo loquerentur. Episcopus enim qui ordinabatur in sedem defuncti, filius et proles illius in cujus locum sufficiebatur, vocabatur : series ordinationum, hisce cognationis verbis numerabatur. ALBASP.

(99) *Majorino avo tuo*. Successore scilicet Donati, qui post Majorinum Carthaginensem Cathedram invaserat. August. in Lib. Retract. II, c. 17 : *In tribus libris*, inquit, *contra Epistolam Parmeniani, Donatistarum Carthaginensis Episcopi successorisque Donati*. Idem August. lib. II contra Ep. Parm., Majorinum, D Donatum et Parmenianum veluti tres, sine intermedio successores enumerat. Quod autem quidam inferunt ex Sermone S. Augustini, *de Pace et Charitate*, ante collationem habito, Caium et Lucium Episcopos fuisse Carthaginis inter Donatum et Parmenianum, futile est. En verba Augustini : *Non dimitto Donatum, non dimitto nescio quem Caium, Lucium et Parmenianum, mille nomina, mille scissuras.* Inde enim inferri tantum potest Caium et Lucium fuisse e primoribus Episcopis Donatistarum : at Carthagineusi Donatistarum Ecclesiæ præfectos fuisse, hinc non bene colligitur. DU PIN.

(1) *Majorinus*. Domesticus Lucillæ Hispanæ, qui erat lector sub Cæciliano, et qui fuit ordinatus contra Cæcilianum, et altare contra altare erexit in civitate Carthaginensi. ALBASP.

(2) *Nec Cæcilianus recessit a C. P.* Scire te velim, Lector, multa hinc et similibus aliis ex locis ad causam religionis trahere Albaspinæum, passimque ex Barronio Perronioque Cardd. interserere, quæ nos de industria missa facimus omnia. Fecimus autem, tum quia prolixioris erant operæ et a proposito nostro alienæ ; tum quia nihil ab eo novum videbamus afferri quod non jam ad nauseam usque ultro citroque tortum ac retortum fuerit, sitque hodie, scriptis ejus argumenti plurimis tritissimum ac decantatissimum. M. CASAUB.

(3) *A Cathedra Petri*. Una est tantum Cathedra in Ecclesia quam Petrus accepit a Christo, quamque singulis Episcopis communicavit, et singulis etiam nunc diebus communicat per Pontifices qui cum eo censentur, et sunt una eademque caro et persona. Hæc est antiquorum doctrina : merito igitur vocat Cathedram Carthaginensem, Cathedram Petri, quia Petrus eam genuit, ut loquitur Tertullianus. ALBASP.

(4) *Vel Cypriani*. Cypriani mentionem facit, quia nullus hanc Cathedram majori cum gloria, aut sanctitatis fama occupaverat ; vel etiam quia de ejus sede et Cathedra non ambigebant Donatistæ. ALBASP.

(5) *A Cathedra Petri vel Cypriani*. Eadem argumenta legere est apud Cyprianum in Lib. *de Unitate Ecclesiæ*, et ep. XLIII, Cathedra seu Sedes episcopalis est auctoritas suprema regendæ plebis vi sacerdotii, quod unum est, cujus in solidum a singulis pars tenetur. Qui episcopum suum legitime constitutum et ordinatum non audit, sed ab eo recedit, et vel se, vel alium pro episcopo habet ; recedere merito dicitur a Cathedra episcopi sui et a Cathedra Petri, hoc est ab apostolica sede, cum qua episcopus ille communione junctus est. DU PIN.

(6) *Cujus tu Cathedram*. Carthaginis erat episcopus schismaticus. ALBASP.

Ibid. *Cujus tu Cathedram sedes*. *Sedere* pro *insidere* huic auctori familiare est, ut suadere usurpat Vicentius. Verum hoc nostri verbum est sacerdotale : *Cypriani cujus tu Cathedram sedes*. BARTH.

(7) *Originem*. Cathedra Parmeniani originem non habebat, quia succedebat Majorino, qui Majorinus nemini successerat ; nam Cæcilianus Mensurii locum et sedem habebat ; et ita Majorini cathedra nullam originem habebat : et erat adultera, falsa, nova sine patre, et per schisma genita et introducta. ALBASP.

(8) *Originem non habebat*. Majorinus nulli succedebat. Cæcilianus Mensurii sedem et cathedram habebat : post ipsius mortem in ejus locum legitime suffectus fuerat. At Majorinus nullum habebat prædecessorem. DU PIN.

(9) *Contra illa*. Quædam desiderari videntur in hac sententia ; sed sensus est : Si tibi placet schis-

Digitized by Google

mula illa [a] (10) quæ a te paulo ante sunt dicta. Dixisti enim fieri non posse, ut falso [b] baptismate inquinatus abluat, immundus emundet, supplantator erigat, perditus liberet, reus veniam tribuat, damnatus absolvat. Bene hæc omnia [c] potuerunt [d] (11) ad solos hæreticos pertinere, qui [e] falsaverunt symbolum : dum alter dixerit [f] duos Deos (12), cum Deus unus sit ; alter Patrem vult in persona [g] Filii cognosci [h] ; alter carnem subducens (13) Filio Dei, per quam Deo reconciliatus est mundus ; et cæteri hujusmodi, qui (14) a sacramentis catholicis alieni esse noscuntur. Quare pœniteat te talibus hominibus etiam schismaticos adjunxisse : in te enim convertisti (15) sententiæ gladium, dum æstimas, quia alteros appetebas : et non attendisti inter schismaticos et hæreticos, quam sit magna distantia. Inde est, quod ignoras, et quæ sit sancta Ecclesia : et sic omnia miscuisti.

A

B

XI. *Notæ Ecclesiæ catholicæ et schismatis.* — (16) Catholicam facit simplex et verus intellectus in lege [i], singulare ac verissimum (17) sacramentum, et (18) unitas animorum. Schisma vero, (19) sparso coagulo pacis, dissipatis sensibus generatur, livore nutritur, æmulatione et litibus roboratur, ut deserta matre catholica, impii filii dum foras exeunt, et se separant (ut vos fecistis) a radice matris Ecclesiæ, invidiæ falcibus amputati, errando rebelles abscedunt : **12** nec possunt novum aliquid, aut aliud agere, nisi quod jamdudum (20) apud suam didicerunt matrem (21).

XII. *Iterum de hæreticorum et schismaticorum discrimine.* — Hæretici vero, veritatis exules, sani et (22) verissimi [j] symboli desertores, de sinu sanctæ Ecclesiæ impiis sensibus depravati, contempto quod (23) bene fuerant geniti, ut ignorantes et rudes deciperent, (24) de se nasci voluerunt. Et qui

LECTIONES VARIANTES.

[a] Mendosissime in editis habebatur *contra illa*, nec melius in mss. S. T. et P. S. *cum illa*. Hanc restitutionem debemus ms. San-Germanensi.
[b] In editis et in mss. S. T. et P. S. *in falso*.
[c] Deest in ms. S. G.
[d] Ita in omnibus mss. Male in editis *poterunt*.
[e] Ita in ms. S. G. In ms. S. T. P. S. et in editis, *quia* non omnino.
[f] In ms. S. G. *dixit*.
[g] In mss. S. T. et P. S. *in personam*.
[h] In ms. S. G. *cognoscere*.
[i] In editis, *intelligere :* atque in mss. S. T. et P. S. sed magis arridet *in lege*, quod habetur in ms. S. G. ut scilicet notæ Ecclesiæ catholicæ sint, sincera fides, quæ in genuina singularis ac verissimi sacramenti, hoc est, symboli, intelligentia posita est, et unitas animorum.
[j] In ms. S. G. *veri*.

VARIORUM NOTÆ.

maticos hæreticis adjungere, miror te aliquid contra hæreticos dixisse ; quia de schismaticis idem dicendum est, et de Donatistis qui sunt schismatici. ALBASP.

Ibid. *Contra illa quæ a te paulo ante sunt dicta. Contra* hic idem est, ac si dixisset, *e diverso, rursus*, sive, *tum vero :* repetendo verbum *miror*, a principio. Cum tamen postea sequatur, *in te convertisti sententiæ gladium, dum æstimas, quia alteros appetebas :* non male restituas *contra illa quæ ante paulo dicta sunt, dixisti*. Error ab eo fonte, quo multi passim : inde nempe quod alteram *dixisti* proxime sequatur. Quamquam nec illo *dixisti* opus erit, si *sunt* vel *faciunt* intelligas. Sed hoc leve. Monendum tamen fuit, ne quis cum Albaspinæo putet aliquid hic deesse. M. CASAUB.

(10) *Cumula illa.* Post hanc restitutionem, nihil in hoc loco, qui Expositores mirum in modum torserat, difficultatis superest. Vide quid e principiis tuis adversus te sequatur ; si inter hæreticos et schismaticos nullum discrimen est. DU PIN.

(11) *Ad solos hæreticos.* Non vult dicere hæreticos non posse baptizare, sed eos duntaxat hæreticos, qui non fingebant in nomine Patris, Filii, et Spiritus sancti, quique de tribus personis male sentiebant. ALBASP.

(12) *Alter dixerit duos deos.* Cerdon, Marcion. DU PIN.

(13) *Alter carnem subducens.* Valentinus et alii Docetæ. DU PIN.

(14) *A sacramentis Catholicis.* A symbolo et rebus fidei. ALBASP.

(15) *Sententiæ.* Probasti te non posse conferre baptismum, quia schismaticos cum hæreticis miscuisti, qui de Trinitate male sentiunt. ALBASP.

(16) *Catholicam facit simplex et verus intellectus, intelligere.* Ut aliquis sit sensus, vel expungendum est illud *intelligere*, quod sane melius absit, aut conjungendum cum præcedenti, *facit : facit intelligere*, id est, *declarat, indicat.* Sæpe enim redundat illud *intelligere*, ut *intelligeris ignorare*, pro *ignoras*, post pauca, et lib. II, semel iterumque animadvertas ita usurpari, ut sententiæ nihil intersit, si tollatur. *Intellectus* autem et *intelligentia* pro *sensu* aut *interpretatione*, ut vulgo loquimur ; apud Ecclesiasticos scriptores translatitium. Mox autem, quem offendet, indicativus *abscedunt*, pro subjunctivo (quod erat legitimum) legat ille *et deserta*, non ut hic *ut des*. Aliter tamen ego sentio. M. CASAUB.

(17) *Sacramentum.* Unum symbolum ; unam fidei regulam. ALBASP.

(18) *Unitas animorum.* Communio interna animarum : idem sensus, eadem voluntas. ALBASP.

(19) *Schisma, sparso coagulo pacis, generatur.* Elegantissime *coagulum* pro *copula* posuit Varro in satyrarum fragmentis, de vino :

Hoc continet coagulum convivia.

Et Publius Syrus in Mimis :

Amicitiæ coagulum unicum est fides. INGERT.

Ibid. *Sparso coagulo pacis.* Elegantissime *coagulum* pro *copula* dixit. Publius Minus :

Amicitiæ coagulum unicum est fides.

Varro de vino :

Hoc continet coagulum convivia.

Vide plura infra horum comment. Copula perfidiæ apud Virgilium fine lib. I. BARTH.

(20) *Apud suam didicerunt matrem.* Apud veram Ecclesiam, a qua cum recesserint, non possunt aliter de fide sentire, neque aliter sacramenta celebrare quam mater Ecclesia. ALBASP.

(21) *Apud suam didicerunt matrem.* Ecclesiam scilicet quæ prius eorum erat mater. DU PIN.

(22) *Symboli desertores.* Regulam fidei evertentes et deserentes, ut ait Tertullianus de Præscriptionibus. ALBASP.

(23) *Quod bene fuerant geniti.* Fuerant geniti in Ecclesia. ALBASP.

(24) *De se nasci voluerunt.* Novum caput, ut ait Joannes Jerosolymitanus ad Epiphanium erexerunt, et novam constituerunt Ecclesiam, et Cathedram a nullo prognatam et descendentem ; hoc est de se nasci ; sive originem illam quam habebant reliquc-

Digitized by Google

jamdudum (25) vitalibus pasti fuerant cibis, corruptela malæ digestionis, (26) in perniciem miserorum, disputationibus impiis venena mortifera vomuerunt. Vides ergo, frater Parmeniane, hæreticos (27) a domo veritatis satis extorres, solos habere (28) varia [a] et falsa baptismata : quibus inquinatus non possit abluere, immundus emundare, supplantator erigere, perditus liberare, reus veniam tribuere, damnatus absolvere. Bene clausisti hortum hæreticis : bene revocasti (29) claves ad Petrum : bene abstulisti (30) colendi potestatem, ne arbusculas colerent ii, quos ab hortulo et a paradiso Dei constat alienos : (31) bene subduxisti annulum iis, quibus aperire non licet ad fontem (32). Vobis vero schismaticis, quamvis in catholica non sitis, hæc negari non possunt, quia nobiscum vera et communia sacramenta traxistis. Quare cum hæc omnia hæreticis bene negentur, quid tibi visum est, hæc A et vobis negare voluisse, quos schismaticos esse manifestum est? vos enim foras existis. Quantum in nobis est [b], (33) volebamus [c], ut soli damnarentur hæretici : quantum in te est, etiam vos ipsos, cum eis una sententia ferire voluisti.

XIII. *Auctores Donatistarum traditores fuisse.* — Sed jam, ut ad propositum singularum rerum ordinem redeamus, primo loco audi, qui fuerint traditores, et plenius auctores schismatis disce. In Africa duo mala et pessima admissa esse constat, (34) unum in traditione, alterum in schismate : sed utraque mala, et uno tempore, et iisdem auctoribus videntur esse commissa. Debes ergo, frater Parmeniane, discere, quod intelligeris ignorare. Nam ferme ante annos sexaginta, et 13 quod excurrit, per totam Afri- B cam persecutionis est divagata [d] (35) tempestas (36) : quæ alios fecerit martyres (37), alios confessores (38), nonnullos funestam (39) prostravit in mor-

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. *et varia*, forte *vana*.

[b] Ita in mss. S. T. et S. G. In editis habetur *quantum in vobis est*, et junguntur ista cum præcedentibus, *foras existis* ; sed emendationem nostram confirmat orationis pars altera, *quantum in te est*.

[c] Ita in ms. S. G. In aliis, *volebam*. Idem sensus.

[d] In ms. S. G. *diu ac tuta*, errore scilicet amanuensis.

VARIORUM NOTÆ.

runt, et novam Ecclesiam posuerunt. ALBASP. — Imitatur *Optatus* dictum Tiberii de Curtio Rufo, obscuris parentibus orto, qui Præturam adeptus est suffragio Principis, dedecus natalium ejus hisce verbis velantis : *Curtius Rufus videtur mihi ex se natus*. Vide *Tacitum*, Annal. lib. XI, c. 21. CLERICUS.

(25) *Et qui jamdudum in talibus pasti fuerant cibis.* Repone, *jamdudum vitalibus pasti fuerant cibis*. Sane cum Barthio non ausim in me recipere legendum *jamdudum in salubribus*. Atque ita quemadmodum ego restituendum monui, didici postea, inspecto Fr. Balduino, extare in meliori exemplari scripto. INCERT.

Ibid. *Et qui jamdudum vitalibus*, etc. Cum cibos qua- C les fuerint antea non meminerit, ausim in me recipere legendum *jamdudum in salubribus* pro *in talibus*, *perniciem* vero reponendum, vel puer viderit. BARTH.

(26) *In pernicie miserorum*. Perperam, et *perniciem* reponendum vel puer videat. INCERT.

Ibid. *In pernicie miserorum disputationibus impiis*, etc. *Perperam*, inquiunt notæ L, et *perniciem* reponendum vel puer videat. Ita sane postularet usus ; sed aliter amant hi scriptores, et nihil omnino corrigendum. Ita Salvianus alicubi *in usu misericordiæ collocare*. Noster, lib. V : *Videte quod in salute humani generis sit pollicitus Christus*. Idem mox : *Cum multos tingeret in pœnitentia ac remissa peccatorum*, etc. Talia multa reperias. Pariter dictum est a Victore Uticensi : *Sævire in ecclesiis et basilicis*, etc. *Projicere in partibus maritimis*, etc. *Conjicere in vinculis*, etc. *Relegare in Eremi partibus*, etc. *In longinquis et extremis regionibus detrudere*, etc. Apud Luciferum Calarit. *Mittere in camino ignis*. Sed in illo minus mi- D rum, qui totus ubique βαρβαρίζει. M. CASAUB.

(27) *A domo veritatis satis extorres. Satis* valet *nimis*. Arnobius, lib. V. *Quid nefarium videbatur satis patrem cum filia quominus uxoria conjugatione misceri*. Sic sæpius D. Augustinus, Hieronymus, Rufinus, et alii. INCERT.

(28) *Varia et falsa*. Quia falsa de Trinitate sentientes, ut ait supra, symboli desertores habebantur. ALBASP.

(29) *Claves ad Petrum*. Hoc est unam esse Cathedram, et eam agnosci per communionem cum summo pontifice. ALBASP.

(30) *Colendi potestatem*. Fideles nutriendi in fide per sacrificia et sacramenta. ALBASP.

(31) *Bene subduxisti annulum iis*. Pro *licet ad*, erit fortassis cui arridebit, *licebat*. Temere noster, lib. II, *Sigillum integrum non habentes, ad fontem verum aperire non possunt*, et sciendum mire uti hujusmodi particulis Optatum. Quod tamen genus locutionis, quamvis sic repetitum nostro, ego æmulari nolim : cum magis Hebræis quam Latinis nostris vernaculum sit. *Annulum* autem vide et pag. 10, v. 7, intelligit, quo patres et matres-familias, quæ sarta et tecta volebant, consignabant. De quo ritu veterum Plautus, Cicero, Martialis et alii. Vide inter alios Lipsium ad Taciti annalem 11. Quibus adde locum, quem opportune suggessit Barthius, ex medii ævi auctore Venantio Fortunato, lib. XI, de vita Beati Martini :

Totum auctor redimens thesauro corporis orbem,
Cum gemma una fuit, quæ cuncta in vasa valeret.
INCERT.

(32) *Bene subduxisti annulum iis, quibus aperire non licet ad fontem*. Alluditur ad verba Cantici Cantic. cap. IV, v. 12. *Hortus conclusus, soror mea sponsa, fons signatus*. Non habent hæretici annulum quo sigillum veræ fidei aperire possint, ac apertum iterum signare. DU PIN.

(33) *Volebam ut solis damnarentur hæretici*. Ex integriori exemplari ms. restituit in altera editione Fr. Balduinus, *una sententia ferire voluisti*. Optime. INCERT.

(34) *Unum in traditione*. Persecutione Maxentii, multi in Africa codices sacros tradiderant, inter quos Mensurius, Felix, Cæcilianus a Donatistis falso et immerito accusabantur. ALBASP.

(35) *Tempestas*. Persecutio quæ Martyres facit, et Confessores, ut ait Tertullianus. ALBASP.

(36) *Ante annos sexaginta, et quod excurrit, per totam Africam persecutionis est divagata tempestas*. De Diocletiani persecutione loquitur, quæ incœpit mense Februario anni 303, et desiit in Occidente anno 305, unde colliges Optatum hæc scribere circa annum 370. DU PIN.

(37) *Quæ alios fecerit martyres*. Eos scilicet qui mortem oppetiere. DU PIN.

(38) *Alios confessores*. Qui scilicet constanter confessi sunt, nec criminis idololatriæ quidquam in se admiserunt, sed non propterea occisi. DU PIN.

(39) *Prostravit in morte*. Nonnulli tormentis superati Christum negarunt. ALBASP.

Digitized by Google

tem [a] (40), latentes dimisit illæsos (41). Quid commemorem laicos, qui tunc in Ecclesia nulla fuerant dignitate suffulti [b]? (42) quid ministros plurimos? quid (43) diaconos 14 in tertio (44)? quid presbyteros

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ita in ms. S. G. In aliis, *funesta prostravit in morte.*

[b] Deest in ms. S. G.

VARIORUM NOTÆ.

(40) *Nonnullos funestam prostravit in mortem.* Qui tormentis superati vel Christum negarunt, vel thus idolis adoleverunt, vel instrumenta divinæ legis tradiderunt : ii vere mortui, et funesta morte prostrati dici possunt. Du Pin.

(41) *Latentes dimisit illæsos.* Qui scilicet, fuga, vel latebris periculum declinarunt. Du Pin.

(42) *Quid ministros plurimos? quid diaconos in tertio*, etc. Novum hoc atque insolens est, ac nostra inprimis observatione dignum, quod Optatus hic etiam diaconos sacro sacerdotio comprehendit. Sane sacerdotis communem presbyteris et episcopis apud veteres appellationem, et sacerdotes pro episcopis; sacerdotium autem pro episcopatu, ab illis haud raro dici, non potest ignorare, qui veteres scriptores, vel a primo, quod aiunt, limine salutavit : unde Augustino concilium 70, sacerdotum dictum alicubi : et apud Vict. Utic. de persecut. Vand. *concilium tantorum sacerdotum*, in edicto Hunnerici lib. III. In quo sane vel uno Victore singulis prope paginis turpiter impingat, qui sacerdotem pro episcopo, et sacerdotium pro episcopatu ab illo dici non animadvertat. Contra autem episcopus pro presbytero, ab antiquis aliquando positum esse, quamquam id rarius a doctis observatum est. Hinc ad discrimen vetus illa loquendi formula manavit, ut primi ordinis sacerdos, pro episcopo dicatur aliquando ; secundi autem ordinis sive gradus, sacerdos idem sit, qui vulgo presbyter. De qua loquendi formula multa doctissimus Savaro ad Sidonium Apoll. non uno loco. Sed mirum, cum vir ille eruditissimus, hoc, inter alia, Optati testimonio suam sententiam, de duplici sacerdotio confirmet, et ejus verba laudet, quod de tertio quoque sacerdotii gradu, hic ibidem Optatus, illum tacere ac quasi consulto præterire, ne sententiæ quam volebat incommodaret. Sed contra antiquos canones, qui exerte diaconos ad ministerium non ad sacerdotium ordinari ; nec plures quam duos illos presbyteratus et episcopatus, sacerdotii ordines esse sanciunt, usumque loquendi a veteribus receptum ; non est quod unus aut alter locus, qualis hic Optati est, ubi sacerdotii latior acceptio, molestiam nobis facessant. At in jure canonico non rarum, ut sacerdotii appellatio, ad omnes in sacris (ut vulgo distinguunt) ordinibus constitutos extendatur, qua ratione etiam subdiaconos includit. Ita dist. 31, can. 14 : *Aliter se Orientalium traditio habet ecclesiarum, aliter hujus S. R. Ecclesiæ. Nam earum sacerdotes, diaconi et subdiaconi matrimonio copulantur, istius autem Ecclesiæ vel Occidentalium, nullus sacerdotum a subdiacono usque ad episcopum, licentiam habet conjugium sortiendi.* Vide et can. *omnium sacerdotum*, etc., et, *erubescant impii*, etc. Quin et omnes omnino clericos ea interdum appellatione comprehensos, reperias. Ita Victor Utic. lib. III : *Si collatio desiderabatur, quare rapinæ rerum alienarum, non tantum sacerdotum, verum etiam laicorum?* sacerdotes laicis opponit, clericos intelligens. Sed longe aliter hic Optatus qui cæteros omnium ordinum quos omnes ministros appellat, a sacerdotio disertis verbis excludit : nec minus exerte diaconorum ordinem tanquam tertium sacerdotii gradum constituit. Dico igitur ad dignitatem diaconorum pertinere, et eo referri debere quod veteres plerique, Cyprianus, Augustinus, et alii, cum ordines ecclesiasticos recensent, vel solos episcopos, presbyteros et diaconos meminisse, cæteros omnino præterire ; vel ut hic Optatus, cæteris, tanquam minorum gentium ordinibus, generali *ministrorum, ministeriorum*, vel ὑπηρετῶν voce comprehensis, solos illos nominare. Idem fortasse cæterorum quoque meminerunt interdum : non nego ; omittunt tamen sæpius, cum episcopos, presbyteros et diaconos nominant. Immo vero ita hos nominant, ac recensent Dionys. de Hier. eccl. cap. 5, Hieron. in Es. c. 19, ut alios non tam præterire, quam non agnoscere videantur. Quibus ut respondeat magni vir nominis, in controv. torqueatur ipse magis, an eos torqueat incertum. Ac Dionysium quidem, non ordines ecclesiasticos, sed hierarchias ; Hieronymum autem nec ipsum clericorum, sed Christianorum ordines prædicto loco recensere et proposito suo, ea enumeratione inservire, comminiscitur. Sed ut de re ipsa nihil dicam, neque cum Thoma Aquinate et Petro Lombardo, qui contrarium plane tuentur, eum committam ; et Aquinas quidem hoc ipso Dionysio fretus, supplem. quæst. 37, ad 2, etc., præter Dionysium et Hieronymum, sic loquuntur et alii, quibus responsio illa viri docti aptari minime potest. Inter alios etiam noster, lib. II, circa finem : *cum sint*, inquit, *in Ecclesia quatuor genera capitum ; episcoporum, presbyterorum, diaconorum et fidelium*, etc. Interim tamen quod probat Bellarminus, commune cum episcopis et presbyteris, diaconis quoque regimen Ecclesiæ fuisse; eosque ut præpositos in honore habitos, cum reliqui clerici tantum ministrarent ; vel inde perspicias, quanto majoris olim dignitatis et auctoritatis ordo fuerit, quam postea fuit, neque absque ratione factum esse, ut cum cæterorum nulla omnino ratio haberetur; aut generali ministrorum appellatione, ut jam diximus, concluderentur : soli diaconi quasi ejusdem dignitatis participes, cum sacerdotibus sive episcopis et presbyteris conjungerentur. Ad ea quæ Bellarminus affert, adde insignem Eusebii, aut potius Constantini locum in epist. ad Eusebium vitæ l. II, ubi περισταμένοις ἐπισκόποις et πρεσβυτέροις diaconos, ut ejusdem sortis ac conditionis adjunctos et annumeratos videas. Etiam Augustinus, ad Valerium, epist. CXLVIII, de merito agens et præcellentia sacerdotalis muneris, episcopis et presbyteris, etiam diaconos tanquam ejusdem, aut non dissimilis conditionis adjungit ; et Hieronymus ubi eos presbyteris sacerdotio minores contendit, lucris tamen et dignitate. Romæ saltem majores, indignatur ille quidem, sed agnoscit tamen. Hinc etiam illud colligas, quod toties canonibus ac censuris contra illos opus fuerit, quæ superbientes, ac supra presbyteros sese efferentes, ipsis etiam episcopis interdum contumeliosos et injurios, (ut de quodam Cyprianus) in ordinem cogerent, ac fastum eorum reprimerent. Sed de his vereor ne nimis multa. Quæ tamen etsi prima fronte exigua videantur, observata, magni usus esse in antiquorum lectione comperientur. Pudet dicere, quam fœde labantur interdum viri maximi, harum vel minimarum rerum ignoratione : hunc ipsum Optati locum nuper in admirandæ doctrinæ scripto incomparabili ita versum, ut nihil ipso indignius, et ab Optati mente magis alienum excogitari possit. Mer. Casaub.

Ibid. *Ministri.* Minores Clerici. Albasp.

(43) *Diaconos in tertio.* Communionis Ecclesiasticæ primum locum occupant episcopi, secundum presbyteri, tertium denique diaconi. Albasp.

(44) *In tertio sacerdotio constitutos.* Sacerdotii nomen hic usurpat generatim Optatus, pro jure ac potestate exercendi alicujus muneris ecclesiastici, quo sensu diaconi tertium in sacerdotio ordinem obtinere merito dici possunt. Du Pin.

Digitized by Google

(45) in secundo sacerdotio constitutos? Ipsi apices et principes omnium, aliqui episcopi (46) illis temporibus [a], ut damno æternæ vitæ, istius incertæ lucis moras brevissimas compararent, instrumenta divinæ legis impie tradiderunt. (47) Ex quibus erant Donatus Masculitanus (48), Victor Rusiccadensis (49), Marinus ab aquis Tibilitanis (50), Donatus Calamensis (51), et homicida (52) Purpurius Limatensis (53) [b]: qui interrogatus de filiis sororis suæ, quod eos in carcere Milei necasse diceretur, confessus est dicens: Et occidi, et occido non eos solos, A sed et quicumque contra me fecerit. Et (54) Menalius, qui ne (55) thurificasse a suis civibus probaretur, oculorum dolorem fingens, (56) ad consessum suorum procedere trepidavit.

XIV. *Concilii Cirtensis acta.* — Hi, et cæteri, quos principes tuos fuisse paulo post docebimus, post (57) persecutionem (58) (59) apud Cirtam [c] civitatem, (quia (60) Basilicæ necdum fuerant restitutæ) in domum [d] Urbani Carisi [e] (61) consederunt die III Iduum Maiarum (62), sicut scripta

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. *illius temporis.*

[b] In ms. S. G. *Liniatensis.* In actis Cirtensis concilii apud Aug., lib. III contra Cresc. c. 26. *Limata* hujus episcopi sedes appellatur, sed in codice Corbeiensi etiam legitur *Liniata*, et in nonnullis codicibus ep. XXXIV Aug.

[c] In ms. S. Th. *circumcirtam.*

[d] In ms. S. G. *in domo.*

[e] In ms. S. T. *Garisi.*

VARIORUM NOTÆ.

(45) *In secundo sacerdotio.* Sacerdotii duo tantum sunt gradus; episcopatus, et presbyterium: diaconi enim sacerdotii vim et consecrationem non consequuntur, ut aiunt patres concilii Carthaginensis, neque illis manus ab omnibus clericis imponebatur in consecratione: *diaconus cum ordinatur, solus episcopus qui eum benedicit, manum super caput ejus ponit, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.* ALBASP.

(46) *Apices et principes omnium, aliqui Episcopi.* Ex his quanta tunc fuerit Episcoporum dignitas et supra presbyteros ὑπεροχὴ satis intelligitur. DU PIN.

(47) *Ex quibus erant Donatus Masculitanus.* Hi omnes cum primate Secundo schisma fecerunt et pecunia Lucillæ corrupti, Majorinum alio episcopo sedente ordinarunt. Lege Augustinum contra Cresconium libro tertio, capite vigesimo septimo. ALBASP.

(48) *Masculitanus. Mascula* Numidiæ urbs Antonino et Augustino. In concil. Carth. Cypriani: *Confessor clarus a Mascula.* In notitia Episcoporum Africæ, *Marculitanus.* In collat. Carth. *Masculitanus.* In concil. Carth. anni 525, suscribit *Donatus Masculitanus.* Archinimum *Masculanum* memorat Victor Vitensis l. I, n. 15. DU PIN.

(49) *Rusiccadensis. Rusicca* urbs Numidiæ maritima a Plinio memorata. In itinerario Antonini fit mentio *Rusicadæ* haud longe ab Hippone regio. In anonymo Ravennate commemoratur etiam inter urbes Numidiæ. Nunc *Estora* in regno Tunetano. In notitia episcoporum Africæ extat inter Numidas Episcopos *Russiniacensis.* DU PIN.

(50) *Ab aquis Tibilitanis.* Locus Mediterraneus ubi *Tibilis* urbs Antonino, haud procul a Cirta. *Tibilitanus* Episcopus est inter episcopos in notitia Episcop. Africæ. In collat. Carth. adfuit etiam episcopus *Tibilitanus*, diversus a Tisilitano. Augustinus mentionem facit *aquarum Tibilitanarum*, l. XXII de Civitate Dei, c. 8, referens *miraculum quod apud aquas Tibilitanas in memoria S. Stephani contigerat* sub Proculo hujus loci episcopo. *Tibili* habet anonymus Ravennas. Non videntur diversa oppida *Tibilis* et *aquæ Tibilitanæ*, quamquam in Tabulis Peutingerianis seorsim ponantur, *Tibilis* et *aquæ Tibilitanæ.* DU PIN.

(51) *Calamensis. Calama* oppidum nonnullis Africæ propriæ, sed potius Numidiæ. Quippe inter episcopos Numidiæ in notitia *Calamensis* reperitur. Hujus urbis sæpe meminit Aug. et Megalii episcopi *Calamensis* Numidiæ Primatis: hujus successor Possidius *Calamensis* Episcopus collationi Carthaginensi interfuit, et vitam Augustini conscripsit. Sæculo nono exeunte in notitia edita a Goario, Carolo a sancto Paulo et Beveregio, quæ imperante Leone sapiente conscripta est, urbs Calamensis, inter oppida Numidiæ, prima recensetur. DU PIN.

(52) *Homicida Purpurius Limatensis.* Balduini editio 2. *Limatensis.* Recte, nam *Limata* urbs Africæ, D. Augustino, qui quoque episcopi Limatensis meminit. INCERT.

(53) *Limatensis. Limatensis* Episcopi quoque meminit Augustinus: forte is est qui *Lamiggizensis* in notitia. DU PIN.

(54) *Menalus.* Oculorum dolorem finxit Menalus cum a militibus a quibus interceptus fuerat rediret, ne in Ecclesia et in consessu suorum pudore suffunderetur, et se thurificasse et principis edicto satisfecisse fateretur. ALBASP.

(55) *Thurificare.* Est thure Deastros venerari. Et sic lib. II, *persecutionis tempore episcopos aliquos inertia a confessione nominis Dei delapsos, thurificasse.* BARTHIUS.

(56) *Ad consensum suorum procedere trepidavit.* Lege *consessum:* quemadmodum diserte Fr. Balduini editio secunda. INCERT.

(57) *Persecutionem.* Maxentii. ALBASP.

(58) *Post persecutionem.* Ita etiam Augustinus lib. III, contra Cresc. cap. 26, deferbuerat tum temporis in Africa Diocletiani persecutio, ac ea præcipue quæ fiebat ob traditionem codicum sacrorum. De ea enim id specialiter habet Augustinus, *post persecutionem codicum tradendorum.* Contenderunt Donatistæ in collat. Carthag. tunc tempus fuisse persecutionis, ac propterea cogi non potuisse concilium, idque ex martyrum gestis probare conati sunt, sed re accuratius perpensa innotuit postea Cirtense concilium tredecim mensibus actis illis posterius fuisse. DU PIN.

(59) *Apud Cirtam.* Ut in illa civitate episcopum ordinarent. ALBASP.

(60) *Basilicæ.* In basilicis episcopi ordinabantur; sed quia nondum erant restitutæ, in privatam domum convenerant: Augustinus in breviculo post collationem cap. 17. ALBASP.

(61) *Urbani Carisi.* In actis ab Augustino relatis. *Urbani Donati.* DU PIN.

(62) *Die III. Iduum Maiarum.* Acta Cirtensis concilii apud Augustinum, lib. III, contra Cresc. c. 27, ita inscribuntur: *Diocletiano octies et Maximiano septies Coss. IV nonas Martii.* At vitiosam esse hanc consulum notam observat Augustinus in Breviculo collationis. Cum enim Donatistæ prolatis actis martyrum in collatione contendissent iis Coss. quibus habitum dicebatur concilium Cirtense, persecutionem nondum finitam, responsum est a catholicis post illorum martyrum quorum acta proferebantur, passionem prope annum consecutum fuisse ad consulem et diem concilii Cirtensis. Responsio computantis officii fuit, mensem tantum interfuisse: sed postea deprehensum est erratum fuisse ab officio: *Nam,* inquit Augustinus, *gesta martyrum quibus ostendebatur tempus persecutionis, Consulibus facta sunt*

Digitized by Google

15 (63) Nundinarii tunc diaconi testantur, et vetustas membranarum testimonium perhibet, quas dubitantibus proferre poterimus. Harum namque plenitudinem rerum[a], in novissima parte istorum libellorum, ad implendam fidem adjunximus. Hi episcopi, (64) interrogante Secundo Tigisitano (65), tradidisse confessi sunt (66). Et cum ipse Secundus a Purpurio increpareretur, quod et ipse diu apud (67) stationarios[b] fuerit, et non fugerit, sed dimissus sit; non sine causa dimissum fuisse, nisi quia tradiderat: (68) jam omnes erecti[c] (69) cœperant murmurare. Quorum spiritum Secundus metuens, consilium accepit a filio fratris sui Secundo minore, ut (70) talem causam Deo servaret (71). Consulti sunt (72) qui remanse-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Deest in mss. S. G.
[b] In ms. S. G. *stationarium*.
[c] Hanc emendationem debemus codici S. G. In aliis codicibus et in editis perperam omnino *hæretici*, quod criticos torsit.

VARIORUM NOTÆ.

Diocletiano novies, et Maximiano octies pridie idus Februarias. Gesta autem episcopalia decreti Cirtensis post eorumdem consulatum tertio nonas Martias, ac per hoc tredecim menses interesse inveniuntur plures utique quam undecim, quos prius catholici minus diligenter computando responderant, sed officium ut falleretur et mensem interesse responderet, eumdem consulatum putavit: post consulatum autem non advertit, ubi annus jam alius agebatur. Hæc est igitur vera concilii Cirtensis epocha post consulatum Diocletiani novies et Maximiani octies, hoc est anno 305, tertio nonas Martias. De mense constitit semper in collatione, nam gesta martyrum erant pridie idus Februarii, et mensem tantum inter passionem martyrum et concilii diem interesse dixit officium. Tredecim menses interfuisse ait Augustinus. Ergo mense Martio habitum constabat non Maio; alioquin tres aut quindecim menses inter passionem martyrum et concilii diem interfuissent. Ita ergo emendandus Optati locus, et pro *tertio iduum Maiarum*, legendum in *nonas Martii*. Du Pin.

(63) Nundinarii. De hoc nundinario multa reperiuntur in gestis purgationis Cæciliani et Felicis. Albasp.

(64) *Interrogante Secundo.* Qui tunc temporis erat Numidiæ primas, Augustinus ibidem, *episcopum primæ cathedræ*, et libro primo contra Parmenianum, capite tertio, *qui venientes cum primate suo tunc Secundo Tigisitano.* Cæterum nota primatum in Africa certis locis aut personis non fuisse addictum, sed in unaquaque provincia præterquam in Cathaginensi seniores hanc occupasse dignitatem, ut patet ex capite decimo tertio breviculi. Albasp.

(65) *Secundo Tigisitano.* Episcopo Tigiseos in Numidia qui tum metropolitani munere fungebatur inter episcopos Numidiæ, quia senior erat. Duæ erant hujus nominis urbes in Africa; altera in Numidia, de qua Procopius, l. II de Bello Vandalico, cujus episcopus erat is Secundus; altera in Mauritania Cæsariensi. Utraque reperitur in notitia episcoporum Africæ. Du Pin.

(66) *Tradidisse confessi sunt.* Vide acta ipsa inferius. Du Pin.

(67) *Apud Stationarios.* Apud milites in statione positos. Albasp.

(68) *Jam omnes hæretici cœperunt murmurare.* Quos hæreticos intelligit Optatus; qua quidem ratione Donatistæ, vel ut Cresconio placebat, Donatiani dici et appellari potuerint hæretici, multis disputat Augustinus, lib. II, contra Crescon. Idem in lib. de hæresibus schisma eos in hæresim vertisse docet, et raro aliter quam hæreticos nuncupat. Olim quoque vulgus hæreticum pro schismatico promiscue usurpasse persuasum habeo, hodieque in epistolis Constantini, *hæretici* vel *schismatici*, quasi perinde esset, de Donatistis leges. Jam ut et illud concedamus, eos qui ad hoc concilium convenerunt, nam hujus quidem occasione concilii, sed eosdem tamen omnes aut plerosque saltem, in posteriori quodam concilio congregatos schismatis auctores extitisse; quis tamen credat Optatum, dum narrat illa quæ schisma præcesserant, de ipsis tanquam jam notis ac convictis hæreticis locutum fuisse? Optatum, qui id modo disputabat, et a Parmeniano factum vehementer improbabat, quod schismaticos hæreticis inconsulte miscuisset; quos ipse nimirum magno discrimine separari invicem statuit, nec statuit tantum, sed discrimen ipse non perfunctorie docet vel ista expendantur: *sed miror quod tibi visum est: etiam vos ipsos hæreticis adjungere, quos esse schismaticos constat*, etc. Mox iterum: *Satis te miror, frater Parmeniane, cum schismaticus sis, schismaticos hæreticis adjungere voluisse*, etc., ac rursus: *Volebam ut soli damnarentur hæretici; quantum in te est, et vos ipsos cum eis una sententia ferire voluisti*, etc. Ego non dubito Optatum scripsisse, *jam omnes* hæretici *cœperunt murmurare.* Ita mox eorum verba interserit, ne quis hic factum miretur. Jam ut eis qui ita premuntur sive verbis, sive rebus ipsis, ut nequeant evadere, aut certe non facile se queant expedire; ut eis, inquam, aqua dicatur hærere vel iis notum, qui nondum ære lavantur. Dativum autem, si non exprimatur, subaudiendum tamen esse, eosque falli qui exponunt *in aqua hæret*, uno Ciceronis exemplo potest abunde confirmari; cujus ad Q. fratrem verba lib. II, epis. VII: *Quod Idibus et postridie dictum fuerat, de agro Campano actum iri, non est actum. In hac causa mihi aqua hæret.* Cum autem breviter scripsisset Optatus, et fortasse tum solerent et loqui, *hæret ei*, quod plenius ante dicebant, *aqua ei hæret*; ex duobus illis vocibus *hæret ei* ab imperito scriba, cui aqua hic hærebat, quod Optatum ipsis eorum verbis uti non intelligeret, et veteris verbi non veniebat in mentem, *hæretici* una voce factum est. Quod sane hic locum adeo non habet, ut una hac vocula, superior omnis disputatio de hæreticis et schismaticis evertatur; quam qui expenderit, de necessitate hujus correctionis minime dubitabit. M. Casaub.

Ibid. *Hæretici.* Vocat hos episcopos hæreticos, qui paulo post schisma fecerunt; eodem nomine ab Augustino vocantur, et in actis illius concilii, *paratus schisma facere, et quia dimittere te habent et dare in te sententiam, et remanebis solus hæreticus.* Contra Cresconium libro tertio, schismatici pro hæreticis habentur, et apud judices laicos hoc nomine compellantur, *instructi sunt advocati ad ista judicia, et tanquam in hæreticos excitata:* vel eos vocat hæreticos, quia ex Parmeniani sententia schismatici erant hæretici. Albasp.

(69) *Erecti.* Statim atque accusabantur surgebant, et in alteram partem transibant, ut ex actis constat. Du Pin.

(70) *Talem causam Deo servaret.* Cum aliquam olim causam aut delictum nollent judicare, ad Deum rem deferebant et remittebant: Cyprianus pluribus in locis, ubi agit de lapsorum pœnitentia: et Augustinus contra Cresconium libro tertio, capite vigesimo octavo, *illa omnia divino judicio dimisisse.* Albasp.

(71) *Talem causam Deo servaret.* Relinqueret Dei judicio. Du Pin.

(72) *Qui remanserunt.* Aderant in illo concilio duodecim episcopi, ut patet in breviculo, capite de-

Digitized by Google

rant (73), id est, Victor Garbensis [a], Felix a Rotario [b], et Nabor a Centurionis [c]. Ii dixerunt talem causam Domino debere reservari [d]: et dixit Secundus, (74) sedete omnes (75) : 16 tunc dictum est ab omnibus, *Deo gratias*, et sederunt. Habes ergo, frater Parmeniane, qui manifesto fuerint traditores.

XV. *Ex ordinatione Majorini schisma ortum.* — Deinde non post longum tempus (76), (77) iidem ipsi, tot et tales, ad Carthaginem profecti traditores, thurati [e] homicidæ, Majorinum (cujus tu cathedram sedes) post ordinationem Cæciliani ordinaverunt, schisma facientes. Et quoniam traditionis reos, principes vestros fuisse monstratum est, consequens erit, eosdem fuisse auctores [f] schismatis. Quæ res, ut clara et manifesta esse omnibus possit, ostendendum est, ex qua radice sese usque in hodiernum, erroris protenderint rami, et ex quo fonte rivulus iste maligni liquoris, occulte serpens, usque in tempora nostra manaverit. Dicendum est, unde et ubi et a quibus ortum constet hoc alterum malum; quæ convenerint causæ; quæ fuerint operatæ personæ; qui auctores hujus mali; qui nutritores; a quibus sint inter partes ab Imperatore postulata judicia; qui sederint judices; ubi sit (78) actum concilium; quæ sint prolatæ sententiæ. De divisione agitur: et in Africa, sicut et in cæteris provinciis, una erat Ecclesia, antequam divideretur ab ordinatoribus Majorini, (79) cujus tu hæreditariam cathedram sedes. Videndum est quis (80) in radice cum toto orbe manserit; quis foras exierit; quis cathedram sederit alteram, quæ ante non fuerat; quis contra altare altare erexerit; quis ordinationem fecerit, salvo altero ordinato; quis jaceat sub sententia Joannis Apostoli, qui dixit multos Antichristos foras exituros: *quia non erant*, inquit, *nostri, nam si nostri essent, mansissent nobiscum* (I *Joan.* II, 19). Ergo qui in uno cum fratribus manere noluit, hæreticos secutus, quasi Antichristus foras exivit.

XVI. *Lucillæ adversus Cæcilianum rixæ.* — Hoc apud Carthaginem post ordinationem Cæciliani factum esse, nemo est qui nesciat [g]: per Lucillam scilicet, nescio quam fœminam factiosam : quæ ante concussam persecutionis turbinibus pacem, dum adhuc in tranquillo esset Ecclesia, cum (81) correptionem archidiaconi Cæciliani ferre non posset [h]: (82) quæ ante spiritalem cibum et potum, os nescio cujus marcimo septimo, quorum sex accusarentur. Cæteri consulti sunt, qui responderunt hanc causam pro bono pacis Deo reservandam esse, eosque qui accusabantur Deum judicem habituros, eique rationem reddituros. ALBASP.

(73) *Consulti sunt qui remanserant.* In Breviculo collationis c. 17. dicuntur undecim vel duodecim Episcopi ad hoc concilium convenisse. Ex hac narratione Optati constat undecim tantum fuisse, e quibus sex accusati. Secundus Tigisitanus præses sententiam dicere non poterat. Secundus minor filius fratris ejus jam mentem suam aperuerat. Itaque tres tantum erant superstites qui considerentur, quorum sententiam secutus est Secundus, et ita sex Episcopi a quinque sunt absoluti. DU PIN.

(74) *Sedete omnes.* Ex gestis purgationis Cæciliani, et ex breviculo, et contra Cresconium libro tertio, constat hos episcopos interrogante Secundo assurrexisse, et in aliam partem transiisse, moxque absolutos, ad locum suum post hæc verba rediisse, quæ quidem verba aliquam absolutionis vim et formam habere videntur cum his acceptis, et sederunt et responderunt, *Deo gratias.* ALBASP.

Ibid. *Sedete omnes.* Ad ea quæ Balduinus hic notat, addo locum ex collatione Carthagin. collat. 1. Cum enim *partes* seu *auctores* sedere vellet cognitor Marcellinus, ita inter alia respondent ac excusant Donatistæ. *Id autem nobis expedit, id necesse est, ut cum causa peroratur, cum prius incipitur, ut etiam personæ constent, stare singulos deceat, quibus subire contigit disputationis examen.* M. CASAUB.

(75) *Sedete omnes.* Ut judices. Quisque locum suum accipiat. DU PIN.

(76) *Non post longum tempus.* Aliquos tamen annos intercessisse oportuit. Nam Maxentius post cujus ndulgentiam facta est ordinatio Cæciliani, ut infra dicitur, Africam non obtinuit nisi anno 311, devicto Alexandro, qui tyrannidem in ea regione exercebat. Non est autem devictus Alexander, nisi post Herculii obitum qui anno 310 contigit teste Zosimo. DU PIN.

(77) *Iidem ipsi.* Cum Sylvano qui fuerat ordinatus episcopus Cirtensis illo concilio. ALBASP.

(78) *Actum concilium.* Romanum sub Melchiade ALBASP.

(79) *Cujus tu hæreditatem.* Episcopi non solum sunt hæredes decessorum suorum, sed etiam filii; quare talem habuit cathedram qualem decessores ejus habuerunt. ALBASP.

(80) *In Radice.* Videndum est quis in Cathedra mansit, cum qua cæteræ Cathedræ consortium habeant, et quæ cum Romana quæ est radix communicat, per quam toto orbe pax, et unio Christiana nutritur. ALBASP.

(81) *Correptionem.* Diaconi per Ecclesiam discurrebant, ut fideles in officio continerent et animadverterent, et corrigerent eos qui contra Ecclesiæ disciplinam aliquid agerent. ALBASP.

(82) *Quæ ante spiritalem cibum et potum, si tamen martyris, libare dicebatur.* Hæc religio erat tum temporis. Paula et Eustochium ad Marcellam, inter epistolas Hieronymianas: *Et martyrum ubique sepulchra veneramur, et sanctam favillam oculis apponentes, si liceat, etiam ore contingimus.* Martyrem hoc loco vocat Optatus qui declaratus sit communi piorum sententia, in eam summam dignitatem. BARTH.

Ibid. *Quæ ante spiritalem cibum et potum*, etc. Præter Balsamonem a Balduino citatum, vide et Damascenum. In Balsamone jure quis miretur, hujus ossis ita illum meminisse, quasi hoc præcipuum hujus sectæ esset, et hoc potissimum superstitione constaret. Nisi tamen magis hoc mirum esset, Græcos plerosque Donatistarum non omnino meminisse, quasi ne fando quidem notos habuissent. De vindi-

Digitized by Google

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. S. T. et P. S. *Gardensis*; sed postea l. 2 *Garbensis*. In ms. S. G. *Gabrensis*. In editis *Garbiensis*. Apud Aug. in collat. Carth. et in notitia episcop. Africæ. *Garbensis*.

[b] In mss. S. T. et P. S. *a Ratorio*. Apud Aug. *Rotaria*.

[c] Ita etiam in coll. Carth. Januarius episcopus *Centurionensis*. In mss. notitiæ Africanæ, *Centurianensis* male.

[d] In ms. S. G. *Deo debere servari*.

[e] Id est, qui thus idolis adoleverant. Ita in omnibus mss. Quanto errore in editis *conjurati*.

[f] In ms. S. G. *et auctores*.

[g] In mss. S. T. et P. S. *nemo qui nesciat*. In ms. S. G. *quis nesciat?*

[h] In ms. S. T. *Lucilla ferre non posset*.

VARIORUM NOTÆ.

tyris, si tamen martyris, (83) libare (84) dicebatur : et cum (85) præponeret 17 calici salutari os (86) nescio cujus hominis mortui, et si martyris, sed (87) necdum vindicati (88), correpta, cum confusione, discessit irata. Irascenti et docenti, (89) ne disciplinæ succumberet (90), occurrit subito persecutionis enata [a] tempestas.

XVII. *Mensurius ad curiam citatus ornamenta Ecclesiæ Botro et Celestio commendat.* — (91) Iisdem temporibus Felix quidam diaconus, qui propter [b] famosam nescio quam, de tyranno (92) imperatore tunc factam epistolam [c], appellatus est, periculum timens, apud Mensurium episcopum (93) delituisse dicitur. Quem cum postulatum Mensurius publice A denegaret, relatio missa est : rescriptum venit, ut si Mensurius Felicem diaconum non reddidisset, ad palatium dirigeretur. (94) Conventus non leves patiebatur angustias : erant enim Ecclesiæ ex auro et argento quam plurima ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec secum portare poterat. Quæ [d] (95) quasi fidelibus, senioribus commendavit, (96) commemoratorio facto, quod cuidam aniculæ dedisse dicitur : ita ut si ipse non rediret, reddita pace Christianis, anicula illi daret [e], quem in episcopali cathedra sedentem inveniret. Profectus causam dixit : jussus est reverti : ad Carthaginem pervenire non potuit.

XVIII. *Ordinatio Cæciliani in episcopum Carthaginensem, necnon causa atque origo schismatis.* — Tem-

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. *innata;* sed melius *enata.*
[b] In mss. S. T. et S. G. *per;* sed legendum *propter.*
[c] In mss. S. T. et S. G. *epistolarius*, quasi is diaconus propter famosam illam epistolam, *epistolarius* fuerit appellatus; sed longe rectius appellatus ibi idem ac citatus ad B curiam, ut sequentia ostendunt.
[d] Suppleta est hæc particula omnino necessaria ex ms. S. G.
[e] In ms. S. G. *redderet.*

VARIORUM NOTÆ.

cato martyre quod sequitur, Baronio plane assentior, in martyrologio, *non recepto nec probato*, interpretanti, quod alii *sanctitatis designatum*, nescio quam bene. Neque enim omnes martyres, sive mortem et tormenta pro fide passi, *sanctitatis designati*, quando inter illos aliquando etiam qui facinorosi, schismatici, et hæretici, (ut pluribus ibi Baronius) quos opinor pro *beatis*, sive *sanctitatis designatis* Ecclesia non habuit. Cæterum de martyre, quod hæret hic Optatus et dubitat. non sine causa factum, cum jam olim reperti non pauci, quibus hoc studium, et ars ea vivendi unica, ut martyrum etiam falsorum reliquias circumferrent, et simplicioribus venditarent. Testem C appello Augustinum, de opere monach., c. 28: *Alii membra martyrum, si tamen martyrum venditant, alii fimbrias et phylacteria sua magnificant, alii parentes vel consanguineos suos*, etc., *et omnes petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis.* M. Casaub.

(83) *Libare dicebatur.* Deosculari dicebatur : paulo antequam Eucharistiam sumerent Christiani, mutuis sese olim osculis ad pacem faciendam salutabant, sacerdosque nomine totius Ecclesiæ martyrum reliquias, si quæ laterent in altari deosculabatur : quem ritum imitata mulier illa, cum privatis quibusdam reliquiis quas gestabat, pacem et communionem antequam ad Eucharistiam accederet, faciebat ; sed quia martyr ille non esset vindicatus et approbatus ab Ecclesia, correpta fuit a Cæciliano. Albasp.

(84) *Libare.* Deosculari. Du Pin.

(85) *Præponeret*) Libaret et tangeret ante calicem. Albasp.

(86) *Nescio cujus hominis mortui.* De cujus martyrio non constabat. Albasp. D

(87) *Necdum vindicati.* Nondum ab Ecclesia in numerum martyrum relati, nondum in canon, et in dypticha transcripti. Albasp.

Ibidem. *Vindicatum martyrem.* Vocat Optatus, qui declaratus sit communi piorum sententia in eam summam dignitatem, relatus inter cœli indigetes. Incert.

(88) *Necdum vindicati.* Nondum in numerum martyrum ab Ecclesia relati. Du Pin.

(89) *Ne disciplinæ succumberet.* Ne carperetur ab episcopo et castigaretur, quod non solum contra Ecclesiæ disciplinam, communionem cum martyre incerto et ab Ecclesia nondum approbato, faceret, sed quod cæteros etiam fideles eadem inficeret communione : nam quemadmodum in sacris nullius admitterent consortium nisi sancti et fidelis ; ita in iisdem sacris nolebant communicari cum reliquiis martyrum, quos Ecclesia non agnoscebat, ne illa communione fideles inficerentur. Albasp.

(90) *Ne disciplinæ succumberet.* Ne propterea puniretur ab Episcopo. Du Pin.

(91) *Iisdem temporibus.* Sub Maxentio. Albasp.

(92) *De tyranno.* Maxentio. Contra hunc Felix scripserat famosum illum libellum dum Alexander Maxentio infensissimus Africæ potiretur. Eo mortuo, Maxentius vindictam de Felice sumere voluit. Zozimus testis est Maxentium in fautores Alexandri potissimum sæviisse. Du Pin.

(93) *Delituisse dicitur.* Ad episcoporum domos tanquam ad aram confugiebant, quas violare ne quidem in persecutionibus fas erat. Albasp.

(94) *Conventus non leves patiebatur angustias.* Convenerant Mensurium milites, ut Felicem diaconum ad principem mitterent : conventus hoc loco pro adjectivo ponitur, ut apud Augustinum pluribus locis, et in canone duodecimo primi concilii Carthaginensis, et canone vigesimo octavo tertii concilii, *modeste conventus*, ut in concilio Agrippinensi ; non autem pro substantivo et pro *conventibus* Africæ, ut quidam interpretantur. Albasp.

(95) *Quasi fidelibus senioribus commendavit.* Erant olim seniores laici, puri puti seculares ; erant et alii, laici quidem et ipsi, sed qui tamen quadamtenus Ecclesiastici quoque dici potuerunt : haud secus ac illi qui hodie apud nos *templorum*, vel *ecclesiarum gardiani*, vulgo vocitantur. Illi locorum seu urbium seniores vulgo dicti ; isti, Ecclesiæ vel Ecclesiastici. Sed de istis multa congessit vir doctissimus, et de his litteris adeo meritus Christoh. Justellus, ad can. ecclesiæ Africanæ, ut dignus sit qui diligentiæ et eruditionis suæ fructum ferat ab omnibus. Illum igitur adeat qui plura de istis cupit. M. Casaub.

Ibidem. *Senioribus commendavit.* Præter Ecclesiasticos et clericos quidam ex plebe seniores, et probatæ vitæ res Ecclesiæ curabant, de quibus hic locus accipiendus est. In gestis, *adhibete conclericos et seniores plebis ecclesiasticos viros.* Item, *clericis et senioribus Cirtensium :* item, *vos seniores clamabatis.* Albasp.

(96) *Commemoratorio.* Ita vocat *brevem*, ut postea loquitur, cui inscriptæ res omnes, quæ in bonis erant Ecclesiæ, quo scilicet testaretur depositor, se in fidem suscipientis res deposuisse, hic autem se accepisse. Barth.

Digitized by Google

pestas persecutionis peracta, et (97) definita est. Jubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio (98), Christianis libertas est restituta. Botrus et Celestius [a] ut dicitur, apud Carthaginem ordinari cupientes, operam dederunt, ut (99) absentibus Numidis (1), soli vicini Episcopi peterentur, qui ordinationem apud Carthaginem celebrarent. Tunc suffragio (2) totius populi Cæcilianus eligitur : et manus imponente Felice Autumnitano [b] (3), episcopus ordinatur. Botrus et Celestius [c] de spe sua dejecti sunt. Brevis [d] auri et argenti sedenti **18** Cæciliano, sicuti delegatum a Mensurio fuerat, traditur, adhibitis testibus. Convocantur supra memorati seniores, qui faucibus avaritiæ commendatam ebiberant prædam. Cum reddere cogerentur, (4) subduxerunt communioni pedem [e]. Non minus et ambitores, quibus et ordinari non contigit : necnon et Lucilla, quæ jamdudum (5) ferre non potuit disciplinam : (6) cum omnibus suis potens et factiosa fœmina, communioni misceri noluit. Sic tribus convenientibus causis et personis, factum est, ut malignitas haberet effectum.

XIX. *Illicita ordinatio Majorini contra Cæcilianum, ab episcopis Numidiæ.* — Schisma igitur illo tempore confusæ mulieris iracundia peperit, ambitus [f] nutrivit, avaritia roboravit. Ab his tribus personis contra Cæcilianum causæ confictæ sunt, ut vitio diceretur. (7) Ad secundum Tigisitanum missum est [g], ut Carthaginem veniretur : proficiscuntur omnes (8) supra memorati traditores (9), suscepti (10) hospitio ab avaris (11), ab ambitoribus, ab iratis : non a catholicis, quorum petitione Cæcilianus fuerat ordinatus. Interea (12) ad Basilicam, ubi cum Cæciliano tota civica frequentia fuerat [h], nullus de supradictis accessit. Tunc a Cæciliano mandatum est [i] : « Si est quod in me probetur, exeat accusator et probet. » Illo tempore a tot inimicis nihil in eum potuit confingi : sed de (13) ordinatore suo, quod ab iis falso traditor diceretur, (14) meruit in-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ita in ms. S. G. Ita etiam eum vocat S. Augustinus in psalmo abecedario contra Donatistas : *Erant Botrus et Celestius hostes Cæciliano valde, impii, fures, superbi, de quibus longum est referre.* Hujus auctoritate fretus restitui *Celestium* pro *Celesio*, qui habetur in mss. S. Th. et Ph. Set in editis.

[b] Ita in omnibus mss. et in actis purgat. Felicis.

[c] Ita in ms. S. G. In aliis, *Celesius.*

[d] In ms. S. G. *Tunc brevis.*

[e] Male in recentioribus editionibus *plebem*, nam plebis pars multo major cum Cæciliano remansit.

[f] In ms. S. G. *ambitio.*

[g] In ms. S. G. *scriptum est.*

[h] Ita in ms. S. G. In aliis et in editis, *tota civitas in frequentia fuerat.*

[i] Deest in ms. S. G.

VARIORUM NOTÆ.

(97) *Peracta et definita.* Prius deferbuerat anno 305, sed subinde recruduerat, nec pax omnino reddita, nisi postquam Maxentius rerum in Africa potitus est anno 311. Du Pin.

(98) *Indulgentiam mittente Maxentio.* Qui licet crudelis ac sævus fuerit, visus est tamen favere Christianis. Du Pin.

(99) *Ut absentibus Numidis.* Donatistæ objiciebant Cæciliano, quod cum esset primas, a primate viciniori non esset ordinatus; quibus respondit Augustinus in breviculo, Romanæ Ecclesiæ episcopum non ordinari a quodam metropolitano, sed ab Ostiensi episcopo. Albasp.

(1) *Absentibus Numidis.* Donatistæ objiciebant Cæciliano, quod cum esset primas, a primate viciniori non esset ordinatus. Optatus observat ipsosmet Botrum et Celestium ambitores episcopatus, qui postea a Cæciliano desciverant, auctores fuisse, ut absentibus Numidis fieret ordinatio. Augustinus respondit non esse necessarium ut primas ordinaretur a metropolitano, et in exemplum attulit episcopum Romanum qui ordinabatur ab Ostiensi. Du Pin.

(2) *Totius populi.* Electiones fiebant a populo et a clero, eorumque omnium consensus requirebatur, quod postea sublatum fuit. Albasp.

(3) *Autumnitano.* Ita in omnibus mss. et in actis purgationis Felicis. Apud Aug. ubique *Aptugnensi :* in editis Optati *Aptungitano.* Ex hoc loco colligitur Carthaginis vicinam fuisse hanc urbem et provinciæ proconsularis. Miror urbis tunc adeo celebris nullam esse mentionem in notitia episcoporum Africæ, nec alibi. Du Pin.

(4) *Subduxerunt communioni plebem.* A Cæciliani communione plebem subtraxerunt. Albasp.

Ibid. *Subduxerunt communioni plebem.* Melius quod jam olim fuerat editum, *subduxerunt communioni pedem.* Idem mox aliis verbis repetit. *Non minus et ambitores*, etc., *necnon et Lucilla communioni misceri noluit.* M. Casaub.

(5) *Ferre non potuit.* Ne acrius ab eodem tum episcopo corriperetur, timebat, quod ab eo, cum esset diaconus, correpta fuisset. Albasp.

(6) *Cum omnibus suis.* Ampla illi et magna domus erat, et familia, quam omnem cum amicis, clientibus, et servis a communione Cæciliani subduxit. Albasp.

(7) *Ad secundum Tigisitanum.* Quia erat primas Numidiæ, quæ provinciæ Carthaginensi adjacet. Albasp.

(8) *Supra memorati traditores.* Duodecim illi in concilio Cirtensi Sylvanum ordinarant. Albasp.

(9) *Supra memorati traditores.* Episcopi qui concilio Cirtensi interfuerant, adjuncto Silvano qui in eo concilio ordinatus fuerat Cirtæ Episcopus. Non alios videtur Optatus agnoscere quam istos. At in actis hujus Conventiculi septuaginta fuisse ferebantur, ut legere est in brevicul. collat. Carth. c. 14, n. 26. Du Pin.

(10) *Suscepti hospitio.* Episcopi qui olim ad episcopum in locum defuncti ordinandum vocabantur, hospitio clericorum et seniorum laicorum utebantur; sed Secundus contra disciplinam Ecclesiæ cum suis Numidis exceptus fuit hospitio, a Lucilla irata, Botro et Celesio ambitiosis et senioribus avaris, qui depositum Ecclesiæ denegabant; quod notavit Optatus, ut Majorini electionem contra Ecclesiæ ordinem incœpisse ostenderet. Albasp.

(11) *Suscepti hospitio ab avaris*, etc. A Lucilla irata, Botro et Celestio ambitoribus, et senioribus illis avaris ac furibus. Du Pin.

(12) *Ad Basilicam.* Electiones olim episcoporum et ordinationes fiebant in ecclesiis, ut ex his quæ supra dixi de electione Sylvani Cirtensis episcopi licet colligere; sed Majorini electio, quæ fiebat contra leges, non fuit facta in majori basilica. Albasp.

(13) *Ordinatore suo.* Felice Aptungitano. Albasp.

(14) *Meruit infamari.* Hoc est cum in Cæcilianum nihil possent fingere, Felicem ordinatorem ejus traditionis et idololatriæ insimularunt, ut hac ratione Cæciliani ordinationem rescinderent tanquam ab ido-

Digitized by Google

famari (15). Iterum a Cæciliano mandatum est, ut si Felix in se, sicut illi arbitrabantur, (16) nihil contulisset (17), ipsi tanquam adhuc diaconum (18) ordinarent Cæcilianum. Tunc Purpurius (19) solita malitia fretus, quasi et Cæcilianus filius sororis ejus esset, sic ait : « (20) Exeat huc (21) quasi imponatur [a] illi manus in episcopatu, et (22) quassetur illi caput (23) de pœnitentia (24). His rebus compertis, (25) tota Ecclesia Cæcilianum retinuit [b], ne se (26) latronibus tradidisset. Illo tempore aut (27) reus de sede [c] debebat [d] expelli, aut (28) communicari debuit innocenti. (29) Conferta erat Ecclesia populis : plena erat (30) cathedra episcopalis : erat (31) altare loco suo, in quo (32) pacifici episcopi retro temporis

19

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. *quasi ut imponatur.*
[b] In ms. S. G. *tenuit.*
[c] Hæc verba addita sunt ex mss. S. T. et P. S.
[d] In ms. S. G. *debuit.*

VARIORUM NOTÆ.

lolatra factam; sed huic argumento a patribus concilii Arelatensis primi satisfactum est, canone decimo tertio, his verbis : *Nam si iidem aliquos ordinasse fuerint deprehensi, et si in his quos ordinaverunt ratio subsistit, illis subsistat ordinatio.* ALBASP.

(15) *De ordinatore suo, quod ab iis falso traditor diceretur, meruit infamari.* Nihil habuerunt quod in Cæcilianum confingerent, sed Felicem ejus ordinatorem in crimen traditionis incidisse causati sunt, ut hac ratione ordinationem Felicis rescinderent, tanquam ab eo factam qui per traditionis crimen dignitatem amiserat. DU PIN.

(16) *Nihil contulisset.* Per jocum et derisum hæc dicta a Cæciliano docet divus Augustinus in breviculo; atque hanc historiam his verbis refert : *Si traditores sunt qui me ordinaverunt, ordinate me.* ALBASP.

(17) *Si Felix in se, sicut illi arbitrabantur, nihil contulisset.* Pro bono pacis hanc conditionem Numidis offert Cæcilianus. DU PIN.

(18) *Tanquam adhuc diaconum.* E diacono factus fuerat Episcopus. DU PIN.

(19) *Solita malitia.* Quia sororis filios necaverat. ALBASP.

(20) *Exeat huc.* Cæciliano mortem minatur Purpurius, violentasque manus non in episcopatum, sed ad mortem impositurum et allaturum. ALBASP.

(21) *Quasi imponatur illi manus in episcopatu*, etc. Quoniam Cæcilianus iterum se ordinandum obtulerat, sive id serio, sive per ironiam, ut Augustinus intelligit; Purpurius solita malitia fretus, et occultos animo versans dolos : *Age*, inquit, *accedat huc Cæcilianus, ut in episcopatu* (id est, ad episcopatum) *manus ipsi a nobis imponatur :* revera autem, ut cum Cæcilianus accessisset, ac se in eorum manus tradidisset, de pœnitentia quassarent, id est, lapsorum pœnitentiam, sive ὑποπτωσιν subire cogerent; qua semel peracta, qui clericus erat, statim suo gradu, *ipso facto*, ut loquuntur, et qui nondum erat, ejus in posterum obtinendi spe omni et facultate per antiquos canones excidebat. Augustinus epist. L, ad Bonif.: *Ut constitueretur in Ecclesia ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ*, etc. Sed ne longius eamus, noster hic exerte, lib. II : *Invenistis pueros, de pœnitentia sauciastis, ne aliqui ordinari potuissent.* De pœnitentia autem sauciare, aut quod eodem recidit, caput alicui quassare, usitata sibi eaque eleganti φράσει dicit Optatus, ut alibi, *sanctitatem de superbia vindicare*, lib. III, *et de paupertate spiritus pars erant condimenti*, lib. VII, et eodem lib. de dissensione infatuatus. Omitto similes alios locos, qui plurimi. Ita Sidon. Apol. l. IX, ep. IX; *affectare de vestium discretione superbiam.* Amat in primis Cyprianus, ut infinitis locis demonstrari possit. Unico exemplo contenti erimus, de Idol. vanit. circa finem. *Itaque cum Christus secundum a prophetis ante prædicta, verbo et vocis imperio, dæmonia de hominibus excuteret, paralyticos restringeret, leprosos purgaret*, etc. *Judæi qui illum crediderunt hominem tantum de humilitate carnis et corporis, existimabant magum de licentia.* Pessime in editis nonnullis quibus usus sum, *diligentia* pro *de licentia, potestatis.* M. CASAUB.

(22) *Quassetur illi caput de pœnitentia.* Traditionis reus habebatur Cæcilianus et ob hanc causam debitor pœnitentiæ; quapropter ait Purpurius : caput illi pro pœnitentia quassandum. ALBASP.

(23) *De pœnitentia.* Pro peccatis pro quibus agenda esset illi pœnitentia. ALBASP.

(24) *Quassetur illi caput de pœnitentia.* Manus ei imponatur in pœnitentiam; publicæ pœnitentiæ subjiciatur; atque ita de clero dejiciatur et ad laicam sortem redigatur. Nam solemnis hæc erat lex, ut ait August., ep. L, nunc CLXXXV, num. 45 : *Ut nullus post alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat.* DU PIN.

(25) *Tota Ecclesia.* Tota civitas. ALBASP.

(26) *Latronibus.* Homicidis : *Omne latrocinium extra sylvam homicidium est.* Tertullianus de pudicitia. ALBASP.

(27) *Aut reus expelli.* Antequam alium ordinarent, Cæcilianum expellere debuerant; duo enim episcopi in eodem loco non erant ordinandi. ALBASP.

(28) *Communicari.* Nec reum cum, nec fratrem agnoverunt. ALBASP.

(29) *Conferta erat Ecclesia.* Omnis multitudo erat in basilica cum Cæciliano. ALBASP.

(30) *Cathedra.* Ecclesia, cathedra, et altare, hæc tria legitimæ erant ordinationis argumenta; qui enim ecclesiam occupabat, in qua plebs solebat colligi, et in cathedra sedebat, in qua ejusdem loci episcopi olim sederant, qui denique in altari offerebat in quo majores obtulerant, rite ordinatus censebatur; quare Optatus ut Majorinum non rite ordinatum doceat, his eum omnibus caruisse refert. ALBASP.

(31) *Altare suo loco.* In loco qui Deo et majoribus notus esset, hoc est, in loco majorum, nam ex eo Deus multas oblationes susceperat, et in eo populus multas obtulerat, et ideo mutari non debuerat; dixit autem *suo*, quia altare episcopi debet esse in ea basilica, in qua est centrum communionis, et in qua plebs cum episcopo et ab episcopo colligitur; nam locus olim ille erat locus altaris, locus quem Deus respiciebat, quem populus agnoscebat, et in quo oblationes et preces nomine totius Ecclesiæ fiebant, cætera altaria sunt quasi permissa in subsidium communionis; cæterum cum aliquis olim ordinatus esset episcopus, mox ad sacra facienda et ad pacem dandam se conferebat, in cathedra episcopali sedebat, populum alloquebatur, deinde in eodem altari in quo decessores ejus obtulerant, offerebat, et cum eis et cum populo in altari sub quo jacebant communionem faciebat : ad quem ritum respiciens Optatus dicit Majorinum præsente plebe et acclamante, non in majori casa ordinatum fuisse, neque in cathedra episcopali sedisse, nec denique communionem fecisse cum divo Cypriano, Luciano et cæteris episcopis, qui Ecclesiæ Carthaginensi præfuerant, et qui adhuc erant ex communione Carthaginensi; quæ omnia si fuisset legitime ordinatus, ab illo erant præstanda. ALBASP.

(32) *Pacifici episcopi.* De quorum pace et communione non dubitant Donatistæ. ALBASP.

Digitized by Google

obtulerant, Cyprianus, Lucianus [a] et cæteri. (33) Sic exitum est foras, et (34) altare contra altare erectum est : et ordinatio illicite [b] celebrata est : et Majorinus, (35) qui lector (36) in diaconio Cæciliani fuerat (37), domesticus Lucillæ, (38) ipsa suffragante (39), episcopus ordinatus est a traditoribus, qui in concilio (40) Numidiæ (ut superius diximus) crimina sua sibi confessi sunt, et (41) indulgentiam sibi invicem tribuerunt. Manifestum est ergo, exiisse de Ecclesia et (42) ordinatores qui tradiderunt, et Majorinum, qui ordinatus est.

XX. *Litteræ episcoporum Numidiæ adversus Felicem ordinatorem Cæciliani.* — Interea de suorum criminum fonte, qui apud eos multorum flagitiorum venis exuberaverat, unum traditionis convicium in ordinatorem Cæciliani derivandum esse putave- A runt : (43) providentes quod fama duas res similes uno tempore loqui non posset ; ut crimina in silentium mitterent sua, vitam infamare conati sunt alienam (44) : et cum possent ipsi 20 ab innocentibus argui, innocentes arguere studuerunt, mittentes ubique litteras (45) livore dictante conscriptas, quas (46) inter cæteros actus habemus in posterum. Adhuc Carthagine positi (47) præcesserunt se epistolis suis (48), ut rumoribus falsis cunctorum auribus insererent mendacium, sparsa fama per populos : et (49) dum de uno celebrata sunt falsa, supra dictorum verissima crimina sub silentio latuerunt. (50) Frequenter solet erubesci de crimine : sed illo tempore non fuit cui erubesceretur : quia præter (51) paucos catholicos, (52) peccaverant universi ; et (53) quasi [c] imago fuerat innocentiæ, inter multos nefas admissum. B

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. inter Cyprianum et Lucianum tertius collocatur *Cærpophorus*.

[b] In ms. S. G. *illicita*.

[c] Ita in ms. S. G. In mss. S. T. P. S. et in editis, *quod ;* sed sensus postulat, ut emendetur, *quasi*.

VARIORUM NOTÆ.

(33) *Sic exitum foras.* Sic schisma est factum a Majorino. ALBASP.

(34) *Altare contra altare.* Aliud corpus Christi actum est, et alia communio conflata, quia non communicavit Majorinus cum Cypriano, cum quo totius plebis corpus et communio adhærebat. ALBASP.

(35) *Qui lector in diaconio Cæciliani fuerat.* Id est, cum Cæcilianus adhuc erat archidiaconus, durante ejus archidiaconatu. Nam alioquin diaconium, sive διακονικὸν de sacratissimo Ecclesiæ loco dici non ignoramus, qui can. conc. Laodic. ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτας ἔχειν χώραν ἐν τῷ διακονικῷ et ministris interdicitur ; ubi Balsamon ὑπηρέτας Hypodiaconos : concilium autem Agathense, can. 66, in sacratos ministros interpretantur. M. CASAUB.

(36) *In diaconio.* Omnes minores clerici sub diaconis, diaconi sub presbyteris, presbyteri sub episcopis, tanquam per classes disponebantur ; atque ut nullus presbyter sine diacono, ita nullus diaconus sine minoribus clericis instituebatur, quia eorum omnium munus, sine alterius opera et functione rite fieri nequibat : cæterum Majorinum e lectione ad episcopatum allectum notat Optatus, ut ejus ordinationem minus jure et ordine factam ostendat ; ordo enim postulabat, ut presbyteri aut diaconi ordinarentur ante lectores, si qui idonei reperirentur. ALBASP.

(37) *Qui lector in diaconio Cæciliani fuerat.* Qui lector fuerat dum Cæcilianus erat archidiaconus. DU PIN.

(38) *Ipsa suffragante.* Quasi suffragium dante : quia pecunia suffragia corruperat. ALBASP. D

(39) *Ipsa suffragante.* Episcopis pecunia corruptis ; quadringentos enim folles eam dedisse constitit in actis coram Zenophilo. DU PIN.

(40) *Numidiæ.* Cirtensi. ALBASP.

(41) *Indulgentiam.* Secundus traditionis reus alios idololatras absolvit, et ab aliis absolutus est. ALBASP.

(42) *Ordinatores.* Qui salvo legitimo episcopo alium ordinat, Ecclesiam non minus scindit, quam qui ordinatur. ALBASP.

(43) *Providentes quod fama.* Ne a Cæciliano traditionis accusarentur, litteras ad omnes episcopos et vicinos scripserunt, quibus Felicem ejusdem criminis reum faciebant ; hoc nempe consilio ne traditores haberentur, una enim eademque res de duobus eodem tempore non facile creditur ; prioris rumoris aura semper prævalet. ALBASP.

Ibid. *Providentes quod fama duas res similes uno.* Scribe, *quod fama duas diversas res simul et uno tempore loqui non posset*, pro *diversas*, exscriptor per compendium, *dras*, scripserat, quod postea ob similitudinem cum præcedente *duas*, emissum, aut ex *dras* fecit *duas ;* quo sententia carere recte potest. Haud absimile illud, ad verba quod attinet, lib. VII : *Non potest idem operarius duas res repugnantes et contrarias*, quod hic (duas diversas res) *simul facere.* M. CASAUB.

(44) *Vitam infamare conati sunt alienam.* Cæciliani scilicet, collegarum ejus et Felicis Aptungitani. *Cæcilianum criminati sunt*, inquit August., lib. post. collat., c. 22, *quod a traditoribus esset ordinatus, et quia cum esset diaconus, victum afferre martyribus in custodia constitutis prohibuisset. Nominati quidam collegæ Cæciliani, qui traditores asserebantur publicis gestis, quæ tamen gesta non legebantur.* Inter hos fuerunt Novellus Tyzicensis et Faustinus Tuburbinatus, ac maxime Felix Aptungensis qui acerbius accusatus est ita ut forum malorum omnium diceretur. Hæc continebant gesta concilii hujus lecta in collat. Carth. ut habet August. in Breviculo collat. c. 14, n. 26. Hæc continebant Numidarum litteræ livore dictante conscriptæ, quas retulerat Optatus in fine sui operis. DU PIN. C

(45) *Livore.* Livore, infra pleno livore. ALBASP.

(46) *Inter cæteros actus habemus in posterum.* Forte melius *in posteriori.* Supra hoc libro, pag. 16 : *Harum namque plenitudinem rerum, novissima parte istorum libellorum ad implendam fidem adjunximus.* Et infra : *De iis rebus habemus volumina actorum : quod si quis voluerit, in novissimis partibus legat.* INCERT.

(47) *Præcesserunt se epistolis suis.* Elegantissime dixit, quasi adventui suo eas præmittere, quomodo prævenire lauream, rumorem belli, et rumorem prævenire imperatorem dicit Claudianus. BARTH.

(48) *Præcesserunt se epistolis suis.* Antequam venirent ad Ecclesias, epistolam illuc miserant e concilio scriptam. DU PIN.

(49) *Et dum de uno.* De Cæciliano aut Felice. ALBASP.

(50) *Frequenter.* Hæc periodus pertingit usque ad illa, *parvum erat*, et non clauditur nisi post hæc verba, *nefas admissum.* ALBASP.

(51) *Paucos Catholicos.* Præter laicos, qui huic ordinationi interfuerant. ALBASP.

(52) *Peccaverant.* Traditores fuerant. ALBASP.

(53) *Aut quod imago fuerat.* Aliquid aut deesse, aut redundare videtur : nam periodum necesse est hoc

Digitized by Google

(54) Parum [a] erat traditionis facinus, quod per Donatum Masculitanum et cæteros supradictos constabat admissum : etiam (55) ingens flagitium schismatis traditioni junxerunt.

XXI. *Quam grave schismatis malum, cujus rei sunt Donatistæ.* — Vides ergo, frater Parmeniane, hæc duo crimina tam mala, tam gravia, traditionis et schismatis, ad tuos principes pertinere. Agnosce vel sero, (56) incurrisse te in tuos, dum insectaris alienos; et cum priores tuos constet operatos esse hoc alterum nefas, etiam vos sceleratis vestigiis sequi laboratis : ut quod illi priores (57) in titulo [b] schismatis (58) fecerant, et vos jamdudum fecisse et nunc facere videamini. Illi ruperunt suis temporibus pacem : (59) vos exterminatis unitatem. De parentibus vestris et de vobis merito dici potest, *cæcus cæcum si duxerit, utrique in foveam cadunt* (*Matth.* xv, 14) [c]. (60) Oculos patrum vestrorum furiosus excæcaverat livor, æmulatio vestros orbavit. Schisma summum malum esse et vos negare minime poteritis. Et tamen Dathan et Abiron et Core, perditos magistros vestros, sine trepidatione estis imitati : nec ponere ante oculos voluistis, hoc malum et verbis Dei esse prohibitum, et admissum graviter vindicatum. Deinde esse distantiam delictorum, aut remissio testatur aut pœna. Denique inter cætera præcepta etiam hæc tria jussio divina prohibuit : *Non occides, non ibis post deos alienos*, et (61) in capitibus mandatorum, **21** *non facies schisma.* (62) Videamus de his tribus, quid oportuit puniri, et quid meruit relaxari. Parricidium principale delictum est; et tamen Cain nec reus a Deo percutitur, sed occisus insuper vindicatur (*Genes.* iv). (63) In Ninive civitate hominum numero centum viginti millia sacrilega, quæ deos alienos sequi videbantur : post iracundiam Dei, et nuntium Jonæ prophetæ, jejunium parvi temporis et oratio

A

B

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ita in omnibus mss. In editis male *parvum*.
[b] In ms. S. T. *in titulos*.
[c] In ms. S. G. *uterque in foveam cadit*.

VARIORUM NOTÆ.

modo concipias : *Nefas admissum inter multos imago erat innocentiæ;* qua vult dicere imaginem fuisse innocentiæ, quod nullus eorum episcoporum accusaretur, aut accusari posset, quia omnes peccaverant. ALBASP.

(54) *Parvum erat.* Alia periodus. ALBASP.

(55) *Etiam ingens.* Hæc a superioribus non sunt distinguenda, sed ad eorum sensum pertinent. ALBASP.

(56) *Incurrisse.* Hoc est, cum dicis majores nostros traditores fuisse, probatur tibi de tuis hoc esse intelligendum. ALBASP.

(57) *In titulo schismatis.* In crimine schismatis, libro septimo, *tamen in hoc titulo*, in hac causa : Augustinus, libro secundo contra Cresconium, cap. decimo : *Discordia non possidet sub titulo pacis.* Item, *quid causæ est ne titulus deponatur*, ut pax deponatur. ALBASP.

(58) *In titulo schismatis.* Ad conflandum schisma, initio suæ separationis, in principio schismatis. DU PIN.

(59) *Exterminatis unitatem.* Macarius unitatem voluerat facere, et plebem Donatistarum armis et principis auctoritate ad Ecclesiam catholicam compellere, quam unionem impediebant Donatistæ. ALBASP.

(60) *Oculos patrum vestrorum furiosus excæcaverat livor, et æmulatio vestros orbavit.* Orbatio de oculis ut de liberis dicitur, isti enim creberrime illis æquantur. Ausonius Parentalibus :

Amissum flesti post trina decennia natum
Saucius, atque uno lumine cassus eras.

Ubi Quintiliani locum ex lib. VI, procem. Lipsius produxit epist. quæst. Euripides Andromacha : Εἰς παῖς ὅδ' ἦν μοι λοιπὸς ὀφθαλμὸς βίου. Alcimus Hecdicius Avitus, lib. III de filio perdito Lucæ XV :

Lætaque solemnis celebrat convivia cœtus,
Quod rediviva suis, quodam quasi funere proles
Surgat, et orbato redeant nova lumina patri.

Paulinus in obitum Celsi :

Celse, amor et desiderium, lumenque tuorum.

Eadem ratione et Ruricius in epistolis. BARTH.

(61) *In capitibus mandatorum.* Qui schisma faciunt et Ecclesiam scindunt, plures deos inducere videntur : et cum a communione Ecclesiæ recedunt, a Deo eos recedere necesse est, cum quo Ecclesia unita est et per Christum compacta. Auctor ibidem : *Indixerant quodammodo Deo bellum, quasi esset alter Deus qui alterum acciperet sacrificium.* ALBASP.

C

Ibid. *Et in capitibus mandatorum : Non facies schisma.* Non debebant hæc, *non facies schisma*, aliis characteribus scribi, quasi ipsa Scripturæ verba essent ab Optato citata. Neque enim nunc exstant, neque unquam in ulla vel Græca vel Latina versione exstiterunt. Hoc ipsum subindicat Optatus, dum dicit *in capitibus mandatorum;* ad illa nimirum respiciens Apostoli, Rom. XIII, 9 : Τὸ γάρ, Οὐ μοιχεύσεις, etc., καὶ εἴ τις ἑτέρα ἐντολή, ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ ἀνακεφαλαιοῦται, ἐν τῷ Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς ἑαυτόν. Quod hodie *instauratur*, olim legebatur, a quibusdam saltem *recapitulatur*, ut et Ephes. I, 10, quem locum citans Tertullianus, adversus Marc. lib. V, cap. 17 : *recapitulare* repræsentat, quamvis idem alibi reddat, *ad caput reciprocare;* atque iterum alio loco, *ad initium colligere.* Jam schisma ad peccata quæ in proximum committuntur proprie atque inter prima referri notum est. *Inter peccata quæ sunt in proximum, peccatum schismatis videtur esse maximum, quia est contra spirituale bonum multitudinis.* Aquinas secunda secundæ quæst. 39, art. 2 ad 3, etc. *In capitibus mandatorum* igitur, hic applicamus in summa sive recapitulatione mandatorum. Non displicet tamen Albaspinæi interpretatio, qui refert ad primum mandatum, cum paulo post Optatus : *Deus cui displicet schisma hoc libenter videre non potuit : indixerant quodammodo Deo bellum, quasi esset alter Deus*, etc. Utraque interpretatio vera fuerit, si dicamus Optatum ad verba Christi respexisse Matth. XXII, 37, 38. M. CASAUB.

D

(62) *Videamus de his tribus.* Docet Deum gravius puniisse schisma, quam homicidium aut idololatriam. ALBASP.

(63) *In Ninive civitate hominum*, etc. Non hic error Optati proprius. Politissimus Ecclesiasticorum Sulpicius sacræ histor. lib. I : *Id oppidum*, de Ninive loquitur, *olim ab Assur Sion filio conditum, caput regni Assyriorum fuit : frequens tum incolarum multitudine alens virorum millia centum et viginti, atque ut in magno populo abundans vitiis.* Atqui non ait Scriptura tot omnino esse in urbe, sed tot esse qui dextram a sinistra nequiverint discernere. Quod sane non potest, nisi de valde pueris intelligi; nisi ad allegoricas interpretationes confugias. Vide Hieronym. et glossas : vide et Drusium. M. CASAUB.

Digitized by Google

indulgentiam meruit (*Jonæ* III) [a]. (64) Videamus si aliquid tale consecuti sunt hi qui populos Dei primitus ausi sunt scindere. Tot millibus filiorum Israel, quorum a cervicibus divina providentia jugum servile dejecerat, Aaron sanctum unum præfecerat sacerdotem (*Num.* XVI). Sed cum ministri ejus sacerdotium non sibi debitum concupiscentes, seducta parte populi illicite invaderent, ritum imitati sacrorum, ducentos, et quod excurrit, ministros secum [b] perituros, cum thuribulis in fronte seducti populi posuerunt : Deus cui displicet schisma, hoc libenter videre non potuit. Indixerant quodammodo Deo bellum, quasi esset alter Deus, qui alterum acciperet sacrificium. Igitur Deus pro neglectis mandatis suis [c] iratus est ira magna, et quod in sacrilegos et parricidam non fecerat, in schismaticos fecit. Stabat ministrorum acies et multitudo sacrilega, cum interdictis sacrificiis suis illico peritura; negatum et subductum est pœnitentiæ tempus, quia non talis erat culpa quæ veniam mereretur. Mandata est terræ fames : statim fauces suas in populi divisores [d] aperuit, et contemptores mandatorum Dei, avido ore [e] absorbuit. (65) Intra momenti spatium, ad transglutiendos prædictos terra patuit, rapuit, clausa est. Et ne beneficium de mortis compendio consequi viderentur, dum non essent digni vivere, iis nec mori concessum est : tartareo carcere subito clausi, ante sunt sepulti quam mortui. Et miramini vobis [f] aliquid tale aspere factum, qui schisma aut facitis aut colitis [g], cum videatis quid magistri primi [h] schismatis pati meruerunt. (66) An quia cessat talis modo vindicta, ideo tibi cum tuis vindicas innocentiam? Deus in singulis rebus exemplorum posuit formam; (67) ut sit quod imputet imitantibus : prima peccata ad exemplum præsens pœna compressit, secunda judicio reservabit [i]. Quid ad hæc dicturi estis, qui schisma, usurpato Ecclesiæ nomine, et occulte [j] nutritis, et impudenter defenditis?

22 XXII. *Litteræ episcoporum partis Donati ad Constantinum imper. quibus sibi petunt dari judices.*— Sed quia audio aliquos de societate tua, litigandi [k] studio (68) chartas habere nescio quas; quærendum est, quibus sit accommanda fides, quæ cum ratione concordent, quæ (69) cum veritate confibulent [l]?

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. *jejunio parvi temporis celebrato indulgentiam meruerunt.*

[b] Deest in ms. S. G.

[c] Ita in mss. S. T. et P. S. ex quibus suppletur vox *suis*, quæ deerat in editis. Exscriptor codicis S. G. marte suo videtur explicasse hæc verba, cum loco eorum posuit, *pro facto schismate.*

[d] In ms. S. G. *in necem populi divisoris*, minus bene.

[e] In ms. S. G. *hiatu.*

[f] In ms. S. G. *in vos.*

[g] In ms. S. G. *qui schisma usurpato Ecclesiæ nomine aut facitis aut colliqitis.*

[h] In ms. S. G. *magisti i vestri primitivi.*

[i] Locus iste perdifficilis quibusdam visus est, et varie a variis vexatus; hujus tamen facilis et plana est sententia, si modo ita interpungatur, ut a nobis factum est, et observatum in ms. S. T. ita ut *prima peccata*, non referantur ad participium *imitantibus*, sed ad sequentia : tunc enim nihil amplius obscuritatis est, in posteriori membro, *ad exemplum prima peccata præsens pœna compressit, secunda judicio reservabit.* Extat iste locus in mss. S. T. et P. S. ut hic jacet, nisi quod post verbum *imputet*, addita est conjunctio *et* in hunc modum, *imputet et imitantibus*, quod videtur superfluum. At exscriptor codicis S. G. locum non intelligens, depravavit et interpolavit hoc pacto : *Deus in singulis rebus exemplorum posuit formam, ut sit quod imputet imitantibus : prima præcepta ad exemplum ponens, præsens pœna compressit, secunda judicio reservabit.*

[j] In ms. S. G. *stulte.*

[k] In ms. S. G. *litigantes*, sed male.

[l] In mss. *confabulent.* In editis, *confabulentur.* Aptissime ad sensum, *confibulent*, pro *concinant, connectantur. Fibulare*, et hoc sensu in usu est apud Columellam.

VARIORUM NOTÆ.

(64) *Videamus si aliquid tale consecuti sunt. Si ἀντὶ An.* Val. Flaccus lib. VIII :

Oculos longe tenet, aurea si jam
Pellis, et oblatis clarescant atria villis. INCERT.

(65) *Infra momenti spatium, ad transg.*, etc. *Transglutire* dixit pro *deglutire.* Quomodo Cyprianus (an Tertullianus?) in Genesi poemate, v. 31 et 57, *transvena* pro *advena* utitur. INCERT.

Ibid. *Intra momenti spatium*, etc. Eleganter hic ab Optato ad exprimendam rei celeritatem oratio, quæ vocatur ἀσύνδετος adhibetur, quasi imitatus esset illud Cæsaris, *veni, vidi, vici.* Et sane haud vulgarem ejus elegantiam, nec minus ingenium, præcipue cum quippiam narrat aut describit multa testantur. Utinam par fuisset eruditio. Nam disputante illo plerumque : sed de sancto viro nolo quidquam acerbius; præcipue cum temporis quam hominis infelicitas hæc fuerit. M. CASAUB.

(66) *An quia cessat.* Tertullianus de Patientia : *ut sua sibi patientia detrahat; plures enim Dominum idcirco non credunt, quia sæculo iratum tamdiu nesciunt.* ALBASP.

(67) *Ut sit quòd imputet et imitantibus prima peccata.* Τὸ *et*, non est hic otiosum, sed magni et elegantis usus. Ut sit, inquit, quod merito iis imputet, quoque ἀναπολογήτους eos reddat, quicumque peccatores primos tam exemplariter a Deo punitos, porro sustinent imitari. Quod autem sequitur in eadem sententia : *ad exemplum præsens pœna compressit, secunda judicio reservabit*, cum nulla commoda sententia ex his effici possit, facile mihi quemvis accessurum puto, per quem levi ac nulla prope litterarum mutatione corrigendum esse, *ad exemplum præsens pœna cum præcessit, secundam judicio reservabit*, vel *secunda judicio reservabitur.* Cum inquit, *pœna præsens*, id est in hoc sæculo exacta publice et in omnium conspectu, ad exemplum; postquam hæc pœna jam præcessit, non mirum est, si Deus similes pœnas ab omnibus schismaticis non exigat, cum secundam et quæcumque postea debebuntur eo nomine peccatoribus pœnæ, omnes eas universali judicio reservaverit. Possunt etiam hæc latius de quibusvis peccatoribus intelligi. M. CASAUB.

(68) *Chartas habere.* Mandata principum, acta conciliorum, epistolas Mensurii, et similia de quibus in collatione facta est mentio. ALBASP.

(69) *Cum veritate confabulentur. Confabulari*, pro *consentire*, usurpat. BARTH.

Ibid. *Quæ cum veritate confabulentur.* Non observatum mihi alibi verbum hac notione. Ego adulterinum censeo, ac loco illius reponendum, *confibulentur.* Tertullianus sic usurpat non semel, et quidem præcedente, ut hic, *concordiæ* vel *concordandi* verbo. lib. de Trinit. (sive ille Tertulliani fœtus est, sive Novatiani) de Christo loquens : *Quoniam si ad hominem veniebat, ut mediator Dei et hominum esse deberet, oportuit illum cum eo esse, et Verbum carnem fieri, ut*

Digitized by Google

Vestræ, si sunt aliquæ, mendaciis forte videantur aspersæ. Nostras chartas probant et conflictus causarum, et contentiones partium, et exitus judiciorum, et epistolæ Constantini. Nam quod de nobis dicitis, quid Christianis cum regibus? aut quid episcopis (70) cum palatio? (71) Si nota est nosse reges, vos tota perfundit invidia [a]. (72) Nam majores vestri, Lucianus, Dignus, Nasutius, Capito, Fidentius, et cæteri imperatorem Constantinum, harum rerum adhuc ignarum, his precibus rogaverunt: quarum exemplum infra scriptum est: *Rogamus te* (73), *Constantine optime imperator, quoniam* (74) *de genere justo es, cujus Pater inter cæteros imperatores* A *persecutionem non exercuit, et* (75) *ab hoc* [b] *facinore immunis est Gallia.* *Nam in Africa inter nos et cæteros episcopos contentiones sunt; petimus* (76) *ut de Gallia* (77) *nobis judices dari præcipiat pietas tua. Datæ a Luciano, Digno, Nasutio, Capitone, Fidentio et cæteris episcopis* (78) *partis Donati* (79).

XXIII. *Responsio Constantini. Dati ab eo judices qui Romæ conveniant.*— (80) Quibus lectis, Constantinus (81) pleno livore [c] respondit (82). In qua responsione et eorum (83) preces prodidit, dum ait: » (84) *Petitis a me in sæculo* [d] (85) *judicium*, (86) *cum ego ipse Christi judicium expectem* (87) Et tamen dati sunt judices, Maternus ex Agrippina **23** civi-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Dest in ms. S.G.
[b] In mss. S. T. et P. S, *ob*.
[c] In ms. S. G. *libello*.
[d] Hujus vocis loco habetur in ms. S. G. *episcopi*.

VARIORUM NOTÆ.

in semetipso concordiam confibularet, terrenorum pariter et cœlestium, dum utriusque partis in se connectens pignora, etc. Mox iterum, capite, quod proxime sequitur, extremo, concordia et confibulatio simul juncta. M. Casaub.

(70) *Cum palatio.* His vocibus non utebantur initio schismatis; nam ubi concilio Arelatensi, atque summo Pontifici audientes non fuerunt, post illa omnia judicia a Palatio opem quæsierunt. Albasp.

(71) *Si nota est.* Si vitium. Albasp.

(72) *Nam majores vestri.* Inter hos episcopos Majorinus non recensetur, quare suspicarer eum tunc temporis fato functum esse. Albasp.

(73) *Rogamus te*, etc. Hic est ille libellus sine signo quem porrexerunt Anulino cum libello criminum Cæciliani, petentes ut ab eo ad comitatum dirigeretur, ut constat ex relat. Anulini apud Aug. ep. 88. Du Pin.

(74) *De genere justo.* Ejus pater in Gallia et in Anglia Christianos non erat persecutus. Albasp.

(75) *Ab hoc facinore.* A crudelitate quam cæteri imperatores in Christianos exercuerunt. Albasp.

(76) *Ut de Gallia.* Et tamen ex decem et novem judicibus, tres tantum ex Gallia fuerunt; cæteri a summo Pontifice, cui causæ cognitionem jure reliquerat Imperator, assumpti fuerunt. Albasp.

(77) *De Gallia.* Quia tum Constantinus erat in Galliis. Du Pin.

(78) *Et cæteris partis Donati.* Ergo schisma nomen a Donato Casensi acceperat; unde colligitur Donatum Carthaginensem huic sectæ nomen non dedisse, cum ejus ordinatio in annum trecentesimum trigesimum primum, ab illustrissimo Cardinale Baronio rejiciatur. Albasp.

(79) *Partis Donati.* Legendum Majorini; sic enim in relatione Anulini, *Libellus Ecclesiæ catholicæ criminum Cæciliani traditus a parte Majorini.* Augustinus etiam, quoties de isto libello loquitur, ait eum oblatum a parte Majorini. Sed quia quæ pars primo dicebatur Majorini tempore Optati vocabatur pars Donati, ipse nomen notius substituit in locum antiqui. Porro libellus ille oblatus est initio anni 313, nam relatio Anulini data est Carthagine 17 Kalend. Maias, Constantino Aug. tertium Cos., qui consulatus incidit in annum æræ vulgaris 313, verisimile est haud paulo ante libellos oblatos. Forte etiam scriptum erat, *ex parte Donati*; quia Donatus a Casis nigris antesignanus eorum jam erat, et præcipuus accusator Cæciliani, ut patet ex actis in concilio Romano. Du Pin.

(80) *Quibus lectis.* Episcopi illi libellum non obtulerant, sed Annullino Africæ proconsuli mittendum dederant. Albasp.

(81) *Pleno livore.* Obstupuerat, quod ab episcopis judices a Laicis peterentur. Albasp.

(82) *Constantinus pleno livore respondit.* Verba sunt epistolæ Constantini ad Episcopos concilii Arelatensis, nec proinde suo loco ab Optato inserta. Du Pin.

(83) *Preces prodidit.* Ostendit suo responso eos injusta petiisse. Albasp.

(84) *Petitis a in me sæculo.* Hoc responsum est notatu dignum, quo imperator voluit ostendere episcoporum controversias ab ipsis potius, quod Christi vicem gerant, dijudicandas esse, quam a Laicis. Albasp.

Ibid. *A me in sæculo.* A me qui non sum ex communione et corpore episcoporum. Albasp.

(85) *Judicium.* Judices: nam non petierant ab imperatore, ut de suis controversiis cognosceret, sed ut judices daret. Albasp.

(86) *Cum ego ipse.* A vobis potius essem judicandus. Albasp.

(87) *Et tamen dati sunt judices.* Tres scilicet ex Gallia, Maternus, Marinus, et Rheticius, nam quindecim alii a Melchiade delecti sunt et adsumpti: cæterum extat Constantini ad eumdem Melchiadem de hac causa epistola, in cujus titulo hæc leguntur, *Melchiadi episcopo Romano et Marco salutem*, in quibus explicandis interpretes satis habent negotii: non enim facile est divinare quorsum Marcum illum cum summo pontifice posuerit, aut quis et qualis fuerit Marcus ille. Nihil hac in re magis probabile occurrit, quam conjectura illustrissimi Cardinalis du Perron, qui suspicatur legendum, καὶ ἱεραρχῷ, hoc est, *Melchiadi Romano hierarchæ*: cætera quæ afferuntur, aut vana, aut futilia sunt, quemadmodum quod aiunt, imperatorem Marco Diacono cum Melchiade scripsisse, ne superiora sine inferioribus eminerent, et ut graduum Ecclesiasticæ communionis varietas appareret: scilicet cum ad Xistum Syracusanum et ad alios Galliarum, Hispaniæ et Africæ episcopos litteras de eadem causa et negotio dedit, diaconorum meminit, ne graduum varietas insalutata præteriretur: aut dicendum Xistum cum suo diacono pœnas dedisse, ne superiores gradus, sine inferioribus martyrio eminerent, Cæsaresque Christiano nomini infensos hanc graduum rationem in suppliciis et tormentis servasse. Neque magis ad rem pertinent D. Cypriani verba ad Cornelium papam de Romano clero, quia epistola illa ex qua desumuntur, erat epistola salutatoria et ex genere earum quæ pacificæ vocabantur et communicatoriæ (quemadmodum sunt divi Pauli epistolæ) quarum subsidio communio inter absentes ac longe dissitos fovebatur: quapropter nil mirum si omnium graduum in illis fiat mentio, et si D. Cyprianus aut D. Paulus dia

Digitized by Google

tate, Reticius [a] ab Augustoduno civitate, Marinus Arelatensis. Ad urbem Romam ventum est ab his tribus Gallis, et (88) ab aliis quindecim Italis. Convenerunt (89) in domum Faustæ in Laterano [b] (90), (91) Constantino quater (92) et Licinio ter consulibus, sexto nonas Octobris (93) die, sexta feria. Cum consedissent Miltiades episcopus urbis Romæ, et Reticius et Maternus et Marinus episcopi Gallicani: et (94) Merocles a Mediolano, Florianus a Sinna (95), Zoticus a Quintiano (96), Stennius ab Arimino, Felix a Florentia Tuscorum, Gaudentius a Pisis, A Constantius a Faventia, Proterius a Capua, Theophilus a Benevento, Sabinus [c] a Terracina, Secundus [d] a Prænestе, Felix a tribus Tabernis (97), Maximus ab Ostia [e], Evandrus ab Ursino (98), Donatianus a Foro Claudii (99).

XXIV. *Concilii Romani sententia in gratiam Cæciliani.* — Iis decem et novem consedentibus episcopis, causa Donati (1) et Cæciliani (2) in medium missa est (3). (4) A singulis (5) in Donatum (6) sunt hæ sententiæ latæ. (7) Quod confessus sit (8) rebaptizasse [f] (9), et (10) episcopis lapsis manum impo-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ita in ms. S. G. In ms. S. T. et P. S. dicitur *Reticus.*
[b] In mss. *in Laterani.*
[c] In ms. S. T. *Savinus.*
[d] In ms. S. T. et P. S. *Secundinus.*
[e] In ms. S. T. *ab Ostiis.* In ms. S. G. *a tribus Ostiis.*
[f] In mss. S. T. et Ph. S. *rebaptizare.*

VARIORUM NOTÆ.

conorum meminerunt, cum ad ecclesias aut ad episcopos communicatorias scripserunt. ALBASP.

Ibid. *Et tamen dati sunt judices.* Importune hic digrediendi super inscriptione epistolæ Constantini ad Melchiadem occasionem captavit Albaspinæus. Cum enim novum ipse nihil, veterem Baronii conjecturam, καὶ Μαρκῷ emendantis, ἱεραρχῷ, a doctis pridem explosam, Cardinali du Perron falso tribuit, quem adeo ejus puduit, (quod ex novissimo ejus ad regem Angliæ scripto liquet;) ut quidvis potius excogitandum putaret, quam vel meminisse Baronianæ conjecturæ dignaretur. M. CASAUB.

(88) *Et ab aliis quindecim.* Quos convocarat Melchiades. ALBASP.

(89) *In domum Faustæ in Laterano.* In epistola Constantini ad Ablavium habetur eos in quodam loco se clausisse. ALBASP.

(90) *In domum Faustæ in Laterano.* In ea scilicet parte Laterani Palatii quæ ad habitationem Faustæ Imperatrici destinata erat. DU PIN.

(91) *Constantino tertium et Licinio tertium consulibus.* Ita legendum censent Baronius et Balduinus, sed Augustinus notat Constantino tertio, et Licinio iterum consulibus. ALBASP.

(92) *Constantino quater.* Nihil immutavimus in textu, quia sic scriptum in mss.; sed Augustinus, lib. post collat. c. 33, ait: *Melchiades judicavit Constantino ter et Licinio iterum consulibus sexto nonas Octobris:* certum est legi debere *Constantino III cos.* nam quartus hujus consulatus incidit in annum 315 post concilium Romanum, et Arelatense. Licinii autem consulatus tertius est, si numeretur consulatus suffectus anni 311; si autem non numeretur secundus, annus certe Christi 313. DU PIN.

(93) *Die sexta feria.* Dies olim aut hebdomadæ, per dies Jovis, Veneris, Solis non dividebantur, sed per ferias: quæ quidem sexta feria erat dies Veneris, hoc est, dies christianis luctus et stationis, quo a summo mane ad tertiam usque stabant in ecclesia: quare nescio qua ratione potuerint hanc causam sexta feria judicare. ALBASP.

(94) *Merocles.* Ennodius vocat Merocletem: fuit episcopus Mediolanensis successor Anatholini. ALBASP.

(95) *A Sinna.* Seu *Cinna*, ita in mss. Balduinus emendavit *Cesena*, quod oppidum est Flaminiæ, forte *Æsina*, nunc *Jesi* in Piceno Annonario, aut *Pinna* in Piceno Suburbicario. DU PIN.

(96) *A Quintiano.* Urbe in Rhetia, quæ nunc pagus est agri Brixiensis, hodie *Kintzen.* DU PIN.

(97) *A tribus Tabernis.* Hodie *Cisterna* prope urbem. DU PIN.

(98) *Ursino.* Forte *Urbino* Umbriæ urbe. DU PIN.

(99) *A foro Claudii.* Cujus Episcopatus Calenum dicitur translatus ab Ughello. DU PIN.

(1) *Causa Donati.* Jam ergo Donatus a Casis nigris B princeps erat accusatorum Cæciliani. DU PIN.

(2) *In medium missa.* Agitata et discussa. ALBASP.

(3) *In medium missa est.* Et tribus diebus acta: totidem enim actiones fuisse constat ex Carth. collat. tit. 323, et ex Brevic. coll. d. 13, c. 17. DU PIN.

(4) *A singulis.* Illis episcopis qui convenerant in domum Faustæ; aut ab illis qui cum Cæciliano aut Donato venerant. ALBASP.

(5) *In Donatum.* Casensem. ALBASP.

(6) *Latæ sunt hæ sententiæ.* In conciliis omnium episcoporum sententiæ non solum numerabantur, sed in acta singulæ, et ut erant dictæ referebantur, ut videre est in nonnullis conciliis, atque in concilio Carthaginensi sub divo Cypriano habito. Voluit igitur Optatus dicere singulis eorum episcoporum sententiis damnatum fuisse Donatum, neminemque eorum fuisse qui hoc judicium et iisdem verbis in eum non constituerit. ALBASP.

(7) *Quod confessus sit.* Determinatione usum fuisse Cæcilianum, Donatumque coram Melchiade accusasC se quod rebaptizaret, verisimile est. ALBASP.

(8) *Rebaptizasse.* Eos scilicet qui baptizati essent ab orthodoxis post schisma, nam qui loti essent ante schisma non rebaptizabantur a Donatistis. ALBASP.

(9) *Quod confessus sit rebaptizasse.* A Catholicis scilicet baptizatos. DU PIN.

(10) *Episcopis lapsis.* Qui aut codices sacros exurendos tradiderant, aut thurificarant: lapsi enim antiquitus, non qui homicidium aut aliquod aliud peccatum quantumvis grave commisissent, sed qui dumtaxat idolis sacrificassent, aut aliquo modo deseruissent, lapsi dicebantur. ALBASP.

Ibid. *Et episcopis lapsis manum imposuisse*, etc. Multus est in observationibus Albaspinæus et multos Optati locos, quasi tot argumenta colligit, ut hanc *manuum impositionem*, de qua hoc loco Optatus non de *reordinatione episcoporum*, qui ad Donatistas defeciebant, ut Balduinus et alii quidam docti explicabant, sed de pœnitentium χειροθεσίᾳ accipiendam D esse probet. Sane plerisque locis quibus Optatus *manus* a Donatistis *impositæ* meminit, eum de pœnitentibus intelligere, neminem puto negaturum, et ipsa verba satis evincunt. Cum tamen verisimile sit (utcumque neget Albaspinæus) aliquos ab iis jam tum reordinatos, nihil vetat, de ipsis hæc verba intelligi. Ut tamen de pœnitentium χειροθεσίᾳ potius accipiam, suadent maxime Leonis papæ verba dist. 50, can. 67: *Alienum est a constitutione ecclesiastica, ut qui in presbyterali honore aut in diaconii gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo per manuum impositionem remedium accipiant pœnitendi.* M. CASAUB.

Ibid. *Manum imposuisse.* De pœnitentiæ manus impositione, non autem de reordinatione hæc verba explicanda esse docuimus in observationibus. ALBASP.

Digitized by Google

suis é (11); quod ab Ecclesia 24 alienum est. (12) Testes inducti a Donato, confessi sunt se non habere quod in Cæcilianum dicerent. Cæcilianus (13) omnium supra memoratorum sententiis (14) innocens est pronuntiatus: (15) etiam Miltiadis sententia, (16) qua judicium clausum est [a] his verbis: « *Cum constiterit Cæcilianum, ab iis qui* (17) *cum Donato venerunt,* (18) *juxta professionem suam* (19) *non accusari* (20): *nec a Donato convictum esse in aliqua parte* [b] *constiterit:* (21) *suæ communioni* (22) *ecclesiasticæ* (23) *integro statu* (24) *retinendum merito esse censeo.*

XXV. *Appellatio Donati a judicio Romano, quomodo a Constantino excepta.* — Sufficit ergo et Donatum tot sententiis esse percussum, et Cæcilianum tanto judicio esse purgatum. Et tamen Donatus (25) appellandum esse (26) ab episcopis [c] credidit. « Ad quam appellationem Constantinus imperator sic respondit: (27) O rabida furoris audacia (28)! sicut in causis

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. *coagulatum est,* sed male.

[b] In ms. S. G. *in aliqua professione.*

[c] Deest in ms. S. G. In mss. S. T. et P. S. legitur, *episcopos,* non *ab episcopis:* nihil mutavimus in vulgata lectione, quamquam nullius codicis auctoritate suffulta.

VARIORUM NOTÆ.

(11) *Episcopis lapsis manum imposuisse.* Iis scilicet episcopis quos traditores criminabatur manus in pœnitentiam imposuisse, quod alienum est a consuetudine ecclesiastica, ut habet S. Leo ep. nunc 2 Rustico. Narbon. his verbis respondens: *Alienum est a consuetudine ecclesiastica ut qui in presbyterali honore, aut in diaconii munere fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi, quod sine dubio ex apostolica traditione descendit:* quod affirmat hoc in loco S. Leo de presbyteris et diaconis, multo magis notum est de episcopis. Quidam hoc accipiunt de manus impositione episcopali, seu de reordinatione: sed nullibi Optatus accusat Donatistas quod iterato ordinaverint episcopos catholicos: imo constat ex eo lapsis episcopis, ab illis qui stabant a parte Donati manus impositas fuisse in pœnitentiam. At verisimile non est, eos quos ad pœnitentiam detruserant, episcopos postea constituisse: imo uti modo observavimus, Purpurius Limatensis volebat eo fine Cæciliano manum imponere, *ut quassaretur illi caput de pœnitentia:* hoc est, ut non solum ab omni gradu, sed etiam ab omni spe episcopatus recipiendi dejiceretur. Sed quid opus est mentem Optati expiscari, cum ipse se diserte explicet lib. II, n. 25, ubi loquens de ea impositione manuum qua Donatistæ utebantur, ait: *Multis notum est et probatum, persecutionis tempore episcopos aliquos, inertia a confessione nominis Dei delapsos thurificasse, et tamen nullus eorum qui evaserunt, aut manum lapsis imposuit, aut ut genua flecterent, imperavit: et facilis vos hodie post unitatem, quod a nullo factum est post thurificationem.* Peccabant igitur Donatistæ, 1° contra legem et consuetudinem ecclesiasticam, quæ vetabat episcopis lapsis manum imponi in pœnitentiam; 2° contra justitiam, manus imponendo in pœnitentiam episcopis catholicis et innocentibus; non autem in eo quod episcopos ad pœnitentiam detrusos reordinarent. Du Pin.

(12) *Testes inducti a Donato.* In litteris Constantini utrique licebat decem ex Africa testes liti suæ necessarios Romam transportare. Albasp.

(13) *Omnium sententiis.* Ex uniuscujusque episcopi sententia et judicio absolutus est Cæcilianus. Albasp.

(14) *Innocens est pronuntiatus.* Absolutus a crimine traditionis et idololatriæ de quibus accusabatur. Alb.

(15) *Etiam Melchiadis.* Quasi diceret, etiam a summo pontifice absolutus, post cujus judicium de Cæciliani innocentia non est dubitandum. Albasp.

(16) *Qua judicium clausum est.* Præsidebat Melchiades; ideo judicium clausit, et postremo loco suam sententiam dixit. Albasp.

(17) *Qui cum Donato.* Plures secum adduxerat Donatus, quibus quasi certissimis et locupletibus testibus uteretur in Cæcilianum; qui tamen omnes ejus innocentiæ testes fuerunt. Albasp.

(18) *Juxta professionem.* Hoc est, canones non tradidisse, neque conscientiam ad idololatriam accommodasse, vel contra fidem quam profitetur nihil egisse persecutionis tempore. Albasp.

Ibid. *Juxta professionem suam non accusari.* An id vult, eos, quod facturos professi fuerant, ut Cæcilianum, accusarent, non præstitisse; et accusatorum partes quas susceperant, deseruisse? potius *juxta professionem suam,* id est, quemadmodum et ipsi professi sunt; nam antea: *testes a Donato inducti, confessi sunt se non habere quod in Cæcilianum dicerent.* More suo novus scholiastes, juxta professionem suam, *hoc est,* inquit, *canones non tradidisse, neque conscientiam ad idololatriam accommodasse, vel contra fidem quam profitetur, nihil egisse persecutionis tempore.* M. Casaub.

(19) *Juxta professionem suam.* Juxta quod professus fuerat se probaturum crimina legitimis testibus et indiciis. Du Pin.

(20) *Non accusari.* Quia deseruerat accusationem, nec testes induxerat, judiciumque declinaverat. Du Pin.

(21) *Suæ communioni Ecclesiæ.* Unaquæque communio ecclesiastica per episcopatus dividitur; et in unoquoque episcopatu est unum corpus communionis ecclesiasticæ, cujus corporis caput est episcopus: ideo Melchiades dixit, *suæ,* quia cum esset episcopus Carthaginensis, illius communionis erat caput: non nego tamen hæc verba aliter explicari posse, et hæc *Cæcilianum integro statu suæ communioni retinendum esse censeo:* hunc sensum posse habere, Cæcilianum cum omnibus qui cum eo communicant retinendum esse in communione catholica. Albasp.

(22) *Suæ communioni.* Ecclesiæ scilicet universæ; quasi diceret, censeo ab ejus communione non esse discedendum. Du Pin.

(23) *Integro statu.* In statu in quo erat constitutus, hoc est, in episcopatu: poterat enim retineri in communione ecclesiastica Carthaginensi in alio statu, nempe in statu presbyteri aut diaconi; sed Melchiadis judicium ejus ordinationem his verbis confirmavit. Albasp.

(24) *Integro statu.* In eo statu in quo erat: pro episcopo eum habendum esse. Du Pin.

(25) *Appellandum ab episcopis.* Noluit dicere a Melchiade, ne auctoritatem summi pontificis læderet; cæterum non est, quod hæretici ab hac historia quidquam in eamdem summi pontificis desumant, ut docuimus in observationibus. Albasp.

(26) *Appellandum esse.* Non proprie appellavit a judicibus Romanis, sed de eorum judicio conquestus est, uti observat sæpe Augustinus. Du Pin.

(27) *O rabida furoris audacia!* Hæc verba leguntur in epistola Constantini ad episcopos qui concilio Arelatensi interfuerant, ut ad suas provincias reverterentur: quare dicta videntur, cum ab illo concilio et non cum a Melchiade ad Imperatorem appellassent Donatistæ. Albasp.

(28) *O rabida furoris audacia!* Hæc scripta sunt ab Imperatore Constantino post synodi Arelatensis judicium; sed quæ ad eam synodum pertinebant. Optatum latuere. Unde et in collatione Carthaginensi, de Arelatensis judicio nihil dictum est, quod non

Digitized by Google

gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt [a].

XXVI. *Quid post synodum Romanam in Africa gestum.* — (29) Eodem tempore idem Donatus petiit, ut ei (30) reverti licuisset, et nec ad Carthaginem 25 accederet [b]. Tunc a Filumino [c], suffragatore ejus, imperatori suggestum est, ut bono pacis Cæcilianus Brixiæ retineretur : et factum est. Tunc duo episcopi ad Africam [d] missi sunt (31) Eunomius et Olympius [e] (32). (33) Venerunt, et apud Carthaginem fuerunt per dies quadraginta [f], (34) ut pronuntiarent ubi esset Catholica. «Hoc seditiosa [g] (35) pars A Donati fieri passa non est : de studio partium strepitus quotidiani sunt habiti : novissima sententia eorumdem episcoporum Eunomii et Olympii talis legitur ; *ut dicerent illam esse Catholicam, quæ esset in toto orbe terrarum diffusa, et sententiam decem et novem episcoporum jamdudum datam,* (36) *dissolvi non posse.* Sic communicaverunt (37) clero Cæciliani, et reversi sunt. De iis rebus habemus volumina actorum, quod si quis voluerit, in novissimis partibus legat. Cum hæc fierent [h], Donatus (38) ultro prior ad Carthaginem redit [i]. Hoc audito [j], Cæcilianus ad suam plebem properavit. Hoc modo (39) iterum

LECTIONES VARIANTES.

[a] Desunt hæc in mss. S. T. et P. S. In ms. S. G. legitur, *appellandum esse episcopus credidit, et cætera.* In epistola Constantini ad episcopos Ecclesiæ catholicæ hæc habentur verba, ut hic referuntur in editis ; unde nihil immutandum duximus.

[b] Ita in ms. S. G. In mss. S. T. et P. S. legitur, *ut ei revertenti ad Carthaginem contingeret*, quod cum sensu careat, in editis emendatum est, *ut ei reverti ad Carthaginem contingeret* : sed verisimilius est Donatum petiisse tantum, ut sibi in Africam remeare liceret, ea conditione ut ad Carthaginem non accederet, quod ex sequentibus colligitur : nam post hæc Optatus observat, Donatum post discessum Eunomii et Olympii, priorem ad Carthaginem rediisse, et hoc audito, Cæcilianum huc etiam properasse. Hinc patet retentum non fuisse Brixiæ Cæcilianum, nisi quia injunctum erat Donato ne Carthaginem accederet. In collatione Carthaginensi ubi prolatum est illud testimonium, ita lectum est, *ut ei reverti licuisset, et ad Carthaginem accederet* : quæ lectio proxime accedit ad nostram, nisi quod levi errore pro particula *nec*, lectum est *et* ; quod Donatistis occasionem præbuit asserendi imperatorem contra Cæcilianum pro Donato judicasse, quippe qui Donatum Carthaginem remisisset et Cæcilianum Brixiæ retinuisset. B

[c] Ita in mss. In collat. *Carth. Philomeno.*

[d] In ms. S. G. *ab Africa.*

[e] Optati editiones post hæc verba, addunt, *ut remotis duobus unum ordinarent* : sunt etiam in mss. S. T. et P. S. et tamen videntur peregrina, nam Donatistis de quo agitur, non erat episcopus Carthaginis, nec episcopi illi missi sunt, ut id facerent, sed tantum ut Cæcilianum confirmarent, et declararent Ecclesiam catholicam in ejus parte esse, ut statim subditur.

[f] In ms. S. G. *quinquaginta.*

[g] In ms. S. G. *studiosa*, sed melius *seditiosa*, ut in ms. S. T.

[h] In ms. S. G. *inter hæc.*

[i] In ms. S. G. *rediit.*

[j] In ms. S. G. *quo audito.*

VARIORUM NOTÆ.

fuisset prætermissum, si hujus mentionem fecisset Optatus. Du Pin.

(29) *Eodem tempore idem Donatus petiit, ut ei reverti.* Hic sequi debuisse censebat Balduinus concilii C Arelatensis historiam et cognitionem, seu judicium Constantini Mediolanense. Ego vero Baronio potius assentior, qui locum his esse post purgationem Felicis, non ante, judicat ; quod et novis, si sit opus, argumentis confirmari possit. An tamen aliquid omnino desit, et quidquid hujus in Optato desideratur, an ab ipso Optato prætermissum non sit, puto non sine causa a Balduino dubitatum esse. Nam ut id concedam, quod maxime urget Baronius, rem toto orbe celebrem, ab Optato ignorari non potuisse ; puto tamen potuisse fieri, ut adeo explorata ipsi non essent, quæ omisit atque cætera ; utque illi non suppeterent acta eorum quæ proferret, quemadmodum et reliquorum quæcumque præcesserunt. Præterea, cum quidquid ab Arelatensi concilio vel Constantino postea pronuntiatum est, id totum fere ex fide et veritate gestorum purgationis Felicis Cæciliani ordinatoris coram Æliano Africæ proconsule penderet ; non magni interfuit Afrorum cognoscere quid ab illis D tam longinque compertum ac pronuntiatum esset, si de veritate rerum domi, sive in Africa gestarum, semel eis constaret. Quam ad rem gesta Africana sufficiebant. M. Casaub.

(30) *Ut ei reverti ad Carthaginem.* Ex epistola Constantini ad Ablavium constat Donatum Romæ a Melchiade detentum. Albasp.

(31) *Eunomius, et Olympius.* Necesse est fateri hos duos episcopos a summo pontifice missos fuisse ; alioquin potestatem non habuissent alium in Africa ordinandi ; sed nota, quemadmodum ordinatio in aliis provinciis et longe dissitis potest celebrari a summo Pontifice. Albasp.

(32) *Eunomius et Olympius.* Missos eos necesse est illo tempore quo Cæcilianus Brixiæ retinebatur, ac proinde statim a concilio Romano. Du Pin.

Remotis duobus. Ergo eamdem sedem occupabant Donatus et Cæcilianus. Albasp.

(33) *Venerunt apud Carthaginem.* Venire apud aliquem, quod solœcismi alligent grammatici. Cledonius : *non possumus dicere, apud amicum vado.* Barth.

(34) *Ut pronuntiarent.* Ut populum docerent et quam de duabus partibus sequi deberent ; nam pontificis erat docere, quis eorum esset in communione Ecclesiæ, quod olim fiebat per litteras communicatorias, cum aliquis ordinatus esset. Albasp.

(35) *Pars Donati.* Ergo Donatus erat Carthaginensis, partemque plebis in illa civitate et ecclesia ducebat. Albasp.

(36) *Dissolvi non posse.* Communicandum esse Cæciliano. Albasp.

(37) *Clero Cæciliani.* Nam aberat Cæcilianus : sed quamvis absens esset, non minus ei communicarunt quam si præsens fuisset ; quia qui communicat clero, censetur communicare episcopo, qui est caput cleri, fons et centrum communionis Ecclesiasticæ in sua diœcesi. Albasp.

(38) *Ultro prior.* Non expectato illorum episcoporum reditu. Albasp.

(39) *Hoc modo iterum renovellatæ*, etc. Significat contentionem recruduisse, novis partium studiis rursus inflammatam. *Renovellare* pro *redintegrare*, a vitibus ductum, sic loquitur auctor, lib. VII, sub ipsum finem hujus collationis suæ cum fratre Parmeniano Donatista, *dum hominum esset renovellata nativitas : novellare*, novum agrum colere, seu novas vites pangere. Suetonius in Domitiano cap. 7. *Edixit ne quis in Italia novellaret.* Hinc *Novelletum* pro vinea ex novellis vitibus consita, Alfeno et Paulo jurisconsultis. Maximus poetarum eclog. 3.

. . . . Vites incidere falce novellas.

Quare non bene hic *renovatæ* restitutum mallet Fr. Balduinus. Ingert.

Digitized by Google

renovellatæ sunt partes. Constat tamen et Donatum tot sententiis esse percussum, et Cæcilianum innocentem totidem sententiis pronuntiatum.

XXVII. *Purgatio Felicis ordinatoris Cæciliani.* — Sed quia in ipsa causa jamdudum in Catholica duorum videbantur laborare personæ, et ordinati et ordinatoris : postquam ordinatus (40) in urbe purgatus est, et purgandus adhuc remanserat (41) ordinator. Tunc Constantinus ad Ælianum [a] Proconsulem scripsit (42), ut remotis necessitatibus publicis, de vita Felicis (43) Autumnitani publice quæreretur. Sedit **26** is cui erat indictum[b] (44). Inducti sunt Claudius Saturianus (45), curator Reipublicæ, qui fuit tempore persecutionis in civitate Felicis, et curator præsentis tunc temporis quando causa flagitabatur, Callidius Gratianus, et (46) Magistratus Alfius [c] Cæcilianus, sed et Superius stationarius [d] (47) perductus, et (48) Ingentius scriba publicus (49), (50) pependit sub metu imminentium tormentorum. Responsis omnium nihil tale inventum est in (51) vita Felicis episcopi, propter quod ordinare non potuisset [e]. Habetur volumen [f] actorum, in quo continentur præsentium nomina, qui fuerant in causa Claudii Saturiani curatoris, et Cæciliani magistratus, et Superii stationarii, et scribæ Ingentii, et Solonis officialis publici (52) ipsius temporis. Post quorum responsa, a supra memorato proconsule hæc pars sententiæ dicta est: (53) *Felicem autem religiosum episcopum, liberum esse ab exustione instrumentorum manifestum est, cum nemo in eum aliquid* (54) *probare potuerit*, (55) *quod religiosissimas scripturas tradiderit vel exusserit* [g]. (56) *Omnium enim interrogatio* [h] *suprascriptorum manifesta est, nullas scripturas deificas, vel inventas, vel corruptas, vel incensas fuisse. Hoc actis continetur, quod*

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. S. T. et P. S. *Cæcilianum;* sed legendum ut in ms. S. G. et in editis, *Ælianum.*

[b] Hæc necessaria supplentur ex tribus nostris mss. In mss. S. G. pro *indictum*, habetur, *injunctum.*

[c] In ms. S. G. *Alfidius;* sed in actis, *Alfius.*

[d] Ita in mss. S. T. et P. S. In ms. S. G. *Sed Exsuperius.* Is in epist. Const. vocatur *Superius centurio.*

[e] In editis, *quod vitam Felicis episcopi sordidare potuisset.* Nos restituimus hunc locum, partim ex conjectura, partim auctoritate mss. Omnes enim mss. codices quos vidimus, constanter habent *ordinare*, non *sordidare.* In mss. S. T. et P. S. *quod vitam Felicis episcopi ordinare potuisset.* In ms. S. G. *quod vita Felicis episcopi ordinare non potuisset.* Ex his facile est locum restituere ut est a nobis restitutus : agebatur de ordinatione Cæciliani, hanc irritam aiebant Donatistæ ob crimen traditionis admissum a Felice. Compertum crimen esse falsum, ac proinde nihil esse in ejus vita propter quod ordinare non potuisset Cæcilianum.

[f] In mss. S. T. et P. S. *habentur volumina*, sed sequitur, *in quo*, non, *in quibus;* unde colligitur legendum singulari numero *volumen.*

[g] Ita in ms. S. G. cui concinunt acta purgationis Felicis in ms. Cormaricensi. In mss. S. T. et P. S. *prodiderit.*

[h] Ita in ms. S. G. et in actis, et recte. Minus bene in mss. S. T. et P. S. *interrogantium.*

VARIORUM NOTÆ.

(40) *In urbe.* Mentionem non facit concilii Arelatensis, quia ad purgationem Cæciliani satis erat, quod Miltiadis judicio absolutus esset. ALBASP.

(41) *Ordinator.* Felix Aptungitanus, qui in actis ejus purgationis dicitur episcopus. ALBASP.

(42) *Ad Ælianum proconsulem scripsit.* Scripserat imperator ad Ælium Paulinum vicariam agentem præfecturam, ut habetur in actis, seu potius ad Verum qui tunc vicariam agebat præfecturam in Africa, ut habetur in epistola Constantini apud Augustinum ep. 88; sed cum ille adversa valetudine teneretur, Æliano proconsuli negotium commisit, ut habetur in ep. Constantini. In actis mentio fit epistolæ Ælii Paulini vicariam agentis præfecturam; sed fortasse error hic irrepsit : nam mentio fit in actis Paulini vicariam præfecturam agentis, cum persecutio grassabatur, ut constat ex ipsis actis, in quibus habetur : *nam Paulino hic administrante vices præfectorum.* DU PIN.

(43) *Autumnis.* Alibi, *in municipio Autumnitanorum :* item, *Autumnitanus episcopus Felix.* ALBASP.

(44) *Sedit is cui erat indictum.* Anno 314. Volusiano et Aniano Coss. XV. Kalend. Martias, ut habet Aug. in lib. post collat., c. 33. In actis Cæcilianus dicitur auditus XIII Kalend. Septembris, sex mensibus a Kalendis Martii; sed error fortasse irrepsit, vel judicium aliquandiu protractum esse dicendum est. DU PIN.

(45) *Claudius Saturianus.* In epist. Constant. dicitur *Saturninus*, qui curator fuerat civitatis Aptungensis tempore persecutionis. DU PIN.

(46) *Et magistratus, Alfius, Cæcilianus.* Duoviratum gesserat : ex gestis, *Ælianus proconsul dixit : Cum duoviratum egeris in patria tua, oportet fidem verbis tuis habere.* Hic ipse epistolam illam quæ Felici tribuebatur, scripserat. ALBASP.

(47) *Stationarius.* Unus e cohorte officialium præsidis. DU PIN.

(48) *Ingentius.* Qui erat decurio Triquensium, et qui fuerat scriba publicus sub duoviratu Alfii Cæciliani. ALBASP.

(49) *Ingentius scriba publicus.* Qui decurio erat Ziquensium, et fuerat scriba publicus sub duoviratu Alfii Cæciliani. DU PIN.

(50) *Pependit sub metu.* Quæstionem illi et tormenta minatus est proconsul in gestis. *Ælianus proconsul dixit, ad officium apta illum :* item, *proconsul dixit, suspendatur.* ALBASP.

(51) *Vitam Felicis episcopi sordidare.* Sordidare ἀντὶ sordidum facere : ut sæpe Apollinaris Sidonius. Limpidare est apud Cœlium Aurelianum et Plinium Valerianum, quod isti contrarium. BARTH.

(52) *Solonis officialis publici.* Dicitur servus publicus in epist. Const. DU PIN.

(53) *Felicem autem religiosum.* Hæc sententia in iisdem gestis reperitur. ALBASP.

(54) *Probare poterit. Potuerit.* INCERT.

(55) *Quod religiosissimas scripturas prodiderit. Omnium enim*, etc. Francisci Balduini editio secunda, *quod religiosissimas scripturas tradiderit vel exusserit. Omnium*, etc. INCERT.

(56) *Omnium enim interrogantium suprascriptorum manifesta est, nullas scripturas*, etc. Hic quoque variat Franciscus Balduinus, *omnium enim interrogatio supra manifesta est, nullas scripturas.* Barthius corrigit : *omnium enim interrogationum manus testata est.* Est autem, inquit, sententia Proconsularis. Non me hercules infeliciter ille; sed possit etiam legendum videri, *omnium enim interrogatorum S. S. manifestum est.* Aut scripsit forte Optatus : *omnium enim interrogatorum S. S. testimonio manifestum est.* Vocem unam aut alteram excidisse oscitantia librariorum, sæpe in lectione auctorum conquerimur. INCERT.

Ibid. *Omnium enim interrogatio*, etc. Interrogatio hoc loco pro tota actione quæ responsa scilicet includit, accipienda est. Non enim proprie et stricte interrogatio judicis, sive cognitoris, sed responsa testium, aut reorum, rem faciunt manifestam. Unde et hic paulo ante hæc proconsulis sententia interroga-

Digitized by Google

Felix episcopus religiosus, illis temporibus, neque præsens fuerit, neque (57) *conscientiam accommodaverit, neque aliquid tali fieri jusserit.* Unde pulsa [a] atque extersa infamia, cum ingenti laude de illo judicio recessit. Jamdudum opinionis incertæ, et inter caligines, quas livor et invidia exhalaverat, latere veritas videbatur. Sed etiam (58) omnis scriptura **27** memorata, et actorum voluminibus, (59) et epistolis commemoratis aut lectis revelata [b] est.

XXVIII. *Conclusio hujus libri primi.* — Vides, frater Parmeniane, in Catholicos traditorum nomine falso objecto, (60) frustra esse inventum, mutans videlicet personas, et transferens merita: clausisti oculos, ne parentes tuos reos agnosceres: aperuisti eos, ut innocentes et indignos crimini copulares. A Omnia pro tempore, nihil pro veritate: ut et de te dixerit beatissimus Apostolus Paulus: *Quidam autem conversi sunt in vaniloquium, volentes se esse legis doctores, non intelligentes quæ dicunt, neque de quibus affirmant* (I *Tim.* I, 6). Paulo ante docuimus vestros parentes fuisse traditores et schismaticos: et tu ipsorum hæres [c], (61) nec schismaticis, nec traditoribus parcere [d] voluisti. Jam igitur documentis supra memoratis, omnia tela, quæ falso in alienos jactare voluisti, veritatis clypeo repulsa, in tuos parentes reciproco ictu vertuntur. Omnia igitur, quæ a te in traditores et schismaticos dici potuerunt, vestra sunt: nam nostra non sunt, qui [e] et in radice manemus, et in toto orbe terrarum cum omnibus sumus [f].

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. *repulsa.*
[b] In ms. P. S. *renovata*, non bene.
[c] In ms. S. T. additur *fuisse.*
[d] Ita restituimus ex ms. S. G. et genuina est lectio, quanquam in mss. S. T. et P. S. habeatur ut in editis *parere*; sed contra mentem Optati, ut ex antecedentibus et sequentibus constat. B
[e] Ita in ms. S. G. In aliis *quia.*
[f] Hic habetur pro more in fine mss. *Explicit liber primus.*

VARIORUM NOTÆ.

torum responsa subsecuta dicitur. Huc pertinet quod Tertullianus de Resurr. carn. cap. 48, quod 1, Pet. 3 ἐπερώτημα interpretatus est, responsionem, his verbis: *anima enim non lavatione, sed responsione sancitur*; ut jam olim a docto interprete animadversum est. M. Casaub.

(57) *Conscientiam accommodaverit.* Epistolam illam neque scribi jussit, neque consensum attulit, ut de areis martyrum codices sumerentur. Albasp.

(58) *Sed etiam omnis scriptura memorata*, etc. Quam non semper acquiescendum sit, aut scriptorum codicum, quibus fretus secundam hanc editionem adornavit Balduinus integritati, aut ipsius Balduini judicio, vel hinc conjecturam facies. Cum in principibus Optati editionibus, *revelata est*, antea legeretur, Balduinus primum se fuisse, qui *renovata* ex suo manuscripto exemplari restitueret, ipse sibi gratulatur; adeo de veritate correctionis dubitaturum neminem putabat. Atqui per hanc correctionem, quam manca et imperfecta pendeat antecedens periodus; quam ægre quidquam sani aut dilucidi ex hac ipsa possit erui, facile animadvertet lector intelligens. Contra, si priorem lectionem retineas, et pro *etiam*, restituas, *ea jam; sed ea jam omnis scriptura memorata*, etc. (cujusmodi erratis nihil in omni scriptura proclivius): omnia tunc optime cohærebunt, ut nihil planius aut liquidius esse possit. M. Casaub.

(59) *Epistolis commemoratis aut lectis revelata est.* Fr. Balduinus ex ms., *renovata.* Incert.

(60) *Frustra esse inventum. Inventum* pro *invectum* hic esse vix monendum putarem, nisi pariter in hoc eodem verbo errarent omnes quas vidi editiones. Ut sequentia autem latina sint et congrua, nova periodus inchoanda est ab illo, *mutans*; et quæ sequuntur commode connectenda, ut hic sunt, non ut in aliis editionibus. Quamquam ut *mutans* pro *mutantem* hic ponatur, si id affirmarem, non adeo miraretur, qui solœcismos id genus apud unum Luciferum Calaritanum, qui nostro hoc antiquior (ut alios taceam) non uno loco observaverit. Quo concesso, quam melius a *clausisti* sententia sequens inchoetur, nemo non videt. Victor etiam non multo melius lib. 2: *Strenuum atque doctissimum virum incendio contremavit, æstimans tali exemplo timorem incutiens, reliquos elisurum*, et lib. 3: *Juvenum, senum, puerorum, vel etiam puellarum agmine simul et funere, ubi potuerunt, quomodo poterant, passim diffundebantur, circumeuntes oppida, vicos, vel singulas urbes.* M. Casaub. C

(61). *Nec traditoribus parere voluisti.* Tu es hæres traditorum, unde magis miror quod Catholicis, quos traditores dicis, nolis parere. Albasp.

(Ibid.) *Nec traditoribus parere voluisti.* Cum pauca retro verba et mutatas personas et translata a Parmeniano crimina queratur Optatus ad explendam sententiam, pro duplici *nec*, duplex *nos* puto legendum esse: *nos schismatis, nos traditoribus*, etc. Dixit autem *parere*, pro *partos fingere* vel *pronuntiare*, qualia apud magnum poetam, in illis iterum:

> Quis humum florentibus herbis
> Spargeret? etc.

Spargeret pro *aspersam caneret.* Et in illis iterum:

> Tum Phaetontiadas musco circumdat amaræ
> Corticis, atque solo proceras erigit alnos, etc.

Ubi *circumdat* et *erigit*, pro, *circumdatas et erectas* canit, ut a Servio observatum est. Ita Levit. XIII: *immundabit et mundabit sacerdos:* et Jerem. I, 20: *Ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas ac destruas*, etc. Sed et Hebr. VII, 3, ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος. Syrus interpres: דלא אבהי ולאאמה אתכתיב בשרבתא *cujus neque pater, neque mater scripti sunt in progenie* seu *genealogia*: quasi illud ἀγενεαλόγητος ad præcedentium modo verborum explicationem additum esset. Ita apud Aristotelem ii dicuntur γένναν τὸν οὐρανὸν, qui scribebant cœlum esse genitum sive creatum ut ad Persii, *si quibus aut procnes*, etc. a b. m. parente observatum est. Addi et illud potest, quo verisimilior fiat hæc conjectura, Parmenianum, ut ex superioribus satis liquet, Optati parentes accusandos, non suos excusandos suscepisse; ut cui nimirum genuini partus, ne controversia quidem hactenus mota fuerat, adeoque parentes suos hac defensione non egere putabat, ut quæcumque contra traditores in genere, *nullis certis personis aut nominibus* debaccharetur, ea omnia ad Optati majores aut antecessores pertinere præsumeret, ut testatur hic Noster. Sed vir doctus et acutus, qui me forte pro nostra necessitudine cum hæc Londini excuderentur, Cantuariam inviserat, pro *parere* legendum conjiciebat, *parcere*; ut nulla alia correctione sit opus. Cui ut plane assentiri nondum possim, ita fateor ejus conjecturam mihi adeo placuisse, ut lectori nollem invidere. M. Casaub. D

Digitized by Google

28 LIBER SECUNDUS [a].

In hoc secundo libello declaratur quæ sit una et vera Ecclesia catholica, et ubi et apud quos maneat, et quinque dotes Ecclesiæ in Catholica esse magis, quam in ea parte quam sibi schismatici facere voluerunt, et quod impie novacula pœnitentiæ raserint capita sacerdotum, et quod homicidia fecerint, et illa quæ ad salutem credentium procurata fuerant, aut canibus dederint, aut abjecerint. [b]

1. *Quid sit, et ubi sit Catholica Ecclesia, et quod ubique terrarum diffusa.* — Quoniam et qui fuerint traditores ostensum est, et schismatis origo ita monstrata est, ut pene oculis perspecta videatur; etiam hæresis ab schismate quid distet, ostendimus: illud demonstrare jam proximum est [c] (quod nos promisimus secundo loco esse dicturos) quæ sit una Ecclesia, quam columbam et sponsam Christus appellat. Ergo Ecclesia una est, (1) cujus sanctitas de sacramentis colligitur; non de superbia personarum ponderatur (2): ergo hanc unam columbam et dilectam sponsam suam Christus appellat. Hæc apud omnes hæreticos et schismaticos esse non potest. Restat ut uno loco sit. (3) Eam tu, frater Parmeniane, apud vos solos esse dixisti; nisi forte quia vobis specialem sanctitatem de superbia vindicare contenditis; ut ubi vultis, ibi sit Ecclesia; et non sit ubi non vultis. Ergo ut in particula Africæ, in angulo parvæ regionis, apud vos esse possit: apud nos in alia parte Africæ non erit? In Hispaniis, in Gallia, in Italia, ubi vos non estis, non **29** erit? Si apud vos tantummodo esse vultis, in tribus Pannoniis, in Dacia, Mœsia, Thracia, Achaia, Macedonia, et in tota Græcia, ubi vos non estis, non erit? Ut apud vos esse possit, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Pamphilia, Phrygia, Cilicia, et in tribus Syriis, et in duabus Armeniis, et in tota Ægypto, et in Mesopotamia, ubi vos non estis, non erit? Et per tot innumerabiles insulas, et cæteras provincias, quæ numerari vix possunt, ubi vos non estis, non erit? (4) Ubi ergo erit proprietas catholici nominis, cum inde dicta sit catholica, quod sit (5) rationabilis [d] et ubique diffusa.

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. T. *incipiunt capitula libri secundi.* In ms. S. G. *secundi libri argumentum.*

[b] Post argumentum in mss. scriptum est, *incipit liber secundus.*

[c] In ms. S. G. *jam in proximo est.*

[d] Quidam ex conjectura, *quod non sit nationalis, sed ubique diffusa.*

VARIORUM NOTÆ.

(1) *Cujus sanctitas de sacramentis.* Docebant Donatistæ sacramenta vim suam a sanctitate personarum a quibus conferebantur accipere; quod superbum et arrogans vigebatur Catholicis: eo alludit Optatus, cum ait Ecclesiam sanctam esse; non ex superbia episcoporum, sed per sacramenta, quæ ex sese et ex opere operato, uti aiunt, sanctos efficiunt fideles. ALBASP.

(2) *Cujus sanctitas de sacramentis colligitur, non de superbia personarum ponderatur.* Sancta non est Ecclesia ob personas quæ se innocentes esse jactitant, quales erant Donatistæ; sed propter sacramentorum sanctitatem. Hinc subdit Donatistas asserere idcirco Ecclesiam apud se solos esse, quia *specialem sibi sanctitatem de superbia vindicabant.* Dicebant cæteros omnes crimine traditionis infectos, corruptos et impuros, quia cum traditoribus communionem habebant. DU PIN.

(3) *Eam tu, frater Parmeniane, apud vos solos esse,* etc. Lego cum interrogatione *dixisti?* id est, sustinuisti dicere? eo dementiæ devenisti ut diceres? nisi forte illud sit, etc. Quæ sequuntur etiam ab illis, *ergo ut,* continuata per aliquot periodos interrogatione suaviora multo sunt et *ἐμφατικώτερα.* Vehementiorem enim faciunt orationem, quam vehementem hic esse ratio postulat. Leges igitur: *ergo ut in particula Africæ, in angulo parvæ regionis apud vos esse possit, apud nos in alia parte Africæ non erit? in Hispaniis, in Gallia, in Italia, ubi vos non estis, non erit?* etc. Si quis malit per sarcasmum sine interrogatione, non repugno, etsi illud magis probo. M. CASAUB.

(4) *Ubi ergo proprietas Catholici nominis.* Quomodo Ecclesia erit catholica si eam ab omnibus illis provinciis expellas, et intra fines tam exiguos concludas? ALBASP.

(5) *Cum inde dicta sit Catholica quod sit rationabilis,* etc. Nihil magis contra mentem Optati, ut de re ipsa nihil dicam, dici poterat, quam quod a Balduino hic affertur, Ecclesiam ideo dici ab Optato *rationabilem,* quod non tam oculis cernatur quam ratione, hoc est, mente et intellectu comprehendatur. Ubicumque tandem habeat, certe locum hic habere non potest hæc interpretatio: ut illud taceam, quod aliud est *rationabilis,* et *rationalis* aliud, quæ hac interpretatione temere confunduntur. Præterea quis non videt argumentum hic ab Optato, ab ipsa vi vocis et etymologia nominis Catholici duci? At per omnes grammaticos et linguarum peritos quisquam umquam fuit, qui Catholicam inde dici putaret, *quod rationabilis esset et ubique diffusa? Rationabilis* illud quod attinet, non ignoro in veteri glossario καθολικοὺς verti *rationales,* et optime verti, quod tamen nihil huc omnino facere fatebuntur, quiqui *rationales* aut *Catholici* dicantur in jure, et apud veteres aliquot, usumque appellationis utriusque apud antiquos non ignorant. Utrum tamen Optato hæc errandi causa fuerit, haud facile dixerim. Illum certe ita plane credidisse: *Catholicam,* dici, quasi *rationabilem,* et *ubique diffusam,* confidenter assero. Tanta erat et tam catholica linguæ Græcæ imperitia, ut passim etiam qui alioqui doctissimi, in similes errores inciderent. Possemus nos certissimis hoc argumentis demonstrare, si quemquam esse putaremus, qui quidem in antiquorum lectione versatus sit, qui de eo dubitaret. Ne longe igitur argumenta quæramus, quis non æque miretur istam Catholici nominis derivationem, *omnium obediens,* sive *ubique unum?* quod tamen a Paciano disertis verbis affirmari, qui mihi non credit, ipsum audiat ad Sempronianum epist. 1: *Etsi reddenda postremo Catholici vocabuli ratio est, et exprimenda de Græco, interpretatione Romana Catholicus,* ubi unum, *vel ut doctiores putant,* obedientia omnium, *nuncupatur, mandatorum scilicet Dei. Unde Apost.:* Si in omnibus obedientes

Digitized by Google

fusa (6)? Nam si sic pro voluntate vestra in angustum coarctatis Ecclesiam : si universas subducitis gentes, ubi erit illud, quod Filius Dei meruit? ubi erit quod libenter ei largitus est Pater, in secundo psalmo dicens : *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Ps.* II, 8)? Ut quid tale infringitis promissum, ut a vobis mittatur quasi in quemdam carcerem latitudo regnorum? (7) quid tantæ pietati obstare contenditis? quid contra Salvatoris merita militatis? permittite Filium possidere concessa : permittite Patri promissa complere. Cur ponitis metas? cur figitis limites [a]? Cum a Deo Patre Salvatori tota terra promissa sit, non est quidquam in aliqua parte terrarum, quod a possessione ejus videatur exceptum. Tota est donata terra cum gentibus; totus orbis [b] Christo una possessio est. Hoc probat Deus, qui ait : *Dabo tibi gentes hæreditatem* [c] *tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Et in LXXI psalmo, de ipso Salvatore sic scriptum est : *Dominabitur a mari usque ad mare, et a fluminibus* **30** *usque ad terminos orbis terræ* (*Ps.* LXXI, 8). Pater dum donat, nihil excipit : vos ut concedatis unciam, totam libram auferre conanimi. Et adhuc nitimini suadere hominibus, apud vos solos esse Ecclesiam; auferentes meritum Christo, negantes præstitutum a Deo [d]. O vestra ingrata et stulta præsumptio! Christus vos cum cæteris [e] in societatem regni cœlestis invitat, et cohæredes sitis hortatur : et vos eum in [f] hæreditate sibi a Patre concessa fraudare laboratis [g], dum Africæ partem conceditis, et totum terrarum orbem, qui ei a Patre donatus est, denegatis. (8) Quid mendacem videri [h] vultis Spiritum sanctum, qui in XLIX psalmo, omnipotentis Dei benevolentiam narrat, dum dicit : *Deus Deorum Dominus locutus est, et vocavit terram, ab ortu solis usque ad occasum.* (9) Vocata est ergo terra ut caro fieret, et sicut legi-

A

B

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. *terminos.*
[b] Ita in mss. S. T. et S. G. In editis *totius orbis.*
[c] In ms. S. G *in hæreditatem.*
[d] In mss. S. T. et P. S. *Deo.*
[e] In ms. S. T. *terris.*
[f] In ms. S. G. *de.*
[g] In ms. S. G. *laboratis excludere.*
[h] Ita in omnibus mss., male in editis *videre.*

VARIORUM NOTÆ.

estis, etc.; mox, *sed et si catholicus*, ubique unum est, *ut superiores putant*, etc. Et tamen Pacianus is est qui neque antiquitate (aliquot etiam annis prior), neque doctrina cedit Optato. Age, in coll. Carthag. cum omnes fere convenissent episcopi Africani, et ex omnibus delecti essent doctissimi, qui cæterorum omnium nomine causam susciperent; quid illi tandem de nomine *Catholico* definiunt? *Catholicum* esse a Catholon : Catholon autem dici quod *secundum totum sit.* Propius ad verba fateor, si per se singula spectentur; verum enim est, τὸ καθόλου a quo καθολικὸς, esse a κατὰ et ὅλον; ad vim autem et veram significationem quam conjuncta habent, haud multo propius, quam quod ab Optato affertur. Idem tamen, etiam Augustinus ingerit, ac tuetur contra litteras Petiliani lib. II, cap. 38. Neque dubium illud *rationale* ex vestigiis quibusdam, τοῦ κατὰ et λόγος, quæ in voce, καθολικὸς promanasse, an etiam in ultima syllaba aliquid a χέω, repetendum somniaverint, unde illud *diffusa* viderint ipsi. Mihi fit magis verisimile duas diversas etymologias, aut diversorum potius somnia et hallucinationes, ne dicam deliria, hic Optatum conjungere et confundere. Non mirum autem si Optato hæc somnia placuerint, et se facile probaverint. Cum enim Ecclesiæ catholicæ contraria sint hæresis et schisma, quorum illam error, hoc autem separatio proprie facit, ut Hieronymus et Augustinus pridem distinxere (quo et illa pertinent supra) *Catholicam facit simplex, et verus intellectus intelligere*, etc., *hæretici vero veritatis exules, impiis sensibus depravati*, etc.; duplici hac *Catholici* nominis proprietate, ab hæresi et a schismate pariter asseritur. Ab hæresis errore, quod sit *rationabilis*, id est, *rationi et veritati consonans*, quo sensu *rationabile* passim apud Ecclesiasticos reperies. A schismatis autem *separatione*, et superba illa Ecclesiæ ad unum aliquem angulum (quod modo Donatistis objiciebat Optatus) restrictione, quod *ubique sit diffusa.* Atque hæc nos eo pluribus, ne quis postea novis conjecturis sit locus. Video enim viros doctos hunc Optati locum varie, qua correctionibus, qua interpretationibus sollicitasse. Sane et nobis aliquando *nationalis* probatur; sed merito id respuimus. Si quidquam mutandum, id multo prius esset, ut pro *rationabilis et ubique* scriberemus *rationabiliter ubique;* quo verbo non Optatus modo postremo libro, sed et Cyprianus, aut qui scripsit *de singularitate Clericorum*, inter opera Cypriani, Augustinus, Salvianus, Victor Uticensis, aliique sunt usi. Sed omnino nihil mutandum. M. CASAUB.

C

Ibid. *Rationabilis.* Quæ eamdem fidei regulam ubique teneat et profiteatur : hæc hujusce verbi *rationabilis* videtur esse significatio. ALBASP.

(6) *Rationabilis et ubique diffusa.* Ludit hic Optatus in duabus etymologiis vocis hujus *catholica;* quarum una est a ἀπὸ τοῦ κατὰ λόγον, ab eo quod est *secundum rationem;* altera, ἀπὸ τοῦ κατὰ et ὅλον, *secundum totum.* A prima forte radice καθολικοὶ, et *rationales* dicti sunt procuratores fisci. Similis est omnino lusus circa nomen catholici in epistola Dionysii Alexandrini ab Eusebio relata, lib. VII hist. c. 10, in qua loquens de Macriano quodam hoste Christianorum, sic eum ridet : ὃς πρότερον μὲν ἐπὶ τῶν καθόλου λόγων λεγόμενος εἶναι Βασιλέως, οὐδὲν εὔλογον, οὐδὲ καθολικὸν ἐφρόνησεν : quæ sic reddidit Valesius : *qui initio quidem cum* καθολικὸς, *id est rationalis imperatoris diceretur, nihil rationi consonum, nihil catholicum sensit aut publicum.* DU PIN.

(7) *Quid tantæ pietati obstare contenditis.* Ne quem in Deo Opt. Max. *pietatis* offendat vocabulum, secundum, pro *clementia* id multis auctoribus usurpatum. Claudianus :

> Sis pius imprimis; nam cum vincamur in omni
> Munere, sola Deos æquat clementia nobis.

Dracontius :

D

> Magna Dei pietas, semper qui temperat iram.

BARTH.

Hinc nata Gallica vox *pitié*, quæ misericordiam tantum significat.

(8) *Quid mendacem videre vultis Spiritum sanctum.* Legendum quis conjectet *videri;* sed hoc ex nefandissimo Donatistarum voto non mutandum. Pari phrasi Martialis :

> Pendentem volo Zoilum videre. BARTH.

(9) *Vocata est ergo. Vocare* hic accipe, ut Matth. IX, 13. *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Nam et *terra* et *caro*, sunt hic metaphoricæ. Etiam *creationis* verbum mox usurpatum, ad spiritualem regenerationem pertinet. Nam ut de prima illa hominis e limo terræ creatione, hic agat, quod verba prima facie videntur innuere, præcedentibus verbis accommodari

Digitized by Google

tur, facta est, et debet laudes creatori suo. Denique commemoratur, Spiritu sancto hortante, et dicente in CXII psalmo, dum dicit : *laudandum nomen Domini ab ortu solis usque ad occasum :* et iterum in XCV psalmo : *cantate Domino canticum novum.* Si hunc versum solum diceret, possetis [a] dicere, quia vos solos hortatus est Spiritus sanctus. Sed ut ostenderet, quia non ad vos solos dictum est, sed ad Ecclesiam quæ ubique est, secutus est, dicens : *cantate Domino* [b], *omnis terra : pronuntiate in gentibus* [c] *gloriam ipsius, in omnibus populis mirabilia ejus. Pronuntiate*, inquit, *in gentibus* [d] : non dixit in particula Africæ, ubi vos estis : *pronuntiate*, inquit, *in omnibus populis :* qui omnes populos dixit, neminem excepit : et vos solos ab omnibus populis, de quibus hoc mandatum est, separatos esse gratulamini : et vultis vos solos esse totum, qui in omni toto non estis [e]. *Laudandum*, inquit, *nomen Domini, et a tota terra, et ab ortu solis usque ad occasum.* (10) Numquid Pagani extra legales [f] (11) possunt aut cantare Deo, aut laudare nomen Domini, et non sola (12) Ecclesia, quæ in lege est ? quam si apud vos tantummodo esse dicitis, fraudatis aures Dei. Si vos soli laudatis, totus tacebit orbis, qui est ab ortu solis usque ad occasum. Clausistis ora omnium Christianarum gentium : indixistis silentium populis universis, Deum per momenta laudare cupientibus. Igitur si et Deus debitas sibi laudes exspectat, et ut sonent, Spiritus sanctus hortatur, et totus orbis quod debet Deo, paratus est reddere, ne fraudetur Deus : etiam vos ipsi laudate cum omnibus ; aut quia noluistis esse cum omnibus, soli conticescite.

II. *Cathedram, primam Ecclesiæ dotem, Catholicorum esse, non Donatistarum, probat ex Cathedra Petri.* — Ergo probavimus eam esse Ecclesiam catholicam, quæ est [g] in toto terrarum orbe diffusa ; ejus jam commemoranda sunt ornamenta : et videndum ubi sint **31** (13) quinque dotes, quas tu sex esse dixisti (14) : inter quas (15) cathedra est prima, ubi nisi sederit episcopus, (16) conjungi altera dos non potest [h] (17) qui est angelus [i] : videndum est

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. *potuissetis.*
[b] In ms. S. G. *Deo.*
[c] In ms. S. G. *inter gentes.*
[d] In ms. S. G. *inter gentes.*
[e] In ms. S. G. *qui omnino in toto non estis :* melius, *qui in omni toto non estis :* qui non estis pars totius, non estis pars universæ Ecclesiæ.
[f] In ms. S. G. *extra leges.*
[g] In ms. S. G. et in editis *sit.*
[h] Ita in omnibus mss.
[i] Ita in ms. S. G. In mss. S. Th. et Ph. S. *angelus :* quamquam in priori littera *g* sit abrasa, legendum *angelus*, nam de eo postea ut de secunda Ecclesiæ dote agitur post cathedram : *igitur de dotibus supradictis cathedra est* (ut diximus) *prima..... quæ ducit ad se angelum.*

VARIORUM NOTÆ.

nullo modo potest. Ait igitur vocatos esse gentiles, etc. Sicut legitur, id est, quemadmodum prædictum fuerat ; vel ut ex historia propagati per gentes Evangelii, quam sacri N.T. scriptores contexuerunt, latius patet. M. CASAUB.

(10) *Pagani extra legales.* Nobis *ex leges.* INCERT. Ibid. *Extralegales.* Extra legem Christi. ALBASP.

(11) *Pagani extra legales.* Qui legis divinæ participes facti non sunt. DU PIN.

(12) *Ecclesia quæ in lege est. Lege*, id est, *fœdere*, et extra legales, qui fœdere exclusi sunt. Unde et in collat. Carthagin. 371, 373, *legalia* vocantur *documenta*, sive testimonia, quæ tamen e N. T. proferuntur. Apud Cyprianum quoque *Evangelii legem* est alicubi. Hujus locutionis ignoratio doctissimum Balduinum in magnum errorem induxit. Nam quod Optatus lib. I : *Hæc enim nostra vox est, qui in Trinitate baptismatis unionem defendimus : non pro vobis, qui baptisma in cujus imagine sunt illa duo audaciter, et quod contra leges est, iteratis ;* id Balduinus de legibus imperatorum accipiens, multum se torquet, ut inveniat, quas imperatorum leges Optatus intelligere potuerit. Atqui vel sequentes lineæ, *quamvis et vos ipsi non negetis, quia non debet iterari, quod semel jussum est fieri*, πολυθρύλητα, et decantatissima illa : *qui semel lotus est, non habet necessitatem iterum lavandi*, quibus se potissimum illorum temporum martyres armare consueverant contra vim et importunitatem hæreticorum rebaptizare volentium, quæque ab ipso Optato lib. V, multis tractantur, revocare ipsi in memoriam debuerunt, sed ut ad illa Optatum respexisse, ac isto *semel* allusisse intelligerent. *Quod contra leges est*, igitur, id est, quod contra Scripturas et evangelica præcepta. *Semel* illud ita explicat et lib. V, *de hoc lavacro dixit :* qui semel lotus est, non habet iterum necessitatem lavandi. *Qui* semel *dixit, prohibuit iterum fieri.* Sed et proprie ac peculiariter, *leges baptismatis* ab Optato nuncupatas, eodem lib. V reperias, quæ et *præcepta* ab illo repetuntur. Vide, lector, quantum sit in verbis vel minimis recte expensis et intellectis, tantum certe sani cujusque judicio, ut qui hæc negligunt et fastidiunt, ut hodie multi qui soli sibi sapere videntur, vel optimos quosque veteres scriptores fastidiant necesse sit ; vel si legant, tantum ex illorum lectione proficiant, quantum si nunquam vidissent. M. CASAUB.

(13) *Quinque dotes.* Cathedra, missio, annulus, sacerdotium, et similia. ALBASP.

(14) *Quinque dotes (Ecclesiæ) quas tu sex esse dixisti.* Quinque illæ dotes a Parmeniano memoratæ, quas agnoscit Optatus, sunt cathedra, angelus, Spiritus, fons, sigillum. Sexta quam repudiat, est umbilicus : id videre est in sequentibus. DU PIN.

(15) *Cathedra est prima.* Potestas clavium, et missio est prima. ALBASP.

(16) *Conjungi altera dos non poterit, qui est annulus.* Merito suspicari hoc loci possumus *annuli* vocem in mendo decumbere : ita ut reponendum sit *angelus ;* nam ante cum de secunda dote loquitur Optatus, ita scriptum exstat, et quidem allusione facta ad septem angelos, de quibus D. Joannes Theologus Apocalyps. cap. I. Ex quibus suspicari aliquis possit *angelus* legendum esse. Nos tamen nil temere mutari volumus. BARTH.

(17) *Qui est annulus.* Per annulum, ni fallor, intelligit potestatem dandi Spiritum sanctum, vel ipsummet Spiritum sanctum. Tertullianus de Pudicitia : *recuperabit igitur et apostata vestem priorem, indumentum Spiritus sancti et annulum denuo signaculum lavacri, et rursus illi mactabitur Christus.* Item : *annulum quoque accepit tum primum, quo fidei pactionem interrogatus obsignat, atque ita exinde opimitate dominici corporis vescitur, Eucharistia scilicet.* Annulus igitur inter utrumque baptismi et Eucharistiæ sacramentum concedebatur : unde patet de confirmatione

Digitized by Google

(18) quis et ubi prior cathedram [a] sederit. Si ignoras, disce : si nosti, erubesce : ignorantia tibi adscribi non potest : restat ergo ut noveris. Scientem errare peccatum est ; nam ignorantibus nonnumquam solet ignosci. Igitur negare non potes scire te (19) in urbe Roma [b] (20) Petro primo (21) Cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit (22) omnium Apostolorum caput Petrus; unde et Cephas appellatus est (23) : (24) in qua [c] una cathedra (25) unitas ab omnibus servaretur (26), ne cæteri Apostoli (27) singulas sibi quisque defenderent (28), (29) ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra (30) singularem cathedram alteram collocaret.

III. *Successio Romanorum episcoporum.* — (31) Ergo cathedram unicam, quæ est prima de dotibus, (32) sedit prior Petrus : (33) cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evarisius [d], Evaristo (*Alexandro*, *Alexandro*) Sixtus [e], Sixto Telesphorus [f], Telesphoro Iginus, Igino 32 Anicetus [g], Aniceto Pius, Pio Soter, Soteri [h] (*Eleutherius* [i], *Eleutherio*) Victor, Victori Zephirinus [j], Zephirino Calixtus, Calixto Urbanus, Urbano Pontianus, Pontiano Anterus, Antero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephanus, Stephano Sixtus, Sixto Dionysius, Dionysio Felix, Felici (*Eutychianus*, *Eutychiano Caius*, *Caio* [k]) Marcellinus, Marcellino (*Marcellus*, *Marcello* [l]) Eusebius, Eusebio Miltiades, Miltiadi Sylvester, Sylvestro

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. S. T. et P. S. *cathedra* ; sed legendum potius *cathedram*, phrasi usitata Optato, sic in primo libro, *cujus tu cathedram sedes : quis cathedram sederit alteram*, etc.

[b] In ms. S. G. *Romana.*

[c] In ms. S. T. *in quo*, vitio scriptoris.

[d] In ms. S. T. *Eucharistus.*

[e] *Alexander* omittitur in mss. hoc in loco, et postea inseritur in locum *Eleutherii*, sed perperam ; quare seriem pontificum restituimus, sed alio charactere eos adjicientes qui in mss. omissi sunt.

[f] In ms. S. T. *Telesporus.* In ms. S. G. *Telesforus.*

[g] In ms. S. T. male *Anicletus.*

[h] In ms. S. T. *Sotero.*

[i] In mss. hic inseritur *Alexander* omisso *Eleutherio*, sed perperam.

[j] In ms. S. T. *Zepherinus.*

[k] Desunt in mss. *Eutychianus et Caius.*

[l] Deest *Marcellus* in mss. et utrum ille diversus sit a *Marcellino*, non modica est quæstio.

VARIORUM NOTÆ.

posse explicari, qua ante Eucharistiam Neophyti perficiebantur. Porro, non bene suspicantur quidam pro *annulo* legendum esse *angelum*, nam annulus est dos, non angelus. ALBASP.

(18) *Quis et ubi prior cathedra.* Videndum est cui primo potestas, missio, et sacerdotium concessum mandatumque sit. ALBASP.

(19) *In urbe Roma.* Romæ igitur sedit qui primus cathedram obtinuit. ALBASP.

(20) *Petro primo.* Docet Christum D. Petro primam cathedram et primam missionem concessisse : hoc est, eum Ecclesiæ et omnibus sacerdotiis præfecisse. ALBASP.

(21) *Cathedram episcopalem.* Primam missionem : omnem potestatem a qua cæteræ deducerentur. ALBASP.

(22) *Omnium Apostolorum caput.* Est caput Apostolorum, ex Optato, quia primam habuit cathedram suam ex qua cæteri potestatem et cathedram acceperunt. ALBASP.

Ibid. *Apostolorum caput Petrus : unde et Cephas appellatus est.* Suspicatur Fr. Balduinus hæc verba, *unde et Cephas appellatus est*, esse ineptæ alicujus glossæ ad marginem temere adscriptæ, et deinde abs librariis contextui insertæ. Certe Optatus lib. VII simpliciter ait Petrum fuisse caput Apostolorum ; neque præterea quidquam adjicit. INCERT.

(23) *Unde et Cephas appellatus est. Cephas* Syriace est *Petra*. Dixit ergo Christus : *tu es Cepha, et super hanc Cepha*, quod Græce reddidit Matthæus ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ Πέτρᾳ : *tu es Petrus et super hanc Petram.* Sed videtur Optatus id sibi velle Petrum esse dictum *Cepham* a κεφαλῇ, quod *caput* significat, quæ allusio parum solida est. DU PIN.

(24) *In qua una cathedra.* Habet pontifex Christi cathedram ; et ea cathedra una, non multiplex ; quapropter ut quis eam habeat, oportet ut eam a pontifice, cui prima ea est tradita, accipiat ; hæc est Optati doctrina. ALBASP.

(25) *Unitas ab omnibus.* Hoc est, ut omnes adhærerent summo pontifici ; servare enim unitatem in prima illa cathedra est ab illa cathedra originem ducere et sacerdotium accipere. Nota loquendi formulam, servare unitatem in cathedra summi pontificis, quibus satis liquet Optatum credidisse et docuisse, primam cathedram, potestatem, missionem, quæ verba apud eum sunt synonyma, Romanam esse, eamque summum pontificem occupare ; ab ea cæteras vim suam et potestatem accipere debere, in ea et cum ea omnibus adhærendum esse, et qui cum ea non communicarent schismaticos esse : nam Optatus ex his et ex consequentibus missionis et potestatis suæ rationem reddit, eamque non alio argumento probat, nisi quod cum summo pontifice conjunctus esset. ALBASP.

(26) *In qua una cathedra, unitas ab omnibus servaretur.* Cui adhærentes in una communione perstarent. DU PIN.

(27) *Singulas.* Ergo cæterorum Apostolorum cathedræ non erant primæ, neque singulæ, sed erant cathedræ a cathedra illa una quam Romæ Christus constituerat propagatæ et genitæ. ALBASP.

(28) *Ne cæteri apostoli singulas sibi quisque defenderent.* Divisas scilicet et separatas. Nam sicut unum est per plures sacerdotium, ita singulæ cathedræ ob unitatem sacerdotii et communionem inter se dici possunt una cathedra, sicut plures Ecclesiæ sunt una Ecclesia. DU PIN.

(29) *Ut jam schismaticus.* Ut esset schismaticus qui suam cathedram ab illa una et prima non accepisset, atque peccator qui sine pontificis missione cathedram sibi arrogaret. ALBASP.

(30) *Singularem cathedram.* Nota singularitatem cathedræ ; quam male antiquis illis conveniret cum hæreticis nostris, qui singularitatem non agnoscunt. ALBASP.

(31) *Ergo cathedra unica.* Ex eo quod cæteri Apostoli non haberent singulares cathedras, concludit unicam esse cathedram, et eam Romæ esse. ALBASP.

(32) *Sedit prior Petrus.* Primus ex pontificibus sedit. ALBASP.

(33) *Cui successit Linus.* Probavit primo unitatem ac singularitatem cathedræ Christi. Secundo, eam Romæ institutam fuisse. Tertio, D. Petrum primo eam occupasse. Quarto, Apostolorum cathedras ab ea manasse. Quinto, illam cathedram quæ Petro tradita esset ad Siricium et Damasum usque, per seriem pontificum maximorum pervenisse. ALBASP.

Digitized by Google

Marcus, Marco Julius, Julio Liberius, (34) Liberio Damasus, (35) Damaso Siricius, hodie (36) qui noster est socius (37) : cum quo nobiscum [a] 38 totus orbis (39) commercio formatarum, in una communionis societate concordat. (40) Vestræ cathedræ vos

A originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.

IV. *Pseudo-episcopi et conventicula Donatistarum in urbe Roma.* — (41) Sed et habere vos in urbe Roma partem aliquam dicitis; (42) ramus [b] est vestri

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ita in ms. S. G. in aliis et in editis, *nobis*.

[b] In ms. S. G. *ramulus*, non ineleganter.

VARIORUM NOTÆ.

(34) *Liberio Felix, Felici Damasus.* Scias, lector, absentem me fuisse, cum hæc excuderentur, atque non solum imprudente et invito me, sed et contra fidem exemplaris typographo a me traditi et omnium Optati editionum, *Felicis* nomen ab aliquo huc intrusum esse. Nam ut illud aliis disputandum relinquam, an hic *Felix* legitimus unquam Papa fuerit; cum Optatus non tam Romanorum Paparum nomina quam successiones hic instituat, quam ridiculum Liberio successorem dare Felicem, qui non modo Felici supervixit, sed et pontificia sede, illo mortuo, diu potitus est! Quare et Augustinus epist. CLXV, ubi simili occasione Romanos pontifices commemorat, etsi non in omnibus cum Optato conveniat, hujus tamen Felicis nec ipse meminit. Ne tale quid in sequentibus admitteretur, a viro doctissimo qui hanc provinciam prorsus in me amore rogatus haud illubenter suscepit, diligenter cautum est. Quod ideo moneo, ne et alia quoque immerito suspecta habeas. M. Casaub.

(35) *Damaso* (Romano episcopo) *Successit Siricius, hodie qui noster est socius; cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat.* Hic locus satis affectus est difficulter; legendum suspicamur, *cum quo nobis totius orbis commercio formatæ, uti in una communionis societate concordat.* Videat lector an quid extundi sententiæ verbisque Afri nostri aptius omnino possit. Barth.

Ibid. *Damaso Siricius hodie.* Fr. Balduinus scribit sibi hæc videri non Optati esse, sed alicujus paulo post eum scriptoris. Nam constat Optatum scripsisse hos libros circa annum 370, Siriciun vero illum non fuisse creatum episcopum ante annum 383, etc. Vide ejus doctissimas adnotationes b. ubi de formatis quædam documenta invenies. Albasp.

(36) *Qui noster est socius.* Hoc nomen non est nomen dignitatis, sed societatis : quemadmodum enim reges et principes qui cum mercatoribus ineunt societatem, ac mercaturas faciunt, ratione illius societatis dicuntur socii mercatorum; ita ratione societatis et communionis Ecclesiasticæ quam episcopi habent cum summo pontifice, dicuntur ejus socii, quamvis dignitate et potestate longe sint inferiores. Albasp.

(37) *Qui noster est socius.* Cum quo communionem habemus ac per eum cum omnibus aliis episcopis, qui per epistolas, ut appellant, formatas cum ipso communicant. Ita est una Ecclesia, una cathedra, unum sacerdotium, etc., quia ecclesiæ, cathedræ, sacerdotes singulorum locorum unam constituunt Ecclesiam universalem, unam cathedram communem, unum sacerdotium, cujus pars in solidum a singulis tenetur. Du Pin.

(38) *Totus orbis.* Totius Ecclesiæ una debet esse communio : et quemadmodum Ecclesia quæ per totum orbem est diffusa, unum constituit corpus; ita omnes illius corporis partes inter se semper communicare debent : hoc autem olim per episcoporum communionem cum summo pontifice fiebat; nam omnes fideles cum suis pastoribus in missæ sacrificio communicabant; pastores autem cum suis episcopis, aut ratione missionis, aut per Eulogias quæ ad eos mittebantur, aut per archidiaconos, aut denique in synodis communionem celebrabant. Episcopi denique per litteras communicatorias cum

B

C

D

summo pontifice habebant communionem. Et ita omnes fideles eadem communione fruebantur; hoc docet Optatus hoc loco. Albasp.

(39) *Commercio formatarum.* Absentes per formatas communicabant : de quibus litteris scripsit Bernardinus Ferrarius. Igitur ut staret communio, atque ut omnes corporis Christi partes inter se communicarent, omnes episcopi singulis annis, aut etiam sæpius litteras communicatorias ad pontificem mittebant, ut plebis sibi creditæ cum Christo communionem foverent : D. Augustinus contra Cresconium libro III, capite 34 : *Quod hinc maxime credibile est, quod ad Carthaginis episcopum Romano prætermisso numquam Orientalis Catholica scriberet, ubi saltem vester scribi debuit quem soletis Romam paucis vestris mittere ex Africa.* Illud litterarum commercium poterat frequentari inter cæteros episcopos; nam Carthaginensis episcopus poterat formatam dirigere et scribere ad Cæsaream episcopum; sed prætermisso episcopo Romano non poterat, hoc est, ab episcopo Romano debuerat discere antequam scriberet, quis esset legitimus Cæsareæ episcopus, et tum demum ad eum scribere : deinde non erat necesse ut episcopi mutuas sibi litteras scriberent ut communio inter eos celebraretur, nam cum omnes cum summo pontifice communicarent, per illam communionem omnes etiam inter se communicabant. Albasp.

Ibid. *Commercio formatarum.* De formatis post tot viros doctos, qui hoc argumentum fuse tractarunt, non est quod nos hic quidquam. Res nota est : neque nobis alios transcribere hic animus. M. Casaub.

(40) *Vestræ cathedræ.* Suæ rationem et originem edidisse videtur Optatus, quando Parmenianum ad id faciendum invitet et compellat : hoc autem fecit Optatus docendo se cum summo pontifice communionem habere et participare cum prima illa cathedra quæ una est. Itaque ex summi pontificis communione duo possunt deduci : episcopum schismaticum non esse, unaque et legitima eum uti potestate et missione. Albasp.

(41) *Sed et habere vos in urbe Roma.* Quod scirent Donatistæ sine pontificis Romani communione Ecclesiam se habere, et in ea esse non posse, atque ab ejus communione ut hæretici separati essent; ideo episcopum ex suis Romam mittebant, ut possent dicere se Romæ habere episcopum, et cum episcopo Romano se communionem habere. Hoc patet ex hoc loco et ex collatione Carthaginis in qua volebant pseudo-episcopum suum Romanum interesse, quæ res vehementer deberet hæreticos nostros commovere, qui pontificis auctoritatem minuere conantur : cæterum nota verbum illud *partem habere*, hoc est, communionem habere : cum enim in missione ordinamus, dicimus *partem cum iis habituros*, pollicemur eos habituros communionem cum iis omnibus qui bene ministraverunt ab initio. Albasp.

(42) *Ramus est vestri erroris.* Hoc est, ille pseudo-episcopus quem Romæ constituistis, est ramus productus ex trunco erroris vestri et schismatis, quod est in Africa; non est radix, sed ramus. Atqui episcopi Romani non sunt missi ab aliquo non; sunt rami, sed sunt radix : cæteri ab eis manant et originem ducunt, illi a nullo oriuntur. Albasp.

Digitized by Google

erroris, protentus de mendacio, non de radice veritatis. Denique si (43) Macrobio dicatur, (44) ubi illic sedeat, numquid potest dicere, in (45) cathedra Petri? quam nescio (46) si vel oculis **33** novit, et (47) ad cujus memoriam non accedit quasi schismaticus, (48) contra Apostolum faciens, qui ait: (49) *memoriis sanctorum communicantes* (50) (*Rom.* XII, 13). Ecce (51) præsentes sunt ibi duorum memoriæ Apostolorum. (52). Dicite si ad has (53) ingredi potuit; (54) aut obtulit illic [a], ubi sanctorum memorias esse constat. Ergo restat, ut fateatur socius vester Macrobius, se ibi sedere, ubi aliquando sedit Encolpius [b]: si et

LECTIONES VARIANTES.

[a] In editis, *ita ut obtulerit illic.*

[b] In ms. S. G. *Enclopius.*

VARIORUM NOTÆ.

(43) *Macrobius.* Ille qui tunc pro Donatistis Romæ agebat. ALBASP.

(44) *Ubi illic sedeat.* Quam auctoritatem habeat, et a quo accepit. ALBASP.

(45) *In cathedra Petri.* Cum Siricius in Petri cathedra sederet, necesse erat ut aliam occuparet Macrobius. ALBASP.

(46) *Si vel oculis novit.* Neque oculis novit altare ubi Petrus obtulit, neque Ecclesiam ubi fidelibus præfuit, et in qua apostolatum exercuit. ALBASP.

(47) *Ad cujus memoriam.* Ad Petri memoriam: hoc loco accipit memoriam pro reliquiis D. Petri ad quas non audebat accedere Macrobius, et cum iis communicare, quia erat schismaticus. Omnes olim episcopi cum decessoribus suis communionem agebant, quia cum eis una eademque persona et corpus censebantur, et quia etiam corpus Christi non solum constat ex membris quæ videntur, sed ex iis etiam quæ in pace recesserunt: quapropter ut perfecta esset communio, et ut concinnata primo episcopo qui in ea sede sederet, videretur, cum omnibus episcopis mortuis communionem faciebant: hoc autem fiebat multis modis, vel missas super eorum reliquias celebrando, vel eas deosculando, vel eorum nomina inter sacra e diptychis efferendo. Ut ergo Optatus ostendat Macrobium non esse legitimum Romanæ Ecclesiæ episcopum, atque adeo Petro non communicare, dicit eum ad ejus reliquias non accessisse. ALBASP.

(48) *Contra Apostolum faciens, qui ait, memoriis sanctorum*, etc. Rom. XII, 13, quo loco μνείαις pro χρείαις ab antiquis nonnullis est lectum. Balduinus ad hunc locum notavit, et plura Lucas Brugensis, in notis ad N. T. Alb. ubicumque *memorias* reperit, *reliquias* interpretandum putat; cum tamen ex antiquissimis qui lectionis illius meminerunt, quidam pro *recordatione* acceperint, sed neque apud alios *memoriæ* idem quod *reliquiæ*. Erigebantur enim *memoriæ, reliquiæ* condebantur. Erigebantur autem vel templa, vel altaria, in quibus, si quas sanctorum veras reliquias haberent, condere solebant et asservare. *Memoriæ* igitur sunt templa ut plurimum, aliquando tantum altaria, quæ seorsim et singularia sæpe exstruebantur. Cæterum Albaspinæus tanti facit hanc lectionem ita a se expositam et enarratam, ut etsi vulgatæ versionis ab omnibus receptam lectionem, *necessitatibus sanctorum communicantes*, plane repudiare non audeat, alteram tamen veteri disciplinæ, si reciperetur, magis consentaneam non vereatur pronuntiare. Adeo sordebat homini ex mera quantus erat antiquitate composito, quidquid ad veteres, seu veros, seu fictos ab ipso ritus trahere non poterat. Ego vero veteri disciplinæ tam consentaneam esse illam versionem ausim præstare, ut nulla magis esse queat. Unde factum est ut olim, quoties nihil esset, unde necessitatibus pauperum subveniretur, sanctissima quæque Deo consecrata vasa, vela, quævis alia, conflare, confringere, distrahere, nulla religio esset, quo sanctissimo huic præcepto quoquo modo satisfieret. Id sæpe a veteribus Ecclesiæ præsulibus, viris veræ et antiquæ pietatis, etsi interdum non sine invidia, majori tamen semper cum laude factitatum esse testes illorum temporum historiæ. Sed ne notæ nimium crescant, deinceps mihi, nisi fortasse in perquam paucis, plane omittendus Albaspinæus. Illud etiam lectorem rogatum velim, ut si quid occurret obscurius a me prætermissum, ne prius mihi vitio vertat quam Balduinum consuluerit, apud quem spero repertum iri quidquid in his notis desiderabitur. M. CASAUB.

(49) *Memoriis sanctorum communicantes.* Hunc ad Romanos locum de reliquiis et de memoriis sanctorum, non de necessitatibus explicat cum Hilario, Rufino et Ambrosio, quæ lectio magis consentanea esset veteri disciplinæ. ALBASP.

(50) *Memoriis sanctorum communicantes.* Locus apostoli Pauli ex ep. ad Rom. c. XII, v. 13, ubi habetur *necessitatibus* seu *indigentiis*, ταῖς χρείαις, *sanctorum communicantes*. Sed quidam codices habuere ταῖς μνείαις, *memoriis*; et ita non solus legit Optatus, sed et Hilarius l. in Constantium, Rufinus, Pelagius, Ambrosiaster, Sedulius, Chrysologus homil. 120, et Gregorius III in epist. ad Optimates et populum Germaniæ. Id etiam interpretatur de memoriis seu reliquiis sanctorum Augustinus serm. de verbis Domini nunc 137, c. ult., *communicatis membris Apostolorum, communicatis memoriis sanctorum Martyrum.* Attamen de necessitatibus et indigentiis sanctorum, hoc est, christianorum, intelligendum esse Apostolum longe verisimilius est. Sed excusandus Optatus qui communem suo tempore lectionem secutus est. DU PIN.

(51) *Præsentes sunt ibi duorum memoriæ Apostolorum.* Reliquiæ D. Petri et Pauli erant Romæ tempore Optati. ALBASP.

(52) *Præsentes sunt ibi duorum memoriæ apostolorum.* Memoriæ, sunt ædes sacræ aut altaria in quibus exstant reliquiæ martyrum, conc. Carth. V, c. 16: *Placuit ut altaria quæ passim per agros aut vias tamquam memoriæ martyrum constituuntur.* In conc. Calced. act. 1, Ἐν τῶν ἁγίων μνήμαις, pro *in ecclesiis sanctorum.* Caius, scriptor Optato longe vetustior, de templis illis in quibus erant Apostolorum sepulcra, sic loquitur apud Eusebium lib. II Hist. c. 25: Ἐγὼ δὲ τὰ τρόπαια τῶν Ἀποστόλων ἔχω δεῖξαι· ἐὰν γὰρ θελήσῃς ἀπελθεῖν ἐπὶ τὴν ὁδὸν τὴν Ὀστίαν, εὑρήσεις τὰ τρόπαια τῶν ταύτην ἱδρυσαμένων τὴν ἐκκλησίαν. *Ego vero apostolorum tropæa possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropæa eorum, qui Ecclesiam illam fundaverunt.* DU PIN.

(53) *Ingredi potuit.* Ad locum et ad sacellum ubi illæ reliquiæ quiescebant et colebantur. ALBASP.

(54) *Ita ut obtulerit.* Ita ut sacrificium missæ obtulerit super ejusmodi reliquias; quare cum sacrificium non potuerit offerre super reliquias D. Petri, cum eo non communicat: et rursus quia non communicat cum D. Petro, non sedet in cathedra Petri; et si non sedet in cathedra, nullam vos cum Romano pontifice communionem habetis, et ita cathedræ vestræ originem non potestis reddere. Cæterum nota ex Optati doctrina, cæteros quidem episcopos suæ cathedræ rationem reddere ex communione quam habent cum summo pontifice; pontifices autem maximos suæ rationem non petere ex communione cum cæteris episcopis, sed ex communione quam habent aut habere debent cum reliquiis D. Petri et cum ipsomet D. Petro: hæc nota. ALBASP.

Digitized by Google

ipse Encolpius interrogari posset, diceret se ibi sedere ubi ante [a] sedit Bonifacius Ballitanus [b] (55): deinde si et ipse interrogari posset, diceret, (56) ubi sedit Victor Garbensis, a vestris jamdudum de Africa (57) ad paucos erraticos missus. (58) Quid est hoc, quod pars vestra in urbe Roma (59) episcopum civem habere non potuit? (60) Quid est, quod toti Afri et peregrini, in illa civitate sibi successisse **34** noscuntur? non apparet dolus? non factio, quæ mater est schismatis? (61) Interea Victor Garbensis ut hinc prior mitteretur, non dico (62) lapis in fontem, quia nec valuit puritatem catholicæ multitudinis perturbare: A sed quia quibusdam Afris (63) urbica placuerat commoratio [c]; et hinc a vobis profecti videbantur, ipsi petierunt ut aliquis hinc, (64) qui illos colligeret (65), mitteretur. Missus est igitur Victor: erat ibi (66) filius sine patre, (67) tiro sine principe, discipulus sine magistro, (68) sequens sine antecedente, inquilinus sine domo, (69) hospes sine hospitio, pastor sine grege, episcopus sine populo. Non enim grex aut populus appellandi fuerant pauci, qui inter (70) quadraginta, et quod excurrit, basilicas (71), locum, (72) ubi colligerent, non habebant. (73) Sic spelun-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Deest in ms. S. G.
[b] In ms. S. G. *Bellitanus.*
[c] Ita in omnibus mss. et sic legendum. Perperam omnino in quibusdam editis *commemoratio.*

VARIORUM NOTÆ.

(55) *Ballitanus.* Seu Vallitantis, erat inter episcopos Numidiæ. In collat. Carth. *episcopus plebis Vallitanæ.* In notitia episcop. Africæ nominatur *Ulletanus*, et in alio codice *Villitanus.* Du Pin.

(56) *Victor Garbiensis.* Primus qui Romam missus est a Donatistis, ut illic pseudo-apostolatum exerceret. Albasp.

(57) *Ad paucos erraticos.* Ad paucos Donatistas qui Romæ erant sine pastore et sine Ecclesia, qui cum aliis non colligebant, nec synaxim faciebant: qui enim non colligit cum episcopo, spargit et est erraticus. Albasp.

(58) *Quid est hoc quod pars vestra in urbe Roma*, etc. Scimus *totos* pro omni hic et generis et melioris notæ scriptoribus vel Servio doctore pòni. Tamen hoc verum non est totos Afros sibi successisse in schismatica Donatistarum cathedra apud urbem; historiis alibi demonstrabimus. Et minus hæc vox ad Afros et peregrinos simul hoc loci facit. Quare necessariam adhuc ego arbitrer correctionem. *Tot jam Afri et peregrini.* Barth.

(59) *Episcopum civem.* Episcopi olim debebant esse cives illius loci in quo ordinabantur, ut ejus mores et vita a civibus quibus præficiebantur et a quibus nominabantur cognoscerentur. At contra hancce disciplinam omnes episcopi Donatistæ qui erant Romæ, Africæ peregrini erant: quo manifestum fiebat eos non electos, sed factione obrepsisse. Albasp.

(60) *Peregrinus.* Is olim censebatur peregrinus, qui non erat natus in illo loco in quo ordinabatur, quamvis multos annos ibidem immoratus esset: hoc patet ex epistola Epiphanii ad Joannem Antiochenum. Cæterum, ex antiqua disciplina peregrinus sine necessitate non debebat ordinari. Albasp.

Ibid. *Quid est quod toti Afri et peregrini in illa civitate sibi successisse noscuntur?* Corrigit Barthius, *quod tot jam Afri*, etc., necessaria, uti ait, correctione. Sed nihil temere mutandum videtur. *Toti Afri*, locutio Afris usitata, et inter cæteros, Apuleio. Vide nostrum pag. 50, v. 31, et alibi. Incert.

(61) *Interea Victor Garbiensis ut hinc prior mitteretur.* Τὸ *mitteretur* repetitum, turbat ordinem orationis et intricatam reddit, si continua serie legas ad secundum illud *mitteretur.* Possis tamen ita accipere: interea quod primus Victor Garbiensis hinc missus sit, non dicam consulto consilio factum, ut tanquam *lapis in fontem*, quia revera nihil tale consecutum est, sed nimirum, *quia quibusdam Afris*, etc., sublata nempe τῇ παρενθέσει punctoque post τὸ *perturbare* geminato. Utcumque tamen legas, non abhorret ab Optati stylo; neque operæ erit nos in his et similibus deinceps immorari. M. Casaub.

(62) *Lapis in fontem.* Ecclesia est fons, ejus puritas ab hæreticis turbatur. Albasp.

(63) *Urbica.* Romana: Urbis Romæ. Albasp.

(64) *Qui illos colligeret.* Episcopum qui sacra faceret et qui eos per synaxim cum Christo colligeret et communicare faceret: colligere enim in antiquis significat sacrificare, et collecta sacrificium. Albasp.

(65) *Qui illos colligeret. Colligere*, Græce συνάγειν, vox usitata ad solemnes Christianorum συνάξεις, seu conventus significandos. *Colligere* is dicitur qui præest synaxibus seu conventibus Christianorum. Apud Irenæum l. III, contr. Hæres. c. 3: *Qui præterquam quod oportet colligunt*, sunt illi qui præerant hæreticorum ac schismaticorum conventibus. Du Pin.

(66) *Filius sine patre.* Sine ordinatione, sine decessore, ex seipso ibi natus, nemini succedens, a nemine Romæ ordinatus. Cæterum episcopi parens is censetur qui episcopo manus imponit. Albasp.

(67) *Tiro sine principe.* Qui ordinantur episcopi tirones et discipuli censentur eorum a quibus ordinantur; cum autem Victor Romæ non ordinatus, sed missus fuisset ex Africa, erat tiro et discipulus sine magistro. Albasp.

(68) *Sequens sine antecedente.* D. Cypr. l. I, epistola 6: *Novatianus in Ecclesia non est, nec episcopus computari potest, quia evangelica et apostolica traditione contempta, nemini succedens a se ipso ordinatus est.* Albasp.

(69) *Hospes sine hospitio.* Alludit ad illud, *jam non advenæ, sed hospites:* docetque Victorem quamvis esset Christi hospes, hospitium tamen Romæ non habuisse. Albasp.

(70) *Quadraginta et quod excurrit.* Plures erant Romæ basilicæ in quibus populus colligebatur. Albasp.

(71) *Inter quadraginta, et quod excurrit basilicas.* Jam tum temporis, cum scilicet Victor illuc missus est circa initium schismatis Donatistarum, erant Romæ quadraginta basilicæ. Cornelius, summus pontifex, in epistola ad Fabium quinquaginta circiter annis ante id tempus scripta, testis est jam tum fuisse quadraginta sex presbyteros in Ecclesia Romana: qui presbyteri videntur pluribus præfuisse basilicis. Athanasius in apologia contra Arianos, dicit concilium Romanum quinquaginta episcoporum in sui gratiam habitum, a Julio congregatum fuisse eo in loco ubi Vito presbyter conventus agebat: ἔνθα Βίτων ὁ πρεσβύτερος συνάγων. Ergo ab antiquissimis temporibus singuli quique presbyteri suas habebant basilicas in urbe Roma, in quibus populum colligebant. At ne unam quidem ex his basilicis habere potuerant pseudoepiscopi Donatiani. Du Pin.

(72) *Ubi colligerent.* Ubi sacrificarent et synaxim facerent. Albasp.

(73) *Sic speluncam quamdam foras a civitate*, etc. Quod est vel quale ipsum hoc tempus? Sodes, judice me, lector, utere, et repone *ubi pro tempore: possent* quidem ἀντὶ *potuissent*, usus vulgaris latinitatis

Digitized by Google

cam quamdam foris a civitate, (74) cratibus [a] sepserunt, (75) ubi ipso tempore conventiculum habere potuissent : (76) unde Montenses appellati sunt (77). Igitur, quia Claudianus Luciano, Lucianus Macrobio, Macrobius Encolpio, Encolpius Bonifacio, Bonifacius Victori successisse videntur : si Victori diceretur, ubi sederit? nec ante se aliquem illic fuisse monstraret, nec cathedram aliquam, nisi pestilentiæ ostenderet. Pestilentia enim morbis exstinctos homines ad inferos mittit, qui inferi portas suas habere noscuntur; contra quas portas, (78) claves salutares [b] accepisse legimus Petrum, principem scilicet nostrum; A cui a Christo dictum est : *tibi dabo claves regni cœlorum, et portæ inferorum non vincent eas.* (*Matt.* XVI.)

V. *Donatistæ scissuræ auctores pacis inimici.* — Unde est ergo quod claves regni cœlorum [c] vobis usurpare contenditis, qui (79) contra cathedram Petri, vestris præsumptionibus et audaclis, sacrilegio militatis? beatitudinem repudiantes, qua laudari meruit, *qui non abiit in concilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ* [d] *non sedit* (*Ps.* I, 1). In consilio impietatis itum est a majoribus vestris, ut divideretur Ecclesia [e]. Inierunt [f] etiam peccatorum viam, dum Christum partiri conati sunt,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ita in ms. S. G. melius quam id quod habetur in mss. S. T. et P. S. *gradibus*; nec enim *gradibus* fit sepes, sed *cratibus*. B

[b] In ms. S. T. *salutaris*.

[c] Ita in ms. S. G. Deest in aliis.

[d] In ms. S. G. *pestilentium*.

[e] Ita in omnibus mss. quos vidimus. In editis, *ut dividerent Ecclesiam*.

[f] In editis, *iverunt*, minus bene.

VARIORUM NOTÆ.

poscebat; sed Optatus, qui fortasse penitius norat, secutus est morem modumque loquendi usitatum bonis scriptoribus, quem *mutationem temporum in verbis*, licet nobis indigitare, a Diomede Grammatices lib. II inter species solœcismi relatum. Sic idem Optatus *potuisset* pro *potuerit* usurpat; *facerent* pro *fecissent*, *intraverat* pro *intravisset*, etc. Hæc cui Afrum sapere, aut esse fugienda instar scopuli, ita enim loquuntur solentes grammaticastri, illi parvuli, videntur, ille, me judice, recentium observatorum libros evolvat. habebit quo mutare velit sententiam. Nominatim Laur. Vallam, lib. III, Elegantiar. cap. 48; Barrientum sylva annotationum cap. 10; Bernardium ad Papinium majore conatu, quam effectu illustratum; Val. Acidalium ad Curtium lib. V; C. Rittershusium ad Ligurinum Gunteri lib. I, c. 4; Albericum Gentilem ad lib. I Maccab., et alios quorum nos nomina nominare nolumus. BARTH.

(74) *Gradibus sepserunt*, etc. Gradibus sepire quid sit non satis capio, nisi quod de gradibus non alienum, quibus fortasse descensus in speluncam. At *muris* aut *cratibus* (quod aliquando reponendum hic putavi) *sepire* proprie dicitur. Apponam locum Servii, qui non alienus ab hoc loco. Servius igitur ad illa Virgilii lib. IV Æneidos : *Centum aras posuit : Alii*, inquit, *templum dicunt, non solum quod potest claudi, verum etiam quod palis aut hastis, aut aliqua tali re et lineis aut loris, aut simili re septum est, quod effatum est.* Ita postrema verba emendat illustris et æternæ memoriæ heros Josephus Scaliger ad Festum p. 88, cum antea legeretur *et factum est*. Quod ait Optatus *ipso tempore*, nihil opus erat Barthiana emendatione, qui *pro tempore* legit *ipso tempore*, valet *eo* vel *isto*. Ita Optatus ipso lib. I : *Officialis publicus ipsius temporis*, id est, *ejusdem*. Ita et Victor Utic. lib. I : *quod* D *ipso gestum est tempore*. Et post aliquot iterum paginas, *qui paulatim deficientes nunc simul ipsi superstites sunt tres*. Isti voluit dicere quos deinceps nominat. Dabit veniam æquus lector, si hæc minima interdum prosequimur. Non enim quod tanti sint ipsa, sed quod aliorum in his minimis error, tanti ut essent fecerit. M. CASAUB.

(75) *Ubi ipso tempore conventiculum habere potuissent.* Quod est vel quale ipsum hoc tempus? percontatur Barthius, legitque *ubi pro tempore*. *Potuissent ἐνεὶ τοῦ possent* positum, quod quidem usus linguæ latine poscebat, sed Optatus secutus est modum loquendi, quem *mutationem temporum in verbis* licet appellare; a Diomede grammatico inter species solœcismi relatum, lib. II : *Et ne regredi ad meliora potuissent, ipsi sibi schismatis compedes posuerunt.* Arnobius quoque lib. I : *ipsa denique hiscere si animantia muta potuissent, si in linguarum nostrarum facilitatem solvi; imo si arbores, glebæ, saxa sensu animata vitali, vocis sonitum quirent et verborum articulos integrare.* Qui locus a doctissimo critico sollicitandus non fuit, mutando *potuissent* in *potissent*. Sic *potuissent* usurpat Optatus, pro *potuerint*, pag. 73; *facerent* pro *fecissent*, alibi; *intraverat* pro *intravisset*; quæ omnia, ut et quod dicit pag. 53, *loquimur* pro *locuti sumus*, ejusdem modi haberi decet, nempe *mutati* nomine *temporis*. Vide et supra notas ad lib. I. INCERT.

(76) *Unde Montenses.* D. Augustinus de Unitate Ecclesiæ, *in paucis Romæ Rupitanis vel Montensibus*. ALBASP.

(77) *Montenses appellati sunt.* Hieronymus in chronico ad annum Christi 356 : *Donatus, a quo suppa Donatianos dici memoravimus, Carthagine pellitur. Quidam sectatores ejus etiam* Montenses *vocant, eo quod ecclesiam Romæ primum in monte habere cœperunt.* Idem in fine libri contra Luciferianos inter eos qui ab Ecclesia sunt extorres, numerat *Montenses* seu *Campitas*. Augustinus epist. olim CLXV nunc LIII, post enumeratam, ad exemplum Optati, Romanorum pontificum successionem, sic etiam argumentatur : *In hoc ordine successionis nullus Donatista episcopus invenitur. Sed ex transverso ex Africa ordinatum miserunt, qui paucis præsidens Afris in urbe Roma. Montensium vel Cutzupitarum vocabulum propagavit.* Pro *Cutzupitis* seu *Cuzupitis* plerique volunt legendum hic *Rupitæ* : Donatistas enim *Rupitanos* vocat August. ut in lib. de unitate Ecclesiæ c. 3, *in paucis Romæ Rupitanis vel Montensibus*, sed in postrema editione operum Augustini restitutum ex fide mss. Floriacensis *Cutzupitanis*. In priore loco duo mss. codices Vaticani habent *Cutrumpitarum*. Cotelerius ex conjectura legendum censet, *Scotopitarum*, a σκότος, *tenebræ*, τόπος, *locus*. Forte emendandi sunt hi Augustini loci ex Hieronymo, et legendum *Campitæ*, quod mirum in modum conciuit Optato, qui dicit *eos foris a civitate speluncam quamdam cratibus sepiisse* : hinc enim æque *Campitæ* ac *Montenses* dici potuerunt. Attamen Augustinus in lib. de hæresibus c. 69, de Donatistis qui Romæ degebant loquens, eos tantum *Montenses* vocat. *Isti hæretici*, inquit, *in urbe Romæ Montenses vocantur, quibus hinc ex Africa solent episcopum mittere, aut hinc illuc Afri eorum episcopi pergere, si forte ibi eum ordinare placuisset.* In lege Honorii de hæreticis in cod. Theodosiano l. 43, vocantur etiam *Montenses*. DU PIN.

(78) *Claves salutares.* Tertia ex Ecclesiæ dotibus, de *annulo* secunda dote nihil dixit. ALBASP.

(79) *Contra cathedram Petri.* Contra cathedram Petri militabant Donatistæ, quia dicebant Ecclesiam nusquam esse nisi penes Donatistas. ALBASP.

Digitized by Google

cujus Judæi nec vestimenta scindere voluerunt [a] : cum apostolus Paulus clamet et dicat, *numquid divisus est Christus* (I *Cor.* I)? Et utinam si jam malam viam intraverunt ; agnito peccato,(80) super se reverterentur, id est emendarent quod erraverant; revocarent quam fugaverant pacem. Hoc erat de via reverti : (81) in via enim ambulatur, non statur. Sed quia parentes vestri reverti noluerunt ; ipsos constat in via peccatorum stetisse. Quorum gressus impulerat furor, retentos ligavit pigra discordia : et ne regredi ad meliora potuissent, ipsi sibi schismatis compedes [b] posuerunt, ut in errore suo pertinaciter starent, ne ad pacem, quam deseruerant, reverti potuissent. Nec audierunt Spiritum sanctum, dicentem in psalmo XXXIII (*v.* 15), *diverte a malo, et fac bonum : inquire pacem, et persequere eam ;* sed steterunt in via peccatorum suorum. Sederunt etiam in cathedra pestilentiæ, quæ (ut supra diximus) seductos mittit ad [c] mortem. Sed et dum vos parentum errorem colentes, studiose defenditis, hæredes sceleris esse voluistis, cum filii pacis vel sero esse possetis. Cum in Ezechiele propheta scriptum sit, *extolle vocem tuam super filium peccatoris, ne vestigia patris sui sequatur, quoniam anima patris mea est, et anima filii mea est. Anima quæ peccat, sola punietur* (*Ezec.* XVIII, 3, 19 *et* 20) : si displiceret vobis quod parentes vestri peccaverunt, de admissu suo soli redderent rationem : hoc modo vel vos beati esse possetis, et laudem de ore prophetæ percipere, qui ait in psalmo I, *Beatus vir qui non abiit in concilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit; sed in lege Domini* [d] *voluntas ejus.* Quid est aliud in lege habere voluntatem, nisi divina præcepta et religiose discere, et cum timore complere ? in qua lege scriptum est (in Evangelio) : *pax hominibus in terra bonæ voluntatis* : (*Luc.* II, 14); et alio loco (in Esaia propheta) : *po-*

A *nam fundamenta pacis in Sion* (*Es.* LX, 17) : et alio loco (in psalmo LXXXIV), *videamus quid loquatur Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem suam*, et alio loco (in psalmo LXXV), *venit Filius Dei, et factus est in pace locus ejus :* et alio loco (in psalmo LXXI), *suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam ;* et in Evangelio, *pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV, 27) : et Paulus ait, *qui pacem serit, pacem et metet* (II *Cor.*, IX) : et in omnibus **36** epistolis suis, *pax in vobis abundet* ; et in psalmo XXXIII (*v.* 15) *quære pacem, et consequeris eam.* Fugata recesserat pax a patribus vestris; vos eam, sicuti a Deo mandatum est, quærere deberetis [f], quam nec ultro voluistis quærere, (82) nec oblatam libenter accipere. Quis enim in tot B provinciis, quibus nati estis, audivit ? et si aliquis audivit, quis non vestrum miretur errorem? quis non vestrum facinus damnet ? Igitur cum manifestum sit, et ipsa luce sit clarius, nos cum tot innumerabilibus populis esse, et tot provincias nobiscum : jam videtis vos in parte unius regionis positos, et ab Ecclesia vestris erroribus esse separatos, frustra vobis solis hoc nomen Ecclesiæ cum suis dotibus vindicare, quæ magis apud nos sunt quam apud vos : quas constat ita sibi connexas et individuas esse, ut intelligatur unam ab altera separari non posse. Etenim numerantur in nomine, sed uno intellectu suo jungantur in corpore : ut in manu digiti, quos intervallis singulos videmus esse distinctos. Unde, qui tenet unum, totos teneat necesse est, cum unusquisque a C paribus separari non possit. Adde quod non unam solam, sed omnes proprie possidemus.

VI. *De Angelo, secunda Ecclesiæ dote; eum non esse apud Donatistas.* — Igitur de dotibus supradictis cathedra est (ut diximus) prima,(83) quam probavimus per Petrum nostram esse,(84) quæ ducit ad se angelum(85). Nisi forte eum vobis vindicantes,(86)habetis in

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. *Sciderunt.*
[b] In ms. S. G. *terminum.*
[c] In mss. S. T. et P. S. *in.*
[d] In mss. S. T. P. S. et in editis additur, *fuit.*
[e] In mss. S. T. Pb. S. et in editis additur, *in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.*
[f] Ita in ms. S. G. In mss. S. T. et P. S. *eam si, uti a Domino mandatum est, quæreretis.* Male in editis, *non quæritis.*

VARIORUM NOTÆ.

(80) *Super se reverterentur.* Redirent ad Ecclesiam. ALBASP.

(81) *In via enim ambulatur, statur.* Optatus verba regii vatis sic interpretatur et παραφράζει, *beatus*, etc., *et in via peccatorum non stetit.* Qui si quando ab impiis seductus et abductus, eamdem cum illis viam institit, non perstitit tamen, sed ab incœpto cursu gradum ocius revocavit, et ad sanam mentem cito rediit, etc. Cur autem ita interpretetur hanc reddit rationem, quia, inquit, alioquin improprie locutus esset propheta, si illud *stetit*, de ipso standi, sive consistendi actu, non de continuato cursu acciperemus : *In via enim ambulatur, non statur ;* mox pro *ne ad pacem*, scribe *nec ad pacem.* M. CASAUB.

(82) *Non oblatam libenter accipere.* Aliæ editiones melius hic *nec oblatam ;* fortasse tamen non hic temere *non* illud. Expende enim sequentia, et agnosces vix cohærere, nisi legas : *quam nec ultro*, id est *non ultro* ut *nec opinus* pro *non opinus*, etc., *voluistis quærere, nunc oblatam libenter accipite :* mox, *esse separatos*, illud *esse* melius abesset; quod tamen Optati, an librariorum vitio hic sit, haud facile dixerim. M. CASAUB.

(83) *Quam probavimus per Petrum nostram esse.* Per communionem quam habemus cum summo pontifice, et per eum cum D. Petro probavimus Ecclesiam et cathedram penes nos esse. ALBASP.

(84) *Qui ducit ad se angelum.* Qui habet Spiritum sanctum ; qui habet potestatem Spiritum sanctum conferendi et manus imponendi ; qui trahit ad se Spiritum sanctum ex vi cathedræ quæ ei tradita est. Per Angelum enim intelligit Spiritum sanctum, ut patet ex his : *non enim Spiritum Dei soli vobis vindicare potestis aut includere.* ALBASP.

(85) *Quæ ducit ad se angelum.* Per *angelum* nihil aliud intelligunt quam episcopum, legitimam habentem potestatem regendæ Ecclesiæ. Non habebant hujusmodi *angelum* Donatistæ, quandoquidem eorum episcopi non agnoscebantur tales, et ab aliarum ecclesiarum episcopis pro episcopis non habebantur. DU PIN.

(86) *Habetis in loculis inclusum.* Habetis Spiritum

Digitized by Google

loculis clausum. (87) Mittite illum si potestis, excludat septem angelos, qui sunt (88) apud socios nostros in Asia, ad quorum ecclesias scribit Joannes apostolus; (89) cum quibus ecclesiis nullum communionis probamini habere consortium. (90) Unde vobis angelum, qui apud vos (91) possit fontem movere, aut inter cæteras dotes Ecclesiæ numerari. (92) Extra septem ecclesias, quidquid foris est, alienum est (*Apoc.* 1) : (93) aut si inde habetis aliquem unum, per unum communicatis et cæteris angelis, et per angelos supra memoratis ecclesiis, et per ipsas ecclesias nobis. Si ita est, (94) litigium perdidistis.

VII. *Spiritum sanctum esse in Ecclesia, non apud Donatistas.*—(95) Ecce jam apud vos dotes esse non possunt ; non enim Spiritum (96) Dei soli vobis vindicare potestis, aut includere quod intelligitur et non videtur. Sic enim in Evangelio scriptum est : *nam Spiritus Deus est, et ubi vult adspirat, et vocem ejus audis, et* [a] *nescis unde veniat et quo eat* (*Joan.* III) : Permittite Deum unde velit ire, et quo velit accedere habeat **37** libertatem : qui audiri potest et videri non potest. Et tamen studio criminandi libenter blasphemare voluisti, ut diceres : Nam in illa Ecclesia quis spiritus esse potest, nisi pariat filios gehennæ ? Vomuisti de pectore tuo convicium, et putasti adjungendum esse de Evangelio testimonium, ubi lectum est : *Væ vobis, hypocritæ, qui circuitis maria et terras, ut faciatis unum proselytum, et cum inveneritis, facitis eum filium gehennæ dupliciter quam vos estis* (*Mat.* XXIII, 15). (97) Si hoc convicium faciendum erat, quod non licet : quamvis sine causa fiat, (98) utinam aliquis ex vestro numero hoc dixisset : et tamen te hoc dixisse satis admiror, id falso in alterum dicere, ex quo, (99) si ordinationem tuam consi-

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. S. T. et P. S. *sed.*

VARIORUM NOTÆ.

sanctum, qui est secunda dos Ecclesiæ, in loculis clausum. ALBASP.

(87) *Mittite illum si potestis.* Si habetis verum Spiritum sanctum, mittite illum in Asiam, ad illas septem ecclesias quæ ex auctoritate Apostoli censentur eum habere, ut excludat Spiritum qui illas ecclesias gubernat ; et ita concedemus vos habere Spiritum sanctum et dandi potestatem, quæ est secunda Ecclesiæ dos ; sed si spiritus vester non potest excludere spiritum illarum ecclesiarum, non est verus spiritus, sed pseudo-spiritus. ALBASP.

(88) *Apud socios nostros.* Quia cum illis communicavimus. ALBASP.

(89) *Cum quibus ecclesiis.* Quia non probabant ad eos se posse scribere. ALBASP.

(90) *Unde vobis angelum.* Unde constat vos non habere Spiritum sanctum, hoc est, vos non posse eum conferre. ALBASP.

(91) *Possit fontem movere.* Possit ecclesiam vestram animare : alludit ad octavum caput Apocalypsis, ni fallor ; vel si mavis cum Tertulliano, existimabat Angelos movere aquas baptismi et vim aliquam illis inspirare de baptismo : *Igitur medicatis quodammodo aquis per angeli interventum, Spiritus in aquis corporaliter diluitur.* Item, *angelum aquis intervenire ;* item, *tunc ille sanctissimus Spiritus super emundata et benedicta corpora libens a Patre descendit super baptismi aquas :* docet baptizatis Spiritum sanctum in iisdem aquis infundi ; idem hic docet Optatus. ALBASP.

(92) *Extra septem ecclesias.* Qui non communicant septem illis ecclesiis quæ probantur habere Spiritum sanctum, foris sunt ; hoc est, qui non habent Spiritum sanctum, foris sunt. ALBASP.

(93) *Aut si inde habetis aliquem.* Aut si ab illis ecclesiis Spiritum sanctum accepistis, Spiritus ille qui vos regit, facit ut communicetis cum aliis angelis a quibus eum accepistis, quia unus et idem Spiritus est : quodsi aliis angelis communicatis, cum iisdem ecclesiis et cum nobis societatem habetis. ALBASP.

(94) *Si ita est, litigium*, etc. Ad superiora referendum, non quæ proxime præcedunt. Si ita res habet, inquit, ut diximus, ut quæcumque unum habet angelum Ecclesia, cæteris quoque per illum communicet angelis et ecclesiis ; cum vos constet aliis minime communicare ecclesiis, quid superest, quam ut causa plane excideritis ? *Ecce* (nam et illud quoque consequitur) : *jam apud vos*, etc. M. CASAUB.

Ibid. *Litigium perdidistis.* Causam perdidissent Donatistæ si cum orthodoxis, vel cum Asiaticis communionem aliquam habuissent : nam perperam rebaptizarent orthodoxos si eorum communionem approbassent. ALBASP.

(95) *Ecce jam apud vos.* Transit ad dotes : et hæc verba a linea debent inscribi, vultque dicere Donatistas non posse spiritum sibi vindicare et ita includere, ut non sit apud orthodoxos ; apud eos non potest esse, quia nulla inter eos est communio. ALBASP.

(96) *Non enim spiritum.* Tertia Ecclesiæ dos a Parmeniano commemorata spiritus adoptionis quo fiunt Christiani Dei filii. Hoc carere aiebat Ecclesiam, quia pariebat solos filios gehennæ. Istud convicium potius quam argumentum breviter repellit Optatus, et in ipsum retorquet locum sacrarum litterarum quem adduxerat. DU PIN.

(97) *Si hoc convicium faciendum erat*, etc. Totus hic locus fœde corruptus : sententia tamen non obscura : ut de verbis minus laborandum sit. Fortasse scripserat Optatus : *Si hoc convicium faciendum erat, quamvis sine causa fiat ; utinam aliquis* (*f. alius quis*) *ex vestro numero hoc dixisset, et tamen* (vel, *te tamen*) *eum fuisse satis admiror, qui falso in alterum diceres, ex quo*, etc., vel, *et tamen te hoc dixisse satis admiror. Id falso in alterum diceres*, vel, *dicere te ex quo, si ordinationem tuam consideres, possis et erubescere ? Quod non licet* tamquam glossema τοῦ *quamvis sine causa fiat*, qualia vulgo solent e margine in ipsum contextum irrepere, penitus expungo. *Tamen* pro *autem* interdum poni jampridem ad Vopiscum historicum observatum est. Quod si quisquam subtilius ista distinguere voluerit, *non licet* et *sine causa fit ;* per me licebit illi : ut mihi tamen integrum sit illud quod probo magis sequi. Ideo autem hoc dicit Optatus, quod Parmenianus esset peregrinus. Quod etiamsi non hic exerte, alibi tamen disertis ipsi verbis objicit. Possis etiam, si retinemus illud *quamvis sine causa fiat*, ita interpretari : Quandoquidem tamen ita vobis sedet, convicium utcumque illicitum facere, utinam, etc. M. CASAUB.

(98) *Utinam aliquis ex vestro.* Utinam alius hoc dixisset quam tu. ALBASP.

(99) *Si ordinationem tuam consideres.* Rebaptizatus fuerat Parmenianus, et se rebaptizari permiserat ut ad sedem Carthaginis eveheretur a Donatistis, nam aliter illa verba *facitis eum filium gehennæ dupliciter*, non potuissent ei convenire, neque ex iis erubescere : nisi velis illi erubescendum facere ex illis verbis :

Digitized by Google

deres, possis et erubescere (1). Commemorasti enim lectum esse in Evangelio, *væ vobis, hypocritæ, qui circuitis maria et terras, ut faciatis unum proselytum*, hoc est, ut mutetis alicujus sectam. Tu quidem cujus sectæ fueris nescio : tamen importune a te hoc dictum est [a] (2) : æstimo quod te jam forte [b] hujus dicti pœniteat. Numquid nos aliquas peragravimus [c] terras? numquid nos aliqua circumivimus maria? numquid nos ad peregrinos accessimus portus? numquid nos aliquem adduximus Hispanum et Gallum? aut nos ordinavimus (3) ignorantibus peregrinum?

VIII. *De fonte, sigillo et umbilico, notis Ecclesiæ.*— (4) Nam et fontem (5) constat unam esse de dotibus, unde hæretici non possunt vel ipsi bibere, vel alios potare; quia soli sigillum integrum (id est symbolum catholicum) non habentes, ad fontem verum aperire non possunt. (6) Nam cum in Canticis Canticorum scriptum sit : *Umbilicus tuus, ut crater tornatilis* [d] (*Cant.* VII, 2) : (7) umbilicum altare affirmare conatus es. Si umbilicus membrum est in corpore, inter dotes esse non potest quod membrum est. Si [e] ornamentum est, pars corporis non est.

IX. *Dotes Ecclesiæ esse apud Catholicos, neutiquam apud Donatistas.* — Restat jam ut dotes quinque esse videantur (8) : quæ dotes, cum sint Ecclesiæ catholicæ (quæ est in tot provinciis supra memoratis), etiam apud nos hic in Africa deesse non possunt. Intelligite vel sero [f] vos esse filios impios, vos esse ramos fractos ab arbore, vos esse abscisos palmites a vite, vos rivum concisum a fonte. Non enim potest esse **38** origo rivus, qui parvus est, et (9) non de se nascitur : aut arbor ramus concisus [g], cum arbor fundata suis radicibus gaudeat, et ramus, si fuerit exsectus, arescat. Jamne vides, frater Parmeniane, jamne sentis, jamne intelligis te argumentis tuis contra te militasse? cum probatum est nosse in Ecclesia sancta catholica, apud quos et (10) symbolum Trinitatis est [h], et (11) per cathedram Petri, quæ nostra est, per ipsam, et cæteras dotes apud nos esse. Etiam (12) sacerdotium, quod in nobis an-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ita in ms. S. G. In aliis et in editis, *dictum esse æstimo*, sed ita minus bene cohæret oratio.
[b] Deest in ms. S. G.
[c] In ms. S. G. *circuimus.*
[d] In ms. S. G. *tornatus.*
[e] In ms. S. G. *Et si.*
[f] In ms. S. G. *vos servos;* sed contra mentem auctoris.
[g] In ms. S. T. et in editis, *a ramo concidi*, sed minus ad mentem scriptoris.
[h] Hic locus integer diverso prorsus modo habetur in ms. S. G. hoc pacto : *cum probatum est non esse in Ecclesia sancta catholica, apud quos et symbolum Trinitatis non est;* sed nihil immutandum.

VARIORUM NOTÆ.

Circuitis maria et terras ut faciatis unum proselytum ; quia cum peregrinus esset, Donatistæ circuierant terras, ut eum ex Hispania in Africam transportarent, nam hæc verba : *Numquid nos aliquem adduximus Hispanum et Gallum, aut nos ordinavimus ignorantibus peregrinum?* hanc explicationem confirmare videntur. ALBASP.

(1) *Si ordinationem tuam consideres, possis et erubescere.* Quia Parmenianus peregrinus a Donatistis circumeuntibus maria et terras in eorum sectam inductus et ordinatus episcopus Africæ, in quem proinde cadebat id quod Catholicis exprobrabat. DU PIN.

(2) *Importune a te hoc dictum est.* Quia in nos istud non cadit, *qui nullas peragravimus terras*, etc., sed in vos recidit, qui hæc omnia fecistis. Ingeniose admodum hic Parmenianum deridiculo habet. DU PIN.

(3) *Ignorantibus.* Peregrinus et alibi natus non erat ordinandus episcopus, quia ejus mores non erant ignorandi a plebe cui præficiebatur. ALBASP.

(4) *Nam et fontem.* Deesse hoc loco videtur aliquid, nam cum cæteris hæc verba non cohærent. ALBASP.

(5) *Nam et fontem.* Cæteras Ecclesiæ dotes quas enumeraverat Parmenianus tam leviter hic attingit Optatus, ut crediderim aliquid deesse. Umbilicus erat ultima, quam repudiat Optatus; haud magni sane ponderis argumento, sed levius erat id quod Parmenianus allegarat umbilicum esse altare. Revera satis ipse Optatus innuit se fusius de cathedra quam de aliis notis dixisse, cum ait per cathedram Petri cæteras etiam dotes Ecclesiæ apud Catholicos esse, hoc est ex illa fluere. DU PIN.

(6) *Nam cum in canticis.* Non cohærent cum præcedentibus. Tota hæc de dotibus tractatio, duabus potissimum constabat partibus. Prima parte quinque dotes a Parmeniano tractatas Optatus agnoscit quidem, sed ita ut veræ Catholicæ asserat, et quæ super iis a Parmeniano male, arguat ipse ac retexat. Postea confutabat ejus errorem super earum numero, quod sex ille numerasset, quas quinque dumtaxat esse Optatus contendebat. Adhuc in priore parte versabatur, et de *fonte* præcedente sententia disputabat; et ecce nova jam res hic agitur, novum affertur argumentum, sine ulla conclusione præcedentium, aut aditu qui viam faciat ad novam disputationem. Hic igitur asterisci, hiatus indices, erant ponendi : non mox (quod vult Balduinus) ante τὸ *restat.* Postquam enim ostendit ac vicit *umbilicum* de sexta dote non debere accipi, quod Parmenianus affirmaverat, recte tum concludit (siquidem nulla erat alia de numero controversia) : *Restat jam ut dotes quinque esse videantur*, etc. M. CASAUB.

(7) *Umbilicum altare.* Parmenianus umbilicum sextam Ecclesiæ dotem faciebat. ALBASP.

(8) *Dotes quinque esse videantur.* Conclusio hæc erat disputationis, qua probaverat umbilicum dotem esse Ecclesiæ non posse. DU PIN.

(9) *Non de se nascitur.* Hoc est, qui non oritur ex alio fonte noto, et conspicuo. Vide not. ad lib. I ubi exprobrat Optatus Donatistis quod *de se nati essent.* CLERICUS.

(10) *Symbolum Trinitatis.* An *symbolum* vocat hic mysterium, ut aliquando symbolica et mystica confunduntur? an potius synecdochice, aut κατ' ἐξοχήν, ita vocat symbolum Apostolorum; quia Trinitatis mysterium, præcipuum ejus argumentum? Malo tamen simpliciter accipere, pro fide ac professione; ut symbolum Trinitatis nihil aliud sit quam quod Victor Uticensis, lib. II, *Fides integra Trinitatis.* Ratio cuivis obvia, quia nimirum *symbolum*, fidei nostræ summa. Unde et illa conjunguntur interdum, ut synonyma. *De fide et symbolo* presbyterum se disputasse scribit Augustinus, Retract. lib. I, 17, et eo nomine liber est ab eo editus : quemadmodum et alii loquuntur. M. CASAUB.

(11) *Et per cathedram Petri.* Per communionem quam habebat cum D. Petro et cum Siricio probat apud se cæteras esse dotes : hoc est, qui cum summo Pontifice non communicat, nullam secundum Optatum potest habere Ecclesiæ dotem. ALBASP.

(12) *Sacerdotium quod in nobis annullare visus es.*

Digitized by Google

nullare visus es : in excusatione [a] erroris et livoris vestri, dum post nos rebaptizatis [b], et post socios vestros in peccato detectos, hoc non facitis. Dixisti enim quod si sacerdos in peccato sit, solæ possint dotes operari. Igitur, quia docuimus et quid sit hæresis, et quid sit schisma, et quid sit sancta Ecclesia : et hujus sanctæ Ecclesiæ est (13) constituta persona, et hanc esse catholicam, quæ sit in toto orbe terrarum diffusa : cujus membra et nos inter alios sumus : cujus dotes apud illam ubique sunt. Deinde in primo libro probavimus, ad nos non pertinere traditionis invidiam, et hoc crimen etiam a nobis esse damnatum.

X. *Apud Catholicos esse vera Ecclesiæ sacramenta.* — Jam illud mihi volo respondeas, cum de solis Ecclesiæ dotibus loqui voluisti, et de sanctis ejus membris ac visceribus tacuisti : quæ sunt procul dubio in sacramentis et (14) in nominibus Trinitatis (15). Cui concurrit fides credentium, et professio, quæ (16) apud acta conficitur angelorum (17), ubi miscentur cœlestia et spiritalia semina, ut sancto germine nova possit renascentium indoles procreari : ut dum Trinitas cum fide concordat, qui natus fuerat sæculo, renascatur spiritaliter Deo. Sic fit hominum pater Deus, sancta sic fit mater Ecclesia. Hæc omnia intelligo a te ideo non esse nominata, ne in iis omnibus ratio baptismatis agnosceretur : ubi nihil sibi operarius, qui homo est, vindicet, (18) quod vos facitis. Ideoque ad solas dotes te conferre voluisti, quas velut manu apprehensas, aut (19) arca [c] conclusas, Catholicis denegans, vobis solis eas frustra vindicare conatus es. Cum agatur de regeneratione [d], cum agatur de homine innovando, nulla a te credentium fides, nulla professio [e] nominata est : dum vis de solis dotibus loqui, hæc omnia, sine quibus 39 spiritalis illa nativitas reparari non potest, in silentio remisisti : et cum dotes ad sponsam, non sponsa ad dotes pertineat, sic ordinasti dotes, quasi ipsæ videantur generare, (20) non viscera; quæ intelliguntur plus posita in sacramentis quam in ornamentis.

XI. *Ecclesiam paradisum merito dici, sed toti terrarum orbi respondentem.* — Nec illud prætereo, quod ore tuo et sensu nostro Ecclesiam paradisum esse dixisti : quæ res sine dubio vera est : in quo horto Deus plantat arbusculas. Et tamen Deo divitias suas denegastis, cujus hortum in angustias cogitis, dum vobis solis immerito omnia vindicatis. Utique plantationes Dei sunt diversa semina per diversa præcepta. Justi, continentes, misericordes et virgines, spiritalia sunt semina : harum rerum arbusculas (21) in paradiso Deus plantat. Concedite Deo ut hortus ejus sit longe lateque diffusus. Quid illi negatis Orien-

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. P. S. *exsecutione.*
[b] In ms. S. G. *baptizatis.*
[c] Ita optime in ms. S. G. In mss. S. T. et P. S. aqua.
[d] Omissa sunt hæc in ms. S. G.
[e] In ms. S. G. *promissio.*

VARIORUM NOTÆ.

Qui *annullare* verbum usurparet, antiquiorem Optato non vidi. Quæ phrasis nullius pretii est, licet Jurisconsulti Forenses pro dedicato et tamquam festis diebus uti ament. INCERT.

(13) *Constituta persona.* Hoc est in persona S. Pontificis Ecclesia est constituta, tamquam in capite, atque illic est ubi et cum quibus communicat. ALBASP.

(14) *Et in nominibus Trinitatis*, etc. Nomina Trinitatis hic ut apud Tertullianum de Bapt., lib. VII, numerus nominum divinorum, id est, personarum. Noster infra lib. III, nomina pietatis pro personæ vinculo pietatis sibi junctæ, et lib. V, tria nomina, id est, tres personæ. De fide ac professione credentium, quæ sequuntur, ut aliis decantata, sciens prætereo. Cæterum angelum aquis intervenire, multis probatum Tertulliano de Bapt., cap. 5, 6. Sed non aquis tantum, sed et orationibus. De orat. cap. 12, et matrimonii sacris, ad uxorem lib. II, c. ult. De baptismo autem etiam August. de symbolo ad catechum. ubi post quædam de professione : *Videte*, inquit, *dilectissimi, quia hanc professionem vestram in curiam profertis angelorum, nomina profitentium in libro excipiuntur vitæ, non a quolibet homine, sed a superiore cœlitus potestate*, etc., qui locus eximie hunc Optati illustrat. *Acta* autem hic ut *secreta, studia, spectacula*, apud alios et istiusmodi innumera pro locis ipsis actorum, secretorum, etc. Ita centies in collat. Carthag. *apud acta et actis*, id est, publice, coram officio, sive Notario publico, etc. Mox *Trinitas*, id est, personæ Trinitatis Pater, Filius, et Spiritus sanctus. Deo nempe cum ipsa fide et professione baptizandorum concordante et concurrente, etc. M. CASAUB.

(15) *In sacramentis et in nominibus Trinitatis.* In sacramento baptismi, quod ad Trinitatis invocationem confertur. DU PIN.

(16) *Quæ apud acta conficitur Angelorum.* Tertullianus, *obsignatum angeli renuntiant, Pater rato habet*, de Matrimonio libro II, ad uxorem. ALBASP.

(17) *Quæ apud acta conficitur angelorum.* Aquis lustralibus angelum intervenire affirmat Tertull. l. de Bapt. c. 5 et 6; August. de Symbolo ad catech. post quædam de professione, hæc habet : *Videte*, inquit, *dilectissimi, quia hanc professionem vestram in curiam profertis angelorum : nomina profitentium in libro excipiuntur vitæ.* Quam hæc consona sunt Optati dicto! DU PIN.

(18) *Quod vos facitis.* Dicebant ex opere operantis baptismum et ejus gratiam conferri. ALBASP.

(19) *Aut aqua conclusas.* Nescio quorsum hic aquæ mentio, nisi forte ad eluendum quod latet hic mendum; idque tam fœdum, ut mirum sit, tandiu fefellisse viros doctos. Nam pro *aqua* rescribendum est cum Optato *arca;* quod olim scribebatur *arqua*, velut *arqus* pro *arcus*, teste Prisciano. Quæ tamen a Nonio Marcello distingui non nescimus. Sed plura sunt apud Priscianum aliosque veteris istius scriptionis exempla, et in quibusdam hodieque, ut, *quum, sequutus*, etc., retinemur. Hoc qui non intellexerunt, quod baptismi paulo ante mentio facta esset, in *aquam* mutarunt. Atqui jam supra : *Nisi forte eum vobis vindicantes, habetis in loculis clausum :* angelum intellige. Non ovum ovo similius, quam sunt hæ duæ φράσεις, in loculis clausum et arca conclusum aliquid habere. M. CASAUB.

(20) *Non viscera.* In baptisterio tanquam in utero, patres aiunt homines nasci et renasci; quapropter recte vocat sacramenta viscera Ecclesiæ. ALBASP.

(21) *In paradisum Deus plantat.* In paradisum, hic et alibi ut apud Ciceronem *in potestatem;* apud Plautum, *in mentem*, apud alios *in controversiam esse*, pro potestate, etc. Quod ideo moneo, non quod valde no-

Digitized by Google

tis et Septentrionis, etiam Occidentis provinciarum omnium, et innumerabilium insularum populos christianos : contra quos vos soli pauci, rebelles estis, et cum quibus nullum communionis consortium possidetis.

XII. *Ex oblationis oratione unam et ubique diffusam Ecclesiam colligi.* — Jam et mendacium vestrum hoc loco juste damnari potest, quo (22) quotidie a vobis sacrificia condiuntur. Nam quis dubitet, vos illud legitimum in sacramentorum mysterio præterire non posse? afferre vos Deo dicitis pro Ecclesia quæ una est : hoc ipsum mendacii pars est, unam te vocare, de qua feceris duas : et offerre Deo [a] vos dicitis pro una Ecclesia, quæ sit in toto terrarum orbe diffusa. Quid si unicuique vestrum dicat Deus : quid offers pro tota, qui non es in tota? Si nos vobis displicemus, quid vobis fecit (23) Antiochia civitas? quid Arabia provincia? (24) Unde probamus venientes a vobis esse rebaptizatos.

XIII. *Laudes Ecclesiæ commemoratas a Parmeniano Catholicis convenire.* — In uno tibi solo, Parmeniane frater, ingrati esse non possumus; quod Ecclesiam nostram, id est, catholicam, quæ continetur toto orbe terrarum, quamvis ab ea sis alienus, laudare voluisti, in numerando dotes; in quarum numero satis errasti, et in dicendo, quia ipsa est hortus conclusus, et fons signatus, et unica sponsa. Hoc nos de nostro dicimus; nam tu de alieno locutus es. Quidquid de laudibus Ecclesiæ dicere potuisti, nos [b] priores eadem loquimur. Traditores vobiscum et ipsi damnamus eos videlicet, quos, si meministi, in primo libro demonstravimus [c]. Et cum sit nobis cum universo terrarum orbe communio, ex universis provinciis nobiscum : sic jamdudum duas ecclesias comparare voluisti, (25) quasi sola habeat Africa populos Christianos, in qua vitio vestro duæ videntur partes effectæ : et dum immemor factus es Christi dicentis, unam esse sponsam suam; tu in Africa non dixisti duas esse partes, sed duas Ecclesias. Certe una est, quæ ex voce Christi meruit indicari, qui ait : *Una est columba mea, una est sponsa mea.*

XIV. *Catholicos nihil crudeliter egisse.* — Et tu hujus vocis oblitus, ad invidiam Catholicis faciendam, his locutus es verbis : *Neque enim Ecclesia illa dici potest* (26) *quæ cruentis morsibus pascitur, et sanctorum sanguine et carnibus opimatur.* Certa membra sua habet Ecclesia episcopos, presbyteros, diaconos, ministros, et turbam fidelium : dicite cui generi hominum in Ecclesia nostra hoc possit adscribi quod objicere voluisti? specialiter nomina aliquem ministrum; ostende aliquem diaconum nomine suo; indica hoc ab aliquo factum esse presbytero; proba hoc episcopos admisisse; doce aliquem nostrum cuiquam insidiatum esse. Quis nostrum quemquam persecutus est? quem a nobis persecutum esse aut dicere poteris aut probare? **40** (27) Quia tibi unitas displicet, hoc si crimen putas, argue nos Thessalonicensibus, Corinthiis, Galatis, septem Ecclesiis quæ sunt in Asia communicasse. Si nefas tibi videtur, aut (28) si reatum putas, memoriis apostolorum et sanctorum omnium communicasse : hoc nos fecisse, non solum non negamus, sed etiam gloriamur.

XV. *Pax et felicitas Ecclesiæ antequam turbaretur a Donatistis.* — Sed ut ostendam partem vestram (ut dixi) cruentis morsibus pastam, Christianorum sanguine et carnibus opimatam, a principio suo vester jam rabidus commemorandus est furor, jam vestra retexenda impietas, jam stultitia demonstranda. In quo prius est ostendere, erubescendam lætitiam vestram, et gaudia criminosa, (29) quod vobis pristini

LECTIONES VARIANTES.

[a] Omittitur in mss. S. T. et P. S. Jet in editis.
[b] In ms. S. G. *et nos.*
[c] In ms. S. G. *in primo modo demonstravimus libro.*

VARIORUM NOTÆ.

vum sit aut insolens, sed ne quis tamen, qui minus advertat, suspectum habeat. M. Casaub.

(22) *Quo quotidie a vobis sacrificia condiuntur.* Mentiebantur cum rogarent Deum inter sacra ut Ecclesiam suam adunaret; quia eam ipsam suo schismate dividebant : deinde mentiebantur cum eam unam in orationibus sacrificii prædicabant, quia plures faciebant. Albasp.

(23) *Antiochia civitas.* Traditionis non accusabant Arabes aut Syros, tamen non minus eos rebaptizabant quam Afros. Albasp.

(24) *Unde probamus.* Probamus, ἀντὶ τοῦ probare possumus, ut coll. Carth. ii, cum interroganti Notarii, *quando possent in schidis gesta conscribi et edenda compleri*, respondissent, *hodie schidas complemus*, excipiens Tribunus, ita repetit, ut simul explicet, quoniam suggessit officium, hodie se schidas posse complere, etc., mox *meminis* pro *meministi* hactenus mihi non observatum, et fortasse (quamquam nihil non audent hi scriptores) restituendum *vneministi*, *meminens* autem multis usurpatum.

M. Casaub.

(25) *Quasi sola habeat Africa Christianos, in qua.* Quoties Catholici ex Catholici nominis proprietate Donatistis invidiam faciebant, illi se Christianos esse regerebant, nec tam se de prioris tituli, quam de secundi possessione, quem sibi proprium vindicabant, sollicitos esse palam profitebantur; quamquam nec illum sibi negari paterentur; sed eatenus tamen assererent, quatenus *Christiani*. Ait igitur Optatus, Parmenianum de duabus Ecclesiis ita disseruisse, ut dum suæ parti Christianum nomen vindicat, etiam Christianos Africa concluderet, ut in qua sola, divisa nempe, per eos Ecclesia, vigerent, et aliquo loco, et numero essent Donatistæ. M. Casaub.

(26) *Cruentis morsibus.* De expeditione Macarii hæc accipienda sunt. Albasp.

(27) *Sed quia unitas tibi displicet.* Unitatem fecerat Macarius, et nonnullos precibus et hortatione, alios vi ad Ecclesiam compulerat : quare dicebant Donatistæ non sine sanguine unitatem factam esse, et Ecclesiam quæ cum Macario communicaret, crudelem esse. Albasp.

(28) *Reatum putas memoriis Apostolorum.* Non ita facile est dicere quamobrem de reliquiis sanctorum mentionem faciat hoc loco, cum non agat de reliquiis, sed de communione quæ est inter Ecclesias : etenim de reliquiis mentionem facit, quia communio non potest esse perfecta, quin fiat inter omnia ejus membra, hoc est inter vivos et mortuos. Albasp.

(29) *Quod vobis a pristini erroris libertate.* Plane hæc contra mentem Optati, contra rem ipsam factique

Digitized by Google

erroris libertatem factam esse contigerit [a]. Recensete tempora, discutite rationes rerum, dissimilia vota et personas diversas attendite. Redeat in memoriam Constantinus imperator (30) Christianus : quem famulatum exhibuerit Deo, quæ habuerit vota, ut remotis schismatibus inter mortua omni dissensione, (31) sub toto cœlo filios suos gaudens, in uno (32) videret sancta mater Ecclesia. Reddiderat unam communionem, maritis uxores, parentibus filios, fratribus fratres. Quibus rebus Deus se lætari testatur, dum dicit in psalmo CXXXII : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.* Etenim cum Africanos populos et Orientales et cæteros transmarinos pax una conjungeret, et ipsa unitas repræsentatis omnibus membris corpus Ecclesiæ coagularet : dolebat hoc diabolus, qui semper de fratrum pace torquetur. Illo tempore sub imperatore christiano, desertus in idolis tamquam inclusus, jacebat [b] in templis. Hoc eodem tempore duces et principes vestros merita relegaverant [c] sua. In Ecclesia nulla fuerant schismata, nec Paganis licebat exercere sacrilegia : pax Deo placita apud omnes Christianos populos habitabat : diabolus mœrebat in templis, (33) vos in regionibus alienis.

A

B

XVI. *Juliani edictum in gratiam Donatistarum.* — Deinde, ut nobis notum est, secutus (34) alius imperator (35), vobiscum vota sinistra concipiens, ex famulo Dei factus est minister inimici, apostatam se edictis suis [d] testatus est : quem precibus rogastis, ut reverti possetis : quas preces, si vos negatis misisse, nos legimus. Nec difficultatem præbuit, quem rogastis : ire [e] præcepit pro voto suo, quos intellexerat ad disturbandam pacem cum furore esse venturos. Erubescite si ullus est pudor : eadem voce vobis libertas est reddita, qua voce idolorum patefieri jussa sunt templa.

XVII. *Donatistarum furor et crudelitas.* — Eisdem pene momentis vester furor in Africam revertitur, quibus Diabolus de suis carceribus relaxatur. Et non erubescitis, qui uno tempore cum inimico (36) **41** communia gaudia possidetis! Venistis rabidi, venistis irati, membra laniantes Ecclesiæ : subtiles in seductionibus, in cædibus immanes, filios pacis ad bella provocantes. De sedibus suis multos fecistis extorres, cum conducta manu venientes basilicas invasistis : multi ex numero vestro per loca plurima (quæ sub nominibus dicere longum est) (37) cruentas operati sunt cædes, et tam atroces, ut de talibus factis, ab

LECTIONES VARIANTES.

[a] Hic locus partim ex conjectura, partim auctoritate mss. emendatus est. In mss. S. T. et P. S. sic legitur : *quod vobis ad pristini erroris libertatem facta esse constitit.* In ms. S. G. *quod vobis ad pristini erroris libertatem rediisse contigerit.* Mens auctoris est : ostendere primum oportet quanta lætitia, quam malignis gaudiis affecti fueritis, eo quod Julianus Imperator vobis libertatem reddiderit, quam Constantinus abstulerat.

[b] In ms. S. G. et in quibusdam editis, *latebat.*

[c] In mss. *religaverant.*

[d] In ms. S. G. additur *ubique.*

[e] In ms. S. G. additur *vos.*

VARIORUM NOTÆ.

veritatem, ut sequentia palam faciunt. Priores editiones, *quod vobis ad pristini erroris libertatem* factam esse *constitit*, unde levi mutatione, *quod* vel *quando vobis ad pristinos errores libertatem factam esse constitit.* Quod si quis malit, *quod vobis ad pristini erroris libertatem rediisse contigerit*, quod ad Balduinum propius, dum eadem sit sententia, pili non interest utro modo legas. Si quis præterea, qui *errorem* pro *exsilio* ab Optato positum hic putet, non valde repugnarim, cum de revocatis ab exsilio Donatistis hic agat. M. Casaub.

C

(30) *Constantinus imperator.* Quæ de pace Ecclesiæ Africanæ et Donatistarum statu ait Optatus, magis conveniunt Constantis quam Constantini imperio : nam tempore Constantini non sunt repressi, nec basilicis spoliati, sed sub Constantis imperio. Præterea Julianus statim hujus imperatoris successor perhibetur. Nihilominus quia in omnibus mss. legimus *Constantino*, nihil immutandum esse censuimus. Du Pin.

D

(31) *Sub toto cœlo filios suos gaudens in uno videret sancta mater Ecclesia.* Perperam mendi suspectus hic locus, sic auctor non semel alibi. Tamen Barthius reponit, *gaudens in sinu videret sancta mater Ecclesia*, fundamentum ponens de verbis lib. VII : *Quando vos Catholica pio sinu suscipere deberet Ecclesia.* Vide et lib. I. Ingert.

(32) *Videret sancta mater Ecclesia*, etc. Margini appictum est, legi alibi, *in unum.* Ex qua varietate ego suspicor utrumque furcillandum hinc esse, et scribendum, *in sinu videret*, fundamentum ponens de verbis lib VII : *Quando vos Catholica pio sinu suscipere deberet Ecclesia.* Barth.

(33) *Vos in regionibus alienis.* Quia Constantinus eos exsilio multaverat. Albasp.

(34) *Alius Imperator.* Julianus, qui basilicas Donatistis concesserat. Albasp.

(35) *Alius imperator.* Julianus. Huic imperatori libellum obtulere Donatistæ, ut sibi restituerentur basilicæ quas ablatas querebantur, utque pristinam consequerentur libertatem. Hujus libelli Juliano oblati meminit infra Optatus l. III, ubi easdem preces memorat : *datas a Cassiano Rogatiano, Pontio, et cæteris episcopis partis Donati.* Hujus etiam sæpe meminit Augustinus, eosdemque ejus auctores nominat. In eo Julianum imperatorem laudaverunt, dicentes : *quod apud eum sola justitia haberet locum.* Vide August. ep. olim CLXVI, nunc CV. Hæc contigerunt anno 362.

(36) *Communia gaudia.* Unum membrum de alio debet lætari aut contristari : itaque cum Diabolus gauderet, gaudebant Donatistæ. Albasp.

(37) *Cruentas operati sunt cædes*, etc. Quid hoc novi est? an ergo omnia facinora usque adeo exsecrabilibus modis atrocia, quæ judicibus referri solita? Nec sufficit demonstrare missam relationem judicibus, ut in nobis prurigo aliqua mutandi demonstraretur, quod putavit vir doctissimus qui pagellas notarum Optato non ita olim adjecit ; hanc enim neque nos ante ignorabamus. Sed dicat mihi velim, siquidem ista mera prurigo est, an ideo atrocia crimina cædibus junxerit Optatus, quia judicibus hæc relatæ? Sane est aliqua prurigo in reprehendendis bene et circumspecte doctis, quæ hæc ita credit, nec considerat aliud quid sequi debere, cum simplices alioquia cædes, aut minora etiam facinora referantur judicibus; nec opus sit inde inusitatam eorum atrocitatem concludere. Quare ego etiamnum legendum arbitror, *relatio timeretur.* Judicibus nimirum talibus, qui de episcopis Christianum schema præferentibus, tam horrenda facinora ad palatium (ut loquitur in eadem re gesta Optatus noster) nuntiare metuebant, ne tota scilicet religio, calumniam pateretur, plurimis

Digitized by Google

illius [a] temporis judicibus (38) relatio mitteretur. Sed intervenit et occurrit judicium Dei, ut ille, qui vos jamdudum redire jusserat, imperator profanus et sacrilegus moreretur, qui persecutionem vobis provocantibus jam miserat aut mittere disponebat.

XVIII. *Donatistarum cædes et facinora.*—Operata est apud loca supradicta in Catholicos trucidatio, memoramini per loca singula, qui fuerint vestri discursus. Nonne de numero vestro fuerunt Felix Zabensis [b] (39) et (40) Januarius Flumenpiscensis [c] (41), et cæteri, qui tota celeritate concurrerunt ad castellum Lemellense (42): ubi cum contra importunitatem suam viderent basilicam clausam, præsentes jusserunt comites suos, ut ascenderent culmina, nudarent tecta, jactarent tegulas: imperia eorum sine mora completa sunt; et cum altare defenderent diaconi catholici, tegulis plurimi cruentati sunt, duo occisi sunt (43), Primus filius Januarii, et Donatus filius Nini, urgentibus et præsentibus coepiscopis vestris supra memoratis: ut sine dubio de vobis dictum sit: *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem* (*Ps.* XIII, 3). De qua re Primosus episcopus catholicus loci supra memorati, in concilio vestro apud Thenestinam (44) civitatem questus est, et querelas ejus dissimulanter audistis. Ecce a vobis factum est quod dixisti: *Ecclesiam non esse quæ cruentis morsibus pascitur; et* (45) *aliud sunt milites* **42** *missi, aliud episcopi ordinati.* Quod contra nos invidiose loquimini, ab aliis factum est, non a nobis: quod dicitis non debuisse fieri, vos fecistis. Commemorasti et beatissimum apostolum Paulum dixisse, *sine ruga et sine sorde Ecclesiam esse debere.* Episcopis vestris jubentibus et præsentibus, supra altare catholici diaconi occisi sunt; similiter et apud Carpos (46). Non tibi

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ita legendum, ut habetur in ms. S. G. non *judicibus*, ut in mss. S. T. P. S. et in editis, nam relatio mittitur a judicibus ad imperatorem, non ad judices. Prior lectio retinenda: vide nostram ad hunc locum observationem.

[b] Ita in ms. S. G. In mss. S. Th. et Ph. S. *Diabensis.*

[c] Ita legendum ut in mss. S. T. et S. G. non *flamen Piscensis*, aut *flamen Pistensis*, ut in editis.

VARIORUM NOTÆ.

in aula imperatoria præpotentibus paganismo devotissimis. BARTH.

Ibid. *Cruentas operati sunt cædes.* Mendum fefellit in ultima voce, quod projectum in malam rem, clarere locum faciet universum. Legendum, *judicibus relatio timeretur.* Quod quin Optati genuinum sit, nemo, arbitror, dubitare se putaverit. Hæc Barthius: Ego vero non sine causa dubito, aioque controversiam status huic loco minime movendam, confirmante utique hunc altero ejusdem auctoris loco, lib. I: *Iisdem temporibus Felix quidam diaconus, qui per famosam nescio quam de tyranno imperatore tunc factam epistolam appellatum est, periculum timens, apud Mensurium episcopum delituisse dicitur. Quem cum postulatum Mensurius publice denegaret, relatio missa est: Rescriptum venit, ut si Mensurius Felicem diaconum non reddidisset, ad palatium dirigeretur.* Quare abstine emendandi pruriginem, lector, atque istinc lucem obscuro tibi loco fœnerare. INCERT.

(38) *Relatio mitteretur.* Elogia, epistolæ et relationes ad imperatorem de illa cæde mitterentur: quidam reponunt *timeretur*, sed nullo sensu. ALBASP.

(39) *Zabensis.* In notitia Africæ est episcopus *Zabensis* in Numidia, et hujus etiam nominis Numidiæ episcopus in collat. Carth., sed alia est *Zabe* in Sitifensi, cujus hic Felix erat episcopus, ut docet vicinia Lemellensis castelli. DU PIN.

(40) *Januarius Flamen Pistensis.* Recte, quidam Januarius episcopus Flamen Pistensis. ALBASP.

Ibid. *Januarius Flamen Pistensis.* Probabili conjectura nixus vir doctus in notis ad Optatum, pro *Flamen Pistensis* aut *Flumen Pistensis*, quod alii repræsentant, ipse *Flumenpiscensis* ex collat. Carthag. restituendum censet. Ego non renitor, et in tanta locorum istorum (quæ in Carthag. collat. paginam utramque implent) caligine, aliquid certo definire arduum puto. Mox *cum contra importunitatem suam*, etc. Moneo minus cautos, ne τὸ *importunitatem* vulgari notione accipiant, sed quomodo Virgilius, Cicero, Terentius, optimi latinitatis auctores, accipiunt sæpe: nempe pro immanitate ipsa, et ultima flagitiorum linea. Neque tamen puto, nostrum tam hos imitari, quam scripturæ φράσιν, qua ἄτοποι *absurdi* proprie pro scelestis et impiis. Vide Luc. XXIII, 41 et 11; Thess. III, 2, ab vulg. *importunis malis*, etc. *An et importuna peccata* lib. VII, ita quoque interpretabimur? Nisi tamen ibi *peccata* vocet *importuna*, quæ non proprio sed alieno loco et tempore seminata sint. Loquitur enim de zizaniis, quæ a diabolo furtiva superseminatione per tenebras bonis frugibus immiscentur. M. CASAUB.

Ibid. *Januarius Flamen Pistensis. Januarii luminis* mentio merito hoc loco offendit Barthium, sed qui mutari in melius possit, profitetur candide se nescire. Balduini editio secunda: *Januarius Flamen Pistensis:* unde legerim, *Flumenpiscensis. Flumenpiscensis* loci sic dicti in Africa meminit collatio Carthaginensis cum Donatistis a Papirio juris publici primum facta, editionis Commelinianæ p. 195, ubi nominatur, *Restitutus episcopus Flumenpiscensis.* Sic *Flumenzeritani* episcopalem locum Africa habet; Victor Uticensis de persecutione Vandalica. INCERT.

(41) *Flumenpiscensis.* In collatione Carthag. inter episcopos Donatistas recensetur Victor episcopus Flumenpiscensis. Est ejusdem nominis episcopus in notitia Mauritaniæ Sitifensis. DU PIN.

(42) *Lemellense.* Oppidum etiam Mauritaniæ Sitifensis, cujus mentio est in notitia. DU PIN.

(43) *Duo occisi sunt.* Primus et Donatus dicuntur in martyrologio Romano ad diem IX Februarii, in qua eorum memoria recolitur. DU PIN.

(44) *Thenestinam.* Thenæ urbs in provincia Byzacena, cujus mentio apud Plinium et in Antonini itinerario. DU PIN.

(45) *Aliud sunt milites missi.* Multum differunt quæ fecistis et quæ nobis objicitis; nam etsi Macarius unitatem fecerit, et a nobis postulatus sit ut eam faceret; tamen, si quid minus humani in illa expeditione accidit, id neque jussimus, neque fecimus: sed episcopi vestri tempore Juliani multas cædes propria manu perpetrarunt. ALBASP.

(46) *Apud Carpos. Carpis* urbs Africæ proconsularis a Ptolemæo memoratur l. IV, c. III. Hanc urbem Plinius appellat *Carpi.* Secundinus a *Carpis* interfuit concilio Carthaginensi sub Cypriano. In collatione Carthaginensi comparent duo episcopi *Carpitani*, unus catholicus, alter ex parte Donati concilio Carth. sub Aurelio anni 419, et sæculo sequenti, concilio sub Bonifacio adfuere episcopi Carpitani. Est in notitia episcoporum provinciæ proconsularis. *Carpitanus* episcopus: denique in concilio Lateranensi sub Martino II, act. 2, memoratur Bassus episcopus Ecclesiæ *Carpitanæ.* DU PIN.

Digitized by Google

videntur [a] inexpiabiles sordes? in Mauritaniæ civitatibus, vobis intrantibus, quassatio populi facta est : mortui sunt in uteris matrum, qui fuerant nascituri. Non tibi videtur ruga, quæ non possit ullis satisfactionibus tendi aut explanari? Quid tale a nobis admissum est? nos exspectamus vindicem Deum. Et invidiam facitis Macario, qui si aspere aliquid fecit pro unitate, leve esse videri poterit : dum vos pro dissensione tanta mala acerba, cruenta et hostilia [b] feceritis. Quid commemorem Tipasam (47) Cæsariensis Mauritaniæ civitatem? ad quam de Numidia Urbanus Formensis (48), et Felix Idicrensis [c] (49), duæ faculæ, incensæ livoribus, cucurrerunt: (50) quietorum [d] et in pace positorum animos perturbantes : nonnullorum officialium et favore et furore juvante, et Athenio præside præsente cum signis, catholica frequentia exturbata et cruentata, de sedibus suis expulsa est : lacerati sunt viri, tractæ sunt matronæ, infantes necati sunt, abacti sunt partus. Ecce vestra Ecclesia, episcopis ducibus, cruentis morsibus pasta est. Post hoc etiam illud addidisti : *Quantum vult consumat edacitas vulturum, tamen major est numerus columbarum.* Ubi est quod vulgo dicitur, memoriam custodem habere oportet mendacem [e]? Oblitus es, quod [f] paulo ante dixisti, *Ecclesiam unam columbam* [g] *Christi in Canticis canticorum.* Si una est apud vos Ecclesia, una est columba : quid est quod dicere voluisti, numerus major est columbarum? A

XIX. *Eucharistia a Donatistis canibus data, ampulla chrismatis in præceptis projecta, aliaque eorum sacrilegia.* — Et quod vobis leve videtur, facinus immane commissum est, ut omnia sacrosancta supra memorati vestri episcopi violarent. (51) Jusserunt Eucharistiam canibus fundi [h]; non sine signo divini judicii : nam iidem canes accensi rabie, ipsos dominos suos, quasi latrones, sancti corporis reos, dente vindice, tamquam ignotos et inimicos laniaverunt. Ampullam quoque chrismatis per fenestram, ut frangerent, jactaverunt; et cum casum [i] adjuvaret abjectio, non defuit manus angelica, quæ ampullam spiritali subvectione deduceret : projecta casum sentire non potuit; Deo muniente, illæsa inter saxa consedit. (52) Et possent ista non fieri, si mandata Christi in memoria haberetis, qui ait : *Ne dederitis sanctum canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos, ne conculcent eas pedibus suis, et conversi elidant vos* (*Matth.* VII, 6). Quid tale ab operariis unitatis fieri potuit? unde nobis Catholicis **43** vanam invidiam facere laboratis! Inde revertentes Urbanus Formensis et Felix Idicrensis, (53) invenerunt matres, quas de B

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. S. T. et P. S. *non dividentur*, sed perperam.

[b] In ms. S. G. *inutilia*, errore amanuensis.

[c] In ms. S. T. *Idierensis;* sed postea in eodem ms. *Idicrensis.*

[d] In ms. S. T. et in editis, *qui et horum in pace, etc.*

[e] In ms. S. G. *memoriam custodem debere esse mentacis.* In ms. S. T. *memoriam custodem habere esse mendacem.* C

[f] In ms. S. T. *quid.* In ms. S. G. *quia.*

[g] In ms. S. T. *Catholicam*, errore amanuensis.

[h] In ms. S. G. *fundere.*

[i] In mss. S. T. et P. S. *casu.*

[j] In ms. S. G. *voluisti.*

VARIORUM NOTÆ.

(47) *Tipasam.* Urbem Mauritaniæ Cæsariensis, ut hic observat Optatus. Urbis hujus meminit Ptolemæus. Occurrit in Antonini Itinerario. Plinius eam Latio datam scribit. Est in notitia episcoporum hujus provinciæ *Tapasitanus* episcopus. Civium hujus urbis egregiam fidem laudat Victor Vitensis l. v, n. 6. DU PIN.

(48) *Formensis.* Duæ leguntur sedes episcopales hujus nominis in notitia Numidiæ. Adfuit Justus *Formensis* episcopus in collatione Carthaginensi. DU PIN.

(49) *Idicrensis.* Episcopus Numidiæ in notitia et in collatione Carthaginensi. DU PIN.

(50) *Qui et eorum in pace positorum animos perturbantes.* Vel est *perturbantes* pro *perturbarunt*, ut post aliquot paginas, *militantes et destruentes* pro *militastis* et *destruxistis*, vel est nominativus pro auferendi casu; quales ἀντιπτώσεις, etiam plusculas observabis in N. T. Vide eruditum interpretem ad Marc. XII, 40, et II Cor. IV, 13, qui exemplo elegantissimorum scriptorum fieri nonnunquam docet. Aliquando retinuit et interpres vetus, ut Coloss. III, 16 : *Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia docentes, et commonentes vosmetipsos.* Concilii Carthag. an. 419, initio. *Aurelius episcopus dixit : Post diem præstitutam concilii, ut recordamini, fratr. beatiss., multa flagitata sunt exspectantes fratres nostros,* ἐν τῷ ἀναμένειν ἡμᾶς τοὺς ἀδελφοὺς ἡμῶν, ut recte Græcus interpres : moxque iterum, *a decessoribus nostris eamdem synodum firmantes* ἀπὸ τῶν προηγησαμένων ἡμᾶς τὴν αὐτὴν σύνοδον βεβαιωσάντων. M. CASAUB. D

(51) *Jusserunt Eucharistiam.* Negabant Donatistæ Eucharistiam rite ab orthodoxis consecrari. ALBASP.

(52) *Et possent ista non fieri.* Observanda μείωσις pro *hæc autem minime facta essent, fieri non potuissent :* ut in cod. Theod. et apud Cassiodorum, *non jubemus*, pro *vetamus.* Vide ad Lamprid. p. 356. Ita constit. Apost. lib. III, c. 20 : *Nec presbyterum neque diaconum jubemus ordinare :* ἀντὶ vetamus quemquam vel presbyterum, vel etc. Græca non erant ad manum, cum hæc scriberem; sed interpretem opinor, hic quoque verbum verbo reddidisse. Sciendum tamen est, verbum *posse* sæpe redundare, ubi τῇ μειώσει locus non est. Sic hoc ipso libro circa finem, *mereri possunt* pro *merentur : mori potuerunt*, pro *mortui sunt :* etiam *pati potuerunt*, pro *passi sunt;* item, *potuit geri*, pro *gestum est.* Operæ et chartæ parco, ne plura congeram : sed multo plura similis locutionis exempla, poterit in hoc uno scriptore sedulus lector observare. Quo fortasse pertinet et illud S. Marci VI, 5, καὶ οὐκ ἠδύνατο, *et non poterat ibi virtutem ullam facere*, etc. ut et illud Genes. XIX, 22, דבר לא כי אוכל לעשות quod vulg. ad verbum, *quia non potero facere quidquam.* M. CASAUB.

(53) *Invenerunt matres quas de castimonialibus.* Matres possumus Abbatissas interpretari. Quemadmodum enim Patres vocati qui monachis, ut docet Augustinus de moribus Eccles. Cath. cap. 31, ita quæ Monialibus præerant, matres olim vocatæ. Hieronym. ad Sabinianum diaconum lapsum : *Moris est, Ægyptiis et Syriis monasteriis, uttam virgo quam vidua, quæ Domino se vovérint, et sæculo renuntiantes omnes delicias sæculi conculcaverint, crinem monasteriorum matribus offerant descecandum, non intecto postea, secundum voluntatem Apostoli incessuræ capite, sed ligato pariter ac velato.* Ita descripsi ex antiquo codice ms. quem nuper in hac urbe nactus sum. Idem Hieronymus, et ex eodem codice adversus Vigilantium circa finem :

Digitized by Google

castimonialibus fecerant [a] mulieres (54). Ecce quales [b], frater Parmeniane, episcopos celas [c] : et cum pro tuis erubescere debueras, Catholicos innocentes accusas. Interea supra memoratus Felix inter crimina sua, et facinora nefanda, ab eo comprehensa puella cui (55) mitram (56) ipse imposuerat, a qua paulo ante (57) pater vocabatur, nefarie incestare minime dubitavit. Et quasi de peccato sanctior fieret, Tysedim [d] velociter properavit. Sic (58) Donatum annorum septuaginta episcopum, hominem innocentem spoliare ausus est episcopali (59) nomine et officio et honore. Venit schismaticus ad episcopum catholicum, ad innocentem reus, ad Dei sacerdotem sacrilegus, incestus ad castum, ad episcopum jam non episcopus; sed de (60) placito et de conjuratione vestra securus, vestris legibus et decretis armatus : (61) manus, quas paulo ante peccata gravaverant [e], capiti innocentis injecit : et de illa lingua A ausus est ferre sententiam, (62) quæ jam nec ad pœnitentiam agendam vel [f] idonea videbatur. Ecce quales, frater Parmeniane, defendis : ecce (63) pro qualibus jamdudum dotes operari dixisti.

XX. *Contra Donatistas qui se sanctos dicunt, nullum hominem esse a peccato immunem et perfectum.*— Etiam vos ipsi, qui sancti [g] et innocentes videri ab hominibus vultis, dicite, unde est ista sanctitas, quam vobis licentius usurpatis? quam Joannes apostolus profiteri non audet, qui ait : *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est* (I *Joan.* I, 8). Hoc qui dixit, sapienter se ad Dei gratiam reservavit. Est enim Christiani hominis, quod bonum est, velle; (64) et in eo [h], quod bene voluerit, currere : 44 sed homini non est B datum, perficere : ut post spatia, quæ debet homo implere, restet aliquid Deo, ubi deficienti succurrat : quia ipse solus est perfectio, et perfectus solus Dei

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ita in ms. S G. Male in ms. S. T. et in editis *fecerunt*.

[b] In ms. S. G. *qualis est*, lapsu amanuensis.

[c] Forte *zelas*.

[d] Ita in ms. S. G. In mss. S. T. et P. S. *sedi*, corrupte in editis inde. *Tysedis*, locus erat cujus episcopus Donatus. In collatione Carthaginensi est episcopus *Tiseditensis* in Numidia, et *Tisidii* meminit Salustius in libro de bello Jugurtino cap. 62. In notitia episcoporum Africæ, *Tididitanus* aut *Tiditanus;* et in Leonis notitia *Titisis*.

[e] Ita in ms. S. G. In mss. S. T. et P. S. *crassaverant*.

[f] Deest in ms. S. G..

[g] In ms. S. G. *Qui quasi sancti*.

[h] Ita in ms. S. G. In mss. S. T. et P. S. necnon in editis, *in Deo;* sed contra mentem auctoris, qui statim ait, *nostrum est velle, nostrum est currere; Dei perficere*.

VARIORUM NOTÆ.

Matres vocamus, sorores, et filias, et non erubescimus vitiis nostris, nomina pietatis obtendere. Quid facit Monachus in cellulis fœminarum, etc. Præterea solemne huic nostro, verbum *invenire*, hac in re post C aliquot paginas, *invenistis pueros*, etc. *invenistis fideles antiquos*, etc. *Invenistis diaconos, presbyteros*, etc. Cur tamen hic potius, *Matrum*, quæ singulæ præerant, quam monialium sub earum imperio, ac disciplina viventium meminisset? Præterea, tot ibi tum fuisse credibile est, consecratarum Deo virginum, sive *monasteria*, sive *diversoria* (Augustinus 33 cap. de Moribus Ecclesiæ), ut hinc sequeretur, si plures matres? quare verius ego puto, ut *matrem* hic communiter accipiamus : nempe pro puerpera : et acutior sane tum erit sententia. *Fecerunt* autem, pro *fecerant*, nisi ipsum *fecerant*, reponendum. Quondam pro *matres* legebam *mitratas* : sed non probo. Cæterum de mitris et mitrellis, velisque virginum sanctarum, tum purgandi ritu, per cineres et salsam aquam, et si quæ alia ad ritus antiquos, in hoc nostro pertinentia, ut de pœnitentia passim multa observanda; hæc omnia a viris doctis pridem occupata, nos consulto præterimus. Neque enim hoc agimus, ut chartas impleamus, aut aliorum plumis superbi, qui multorum hodie mos est, nos ostentemus; sed si quæ adhuc in Optato obscura et aliis hactenus, quod quidem sciamus, intacta, ea nos illustranda suscepimus. M. Casaub.

(54) *Invenerunt matres, quas de castimonialibus fecerant mulieres.* Invenerunt eas peperisse quibus virginitatis velum detraxerant, et quas sic de castimonialibus mulieres fecerant. Du Pin.

(55) *Mitram.* Indumenti et tegminis genus quo, quæ Deo dicatæ essent, utebantur. Albasp.

(56) *Mitram.* De hoc nomine vide quæ dicemus infra in notis ad librum VI. Du Pin.

(57) *Pater vocabatur.* Quia eam, cum castimonialis fieret, quasi Deo pepererat. Albasp.

(58) *Sic Donatum.* Quemdam episcopum ex orthodoxis. Albasp.

(59) *Nomine.* Nomen, officium, et honor : tria hæc in episcopo distinguebantur : nam quidam officio privabantur, quibus neque honor, neque nomen episcopale detrahebantur : rursus quidam et honore et officio spoliabantur, quibus nomen episcopi relinquebatur : denique cum ad laicos rescriberentur et deponerentur, horum trium privatione puniebantur. Albasp.

(60) *Placito.* Melius *de Palatio.* Albasp.

(61) *Manus, quas paulo ante peccata crassaverant.* Idem Fr. Balduinus, *gravaverant*. Barthius, crassare inculcatum verbum, inquit, est ævi sequioris, quo et Sidonius Apollinaris usus, et Agroetius orthographiæ commentarium suum fecit ornatiorem. Ubi ait : *Crassari corporis est et saginæ : Grassari autem animi et crudelitatis.* Vide et Zenonem Veronensem antistitem. Incert.

(62) *Quæ jam vel ad pœnitentiam.* Hæc lingua ausa est damnare Donatum episcopum annorum septuaginta, quæ post tanta crimina digna non erat quæ ad pœnitentiam admitteretur, sed in perpetuum ab Ecclesia debebat excludi. Albasp.

(63) *Pro qualibus.* Ecce quorum opera et ex opere operantis sacramenta, et gratiam sacramentorum vultis conferri. Albasp. D

(64) *Et in Deo quod bene. Et in eo*, non autem *Deo* scribendum esse vel cæcus videat : mox enim : *Quia nostrum est velle, nostrum est currere : Dei autem perficere*. Ad ea nempe Apostoli respexit : *Igitur neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Quibus in verbis, qui Verborum Hebraicorum רָצָה vim et רָעָה vim non advertunt, suavissimæ et elegantissimæ παρονομασίας, quam in animo tum habebat Apostolus, quæque his verbis occasionem dedit, jacturam faciunt. Sed et τοῦ הָרָם prima syllaba, ut pars τῆς παρονομασίας attendenda. Commode autem sunt hæc Optati, et ex mente Apostoli accipienda, ne eidem Apostolo contradicere videatur ad Philipp. II, 12, *Deus est enim*, etc. Sed hac de re tota adi si lubet, virum præstantissimum, et quod non in minima felicitatis parte ponimus, nobis amicissimum, in opere laudatissimo, lib. IV, parte secunda. M. Casaub.

Digitized by Google

Filius Christus. Cæteri omnes semi-perfecti [a] sumus. Quia nostrum est velle, nostrum est currere; Dei, perficere. Unde beatissimus apostolus Paulus, ait: *Neque volentis, neque currentis, sed ad Dei gratiam pertinentis* (*Rom.* IX, 16). Nam et a Christo salvatore nostro, perfecta sanctitas non est data, sed promissa. Denique sic ait: *Sancti eritis, quia ergo sanctus sum* (*Levit.* XI, 45). Solus est ergo perfectus et sanctus. Denique non dixit, *sancti estis*, sed, *sancti eritis*, dixit. Unde est ergo, quod vobis perfectam sanctitatem de superbia vindicatis? nisi ut appareat, *quia vos ipsos decipitis, et veritas in nobis non est.* In Joannis schola[b] esse noluistis. Cum enim seducitis aliquos, promittitis vos indulgentiam peccatorum esse daturos: et cum vultis donare peccata, vestram profitemini innocentiam: et remissionem peccatorum sic datis, quasi nullum [c] habeatis ipsi peccatum. Non est ista præsumptio, sed deceptio: nec veritas, sed mendacium. Etenim inter vicina momenta, dum (65) manus imponitis et delicta donatis, mox (66) ad altare conversi, (67) dominicam orationem prætermittere non potestis. Et utique dicitis: *Pater noster, qui es in cœlis, dimitte nobis debita et peccata nostra.* Quid vocaris [d], dum peccata confiteris tua? si sanctus es, dum dimittis aliena? hoc modo et vos ipsos decipitis, et veritas in vobis non est. Sed ut apparet, hoc vobis dictat nutrix vestra superbia, quam Christus in Evangelio testificatur: quia etsi nomina vestra non dixit, per similitudinem tamen vestros mores ostendit; sic enim scriptum est: *Dicebat Jesus hanc similitudinem, propter eos qui se sanctos putant, et contemnunt cæteros* (*Luc* XVIII, 9). Hoc de vobis dictum esse, ipsa res evidenter ostendit; dum vos quasi sanctos extollitis, et nos manifeste aperteque contemnitis: *Duo* (inquit) *ascenderunt in templum adorare, unus Pharisæus, et unus Publicanus* (*Ibid.* 10). Pharisæus tumidus, superbus, inflatus, talis, quales et vos videmus: non humiliato corpore, non inclinata cervice; sed erecta facie, et tumenti pectore: *Gratias tibi, Deus, quia nihil peccavi;* hoc est dicere Deo, non habeo quod ignoscas. Hoc insanus furor, hoc punienda et damnanda superbia. Deus paratus est ignoscere, et reus festinat indulgentiam recusare. Publicanus humilis, hominem se esse cognoscens, sic rogavit, dicens: *Propitius esto, Domine, mihi peccatori* (*Ibid.* 14). Sic justificari meruit humilitas [e]: sic superbia in Pharisæo, magistro vestro, de templo damnata descendit. Meliora inventa sunt peccata cum humilitate, quam innocentia cum superbia. Deinde cum vobis traditionis et schismatis gravia peccata non desint, insuper et superbos vos esse gratulamini [f].

XXI. *Reprehenduntur Donatistæ quod episcopos dignitate spoliarint et pœnitentiæ laboribus subjecerint.*— Nunc quoniam erubescenda gaudia vestra probavimus, et furor vester tot locis ostensus est; restat de profunda impietate vestra aliquid dicere. Nam omnia, quæ a vobis fiunt aut facta sunt, quis poterit explicare? sic cuncta malignitate quadam ordinasse vos constat, ut in una specie operis vestri, species alias impleretis: ut dum presbyter aut (68) episcopus dejicitur, sic populus caperetur. Quomodo [g] posset turba hominum stare, quæ rectorem suum a vobis elisum esse conspiceret? Non aliter, quam quocumque casu, pastore occiso, lupi grassantur. Exorcizastis fideles [h], et lavistis sine causa parietes: ut hoc nequitiæ genere subrueretis simplicissimorum hominum mentes. Talibus consiliis vestris, nonnullorum animi jugulati sunt, et sub nube simplicitatis, obcæcato astutiæ lumine, ut miseros sterneretis, sagittas de pharetra pectoris vestri, seductionibus præmisistis: ut de vobis Spiritus sanctus per David prophetam in psalmo prædixerit: *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum: paraverunt sagittas in pharetra sua, ad sagittandos obscura luna rectos corde* (*Ps.* X, 3). Quid a vobis minus factum est vestris consiliis? sauciati [i] sunt innocentes, exarmati fideles, honore nominis sui spoliati sunt sacerdotes. O impietas inaudita, **45** (69) quem jugulaveris inter pœnitentiæ tormenta servare! (70)! in comparatione operis vestri, latronum levior videtur immanitas. (71) Vos vivum

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. *imperfecti.*
[b] Ita in mss. S. T. et P. S. In ms. S. G. *Joannis socii.*
[c] Deest in ms. S. G.
[d] In ms. S. G. *vocitaris.*
[e] Additum hoc verbum ex ms. S. G.
[f] Ita in ms. S. G. In ms. S. T. *Insuper et super vos esse gratulamini: super vos*, pro *superbos.*
[g] In mss. S. T. et P. S. *quando.*
[h] In ms. S. G. additur istud *fideles*, quod deest in mss. S. T. et Ph. S.
[i] Ita in ms. S. G. In ms. S. T. et in editis *sagittati.*
[j] Ita in ms. S. G. In mss. S. T. et P. S. *sævire.*

VARIORUM NOTÆ.

(65) *Manus imponitis.* Publice et in missa pœnitentes olim absolvebantur: Tertull. de pudicita, *prosternens in medium:* item, *cæteras etiam metu comples.* ALBASP.

(66) *Mox ad altare conversi.* Absolutis pœnitentibus ad altare revertebantur episcopi. ALBASP.

(67) *Dominicam orationem.* Ergo absolutio fiebat ante orationem Dominicam, et ante communionem. ALBASP.

(68) *Dum episcopus dejicitur.* Loco removetur. Tertull. de Exhort.: *Memini digamos loco dejectos*: episcopos e suis sedibus deturbabant, laicos faciebant; pœnitentiæ manus eis imponebant, hæc omnia ut fidelium animos ab Ecclesia averterent. ALBASP.

(69) *Quem jugulaveris inter pœnitentiam.* Aliæ editiones hæc ita legunt: *O impietas inaudita, quæ jugulas inter pœnitentiæ tormenta secure! in comparatione*, etc. Quod præcedentibus quidem non male convenit, sed quæ sequuntur, illud potius exigere videntur quod in hac editione. M. CASAUB.

Ibid. *Inter pœnitentiam et tormenta servare.* Episcopos quos deposuerant, et privatione episcopatus occiderant, eos demum inter pœnitentes rescribebant: hoc erat jugulatos servare inter tormenta pœnitentiæ. ALBASP.

(70) *Quem jugulaveris inter pœnitentiæ tormenta servare.* Sacerdotem quem gradu dejeceris in pœnitentiæ laboribus detinere. DU PIN.

(71) *Vos vivum facitis homicidium.* Similis episcopos quos occidistis et quos dignitate spoliastis, inter

Digitized by Google

facitis homicidium (72) : latro jugulatis dat de morte compendium : paupertate sensus sui circumventi sunt, quos decipere potuistis. Perfecti enim fuerant illi, opere scilicet Dei, qui in ejus nomine fuerant ordinati. Et vos contra opus Dei hostiliter militantes, divinum opus malitiæ [a] vectibus destruentes. Apparet ergo de vobis dictum esse in x psalmo : *Quoniam quæ tu perfecisti, ipsi destruxerunt* (*Ps.* x, 4). Fecit vos superbos impietas vestra : sed accusat vos prospiciens de cœlo justitia : et iniqua vos gerentes error hominum laudat, ut de vobis in IX psalmo dixerit Spiritus sanctus, *quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ; et qui iniqua egerit, benedicetur* (*Ps.* IX, 24). Quid iniquius, quam exorcizare Spiritum sanctum ; altaria frangere; Eucharistiam animalibus projicere? et (73) ut in errorem vos vester populus mittat, laudando felices appellant, et (74) bene nominant (75), et 76 per vos jurant, et personas vestras jam pro Deo habere noscuntur.

XXII. *Impietas Donatistarum qui per suos jurabant episcopos.* — Solet Deus ad probandam fidem in juratione ab hominibus nominari; sed cum per vos juratur, jam apud vestros de Deo et Christo silentium est [b]. Si ad vos divina migravit de cœlo religio, quia per vos juratur, nemo vestrum aut vestrorum langueat : nolite mori : imperate nubibus, pluite si potestis; ut per vos plenius juretur, et de Deo sileatur. Nam et prioribus sæculis, ut templa fabricarentur, et Idola fierent, quid a vestro populo diabolus potuit amplius facere? nihil aliud, nisi ut de Deo taceretur, dum per errorem homines de solo diabolo loquebantur.

XXIII. *Reprehenduntur Donatistæ quod unctorum Dei sacerdotum capita raserint.* — O sacrilegium impietati commissum [c]! dum homines per vos jurantes libenter auditis, et vocem Dei auribus non admittitis vestris qui in CIV psalmo (v. 15) sic ait : *Ne tetigeritis unctos meos ; neque in prophetas meos manum miseritis.* Unctos autem esse et reges et sacerdotes, et libri Regnorum indicant; et David in psalmo CXXXII (v. 2) sic ait : *Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam Aaron.* (77) Et tamen vos contra iisdem viribus conati estis præcepta contemnere, quibus, qui Deum timent, mandata conantur implere. **46** Docete ubi vobis mandatum est, (78) radere capita sacerdotum (79), cum e contrario sint tot exempla proposita, fieri non debere. Saul antequam peccaret, ungi meruit : post unctionem non leviter offendit. Hoc Deus cum videret [d], propter oleum non tangendum, volens exempla proponere, pœnitentiam professus est; sic enim legitur dixisse Dominum : *Pœnitet me unxisse Saul in regem* (I *Reg.* XV, 11) ; et

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ita in ms. S. G. In mss. S. T. et P. S. *militiæ*.
[b] In ms. S. G. *siletur*.
[c] Ita in ms. S. T. *junctum scilicet impietati sacrilegium*: quippe sacrilegium est per hominem jurare, impietas de Deo silere ac ejus vocem non audire.
[d] In ms. S. T. *diceret*, lapsu exscriptoris.

VARIORUM NOTÆ.

pœnitentes miseram vitam trahere : hoc est, vivum homicidium facere. ALBASP.

Ibid. *Vos autem vivum homicidium facitis.* Pro eo dixit quod est, vos deturbatos bonis et dignitatibus, summates viros vivere in pœnam, velut ipsis sibi superstites facitis. Manil. libro V :

Virginis et vivæ rapitur sine funere funus.

Bona atque dignitates, altera hominibus vita, alter sunt sanguis, ut jurisconsultus barbaræ vocis, minime vero mentis, Accursius dixit. Cujus generis alia videre te volumus apud Joan. Meursium, optimum, eruditissimum, nobisque amicissimum virum, in animadversionibus Miscellis. Ejusdem sententiæ est Ulyssis ad Penelopen versus apud Ovidium :

Viscera nostra, tuæ dilacerantur opes. BARTH.

(72) *Vivum facitis homicidium.* Episcopos quos occidistis quod spectat ad vitam civilem, id est, quos honore et dignitate spoliastis, miseram vitam inter pœnitentes trahere cogitis, hoc est, *vivum facere homicidium.* DU PIN.

(73) *Et ut in errorem vos vester populus mittat, laudando felices appellant, et bene nominant*, etc. *Bene nominant*, id est, loco omnis boni vestra nomina proferunt. Tibullus l. II, eleg. 1 :

Sed bene Messallam sua quisque ad pocula dicat :
Nomen et absentis singula verba sonent. BARTH.

(74) *Et bene nominant.* Id est, *loco ominis boni vestra nomina proferunt :* vir doctus ad hunc locum, qui etiam profert locum Tibulli :

Sed bene Messallam sua quisque ad pocula dicat,
Nomen et absentis, singula verba sonent.

Illud fortasse verum, sed hoc parum apposite, ni fallor. Aliud enim est amicorum, sive præsentium, sive absentium inter bibendum meminisse, et illis bene precari Plautina illa formula : *Bene me, bene te, bene nos, bene vos, bene nostram etiam Stephanium :* aliud, *nomen alicujus, ominis boni causa proferre ;* quod qui facit, sibi potius bene precatur. Non me latet, deos quoque deasque appellari solitos a bibentibus, quos probabilius boni ominis causa nominatos putes ; sed illud neque ad hunc Optati, neque illum Tibulli locum pertinet. Possis etiam interpretari, *bene nominant*, quoties nominant, *benedictos* appellant : quomodo Tertullianus *benedictos* et *benedictas* proprie designatos martyres, paucis ad *martyres* capitibus sæpius. Solitos autem Donatistas *de persecutione Catholicorum*, passim quæri, et sese suosque *veritatis martyres* nuncupare, pluribus docet Augustinus. M. CASAUB.

(75) *Bene nominant.* Bene precantur vobis : vos ut sanctos et Dei amicos prædicant. DU PIN.

(76) *Per vos jurant.* Hæc ad Donatum Carthaginensem referenda sunt, qui patiebatur ut per se homines jurarent. ALBASP.

Ibid. *Per vos jurant, et personas vestras pro Deo habere noscuntur.* Vide et lib. III. Horatius carminum lib. IV, od. 5, ad Augustum :

Hinc ad vina redit lætus et alteris
Te mensis adhibet Deum.

Item :

Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.
INCERT.

(77) *Et tamen vos contra easdem vires.* Miror unde hæc in meliorem hanc editionem irrepserint, cum melius antea legeretur : *et tamen vos contra, iisdem viribus conati*, etc. M. CASAUB.

(78) *Radere capita sacerdotum.* Pœnitentium capita radebantur et cinere aspergebantur ; itaque cum sacerdotibus pœnitentiam imponerent Donatistæ, eis capita radebant. ALBASP.

(79) *Radere capita sacerdotum.* Radebant Dona-

Digitized by Google

utique potuit Deus oleum quod dederat auferre. Sed cum voluit docere, non debere contingi oleum etiam in peccatore: ipse qui dederat, pœnitentiam gessit. Igitur Deus, si, ut te doceret, quod dedit auferre non potuit, per quod noluit: tu quis es, ut auferas quod non dedisti? et qui parare debebas aures ad audiendum, parasti novaculam ad delinquendum: et cum possetis esse filii Dei, filii hominum esse voluistis; et ad infigendum morsum honoribus alienis, dentes vestros in sagittas et arma vertistis; linguas acuistis in gladios: implestis quod de vobis in psalmo LVI scriptum est: *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus* (*Ps.* LVI, 4).

XXIV. *Injuria facta a Donatistis omni hominum generi et ætati per impositionem manuum in pœnitentiam.* — Ergo linguas vestras acuistis in gladios, quas movistis (80) in mortes, non corporum, sed honorum: jugulastis non membra, (81) sed nomina. Quid prodest, quia vivunt homines, et (82) honore a vobis occisi sunt? valent quidem membris, sed ereptæ portant funera dignitatis. (83) Extendistis enim manum, et super omne caput (84) mortifera velamina prætendistis: ut cum sint (sicut supra dixi) (85) quatuor genera capitum in Ecclesia, episcoporum, presbyterorum, diaconorum, et fidelium: (86) nec uni parcere voluistis: (87) evertistis animas hominum. Hos actus vestros odit Deus in Ezechiele propheta, cum dicit: *væ facientibus velamen*, hoc est, imponentibus manum *super omnem ætatem* [a] *ad evertendas animas* (*Ezech.* XIII, 18). (88) Invenistis pueros; de pœnitentia sauciastis, ne aliqui ordinari potuissent. Agnoscite vos animas evertisse. Invenistis (89) fideles antiquos, fecistis pœnitentes. Agnoscite vos animas evertisse. Invenistis diaconos, presbyteros, (90) episcopos, fecistis laicos. Agnoscite vos animas evertisse.

XXV. *Iterum in Donatistas, qui sacerdotes innocentes dignitate et honore spoliabant et pœnitentiæ addicebant.* — (91) Socius et comes vester jamdudum fuerat, cui nunc manus inferre conatus es: pariter currebatis: fac illum peccasse (cum peccatum non esse constet); jacebat ut æstimas: si Apostolum legisti, tu vide cui stes, et illi cui jaceat: si servus es, dominum recognosce, et intellige, quia non tibi jacebat, qui tecum paulo ante currebat. Quid in potestatem alienam irruis? quid temerarius Dei tribunal ascendis? et cum ipse sis reus, in alterum audes ferre sententiam? et legisti: *qui stat, domino stat suo, et qui jacet, domino suo jacet* (*Rom.* XIV, 4). Potens est autem dominus ejus, suscitare eum: tu qui es, qui de servo alieno judices? Oleum sacerdoti a Deo collatum, non debuisse vos tangere, a puero Dei David discere debuistis, qui sic per Samuelem ungitur, ut Sauli quod jamdudum datum fuerat, minime 47 tolleretur (I *Reg.* XVI). Denique vel cum Deo jubente vel eventu procurante, una eos spelunca concluderet; venerat in potestatem pueri David Saul, qui peccaverat. (92) Videtur non videns, ideo

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. *super omne caput et super omnem ætatem.*

VARIORUM NOTÆ.

tistæ capita sacerdotum, quasi ad auferendam unctionem sacerdotalem. DU PIN.

(80) *In mortes non corporum, sed honorum.* Quia episcopos honore et officio spoliarent. ALBASP.

(81) *Jugulastis nomina.* Dignitatem detraxistis. ALBASP.

Ibid. *Jugulastis non membra, sed nomina. Nomina* pro *dignitatibus* et *honoribus* posuit. Ibidem subjungit ecce, *ereptæ portant funera dignitatis*, et pag. 60, *gutturi vestro honorum funera minime sufficiant.* Item pag. 60, *Dei episcopos linguæ gladio jugulastis, fundentes sanguinem non corporis, sed honoris*, etc. INCERT.

Ibid. *Sed nomina.* Nomina, pro dignitatibus posita notabamus. *Jugulastis non membra sed nomina.* Cum statim dicat, *ereptæ funera dignitatis.* Ovidius:

Vive tibi et longe nomina magna cole.

BARTH.

(82) *Occisi sunt honores.* Nihil turpius olim, neque indignum magis, quam videre episcopum inter pœnitentes: ideo ait occisos fuisse episcopos quos pœnitentes fecerant ALBASP.

(83) *Extendistis enim manum.* Imposuistis pœnitentiam omnibus, et omnes ordines, episcopos, presbyteros, diaconos, et laicos vere fecistis. ALBASP.

(84) *Mortifera.* Summum erat scelus iis qui nihil committerant pœnitentiam imponere: nam erat innocentem reum facere, et peccatum illi tribuere. ALBASP.

(85) *Quatuor genera capitum.* Si credamus iis qui sacrificandi potestatem sacerdotibus et laicis juxta concedunt, unum tantum erit capitum genus. ALBASP.

(86) *Nec uni parcere voluistis, evertistis animas hominum.* Tolle mendum nimis quam manifestarium, legendo *animas omnium.* INCERT.

(87) *Evertistis.* Qui fidelem ex lege Christi et ex ejus corpore rescendit, is statum fidelium evertit. ALBASP.

Ibid. *Evertistis animas hominum.* Corrige cum viro docto *animas omnium*, quale est quod et septimo legebatur: *Si unum est quod ab hominibus admittitur*, etc., ubi correximus, *omnibus.* M. CASAUB.

(88) *Invenistis pueros.* Extremum erat malitiæ genus pueros ac propterea innocentes, et omni lumine vacuos ad pœnitentiam cogere; nam post publicam illam pœnitentiam in clerum adlegi non poterant amplius: uti ait, *ne qui ordinari potuissent.* ALBASP.

(89) *Fideles antiquos.* Seniores laicos, pœnitentiam quamvis nihil peccassent, subire coegerant. ALBASP.

(90) *Episcopos fecistis laicos.* Episcopos orthodoxos deponebant: hos postmodum inter pœnitentes relegabant, et acta pœnitentia laicos faciebant; quod merito exprobrat Donatistis Optatus; nam episcopus olim poterat fieri laicus, ut legimus de Trophimo, sed hoc non fiebat nisi ob aliquod grave crimen: deinde pœnitentia illi nunquam imponebatur. ALBASP.

(91) *Socius et comes.* Hoc est, illi episcopi quos pœnitentia sauciastis, erant socii et fratres vestri, qui si quid fecerant, erant deponendi, non pœnitentia puniendi, non hoc dedecore afficiendi: oleum enim Dei non est violandum. ALBASP.

(92) *Videtur non videns*, etc. Lege disjuncta voce *clausi oris.* Os autem totam denotat faciem; Germanicus de Astrea:

Seraque ab Ecclesiis descendens nonnibus, ore
Velato.

Digitized by Google

BARTH.

quod a majori lumine (ut fieri assolet) (93) in caligine clausi aeris, alterum juxta se videre non potuit. Innumerabiles antiquum regem sequebantur exercitus: sed ipse rex in potestatem venerat alienam. Occasionem victoriæ David habebat in manibus: incautum et securum adversarium, sine labore poterat jugulare: et sine sanguine et conflictu multorum, poterat bellum per compendium mutare in cædem [a]: et pueri ejus et occasio suadebant: ad victoriam opportunitas hortabatur. Stringere jam cœperat ferrum; ire jam cœperat armata manus hostiles in jugulos: sed obstabat plena divinorum memoria mandatorum; hortantibus se pueris et occasionibus contradicit, tamquam et hoc diceret: sine causa me, victoria, provocas; frustra me, occasio, in triumphos invitas. Volebat hostem vincere; sed prius est Domini divina præcepta servare. *Numquid mittam manus in unctum Domini* (I *Reg.* XXIV, 7)? Repressit cum gladio manum; et dum timuit oleum, servavit inimicum. Et ut [b] compleret observantiam, vindicavit occisum (II *Reg.* I). Vos nec Deum timetis, nec fratres agnoscitis, in cote [c] livoris acuistis novaculas linguæ; et divina præcepta calcantes, miserorum properastis in capita, (94) ut in captivitatem cæcos [d] et imperitos populos, jugulatis [e] ducibus, traheretis. Esuritis honores innocentium sacerdotum: unde furori vestro tanta fames innata est, ut guttura vestra sepulcra patentia faceretis. Unicuique sepulcro sufficit unum funus, et clauditur: gutturi vestro honorum funera minime suffecerunt, et adhuc patent, dum aliquos quæritis devorare; ut merito de vobis dictum sit: *sepulcrum patens est guttur eorum* (*Ps.* V, 11); nam et de maledictione præsumitis, cum scriptum sit: *Benedicite et nolite maledicere* (*Rom.* XII, 14). Quisquis contra vestram voluntatem aliquid [f] fecerit, intentatis terrores, maledicta prætenditis; et quia aliqui homines, plus mali mereri possunt quam boni; quidquid (95) judicium Dei aut peccati meritum fecerit, amaris vestris maledictionibus vindicatis: merito de vobis dictum est in psalmo XIII (v. 3): *Os eorum maledictione et amaritudine plenum est.* Gloriamini, quod vobis maledicentibus, aliqui homines mori potuerunt. Certe non licet occidere. An ideo vos putatis innocentes, quia ferro usi non estis? (96) innocentem se et venenarius judicet, si in solo ferro est homicidium: non sibi videatur reus, qui alterum subducto cibo necaverit: innocentem se judicet, qui spirandi prohibita facultate, suffocaverit vivere cupientem. Necis multa sunt genera, sed unum nomen est mortis. Maledictionibus tuis cum fiducia hominem mortuum protestaris, quid 48 interest, an gladio ferias, an lingua percutias? indubitanter homicida es, si per te mortuus fuerit qui vivebat. Quisquis talis ex vobis

LECTIONES VARIANTES.

[a] In tribus mss. *mittere cædem*, sed recte emendatum in editis.
[b] In ms. S. T. et in editis, *Cum*.
[c] In ms. S. G. *in cute*. In aliis *corde*: legendum *cote*.
[d] In ms. S. G. additur *ducitis*, quod superfluum.
[e] Male in ms. S. G. *jugulantis*.
[f] Deest in mss. S. T., P. S.

VARIORUM NOTÆ.

(93) *In caligine clausieris.* Manifestum itidem mendum legit voce disjuncta Fr. Balduinus, *clausideris*; Sed Barthius emendat *clausi oris*. Os totam faciem denotat; Germanicus Cæsar in signo Astrææ:

Seraque ab excelsis descendens montibus, ore
Velato. INCERT.

Ibid. *In caligine clausi aeris*, etc. Ideo ait, Saulem visum a Davide videre tamen ipsum non potuisse, cum uterque in eadem essent spelunca, quod Sauli a majore lumine oculi adhuc caligarent. Vulgo experimur, ut qui ex apertis in clausa et tenebricosa, subita emigratione deveniunt, claramque lucem obscuriore aliquo loco repente mutant, illi aliquandiu nihil omnino videant, ut et illis contra, qui ex densis tenebris in apertam lucem subito prodeuntes, totum simul admittunt solem, repentino fulgore oculos ad aliquod tempus præstringi. Ad verba quod attinet, aut subaudiendum est *veniens*, a majori *veniens* lumine; aut *a majori lumine*, id est, propter majus lumen, præ majori lumine; quod scilicet ante paulo oculos ejus implebat, etc. *Clausi aeris*, ut hic est, ferri potest, pro quo tamen si quis *clausi antri*, vel *clausuræ*, vel tale quid malit, dummodo eodem recidat, ego non contenderim. Barthius, inquit vir doctus, emendat, *clausi oris*. Hoc quoque ferri potest; non illud item, quod mox subjicit: *os aliquando totam faciem denotare*. Quorsum enim illud hic? Sane si *oris* admittamus, de *ore speluncæ*, ut in vulg. occurrit interdum, non hominis intelligendum esse, dubitaturum credo neminem. Sed nec principis editionis contemnenda scriptura est, *in caligine clausus*; mox, *poterat bellum per compendium mutare in cædem*: aliæ editiones plenius: *poterat bellum mutare in cædem*; paulo post, *in cote livoris acuitis novaculas*: pro quo prima facie, *in corde livoris*, non dubitabam reponendum, sed jam mihi videtur illud et elegantius et acutius. Mox *in captivitatem trahere*, cum tam clarum sit, quam si solis radio scriptum esset, quid dicemus illos, nisi nodum in scirpo quæsivisse, qui *in captivitatem cæcos*, id est, prorsus excæcatos, et oculis orbatos seu captos, ex Apuleio maluerunt interpretari. M. CASAUB.

(94) *Ut in captivitatem cæcos aut imperitos populos.* Vocat *in captivitatem cæcos*, prorsus excæcatos et oculis orbatos seu captos. Sic Apuleius, *defletis ad captivitatem oculis*. INCERT.

(95) *Judicium Dei.* Quid sit vindicare maledictionibus quidquid judicium Dei fecerit, non satis intelligo, nisi velit dicere quidquid Deus fieri permisit contra eorum voluntatem. ALBASP.

Ibid. *Quidquid judicium Dei*, etc. Quia, inquit, fit solet usu venire, ut non omnes sint felices, quidquid e nostris alicui contingit adversi, id vos protinus vestris maledictionibus vindicatis et asseritis, quasi eorum vi ac virtute contigisset. Fecit Albaspinæus ut interpretandum putarem, ne valde reconditum quis putaret et obscurum, quod ipse profitetur, se non intelligere. M. CASAUB.

(96) *Innocentem se et venenarius judicet*, etc. *Venenarium* vocat hominem veneficum et pharmacopœum κακῶν τῶν φαρμάκων, quod nomen notandum. Usitatum non huic soli, verum etiam aliis non de plebe scriptoribus, Tertulliano, Julio Firmico, ipsi denique Suetonio. INCERT.

Ibid. *Venenarius.* Hominem dicit veneficum κακῶν φαρμάκων conditorem. Venenatores eloquentissimus ævi ultimi scriptor Saxo Grammaticus dixit, ut a nobis infra his libellis docebitur. BARTH.

Digitized by Google

est, frustra se Christianum aut sacerdotem Dei profitetur, qui lenitatem Dei non curat imitari [a]; cum scriptum sit in Salomone : *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum* (*Sap.* I, 13). Credo vos oblivisci non posse, quid per loca aliqua feceritis, cum eos, qui legem Dei prædicabant, id est, prophetas velletis occidere contra jussionem Dei dicentis : *Et in prophetas meos manum ne miseritis* (*Ps.* CIV, 15). Deuterium, Partenium, Donatum [b], et Getulicum, Dei episcopos, linguæ gladio jugulastis, fundentes sanguinem non corporis, sed honoris. Vixerunt postea homines, sed a vobis occisi sunt in honoribus, Dei sacerdotes. Multis notum est et probatum, persecutionis tempore episcopos aliquos, (97) inertia a confessione nominis Dei delapsos thurificasse, et tamen nullus eorum qui (98) evaserunt, aut (99) manum lapsis imposuit, aut (1) ut genua figerent [c]; imperavit. Et facitis vos hodie [d] (2) post unitatem, quod a nullo factum est post thurificationem : quia scriptum est : *Ne tetigeritis unctos meos, neque in prophetas meos manum miseritis* (*Ps.* CIV, 15). Oleum suum defendit Deus : quia si peccatum est hominis ; unctio est tamen divinitatis. *Ne tetigeritis* (inquit) *unctos meos :* ideo, ne dum peccatum hominis percutitur, et (3) oleum, quod Dei est, feriatur. Judicio suo Deus servavit rem suam, et tamen vos passim irruistis in alienam, corrumpentes omnium felicitatem. (4) Nam quæ [e] major infelicitas, quam Dei sacerdotes vivere, nec esse quod fuerant?

XXVI. *Matronæ, pueri, virgines, immerito a Donatistis pœnitentiæ addictæ.* — Matronæ, pueri simul et virgines a vobis coactæ, nullo interveniente peccato, salva innocentia et pudicitia, vobis docentibus pœnitentiam gerere didicerunt. Numquid minor est infelicitas? (5) contrivistis sexus [f], vexastis ætates. Vere

LECTIONES VARIANTES.

[a] Hæc supplevimus ex ms. S. G. In aliis hic lacuna, quam suppleverat Balduinus per vocem *ignorat*.
[b] Deest in ms. S. G.
[c] In mss. S. T. et Ph. S. lapsu amanuensis, *fierent*.
[d] Deest in ms. S. G.
[e] Ita in ms. S. G. Male in mss. S. T. et P. S. *Neque*.
[f] Ita in ms. S. G. In mss. S. T. et P. S. et in editis, *contritos sexu vexastis ætates*, minus bene, nam duo sunt membra distincta sexus et ætas.

VARIORUM NOTÆ.

(97) *Inertia.* Inter tormenta Christum negasse. ALBASP.

Ibid. *Inertia a confessione Dei elapsos*, etc. Verbum hoc *inertia*, non pro atrocitate criminis, quo vix ullum majus, si, ut vulgo, accipias. Sed *inertiam* hic vocat Optatus, metum mortis, et amorem mundi et temporalis tranquillitatis ; quæ sane vere *inertis* et ignavi propria : unde et in N. T, δειλοί meticulosi, timidi, et ἄπιστοι infideles conjunguntur, et ab hæreditate cœlesti cum cætera peccatorum colluvie excluduntur, Apocal. XXI, 8. Magni enim et generosi animi est, esse Christianum. Quo fortasse et illud pertinet, quod Hebræi dicunt, דעסולא חטוא ירא אין ביר תסר דאוץ *Nullus nebulo* (fatuus stolidus) *timet peccatum : nec idiota* (Hebr. populus terræ) *quisquam pius* : ex אם quæ vulgo *capitula patrum*. Sed et Hebr. VI, 11 et 12 segnes et inertes eis opponuntur, qui in fide ad finem usque perseverant, neque dubitavit beatus Chrysostomus infandam Judæ proditionem ipsius inertiæ καὶ ῥαθυμίᾳ uni adscribere ; τοσοῦτόν ἐστι ῥαθυμία κακόν, ut eleganter ibi concludit tom. V, pag. 363. Idem beatus pater, ὅτι ἐκ ῥαθυμίας ἡ κακία, καὶ ἀπὸ σπουδῆς ἡ ἀρετή, fuse tuetur ac disputat tom. VI, pag. 814. etc. supra libr. I, eadem de re, *ut damno æternæ vitæ, istius incertæ lucis moras brevissimas compararent*, etc. Quod igitur prius amori, studioque præsentis hujus vitæ, hic inertiæ imputat ut etiam Q. Curtius, *pigros*, et, *qui diuturnam vitam unicum bonum æstimant*, conjunxit : *Quamquam ne pigri quidem sibi fata disponunt, sed unicum bonum diuturnam vitam æstimantes, sæpe acerba mors occupat*, de Gest. Alex. lib. IX. Mox *qui evaserunt*, id est, qui tentationi seu persecutioni non succubuerunt, qui *steterunt*. Ita enim solet sanctus Cyprianus, *stantes* lapsis opponere. M. CASAUB.

(98) *Evaserunt.* Ii qui Christum non negarunt. ALBASP.

(99) *Aut manum lapsis.* Pœnitentiam lapsis non imposuissent ; nusquam enim reperies neque in Ancyrano, neque in Eliberino pœnitentiam episcopis impositam, imo contrarium legitur de Trophimo et de Marcellino. ALBASP.

(1) *Aut ut genua figerent.* Aut ut publice errorem suum detestarentur : pœnitentes enim coram omnibus genua figebant, et in porticus Ecclesiæ transeuntes genibus flexis orabant, ut Deum et Ecclesiam pro se exorarent. Tertullianus, *caris Dei adgeniculari, presbyteris advolvi :* quo respexit Optatus. ALBASP.

(2) *Post unitatem.* Post unitatem a Macario factam : postquam crudelem in episcopos vindictam exercebant Donatistæ tanquam in eos quorum impulsu ea facta esset. Ait igitur Donatistas gravius puniisse episcopos qui unitatem procurarunt, quam olim Ecclesia in lapsos animadverterat et in eos qui fidem pejerassent. ALBASP.

(3) *Oleum quod Dei est feriatur.* Oleum feriebatur quia dignitas sacerdotalis ludibrio habebatur. ALBASP.

(4) *Namque major infelicitas.* Ita legendum, *neque major infelicitas.* Cum vulgo pessime coaluerint voces etiam *nec esse*. Id quod videre, cuivis pronum. BARTH.

(5) *Contritas sexu vexastis artes.* Aut cum aliis editionibus legendum : *numquid minor est infelicitas, contritas* (lege *cum contritas*, ut supra, *compressit*, pro *cum præcessit :*) *sexu vexastis artes? vere*, etc. Aut si illud, *numquid minor est infelicitas*, ad superiora pertinet, scribendum hic : *contritas sexu vexastis ætates? vere*, etc. Sed quid hoc, contritas sexu ætates? an subaudiendum aut restituendum, *utriusque*, et lege, *contritas utriusque sexus vexastis ætates. Ætates*, sive seorsim capias, sive cum *contritas* conjunges, eleganter ponitur pro senibus, seu personis senio confectis : ut, ædium senectutem, et ædium ætatem, promiscue usurpata reperias. Atqui jam virginum et matronarum, in superiori periodo memineral, an igitur hic iterum : *sexus utriusque?* an potius *senum : contritas senum vexastis* ut ante aliquot pag. *invenistis fideles antiquos*, etc. Conjiciebam aliquando *contritas saxo vexastis*, cum pauca retro, *genua figere* inter pœnas, a pœnitentibus exigi solitas, posuerit. Præterea, quid huc pertinent sequentia Psalmistæ verba, quæ profert Optatus, si hæc contritio, de qua istic agitur, non ab eorum crudelitate, quos hic incessit noster, sed ipsa senum ætate? nisi tamen contritas vexastis, pro conterendo vexastis, sit ab eo dictum. Tuum erit arbitrium, lector, quod malueris eligere. Optatum autem ejusmodi argutias nimis amasse, utinam non tam multa in mundo exempla, quæ fidem facerent. Atque ego quæ ita super hoc loco, sed idem vir doctus et acutus BB, cujus jam supra memini, ita

Digitized by Google

de vobis dictum est in psalmo XIII: *Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt: non est timor Dei ante oculos eorum.* Indixistis pœnitentiam plebibus; (6) nec enim acta est ab aliquo, **49** sed a vobis exacta; nec (7) æqualibus [a] temporum spatiis, sed egistis omnia pro personis, alter anno toto, alter mense, alter vix tota die, imperantibus vobis pœnitentiam gessit. (8) Si unitati consentire (ut vultis) peccatum est, si est similis culpa; quare non est æqualis pro eodem reatu pœnitentia? Dubium non est, (9) populum credentium Israel esse vocatum (10); plebes singulas filias Israel, id est, qui mente (11) Deum viderint, et Deo crediderint: et tamen has plebes coegistis flectere et inclinare cervices, et serie capitum juncta, massam pœnitentium facere[b]. Has plebes dolet Deus per Ezechielem Prophetam dicens: *Væ filiabus, quæ sarciunt cervicalia* (*Ezech.* 13), id est membra cervicis ut supponant sub cubito et sub manu. Utique sub cubitibus et sub manibus vestris, et cum super eorum vel earum capita velamina pœnitentiæ tenditis. Quæ impietas vestra et furor ostensus est, et superbia demonstrata: etiam stultitia fuerat revelanda; sed hanc in sexto libro demonstrabo [c].

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. *plenis.*

[b] Totus hic locus ita corruptus erat, tam in mss. quam in editis, ut vix medicabilis videretur. In ms. S. T. sic habetur: *Dubio non est populum credentium Israel, id est, qui mente Deum viderit, et tamen has plebes coegistis flectere et inclinare cervices, et serie capitum injunctam massam pœnitentium facere.* Ita etiam in ms. P. S. qui ubique ferme concinit cum ms. S. T. nisi quod pro *massam*, habetur, *in assem.* In ms. S. G. *Dubium non est populum credentium Israel esse vocatum, plebes singulas filias Israel, id est, qui mente Deum viderint et Deo crediderint, et tamen has plebes coegistis flectere et inclinare cervices, et serie capitum juncta massa pœnitentium facere.* Ex hoc ms. cæteris ubique ferme emendatiori hunc Optati locum restituimus.

[c] In ms. S. G. *demonstrabimus.* Post hæc verba in mss. S. T. et P. S. habetur, *Explicit liber secundus.* In ms. S. G. *Explicit liber sancti Optati secundus.*

VARIORUM NOTÆ.

corrigebat: *gerere didicerunt; numquid minor est infelicitas? contristis sexus, vexastis ætates. Vere de vobis*, etc. ut ad illa alludat quæ supra, *væ facientibus velamen super omnem ætatem*, etc. quod mihi quoque valde placet. M. Casaub.

(6) *Nec enim acta.* Nemo eam rogavit. Albasp.

(7) *Æqualibus spatiis.* Etsi omnium secundum vos, unum esset delictum, dissimilis fuit pœnitentia, quod est acceptare personas, quo apud antiquos nullum gravius poterat esse peccatum neque quidquam in episcopo majus reprehendi poterat; Tertullianus de Pudicitia, et Clementis constitutiones. Albasp.

(8) *Si consentire unitati.* Si peccatum procurasse ut Macarius unitatem faceret. Albasp.

(9) *Esse vocatum populum credentium*, etc. Miror quid eos a quibus Optatus hausit, inducere potuerit, ut Israel interpretarentur, *qui mente Deum videat.* Non quæro quam id verum sit, quod esse falsissimum, nemo potest ignorare; sed aliquam tamen erroris ansam, quam in illis *Deum videns* vel *homo Deum videns* ab Augustino aliisque notatis agnoscimus, quæro. An שוּר vel שׁוֹר quod 72 Seniores interdum καταμανθάνειν, προσνοεῖν reddidere, nomen etiam quod mentem significaret, inde deduxerunt? Sed quidquid hujus sit, cum et hanc adducat, irridens ille quidem, sed adducat tamen inter alias Hieronymus, et qui post Hieronymum voces Hebraicas Scripturæ congessere; non est quod de antiquitate ejus interpretationis dubitemus. Illud tamen porro cordato lectori considerandum propono, quomodo ista *mente Deum videre*, et *flectere et inclinare cervices*, quæ tanquam contraria committit hic Optatus, opponantur. Ego plane persuasum habeo scripsisse Optatum *recte* vel *erecte*; quod postea, quia minus esset notum, etsi magis probum, et ab Hebraicis minus remotum; quia tamen fortasse minus notum, in *mente* mutatum sit, ut quemadmodum supra in parabola Publicani et Pharisæi *erecta facies* et *inclinata cervix* opponuntur, ita et hic *erecte videns*, et *inclinans cervicem.* Affine est et ab eadem radice, quod Hieronymus ipse commendat, qui vertit Israel, *directus Dei*, sive εὐθύτατος Θεοῦ. Affert et Remigius in interpretationibus nominum Hebraicorum, [v] quarum hodieque in nostra qualicumque Cantuariensi bibliotheca olim, heu olim! instructissima, sed ab impiis Zelotis, rapinis ac sacrilegiis suis pietatem obtendere solitis, dudum direpta, atque inter ipsos, ut aiunt, spoliatores veluti præda divisa, codex manuscriptus satis antiquus exstat. Mox pro *massam pœnitentium facere* corrigendum aliquando putavi, *ferre*, sed jam non probo. Non enim tantum de pondere dixerunt, ut *massa auri, argenti*, et id genus; sed et de quovis acervo, seu serie rerum, quæ ejusdem essent generis. Unde sæpissime apud Gregorium, aliosque, domus rusticanas plures inter se junctas, quas Græci συνοικίας vocant, *massas* nuncupatas reperias; id est, *fundos* sive *prædia.* Codice can. Eccl. Afric. pag. 157, *massa diœceseon* vocatur, quæ mox *fascis diœcesium*; vertit interpres gr. συγκλησίαν, et σῶμα τῶν παροικιῶν. *M. Casaub.* Fallitur *Casaubonus*, cum non apud *Hieronymum* tantum, in libro de Nominibus, habeatur, *mens videns Deum*, sed etiam in Græcis fragmentis, νοῦς ὁρῶν Θεοῦ, aut Θεόν. In voce autem Hebraica, non continetur significatio *mentis*, sed ab interprete suppletur, quia mente tantum Deus cerni potest. Clericus.

(10) *Populum credentium Israel esse vocatum*, etc. Hæc est hocce in loco, ni fallor, mens Optati: Christiani sunt populus Israel, singulæ plebes sunt filiæ Israel; sic appellantur, quod Deum videant, quod in ipsum credant. Vos coegistis fideles, qui stantes et erecto capite orabant, cervices flectere et inclinare, versa scilicet in terram facie et humi procumbentes. Multorum capitibus grave jugum imposuistis, et ex iis ita simul junctis, massam pœnitentium fecistis. *Inclinare et flectere cervices* opponit *visioni Dei; et pœnitentium massam, credentium plebi.* Du Pin.

(11) *Deum videat.* Erecta cervice Deum orabant fideles; pœnitentes vero dejecta in terram facie; unde ait Donatistas coegisse ut qui Deum respicere deberent, oculos humi figerent et terram intuerentur. Albasp.

Digitized by Google

50 LIBER TERTIUS.[a]

Hic liber tertius continet quatuor causas quibus effectum est, ut non sine asperitate unitas fieret. Prima, quod basilicas schismatici non necessarias fecerint, et rebaptizationem intulerint[b]. Secunda, quod Donatus Carthaginis provocaverit ut unitas fieret. Tertia, quod Donatus Bagaiensis [c] circumcelliones [d]collegerit, ut operarios unitatis impediret. Quarta, sine voluntate Dei nihil esse factum ex his quibus putant aliqui unitati faciendum esse convitium [e].

I. *Asperius in Donatistas gesta ipsis provocantibus facta esse, nec Catholicis imputari debere.*—(1) Satis, ut arbitror, in secundo libello de Ecclesia quæ sponsa est Christi, et de ejus dotibus, et de hæreditate diximus Salvatoris; consequens est, primo schismaticorum errores ostendere; deinde, quæ [f] fuerit causa, ut (2) unitas fieret (3); tertio, quis fecerit[g], ut miles mitteretur [h]51 armatus. (4) Ab operariis unitatis (5) A multa quidem aspere gesta [i] sunt, sed ea ad quid imputatis Leontio [j], Macario vel Taurino? imputate majoribus vestris, qui (sicut in propheta scriptum est) *ut vobis stupescerent dentes, ipsi uvas acidas comederunt* (*Jer.* XXXI, 29). Illis primo qui Dei [k] populum diviserunt, et (6) basilicas fecerunt non necessarias (7). Deinde Donato Carthaginis, qui provocavit, ut unitas proximo tempore fieri tentaretur. Tertio

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. S. T. et P. S. *Incipiunt capitula libri tertii.*
[b] Hæc desunt in mss. S. T. et P. S.
[c] Ita in ms. S. T. In ms. S. G. *Vagaiensis.* In ms. P. S. *Vagaensis.*
[d] In mss. S. T. *cercilliones.*
[e] In mss. S. T, et P. S. ab his incipit liber tertius, sed perperam; pertinent enim ad argumentum libri, non ad materiam.
[f] In mss. S. T. *qui.*
[g] In ms. S. T. *qui fuerit*, et in editis, *quæ fuerit.*
[h] In ms. S. T. *morereturr.* In ms. S. G. *moveretur.*
[i] Ita in ms. S. G. In mss. S. T. et P. S. *aspera facta sunt.*
[j] Id nominis est in ms. S. G. In mss. S. T. et P. S. *Lentio.*
[k] Ita in ms. S. G. *illi quidem primo qui populum diviserunt.*

VARIORUM NOTÆ.

(1) *Satis, ut arbitror, in secundo libro.* In aliis editionibus ita incipit hic liber: *Ex iis quibus putant aliqui unitati faciendum esse convitium, satis, ut arbitror*, etc., quæ cum nullo modo cohæreant, quin spuria sint et irreptitia, et a Balduino merito expuncta, nullus dubito. Quare non erat quod hujusmodi laciniis hinc inde corrasis Balduinianam contaminarent editionem nuperi editores; unde et impurum illud glossema in fine præcedentis libri, *cervicalia*, id est, *membra cervicis*, quod invito Balduino in textum Optati quasi postliminio reduxerunt. Sed quo res sit extra controversiam et ut contentiosis os obstruamus, etiam depravationis origo nobis indicanda est. In editione Germanica Cochlæana, cuique libro (primo excepto) præfixa sunt argumenta, quæ parum abest quin Optati ipsius esse credam; antiqua certe sunt. Hujus autem tertii libri argumentum ita conceptum est: *Hic tertius liber continet quatuor causas, quibus effectum est, ut non sine asperitate unitas fieret. Primam, quod basilicas schismatici non necessarias fecerint. Secundam, quod Donatus Carthaginensis provocavit, ut unitas fieret. Tertiam, quod Donatus Bagaiensis circumcelliones collegit, ut unitatis operarios impediret. Quartam sine voluntate Dei nihil esse factum*, sequi debebat, *ex iis quibus putant aliqui unitati faciendum esse convitium.* Sed id sequentis initio libri male adsutum est. Quod factum ne quis miretur etiam quinto libro in eadem editione simile contigit. Ut enim hic pars argumenti cum sequentis libri initio male coaluit, ita et illic ex initio libri plures lineæ argumento accessere, quæ suo loco desiderantur; ab his enim liber incipit: *In qua re quæ nunc agitur quæstio*, etc. Cætera quæcumque præcedunt, ab argumento libri repetenda sunt. Sed et illud non prætermittam, Fulgentium Afrum et Optati, quod ex ipso liquet, valde studiosum, iisdem plane quibus hinc orditur Optatus, secundum ad Monimum librum verbis auspicari: *Satis, ut arbitror, Monime charissime*, etc. M. CASAUB.

(2) *Unitas.* Ut plebs Donatistarum ad Ecclesiam adduceretur, concilium Carthag. I: *Ut in ejus gremium erigeret universa membra dispersa; qui imperavit relig. Constant. imperatori ut votum gereret unitatis operarii unitatis:* Macarius, Paulus, Taurinus, et Lentius in eodem concilio, *et mitteret ministros sancti operis famulos Dei Paulum et Macarium.* ALBASP.

(3) *Ut unitas fieret.* Ut procuraretur unitas; ut Donatistæ cogerentur ad Ecclesiam catholicam redire. DU PIN.

(4) *Ab operariis unitatis multa quidem aspera facta sunt.* Nos hodie *operariorum* vocabulo mechanicarum artium discipulos appellamus, qui in quaque experimenta sua facere necesse habent et per annos certos exercere prinsquam ad titulos artificum venire possunt. At Optatus *operarios* vocat *administros unitatis*, cujus vocis exemplo vide supra et nos ex auctore ipso auctorem interpretari. ALBASP.

Ibid. *Ab operariis unitatis.* Operarios vocat administros unitatis, cujus vocis exempla in sequentibus videbis, et nos ex auctore ipso auctorem interpretari. *Operarii templi*, qui ædificando adsunt: apud Angelonum in III reg. c. V, Operator. Historia Damasceni; Olera enim fuerunt cruda, quorum senex ipse operator et cultor fuit. Operari est opus facere. Gariopontus lib. II, c. 13: Iis vero contingit qui metallica operantur, aut ex pulvere, aut ex fœtido odore, etc. Operatrix apud Prudentium Trecensem. Licet eo vocabulo, nobis hodie appellare, mechanicarum artium discipulos, qui in quaque experimenta sua facere coguntur, prinsquam ad titulos vel nomen aliquod in iisdem veniant, ad alios erudiendos. BARTH.

(5) *Operariis unitatis.* Operarios unitatis vocat Leontium, Macarium, Taurinum, aliosque proconsules aut duces, qui conati erant Donatistas ad unitatem Ecclesiæ revocare. DU PIN.

(6) *Basilicas fecerunt non necessarias.* Non necesse erat colligere populum in aliis basilicis: nam Orthodoxorum basilicæ ad id sufficiebant. ALBASP.

(7) *Basilicas fecerunt non necessarias.* Cum ad Basilicas jam erectas quas Catholici tenebant accedere nollent et cum Catholicis orare, basilicas alias ædificarunt quæ necessariæ non erant, cum possent et deberent in veteribus ecclesiis cum Catholicis convenire. DU PIN.

Digitized by Google

Donato Bagaiensi (8), qui insanam collegerat multitudinem, a qua ne [a] Macarius violentiam pateretur, ad se, et ad ea, quæ ferebat tutanda, armati militis postulavit auxilium. Venerunt tunc cum pharetris armigeri, repleta est unaquæque civitas vociferantium (clamoribus [b]); nuntiata unitate [c], fugistis omnes. (9) Nulli dictum est, nega Deum; nulli dictum est, incende testamentum; nulli dictum est, aut thus pone, aut basilicas [d] dirue; istæ enim res solent martyria generare. Renuntiata est unitas; sola fuerant hortamenta, ut Deus et Christus [e] ejus, a populo in unum conveniente, pariter rogaretur. (10) Nullus erat primitus terror; nemo viderat virgam; nemo custodiam; sola (ut supra diximus) fuerant hortamenta. Timuistis omnes, fugistis, trepidastis; A ut pro certo de vobis dictum sit, quod in psalmo LII scriptum est : *Trepidaverunt* [f] *ubi non erat timor* (*Ps.* LII, 6). Fugerunt igitur omnes episcopi cum clericis suis, aliqui sunt mortui; qui fortiores fuerunt, capti et longe (11) relegati sunt.

II. *In vindictam Dei et Ecclesiæ hæc in Donatistas facta fuisse.* — Et tamen horum omnium nihil actum est (12) cum voto nostro, nihil cum consilio, nihil cum conscientia, nihil cum opere; sed gesta sunt omnia *in dolore* Dei, amare plorantis, et (13) in ultionem aquæ (14), (15) quam contra interdictum iterum movistis : traducentes ad **52** vos aquam antiquæ piscinæ : sed nescio an cum illo (16) pisce, qui Christus intelligitur, (17) qui in lectione Patriarchæ Tobiæ [g] legitur in Tigride flumine pre-

LECTIONES VARIANTES.

B
[a] In ms. S. T. *et*, sed male.
[b] Vocem illam quæ deest in mss. supplevimus.
[c] In mss. S. T. et P. S. *nuntiatam unitatem*.
[d] In ms. S. G. *basilicam*.
[e] In mss. S. T. et P. S. *Spiritus*.
[f] In ms. S. G. *ibi timuerunt timore*.
[g] Ita restituimus ex codice S. G. In aliis et in editis *Patriarcharum*.

VARIORUM NOTÆ.

(8) *Donato Bagaiensi. Bagaia* urbs celebris in historia Donatistarum; ibi enim habitum fuit a Donatistis episcopis concilium illud *Bagaitanum* 310 episcoporum, cujus tam sæpe meminit Augustinus. Hujus urbis episcopus Maximianus a Donatistis crudeliter interfectus est, ut narrat Augustinus ep. 88 et 185, et l. III, contra Cresc. c. 43. In collatione Carth. adfuit episcopus *Bagaiensis* e Donatistarum parte : sed longe ante concilio Carthaginensi sub Cypriano subscribit Felix a *Bagai*, et post hæc tempora in notitia Leonis imperatoris urbis Βάγης fit mentio. Attamen in notitia episcoporum Africæ a Sirmondo edita, nullus est episcopus *Bagaiensis*, sed C duplex *Vadensis* in Numidia. Amborum forte alteruter *Bagaitanus* erat. Nam in mss. sæpe legitur *Vagaensis* et *Vagensis*, unde fieri potuit *Vadensis*. Ut ut sit, *Bagais*, seu *Vagaia* urbs erat Numidiæ. Namque de Concilii *Bagaitani* decreto loquens Augustinus l. de unit. Eccl. c. 18, exclamat : *O regula juris Numidici! o privilegia Vagaitana!* Non erat certe in proconsulari; modo enim ait Optatus, hanc provinciam ab illo furore immunem fuisse. Du Pin.

(9) *Nulli dictum est.* Macarii expeditionem et unitatem quam fecerat, persecutionem; eosque qui in illo tumultu interierant Macarianos vocabant Donatistæ, quod ut refellat, ait Optatus nulli Macarium dixisse ut thus adoleret, quod in persecutionibus Christianis imperabatur. Albasp.

(10) *Nullus erat primitus terror.* Non venerat Macarius ut terrorem inculeret, sed ut dona ferret; plebem non armis, sed hortamentis et precibus ad unitatem cogebat. Albasp.

(11) *Relegati.* Donatistarum episcopi. Albasp.

(12) *Cum voto nostro.* De concilio nostro ea acta non fuerunt. Albasp.

(13) *In ultionem aquæ.* Deus volebat ulcisci per Macarium quæ contra ejus baptismum facitis. Albasp.

(14) *Ultionem aquæ.* Sacri scilicet lavacri a Catholicis collati, quod pro nullo et profano Donatistæ habuerunt, iterum rebaptizantes eos qui a Catholicis ad se veniebant. Du Pin.

(15) *Quam contra interdictum iterum movistis.* Ad plura S. Scripturæ loca simul alludit his verbis Optatus. Ad S. Evangelistæ narrationem haud dubie, et principaliter Joan. c. v. Sed etiam ad illa prophetæ Esaiæ, quæ post pauca profert, ubi de antiqua piscina, quod huc transtulit. Quod ait *contra interdictum*, idem valet atque illud quod antea dixerat, *contra leges*, lib. I, ad illa respiciens : *Qui semel lotus est, non habet necessitatem iterum lavandi*, ut ibi docuimus. Nisi fortasse de piscina eadem hoc quoque, quasi nefas ab angelo plusquam semel eam moveri, aut ab eo semel motam, si non nefas, stultum tamen et inane a quoquam iterum moveri. Cæterum illam piscinam Bethsaidæ figuram fuisse baptismatis, etiam aliorum fuit opinio. Vide Tertull. de baptismo c. 5 et 6. Quod hinc autem de pisce colligit Optatus, inde profectum videtur, quod *piscinam* prisca significatione acceperit, pro piscium vivario, ut loquitur Plinius, non pro mera κολυμβήθρᾳ, quamquam et C illud quoque pro ἰχθυοτροφείῳ usurpetur : seu aquarum ad usum, seu alium quem, seu natationis inductarum invectarumque loco, quæ postea frequens et usitata verbi notio fuit. M. Casaub.

(16) *Pisce.* Cum Christo : hoc est, nescio an quos baptizatis, renascantur Christiani. Tertull. : *Sed nos pisciculi secundum ἰχθύν, nostrum Jesum Christum, in aquis nascimur* : cæterum legendum, *invocationem*, non *intinctionem*. Tertull. Albasp.

(17) *Qui in lectione Patriarchæ legitur.* Aliæ editiones pro *Patriarchæ* exhibent *Patriarcharum* : hoc uno differunt. Quid autem per lectionem *Patriarchæ* aut *Patriarcharum* velit Optatus, haud facile divinare. Tale aliquod scriptum, neque olim exstitisse puto, neque hodie, quod sciam, ullibi est. Commentitium et pseudepigraphum quoddam sub 12 patriarcharum nomine testamentum, in bibliotheca Patrum vidisse aliquando memini. Non enim dignum videbatur quod legeretur; etsi non ignorem tale quid D jam olim exstitisse. Sed cum totum hoc quod hic narrat Optatus, sit in Tobia, cur testes aliunde conquireret? Non alium igitur quam ipsum Tobiam hic laudari, plane persuasum habeo. Quam recens sit inventum, sacræ Scripturæ in capita et versiculos, sive lectiunculas tributio, qua nunc omnes utimur, nemo, opinor, tam parum versatus in veterum Scriptorum libris, qui non animadverterit. Cum igitur illi, non per numeros, ut nos solemus, aut sectiones ipsius Scripturæ præterquam in psalmis, sed alius aliter, multi autem per ipsas materias, aliquot subinde ex ipso contextu sacro verba proferentes, locum quem vellent, indicarent; puto etiam fuisse qui quasi capitula quædam, ex præcipuis verbis et memoratu dignissimis, quæ hinc illinc commode excerpebant, conficerent, atque eo pacto libros in partes distinguerent. Quod igitur hujus Tobiæ partis, quam nos hodieque capite secernimus, maxime singulare

Digitized by Google

hensus, cujus fel et jecur tulit Tobias, ad tutelam fœminæ Saræ, et ad illuminationem Tobiæ non videntis : ejusdem piscis [a] visceribus Asmodæus [b] (18) dæmon a Sara puella fugatus est (quæ intelligitur Ecclesia) et cæcitas a Tobia exclusa est (*Tob.* VI). (19) Hic est piscis, qui in baptismate per invocationem fontalibus undis inseritur, ut quæ aqua fuerat, a pisce etiam piscina vocitetur. Cujus piscis nomen secundum appellationem Græcam, in uno nomine per singulas litteras turbam sanctorum nominum continet (20), ΙΧΘΥΣ quod est Latinum, JESUS CHRISTUS, DEI FILIUS, SALVATOR. Hanc vos piscinam, A quæ in omni Catholica per totum orbem terrarum, ad vitam generis humani, salutaribus undis exuberat; transduxistis ad voluntatem vestram, et solvistis singulare baptisma, ex quo baptismate hominibus [c] muri facti sunt ad tutelam : et fecistis quasi (21) alteros muros, nullum bonum [d] ædificium facientes : non potuistis construere, nisi dirueretis. Et [e] quale potest esse ædificium, quod (22) de ruina construitur ? Hanc rem per Esaiam prophetam Deus dolet et flet, cum dicit, *filiam sui generis esse contritam* (*Is.* 22) : (23) genus Dei est non habere genus, qui ex se est, et manet in æternum [f]. (24) Similis

LECTIONES VARIANTES.

[a] Deest in mss. S. T. et P. S.
[b] In ms. S. G. *Nasmodeus*.
[c] In ms. S. G. *credentibus*.
[d] In mss. S. T. et P. S. *nullum novum*. In ms. S. G. *multum bonum*. Ex utroque restituimus, *nullum bonum*.
[e] In ms. S. G. *Sed*.
[f] In mss. S. T. et P. S. *in æternitatem*. In quibusdam editis male *in æternitate*.

VARIORUM NOTÆ.

videretur illud, quod patriarcharum sit in ea mentio, etiam patriarchæ nomen, sive patriarcharum, integræ sectioni, sive capiti adhæsit. Non igitur aliud hoc loco sive Optatus, sive Optati lector (qui in ora fortasse libri sui notaverat, quod postea in ipsum contextum receptum est) vult, opinor, quam illum Tobiæ titulum, seu sectionem indicare, qua narratio illa piscis in Tigride flumine prehensi continetur, quod nos hodie diceremus, *Tobiæ sexto capite*. Quod sequitur : *Ejusdem piscis visceribus*, etc. illud *ejusdem*, non est cum superioribus connectendum, quasi novum quid de *eodem* pisce hoc posteriore membro narraretur; cum enim eadem prorsus quæ antea repetat, manifestam tautologiam commisisset; sed *ejusdem* valet *unius ac ejusdem* : repetit autem paulum immutatis verbis, ut in rei admirandæ meditatione lectorem moretur aliquamdiu ac detineat : quare placet, ut hinc quoque nova periodus, scripto post *videntis* pleno puncto, incipiat. M. CASAUB.

(18) *Asmodæus*. Hoc nomen est dæmonis illius qui interfercerat septem priores maritos Saræ. In Hebræo Sebast. Munsteri c. VI, v. 14 : *Audivi etiam quod Asmodæus princeps dæmonum interfecerit eos; quæpropter ego timeo valde ne forte et me occidat Asmodæus*. DU PIN.

(19) *Hic piscis, qui in baptismate per invocationem*, etc. Fr. Balduini editio 2, *per invocationem* : sed Barthium cur non audiamus? emendantem *per intinctionem* ex lib. V. INCERT.

(20) *Turbam sanctorum nominum continet*. Quia scilicet singuli caracteres vocis hujus ΙΧΘΥΣ, sunt initiales litteræ nominum Christi Ἰησοῦς Χριστὸς, Θεοῦ Υἱὸς, Σωτὴρ. Eodem alludit Tertullianus initio libri de baptismo : *Sed nos pisciculi secundum ἰχθῦν nostrum Jesum Christum in aqua nascimur, nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus*. Sic etiam mysterium istud explicat Augustinus l. XXVIII de Civitate Dei c. 23 : *Horum autem græcorum quinque verborum* Ἰησοῦς Χριστὸς, Θεοῦ Υἱὸς, Σωτὴρ, *quod est latine*, JESUS CHRISTUS, DEI FILIUS, SALVATOR, *si primas litteras jungas, erit ἰχθύς, id est piscis, in quo nomine mystice intelligitur Christus, eo quod in hujus mortalitatis abysso, velut in aquarum profonditate vivus, hoc est, sine peccato esse potuerit* : ita placuit Africanis in verbo isto ludere. DU PIN.

(21) *Alteros muros*. Christiani sunt templa Dei; vos facitis alia templa. ALBASP.

(22) *De ruina construitur*. Tertull. : *Quoniam et ipsum opus eorum non de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis distinctione nostra suffodiunt ut suos ædificent*. ALBASP.

(23) *Genus Dei est non habere genus*. Elegantissimi acuminis est, quod acutius dictum, quodque cum re B ipsa tam sit conveniens toto Optato nullum reperiri arbitror. BARTH.

(24) *Similis est et aqua quam legimus*. Optato propositum hic est, ut Esaiæ Prophetæ verba de Deo super *contritione filiæ sui generis* conquerente (postea integrum locum prolixe citat) ad aquam pertinere, persuadeat. Quod ut assequatur, ex ipsis Prophetæ verbis (cum Optato loquor, nam Hebræa quomodo habeant, aut hic aut alibi, non monendus est nobis lector) hoc ducit argumentum : Propheta inducit Deum super *filia sui generis* conquerentem. Dei autem genus est, non habere genus. Consequens erat ut idem hoc et *aquæ* convenire probaret. Quod sane ab Optato non prætermissum est, neque omnino potuit. Quali tamen argumento usus fuerit, vix ac ne vix quidem ex hac editione subolfacias. Balduinus enim (si tamen Balduinus) malos chirurgos hic imitatus, cum locum pessime affectum sanare non posset, cutem tamen ita induxit, ut leviter inspectantibus, nulla de interno vulnere suspicio oriC retur. Priores autem editiones ita repræsentant : *Similis est et aqua quam non legimus in cujus aquæ injuria*, etc. ex quibus facile est restituere, quod et requirit sententia, et ab Optato scriptum fuisse res ipsa clamat : *similis aqua, cujus non legimus genus; in cujus aquæ incuria*, etc. Affinitas τοῦ genus cum ultimis præcedentis vocis syllabis, causa, ut solet, ejus omittendi fuit; quo semel omisso, ut aliqua tamen sententia, aut, si non sententia, saltem latinitas exprimeretur, pro *cujus*, factum *quam*; postea cum illud *non* sententiæ obesse videretur, et qualiscumque sententia, quam nulla placeret, etiam et illud de sede sua deturbatum et expulsum est. Ad rem ipsam quod attinet, nescio an sit alicujus momenti dicere, aquam ἀρχὴν τῶν πάντων apud Diogenem Laert. a Thalete philosopho constitui, aut Plutarchum de Iside et Osiride commemorare, etiam Homerum ita credidisse, et utrumque affirmare ex Ægyptiorum philosophia hausisse. De Thalete testatur D etiam Ambrosius, ad ridiculum illud *aquam a quo omnia*, ut videtur, alludens initio hexaem. *Qui cum ex aqua nomen acceperit, non putavit tamen dicendum, quod ex aqua constarent omnia, ut Thales dixit*. Illud nostra magis refert, et Optati, fuisse olim, qui tale quid quale videtur hic Optatus innuere, ex creationis historia colligerent; aquas nempe, quod earum creationis Scripturæ disertis, ut illi colligebant, verbis, non meminissent, *ante omnia;* imo æternas, *Deo coæternas fuisse*. De primo vetus auctor, qui Junilii nomine circumlertur, in Genesim Parisiensis edit. 1556, fol. 41 : *Neque enim aquas ad omnia* (lege *ante omnia*) *factas credere fas est. Quod etsi hic Scriptura palam non dicit*, creatas scilicet aquas esse, cum et cætera creata sunt;

Digitized by Google

53 est et aqua, quam non legimus factam[a] (25). In cujus aquæ injuria, indicat Deus lacrymas suas quas vos fecistis; quas testatur nulla posse consolatione siccari, cum ad vos per Esaiam prophetam loquitur, dicens: *Missum me facite, amare plorabo: ne-* A *mo poterit consolari me in contritione filiæ generis mei* (*Is.* xxii, 4). Hoc loco defenditur innocentia nostra, dum Deus cum dolore iracundiam vobis indicat suam; dum et causam prodit, et rationem ostendit[b]. (26) Denique non in tota Sion[c], sed in una ejus valle

LECTIONES VARIANTES.

[a] Hanc vocem supplevimus ex ms. S. G. quæ deest in mss. S. T. et P. S.

[b] In ms. S. T. *causus prodit et traditiones ostendit.*

[c] In ms. S. T. et in editis, *non ait in Sion*: minus bene.

VARIORUM NOTÆ.

unde contra sentientibus os obturari possit: *Palam tamen significat, cum has a Deo illustratas atque ad jussum ejus ordinatas insinuat, sicut et psalmus dicit aperte*, etc. Idem videtur Optatus dicere lib. vi: *O aqua quæ dulcis a Deo creata es, super quam ante ipsius natalem mundi sanctus Spiritus ferebatur*, etc. Sed fortasse non aliud eo loco voluit Optatus, quam quod Tertullianus de baptismo lib. iii, ubi inter cætera, quæ in laudes aquarum comminiscitur, etiam inde celebrat, quod τοῦ *chaos* illius unde mundi *digestus* postea, pars illæ fuerint, nec pars tantum, sed præ- B stantissima pars et sola consummata et perfecta: terram enim et cœlum, et reliqua adhuc omnia informia et inculta fuisse; aquis autem nihil defuisse, quo magis ornarentur aut perficerentur; sed in primo creationis statu permansisse. Ita intelligo Optatum, cum ait aquas *ante ipsius natalem mundi* exstitisse, ut *mundus* hic proprie κόσμος sit, sive mundus digestus et ornatus, quod Tertullianus *mundi suggestum* appellat. Ante hunc mundi suggestum, neque mundus, neque κόσμος proprie: sed merum cahos, rudis, indigestaque moles, ut Poeta loquitur. Aquæ igitur ante mundum; nec tamen increatæ. Aliquanto plus difficultatis in hoc altero Optati loco, quod cum comparationem Dei et aquæ, ad genus quidem quod attinet, subtiliter instituit, *æternitatis Dei* dum meminit, æternam quoque sive *coæternam* aquam ab eo constitui, propositæ comparationis ratio requirere videatur. Nam et illud ex ipsa Mosis historia quondam fuisse qui colligerent, satis innuit Augustinus; cujus C verba quod nostram correctionem maxime confirment, subjiciam, Confess. lib. xii, c. 22: *Unde si aliquid Genesis tacuit Deum fecisse, quod tamen Deum fecisse, nec sana fides nec certus ambigit intellectus; nec ideo ulla sobria doctrina dicere audebit, istas aquas coæternas Deo, quia in lib. Geneseos commemoratas quidem audivimus, ubi autem factæ sunt non invenimus: cur non informem quoque illam materiam*, etc. Hoc idem Eucherius Lugdunensis episcopus (fidem sequor antiquissimæ, ac omnium primæ editionis) difficill. quæst. in Genesim q. 3, sed verbis tam expressis et appositis, ut clariorem aliunde lucem huic Optati loco fœnerari minime necesse sit. Ita igitur ille, antiquissimæ illius editionis f. 25: *Aquas ubi legimus*, τὸ *legimus*, ut et proximum *lectionis* diligenter observari velim, *a Deo factas? Etsi factas eas in exordio creaturarum non evidenter divinæ lectionis textus expressit, a Deo tamen factæ sunt*, etc. Quid si igitur et Optatus scripserit (quod tamen eo plane redibit) *quam non legimus a Deo factam?* Illaud dubium autem postrema D Optati verba, quæcumque fuerint, quod horridior eorum sententia videretur, ab aliquo erasa et expuncta esse. Quod sæpe in Veterum scriptis accidit. Sed cum hanc rem non hic ex proposito tractet Optatus, condonandum ipse est, si δουλεύων ὑποθέσει, minus caute locutus sit; quemadmodum et multa alia, vel in optimis Scriptoribus, haud ferenda tamen alioquin, interdum toleramus et excusamus. Nam recte ipsum sensisse, cum nemo eo nomine heterodoxias illi dicam impegerit, notatis tamen illis, et in sensum hæreticorum ab Augustino de hæresibus c. 75, et aliis relatis qui hoc idem aquas nempe *a Deo non esse creatas*, sed *ipsi Deo coæternas esse*, asserebant, quis omnino potest dubitare? Sed neque omnia in his comparationibus nimis morose sunt exigenda. Etsi enim cum *Deus genus non habere* dicitur, æternus intelligitur; satis tamen ad institutam comparationem, si aquas quocumque modo *genus non habere* probet Optatus, quod vel ita potest intelligi, ut quemadmodum Melchisedech Christi typus fuisse a multis creditur, non quod revera ἀπάτωρ et ἀμήτωρ fuerit, ut antea dicebamus, sed quod ejus progenies non enarrata sit; ita et aquæ ideo *genus non habere* dicantur, quod earum creationis exorte et nominatim Scriptura non meminerit: vel ita ut ideo *genus non habere* dicantur, quod primæ illius materiæ ex nihilo creatæ, ex qua cætera quæcumque formata sunt, pars fuerint; ut modo ex Tertulliano et altero Optati loco disserebamus; quæcumque autem ex nihilo creata sunt, *genus non habere*, recte dici possunt. Etiam illud monebo lectorem elegantiarum Latini sermonis non incuriosum, quod Optatus proximis verbis *aquæ* repetat, cum pronomen sufficere potuerit (quæ Hieronymo alicubi, sed immerito Ruffinum incessendi materia fuit): id Optatum more suo facere, et habere sui moris auctorem, et assertorem locupletissimum, eloquentiæ, et omnis humanioris litteraturæ, inter Latinos facile principem M. T. Ciceronem. Ita paulo ante: *Solvistis singulare baptisma, ex quo baptismate*, etc. lib. ii: *Quem precibus rogastis ut reverti possetis: quas preces*, etc. et eodem lib.: *Pestilentia enim morbis exstinctos homines ad inferos mittit. Qui inferi portas suas habere noscuntur, contra quas portas*, etc. Quomodo ita sæpe loquitur, ut potius affectasse, quam imitatus esse videri possit. Atque hoc ut hic monerem, eo libentius a me factum, quod cum hoc ipso loco aliquid supplere necessarium fuerit, minimum tamen esse quod deerat, ex ipsa verborum serie et proprietate locutionis, quam amat Optatus, lector intelligeret; atque ex illo quoque conjecturæ nostræ aliquod pondus accederet. Sed nec illud dissimulabo, in prima omnium editione Cochlæana, hunc locum ita scribi, *similis est et aqua, quam modo legimus*, etc., quod erunt fortasse qui malint retinere, ut nempe τὸ *legimus*, non ad creationis historiam, sed ad Prophetæ verba modo citata pertineat. Utcumque leges, idem tamen erit sensus. Sed mihi durius hoc videtur, ut Optatus ἁπλῶς et absolute, Deo æterno et ingenito, aquas comparaverit. *M. Casaub. Restitutus est hic locus ex MS.*

(25) *Similis est et aqua, quam non legimus factam.* Non legitur in Genesi, aqua condita sicut cætera, sed ab initio creationis dicitur: *et Spiritus Dei ferebatur super aquas.* DU PIN.

(26) *Denique, non ait in Sion.* Prolixum Esaiæ Prophetæ locum contra Donatistas prolaturus Optatus, ne nihil dicere videretur, probato primum *per filiam sui generis*, aquam a Deo intelligi, pergit porro et ostendit illum Sion, qui ut subjectum proponitur huic prophetiæ, non de corporali (ut loquitur ipse) monte, peculiari illa Sion, quæ fuerat; sed de spiritali, quæ tunc erat Sion, tota nimirum atque universali Ecclesia accipiendum esse. Versio qua usus est Optatus, ex Græcis expressa erat, qui quod in Hebr. *onus vallis visionis*, reddiderunt τὸ ὅραμα τῆς φάραγγος Σιών, *Visio vallis Sionis*. Cæterum *celebrata* subaudi *ista vel* judicia *ut mox, ubi nulla lis audita est, nec ab aliquo celebratum judicium*, etc. atque iterum lib. vii: *nullum judicium celebratum est, sed sententiæ operatus est effectus.* Nisi fortasse pro *sunt* scripserat Optatus *sen-*

Digitized by Google

sunt celebrata: non in illo monte Sion, quem in Syria Palæstina a muris Hierusalem parvus disterminat rivus; in cujus vertice est non magna planities; in quo [a] fuerant synagogæ [b], ubi Judæorum populus conveniens, legem per Moysem datam, discere potuisset [c]: sed ubi nulla lis audita est, nec **54** ab aliquo celebratum judicium, nec aliqua est illic ab ullo judice lata sententia; quia locus erat doctrinæ, non controversiæ post doctrinam. Si quid agendum erat, intra muros Hierusalem agebatur. Inde scriptum est A in Esaia Propheta: *Ex Sion prodiet lex, et verbum Domini de Hierusalem* (*Is.* II, 3). Non ergo in illo monte Sion Esaias aspicit vallem; sed in monte sancto, qui est Ecclesia, qui (27) per omnem orbem Romanum, caput tulit sub toto cœlo. In quo monte, a Deo Patre Filius Dei regem se constitutum esse (28) gratulatur [d], in psalmo I (29), dicens: *Quoniam regem constituit me super Sion montem sanctum suum* (*Ps.* II, 6): utique super Ecclesiam, cujus rex et sponsus et caput est. Non in illo monte, ubi nullæ

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. S. T. et P. S. necnon in editis, *in qua*.
[b] In iisdem mss. et in editis, *fuerant septem synagogæ*. Secuti sumus codicem S. G.
[c] In ms. S. T. *disceret potius*.
[d] In ms. S. G. *testatur*.

VARIORUM NOTÆ.

tentia: quod cum primum compendiosa scriptura contractum esset, postea mutatum est in *sunt*. Nam etiam infra hoc ipso libro *actionem celebrare*, ne de solo *judicio* dici putes. M. CASAUB.

(27) *Per omnem orbem Romanum caput tulit.* Per omnem orbem Romanum, quid hic Optatus intelligit, tum proxima *sub toto cœlo*, et quæ post pauca sequuntur, *quæ est in toto terrarum orbe*, satis indicant. Orbem igitur Romanum dicit, quem nos universum ut apud Lampridium, in Alexandro Severo cum consulti vates respondissent:

Te manet imperium cœli, terræque marisque.

Imperium Romanum inde ipsi portendi intellexerunt; et quem ibi Lampridius ipse Romani imperii *Principem*, mox vocat *Principem humani generis*. Neque tamen inde quis colligat ad omnes omnino nationes jam tum Evangelium penetrasse, aut id Optatum affirmare de sua ætate, quod aliquanto posterior Augustinus præcise negat de sua, epist. LXXX, qua de supremo mundi die egregie disputat; non magis quam ex illis Apostoli, καθὼς καὶ ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ ad Coloss. I, 6 et 23, τοῦ κηρυχθέντος ἐν πάσῃ τῇ κτίσει, τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανόν, aliisque similibus locis, jam tum Evangelium sive per ipsos (quod nonnullos credidisse testis est Augustinus) Apostolos, sive per alios, per totum terrarum orbem, prædicatum fuisse. Nam neque Romanos, si præcise loquendum, orbis ne tum quidem noti, totius dominos fuisse, nemo nescit. Vide vel Tertullianum adversus Judæos, cap. 7. Alibi autem, *orbis Romanus* non est ut hic, universus orbis, sed qui proprie Barbariæ opponitur, ut docet ὁ μακαρίτης ad Lampridium pag. 386. Ita noster post unam aut alteram paginam, *inventa de Libano, id est, de Imperio Romano: ubi et sacerdotia sunt et pudicitia, et virginitas quæ barbaris gentibus non sunt: et si essent, tuta esse non possent.* Planum est imperium Romanum et barbaras gentes, sive Barbariam, hic opponi, et his duobus membris totum orbem comprehendi. At illud non æque planum, quod vel accipi vel excusari sensu possit, quod Optatus his verbis Ecclesiam Catholicam, sui parum memor, si ita capimus, orbe Romano, barbaris Afris exclusis, includat. Nam sane fuisse, qui promissiones illas propagandi per gentes Evangelii, ad orbem Romanum restringerent, vel ex istis confutantis Augustini verbis satis constet: *interiores autem*, de barbaris Afris loquitur, *qui sub nulla sunt potestate Romana, prorsus nec religione Christiana in suorum aliquibus detinentur. Neque ullo modo certe dici potest, istos ad promissionem Dei non pertinere. Non enim Romanas, sed omnes gentes Dominus semini Abrahæ, media quoque juratione promisit. Ex qua promissione*, etc. Quæ si fuit Optati quoque sententia, quoties *totum terrarum orbem* nominat, Romanum dumtaxat eum intelligere, non vicissim, dicendum erit. Ita tamen eum sensisse haud facile adniserim, quidquid de uno aut altero ejus loco statuatur. Deinde quod addit Optatus, *sacerdotia apud barB baros esse nulla*, neque *pudicitiam*, aut *virginitatem*, quomodo illud accipiendum est? Nam de omnibus universim barbaris esse falsum, tam certum, quam quod certissimum. Qui enim Brachmanes, Gymnosophistæ, Druides, aliique antiquis memorati quam barbararum gentium qualescumque sacerdotes! ut de pudicitia et virginitate nihil dicam, quod pari facilitate revinci potest. Posteriores Optato scriptores Afri, cum barbaros nominant, Vandalos plerique intelligunt, qui per illa tempora in Africam irruperunt, atque omnia crudelissima vastatione miscuerunt. Queruntur adeo passim illius historiæ scriptores, nullam eos sive rerum sive personarum rationem habuisse: *virgines sacras, et quosque continentes ubique dissipatos* ab iis, Possidon. in vita August cap. 28, mulieres autem ac virgines *contra jura naturæ* prostitutas ac nudatas, Victor Uticensis, de persecutione Vandalica. Sed neque illorum meminisse potuit Optatus, tot annis prior; et illi utcumque in Africa fortasse victorum licentia, contra Afros impotenter et C flagitiose abusi sunt, eos tamen alioquin, pudicitiæ non minus, imo vero multo melius, quam Romanos legibus suis consuluisse, prolixe docet Salvianus de Gubern. Dei lib. VII, qui toto illo libro insignem eorum castitatem ac pudicitiam mire prædicat, et *pudicos barbaros* appellat. Superest igitur, ut *gentes barbaras* non nomine dumtaxat tales Romanis oppositas, sed revera ac plane barbaras ac feras gentes, ad instar pecudum potius quam hominum, nullo aut jure aut republica viventes, intelligamus, quales vulgo *Sauvagios* vocamus. Quas fortasse et Augustinus intelligit epistola jam supra laudata, *sunt enim apud nos*, hoc est, in Africa, barbaræ innumerabiles gentes, *in quibus nondum esse prædicatum Evangelium, ex his qui ducuntur inde captivi*, etc. M. CASAUB.

(28) *Gratulatur in psalmo secundo*, etc. In prioribus editionibus non *secundo*, sed *primo*; et valde vereor ne illa psalmorum tributio, qua hodie utimur, doctissimo Balduino fraudi fuerit, ut mutandum putaret: D atqui olim psalmus primus et secundus unus idemque psalmus apud multos. Apud illos nimirum, qui act. XIII, 33, non ut hodie *psalmo secundo*, sed ut olim, testibus Hieronymo et Hilario et aliis antiquis exstabat, *psalmo primo*, vel ψαλμῷ simpliciter, legebant. Vide Erasmum et acta, et Genebr. in psalm. *Gratulari* autem, ut alicubi Ambros., *David se dici filium, ipse Dominus gratulabatur*. Inde et *gratulatio* pro *gratia lib.* V, *ut pro humanitate exhibita gratulatio eis referatur*. Cæterum, haud dubium quin alii quoque numerorum errores in indicandis Scripturæ locis irrepserint. Sed nos satis habuimus, si lectorem ubi aliquid difficultatis erat, moneremus, et Balduinianam editionem bona fide repræsentaremus. M. CASAUB.

(29) *Psalmo primo.* Olim psalmus primus et secundus unus idemque apud multos qui legebant act. XIII, 33, non ut hodie *in psalmo secundo*, sed ut olim, testibus Hieronymo, Hilario, et aliis, *in psalmo primo*. DU PIN.

Digitized by Google

sunt portæ quas diligat Deus ; sed in monte Ecclesiæ, qui spiritaliter appellatur. Cujus Ecclesiæ portas introeunt innocentes, justi, misericordes, continentes, et virgines : quas portas commemorat Spiritus sanctus per David in psalmo LXXXVI, dum dicit : *Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion.* Non illius corporalis montis, ubi jam nullæ sunt portæ ; et post victorias Vespasiani imperatoris vix antiquarum exstant vestigia ruinarum. Est ergo spiritalis Sion Ecclesia, in qua a Deo Patre rex constitutus est Christus ; quæ est in toto orbe terrarum, in quo est una Ecclesia catholica. Nam Sion Ecclesiam esse et alio loco sanctissimus David Propheta testatur, dicens : *Lauda Deum tuum, Sion, qui confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te* (*Ps.* CXLVII, 1 *et* 2). (30) Per singulas provincias totius orbis, valles [a] singulas intelligimus montis : et dum non in toto monte videt Esaias, sed in una valle, hoc est, sola Africa : in qua sola cum sufficerent templa Dei quæ **55** fuerant, alia facere voluerunt principes vestri : in qua sola (31) dejecti sunt muri, et ut fierent muri, aqua sanctæ piscinæ [b] transversa est, et novitas contra antiquitatem a vobis instituta est, et aqua humana contra divinam ordinata est [c]. Hoc totum Deus in vallem montis Sion, et interrogat et increpat, dicens : *Ut quid hoc factum est vobis? ideo, quoniam ascendistis in templa supervacanea : unaquæque civitas repleta est vociferantium : vulnerati tui, non vulnerati gladio ; et mortui in te, non mortui in bello : in errore sunt a minimo usque ad maximum : errantes in montibus omnes principes tui, in fugam conversi sunt : et qui capti sunt, graviter alligati, et fortiores tui longe fugati sunt. Missum me facite, amare plorabo : nemo me poterit consolari in contritione filiæ generis mei ; et ascendent Elamitæ cum pharetris :* (Elamitæ (32) Latina lingua dicuntur chori castrorum (33)) ; et secutus est dicens : *Penetralia vestra deferentur* [d] *ad publicum, et secreta domus Israel nudabuntur.* Hoc in Africa factum est, et totum hoc quare [e] factum est] indicavit Deus, dum vobis imputat dicens : *Quoniam convertistis aquam antiquæ piscinæ ad civitatem vestram, et dejecistis muros Hierusalem, ut faceretis alteram munitionem, et constituistis aquam inter duas munitiones, et ad piscinam antiquam attendere noluistis, nec ad eum, qui ab initio creavit illam* (*Is.* XXII, 1 *et seq.*).

III. *Donati superbia.* — Jam vides, frater Parmeniane, ad vos redundare omnia, a quorum principibus harum rerum omnium seminata est causa. Deinde ad Donatum Carthaginensem, (34) cujus veneficio [f] (55) videtur unitatis negotium esse commotum. In quo ostendam operarios ejus non pro voluntate nostra, nec sua malitia aliquid fecisse, sed provocantibus atque impellentibus causis et personis [g],

LECTIONES VARIANTES.

[a] Hæc supplevimus ex mss. S. G. quæ omissa sunt in aliis et in editis.
[b] In mss. S. T. et P. S. *aqua sancta et piscina.*
[c] Hæc supplevimus ex ms. S. G. quæ desunt in aliis et in editis.
[d] In ms. S. G. *proferentur.*
[e] Hanc vocem supplevimus ex ms. S. G. cujus loco in aliis reperitur *in Africa*, ex inadvertentia amanuensis.
[f] In ms. S. G. *beneficio.*
[g] Hoc suppletum ex ms. S. G.

VARIORUM NOTÆ.

(30) *Per singulas provincias*, etc. Singulas provincias totius orbis, per valles singulas intelligimus montis, voluit Optatus procul dubio, et scripserat fortasse, nisi pro, *per*, malit aliquis *præterea* reponere. Pergit enim in explicatione aut applicatione potius verborum Prophetæ, quæ mox descripturus est et ad Donatistas pertinere contendit. M. CASAUB.

(31) *Dejecti muri ut fierent muri.* Dejecti fideles et rebaptizati ut fideles fierent : ut fierent Christiani, facti sunt non Christiani. ALBASP.

(32) *Elamitæ lingua latina*, etc. Frustra se quisquam torqueat, *ut choros castrorum*, vel aliquid affine ex *Elamita* extundat et eliciat. Minori opera ausim elicere aquam ex pumice. Quid autem illud fuerit, quod eos deceperit, qui primi ita sunt interpretati, si nobis hariolari fas est, ego, sed tanquam divinus, ita censeo. Cantico Cantic. c. VII, vers. 1, ita legitur, *quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum?* in margine notata est diversa lectio *Sulamite*, quæ Græcorum et verior scriptura est, ut quæ ex prototypo sit expressa. Cum igitur ista verba *choros castrorum*, peregrinæ, quæ immediate præcedebat, vocis interpretationem esse putasset Optatus (nisi quis Optato æquior, glossema malit esse), postea memoria propter affinitatem vocum lapsus, quod de voce *Sulamite* legerat, aut legisse se falso putabat, *chorus castrorum* nempe significare, id ad *Elamitam* majori errore transtulit. Ita ego conjicio; paratus amplecti, si quis quod magis certum sit, aliquid afferat. M. CASAUB.

(33) *Elamitæ Latina lingua dicuntur chori castrorum.* Videtur alludere ad hæc verba Cant. Cantic. c. VII, v. 1, in Hebr. c. VI, v. ult. *Quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum?* Attamen non existimo cum Casaubono, Optatum *Sulamitem* pro *Elamita* accepisse : sed potius derivasse *Elamitarum* nomen a vocibus Hebræis מחלית חמה כים *Meholath Mahanaim.* Forte etiam derivavit *Elamitarum* nomen ab alia voce Hebræa חילים *Aialim*, quæ *exercitus* seu *copias* significat. Daniel XI, v. 10 et alibi. DU PIN.

(34) *Cujus veneficio.* Cujus audacia et impudentia Macarius impulsus est ad unitatem faciendam. ALBASP.

Ibid. *Cujus veneficio videtur unitatis negotium*, etc. Forte veneficium pro beneficio : obiter vir doctus in notis, quod quomodo hic accommodari possit utinam adjecisset. An beneficium τὸ μίσων erit, quod tam in malam quam bonam partem accipiatur, ut affinia *meritum* et *mereri* passim? an εἰρωνικῶς aut εὐθύρως pro maleficio? An ideo quod sequitur, *dum magnum se videri contendit*, quasi dicat, dum sibi placet, et ambitioni suæ servit, et velificatur Donatus? Si nihil horum placet, superest (quantum ego quidem video) ut *veneficio* retineamus, et venelicium hic positum sit, pro maledicentia ac impotenti procacitate. Nam et nos vulgo *virus* linguæ dicimus, et in Scriptura sacra *venenum labiorum*, passivum est. Donati autem maledicentiæ imputandum esse hoc unitatis negotium, hinc incipit, ac multis deinceps prosequitur Optatus. Quamvis et *veneficium* ἁπλῶς pro *scelere*, ab Optato dici potuerit, quemadmodum venefici et φαρμακεὺς haud raro pro scelesto et sacro. M. CASAUB.

(35) *Veneficio.* Malis scilicet artibus, superbia et livore. DU PIN.

Digitized by Google

quas Donatus Carthaginis levitate sua constituit, dum magnum se videri contendit. Quem enim latet præter te, (36) quia peregrinus es, et potuerunt tibi falsa narrari? aut quis negare potest, rem, cui tota Carthago principaliter testis est, (37) imperatorem Constantem, Paulum et Macarium primitus non ad faciendam unitatem misisse, sed cum eleemosynis : quibus sublevata [a] per Ecclesias singulas posset respirare, vestiri, pasci, gaudere paupertas? Qui cum ad Donatum, (38) patrem tuum, venirent, et quare venerant indicarent, ille solito furore succensus, in hæc verba prorupit : (39) *Quid est imperatori cum Ecclesia?* et de fonte levitatis suæ, multa maledicta effudit : non minus quam in Gregorium aliquando, ad quem sic scribere minime dubitavit : *Gregori, macula senatus, et dedecus præfectorum*, et cætera talia; cui Donato præfatus 56 patientia episcopali rescripsit. Harum epistolarum exemplaria multorum ore ubique cantantur. Jam tunc meditabatur, contra præcepta apostoli Pauli, potestatibus et regibus injuriam facere, pro quibus, si Apostolum audiret, quotidie rogare debuerat. Sic enim docet beatus Apostolus Paulus : *Rogate pro regibus et potestatibus, ut quietam et tranquillam vitam cum ipsis agamus* (I *Tim.* II, 2). (40) Non enim respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in republica (41) est, id est, in imperio Romano: quod Libanum appellat Christus in Canticis Canticorum, cum dicit : *Veni, sponsa mea, inventa de Libano* (*Cant.* IV, 8), id est, de imperio Romano : ubi et (42) sacerdotia sancta (43) sunt, et pudicitia, et virginitas, quæ in barbaris gentibus non sunt; (44) et si essent, tuta esse non possent. Merito Paulus docet, orandum esse pro regibus et potestatibus : etiam si talis imperator esset, qui gentiliter viveret : quanto quod [b] Christianus, quanto quod Deum [c] timens, quanto quod religiosus, quanto quod misericors, ut ipsa res probat. Miserat enim ornamenta domibus Dei, miserat pauperibus eleemosynam, nihil Donato. Cur ergo insanivit? cur iratus est? cur quod missum fuerat, repudiavit? Et cum illi qui missi fuerant, dicerent, se ire per provincias singulas, et volentibus accipere se daturos : ille dixit, ubique se litteras præmisisse, ne id quod allatum fuerat, pauperibus alicubi dispensaretur. (45) O consulere miseris! o providere [d] pauperibus! o peccatoribus subvenire! clamat Deus dicens : *Ego sum qui feci pauperem et divitem* : non quia non potuit et pauperibus dare, sed si ambobus daret, peccator qua sibi succurreret, invenire non posset. Denique sic scriptum est : *Quemadmodum aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna exstinguit peccatum* (*Eccl.* III, 33). Certe jam apud Deum sunt ambo, et qui dare voluit, et qui obstitit, ne daretur. Quid si jam dicat Deus Donato : Episcope, quid vis fuisse Constantem? si innocentem, quare ab inno-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Hoc verbum addidimus ex ms. S. G.
[b] In ms. S. G. *quanto magis quod*.
[c] In ms. S. G. *Dominum*.
[d] In mss. S. T. et P. S. *o providere fuerat*.

VARIORUM NOTÆ.

(36) *Quia peregrinus es*. Quia non es natus Carthagini, cui præres. ALBASP.

(37) *Imperatorem Constantem*. Concilium Carthagineuse primum hoc non sub Constante, sed sub Constantino factum narrat : *Qui imperavit religiosissimo Constantino imperatori votum gereret unitatis, et mitteret ministros sancti operis famulos Dei Paulum et Macarium*. ALBASP.

(38) *Patrem tuum*. Qui te in illa cathedra generavit, cui successisti : omnes episcopi dicuntur filii eorum quibus succedunt, aut à quibus ordinantur. ALBASP.

(39) *Quid est imperatori cum Ecclesia?* A Donatistis primum provocatum est ad Constantinum, quem cum suis rebus minus favere deprehendissent, his et similibus utebantur. ALBASP.

(40) *Non enim respublica est in Ecclesia*. Hanc sententiam mirifice extollunt homines illi qui rebus student novis : putantque hujus sententiæ sensum esse imperatores non Ecclesiæ, sed Ecclesiam eis subditam esse, aut sine Ecclesia Rempublicam esse; Ecclesiam vero sine Republica esse non posse. Et tamen si quis animum ad hunc locum advertat, longe aliter eum explicabit. Optatus enim voluit dicere imperatoribus Romanis non esse maledicendum, sed pro eis orandum secundum Apostolum, quia quietam magis vitam Christiani cum eis agerent quam cum aliis nationibus, apud quas, quod essent barbaræ, non licebat Christianos tam quiete vivere : igitur *Respublica non est in Ecclesia*, est Ecclesiam non facere bella, non leges figere, non populos sub legibus coercere, non res civiles exercere, et similia : *Ecclesiam* autem *esse in Republica*, Christianos sub legibus imperatorum vivere, protegi, quietam vitam sub eis et ex eorum protectione ducere, et similia. ALBASP.

(41) *Non enim Respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in Republica*. Imperium Romanum erat ante Ecclesiam constitutam, Ecclesia in ipso constituta est et ædificata, non autem imperium in Ecclesia. DU PIN.

(42) *Sacerdotia*. Ambiguum an de Christianorum aut Gentilium sacerdotiis loquatur, ad illorum ego referendum censeo; nam in nonnullis codicibus ita legitur, *sacerdotia sancta*; sensus igitur est, sub imperatoribus Romanis tutius quam apud barbaras gentes sacerdotia Christianorum exerceri, apud quas virginitas et pudicitia christianarum virginum numquam est satis tuta, sed apud Romanos est tuta quamvis non sint Christiani, quia eorum leges ad innocentiam perducebant. ALBASP.

(43) *Sancta*. Id est, sacra et veneranda ubi et sacerdotia, et pudicitia, et virginitas in honore sunt : quod generatim intelligendum de sacerdotiis, pudicitia et virginitate, tam Gentilium quam Christianorum. DU PIN.

(44) *Et si essent, tota esse non possent*. Rectius fortassis, *tuta esse non possent*. INCERT. *Ita restituimus*.

(45) *O consulere miseris! o providere*, etc. Si abesset illud *fuerat*, nihil mutarem. Sed ut nunc habent verba, potius quam quidquam eliminetur, restituerim : *hoc consulere miseris! hoc pro*, etc. *Ho*, pro *o* sæpe scriptum scimus, etiam alicubi hic excusum, nisi fallor, unde facile potuit accidere, ut *ho* pro *hoc* scriberetur, ac tandem omissa aspiratione fieret *o* pro *hoc*. Mox *apud Deum*, non de beatorum sedibus dixit, quasi et illæ schismaticos, quales Donatus ille, reciperent, sed de altero mundo seu sæculo, q. d. uterque jam decessit, et vita functus est; paulo post, puto scribendum, *qualis futurus est, qui de levitate et furore laboravit tantis* (id est *tot*, ut passim : sed fort. *dantes*) *pauperibus impedire*. M. CASAUB.

Digitized by Google

cente accipere noluisti? si peccatorem, quare non permisisti dare, propter quem feci pauperem? Sub hac interrogatione qualis futurus est? quid de levitate et furore laboravit tantis pauperibus impedire? Carthaginis principatum se tenuisse crediderat: et cum super imperatorem non sit nisi solus Deus, qui fecit imperatorem, dum se Donatus super imperatorem extollit, jam quasi hominum excesserat metas, ut prope se Deum, non hominem æstimaret, non reverendo eum, qui post Deum ab hominibus timebatur. Denique per Ezechielem increpat Spiritus sanctus principem Tyri, id est, principem Carthaginis, cum per prophetam his loquitur verbis: *Fili hominis, dic adversus principem Tyri, hæc dicit Dominus Deus, quia exaltatum est cor tuum, et dixisti: Ego sum Deus* (*Ezech.* XXVIII, 2). Tyrum Carthaginem esse, primo Esaias probat, in quo legitur *visio super Tyrum*: et sequitur, *ululate* (46) *naves Carthaginis* (*Es.* XXIII, 1). Deinde Tyrum Carthaginem esse [a], etiam mundanæ litteræ protestantur: et si sit alia civitas, quæ hoc nomine nuncupetur, nihil in illa [b] videtur factum, quod apud Carthaginem **57** constat admissum. *Loquere* (inquit Deus) *adversus Principem Tyri* (*Ezech.* XXVIII, 2): non adversus secularem aliquem regem dicit esse loquendum, nec ad multos; sed ad unum, hoc est, ad Donatum episcopum. Neque enim fas erat prophetam Ezechielem, quem proxime nominavi, (47) nisi principi episcoporum comparare [c], qui sibi (ut diximus) principatum Carthaginis vindicabat, qui exaltavit cor suum, et hominibus [d] sibi superior videbatur: et (48) sub se omnes etiam socios suos habere voluisset; (49) de quorum oblationibus (50) numquam est dignatus accipere. (51) In qua re media est fides (52), et Deus Christus ejus, et querelæ multorum, quibus in ipsa societate hanc injuriam faciebat; ut (53) solus secreto nescio quid ageret (54), et postea cæteris perfunctorie misceretur. Modo exaltatum est cor ejus, ut sibi jam non homo, sed Deus fuisse videretur. Denique et in ore populi raro est appellatus episcopus (55), sed Donatus Carthaginis dicebatur. Et merito princeps Tyri, id est, Carthaginis, appellari

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ita in ms. S. G. In ms. S. T. *Carthaginem ipsam esse.*

[b] *Illa* in mss. S. T. et P. S. *alia.*

[c] Hunc locum qui jacebat in mendo correximus, addendo vocem *Principi*, quæ necessaria visa est, licet in mss. non exstet. In ms. S.T. *nisi episcopo compararem.* In ms. S. G. *nisi episcopo comparare.* In postrema editione, *nisi episcopo eum comparare.* Nihil horum est ad mentem auctoris quam assecuti sumus, ut docent sequentia.

[d] In ms. S. T. *ab hominibus sibi superior videbatur.* In ms. S. G. *ab omnibus hominibus sibi superior videbatur.* In ms. P. S. *ab hominibus superior videbatur;* sententia longe planior, si vocem *ab* deleas.

VARIORUM NOTÆ.

(46) *Naves Carthaginis.* Ita Sept. Ὀλολύξατε πλοῖα Καρχηδόνος: in Hebræo *naves Tharsis*, quod Vulgatus *naves maris*: hac enim voce *Tharsis*, ut observat Hieronymus, generatim mare designatur aut regiones transmarinæ. Sed cum Optatus haberet versionem ex traslatione Græca τῶν Septuaginta adornatam, legit, *ululate naves Carthaginis.* Eumdem locum Ezechielis de Principe *Tyri* in Donatum intorquet S. Augustinus lib. de unit. Eccl. c. 16, n. 42. Du Pin.

(47) *Nisi episcopo eum comparare*, etc. Corrigo, nisi principi episcopum (*vel* eum) comparare, etc. M. Casaub. *Et ita restitutum.*

(48) *Et sub se omnes socios habere.* Omnes episcopos sibi subditos. Albasp.

(49) *De quorum oblationibus.* Oblationes eulogiarum celebrabant in domibus pietatis, ut communionem aliquam facerent: de hac igitur communione et oblatione nolebat cum aliis episcopis participare Donatus, sed nescio quid secreto faciebat. Albasp.

Ibid. *De quorum oblationibus*, etc. Totum hunc locum et obscurum nonnihil, et palam corruptum, sic lego ac distinguo, *de quorum oblationibus numquam est dignatus accipere, in qua re media est fides et Deus Christus: hinc* (vel inde) *et querelæ multo*, etc. *In qua re* pertinet ad superiora, quod hic cum frequentibus pessime connexum est, ita loquitur et lib. V: *Jam de baptismate hoc loco dicendum est, in qua re*, etc. Ita et lib. I: *Sic igitur pax Christianis omnibus data est quam rem Dei esse constat*, etc. Etiam lib. VI: *Manus vestras quibus ante nos eosdem calices tractabatis. Eam rem tamen passim vendi jussistis*, etc. *Oblationes* autem intelligo eulogias, sive panes fermentatos (quos et oblationes nuncuparunt), unitatis gratia, ut Paulinus ad Alypium, inter epist. August., vel ut idem Paulinus ad Augustinum ipsum, unanimitatis indicio, ab amicis invicem mitti solitos, de quo quidem more, quæ in suis annalibus anno 313, doctissimus cardinalis fuse, ac multis capitibus inseruit, non tam ingrati aut illiberales sumus, ut compilare sustineamus. Consulat cum lector, cui hoc adhuc novum; ut de illo fermento accipiam, non modo res ipsa suadet, sed et modus loquendi observatus, ac quasi solemnis. Ut hic, *dignatus accipere.* Ita Paul. ad Sever. epist. 1, *dignare accipere*, et apud August. idem, *dignatio sumendi*, et Augustinus ipse, *dignatio accipientis:* quibus tamquam propriis ac usitatis verbis munus suum prosequuntur. Quod addit Optatus, *hac in re media esse fidem ac Deum Christum*, ad exaggerandum Donati superbum fastidium pertinet, qui oblationem in nomine Christi consecratam et in *nomine Dei accipi* solitam, quo nomine etiam Paulinus ad Severum, commendat: in qua præterea *Trinitatis soliditas continebatur*, ut loquitur idem Paulinus; dum superbe respuebat eadem opera, et Christo et fidei renuntiare videbatur. Quod autem pro, *ejus*, rescribo, *hinc*, vel, *inde*: non dubito quin *Jesus* (siquidem *Christum Jesum* non minus quam *Jesum Christum*, docuit nos sacra Scriptura dicere) aliquibus magis arrideret, quod id propius ad *ejus* accedat. Sed nos sequentium rationem habuimus, quæ id requirunt. M. Casaub.

(50) *Oblationibus.* Eulogiis quas sibi invicem episcopi mittebant in signum et pacis et amicitiæ. Du Pin.

(51) *In qua re media est fides.* Deus et lex christiana jubent aliter vivere, et pluris facere episcoporum oblationes. Albasp.

(52) *Media est fides.* Hoc est, *testis est ejus conscientia, testis Christus, testes multorum querelæ.* Du Pin.

(53) *Solus secreto.* Communionem cum aliis non faciebat. Albasp.

(54) *Ut solus nescio quid ageret.* Solus ipse in secreto celebrabat divina mysteria, non in publico cum aliis episcopis, presbyteris, et clericis, communionem eorum vitabat, et perfunctorie tantum, ac per transennam quasi aliud agens miscebatur. Du Pin.

(55) *Raro est appellatus episcopus, sed Donatus*, etc. Non id criminatur Optatus, quod Carthaginensis episcopus Donatus, *Donatus Carthaginensis* sit dictus,

Digitized by Google

et increpari meruit, quia [a] primus episcoporum (56), quasi plus esset ipse quam cæteri : et [b] dum nihil humanum voluit habere, exaltavit cor suum : non sicut hominis [c], sed sicut cor Dei, dum a cæteris hominibus aliquid plus esse cupiebat. Ad quem Deus sequitur dicens : *dixisti, ego sum Deus* (*Ezech.* XXVIII, 2) : ideo, quia quamvis non sit usus hac voce ; tamen aut fecit, aut passus est, quod effectum hujus vocis impleret. Extulit cor suum, ut nullum hominem sibi comparandum arbitraretur : et tumore mentis suæ altior sibi visus est esse ; quia quidquid est supra homines, jam quasi Deus est. Deinde (57) cum episcopi Deo debeant famulari [d] (58), tantum sibi de episcopis suis [e] exegit, ut eum non minori metu omnes venerarentur [f], quam Deum : hoc est, quod sibi Deus visus est. Et cum per solum Deum solent homines jurare, passus est homines per se sic jurare, tamquam per Deum. In quo si unusquisque hominum erraverat, ipse prohibere **58** debuerat : cum non prohibuit, Deus sibi visus est. Deinde cum ante ipsius superbiam, omnes qui in Christo crediderant, Christiani vocarentur, ausus est populum cum Deo dividere ; ut qui illum secuti sunt, jam non Christiani A vocarentur [g], sed Donatistæ : (59) et si quando ad eum aliqui ex aliqua Africana provincia veniebant [h], non quærebat illud, quod humana semper exigit consuetudo, de pluviis, de pace, de proventu anni aliquid interrogare : sed illius ad singulos quosque venientes hæc erant verba [i] : *Quid apud vos agitur* j *de parte mea?* quasi jam vere populum cum Deo diviserat, ut intrepide suam diceret partem. Nam et a temporibus ejus, et usque in hodiernum, si quando de rebus ecclesiasticis in judiciis publicis aliqua celebrata est actio : interrogati singuli, sic apud acta locuti sunt, ut dicerent se de parte esse Donati : de Christo tacuerunt. Et quid de clericis dicam, cum legantur preces (quarum in primo libro fecimus mentionem) jamdudum ad Constantinum missæ et subscriptæ [k], quæ episcoporum nomina continebant : B sic *Datæ a Capitone*, et Nasucio, Digno, et cæteris episcopis (60) partis Donati : et postulabant utique contra episcopos, qui dum non erant in parte Donati, in Christi catholica habitabant ; et dum episcopus inter coepiscopos suos non fuit, nec homo inter homines esse voluit, constat, quod extulit cor suum et Deus sibi fuisse videbatur. (61) Nam cum et ordi-

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. *quum*.
[b] In ms. S. T. *sed*.
[c] Desunt hæc in ms. S. T. lapsu amanuensis.
[d] In ms. S. G. *famulatum*.
[e] In ms. S. T. *sibi episcopos exegit*.
[f] In ms. S. G. *suspicerent*.
[g] In ms. S. G. *vocentur*.
[h] Hic in ms. S. T. mota sunt sequentia e loco suo et in alium translata ; sequuntur autem, VINDICAVIT MACARIUS, etc., quæ infra.
[i] In ms. S. G. additur, *ut diceret*.
[j] In ms. S. G. *videtur*.
[k] In mss. S. T. et P. S. *subscribente*.

VARIORUM NOTÆ.

neque enim aliter Optatus ipse loquitur, quoties episcopos nominat, sed quod episcopus, quasi quiddam majus esset ipse, non libenter audiret, mox : *ideo quamvis non sit ausus*, etc. aliæ editiones plenius : *ideo quia quamvis*, etc. M. CASAUB.

(56) *Primus episcoporum*. Primæ sedis in Africa episcopus, non tamen propterea plus quam cæteri, quia unum est et idem in omnibus sacerdotium. DU PIN.

(57) *Episcopi Deo debeant famulari*. Maxima olim erat episcopalis dignitas. ALBASP.

(58) *Deinde cum episcopi Deo debeant famulari*, etc. Sunt omnes episcopi Dei famuli, nullus eorum alteri serviliter obsequi debet, nullus inter eos dominatum in alios sibi vindicare. DU PIN.

(59) *Et si quando ad eum aliqui ex aliqua Africana provincia veniebant. Vindicaverit Macarius si nihil offenderant, cui occisi esse dicuntur*. « Omnino, inquit Barthius, lege : *At si quando ad eum aliqui ex Africana provincia veniebant. Vindicaverit Macarius : si nihil offenderant, cur occisi esse dicuntur?* Planissime si cui inspecta auctoris sententia. » Hæc ille. Sed nihil dicit. Nam hæc nullo modo cohærent, ingensque in hac editione hiatus est, puta duodecim hujusmodi paginarum. Vide omnino editionem 2 Fr. Balduini, unde hæc lacuna supplenda est. Sed et hæc ipse infra quoque circa finem hujus libri alieniore loco leguntur, postliminio suo ordini restituenda, a verbis : *Non quærebat illud*, etc. usque ad verba : *Vindicavit Phinees*. Omnia illa intermedia subjicienda sunt istis. *Et si quando ad eum aliqui ex aliqua Africana provincia veniebant, non quærebat illud, quod humana semper exigit consuetudo, de pluviis, de pace, de proventu anni aliquid interrogare, sed illius ad singulos quosque venientes hæc erant verba* : *Quid apud vos agitur de parte mea*, etc? *Numquam sequitur vindicta, nisi ejus antecesserit causa. Vindicavit* (*ut diximus*) C *Moyses, vindicavit Helias, vindicavit Phinees, vindicavit Macarius : si nihil offenderant, cui occisi esse dicuntur, fit Macarius reus in eo quod solus*, etc. Sic perturbatissimus et distortissimus locus necessario interpolandus. Vide infra notas. INGERT, *Ita restitutum*.

(60) *Partis Donati*. Cum olim interrogarentur episcopi, et coram judicibus starent, se Christi et Ecclesiæ episcopos esse profitebantur ; in Vita D. Cypriani : *Tu es quem Christiani papam suum nominent? Sanctus Dei respondit, Ego*. At Donatistæ Donati, non Christi episcopos se esse respondebant : quod illis ab Optato crimini datur. ALBASP.

(61) *Nam cum et ordinatores tui*, etc. Tota hæc periodus, ad, *hic jam quid resp.* etc. manifesta ἀνακολουθία laborat ; quæ tamen ab ipso fortasse Optato. Res quidem ipsa et sententia optime sic habet ; ac proinde nec verba temere sollicitanda. *Preces* apud hos scriptores, *libellum* valere, sive *libellum supplicem*, ut vulgo vocamus, non est quod moneamus ; *allegare* D autem *preces apud Judices*, quid sit, jurisconsulti, quos hic libenter si præsto essent, consulerem, melius docebunt. Interim sic existimo : preces illas suas, non ipsi per se, vel suos, et ut vulgo loquimur, immediate deferebant, sed judicibus provinciæ commendabant apud acta primum subscriptas ac signatas coram Actuario, per quem in publica acta referebantur. Hoc *allegatio* nisi me ratio fugit ; hinc et *gesta allegationis*, super hac ipsa re, tum Augustino contra Petilianum, tum Honorio in edicto quodam contra Donatistas memorata. Quod in aliis editionibus reperimus, post *allegarent*, addendum *episcoporum actis, de quibus infra scriptum est. Datæ*, etc. ab eorum errore manasse puto, qui Optatum in his verbis, *in quibus*, aut quemadmodum ipsi legerunt, *de quibus infra scriptum est*, lectorem suum ad *acta* his libris quondam annexa (quod sæpe facit Optatus) rejicere

Digitized by Google

natores tui, quorum nomina, frater Parmeniane, bene nosti, et ubi fuerint non ignoras, et qui [a] vel a quo petiverint, et qualem rogaverint ut redirent, et tecum redire potuissent, et nos didicimus [b] cum easdem preces quas dederant [c] (62), apud [d] Africanos judices allegarent, in quibus scriptum est [e]: *Datæ ab episcopis partis Donati*. Hic jam quid responsuri sunt in illo imminenti divino judicio, qui in hoc sæculo alio modo confessi sunt, non esse de Ecclesia Christi; qui libenter professi sunt de parte fuisse se Donati, cum in Evangelio scriptum est, Christo dicente: *qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor eum coram patre meo* (*Joan.* XII, 8): isti Donatum confessi sunt, non Christum. Et ne parva sit ista probatio, quam ad ipsius personam pertinere manifestatum est, accedit et illud testimonium, quo supra memorata increpatio clausa est (63), quod dixit illum Deus non in terra [f] moriturum; et ita factum esse omnibus notum est. Habitabat in domo Dei, et erat in corde maris: ubique mare sæculum legimus, cum esset ipse non tantum in amore aliquorum **59** Christianorum, sed propter scientiam mundanarum litterarum, erat etiam in corde maris, id est, in amore sæculi [g]: et de scientia sua sapiens sibi visus est. Sed hanc sapientiam ejus evacuavit Deus, dum dicit: *numquid sapientior tu quam Daniel* (*Ezech.* XXVIII, 3)? Quam et bene [h] ejus sapientia humiliata est, qua putavit se Daniele esse sapientiorem, in repudiandis muneribus regis, dum accipere noluit quod ab imperatore christiano missum esse videbatur! Et visus est sibi aut Daniel novus, aut sapientia Danieli prælatus; quia et ipse Daniel aliquando a Baltassare rege, cum cogeretur accipere munera, id est, annulum, torquem et cætera, dixisse legitur: *dona tua tecum sint, rex* (*Dan.* V, 17): et sapienter respondit, et convitia regi non fecit, et quod offerebatur non damnavit, sed distulit: non quo modo Donatus, qui, et convitia Constanti, quanta potuit, dixit, et quod ab eo pauperibus missum fuerat, repudiavit. Sed Daniel sanctus sapiens [i] inventus est, ut munera oblata illa die non acciperet. Illud enim quod ab eo petebatur, adhuc in cœlo erat; et insipiens esset, hujus rei quasi mercedem accipere [j], quam nondum habuit in potestate: idcirco munera oblata illa die [k] ad tempus accipere noluit. Denique cum ei Deus ostenderet, quod regi supradicto indicaret, Baltassari retulit; et quod jamdudum repudiasse visus est, postea libenter accepit. Merito increpat Deus principem Tyri, Donatum, cum dicit: *numquid tu sapientior quam Daniel* (*Ezech.* XXVIII, 3)? Sed o quam longe est præsumptio Donati a persona Danielis! Quod enim Baltassar dabat, non pauperibus; quod Constans christianus imperator tunc miserat, pauperibus transmiserat, non Donato. Denique [l] ait: *sapientes te non docuerunt sapientiam suam*, quia illud a Salomone discere noluisti, quod ait: *Absconde panem in corde pauperis, et ipso pro te rogabit* (*Eccli.* XXIX, 15). Quia etiam illud ab ipso Daniele discere noluit quod dedit Nabuchodonosor consilium, quomodo satisfaceret qui offenderat Deum. *Et tu* (inquit) *audi, rex, consilium meum, et placeat tibi: peccata tua eleemosynis redime, et injustitias tuas in miserationibus* [m] *pauperum* (*Dan.* IV, 24). Daniel, regi peccatori et sacrilego faciendas eleemosynas suadet: Donatus, qui increpari meruit, Constanti imperatori christiano, ne misericors esset, obstitit. Ideo increpatur, quod eum sapientes non docuerunt sapientiam suam: quidquid a rege missum fuerat, per se dari passus non est. Unde constat, Donatum malarum fontem fuisse causarum [n].

IV. *Narratio eorum quæ per vim gesta sunt a Donatistis et contra Donatistas.* — Quidquid itaque in unitate facienda aspere potuit geri, vides, frater Parmeniane, cui debeat imputari. An nobis Catholicis [o] petitum militem esse dicitis: si ita est, (64) in provincia proconsulari tunc nullus armatum militem vidit? (65) Veniebant Paulus et Macarius, (66) qui pauperes ubique dispungerent, et ad unitatem singulos horta-

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. *quid*.
[b] Ita in ms. S. G. In mss. S. G. et P. S. *dicimus*.
[c] In ms. S. T. *dederunt*.
[d] In mss. S. T. et P. S. *ut ad*.
[e] Ita in ms. S. G. In mss. S. T. et P. S. e margine in serie orationis hæc irrepsere: *addendum in episcoporum actis, de quibus infra*: quod manifeste notam sapit ad marginem appositam.
[f] In ms. S. G. *in terra sua*.
[g] In ms. S. G. *sæcularium*.
[h] In ms. S. G. *ob quam merito*. In editis, *merito et bene*.
[i] In ms. S. G. *satis et vere sapienter*.
[j] In ms. S. G. *quærere*.
[k] Deest in ms. S. G.
[l] In m. S. G. *deinde*.
[m] In ms. S. G. *in miserationes*, additurque, *et erit Deus propitius peccati*.
[n] Post hæc verba in ms. S. G. s quentia reperiuntur, sed minus apposita: *Sed dum et te considero, vereor ne ad te secunda lectio permaneat. Quidquid itaque*, etc.
[o] Deest in ms. S. G.

VARIORUM NOTÆ.

putabant, sed hoc ipsi viderint. Mox pro *alio modo*, scribo, *aliquo modo*. Ait eos dum se libenter professi sunt de parte Donati, etsi non exerte, aliquo saltem modo, de Ecclesia Christi non esse, confessos. Non displicebit etiam, si quis ita accipiat, *quid respondebunt in illo imminenti judicio divino*, qui in hoc sæculo, alio modo confessi sunt, etc.? M. CASAUB.

(62) *Preces quas dederant*. Libellum supplicem, ut sibi episcopum ordinarent Parmenianum. DU PIN.

(63) *Quo supra memorata increpatio clausa est*. Prophetia exstat ibid. apud Ezech. c. XXVIII, v. 9: *Morieris in interitu occisorum in corde maris*. DU PIN.

(64) *Provincia proconsulari*. In provincia Carthaginensi. ALBASP.

(65) *Veniebant Paulus et Macarius, qui pauperes ubique dispungerent*. Tò *dispungerent* tantumdem est ac *consolarentur*; quæ mira phrasis. INCERT.

(66) *Qui pauperes ubique dispungerent*. *Dispungerent* tantumdem est ac *consolarentur*, inquit hic vir doctus, et addit esse miram phrasim, sed mira est ejus interpretatio. Quia nimirum *pungere*, non raro pro *urere*, aut angere, ideo *dispungere* sit consolari. Sed virum doctum ratio fugit, dum non intellexit, aut non cogitavit saltem, a rationibus esse hoc verbum, quo frequenter eadem aut simili, qua hic Optatus

Digitized by Google

rentur : et cum ad Bagaiensem [a] civitatem (67) proximarent, tunc alter Donatus (sicut prima diximus) ejusdem civitatis episcopus, impedimentum unitati et obicem venientibus supra memoratis opponere cupiens, præcones per vicina loca et (68) per omnes nundinas misit, (69) Circumcelliones (70) Agonisticos (71) nuncupans ; ad prædictum locum ut concurrerent, invitavit : 60 et eorum illo tempore concursus est flagitatus, quorum (72) dementia paulo ante ab ipsis episcopis impie videbatur esse succensa [b]. Nam cum hujusmodi hominum genus ante unitatem (73) per loca singula vagarentur : cum Axido et Fasir (74), ab ipsis insanientibus sanctorum duces appellarentur : nulli licuit securum esse in possessionibus suis : debitorum chirographa amiserant vires : nullus creditor illo tempore exigendi habuit libertatem [c]. Terrebantur omnes litteris eorum, qui se sanctorum duces [d] fuisse jactabant : et si in obtemperando eorum jussionibus tardaretur, advolabat A subito multitudo insana, et præcedente terrore creditores periculis vallabantur : ut [e] qui (75) pro præstitis suis rogari debuerant [f], metu mortis humiles impellerentur in preces. Festinabat unusquisque debita etiam maxima perdere, et lucrum computabatur evasisse ab eorum injuriis. Etiam itinera non poterant esse tutissima, quod domini de vehiculis suis [g] excussi ante municipia sua, dominorum locis sedentia [h], serviliter cucurrerunt. Illorum judicio et imperio inter dominos et servos conditio mutabatur. Unde cum vestræ partis episcopis tunc invidia fieret : Taurino tunc comiti scripsisse dicuntur, hujusmodi homines corrigi in Ecclesia non posse : mandaverunt, ut a supra dicto comite acciperent disciplinam. Tunc Taurinus ad eorum litteras, ire militem jussit B armatum per nundinas, ubi Circumcellionum furor vagari consueverat. In loco Octavensi [i] (76) occisi sunt plurimi [j], detruncati sunt multi, quorum corpora usque in hodiernum, (77) per dealbatas aras

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. S. T. et S. G. *Vagaiensem.*
[b] In mss. S. G. *compressa ;* sed perperam.
[c] In mss. S. G. *potestatem.*
[d] Deest in ms. S. G.
[e] Ita in ms. S. G.
[f] In ms. S. T. *meruerant.*
[g] Deest in ms. S. G.
[h] Deest in ms. S. G.
[i] In ms. S. G. *Octaviensi.*
[j] Sequitur, *et,* in mss. S. T. et P. S.

VARIORUM NOTÆ.

significatione Tertullianus utitur, ut cum *honore et officio*, vel *vita dispunctum* dicit. Quid mirum autem si dicantur dispuncti pauperes, quibus antea dixit eleemosynas a Constantino missas, quibus sublevati possent respirare, vestiri, pasci, gaudere ? Neque enim necesse, ut de ipsorum ære alieno intelligamus, quamquam et illud quoque fortasse verum : sed elegantius, ut ipsa paupertas, quæ gravissimum, vel sola onus, dispuncta dicatur. M. Casaub.

Ibid. *Dispungerent.* De corona militis, ubi de imperatorum donativo agitur : *expungebantur milites laureati* : recensebantur, notabantur. Albasp.

(67) *Civitatem proximarent.* Afra itidem locutio. Incert.

(68) *Per omnes nundinas misit Circumcelliones.* Locus ita distinguendus est : *præcones per vicina loca, et per omnes nundinas misit, Circumcelliones Agonisticos nominans ad prædictum*, etc. ut in Cochleana. M. Casaub.

(69) *Circumcelliones.* De istis frequens est mentio in hoc schismate. Albasp.

(70) *Circumcelliones.* Hujus vocis etymologiam tradit Augustinus sic eos describens l. 1 contra Cresconium c. 28, his verbis : *Quis enim nescit hoc genus hominum in horrendis facinoribus inquietum, ab utilibus operibus otiosum, crudelissimum in mortibus alienis, vilissimum in suis, maxime in agris territans et victus sui causa cellas circumiens rusticanas, unde et circumcellionum nomen accepit, universo mundo pene famosissimum, Africani erroris opprobrium?* Du Pin.

(71) *Agonisticos.* Quod pugnarent adversus eos qui sua tuebantur. Du Pin.

(72) *Dementia.* Quia immania multa et inaudita perpetrarunt isti Circumcelliones, multique eorum sese præcipitaverunt ut martyrii gloriam assequerentur. M. Casaub.

(73) *Ante unitatem.* Antequam Macarius ad unitatem cogeret Donatistas ; jam a Constantini temporibus fuerant Circumcelliones. Du Pin.

(74) *Axido et Fasir.* Duces Circumcellionum ita nominati. Du Pin.

(75) *Et qui pro præstitis suis rogari*, etc. Vel pro *et qui*, scribendum *ut qui*, vel mox *impellerentur* positum, pro *impellebantur*. M. Casaub. *ita restitutum ex mss.*

(76) *Loco Octavensi.* Numidæ oppido. Inter episcopos qui sententiam dicunt in concilio Carthaginensi sub Cypriano, est *Victor ab Octavo.* In notitia episcoporum Numidiæ est *Octobensis* seu *Octavensis episcopus.* Du Pin.

(77) *Per dealbatas aras.* Per dealbatos tumulos in aræ formam constructos : super martyrum monumentis et memoriis sacra olim fiebant, quæ ut commode possent fieri, monumenta in altaris formam erigebantur : Donatistæ igitur illis Circumcellionibus, qui et in illa Macarii expeditione interierant, aras posuerant et monumenta ex quibus corpora occisorum poterant numerari. Concil. Carthag. 1, canone secundo : *aut insania præcipitatos, martyrum nomine appellet.* Concilium quintum : *item placuit ut altaria quæ passim per agros aut vias tamquam memoriæ martyrum constituuntur.* Augustinus lib. III in fine contra Parmenianum, *temporalia supplicia schismatis sui conferre audent passionibus martyrum, ut eis pœnarum suarum natalitia celebrentur magno conventu hominum furiosorum.* Albasp.

Ibid. *Per Dealbatas aras aut mensas*, etc. Seneca epist. 86 : *In ipsa Scipionis Africani villa jacens, hæc tibi scribo, adoratis manibus ejus et ara, quam sepulcrum tanti esse viri suspicor*, etc. *De mensa*, Cicero de Legibus lib. II, circa finem, *sepulcris autem novis finivit modum. Nam super terræ tumulum noluit quid statui, nisi columellam tribus digitis non altiorem, aut mensam, aut labellum*, etc. Huc etiam pertinet quod locus ubi Cyprianus passus est, dictus est vulgo *mensa Cypriani.* Etsi enim alio loco passum esse, alio autem sepultum beatum illum martyrem, et utrobique cultam ejus memoriam a Victore Uticensi de Persecut. lib. 1, discimus : priorem tamen illum locum ab ara, seu mensa, quæ aræ instar esset, ibi exstructa, ita indigitatum esse docet August. de Div. serm. CXIII. Quod *dealbatas* illas *aras et mensas* hic Optatus, si vere ac proprie *dealbatas*, ex religione colentium tamquam martyres, profectum puto. Album enim colorem mortuis, item puris atque innocentibus defunctorum animis optime convenire etiam Plutarchus docet in ῥωμαϊκοῖς κεφ. διὰ τί λευκὰ φοροῦσι, etc.

Digitized by Google

aut mensas (78) potuerunt [a] numerari. Ex quorum numero cum aliqui (79) in Basilicis sepeliri cœpissent, Clarus presbyter in loco Subbulensi, ab episcopo **61** suo coactus est, ut (80) insepultam faceret sepulturam (81). (82) Unde proditum est, mandatum fuisse fieri, quod factum est (83) : quando nec sepultura in domo Dei exhiberi concessa est (84). (85) Eorum postea convaluit multitudo. Sic invenit Donatus Bagaiensis, unde contra Macarium furiosam A conduceret turbam. Ex ipso genere fuerant qui sibi percussores sub cupiditate falsi martyrii in suam perniciem conducebant. Inde etiam illi, qui ex altorum montium cacuminibus viles animas projicientes, se præcipites dabant. Ecce ex quali numero sibi episcopus alter Donatus cohortes [b] effecerat. Hoc metu deterriti illi, qui therausos ferebant [c], quos pauperibus erogarent, invenerunt in tanta necessitate consilium, ut a Sylvestro Comite armatum

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ita in omnibus mss. male in editis, *poterunt*.

[b] In ms. G. *consortes*; sed male.

[c] In ms. S. T. *qui prope thesauros ferrent*.

VARIORUM NOTÆ.

tomo x, pag 82, 483. Quod si *dealbatas* pro albis aut candidis accipiamus, tum fuerit illis color proprius ejus terræ, sive loci, ubi sepulturi sunt. Nam etiam trecentos illos martyres, quorum memoria 24 Augusti colitur, a fornace calcaria, in qua passi et consumpti sunt, *massam candidam*, dictos esse, sciunt omnes. Etiam illos innumerabiles martyres, qui sub Daciano Hispaniarum præside passi sunt, quorumque memoria 3 Novembris in Calend. Rom. celebratur, non ab alia causa, quam loci terræve, sive calcaria, sive alia quavis propria albedine, et ipsos *massam candidam* esse nuncupatos crediderim, quamvis aliam ab aliis ejus appellationis rationem reddi non ignorem. M. Casaub.

(78) *Per dealbatas aras aut mensas.* Per dealbatos tumulos in aræ formam constructos. Cum Donatistæ Circumcelliones illos occisos pro martyribus haberent, super eorum sepulcra aras exstruxerant; nam super tumulos martyrum aras erigere solebant primi Christiani, et ibi sacra celebrare. Hujusmodi aræ etiam mensæ dicebantur. Insignis est ea de re locus apud sanctum Augustinum, sermone de diversis, olim CXIII, nunc CCCX, in natali Cypriani martyris : *Denique*, inquit, *sicut nostis quicumque Carthaginem nostis, in eodem loco mensa Deo constructa est, et tamen mensa dicitur Cypriani : non quia ibi est umquam Cyprianus epulatus; sed quia ibi est immolatus, et quia ipsa immolatione sua paravit hanc mensam : non in qua pascat sive pascatur : sed in qua sacrificium Deo, cui et ipse oblatus est, offeratur.* Hujusmodi aras seu mensas super tumulos martyrum passim in agris et viis ædificari solitas præsertim in Africa docet concilii Carthaginensis v canon jam laudatus a nobis : *Placuit ut altaria quæ passim per agros aut vias tamquam memoriæ martyrum constituuntur*, etc. Alias non desunt exempla quibus ostendatur super tumulos mortuorum aras et mensas dici potuisse. Apud Ovidium ararum sepulcralium fit mentio. Seneca ep. LXXXVI : *In ipsa Scipionis Africani villa jacens hæc tibi scribo adoratis manibus ejus, et ara quam sepulcrum tanti viri esse suspicor.* Cicero de Legibus l. II ; *Sepulcris autem novis finivit modum ; nam super terræ tumulum noluit quid statui, nisi columellam tribus digitis non altiorem, aut mensam aut labellum.* Suorum autem, ut putabant, martyrum sepulcris aras et mensas impositas dealbaverant Donatistæ, ut notiores et insigniores essent, utque a cæteris distinguerentur. Du Pin.

(79) *In Basilicis.* Loquitur de Circumcellionibus à Taurino occisis, non a Macario : quos ut ostendat furiosos fuisse et insanos, ait Sabulensis loci episcopum Donatistam sepulturam eis in Ecclesia denegasse. Albasp.

(80) *Insepultam faceret sepulturam.* Ut ab Ecclesia sepulturas illas ejiceret. Albasp.

(81) *Insepultam faceret sepulturam.* Ut corpus humatum aut mox humandum exhumaret aut abjiceret. Du Pin. Est imitatio *Ciceronis*, qui in I Philippica de funere Julii Cæsaris, c. 2 : *Cum serperet in Urbe infinitum malum, idque manaret in dies latius, iidemque bustum in foro facerent, qui illam* insepultam sepulturam *fecerant.* Ad quem locum vide interpretes. Clericus.

B (82) *Unde proditum.* Unde proditum Donatistas vel suis sepulturam in domo Dei denegasse. Albasp.

Ibid. *Unde proditum est mandatum fuisse*, etc. Hanc, inquit, occasionem Catholicos traducendi arripuerunt Donatistæ, quasi cædis illius ac stragis Circumcellionum fuissent impulsores et auctores, quia cæsos in Basilicis, sepeliri postea non permiserunt, quasi idem esset, sepulturam in Ecclesia negare et vita privare. Observare nos hic jubet Balduinus, vetitam tum in templo, vel Ecclesia sepulturam. Sed si ea mens Optati est, quod his negatum est, id publica lege ac more negatum esse; non video qui hinc argumentum vel levissimum, mandatæ a catholicis stragis Donatistæ ducere potuerint, quod tamen innuere, causamque hanc suspicionis et calumniæ reddere videtur Optatus. Scio exstare aliquot Canones qui vetant, fortasse et aliquot imperatorum leges. Id tamen in Africanis Ecclesiis, non ultra obtinuisse suspicor, quam ut sine permissione episcopi non liceret. Quod tum hic Optatus, tum C Augustinus *de Cura pro mortuis*, non obscure, meo quidem judicio, subindicant. Armogastes apud Vict. Utic. lib. I, cum Felicem rogaret moriturus, ut se sub siliquæ arbore sepelire dignaretur, respondit Felix : *absit a vobis, Confessor venerabilis; sed sepeliam te in una Basilicarum, cum triumpho et gratia quam mereris.* In urbe autem intra muros, nefas fuisse, præter paucos, quos nexu communis legis speciale privilegium exemerat, quemquam sepelire per Romanas leges, vel quæ exstant hodie abunde fidem faciunt. Quod etsi statim post Constantini tempora cœpit exolescere, tandemque penitus legibus imperialibus abrogatum est, diutius tamen multo aliis in locis, ut in Galliæ civitatibus, etiam et Angliæ servatum est. Sed hæc obiter. Quod autem Baronius an. Ch. 309, 4, ex lib. de Rom. Pontificib. elicit, Ecclesiæ Rom. a Maxentio, Maximiani Filio, jam tum concessum fuisse, ut corpora Christianorum martyrum intra urbem sepelire ipsis liceret, D donec aliunde confirmetur, probabile mihi non videtur; tam recente adhuc Diocletiani et Maximiani lege, quæ tam aliis omnibus quam Christianis interdicebat. M. Casaub.

(83) *Unde proditum est mandatum fuisse fieri quod factum est.* Hinc occasionem arripuerunt traducendi Catholicos tamquam cædis Circumcellionum auctores. Du Pin.

(84) *Quando nec sepultura in domo Dei exhiberi concessa est.* Quasi diceret : immerito omnino id vitio verterunt Catholicis Donatistæ, quod unus ex eorum Presbyteris Circumcelliones in Basilicis sepeliri vetuerit, cum sepultura in domo Dei non soleat passim concedi omnibus, multo minus sceleratis qui merito interfecti fuerant. Du Pin.

(85) *Eorum postea.* Ex his insanis quibus sepulturam denegastis Donatus Bagaiensis turbam et milites sibi conduxit adversus Macarium. Albasp.

Digitized by Google

militem postularent: non per quem alicui vim facerent, sed ut vim a Donato supra memorato episcopo dispositam, prohiberent. Hac ratione factum est, ut miles videretur armatus. Jam quidquid subsecutum est, videte, cui debeat aut possit adscribi. Habebant illic vocatorum infinitam turbam [a], et annonam competentem constat fuisse præparatam: de Basilica quasi publica horrea; exspectantes ut venirent, in quos furorem suam exercere potuissent; et facerent quidquid illis dementia sua dictasset, nisi præsentia armati militis obstitisset. Nam cum, ante venturos milites, (86) metatores (87) (ut fieri solet) mitterentur; contra Apostoli præcepta competenter suscepti non sunt, qui ait: *cui honorem, honorem: cui vectigal, vectigal: cui tributum, tributum: nemini quidquam debueritis* (*Rom.* XII, 7). Contusi sunt [b] (88) qui missi fuerant cum equis **62** suis, ab iis, quorum nomina flabello invidiæ ventilasti [c] (89). Ipsi magistri fuerunt injuriæ [d] suæ (90); et quid pati possent [e], ipsi prærogatis [f] injuriis docuerunt. Reverterunt vexati milites ad numeros suos, et quod duo vel tres passi fuerant, universi doluerunt. Commoti sunt omnes: iratos milites retinere nec eorum præpositi valuerunt. Sic admissum est, per quod invidiam unitati factam esse memorasti [g]: hæc et cætera vestra et suas causas habent, et quas ostendi personas obnoxias. Hoc nos nec vidimus quidem, sed vobiscum audivimus. Si auditus facit reos, tenemus vos socios, quia similiter audistis [h]. Si a facto auditus immunis est; quod ab aliis, vobis provocantibus, factum est, nobis non debet imputari. (91) Querelam per ordinem deponitis, sub Leontio, sub Ursacio, injuriatos esse quam plurimos: sub Paulo et Macario aliquos necatos: a sequentibus eorum nescio quos ad tempus esse scripturos. Quid hoc ad nos? quid ad Ecclesiam catholicam pertinet [i]? Quidquid objecistis, vos fecistis. Qui pacem a Deo commendatam noluistis libenter excipere, cariorem æstimantes hæreditatem schismatis, quam præcepta proposita [j] Salvatoris. Arguistis operarios unitatis: ipsam unitatem improbate, si potestis. Nam æstimo vos non negare, unitatem summum bonum esse. Quid nostra [k], quales fuerint operarii, dummodo quod operatum est, bonum esse constet?

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. *Furebant illic vocatorum infinita millia populorum quibus etiam annonam, etc.*

[b] Hic vocem hanc posuimus, quia ita postulat hujus loci sententia: patet enim ex sequentibus, eos qui vexati sunt, fuisse milites missos a ducibus, non Circumcelliones. In mss. S. T. et P. S. recte habetur *contusi sunt*; sed hæ voces loco suo motæ sunt. In ms. S. G. *pompati sunt*.

[c] In ms. S. G. *ventilatis*.

[d] In ms. S. G. *invidiæ*.

[e] In ms. S. T. *potuissent*.

[f] In ms. S. G. *prærogatis*.

[g] In ms. S. G. *Sic admissum est quod in invidia unitatis factum esse memoratis*.

[h] Ita in ms. S. G. melius quam in aliis et in editis, *audivimus*.

[i] Deest in ms. S. G.

[j] In ms. S. T. et in editis, *præpositi*.

[k] In ms. S. G. *quid nos*, pro *quid ad nos*.

VARIORUM NOTÆ.

(86) *Metatores*. Castrorum. ALBASP.

(87) *Metatores*. *Metatores* dicit eos, qui missi fuerant ut venturis militibus hospitia aut tentoriorum loca designarent, li dicuntur, *Mensores* in jure civili. In commentariis Suidæ, μετάτωρ exponitur ὁ προαποστελλόμενος ἄγγελος πρὸ τοῦ ἄρχοντος: *qui nuntius mittitur ante principem designaturus hospitium*. Huc alludit illud Sidonii Apollinaris l. VIII, *metatoriam paginam quasi cum musa prævia misi*: hoc est, inquit Sirmondus, *epistolam adventus sui nuntiam quasi diversorium* καὶ καταγωγὴν *designaturam, hoc enim erat opus metatorum*. DU PIN.

(88) *Qui missi fuerant cum equis suis*, etc. Aliæ editiones, *qui missi fuerant cum equis suis contusi sunt ab iis quorum*, etc. Præoccupatos ait, quod seorsim tractati sunt eo modo pauci illi, qui præmissi fuerant, priusquam reliqui, qui non ita longo intervallo sequebantur, pervenire possent, qui eos periculo eriperent. Quos hic *contusos*, mox *vexatos*, quod tantumdem. Non mediocris enim seu contumeliæ, seu injuriæ verbum hoc esse *vexare*, sed gravi et atroci rei conveniens, a viris doctissimis A. Gellio et Macrobio pridem observatum est: quæ ipsorum observatio in legendis Scriptoribus Ecclesiasticis præcipui usus est. Jam quod sequitur, *quorum nomina flabello invidiæ*, etc., de quibus, aut quo sensu sit accipiendum, docet Optatus ipse alio loco: *Videamus quare Moyses tria millia hominum jussit occidi*, etc. *Quare Macarius duas quorum nomina quotidie, ut supra dixi, flabello invidiæ ventilatis*. Non igitur ad nominum ipsorum odium aut injuriam, sed ad faciendam aliis ex istis nominibus invidiam, eorum nomina, qui metatores præmissos, occupato cæterorum adventu, male mulctaverunt, et ab iratis militibus postea occisi sunt, tamquam innocentium ac martyrum usque, jactabant, atque *invidiæ*, ut ait Optatus, *flabello ventilabant*. Atqui ut bene excipit, ac subjicit mox Optatus: *Ipsi magistri fuerunt invidiæ suæ: et quid pati possent, ipsi prærogatis injuriis docuerunt. Injuriam prærogare*, insolitatum est. Apud Zenon. Veron. aliquoties *prærogare* pro *erogare*, et *prærogatio* pro *dono*, seu *beneficio*, sed plane eo sensu quo noster Collat. Carthag. p. 594: *Quare nobis non rependitur, quod prærogavimus?* proxima autem sententia *ad numeros suos* dixit, ordines, aut commilitones intelligens, ut Tertull. Apolog. cap. 37: *Si enim et hostes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum et copiarum*. Ita et alii, sed hoc tritum est. M. CASAUB. *Restitutus est a nobis iste locus*.

(89) *Ab iis quorum nomina flabello invidiæ ventilasti*. A Donati scilicet militibus quorum nomina venditabat Parmenianus, ut invidiam faceret Catholicis; sic enim eodem sensu ipse Optatus alibi: *Quare Macarius duos jussit occidi, quorum nomina, ut supra dixi, flabello invidiæ ventilatis*. DU PIN.

(90) *Ipsi magistri fuerunt injuriæ suæ*. Ipsi exemplum dederunt et præiverunt primi male mulctando milites metatores. Ab iis initium injuriarum ortum est. DU PIN.

(91) *Querelam*. Hæc ita sunt distinguenda, sub Leontio et Ursatio injuriatos esse quamplurimos: sub Paulo et Macario aliquos necatos: a sequentibus nescio quos ad tempus proscriptos. ALBASP.

Ibid. *Querelam per ordinem deponitis sub Leontio. Deponitis* an *disponitis* legamus, haud magni refert. Sed tamen verba ut aliter distinguantur, haud parum interest. Lege igitur, ut jam ab aliis est monitum: *Querelam per ordinem deponitis; sub Leontio, sub Ursatio injuriatos esse quam plurimos: sub P. et Macario aliquos necatos: a sequentibus eorum nescio quos*, etc. M. CASAUB.

Digitized by Google

nam et vinum a peccatoribus operariis et calcatur et premitur; et sic inde Deo sacrificium offertur : oleum quoque a sordidis et nonnullis male viventibus et immunda loquentibus conficitur; et tamen (92) in sapore, in lumine, etiam in sancto chrismate [a] (93) simpliciter erogatur.

V. *Excusantur operarii unitatis, quod asperius egerint.* — Operarios unitatis malos fuisse dicitis : forte cum voluntate Dei, cui nonnumquam [b] placet etiam quod ab ipso potuit prohiberi. Nam quædam mala male fiunt : quædam mala bene fiunt. Malum male latro facit : malum bene judex facit, dum vindicat quod latro peccavit. Nam hæc Dei vox est : *non occides* (*Exod.* xx, 13) : et ipsius vox est [c] : *si inventus fuerit homo, dormiens cum muliere habente maritum, occidetis utrosque* (*Deut.* xxii, 22). [d] (94) Unus Deus, et duæ diversæ voces. Denique cum Phinees, filius sacerdotis, adulterum cum adultera inveniret, levavit cum gladio manum, et inter duas voces Dei dubius stetit : hinc ad illum sonabat, *non occides* : inde sonabat, *occidetis utrosque*. Si feriret, peccaret : si non 63 feriret, delinqueret. Elegit melius peccatum, ut percuteret; et forte non defuerant, qui hujus rei vindicem quasi homicidam notare voluissent. Sed ut ostenderet Deus, aliqua mala bene fieri, locutus est dicens : *Phinees mitigavit iram meam* (*Num.* xxv, 11) : et placuit Deo homicidium, quia vindicatum est adulterium. Quid si et modo Deo placuit, quod passos vos esse dicitis, qui unitatem cum toto orbe terrarum et (95) cum memoriis apostolorum, quæ Deo placita est [e], habere noluistis.

VI. *Adversus Donatistarum Pseudomartyres.* — Invitus cogor hoc loco etiam illorum, quorum nolo, hominum facere mentionem, quos vos inter martyres ponitis : per quos tamquam (96) per unicam religionem, vestræ communionis homines jurant. Quos quidem vellem silentio præterire, sed ratio veritatis se sileri non patitur : et ex ipsis (97) nominibus contra unitatem inconsiderate rabida [f] latrat invidia, et (98) aspernantes aliqui accusandam aut fugiendam æstimant unitatem, quod Marculus et Donatus (99) dicantur occisi et mortui. Quasi omnino

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. S. T. *in sancto chrismatis*, in ms. S. P. *in sacramento chrismatis*.
[b] In ms. S. T. et P. S. *numquam*, sed perperam.
[c] Additur in ms. S. G. *in libro Levitico*.
[d] Hic male inseruntur in ms. S. T. hæc verba *In primo libro regnorum*, quæ non occurrunt in mss. S. G. et P. S. et sensum omnino perturbant.
[e] In mss. S. T. et P. S. *placitæ sunt*.
[f] Hoc epithetum adjecimus ex ms. S. G.

VARIORUM NOTÆ.

(92) *Et tamen in sapore, in lumine*, etc. Priores editiones : *et tamen liquor in lumine, etiam in sancto*, etc. Cum sine sensus dispendio, utrumque possit ferri, conjungi vero et variari non uno modo verba possint, sine ope scripti manu exemplaris, difficile puto de vera lectione statuere, nec minus ineptum valde laborare. Sed cum de vino prius, Optatus sacrum dumtaxat ejus usum, quem habet in spirituali Eucharistiæ sacrificio commemorarit, non puto eum olei usum extra sacra, ullum attingere voluisse. Quis autem olei sit sacer, *sapor*, ignoro. Nam ut sapor sit hic μεταφορικὸν quasi εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, vel tale quid vellet, ne id quidem facile concesserim. In *lumine* autem et *chrismate*, qui olim et quam multiplex usus olei, satis notum est. Sed non eadem semper in omnibus Ecclesiis consuetudo fuit. In Africa autem Victor Uticensis lib. II, *lampades et cereos*, ut solitum ecclesiarum ornatum inter alia meminit; si quis subtilior esse velit, per *lumen* baptismum quem φῶς recte dici docet sanctus P. Gregor. Nazianz. εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα possit intelligere. Ejus varios ritus Dionys. Areop., Cyrillus Hierosolym. præter alios explicant. Aliter tamen ego censeo. Sed neque τὸ chrisma quod hic proprie de unctione, quæ κατ' ἐξοχὴν χρίσμα, de qua Cyrillus in mystagogicis singulari capite, seu κατηχήσει, sed in genere de quavis unctione sacra, quæ olim a vetere Ecclesia usurpata est. M. Casaub.

(93) *In sapore, in lumine etiam in sancto chrismate simpliciter erogatur.* Eo innocue utuntur homines in condimentis, in lucernis, in ipsis mysteriis. Du Pin.

(94) *In primo libro Regnorum unus Deus*, etc. Non possum satis admirari doctorum virorum patientiam, qui ineptissimam, si quid ego video, lectionem, et quovis amandari dignam tamdiu retinere sustinuerunt. Quem enim ex his sensum eruamus? quem vel subodoremur, ut nunc habent? Quod si ineptissimum illud glossema, *in primo libro Regnorum* abjiciamus, nulla in verbis obscuritas, nulla suspicio remanserit. Quæ tamen fateor abjicere facilius, et injusta sede deturbare, quam divinare, unde aut qua primum occasione irrepserint. Mihi saltem hoc occurrebat, quia Phinees mox fit mentio, quod etiam nomen primo Regum non semel occurrit, oscitantem lectorem Phineem Eliæ cum altero illo Eleazari filio confudisse, et cum *Numeros* debuisset, *Regum*, sive *Regnorum* (ut olim loquebantur) primum in margine posuisse. M. Casaub. *Hæc verba sustulimus, nec exstant in mss.*

(95) *Et cum memoriis Apostolorum.* Nota modum illum loquendi *cum toto orbe terrarum et cum memoriis apostolorum.* Communio ab antiquis perfecta non habebatur, quamvis eam cum toto orbe haberes, nisi cum memoriis apostolorum, hoc est cum beato Petro communicares : perfectio communionis Christianæ pendet ex communione quam habemus cum D. Petro et cum ejus successoribus; alioquin Deo non potest esse grata. Albasp.

(96) *Per unicam religionem.* Quasi aliis in rebus nulla esset religio, neque credendum esset, et jusjurandum interponendum, nisi per ejusmodi martyres. Albasp.

(97) *Nominibus.* Quia eorum nomina, tamquam præcipuorum martyrum a Donatistis inter sacra et ex diptychis recitabantur. Albasp.

(98) *Aspernantes.* Si qui a Macario sunt occisi, ut Marculus et Donatus, unitas est fugienda quæ martyres facit. Albasp.

(99) *Marculus et Donatus.* Donatus ille est Bagaiensis, ut ex Augustino discere est homil. II in Joannem : *Ecce Marculus de petra præcipitatus est : ecce Donatus Bagaiensis in puteum missus est.* Aiebant Catholici ipsos sese præcipites dedisse; quod incertum tamen esse fatetur Augustinus I. II contr. litt. Pet. c. 20. Idem libro III contra Cresc. cap. 49, *id credibilius esse* censet, quia insolitum erat istud supplicii genus. Marculi passio a quodam Donatiano scripta prodiit Analect. Mabillonii tom. IV, prænotatur III vel VIII kalend. Decembris. Ibi Marculus presbyter tantum dicitur, non episcopus : ibi etiam legitur jussu Macarii quem Constans cum Paulo in Africam mise-

Digitized by Google

in vindictam Dei nullus mereatur occidi. (1) Nemo erat lædendus ab operariis unitatis, sed nec ab episcopis mandata divina contemni debuerant : quibus præceptum est : *Quære pacem, et consequeris eam* (*Ps.* XXXIII, 15) : et iterum : *quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Ps.* CXXXII, 1) ; et iterum, *felices pacifici, quia ipsi filii Dei vocabuntur* (*Matth.* v, 9). Hoc qui nec libenter volebant audire, nec devote facere voluerunt ; quidquid potuerunt pati : si occidi malum est, mali sui ipsi sunt causa.

VII. *Macarius a Donatistarum calumniis defenditur.* — Sed arguendus (ut dicitis) vobis videtur esse Macarius, cum voluntate Dei æstimatis eum hoc facere non potuisse [a]. Habetis hujusmodi reos antiquos : accusate primo Moysem, ipsum legislatorem ; qui cum de Sina monte descenderet, prope necdum propositis [b] tabulis legis, in quibus scriptum erat, *non occides :* tria millia hominum uno momento jussit occidi. Macarium differte paulisper, Phineem filium sacerdotis, quem paulo ante memoravi, primo (2) in judicium provocate (*Num.* XXV) : si tamen inveneritis præter Deum aliquem [c] judicem. Nam quod accusatis in persona ipsius, a Deo laudatum est quod in zelo Dei factum est. (3) Supprimite interim voces quas in Macarium dictat invidia. Recurrite [d] primo ad Eliam [e] prophetam, qui in rivo Cison, cum pareret voluntati Dei [f], quinquaginta 64 et quadringentos occidit. Sed forte dicatis, illos merito occisos, istos indigne [g]. Numquam sequitur vindicta, nisi ejus antecesserit causa. Vindicavit (ut diximus) Moyses, vindicavit Elias, vindicavit Phinees ; et non vultis ut vindicaverit Macarius. Nihil offenderant qui occisi esse dicuntur. Sit Macarius reus, in eo quod solus nobis nescientibus, sed vobis provocantibus fecit. Quare nobis fit invidia, cum aliena sunt facta ? et in vobis est causa ; quia propter vos, qui foris fuistis, quamquam et nunc foris esse videamini, evenisse dicitur ; non propter nos, qui intus habitamus, et numquam de radice recessimus. Sed quia supra memoratorum personas per ordinem diximus, videamus quare Moyses tria millia hominum jussit occidi (*Exod.* XXXII) ; quare Phinees duo (*Num.* XXV) ; et quare Elias quadringentos et quinquaginta (III *Reg.* XVIII) ; quare Macarius duos, quorum nomina quotidie (ut supra dixi) flabello invidiæ ventilatis. Constat in eos vindicasse, a quibus jussio divina contempta est. Nam, *Non tibi facies sculptile* (*Exod.* XX), Dei vox est : et, *non facies adulterium*, ejusdem Dei vox est : *non sacrificabis idolis* (*Ps.* XXXIII, 15), idem Deus locutus est : et non facies schisma ; et *quære pacem et consequeris eam*, ejusdem præceptum est. Temporibus Moysi populus Israel caput vituli coluit, quod illis sacrilega flamma conflavit ; ideo tria millia hominum occidi meruerunt, quia Dei vox videbatur esse contempta. Phinees adulteros uno ictu percussit : laudari a Deo meruit : quoniam divinorum præceptorum [h] contemptores occidit. Et quadringenti et quinquaginta quos Elias occidisse legitur, ideo occisi sunt, quia contra jussionem Dei, per quod falsi vates erant, Dei præcepta contempserant. Et illi, quorum nominibus Macarium criminatis, nec a falsis vatibus longe sunt ; quia vos Deus dixit futuros esse falsos vates, quod proximo loco probaturi sumus : et dum pacem noluerunt respicere, ne in uno cum fratribus habitarent, contra præcepta et contra voluntatem

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ita in ms. P. S. In ms. S. G. *si sine voluntate Dei æstimatis eum hoc fecisse.* In ms. S. T. *sine voluntate Dei æstimatis eum hoc facere potuisse.* Primam lectionem ut magis planam et apertam prætulimus.

[b] In ms. S. G. *depositis.*

[c] In ms. S. G. *alterum.*

[d] In mss. S. T. et P. S. *quibus in Macarium dicta invidia recurrit, et :* quæ sententia manca est.

[e] Male in ms. S. T. *alium.*

[f] In ms. S. G. *una hora cum voluntate Dei.*

[g] Desunt in ms. S. G.

[h] In ms. S. G. *mandatorum.*

VARIORUM NOTÆ.

rat, vinctus primo in possessione Vegeselæ, in qua Macario, cum episcopis quibusdam Donatianis, occurrit, funium ictibus cæsus cum sociis, inde per aliquas Numidiæ civitates sub arctissima militum custodia usque in castellum novæ Petræ perductus, et tandem elapso quatriduo de petræ culmine a milite præcipitatus. In collatione Carthaginensi, c. 187, Dativus episcopus Donatistarum Novapetrensis ait, adversarium, hoc est, episcopum Catholicum se non habere, *quia illic est Domnus Marculus cujus sanguinem exiget Deus in die judicii.* Hinc Donati et Marculi nomina translata fuisse videntur inter martyres catholicos ; Donati quidem ad diem 1 Martii ubi passus dicitur apud Usuardum : *Donatus Carthagini sub Ursacio duce et Marcellino Tribuno :* et Marculi ad diem 26 Novembris ; nam de eo hæc habet Martyrologium Usuardi : *In Nicomedia* (pro *Numidia*) *beati Marculi sacerdotis et martyris qui temporibus Constantis tyranni persecutiones maximas pertulit, ad extremum ab alta rupe præcipitatus est.* Conveniunt nomen martyris, imperatoris et genus mortis ; nomen etiam loci non multum diversum. Constans ibi tyrannus dicitur, quo epitheto non potuit nisi a Donatistis infamari plus princeps. In Romano Martyrologio nomen *Marculi* mutatum in nomen *Marcelli*, *Constantis* in *Constantii*, et ab *Arianis* pro *Macarianis* de rupe præcipitatus dicitur. Rabanus *Marculum* pariter inter martyres recenset. Haud dubie non alius is est a Donatiano, de quo hic Optatus. Du Pin.

(1) *Nemo erat.* Macarius neminem debebat lædere, sed neque a vestris unitas erat impedienda. Albasp.

(2) *In judicium provocate : si tamen inveneris*, etc. Concinnius editio 2 Fr. Balduini, *inveneritis.* Quamquam hæc tempora a theologis ejus ævi, maxime Afris, tam accurate non observentur. Testes præcipue Tertullianus et Arnobius. Noster, lib. I. *Quia quamvis foris sit, tamen ex nobis existis.* Incert.

(3) *Supprimite interim voces quibus in Macarium, etc.* Editiones aliæ, *quibus in Macarium dicta invidia recurrit, et primo ad alium prophetam*, etc. fortasse, *quibus in Macarium dicta invidia recurrit. Recurrite primo*, etc. vel si mavis, *quas in Macarium dictat invidia. Recurrite*, etc. Cæterum τὸ *primo* pro *prius*, nam ter repetitur. *Recurrite* autem quia mox ad Macarium redituris, festinato opus erat. Prius enim dixerat : *Macarium differte paulisper*, etc. M. Casaub. *Hic locus a nobis restitutus est.*

Digitized by Google

Dei pertinaciter obstiterunt. Ergo videtis a Moyse, et Phinee, et Elia, et Macario, similia esse facta, quia ab omnibus unius Dei præcepta sunt vindicata [a]. Sed video vos hoc loco tempora separantes, ut alia fuerint tempora ante Evangelium, alia post Evangelium: in quo potestis dicere, quia scriptum est, ut a Petro jam gladius conderetur, quo auriculam servi sacerdotis abstulerat (*Matth.* xxvi), quem [b] servum potuerat quasi devotus Petrus occidere: sed (4) Christus pati venerat, non defendi. (5) Et si cogitatum suum Petrus impleret, in passione Christi videretur servus vindicari, non populus liberari [c].

VIII. *Macarium non posse dici persecutorem, nec eos qui ab illo plexi sunt martyres appellari, utpote pacis inimicos.* — Nam et Macarius gladium a Petro vagina conditum non eduxit. Hoc probat Deus, dum ad vallem Sion loquitur dicens: *vulnerati in te, non vulnerati gladio* (*Esai.* xxii, 2): aut probate aliquem illo tempore gladio esse percussum: deinde ait: *mortui in te, non mortui in bello.* Quare debetis attendere, ne temerarium sit, eos martyres appellare, qui (6) Christianorum nullum senserint bellum. Non enim tale aliquid factum aut auditum est, quod in bello Christianorum dici aut fieri solitum est: quod bellum persecutio dicitur, quæ operata est sub duabus bestiis ex illis quatuor, quas Daniel de mari ascendentes aspexit (*Daniel.* vii). Prima fuit ut [d] leo: hæc erat persecutio sub Decio et Valeriano. Secunda, ut ursus: alia persecutio, quæ fuit sub Diocletiano et Maximiano: quo tempore fuerunt et impii A judices, bellum Christiano nomini inferentes: ex quibus in provincia proconsulari (ante annos sexaginta et quod excurrit [e]) fuerat Anulinus, in Numidia Florus. Omnibus notum est, quid eorum operata sit artificiosa crudelitas: sæviebat bellum Christianis indictum; in templis dæmoniorum diabolus triumphabat; immundis fumabant aræ nidoribus; (7) et quia ad sacrilegia **65** venire non poterant, ubicumque thus ponere cogebantur. Omnis locus (8) templum erat ad scelus [f]. Inquinabantur prope morientes senes: ignorans polluebatur infantia; a matribus parvuli [g] portabantur ad nefas; parentes incruenta [h] parricidia facere cogebantur: alii cogebantur [i] templa Dei vivi subvertere; alii Christum negare; alii leges divinas incendere; alii thura ponere. Horum B aliquid a Macario factum esse, nec vos ipsi confingere poteritis. Sub persecutore Floro Christiani idolorum cogebantur ad templa: (9) sub Macario pigri compellebantur ad Basilicam; sub Floro dicebatur, ut (10) negaretur Christus et idola rogarentur. Contra sub Macario commonebantur omnes, ut Deus unus pariter in Ecclesia ab omnibus rogaretur. Ergo[j] cum videatis Christianorum nullum fuisse bellum, et sine bello aliquos mortuos esse commemorat Deus, cum dicit, *et mortui in te non mortui in bello:* et dubios martyres posse eos esse, qui non sint vel ad sacra sacrilega provocati, vel ad immunda incensa, vel ad negationem nominis Dei: et cum ad martyrium non sit transitus, nisi per confessionem, quomodo dicitis martyres qui non fuerunt con-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ita in ms. S. G. In mss. S. T. et P. S. *unius Dei processæ sunt vindictæ.*

[b] In ms. S. T. *quæ.* In editis, *quo.*

[c] In mss. S. T. et P. S. *Et cogitatum suum Petrus implere in passione Christi videtur, et servus vindicari, non populus liberari.*

[d] Deest in mss. S. T. et P. S.

[e] In ms. S. G. *prope septuaginta.* C

[f] In mss. S. Th. et Ph. S. *Omnibus locis templum erat aut scelus.*

[g] In mss. S. T. et P. S. *parvi liberi.*

[h] In ms. S. T. *cruenta*; sed omnino perperam.

[i] In mss. S. T. et S. G. *urgebantur.*

[j] Hæc usque ad illa verba, *martyres esse vultis,* quæ deerant in omnibus editis, et omissa fuerant in mss. S. T. et P. S. supplevimus ex ms. S. G. quæ genuina esse nemo potest ambigere.

VARIORUM NOTÆ.

(4) *Sed Christus venerat pati.* Respondebant Donatistæ distinguenda esse tempora, et post adventum Christi neminem lædendum esse: gladiumque Petri exemplo recondendum esse: quibus rursus respondet Optatus, gladium quidem Petrum recondidisse, quia oportebat Christum pati, non defendi; sed illud exemplum ultra Christi passionem non esse producendum. ALBASP.

(5) *Et si cogitatum suum Petrus*, etc. Scribe: *et si cogitatum S. Petrus impleret, in passione Christi videretur servus vindicari, non populus liberari.* Si, inquit, Petrus exsecutus esset quod suus ei zelus dictabat, ut servum illum scilicet occideret, potuit videri Christus passus tamquam reus cædis et homicidii a discipulo commissi potius quam innocens pro sontibus. M. CASAUB. *Hic locus a nobis restitutus est.*

(6) *Christianorum bellum.* Imperatorum persecutionem. ALBASP.

(7) *Et quia.* Et qui, melius. ALBASP.

Ibid. *Et quia ad sacra sacrilega*, etc. Scribo: *et qui ad sacra sacrilega venire non poterat, ubique thus ponere* (id est, adolere, thus offerre, et inde *thurificati* in illius temporis historia decantatissimi) cogebatur. Morbo vel ætate confectos et χλιπῆρεις intelligit; quos sontica causa domi retinebat. Unde eleganter infert Optatus: *omnis locus templum erat ad scelus.* Quare miror quemquam adeo invenustum fuisse, qui veterem lectionem, *templum erat aut scelus*, præferret. M. CASAUB. D

(8) *Templum erat ad scelus.* Aut scelus: melius. ALBASP. *Imo perperam.*

Ibid. *Templum erat ad scelus. Templum* Optato est *fanum gentis idololatræ*, supra lib. II: *Nam prioribus ut templa fabricarentur, et idola fierent.* Item lib. eod. et lib. VI. INCERT.

(9) *Sub Macario pigri compellebantur*, etc. Non hic *pigros* intelligit, qui negligentius ecclesias et cœtus ecclesiasticos frequentabant, sed schismaticos, aliosque qui non negligentia peccabant, sed consilio aut certo potius furore, cœtus Catholicorum, quasi impuros et inquinatos, vitabant et aversabantur, in eoque religionis non minimam partem ponebant. Ita Donatistæ Catholicos *pigros* et ipsi vocabant. Noster lib. VI: *et residentes in sinu matris Ecclesiæ quasi pigros et tardos accusant*, etc., vide et supra ad ista lib. II: *inertia a confessione Dei delapsos thurificasse*, etc. M. CASAUB.

(10) *Negaretur Christus, et Idola rogarentur. Rogare* est *adorare.* Infra hoc libro: *Testamentum divinum leginus pariter, unum Deum rogamus* Item: *Paganum vocas eum, qui Deum per filium ejus ante aram rogaverit.* INCERT.

Digitized by Google

fessores, aut quis eorum negare coactus est, et confessus est Christum? Si igitur nec martyrium, sine Christi nominis confessione esse potest, et nemo confessus est, et in vindicta præceptorum Dei factum est, quod factum esse dicitis, et a nobis factum esse aliquid non probatis, cum id quod factum est, et Deus dixerit sic futurum esse, et ejus sunt vindicata præcepta: videte ne non solum vanum, sed etiam superstitiosum sit sine bello mortuos ibi ponere ubi sunt, qui in Christum confessi pro Dei nomine mori potuerunt: aut si eos martyres esse vultis, probate illos amasse pacem, in qua prima sunt fundamenta martyrii; aut dilexisse Deo placitam unitatem; aut habuisse cum fratribus charitatem. Nam omnes Christianos fratres esse et in primo libello probavimus et in quarto procul dubio probaturi sumus. Quos dicitis appellari[a] martyres, noluerunt fratres agnoscere, nullam habuerunt charitatem. Nec dicatur ad excusationem, quia traditoribus communicare noluerunt; cum manifestissime probatum sit, eosdem ipsos filios fuisse traditorum. Nulla igitur est excusatio, quia charitatem illos non habuisse manifestissime constat, sine qua nullum nec nominari potest vel esse martyrium; sine qua maxima et imperiosa virtus caret effectu; sine qua nihil valet omnium scientia linguarum; sine qua nihil potest etiam (11) societas angelorum, apostolo Paulo dicente: *Si habeam in me potestatem imperandi montibus, ut transferant se de locis in loca, et loquar omnium gentium linguis, etiam angelorum, et corpus meum flammis tradam, et charitatem in me non habeam, nihil sum: sed ero æramentum tinniens in deserto, ut pereat vocis opus, ubi nullus occurrit auditus* (I *Cor.* XIII, 1). Si tanta res, si beatus Paulus, si vas electionis, quamvis in imperiosa virtute et angelorum societate, pronuntiat se nihil esse, nisi charitatem habuerit: videte, an non dicantur martyres, sed aliquid aliud[b] appellari mereantur, qui charitatis desertores pro eadem desertione pati aliquid potuerunt.

IX. *Procuranda erat unitas in Africa.* — Gaudet totus orbis de unitate Catholica[c], præter partem Africæ, in qua incendium de scintilla conflatum est. Ab operariis unitatis querimini nescio quæ esse commissa. Hoc non queritur Italia[d], non Gallia, non Hispania, non Pannonia, non Galatia, non Græcia, non cum tot provinciis suis Asia; quia nihil illic fuerat emendandum, nullus illuc missus est (ut ita dixerim) sartor[e]; et hic in Africa jamdudum populo in unitate 66 manente, vestis fuerat sana; æmula manu inimici discissa est. Pendebant quodammodo panni de una vestis origine; et de una radice venientes, ab invicem divisi sunt rami. (12) Ut quid se pars parti anteponit[f]? ut quid se super alterum pannum alter pannus extollit, cum meliorem se probare non poterit? quid enim si dicat contemptus pannus, Quid te tantum extollis? (13) Nonne pares crevimus? in manibus conficientium simul fuimus? apud lotorem, pariter mundati sumus? inimicus nos voluit ab invicem excidere; adversarius pulcritudinem nostram voluit deformare. In parte vestis adhuc unum sumus, sed in diversa pendemus. (14) Quod enim scissum est, ex parte divisum est, non ex toto; cum constet[g] merito, quia nobis et vobis ecclesiastica una est (15) conversatio; et si hominum litigant mentes, non litigant sacramenta. Denique possumus et nos dicere: Pares, credidimus[h], et uno sigillo signati sumus, nec aliter baptizati quam vos: (16) Testamentum divinum legimus pariter; unum Deum rogamus; (17) Oratio Dominica apud nos et apud vos una est; sed scissa (ut supra diximus) parte[i], partibus hinc atque inde pendentibus, sartura fuerat necessaria. Et tamen hujus rei artifex aut operarius, dum vult vestem in antiquam faciem revocare, vicina fila compungit. Displicet tibi sartor, qui scissuram, dum sanat, vulnerat; ille tibi magis displiceat, qui fecit, ut[k] sartor peccare potuisset. Quæ in vos ab operariis unitatis dicitis esse commissa; aut ad parentes vestros pertinent, quorum causa facta sunt; aut ex voluntate Dei descendunt. Nos autem[l] inde alieni sumus.

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. T. *quos dicitis debere appellari.*
[b] Deest in mss. sed necessarium.
[c] In ms. S. G. *Catholicæ.*
[d] In ms. S. G. pro *Italia*, habetur *Gallia*; utrumque reposuimus.
[e] Male in ms. S. G. *sator.*
[f] Hæc supplevimus ex ms. S. G.
[g] Desunt hæc verba in ms. S. G.
[h] In ms. S. T. *credimus.*
[i] Ita in ms. S. T. At in ms. S. G. hæc habentur: *sed scissura (ut supra diximus) facta.* Utrique eadem subest notio.
[j] Hæc vox deest in mss. S. T. et P. S.
[k] In ms. S. G. *ubi.*
[l] In ms. S. T. *tamen.*

VARIORUM NOTÆ.

(11) *Societas Angelorum.* Videtur explicare hæc Apostoli verba, *etiam Angelorum*, de aliqua cum eis societate et communione: *et loqui omnium gentium linguis*, esse epistolas communicatorias ab omnibus gentibus accipere, et cum eis communicare. ALBASP.

(12) *Ut quid pars parti se anteponit.* Orthodoxi volebant communicare cum Donatistis; Donatistæ autem reluctabantur, et eorum communicationem fugiebant, quapropter sese anteponebant. ALBASP.

(13) *In ove.* Melius quam *nonne.* ALBASP.

Ibid. *Nonne pares crevimus.* Puer hæc legens animadvertat legendum *pares* non *pars.* Fr. Balduini editio 2, habet: *in ove pares crevimus.* INCERT. *Ita restitutum.*

(14) *Quod enim scissum est, ex parte divisum est*, etc. Subtiliter distinguit inter ista, *scindere* et *abscindere*; quod tamen discrimen a quoquam observatum vix alibi reperies. Interim res ipsa dignissima, quæ diligenter animadvertatur. M. CASAUB.

(15) *Conversatio.* Una disciplina. ALBASP.

(16) *Testamentum divinum legimus*, etc. Notandum est huic scriptori, *rogare* esse, adorare; *negare* vero esse, renegare, quod verbum hodie in Hispanismo Latinitatis retinentissimo integrum remansit. BARTH.

(17) *Oratio Dominica.* Per orationem intelligit missæ sacrificium. ALBASP.

Digitized by Google

X. *Quæ aspere in Donatistas facta sunt, facta esse ex Dei voluntate, qui ea per Ezechielem falsis prophetis interminatus est.* — Quid si quamvis aspera, tamen (ut diximus [a]) cum voluntate Dei videntur esse commissa. Legimus enim in Ezechiele propheta, parietem dealbatum, cui Deus (18) comminatus est tempestatem, pluviam et (19) lapides petrobolos et accusationes : *Erunt* (inquit) *falsi vates qui ædificent ruinosum parietem, dicentes, pax, pax; et ubi pax* (*Ezech.* XIII, 10)? Recordamini, quomodo a vobis jamdudum matris (20) Ecclesiæ membra ab invicem distracta sunt. Non enim unamquamque domum semel seducere potuistis. Aut abiit uxor, et resedit maritus, aut parentes seducti sunt, et filii sequi noluerunt; aut stetit frater, sorore migrante; persuasionibus vestris divisa sunt et corpora et nomina pietatis, et non potuistis 67 prætermittere (21) quod legitimum est. Utique dixistis, *pax vobiscum*, cum Deus contra, *pax, et ubi pax?* hoc est dicere, quid salutas, de quo non habes? quid nominas, quod exterminasti? salutas de pace, qui non amas pacem [b]. Hi (inquit) ædificant ruinosum parietem, domus Dei una est. Qui foras exeuntes partem facere voluerunt, parietem fecerunt, non domum; A quia non est alter Deus, qui alteram domum inhabitet. Ideo parietem fecisse dicuntur falsi vates, in quo si janua fuerit collocata, (22) quicumque intraverit, foris est. Nec lapidem habere angularem unus paries potest, qui lapis est Christus, duos in se suscipiens populos; unum de gentibus, alterum de Judæis; qui nodo pacis jungit utrumque parietem. Nam quot commoda habet domus, tot incommoda paries; (23) domus inclusa custodit, tempestatem retundit [c], pluviam diffundit, latronem aut feram bestiam [d] non admittit; sic et Ecclesia Catholica omnes filios pacis gremio et sinu suo complectitur; contra paries, qui est ædificatus ruinosus, nec lapidem angularem sustinet, et januam sine causa habet, nec inclusa custodit; pluvia udatur, tempestatibus B cæditur; nec potest arcere latronem, nec venientem prohibet feritatem [e]. Paries de domo est [f], sed domus non est, et pars vestra quasi Ecclesia est, sed Catholica non est, *et dealbant* (inquit) *eum*, hoc est quod vos solos sanctos æstimatis. Querimini vos sine nobis aliqua esse passos; ergo constat vos solos aliqua passos. Quia aliud est tempus pacis, aliud tempus persecutionis; si persecutionem putatis, dicite, quid vobiscum passæ sint universæ provinciæ,

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. T. *ut dixi.*

[b] Hæc supplevimus ex ms. S. G. quæ desunt in aliis mss.

[c] Hæc non habentur in ms. S. T.

[d] In mss. S. T. et P. S. necnon in editis habetur, *aut furem aut bestiam;* sed superfluum illud, cum latronis jam meminerit.

[e] In mss. S. T. et Ph. S. *furem.*

[f] In ms. S. G. *Paries res de domo est.*

VARIORUM NOTÆ.

(18) *Qui comminatus est tempestatem*, etc. *Accusationis* nomen, quod hic sæpe repetit Optatus, tamquam ex propheta, neque in iis quæ ex eo profert hic, neque in toto illo, ut nunc legitur Ezech. capite, ullum vestigium. Græci tamen, quod Hebr. וגבלה וכליתם בתכה transtulerunt (saltem hodie ita legitur) καὶ πεσεῖται καὶ συντελεσθήσεται μετ' ἐλέγχων, unde fortasse Optatus, aut Interpres potius quem secutus est. Cætera etiam ex eodem capite, etsi magna varietas, fient tamen illustriora, si cum Græci contendantur. Sed hoc jam aliquoties monuimus, neque semper inculcandum est. Jam etiam illud monuimus, Optatum interdum verba aliqua sua interserere Scripturæ verbis, ut mox, *non sunt quæ dico, de luto aut pariete*, quod ipse quasi suppleat. Quod autem sequitur, *hoc verbo*, seducunt, *videte cui parti competat*, ita intelligendum est : vel hoc uno verbo conjicite, cui reliquus totus locus competat; alioquin, *hoc verbum* dicendum fuisset. Etiam paulo ante, quod hic, *sed fundamentis suis se iterum reparavit*, mallem cum aliis editionibus : *sed de fundamentis suis*, etc. M. CASAUB.

(19) *Lapides, petrovolos.* Id est, *petrobolos.* Sic alibi et in hac voce et aliis *v* vice *b* posita est. *Savinus* pro *Sabinus*, *Thevestina* civitas pro *Thebestina*, et forte supra *veneficium* pro *beneficio.* INCERT.

(20) *Ecclesiæ membra ab invicem destructa.* Lege *distracta*, quomodo in editione secunda Fr. Balduini. INCERT. *Ita restitutum.*

Ibid. *Ecclesiæ membra ab invicem destructa sunt.* Concinnius legatur *ab invicem distracta sunt*, quam phrasim infra his libris illustrabimus. Acutum est id quod de falsis ovilibus, postea, *quicumque intraverit foras est*, et adhuc, *domus inclusa custodit*, etc. Domus commoda hæc sunt : custodire inclusa, pluviam corporibus arcere, latrones, bestias, fures, ne irrumpant munitis parietibus distinere. Qui postremi C apud Aristophanem ac Plautum *parietum* perfossores velut solemni convicio appellantur. Quare vera prorsus est conjectura nostra, verbo *defendere*, non *diffundere*, hic opus habere sententiam. Adfuit deinde eruditissimus vir, qui notas nostras ad editionem secundam Balduini exactas in gratiam typographi edidit cum Optato, nos vero, mœrentes scilicet, aceto nonnumquam perfudit castigatorio; qui cum apud Martialem legisset *tegularum* quoddam esse genus, quod effundere pluviam diceretur, ex eo poetæ loco, castigandam nostram conjecturam credidit. Sane extra rem. Nam Optatus de fine ipso domus tegendæ loquitur generali, Martialis de certa quadam specie ut dixi, tegularum, quæ in id comparata erat, ut pluviam conceptam certo loco effunderet. Verba Martialis lib. VI :

Cum pluvias madidumque Jovem perferre negaret,
Et rudis hibernis villa nataret aquis,
Plurima quæ posset subitos effundere nimbos
Muneribus venit tegula missa tuis.

D *Defendere* autem, arcere est. Vide Commentatorem Horatii lib. I, carm. 17 : Nonium cap. 4, et quæ nos non uno loco notamus ad Claudianum. BARTH.

(21) *Quod legitimum est.* Cum per domos discurrerent Donatistæ ut simplices corrumperent, usurpatam et solitam salutandi formam, quæ apud Christianos frequentabatur, non prætermittebant, dicebantque, *pax huic domui*, quare Prophetæ locus ad eos pertinebat. ALBASP.

(22) *Quicumque intraverit, foris est.* Acute et eleganter dictum de falsis ovilibus. INCERT.

(23) *Domus inclusa custodit, pluviam diffundit.* Minus necessaria est hic correctio Barthii, *pluviam defendit* : ut sit *defendere* pro *arcere.* Sed ante Optatum sic similiter locutus Martialis :

Plurima quæ posset subitos effundere nimbos,
Muneribus venit tegula missa tuis. INCERT.

Digitized by Google

in quibus Ecclesia Catholica est constituta? sed quia vindicta fuit, non persecutio, solus paries passus est, cui Deus interminatus est tempestatem, pluviam, et petrobolos, et accusationes. Sic enim locutus est; quid ædificastis ruinam? quid dealbastis? quid linistis? hoc contra voluntatem meam est, dicit Dominus. Displicent vobis tempora nescio cujus Leontii, Ursacii, Macarii et cæterorum; emendate voluntatem Dei, si potestis, qui dixit : *Contra parietem exsurgam cum ira mea, et immittam tempestatem nimiam et pluviam, diluvia, et lapides petrobolos, et percutiam parietem ruinosum, et dissolventur compagines ejus* (*Ezech.* XIII, 13). Sed ne quis vestrum dicat, si unitas bonum est, quare toties facta durare non potuit? Ideo, quia sic res ipsa a Deo est ordinata, qui comminatus est tempestatem, pluviam, lapides et accusationes; et istæ quatuor res non poterant uno tempore fieri. Fuit primo tempestas sub Ursacio [a]; (24) agitatus est paries, sed non occidit, (25) ut haberet pluvia, ubi operaretur. Secuta est pluvia sub Gregorio [a]; udatus est paries, sed non maduit, ut haberent lapides, ubi operarentur. Post pluviam secuti sunt lapides sub operariis unitatis [a]; dispersus est paries, sed de fundamentis suis se iterum reparavit. Jam tria peracta sunt; debentur vobis accusationes, sed quomodo et quando, novit ille, cui placuit de vobis ista nuntiare.

XI. *Donatistas seductores esse ostenditur.* — Et ne aliquis de hoc intellectu dubitaret, Deus addidit, dicens : *Non sunt quæ dico de luto, aut de latere, aut de pariete, sed de falsis prophetis, qui seducunt populum meum.* Hoc verbum, *seducunt*, (26) videte cui parti competat. Nobiscum erant omnes, nobis absentibus irruistis [b] : sed ut haberetis quos habere desiderastis, non potuistis nisi seducere : et quæ sint verba seductionis vestræ [c], omnibus notum est. Vestrum est dicere, *Attendite post vos* : vestrum est dicere, *Redimite animas vestras* : vestrum est dicere hominibus fidelibus et clericis, (27) *Estote Christiani*. Sed cum dicitis, *attendite post vos*, contra Evangelium facitis, ubi dictum est : *Nemo tenens manicam aratri, post se attendens, intrabit regna cœlorum* (*Luc.* IX, 62). Et vultis scire quid meruit, qui post se attendit, et qui ante se? 68 recordamini Sodomorum fugitivos, Loth et uxorem ejus [d] : quæ post se attendens, in statuam salis mutata est (*Gen.* XIX): qui ante se prospexit, evasit. Quid est ergo quod dicitis, *Attendite post vos?* nam et cum dicitis, *Redimite animas vestras* : unde illas emistis, ut vendatis? (28) Quis est ille nescio quis angelus [e], qui (29) nundinas facit animarum, quas ante ejus adventum diabolus possidebat? has sanguine suo Christus Salvator noster redemit, Apostolo dicente : *Empti enim estis pretio magno*. Constat enim sanguine Christi omnes redemptos. Christus non vendidit quos redemit. Animæ emptæ a Christo non potuerunt vendi [f], ut possint, sicut vultis, a vobis iterum redimi. Aut quomodo potest una anima duos dominos habere? aut numquid est alter redemptor? qui Prophetæ nuntiaverunt alterum esse venturum [g]? quis Gabriel iterum ad alteram Mariam locutus est? quæ virgo iterum peperit? quis virtutes novas aut alteras fecit? Si nullus est præter unum, qui redemit animas omnium credentium, quid est quod dicitis, *redimite animas vestras?* Jam illud quale est, quod hominibus christianis etiam clericis dicitis, *estote Christiani?* et (30) cum miraculo [h] quodam unicuique audetis dicere, Caï Seï, Caïa Seïa [i] (31), adhuc paganus es, aut pagana. Eum qui ad Deum se

LECTIONES VARIANTES.

[a] Hæc tria, *sub Ursacio, sub Gregorio, sub Operariis unitatis*, non habentur nisi in ms. S. G.
[b] In ms. S. G. *erupistis*.
[c] In ms. S. G. *et quæ sunt seductionis vestræ*.
[d] In ms. S. G. additur, *Molassudon*.
[e] In mss. S, T. et P. S. *Quis est nescio qui angelus*. In ms. S. G. *Quis est ille angelus* : utrumque nos jungendum esse duximus.
[f] In ms. S. G. *distrahi*.
[g] In ms. S. G. *Christum*.
[h] In mss. S. T. et P. S. *admiraculo*.
[i] In tribus mss. *Gaïseï, Gaïaseïa*.

VARIORUM NOTÆ.

(24) *Agitatus est paries, sed non cecidit, ut haberet pluvia, ubi operaretur.* Ita lege cum editione II Fr. Balduini. INCERT.

(25) *Ut habet pluvia ut operatur.* Legendum conjeceram, *ut haberet pluvia ubi operaretur*, cum eamdem scripturam confirmavit editio II F. Balduini. BARTH. *Ita restitutum.*

(26) *Videte cui parti competat.* Sic quidem legendum, nam perperam *videre* excussum est. INCERT.

(27) *Clericis, estote Christiani.* Orthodoxorum baptismum respuebant. ALBASP.

(28) *Quis est nescio quis angelus*, etc. Malus utique, id est, diabolus, qui animas nondum redemptas a Christo, possedisse mox dicitur. An eo respexit, quod Christus qui nos redemit, *Angelus fœderis*, Malach. III; fuisse etiam hæreticos qui *Angelos creatores esse animarum* asserrerent, docet Augustinus, ubi de Seleucianis, seu Hermianis hæreticis, sed illud huc pertinere non puto. M. CASAUB.

(29) *Nundinas facit animarum.* Eleganter venditionem dixit, ut πανήγυριν τοῦ βίου legere memini apud Nazienzenum. BARTH.

(30) *Et cum admiraculo quodam unicuique dicere, Caï Seï.* Franciscus Balduinus edidit plenius, *Caï Seï, aut Caïa Seïa, adhuc paganus es, aut pagana.* Ibidem : *Non quærebat illud, quod humana semper exigit consuetudo de pluviis, de pace*, etc., quæ continuis duodecim sequentibus paginis leguntur; desinentia in hæc verba : *vindicavit Elias, vindicavit Phinees* : alieniore loco leguntur, et referenda sunt ad paginam 58, v. 22, quemadmodum ibi monuimus. His ita in suum locum transpositis, continuandus deinde sermo ad hunc modum : *et cum admiraculo quodam unicuique dicere, Caï Seï, aut Caïa Seïa, adhuc paganus es, aut pagana? eum qui ad Deum se conversum esse professus est, paganum vocas?* etc. INCERT.

(31) *Caï Seï, Caïa Seïa.* Nomina sunt hæc vulgaria, quibus generatim hic et ille designatur. Unde et Tertullianus in Apologetico commemorat vulgare illud de Christiano : *Bonus vir Caius Seius.* Similem Donatistarum ad Catholicos allocutionem refert S. Aug. l. II de Bapt., c. 7 : *Bonus homo esses si non esses traditor; consule animæ tuæ, esto Christianus* : ad quæ cum Optato pariter exclamat : *O improbam rabiem, cum Christiano dicitur, Esto Christianus! quid*

Digitized by Google

conversum esse professus est, paganum vocas : eum qui vel a nobis vel a vobis, non in nomine nostro nec vestro, sed in nomine Christi tinctus est, paganum vocas : (32) (sunt enim qui et a vobis baptizati sunt, et ad nostram communionem postea transierunt [a]). Paganum vocas eum qui Deum patrem per Filium ejus (33) ante aram rogaverit [b]. Quicumque enim crediderit, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti credidit : et tu eum paganum vocas post professionem fidei. Si aliquis christianus (quod absit) deliquerit [c], (34) peccator dici potest; paganus iterum esse non potest. Sed hæc omnia vultis nullius esse momenti. Ac si tibi ipsi consenserit, quem seducis, unus consensus et (35) manus tuæ porrectio, et (36) pauca verba, jam tibi Christianum faciunt (37) de Christiano; et ille vobis videtur Christianus, qui quod vultis fecerit, non quem fides adduxerit [d].

XII. *Calumnia in Macarium conficta.* — Et si seductionni vestræ paulo tardius fuerit accommodatus assensus, etiam illa vobis argumenta non desunt : quibus quasi facile [e] etiam nolentibus, quod vultis, suadere possitis : dum dicitis, dictum esse ex ore eorum, qui jamdudum in vestro collegio fuerant : **69** *quod qui gustaret aut acciperet de sacrificio* (38) *adventantis unitatis* [f], (39) *de sacro gustare videretur.* Non negamus ab aliquibus esse hæc dicta, quos constat postea tota securitate (40) fecisse, unde paulo ante populos deterrebant : sed (41) alia ratio exegit [g] has voces, alia invitavit in factum. Nam ut hæc dicerent qui feruntur ista dixisse, opinio falsa, eorum aures et omnium populorum compleverat [h]. Dicebatur enim illo tempore venturos Paulum et Macarium, qui interessent sacrificio, ut cum altaria (42) solemniter aptarentur, (43) proferrent illi [i] imaginem (44), (45) quam primo in altare ponerent, et sic [j] sacrificium offerretur. Hoc cum acciperent aures, percussi sunt et animi, et uniuscujusque lingua in hæc verba commota est, ut omnis qui hæc audierat, diceret [k] : (46) *Qui inde gustat, de sacro gustat :* et recte dictum erat, si talem famam similis veritas sequeretur. At ubi ventum est a supradictis, nihil [l] tale visum est, ex eo quod fuerat paulo ante fama mentita; nihil vide-

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. *a communione nostra minime recesserunt, et ut ipsos seducas paganos vocas.*

[b] Hæc desunt in ms. S. G. In ms. S. T. *horam*, pro *aram*, irrepsit.

[c] In ms. S. T. *Si aliquid Christianus (quod absit) unusquisque deliquerit.*

[d] Hic finitur liber tertius in ms. S. G. et quæ sequuntur, habentur libro septimo. In mss. S. T. et P. S. sequentia usque ad illa verba, *Sed ut ad paulo ante dicta redeamus*, habentur hic, et repetuntur libro septimo; sed pertinent ad huncce librum, suntque ejusdem argumenti ac præcedentia quibus connectuntur, quamquam exstent etiam libro VII, in ms. Colbertino.

[e] Ita in ms. C. et in ms. S. T. lib. VII, et in ms. S. G. Hic in ms. S. T. *quibus quale facile :* in editis, *quibus facile.*

[f] In ms. C. *adventante unitate.*

[g] Ita in ms. S. G. in ms. S. T. lib. VII, et in ms. P. S. In ms. C. et S. T. hic *exigit*, sed legendum, *exegit.*

[h] Ita in mss. S. G. et C. In mss. S. T. et P. S. *oppleverat.*

[i] Ita in mss. C. S. T. lib. VII, et S. G. In ms. S. T. hic, et in ms. P. S. *illic.*

[j] Ita in mss. C. S. T. lib. VII, et S. G. In ms. S. T. *hic*, et P. S. *sic.*

[k] In ms. C. *Qui audierit hoc diceret.*

[l] Delevimus particulam *et*, quæ est in mss. S. T. et P. S. non autem in mss. C. et S. G. quia superflua.

VARIORUM NOTÆ.

aliud dicitur, nisi nega te Christianum : aut ut habet editio postrema, *quid aliud docetur nisi negare se Christianum.* Du Pin.

(32) *Sunt enim qui a vobis.* Vocabant paganos non solum eos qui essent baptizati ab orthodoxis, sed etiam eos qui post baptismum a Donatistis acceptum ad communionem Orthodoxorum transierant. Alb.

(33) *Qui Deum ante aram.* Catechumeni ante aram non orabant, neque Deum Patrem vocabant : hoc fidelibus dumtaxat licitum erat. Albasp.

(34) *Peccator dici.* Post baptismum quicumque peccat, potest dici peccator, non autem paganus. Alb.

(35) *Manus tuæ porrectio.* De absolutione hæc accipienda esse videntur, eumque loqui de iis qui essent baptizati apud Donatistas : nisi dicas et hæc verba : *at si tibi consenseris*, ad eos referenda qui essent tincti apud Orthodoxos. Albasp.

(36) *Pauca verba.* Oratio manus impositionem sequebatur. Albasp.

(37) *De Christiano.* Antiqui non pluris faciebant peccatorem antequam pœnitentia donatus esset, quam Ethnicum, eumque pro non Christiano habebant. Tertull. de Pudicitia : *Secunda te pœnitentia excipiet, eris iterum de mœcho Christianus.* Quapropter hæc verba possunt et ad pœnitentes et ad rebaptizatos referri. Albasp.

(38) *De sacrificio adventantis unitatis.* De sacrificio Eucharistiæ quod celebraretur a presbyteris Macarii. Albasp.

(39) *De sacro.* De cibis immolatis in sacrificiis deorum. Albasp.

(40) *Fecisse.* Interfuisse Missæ, et de Eucharistia sumpsisse. Albasp.

41 *Alia ratio*, Quam postea exponit, nempe de imagine. Albasp.

42 *Solemniter aptarentur.* Vide quemadmodum altaria solemniter præpararentur quando sacrificium celebrandum erat. Albasp.

(43) *Proferrent illic imaginem*, etc. Hunc locum de *labaris* imperatorum interpretatur quoque Baronius in Annal. nihil ille tamen aliud affert, quam quod Balduinus in notis. Cæterum, qui plura de istis, seu ritu, seu voce cupiet, eaque certe, si quæ alia scitu dignissima, singulare hujus ætatis decus Claud. Salmasium in Augustæ hist. scriptores adeat. De iisdem exstat et integrum caput in lib. Caroli M. contra imagines lib. III, c. 15, cujus argumentum est : *contra eos qui dicunt, si enim imperiales imagines et effigies emissas in civitates et provincias obviabunt populi cum cereis et thymiamatibus non cera perfusam tabulam honorantes, sed imperatorem*, etc. M. Casaub.

(44) *Proferrent illi imaginem.* Imperatoris scilicet. Nam imperatores pagani imagines seu statuas suas in provincias et civitates mittere consueverant, quas populi religiose excipiebant et colebant. At christiani imperatores morem hunc sustulerunt. Donatistæ, ut horrorem sacrorum quæ celebrabantur a Catholicis incuterent, fingebant effigiem imperatoris Constantis in eorum altaribus poni consuevisse dum sacrificium celebraretur, quo nihil odiosius apud Christianos excogitari poterat. Du Pin.

(45) *Quam primo in altari ponerent.* Alii Dei imaginem. Albasp.

(46) *Qui inde gustat.* Qui gustaret de Eucharistia

Digitized by Google

runt oculi Christiani quod horrerent : nihil probavit aspectus ex iis, quibus perturbatus erat auditus. Visa est puritas, et (47) ritu solito solemnis consuetudo perspecta est[a] : cum viderent divinis sacrificiis, nec mutatum quidquam, nec additum, nec ablatum. (48) Pax a Deo commendata, (49) volentibus placuit : quare nullus eorum debet argui, qui de collegio vestro ad pacem transitum fecit : qui fuerant sinistra[b] opinione turbati, simplici ac pura veritate firmati sunt. Nec dicatur de amaro fecisse dulce, aut de dulci amarum. Amaritudo, quæ de falsitate videbatur fuisse nuntiata, in sinu opinionis resedit ac remansit[c] ; veritas perspecta oculis, dulcedinem suam in se habens, a falsæ opinionis limitibus separata est. Ergo nec de amaro factum est dulce, nec de dulci amarum ; (50) quia et aliud et extra est quod est visum, et longe fuerat quod videbatur 70 auditum[d]. Quare vides te sine causa fecisse convitium, fingens pro arbitrio quod voluisti, ut Macarium et Taurinum lacerares. Perdidisti quod sapiens videris, dum sensus tuos invidia depravavit, et intelligendi tibi aditus[e] clausit[f].

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. T. lib. VII, et P. S. *perfecta est*.

[b] Ita in mss. C. et S. G. In ms. S. T. hic *in ista* : at lib. VII, *sinistræ partis*, et ita etiam in ms. P. S.

[c] Ita in mss. C. S. G. S. T. et P. S. lib. VII. At in mss. S. T. et P. S. hic, *sed dicta* aut *seducta remansit*.

[d] Hic finitur liber tertius in mss. S. T. et P. S. Quæ sequebantur in editis : *Sed ut ad paulo ante dicta redeamus*, etc., quæ clauduntur his verbis, *nostrum non potestis damnare judicium*, habentur lib. VII, in omnibus mss. Quia tamen ad argumentum hujus libri tertii pertinent, suntque ejus velut appendix, hic in editis adjecta sunt : attamen non videntur ad hunc librum pertinere : causam enim Macarii alio modo tractat auctor ac in præcedentibus, et novam retundit Donatistarum rationem, supponens Macarium quem hoc in libro *in excusarat*, non esse innocentem. Quare mss. auctoritatem secuti, ablegavimus hæc ad librum septimum, qui continet hujusmodi additamenta. At hic addidimus conclusionem hujus libri quæ a loco suo avulsa exstabat in fine libri quarti in mss. S. G. et P. S. *Quare vides*, etc.

[e] In ms. S. G. *auditus*.

[f] In mss. ad finem libri tertii pro more habetur, *Explicit liber tertius*, et in ms. S. G. additur *sancti Optati*.

VARIORUM NOTÆ.

oblata super altare ; in quo posita esset illa imago. ALBASP.

(47) *Ritu solito*. Ritu Christianorum. ALBASP.

(48) *Pax a Deo commendata*, etc. Alludit ad ista Evangelii quæ jam supra protulit, *pax hominibus in terra bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 24). *Homines bonæ voluntatis*, Optatus (quod est magis Latinum) *volentes* seu *volentibus* (neque enim Hebraismi illi veniebat in mentem) expressit. Male igitur qui aliter explicant. Cæterum hanc Veterum et Vulgatæ hodieque lectionem non immerito doctus interpres, non modo laudat, sed et amplecti se paratum profitetur in commentariis. ALBASP.

(49) *Volentibus placuit*. Amantibus : desiderantibus; volens in antiquis ponitur pro amico, pro desiderante, pro benevolo : Virgilius, *populo dare jura volenti*, hoc est, obtemperanti : Salustius, *pariter volentes*, pariter amici. ALBASP.

(50) *Quia et aliud et extra est, quod est visum*, etc. Non opinor aliud vult Optatus his verbis, quam quod planius et communius dicere potuit, aliud longe visum esse, est, quam quod auditum fuerat. Quod si quis tamen ultra magis acutum quidquam, ex illo *extra est* eruturus est, quia prius *veritatem dulcedinem suam in se habere* dixit, minime prohibeo. Illud multo majoris est momenti, quod cum in his verbis finis libri tertii ab omnibus hactenus constitutus sit, ego multa porro deesse comparatis editionibus, quod nec Albaspinæus omisit, comperi. Et desunt quidem omnino in secunda hac et meliori Balduini editione; quod an consulto consilio ab eo factum sit, an casu acciderit, ex ejus verbis haud satis intelligas. Ait ille quidem, quod ex lib. III, temere de causa Macarii, lib. VII, repetitum erat delevisse. Quod sane ab illo merito factum esset, si modo tantum debuisset, quantum temere repetitum fuerat, jamque suo loco exstabat, transtulisset autem, quod alieno loco redundabat, proprio autem desiderabatur. Cur autem quidquam omnino deleret, ut jam nullibi, neque tertio, neque septimo libro, pars eorum non pœnitenda, quæ e III, in VII male traducta fuerant, conspiceretur, causa nulla fuit, vixque puto (quocumque casu acciderit) ab illo volente ac prudente factum esse. Nam si ut adulterina rejecisset, hoc saltem monitum fuisse lectorem oportuit, ac tam rigidi judicii causas additas. Sed quas quisquam causas afforret, cur adulterina suspicaretur ? Nullas omnino, quod sciam. Cur totus liber septimus aliquando suspectus esset, hæc causa fuit, quod Hieronymus in Catal. sex dumtaxat Optati libros commemorat. Optatus ipse præterea lib. I ubi singulorum librorum argumenta proponit, non amplius sex meminit. Atqui idem Optatus, cur plura quam initio statuerat, scribere coactus sit, docet ipse principio lib. VII, ut nullius omnino momenti sit argumentum. Quod Hieronymus autem sex tantum meminit, ego quoque plures non fuisse, persuasum habeo ; et quem septimum nunc vocamus, appendicem dumtaxat sexti et ultimi fuisse libri. Nam *pauca* fore quæ additurus erat, prædicit ipse statim initio. Cum tamen hæc appendix, seu additamentum, in eam molem excrevisset, quæ ex prioribus libris nonnullos æquaret, imo superaret, hinc puto factum, quod et ipsum libri nomen obtinuerit. Sed ne hoc quidem magni momenti, sive librum, sive appendicem libri vocemus, modo constet esse Optati ; de quo neminem qui Optatum sedulo legerit, et utrumque diligenter contulerit, dubitaturum existimo. Præcipue cum causa, cur quis fingeret, et falso, non dico nomine (quod facile potuit accidere) sed stylo, et imitanda tanta cura et solertia oratione mentiretur, ac falleret (quod non æque fuit facile) nulla fuerit. Nam Donatistas, quos unos suspicari non immerito possemus, cum quod hinc accipere, quoque suam causam juvare possent, nihil omnino sit : cum toto libro nihil tale, quod ab iis proficisci potuerit ; quis sanus illos suspicetur ? Si autem non illos, multo minus alios, quorum multo minus interfuit. Cum igitur septimum librum Optato etiam Balduinus asseruerit, hoc tertii libri ἀποσπασμάτιον septimo libro temere adsutum, non fuit cur eo nomine repudiaret. Omnino igitur non debuit prætermitti. Quia tamen Balduini editionem exhibituros nos promisimus, maluimus quod in illa male prætermissum est, notis nostris inserere. M. CASAUB.

Digitized by Google

71 LIBER QUARTUS.

In hoc quarto volumine indicio Dei ostenduntur qui sint hoc tempore peccatores; et quia Deus per Jeremiam prophetam Judæis irascitur, non Christianis; et quia idola sunt lacus detriti, non Macarius aut Taurinus, sicuti Parmeniano visum est.

I. *Argumentum hujus libri.*—Ate nobis, frater [a] Parmeniane, (1) de petito milite frustra calumniam factam esse, aperte dilucideque monstratum est. Etiam illud disce, quod dixisti de oleo et sacrificio peccatoris, ad vos potius pertinere : non enim ille debet esse peccator, quem vos volueritis. Nam et nos vestram(2) præsumptionem possumus imitari, et dicere, vos esse peccatores. Sed facessat ex utraque parte præsumptio [b] : nullus nostrum humano judicio alterum damnet. (3) Dei est nosse reum, illius [c] ferre sententiam. Taceamus omnes homines : solus Deus indicet peccatorem, cujus sacrificium sit (4) canina victima, et cujus oleum ungi desideranti (5) ingerat metum [d].

II. *Donatistas esse fratres Catholicorum.* — Hujus rei apertissimam veritatem, Parmeniane frater, agnosce. Si tamen hoc nomen fraternitatis frequenter a me dictum, libenter audire dignaris : fac, ut tibi sit fastidiosum; tamen nobis est necessarium, ne forte juxta probationem [e] hujus nominis, tacendo rei esse videamur. Si enim tu non vis esse frater, ego esse incipio impius, si de nomine isto tacuero. Estis enim fratres nostri, et nos vestri, propheta dicente : *Nonne vos unus Deus creavit, unus pater genuit* (*Malach.* II, 10)? Non enim potestis non esse fratres, cum omnibus dictum sit : *Dii estis, et filii altissimi omnes* (*Ps.* LXXXI, 6). Et nos et vos qui præceptum unum accepimus, in quo dictum est : *Ne vocetis vobis quemquam patrem in terris, quia unus est Pater vester in cœlis* (*Matth.* XXIII, 9). Salvator noster Christus solus natus est Filius Dei : sed et nos et vos filii Dei uno modo facti sumus, sicut in Evangelio scriptum est : *Venit Filius Dei; quotquot* 72 *eum receperunt, dedit eis potestatem, ut filii Dei fierent qui credunt in nomine ejus* (*Joan.* I, 2). Nos et (6) facti sumus et dicimur : vos et facti estis et non dicimini, quia pacifici esse non vultis, nec audire ipsum Filium Dei dicentem : *Felices pacifici, quia ipsi filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V, 9). Christus veniens, Deum et hominem revocavit in pacem : *Et fecit ambos unum, tollens medium sepem parietis* (*Ephes.* II, 13). Vos nobiscum, id est, cum fratribus, pacem habere non vultis. Non enim potestis non esse fratres, quos iisdem sacramentorum visceribus una mater Ecclesia genuit, quos eodem modo adoptivos filios Deus pater excepit. Unde hujus temporis præscius Christus, quia futurum erat ut a nobis hodie discordaretis, talia dedit orandi mandata, ut (7) vel in oratione unitas remaneret, (8) ut preces jungerent, quos discrepaturæ fuerant partes [f]. Oramus pro vobis, quia volumus; et vos pro nobis, et cum non vultis : aut dicat unusquisque vestrum : Pater meus qui in cœlis es, et panem meum quotidianum da mihi hodie, et dimitte mihi peccata, quomodo et ego debitori meo. Igitur si quæ mandata sunt, mutari non possunt; videtis nos non in totum ab invicem esse separatos, dum et nos pro vobis oramus, volentes; et vos pro nobis oratis, et si nolentes. Vides, frater Parmeniane, sanctæ germanitatis [g] vincula inter nos et vos, in totum rumpi non posse.

III. *Donatistas peccatores esse.* — Jam peccator quærendus est, cujus potuit (9) vel oleum timeri, vel sacrificium repudiari. Cesset humana suspicio, utriusque partis præsumptio sileat; quis sit peccator solus indicet Deus. Legimus (10) in XLIX psalmo sub

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. T. *frater nobis*.
[b] Hunc locum restituimus ex ms. S. G. In mss. S. T. et P. S. necnon in editis perperam omnino, *facite ex utraque parte*.
[c] In ms. S. G. *judicis est*.
[d] In ms. S. G. *cujus oleum videatur esse timendum*.
[e] In ms. S. G. *tot probationes*.
[f] In ms. S. G. *discreturi fuerant parietes*.
[g] In mss. S. T. et P. S. necnon in editis, *sancta gemina* : minus bene.

VARIORUM NOTÆ.

(1) *De milite*. In tertio libro egit de unitate facta per Macarium. ALBASP.

(2) *Præsumptionem*. Se sanctos jactabant Donatistæ, atque ex sua sanctitate sacramentorum effectum pendere. ALBASP.

(3) *Dei est nosse reum, illius ferre sententiam*. Merdum Typographicum ejice, et lege cum editione Fr. Balduini, *nosse rerum*. INCERT.

(4) *Canina victima*. Paulo post quasi victimæ canem. ALBASP. Respicit *Optatus* ad legem quæ exstat Deut. XXIII, 18: *non offeres pretium canis in domo Domini Dei tui*; quamvis de cynædo videatur potius intelligenda quam de cane. CLERICUS.

(5) *Ingerat metum*. Peccatorum oleum metum incutit; Dei autem exsultationem. ALBASP.

(6) *Facti sumus et dicimur*. Schismatici facti sunt, sed non dicuntur fratres, quia a matris uberibus avulsi sunt. ALBASP.

(7) *Ut vel in oratione*. Unitas remanet in Oratione Dominica, quia cum dicimus *Pater noster*, mentionem facimus de omnibus his qui eumdem habent Patrem, et cum iis communicamus, ideo unitas et fraternitas remansit in illa oratione. Deinde oramus pro vobis, quia quando dicimus *dimitte nobis*, eos omnes intelligimus qui ab eodem patre originem duxerunt et Christiani facti sunt. ALBASP.

(8) *Ut preces jungerent, quos discrepaturæ fuerant partes. Discrepare* in activa potestate usurpavit. INCERT.

(9) *Vel oleum timeri*. Quia dicit Scriptura, *peccatoris oleum non intinguat caput meum*. ALBASP.

(10) *Quadragesimo-nono psalmo*, etc. Quod in Hebr. סלה *Selah*, Græci plerumque διάψαλμα. Id autem alterius quasi sensus exordium multi crediderc, teste Hieronymo. Quod et August. in psalm. IV aliique testantur. Inde aliquando pro parte psalmi, quamvis in toto nullum *Selah* aut diapsalma. Hic tamen hodieque in quibusdam exemplaribus diapsalma reperiri

Digitized by Google

secundo diapsalmate, Spiritum Sanctum dixisse : *Peccatori autem dixit Deus* (*Ps.* XLIX, 16). Hoc loco advertenda est tota mentis intentio, et videndum, quis sit peccator. (11) Si enim post quod lectum est, *peccatori autem dixit Deus :* verba hujusmodi sequerentur, et diceret : tulisti arma, processisti castris, stetisti contra hostes in acie : timendum erat militi, quia potuit ipse videri peccator. Aut si diceret : comparasti merces, peregrinatus es, egisti nundinas, lucri causa quod emeras vendidisti : timendum erat negociatori, quia potuit ipse videri peccator. Aut si diceret : fabricasti navem, struxisti funibus, ornasti velis, opportunos ut navigares captasti ventos : (12) timendum erat nautæ, quia potuit ipse videri peccator. Aut post quod lectum est : *Peccatori autem dixit Deus :* si sequerentur hæc verba : dissensio et schisma tibi displicuit, concordasti cum fratre tuo, et cum una Ecclesia quæ est in toto orbe terrarum, (13) communicasti septem Ecclesiis et (14) memoriis apostolorum, amplexus es unitatem : si hæc subsequens lectio contineret, nobis timendum erat, nos esse potuimus peccatores. Cum autem dicit Deus : *Ad quid exponis justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum ? tu autem contempsisti disciplinam, et abjecisti sermones meos retro : sedens adversum fratrem tuum, detrahebas, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum. Videbas furem, et currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas* (*Ps.* XLIX, 16). Hæc ad vos dicta sunt omnia. Excusate vos ab his omnibus, si potestis.

IV. *Donatistæ disciplinæ contemptores.* — A vobis enim contempta est disciplina : ut quid recitas Testamentum, qui Testamento non servis, in quo descripta est disciplina, quam servare non vultis ? Non enim potestis dicere, vos eam servare [a], contra quam militatis. Deus dicit : *Quære pacem, et consequeris eam* (*Ps.* XXXIII, 15) : (15) tu repudiasti pacem : non est [b] contemnere disciplinam ?

73 In Evangelio legitur (16) : *pax hominibus in terra bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14) : tu nec voluntatem bonam vis habere nec pacem : non est contemnere disciplinam ? Item in psalmo CXXXII legitur : *Ecce quam bonum est, et jucundum, habitare in unum* : in unum habitare cum fratribus non vis : non est contemnere disciplinam ? Christus dicit in Evangelio : *qui semel lotus est, non habet necessitatem iterum lavandi* (*Joan.* XIII, 10) : tu rebaptizando iterum lavas : non est contemnere disciplinam ? Deus dicit : *ne tetigeritis Christos meos, neque in prophetas meos manum miseritis* (*Ps.* CIV, 15) : vos tot sacerdotes Dei (17) honoribus exspoliastis : non est contemnere disciplinam ? Christus dicit : *inde scio quia discipuli mei estis, si vos invicem diligatis* (*Joan.* XIII, 34) : odio nos habetis, fratres utique vestros : nec apostolos imitari voluistis, a quibus etiam negator dilectus est Petrus : non est contemnere disciplinam ? Exponis justificationes Dei, et assumis Testamentum ejus per os tuum : Testamentum recitas, et Testamento non servis, in quo descripta est disciplina : quomodo dicis : quære pacem, cum non habeas pacem ?

V. *Donatistæ calumniatores, detractores, scandalorum auctores.* — (18) Electi estis, qui sedentes potestatem viri docti. Alterum autem cum jam versu 6, (non enim sequendi qui tollunt, cum sit et in Hebr.) præcesserit. Ideo fortasse dictum ab Optato, hic est, *sub sec.* etc. M. CASAUB.

(11) *Si enim post electum est.* Pro *electum* mavult Barthius *delectum*. Interest enim *militem deligi* atque *eligi* dicas. Cum *delectus* ei rei sit familiare verbum : illud alterum temere de militibus non reperias. Fr. Balduinus edidit, *si enim postquam lectum est.* INCERT.

(12) *Timendum erat nautæ.* Lege exigente sensu et fide jubente eodem libro, *naturæ*. Si quidem *naturæ* hic prodigiose editum. INCERT.

(13) *Communicasti septem Ecclesiis.* Christianis Asiæ. ALBASP.

(14) *Et memoriis Apostolorum.* Et reliquiis B. Petri et Pauli : quæ communio necessaria est ut quis sit in unitate Christiana. ALBASP.

(15) *Tu repudiasti pacem*, etc. Auctiores hic priores editiones integra periodo : *In Evangelio legitur, pax hominibus in terra bonæ voluntatis. Tu nec voluntatem bonam vis habere, nec pacem : non est contemnere disciplinam ? Item in Psalm.*, etc. Haud dubium quin sit Optati, neque difficile est conjicere, quæ causa fuerit omittendi. M. CASAUB.

(16) *In Evangelio legitur.* Hæc ex editione Germanica addimus ; et bene, ni fallor. ALBASP.

(17) *Honoribus exspoliastis.* Sine causa et absque crimine episcopos deponitis : quod non minus crimen erat, quam innocentem ad pœnitentiam cogere ; utrique enim tollitur gradus et pars quem habebat in corpore Christi. Adde ex D. Cypriano episcopatum divinum honorem esse. Epist. 5 lib. IV. *Divini honoris societate conjunctas.* ALBASP.

(18) *Electi estis qui sedentes*, etc. Scribe *lecti estis :* quod valet, scriptum porro est de vobis, aut aliquid simile : *lectum* enim pro *scriptum* cum de sacris scriptoribus loca proferuntur, et lectio κατ' ἐξοχήν, pro quavis sacræ Scripturæ περιοχῇ, sive περικοπῇ (*capitulum* vocant Tertull. et alii) tam frequens est in his et similibus libris, ut nihil frequentius esse possit. Notum ac tritum est, quid Nehem. VIII, 8, non pauci מקרא *mikra* exponant, vel quid ea voce Hebræi doctores vulgo designent. Eadem ratione et Alcoranum dici multi autumarunt. Sed Thomas Erpenius, in cujus excellentissimi viri immatura morte tantam fecerunt jacturam litteræ Orientales, quantam ullæ umquam in unius hominis morte litteræ, doctissimos quosque Arabes dissentire, et ab alia quamvis ejusdem radicis significatione derivare, notavit in notis ad histor. Josephi Patriarch. Hanc sententiam doctissimus Salmasius in admirando Plinianarum exercitationum opere, non laudat modo, sed et Græcorum testimoniis ita confirmat, ut res jam minime controverti debeat. Sed quia admirandi illius operis mentionem me contigit hic facere, ingratus sum nisi hoc ipso loco ejus auctori, viro humanissimo et de tota republica litteraria meritissimo, gratissimas agam gratias, cujus munere tanti thesauri compos sum factus. Sed ut ad Optatum redeamus, ut hic *electi* pro *lecti*, etiam in hac optima, ita in prioribus editionibus, eodem errore *electum* pro *lectum* legebatur. Ubi enim ante unam aut alteram paginam : *Si enim postquam lectum est*, priores ultima Balduiniana

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. S. T. et P. S. *servasse.*

[b] In ms. S. G. *utique hoc est :* et ita deinceps.

Digitized by Google

pulum doceatis (19), et detrahitis nobis, utique fratribus vestris. Quoniam (sicut supra dixi) una nos mater Ecclesia genuit, unus nos Deus pater excepit; et tamen scandala contra nos ponitis, mandando singulis, (20) ne nos salutent : ne a nobis (21) dignationem accipiant (22). Considerate verba superbiæ vestræ : considerate tractatus : considerate mandata : actus quoque vestros revolvite [a]. Nullus vestrum 74 est, qui non convicia nostra suis (23) tractatibus misceat : (24) qui non aliud (25) initiet, aliud explicet. (26) Lectiones dominicas incipitis, et tractatus vestros ad nostras injurias explicatis : (27) profertis Evangelium, et facitis absenti fratri convicium : (28) auditorum animis infunditis [b] odia, inimicitias (29) docendo suadetis ; hæc omnia dicendo, contra nos scandala ponitis. Ergo unicuique vestrum dictum est : *sedens adversus fratrem tuum detrahebas, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum.* Dum peccatorem arguit, et sedentem increpat Deus, specialiter ad vos dictum esse constat, (30) non ad po-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Hic in mss. et in editis habentur hæc verba : *Invenietis oleum vestrum timuisse, qui rogabat ;* sed non suo loco : nec enim cohærent cum præcedentibus et sequentibus, iisque omissis series orationis optime se habet.

[b] In mss. S. T. et P. S. *infigitis.*

VARIORUM NOTÆ.

niana exhibebant, *si enim post electum est.* Et quia de militibus nescio quid sequitur, pro *electum*, *delectum* corrigi eo loco voluerunt nonnulli, et mira nescio quæ de *delectu militum* comminiscuntur : quorum ineptiis optime carere potuimus, si per N. L. et typographos parisienses liceret. Quod autem ait Optatus, *lecti estis qui sedentes populum doceatis*, non ita intelligendum, quasi hoc ipsum de iis ac totidem verbis esset scriptum. More enim suo quasi supplet et interpolat verba Scripturæ ut proposito suo accommodet, q. d. Lecti estis, qui *sedentes* (quando nempe populum docetis ; concionamini, quod sedentes utique pro more tractantium facitis, detrahitis nobis, etc. M. Casaub.

(19) *Electi estis qui sedentes populum doceatis.* Nam, ut ait modo Optatus, *populus in Ecclesia non habet sedendi licentiam.* Hoc solis antistitibus qui populum docebant erat concessum in Ecclesiis Africanis, ut præter Optatum docet Augustinus l. L homil. hom. XXVI, tract. 19 et 112 in Joannem, in expos. Ps. CXLVII, et alibi passim. Nihilominus alia consuetudo obtinebat in quibusdam transmarinis Ecclesiis, ut discimus ex eodem Augustino, l. de Catech. rudibus, c. 13, ubi consulit iis qui docent alios, ut aliquando eis *oblata sessione succurrant, quamquam*, inquit, *sine dubitatione melius fiat ubi decenter fieri potest, ut a principio sedens audiat, longeque consultius in quibusdam Ecclesiis transmarinis, non solum antistites sedentes loquuntur ad populum, sed ipsi etiam populo sedilia subjacent.* Alius ergo mos erat quarumdam saltem Ecclesiarum transmarinarum, alius Africanarum : in illis non solum antistites loquentes sedebant, sed et auditores : in his vero e contra soli antistites sedebant cum populum alloquebantur ; populus vero stans audiebat. Attamen S. Augustinus homil. 26, supra laudata, testatur : *se in gratiam eorum qui aut pedibus dolebant, aut aliqua corporis inæqualitate laborabant, consilium dedisse et quodam modo supplicasse, ut quando aut passiones prolixæ aut certæ aliquæ lectiones longiores legebantur, qui stare non poterant, humiliter et cum silentio sedentes attentis auribus audirent quæ legebantur.* Du Pin.

(20) *Ne nos salutent.* Christiani olim et domi, et per vicos, et in Ecclesia osculo sese salutabant. Albasp.

Ibid. *Ne nos salutent : ne a nobis dignationem accipiant. Dignatio* quid olim fuerit non opus est dicere ; a posterioris ævi et cum ævo declinantis latinitatis Scriptoribus, pro *humanitate* seu *facilitate* solet accipi. Unde quod a Veteris et germanæ eloquentiæ Principe dictum est : *qui dignitate Principibus excellit, facilitate par infimis videtur.* A Sidonio Apoll. ita expressum est, *dignitate clarus, dignatione communis.* Lib. I epist. IX, et III lib. VII, ad Fontelum Papam sive episcopum : *Cum sitis opinione magni, gradu maximi, non tamen estis vos amplius dignitate, quam dignatione laudandi.* Hinc et de quovis officio, quod testandæ humanitatis invicem præstamus et exhibemus. Symm. l. IX, epist. 63 : *Sed licet me officii ordine et dignatione præverteris, in posterum tamen, nequaquam residem judicabis*, etc. S. August. Confess. lib. VI, c. 2, de matre : *Sed illa cum attulisset canistrum cum solemnibus epulis prægustandis atque largiendis, plus etiam quam unum pocillum pro suo palato satis sobrio temperatum, unde dignationem sumeret, non ponebat.* Alii ediderunt *indignationem sumeret*, quod verius esse puto, si disjunctim legatur, *in dignationem.* Noster hoc loco, ni fallor, pro *osculo*, ut ipse videtur post aliquot lineas exponere, ubi hæc iterum pluribus verbis. M. Casaub.

(21) *Dignationem accipiant.* Dignatio apud antiquos pro gratia accipitur. Cyp. lib. I, epist. 6. Cum igitur aliquem oscularentur, vocabant hoc gratiam et communionem facere, quam cum orthodoxi habere nollent cum Donatistis, osculi officium repudiabatur. Albasp.

(22) *Dignationem accipiant.* Dignatio hic humanitatis officium. Symm. l. IX, ep. 63, *sed licet me officii ordine et dignatione præverteris*, etc. Du Pin.

(23) *Tractatibus.* Episcoporum sunt in Ecclesia sermones et Evangelii explicationes. Cypr. epist. XLVI, lib. IV : *Nec tractantes Episcopos audiat.* Albasp.

Ibid. *Nullus vestrum est, qui non convicia nostra suis tractatibus misceat. Convicia nostra*, pro iis dixit quæ in nos jactata debebat proferre. Incert.

(24) *Qui non aut aliud initiet, aut aliud explicet. Initiare* est *incipere.* Sic infra : *ministeria initianda et ordinanda.* Incert.

(25) *Initiet.* Incipiat. Albasp.

(26) *Lectiones dominicas.* Per Evangelii lectionem incipitis, sed mox ea omissa ad convicia transitis. Albasp.

(27) *Profertis Evangelium.* Sensus : Evangelium pacis profertis, et odia seminatis. Albasp.

(28) *Auditorum animis infigitis odia*, etc. Putavi aliquando legendum : *inimicitias suadendo docetis.* Barthius excidisse vocem *docetis* censet, quæ necessario sit reponenda hoc modo, *inimicitias suadendo docetis, docendo suadetis.* Fr. Balduinus edidit : *auditorum animis infligitis odia, inimicitias docendo suadetis.* Incert.

(29) *Docendo.* Prædicationes fiebant ut populus doceretur. Albasp.

(30) *Non ad populum qui in Ecclesia*, etc. Aliquandiu, fateor, torsit me hic locus. Nam si quis hinc ἁπλῶς iret conclusum, populo olim, sive laicis in Ecclesia non licuisse sedere, multa in mentem veniebant, quæ possent opponi. Tandem commode occurrit Augustini locus, qui ut mihi, ita spero, lectori abunde satisfaciet, et omnes ex Optato tenebras dispellet. Augustinus igitur de Catech. rud. c. 13, ubi *oblata sessione tædio audientis succurrendum* suasit, addit mox : *Quamquam sine dubitatione melius fiat, ubi decenter fieri potest, ut a principio sedens au-*

Digitized by Google

pulum, qui in Ecclesia non habet (31) sedendi licentiam. Vides ergo procul dubio vobis imputari debere cum dicit Deus : *sedens adversus filium matris tuæ, ponebas scandala.* (32) Unam matrem nos habere jam toties comprobavi : nec vos negare potestis, qui contra nos scandala ponitis, dum aliqui vestrum et (33) non intellectas proferunt lectiones : ut auferant etiam illud, quod inter omnes solet esse commune, salutationis videlicet officium. Nam et vos ipsi aliqui (34) in perfunctoria salutatione oscula denegatis solita : et docentur multi, (35) ne ave dicant cuiquam nostrum : et videntur sibi hoc de lectione, sed non intellecta, mandari, ignorantes de quibus apostolus hoc dixerit : *cum his nec cibum capere : ave illi ne dixeritis : serpit enim eorum sermo velut cancer* (I *Cor.* v, 11; II *Joan.* 10; II *Tim.* II, 17). Dixit hoc de hæreticis, quorum cœperat illis temporibus vitiosa esse doctrina : qui subtili seductione verborum, morbis obscure serpentibus corrumperent fidei sanitatem; ut Marcion, qui ex episcopo apostata factus, inducebat duos Deos et (36) duos Chris- A tos ; ut Praxeas [a], qui argumentabatur Patrem passum esse, non Filium ; ut Valentinus, qui conabatur carnem Christo subducere. Horum est sermo, qui habuit cancer [b] ad fidei membra vexanda. (37) Talis sermo est et (38) Scorpiani [c] hæretici (39), qui 75 negabat debere esse martyria : scilicet venena sua sibi servent, nec eorum relatio auditorum intellectus simplices vel leviter vexet. Hujus igitur sermo est, qui vitandus est, ne serpat sicut cancer. Dictum est hoc et de Ario, qui conabatur docere Filium Dei ex nullis substantiis factum esse, non ex Deo natum : cujus doctrina, nisi in Nicæno concilio a trecentis decem et octo episcopis dissiparetur, pectora multorum sicuti cancer intraverat. Dictum est hoc de Photino præsentis temporis hæretico, qui B Filium Dei ausus est dicere, tantummodo hominem fuisse, non Deum. Potuit hoc et de vobis dici, quia vester sermo animis et auribus aliquorum non leve intulit cancer. Vester enim sermo est, quem ad pacis filios habetis ; dum dicitis : *periistis, attendite post vos ; peribit anima vestra ; quamdiu* (40) *vos tenetis ?*

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. omnibus et in editis hic habetur *Ebion* pro *Praxea*. Sed erroris istius, Patrem passum esse, auctor fuit *Praxeas* non *Ebion*. *Praxeas* etiam nominatur ab Optato, l. I. Et l. V in mss. S. T. et P. S. pro *Ebione* legitur *Praxeas : apud Praxeam Patripassianum, qui ex toto Filium negat, et Patrem passum esse contendit.* Ex his restituimus *Praxeam* pro *Ebione*, quamquam hoc loco mss. codicum auctoritate destituti. Forte in his omissa est una aut altera linea, et legendum, *ut Ebion qui Christum dicebat esse merum hominem : ut Praxeas qui argumentabatur Patrem passum esse.*

[b] In ms. S. G. *quem habuit cancer.* In editis, *qui habuit cancrum.*

[c] In mss. S. T. et P. S. *Corpiani.*

VARIORUM NOTÆ.

diat. Longeque consultius in quibusdam Ecclesiis transmarinis, non solum antistites sedentes loquuntur ad populum, sed ipsi etiam populo sedilia subjacent, etc. Tam claræ luci non est quod addam. Illud modo ne quis hæreat, *transmarinas Ecclesias* appellari ab Augustino Afro, quæcumque tum erant Occidentis Ecclesiæ. Optatus, lib. II, universi orbis populos, in Africanos, Orientales ac Transmarinos dividit. Plura de hujus vocis usu congessit eruditissimus Justellus ad Can. Ecci. Afr. M. CASAUB.

(31) *Sedendi licentiam.* Episcopi et presbyteri jus sedendi in Ecclesia habebant ; non autem plebs, quæ stando, aut genibus flexis orabat : unde apud antiquos sacerdotium vocatur, *honor consessus.* ALBASP.

(32) *Unam matrem nos habere jam toties comprobavi*, etc. Scribe : *Unam matrem nos habere jam toties comprobavi*, nisi tamen melius, *Unam matrem nos habere jam toties comprobavi, nec vos negare potestis, qui contra nos* &c., etc. M. CASAUB. *Ita restitutum.*

(33) *Non intellectas.* Loca Scripturæ quæ perperam explicant. ALBASP.

(34) *In perfunctoria.* In civili salutatione : non solum Christianam salutem, sed etiam civilem nobis denegatis. ALBASP.

(35) *Ne ave.* Osculum et bona verba dabant. ALBASP.

(36) *Duos Christos.* Hunc locum restituit Balduinus : quomodo autem duos Christos et duos Deos ponerent Marcionitæ, lege I. C. Perronium ad D. Augustini locum ad Adimantum. ALBASP.

(37) *Talis sermo est, et Corpiani hæretici*, etc. Qui fuerint hæretici qui martyria negabant, præter alios docet Tertullianus, qui adversus Gnosticos eo nomine infames librum conscripsit de Bono martyrii. Sed illi hæretici cur Optato *Corpiani*, non æque in promptu est. In codice manuscripto *Scorpiani* non *Corpiani* se reperisse testatur Balduinus. Quod si hæreticos simul plures ita vocaret Optatus, vel *Scorpiaci* eum scripsisse putarem (*Scorpiacum* enim libri suum vocat Tertullianus, quem contra Gnosticos, scorpils, ut interpretatur ipse, similes, scripsit); vel *Copriani* a κόπρος aut κοπρία formasse, cum qui Gnostici, eosdem Borboritas, ob obscœnitatem tam morum quam doctrinæ nuncupatos constet ; vel denique *Coddiani*, quod fuit et illorum nomen, ut antiqui tradidere. Sed cum *Corpiani* hæretici, ut unius ac certi cujusdam, cujus hoc proprium nomen fuerit, Optatus meminerit, haud temere quidquam asseverem ; nisi sit fortasse singularis pro plurali ; aut ipse Optatus in nomine minus noto impegerit. Ait autem Augustinus, Gnosticos quosdam a Nicolaitis, quosdam vero a Carpocrate hæretico derivare. Verum hoc nihil ad *Corpianum* de quo quærimus, cuique proprium hoc dogma adscribit Optatus noster, quod *martyria* negaret. Mox *de Ario qui conabatur docere filium Dei ex nullis substantiis factum esse*, id est, quasi ἐκ τῶν οὐκ ὄντων. Unde et Exoucontii dicti. M. CASAUB.

(38) *Cœpiani.* Ex Tiliano codice legendum Scæpiani : qui a Tertulliano vocantur Gnostici, quod martyrium subeundum esse negarent. ALBASP.

(39) *Scorpiani hæretici.* Delusus videtur hoc in loco Optatus inscriptione libri Tertull. adversus hæretic. qui martyriis obtrectabant, quem *Scorpiace* Tertullianus inscripsit. Hinc forte putavit Optatus, hæreticum illum quem aggreditur, vocitatum fuisse *Scorpianum.* Cum tamen Tertullianus initio libri *Scorpios* vocet hæreticos, et profiteatur se *Gnosticos, Valentinianos, aliosque martyriorum refragatores, qui tempore persecutionis ebulliebant*, non autem privatum ullum hæreticum insectari, atque ut adversus bestiolas istas suis mederetur *Theriacam promptam stylo temperare.* Nullus ergo fuit *Scorpianus* neque *Corpianus* hæreticus Tertulliano ; sed merito dicti sunt ab illo *Scorpiones*, hæretici illi qui martyrio refragabantur. DU PIN.

(40) *Vos tenetis.* Quamdiu apud Orthodoxos manetis. ALBASP.

Digitized by Google

Sic fecistis de fidelibus pœnitentes, sic mortificastis in sacerdotibus honores. Ecce et vester sermo est, qui serpit velut cancer hodie, ut salutatio et convictus [a] prohibeatur. Noster sermo quid tale facere potuit? qui simplici doctrina filios pacis retinemus: non alienos seducimus, nec quemquam exterminamus. Manifestum est igitur, vos contra nos quotidie scandala ponere: et longum est percurrere omnes modos, quibus nobis detrahitis, et omnia quibus scandala ponitis.

VI. *Donatistæ fures et qua ratione.* — Nam et cum dicit: *videbas furem et concurrebas cum eo:* de qua re hoc putatis dictum esse? numquid de subducto vestimento aut de involato [b] gremio, aut de aliquibus rebus quæ ablatæ vel lucra vel damna inter homines faciunt? equidem sunt et ista prohibita: sed in hac lectione illa furta increpat Deus, quæ sibi sunt facta. Quæritis quæ furta sunt Deo facta? apud vos inveniuntur. Possessio Dei, est turba fidelium, ex qua quotidie fur diabolus cupit aliquid involare: Christiani aut Christianæ [c] vult vel mores ex aliqua parte corrumpere, et si non totum hominem, sed quodcumque de homine rapere. Talem furem cum videatis contra nos vim facere, vestris operibus adjuvistis; nam neminem fugit, quod omnis homo qui nascitur, quamvis de parentibus Christianis nascatur, (41) sine spiritu immundo [d] esse non possit, quem necesse sit ante salutare lavacrum, (42) ab homine excludi et separari. (43) Hoc exorcismus operatur, per quem spiritus immundus depellitur [e], et (44) in loca deserta fugatur. Fit (45) domus vacua in pectore credentis, fit domus munda: intrat Deus et habitat. Apostolo dicente: *vos estis templum Dei, et in vobis Deus habitat* (I *Cor.* III, 16). Et cum Deo unusquisque plenus sit, de quo [f] fur diabolus aliquid involare contendit: vos rebaptizando exorcizatis hominem fidelem, et dicitis Deo habitanti: Maledicte, exi foras: ut compleatur quod a Deo dictum est per prophetam Ezechielem: *et maledicebant mihi in populo meo, propter plenam manum hordei et buccellam, ut occiderent animas quas non oportuit mori, dum annuntiant populo meo vanas seductiones* (*Ezech.* XI, 19). Audit ergo Deus injurias non sibi debitas, et hujusmodi habitaculum deserit: et homo qui Deo plenus in Ecclesiam intraverat, egreditur (46) vas inane. Diabolus qui volebat quasi fur aliquid involare [g], adjutus operibus vestris, videt (47) totum suum factum esse, unde volebat paululum aliquid tollere: ergo de vobis dixit Deus: *videbas furem, et concurrebas cum eo* (*Ps.* XLIX, 18): denique in Evangelio sic scriptum est: *cum autem Deus deseruerit hominem, remanet vas inane; spiritus autem immundus errans per loca deserta, jejunus dicit, domus mea vacua est* (*Matth.* XII, 43): hoc est dicere, Qui me excluserat, exclusus est: *revertar illuc et habitabo: et adducit secum alios septem sæviores, et habitabit illic; et erunt hominis illius pejora novissima, quam quod fuerunt prima:* (48) hoc est: *videbas furem, et concurrebas cum eo, et cum mœchis particulam tuam ponebas.* Hæreticos dicit mœchos, et mœchas Ecclesias illorum; quas aspernatur et repudiat Christus in Canticis Canticorum: quasi dicat, (49) Quid mihi colligitis non necessarias? *una est dilecta mea, una est sponsa mea, una est columba mea* (*Cant.* VI, 8), id est, Catholica: in qua et vos cum esse possetis, rebaptizando inter mœchos [h] particulam habere voluistis. Et quoniam vos esse peccatores, divino testimonio manifestissime comprobatum est: etiam illud ostensum est, tua auxilia contra te militasse: in auxilium enim adduxeras [i] Prophetam, in quo lectum est: *sacrificium peccatoris, quasi qui victimet canem* (*Isai.* LXVI, 3) (50). Jam peccatores vos esse, si pudor est ullus, cum dolore recognosce [j].

VII. *Quo sensu dictum illud:* oleum peccatoris non

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. *conventus.*
[b] In ms. S. G. *inviolato;* sed perperam.
[c] In ms. S. G. *qui in quovis in Christiano aut christiana.*
[d] In ms. S. T. *mundi:* minus bene.
[e] In ms. S. G. *repellitur.*
[f] In ms. S. G. *unde.*
[g] In ms. S. G. additur, *de homine.*
[h] In ms. S. G. additur *hæreticos.*
[i] In mss. S. T. et Ph. S. *addideras.*
[j] In ms. S. G. *si ullus est pavor, cum pudore cognosce.*

VARIORUM NOTÆ.

(41) *Sine spiritu mundi.* Sine spiritu immundo. ALBASP.

(42) *Ab homine excludi.* De exorcismo loquitur. ALBASP.

(43) *Hoc exorcismus operatur.* D. August. ad Sixtum Presb. epistola 105: *Quid ad hoc respondeant, quod exorcizantur et exsufflantur infantes? hoc enim procul dubio fallaciter fit si diabolus eis non dominatur.* ALBASP.

(44) *In loca deserta.* Alludit ad Tobiæ historiam. ALBASP.

(45) *Fit domus vacua.* Baptismo domus purgabatur: confirmatione ornabatur. Christus demum in Eucharistia in eam intrabat et habitabat: Origenes, *sed non statim domus hæc habitatorem habere Christum meretur, nisi sit vita ejus et conversatio ita sancta, ita pura.* ALBASP.

(46) *Vas inane.* Habebat Christum quando eum rebaptizastis: quem quidem per exorcismos fugastis; ideo qui rebaptizatur egreditur vacuus ex aquis; non enim amplius habet Christum, neque Spiritum sanctum. ALBASP.

(47) *Totum suum.* In antiquam suam possessionem restituitur. ALBASP.

(48) *Hoc est: videbas furem,* etc. Scribe, *hoc est: videbas furem et concurrebas cum eo;* et aliquantulo spatio interposito, *et cum mœchis,* etc. Ita enim sæpe solet Optatus testimoniorum, sive, ut ipse appellat, lectionum singula verba percurrere ac persequi, solo spatio ad indicium transitus ac novæ quasi materiæ interjecto. Horum intervallorum omissio et neglecta observatio in Optati editionibus multum caliginis multis locis offudit. Dixisset alioquin Optatus, *sequitur et cum mœchis,* etc. M. CASAUB.

(49) *Quid mihi colligitis.* Quid mihi facitis Ecclesiam. ALBASP.

(50) *Victimet canem.* Canis ita vile Hebræis animal, ut ne pretium quidem ejus in templo recipi posset. DU PIN.

Digitized by Google

ungat caput meum. — Etiam illud disce, cujus vox sit : *oleum peccatoris non impinguet caput meum* (*Ps.* CXL, 5) : tu enim non intellexisti, cujus hæc vox sit, utique Christi, qui necdum unctus fuerat, cum rogaret, ut oleum peccatoris non impinguaret [a] caput ejus. (51) Hæc tu non intelligens, dixisti : *Quia David Propheta timuit oleum peccatoris.* A Samuele jamdudum perunctus [b] fuerat qui cantabat; non fuit ratio ut iterum ungeretur : ergo vox est Christi dicentis : *oleum peccatoris non ungat* [c] *caput meum.* Preces sunt, non jussiones; desideria sunt, non præcepta : nam si jussio esset, diceret : *oleum peccatoris non unget* [d] *caput meum.* Vox igitur est Filii Dei jam tunc metuentis oleum peccatoris incurrere [e], id est, cujusque hominis; quia nemo est sine peccato [f], nisi solus Deus. Ideo Filius ejus timuit oleum hominis, quia fœdum fuerat (52), ut Deus ab homine ungeretur. Ideo deprecatur [g] Patrem, ut non ungatur ab homine, sed ab ipso Domino Patre. Petit ergo Filius : videamus an consenserit Pater. Hoc Spiritus sanctus indicat et manifestat in psalmo XLIV, ubi ait ad ipsum Filium : *unget te Dominus Deus tuus oleo exsultationis aliter a consortibus tuis* (*Ps.* XLIV, 8). Consortes fuerant Judæorum sacerdotes et reges, quos singulos unctos ab hominibus constat. Sed quia Filius a Patre, Deus a Deo, erat ungendus, secundum quod Filius petiit, Spiritus promissa nuntiavit, et complevit Pater in A Jordane : quo cum veniret Filius Dei, Salvator noster, ad Joannem ostensus est his verbis : *ecce agnus Dei : hic est qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I, 30). Descendit in aquam, non quia erat quod in Deo mundaretur, sed superventurum oleum (53) aqua debuit antecedere, ad mysteria [h] initianda et ordinanda, et implenda baptismatis : lotus, cum in Joannis manibus haberetur, secutus est ordo mysterii, et complevit Pater quod rogaverat Filius et quod nuntiaverat Spiritus sanctus. Apertum est cœlum Deo patre ungente, spiritale (54) oleum statim in imagine columbæ descendit, et insedit capiti ejus, et perfudit oleo [i], (55) unde cœpit dici Christus, quando unctus est a Deo Patre; cui ne (56) manus impositio [j] defuisse videretur, vox audita est Dei de nube dicentis : B *hic est Filius meus, de quo bene sensi, hunc audite* (*Matth.* III, 17). Hoc est igitur quod lectum 77 est : *oleum peccatoris non ungat caput meum* (57). Rationem veritatis, frater Parmeniane, vel sero addisce, quoniam nunc tempus invenisti discendi [k].

VIII. (58) *Hæretici proprie filii adulterorum.* — Et illud quod in Salomone propheta lectum esse dixisti : *filios adulterorum inconsummatos* (59), *et spuria* (60) *vitulamina* (61) *altas radices dare non posse* (*Sap.* III, 16; IV, 3) : hoc et simpliciter dictum esse intelligi potest. Unde si figuram facias, veros adulteros excusasti (62). Sed fac, ut figuraliter dic-

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. S. T. et P. S. *inquinaret.*
[b] In ms. S. G. *puero Dei unctus.*
[c] Ita in mss. S. T. et S. G. et sic legendum juxta versionem Septuaginta Interpret.
[d] In ms. S. T. *ungat.* In ms. S. G. *impinguet;* sed perperam.
[e] In ms. S. G. *ne homo ejus oleum peccatoris incurreret.*
[f] In ms. S. T. *nemo non est peccator.*
[g] In ms. S. G. *precatur.*
[h] In ms. S. T. *ministeria :* et infra *ministerii* pro *mysterii.*
[i] In mss. S. T. et P. S. *perfudit eum.* In ms. S. G. *perfudit oleum :* legendum *oleo.* In ms. S. T. post hæc additur, *et digesta est;* in ms. S. G. *et digestum est.* Istud utpote superfluum omisimus.
[j] In mss. S. T. et P. S. *manus imposita.*
[k] In mss. S. T. et P. S. *tempus est invenire discendi.*

VARIORUM NOTÆ.

(51) *Quia Propheta timuit oleum peccatoris*, etc. Distingue : *Hæc tu non intelligens dixisti, quia Propheta timuit oleum peccatoris. A Samuele jamdudum puer unctus fuerat, quæ cantabat* (id est ὁ ψαλμῳδος). *Non fuit ratio ut iterum ungeretur; ergo*, etc. M. CASAUB. *Restitutus est a nobis iste locus.*

(52) *Ut Deus ab homine.* Unctio est species communionis, ut habetur apud Dionysium, cap. ult. Hier. Eccles. Qui autem communionem alicui impertit, is superior esse videtur; unde nemo olim Episcopo sacramentum impertiri poterat. Ait igitur Optatus indignum fuisse ut Christus per hominem perficeretur. ALBASP.

(53) *Aqua debuit.* Baptismus ante confirmationem conferebatur. ALBASP.

(54) *Oleum statim.* Confirmabantur ubi erant baptizati. ALBASP.

(55) *Unde cœpit Christus.* Baptismus faciebat filios : Confirmatio Christianos, Ecclesia fideles. ALBASP.

(56) *Manus impositio.* Et ne deesset oratio qua confirmatio illa perficeretur; non solum manus extentio vocabatur manus impositio, sed etiam orationes, quæ cum manum admoverent, pronuntiabantur. ALBASP.

(57) *Rationem veritatis, frater Parmeniane*, etc. Aliæ editiones, *quoniam nunc tempus est invenire discendi.* Ego scribo, *quoniam non est tempus*, vel, *nunc non tempus est juvenile discendi.* Prius enim, *vel sero :* quasi diceret, præstat sero, quam numquam. M. CASAUB. *Restitutus est hic locus a nobis.*

(58) *Et illud quod in Salomone Propheta lectum esse dixisti, filios adulterorum consummatos.* Insignis locus et animadversione si quis alius in Optato dignissimus. Vox *consummatos* plane contra mentem auctoris pugnat; et Sapient. cap. III, hæc sunt verba, Τέκνα δὲ μοιχῶν ἀτέλεστα ἔσται, καὶ ἐκ παρανόμου κοίτης σπέρμα ἀφανισθήσεται. Ex quorum postremo perpenso non dubitant quidam corrigere, *filios adulterorum seu* somno natos. Quas tres voces inscitia librarii turpissime in unam redegit scilicet. Sed hæc correctio aliis fortasse seu somno nata videbitur. Diu est cum legendum suspicabar, *filios adulterorum inconsummatos.* Nam sic vulgata Latina editio libri Sapientiæ sonat. *Filii adulterorum in consummatione* (alias *non initiati*, vel *imperfecti*) *erunt, et ab iniquo thoro semen exterminabitur.* INCERT.

(59) *Inconsummatos.* Ita restituimus ex mss. Male in editis, *consummatos.* In Græco Sapientiæ, τέκνα δὲ μοιχῶν ἀτέλεστα ἔσται. Vox Græca ἀτέλεστα, sicut Latina, *inconsummatos* significare potest, aut *imperfectos*, aut *profanos*, ac *sine sacrificio.* DU PIN.

(60) *Vitulamina.* Vocat stolones et suboles arborum. INCERT.

(61) *Vitulamina.* Ita Latinus Interpres cap. IV, v. 3, deceptus ambiguitate vocis Græcæ μοσχεύματα, quæ vitulos significat et stolones seu propagines, ut videre est apud Theophrastum aliosque rei rusticæ Scriptores. DU PIN.

(62) *Veros adulteros excusasti.* Trahens scilicet in sensum spiritualem quod in ipsos dictum est. DU PIN.

Digitized by Google

tum sit : hoc de hæreticis dictum est, apud quos sunt sacramentorum (63) falsa connubia [a]; et in quorum choris iniquitas invenitur; ubi in (64) exterminium fidei corrupta sunt semina. Dum Valentinus Filium Dei in phantasmatis, non in carne fuisse contendit, fidem suam suorumque corrupit. Nativitatis eorum semen exterminatum est, qui non crediderunt Filium Dei in carne natum de virgine Maria, et passum in carne.

IX. *Prophetiam Jeremiæ de populo derelinquente fontem vivum et sibi fodiente lacus detritos, de Judæis idola sequentibus, non de aqua baptismatis intelligendam.*— Nam et illud quod in Jeremia propheta te legisse commemoras, exhorruisse cœlum quod duo maligna fecerit populus Dei, ut *derelinquerent fontem aquæ vivæ, et foderent sibi lacus detritos, qui non possent aquam continere* (*Jer.* II, 13), legisti quidem, sed, ut se res habent, intelligere noluisti, studio criminandi ad convicium Catholicorum cuncta componens, multum ad arbitrium tuum declinare [b] conatus es. (65) Si enim putas per prophetas sic dicta esse omnia, ut ad tempora nostra pertineant : excusasti [c] Judæos, de quibus hæc dicta esse constat, qui dimiserunt Deum vivum, Deum verum, Deum qui illis beneficia præstitit : (66) et fecerunt sibi idola, hoc est, lacus detritos, qui non possunt aquam continere. (67) In Deo perennis majestas exundat, sicut in fonte, qui largiter fluentibus venis exuberat [d] : Idola vero si non fiant, non sunt, et lacus si non fodiantur, sinus capaces habere non possunt : lacus sine arte et ferramentis cavari non potest : nec Idolum sine artifice fieri potest. (68) In Idolis virtus naturalis nulla est, sed hominum errore adjungitur et applicatur : 78 æstimatur in Idolo virtus quæ illic nata non est : lacus est iste [e] detritus, cujus fabrica vitiata est [f], ut aquam nec de se habeat, et acceptam continere non possit : sic et Idolum nec de se est aliquid, et dum colitur nihil est. Hoc est quod dixit Deus, duo mala fecisse populum suum, quia dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et effossos ac detritos sibi fecerunt lacus. Etenim Judæorum populus deseruerat veram aquam : non noverat majestatem Dei :

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. *convivia.*

[b] In ms. S. T. *destinare.*

[c] In mss. S. T. et P. S., et in editis, *excusa tu.*

[d] Locus hic restitutus ex ms. S. G. corruptissimus erat in mss. S. T. P. S. et in editis : sic enim habebant : *Ideo perennis male destans exultant; sicut in fonte aqua largiter defluentibus venis exuberant.* Qui legendum foret nisi ope codicis, nullus divinare potuisset.

[e] In mss. *arte;* sed *iste* legendum esse docet hujus loci sententia.

[f] In ms. S. G. *vexationes.* In ms. S. T. *vexatio est :* emendandum *vitiata est.* Nonnulla etiam alia hoc in loco emendavimus ex collatione mss. et conjecturis.

VARIORUM NOTÆ.

(63) *Falsa connubia.* Per omnia sacramenta fit synaxis cum Christo. Dion. de Hier. Ecclesiast. Quare eleganter vocat sacramenta hæreticorum falsa connubia, quia non uniunt hæreticos cum Christo. ALBASP.

(64) *Exterminium fidei*, Dixit, ut infra *separationem sine exterminio fieri non posse.* INCERT.

(65) *Si enim putas per Prophetas*, etc. Hoc quidem vere et graviter Optatus : quod utinam sibi dictum putasset. M. CASAUB.

(66) *Et fecerunt sibi Idola. hoc est*, etc. Insignis quidem locus, sed obscurissimis verbis vitio librariorum conceptus. Alludit Optatus ad locum Hieremiæ Prophetæ cap. II, ubi Deus Sabaoth conqueritur de populo Judæorum, illum se, ut fontem verum, reliquisse, Idola gentium, ut lacus detritos, coluisse. Quare sane feliciter legendum conjicit Barthius : *in Deo perennes mare detestantes exsultant : perennes* pro fontibus dixit, *mare* pro eorum lacubus obscœnis. Ista sententia cum sequentibus aptissime convenit. Sed secunda Fr. Balduini editio : *ideo perennis majestas exundat.* INCERT.

(67) *Ideo perennis.* Multa hoc loco ex editione Germanica correximus. ALBASP.

Ibid. *Ideo perennis majestas exundat*, etc. Afferunt et hanc hujus editionis scripturam, laudant tamen N. L. Barthii conjecturam, qui emendat, *in Deo perennes mare detestantes exsultant :* cum legeretur antea *ideo perennis male detestans exsultant.* Sed ego longe præferendum puto quod hic est, et e melioribus mss. depromptum minime dubito; modo tamen ut pro *ideo* corrigas *in Deo*, et ita distinguas : *in Deo perennis majestas exundat, sicut in fonte, aqua largiter defluentibus venis exuberat. Majestatem* iterum post pauca : et recte meo judicio et ἐμφατικῶς verbum magnitudinis et amplitudinis (quale est illud *majestas*) idolorum vanitati et inanitati opposuit. M. CASAUB. *Hic locus a nobis restitutus est.*

(68) *In Idolis virtus nulla*, etc. Corruptissimus est hic locus; imo usque ad finem libri hujus. Balduini optima editio non est optima, sed prioribus magis depravata ac manca. Describemus igitur totum hunc locum ex prioribus editionibus, tum, quid nobis videatur exponemus. Ita igitur illæ : *In Idolis virtus naturalis nulla est, sed hominum errore adjunguntur, et applicantur, æstimentur Idola virtus. Vox quæ illic nata non est, lacus est arte detritus cujus fabrica vitiata est, aquam nec habeat, et acceptam continere non possit. Sic et Idolum, nec de se est aliquid, et dum colitur, nihil est. Hoc est quod dixit Deus*, etc. Optati scopus hic est, ut verba Prophetæ de lacubus effossis et detritis, de Idolis interpretanda esse vincat. Hoc ut assequatur, singula prophetæ verba more suo percurrit et expendit. Ostenso igitur Deum esse *aquam vivam*, de qua Hieremias hoc loco; pergit porro et disputat qua ratione *Idola lacus* primo, deinde, *detriti ac defossi lacus* dici possint. Ad primum quod attinet, *Idola*, inquit ille, *si non fiant, non sunt; et lacus nisi fodiatur, sinus capaces habere non potest. Lacus sine arte et ferramentis cavari non potest, nec idolum sine arte fieri potest. In idolis virtus naturalis nulla est, sed hominum errore adjungitur et applicatur. Æstimatur in illo virtus aquæ, quæ illic nata non est.* Hactenus comparatio Idoli et lacus, absolute. Comparat jam Idolum cum *lacu detrito ac defosso* (sumptis ex Propheta verbis) *qui non possit aquam continere. Lacus*, inquit, *est arte detritus* (*detritus* hic idem quod *effossus*); mox conjungit, (*effossos ac detritos sibi fecerunt lacus*) *cujus si fabrica vitiata est aquam nec habeat, et acceptam continere non possit. Sic et Idolum, nec de se est aliquid, et dum colitur nihil est.* Possis etiam ita legere, quod cum ἀποδόσει multo melius congruit : *lacus est iste detritus cujus fabrica vitiata est, ut aquam nec habeat* (cui respondet, *Idolum nec de se est aliquid*), *et acceptam continere non possit :* de Idolo pariter, *et dum colitur nihil est.* Atque ita corruptum ac detritum de detrito lacu locum, non plane infeliciter, spero, reparavimus. M. CASAUB. *Hic quoque locus restitutus est.*

Digitized by Google

et Idolorum inquinatam sectatus fuerat religionem. Hoc est, quod dolet Deus : hoc est quod dicit cœlum exhorruisse. Nam et per Esaiam prophetam idem Dei dolor est, dum in hoc duo testatur elementa, dum ait : *audi, cœlum, et percipe auribus, terra : filios generavi et exaltavi : ipsi autem me dereliquerunt* (*Esai.* I, 2). Quare non de hac lectione aliquid [a], frater Parmeniane, dixisti? an quia hic non est aqua nominata? (69) Intelligeris enim studio criminandi sic pulsasse [b] legem ut ubicumque aquam scriptam legeris, præstigiis quibusdam ad invidiam A colligeres, et (70) everriculo [c] quodam malitiæ argumentorum intexto, ad te omnia quæ sunt bona traxisti. Nam qualis est tuus intellectus in hoc capitulo Jeremiæ, cum clamet Deus se desertum esse, et sic effossos lacus : pro se irascitur, non pro re sua. (*Jerem.* II.) (71) Aqua enim Baptismatis res Dei est, non Deus : et si putatis desertos esse, quando apud vos fuerunt, qui apud nos baptizati sunt, merito vestri desertores ad nos venire viderentur. Probatum est ergo, te non contra nos, sed contra vos dixisse, quod a te dictum est de oleo et sacrificio peccatoris.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Deest in ms. S. G.
[b] In ms. S. G. *palpasse*.
[c] In mss. S. T. et P. S. *curriculo*; sed multo rectius ut in ms. S. G. *everriculo*.

VARIORUM NOTÆ.

(69) *Intelligeris enim studio criminandi*, etc. Locus mihi suspectus. Nisi tamen ideo dicit eum *palpasse legem*, quod suis Parmenianus præstigiis et argumentorum calliditate effecerit, ut lex iniquior Catholicis et eorum causæ; ipsi autem plus æquo favere videretur: dum nimirum, sola promit ex illa, quæ saltem in specie ipsi commodabant; quæ ipsum autem plane jugulabant, et adversarios aperte juvabant, omnia malitiose et subdole reticet. M. CASAUB.

(70) *Et curriculo quodam malitiæ argumentorum intexto, ad te omnia quæ sunt bona traxisti.* Τὸ *curriculo* mendi suspectum merito Barthius corrigit, *et cen riticulo*: quæ ei ipsa est veritas : sed fallitur, et legendum omnino *et everriculo*. A piscatione trahit similitudinem, non hercle magis veram : B Pythia quæ tripode ex Phœbi lauruque profatur. INCERT. *Emendatus est a nobis iste locus.*

(71) *Aqua enim baptismatis res Dei est, non Deus.* Etiam hic integra periodo pleniores veteres editiones, quam cur Optatus pro genuina non agnoscat, aut cur nos agnitam et liberali assertam manu illi non restituamus, causam non video. Ita igitur ille : *Aqua enim baptismatis res Dei est, non Deus, Et si putatis desertos esse, quando* (lego *desertos vos esse: quando*, etc.) *apud vos fuerunt, qui apud nos baptizati sunt, ut merito vestri desertores, ad nos venire viderentur.* Atque hic debuit desinere liber quartus. Quæ sequuntur periodi, altera ad finem libri tertii, ut recte in nupera Parisiensi restitutum est; altera ad sequentis libri initium pertinet, ut mox a nobis probabitur. M. CASAUB.

79 LIBER QUINTUS.

In hoc quinto libello ostenditur quia in baptismate homines operantur, et quia Deus lavat, et Christus ejus dat quod in baptismate accipitur, et quia rebaptizati regnum Dei possidere non possunt, et quia perdiderunt vestem nuptialem.

I. *Ex principiis Parmeniani sequi unum esse baptisma.* — Traditores (1) legis qui fuerint [a] et auctores schismatis, in primo libro manifestissimis documentis ostendimus, et apud nos esse unam veram Ecclesiam Catholicam secundo monstravimus : tertio vero probavimus quæ aspere [b] facta esse dicuntur, ad nos minime pertinere, et vos magis peccaC tores esse indicio divino docuimus. Jam de Baptismate hoc loco dicendum est : in qua re, quæ nunc agitur, quæstio tota consistit, quod baptisma vestra violavit audacia, dum id voluistis iterare [c], quod semel mandavit Christus esse faciendum [d]. Quod nec tu negas, frater Parmeniane, qui [e] in principio tractatus tui, multa contra vos pro nobis, quæ sunt nos-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ita incipit hic liber in ms. S. G. In mss. S. T. et P. S. *Nam et qui fuerunt traditores et auctores*, etc. In quibusdam editionibus, *jam et qui fuerint traditores.*
[b] In mss. S. T. et P. S. *aspera.*
[c] In ms. S. G. *iterari.*
[d] Hæc supplevimus ex ms. S. G.
[e] Ita in ms. S. G. In aliis, *quia.*

VARIORUM NOTÆ.

(1) *Qui fuerint traditores et auctores schismatis*, etc. Aliæ editiones sic incipiunt : *Jam et qui fuerint Traditores*, etc. Quod verum esse et sine causa expunctas illas voculas quovis pignore contenderim. Expungendi autem hæc causa fuit, quod ridiculum videretur librum ab iis incipere. Sed non viderunt viri docti, verba illa lib. IV : *et intelligendi tibi aditus clausit*; vel potius illa, *vestri desertores ad nos venire viderentur*, postrema libri verba esse, eumque claudere. Initium libri quinti fecerat Optatus in istis : *probatum est ergo te non contra nos*, etc. Nam alioquin manca esset quæ mox sequitur superiorum librorum recensio et ἀναπεφαλαίωσις, qua cum *primi, secundi, tertiique* libri meminerit, nullam facit quarti mentionem, nisi his verbis, quæ quinto vindicamus. Sed et confer singulorum librorum initia, ut tertii, D *Satis, ut arbitror, in secundo libello de Ecclesia*, etc. Ita et reliquorum, in quibus, ut hoc quinto a proxime præcedentis argumento sumit initium. Erroris, si quæris, hæc, ni fallor, causa fuit. Scripserat Optatus : *Probatum est ergo*, etc., *de oleo et sacrificio peccatoris libro quarto* pro *libro quarto*, male descripserat aliquis *libro quinto*; aut lib. V pro IV, quod postea pro sequentis libri titulo, qui, ut sæpe in MSS. omissus fortasse fuerat, acceptum est. Ita igitur debet hoc initium restitui, *Liber quintus. Probatum est ergo, te non contra nos dixisse quod ante dictum est*, an potius, *a te*, ut supra non semel : nisi hoc nimis putidum, *te dixisse quod a te dictum est, de oleo et sacrificio peccatoris libro quarto. Jam et qui fuerint Traditores, et auctores schismatis, in libro primo, manifestis documentis*, etc. M. CASAUB.

Digitized by Google

tra, dixisti. Commemorasti enim in comparatione baptismatis, semel factum esse diluvium, et unam circumcisionem fuisse ad populum Judæorum. Et cum hæc initio dictionis tuæ tractaveris [a], in processu tractatus tui tamen [b] horum immemor factus es, inducendo duas aquas, et de aqua [c] vera et falsa dicturus, **80** (2) principium sermonis tui insipienter præstruens [d] (3) ordinasti : infirmando, confirmas [e] sancti baptismatis unionem. De circumcisione Judaica, quasi fundamentum jactare voluisti, quod [f] baptisma Christianorum in Hebræorum circumcisione fuerat adumbratum : (4) defendisti Catholicam dum impugnas. (5) Etenim [g] in progressu [h] tractatus tui, alterum te inanire professus es, ut alterum replere videreris. Extra hæreticorum baptisma [i], dum dicis alterum et alterum ; licet diversa ostendere conatus sis, non possis negare, quia duo sunt ; ex quibus dum conaris auferre alterum, laborasti ut de secundo quasi primum facere videreris. Circumcisio autem [j] ante adventum [k] baptismatis in figura præmissa est, et a te tractatum est, apud Christianos duas esse aquas : ergo et apud Judæos duas circumcisiones ostende ; alteram meliorem, pejorem alteram. Hoc si quæras, non poteris invenire : Abrahæ prosapia [l], qua Judæi censentur, hoc sigillo se insigniri gloriantur : ergo talis debet veritas sequi, qualis ejus imago præmissa est. Nam et Deus, qui voluit ostendere (6) rem singularem [m] post esse debere insequente veritate ; non de auricula, non de digito voluit aliquid tolli ; sed ea pars corporis electa est, unde peritomen [n] semel ablatum salutare in illis faceret [o] signum, quod non potest iterum fieri [p]. (7) Semel enim factum servat salutem : si iterum fiat, potest [q] afferre perniciem : sic et baptisma Christianorum, Trinitate confectum, confert gratiam : si repetatur, facit vitæ jacturam. Quid tibi igitur placuit, frater Parmeniane, rem singularem proponere, et contra hanc licet diversa duo baptismata comparare, unum verum, alterum falsum ? sic enim postea disputasti, duas aquas esse, cum vobis unam vindicans veram, alteram [r] nobis mendacem adscribere voluisti. Post hoc etiam Cataclysmi fecisti mentionem : erat quidem imago baptismatis, ut inquinatus totus orbis, demersis peccatoribus, lavacro interveniente, in faciem pristinam [s] mundaretur. Sed qui [t] postea dicturus eras, extra hæreticorum morbidos fontes, esse etiam aliam aquam, id est, mendacem, contra veram : ut quid Cataclysmum (quod semel fuit [u]) commemorare voluisti ? Si ita est, ostende prius duas arcas etsi [v] non similes, et duas columbas dispares diversos ramos ore suo portantes (*Genes.* VIII), si (8) aquam veram et falsam probaturus es. Aqua igitur sola et vera illa est, quæ non de loco, (9) non de persona, sed de Trinitate condita est : et quia dixisti, et aquam esse mendacem, etiam hoc [x] disce, ubi eam poteris invenire : (10) apud Praxeam [y], Patripassianum, qui ex toto Filium negat, et Patrem passum esse contendit. Et cum sit Filius Dei veritas, sicut ipse testatur dicens : *ego sum janua, et via et veritas*

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. S. T. et P. S. additur *male :* in postrema editione, *late.* Utrumque videtur superfluum.
[b] Deest in ms. S. G.
[c] Hic in mss. inseritur vox *argumentis*, quæ non cohæret cum orationis serie.
[d] Ita in ms. S. G. In ms. P. S. *præstringens.* In ms. P. S. *perstringens.*
[e] In ms. S. G. *confirmans.*
[f] In ms. S. G. *quia.*
[g] In ms. S. T. *Sed enim.*
[h] In ms. S. G. *processu.*
[i] Ita in ms. S. T. In ms. S. G. et in editis, *baptismata.*
[j] Hæc particula deest in ms. S. T.
[k] Supplevimus istud ex ms. S. G.
[l] In mss. S. T. et P. S. vitio amanuensium, *pro sapientia.*
[m] In ms. S. T. *singularem.*
[n] Ita in ms. S. G. In mss. S. T. et P. S. *deperitomen*, omissis duabus primis litteris. Hinc vitiose omnino in editis *deperire* vel *deperiri ut.*
[o] In mss. S. T. et P. S. *faciat.*
[p] In ms. S. G. *Et sic ut non possit iterum fieri.*
[q] In ms. S. G. *possit.*
[r] Supplevimus hanc vocem ex ms. S. G.
[s] In ms. S. T. *in facie pristina.*
[t] In ms. S. G. *quid ;* male.
[u] In mss. S. T. et P. S. *fit.*
[v] In mss. S. T. et P. S. *et.*
[x] In mss. S. T. et P. S. *hanc.*
[y] Nomen *Praxeæ* reperitur in mss. S. T. et P. S., sed deest præpositio *apud*, et ejus loco habetur, *aut Flavionem.* In ms. S. G. deest nomen *Praxeæ*, et habetur *apud Ebionem.* At non Ebionis, sed Praxeæ fuit error iste.

VARIORUM NOTÆ.

(2) *Principium sermonis tui insipienter*, etc. Alii *insipienter præstringens ordinasti.* Scio defendi posse quod hic est. Puto tamen Optatum scripsisse *insipienter præstruens ordinasti.* Cum duas, inquit, aquas in processu tractatus tui inducturus esses, proposito tuo infeliciter præstruxisti, dum unicæ circumcisionis fundamentum jactas, etc. M. Casaub.

(3) *Insipienter præstruens.* Id est, cum duas aquas in processu tractatus tui inducturus esses, proposito tuo infeliciter præstruxisti, dum dicis unicum esse diluvium et unicam circumcisionem, quæ sunt figuræ baptismatis. Du Pin.

(4) *Defendisti Catholicam dum impugnas.* Dum apud nos baptismum, quamvis falsum, dicas esse : probas eum esse verum et legitimum, quia apud Judæos una tantum erat circumcisio. Albasp.

(5) *Etenim in progressu tractatus tui*, etc. Aliquot hic lineas mendo laborare, res ipsa clamat. Ego ita scribenda hæc ac distinguenda puto : *Etenim in progressu tractatus tui, alterum te inanire professus es, ut alterum replere videreris, extra hæreticorum baptismata, dum dicis alterum, et alterum ; licet diversa ostendere conatus sis, non possis negare, quia duo sunt : ex quibus dum conaris auferre alterum, laborasti ut de secundo, quasi primum facere videreris. Circumcisio*, etc. M. Casaub. *Hic locus a nobis restitutus est.*

(6) *Rem singularem.* Figuram esse rei quæ est singularis et quæ repeti non potest. Albasp.

(7) *Semel enim factum servat salutem.* Salutare est ? sensus requirit, sed verba non ferunt. An salutarem vim retinet ? Sed quid hoc ? Puto legendum, *servis ad salutem.* M. Casaub.

(8) *Aquam veram, et falsam.* Duos baptismos, unum falsum, alterum verum. Albasp.

(9) *Non de Persona.* Non de sanctitate personæ, sed ex vi sacramenti. Albasp.

(10) *Apud Praxeam.* Falsam apud Praxeam posses invenire aquam, quia filio non credit. Albasp.

Digitized by Google

(*Joan.* XIV, 6) : ergo Filius Dei est veritas ; ubi ipse non est, mendacium **81** est : cum apud Patripassianum [a] non est Filius, non est veritas [b] ; et ubi veritas non est, ibi est aqua mendax. Quare vel sero desine confingere crimina ; et quod in Patripassianos dictum est, in Catholicos noli tranferre. Nunc quoniam manifeste monstratum est, a nobis et pro vobis dici potuisse, quod de diluvio et circumcisione locutus es : consequens est ostendere, quomodo laudem baptismatis ita dixeris, ut in ea multa pro nobis et pro vobis, aliquid tamen contra vos : (11) pro utrisque illud est, quod et nobis et vobis [c] commune est : (12) ideo et vobis, quia ex nobis existis. Denique et apud vos et apud nos una est ecclesiastica (13) conversatio, (14) communes lectiones, eadem fides, (15) ipsa fidei sacramenta, (16) eadem mysteria. Bene igitur laudasti baptisma : quis enim fidelium nesciat, singulare baptisma, (17) virtutum esse vitam, criminum mortem, nativitatem immortalem, cœlestis regni comparationem, innocentiæ portum, peccatorum (ut et tu dixisti) naufragium. Has res unicuique credenti [d], non ejusdem rei (18) operarius, sed credentis fides et Trinitas præstat.

II. *In baptismate Trinitatem, non ministri personam operari.* — Deinde quæris, quid in laude baptismatis contra vos dixeris ? audi ; sed prius est fatearis, quod omnes negare minime poteritis. Dicitis enim (19) Trinitatem pro nihilo haberi, ubi non interfuerit [e] vestra præsentia. (20) Si nobis derogatis, vel Dominum reveremini, qui in Trinitate prior est : qui cum Filio et Spiritu sancto omnia operatur et complet, etiam et illic ubi non fuerit humana persona. Tu vero, frater Parmeniane, (21) in laude aquæ de Genesiorum lectione dixisti, (22) aquas primum vivas animas edidisse : numquid sua sponte eas generare potuerunt ? numquid non et illic fuerat tota Trinitas ? utique et illic fuerat Deus pater, qui jubere dignatus est, qui dixit : *educant aquæ natantia, volatilia*, etc. (*Genes.* I, 20). Quod si sine operante fieret quod factum est, diceret Deus : *educite, aquæ* (*Ibid.* II) : ibi erat ergo Filius Dei qui operabatur : ibi erat Spiritus sanctus, sicuti lectum est : *et Spiritus Dei superferebatur super aquas.* Nihil (23) illic video quartum, nihil minus a tribus ; et tamen natum [f] est quod Trinitas operata est : et non ibi fuistis : aut si sine vobis nihil debet licere Trinitati, revocate pisces in originem : jam volantes aves fluctibus mergite, si vobis absentibus nihil debet Trinitas operari [g].

III. *Baptisma non esse iterandum.* — Cum ergo [h] dixeris et unum fuisse diluvium, et circumcisionem repeti non posse ; et nos docuimus cœleste munus unicuique credenti a Trinitate conferri, non ab homine : quid [i] vobis visum est, non post nos, sed post Trinitatem, baptisma geminare ? cujus de sacramento non leve certamen innatum est, et dubitatur, an post Trinitatem in eadem Trinitate hoc iterum liceat facere. Vos dicitis, licet : nos dicimus, non licet : inter licet vestrum, et non licet nostrum, nutant et remigant animæ populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis : omnes contentiosi homines sumus. Quærendi sunt judices : si Christiani, de utraque parte dari non possunt ; quia studiis veritas impeditur. De foris quærendus est judex : si paganus, (24) non potest Christiana nosse secreta : si Judæus, inimicus est Christiani baptismatis : ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri judicium ; de cœlo quærendus est judex. Sed

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. *Patripassianos.*
[b] In mss. S. T. et P. S. *non est nec veritas*, quod cum durius sit, secuti sumus codicem S. G. ubi deest particula *nec.*
[c] Desunt in mss. S. T. et P. S.
[d] Addita est hæc vox ex ms. S. G.
[e] In ms. S. G. *fuerit.*
[f] Deest in ms. S. G.
[g] In ms. S. G. *licere Trinitati.*
[h] In ms. S. G. *enim.*
[i] In mss. S. T. et P. S. *et quid.*

VARIORUM NOTÆ.

(11) *Pro utrisque illud est, quod et nobis commune est*, etc. Possis legere, *quod et nobis commune est, ideo et vobis, quia ex nobis.* Ego tamen Optatum puto scripsisse : *Pro utrisque illud est, quod et nobis commune est et vobis. Ideo et vobis, quia ex nobis existis.* Supra, lib. I : *Ut quid a te memorati sunt isti, apud quos non sunt sacramenta, quæ nobis et vobis videntur esse communia?* Nusquam autem sæpius a Scribis peccatum esse, quam ubi eædem voces proxime repetitæ sunt aut geminatæ, jam aliquoties monuimus. M. CASAUB.

(12) *Ideo et vobis.* Quia a vobis ea accepistis. ALBASP.

(13) *Conversatio.* Una Ecclesiastica disciplina. ALBASP.

(14) *Communes lectiones.* Eodem modo Scripturas explicamus. ALBASP.

(15) *Ipsa fidei sacramenta.* Regulam fidei. ALBASP.

(16) *Eadem mysteria.* D. Augustinus distinguit inter mysteria et sacramenta : mysterium est id quod confertur aut significatur ; sacramentum res visibilis per quam res spiritualis datur. ALBASP.

(17) *Virtutum vitam.* Quia virtutes sine gratia non possunt perfici. ALBASP.

(18) *Operantis.* Persona operantis nihil confert. ALBASP.

(19) *Trinitatem pro nihilo.* Trinitatem nihil conferre in baptismo. ALBASP.

(20) *Si nobis derogatis.* Cur dicitis personas nostras impedire quominus recte quis baptizetur apud nos ; cum Deus in baptismo invocetur, qui omnia perficere potest ? ALBASP.

(21) *In laude aquæ de Genesiorum*, etc. Victor Utic., lib. II : *Superferebatur Spiritus Dei super aquas, utpote Creator virtute potentiæ suæ continens creaturam, ut ex his viva omnia producturus ipse rudibus elementis ignis propria fomenta præstaret, et jam tunc mysterio emicante baptismatis virtutem sanctificationis liquoris natura perciperet, primaque ad vitam corpora animata produceret.* M. CASAUB.

(22) *Aquas vivas.* Tertullianus de baptismo : *Primus liquor quod viveret edidit : nec mirum sit in baptismo, si aquæ animare noverunt.* ALBASP.

(23) *Non video quantum.* Non video personam humanam aliquid illic conferre : tres sufficiunt. ALBASP.

(24) *Non potest nosse Christiana secreta.* Mysteria : Tertullianus : *sequitur ut extranei : at unde, extraneis notitia?* ALBASP.

Digitized by Google

ut quid pulsamus ad cœlum, cum habeamus hic in Evangelio **82** testamentum [a]? Quia hoc loco recte possunt terrena cœlestibus comparari : tale est quod quivis hominum habens numerosos filios, quamdiu pater præsens est, ipse imperat singulis ; non est adhuc necessarium testamentum : sic et Christus, quamdiu præsens in terris fuit (quamvis nec modo desit), pro tempore quidquid necessarium erat Apostolis imperavit. Sed quomodo terrenus pater, dum se in confinio senserit mortis, timens ne post mortem suam, rupta pace, litigent fratres, adhibitis testibus, voluntatem suam de pectore morituro transfert in tabulas diu duraturas : et si fuerit inter fratres nata contentio, non itur ad tumulum, sed quæritur testamentum : et (25) qui in tumulo quiescit, tacitus de tabulis loquitur. Vivus, cujus est testamentum, in cœlo est : ergo voluntas ejus, velut in testamento, sic in Evangelio requiratur. Etenim de præscientia [b], quæ modo facitis, jam futura conspexerat Christus. Denique cum lavaret pedes discipulis suis, sic ait Petro Filius Dei : *quod ego facio, tu nescis ; scies autem postea* (*Joan.* XIII, 8). Dicendo, *scies postea*, hæc tempora designabat : ergo inter cæteros Testamenti titulos, hunc titulum de aqua constituit. Cum lavaret pedes Discipulis suis, tacentibus cæteris, si taceret et Petrus, solam fecerat (26) formam humilitatis, nihil pronuntiaverat de sacramento baptismatis. Sed cum Petrus recusat, nec pedes sibi lavari permisit, negat illi Christus regnum, nisi accepisset obsequium. Sed cum cœlestis regni mentio fieret, quo pars corporis petebatur ad obsequium, totum corpus obtulit ad lavacrum. Nunc adestote, omnes turbæ, et singuli Christiani populi : quid liceat, discite : dum provocat Petrus, Christus docet : qui dubitat, discat : (27) Christi enim vox est : *qui semel lotus est, non habet necessitatem iterum lavandi, quia est mundus totus* (*Ibid.* 10) : et de eo lavacro pronuntiavit, quod de Trinitate celebrandum esse mandaverat : non de Judæorum aut hæreticorum, qui, dum lavant, sordidant ; sed de aqua sancta, quæ de trium nominum fontibus inundat. Sic enim ipse Dominus præcepit dicendo : *ite, baptizate omnes gentes, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 29). De hoc lavacro dixit : *qui semel lotus est, non habet necessitatem iterum lavandi* (*Joan.* XIII, 10). Qui semel dixit, prohibuit iterum fieri : et de re locutus est, (28) non de persona ; (29) nam si esset distantia, diceret : *qui semel bene lotus fuerit ;* sed dum non addidit verbum, *bene*, indicat quia quidquid in Trinitate factum fuerit, bene est. Inde est, quod simpliciter a vobis venientes excipimus. Cum [c] dicit : *non habet necessitatem iterum lavandi*, hæc sententia generalis est, non specialis ; nam si Petro [d] hæc dicerentur, diceret Christus : *quia semel lotus es, non habes necessitatem iterum lavandi* (*Ibid.*) [e] : ideo quoties a vobis baptizatus aliquis, ad nos transitum voluerit facere, venientem hoc magisterio et exemplo [f] (30) tota simplicitate suscipimus. Absit enim, ut umquam exorcizemus sanum fidelem [g] : absit, ut jam lotum revocemus ad fontem : absit, ut (31) in Spiritum sanctum peccemus (*Matth.* XII) ; cui facinori in præsenti et futuro sæculo indulgentia denegatur : absit, ut iteremus, quod semel est, aut duplicemus quod unum est : sic enim scriptum est, Apostolo dicente : *unus Deus, unus Christus, una fides, una tinctio* (*Ephes.* IV, 5). Denique vos, qui baptisma quasi libenter duplicare contenditis, **83** si datis alterum baptisma, date alteram fidem ; si datis alteram fidem, date et alterum Christum ; si datis alterum Christum, date alterum Deum. Unum Deum esse negare non potestis, nec in Marcionis

LECTIONES VARIANTES.

[a] Hic inseritur in mss. verbum *inquam*, quod ut superfluum resecuimus.

[b] Ita in omnibus mss. quod non intelligentes editores ad Christum referri, qui per præscientiam futura noverat, posuerunt *præsentia*.

[c] In ms. S. G. *dum*.

[d] In ms. S. G. *et si pro Petro*.

[e] Ita legendum hunc locum ut habetur in ms. S. G. ostendit scopus Optati : male in mss. S. T. et P. S. hæc in tertia persona enuntiantur.

[f] Ita in ms. S. G. In mss. S. T. et P. S. *magisterio exemplo*, omissa scilicet conjunctione, quæ tamen necessaria, et quam non supplentes editores mutaverunt *magisterio* in *magistri*.

[g] Hæc habentur in ms. S. G. non in aliis.

VARIORUM NOTÆ.

(25) *Et qui in tumulo quiescit*, etc. Priores editiones, *et qui tumulo quiescit tacitus de tabulis loquitur, et vivus cujus*, etc., scribe, *et qui tumulo quiescit tacitus, de tabulis loquitur vivus. Is cujus*, etc. Totum hunc locum quomodo S. Augustinus imitatus sit, videbis in Balduini notis, qui locum profert. Quod hic autem Optatus, *Qui tumulo quiescit tacitus*, Augustinus, ille sine sensu jacet in monumento, etc. M. CASAUB.

Ibid. *Qui in tumulo quiescit, tacitus de tabulis loquitur.* Elegantissime, de sepulto cujus testamentum aut codicilli, oborta è re nata contentione, inspiciuntur. INCERT.

(26) *Formam humilitatis.* Si Petrus locutus non fuisset et non recusasset lavari, Christus de baptismo nihil dixisset. ALBASP.

(27) *Christi enim vox est, qui semel lotus*, etc. Non primus Optatus, dubium in re magis an verbis falsus, hoc loco ita abusus est. Jampridem Tertullianus, de bapt. cap. 12, plane similiter usus fuerat, nisi quod Tertullianus (quod tamen eodem redit) ita vertit : *qui semel lavit, non habet necesse rursum.* In aliis editionibus integer locus affertur : *Qui semel lotus est, non habet iterum necessitatem lavandi, quia est mundus totus :* et Victor Uticensis citat extremo libro, nisi quod ille *lavari*, quod hic *lavandi*. M. CASAUB.

(28) *Non de persona.* Dixit aquam lavare, non personam conferentem aquam. ALBASP.

(29) *Nam si esset distantia.* Si esset differentia inter personas quæ baptizant. ALBASP.

(30) *Tota simplicitate.* Pro *omni* dixit, ut alias, *totam importunitatem*, alias *totam sanctitatem*, ac *totam securitatem.* Quomodo et Hieronymus et Vopiscus, notante Isaaco Casaubono excellentissimo Critico. INCERT.

(31) *In Spiritum sanctum.* Exorcismis eum fugando. ALBASP.

Digitized by Google

foveas incidatis : ergo Deus unus est ; de uno Deo unus est Christus : qui rebaptizatur, jam Christianus fuerat [a] : quomodo dici potest (32) iterum Christianus? (33) Una fides hoc loco ab hæreticorum erroribus, et ab eorum varia fide fides unica separatur : (34) etiam vobis præscribitur, qui post semel iterum facitis, (35) totum ponendo in dotibus, nihil in sacramentis ; cum hoc (36) nomen fidei pertineat ad credentem, non ad operantem : quocumque enim interrogante qui credidit Deo, credidit : et post illius unum credo, tu exigis (37) alterum credo. Deinde sequitur unum baptisma ; et [b] quia quod unum est, sanctum est, per quod unum est : (38) non solum ab hæreticorum profanis et sacrilegis baptismatibus separatur, sed ne duplicetur quod unum est, aut iteretur quod semel est.

IV. *Deum esse qui lavat in baptismate, non autem ministrum.* — In hoc sacramento baptismatis celebrando, (39) tres esse species constat, quas et vos, nec augere, nec minuere, nec prætermittere poteritis. (40) Prima species est in Trinitate ; secunda, in credente ; tertia, in operante : sed non pari libramine ponderandæ sunt singulæ : duas enim video necessarias, et unam quasi necessariam : principalem locum Trinitas possidet, sine qua res ipsa non potest geri : hanc sequitur fides credentis : jam persona operantis vicina est, quæ simili auctoritate esse non potest. A Duæ priores permanent semper immutabiles et immotæ : Trinitas enim semper ipsa est : fides in singulis una est : vim suam semper retinent ambæ. Persona vero operantis, intelligitur duabus prioribus speciebus par esse non posse, eo [c] quod sola esse (41) videatur mutabilis. Inter nos et vos vultis (42) ejusdem personæ esse distantiam ; et sanctiores vos æstimantes, (43) superbiam vestram non dubitatis anteponere Trinitati : cum persona operantis mutari possit, Trinitas mutari non possit : (44) et cum ab accipientibus (45) baptisma desiderari debeat, vos desiderandos esse proponitis : cum operantes inter alios sitis, ostendite qualem in eodem mysterio locum habeatis, et an ex eodem corpore esse possitis. Baptismatis unicum nomen est ; cui subB est (46) proprium corpus ; cui corpori [d] (47) certa sunt membra : quibus [e] nec addi, nec auferri aliquid potest ; inter quæ membra si eligendus operarius invenitur ; totum corpus ad operantem pertinet. Hæc omnia hujus corporis membra, et semper et semel secum sunt, et mutari non possunt ; operarii vero quotidie mutantur et locis, et temporibus, et personis. (48) Neque enim unus homo est, qui semper aut ubique baptizat. In hoc opere jamdudum alii fuerunt ; modo alii ; postea alii futuri sunt : operarii mutari possunt, sacramenta mutari non possunt. Cum ergo videatis, omnes qui baptizant, ope-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Hæc desunt in ms. S. G.
[b] In mss. S. T. et Ph. S. *ut.*
[c] In mss. S. T. et P. S. *ideo quod.*
[d] In ms. S. G. *cujus corporis.*
[e] In ms. S. G. *cui.*

C

VARIORUM NOTÆ.

(32) *Iterum Christianus.* Quomodo potest renasci qui natus est : per primum baptismum novam assecutus est naturam, quomodo potest eam amittere per secundum baptismum et eamdem rursus assequi? ALBASP.

(33) *Una fides hoc loco ab hæreticorum*, etc. Scribe, *una fides. Hoc loco ab hæreticorum erroribus et ab eorum varia fide, fides unica separatur.* Proxime citati loci singula percurrit. Jam de *uno Deo, uno Christo ;* sequitur, *una fides :* De hac quoque postquam egit, addit : *Deinde sequitur unum baptisma, ut quia quod unum est*, etc. M. CASAUB.

Ibid. *Una fides hoc loco.* Sensus est : cum sit una dumtaxat fides, hæretici qui veram et rectam de Trinitate fidem non habent, non possunt baptizare, quia fides ab eorum vana fide separatur ALBASP.

(34) *Et jam vobis præscribitur.* Et hoc etiam contra vos pugnat, quia cum sit una fides, non potestis, neque debetis aliam dare in rebaptizatione. D ALBASP.

(35) *Totum ponendo in dotibus.* Omnem vim sacramentorum ponendo in sanctitate conferentis. ALBASP.

(36) *Nomen fidei.* Qui baptizatur, debet credere : debet habere fidem : quod si habeat et habere debeat, non requiretur fides baptizantis ; sed baptizandi. ALBASP.

(37) *Alterum credo.* Interrogabantur in baptismo, profitebanturque se in Christum et in Deum credere, quare cum ita esset, non debebant aliud *credo* exigere, quia unum est tantum *credo*, non duo. ALBASP.

(38) *Non solum hæreticorum.* Illa fidei unitas non solum hæreticorum baptisma, quod in illa fide et in Trinitate datum non est, excludit ; sed etiam vetat ne ipsa duplicetur fides, et aliam a rebaptizatis extorqueatis aut inferatis. ALBASP.

(39) *Tres esse species.* Tria concurrunt. ALBASP.

(40) *Prima in Trinitate.* Necesse est ut Baptismus fiat in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti. ALBASP.

(41) *Videatur mutabilis.* Persona baptizantis non facit ut gratia sacramenti remaneat, sed fides baptizati. ALBASP.

(42) *Ejusdem personæ esse distantiam.* Vultis ut magna sit differentia inter Donatistam et Orthodoxum baptizantes. ALBASP.

(43) *Superbiam vestram anteponere Trinitati.* Quia vultis sanctitatem et effectum baptismi nasci ex sanctitate conferentis, non ex fide. ALBASP.

(44) *Et cum ab accipientibus baptisma*, etc. Baptisma est quod ab accipientibus desiderari debere dicit, non Trinitas aut fides, ut quidam hic ineptissime ; non advertentes illud *desiderare* proprium sacramentis nostris, Baptismo et Eucharistiæ, verbum olim fuisse : de quo multa ὁ μακαρίτης pater in exercitat. ad Baron. exercit. 16. section. 45. M. CASAUB.

(45) *Baptisma desiderari debeat.* Baptizandi summa ope debent eniti ut perfecte credant ; vos autem vultis ut magis desiderent baptizari a non peccatoribus, et plus sperent a sanctitate baptizantis, quam a fide et a Trinitate. ALBASP.

(46) *Proprium corpus.* Baptismus constat sua forma et materia, ut aiunt, inter quæ persona baptizantis non numeratur : cur ergo vobis vindicatis totam ejus rationem et essentiam, et eam in vestra persona ponitis? ALBASP.

(47) *Certa sunt membra.* Certæ sunt partes. ALBASP.

(48) *Neque enim unus homo est, qui semper*, etc.

Digitized by Google

rarios esse, non dominos, 84 et sacramenta per se esse sancta, non per homines, quid est, quod vobis tantum vindicatis? quid est, quod Deum a muneribus suis excludere contenditis? concedite Deo, præstare quæ sua sunt. Non enim potest id munus ab homine dari, quod divinum est. Si sic putatis, Prophetarum voces, et Dei promissa inanire contenditis, quibus probatur, quia Deus lavat, non homo. Adest contra vos David Propheta, qui ait in psalmo L (*vers.* 9) [a]: *Lavabis me et super nivem dealbaber:* item in eodem psalmo: *Deus, lava me ab injustitia mea, et a delicto meo munda me* (*Ibid.*, 4): *lava me*, dixit; non dixit, *elige per quem laver*: et Esaias propheta sic; dixit: *quoniam ablues Dominus* [b] *sordes* [c] *filiorum et filiarum Sion* (*Esai.* IV, 4). Sion Ecclesiam esse in tertio libro probavimus: ergo Deus lavat filios et filias Ecclesiæ [d]. Non dixit: *lavabunt ii* [e], *qui se sanctos putant.* Dignamini ut vel prophetæ vos vincant, vel sic agnoscite, quia non lavat homo, sed Deus. Quamdiu dicitis: (49) *qui non habet quod det, quomodo dat* [f]? videte Dominum esse datorem [g]: videte Deum unumquemque mundare: sordes enim et maculas mentis lavare non potest, nisi Deus qui ejusdem fabricator est mentis. Aut si putatis, quia lavacrum vestrum est, dicite, qualis est ipsa mens; quæ per corpus lavatur; aut quam habet formam; aut quo loco in homine habitet: hoc homini scire negatum est. Ergo quomodo putas, quia lavas, qui nescis quale sit quod lavas? Dei [h] est mundare, non hominis: ipse enim per prophetam Esaiam promisit se lotu-rum, dum ait: *et si fuerint peccata vestra velut coccum, ut nivem inalbabo* (Esai. I, 18). *Inalbabo* dixit, non *faciam inalbari*. Si hoc Deus promisit, quare vos vultis reddere, quod vobis nec promittere licet, nec reddere, nec habere? ecce in Esaia se promisit [i] Deus inalbare peccatis affectos [j], non per hominem. Revertimini ad Evangelium: videte, quid in salutem generis humani sit pollicitus Christus: cui cum mulier Samaritana aquam negaret, tunc a Filio Dei dictum est, quod præscribat præsumptionibus vestris: *aquam*, inquit, *quam ego do, qui biberit, non sitiet in æternum* (*Joan.* IV, 13). *Aquam quam ego do*, inquit: non dixit, *quam dederint, qui se sanctos putant*, sicut vobis [k] videmini: sed se dixit daturum. Ipse est ergo qui dat: ipsius est, quod datur; quid est, quod vobis tota importunitate vindicare contenditis?

V. *De Baptismo Joannis, quando et cur post ipsum Baptisma Christi collatum.* — Cum hanc rem cumulet Joannes Baptista, qui præcursor venerat Salvatoris, cum multos tingeret in pœnitentia et remissa peccatorum, nuntiavit Filium Dei esse venturum; cujus verba hæc sunt: *ecce venit qui vos baptizet* (*Joan.* I, 33): et tamen non legimus post Joannem Christum aliquem rebaptizasse: quod ergo dixit: *qui vos baptizet*, veniens Christus illo tempore post Joannem tinxit. Promissum erat temporibus nostris, ut ipse daret, quod hodie datur; secundum quod ait: *aquam quam ego do qui biberit, non sitiet in æternum* (*Joan.* IV, 13). Nam et discipuli Joannis, cum dicerent magistro suo: *ecce quem baptizasti*: baptizabat quidem; sed per manus Apostolorum, quibus leges baptismatis dederat. Denique lectum est alio loco: *nam ipse neminem baptizavit, sed discipuli ejus.* (*Joan.* III, 6.) In hac re omnes discipuli ejus sumus, ut nos operemur, ut ille det qui se daturum esse promisit: et tamen cum Joannes infinita millia hominum baptizaret, (50) jam Christo præsente operabatur servus, et vacabat Dominus antequam baptizandi daret formam [l]. Peractum [m] non modicum tempus millia hominum in pœnitentia et remissione tincta sunt peccatorum. Sed nemo tinctus fuerat in Trinitate: nemo adhuc noverat Christum: nemo audierat esse Spiritum sanctum. At ubi venit tempus plenitudinis, certo tempore dedit leges baptismatis Filius Dei; et dedit viam, qua iretur ad regna cœlorum: etiam tunc præcepit dicens: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). Ex ea die oportuit fieri quod mandatum 85 est: ante tempus noluit emendare quod operatum est, ne licentiam rebaptizandi daret; quamvis alterum fuerit baptisma Joan-

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. S. T. et P. S. *psalmo* XLIX.
[b] In ms. S. G. *lavavit Deus.*
[c] In ms. S. T. *sordem.*
[d] Hæc adjecimus ex ms. S. G. quæ desunt in aliis et in editis.
[e] In mss. S. T. et P. S. *me.*
[f] In mss. S. T. et P. S. *qui non habet, quod debet quando dat.*
[g] Hæc adjecta sunt ex ms. S. G.
[h] In mss. S. T. et P. S. *Domini.*
[i] In ms. S. G. *ecce jam per se promisit.*
[j] In ms. S. G. *effœtos.*
[k] In mss. S. T. et P. S. *sicut vos vobis.* In ms. S. G. *sicut nunc vobis.*
[l] Hæc supplevimus ex ms. S. G. quæ omissa sunt in aliis.
[m] In mss. S. T. et P. S. *Per acceptum.*

VARIORUM NOTÆ.

Lege, *neque enim unus homo est, qui semper et ubique baptizat. In hoc opere jamdudum alii fuerunt, modo alii, postea alii futuri sunt. Operarii mutari possunt, sacramenta*, etc. M. CASAUB.

(49) *Qui non habet quod det, quomodo dat?* Hoc argumentum in concilio D. Cypriani habetur. ALBASP.

(50) *Jam Christo præsente*, etc. Pro *vocabat* putet aliquis fortasse, *vacabat*, esse reponendum, quod et hic non male convenire videatur, et postea sæpius ingerat, opponit etiam τῷ *operari*, quod hic; *et ut ostenderet Filius Dei se vacasse, fidem tantummodo operatam esse*, etc. Potest tamen retineri quod hic est, cum illud quoque sententiæ locoque bene congruat, idemque alio loco repetere videatur aliis verbis: *Cui creditur ipse dat, quod creditur, non per quem creditur*: etiam operandi verbo usurpato in sequentibus: *Operantibus cunctis humana sunt opera, sed Dei sunt munera.* M. CASAUB.

Digitized by Google

nis, et alterum sit Christi. Baptisma Joannis [a] ante legem pro pleno voluit esse, quod non erat plenum : et tamen supra memorata millia hominum, quia in Deum crediderant, quamvis ignorarent Filium Dei et Spiritum sanctum, regnum cœlorum eis denegare non potuit. Inde est vox Filii Dei dicentis : *a diebus Joannis usque in hodiernum, regnum Dei vim patitur ; et qui vim faciunt, diripiunt illud* [b] (*Matt.* XI, 12) : ideo dixit, *vim faciunt* [c], quia adhuc baptizabat Joannes. Denique quia alterum tempus erat ante præcepta, alterum post præcepta : qui post præcepta, in nomine Salvatoris baptizati sunt, (51) in regnum legibus intraverunt ; qui ante præcepta, sine lege vim fecerunt, sed exclusi non sunt. Ergo ante præcepta, baptisma Joannis, cum esset imperfectum, pro perfecto judicatum est ab eo, cui nemo judicat : et quasi limes quidam fixus esset jussionis, inter tempora antecedentia et sequentia : cum apud Ephesum baptizarentur aliqui in baptismate Joannis post præcepta, hos videns beatissimus Paulus, interrogavit : *an accepissent Spiritum sanctum* (*Act.* XIX, 2) ? dixerunt se illi nescire, an esset Spiritus sanctus, et dixit illis, *ut post baptisma Joannis acciperent Spiritum sanctum.* Sic enim baptizati erant, quemadmodum multi a Joanne fuerant baptizati. Sed qui ante legem baptizati sunt, ad indulgentiam pertinuerunt : quia præsens fuerat, qui indulgentiam daret : non erant ex toto rei, qui legibus non fuerant occupati. Hi vero, qui apud Ephesum post legem, Joannis baptismate baptizati fuisse leguntur, post leges in sacramento erraverant : quia jam introductum fuerat baptisma Domini, et exclusum fuerat servi. Et ideo, quia post mandata divina legibus debuerant ire in regnum, non per violentiam : jam enim terminum temporis fixerat Christus dicendo : *a diebus Joannis usque in hodiernum* (*Matth.* II, 12). Post hodiernum jam non licebat quod fieri licuit : quare nolite vobis blandiri de dicto Apostoli Pauli, qui (52) non post personam operarii interrogavit, sed post rem : cui res, non persona displicuit. Denique baptisma Salvatoris jussit, ut discerent, qui non noverant, quia non ipsum, sed aliud acceperant. Vos vero quid immutatis [d] ? si res potuistis mutare, recte feceritis : si tamen de lege aliquid feceritis [e]. Paulus dixit *in quo baptismate baptizati estis* (*Act.* XIX, 3) ? et dixerunt illi, *Joannis :* persuasit eis, ut baptisma Christi acciperent. Vos non dicitis, quid accepistis, sed a quo accepistis : et insectamini personas hominum, et vultis iterare quod semel est : qui baptizati erant apud Ephesum (53) crediderant in pœnitentiam et remissionem peccatorum : recte illis dictum est, ut baptizarentur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Vos vero quid mutatis in hominibus, qui jam dixerunt se credidisse in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti ? sive ipsum interrogetis, sive aliud : convincamini necesse est peccare vos : sive illud interrogetis quod jussum non est ; sive hoc velitis facere, quod jam factum est.

VI. *Responsio ad illud :* qui non habet quod det, quomodo dat ?—Redeo nunc ad illud vestrum quod dicitis : « qui non habet quod det, quomodo dat ? » unde hæc vox est : de qua lectione recitari potest ? vox est de vico collecta, non de libro lecta [f] : « qui non habet quod det, quomodo dat ? » Hæc verba in lege [g] scripta non sunt ; nam si (ut vultis) homo dat, Deus vacat ; (54) et si Deus vacat, et apud vos est 86 omne quod dandum est, (55) ad vos sit conversio ; quos baptizatis in nomine

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. T. *baptisma* jungitur cum præcedentibus, et loco *Joannis*, ponitur *Joannes*, sed perperam ; nec enim de Joannis voluntate hic agitur, sed de ejus baptismate, quod Christus pro perfecto voluit haberi ad tempus.

[b] In ms. S. G. *possident eum.*

[c] Hæc addita sunt ex ms. S. G.

[d] Ita in mss. S. Th. et Ph. S. In ms. S. G. *quid imitamini.*

[e] In ms. S. G. *fecistis.*

[f] Ita in ms. S. G. In mss. S. T. P. S. et in editis, *vox est de vico, non de libro collecta ;* sed antithesis isthæc *collecta* et *lecta* stylum Optati sapit.

[g] Hæc verba supplevimus ex ms. S. G. quæ non exstant in mss. S. T. et P. S.

VARIORUM NOTÆ.

(51) *In regnum legibus.* Ex forma Baptismi præscripta. ALBASP.

(52) *Qui non post personam operarii interrogabat.* Nota phrasim, *interrogare post aliquem*, et similiter eadem hac pag. *insectari in aliquem.* Sic particulis abundantibus nonnumquam utitur Optatus, ut hoc libro V, *de foris*, pro *foris*, et alibi, *pulsare ad cœlum.* Et huc pertinent quæ supra annotavimus, *aperire ad fontem.* INCERT.

(53) *Crediderant in remissione.* Non crediderant in Patre, Filio et Spiritu sancto. ALBASP.

(54) *Et si Deus vacat, et apud vos est omne quod dandum est*, etc. Quæso te, Lector, ecquid ab Optato clarius dici potuit ? non res ipsa clamat, ut proprie de conversione ad Deum locutus sit ? sunt tamen qui ad nescio quam baptizandorum *conversionem*, quam neque probant (nam quod fidem professuri ad Orientem converterentur, non magis ad baptizandos pertinet, quam ad alios quoscumque), et si probarent, tamen huc pertinere minime concederem. Breviter moneo te, Lector, triplicem ejus vocis usum apud veteres Scriptores frequenter occurrere. Cum de conversione Gentilium seu hæreticorum *ad verum Dei cultum*, seu *veram religionem ;* cum de scelestis et impiis Christianis ad veram pietatem conversis loquuntur, ut hodieque vulgo : cum denique de maritis continentibus, qui olim non minus vulgaris ejus usus fuit. Loca multa congessit eruditissimus Filesacus in Selectis : sed addi multa possunt. Insignis hic Salviani de gubern. lib. V : *Sicut etiam illi de conversione ac Deo aliquid cogitasse, qui a conjugibus propriis abstinentes, a rerum alienarum pervasione non abstinent*, etc. Novum prorsus conversionis genus ; *licita non faciunt, et illicita committunt. Temperant a concubitu, et non temperant a rapina*, etc. *præposterum est quod agitis ; non est hoc conversio, sed aversio*, etc. M. CASAUB.

(55) *Ad vos sit conversio.* Alludit ad illum baptismi ritum et ceremoniam : exsufflato et abjurato Satana versus Occidentem, ad Orientem mox sese convertebant baptizandi, et in Deum sese credere solemniter profitebantur : unde dicit Optatus, dum baptizatis ad vos se convertere debent baptizandi, non ad Deum ; quia ex persona baptizantis vultis baptismum operari, non autem ex fide quam quis profitetur. ALBASP.

Digitized by Google

vestro tingantur. Erubescite, beato Paulo clamanti, et suam gratulationem profitenti : *numquid in nomine meo baptizati estis* (I *Cor.* I, 3)? Ille gaudet, quod duos solos et unam domum baptizaverit : et vos populos rebaptizare contenditis ; et peccasse vos et peccare gaudetis, dicentes : « quid dat, qui non habet quod det? » cui creditur ipse dat quod creditur, non per quem creditur. Denique sub Joanne infinita multitudo hominum baptizata est, (56) probate Joannem aut accepisse aut habuisse quod daret. Illo autem (57) operante dabat Deus, qui dando non deficit ; et nunc operantibus cunctis humana sunt opera, sed Dei sunt munera.

VII. *Baptismi gratiam, Dei donum, esse non hominis, qui operarius tantum esse probatur.* —Jam illud quam ridiculum est, quod quasi ad gloriam vestram a vobis semper auditur : « hoc munus baptismatis esse dantis, non accipientis : » et utinam hoc de Deo diceretis, qui hujus rei dator est. Sed quod stultum est, vos dicitis esse datores. Si ita est, et nos et vos teneamus singulos gentiles : vos qui vos sanctos dicitis, interrogate eum quem tenetis, an renuntiet diabolo et credat Domino ; et ille dicat, nolo. Contra, nos peccatores (ut vultis) interrogemus alterum gentilem, an renuntiet diabolo et credat Deo, etc., et dicat, renuntio et credo, etc., tum vos tingatis nolentem, nos volentem : dicatur, quis eorum possit ad Dei gratiam pertinere. Utique sine dubio ille [a] qui credit [b], non ille, pro cujus voluntate (ut dicitis) sanctitas vestra succedit. Operarios vos esse, vel sero cognoscite : aut si in operario est res ipsa, et non in se ; hoc sibi vindicent aliqui homines (58) in artibus suis, ut quia sic provocatis, ad res divinas, etiam artes comparemus humanas : (59) cum pretiosus inficitur color, natura sæpe convertitur, (60) dum confectione [c] vellus candidum purpurascit : (61) sic alba lana regalem transit in purpuram, (62) quomodo catechumenus in fidelem [d] : utique dum incipit esse quod non erat, desinit esse quod fuerat. Lana et colorem mutat et nomen : et homo et (63) vocabulum mutat (64) et mentem, consideranda sunt effecta, retractanda sunt efficientia. Dicis a te datum esse, quod homo fidelis effectus est : si hoc totum tuum est, dicat et operarius artifex purpuræ, quod pretiosum colorem in suis manibus habeat, et non procuret pretiosa (65) pigmenta ex Oceano multis ignota, quibus tincta vellera, per colorem promoveantur in admirabilem dignitatem : non admixto sanguine piscis, purpuram solo tactu conficiat. Si [e] igitur operarius iste per tactum solum dare colorem non potest, sic nec operarius baptismatis, ex se sine Trinitate dare aliquid potest. Tale est et hoc, unde modo certamen est. Nam in quo baptizarentur gentes, a Salvatore mandatum est : per quem baptizarentur, nulla exceptione, discretum est. Non dixit Apostolus : *vos facite, alii non faciant :* quisquis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizaverit, Apostolorum opus implevit. Denique lectum est in Evangelio, Joanne dicente : *Magister, vidimus quemdam in nomine tuo expellentem dæmonia, et prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum :* sic Christus ait : *nolite prohibere : qui enim non est contra vos, pro vobis est* (*Lucæ* IX, 37). Nam et ipsis sic mandatum est, ut opus esset illorum, sanctificatio Trinitatis ; nec in nomine suo tingerent ; sed in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti : ergo nomen est quod sanctificat, non opus [f]. Intelligite **87** vos, vel sero, operarios esse, non dominos : et si Ecclesia vinea est, vites sunt homines et ordinati cultores, quid in dominium patrisfamilias irruitis? quid vobis, quod Dei est, vindicatis? quid vultis vestrum esse totum, ubi nec partem habere potestis? nam propter tumorem vestrum, quo in nos intumescitis, increpat Corinthios beatissimus Paulus : in se et Apollo actus tempo-

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. S. T. et P. S. Hic adjicitur, *consequitur*.
[b] In ms. S. G. *credidit*.
[c] Ita in mss. S. T. et S. G. Male in editis, *convectione*.
[d] In ms. S. T. *infidelis*.
[e] Deest ista vox in ms. S. T. sed habetur in ms. S. G.
[f] Suppleta sunt hæc ex ms. S. G. quæ desunt in mss. S. T. P. S. et in plerisque editis.

VARIORUM NOTÆ.

(56) *Probate Joannem habuisse.* Probate Joannem habuisse remissionem peccatorum. ALBASP.

(57) *Illo operante dabat Deus, qui dando deficit.* Impia plane hæc est sententia nisi interpretatione subvenias. *Deficere* ergo *dando* est, *cessare dare*. Sic *cessare dando* dicit ; non quod defectum potentiæ, sed voluntatis in auctore agnoscat. INCERT.

(58) *In artibus suis.* Colores, non homines, mutant lanas ; ita aqua, non persona baptizantis, mutat baptizatum. ALBASP.

(59) *Cum pretiosus inficitur color*, etc. Pro *convectione* legendum esse *confectione* jampridem monuit Radulphus Fornierius, rerum quotidianar. lib. II, c. 6. Quod etsi improprium sit, *infici* enim lana proprie dicitur, non *confici*, quod aliud est : Optati tamen esse certissimum est, cum postea quoque paucis interjectis repetatur. Totum autem hunc locum ita puto distinguendum : *Cum pretiosus inficitur color, natura sæpe convertitur, dum confectione vellus candidum purpurascit. Sic alba lana regalem transit in purpuram, quomodo catechumenus in fidelem. Utique dum incipit*, etc. M. CASAUB. *Ita restitutum ex mss.*

(60) *Dum conversione.* Nescio an legendum commixtione. ALBASP.

Ibid. *Dum convectione vellus candidum purpurascit.* Pessime *ullus* ἀντὶ τοῦ *vellus* circumfertur, quod vel cæco appareat. Quare *contínctione* legit Barthius. *Contingere* Lucretianum est : forte *confectione*. INCERT.

(61) *Sic alba lana regalem transit in purpuram.* Boetius : *Reges purpura monstrat.* INCERT.

(62) *Quomodo catechumenus.* Elegans comparatio. ALBASP.

(63) *Vocabulum.* Ex Pagano fit Christianus. ALBASP.

(64) *Et mentem.* Quia renascitur, et ejus mens et natura mutantur in aquis. ALBASP.

(65) *Pigmenta ex Oceano.* Piscis sanguinem qui in Oceano capitur. ALBASP.

Digitized by Google

ris nostri conformat [a]: *ne alter in alterum*, inquit, *intumescat* (I *Cor.* IV, 6). Ut ostenderet, quia hoc totum sacramentum baptismatis Dei est, ut illic sibi nihil vindicet operarius, sic ait: *ego quidem plantavi* (I *Cor.* III, 6): hoc est (66) de pagano catechumenum feci: *Apollo rigavit*: hoc est, ille catechumenum baptizavit. Sed ut cresceret quod plantatum et irrigatum est, Deus fecit. Nam et quivis hodie volens vineam suam pastinare, operarium placita mercede conducit; qui curvato dorso et desudatis [b] lateribus, sinus terræ faciat, ubi deponat electa plantaria, et aquam calcatis scrobibus superducat: scrobem fodere et plantaria ponere potest; (67) aquam inducere potest; imperare, ut teneat non potest: est enim hoc solius Dei, de medullis palmitum producere radices coalescentes in terram, et gemmantes oculos, incrementa frondium provocare. Denique beatus Apostolus Paulus, ut vestram præsumptionem tumoremque compesceret, ne se æstimet operarius baptismatis, aut habere dominium, aut de tanto isto munere particulam sibi aliquam vindicare; indicans, quia totum Dei est, sic ait: *neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid; sed solus Deus, qui ad incrementa perducit* (I *Cor.* III, 7). (68) Operarii inter alios estis intrante sole: hoc est, finito sæculo potestis in die retributionis nobiscum de mercede contendere: nolite vobis majestatis dominium vindicare. Nam si ita est, vindicent sibi et ministri, qui mensæ dominicæ famulantur, ut pro humanitate exhibita ab invitatis gratulatio eis referatur. Christi vox est invitantis: *Venite, benedicti patris mei* (*Matth.* XXV, 34) [c]: veniunt gentes ad gratiam [d]; exhibet ille qui invitare dignatus est; ministerium exercet turba famulorum: non famulantibus, sed pascenti referendæ sunt gratiæ. Vos cum ministri [e] sitis, inverecunde totum vobis convivii dominium vindicatis; cum se et cæteros beatissimus Paulus famulos cum humilitate fateatur: ne quis putaret, in solis Apostolis aut Episcopis, spem suam esse ponendam, sic ait: *quid est enim Paulus, vel quid Apollo? utique ministri ejus, in quem credidistis* (I *Cor.* III, 4): est ergo in universis servientibus non dominium, sed ministerium. Vides ergo jam, frater Parmeniane, ex tribus speciebus supra memoratis, illam primo tripartitam esse immotam, invictam et immutabilem: operantis vero temporariam [f] esse personam.

VIII. *De fide suscipientis baptismum.* — Restat jam de credentis merito aliquid dicere: cujus est fides, quam Filius Dei et sanctitati suæ anteposuit et majestati; non enim potestis sanctiores esse, quam Christus est: ad quem cum mulier illa veniret, cujus filia erat mortua, et rogaret, ut suscitaretur; nihil promisit de virtute sua; sed post fidem interrogat alienam, ut si mulier crederet, pro matris credulitate [g], filia surgeret; si non crederet, virtus Filii Dei feriata cessaret. Interrogatur mulier, respondit se credere fieri posse quod rogabat. Jubetur ire, redit ad domum mulier, invenit puellam vivam, quam diuiserat mortuam. Non ruit in oscula, non properat in amplexus; sed redit, ut Salvatori gratias ageret: et ut ostenderet Filius Dei, se vacasse, fidem tantummodo operatam esse: *vade*, inquit, *mulier, in pace, fides tua te salvavit* (*Luc.* VIII, 48). Ubi est quod dicis, dantis est, non accipientis? Quid vobis videtur et Centurionis fides? cujus puer cum male haberet, Salvatorem petiit ut ab eo mortem repelleret. 88 Jam Christus pereuntem veniebat ad puerum; sic eum Centurio tenuit, ut indignitatem tecti sui confessus, quod Filius Dei totus non deberet intrare, sed suam virtutem mittere, qua puer, fugata morte, reviviscere potuisset. Non fortitudo Centurionis, non sapientia laudata est, sed fides: (69) *et*

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. S. T. et S. G. *confirmat.*
[b] In ms. S. G. *exudatis.*
[c] Adduntur in ms. S. G. sequentia Christi verba, *percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.*
[d] In ms. S. G. *gloriam*, sed minus apposite; agit enim Optatus de hoc sæculo.
[e] In ms. S. T. *nobiscum comministri;* sed supervacaneum est illud *nobiscum.*
[f] In ms. S. G. *temporalem.*
[g] In ms. S. G. *per matris credulitatem.*

VARIORUM NOTÆ.

(66) *De Pagano Catechumenum feci.* Docui illum. ALBASP.

(67) *Aquam inducere potest, imperare ut*, etc. Quid ista verba sibi velint, *imperare ut teneat*, aut quo sensu ad vineam, de qua hic agitur, pertineant, non satis intelligo. Optatus quid velit, satis liquet. In cultore vineæ non esse ut illa maturescat, seu *tenemescat*, ut de arboribus in genere Tertull., fructumque edat; sed totum hoc a Deo pendere. Ego sic sentio, verba illa *ut teneat*, glossema inepti alicujus esse, qui elegantiam ac proprietatem vocis *imperare* non assequebatur; et quod *aquæ* proxime mentio facta esset, ita hunc locum supplendum putavit. Nam et Optatus antea haud absimilibus verbis usus est, cum *eum detritum esse lacum*, dixit, *qui aquam nec habeat, et acceptam continere non possit.* Cæterum, *imperare arvis*, dictum Virgilio, Georgic. lib. I, et Senecæ, de Tranquill. animi cap. ult. Sed Senecæ locum in tyronum gratiam proferam, qui vim verbi non omnibus noti egregie explicat, *ut fertilibus*, inquit ille, *agris non est imperandum: cito enim exhauriet illos numquam intermissa fœcunditas; ita animorum impetus assiduus labor frangit.* Ad vites et vineas proprie Plinius, lib. XVII, cap. 22: *Temerarium est ante crassitudinem pollicarem viti imperare.* Columella quoque, de re rustica lib. IV, cap. 24: *Post largos fructus parcendum est vitibus, et ideo auguste putandum, post exiguos imperandum.* Possis etiam legere, *imperare vineæ non potest.* M. CASAUB.

(68) *Operarii inter alios estis intrante sole*, etc. Scribo: *Operarii inter alios estis. Intrante sole, hoc est, finito sæculo*, etc. Matth. XX, cap. 8, ὀψίας δὲ γενομένης, etc. quo hæc pertinent, ex Hebr. idiotismo fluxisse videtur qui suum בּוֹא venire, ingredi, de occidente sole usurpant, ut et יָצָא exire, de Oriente. M. CASAUB.

(69) *Et curatus est puer in illa hora, certe dantis est*, etc. Idem post pauca repetitur, atqui utrobique videbit Optati menti repugnare, qui attentus inspiciet: ut potius dicendum fuerit: *certe dantis non est, sed accipientis.* Respondebit aliquis fortasse, Optatum non tam verborum ipsorum controversiam movisse Donatistis, quam impiæ sententiæ, qua ipsa proferebant. Nihil igitur vetare, quin eorum verbis

curatus est puer in illa hora (*Matth.* VIII, 13). Certe dantis est, non accipientis. Multa sunt hujusmodi in Evangelio de fide perfecta, sed vel tria complenda sunt fidei testimonia. Quid vobis videtur et illa mulier, quæ (70) de secreto causæ fœminarum, cum per annos duodecim laboraret, et omnem substantiam suam in medicos erogasset: cum videret a Filio Dei tantas celebrari virtutes, processit in turbam, videt medicum, videt et populum: cogebat illam dolor, ut medicinam peteret: pudor impediebat, ne causam suam coram masculis indicaret. Invenit consilium tacita fides: *mittam*, inquit, *manum meam, et tangam fimbriam vestimenti hujus, et sana fiam* (*Matth.* IX, 21; *Luc.* VIII, 43). Nemine vidente inter turbas, manum misit, tetigit [a], et sanata est; nec ansa est indicare, quod ausa non fuerat petere. Sed ne fructus fidei apud ignorantes latere videretur; sic Salvator ait: *quis me tetigit?* Mirati sunt discipuli ejus, dicentes: *turbæ te comprimunt; tu dicis, quis me tetigit?* et Christus: *quis me*, inquam, *tetigit? sensi a me exisse virtutem* (*Ibid.* 45). Sic mulier confessa est, se tetigisse, et sanam esse. Jamdudum pro filia mater petiit, pro puero Centurio postulavit: hoc loco nec mulier petiit, nec Christus promisit; sed fides quantum præsumpsit [b], exegit: certe dantis est, non accipientis [c].

IX. *Comparatio Naaman Syri intempestive a Parmeniano allata.* — Nam quod ad amplificandos [d] tractatus tuos, frater Parmeniane, Naaman Syrum, quasi immaturam quamdam durissimorum nascentium vulnerum massam, diu describere voluisti, quid hoc ad præsentem pertinet causam? Bene hoc diceres, et longa oratione recte uti potuisses: si invenires aliquem catechumenum (71) scabrosissimis moribus, qui gereret durissimam mentem; qui lenissimam gratiam aquæ salutaris accipere dedrectaret. Bene hominis (72) innovationem verbis a te dictis ostenderes: bene veternosam naturalem duritiam, in infantilem carnem [e] immutari ac molliri posse monstrares. In hoc vero negotio, quod inter partes tempore præsenti tractatur, ut quid a te talis commemorata est lectio? (73) in qua non legitur aliquis illum leprosum Syrum ante dictum vel jussione Helisæi lavisse, ut merito denuo [f] melius lavaretur (IV *Reg.* V). Quod et si fieret [g], nec sic vobis occurreret, quod recte imitari possetis. Non enim legitur ille prius lavisse in fluminibus Syriæ, aut ab aliquo lotus esse, et nihil profecisse. Nam et si hoc legeretur non ad Helisæi laudem, (qui non lavit, sed consilium dedit,) sed ad Jordanis gloriam [h] pertineret, ille homini in eo flumine primitivam gratiam provenisse, in quo postea sub Joanne per confessionem in pœnitentiam populorum peccata fuerant moritura [i].

89 X. *Parabola nuptiarum a Parmeniano perperam allegata.* — Postremo, qualis est illa pars tractatus tui, de cœlestibus nuptiis, ubi spem amputans futurorum, totum in præsenti tempore posuisti dicendo, a societate vestra projectum esse eum, qui janitores et ministros fefellerit vestros, ut a communione fidelium foras cum injuria mitteretur. Si ita est, nihil est quod speret fides; nihil quod (74) resurrectio repræsentet; nihil quod in cœlis amplius exspectetur; nihil quod Rex ille cœlestis [j] et pater-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Hoc verbum supplevimus ex mss. S. G.
[b] In ms. S. G. *quantum sibi præsumpsit.*
[c] Post hæc verba sequuntur aliquot periodi in ms. S. G. quibus novum continetur argumentum adversus iteratum baptisma, quas quidem Optati esse existimo, licet non habeantur in mss. S. T. et P. S. sed hic alieno loco videntur positæ, quare eas rejecimus ad finem libri quem egregie concludunt.
[d] In ms. S. G. *applicandos*, minus bene.
[e] In mss. S. T. et P. S. *infantili carne.*
[f] Deest in ms S. G.
[g] Hæc desunt in ms. S. T.
[h] In ms. S. G. *ad ipsius Jordanis gratiam.*
[i] In ms. S. G. *professione pœnitentiæ populi peccata fuerant moritura.*
[j] Hoc additum ex ms. S. G.

VARIORUM NOTÆ.

uti potuerit, sed alia, quam ipsi mente; antea enim cum hæc illis verba objicit, statim subjicere: *et utinam hoc de Deo diceretis, qui hujus rei dator est; sed quod stultum est, vos dicitis esse datores.* Non igitur hic Optatum id agere, ut *accipientis esse* contra Donatistas probet, sed ut probet esse *dantis*, non ejus quem illi volebant, *ministri* scilicet, sive *operantis*, sed ipsius Dei. Quod autem *fidei* tribuit, nihil obstare, quin et Deo vindicet, cum quidquid impetratur a Deo, per fidem in Deum, id recte dici possit a hoc totum proficisci, et illi uni acceptum referri. Hoc etsi vere dici posse non negamus, cum tamen Optatus exerte, *Deum vacasse, fidem tantummodo operatam esse, nihil de virtute sua promisisse, sed post fidem alienam interrogasse;* eam esse Optati mentem non puto. An igitur hoc *certe*, quasi ironice concedentis est? *certe dantis est*, etc. an *certe?* q. d. an tu? *dantis est, non accipientis?* M. Casaub.

(70) *De secreto.* Secreta matrimonii, Tertullianos: res obscœnas ita explicabant, *si invenires aliquem Catechumenum.* Hoc exemplum potest convenire in Catechumenum qui fidem detrectaret: sed inde non efficies personam baptizantis plus conferre quam sacramentum. Albasp.

(71) *Scabrosissimos mores* dicit. Incert.

(72) *Innovationem.* Regenerationem. Albasp.

(73) *In qua non legitur aliquis leprosum illum Syrum*, etc. Aliæ editiones: *In qua non legitur aliquis illum leprosum Syrum ante dictum vel jussione Helisæi*, etc. Scribo: *In qua non legitur aliquis leprosum Syrum ante dictum, vel jussionem Helisæi*, etc. Videtur idem mox iterum dicere. Possumus tamen a tautologiæ vitio defendere, si, ut suadent ejus verba diligentius expensa, ita distinguamus: Non omnino legitur aliquis illum lavisse, unde colligamus ideo iterum illum lavatum, ut melius lavaretur. Sed neque hujus collectionis ea necessitas est, ut sufficiat vobis, si prius illud legeretur, nisi et illud quoque expressum esset, ideo iterum totum eum esse, quod prima lotio nihil profecisset. Quod tamen et ipsum si legeretur, ne sic quidem causam obtineretis, cum si contigisset, ideo contigisset, non ut personarum, sed ut aquarum discrimen fieret, idque ad fidem futuræ aliquando Jordanis fluvii, præ cæteris excellentiæ.
M. Casaub.

(74) *Resurrectio repræsentet.* Resurrectio repræsentat regnum Dei et beatitudinem. Albasp.

familias Deus in suo convivio agnoscat, cum præsentia [a] multorum gaudeat, et de aliquorum absentia contristetur. Et [b] multos dicat vocatos, paucos vero electos; nihil erit, quod irascatur vestem nuptialem non habenti, (75) cum Filius Dei ipse Christus sit sponsus (*Matth.* XXII) : et vestis et tunica natans in aqua, quæ multos vestiat et infinitos exspectet, nec vestiendo deficiat. Sed ne quis dicat, temere a me Filium Dei vestem esse dictum, legat Apostolum dicentem : *quotquot in nomine Christi baptizati estis, Christum induistis* [c] (*Galat.* III, 27). O tunica semper una et (76) immutabilis! quæ decenter vestiat et omnes ætates et formas, nec in infantibus (77) rugatur, nec in juvenibus tenditur, nec (78) in fœminis immutatur. Aderit profecto ille dies, ut cœlestes nuptiæ incipiant celebrari : illic qui baptisma singulare servaverint, securi discumbent. Nam quicumque a vobis se rebaptizari consenserit, hujusmodi homini non denegatur resurrectio, quia credidit in resurrectionem carnis; resurget quidem, sed nudus. Sed quia nuptiali veste a vobis se expoliari permisit, hanc patrisfamilias auditurus est vocem : (79) *Amice*, hoc est dicere, agnosco te; *aliquando renuntiaveras Diabolo, et ad me conversus fueras; et dederam tibi vestem nuptialem : ut quid sic venisti non habens quod tibi dedi?* hoc est dicere : quare non habes quod tibi dedi? Nemo enim potest irasci non habenti rem, quæ data non sit. Vestem nuptialem inter istos acceperas, et solus non habes? quare nudus et lugubris venisti? quis tibi detraxit spolia? quas fraudulentas adisti fauces? quos incurristi latrones? Quotquot tales venturi sunt [d], locum in illo convivio non habebunt [e].

XI. *Cum mortuos infantes rebaptizare non possint Donatistæ, cur viventes rebaptizant?* — Et ut vel sero compendium faciam, credo etiam hoc sufficere; etsi tot probationes minime diceremus : vobis absentibus, verbo tenus baptizati sunt mille : ex his sorte sua defuncti sunt centum. Abstinete paulisper ab hoc scelere manus. Sanctitas, ut dicitis, vestra, primo resuscitet sepultos; emendet, si potest, mortuos; et sic revertatur ad vivos. Si mortuos suscitare non potestis, ut quid viventibus conamini manus inferre? nisi ut compleatur quod per Ezechielem Prophetam locutus est Deus, dicens : *ut occiderent animas, quas non oportuit mori* (*Ezech.* XIII, 19).

LECTIONES VARIANTES.

[a] In ms. S. G. *ad præsentiam.*
[b] In ms. S. G. *Ut.*
[c] In ms. S. G. *vos vestistis.*
[d] In ms. S. G. additur, *hoc exemplo.*
[e] Hic finitur quintus liber in omnibus mss. et habetur, *Explicit liber quintus.* Quæ sequuntur, quia ad hunc librum pertinent, videnturque hujus libri conclusio, adjecimus ex codice S. G. in quo superius erant posita loco non suo, ut observavimus.

VARIORUM NOTÆ.

(75) *Cum Filius Dei ipse Christus sit sponsus*, etc. Cave tibi imponat illud, cum quasi causæ præiret, non enim causam reddit superiorum Optatus, sed idem prosequitur, addita obiter vestis illius descriptione, et mystica designatione, quæ nimirum Christus ipse, etc. Ita autem puto legendum : *Nihil erat quod irascatur vestem nuptialem non habenti : cum Filius Dei ipse sit sponsus, et vestis, et tunica, natos in aqua* (id est, *baptizatos*, ut mox interpretatur : quos et *natos*, alibi quoque non semel :) *quæ multos vestiat et inf.*, etc. Ita præter alios loquitur, et Victor Uticens., de persec. Vandalic. lib. III, de Elpidoforo quodam apostata : *Hic enim dudum*, inquit ille, *fuerat apud nos in Ecclesia Fausti baptizatus, quem venerabilis Macarius diaconus de alveo fontis susceperat generatum.* Cujus eo libentius memini, quod vellem ejus verba cum Optato conferri, cum non gemina solum, ac amplior parabolæ illius de veste nuptiali, quæ mox in Optato sequitur explicatio, apud illum exstet; sed et sabanorum, sive linteaminum, quibus recens baptizatos cingere et tegere mos olim, mentionem faciat, quæ et ad ejusdem parabolæ interpretationem pertinere videntur. M. CASAUB. *Locus a nobis restitutus.*

(76) *Innumerabilem.* Eleganter unam Christi tunicam dicit. INCERT.

(77) *Rugatur.* Nimis laxa. ALBASP.

(78) *In fœminis immutatur.* Convenit et aptari potest mulieribus et viris. ALBASP.

(79) *Amice, hoc est, dicere cognosco te*, etc. Nihil confusius aliquot hisce lineis ut hic editæ sunt, et vulgo eduntur. Sed et mendo non carent. Scribe igitur, me spondente, *amice : hoc est dicere, cognosco te* (ideo et amicum compello, scilicet) *cum aliquando renuntiaveras Diabolo, et ad me conversus fueras, et dederam tibi vestem nuptialem, ut quid sic venisti non habens vestem nuptialem? hoc est dicere, quare non habes quod tibi dedi? Nemo enim irasci potest non habenti rem, quæ data non sit. Vestem nuptialem*, etc. M. CASAUB. *Restitutus a nobis locus.*

90 LIBER SEXTUS.

In hoc sexto libro ostenditur [a] *episcopos partis Donati contra legem fregisse altaria, et inconsiderate conflasse, et passim vendidisse vasa dominica, et lavisse quæ lavanda non erant, et mitellas puellis mutasse, de quibus nulla scriptura legitur.*

I. *Impie ac stulte Donatistas altaria fregisse vel rasisse.* — Ut mihi videtur [b], liquido demonstratum est, in divinis sacramentis quid nefarie feceritis. Jam illa ostendenda sunt, quæ crudeliter ac stulte vos fecisse, negare minime poteritis. Quid enim tam sacrilegum, quam altaria Dei (in quibus et vos ali-

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. S. T. et P. S. *continetur hoc est*, In ms. S. G. *ostenduntur schismata, hoc est, Episcopi.*
[b] Ita in ms. S. G. longe melius quam in mss. S. T. et P. S. et in editis, *Indubitanter liquido.*
[c] In ms. S. G. additur hic *admissum sit.*

Digitized by Google

quando obtulistis) frangere, radere, removere? in quibus et (1) vota populi, et (2) membra Christi portata sunt : quo Deus omnipotens invocatus sit : quo postulatus descenderit Spiritus sanctus : unde a multis et (3) pignus salutis æternæ, et tutela fidei, et (4) spes resurrectionis accepta est. Altaria, inquam, (5) quibus fraternitatis munera non jussit Salvator imponi [a], nisi quæ essent de pace condita : *Depone*, inquit, *munus tuum ante altare, et redi prius, concorda cum fratre tuo, ut possit pro te sacerdos offerre* (*Matth.* v, 24). Quid est enim altare, (6) nisi sedes et corporis et sanguinis Christi? hæc omnia furor vester aut rasit, aut fregit, aut removit. Hoc igitur inexpiabile nefas, si de aliqua ratione descendit, uno modo fieri debuit. Sed, ut æstimo, alio loco copia lignorum frangi jussit [b], aliis vero ut altaria raderent, lignorum inopia imperavit; ut autem alii removerent, ex parte (7) verecundia persuasit [c] : ubique tamen nefas est, dum (8) tantæ rei manus sacrilegas et impias **91** intulistis. Quid perditorum conductam referam multitudinem, et vinum in mercedem sceleris datum? (9) quod ut immundo ore sacrilegis haustibus biberetur (10), calida de fragmentis altarium facta est (11). Si livoris judicio nos vobis sordidi videbamur, quid vobis fecerat Deus, qui illic invocari consueverat? quid vos offenderat Christus, cujus illic (12) per certa [d] momenta corpus et sanguis habitabant? (13) quid offendistis etiam vos ipsi, ut illa altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum spatia, sancte (ut arbitramini) obtulistis? Dum impie persequimini (14) manus nostras illic ubi corpus Christi habitabat, feristis et vestras. Hoc modo Judæos estis imitati : illi injecerunt manus Christo (15) in cruce : a vobis percussus est in altari. Si Catholicos illic insectari voluistis, vel vestris illic (16) antiquis oblationibus parceretis : ibi modo (17) superbus inventus es, ubi jamdudum humilis offerebas : ibi libenter peccas, ubi pro multorum peccatis orare consueveras. Hoc faciendo in numerum sacrilegorum sacerdotum libenter intrastis, sociati sceleribus profanorum, de quibus apud Dominum Elias Propheta querelam deponit [e] : his enim locutus est verbis, quibus et vos inter alios ab ipso accusari meruistis : *Domine* (inquit), *altaria tua confregerunt* (III *Reg.* XI, 10). Dum dicit *tua*, indicat quia res est Dei, ubi Deo aliquid a quocumque oblatum est. Sufficeret insaniæ vestræ, quod membra laniastis Ecclesiæ; quod Dei populos jamdudum in unitate positos, vestris seductionibus divisistis. Inter hæc omnia vel altaribus parceretis. (18) Cur

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. S. T. et P. S. *poni*.
[b] Hæc et sequentia usque ad *imperavit*, extant in ms. S. G. et desunt in ms. S. T.
[c] Ita in ms. S. G. In mss. S. T. et P. S. *jussit*.
[d] In mss. S. T. et P. S. *cætera*.
[e] In ms. S. G. *Apud Deum ab Elia Propheta querela deponitur*.

VARIORUM NOTÆ.

(1) *Vota populi*. Ab episcopo vota populi, et ad altare offerebantur. ALBASP.

(2) *Membra Christi*. Præter corpus Christi quod in altari offertur, fideles etiam qui cum eodem corpore uniti et adunati sunt, offeruntur. ALBASP.

(3) *Pignus salutis æternæ*. Ex divo Paulo : *Vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum in vobis*. ALBASP.

(4) *Spes resurrectionis*. Spiritus Dei conservatur in nobis cujus vi corpora nostra resurgent. Ad Ephesios : *In quo credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ*. Nota modum loquendi *unde a multis* : hoc est, preces factas in altari tamquam in solemniori loco, et ubi Deus vult exorari, multi acceperunt Spiritum sanctum. ALBASP.

(5) *In quibus fraternitatis munera*. De oblationibus fidelium quæ in altari consecrarentur hic locus accipiendus; ex quo liquet omnes olim fideles oblationes obtulisse, et eas in altari consecratas fuisse. ALBASP.

(6) *Nisi sedes corporis*. Quia ex illis oblationibus corpus Christi conficiebatur. ALBASP.

(7) *Verecundia*. Ne scilicet viderentur cum Orthodoxis communicare, et hoc duplici de causa : prima, quia Orthodoxorum consecrationem approbassent si in altari ab illis consecrato obtulissent : secunda, qui offert in altari in quo Episcopi obtulerunt, cum eis communicare videtur, quia altare est sedes oblationum et locus in quo fieri debet, et ad quem Deus magis respicit. ALBASP.

(8) *Tantæ rei*. Altaribus. ALBASP.

(9) *Quod ut immundo opere*, etc. Scribe *immundo ore*, ex fide iteratæ ab Fr. Balduino editionis. INCERT.

(10) *Calida de fragmentis altarium facta est*. De usu calidæ apud antiquos, tam mixtæ quam puræ, jam multi multis. Quia tamen non desunt viri doctissimi, qui *calidam* aliter interpretentur, et aquam aut non omnino, aut nonnisi in ægrorum aut infirmiorum gratiam, calefieri solitam ab antiquis asserant, dignus hic locus qui observetur a lectore; qui vel unus refellendæ isti opinioni sufficiat. M. CASAUB.

(11) *Calida facta est*. Ut admisceretur vino; nam communis erat aquæ calidæ usus apud antiquos. DU PIN.

(12) *Per certa momenta*. Ubi aliquando corpus Christi servabatur. ALBASP.

(13) *Quid nos offendistis*. Basilicas, quas a Juliano acceperant, postea reddiderunt Donatistæ : de earum altaribus loquitur. ALBASP.

(14) *Manus nostras*. Sacrificia nostra et vestra. ALBASP.

(15) *In cruce*. Crux est altare sacrificii cruenti, altaria autem nostra sunt incruenti : quare recte a cruce ad altaria argumentatur. ALBASP.

(16) *Antiquis oblationibus*. Oblationes quæ in illis altaribus factæ essent tempore D. Cypriani, ad Donatistas non minus pertinebant quam ad Orthodoxos : ad eas videtur respexisse, cum ait, *antiquis*. ALBASP.

(17) *Superbus*. A superbia Donati cæteri superbi vocari poterant : sed, ni fallor, eos vocat hoc loco superbos, quod se puros jactarent; et cum omnes Presbyteri inter sacra sese peccatores et tanti sacrificii indignos sacerdotes sese dicerent, ii se Catharos profiterentur. ALBASP.

(18) *Cur vota*. Nota insignes altarium laudes et nomina : sedes corporis Christi; scala orationum; via precum; ascensus supplicationum; habitatio corporis Christi; locus invocationis; ara Christi; crux Christi; munerum locus; portator membrorum Christi; descensus et porta Spiritus sancti. ALBASP.

Ibid. *Cur vota et desideria hominum*, etc. Fr. Balduini. INCERT.

Digitized by Google

vota et (19) desideria hominum cum ipsis altaribus confregistis? illinc enim ad aures Dei ascendere populi solebat oratio : cur concidistis precibus viam? et ne ad Deum supplicatio de more solito ascensum haberet, impia manu quodammodo scalam subducere laborastis? et tamen cum omnium vestrum una sit (20) conjuratio, in hoc titulo simili errore dissimiliter deliquistis. (21) Si sufficerat removere, non licuit frangere : si oportuit [a] frangere, (22) rasisse peccatum est : (23) si enim non licuit, sicut inter vos placuit, recte videtur fregisse, qui fregit [b]. Jam reus est, qui majorem partem radendo servavit. Quæ est ista nova et stulta sapientia, novitatem quærere (24) in visceribus vetustatis [c] (25)? et remota quasi quadam 92 corporis cute, in latente corpore cutem quasi alteram quærere. (26) Donum [d] (27), quod ad se pertinet et in se totum est, quod unum est, inde [e] cum aliquid fuerit ablatum, minui potest, non potest immutari [f]. Rasisti equidem quod tibi visum est : sed adhuc ibi est quod odisti. Quid, quod si sic conjurastis, ut quæ a nobis in nomine Dei (28) in ipso ministerio tacta sunt, immunda viderentur? quis fidelium nescit, in peragendis mysteriis ipsa ligna (29) linteamine cooperiri? Inter ipsa sacramenta velamen potuit tangi, non lignum; aut si tactu possunt penetrari velamina, ergo penetrantur et ligna; si penetrari possunt ligna, penetratur et terra; si a vobis lignum raditur, et terra quæ subter est fodiatur, (30) altam facite scrobem, dum pro vestro arbitrio quæritis puritatem. Sed observate, ne veniatis ad inferos, et illic inveniatis Core, Dathan et Abiron schismaticos, magistros scilicet vestros (*Num.* xv). Ergo et fregisse vos et rasisse constat altaria : quid est, quod in hac re subinde [g] vester quasi languere visus est furor? vidimus [h] enim vos postea mutasse consilium, et altaria a vobis jam non frangi, nec radi [i], sed tantummodo removeri. Si hoc sufficiebat, illa quæ prius a vobis facta sunt et vos judicatis [j], quia fieri minime debuerunt.

II. *Donatistas sacrilege calices fregisse et vendidisse.* —Hoc tamen immane facinus a vobis geminatum est, dum fregistis etiam calices, Christi sanguinis portatores [k] : quorum (31) species revocastis in massas, (32) merces nefariis nundinis procurantes [l], ad quam mercem nec emptores (33) eligere voluistis : avari, dum venditis [m]; sacrilegi [n], dum inconsiderate

LECTIONES VARIANTES.

[a] Hic incipit ms. S. Pauli Cormaricensis, nunc Bibliothecæ Colbertinæ n. 1951.
[b] Ita in mss. Colb. et S. G. In aliis, *qui fregerit.*
[c] Ita in omnibus mss. Male in ultima editione, *majestatis.*
[d] Ita in mss. Colb. et S. G. In mss. S. T. et P. S. et in quibusdam editis, *donec.*
[e] Ita in ms. S. G. In aliis, *unde.*
[f] Ita in mss. Colb. et S. G. In aliis, *mutari non potest.*
[g] Ita in mss. Colb. et S. G. In mss. S. T. et P. S. *subito.*
[h] In ms. S. T. *vidimus.*
[i] Ita in mss. C. et S. G. In mss. S. T. et Ph. S. *sed radi*; quod non cohæret cum prædictis.
[j] Ita in mss. In editis, *judicatis.*
[k] Ita in mss. C. et S. G. male in mss. S. T. et P. S. *portitores.*
[l] Ita in mss. C. et S. G. In mss. S. T. et P. S. *mercedem nefariis nundinis provocantes.*
[m] Hæc verba supplevimus ex mss. C. et S. G.
[n] In mss. C. et S. G. *sacrilegium admisistis.*

VARIORUM NOTÆ.

(19) *Desideria.* Vide an huc faciat vetus glossarium, *desiderata : λειτουργία, τελετή.* INCERT.

(20) *Conjuratio.* Cum in hac materia omnium eadem sit sententia, cur tam diverse de altaribus statuistis? ALBASP.

(21) *Sic* (lege *si*) *sufficerat removere, non licuit frangere. Si oportuit frangere, transisse peccatum est. Rasisse peccatum est*, ex Fr. Balduini editione II. INC.

(22) *Rasisse peccatum.* Quia major remanet, et si ea radatis; in quo cum offeratis nobiscum, communicatis; et ita peccatis. ALBASP.

(23) *Si enim non licuit*, etc. Scribe : *Si enim non licuit; si ut inter vos placuit recte videtur*, etc. Hic quoque videtur ab Optato quædam ταυτολογία admissa, quam parva mutatione tollere perquam facile. Sed quædam tolerare, interdum satius, quam in alienis scriptis nimis acutos esse. In proxima periodo miror quomodo *majestatis* pro *vetustatis* quod antea erat, irrepserit in hanc editionem. Nam Balduinum apage ut credamus tam obesæ naris fuisse, ut non perceperit ab hac una voce haud vulgaris acuminis sententiam totam pendere. Etsi autem quod vulgo dicimus, *majores nostri*, ab aliquibus, ut Varrone in satyra, quæ ταφὴ Μενίππου inscribitur, *antiqui nostri*, dictum sit; haud puto tamen umquam fuisse, qui *majestatem* pro *antiquitate* aut *vetustate*, dixerit; aut id illis in mentem venisse, per quos factum ut *majestas* hoc loco pro *vetustate* legeretur. M. CASAUB.

(24) *In visceribus majestatis.* In editione Germanica; *vetustatis :* sed *majestatis* verbum retineri potest, sensusque est : altare res est divina, cujus cum primam cutem rasistis, ea quæ renascitur est etiam divina, quia totum caput est divinum : ideo novitatem quæritis in visceribus rei divinæ, sed eam non invenietis, quia tota est, et viscera etiam sunt divina. ALBASP. *Ita restitutum ex mss.*

Ibid. *In visceribus vetustatis.* Eadem editio Bald., *majestatis.* INCERT.

(25) *Novitatem quærere in visceribus vetustatis.* His Optati verbis hæc subest notio : quid vos juvat, o Donatistæ, altaria radere, quasi radendo ea innovare et immutare possitis? viscera, hoc est, interiores partes altaris, vetusta sunt; vos tamen veltis novitatem in eis quærere radendo exteriora : quasi detracta corporis cute exteriori, aliam quæreretis cutem in interioribus partibus corporis. DU PIN.

(26) *Donec ad se pertinet, et in se totum est, quod unum est.* Hæc omnia non agnoscit eadem editio. INCERT. *Hic locus a nobis restitutus est.*

(27) *Donum.* Altaris consecratio unica et indivisibilis est, unde cum ex altari aliquid abstuleris, minuere potes altare; at non immutare, hoc est e consecrato impurum, aut ex impuro sacrum reddere. DU PIN.

(28) *In ipso ministerio.* Eadem, *mysterio.* INCERT.

(29) *Linteamine.* Linteis consecratis et sanctificatis altaria olim tegebantur et ornabantur. ALBASP.

(30) *Altam facite scrobem.* Sic etiam feminino genere scrobem extulit Lucanus, lib. VIII.

Exigua trepidus posuit scrobe nobile corpus.

Aliis fere masculini generis est. INCERT.

(31) *Species.* Partes. ALBASP.

(32) *Mercedem nefariis nundinis provocantes.* Fr. Balduini editio II, *mercem nefariis nundinis procurantes.* INCERT.

(33) *Eligere.* Debueratis eos vendere Christianis, ne in sordidos usus a Paganis emerentur. ALBASP.

Digitized by Google

vendidistis. (34) Passi estis etiam (35) comburi manus vestras (36), quibus ante nos eosdem calices tractabatis. Eam rem cum [a] passim vendi jussistis, emerunt forsitan in usus suos sordidæ mulieres, emerunt pagani, facturi vasa, in quibus incenderent Idolia suis. O scelus nefarium! o facinus inauditum! auferre Deo quod Idolis præstes; subducere Christo, quod proficiat sacrilegio.

III. *Retunditur excusatio Donatistarum, quod polluta fuerint altaria et vasa sacra a Catholicis.*—Sed video hoc vos loco invidiam nobis falso conflantes, ad Aggæum Prophetam velle confugere, ubi scriptum est: *Quæ tetigerit pollutus, polluta sunt* (*Agg.* II, 14). Livore interveniente facile est iratis jactare convicium; sed semper dum intenditur crimen, necessaria est manifesta probatio. Quis enim nostrum intravit templa? quis vidit sacra sacrilega? (37) Pollui homines possunt fumis, nidoribus, sacrilegiis, sacrificiis, sanguine: sed in hac causa quis ingressus est templum? quis incendit Idolis? quis immundis nidoribus maculatus est? quis sanguinem vel pecudis immundæ vel hominis fundi aspexit? quem probatis ad aliquod facinus commodasse consilium? in societate [b] alicujus sceleris vel unum Episcopum convincite, si potestis. De nescio quo Primate [c] suspicamini, qui eodem tempore ambulasse dicebatur. Suspicio non est idoneum crimen. Quis eum accusavit? quis eum convicit? ubi A 93 vel erubuit, vel confusus est? servate vobis suspiciones vestras. Igitur, sicut supra diximus, in hac causa quidquid aspere fieri potuit, dum illa res (38) in origine revocatur, ad Principes vestros pertinere monstravimus; unde est quod Catholicos quasi pollutos appellas? an quia voluntatem et jussionem Dei secuti sumus, amando pacem, communicando toto orbi terrarum, (39) sociati Orientalibus: ubi secundum hominem suum natus est Christus; ubi ejus sancta sunt impressa vestigia; ubi ambulaverunt adorandi pedes; ubi ab ipso Filio Dei [d] factæ sunt tot et tantæ virtutes; ubi eum sunt tot apostoli comitati; ubi est septiformis Ecclesia, a qua vos concisos esse, non solum non doletis, sed quodammodo gratulamini. (40) Quia unitatem Deo placitam amavimus [e], pollutos vocatis [f]: quia Corinthiis, Galatis, B Thessalonicensibus (41) assensum accommodavimus, communionemque conjunximus, pollutos vocatis: quia (42) furtivas vobiscum non legimus lectiones, pollutos vocatis: aut negate vos (43) alienas lectiones legere, si potestis. (44) Ut quid audetis Epistolas ad Corinthios scriptas legere, qui Corinthiis communicare noluistis? ut quid ad Galatas, ad Thessalonicenses scripta recitatis, in quorum communione non estis? Cum hæc omnia ita esse constet, intelligite vos ab Ecclesia sancta esse concisos, et nos non esse pollutos. Ubi est ergo quod tibi putas Aggæum

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. *tam*. In editis, *tamen*.
[b] In mss. C. et S. G. *in societatem*.
[c] Hæc omnia usque ad hæc verba, *sicut supra diximus*, C supplevimus ex mss. C. et S. G. quæ omissa sunt in mss. S. T. et P. S. necnon in editis.
[d] Hæc supplevimus ex mss. C. et S. G.
[e] In mss. S. T. et P. S. *habemus*.
[f] In mss. S. T. et P. S. *vocas*.

VARIORUM NOTÆ.

(34) *Passi estis etiam comburi manus vestras, quibus*, etc. Conjiciebam: *Passi essetis etiam*, eodem scilicet igne, quo sancta vasa sunt conflata, vestras quoque manus expiari, etc. Sed cum jam antea dixerit: *Dum impie persequimini manus nostras illic ubi corpus Christi habitabat, feristis* (feritis? an feristis, per crasin pro feriistis?) *et vestras*: infra quoque: *Altaria, et vasa supra memorata, et in manibus vestris jamdudum furrant et in nostris. Si infamatis manus nostras, quare illic damnatis et vestras?* Etiam hic fortasse idem voluit, τὸ *inconsiderate* quod paulo ante, idem quod *passim*, quod mox sequitur; sive ut idem Optatus, *non electo emptore;* nullo emptorum, piorum aut impiorum, Paganorum an Christianorum, discrimine habito. M. Casaub.

(35) *Comburi manus vestras.* Liquefieri calices in quibus obtulistis et confecistis sanguinem Christi. D Albasp.

(36) *Comburi manus vestras.* Censentur comburi manus cum comburuntur vasa quæ tractaverunt. Eodem sensu antea dixit: *Dum impie persequimini manus nostras illic ubi corpus Christi habitabat feristis et vestras*: eodem modo hic sumitur τὸ *comburere*, ut illic τὸ *ferire*: infra quoque: *si infamatis manus nostras, quare illic damnatis et vestras.* Du Pin.

(37) *Pollui homines possunt fumis sacrilegis*, etc. Priores *pollui homines possunt fumi nidoribus, sacrilego sanguine.* Puto Optatum scripsisse, *pollui homines possunt fumi sacrilegis*, vel, *sacrilegis nidoribus, sacrilego sacrificii sanguine*, etc. M. Casaub.

(38) *In origine.* De unitate factâ per Macarium loquitur quæ ad Donatum tanquam ad Arionem est referenda. Albasp.

(39) *Sociati orientalibus.* Suspectos habebant Afros, Hispanos, Gallos, Italos, quia Donatum damnaverant et cum Cæciliano communicaverant; sed in Orientales nihil quidquam fingere poterant; quare Optatus sæpissimè eis objicit quod non communicarent cum Orientalibus, *in* quos nihil habebant quod dicerent. Albasp.

(40) *Quia unitatem Deo placitam habemus.* Eadem, *amavimus.* Incert.

(41) *Assensum accommodavimus.* Quia communicavimus cum eis: nulla enim major communicatio quam per assensum, uti ait divus Augustinus contra Donatistas. Albasp.

(42) *Furtivas.* Corruptas Scripturæ lectiones: vel vocat furtivas, quia cum non communicarent Ecclesiis quibus scriptæ essent divi Pauli epistolæ, eas quasi furari viderentur. Albasp.

(43) *Alienas.* Si furtivas non legitis: probate vos non alienas legere lectiones, cum de epistolis sacris legitis: hoc autem non potestis probare, quia non communicatis cum Ecclesiis quibus illæ epistolæ scriptæ sunt. Albasp.

(44) *Ut quid audetis.* D. Augustinus eodem utitur argumento, epist. CLXV. *Quid autem perversius et insanius quàm lectoribus easdem epistolas legentibus, dicere, pax tecum, et ab earum Ecclesiarum pace separari quibus ipsæ epistolæ scriptæ sunt?* Cujus vim non facile est reperire, nam poterant epistolas legere, etsi non communicarent iis quibus scriptæ essent: nisi dicas D. Paulum communicasse cum Galatis, et Donatistas communicare cum D. Paulo; et tamen non communicare cum Galatis: quod absurdum videbatur. Albasp.

Digitized by Google

prophetam posse succurrere? (45) Igitur altaria et vasa [a] supra memorata, et in manibus vestris jamdudum fuerant, et in nostris : si [b] infamatis manus nostras, quare illic damnatis et vestras? Sed dicitis lectum esse : *Quod tetigerit pollutus, pollutum est :* fac aliquem pollutum esse, ut possint ab eo tacta videri (46) polluta : esto si solus sit tactus, et non interveniat invocatio nominis Dei, quæ et tetigerit pollutus, polluta erunt, inquinari possunt si de Deo taceatur. Nam si sit invocatio nominis Dei, ipsa invocatio sanctificat et quod pollutum esse videbatur [c]. Denique cum ducenta et quinquaginta thuribula, quæ sacrilegorum et peccatorum manibus portabantur, cum eosdem peccatores absorberet terra, remanserunt de manibus eorum excussa thuribula. Et dum dubitaret Aaron sanctus sacerdos, quidnam de iis faceret, audivit vocem Dei dicentis : *Tolle Aaron hæc vasa, et fac inde laminas, et pone in angulis arcæ testamenti Domini, quoniam licet illi peccaverint qui ea ferebant; tamen vasa illa sancta sunt, quia nomen meum illic invocatum est, dicit Deus* (*Num* xvi, 37, 38) : et utique plus est portare quam tangere. Ergo jam liquido apparet, ex invocatione nominis Dei posse aliquid sanctificari, etiam (47) si peccator invocet Deum; non enim tantam vim potest habere (48) tactus, quantam habet divini nominis invocatio : nam et vos, qui vobis de vestra sanctitate præsumitis, dicite, si tactus sanctificat aut invocatio; utique invocatio, non tactus : aut si de solo tactu præsumitis, tangite (49) tabulam, lapidem, vestem : videamus an sancta esse possint, si de Deo taceatur.

IV. *Virgines Deo sacratas a Donatistis immerito virginitatis ornamento spoliatas.* —Jam illud quam stultum, quam vanum est, quod ad voluntatem, et quasi ad dignitatem vestram revocare voluistis, (50) ut virgines Dei agere pœnitentiam (51) discerent [d]: **94** ut (52) jamdudum professæ, signa voluntatis capitibus, postea vobis jubentibus immutarent; (53) ut mitellas (54) alias [e] projicerent, et alias acciperent.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Habentur hæc in mss. C. et S. G. In aliis, *tua*: sed male.

[b] Hæc desunt in ms. S. T.

[c] In mss. C. et S. G. *putabatur.*

[d] In mss. S. T. et P. S. *agerent pœnitentiam discentes.*

[e] In mss. S. T. et P. S. *aureas.*

VARIORUM NOTÆ.

(45) *Igitur altaria tua supra memorata.* Emenda ex integriore Fr. Balduini libro 1, *altaria et vasa supra memorata.* Quæ continuo sequuntur mutila sunt, restitue ex eodem codice : *Igitur altaria et vasa supra memorata et in manibus vestris jamdudum fuerant et in nostris. Si infamatis manus nostras, quare illic damnatis et vestras?* INCERT.

(46) *Polluta si solus tactus.* Idem liber : *polluta, esto, solus tactus sit.* INCERT.

(47) *Si peccator.* Si is qui sacramenta celebrat, sit peccator. ALBASP.

(48) *Tactus.* Actio celebrantis. ALBASP.

(49) *Tabulam.* Aras consecrabant et vestes. ALBASP.

(50) *Ut virgines.* Loquitur de virginibus, quæ essent baptizatæ ante schisma, aut de iis quæ post rebaptizationem ad Catholicos transierant, quibus pœnitentiam imponebant Donatistæ, quod cum Catholicis communicassent. ALBASP.

(51) Τὸ *Discentes* ejecit Fr. Balduini editio 2. INCERT.

(52) *Ut jamdudum professæ, signa voluntatis capitibus*, etc. Fallor an Optatus scripsit, *ut jamdudum professæ, signa voluntatis capitibus imposita vobis jubentibus immutarent.* Nam *profiteri et professæ* ἁπλῶς vulgare est, sed *capite profiteri signa voluntatis*, mihi non observatum quemquam ita loqui. *Capiti* autem *imponere*, de his ipsis mitellis iterum Optatus post unam aut alteram paginam. Sequitur in hac editione Balduiniana, *ut mitrellas alias projicerent alias*, etc. quod antea legebatur, *ut mitellas aureas projicerent, alias*, etc. quod et nuperis editoribus magis arrisit. Sane purpureas fuisse mitellas illas, Optatus ipse docet in sequentibus. Sed *aureas* quoque fuisse vix ipsi Optato crediderim. Quod hic autem *mitrellas*, in aliis magis Latine *mitellas;* quamvis et *mitrulas* a Julio Solino formatum non ignoramus. M. CASAUB.

(53) *Ut mitellas aureas projicerent.* Eadem, *ut mitrellas alias projicerent.* Virgilius in catalectis :

Copa Syrisca caput grata redimita mitella.

Cicero pro Rabirio Posthumio : *Deliciarum causa et voluptatis, non modo cives Romanos et nobiles adolescentes, et quosdam etiam Senatores summo loco natos, non in hortis et suburbiis suis, sed Neapoli in celeberrimo oppido cum mitella sæpe videmus.* Ubi alia exemplaria habent, *mitrella.* Cornelio Celso summæ elegantiæ medico, lib. VIII, c. 10 : *mitella* est linteum in quo brachium fractum læsumve suspenditur ad collum. Optatus Nonnarum sive sacrarum virginum vittas sive vela (unde Belgis nostris *Wiele, Wiedoech, et Wiile*) *Mitrellas* vocat, quasi parvas mitras dicas. *Mitra* verbum esse Syriacum (Græci dicunt διάδημα, Latini vittam), monuerunt jamdudum viri docti, et proprie significat vinculum aut redimiculum. Poëta :

Et tunicæ manicas, et habent redimicula mitræ.

Vide ibi Servium. INCERT. *Inutilis nota post emendationem nostram.*

(54) *Mitellas.* Mitra seu Mitella generatim vittæ seu fasciæ genus quo redimitur aliquid, apud Homerum usurpatur pro cingulo militari, quo ilia et venter cingebantur. Apud Herodotum, Euripidem, Moschum, aliosque Græcos μίτρα sumitur pro fascia quæ caput involvebat. Latinis idem etiam est mitra. Cicero pro Rabirio : *Deliciarum causa et voluptatis non modo cives Romanos et nobiles adolescentes et quosdam etiam Senatores summo loco natos non in hortis et suburbiis suis, sed Neapoli in celeberrimo oppido cum mitella sæpe videmus.* Mitrarum mitellarumque quibus redimita erant capita præsertim feminarum meminere Poetæ Latini, ut Virgilius, Propertius, Juvenalis, Claudianus. Ut autem observat Servius ad Æneidos l. IX : mitræ feminarum sunt ut pilei virorum. Tertullianus in lib. de Velandis virginibus : *Christus est*, inquit, *qui et alienas sponsas et maritatas velare jubet, utique multo magis suas; sed vos admonemus alterius pudicitiæ mulieres quæ in nuptias incidistis, ne sic velaminis exolescatis.... mitris enim et lanis quædam non velant caput, sed colligant a fronte quidem protectæ, qua proprie caput est renudæ. Aliæ modice linteolis, credo, ne caput premant, nec ad aures usque demissis cerebro tenus operiuntur.* Ex hoc loco Tertulliani intelligere est, mitras seu mitellas ornamentum fuisse tum maritatarum, ut loquitur, tum etiam virginum Deo desponsatarum. Inde etiam colligitur, quomodo mitella signum esset professæ virginitatis, quia scilicet mitræ illæ non erant omnium virginum : nam pleræque non velabantur in Africa antequam nuberent, ut ex hoc libro Tertulliani constat; et licet velarentur,

Digitized by Google

Primo dicite nobis, ubi vobis de mitellis aliquid mandatum est? virginitas enim voluntatis res est, non necessitatis (55). Denique stabularius ille Paulus apostolus (56), cui confossus peccatorum vulneribus populus commendatus est, [a] duos denarios, quos erogasset, acceperat (*Luc.* x. 30), duo scilicet testamenta, hæc per doctrinam (57) quasi sumptus impendit; docuit quomodo conjugales Christiani debeant vivere: a quo cum quæreretur quid de virginibus præciperet? respondit, nihil esse mandatum (I *Cor.* VII, 25). Confessus est se duo testamenta, hoc est, (58) duos denarios erogasse: expliciti erant quodammodo sumptus, (59) sed quia [b] qui saucium commendaverat, promiserat se redditurum quidquid in curam amplius erogasset, post impensos duos denarios, non præcepta, sed consilium erogat Paulus ad virginitatem [c]; nec impedimento est volentibus [d], nec nolentes impellit aut cogit: *Qui dederit virginem suam, bene facit: et qui non dederit, melius facit* (*Ibid.*, 38). Hæc sunt verba consilii: nec ulla sunt præcepta conjuncta, vel de qua lana mitella fieret, aut de qua purpura pingeretur: non enim hoc panno potest virginitas adjuvari: (60) non inde compescuntur æstus animi, quos interdum ætas accendit: non inde sublevatur mens, quæ nonnumquam desideriorum ponderibus premitur. Nam si ita esset, non una, sed plurimæ virginis capiti imponerentur, ut quotiescumque animum carnis desideria pungerent, contra impugnationem mentis mitellarum numerus dimicaret. Res inventa est ad signum capitis, non ad remedium castitatis. Denique (61) talis pannus et errare [e], et rodi, et perire potest; et tamen virginitas, si illæsa sit, sine mitella tuta esse potest. Spiritale nubendi hoc genus est (62): (63) in nuptias sponsi jam **95** venerant voluntate et professione sua; et ut sæcularibus nuptiis se renuntiasse monstrarent, et junctas [f] (64) spiritali sponso, (65) solverant crinem (66), jam cœlestes celebraverant nuptias. Quid est quod eas iterum crines solvere coegistis? quid, inquam, quod ab ipsis per vos exacta est secunda professio? quis est alter spiritalis sponsus, cui iterum nuberent? (67) quando mortuus est, cui nupserant, ut iterum nubant? nudastis denuo capita jam velata, de quibus professionis detraxistis indicia, (68) quæ contra raptores aut petitores videntur inventa. In mitella indicium est voluntatis, non castitatis auxilium: ut rem jam Deo devotam nec qui sponsabat, perseveret petere [g], aut ne raptor audeat [h] violare: signum est ergo, non sacramentum [i] virginitatis [j]. Igitur hujus modi virgines, quæ jam spiritaliter nupserant, quasi secundas coegistis ad [k] nuptias, et (69) ut crines iterum solverent, imperastis. Hoc nec mulieres patenda.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Suppletum ex S. Fulgentio.
[b] Ita in mss. Apud Fulgent. *qui*.
[c] In mss. C. et S. G. *ad virgines*.
[d] Ita in mss. C. et S. G. In ms. S. T. et apud Fulgentium et in editis, *voluntati*.
[e] Ita in omnibus mss.
[f] Hæc vox adjecta est antiqua manu in ms. S. T. et est etiam in ms. P. S. Deest in aliis, sed non videtur omittenda.
[g] In mss. C. et S. G. *repeteret*.
[h] In mss. C. et S. G. *auderet*.
[i] Hæc et sequens verbum, *invenistis*, omissa sunt in mss. C. et S. G.
[j] Ita ex conjectura restituimus pro *invenistis*, quod extat in mss. S. T. et P. S.
[k] In mss. C. et S. G. *in*.

VARIORUM NOTÆ.

mitras tamen instar maritatarum non habebant ut illæ quæ virginitatem professæ fuerant. Mitra ergo erat signum virginitatis: observa etiam jam tum tempore Tertulliani mitras illas fuisse laneas. Du Pin.

(55) *Virginitas enim voluntatis res est*, etc. Hæc usque ad illa verba, *nec nolentes impellit aut cogit*, citantur et referuntur a B. Fulgent. l. II. ad Monimum c. 13. Du Pin.

(56) *Stabularius ille Paulus apostolus*. Alludit ad parabolam hominis qui in latrones inciderat et vulneribus confossus fuerat, quem Samaritanus iter faciens sublevavit et detulit in stabulum relinquens stabulario duos denarios, ut illius curam haberet, (*Luc.* x, v. 30), et Paulum comparat stabulario, qui duos acceperat denarios ut curaret hominem male mulctatum a latronibus, hoc est, homines ægros, male affectos. Duo denarii quos ad id accepit, dicit esse duo testamenta, quorum leges tenentur homines observare ut salvi fiant: ea quæ consilii sunt, ut virginitas, illud esse censet quod stabularius supererogat ultra duos denarios. Ita per allegoriam mentem suam exponit Optatus. Du Pin.

(57) *Quasi sumptus*. Quomodo virginitate aut matrimonio uti debeamus. Albasp.

(58) *Duos denarios erogasse*. Voluntatem Christi explicasse. Albasp.

(59) *Sed quia qui sanciunt*. Ait Paulum nihil aliud de conjugio statuisse, neque a Deo accepisse, qui post impensam Testamentorum doctrinam debebat aliquid suggerere, quam benefacere eum qui virginem suam dederit; et melius qui non dederit. Albasp.

(60) *Non inde compescuntur æstus animi, quos interdum ætas accendit*. Corrige, *ætas accendit*. Incert.

(61) *Talis pannus deturbari potest*. Forte scripsit Optatus, *deturpari*. Incert.

(62) *Spiritale nubendi hoc genus est*. Quia, ut observavimus modo, mitræ non erant, nisi nuptarum feminarum aut Deo sacratarum virginum. Du Pin.

(63) *In nuptias sponsi*. Vovebant Christo virginitatem. Albasp.

(64) *Spiritali sponso solverant crinem. Crimen* cudi oportuit. Sed hoc mendum et sexcenta talia adeo manifesta sunt, ut primo statim aspectu deprehendantur. Sic eadem p. pessime *divus* pro *diutius* editur. Incert.

(65) *Solverent crinem*. Sed et hodie in virginibus consecrandis hic ritus observatur. Albasp.

(66) *Solverant crinem*. Sponsæ solutis crinibus ad sponsum accedebant. Ausonius describens egredientis sponsæ formam, inter alia istud Virgilii ipsi accommodat,

Dederatque comam diffundere ventis. Du Pin.

(67) *Quando mortuus est*. Quia renuntiabant omnibus iis quæ fecerant aut professæ fuerant, cum essent apud Orthodoxos: vel si mavis: Christus cui nupserant, est ne mortuus, quod eas ad secundas nuptias convolare cogitis? Albasp.

(68) *Quæ contra raptores*, etc. Codex Can. Eccl. Afric. de virginibus etiam minoribus velandis: *Item placuit, ut quicumque episcoporum, necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis, cum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur*. M. Casaub.

(69) *Ut crines iterum*. Annotandus ritus nuptialis præter illum de crinibus solvendis, hoc insigni loco!

tiuntur, quæ carnaliter nubunt : ex quibus si alicui maritum mutare contigerit, (70) non repetitur (71) temporalis illa festivitas (72) : (73) non in altum tollitur (74) : non populi frequentia procuratur. Detraxistis igitur non capitis ornamenta, sed (ut supra diximus) bonæ [a] voluntatis (75) indicia. (76) Jam consecratos Deo [b] aspersistis (77) immundis cineribus crines, jussistis etiam salsa aqua perfundi. Et utinam vel id quod tulistis, velociter reponeretis [c] : protraxistis [d] moras, ut retroactæ in pristino habitu, aliquæ diutius remanerent, retractis signis, quibus se jamdudum contra (78) petitores et raptores muniverant [e]. 96 Qui cum viderent, (79) præscriptionem sibi jamdudum oppositam, a vobis esse sublatam, de sponsis raptores effecti sunt : nec visus est sibi unusquisque peccasse, dum talem rapuit, qualem viderat, quando ut uxorem acciperet, postulabat.

V. *Libros sacros et instrumenta dominica a Donatistis per vim Catholicis ablata.* — In hoc genere quanta [f] damna fecistis Deo? quanta lucra Diabolo procurastis? conflastis impie calices : confregistis [g], et inconsulte rasistis altaria : puellas miseras non sine opprobrio, (80) ut secundam mitellam acciperent, coegistis, cum de prima in lectione [h] (81) recitari non possit. Et illud prætermittere nequeo, quod nec Deo est placitum, nec a vestris cultoribus excusari, nec ab aliquo homine defendi potest. (82) Per judicia sæcularia et leges publicas, divinæ legis instrumenta, (83) executione officiorum a plurimis extorquenda esse duxistis [i] : volentes

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. C. et S. G. *meliora.*

[b] Hunc locum corruptum in ms. S. T. et in editis restituimus ex mss. C. et S. G. Ubique habetur, *consecratos*, quod editores in *consecratas* mutaverunt.

[c] Ita in mss. C. et S. G. In mss. S. T. et P. S. et in editis, *revocare velletis.*

[d] In mss. S. T. et P. S. et in editis, *interposuistis.*

[e] In mss. omnibus, excepto ms. P. S. *muraverant*; quod minus elegans.

[f] Ita in mss. C. et S. G. In aliis et in editis, *tanta.*

[g] In mss. *crudeliter fregistis.*

[h] Ita in mss. C. et S. G. In mss. S. T. et P. S. *cum de prima lectione.*

[i] Ita in mss. C. et S. G. In aliis et in editis, *eripienda esse dixistis.*

VARIORUM NOTÆ.

Hoc (nudari sibi nempe capita velata) *nec mulieres patiuntur quæ carnaliter nubunt : ex quibus si aliud maritum mutare contigerit, non repetitur illa temporalis festivitas; non in altum tollitur; non populi frequentia procuratur.* Hæc ille. Exemplum Latiæ gentis, ne quis potius ex more Africano doctum falso in posterum existimet, ecce luculentum in Lucano, ubi de Martia Hortensii vidua dum Catoni secundo nuberet, lib. II,

> Festa coronato non pendent limine serta;
> Infulave in geminos discurrit candida postes,
> Legitimæve faces; gradibusve acolinis eburnis
> Stat torus, et picto vestes discriminat auro :
> Turritave premens frontem matrona corona
> Tralata vitat contingere limina planta.
> Non timidum nuptæ leviter tectura pudorem
> Lutea demissos velarunt flammea vultus. INCERT.

(70) *Non repetitur illa temporalis festivitas*, etc. Proprios Africanorum ritus in nuptiarum sive *festivitatibus*, ut hic Optatus et Sidonius Apoll. lib. I, epist. 5, sive *festis*, ut Aurelius Victor, idem Sidon. Apoll. Symmachus, aliique ab Optato hic tangi cum Balduino censeo. Quamvis enim etiam in Romanorum ritibus aliquid simile, illud tamen huc referri minime debere recte, mea sententia, judicavit vir eruditissimus Petrus Pithœus Adversar. lib. XI, c. 6. Etsi autem eadem aut similis *in altum levatio* Gothis quoque et Longobardis in usu fuerit, ut docet idem vir doctissimus, nec inde tamen, quod ille velle videtur, recte concludas Gothicum hunc et Longobardicum morem fuisse, de quo loquitur hic Optatus. Nam et illud quod paulo ante, *virgines quasi secundus coegistis ad nuptias, ut crines iterum solverent imperatis*, non alienum videtur ab eorum moribus, cum in eorum legibus, *in capillo puella*, de virgine, seu quæ nupta non sit, usitata sit locutio; sed quid Afris tum, cum hæc Optatus cum Gothorum, aut Longobardorum institutis, quorum nescio si vel notum tum nomen in Africa vel auditum. Cæterum quæ seorsim Optatus hic *festivitas et frequentia* conjungens, Arnob. lib. IV, dixit *festas frequentias; et quid de ipsis conjunctionibus loquimur*, inquit, *quando et quasdam nuptias celebrasse et festas habuisse frequentias*, etc. M. CASAUB.

(71) *Temporalis festivitas.* In secundis nuptiis nulla olim festivitas observabatur. ALBASP.

(72) *Non repetitur temporalis illa festivitas.* Luculentum est ea de re testimonium Lucani Poetæ, ubi de Martia Hortensii vidua dum Catoni secundo nuberet l. II : *vide supra not.* 69. Apud Christianos benedictionem nuptialem digami non accipiebant, neque coronabantur apud Græcos. DU PIN.

(73) *In altum.* Capitis ornamentis non utitur. ALBASP.

(74) *Non in altum tollitur.* Solebant nubentes curru sublimes a paterna domo in mariti ædes transferri. Huc forte alludit Optatus, aut ad aliquem alium ritum usitatum apud Pœnos. DU PIN.

(75) *Indicia.* Mitrellas. ALBASP.

(76) *Jam consecratas Deo aspersistis, etiam salsa aqua perfudistis.* Locus mutilus, instaurandus ex Fr. Balduini editione 2. *Jam consecratas Deo aspersistis immundis cineribus : crines etiam jussistis salsa aqua perfundi.* INCERT.

(77) *Immundis cineribus.* Cineribus pœnitentiæ, quos immundos appellat, quia virgines illæ pœnitentiam non debebant facere. ALBASP.

(78) *Raptores aut petitores.* Non poterant in matrimonium rogari, quod Deo consecratæ essent. ALBASP.

(79) *Proscriptionem.* Mitellam, qua cum essent ornatæ non poterant nubere. ALBASP.

(80) *Ut secundam mitellam acciperent*, etc. Legebatur antea, *ut secundam mitellam acciperent*, *coegistis cum de prima lectione recitari non possit. Et illud*, etc. Quæ valde vereor ne Balduinus expunxerit, quod quo pertinerent non intelligeret. Atqui jam illud Optatus antea disputarat, *de mitella nihil esse mandatum, et voluntatis rem esse non necessitatis.* Hoc idem fortasse repetebat his verbis, *cum de prima lectio*, ita enim corrigendum est, *recitari non possit. Lectio* pro *Scriptura*, seu certo aliquo sacræ Scripturæ loco, jam antea monuimus. M. CASAUB.

(81) *In lectione.* Cum de mitella in Lege et in Evangelio nihil dictum sit, idem supra observaverat de mitella nihil esse mandatum. DU PIN.

(82) *Per judicia sæcularia.* Hæc ad Juliani tempora referenda sunt : qui et Basilicas et sacros Codices Donatistis jussit reddi. ALBASP.

(83) *Executione officiorum a pluribus*, etc. Quid ad rem quid dixerint, cum re ipsa, quod multo gravius, extorserint, ut docet Optatus? An *edixistis?* Non aptum hoc neque verbis, neque sententiæ, scribo *eripienda duxistis*, id est, *eripuistis*, sæpe enim redundat hoc verbum, ut et synonyma *puto* et *credo* in his Scriptoribus. *Officia* autem pro *officialibus*; ut *ministeria* pro *ministris*, et sexcenta hujus generis. Quod mox sequitur, *velamina et instrumenta dominica extor-*

soli habere, quod pax (84) in commune [a] possederat. Non vereat Christianus dicere, quod vobis postulantibus, (85) gentilis executio [b] (86) non potuit ignorare : velamina (87) et instrumenta dominica extorsistis, quæ jamdudum fuerant in commune possessa [c] : extorsistis cum codicibus pallas : judicio superbiæ vestræ, utraque arbitrati estis esse polluta. Nisi fallor, hæc purificare properastis : lavistis procul dubio pallas : indicate (88) quid de codicibus feceritis. In omnibus judicium providentiæ vestræ debet esse æquale : aut utrumque lavate, aut utrumque dimittite [d]. (89) Quod si aliter facias [e], corrupisti diligentiam tuam [f]; pallam lavas, codicem non lavas [g] : si in una parte bonum, in altera malum est. Non potes negare, offendere te in una, si in altera prometeris : et si gaudes, quod in una videaris [h] religiosus, debes et plangere, quia teneris in altera parte sacrilegus.

97 VI. *Stultitia Donatistarum in lavandis parietibus irridetur.* — Jam illud quale est, quod in multis locis (90) etiam parietes lavare voluistis, et (91) inclusa [i] spatia aqua [j] salsa spargi præcepistis. O aqua quæ dulcis a Deo [k] creata es, super quam ante ipsos natales mundi sanctus Spiritus ferebatur! o aqua, quæ ut purum faceres orbem, lavisti terram [l]! o aqua, quæ sub Moyse, ut naturalem amaritudinem perderes, (92) indulcata ligno (*Exod.* xv), tot populorum pectora suavissimis haustibus satiasti! restabat tibi (93) post promotionem non leviter degradari. (94) Præsentia Moysi in te amaritudo moriLECTIONES VARIANTES.

[a] Male in editis, *in communione.*
[b] Ita in mss. C. et S. G. Male in aliis et in quibusdam editis, *excusatio.*
[c] Hæc desunt in mss. C. et S. G.
[d] In mss. S. T. et P. S. et in editis, *lava et dimitte.*
[e] In mss. C. et S. G. *facis.*
[f] Ita in mss. C et S. G. In mss. S .T. et P. S. *concupisti diligentiam tuam* : unde manavit quod in editis legitur, *concupisti*, aut ut in aliis, *corrupisti diligentia tua.*
[g] Hæc desunt in ms. S. T., sed necessaria, habenturque in aliis mss.
[h] In mss. C. et S. G. *videris esse.*
[i] Ita in mss. C. et S. G.
[j] Hocce nomen deest in ms. S. T.
[k] Ita in mss. S. T. et P. S. In aliis, *dulcis quæ a Deo.*
[l] In mss. C. et S. G. *terrarum rabidam gentem.*

VARIORUM NOTÆ.

sistis, puto cum Cochlæo pro *velamina* scribendum esse *volumina*, quamquam *auleis et velis*, sive *velamentis* decorari et ornari solitas Ecclesias, non ignorem. Qui putant horum aulæorum usum proprium baptismi solemnibus, et ideo *alba*, quod is color baptizandorum puritati maxime conveniret, quæ doctissimi Vicecomitis videtur esse sententia, vel his Paulini Victorisque testimoniis convinci possint. Paulinus enim diserte in natali Martyris :

Aurea nunc niveis ornantur limina velis.

Victor autem, *solitum*, ut ait ipse, *Ecclesiæ ornatum* describens (ubi tamen *solitum*, non quotidianum, sed solemnioribus quibusvis occasionibus, et temporibus duntaxat usitatum, interpretor :) etsi non exerte cujus coloris velamina fuerint indicat, dum tamen *candorem fulgoris*, tam velaminibus quam cereis et lampadibus tribuit, satis colorem eorum mihi videtur innuere. *Pallas* quod mox sequitur, suspicor irrepsisse, pro *pallia*; *pallas* enim eo sensu quod ego meminerim, vix reperias apud antiquorum aliquem, qui certæ sit et indubitatæ antiquitatis : nam quæ a decretorum collectoribus laudantur Clementis epistolæ, in quibus *pallæ* non semel fit mentio, cujus sint illæ apud doctos auctoritatis, nemo nescit. *Pallia* autem pro quovis operimento sacro, non rarum apud Veteres. Inter alios Victor Uticensis, *velaminum pallia*, lib. II, et *pallia altaris* exerte lib. I de Persecut. Vandal. M. Casaub.

(84) *In communione possessa.* Non nova, sed ea quæ ante schisma erat in Ecclesia. Albasp.

(85) *Gentilis excusatio.* Castigat eadem editio, *executio.* Incert.

(86) *Executio.* Officiales scilicet gentiles, quorum ministerio ad ea extorquenda usi estis. Du Pin.

(87) *Velamina.* Quibus altaria et mysteria tegebantur, quæ *pallas* postea dicit. Eodem modo Christianos sacris Codicibus et instrumentis spoliavit Gensericus, de quo Victor Uticensis I. I, n. 12 : *Mittit Proculum quemdam in Provinciam Zeugitanam, qui coarctaret ad tradendum ministeria divina et libros sanctos.... quibus se non posse tradere clamantibus sacerdotibus, ipsi rapaci manu cuncta depopulabantur, atque de palliis altaris, proh nefas! camisias sibi et femoralia faciebant.* Pallæ Veteribus erant linteamina quibus totum altare tegebatur, cui imponebantur calix et corpus Christi, quod replicata palla tegebatur instar sindonis. Isidorus Pelus. I. II, ep. CXXIII : *Pura*, inquit, *illa sindon quæ sub divinorum dolorum ministerio expansa est, Josephi Arimathensis est ministerium; ni enim ille Domini corpus sindone involutum sepultura mandavit...., eodem modo nos propositionis panem in sindone sacrificantes Christi corpus sine dubitatione reperimus.* Innocent. I. II, de Mysteriis missæ c. 35 : *Duplex est palla quæ dicitur* CORPORALIS *; una quam Diaconus super altare totum extendit; altera quam super calicem plicatam imponit.* Vide etiam de hoc ritu ordinem Romanum et alios qui de ordine missæ scripserunt. Du Pin.

(88) *Quid de Codicibus.* An laverint Codices quemadmodum pallas? Albasp.

(89) *Quod si aliter facias, concupisti.* Lege, *corrupisti.* Incert.

(90) *Etiam parietes lavare voluistis*, etc. Cum jam prius *aspersos cineres* cum *salsa aqua* conjunxerit, etiam hic fortasse *et cineribus* restituendum; aut distinguendum : *Etiam parietes lavare voluistis, et inclusa spatia salsa aqua et spargi*, spargique, *præcepistis.* Non displicebit etiam, si quod viris doctis in mentem venit, pro *et spargi* scribas *aspergi. Inclusa* autem *spatia* vel quæ intra κιγκλίδας altaris, vel in genere, quodcumque parietibus inclusum, nempe pavimentum ipsum, sive solum; quod fortasse quod stratum omnino non esset, ut erant isto tempore Ecclesiæ pleræque non adeo splendidæ; ideo et lavari sicut parietes non poterat. *Locum postea vocat : Quid vobis fecerat locus, quid ipsi parietes*, etc. M. Casaub.

(91) *Et sine causa spatia salsa spargi præcepistis.* Hæc aliter concipit II Balduini editio, *et inclusa spatia salsa aqua et spargi præcepistis* : legerim, *et inclusa spatia salsa aqua exspergi præcepistis.* Incert.

Ibid. *Inclusa spatia.* De spatio circa altare hoc videtur intelligendum. Albasp.

(92) *O aqua indulcata ligno! Indulcare* ad Cn. Martii *edulcare* compositum :

Prudenter edulcare convenit vitam,
Curasque acerbas sensibus gubernare. Incert.

(93) *Post promotionem.* Post tanta quæ Deus per te fecit. Tertullianus de baptismo, *quantum instrumentum mundo ferat.* Albasp.

(94) *Præsentia Moysi in te amaritudo moritur*, etc.

Digitized by Google

tur, et a schismaticis hodie cum Catholicorum turba dulcedo tua vexatur. Pares patimur bellum, pares exspectamus vindicem Deum. Dic, frater Parmeniane, quid vobis fecerat locus? quid ipsi parietes, ut a vobis ista paterentur? An quia illic rogatus est Deus? an quia illic laudatus est Christus? an quia illic invocatus est Spiritus sanctus? an quia vobis absentibus illic prophetæ et sancta Evangelia recitata sunt? an quia illic fratrum jamdudum litigantium concordaverant mentes? an quia unitas Deo placita in qua habitaret, invenerat domum? Indicate, quid illic lavare potuistis? Si Catholicorum vestigia, et in vico et in plateis calcavimus, quare non omnia emendatis? nam et fovendorum corporum causa, (95) eadem nos et vos lavacra pariter abluerunt [a]; et ante vos frequenter nostrorum loti sunt multi. Si (96) post nos purificanda putatis omnia, lavate et aquam si potestis; aut si vestigia (ut supra diximus) nostra vobis esse videntur polluta, sufficeret terra; ut quid et parietes lavare voluistis, in quibus humana non possunt poni vestigia? parietes non calcare, sed tantum videre potuimus. Si et quod tangit aspectus, lavandum esse censetis, cur cætera dimisistis illota? Videmus tectum, videmus et cœlum, hæc a vobis lavari non possunt. (97) Illa lavando promeriti estis Deum : ista non lavando, inexpiabile videmini incurrisse peccatum. (98) Cum igitur alibi quasi diligentes essetis inventi : si tamen diligentia dicenda [b] est stultitia, et (ut vero nomine appellem [c]) vanitas vestra : nisi forte quia hoc faciendo, in pavorem misistis populos imperitos, ut quia lota est (99) columna, lavarentur et corpora. Si in his rebus consilium latet, miseros subtiliter decepistis : si talis res sine consilio gesta est, manifesta est vestra hebetudo : hæc vos stulte fecisse, et a vobis seducti cognoscunt; nec vos ipsi negare poteritis.

VII. *Donatistas in mortuos etiam sæviisse, non permittentes Catholicorum corpora sepeliri.* — Quid referam etiam illam impietatem de vestra conjuratione venientem, (1) quia ad hoc Basilicas invadere voluistis, ut (2) vobis solis (3) cœmeteria vindicetis, non permittentes sepeliri corpora Catholica; ut terreatis [d] vivos, (4) male tractatis et mortuos, negantes funeribus 98 locum. Si inter viventes fuerat certamen, odia vestra vel mors aliena compescat. Jam tacet cum quo paulo ante litigabas : quid insultas funeri? quid impedis sepulturam [e]? quid cum mortuis litigas? perdidisti malitiæ fructum : et si corpora non vis in unum quiescere, animas tamen (5) in uno apud Deum positas non poteris separare.

VIII. *Elegans et egregia comparatio Donatistarum cum aucupibus.* — Omnia denique, quæ a vobis geruntur, ex toto narrari non possunt : sed tamen concedantur [f] vobis, (6) qui erroris hujus magisterium possidetis. Jam et de vestris silere quis posset, de illis, scilicet, quos aut factione aut subtilitate, ut vestros faceretis seducere potuistis, non solum masculi, sed etiam feminæ; ex ovibus subito facti sunt vulpes, ex fidelibus perfidi, ex patientibus rabidi, ex pacificis litigantes, ex simplicibus seductores, ex verecundis impudentes, feroces ex mitibus, ex innocentibus malitiæ artifices. Post quod ad vos delapsi sunt aut delapsæ, dolent alios ibi esse ubi nati sunt : bene stantes in lapsus suos invitant; si scirent se gloriam consecutos, felicitate sua tacite fruerentur. Nunc autem perditos, transitus suos consolari cupientes, cæteros ut similiter labantur, invitant; et residentes in sinu matris Ecclesiæ, quasi pigros et tardos accusant. (7) His enim verbis loqui non erubescunt : *Cai Sei, vel Caïa Seïa* [g], *quamdiu te tenes?* hoc est dicere : imitare lapsus meos, imitare transitus turpes. Quamdiu fidelis vocaris? jam fidem desere, jam pœniten-

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. C. et S. G. *habemus.*
[b] In mss. C. et S. G. *dici potest.*
[c] Ita in mss. C. et S. G. In aliis, *appelletur.*
[d] In ms. S. T. *terreretis*, et postea similiter *tractastis.*
[e] Ita in ms. C. In mss. S. T. et S. G. *impedis sepulturæ.*
[f] In ms. S. T. *sed concedatur.*
[g] In mss. *Gaïsei, vel Gaïaseïa.*

VARIORUM NOTÆ.

An hic *præsentia Moysi* pro *tempore Moysis*, seu *vivente Moysi* : durius mihi videtur, nisi alio aliunde exemplo molliatur. Interim scribendum existimo; *precc antea Moysi*, etc. τῷ *antea* respondet mox, *hodie et a schismaticis, hodie cum Catholicorum turba dulcedo tua vexatur.* De *Moysis* autem *prece*, Exod. xv, 25 : *At ille clamavit ad Dominum qui ostendit ei lignum*, etc. *Moritur* vero pro *mortua est*, ut sæpe, ne dicam semper. M. Casaub.

(95) *Eadem nos et vos lavacra pariter*, etc. De usu balneorum etiam inter Christianos F. M. parens ad Spartianum, p. 75. M. Casaub.

(96) *Post nos purificanda putatis.* Scribe : *Si post nos purificanda putatis?* Sic II editio Fr. Balduini. Si ἀντὶ τοῦ *an*, quale supra monuisse me memini. Incert.

(97) *Illa lavando promeriti estis Deum.* Τὸ *si* his necessario præmittendum. Incert.

(98) *Cum igitur alibi quasi diligentes essetis inventi.* Locus mutilus, suppl. ex II editione Fr. Balduini, *cum igitur alibi quasi diligentes videri vultis, alibi negligentes estis inventi.* Incert.

(99) *Columna.* Ut quia lavatis parietes iterum lavatis Christianos. Albasp.

(1) *Quia ad hoc Basilicas invadere voluistis*, etc. Scribo : *Qui ad hoc Basilicas invadere voluistis, ut vobis solis cœmeteria vendicetis, non permittentes sepeliri corpora catholica, ut terreatis* (vel ut in aliis *terreretis*) *vivos, male*, etc. M. Casaub.

Ibid. *Ad hoc Basilicas.* Multis in locis duæ erant Basilicæ : Basilica scilicet Donatistarum et Basilica Orthodoxorum, sed favente Juliano hanc invaserant Donatistæ ut Orthodoxos sepultura privarent. Albasp.

(2) *Vobis solis.* Genus erat communionis sepeliri in Christianorum cœmeteriis : quapropter sibi solis ea vindicabant Donatistæ. Albasp.

(3) *Cœmeteria.* In Basilicis aut in cœmeteriis juxta Basilicas positis sepeliebantur. Albasp.

(4) *Male tractatis.* Hac communione privatis. Albasp.

(5) *In uno.* Cum Christo unitas. Albasp.

(6) *Qui erroris hujus magisterium possidetis. Jam et de vestris silere qui posset? De illis scilicet*, etc. Ita emendandus et interpungendus hic locus. Sed et sequentia porro ab interpunctione laborant. Incert.

(7) *His enim verbis loqui non erubescunt, Cai Sei, Caïa Seïa, quamdiu te tenes? Hoc est dicere :* Post hæc

Digitized by Google

tiam disce : (8) vos estis aucupes, et illi aut illæ sunt aves. Sed (9) quia non est unum aucupum [a] genus : alii sunt qui arte simplici altis fundatas radicibus in faciem nemoris diffusas arbores petunt, ubi aves simplici volatu naturalibus ramis insidunt : non illic numerantur fraudes, non artificiosa consilia : ars una est et sola capiendi peritia. Illi vos aucupi similes dico, qui post discessum noctis, ante lucis adventum, non aliorum more naturales vadit ad arbores. Sed ipse (10) arborem portans, futurum nemus stringit in fascem, aridam arborem nullis radicibus fultam, multiplici fraude componit. Cui adulterinos inserit ramos, et quæ suas jamdudum succisa perdiderat, alienas accipit frondes. (11) Alias aves clausas (12) portat in cavea ; evisceratas alias ad imaginem viventium, (13) olim exstinctas, fallacibus ramis, quasi viventes imponit. Aliæ latent in caveis ; aliæ quasi viventes videntur in ramis. Jungitur una geminata fraude calliditas ; et (14) ut decipi vivarum [b] volantium simplicitas possit, quas mortuas esse constat, videntur tendere colla cum vocibus ; et quæ latent in carcere suo, quasi de gutture (15) cantant alieno. Inter alterius imaginem et alterius vocem dolus unus operatur : captivæ liberas capiunt, et mortuæ viventes occidunt. (16) Tales sunt, quos aut rebaptizatione, aut pœnitentia sauciastis, ne soli aut solæ periisse videantur, alios vel alias secum perire magno studio et labore contendunt.

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. C. et S. G. *aucupii*.

[b] In ms. S. G. *avium*.

VARIORUM NOTÆ.

Fr. Baldulni editio II interjicit ista : *Jam meum debes sequi errorem, jam debes deserere veritatem. Quamdiu te tenes, hoc dicere, imitare*, etc. INCERT.

(8) *Vos estis aucupes.* Aves mortuæ, de iis sunt accipiendæ, quos rebaptizaverant : inclusæ vero caveis, de illis quos ad pœnitentiam coegerant ; sensus igitur est, cum per domos mittitis pœnitentes, genus est aucupii : nam sunt aves inclusæ quibus alias vultis allicere ; cum vero rebaptizatos ostenditis ut eorum exemplo nostros seducatis, sunt aves mortuæ quibus utimini ad alias aves capiendas. ALBASP.

(9) *Quia non est unum aucupum genus : alii sunt qui arte simplici volatu naturalibus ramis insidunt.* Eo loci, ubi asteriscum posui, auctior et locupletior eadem editio his verbis, *altis fundatas radicibus in faciem nemoris diffusas arbores petunt, ubi aves simplici volatu*, etc. Corrige itaque, quantum potest, Barthium corrigentem, *qui rete simplici volanti naturalibus ramis induunt.* INCERT.

(10) *Arborem portant.* Quia veram Ecclesiam non habebant. ALBASP.

(11) *Alias aves clausas portat in cavea*, etc. Scribe : *Alias aves clausas portat in cavea, et visceratas alias ad imaginem*, etc. quæ principis editionis scriptura est, *visceratas*, id est, *fartas* et *distentas* : cujus contrarium sit, *evisceratas*. Notum est solere ita aves et rariora quævis animalia extractis visceribus, et omni corpore, sola pelle relicta, eaque demum fœno aut furfure, scrutis ac titivillitiis cujuscumque generis repleta ac extrusa, conservari. Potest et *evisceratas* ferri. M. CASAUB.

(12) *Portat in cavea.* Pœnitentes, quia non communicabant. ALBASP.

Ibid. *Alias aves clausas portat in cavea, et visceratas.* Fr. Balduini editio II : *In cavea viscerata.* Videtur ex vestigiis lectionis vulgatæ faciendum : *Alias aves clausas portat in cavea ; et bis cæcatas.* Barthius emendat : *In cavea et visu cæcatas.* INCERT.

(13) *Olim exstinctas.* Rebaptizatione. ALBASP.

(14) *Ut decipi vivarum volantium simplicitas possit.* Ex meliori exemplari restituit Fr. Balduinus, *ut decipi avium volantium simplicitas possit.* INCERT.

(15) *Cantent alieno.* Quia pœnitentes in Ecclesia, nec loqui, nec quidquam agere poterant. ALBASP.

(16) *Tales sunt quos aut rebaptizatione*, etc. Qui volet hoc retinere, per me licebit illi. Cum tamen de *perditis* hic loquatur, et in perniciem suam seductis, cumque lib. II *de Pœnitentia sauciare* super hac ipsa re dixerit, fallor aut hic etiam *sauciastis* quam *sociastis* verius est. Sui tamen quisque fruatur libertate judicii. Favet tamen nobis quod in principe editione *sauciastis* non *sociastis*. M. CASAUB. *Ita restitutum ex mss.*

---

99 [1] LIBER SEPTIMUS. [2]

In hoc novissimo libro continetur, Traditores qui in primo libello sub nominibus suis et locis et confessionibus sunt demonstrati, non grave [c] peccatum habuisse, qui necessitate, non voluntate peccaverint, bono unitatis etiam tales in communione recipi potuisse.

1. *Donatistas minus noxios esse et ad communionem facilius admitti posse, quam eorum parentes traditionis reos.* — Post Traditores ostensos et sanctam Ecclesiam demonstratam, post repulsas quas ingerebatis calumnias, et post peccata vestra, quæ a Deo increpari meruerunt ordine suo ; et iteratio [d] sacra-

LECTIONES VARIANTES.

[c] In ms. S. G. *grave*.

[d] In mss. C. et S. G. *traditione*. In ms. S. T. *ratione*. In ms. P. S. *oratione*. Nos ex conjectura restituimus, *iteratio* ; nam hic singulorum librorum argumenta percurrit Optatus, et designat his verbis argumentum libri quinti, in quo agitur de *iteratione baptismi*.

VARIORUM NOTÆ.

(1) Suspicatus sum aliquando hunc Librum qui et in editione Germanica Cochlæi præteritus fuit, non esse Optati, cum Hieronymus nonnisi sex libros ab eo scriptos esse scribat, et ipse Optatus lib. I, nonnisi sex librorum argumentum proponat. Sed cum hic Liber septimus reperiretur in tribus quibus usus sum manuscriptis exemplaribus, et stylus reque conveniat, agnoscam esse Optati : verum dicam esse scriptum post editos sex superiores. Hæc Fr. Balduinus. INCERT.

(2) *Liber septimus.* De hoc Libro septimo quid sentiendum vide quæ diximus ubi de scriptis Optati. DU PIN.

Digitized by Google

mentorum, et (3) præsumptiones vestræ, et terrores, ostensi sunt : jam responsorum dictorumque nostrorum finis esse debuerat : sed quoniam post invidiæ silvam securibus veritatis abscissam, video adhuc vestras vel vestrorum provocationes pullulare, quas vos audio dicere [a], (4) ad unam communionem non oportuisse quæri [b], cum filios traditorum vos esse constiterit; ad ea pauca respondeam. Revera sufficiebat sibi Ecclesia Catholica habens innumerabiles populos in provinciis universis : sufficiebat et in Africa, licet in paucis; sed Deo vestra separatio non placebat : quoniam divulsa fuerant (5) unius corporis membra : et contra voluntatem Dei, fratres a fratribus errabatis. Quamvis (6) domesticum judicium in parentibus vestris operatum sit, ut ultro recederent qui pro admissa traditione [c] abjici debuerant : (7) nullum judicium celebratum est, sed sententiæ est operatus 100 effectus. Pellendi fuerant post traditionem, de qua sibi in Concilio Numidiæ confessi sunt : sed ne invidiâ esset [d] (8), excusata est (9) judicandi severitas; dum majores vestri ultro invenerunt de reatu consilium, ut cooperto crimine suo, (10) quasi superbi discederent, quibus et dolere et erubescere debebatur. (11) Illi namque si illo tempore, bono pacis unitas fieret [e], et si [f] ad Ecclesiam Catholicam sponte venissent [g] : non sicut vos, quos non sine voluntate Dei adductos [h] esse constat, ut redieritis unde erraveratis (quamvis adhuc erretis), si ad Catholicam (ut dixi) sponte venissent, quia traditores fuerant : de talibus recipiendis dubitarent forsitan A nostri majores; sed nobis lætandum est, quod tales usque ad nostra tempora minime duraverunt. Ergo hodie negotium [i] novum est, dum vobiscum res, non cum illis agenda est. Quamvis ab ipsis ad vos videatur hæreditaria macula esse transmissa : tamen in hoc titulo non potestis rei esse cum patribus vestris, secundum judicium Dei, qui locutus est per Ezechielem Prophetam, dicens : *Anima patris mea est, et anima filii mea est : anima quæ peccat, sola punietur* (*Ez.* XVIII, 4). Quæ res jam et antiquis sæculis, in ipsis natalibus mundi probata est, dum (12) non pertinuit ad Seth filium Adæ, patris admissum. Sed ne quis dicat alio loco scriptum esse, dicente Domino : *Mala patrum usque in quartam progeniem redditurum* (*Exod.* XX, 5). Illius sunt procul dubio ambæ voces; sed non ad B unum populum sonat utraque [j]. Prima est per Moysen [k] ad certum genus hominum : secunda, per Ezechielem ad alterum genus hominum. Dum [l] sciret Deus Judæos apud Pontium Pilatum professuros, ut dicerent : *Sanguis hujus super nos, et super filios nostros* (*Matth.* XXVII, 25) : de præscientia [m] Deus vidit pro magnitudine culpæ parum fuisse quod dicturi erant; et ut competentibus pœnis lueretur offensio, ipsis Judæis comminatus est, dicens : *Se mala patrum usque in quartam progeniem redditurum.* Ergo hæc vox ad solos Judæos specialiter pertinet. Cæterum, illa ad Christianos, qua dignatus est promittere non vindicare in filios, si quid peccetur a patribus, nec in patribus si quid a filiis forsitan delinquatur [n]. C Temporibus unitatis, principes vestri qui probantur

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ita in mss. C. et S. G. In mss. S. T. et P. S. *quibus potestis dicere.*
[b] In ms. S. T. *venire non oportuisse.*
[c] In mss. S. T. et P. S. *traditionis culpa.*
[d] Ita in mss. S.T. et P.S. melius quam in aliis, *Invidiæ essent*, nisi quod postea pro *est* quod est in aliis mss. legitur *et.*
[e] In mss. C. et S. G. *unitatem facere debuerant.* Post hæc verba in editis habetur lacinia quædam, in qua excusatur crimen traditionis; nescio unde deprompta; nec enim extat in ullo e quatuor codicibus manuscriptis quos mihi videre contigit, nec in prima editione Balduini, nec concinit cum antecedentibus et consequentibus, quæ hac sublata optime cohærent, nec stylum Optati sapit, et ab ipsius placitis et doctrina prorsus abhorret. His de causis hanc laciniam hic omisimus et in appendicem rejecimus.
[f] Hæ duæ particulæ desunt in ms. S. G.
[g] Ita in mss. S. Th. et Ph. S. In ms. S. G. *venirent* pro *venissent.*
[h] Ita in mss. S. T. et P. S. In ms. S. G. *adjutos*: sed perperam.
[i] Deest in mss. S. T. et P. S.
[j] In ms. S. T. *una quæ*, vitio amanuensis.
[k] In ms. S. T. *ad Moysem.*
[l] In ms. S. G. *sed cum.*
[m] In ms. S. G. *præsentia*; male.
[n] Hic inserta est alia lacinia in editis, excepta prima Balduini editione, ad excusandum crimen traditionis, quæ rejicienda est propter easdem rationes propter quas priorem rejecimus; nam exulat pariter ab omnibus manuscriptis, orationis seriem interrumpit, et a doctrina Optati aliena est.

VARIORUM NOTÆ.

(3) *Præsumptiones.* Quod scilicet sanctitatem personarum baptizare, et peccata remittere dicerent, non autem sacramenta. ALBASP.

(4) *Ad unam communionem.* Compellebantur ad unitatem Donatistæ, ac dicebant cur nos ad vestram communionem vi adducitis, cum simus traditores, et traditorum filii, uti dicitis? ALBASP.

(5) *Unius corporis.* Ecclesiæ quæ erat in Africa. ALB.

(6) *Domesticum judicium.* Quia sese ab Ecclesia separaverant : vel quia in Concilio Numidiæ fassi sunt se esse traditores. ALBASP.

(7) *Nullum judicium.* Nullum Concilium celebratum fuit, ut illi qui Majorinum ordinarunt, ab Ecclesia expellerentur : sed ab ea sponte recesserunt. ALBASP.

(8) *Invidia esset.* Ne ex iis pulsis, aliis invidia fieret, eo quod tot episcopos ejecissent. DU PIN.

(9) *Judicandi severitas.* Secundus qui præerat non D ausus est judicare, ne solus remaneret, ut habetur in primo libro. ALBASP.

(10) *Quasi superbi.* Quasi alios damnantes et quasi innocentes, libro sexto, *ibi modo superbus inventus*, etc. ALBASP.

(11) *Illi namque.* Sensus est : Qui confessi sunt in Concilio Numidiæ se Codices tradidisse, non erant puniendi, neque excommunicandi si bono pacis id factum fuisset, et ne Ecclesia divideretur. ALBASP.

(12) *Num non pertinuit ad Seth Filium Adæ*, etc. August. de Hæres. c. 19. *Sethiani nomen acceperunt a filio Adæ, qui vocatus est Seth. Eum quippe honorant, sed fabulosa et hæretica vanitate*, etc. Addit Tertullianus eos Christum non alium credidisse, quam Seth. Omitto quæ alii de iisdem. Ad Optati verba quod attinet, non ego is jam, qui gravius quidquam de viro sancto pronuntiaverim. Id tantum dicam, ve-

ista fecisse, jam é vivis excesserant, vobis quasi [a] hæreditariam maculam relinquentes, quam prius Deus a vobis providentia suâ sic diluit, dum inter patres et filios (sicut supra diximus) separavit. Igitur quia tradere peccatum est, videant parentes vestri, quid in judicio Dei respondeant : vestrum tamen (quia [b] aliis temporibus estis) peccatum esse non potest.

II. *In Ecclesia Dei usque ad diem judicii bonos et malos reperiri, et hos esse tolerandos.* — Inde est quod vos jamdudum in communionem nostram (13) voluimus recipere, quia vos illo tempore non peccastis, sed principes vestri [c]. Nec quasi ex toto sanctus debet quis de altero judicare : quia scriptum est in Evangelio, Christo dicente : *Nolite judicare, ne judicetur de vobis* (*Matth.* VII, 1) : maxime cum nemo ex toto sanctus poterit inveniri. Nam si sunt qui possint non habere peccata, mentiuntur in oratione Dominica, si sine causâ indulgentiam postulant, dicentes Deo Patri : *Dimitte nobis peccata, sicut et nos dimittimus* **101** *debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12; *Luc.* XI, 4) : cum Joannes Apostolus, et omnium conscientias prodat, et suam resignet [d] his verbis : *Si dixerimus*, inquit, *quoniam peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est* (I *Joan.* I, 8) : cujus dicti rationem in quarto libro manifestius explanavimus. Sed fac et aliquos esse tota sanctitate perfectos, non licet ut sint sine fratribus, qui ne repellantur, Evangelica præcepta reclamant, quibus describitur (14) ager [e] qui est totus orbis, in quo est Ecclesia, et seminator Christus, qui præcepta dat salutaria. E contrario, homo est malus, id est diabolus, qui non in lucé, sed per tenebras seminat importuna peccata : ei in uno agro nascuntur diversa semina ; sicut in Ecclesia non est similis turba animarum. Ager suscipit semina bona vel mala : est diversitas seminum ; sed creator unus omnium est animarum : unus dominus agri [f], ubi nata sunt zizania : duo sunt auctores seminum, sed ager unum dominum habet ; ipsum Deum Dominum. Illius est terra : illius sunt bona semina : illius est et pluvia. Ideo vos adductos recipere in unitate consensimus ; quia nobis non licet vel separare, vel repellere : quamvis peccatores in uno agro nobiscum natos, una pluvia, hoc est, uno baptismate nutritos : quomodo non licuit apostolis de tritico zizania separare : quia separatio sine exterminio fieri non potest : ne dum evellitur quod opus non est, conculcetur quod opus est. Pariter jussit Christus in agro suo per totum orbem terrarum, in quo est una Ecclesia, et (15) sua semina crescere et aliena. (16) Post crementa communia, venturus est judicii dies, qui messis est animarum, sedebit judex Filius Dei, qui agnoscit quid est suum et quid alienum. Illius erit eligere quid condat in horreo, et quid tradat incendio : quos ad interminata tormenta destinet : et quibus promissa præmia repræsentet. Agnoscamus nos omnes homines esse : nemo sibi usurpet divini judicii potestatem. (17) Nam si sibi totum vindicet quivis Episcopus, dicatur quid ille judicio acturus est Christus? satis sit homini, si de peccato suo reus non sit, quam ut de alieno judex esse desideret. Professio denique nostra est bono pacis vos non repellere [g]. Nefas est enim, ut Episcopi faciamus quod Apostoli non fecerunt, qui permissi non sunt vel semina separare, vel de tritico zizania evellere.

III. *Exemplo apostoli Petri uti possé Donatistas ut eis detur venia.* — Quod si de recipiendis vobis Catholica dubitaret, nonne vos debuistis unitatis assequi formam? sed exempla in Evangelio lecta proponere noluistis, ut est lectio de persona beatissimi Petri ; ex qua, (18) forma unitatis retinendæ vel faciendæ descripta recitatur. Equidem malum est contra in-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Deest in mss. S. G.

[b] In ms. S. G. *qui ab*. In ms. S. T. *quia ab*.

[c] Hic in editis excepta Balduini editione, inseruntur tres lineæ quæ non extant in mss. Has habes in appendice cum aliis additamentis ad hunccé librum.

[d] In mss. C. et S. G. *designet* ; sed *resignet* magis quadrat.

[e] Hunc locum restituimus ex mss. S. T. et P. S. In aliis mss. et in editis corrupte admodum legitur, *declamantes, Scriptura muniuntur. Ager.*

[f] Ita in mss. S. T. et P. S. In mss. C. et S. G. *Unus domini ager.*

[g] In mss. C. et S. G. *bonum pacis non repellere.* In editis hic habetur : *Non solum vos non repellere, sed etiam parentes vestros, si eorum temporibus contingeret et unitas fieret bonum pacis non repellere :* sed hæc desunt in omnibus mss. et in prima editione Balduini, videturque ascitita.

VARIORUM NOTÆ.

reri me, ne imprudenti et incauto illi hæc exciderint, quæ sævioris examinis acrimoniam ægre sustinebant. Quare hanc aliis Provinciam relinquo libens.

M. Casaub.

(13) *Voluimus recipere.* Eidem objectioni respondet : si sumus traditorum filii, cur vultis nobiscum communicare? Albasp.

(14) *Ager.* Tota collatio Carthaginensis hoc argumento conclusa est : ait igitur cum peccatoribus vivendum esse, quia Ecclesia est ager, qui triticum et zizania continet. Albasp.

(15) *Et semina sua crescere : et aliena post crementa*, etc. Fuerunt qui ex his Optati verbis nescio quam elegans, novum certe mihi *postcrementi* verbum cuderint, et dixerint ita a nostro appellari, *quæ postcreverunt.* Sed de verbi elegantia non quæro. Optati certe verbum non est, quem scripsisse mihi constat, *et semina sua crescere et aliena. Post crementa communia venturus*, etc. *Crementi* vox (si quis dubitat) ab idoneis patronis, Tertulliano, Cypriano et aliis, si opus, asseretur. M. Casaub. *Ita restitutum ex mss.*

(16) *Post crementa.* Dicit quæ post creverunt.

Incert.

(17) *Nam si sibi totum.* Quid, quæso, Christus in die judicii separabit et judicabit, si episcopus omnes peccatores velit separare ab Ecclesia? Albasp.

(18) *Forma unitatis retinendæ.* De hac eadem unitatis forma ante Optatum præclare Cyprianus lib. de Unitate Ecclesiæ : *Ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, et unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et cæteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consor-*

Digitized by Google

terdictum aliquid facere : sed pejus est unitatem non habere cum possis. Quam unitatem, ipsum Christum videmus præposuisse vindictæ suæ, qui magis omnes discipulos suos voluit in uno esse, quam quod offensus fuerat vindicare : (19) dum nollet se negari, promisit se apud Patrem negaturum esse, qui se negaret [a], et [b] cum hæc ita [c] scripta sint, tamen bono unitatis beatus Petrus, cui satis erat si post quod negavit, solam veniam consequeretur [d], et præferri Apostolis omnibus meruit, et claves regni cœlorum **102** communicandas cæteris, solus accepit. Bono unitatis, sepelienda esse peccata hinc intelligi datur, quod beatissimus Paulus Apostolus dicat, charitatem posse obstruere multitudinem peccatorum : *Onera* (inquit) *vestra invicem sustinete* (*Gal.* VI, 2); et alio loco ait : *charitas magnanimis est : charitas benigna est : charitas non zelatur : charitas non inflatur : non quærit quæ sua sunt* (I *Cor.* XIII, 4 *et* 5) : et bene dixit. Hæc enim omnia viderat in apostolis cæteris, qui bono unitatis, per charitatem noluerunt a communione Petri recedere, ejus scilicet qui negaverat Christum. Quod si major esset amor innocentiæ, quam utilitas pacis et unitatis, dicerent se non debere communicare Petro, qui negaverat magistrum, et Dei Filium Dominum. Possent non communicare (ut supra dictum est) beatissimo Petro : possent contra illum recitare verba Christi, qui promiserat negaturum se esse apud Patrem, eum qui se coram hominibus negasset. Ad quam formam debet diligenter attendi : de qua dum pauca commemoro, ipsius sancti Petri beatitudo veniam tribuat, si illud commemorare videor quod factum constat et legitur : dubito dicere peccasse tantam sanctitatem ; sed ipse hoc factum probat, qui et doluit amare, et flevit ubertim, qui nec doleret nec fleret, si nulla intervenisset offensio. Potuit [e] utique caput apostolorum ita se gubernare, ut nihil incurreret quod doleret ; sed ideo (20) in uno titulo ejus multa videntur errata, ut posset ostendi bono unitatis omnia debere Deo servari. Et nescio an in altero hoc genus peccati, tanti ponderis esse possit, quanto in beato Petro fuisse manifestum est. Quisquis enim forte in aliqua persecutione negavit Filium Dei, in comparatione beati Petri videbitur levius [f] deliquisse si negavit quem non vidit ; si negavit quem non agnovit, si negavit cui nihil promisit ; si semel negavit. Nam in beato Petro hoc genus peccati dilatatum est : primo quod cum interrogaret Christus omnes quem se homines dicerent, unus dixit Eliam ; alter dixit prophetam : tunc Christus dixisse legitur : *Vos quem me dicitis esse* [g] ? et ait illi Petrus : *Tu es Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 15 *et* 16). Pro qua agnitione laudari ab eo meruit [h] : Ecce [i] cæteris non agnoscentibus Filium Dei, solus Petrus agnovit. Deinde sub die passionis, cum diceret Christus : *Ecce teneor et fugietis omnes* (*Matth.* XXVI, 32). Tacentibus cæteris, solus se promisit non recessurum : de præscientia Filius Dei ait : *Petre, antequam gallus cantet, ter me negabis* (*Ibid.* 34). Additum est aliud ad pondus peccati, promissum scilicet quod non erat impleturus. Postea quam in domum Caiphæ ductus est Christus, ad mensuram delicti complendam, de tanto numero nullus alius interrogatur præter beatum Petrum : interrogatus primo negat ; interrogatus iterum negat ; tertio dixit se Christum omnino non nosse : et cantavit gallus ; non ut tempora cantu suo distingueret, sed ut peccasse se beatus Petrus agnosceret. Denique doluit amare, et flevit ubertim. Ecce, ut supra dictum est, cæteris non agnoscentibus [j], solus agnovit : cæteris non promittentibus solus promisit : cæteris nec semel negantibus, ter solus negavit ; et tamen bono unitatis, de numero Apostolorum separari non meruit. Unde intelligitur omnia ordinata esse providentia Salvatoris, ut ipse acciperet claves. Interclusa est malitiæ via, ne apostoli animo licentiam judicandi conciperent, et severe contemnerent eum qui negaverat Christum. Stant tot innocentes, et peccator accipit claves, ut unitatis negotium formaretur. Provisum est ut peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores [k], et quæ necessaria est unitas, esse non posset. Hæc si commemoraretis, communicare cupientes ; quando vos Catholica pio sinu suscipere dubitaret Ecclesia ? cum constet vos non traditores esse, sed filios traditorum.

IV. *Donatistis non autem Catholicis convenire quod dictum est de muscis morituris.* — Nam aliqui ex vobis volentes nos populis suis contemnendos ostendere ;

LECTIONES VARIANTES.

[a] In editis hæc adjiciuntur : *apud homines. Et non tamen non se promisit puniturum scripturam aliquam qui tradidisset : gravius est enim negare eum qui locutus sit, quam tradidisse verba quæ locutus sit.* Sunt ista manifeste subditicia.

[b] In mss. S. T. et P. S. *sed.*

[c] Deest in ms. S. G.

[d] In mss. S. T. et P. S. *mererctur.*

[e] In mss. S. T. et P. S. *Et potuit.*

[f] In mss. S. T. et P. S. *videtur leviter.*

[g] In mss. S. T. et P. S. *tu, Petre, quem me esse dicis.*

[h] Post istud verbum in editis hæc adjecta sunt : *Quod instinctu Dei Patris hoc dixerit.*

[i] Ita in ms. S. T. In aliis, *et.*

[j] In mss. S. T. et P. S. additur, *filium.*

[k] In mss. S. T. et P. S. *peccatorem.*

VARIORUM NOTÆ.

tio prædili honoris et potestatis ; sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia Christi una monstretur, et pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab apostolis omnibus unanimi consensione pascatur, etc. His etiam egregie concinit Pacianus Optato coætaneus epist. III : *Ad Petrum locutus est Dominus, ad unum ideo, ut unitatem fundaret ex uno, mox idipsum in commune præcipiens.* INCERT.

(19) *Dum nollet se negari promisit*, etc. *Promisit* pro *minatus est :* ut apud Luciferum Calar. pro S. Athan. lib. I : *Sicut pnomittit spernentibus se Dominus*, et iterum paucis intersertis, *si hæc Heli sunt promissa propter delictum filiorum*, etc. M. CASAUB.

(20) *In uno titulo.* In uno peccato. ALBASP.

Digitized by Google

etiam illud miscent [a] (21) tractatibus suis quod a Salomone propheta dictum est : *Muscæ morituræ exterminant olei suavitatem* (*Eccl.* x, 1) : Et muscas [b] morituras nos appellant : et (22) oleum nominant, illum scilicet liquorem, qui ex nomine Christi conditur; quod chrisma postquam conditum est nominatur. Antequam fiat, adhuc oleum est natura simplex; fiet [c] suave, dum **103** de nomine Christi conditur. Ergo tres res sunt quas Salomon propheta nominavit : oleum, suavitatem, et muscas morituras exterminantes suavitatem. Istæ tres res loca sua habent in ordine : primo loco est oleum : secundo suavitas de confectione : tertio, muscæ morientes exterminantes suavitatem. Quisquis est talis tractator ex vobis, probet quomodo nos muscas morituras appellat. Si apud vos putatis esse confectionem quæ det oleo suavitatem : apud vos est oleum et suavitas. Numquid nos exterminamus oleum vestrum, ut merito nos muscas morituras appelletis? quod vestrum est, apud vos est. Et si a vobis ad nos aliquis transitum fecerit; (23) sic a nobis servatur, quomodo a vobis dimittitur : quomodo dicitis quia nos sumus muscæ morituræ suavitatem olei corrumpentes, cum post vos nihil tale facimus? aut si a nobis dicitis suavitatem olei corrumpi posse : (24) aut possumus aliquid, et damus oleo suavitatem : aut si nos, ut vultis, nihil possumus : remansit oleum tale esse, quale et natum est : quomodo dicitis quia nos sumus muscæ morituræ, corrumpentes suavitatem olei? Igitur oleum antequam a nobis conficiatur, tale est quale et natum est : confectum, suavitatem ex nomine Christi accipere potest. Quomodo possumus uno facto [d] et conficere, et corrumpere? restat ut si oleum de se suave sit, vacet quod agitur ab hominibus si ab homine in nomine Christi conficitur. Non potest idem operarius duas res repugnantes et contrarias simul facere. Vobis absentibus si conficimus [e], non corrumpimus. Si corrumpimus, quis ante nos confecerat quod corrumperemus? Quare ne vacet dictio Prophetæ (si ita est), intelligite quia vos estis muscæ morituræ. Vos enim exterminastis non quod natum est, sed quod confectum est, suavitas enim legitur non natura posse corrumpi. Oleum enim simplex est, et nomen suum unum et proprium habet : confectum jam chrisma vocatur, in quo est suavitas, quæ cutem conscientiæ mollit, exclusa duritia peccatorum : quæ animum innovat lenem : quæ sedem Spiritui Sancto parat, ut invitatus illic, asperitate fugata, libenter inhabitare dignetur. Hæc est suavitas olei, quam possunt muscæ morituræ corrumpere. Si nos exterminaremus a vobis confectum oleum, merito nos muscas morituras appellare possetis : sed dum quod a vobis unctum est, tale servamus, quale suscipimus; muscæ morituræ esse non possumus. Sed dum vos invidiæ tempestatibus impulsi, quasi in oleum caditis; vos exterminatis in rebaptizatione suavitatem olei illius quod in nomine Christi confectum est, unde condirentur mores, unde accenderetur lumen mentis, ad salutarem [f] et veram intelligentiam. Vos exterminatis rem ubi oleum fuit et suavitas. Nos quomodo potuimus corrumpere suavitatem, quæ ante nos a nullo confecta est? seduxistis homines, rebaptizastis, iterum unxistis. Proh dolor! non sine morte vestra, exterminastis [g] quod fuerat de nomine Christi confectum, more muscarum, quæ pereuntes exterminant : (25) quia mors est peccatum, quod non habet

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. S. T. et P. S. *opponunt.*
[b] In mss. C. et S. G. *et quasi muscas.*
[c] Ita hunc locum restituimus ex mss. S. T. et P. S. male in aliis et in editis, *fit et.*
[d] In mss. C. et S. G. *uno momento.*
[e] In mss. S. T. et P. S. *confecimus*, et postea *corrupimus.*
[f] In mss. S. T. et P. S. *ad salutares partes.*
[g] In mss. S. T. et P. S. *exterminantes.*

VARIORUM NOTÆ.

(21) *Tractatibus. Tractare* est Episcoporum, valetque *concionari*, sic *tractatorem* infra hac pagina dixit, *insinuandi alicujus rei causa, non tamen tractandi quod est episcoporum.* Sic Origenem *tractatorem*, ni fallor (nam liber scribenti non est ad manum), vocat omnium episcoporum Galliæ politissimus Sulpitius Severus. INCERT.

(22) *Oleum.* Ita nostri hæretici per contemptum chrisma vocant oleum. ALBASP.

(23) *Sic a nobis servatur.* Non rebaptizatur. ALBASP.

(24) *Aut possumus.* Si damus oleo suavitatem, aliquid possumus, et ita possumus baptizare : si nihil damus, oleum apud nos non fit suave. ALBASP.

(25) *Quia mors est peccatum*, etc. Distinguo, *quæ pereuntes exterminant. Quia mors est peccatum, quod non habet indulgentiam, scriptum est : Quia qui peccaverit*, etc. τὸ quia e superiore fortasse versiculo repetitum, ubi ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὅτι, etc. Quo plenius probet Optat. verba illa de muscis morientibus suavitatem olei exterminantibus in Donatistas competere, postquam jam probavit, illos suavitatem olei corrumpere, dum rite baptizatos rebaptizabant, etiam in eo muscas imitari addit, quod et ipsi *morientes* id agant. Quare autem *morientes* et *morituri?* quia peccatum quod rebaptizantes admittunt, *non habet indulgentiam*, id est, irremissibile; peccatum autem quodcumque esse irremissibile, *mortem* esse nemo dubitat : sed tamen hinc non magis liquet, quam si nihil adduxisset, quo probaret. Deinde qui potuit Optatus dicere, rebaptizantium Donatistarum peccatum, condonari non posse? Quare nisi commodior aliqua interpretatio horum verborum possit excogitari, expungenda ista omnia putaverim tamquam spuria, *scriptum est quia qui peccaverit in Spiritum Sanctum non remittetur ei, nec hic nec in futuro sæculo.* Ut ista sit Optati verborum sententia : rebaptizantes contra divina præcepta gravissime peccant : peccatum autem *quod non habet indulgentiam* (id est, quamdiu seu quodcumque non est expiatum et remissum) *mors est :* ergo vos non sine morte vestra, etc. Non mirum autem, si Lector, qui verba ista *quod non habet indulgentiam* de peccato ἀσυγγνωστῷ καὶ ἀσυγνωρίτῳ acceperat, locum Scripturæ qui eo pertinebat, in margine notaverit. In margine autem semel notatum, postea in ipsum textum receptum esse, multo minus est quod miremur. Et de istis sacræ Scripturæ verbis plane ita sentio, locum hic habere non posse. Istorum autem Optati verborum, alium esse sensum, aliamque Optati fuisse

Digitized by Google

indulgentiam. Scriptum est quia *qui peccaverit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei, nec hic, nec in futuro sæculo* (*Matt.* XII, 32). Ergo cum et falso nos muscas appellatis, et omnia quæ a nobis fiunt, dissolvere properetis, et nos contemnendos aut despiciendos esse dicatis, vobis solis sanctitatem vindicantes : innocentiam proponitis vestram, ut promittatis vos aliena posse donare peccata. Videtis [a] igitur non de nobis, ut disputatis, sed de vobis dixisse beatissimum Paulum apostolum : *Erunt* (inquit) *homines* 104 *seipsos amantes, cupidi, gloriantes sibi, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti : pacem non custodientes, sine affectu, detractores, immites, sine benignitate*, etc. (II *Tim.* III, 2).

V. *Donatistas non autem Catholicos Jamnæ et Mambræ similes esse.* — Nam et illud quale est, quod pro arbitrio tuo Moysi vobis imponere voluisti personam, contra quem Jamnem et Mambrem obstitisse commemorat apostolus Paulus. Si ita est, quæ apud vos veritas inveniri potest, cui Catholica videtur obsistere, aut quod apud nos esse mendacium poteris approbare? in una communione esse cum toto orbe terrarum? (26) numquid poteris approbare mendacium? symbolum verum et unicum retinere et defendere, numquid poteris approbare mendacium? (27) Cathedram Petri et claves regni cœlorum a Christo concessas, ubi est nostra societas, numquid poteris approbare mendacium? in ipsa lectione quæ commemorasti inter ipsas personas, considera ordinem rerum, et qui fuerit prior attende. Utique Jamnes et Mambres secundo loco sunt, qui contra Moysem et veritatem [b] falsis artibus militare voluerunt : et antecesserat Moyses, cujus virtutes impugnare frustra conati sunt. Ut Moyses prior est, sic et Catholica prior est ; ut Jamnes et Mambres repugnantes obstiterunt, sic et vos rebelles contra veram [c] Catholicam militatis. Quid est ergo quod nomina et nobis et vobis mutare voluistis, nisi ut te sociis tuis comparares æqualem? (28) Sunt enim aliqui ex vobis qui obliti aut ignari præteritorum temporum in [d] nos dicant quæ pertineant ad eos qui jamdudum de Catholica lapsi Majorinum ordinaverunt; illi scilicet auctores schismatis et traditionis. Cum adhuc retinerent pacem antequam exterminarent Deo placitam unitatem, fuerunt lumen mundi, et sal terræ merito appellabantur. Dum docerent pacem, adhuc pacifici vocabantur : (29) antequam inflati essent, beati erant, de paupertate spiritus, pars erant condimenti : beati erant, dum mites, pars fuerant condimenti : beati erant dum justi, pars erant condimenti : beati dum pacifici, totum fuerant condimentum. Posteaquam erroris divitias dederunt spiritui et pulmonibus suis, et facientes schisma, immites inventi sunt : et minus misericordes dum impie membra Ecclesiæ diviserunt : et injustitiam secuti, regnum Dei pro fastidio habuerunt : et dividendo Ecclesiam noluerunt esse pacifici, ipsi facti sunt sal infatuatum, ex quo nihil condiretur, quod Deo de suavitate placuisset. Et cum

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. *vides*.
[b] In mss. S. T. et P. S. *Aaron*.
[c] In mss. S. T. et P. S. *veritatem*.
[d] Hæc ex conjectura supplevimus quæ desunt in mss. ne hiulca et manca esset oratio.

VARIORUM NOTÆ.

sententiam, quam quam mallemus, ac lectori libenter commendaremus, Optatus ipse docebit lib. V, *Absit ut Spir. Sanct.* etc. vide et incerti auctoris *brevic. fid.* contra Arr. a V. Cl. nuper vulgatum, circa finem, *Nam quicumque*, etc. M. CASAUB.

(26) *Numquid poteris approbare mendacium in ipsa lectione quæ commemorasti*, etc. Ut hæc scripta, imo quomodocumque scribas aut mutes, ne Œdipus quidem aut Apollo ipse quidquam sani ex iis eliciat aut integritati restituat. Quare longe est arcessenda huic loco medicina ; sed ea tamen certa ac minima, imo omnino nulla, nisi punctorum distinctioni servientium, mutatione. Sciat igitur Lector, multas retro periodos etsi non eadem obscuritate, eodem tamen falsæ distinctionis vitio laborare, quo hæc, quæ restituere, nisi recte illis constitutis, non possumus. Totus igitur locus ita concipiendus est. *Si ita est* (hinc enim depravationis per aliquot sententias continuatæ origo), *quæ apud nos veritas inveniri potest, cui Catholica videtur obsistere, aut quod apud nos esse mendacium poteris approbare? in una communione esse cum toto orbe terrarum, numquid poteris approbare mendacium? symbolum verum et unicum retinere et defendere, numquid poteris approbare mendacium? Cathedram Petri et claves regni cœlorum a Christianis concessas, ubi est nostra societas, numquid poteris approbare mendacium? In ipsa lectione quæ* (f. *quam*) *commemorasti, inter ipsas personas considera ordinem rerum, qui fuerit prior, attende. Utique*, etc. M. CASAUB.

(27) *Cathedram Petri.* Ex eo quod cum Episcopo Romano communicat, infert se non posse errare, neque falsum symbolum docere. ALBASP.

(28) *Sunt enim aliqui ex vobis*, etc. Ad illud, *Cum adhuc* : aliquid hic deesse primo statim intuitu facile quivis agnoscat. Haud multum tamen esse, quodcumque deest, ex attenta totius loci ad finem usque consideratione, volenti ac diligenti liquebit. Sententiæ certe haud ulla esset, nexusve jactura, etiamsi plura abessent ; ista nimirum omnia, *sunt enim aliqui ex vobis qui obliti aut ignari præteritorum temporum, eos jamdudum* : atque inde periodus inciperet : *qui de Catholica*, vel, *illi jamdudum qui de Catholica*, etc. Præcedentium enim verborum sensum et materiam postea repetit, neque hic præmitti necesse fuit. Ego sensum ita expleo, (nam verba per me liberum sit unicuique prout ipse malluerit), *sunt enim aliqui ex vobis, qui obliti, aut ignari præteritorum temporum in nos jam dicunt, quæ pertineant ad eos jamdudum, qui de Cath. lapsi Majorinum ordinaverunt. Illi scilicet auctores schismatis, et traditores cum adhuc retinerent*, etc. Quid si legas, *sunt enim aliqui ex vobis qui obliti* (*sunt* scil.) *aut ignari præteritorum temporum, eos jamdudum qui de Cath. lapsi Majorinum ordinaverunt : scilicet*, vel *fuisse ; auctores schismatis et traditionis. Illi scilicet auctores schismatis et traditionis. Cum adhuc*, etc. Sane qui Optati priores cum hac meliori ac secunda Balduini editione contulerit, reperiet hanc potissimum omnium, eorumque plurimorum hiatuum ac lacunarum hoc in libro segetem fuisse, quoties eadem syllabæ, vel verba, vel denique versus integri proxime repetiti consequebantur. Sed sententiæ, si nihil deesse impetro, in verbis restituendis ingenium suum, qui volet, exerceat. M. CASAUB.

(29) *Antequam inflati schismatici essent.* Tertullianus de Monogam. *cum inflamur et extollimur adversus oleum.* ALBASP.

Digitized by Google

hoc malum pertineat ad principes vestros, a quibusdam sociis tuis aliter disputatur, ut dicant insipientes fuisse eos qui agnoverunt vel sero veritatem, et ab schismate recedentes, agnita matre Catholica secuti sunt pacem. Hos putant aliqui vestrum errasse: hos existimant quasi infatuatos a sapientia recessisse. Unde apparet vos omnes eodem modo errare in nominibus transferendis; dum et tu Jamnem et Mambrem pacificis catholicis comparasti, et vos schismaticos Moysi quod a veritate alienum est: et aliqui socii tui insipientes, de sapientibus judicare voluerunt, **105** ut dicant fatuos factos esse pacificos; et parentes suos de dissensione infatuatos esse intelligere noluerunt [a].

VI. *Qua ratione et cur Macarius ad communionem admissus fuerit.* — Jam ad illum locum [b] invidia vestra dilabitur, ut dicatis Macarium post illa facta communioni non debuisse misceri: sed magis a catholicis episcopis abstineri. Primo, communionis A unum est nomen, sed diversi sunt modi [c]: aliud est communicare episcopum cum episcopo, et aliud communicare laicum cum episcopo. Tunc erat grave si Macarius quod fecisse dicitur, sua voluntate fecisset; quod qui faciunt, factum judiciis publicis et Romanis legibus vindicatur. Ille est enim homicida, qui nulla necessitate cogente, nulla jussione, nulla potestate, sed furore adactus, de voluntate sua fecerit quod prohibent leges. Cæterum, Macarius quod fecisse dicitur, vobis provocantibus fecit: nec episcopus fuit, nec in officio episcopali versatus est, nec manum alicui imposuit, nec sacrificium obtulit. Unde cum eum constet alienum fuisse ab episcoporum actibus, nullus episcopus ab eo qui cum episcopis non obtulit videtur esse pollutus. Restat ut dicatis eum cum populo communicasse: et locutum B eum esse aliquid in populo constat, sed insinuandæ alicujus rei causa, (30) non tamen tractandi quod est episcoporum; ille enim nude **106** locutus est,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Hic clauditur in editis liber septimus totumque opus Optati, et quæ sequuntur in mss. translata sunt ad finem libri tertii. Et quidem quod spectat ad illa quæ pertinent ad calumniam Donatistarum in Macarium, quod profanasset Christianorum sacra, quæ incipiunt ab his verbis: *Et si seductioni*, etc., et desinunt in his, *quod videbatur auditum*, extant libro tertio, sicut et septimo in mss. S. T. et P. S. eaque superius a nobis in hujus tertii libri fine sunt posita. At quæ sequuntur, cum in omnibus mss. ad librum septimum pertineant, nullibi ad tertium, hic ponenda esse duximus tamquam appendicem libri tertii additam ab Optato in libro septimo post opus suum confectum.

[b] In mss. ante hæc verba habetur: *Sed ut ad paulo ante dicta redeamus;* quod videtur superfluum et forsan additum ab amanuensibus.

[c] Ita in mss. S. T. et P. S. In aliis, *actus*.

VARIORUM NOTÆ.

(30) *Non tamen tractandi quod est episcoporum.* Quid ergo Presbyteri, non et illi concionari soliti? Ita video hodie a multis credi, solos enim episcopos docendi jus habuisse; sed magno, ni fallor, errore. In Africanis Ecclesiis diu obtinuisse, ne presbyteri, C *præsente*, ut Hieronymus ad Nepotianum, episcopo loquerentur, vel ut Possidius in vita Augustini, *coram episcopo prædicarent*, sive *tractarent*, non negamus. Quod tamen colligunt inde viri docti, inter alios Baronius, non licuisse presbyteris prædicare in Africa, non video cur necessario sequatur. Imo verba Possidii plane inspecta contrarium videntur innuere, ut et Hieronymi; cum neuter ἁπτῶς et plane dicat, non solitos, sed præsente episcopo non solitos. Augustinus etiam ep. LXXVII, ubi Aurelio abrogatæ hujus consuetudinis nomine, gratias agit ac lætatur, non ita loquitur, quasi presbyteris tum primum *sermonum* facultas esset concessa, sed quod *ipso præsente* jam liceret eis, quod jam ipse *Dominum per eos loquentem non dedignaretur audire.* Jam quæcumque fuerit hæc Africanarum Ecclesiarum consuetudo, quæ vivente adhuc Augustino abrogata est, universalem eam Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem minime fuisse, vel ex Hieronymo constat, qui ait in *quibusdam dumtaxat Ecclesiis* id fieri; et D Possidius, qui aliam Orientalium Ecclesiarum consuetudinem fuisse, et illarum imitatione sublatum ab Africanis Ecclesiis illum morem testis est locupletissimus. Antiquos canones, qui tale quid exerte statuant, nullos reperio. Nam illorum Interpretes nihil moror, qui sibi satis constare super hac re non mihi videntur: Balsamon sane ad can. 2 synodi Constantinopolitanæ, τοὺς ἱερεῖς μὴ εἶναι διδασκάλους, et ad 19, synodi in Trullo, ὅτι τὸ διδάσκειν τὸν λαὸν μόνοις ἐνεδόθη τοῖς ἐπισκόποις aperte definit. Idem autem in canones qui vocantur Apostolorum, ad can. 58 synodi in Trullo (ubi tamen Græca desunt) plane contrarium sancit. Sed nonne et Ancyranæ Synodi can. 1, τὸ ὁμιλεῖν, quod Balsamon διδάσκειν interpretatur, ut similes alios omittam, inter propria presbyterorum munera? Quod si aliquibus in locis interdum factum est, ut episcopi aut *stimulante invidia* (ut Hieron. alicubi), aut legitima aliqua causa impellente, pro sua episcopali auctoritate et potestate, sive uni alicui, sive pluribus simul presbyteris silentium imponerent, non recte tamen inde concludas, olim presbyteris non licuisse concionari. Quid enim presbytero licitum, non permittente aut prohibente episcopo? Pari jure concludas, neque solitos baptizare, aut Eucharistiam administrare. Quando enim non obtinuit illud Ignatii ad Smyrnenses μηδεὶς χωρὶς ἐπισκόπου, etc. *In Eccl. cuiquam sine venia Episcopi nihil licere.* Qui etiam hoc addit οὐκ ἔξον ἐτι χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν, οὔτε προσφέρειν, οὔτε θυσίαν προσκομίζειν, οὔτε δοχὴν ἐπιτελεῖν, etc. Vide et Apost. qui dicuntur Canones, can. 39. Nam Balsamonis interpretationem, plane contra mentem canonis esse, vel Ignatio fretus ausim asserere. Tertullianus quoque jus baptizandi soli Episcopo proprie competere, et quibus ab Episcopo permissum sit, sciscit, de Bapt. cap. 17. Quod autem etiam et diaconis tractandi seu prædicandi munus incubuisse, viri quidam docti credidere, inter alios Bellarminus de Eccles. lib. I, cap. 13, vereor ne non satis firmo fundamento nitatur illorum opinio. Nam si exemplis res agenda est, non desunt in veteri historia et illorum exempla, qui longe infra diaconos, nullis omnino sacris ordinibus initiati, populum in morem concionantium allocuti sunt. At Gregorii verba quæ proferunt, an recte ab illis intellecta sint, non sine causa dubitemus. Ait Gregorius illo loco qui est epist. lib. IV, edit. Rom. ep. XLIV: *Iniquum esse ut in diaconatus ordine constituti, modulationi vocis inserviant, quos ad prædicationis officium elemosynarumque studium vacare congruebat.* Ibi per *prædicationis officium*, putant a Gregorio tractandi seu concionandi munus indicari. Sane Hieron. dist. 93, cap. 23, diaconos prædicare solitos, et ipse confirmat, et iisdem in priscis canonibus τὸ κηρύσσειν interdum tribuitur. Sed ibi docent interpretes aliam vim ejus vocis cum diaconis, aliam cum sacerdotibus tribuitur, quibus et nos assentimur, et Hieronymi, ut et

Digitized by Google

si quid loqui potuit. Contra episcopalis tractatus (31) probatur ab omnibus sanctitate vestitus, salutatione scilicet geminata. Non enim aliquid incipit episcopus ad populum dicere, nisi primo in nomine Dei populum salutaverit. Similes sunt exitus initiis. Omnis tractatus in Ecclesia a nomine Dei incipitur, et ejusdem Dei nomine terminatur. Quis vestrum audet dicere Episcoporum more, Macarium populum salutare? Igitur cum nec salutaverit antequam aliquid loqueretur, nec salutare ausus sit, postquam locutus est, nec manum imposuerit, nec sacrificium Deo ritu Episcopali obtulerit: quid est quod dicitis pollui potuisse episcopale collegium, cum ab omni episcoporum officio Macarium videatis alienum? Vestigio [a] veritatis hoc loco calcata iterum vestra caput levare videtur invidia. Dicitis enim nec inter laicos eum communicare debuisse. Equidem constat, eum, ut Paulus apostolus probat, ministrum fuisse [b] voluntatis Dei. Et quid mirum? (32) si et judices pagani ministri voluntatis Dei æstimari meruerunt, Apostolo dicente: *Non sine causa judex gladium portat* (*Rom.* XIII, 44). Est enim minister voluntatis Dei: nam et Macarius in suo judex fuisse videbatur. Quod si non erat judex in eo quod fecit, secundum leges Romanas a judicibus in eum debuit vindicari. Aut si dicitis nec sic eum communicare debuisse: nos tamen non videmus quia debuit abstineri, qui id tale fecit quod factum est a Moyse, quem post viginti tria millia hominum occisa, Deus non contemnendo abstinuit; sed ut secum loqueretur iterum invitavit. Nos non videmus abstinendum fuisse eum qui fecit quod Phinees, quem paulo ante memoravi, qui ab ipso Deo pro homicidio laudari meruit. Non videtur magis nobis abstinendus fuisse is a quo id factum est quod ab Elia prophetæ qui tot falsos prophetas occidit: nam et illos falsos vates fuisse jam supra probavimus.

VII. *Macarium etiamsi reus fuisset, a communione pelli non potuisse.* — Sed ut hæc exempla sileantur, dicamus et nos quod dicitis reum fuisse Macarium: quod si fuit, accusatore silente, a nobis non licuit abstineri. Scriptum est enim ante cognitam causam neminem esse damnandum. Dicite, quis eum accusavit, et auditus non est? dicite Macarium confessum esse culpam, et nostram siluisse sententiam? sumus enim (33) qualescumque judices in Ecclesia, quod et ipsi non negatis; (34) quod nos judices esse veros debere fuisse contenditis. Non enim possumus

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ita in mss. S. T. et P. S. atque ita legendum, quamvis in aliis habeatur *vestigia*.

[b] Sequentia usque ad illa verba, *personas separare dignatus est*, desunt in ms. S. T. Utrum defuerint in ms. P. S. incertum, nam ab hoc loco laceratæ sunt ejus postremæ paginæ.

VARIORUM NOTÆ.

Gregorii de eadem aut simili, non sacerdotali prædicatione accipienda contendimus, ipse Gregor. quod *prædicationis officium* dixerat, idem mox *Evangelicæ lectionis officium* indigitat. Nam alioquin etiam et lectores *prædicasse* pari jure concludamus, cum et illos Isidorus dist. 21, can. 1, *populis quid sequantur, prædicare* perhibeat. Qua ratione etiam *pastores* eos nuncupari posse censet Ambrosius in ep. ad Ephes. cap. 4, quod, ut ait ille, *lectionibus populum audientem saginent*. Quis enim neget nisi fanaticus et novitatis œstro percitus verbum Dei non minus prædicari, cum purum putum a quoquam legitur in Ecclesia, quam cum ex ambone pro captu sacerdotis enarratur? At Cyprianus (quod longe majoris apud me ponderis est) etsi non ille diaconos ullibi solitos esse prædicare, dum tamen eos ait eo functos esse munere, *ut ad carceres commeantes martyrum desideria consiliis suis, et sacrarum Scripturarum præceptis regerent atque gubernarent, ac circa Evangelii legem plenissime eos instruerent*. Tales mihi videtur describere, qui non indigni, quorum prudentiæ ac sapientiæ maximi res momenti crederentur. Verum de his plus satis hoc loco. Quid igitur hic Optatus episcoporum esse *tractare;* quod a Cypriano et aliis *tractantes* nuncupantur *episcopi*, non aliud inde colligi posse puto, quam episcopis, ut summis sacerdotibus ac supremis Ecclesiarum moderatoribus (de ecclesiasticis hic loquimur) nec minus doctrina plerumque ac meritis, quam dignitate ac potestate cæteris ante stantibus, id munus, ut omnium gravissimum, et vere ut poeta alicubi de Athlantis onere ἄχθος οὐκ ὐάγκαλον præcipue incubuisse, et aliquando nefas fuisse presbyteris, episcopis vero inglorium ac probrosum, ut ipsis præsentibus inferioris gradus sacerdotes populum adorarent, ac docerent: non ut presbyteros, etiam absentibus iis, concionari præter fas aut mores fuerit, aut id muneris extra aut supra ipsorum limites officii, crediderint antiqui. M. CASAUB.

(31) *Probatur ab omnibus*, etc. Vestitum cave hic pro vestimento accipias. Non enim de vestitu episcopali hic agit, sed ait, omnes sive quosvis astantes tractatum Episcopalem sanctitate vestitum ex duplici salutatione agnoscere et intelligere. Ideo autem usus est hac metaphora, quod antea de laico dixerat: *nude locutus est*. Cæterum ab hac solemni salutandi consuetudine fluxisse videtur, quod, ut ad Propertii 4, observavit illustriss. Scaliger, locus ipse unde olim populum alloquebantur episcopis Latinis *salutatorium*, et Græcis ἀσπαστικὸν dictus sit. M. CASAUB.

(32) *Si sint et judices pagani*, etc. Scribe: *si licet judices pagani ministri voluntatis Dei*, etc. Sed lectorem monemus, plura paucis hisce paginis fuisse errata id genus, quæ in ipso textu corrigenda curavimus. Mox, nam *et Macarius in suo*, mallet aliquis fortasse, *Macarius in facto suo*, vel, *Macarius in sæculo:* Nam postea sequitur, *judices in Ecclesia*, sed ego nulla mutatione opus esse censeo. M. CASAUB.

(33) *Sumus enim qualescumque judices*, etc. Quia superioribus verbis de Macario tamquam sententiæ episcoporum obnoxio locutus erat, ne nimium episcopis in legatum Imperatoris juris tribuere videretur, quod absolute dixerat, restringit jam ad sententias et censuras ecclesiasticas, quarum vis et vigor ad omnes Christianos extenditur. Dixit autem *qualescumque judices*, quia *judicis*, vox ipsa, non minus apud illos propria Magistratibus sæcularibus, quam *episcopi* spiritualibus: utcumque vim vocis utriusque utrisque in suo genere competere nemo negaverit. Cæterum juridictio episcoporum in laicos et causarum cognitio ab Ecclesia, quam nota et usitata res in Africa fuerit, vide vel Augustinum de Op. Monach. c. 29. M. CASAUB.

(34) *Quod nos judices esse veros debere fuisse contenditis.* Turpe mendum est, tu feliciter sana: *quod nos judices severiores debere fuisse contenditis.* INCERT.

Digitized by Google

facere quod non fecit Deus, qui in judicio suo personas separare dignatus est : nec eumdem voluit esse accusatorem et judicem. Non enim potest quis in una causa, eodem momento duas portare personas, ut in eodem judicio et accusator esse possit et judex. Quod Deus nec per omnipotentiam fecit : ut nobis judicandi formam ostenderet, docuit reum sine accusatore non debere damnari ; aut accusatorem eum esse, qui judex in ea causa futurus est. (35) Denique inter ipsa principia sæculorum dum hominum esset renovellata nativitas ; dum a Cain frater Abel esset occisus, **107** lectum est : *et vocavit Deus Cain, et interrogavit eum ubi esset frater ejus* (*Genes.* IV, 9) ; ille peccatum duplicans, quasi ignorantem faceret Deum, nescire se dixit. Et quando posset nescire aliquid Dominus, sub cujus oculis et vultu sunt omnia quæ geruntur ? et tamen Deus sine accusatore non judicat : et interrogat utique quod noverat. Et vos vultis ut abstineremus quem non vidimus aliquid mali [a] facientem, et qui nullum habuerit accusatorem. Video hoc loco quid invidia submurmuret vestra. Dicitis enim non nos latuisse quod factum est. Fatemur nos audisse, sed peccatum erat damnare eum quem nemo est ausus accusare [b]. Sed si dixeritis quia [c] non nos latuit factum, dicite Deo quare interrogavit, qui viderat parricidium. Nec illud a nobis fieri oportuit, quod Deus facere noluit qui sententiam noluit dicere nisi reo. Redde accusatorem ; alioquin non posset justa esse sententia, nisi ipse qui judicaturus erat accusaret. Ideo ait : *Ecce sanguis fratris tui clamat ad me de terra* (*Genes.* IV, 10). Quare et vos cum minime probare possitis ab aliquo apud nos accusatum esse Macarium, nostrumnon potestis damnare judicium [d].

N. B. Huc usque liber septimus ex codicibus manuscriptis et prima editione Balduini ; quæ sequuntur habentur in altera ejusdem editione, ex Tiliano, ut ait, codice, quem nobis videre non contigit. Sed quia desunt in quatuor codicibus quibus usi sumus, videnturque aliena a mente Optati, nec stylum ejus sapere, ea ut immerito Optati orationi inserta, sustulimus e textu. Ne quid tamen nostro operi deesset, quod ad Optatum pertinere videretur, hic illa describenda esse censuimus.

Traditionis crimen elevatur. — *Post hæc verba, pag.* 100, initio : « (36) Illi namque si illo tempore, bono pacis, » *sequentia habentur :* unitatem facere debuerant, etiam et ipsi ab Ecclesia non fuerant repellendi, in quibus (37) necessitas excusaverat voluntatem. Non enim aliqui illorum sponte tradiderant, aut hoc peccatum (38) cum cæteris delictis poterit coæquari. Quidquid enim Deus fieri noluit, ore suo prohibuit, quo modo dixit : *non occides, non mœchaberis*, etc. (*Exod.* XX, 13). Potuit etiam hoc prohibere quod a parentibus vestris admissum est : sed quoniam aliud est quod facit animus, aliud est quod operatur eventus, quidquid de voluntate potest ab homine fieri, hoc meruit prohiberi ; quidquid necessitas peccat, non potest magnis viribus accusari : denique voluntas habet pœnam, necessitas veniam : homicida, scelus dum nemo cogit potest et facere, potest et non facere : adulterium mœchus, dum de foris nemo compellit potest admittere, potest et non admittere, et cætera hujusmodi in quibus liberum habetur arbitrium. Ideo prohibita dum geruntur, judicio destinantur, non (39) interdicta dum aliqua necessitate fiunt : forte facile dignetur ignoscere, qui noluit prohibere. Denique hoc delictum quod quasi capitale potuit objici parentibus vestris, si illo in tempore nudareptur, aut in judicium vocarentur, possent sibi exemplo non uno succurrere, ubi primis temporibus aut tabulæ legis fractæ, aut libri traditi esse leguntur vel incisi et incensi, et nemo damnatus est.

LECTIONES VARIANTES.

[a] In mss. C. et S. G. *male.*
[b] In mss. C. et S. G. *arguere.*
[c] In ms. S. T. *sed quia dicitis.*
[d] In ms. S. T. *Explicit liber Optati episcopi Catholici libri numero* VII *ad Parmenianum schismaticorum auctorem.* In ms. C. *Explicit liber Optati septimus.* In ms. S. G. *Explicit liber septimus S. Optati episcopi.*

VARIORUM NOTÆ.

(35) *Denique inter ipsa principia sæculorum*, etc. Notæ Lugd. sive Barthianæ sunt dicendæ ad ista primi libri : *Hoc modo iterum renovellatæ sunt. Partes renovellare*, inquiunt, pro *redintegrare*, a vitibus ductum. Sic loquitur auctor lib. VII : *Dum hominis esset renovellata nativitas.* Sed quo, quæso, sensu, prima generis humani creatio, ejus *redintegratio* potuit ab Optato dici ? fefellit virum doctum præpositio *re*, quam hic vacare, ut et in multis aliis, quibus ista ætas majorem in modum delectata est, non animadvertit. Inde *repromittere* pro simplici *promittere* et *terram repromissionis* vulgo appellabant quam nos *promissionis*. Ita *remittere*, *reddere*, et innumera alia quorum etiam apud meliores scriptores non desunt exempla. Ut causæ non fuerit, cur S. Pater, ac vir longe doctiss. Hieronymus, tam acriter ac severe in Rufino æmulo suggillaret, quod ille *refestinare* pro simplici *festinare* posuisset : *sordidissimæ*, ut Hieron. judicat, *elocutionis περισσολογία*. Est igitur *renovellare* non aliud quam *novellare*, id est, φυτεύειν, ut in antiquo gloss. legimus, et *novelletum*, νεόφυτον, quod hic, nisi valde fallor, convenit multo melius, quam τοῦ *redintegrare* significatio. M. CASAUB.

(36) *Illi namque si illo tempore bono pacis*, etc. Facere debuerant, id est, fecissent, facere voluissent ; ita coll. Aff. p. 83 : *Ut prius de mandatorum numero constet, et de partibus meis quanti mandaverint, vel quanti sint mandaturi* (ait Petilianus Episcopus), *id primum peto de nobilitate tua, ut superfluum non sit, de numero utriusque partis ferre debere judicium celsitudinem tuam.* Quibus ex verbis, quam redundantibus ac superfluis supra modum vocibus ætas illa delectata sit facile discamus. Hoc enim volebat : *Peto de nobilitate tua, ut de numero utriusque partis, judicet tua celsitudo.* Eadem coll. p. 2, *adesse debere*, pro *adesse*, et Can. Eccles. Afric. edit. Clar. Justelli p. 45, *mittere dignetur, qui debeant perferre* pro *qui perferant.* M. CASAUB.

(37) *Necessitas.* Quia tormentorum metu id fecerant. ALBASP.

(38) *Cum cæteris delictis.* Quæ sponte fiunt. ALBASP.

(39) *Interdicta.* Interdicta vocat, quæ ex se non sunt peccata. ALBASP.

Digitized by Google

Si (ut supra dixi) parentes vestri illo tempore nudarentur, si accusari potuissent, sine dubio dicerent, se nihil amplius fecisse a Moyse legislatore, quamvis non sibi similent, sed inter se repugnent necessitas et voluntas, cum eodem nomine legis parentum vestrorum et Moysi una fuerit causa. Possent dicere parentes vestri illud se de necessitate fecisse, quod Moyses prior fecerit de voluntate. Qui cum populo indignaretur, non consideravit quia Deus digito suo scripserat : et plus est quod scriptum est in cœlo, quam quod in terra : et non est unum quod fecit Dei digitus, et quod scripsit calamus humana manu compositus. Moyses ferebat quod per nubem acceperat, et parentes vestri tradiderunt quod (40) data mercede confecerant : recte se parentes **108** vestri defenderent, docentes capitale crimen non esse, si id fecisset unusquisque eorum magno metu perterritus, quod Moyses fecisset iratus : et non legimus Dominum indignatum esse Moysi, nec vindicasse confractas tabulas quas manu sua perscripserat, nec peccator appellatus est, nec punitus. Sic lex a Deo profecta est, ut aqua de fonte dilabitur, aut poma quæ de arbore salva radice carpuntur : non perit quod erogatum est, si in origine sua salvum est. (41) Denique Moyses post tabulas sparsas legis et comminutas non damnari meruit, et Sina postea montem revocatus adscendit, et loqui cum Deo iterum meruit, et secundum legem innovatam accepit, quam prodiit titulus libri qui Græco vocabulo Deuteronomos scribitur : ecce non perit in lege, quod salvum fuerat in origine. Sed ne cui videatur Moyses habuisse meritum, ut de colloquio quamdam apud Deum fiduciam, et ideo Deum non iratum esse, et hoc si ita esset, semper amicitia meritum suum et fructum exigere debebat : quare in eum postea vindicatum est, quod offendit? nonne ut ostenderetur leve fuisse illud, quod iratus admiserat. (42) Lex in Deo sana fuit; et postquam ab homine cum tabulis lapideis fracta est : devotio quæ ab homine debebatur ubi exhibita non est, Moyses illam (43) pœnam meruit, ut medio itinere moreretur, ne terram promissionis intraret : unde constat non magnum peccatum posse computari, (44) quod in præsenti exemplo potuit impune committi. Hæc si a parentibus vestris dicerentur, quis eis communionem negare potuisset? quid si et illa consequentia exempla proponerent, in quibus legitur, innovata lex cum haberetur in arca, et populus Israel in prælio vinceretur. Lex quæ in arca consilio populorum in hostes allata est, quæ ab ipsis Presbyteris et cæteris filiis Israel defendi non potuit, et inimicis est tradita, dum minus est reportata : tradita lege qui afferendam dixerant, fugerunt timidi, et non leguntur postea in vindicta aliquid passi. Si a parentibus vestris hæc ratio redderetur, quis eos a (45) communione sua repellere potuisset? Quid si nec illa exempla tacuissent principes vestri? quibus legitur Baruch librum legis quem ex ore Jeremiæ prophetæ exceperat, tradidisse scribæ Judin, et a principibus regis jussum esse ut et ipse Baruch qui exceperat, et Jeremias per quem Deus locutus erat, fugerent et latèrent. Jeremias dicebat, Baruch tradidit, fugerant ambo ; ad Joachim regem liber allatus est, qui Rex cum ante se pro qualitate temporis frigidi arulam habuisset ardentem, et librum a Judin scriba recitatum non libenter audivisset, subinde concisum minutatim ignibus imponebat. Et non iratus est Deus vel Jeremiæ qui fugerat, vel Baruch qui cum eo fugiens tradiderat : quibus si Deus iratus esset, ad Prophetam aliquem alterum loqueretur : non ad alterum, sed ad ipsum Jeremiam locutus est : sic enim legitur : *Et factus est sermo Domini ad Jeremiam postquam combussit Rex capitulum libri, et sermones quos scripsit Baruch ex ore Jeremiæ; dixit Deus ad Jeremiam : accipe tibi chartam alteram et scribe omnes sermones tuos qui tunc erant scripti in libro quem combussit Joachim Rex Judæ* (*Jerem.* XXXVI, 27). Ecce nec Deus iratus est, nec qui asserat perit, nec Baruch punitus est, nec Jeremias a Deo contemptus est; unde apparet, quod in hac re gravis numquam fuerit culpa quam numquam potuit sequi vindicta. Si hæc parentes vestri allegarent, quis illos a communione revocare potuisset? Denique cum videret Deus et a Moyse legis tabulas fractas, et arcam hostibus derelictam, et post traditionem Baruch librum legis et incisum esse et combustum, indicavit providentiam suam, et promisit se legem jam non in tabulis scribere, nec in libris, sed in ipso interiori homine, hoc est, in mente et in corde uniuscujusque credentis; quomodo scripserat in corde Noe, Abrahæ, Isaac, et Jacob, et cæterorum patriarcharum quos constat legitime sine lege vixisse. Quam rem probat et beatus apostolus Paulus dicens : *Scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus* (II *Cor.* III, 3). Post legem a Moyse fractam et a filiis Israel hostibus derelictam, et offerente Baruch ad Joachim regem, et concisam et incensam ante tempora christiana, ubi postea melius scripturus erat, legem indicavit Deus

A B C D

VARIORUM NOTÆ.

(40) *Data mercede.* Quod scribi craverant. ALBASP.

(41) *Denique Moyses post tabulas*, etc. Scribo : *Denique Moyses post tabulas sparsas legis et comminutas cum non damnari*, etc.; mox quoque, *prodiit*, lege *prodidit*. M. CASAUB.

(42) *Lex in Deo sana fuit*, etc. Ita correximus quæ antea legebantur : *Lex in Deo sana fuit, et postquam ab homine cum tabulis lapideis facta est devotio qua ab homine debebatur*, etc. M. CASAUB.

(43) *Aut pœna.* Alios Codices poteratis scribere. ALBASP.

(44) *Quod in præceptis exemplo potuit*, etc. Pro *præceptis* malit aliquis forte *præsenti* vel *præcedenti exemplo*. Sed ego potius illis assentior, qui *præcepta* tabulas x, præcepta continentes, intelligunt. M. CASAUB.

Ibid. *In præceptis.* In tabulis, quæ præcepta continebant. ALBASP.

(45) *Communione sua.* Quis voluisset eos deponere? ALBASP.

Digitized by Google

per Prophetam dicens : *Quoniam hoc est testamentum meum, quod disponam domui Israel et domui Judæ, et post dies illos dicit Dominus : dans leges meas in corde eorum et in mentibus eorum scribam eas* (*Jerem.* XXXI, 31). Promisit hoc jamdudum et (46) proxime reddidit temporibus Christianis. Ergo jam secundo loco est charta, secundo loco membranæ. Si a Deo lex ibi 103 scripta est unde tradi non possit, ut parentes vestri qui jam in Trinitate crediderant, quamvis libros tradiderint, nec corda nec mentes tradiderint suas in quibus Deus legem suam scripsit, sicuti se scripturum esse promiserat. Ubi est ergo, frater Parmeniane, quod dixisti penitus exustam a traditoribus legem? ecce nec penitus exusta est, nec ex toto sublata, dum et in cordibus credentium manet, et librorum millia ubique recitantur : (47) unde apparet te parentes tuos, quamvis per ignorantiam, frustra accusare voluisse. Igitur si parentes vestri ad tempora unitatis occurrerent tot exemplis rationabiliter redditis, et ipsi a communione repelli non possent quando vos quos constat traditores non esse, sed filios traditorum, cum patrum et filiorum et personæ discernantur et nomina, inter quas personas si non sit communis culpa, non potest una esse sententia. (48) Quamquam et si illorum unitas fieret, ad Ecclesiam catholicam sponte venirent. *Cætera habentur in nostra editione* (Dupiniana scilicet), *pag.* 100.

Post hæc verba pag. 100 *versus medium :* « Si quid a filiis forsitan delinquatur, « *sequentia habentur :* Cum et temporibus Moysi sine cujusquam pœna lex iterata sit, et arca Testamenti ab hostibus ultro sit reddita, et ab Jeremia Deo præcipiente charta sit altera scripta; quare putatur apud majores vestros solos capitale fuisse peccatum, in quo per tot exempla nemo damnatus est? Nam si lex ideo data est, ut homines docerentur, non ut ipsa lex quasi pro Deo coleretur, post factum patrum vestrorum nullum damnum passa est turba credentium; unusquisque eorum sub metu codices suos perdidit. Nam lex quæ necessaria fuerat, valet apud doctores populorum et cultores Dei. Bibliothecæ refertæ sunt libris; nihil deest Ecclesiæ; per loca singula divinum sonat ubique præconium; non silent ora lectorum; manus omnium codicibus plenæ sunt; nihil deest populis doceri cupientibus, quamvis lex non magis pro doctrina quam pro futuro judicio scripta esse videatur, ut sciat peccator, quid pati possit, si minus juste vixerit. Denique scriptum est et legitur : *quod justis lex data non sit* (I. *Tim.* I, 9); *quia unusquisque justus ipse sibi lex est* (*Rom.* II. 14 *et* 15); et alio loco idem beatus apostolus Paulus dicit : *quia lex non facit justos, sed ipsa amat justitiam.* Semper in omnibus rebus efficientibus effecta quæruntur : vacat lex quæ efficit, si per compendium paratum est quod efficitur. Denique Abrahæ non dictum est : *crede*, sed *ultro credidit :* in quo sine lege, legis effectus impletus est : non legitur : *audivit Abraham legem et credidit*, sed legitur : *credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad justitiam* (*Rom.* IV, 3). Et primis temporibus Noe Patriarcha nihil egit unde justus fieret, et justus electus est, qui fabricata arca feliciter in diluvio navigaret. Longum est ire per singulos qui sine lege inventi sunt justi. Hæc si a vestris parentibus suo tempore dicerentur, quis eos a communione sua repelleret? quid si dicerent non debere silentio præteriri quod Apostolus de extralegalibus ait : *Gentes quæ legem nesciunt, ea quæ legis sunt, faciunt : habent enim legem scriptam in cordibus suis.* Nam et multi probantur in lege peccasse, et multi bene sine lege vixisse. Lex et homo duæ res sunt, sed pares esse non possunt : non enim homo factus est propter legem, sed lex data est propter homines. Nusquam video damnum illatum Deo, dum et origo legis apud eum manet : et postquam scriptura vestris parentibus tradita esse dicitur, nihil deest, omnia membra legis sana sunt, salva sunt, recitantur : nihil minus est de lege et docere, et doceri cupientibus. An illud erat magis necessarium ut occideretur homo, ne scriptura aliqua traderetur? quid quod nec homines occisi sunt, et omnes scripturæ non desunt? non est unum lex et Deus. Si pro Deo moriendum fuerat, qui et resuscitare mortuos, et reddere præmium potest, liber non traditus de duobus his nec alterum potest. (49) Impedit igitur necessitas vires suas. Non minus videmus negligentiam frequenter operari, quam necessitas operata est. Nam si membranæ aut libri, quibus scriptura legitima continetur, in totum debent illæsa servari, quasi non damnantur aliqui negligentes; non est longe tradere a male ponere, aut male ferre : alter in domo librum posuit, quæ domus incendio conremata est : damnetur qui negligenter posuit, si damnandus est qui postulandum librum territus dedit : damnentur etiam illi qui neglectas membranas aut libros ita posuerunt, ut eos domesticæ bestiolæ, hoc est, mures ita corroserint, ut legi non possint : damnetur et ille qui ita in domo posuit ut nimietate plu-

VARIORUM NOTÆ.

(46) *Proxime reddidit.* Hæc et quæ sequuntur innuere videntur, sine Scriptura, quæ nobis tradita sunt, sufficere posse. ALBASP.

(47) *Unde apparet te parentes tuos*, etc. Nisi Optatum interdum parum caute loqui et aliæ testarentur, vel eo potissimum nomine abjudicandum ab illo putarim septimum hunc librum. Parum enim solida est tota hæc disputatio, nisi commoda et benigna interpretatione leniatur. M. CASAUB.

(48) *Quamquam.* Sensus est : etsi majores vestri propter has rationes a communione non fuissent revocandi, tamen quia peccarant, eam quærere et flagitare debebant; vos vero ultro ad unitatem estis invitandi, quia nihil peccastis. ALBASP.

Ibid. *Quamquam etsi illorum unitas fieret*, etc. Scribo : *Quamquam etsi illorum unitas fieret, et ad Ecclesiam Catholicam sponte venirent*, etc. M. CASAUB.

(49) *Impedit igitur necessitas vires suas.* Scribe : *Impendit igitur*, etc., id est, quod et mox sequitur, *necessitas operata est*, sequitur, *quasi non damnantur aliqui negligentes.* Scribe, *quare non damnantur aliqui negligentes? non est longe*, etc. Sed ejusmodi non pauca sequebantur, quæ ne putidiores essemus, in ipso textu correximus. M. CASAUB.

Digitized by Google

viarum 110 sic tecta aliqua stillicidia deliquarent, ut omnia humore obliterata legi non possint : damnentur et illi qui ferentes libros legis temerarii se rapacibus undis fluminum crediderunt, et se liberari cupientes scripturas in undis e suis manibus dimiserunt. Ergo si scriptura una est, et hanc qui servare non potuit reus est; alter undis tradidit, alter rosoribus bestiis dereliquit, alius stillicidio corrumpenda neglexit, alter metu mortis territus homo homini dedit : si unum est, quod ab omnibus admittitur, quare eligitur, qui damnetur, cum levior culpa sit traditoris quam negligentis : qui ante mures posuit aut sub stillicidio reliquit, voluntate negligens fuit; et qui in fluvio perdidit, de temeritate peccavit; qui metu mortis aliquid tradidit, homo homini dedit; integrum erat apud dantem, integrum apud accipientem. Si qui accipit, flammis tradidit, peccatum magis accendentis est non tradentis. Hæc si a majoribus vestris dicerentur, quando illos repellere a nostra communione possemus? Si etiam Antiochi regis tempora commemorare voluissent, quibus omnes Judæi coacti sunt ut libros in incendium darent, et ita universa scriptura data est, ut apex unus in aliquo libro minime remansisset. De Judæis illo tempore nemo damnatus est, nec a Deo vel ab aliquo Angelo in quemquam Judæum est ulla dicta sententia, quia peccatum fuerat imperantis et minantis, non populi cum tremore et dolore tradentis. (50) Qui Antiochus ne aliquid primitivo populo nocuisse videretur, statim providit Deus, ut per unum hominem Esdram, qui lector eodem tempore dicebatur, tota lex sicut antea fuerat ad apicem dictaretur. Sic tyrannus Antiochus fructum malignitatis suæ habere non potuit, dum præter septem fratres et unum seniorem carnem suillam manducare detrectantes, nullum Judæum occidit, et lex perire non potuit. Sic et parentes vestri tempore suo nec ipsi occisi sunt, et libri legis Dominicæ toti ubique recitantur. Si parentes vestri (ut supra dixi) hæc dicerent, quis illos in suam communionem non intrepide accepisset, ubi, ut dictum est, peccaverat necessitas, non voluntas : temporibus unitatis Principes vestri, *cætera ut, pag.* 100 *editionis nostræ* (Dupinianæ).

Post hæc verba, eadem pagina, paulo post medium : « Sed Principes vestri, » *sequentia habentur* : Nam peccator talis quales fuerunt vestri majores, si ad Ecclesiam veniat et necessitatis suæ rationem ostendat, (51) primo recipiendus est, deinde (52) sustinendus pio sinu matris Ecclesiæ. Nec quasi ex toto sanctus, *cætera ut in nostra editione* (Dupiniana), *pag.* 100.

A

B

VARIORUM NOTÆ.

(50) *Qui Antiochus ne aliquid primitive*, etc. An *primitivo populo* vocat τοὺς ἀρχαίους; an quem sacra historia *primogenitum* aliquoties? Sed et *primitiva* pro *primogenitis* alibi quoque usurpat vulgatus Interpres. Cæterum quam multa in paucis citra omnem historiæ fidem miro incogitantiæ exemplo ab Optato nostro hic dicantur, nemo tam oscitans aut ignarus ut non statim animadvertat. Ea pluribus exagitare, neque nostri officii neque boni fortasse moris fuerit. Illud saltem lectorem, ut observet monere visum est, quod II Maccab. VIII, 23, in Latina Vulgata *Esdras* legatur pro *Eleazar*, quod est in Græco et cum sequentibus verbis, secus quam in Græcis et ipsa ratio suadet, conjungatur. Non id hodie et heri cœpisse, aut recentiorum librariorum incuria accidisse, ut opinati sunt viri docti; sed jam olim ita lectum esse et antiquissimæ, ut ita dicam, antiquitatis errorem eum esse. Non enim dubium quin huic nostro tot hallucinationum, in quas paucis lineis impingit, fons illinc et origo fuerit. M. Casaub.

C

(51) *Primo recipiendus.* Primo non est excommunicandus. Albasp.

(52) *Sustinendus.* Ejus pœnitentia expectanda. Albasp.

D

111 DE SEQUENTIBUS ANNOTATIONIBUS MONITUM.

Etsi post restitutiones a nobis, ope manuscriptorum codicum, factas in Optati libris, quamplurimæ difficultates quibus enodandis insudarant viri doctissimi, penitus sublatæ sint; cæteræ vero annotationibus nostris satis et abunde expeditæ esse videantur : nihilominus tamen cum in aliorum annotationibus non pauca sint, quæ Donatistarum historiam et antiquam Ecclesiæ disciplinam illustrent, ac miram rerum ad sacram et profanam eruditionem spectantium varietatem contineant : ne quid huic editioni deesset quod in aliis haberetur, ad finem hic adjicere visum est prolixas Balduini et Albaspinæi observationes, tum etiam eorumdem ac Merici Casauboni aliorumque breviores annotationes, præsignatis paginis, in quibus ea reperire est ad quæ singula referuntur.

PRÆFATIONES FR. BALDUINI
AD PRIMAM EDITIONEM OPTATI.

FR. BALDUINUS REVERENDO VIRO D. JOANNI LENTALLERIO, ANTISTITI AQUISCINCTENSI, S.

Cum hisce diebus in hac urbe Irenæus, qualis ab Erasmo primum editus fuit, recusus esset, dolui non prætermonitum fuisse Librarium, ut bona illa Irenæi Græci pars, quæ in libris Epiphanii integra exstat, simul ederetur. Sic enim multo melior antiquissimus hic Ecclesiæ Christianæ Scriptor in hominum manus

Digitized by Google

venisset, tametsi reliqua pars ejusdem generis etiamnum desideraretur. Jam autem (ut hoc tempore ad lectionem atque recognitionem religiosæ antiquitatis Ecclesiasticæ multorum studia revocantur, ac, si saperent multi, plures revocarentur) cum ageretur de recudendo quoque Optato Afro, qui olim mendosissimus in Germania editus fuit, etsi me Librarius appellarit, qui suspicabatur me lubenter dare hisce Scriptoribus Ecclesiasticis quantulumcumque temporis possum civilibus legum studiis detrahere; tamen magis festinabat, quam ut conquiri omnia auxilia possent, quæ Optatum in integrum restituerent. Itaque respondi, hunc Scriptorem quidem dignissimum esse, qui diligentius recognosceretur, sed me hoc tempore tantum conferre posse sexcentorum in eo locorum emendationem : cujus quidem maximam partem repetii ex manuscripto exemplari, quod mihi utendum aliquando dedit vir doctissimus Claudius Espencæus theologus Parisiensis. Etsi autem non nescirem non multo pauciores superesse locos, qui magna mendi suspicione laborant, sed sanari sine auxilio veteris libri, vix ac ne vix quidem possent : et propterea Optatum optimum maximum dare, sicuti optabam, non possem : tamen interea non recusavi multo meliorem, quam hactenus fuit, edi, potius quam, qualis antea plane inquinatus fuerat, idem recuderetur. Speraveram quidem certe accessurum alterum emendationis præsidium ex codice Joannis Tilii episcopi Briocensis ut veterum librorum, sic antiquitatum Ecclesiasticarum studiosissimi. Sed quod jam propter absentiam doctissimi Antistitis præstari non potuit, altera forte editio postea præstabit.

Equidem dissimulare nec possum nec volo singulari quadam observantia me affici erga Africanos veteris Ecclesiæ doctores, quos de ea tam præclare meritos, et quidem, aliis veluti deficientibus Scriptoribus Latinis, tam illi fideliter fortiterque succenturiatos esse sentio. Memini cum ante aliquot annos Minucium ederem, quem cum Tertulliano, Cypriano, Arnobio conferebam, laudasse me propterea, fecundam illam felicemque Africam, quæ ut semper (sic enim eo tempore scripsi) aliquid novi **112** proferre olim dicebatur, sic etiam religionis nostræ vindices et patronos doctissimos acerrimosque protulit. Nam et ex ea prodibant hostes minime ignavi. Quale Ecclesiæ bellum indixerit, quantumque incendium accenderit unus Donatus Numida, testes sunt flammæ factionis Donatianæ. Quid futurum erat, si ad eas exstinguendas eadem regio non emisisset vel Optatum nostrum in Numidia Milevitanum Episcopum, vel ipsum paulo post Augustinum : illa dico duo lumina Ecclesiæ, et adversus hostes pietatis duo fulmina sanctissimi belli? Magnum profecto religionis præsidium fuit Milevitanum Concilium, cui et Augustinus interfuit. Sed paulo ante Ecclesia Milevitana dederat Ecclesiæ Catholicæ magnum subsidium, cum adversus vim et insidias Donatistarum suum Optatum dedit. Ac multos quidem iis temporibus in Africa fuisse Optatos legimus, valde alioqui dissimiles. Nam et Augustinus in libris contra Parmenianum, ut meminit nostri Optati, sic et alterius cujusdam, qui Donatum sequebatur : utque in Bagaiensi conventu Donatistarum, inter eorum antistites nominatur quidam Optatus : sic in Cirtensi synodo Catholicorum cum ipso quoque Augustino celebratur alius Optatus bonarum partium patronus. Et vero Augustinus librum de Unitate Trinitatis contra Felicianum Arianum scripsit ad Optatum, quem etiam vocat filium dilectissimum.

Alius ergo fuit Noster, et multo senior. Sed neque quidquam habuit commune cum illo Optato Gildoniano, cujus frequenter meminit Augustinus. Ac ne quidem eumdem fuisse illum puto, quem Athanasius laudat, et in Tyria synodo defensorem suum fuisse significat; nam Ægyptium episcopum fuisse ait. Quo tempore noster floruerit, liquet, cum Siricium episcopum Romanum appellat suum socium. Hieronymus testis est hos eum libros scripsisse imperantibus Valente et Valentiniano. Potuisset dicere, Theodosio : multum autem interest scire, quo quis tempore aliquid scripserit, præsertim ubi de controversiis ecclesiasticis quæritur. Parmenianum, quem oppugnat Optatus, fuisse successorem, non illius Donati Casensis, qui Cæcilianum vexare cœpit, sed alterius non minus insani Donati Carthaginensis, qui successerat illi Majorino, quem prior Donatus, ut Cæcilianum percelleret, ordinaverat episcopum Cathaginensem, ex Augustino didicimus. Parmeniani autem epistolam, cui respondet Optatus, scriptam fuisse ad Ticonium hominem eruditum et eloquentem, qui non satis alioqui Donatista esse videbatur, idem Augustinus significat : qui et postea adversus eam Parmeniani epistolam libros tres scripsit. Optatum vero nostrum scripsisse libros sex ait Hieronymus : scio circumferri quemdam septimum; sed ipse Optatus non obscure profitetur non nisi sex abs se esse scriptos : ubi et singulorum argumentum non ineleganter præmonstrat. Pollicetur sese adjecturum quædam acta; sed hanc appendicem non invenio. Libri primi præcipua quoque capita Augustinus perstrinxit libro primo contra Parmenianum. Legant qui volunt (inquit) quæ narrat, et quibus documentis quam multa persuadeat, venerabilis memoriæ Milevitanus episcopus Catholicæ communionis Optatus sive de Lucilla pecuniosissima tunc et factiosissima fœmina, quam pro Ecclesiæ disciplina S. Cæcilianus adhuc diaconus læserat : vel de cæteris factionis ejus consortibus, sive furibus ecclesiastici argenti; sive ad episcopatum se non pervenisse dolentibus, et sibi prælatum Cæcilianum insidiis, quibus poterant, insectantibus; sive de Numidis episcopis, quos ista factio convocaverat ad perniciem Cæciliani, ut eo deposito alter ordinaretur. Hæc ille. Quæ tanto lubentius nunc recitavi, quia in iis dicatur noster Optatus communionis Catholicæ. Ergo licet ad Cypriani et eorum, qui illi suffragati aliquando sunt, sententiam de baptismo hæreticorum videatur accessisse, quam postea Augustinus et dam-

Digitized by Google

navit, et damnandam esse ostendit : tamen permansit in Catholica, in qua et Cyprianus, Ecclesia. Non enim Veteres aut leviter aut facile (quod nunc nimis temere et morose atque odiose, ne dicam calumniose, plerumque fit) alicui aut inurebant, aut aspergebant hæreseos atram et gravem notam, ut aliquem statim abdicarent Ecclesiæ communione.

Non dicam Optatum locos sacræ Scripturæ aut valde apposite semper allegare, aut numquam inflectere vel detorquere. Fatebor potius iis persæpe abuti imperite. Vetus est illud : bene dicit, sed non bene probat. Sic sententia vera manebit, tametsi ad eam confirmandam falsa interdum adhibeatur probatio. Nihil aut putidius aut ineptius dici potuit, quam quod Parmenianus ad reprobandum Catholicorum baptismum allegabat illud Davidis : *oleum peccatoris non unget caput meum*. Nihil erat facilius, quam loco inspecto et prolata interpretatione vera tam insulsam indocti nugatoris fatuitatem irridendo refellere. Quasi tamen ad rem aliquid dixisset, sudat Optatus, et frustra se torquet, ut excudat aliquod responsum : idque dat quod et non minus abs Davide est alienum. Fuerit sane illa infelicium temporum misera caligo : et nostræ ætati, si plus illi affulserit lucis, gratulemur. Interea tamen, qui recti judicii sunt, agnoscere in hoc scriptore possunt, quod et in aliis Afris Scriptoribus admiramur, vehemens, acre, densum et nervosum sive dicendi sive disputandi genus, præsertim si in personam agendum sit. Scriptorem quidem certe hunc oportet propter bonæ et sinceræ in narrationibus fidei opinionem, magnæ auctoritatis statim fuisse, cum etiam ipsi Donatistæ, quos alioqui acerrime insectatur, vicisse se putarent, si ejus testimonio uti aliquando possent. Sic enim quod fingebant atque fabulabantur de suo Donato absoluto et Cæciliano damnato, conati sunt (tametsi id facerent non minus impudenti, quam perfidiosa calumnia) Optati nostri verbis captiose confirmare. Itaque (inquit Augustinus in breviculo collationum cum Donatistis) velut aliquid validissimum prolaturi, petierunt Optatum legi : quod et antea petierant : et lectus est locus Optati, quem Donatistæ prætexebant. De ejus sententia quæstio fuit. Catholici non tam admirantes, quam irridentes insaniam adversariorum, rogarunt ut integer Optatus legeretur, qui unus Donatistarum mendacia apertissime refellere poterat. Sic hujus unius Scriptoris testimonio definita lis illa fuit. Oportet (iterum dico) magnum et maximæ auctoritatis dignitatisque testem fuisse, quem Donatistæ (qui nihil non alioqui audebant) non ausi sunt recusare, cum tamen ab eo jugulari se sentirent : imo vero calumniæ et falsi damnari maluerunt, quam ei fidem non habere videri. Equidem non instituo pluribus verbis exponere quantum utilitatis ex hisce Optati libris ad Ecclesiam redire possit. Sed illud modo dico : tametsi sola in iis historia surgentis atque invalescentis Donatianæ sectæ factionisque exstaret, valde eos non modo olim fuisse, sed etiamnum esse utiles reipublicæ christianæ. Et vero si qua est historia, quam hac tempestate imprimis optare debeamus a multis legi atque **113** cognosci, hæc profecto una est, in qua et hujus temporis intemperiem prope depictam, et eorum certaminum, quibus orbis noster concutitur, effigiem vivis coloribus expressam esse dixeris. Nolo nunc comparationem pertexere : quod non modo facere non possem sine odiosa invidia, sed ne quidem sine acerbissimo dolore. Et fortasse interest nominis christiani fœda illa opprobria, qualia hæc ætas videt, sempiterna oblivione potius sepeliri quam ad posteritatis memoriam transmitti. Sed illa licet nunc supprimantur, tamen nescio quomodo et exstare et legi videntur in actis Donatistarum, totaque eorum terribili tragœdia, quæ abs scintilla vel fumo nescio cujus ambitiosæ contentionis, in eas flammas exarsit, quæ non modo Africam universam pervaserunt, et funestissimo schismate permiscuerunt, sed et orbem christianum incendio longius grassante implicuerunt annis plusquam trecentis : nam et temporibus Gregorii pontificis Romani perdurasse cognoscimus ex illius epistolis. Vix autem in Africa utcumque quieverat Donatistarum rabies : et ecce altera Vandalorum Arianorum inundavit, qualem descripsit Victor Uticensis. Non fuero vates, si quæ nostris temporibus impendeant, dixero. Jam enim et oculis cernuntur, et manibus tenentur. Sed quid ingratus orbis terrarum etiam mereatur, non ignoras, Itaque et te, cujus pios gemitus nuper audivi, in hac editione appellare volui, et ad te referre hoc testimonium meæ erga te observantiæ. Memini enim, nec umquam obliviscar, cum superioribus diebus, auctore te, dixissem de jure civili in nova Schola Belgica, conversum inter nos esse sermonem ad recordationem veteris historiæ Ecclesiasticæ, deque hisce litteris studiisque idem tibi, quod mihi, visum fuisse. Fecit hoc profecto non tam vel patria, vel educatio, vel amicitia communis, quam similis quædam cura reipublicæ. Vale.

Lutetiæ, Kalendis Septembris.

Joanni Lucanio.

Id. Calvino.

Cum hos Optati libros jam emissurus esset Librarius, admonuerunt me amici et familiares quidam mei non posse me sine reprehensione prætermittere quod obiter in secunda mea ad te responsione anno superiori pollicitus esse videor, dicturum alias esse me, non posse ex historia judicii, quo Cæcilianus et Donatus conflictati sunt, illud elici, quod tu (qui non optima fide rem tantam recitare videris) tanta confidentia colligis, et ego aliquando errantem ducem puerili quadam credulitate secutus in meos de Constantino commentarios retuli. Certe cum error, qui latet, longius serpat et increscat : nimium perfidiosa sit dissimulatio, quæ eum vel alit vel tegit, præsertim in quæstionibus Ecclesiasticis. Sic memini Petrum martyrem, hominem et doctum et diligentem, quia admonitus non fuit, eodem tuo errore impulsum, ex illa, de qua loquor, historia, dicere præter-

Digitized by Google

ea voluisse, Principes esse religionis legitimos judices : quia (inquit) Constantinus abs se non rejecit provocationem Donatistarum a Miltiade episcopo Romano damnatorum : sed negotium Arelatensi episcopo commisit. Eram Argentorati in ejus domo, cum talia scriberet in librum Judicum. Sed non aderat Optatus, qui suo testimonio et auctoritate depelleret nebulas falsæ opinionis, illi historiæ veluti incubantes. Ac principio quidem scio mirari multos, qui fiat, ut cum Optatus et Augustinus hanc historiam recitantes nihilominus attollant πρεσβεῖα veteris Ecclesiæ Romanæ ; tamen hoc tempore te et tuos ex eadem historia velle illa deprimere, vel etiam evertere : et quidem te in illius recitatione, potuisse laudare epistolam Augustini centesimam sexagesimam secundam, quæ ut vere narrat, quod quærimus, sic addit de Ecclesia Romana, quod negas. Oportet autem, magni cujusdam (ut ita loquar) præjudicii fuisse illud judicium, de cujus actis eorumque veritate tam valde deinde litigatum est. In ea quidem certe asserenda atque adversus Donatistarum calumnias defendenda potissimum elaborarunt Optatus et Augustinus : quo magis indigne ferendum esset nunc eam rursus depravari : tametsi in ea recitanda falli aliquem, minus mirabor, quia meminerim ipsius quoque Augustini, cum ederet commentarios probationum et testimoniorum contra Donatistas, fuisse aliquod μνημονικὸν ἁμάρτημα, quod et in suis Retractationum libris confessus est. Dicam breviter, quod verius esse existimo, non ut te doceam, (qui enim posset sus Minervam?) sed ut ex Optato, ea in re aliquid didicisse me fatear, quod in tua Schola τῆς ἀνιστορησίας non potueram. Ac imprimis quidem liquere arbitror Cæcilianum in synodo quadam Carthaginensi inique damnatum, cum absens esset, non tamen appellasse Constantinum. Imo vero Donatistas per Annullinum quemdam, hominem impium, curasse, ut causa hæc ad Constantinum, qui paulo ante in Italia Maxentium oppresserat, referretur. Credo diffidentes judicio episcoporum Afrorum, quod in absentem potius quam contumacem inique prolatum erat, voluisse imperatoris sententia, quam non minus facile elicere se posse confidebant, illud confirmari. Sed cum odiosum et in causis Ecclesiasticis insolens hoc exemplum, quo principibus talis jurisdictio deferebatur, esse sentirent, impudenter cavillati sunt factum esse ab ipso Cæciliano, quod ipsi fecerant. Atque hæc una facti quæstio est inter Optatum nostrum et Parmenianum. Sed Donatistas commisisse quod Cæciliano invidiose adscribebant, hoc est, abs Constantino petiisse judices, liquide probat Optatus, cum profert eorum libellum oblatum Constantino. Simul autem addit (quod secundo loco mecum, velim, observes) Constantini, quodam veluti pudore, ab hujus causæ cognitione abhorrentis, et eam, quantum potest, recusantis, atque rejicientis responsum : *petitis a me in sæculo judicium, cum ego ipse Christi judicium exspectem.* Ergo optimus Imperator protestatur, non esse hanc causam aut sui fori, aut suæ jurisdictionis : sicuti rursus fecit in Synodo Nicæna, cum episcopi inter se litigantes suos illi obtulissent libellos. Ergo causam Cæciliani et Donati rejicit ad judicium Ecclesiasticum, cui jure suo præsset Miltiades episcopus Romanus, quem tamen tu non nisi ex mandato principis, judicem fuisse narras. An igitur eum dicemus vice sacra judicasse, ut leges eo tempore loquebantur? Addis, Judices abs Constantino datos non modo ex Italia et Gallia, sed etiam ex Hispania. Cur addis, ex Hispania? nam non memini alios fuisse quam Italiæ et Galliæ episcopos. Etsi enim Augustinus referat, quod dicebat Parmenianus, per Osium Hispanum, adjutorium (ut ait) præstitum esse Cæciliano : tamen illum hujus judicem fuisse non dicit. Non dubitabatur de Miltiade episcopo Romano. Sed Donatistæ judices habere volebant ex Gallia. Optatus narrat datos esse tres ex Gallia, quindecim ex Italia præter Miltiadem, qui Afer erat, sed erat Romanus antistes. Jam vero tertio loco **114** diligenter nota, quod Optatus inter illos Gallos numerat Marinum Arelatensem episcopum ; eumque significat vepisse Romam, ut Miltiadi adesset. Hoc enim illud potissimum est, quod te fefellit : pace tua et bona gratia ita loquar, quia libere et familiariter tecum loqui solitus sum. Contendis in hac causa Arelatensem fuisse Romano superiorem. Primum hoc insolens et inauditum est. Certe Cyprianus Afer, quamvis minime blandiatur Stephano episcopo Romano, tamen illius esse ait potestatem castigandi abdicandique Martiani Arelatensis episcopi. Nunc homo Gallus probare vult Arelatensem esse judicem ipsius Romani. Sed probationem audiamus. Ais Donatum a Miltiade damnatum provocasse, Constantinumque hujus appellationis judicium demandasse episcopo Arelatensi, qui sedeat Judex, ut post Romanum pontificem, quod visum fuerit, pronuntiet : itane vero? Quid superest, quam ut Arelatensem colloces supra solium ipsius quoque Constantini, qui in antiquis inscriptionibus appellatur etiam pontifex maximus? Atqui ut te refellit Optatus, cum affirmat Arelatensem Episcopum in priori judicio adfuisse, atque adsedisse Miltiadi : sic rursus alterum figmentum evertit, cum narrat, Constantinum appellatum iterum abs se rejecisse cognitionem hujus causæ : et quidem detestantem hoc genus furiosæ provocationis, exclamasse : *o rabida furoris audacia!* etc. sic enim et in manuscripta epistola Constantini, in qua rursus hæc historia narratur, scriptum est : et ad majorem detestationem adjicitur, abs cœlesti judicio ad terrenum appellationem hanc interpositam videri. Itaque et ex ea potissimum epistola restitui et castigavi hunc Optati locum, qui corruptus alioqui et mendosus erat ; cognovique repudiandam esse emendationem eruditi et ingeniosi Jurisconsulti, qui cum pro *a rabida*, in quibusdam libris *orbita*, in aliis *arbita*, legi animadvertisset, acute conjecit notas esse antiquæ formulæ, quæ significarent, *a re*

Digitized by Google

bene judicata temere appellasti. Sed si dicere non possumus tunc Constantinum de hac appellatione cognovisse atque judicasse, quorsum ei adscriberemus formulam sententiæ, qua pronuntiarit injuste esse appellatum? Certe cum postea tandem coactus est judicare, longe aliis eum verbis usum esse Augustinus testis est. Optatus quidem non meminit aliorum judicum iterum datorum; sed nihilominus exsultas, quia (ut ais) Constantinus Arelatensi episcopo demandavit judicium hujus appellationis. Itane vero? Atqui hic Arelatensis jam antea judex fuerat cum Miltiade? an ab eodem idem appellatur? an qui judicavit, iterum erit judex appellationis? Quid nostras leges opponam? ipse sensus communis tale portentum refellit. At Augustinum testem citas. Accipio: quid ille? in illa ipsa, quam laudas, epistola, tantum ait Constantinum curasse apud Arelatum eamdem causam examinandam atque terminandam: et dedisse (sic enim loquitur) aliud judicium Arelatense, aliorum episcoporum: non quia jam necesse erat, sed Donatistarum perversitatibus cedentem; et omnimodo cupientem tantam impudentiam cohibere. Ex his certe verbis Augustini intelligo Constantinum importunitati Donatistarum extra ordinem concessisse, quod juris ordinarii fuisse videri vis: et tamen cum aliorum episcoporum judicium esse audis, illud non fuisse episcopi Arelatensis colligere debueras. Quid igitur? convenerat Arelati synodus complurium episcoporum, ut de multis causis ecclesiasticis judicaret. Inter quos plerique etiam erant, qui antea cum Miltiade Romæ judicarant de Donato. Constantinus hac occasione usus, ut nihil non faceret ad contundendam Donatistarum pervicaciam, non recusavit eos iterum audiri in tali Synodo. Cur miraris Miltiadem hoc non nolle? imo vero cur affirmas episcopum Arelatensem, qui jam de ea causa Romæ judicarat, esse judicem appellationis? cur non potius agnoscis talem cognitionem relictam aliis episcopis fuisse, qui Romæ cum Miltiade antea non judicarant, sicuti constat plurimos alios Arelatum convenisse ἐκ διαφόρων καὶ ἀμυθήτων τόπων, ut inquit ipse Constantinus in sua epistola ad Chrestum episcopum Syracusanum, qua eum ex Sicilia evocat ad hunc conventum. Mea quidem certe, ut scis, privatim nihil interest, Romanus Arelatensi, an Arelatensis Romano major sit, vel olim fuerit. Verum ne profanas quidem historias aspersis mendaciis inquinari homo ingenuus æquo animo ferat. Saltem legisses, quæ nuper nactus sum, acta illius Synodi Arelatensis. Nam in iis legisses episcoporum epistolam ad Sylvestrum Miltiadis interea defuncti successorem: ex qua facile intellexisses, quam illi sese non efferrent supra antistitem urbis: imo vero quam nihil non illi deferrent: simul etiam quam valde voluissent, ille ut iis Arelati præsidere potuisset, si Roma discedere eo tempore potuisset. Denique intellexisses illos convenisse non propter unum Donatum. Mirum autem, te non addidisse, etsi Cæcilianus ab iis rursus absolutus fuerit, non tamen quievisse Donatistas, qui non alium quam Constantinum accipere judicem volebant: ita quidem, ut Constantinus, qui hactenus hoc judicium abs se rejecerat ad episcopos, tandem id susceperit. Sed extraordinarium hoc exemplum fuisse, quod (ut nostri loquuntur) ad consequentiam trahi non possit, negare non posses: neque ferendus sit, qui propterea diceret Constantinum in causis ecclesiasticis superiorem fuisse et episcopis et conciliis. Imo vero ipse ingenue protestatus est sese in iis multo esse inferiorem, et hanc a principio detestatus est appellationem, et interea si cognitionem suscipere tandem coactus est, ita suscepit, ut postea a sanctis antistitibus veniam petiturus, sicuti Augustinus ait. Neque tamen novum fuisset, si non recusasset cognoscere de ea saltem quæstione facti, quæ in ea quoque causa suberat. Nam et quam Æliano proconsuli mandavit, jure suo poterat suscipere. Quærebatur an Felix, qui ordinaverat Cæcilianum, vel ipse quoque Cæcilianus, fuisset traditor, ut tunc loquebatur: hoc est, an Diocletiani, qui edixerat abolendas esse sacras litteras Christianorum, satellitibus atque inquisitoribus tradidisset earum codices sacrosanctos. Quicumque tandem sit judex ejus quæstionis, nihil detrahit jurisdictioni ecclesiasticæ.

Quia historiam non scribo, sed breviter tantum illud indico, quod non satis videbaris observasse in hac historia, nunc non immoror. Nam et de appellationibus ecclesiasticis, an quod Sardicensis Synodus decrevit, decreverit antea quoque Nicæna (quod olim dubitatum in Africa fuit, et tu negas, Athanasius vero affirmat), et quænam transmarinæ provocationes Milevitano concilio inhibitæ sint, quæremus alias, cum voles. Sunt enim tales quæstiones historicæ et non odiosæ, et abs jure civili non abhorrent, non secus atque si dicendum sit, olim quidem ex Africa in causis civilibus appellatum præfectum prætorio Italiæ fuisse: nostrum vero Justinianum Africam ab hac præfectura prætoriana Italiæ exemisse, eique propriam præfecturam dedisse, sub cujus dispositione fuit etiam Numidia **115** et Byzacium: Byzacium dico, quod et Plinius in Africæ regionibus numerat, et a Donatistis inquinatum fuisse indicat Augustinus, qui Donatistarum Byzacenorum meminit in lib. de Unit. Eccles. et Epiphanius: quamquam apud hunc vox illa corrupta sit: ut et nuper Librarius quidam tuus ex isto Byzacio effecit Byzantium.

Non instituera m plura, nec tam multa quidem, nunc ad te scribere, vir doctissime; sed tam es nuper de me meritus bene, ut non possim non aliquam gratiam referre: neque tamen aliam nunc possum, quam si quid tales historias relegens præterea forte observarim quod non nescire, tua intersit, id familiariter ad te referam. Nec longe abiero. Etsi Nicæni concilii magis quam illius Arelatensis acta legisse te sciam; tamen miror tanto magis te scribere, idque in tua etiamnum institutione, Athanasium in eo con-

Digitized by Google

cilio præsedisse, teque propterea, etiam rursus insultare episcopo Romano. Scis mea non interesse, verum sit aut non sit quod narras. Sed Athanasium tunc valde adolescentem et tantum fuisse diaconum omnes historiæ narrant. Quale vero tandem tu nobis concilium componis, in quo ante omnes episcopos et archiepiscopos sedeat, cuique etiam præsideat adolescens diaconus? et cur eum præponis suo episcopo Alexandrino? Non minus insolens est, quod eodem loco narras, ejus quidem concilii decreto, primum inter patriarchas locum episcopo Romano tributum esse, sed ejus tamen legatos in consessu esse rejectos in quartum locum. Sed et novum illud est, quod ipsa Synodus ait fuisse ἀρχαῖον ἔθος καὶ συνηθές, abs te dici, nonnisi ab ea decretum esse. Prætereo quod non meliori fide narras decretum in ea fuisse ex sententia Paphnutii de conjugio vel cœlibatu ministrorum. Sed dissimulare non possum, quod tacere non debeo. Quid de Ario jam olim scripserim in meo Constantino, non ignoras, et tamen alienum libellum exagitans non erubuisti mihi improbe adscribere atque affingere nescio quod patrocinium ejus impietatis. Ut autem sentias, te cæca quadam vertigine raptum tunc esse, relege, quod simul affingis dictum esse, Arianos negasse τὸν λόγον apud Joannem significare hypostasim vel personam: quis hoc umquam præter te dixit? Certe episcopus Alexandrinus Nicææ Arianis objecit primum illud caput Joannis, cum quæreretur non quidem quid λόγος significaret, sed quid sibi vellent hæc verba ἐν ἀρχῇ. Ergo non erat hujus tuæ tam excellentis doctrinæ imperite confundere dogma Pauli Samosateni et Arii. Sed quid, non, cum vis, permisces? Non dubitas in tua etiamnum institutione scribere, post Arium surrexisse Sabellium. Adeo in historia, in qua princeps videri vis, hospes et peregrinus es. Dices indoctum esse nostrum Optatum; at ille saltem docere te posset, Sabellium multo ante Arium fuisse; et quod de Sabellio dixisti, debuisse te potius dicere de Photino, quem sui temporis hæreticum vocat. Age vero: sunt hæc tantum chronologica: quæ contemnere te dices occupatum Theologicis. At nostrum non est te aliis de rebus admonere. Non possum tamen omnia supprimere. Sæpe miratus sum, cur symbolum illud, propter quod hactenus tam valde laudata est Nicæna synodus, et quod propter illam tam valde quoque laudatum est, neges esse Nicænum. Meministi, credo, cum superioribus annis ministro cuidam tuo et collegæ dictares honoris tui defensionem adversus Petrum Carolum, tuum quondam collegam, qui te Arianismi insimulabat: meministi (inquam) qualem volueris edi confessionem tuam. Nam non solum confiteris negasse te illam formulam abs Synodo Nicæna profectam esse, sed et dixisse, videri potius battologicum carmen, quod ad cantillandum tantum sit aptum. Duo profecto hic sunt magna peccata magnæ audaciæ, et periculosi exempli. Esse Symbolum hoc Nicænum, tam certum est, quam est certum fuisse aliquod concilium Nicænum. Testes magni sunt Athanasius, Hilarius, Epiphanius, Nazianzenus, Basilius, Theodoritus, Socrates, qui recitant hanc formulam ex illo concilio: quibus cur non credas, nescio. Dicere autem battologicam esse et ludicram cantilenam, quam religiosa illa antiquitas judicavit gravem et divinam esse formulam de tanto mysterio, an non ipse, si de alio judicares, diceres esse blasphemiam? Bene habet. Edita istic non sine tuo (ut arbitror) privilegio jam sæpius est nescio quæ farrago de statu Ecclesiæ, quam tuus librarius mirifice prædicat, prope ut florem Ecclesiasticæ historiæ. Etsi consuta sit alioqui ex putidis fabulis et nugis: tamen illud bona saltem fide facit, quod formulam, quam dixi, referat inter acta Nicæni concilii. Verum talem alioqui admiscet fecem mendaciorum ex nescio quibus lacunis haustam, ut mirari satis non possim tibi jampridem talem sentinam male non olere. Si aliunde prodiret, minus fortasse mirarer, et noceret fortasse minus. Sed quod istinc prodiit, quia non nisi auctore te prodire creditur, et miror et doleo tam impuris næniis esse refertum. Quid? perquirens ea quæ ad Optati de baptismo disputationem pertinent, miratus etiam sum audaciam illius farraginis, quæ confidenter pronuntiat manifestum esse errorem concilii Nicæni decernentis Paulianistas esse rebaptizandos. Atqui longe aliter Augustinus, qui alioqui unus acerrime de unico baptismo dimicavit. In lib. de Hæresibus Paulianos (inquit) baptizandos esse in Ecclesia Catholica Nicæno concilio constitutum est. Unde credendum est eos regulam baptismatis non tenere, quam secum multi hæretici, cum de Catholica discederent, abstulerunt et observant.

Ut Optatus noster fecit, diligentius ut cogitarem de historia Donatistarum, sic etiam nescio quomodo nunc facit, ut tibi, vir optatissime, tuisque criminationibus iterum respondeam, et multa, quamvis fortasse tibi molesta, quia tamen occurrunt, non omnino negligam. De calumniatoribus commentarium ex legibus et nostro jure civili breviter repetitum aliquando ad te repente dare, importuna quadam tua et contumeliosa calumnia coactus fui. Quod in eo commentario non modo tui, sed et Donatistarum mentionem fecerim, credo, agnoscis non temere factum esse. Sed satisfactionis loco, respondisti illud nostrum responsum frigidam esse rapsodiam. Fateor asperius aliquid et vehementius dici potuisse. Sed videbam in simili causa tali moderatione contentos fuisse Optatum et Augustinum. Optatus, livore (inquit) interveniente facile est iratis jactare convicium: sed semper dum intenditur crimen, necessaria est manifesta probatio. Augustinus contra Petilianum: sine teste (inquit) et sine ullo documento crimen objiciens, maledicus potius conviciator, quam veridicus accusator exsistit. Et in alio contra eumdem libro: quid (inquit) ante clamas quam probas? Tu in magna sermonis latitudine uno brevissimo verbo, quod dicitur *proba*, in arctissimas coarctaris angustias. Equidem hanc ego brevem præscriptio-

Digitized by Google

nem satis esse puto, ut refellam quidquid calumniose adversus me effutiisti: et nescio qui fiat, ut legens quod responsum **116** olim Donatistis fuit, videar habere quod totidem verbis tibi respondeam. Sic commentarium illum meum, si voluissem, facile auxissem. Sed missa hæc faciamus, quæ facti sunt, et quidem privati. Nam et parum Reipublicæ interest, quid de me vel de te statuatur. Sed neque aut me cum Cæciliano, aut te cum Donato comparo. Nimium essem ineptus, si vel hoc cogitarem, nec essem ferendus. Cæterum longe alia et multo major, ut olim acta est, sic nunc agitur, causa: in qua et juris maxima quæstio sit. Sane Augustinus in Retractationibus scribit, in suis contra Parmenianum libris, quæstionem magnam versari et solvi, utrum in unitate et eorumdem communione sacramentorum, mali contaminent bonos. Sed et altera non minor fuit, an sacramenta penderent ex dignitate ministri? et an baptismus ab indignis administratus esset nullus? et, an propter eorum indignitatem Ecclesia Christi esse desineret, quæ iis uteretur? et, an Donatistæ aliquo jure Ecclesiam suis demum schismaticis synagogis inclusam esse contenderent? quæ tamen levissima et prope nulla occasione sese abs reliquo corpore distraxerant. Lis ergo magna est, et de re omnium maxima: et nescio an non difficilior sit schismatis, quam hæreseos curatio. Scripsit contra Petilianum Augustinus de unitate Ecclesiæ: scripserat et antea Cyprianus. Nam qui ejus tractatus vulgo inscribitur *de simplicitate Prælatorum*, ego, cum Tridenti essem, didici esse inscribendum *de unitate Ecclesiæ:* idque ex libro manuscripto in Apulia reperto, Antonii Augustini jurisconsulti et episcopi. Sed ne talium quidem arbitrorum judicia consiliave restituent nobis, quam optamus ἑνότητα, nisi si Deus ipse animos hominum conciliet: in quibus potius quam in rebus ipsis, est distractio. Habuit Africa suum Catholicum, hoc est, procuratorem Cæsaris sive Fisci (sic enim appellabatur) atque eis quidem etiam aliquando Donatistas conciliare cum Ecclesia catholica conatus est. Sed nihil egit. Quæritur etiamnum idoneus judex totius controversiæ. Verum bene habet. Spero me tibi rem gratissimam facturum esse, cum in hisce litibus laudo legem et formulam judicii, quod noster Optatus dat, exemplo quodam juris civilis, ad causas ecclesiasticas elegantissime translato. Quod igitur de testamento dicit libro v, tibi confirmo mirifice mihi placere: tametsi locum quem ex Evangelio Joannis recitat, alienum esse a proposita quæstione de baptismo, tibi concedam. Sed quod ad thesim attinet, tametsi ea sola in Optati libris legeretur, digni propterea hi essent, qui hoc tempore in omnium manibus versarentur. Neque dubito Augustinum hac juris nostri translatione delectatum, ad illum Optati locum allusisse, cum adversus Donatistas non agnoscentes catholicam Ecclesiam per totum orbem terrarum diffusam, non dissimilia de testamento scriberet in psalmo XXI. Sed rogo, an mihi etiam concedes, posse hic dici quod aiunt leges de testamento militari, satis esse si quocumque modo A constet de voluntate: neque nuncupationem sine scriptura, si non desint testes, rejicere possumus: et denique fidei commissorum suum esse jus scimus. Quorsum hæc? quia cum de baptismo disputat Augustinus contra Donatistas, contendit ex usu et consensu et testimonio Ecclesiæ recte probari, quædam esse mandata, præcepta, instituta apostolica, quæ tamen ab ipsis apostolis scripta non sint. Vide obsecro, mi vir, quid tantus antistes, cui et tu aliquando tantum tribuis, scribat lib. IV de Baptismo contra Donatistas, cap. VI, et capite XXIV, et libro V, capite XXIII, et libro primo contra Cresconium cap. XXXIII. Hic vero tu mihi nuper terribilem dicam scripsisti, litemque intendisti περὶ παραδόσεων ἀγράφων, et quod de iis non scripseram, scripserunt autem veteris Ecclesiæ optimi antistites, sic exagitasti, ut tamen iis præteritis, me unum petere videreris. Liceat hoc sane tibi novo tuo jure. Sed altera rursus injuria est, quod ita in ea quæstione omnia miscecas, ut nobis jam dubitantibus quid velis, propeque indicas silentium: quia et hoc tibi licere putas, ut modo aias, modo neges. Non est mihi tantum otii, ut omnia tua volumina revolvam, quibus multa plaustra querare posses: neque si esset, tam eo abuti valde vellem. Sed ex iis quæ aliquando delibavi, si me non fallit memoria, videris mihi primum scripsisse non repugnare te hujus generis traditionibus, quæ demonstrarentur ex certo et perpetuo Orthodoxorum consensu. Id enim Pygio concedis, cum adversus eum agis de libero arbitrio. Postea cum scripsisti in epistolam ad Corinthios, scripsisti non negare te quin aliquæ fuerint apostolorum traditiones non scriptæ; sed non concedere fuisse doctrinæ partes: tantum autem pertinuisse ad ordinem et politiam; quibus verbis, credo, ritus et ceremonias etiam complecteris. Postremo cum adversus me declamasti, visus es nullas omnino agnoscere velle traditiones.

Quo tepeam vultus mutantem Prothea nodo?

Non tam fuerunt (utor libenter tuo verbo) versipelles Donatistæ, cum de crimine traditionis (ut vocabant) agerent, quam tu cum de traditionis longe alio genere litigas. In utraque lite est prima quæstio facti. Quod vero Augustinus in collatione (ut vocabatur) toties abs Donatistis postulavit, ut certus aliquis causæ status, certumque judicium esset, id imprimis et quidem jure meo, abs te peto: quod reliquum est, præstabo. Sed quamdiu mutas, et varie loqueris, neque tibi constas, nihil dico. Sic cum de sacris litteris quæritur, modo earum (ut vocatur) canone uteris, modo eum ut incertum et varium repudias. Nihil dico quod non exstet in libris tuis; sic antiquos Ecclesiæ scriptores modo laudas, modo proculcas. Imo vero in tua contra me declamatione scripsisti nullam ex iis posse elici certitudinem doctrinæ Christianæ. Deus bone, quid audio cum istud audio? et quid illi dicent, si hoc nunc dici audiant? Jam quid dicemus, quod cum laudamus primam illam Ecclesiam, quæ ab apostolis relicta superstes est, non modo ab aliis ir-

ridetur ut anus delira et superstitiosa, vel fatua aliqua Fauna, vel larvata Lamia; sed etiam accusatur prope ut officina falsitatis, impostura, et fraudis: cum tamen ea ipsa sit, a qua litteras sacras acceperimus, et cujus eas testimonio consignatas atque communitas defendimus. Ecquo jam recidimus; si liceat eam doli mali insimulare? Imo tu quo ruis, si eam facis ream? et qui stabis, si talem habes adversariam? Id cum audis, iterum fortasse exclamabis et repetes, quod in tua contra me declamatione scripsisti, nos spectrum antiquitatis objicere, ex quo mox prodigiosa scaturiat errorum omnium congeries: nam (ut ais) si roges, quænam sit vetustas, de qua loquimur, nos jactaturos insulsas næmias, quæ sub Ignatii et similium nomine circumferuntur. Bona verba, here. Etsi non habeamus salem qui in te est, tamen scis nos valde abhorrere ab insulsis, sive næniis, sive ineptiis. Scis nos sæpe detestatos esse ψευδεπίγραφα: neque ignoras quam fabulas oderim, qui nostros etiam commentarios de historiæ institutione legeris. Sed ut breve faciam, quod **117** olim Sadoleto respondisti, qui te hostem antiquæ Ecclesiæ esse dicebat, totidem in simili causa verbis tibi modestissime respondebo: Hic non requiram, ut vere ac candide nobiscum agas (quod tamen philosopho, nedum christiano, sponte præstandum erat); sed rogabo tantum, ne ad illiberalem usque calumniandi licentiam descendas, quæ existimationem tuam apud bonos et graves viros, nobis quoque tacentibus, vehementer læsura est. Scis hoc, mi Joannes, et, si inficiari pergis, faciam ut te scivisse, et calide yafreque dissimulasse omnes intelligant: nos bona fide ex optimis et castissimis monumentis repetere memoriam religiosæ vetustatis, quam commendamus. Miror autem quid tibi in mentem venerit, ut contra tuam conscientiam mihi adscriberes quod ais de Ignatio. Certe quædam ejus fragmenta in libris Eusebii et Theodoriti agnosco et veneror. An etiam ea repudiabis? Nuper cum homo doctissimus tibi ex iis quippiam objecisset, quod ad Eucharistiæ causam pertinebat; quia id te premebat, exclamasti esse repetitum ex nugatoriis, quæ circumferuntur, epistolis. Atqui falsus es, o magister. Illud in iis non exstat. Exstat autem et recitatur in optimis libris Theodoriti. Utinam vero quod Ignatium scripsisse de Apostolorum traditionibus, testatur Eusebius, etiam exstaret. Magnum adversus tuas inficiationes præsidium optimæ testationis haberemus. Sed utut multa hujus generis monumenta interciderint, reliquias non pessundabis quæ te urgent. Quid? utar tuo consilio, ut conficiam quod volo. Nunc enim mihi in mentem venit, quod in eadem, ex qua paulo ante aliquot verba repetii, epistola aliquando legi. Tu quidem nuper, ut meam stultitiam irrideres, scripsisti me puerum memoriter epistolam illam totam recitare potuisse. Non memini tam me aliquando felicis memoriæ fuisse, tamque ea puerilitor abuti voluisse. Sed per ætatem licet sim factus obliviosus, bene habet non omnia tamen excidisse. Ergo venit in mentem, cum in ea epistola jactares te nihil aliud conari, quam ut instauretur aliquando vetusta illa Ecclesiæ facies, hæc te adjecisse: statue tibi, quæso, ob oculos veterem illam Ecclesiæ faciem, qualem Chrysostomi et Basilii ætate apud Græcos, Cypriani, Ambrosii, Augustini sæculo apud Latinos exstitisse, ipsorum monumenta fidem faciunt. Sic tu olim. Ego qui hæc ahs te serio dici putabam, propterea ad illa monumenta respexi, quibus, ut vides, nunc etiam Optati libros addo. Cum in talibus speculis faciem illam mihi utcumque videre visus sum: equidem cohorrui, cum eam postea fœdatam atque inquinatam conspexi: et ut Apelles si Venerem suam, aut si Protogenes Jalysum illum suum, cœno oblitum aspiceret, magnum acciperet dolorem: non dubitavi Ecclesiæ veteris illos, quos laudasti, doctores, si viverent, videre sine magno dolore non posse talem deformitatem. Neque non in mentem venit in quos dici posset, quod Scipio Africanus laudans veterem illum versiculum:

Moribus antiquis res stat Romana, virisque.

et deplorans suæ reipublicæ ruinam, olim dicebat: Nostra (inquit) ætas cum Rempublicam sicut picturam accepisset egregiam, sed evanescentem vetustate; non modo eam coloribus iisdem, quibus fuerat, renovare neglexit, sed ne id quidem curavit, ut formam saltem ejus et extrema tamquam lineamenta servaret. Cujus tanti mali non modo reddenda ratio nobis, sed etiam tamquam reis capitis quodammodo dicenda causa est. Nostris enim vitiis, non casu aliquo, Rempublicam verbo retinemus, reipsa vero jampridem amisimus. Sic ille Romanus. Eodem te animo puer putabam Ecclesiæ senescentis deformitatem, rugas, squalorem, situm deplorare: et simul penicillum, ut priorem formam renovares, potius quam spongiam, qua extrema quoque ejus lineamenta deleres, accepisse. Nam et in eadem epistola, cum indigne ferres te ab adversario accusari ut contemptorem Ecclesiæ veteris, exclamasti, jamne hostem antiquitatis esse dices, qui antiquæ pietatis ac sanctimoniæ studio, præsenti rerum corruptione non contentus, quæ sunt in Ecclesia dissipata ac depravata, corrigere in melius, ac restituere in pristinum nitorem molietur? cum istud puer audivi, exsiliens, fateor, exclamavi, euge,

Verre pavimentum, nitidas ostende columnas,
Arida cum tota descendat aranea tela.

Jam vero cum tu rerum potitus, tuam modo, tuam, mi Calve, formam novam ostentas, et ut sola spectetur, deles inducisque veterem, et nobis irascaris, qui bonæ antiquitatis plane oblivisci non possumus, et ad illam Ecclesiæ faciem, quæ fuerat ætate Basilii, Chrysostomi, Optati, Ambrosii, Augustini, te revocamus, ut ad eam tu nos aliquando: an miraris, si is, quem sua de te melior opinio fefellerit, dolet se deceptum esse? quamquam tu mecum etiam magis agas mala fide. Nam persuadere nihilominus vis, te eodem scilicet antiquitatis studio, quod prius

Digitized by Google

jactabas, teneri : me vero inane modo spectrum objicere. Mirabiles sunt hæ præstigiæ; ut discutiantur, inquisitio legitima instituatur. Sed tu eam perturbas tumultuando atque conviciando.

Projicis ampullas et sesquipedalia verba.

Sic solo crepitu abigis adversarium. Atqui licet pueros terreas, hoc (ut tuo verbo utar) spuere est, non loqui. Etsi nihil magis alienum a mea professione est, quam litigare tecum, tamen age : cum me lacessis, permitte ut æqua conditione judicium bonæ fidei detur. Etsi ad contestationem minime comparata sit imbecillitas mea, tamen faxo ut intelligant qui volent te abs religiosa antiquitate longius abesse : neque semper bona fide, quidquid de illa recitas, recitare, sive negligentia, sive dolo id facias. Faxo etiam ut intelligas eum quem aliud agere improbe fingis, et serio, et studiose, et religiose quærere verum : neque ullo odio partium distrahi : neque cum unius vitium accusat, alterius excusare, sed neque sonoris tuis crepitaculis terreri. Detur audientia, in cujus nunc spem aliquam vocor : faxo, ut vel invitus videas eum, etsi hominem nihil esse clamites, tamen et extrema quæ vitiosa sunt, refugere, et medium quod quidem integrum et rectum sit, requirere : et quod Nazianzenus in his contentionibus dixit rudes agricolas in arbore, quæ distorta erat, dirigenda non satis observavisse, cavere velle : et nihilominus, quæ hæc ætas rectissime correxit, tueri. Nimis ingratus esset, si non agnosceret quantam hoc tempore lucem Deus accenderit, quamque de religione multi præclare meriti sint. Sed rursus nimis cæcus esset, si non videret ecquo interea alii ruant. Vetus est illud, quod et olim tuo gentili objectum lepide fuisse narrat Cicero, *num claudicat ?* id in tuis quoque progressibus, observare me ne moleste feras. Ut Cassandrum, cujus magis erant hæ partes, passus sum priorem de ea re dicere, de qua tu, ut me et illum vexares, impotentissime declamasti, sic jampridem exspecto, ecquid illius responso tandem responsurus sis. Sed iterum **118** tibi spondeo, non defuturum bonæ causæ patrocinium, si pergas calumniari. Saltem mihi concedes, ut civiliter tecum agam, ubi video esse quæstionem facti potius quam juris : qualem esse sentio in iis, de quibus mecum litigas. Sic in conjecturali statu causæ tantum mihi agendum erit de probationibus, de testimoniis, de fide instrumentorum. Non utar nisi optimis et authenticis. Si tu falsi exceptionem opponas, vide ne eo ipsum crimine implices, sive temere jactes falsum esse nomen optimorum testium, qui citantur, sive dicas eos mentiri, et reos ψευδομαρτυρίας quos non convincis, peragere sine ulla probatione velis. Vide etiam, an tibi liceat contra regulas juris nostri, semel abs te approbatos postea reprobare, et rursus probare improbatos. Liceat hoc sane, ubi de variis eorum et privatis opinionibus agitur; de quibus nunc non agimus. Sed cum de testimonio facti alicujus publici quæritur : quod testimonium qui dicit, si sciens fallat, vir bonus non sciet, neque errore sed dolo peccabit ; vide quid futurum sit, si quoties voles, religiosæ antiquitati fidem detrahere velis. Interea patere ut quod contra Manichæos aliquando scripsit Augustinus, nunc tibi in memoriam revocem. Consequetur (inquit) omnium litterarum summa perversio, et omnium, qui memoriæ mandati sunt, librorum abolitio, si quod tanta populorum religione roboratum est, tanta hominum et temporum consensione firmatum, in hanc dubitationem adducitur, ut ne historiæ quidem vulgaris fidem possit gravitatemque obtinere.

Redeo ad causam Donatistarum. En quæritur, an baptizati ab hæreticis, iterum in Ecclesia baptizandi sint ? respondebis, non esse. Cur ita ? locum quemdam de unica lotione ex Evangelio Joannis protulerunt Optatus et Augustinus ; dices ad rem non pertinere. Quem Donatistæ objiciebant locum ex Actis Apostolorum non pateris explicari, adhibita distinctione inter baptisma Christi et Joannis : qualem distinctionem adhibent Optatus et Augustinus : tu vero eam repudians, mavis singulariter et nove interpretari in illo Actorum loco baptismum non significare baptismum. Tandem tamen redis ad Augustinum de unico baptismo, et approbas consuetudinem veterem, quam ille, licet aliquando interruptam, approbat. Recte. Sed quo argumento ? an qua sive conjectura sive ratiocinatione antiquissimam illam consuetudinem refert ad tempora Apostolorum ? Jam tibi non est integrum reclamare, nisi tibi ipsi repugnes ; præsertim cum improbes, quod illi Cyprianus objecit. Hic autem si concedis quod Augustino non negas ; tametsi eo exemplo non utar, nisi in re minus dubia : teneo quod volo : dimittantur judices in consilium. Ubi de facto constat, causam peregi, et dixi. Ne præterea mihi sis molestus. Nam deinde recipiam quas voles, bonas cautiones ; ne qui hoc exemplo abutantur ; ne fraus et præjudicium fiat veritati; ne veritas rerum erroribus gestorum vitietur ; et ut spectetur non solum quid Romæ factum sit, sed etiam quid fieri debeat ; denique ne facti et juris discrimen temere confundatur. Sunt hæ cautiones in nostris quoque libris legum, quarum me oblitum esse numquam velim credas.

Quia licet consulere (quod vetus Jurisconsultorum verbum est) et antiquæ familiaritatis jure quodam possum tecum agere liberius, nihil dissimulabo. De Ecclesia certamen est cum Donatistis. Tu quas soleas tradere notas Ecclesiæ dignoscendæ, meministi. Obsecro, mi Censor, an eæ satis notant et expungunt Donatistarum Synagogas ? cur longe alias allegant Optatus et Augustinus ? et vero de iis quid sentis ? Tu cum de corpore quæstio est, ais inspiciendum esse caput. Recte. Atqui Augustinus ait sibi quæstionem cum Donatistis esse non de capite, sed de corpore, lib. de Unit. Eccles. cap. IV; ergo de capite convenit, et tamen controversia de corpore est. Quid, ut hoc sibi asserant, præterea dixisse Optatum et Augustinum putas ? et de talibus vindiciis quid statuis ? quid (inquam) judicas, cum eos audis probare velle suam

Digitized by Google

esse possessionem Ecclesiæ, ex perpetua quadam successione : et quidem ad eam probandam contentos esse Romanorum saltem Antistitum, cum quibus communicabant, jam inde (ut aiunt) ab Apostolis descendentium consensione, continuaque successione, cujus seriem ex catalogo enumerant? quod et non dissimili fiducia fecerant antea Irenæus, Tertullianus et alii : nam quia non hæreditario quodam jure sanguinis nitebatur ea successio, verum Ecclesiastica electione atque ordinatione, non dubitant talem successionem tali conditione subnixam, idoneam esse testem doctrinæ suæ Apostolicæ cum illa conjunctæ atque continuatæ. Locutus est, ut scis, Christus de iis qui sedent in Cathedra Mosis : veteres Christiani de iis, qui in Petri. Mitto, quæ de utriusque sive sedis statu, sive cathedræ comparatione commode nunc dici possent et graviter, abs te præsertim si sedate ageres. Sed quid tu de ea lege Theodosiana, quam et primum promulgari audivit Optatus, et quæ prima in libris nostris est, similiter statuas, lubenter audiam : *Cunctos* (inquit) *populos, quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam divinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio usque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret*, etc.

Eamdem hic (credo) fateberis laudari successionem : quamvis notum sit et quid de Liberio, cui Damasus successit, prope aliquando ad Arianismum compulso traditum sit, et quid Ammianus scribat de Damaso ad hanc sedem evecto non sine sudore et sanguine, non sine vi et armis, non sine tumultu et cædibus. Nondum enim, puto, hic exclamabis, quod quidam ejus ordinis postea dixisse fertur, plures succedere Romulo in parricidiis quam Petro in pascendis ovibus. Nam neque nunc agimus de hominum vitiis, sed de religionis confessione, atque conservatione doctrinæ. Age vero : quia Optati nostri et Augustini, qui est eum secutus, acerrimus adversus Donatistas aries est in illa, quam jactant, successione : et res est magna : rogo, liceat tuam de ea sententiam audire. Imo vero jam respondisse te iracunde dices. Nam et in tua contra me declamatione imperiose jussisti ut id repetatur ex duobus, quos laudasti, libris tuis. Non enim esse tuæ gravitatis sæpius rem eamdem dicere. Faciam, here, quod jubes.

In tua institutione disputans adversus Papistas (quos vocas, nisi jam malis Papanos, ut a Roma, Romanos dicimus), qui obtendunt, quanti hanc successionem fecerint Irenæus, Tertullianus, Origenes, Augustinus, et alii (Optatum quia nondum legeras, non nominas), præfaris facturum esse te, ut intelligant boni viri et viri studiosi, quid istud sit. Tum vero, ab adversariis quæris, cur non Africam citent et totam Asiam? sed quia scire te ais responsuros, illic Ecclesiam desiisse; cur non ipse potius id quæris vel ab Irenæo, qui in Asia quoque vixit, vel ab Tertulliano, Optato et Augustino, **119** qui in Africa, quo tempore illic etiamnum florebant Ecclesiæ? cur hi (inquam) potius Romanorum episcoporum successionem citant et laudant, et in ea una hærent? responsum hic ego tuum rursus exspectabo. Tandem post longam digressionem, reversus ad id quod quæritur, scribis sanctos illos doctores, cum extra controversiam esset, nihil a principio usque ad illam ætatem mutatum fuisse in doctrina, vel Romæ vel aliis in urbibus (nam id addidisti in Gallica translatione tuæ institutionis), sumpsisse, quod omnibus novis erroribus refellendis sufficeret, ab adversariis oppugnari doctrinam ab ipsis usque apostolis constanter et unanimi consensu retentam. Atqui, mi doctor, adversarii hoc ipsum negabant, constanter (inquam) eam esse retentam, et nihil in ea fuisse mutatum; eaque erat controversia quam movebant. Nostri vero probationis loco allegant successionem, quæ non modo includebat conditionem ejusdem doctrinæ retinendæ atque continuandæ, sed et eam conditionem impletam esse probabat. Sed obsecro, an serio loqueris, cum videris concedere, usque ad ætatem Augustini, nihil præsertim Romæ fuisse mutatum in doctrina apostolica? et illos, qui enumerantur ab Optato vel Augustino, episcopos Romanos fuisse illius doctrinæ et constantes et fideles custodes? Si serio hæc scripsisti, neque sententiam mutas, transactum est. Sed quam vereor ne non stes pactis conventis! scilicet tibi concedi vis, quod in duodecim scriptis solemus, ut calculum reducas, si te alicujus dati pœnitet; sicuti est in Hortensio Ciceronis. Dura est hæc conditio, si tecum agendum sit. Sed quidvis tibi licere putas. Sic cum nobis commendasses Romanorum episcoporum (saltem usque ad Augustini ætatem) et doctrinam et successionem; alibi, cum lubet, eosdem et defectionis et depravatæ religionis accusas. Sic ipsum nominatim Siricium, quem postremo laudat Optatus, miris contumeliis proscindis, et atrociter jugulas, cum cœlibatum oppugnas? quamquam (ut hoc obiter dicam) quod narras eum de conjugio scripsisse ad Hispanos, vereor ne non illi aliquid temere affingas. Exstat inter Ambrosii epistolas Siricii epistola, quæ nihil habet tale; neque tu, qui minime alioqui credulus es, tam facile ex Gratiani farragine haurire debuisti, quod illi ignominiose ascriberes. Sed age dum, serio et bona fide dicito, quousque tandem putas durasse illam successionem de qua quærimus, et quando, vel per quem sic fuisse interruptam, ut plane desierit. Legi vitas pontificum et tragœdias. Sed vides aliud esse quod abs te quæro, cuique non respondes. Nam et si quod Paulus ad Thessalonicenses scribit, prædicitque de defectione, quam Veteres intellexerant de Romano imperio, tu de apostasia fidei interpreteris et eam jampridem evenisse dicas, tamen non dicis quando evenerit. Id ubi dixeris, videro. Sed ne existimes sat esse si quidvis dicas; scito non esse tibi rem cum tuis fatuis pueris, famulisve. Neque vero est cur te torqueas, quod facis, ut probes successionem non

Digitized by Google

esse veram sine doctrina. Nam id ego et ultro et lubenter et prolixe fateor; et ubi constat aliam esse doctrinam, aliud esse jus, tecum sentio. Sed neque dubito verissimum esse quod ais, verum reipublicæ statum dici non posse tyrannidem Caligulæ, Neronis, Heliogabali et similium, quia Brutis, Scipionibus, et Camillis successerint. Neque si addas scorpiones successisse Scipionibus, reclamabo. Ac si tonare etiam et fulminare velis adversus tales, non successores, sed prædones, non modo tibi succinam, sed et mea querimonia, quantum omni contentione vocis et laterum potero, justissimum clamorem augebo. Cæterum nihil agitur, si confusus tantum clamor sit; nulla vero definitio ejus, quod quæritur. Nihil autem definis, quamdiu non notas tempus, ex quo statuis defecisse successionem de qua agitur. Soles in hac quæstione nos revocare ad exemplum Ecclesiæ Judaicæ. Sed ne in ea quidem definis, quid velis. Ais in ea fuisse gradus quosdam defectionis. Recte. Sed cum historiam delibare incepisti, ita effugis, ut nos suspensos relinquas. Ais in Judæa varias fuisse mutationes, donec ipsi quoque sacerdotes templum Dei profanis abominandisque ritibus polluerunt. Sed quando id factum est, ut sciamus ex quo tempore non licuerit iis communicari? Tu in eadem tua paulo post institutione scribis, prophetas, qui Hierosolymis vel in Judæa fuerunt, cum res illic essent admodum corruptæ, tamen separatos non habuisse suos cœtus; sed convenisse cum aliis in templum, quia ad nullum superstitiosum cultum adigebantur, et agnovisse sacerdotes Leviticos, quia utcumque indigni eo honore essent, tamen nec dum abdicati erant. Atqui eadem paulo post pagina, narras, prophetas clamasse profana illa esse conventicula, quibus non magis consentire liceat, quam Deum abnegare; et necesse habuisse ab eorum cœtuum consensione desciscere, quæ nihil aliud erat quam impia adversus Deum conspiratio. Ignosce meæ hebetudini, si nondum perspicere possum quomodo, quæ dicis, cohærerent atque consentiant. Tantum abest, ut satis intelligam, quomodo ex iis definire velis, quod quæritur de Ecclesia christiana. Ac licet in tua rursus contra me declamatione, eadem de re dicas; tamen quid dicas etiamnum dubito. Quod vero adjicis de regno Hieroboam et apostasia Israelis, equidem fateor esse liquidam; neque frustra sudare debebas, ut id pluribus verbis mihi exponeres. Sed nihil ad Ecclesiam Judaicam. Neque illic, ubi vitiosa erat ipsa quoque origo, de successione quæstio fuit. Testor cœlum et terram me tecum agere religiose, ut si possis explices et liberes quos tuis strophis involvis. Nam hic ludendi aut illudendi locus non est. Nunc quia altero rursus loco de successione, de qua quærimus, disseruisti, quod nos audire jubes, rursum te audiemus, si forte et Optato rursus aliquid lucis tua expositio adferre possit, et nos magna molestia liberare. Cum adversus Augustinum librum Caroli v. Imp. scriberes, scripsisti, Irenæum, qui successionem allegat, quam dixi, merito ad refellendos nebulones nova quædam et impia dogmata spargentes, iis opposuisse testimonium et consensum Ecclesiarum, quæ ab Apostolis institutæ fuerant, et propterea non temere credebantur custodes esse doctrinæ apostolicæ, cujus etiamnum recens erat memoria. Recte. Sed cum id teneo, ne te astute subducas. Imo, ut tibi consulas, vide, quid sis responsurus, ubi tali testimonio et consensu aliquis te premet. Me quidem certe nimium iracunde vexasti, cum amicus forte meus multum tali testimonio tribuere visus esset. Ut uno verbo dicam, scis, quid optem? Opto equidem, ut et tu et omnes statuant universam Ecclesiam veterem olim ab apostolis institutam, nunc tamquam capitis ream sisti coram tuo tribunali; et quæri quid de ea tota tandem judicandum sit. Etsi quæ tua sit audacia, non ignorem, tamen existimo, ubi tale agmen in tali reatu conspicies in tuo consistorio criminali, te quodam pudore fractum iri, ut ille olim Romæ ingratus adolescens, 120 qui coram Tiberio patrem senem et canum, majestatis accusabat; patris torve eum intuentis conspecta facie, et ejus compedum sonitu audito territus, statim aufugit. Perge. Ais, Augustinum pugnasse adversus Donatistas, iisque Ecclesiæ Catholicæ successionem et testimonium non temere objecisse, cum ii non negarent eam, a qua tamen defecerant, retinuisse apostolicam doctrinam. Sed quid dices, eodem eum præsidio niti adversus Manichæos? certe de doctrina ii pugnabant. Mirum vero, tibi videri, de ea non pugnasse Augustinum contra Donatistas. Si Optatum diceres, qui eos magis habuisse videtur pro schismaticis quam pro hæreticis, magis audiri fortasse posses. Sed non ignoras Augustinum centies eos vocare hæreticos; quibus certe injuriam fecisset, si ii confitebantur quod narras. Imo si hoc confitebantur, quomodo negabant aut legitimum esse baptismum, aut veram esse Ecclesiam Catholicorum? an ut se damnarent, confiteri volebant se esse apostatas, cum suam demum christianam esse Ecclesiam et apostolicam, reliquas esse apostaticas clamitabant? Scio Cresconium grammaticum, eorum patronum, astute contendisse eos, etsi schismatici esse dicerentur, tamen hæreticos dici non posse, et Augustinum, qui eos hæreseos accusabat, odiose propterea notasse. Sed quid huic nugatori responderit Augustinus, non ignoras. Prætereo quod Epiphanius et Theodoritus eos etiam Arianæ impietatis reos peragunt. Certe Hieronymus in Catal. ait Donatum de Spiritu sancto scripsisse librum congruentem Ariano dogmati. Et Augustinus in lib. de Hæresib. scribit Donatum Carthaginensem non habuisse Catholicam de Trinitate sententiam; sed quam non animadverterit multitudo Donatistarum. Et in epist. CLXIII, ait se audivisse, Arianos, cum a communione Catholica discrepassent, tentasse sibi sociare Donatistas in Africa. Neque vero dubito, quin eorum plerique facile facturi dicturique essent, quidquid catholicis doleret, cum etiam non recusarent conspirare

Digitized by Google

cum Juliano apostata. Nunc nobis satis sit, eorum de Baptismo et de Ecclesia dogma impium et pernicio- A
sum fuisse. Quid dicam unum eorum antistitem Gaudentium ausum esse palam dicere, Ecclesiam catholicam esse humanum figmentum? Testis est Augustinus libro contra eum secundo. An qui non dubitabant talia vomere, fatebantur eam Ecclesiam esse custodem apostolicæ doctrinæ? sed rursus redeo ad successionem, de qua quæritur. Sentio enim nihildum actum esse, quia alibi ipsum principium negas, de quo numquam dubitatum fuerat, et nova inficiatione veteres falsi reos agis, ut falsam originem ementitos; quod quem illi auctorem successionis laudant, neque fuisse neque esse potuisse, quia Romæ nullam sedem habuerit aut cathedram, contendas. Quid istud tandem novæ rei est? Noster Optatus ad Par- B
menianum: *Negare* (inquit) *non potes, scire te in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam.* Quid tu? in tua quidem institutione etsi neges Petrum illic episcopum fuisse, aut saltem tamdiu sedisse, quamdiu alii narrant, tamen scripseras te propter veterum Scriptorum consensum non pugnare, quia illic mortuus fuerit: postea vero in commentariis ad epistolas Petri, illud quoque pernegasti. Imo (inquis) nisi maria et terras momento transvelaverit Petrus, procul ab Italia mortuum esse constat. Sed unde hoc constare probas adversus testimonium totius antiquitatis? et ubi tandem mortuum potius esse putas? in Babylonia? quia ex Babylone dicatur scripta prior ejus epistola. Quid tum? non placet (inquis) quod Romam eo loco notari Ve- C
teres existimarunt: neque cur id existimarint, causam video, nisi quia illo errore jam occupati erant Petrum Romæ fuisse. Sed de hoc (ut vocas) errore, qui in tali tamquam publico facto esse non posset, alias viderimus. Nondum autem probasti quod vis, in Babylonia illum esse mortuum. Imo vero (inquis) quia in secunda epistola inquit, se morti esse vicinum. Atqui secundam epistolam negas esse ab ipso Petro scriptam; neque ullus unquam dixit scriptam esse in Babylonia. Sed neque qui morti vicinum esse se credit, propterea mortuus confestim dicendus est. Paulus ad Timotheum: *ego* (inquit) *jam immolor, et tempus meæ resolutionis instat.* Atqui tunc mortuum esse, ne tu quidem affirmares. Certe si non liquere diceres, quo anno vel Romam venerit, D
vel Romæ mortuus sit Petrus, et quamdiu illic vixerit, fortasse non reclamarem. Sed contempto universæ antiquitatis testimonio atque consensu, contra quem alioqui dixeras nolle te pugnare, nunc affirmare Petrum neque Romam umquam venisse, neque illic mortuum esse, profecto paradoxum est axioma, quod mihi non persuaseris, nisi si universam historiam Ecclesiasticam esse putidam fabulam, et omnes Ecclesiæ scriptores antiquissimos et fidelissimos esse et mugatores et impostores persuadeas. Quid? Julium Cæsarem Romæ mortuum esse, aut pluribus aut melioribus testimoniis proditum non est, quam Petrum Romæ esse mortuum. Nunc si quis clamitet ne in orbe quidem Romano mortuum esse, fingat, licet, apud Antipodas esse sepultum. Mira profecto est audacia, dicam an impudentia, hominum ab aliis dissentire volentium. Quid enim non dicent potiusquam aliis non contradicant? sed si negare sufficiat quod certissimis ac fidelissimis monumentis proditum est, quid tandem fiet? quid (inquam) fiet universæ Ecclesiasticæ historiæ, si ejus principia et tamquam fundamenta, iis testimoniis communita, quibus certiora esse vix possunt, vel fabulosa sunt vel solo alicujus inficiationis sibilo everti possunt? Denique quid tandem non audebit, qui hoc audet? equidem scio multas putidas fabulas tamquam maculas ipsis quoque principiis historiæ Ecclesiasticæ aspersas esse, quas et repudio et deleri cupio. Sed an propterea verum cum falso temere expungi patiar? Scio incerta quædam esse, de quibus dubitari possit. Sed aut certum est, quod hic negas, aut nescio quid certum esse dicas; et, ut ille Romanus esse dicebat, aut hoc testium, quibus id probatur, satis est, aut nescio quid sit satis. Scribis quodam loco: Veteres quidem uno consensu tradere, Simonem Magum Romæ cum Petro disputasse. Id suspectum tibi esse ais: non tamen aperte audes dicere quod cogitas, Simonem illum numquam venisse Romam. Nempe ipsa etiam inscripta saxa Insulæ Tiberinæ talem inficiationem tuam refellent. Cur alterum illud, quod testatum magis etiam est, magis audes inficiari? Judam non interfuisse cœnæ dominicæ, neque cum Apostolis reliquis illi communicasse, etsi Augustinus contra Donatistas id habeat pro certo, et sumat pro confesso, tui confidentissime pernegant. Quia quosdam habent ex Veteribus suffragantes, audiuntur. Sed quod de Petro negas, audaciæ est inauditæ. Quis non miretur te, ubi vis, tam facile interdum assentiri non modo dubiis, sed etiam falsis conjecturis; alias vero ne certis quidem liquidisque probationibus habere fidem? neque tamen hoc dicerem, nisi si non modo de Optato actum sit, si tuæ inficiationi **121** concedam, sed et per Optati latus confoderes admirabilem hac in re consensum veteris Ecclesiæ, quæ si hic mentita est, nescio qua in re fidem merebitur. Sane quod Optatus addit Petrum appellatum esse Cephan, quia fuerit apostolorum caput, tibi facile concedam ridiculum et puerilem esse errorem hominis vocem Græcam, quæ Syriaca est, esse existimantis, et propterea ex petra vel saxo caput ineptius effingentis, quam si allegasset, quod Festus scripsit, Romam olim appellatam esse Cephalon. Tu alias verecunde fecisti, cum negares sani aut sobrii esse hominis putare talem interpretationem, quam Gratianus in sua rapsodia adscribit Anacleto, esse Anacleti. Sed ignorantia linguæ Hebraicæ persæpe majores nostros lapsos esse, verecunde confiteri, ingenuitatis quoque est. Scio, poteris etiam in Optato multos sacræ Scripturæ locos notare, aut non recte citatos aut non commode explicatos. Idque sane per me, ut facias, licet. Numquam enim

Digitized by Google

defendam quod scio esse vitiosum. Atque ut mihi deinceps æquior sis, equidem clara voce profiteor, quod et sæpe alias feci, me non modo illi solœcismo, quem dixi, non patrocinari, sed etiam gravissime eos detestari, qui graviores alios ejus generis solœcismos orbi terrarum obtrudunt, digni non tam ferula, quam flagro et scutica magistri fatuitatis : simulque exsecrari auctores multarum nefariarum fabularum, quæ confictæ atque sparsæ sunt, ut totam illius antiquitatis Ecclesiasticæ bonam memoriam vel inquinarent vel obruerent; denique eos refugere, qui bonæ et religiosæ vetustatis titulo, tamquam fuco, volunt abuti ad tegenda scelera degeneris posteritatis. Sed cum hoc prætextu præterea vis universam memoriam veterem delere : dico eos qui hisce tuis insidiis non occurrunt, aut turpis inscitiæ, aut sceleratæ perfidiæ, aut utriusque reos esse. Ergo etiam opto talem eorum, qui tibi tam facile cedunt, ἰθελοκακίαν castigari : quibus nunc tamen tantum objiciam illud vetus,

Tradite signa viris, ignavi signa Quirites.

Atque ut concludam quod de successione dixi, iterum dico, et semper præ me feram, optare me, ut indigni successores, qui et desertores, et proditores, et (ut verbo veteri utar, neque dicam aliquid gravius) traditores sunt, dent, quas meriti sunt, pœnas. Sed non ignoras, quisnam ille sit, qui tales esse vult et optat, ut iis dejectis, vacantem locum statim occupet, et novum sibi regnum condat multo majori supercilio : quique propterea nollet alios esse, resipiscere, facere officium suum, detergere inquinatam faciem Ecclesiæ : ut cujus fœdus squalor, et horrida deformitas, mutumque cadaver multos populos abalienavit, quos tu suaviter cantillando facile in tuas partes pertraheres; ejus forma prior meliorque, nitor, decor, vox et oratio, eos ad se revocaret, atque in unitate retineret. Ut ad Optatum revertar, supersunt duæ quæstiones, quæ tuam solutionem requirunt. Quæritur quid sentias de schismate Donatistarum, deque eorum actis, quæ quidem dixerunt esse religiosæ et Ecclesiasticæ reformationis. Ne autem privata causa tua atque affectio impediat ingenuam confessionem, rogamus ut cum de iis respondendum tibi erit, tui paulisper oblivisearis; neque de te agi cogites. Scis, qualis fuerit status Ecclesiæ, tempore Optati vel Augustini. Quæro, an nulla justa ratione Donatistas ab ejus Ecclesiæ communione descivisse putes? Credo, dices, nulla. Atqui quæ potissimum nunc accusas et fugis et aboles, jam tum invaluerant. Non exspectas, ut singula enumerem. Nam, si vis, meministi. Non debuere Donatistæ alium sibi suisque baptismum privatim instituere. Jam non loquor de eorum anabaptismo. Quæro an cum primum aliquem sui gregis, qui nondum baptizatus fuerat, tingerent suo more potiusquam paterentur in Ecclesia Catholica baptizari, recte facerent? credo, negabis recte fecisse. Atqui ex ipso quoque Optato disces jam tum in Ecclesia illa Catholica et exorcismum et chrisma baptismo adhibitum esse, quas res tam intolerabiles esse judicas, ut propterea institueres alteram baptismi formam; et me, qui earum alioqui rerum auctor non sum, neque de iis quidquam scripsi, earum odio immaniter exagitaveris. An dices Donatistas recte et religiose fecisse, quod contumeliose proculcarint illud chrisma, quod tu multo magis conspuis? Atqui Optatus tibi narrabit divinum adversus eos judicium etiam miraculo consignatum fuisse. Si dicas eum mentiri; vide qua probatione perages falsi reum. Sed nihilominus in ea re semper te premit admirabilis consensus veteris Ecclesiæ. An confiteberis non debuisse Donatistas, quod tui faciunt, evertere altaria? Atqui quod Optatus objicit, corpus Christi in iis habitasse, tam indignum et infandum esse dices, ut illam ipsam justam causam esse clamites, cur omnes aræ evertantur. An tibi placet, quod dicuntur Donatistæ erexisse altare contra altare? Atqui summi criminis loco semper habitum id fuit, neque solum Optatus et Augustinus propterea Donatistas tamquam ex formula, conceptis verbis, accusant, sed et antea Cyprianus totidem verbis Novatianos accusaverat. Scis, credo, altaris verbo significasse, totum ministerium Ecclesiæ; quod et baptismi voce interdum significatur : adeo ut etiam in Ægypto ipsæ Ecclesiæ appellarentur *Labra*, si me non fallit quod hisce primum diebus in Epiphanio observavi. An qui privatim atque separatim hæc quæ non tam sacramenta, quam exsecramenta vocat in Donatistis Augustinus, hæc (inquam) signa funestissimæ dissensionis attollebant, reformationis, potiusquam deformitatis et confusionis, fundamenta jaciebant? Quid vero dices, eos admirabili quodam fræno divinitus esse retentos, ut cum nihil alioqui auderent, et odio Catholicorum quidvis facerent, tamen neque ceremonias neque formulas in Ecclesia receptas, auderent (quod Optatus narrat) mutare : tametsi eas quoque adversarias habere se sentirent? an nunc religiosior est audacia, quæ major est? an est astutior, quæ delet omnia? Donatistæ, cum exemplo Novatianorum, Cathari videri vellent, aqua etiam expiabant, quidquid illi, a quibus defecerant, contigerant, quia pollutum esse clamabant. An hæc valde pura repurgatio fuit? Scimus et posterioribus sæculis Græcos in schismate non minus proterve et contumeliose egisse cum Latinis. Sed cum tales exsecrationes, quæ ex odiorum incendio erumpunt, hodie quoque audis, ecquid religiosæ tibi videntur? Age vero : cum brevi tempore Africam prope totam, non modo non adjuvantibus, sed potius reclamantibus principibus, in suas partes Donatus pertraxit, ut jam plures in ea prope numerarentur episcopi Donatistæ quam Catholici; an tali successu et victoria elatus, et gloria fastuque tamquam fermento inflatus, cristas propterea attollere debuit, quales eum sustulisse narrat Optatus libro tertio? Minus fortasse id factum esse miraberis, qui non ignoras quale sit humanæ superbiæ ingenium, quantusque tumor. Sed nihil magis tamen abs religione alienum et esse et

Digitized by Google

videri, **122** meminisse quoque debes. Quid dicam Donatum illum Pseudoepiscopum Carthaginensem, nebulonem e cœno emersum, repente factum esse non modo Regulum aliquem, qui auderet quod numquam Annibal vel Asdrubal illic est ausus, sed et tyrannum insolentissimum, qui etiam non dubitaret Romanum Imperatorem contumeliose contemnere? Imo vero visus est sibi tamquam Deus. Nam tale Idolum describit quoque Optatus, quod illa natio, vafra alioqui et acuta, bruto quodam stupore adorabat. Hic multa sunt, quæ te et alios mecum observare velim. Sed illud imprimis : qualis et quanta sit vanitas hominis ventosi, cæca sui admiratione ebrii atque temulenti, qui tamen Religionis et Ecclesiæ instaurator dici atque videri volebat. Non temere est, quod desidero, te intueri in hanc effigiem humanæ non infirmitatis, sed insaniæ. Sed erit satis uno eam verbo, tamquam digito, indicasse. Audierat ille stultos Principes voluisse jusjurandum concipi per suum genium atque majestatem. Hanc quoque divinitatis speciem sibi arrogavit, cum per suum nomen, quasi numen quoddam, non noluit suos jurare : quod et eodem tempore in Gallia Priscillianus impurior hæresiarcha volebat. Quid non sibi arrogant impudentes hypocritæ, qui tantum sibi sumunt? Sed, obsecro, an minus hodie insolescunt, qui omnes in sua verba jurare volunt? Nihil nunc dicam de Donatistarum martyriis atque miraculis. Illa probant fuisse fanaticos homines, qui cæca vertigine raptati sese dabant præcipites, sibique mortem conciscebant, quadam (ut noster Ulpianus ait) jactatione. Miracula vero, quæ jactabant, quid aliud significabant, quam præstigiatores quoque et impostores magnos fuisse, quos et mirabiliarios quodam loco vocat Augustinus, ubi eos indicat etiam jactasse, Donato oranti Deum de cœlo respondisse. Sed, obsecro, nonne te quoque nunc miseret fascinatæ multitudinis, cui illuditur? Quid postremo loquar de Donatistarum latrociniis, sacrilegiis, parricidiis? Hæc circumcellionum acta immania plerique etiam Donatistæ damnare se dicebant, quibus tamen utebantur. Quid nunc fiat, non ignoras : ego honoris tui causa taceo. Nam neque fortassis fas esset omnia in medium proferre, quæ novam et mirabilem unius anni darent historiam. Vetera nunc tantum legantur. Legeram multa de Judæorum zelotis Hierosolymitanis. Sed eos longe superarunt Donatianæ factionis satellites, qui se Sanctorum (ut ait Optatus) duces etiam appellabant, et interea non modo omnium Barbarorum, omnium latronum, sicariorum, piratarum feritatem, sed et ipsius (ut ait Augustinus) diaboli, qui crudelitatum omnium magister est, truculentiam superarunt. En quo statim Africanæ illius reformationis tragœdia evasit. Utinam nostra ætas similem epitasin non videat aut catastrophen suæ fabulæ. Si tamen fatale malum est, quod impendet, frustra repugnamus. Nam et quid mereantur, qui nullam correctionem admittunt, scio, et justum agnosco Dei judicium, eos veluti manu armata persequentis, ut qui loquentem non audiunt, sentiant ferientem. Sed vaticinia tibi relinquo. Verbum autem unum de Donatistis addam, cujus etiam te meminisse interest : eam, inquam, illorum fuisse impudentiam, ut quod crudeliter faciebant, indigne pati se clamitarent. Credo, ludibrii causa, hoc eos adjecisse, qui cumulus est acerbæ insultationis. Certe et legum, quibus castigabantur, lenitatem, et nostrorum antistitum, qui deprecatores potiusquam accusatores eorum erant, mansuetudinem irridebant, cum vel de illarum, vel de horum sævitia quiritabantur. Quia autem neque leges nostræ, neque Optati Augustinique responsa tibi satisfaciunt, qui pro tuo imperio contra edixisti, hæreticos (quos quidem hæreseos damnabis) capitali supplicio afficiendos esse : hic locus postularet, ut de legitima eorum coercitione pluribus tecum agerem. Sed quia jam fortasse tibi satisfecerit altera ad te mea responsio, quæ ea de re te admonuit, non ero nunc diutius tibi molestus. Interea, si vir bonus es, moleste non feres, hominem quondam tibi familiarem libere et familiariter tecum agere. Facit hoc abs te provocatus : neque tamen, ut scis, causam agit suam. Quid enim ejus privatim interest, et si evertas quidquid oppugnas? Ergo tanto magis agnosces eum liberaliter et ingenue agere. Sed neque, quia Jurisconsultus sit, et studia, quæ tractas, alioqui tractare non soleat, iniquo animo feres, eum tamen non esse alienum abs sacris et Ecclesiasticis litteris; imo vero esse studiosum utriusque juris. Vale.

FRANCISCI BALDUINI J C.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Præfixa secundæ Editioni Optati.

Ad Historiæ Africanæ historiam veterem pertinent Optati Milevitani et Victor Uticensis libelli. Neque nega vero in eorum lectione tenendam quoque esse universæ Africæ geographiam. Sed ut ex illa ejus descriptione, quam Strabo, Mela, Plinius, Ptolomæus olim edidere, fateor aliquid lucis accedere hisce libellis, sic ex his vicissim dico illam ipsam ejusque et fines et urbes rursus illustrari. Addo etiam non modo ipsum Orosium, lib. I, cap. 2, sed et nostrum postremo Justinianum, in lib. I et II, C. de offic. Præf. Præt. Afr., ubi cum novum et proprium Africæ regendæ, quam Vandalis eripuerat, præfectum prætorio daret, cujus sedes esset in urbe Carthaginensi, enumerat quas esse vult septem illius provincias, et singularum veluti metropoles.

Ac quidem in concilio Milevitano non nisi quinque enumeratæ fuerant. Sed Justinianus primo loco adjungit, quam vocat Zeugi : vulgo impressum est mendose Tingi. Nam hæc potius est ipsius Mauritaniæ, quæ et Tingitana propterea dicitur. Zeugitanæ autem provinciæ in Africa sæpe etiam meminit Victor Uticensis, ut et Plinius. Secundam autem Africæ provinciam Justinianus vocat simpliciter Carthaginensem : quam et antea vocatam esse proconsularem admonet. Certe Optatus et Victor proconsularem appellare solent : atque ita quoque sæpe no-

Digitized by Google

minatur in codice Constitutionum. Reliquas Africæ provincias, quæ nominantur in Synodo Milevitana, et sparsim in hisce libellis Optati et Victoris nominat similiter Justinianus, Tripolitanam, cujus ducem in Lepti magna sedere vult; Byzacenam, cujus dux in Capsa et Lepti altera sedeat; Numidiam, cujus dux in urbe Constantinensi; Mauritaniam, cujus dux in Cæsariensi; postremoque Sardiniam insulam, quam Africanæ quoque diœceseos esse jubet. Nam et hanc cum Corsica Vandalus Africæ tyrannus antea occupaverat, ut Victor, lib. I, narrat.

123 Cæterum factum est ignorantia geographiæ Africanæ, ut cum noster Optatus dicitur Milevitanus, quidam non modo dubitarint, cujas esset, sed et finxerint esse insularem. Equidem cum Donatum illum, qui a Casis nigris dicitur, fuisse Numidam admonui, sic et Optatum Donati adversarium, Numidiæ episcopum intelligi, cum Milevitanus dicitur, adjeceram: neque quemquam hominem litteratum id negasse putabam. Et ecce audio, quibusdam etiamnum videri (quo nihil stultius fingi potest) potius fuisse Melitensem. Nam Quintinus Heduus, qui superioribus annis docebat jus (ut vocant) canonicum in ea schola, in qua nunc doceo jus civile, doctor profecto canonum minime illitteratus, cum Melitam insulam describeret, et (ut in ea educatus cum Rhodiis, ut appellantur, equitibus aliquando fuerat) laudare vellet, scripsit, Concilium, quod Milevitanum dicitur, fuisse Melitense: et Milevitum urbem nescio quam dici a Melita. Risi, cum id legi, visumque mihi est tam monstruosum, quam si quis diceret concilium Sardicense fuisse Sardiniense: propterea nemini probari id posse putabam. Sed tanto magis miratus sum, cum audivi nostrum Quintinum non modo multis suis auditoribus persuasisse, sed et illi conciliorum consarcinatori Coloniensi, qui similiter præmonet concilium Milevitanum habitum esse in insula, quæ nunc Malta dicitur. Hanc vero? ego navigando numquam ad littus Africæ tam prope accessi, quam Doctor Quintinus suorum equitum classem secutus. Et tamen scio non posse eum evincere, quod affirmat, nisi si evincat et probet, vel Numidiam esse in Melita insula, vel Melitam insulam esse in Numidia. Vereor etiam, ne quis nasutus hic objiciat, quod Lucianus salse scripsit, sese imperitia cujusdam partim geographi, partim historiographi, repente ex Græco factum esse Babylonium, patriamque suam ab Hellesponto avulsam cum ipsis mœnibus et turribus translatam esse in mediam Mesopotamiam. Sed quid diceret Optatus, quid patres Milevitani, si jam audirent sese ex Milevi Numidiæ deportari in insulam Melitam, ut olim damnati, in Sardiniam. Sane, ut Optatus cum concilium Numidiæ vocat, intelligit quoddam Cirtense: sic Augustinus Milevitanum solet appellare concilium Numidiæ, veluti in epist. XLVII et XCII, et XCIV et XCV, atque ut Milevitani Patres profitentur sese ex concilio Numidiæ scribere ad Innocentium Papam, sic Innocentius in suo ad eos responso ait sibi scriptum esse ex concilio Milevitano. Equidem *hæsi* aliquando, cum quærerem locum in Numidia, cujus appellatio propius etiam quam Melitæ, accederet ad Milevitanum. Tandem commode incidi in Augustini epist. CLXVIII, qui Milevim oppidum vocat. Sed et cum in Carthaginensi synodo Cypriani, ubi episcopi Numidiæ dicunt suam sententiam de anabaptismo, legerem inter eos numerari et nominari quemdam Pollianum a Mileo, sicuti impressum legitur in libris Cypriani: et suspicarer de aliquo mendo, conjiceremque legendum potius esse, *Pollianus a Milevi*: consului alteram scripturam actorum illius concilii, quæ similiter recitantur ab Augustino, lib. VI, de Baptism. reperique apud eum ita scriptum esse, ut scribendum esse divinaram: et cum illo Polliano a Milevi, in eodem concilio paulo ante nominari alios duos ejusdem Numidiæ antistites, Felicem a Bagai, et Crescentem a Cirta. Credo, ne Quintinum quidem dubitare de Cirta Numidiæ. Si de Bagai aliquis dubitat, legat Donatistarum concilium Bagaitanum apud Augustinum, lib. III contra Crescon. cap. 53 et 56, et Milevitanum a Milevi, ut Bagaitanum a Bagai dici agnoscat. Sed neque Milevim aut Bagaim quisquam magis miretur a nobis referri inter oppida Numidiæ, quam Tuburbim aut Curubim inter oppida Africæ, a Plinio, lib. V. cap. 4. Denique notum est quod idem Plinius ait, populorum Africæ oppidorumque nomina vel maxime ineffabilia esse præterquam ipsorum linguis. Id vero magis dixerit, qui Optati et Victoris libellos, quos edimus, legerit. Equidem non dubito facile probari omnibus, quod in Possidio de vita Augustini observavi *Ecclesiam Cittensem* pro *Cirtensem* mendose legi: ut et in nostris pandectis Flor. fit mentio Relp. Cirtensium, cum in aliis libris vitiose scriptum sit, Cyrenensium l. IX de jur. et facti ignor. Quis propterea ferat Cirtam ex Numidia transferri in Cyrenaicam? jure profecto ipse Quintinus explicans Zonaram de Canon. Apost. irridet eos, qui ex Carchedone, id est, Carthagine finxerunt aliquando Calchedonem: neque negabit eadem reprehensione dignos esse, qui Byzacium, quod est in Africa, somniant esse Byzantium in Thracia; et tali mendo libros quoque juris contaminarunt. Nunc judicet, plausum an risum in auditorio juris mereatur, qui Milevim in Melitam transformat. Tot hac de re verba non facerem, nisi si auditoribus Quintinianis error tam ridiculus verbo uno eripi non posset, minus licet coloris habeat, quam si quis dicat Milevitanum concilium dici ab Melitena illa Armeniæ metropoli, quam tantopere prædicat noster Justinianus in Novel. 31. Nam et cujusdam Synodi Melitinensis meminit Sozomenus, lib. IV, cap. 21, Melitensis alicujus aliquem olim meminisse nusquam legi. Et quid tandem mentis fuisset Afris Patribus, si relicta tota sua Africa, ubi longe aliud habebant, quod agerent, periculosa per medias Sirtes navigatione trajecissent in illam aridam et angustam Insulam, ut ibi tamquam in carcere inclusi, et toto divisi orbe, deliberarent de rebus ad Ecclesiam Africanam

Digitized by Google

pertinentibus, et in medio mari transmarinas appellationes (nam eas reprimit synodus Milevitana) inhiberent. Ergo neque nobilissimæ illi synodo, neque Optato nostro hanc injuriam ridicula fictione fieri patior. Ut autem Optato dem successorem : Augustinus in ep. XXXIV ad Paulinum laudat beatissimum (ut vocat) Severum, suum condiscipulum, antistitem Ecclesiæ Milevitanæ, bene, inquit, apud eamdem civitatem fratribus cognitum. Idem Augustinus, lib. III contra Petil. cap. 38, meminit damnati cujusdam Honorii Milevitani in Africana Ecclesia. Denique Faustum illum Manichæum, gente Afrum, civitate fuisse Milevitanum ait, hominem, inquit, acuti ingenii, et expolitæ linguæ, sed nequissimum calumniatorem Christianæ religionis.

Si ferre non potui Optatum nostrum ex Milevitano fieri Melitensem, aut ex Numidia insularem, multo minus ferre debeo confundi cum aliis Optatis. Mitto illum Optatum Donatistam, quem in synodo Bagaitana, et Optatum catholicum, quem in Cirtensi celebrari audio ab Augustino. Celebrior fuit et famosior Optatus Gildonianus, cujus et sæpius meminit Augustinus. Sed quis non indigne ferat, quosdam hodie Gildonianum a Milevitano non discernere, cum inter eos tantum interfuerit, quantum inter Donatistarum ducem sceleratissimum, et Catholicæ Ecclesiæ sanctissimum antistitem. Si quis roget, cur ille alter dicatur Gildonianus, respondebo quod Augustinus, lib. II contra Petil. cap. 92, scribit, Optatum illum de satellitio Gildonis accusatum, **124** pœnas dedisse terribili mortis genere exstinctum : sicuti et leges nostræ non modo Gildonem illum tyrannum, qui in Africa adversus Imp. Honorium arma sumpsit, sed et ejus satellites persequi se profitentur, l. XIX, c. Th. de pœn.; l. XIX, c. Th. de bon. proscript. : sic et in l. VII, c. Th. de metat., dicuntur confiscata prædia Gildonis hostis publici, et satellitum ejus : estque lex honoriana ad Pompeianum proconsulem Africæ data Mediolani.

Qualem autem ipse Claudianus elegantissimis versibus describit fuisse Gildonem illum in Africa tyrannum et latronem, talem et Augustinus Optatum quemdam Donatistam, ejus satellitem, quem propterea plerumque Gildonianum vocat. Verum etsi interdum non addat Gildonianum, et simpliciter vocet Optatum, tamen tam nefarium nebulonem fuisse testatur, ut ipsos etiam Donatistas ejus puderet. Quam valde autem talem Optatum, ut debet, detestatur, tam etiam vehementer Optatum nostrum Milevitanum laudat : quem quidem, lib. I contra Parmen., ait, et venerabilis memoriæ esse et catholicæ communionis. Idem, in lib. post collat., vocat Catholicum episcopum, et in libro de Unit. cap. 16, videtur cum cum ipso Ambrosio comparare; sicuti et deinde Fulgentius, lib. II ad Monimum, Optatum hunc nostrum, quem sanctum vocat, judicat tam fidelem Pauli interpretem fuisse, quam aut Ambrosium aut Augustinum. Et tamen nolim tali comparatione lectorem impediri, quin discernat, quantum intersit; sicuti et ubi quod attinet ad litterarum eruditionem, Augustinus, lib. III de Doct. Christ. cap. 40, videtur eum conferre cum Cypriano, Lactantio, Victorino.

Porro ut ubi desinit Optatus, cœpi ex Augustino repetere quod sequitur in historia Africanæ Ecclesiæ : sic ubi Augustinus desinit, visum est subjungere quod Victor Uticensis (1) deinde narrat. Sed de Utica, ut de Milevi, nihil est necesse ut nunc addam quidquam. Omitto etiam quod in pandectis nostris lego, Uticam non minus quam Carthaginem juris Italici fuisse, l. ult. de Censib. Sed ut Milevitano sive Numidæ gratior sit vicinus hic collega Uticensis, dicam ipsam Cirtensem coloniam in Numidiam ex Uticensi conventu deductam videri, cum quidem illam Sittianorum vocatam fuisse Plinius testetur. P. autem Sittium equitem Romanum de conventu Uticensi fuisse Hirtius scribat.

Reliqua de Optato et Victore ex nostris deinde annotationibus petantur. Quam autem priori Optati editioni ante sex annos præfixeram prolixam præfationem, non de Optato modo, sed et de multis aliis capitibus rerum Ecclesiasticarum, de quibus ut tunc agerem, cogebat me conditio ejus contentionis, ad quam vel invitus pertractus eram, et acerrimi adversarii cum quo mihi res erat, refellendi quædam necessitas : eam, inquam, vehementiorem præfationem in hac editione nolui inculcari : quam satis superque est editam suo tempore semel fuisse.

Lutetiæ Parisiorum, Idib. Martii 1569.

(1) Errat hic Bald. Victor enim ille non fuit Uticensis, sed Vitensis.

ANNOTATIONES
IN SEPTEM LIBROS OPTATI MILEVITANI

Ex Fr. Balduini JC. Commentariis rerum Ecclesiasticarum.

IN LIBRUM PRIMUM.

Pag. 1. Ut Donatum Carthaginensem antistitem Donatistarum multa scripsisse ad suam hæresim pertinentia testatur Hieronymus in Catal. et eodem tempore Vitellium Afrum ejus factionis acerrimum defensorem fuisse scribit Gennadius : sic et Parmenianus, qui illi Donato successit, suam sectam multis libellis armavit. Interea tamen nescio quomodo Catholici in Africa prope muti erant : certe libellos suos non opponebant. Sed tandem in Numidia Optatus episcopus Milevitanus cœpit respondere. Ac quidem existimavi aliquando hosce Optati contra Parmenianum libros scriptos fuisse, contra eam Par-

Digitized by Google

meniani ad Tyronium epistolam, adversus quam et Augustinus deinde libros tres scripsit. Sed ubi propius singula contuli, facile animadverti aliud quoddam Parmenianici scripti genus fuisse, quod refellit Optatus, et tractatum appellat. Fuit tamen semper eadem disputatio. Nam et Donatistis hoc proprium fuit, ut eamdem sæpius cantilenam canerent, sicuti et Augustinus scribit eos eadem per eadem sæpe dixisse, repetisse, inculcasse. Porro cum Veterum, præsertim Afrorum, libri latine scripti, multis librariorum mendis contaminati sint, vix ullum puto umquam fuisse magis depravatum, quam hunc Optati libellum. Nam et ipsi Donatistæ statim atque editus fuit, eum corruperunt, et, ut erant impudentes, discerptum inquinarunt : et barbara librariorum posteritas multis maculis prope oppressit. Itaque et multis sæculis tamquam in sepulcro delituit, et cum in lucem eum protulit Cochlei editio Germanica, plura menda fuerunt quam versus. Ego in priori editione Parisiensi operam dedi adjutus collatione exemplaris manuscripti, quod mihi communicaverat Espensæus Theologus, ut sexcentos saltem locos emendarem. Nunc non multo pauciores emendabit altera hæc editio, duobus manuscriptis sive chirographis exemplaribus subnixa : quorum alterum Jo. Tilio Episcopo Meldensi, alterum Macereo Theologo Parisiensi debemus. Multum tamen abest, ut dicam Optatum nunc tandem in integrum plane esse restitutum. Imo feci, ut lacunarum notæ indicarent, aliquot locos superesse etiamnum mutilos. Illud porro semel prædicendum est, usum esse Optatum scripturæ sacræ translatione non omnino castigata : saltem longe alia, quam fuerit illa, qua vel Tertullianus, vel Cyprianus, vel Arnobius, vel Augustinus in eadem Africa usi sint. Sed profiteor me ejus correctionem minime suscepisse, qui si possim plerosque Optati locos a librario jam olim corruptos emendare, officio meo functum nunc esse me putabo. Neque tamen nunc ambitiose annotabo et indicabo quid in eo genere præstiterim. Nam et putida est talium λεπτολογημάτων ostentatio : neque juvat (ut dicitur) in mustaceo laureolam quærere. Ecce, paulo post principium libri primi, ubi primum legebatur in Germanica editione *cum nequitiose*, et deinde in Parisiensi, *cum venenose*, nunc ex meliori exemplari emendavi et restitui, *ne ventose :* et post medium ejus libri ubi antea legebatur *in talibus pasti fuerant cibis*, nunc ex eodem exemplari emendavi, *vitalibus pasti fuerant cibis ;* et paulo post ubi legebatur, *vos ipsos cum iis unam sententiam ferre*, restitui, *una sententia ferire :* et paulo ante finem libri primi, ubi antea legebatur *revelata*, ex eodem exemplari restitui *renovata*. Sexcentæ sunt hujus generis, et quidem in sequentibus libris plures emendationes, in quibus magis integrum erat manuscriptum exemplar, quo usus sum.

125 Pag. 3. Quod ad rem ipsam attinet, de qua maxime aliquid annotare, principio Optatus ostendit cur adversarios suos Donatistas appellet *Fratres :* tametsi hi a catholicis sic appellari nollent, atque etiamnum in Carthaginensi collatione recusabant, ut testatur Augustinus, lib. III contra Gaudentium. Idem, lib. III contra Parmen., cap. 2, confirmat quod Optatus hoc loco dicit. Ego addo, Davidem, I Sam. XXX, etiam fratres vocasse filios Belial, hominesque improbos, qui tamen erant Judæi. Quem autem locum Isaiæ Prophetæ Optatus hic allegat, Augustinus idem agens eumdem locum pluribus verbis urget, et simul, sicuti solet, totum hunc locum Optati amplificat in psalm. XXXII. Cur autem Christiani sese invicem fratres appellarent, Tertullianus in apolog. indicat. Sed et ipsa Ecclesia olim dicebatur fraternitas, ut ex Tertulliano, Cypriano, Ambrosio, Hieronymo didicimus.

Pag. 4. *Secundo loco* Optatus significat Donatistas refugisse omnem cum Catholicis collationem. Eadem fuit illorum superbia καὶ αὐθάδεια, multis post annis Augustinus, in epist. CLXVI ad Donatistas : « Vestri, « inquit, episcopi conventi a nobis numquam nobis« cum pacifice conferre voluerunt, quasi fugientes « cum peccatoribus colloqui. » Itaque ut tale supercilium dejiciat, in epist. LXVII objicit non modo Paulum cum Epicureis contulisse, sed et Christum cum ipso diabolo de lege collocutum esse. Factum est tandem aliquot annis post Optati mortem, ut edicto mandatoque Honorii Imp. Donatistæ etiam inviti pertracti sint ad Carthaginensem cum Catholicis collationem, hujus historiam alibi exposui.

Pag. 6. Ait Optatus contra leges fuisse, quod Donatistæ iterabant baptismum. Videtur significare legem sui quoque Valentiniani Imp. latam eo tempopore, quo hic liber scribebatur. Adderem et alteram ipsius Valentis et Gratiani, quæ septem post superiorem annis edita est : et quidem utraque scripta est ad Africanos magistratus, sicuti utraque exstat lib. XVI C. Theod. tit. VI. In unam autem conflata est a Triboniano, cum est conjecta in Justiniani codicem. Sed vereor ne illa posterior lata sit post hosce libros ab Optato scriptos. Ea tamen significat Constantinum eadem de re olim legem tulisse, quam Optatus legere multo magis potuerit. Sane Augustinus in suis de Baptismo libris, non leges imperatorum (quia Donatistæ iis se, aut christianos in causa religionis non teneri clamitabant), sed Canonem Nicæni concilii objicit. Nam etsi Nicænum non nominet, tamen de eo loqui se satis indicat, ut et alibi dixi in historia Carthagin. collat. Sed multa quæ in eo commentario dixi, cogor rursus delibare. Illud singulare est et nondum annotatum quod August. epist. CLXVI cujusdam legis (Constantini esse existimo) verba, quæ alibi non legi, recitat, digna quæ hic recitentur.

Attendite, inquit Augustinus ad Donatistas, *quam manifestissima veritate per cor regis, quod in manu Dei est, ipse Deus dixerit, in ista ipsa lege, quam contra vos prolatam dicitis. Est autem, si intelligatis, prolata pro vobis. Attendite quid habeant verba Principis : nam si in eis qui primo initiati sunt, idcirco religio baptismatis judicatur infirma, quod ii, a quibus accipitur, peccatores putentur : toties renovari necesse erit traditum sacramentum, quoties indignus fuerit inventus collati baptismatis administrator ; et fides nostra, non ex nostræ voluntatis arbitrio, neque ex divini muneris gratia, sed ex meritis sacerdotum, et clericorum qualitate pendebit. Faciant mille Concilia Episcopi vestri : huic uni sententiæ respondeant*, etc. Hæc Augustinus. Illud porro semel annotandum est, Optatum paulo post in disputatione de unico baptismo magis tueri schismaticorum quam hæreticorum baptismum, et tali distinctione adhibita videri mediam quamdam sententiam novam et insolentem sequi inter eam, quam Cyprianus olim secutus est, et eam quam Augustinus deinde asseruit. Postea tamen Optatus veluti oblitus suæ illius novæ distinctionis, generaliter disputat de unico baptismo, ut Augustinus. Mirum vero quod Optatus non meminerit Nicæni decreti ea in re, neque adhibeat saltem eam distinctionem, quam Nicænos Patres adhibuisse, ex Augustino colligere alibi licet. Sed harum annotationum angustiæ non capiunt longiorem ejus rei explicationem. Redeo ad id quod Optatus ait.

Pag. 12. *Nam ferme ante annos* LX, *et quod excurrit:* Primum annotabo hac locutione *et quod excurrit*, Optatum ter usum esse. Sed et Augustinus, qui Optatum diligenter legerat, eadem usus est, cum illud ipsum tempus de quo hic agitur, indicaret, libro septimo de Baptism., cap. 7. Nostri quoque Jurisconsulti ea utuntur, ut Paulus, decem, inquit, et quod excurrit, etc., lege 26. § ultim. depos. Vulgo dicere solent *plus minus*. Hieronymus, *eo amplius*, ut contra Luciferum, loquens de Nicænis Patribus, *trecenti*, inquit, *et eo amplius Episcopi*. Idem in epitaph. Nepotia. *Viginti*, inquit, *et eo amplius, anni sunt*. Quod autem attinet ad tempus de quo hic agit Optatus, ipse similiter Augustinus, lib. VII de Baptism. : *Post Cypriani*, inquit,

Digitized by Google

mortem quadraginta, et quod excurrit, annis peractis traditio codicum facta est : unde cœperunt appellari traditores. Sane Hieronymus in Catal. scribit Cyprianum passum et mortuum esse sub Valeriano et Gallieno impp. persecutione octava. In Eusebii autem Chronico annus illius passionis simplicius et apertius indicatur, diciturque fuisse Christi ducentesimus et sexagesimus : unde videretur Augustinus significare traditionem codicum factam esse circa annum Christi trecentesimum. Sic et Augustinus in brevic. id significat, cum narrat, id, de quo hic quæritur, factum esse Diocletiano IX et Maximiano VIII coss., lib. III contra Crescon. cap. 7, habet, Dioclet. VIII et Maximiano VII coss. Sed non multum interest Eusebius, lib. VIII Histor. Eccles. ejus persecutionis principium rejicit in decimum nonum annum Imperii Diocletiani, qui fuit octavus consulatus Diocletiani. Sequens autem annus, cum Diocletianus IX consul esset, fuit postremus annus imperii ipsius. Eo enim anno XI Cal. Maii (quo die olim Diocletianus primum factus fuerat imperator) ultro abdicavit, cum esset Nicomediæ. Fuit autem annus Christi trecentesimus quartus. Cum Optatus numeret annum sexagesimum ab eo tempore, jam satis intelligi potest, quo anno Optatus hæc scripserit. Sed cum addat, *et quod excurrit*, et Damasi sui socii postea meminerit, facile patior ut trecentesimo septuagesimo anno dicantur hi libri scripti ab Optato : quo anno cœpit Damasus præesse Ecclesiæ Romanæ, paulo postquam Valentinianus et Valens imperare cœperunt : quibus imperantibus hos ab Optato libros scriptos esse testis est etiam Hieronym. in Catal. Itaque necesse esse ut dicamus suspicor, libro sequenti in Catalogo Romanorum episcoporum expungendum esse nomen Siricii. Hic enim Damaso primum successit anno Christi trecentesimo octogesimo sexto.

Nunc paulo diligentius videamus, quid sit, quod Optatus hic ait de tempestate persecutionis sui temporis. Eam rursus describit libro tertio : ubi ait fuisse sub Diocletiano et Maximiano, ante annos LX et quod excurrit, datos esse impios judices, qui bellum christiano nomini inferrent, et Christianos sacrificare cogerent, Christumque negare, templa Dei vivi subvertere, leges divinas incendere. Nunc illud urget, quod instrumenta, ut ait, divinæ legis quidam episcopi, impie tradiderint. Eusebius libro octavo latius describit persecutionis illius tempestatem. De Africa tantum ait, innumerabilem tunc in ea fuisse martyrum multitudinem. Sed et thermas Maximiani in urbe Carthaginensi illo tempore exstructas fuisse ait, ut Diocletiani Romæ. His autem attollendis subserviisse multa millia Christianorum, veluti ad metalla damnatorum, accepimus. Illud novum et insolens fuit in edicto Diocletiani adversus Christianos, quod sacrosanctis eorum libris bellum indictum sit, ut abolerentur undique conquisiti. Arnobius qui eo tempore vivebat in Africa, lib. IV contra gentes : *Nostra*, inquit, *scripta cur ignibus meruerunt dari?* Sed impii Legulei tunc objiciebant, quod Ulpianus ait libros improbatæ lectionis abolendos esse, lib. IV famil. exerc., libros autem Christianorum esse scilicet improbatæ lectionis. Sane ipsa Machabæorum historia testis est tyrannum illum Antiochum Epiphanem, qui Judæos exterminare conatus est, Mosaicis quoque libris bellum indixisse. Tale exemplum Diocletianus in suo edicto secutus esse videtur : ut et exemplum Diocletiani secutus videtur tyrannus ille Vandalus et Arianus, qui in Africa aliquot annis post mortem Augustini, jussit flammis etiam aboleri libros Catholicorum, ut narrat Victor Uticensis. Edictum Diocletiani non recitat Eusebius, sed narrat quemdam ex aulicis proceribus, qui Christianus erat, cum Nicomediæ ubi Diocletianus agebat, videret impium edictum palam propositum et proscriptum, ausum esse palam id discerpere, nec recusasse quas propter tale factum pœnas impendere sciebat. De jure civili, cum tam multa antea rescripta Diocletianus edidisset, aliquid A rescripsisse vel respondisse quo anno totus erat in edictis contra Christianos postremo edendis, non legi : præterquam quod mihi nunc venit in mentem, subtilem illam L. si certis annis C. de Pact. datam esse Diocletiano VIII et Maximiano VII coss. Illud postremo juvat annotare, Donatistas, qui jactahant tantopere, sese odisse traditores librorum sacrosanctorum, tamen cum Basilicas Catholicorum incenderent, in eas ipsas flammas aliquando conjecisse ipsos quoque dominicos codices. Testis est Augustinus in epistola quinquagesima.

Porro, quod attinet ad totam historiam, quam Optatus hic delibat, ut Augustinus, lib. I contra Parmen. cap. 3, eam commendat, et quod quæritur de origine schismatis Donati, ab Optato repetendum esse monet, sic cum passim etiam ipse illustret, quod scribit Optatus, ab Augustino repetenda est explicatio. Nam et quod imprimis hoc loco Optatus narrat de primis traditoribus et homicida Purpurio, narrat etiam Augustinus, lib. III contr. Crescon. cap. 27, et B in lib. contra Fulgent. Donat. Quod dicit Menalum thurificasse, verbum est iis temporibus usitatum, quo dicebatur aliquis thus incendisse idolis et sacrificasse. Unde et sacrificatos vocabant, ut est apud Cyprianum.

Pag. 13 et 14. Quod sequitur apud Optatum de concilio Cirtensi, et actis scriptisve cujusdam Nundinarii, quæ Optatus ad finem horum librorum se adjecisse ait : dolerem intercidisse, nisi si repeti illa posse scirem ex Augustini libro tertio contra Cresconium, et epist. CLXII et CLXV, et lib. de Unit. cap. 20, **126** et brevic. collat. ad finem. Obiter etiam admoneo, quod hic Optatus ait dictum esse a Secundo Tigitano : *sedete omnes*, videri fuisse quamdam veluti formulam et tacitam significationem signumque absolutionis : ut sicuti reorum esse dicitur, stare : sic sessio quæ judicum esse solet, intelligatur etiam esse absolutorum, qui rei esse desierunt.

Pag. 16. Quod narrat Optatus de Lucilla fœmina C non minus factiosa quam pecuniosa, exponitur quoque ab Augustino in epist. CLXII, et lib. III contra Crescon. cap. 28, Hispanamque fuisse adjicit in lib. de Unit. cap. III, et lib. II contra Petil. cap. ultim. Denique valde famosam fuisse oportet, cum et Hieronymus ad Ctesiph. narrans multas mulieres fuisse hæreseon veluti nutrices, *Donatus*, inquit, *per Africam Lucillæ opibus adjutus est.* Omitto, quod aliam plane similem fuisse auctorem cujusdam inter Donatistas schismatis testatur Augustinus in epist. CLXII.

Ibid. Illud rarius et obscurius est, quod Optatus hic significat Lucillam illam in Ecclesia reprehensam fuisse, quod ante sacram communionem os cujusdam mortui osculata esset. Quid hoc sibi vellet, vix divinare possum : sed venit in mentem quod Balsamo interpres concilii Carthagin. cap. 61, scribit, Donatum auctorem ducemque Donatistarum docuisse, aliquem divinorum mysteriorum participem esse non posse, nisi os in manu tenens, id prius salutet.

D Pag. 17 et 18. Quod Optatus narrat de Felice diacono qui propter famosam de tyranno imp. scriptam epistolam accusatus sit, posset revocari ad leges de famosis libellis. Sed quia alio in loco fusius eas exposui, nunc non repetam. Tyrannum autem imp. hic intelligi Maxentium non dubito, quem tamen paulo post Optatus significat aliquando fuisse prope indulgentem. Constantinum, qui eum pessumdedit, severum vindicem famosorum libellorum, ipsius leges testantur. Et quidem statim post sublatum Maxentium, cum ab Africa recepisset libellum accusatorium contra Cæcilianum (quæ famosa potius quædam calumnia erat) libellos famosos qui subscripti non essent, rejiciendos esse edixit, et in Africam ea de re leges misit ad Verinum et Ælianum : quos paulo post audiemus laudari in causa Donatistarum. Eæque etiam leges dicuntur nominatim in urbe Carthaginensi propositæ. L. I et II C. Th. de Fam. lib.

Digitized by Google

Possem et hoc loco leges de receptatoribus allegare, ubi Optatus narrat, quid Mensurio tamquam receptatori tyrannus denuntiarit. Sed illud modo adjiciam, quod Hieronymus in chronico suo annotat, presbyterum Sirmii iniquissime occisum fuisse, quod Octavianum proconsulem apud se latitantem prodere noluisset, anno Christi trecentesimo septuagesimo sexto, hoc est, tempore nostri Optati.

Pag. 17 et 18. Prætereo multa quæ in hoc Optati libro occurrunt vestigia antiquitatis Ecclesiasticæ : veluti quod in eo scriptum deinde est, Ecclesiarum in Africa, tempore Maxentii, fuisse quamplurima (ut vocat) ornamenta ex auro et argento : sicuti et lib. III laudat imp. Constantem, qui cum in Africam mitteret eleemosynas pauperibus, simul miserit domibus Dei (ut loquitur) ornamenta. Intelligit autem vasa et vestimenta et ejusmodi donaria, quæ ad ministerium Dei consecrabantur, ut ait noster Justinianus, § sacræ, de Rer. divis. et L. sancimus. C. de sacros. Eccles. Sic et Theodoretus, lib. III, c. 12, narrat Imp. Constantium Ecclesiæ Antiochenæ donasse plurima hujus generis, tam pretiosa, ut paulo post impius et sacrilegus quæstor Juliani, cum illa raperet, quæ in fiscum redigeret, irridens et insultans exclamarit : *en quibus vasis ministratur filio Mariæ*. Sed mirum magis est, quod Optatus significat talia etiam fuisse in Africanis ecclesiis, quo tempore alioqui Ecclesia sub impiis tyrannis afflicta jacebat. Sic et Augustinus, lib. III contra Crescon, cap. 29, indicat, tempore Diocletiani, et persecutionis ab eo excitatæ, Cirtensem Ecclesiam Donatistarum habuisse calices duos aureos, et sex argenteos, et lucernam argenteam. Illud nunc addo : cum Imp. Leo lege lata prohibuisset ne quis privatus ex auro et argento conficeret regia ornamenta, L. I, C. nulli lic. in Fren., postea alter Imp. Leo, Nov. LXXXI, sic illam legem interpretatus est, ut privatis interdictum non esse confectione aureorum vasorum sacrorum, omnes intelligerent. Ne quis autem existimet, ambitiosæ modo superstitionis fuisse, quod talia fuerint in Ecclesiæ thesauris, sciat ubi necessitas et pia causa pauperum alendorum postulabat, facile distracta fuisse. Id Ambros. prolixe ostendit lib. II Offic. cap. 28, et quod in Ecclesiastica historia narratur de Cyrillo Hierosolymitano et Acacio episcopo. Imo lex ipsius Justiniani, d. L. sancimus. Non tam ut grammaticis, quam ut juris studiosis gratificer, obiter hic etiam annotabo, ab Optato vocari commemoratorium, quem paulo post brevem vocat. Verbum juris est, significatque libellum, syngraphum, aut chirographum, eoque etiam usus est Constantinus in epistola ad Cæcilianum, apud Euseb. lib. IV de Vita Constant. Sic et in quadam (quæ Optati tempore edita est) constitutione Imp. Valentis legimus inter chartulas cujusdam confiscati brevem quemdam inventum esse. L. ult. C. de Jure fisci, adde L. I, C. de Apoch. publ., et L. 13 C. Th., de Indulg. debitor.

Ibid. Redeo ad historiam, neque negligo quod hic ait Optatus, *indulgentiam mittente Maxentio, Christianis libertas est restituta*. Sic Eusebius lib. VIII, cap. 14, scribit Maxentium, initio sui in Italia et Africa imperii, sive tyrannidis, simulasse religiosum nescio quem favorem erga Christianos, et eorum persecutionem inhiberi edicto jussisse. Sed miror Eusebium ipsum non satis observasse, aliquot post annis accidisse, quod dicitur de Imp. Galerio, qui Constantino collega lubenter subscribente, in Oriente tandem edixerit quippiam ejus generis. Mendosa est inscriptio ubi pro *Constantinus* scribitur *Constantius* : sed recta est apud Rufinum subscriptio ejus edicti, in qua dicitur Imp. Galerio VIII Cons. publicatum illud fuisse. Utut autem Optatus significet Maxentium paulo ante Christianis in Africa aliquid indulsisse videri, tyrannum tamen et impium et crudelem fuisse constat, et quidem Africam ab eo graviter fuisse vexatam. Itaque hic mihi venit in mentem, quod Nazarii vetus panegyricus ait, Maxentium exhausisse Africam, quam delere statuerat, et propterea ejus debellati cæsique caput abs Constantino missum in Africam fuisse : ad eam (ut inquit) permulcendam, ut quam maxime vivus afflixerat, laceratus expleret. Et vero quam Optatus ait ab eo missam esse indulgentiam ad libertatem Christianis restituendam, fuisse inanem cujusdam clementiæ simulationem sine re, inde conjicio, quod ipsi Donatistæ, cum negarent Cæcilianum fuisse ordinatum, causabantur non potuisse, quia tempore persecutionis non fuisset liberum Episcopis convenire, ut refert Augustinus in Brevic.

Ibid. Nihil porro est quod hæreamus in iis quæ deinde Optatus narrat de Botro et Celesio : si obiter admonuero eam narrationem valde illustrari ab Augustino, lib. I contra Epist. Parmen. cap. 3. Sed quod tandem Optatus ait, altare contra altare in Africa tunc erectum fuisse, dignum est quod magis exponamus. Augustinus, lib. II contra Cresc. cap. 2, ait majorem Donatum a Casis nigris, altare contra altare in urbe Carthaginensi primum erexisse : deinde alterum Donatum, nempe Carthaginensem, hanc hæresim maxime roborasse.

Idem, in epist. CLXXI, indicans quid illud fuerit, ait, Donatistas episcopum contra episcopum ordinavisse, et altare contra altare erexisse. Et in epist. CLXII, scribit eos schismatis propterea reos, horrendo scelere levati (ut loquitur) altaris maculatos esse. Sed observandum est, Cyprianum multo ante in Africa scripsisse, Novatianos erexisse altare contra altare, cum sui schismatis et ab Ecclesia defectionis veluti signum (ut ita dicam) sustulerunt. Cujus quidem schismatis crimen etiam ille exaggerat, ut hoc loco Optatus in Donatistis, et Augustinus eum secutus in epist. CLXII. Imo vero ipsi quoque Donatistæ, quod iis Optatus propterea objecerat de exemplo et historia Datan, Coræ et Abyron, vicissim objecerunt in suo concilio Bagaiensi ipsis Maximianistis, qui ab ipsis aliquo modo defecerant et secesserant, quamvis ad Ecclesiam Catholicam non redilssent, ut narrat Augustinus, lib. III contra Crescon., cap. 53.

Pag. 18. Non est prætereundum quod sequitur apud Optatum : *iterum a Cæciliano mandatum est, ut si Felix in se nihil contulisset, ipsi adhuc tamquam diaconum ordinarent Cæcilianum*. Hic locus ille esse videtur, quem Donatistæ, obtusi profecto et aridi calumniatores, qui in Optati libris subtiliter scilicet venabantur quippiam, quod Catholicis objicerent, in collatione Carthaginensi ridicula non minus quam calumniosa cavillatione, objicere. *Dixerunt* (inquit Augustinus in brevic.) *scripsisse Optatum, quod Cæcilianus dixerit : si traditores sunt, qui me ordinarunt, ipsi veniant et ordinent me. Quod quidem si dictum, ideo dici oportuit ad illos irridendos, quibus hoc mandasse perhibetur, quoniam certus erat, ordinatores suos non fuisse traditores. Non enim ait : quia traditores sunt;* sed, *si traditores sunt : ut innocentia eorum probanda restaret, ubi probari recte poterat.*

Pag. 22. Non minus putidum fuit, quod Optatus deinde narrat, nimium profecto aulicos et Palatinos, Donatistas nostris in Africa minime omnium aulicis invidiose objecisse : *quid Christianis cum regibus? quid episcopis cum palatio?* Sic rursus, lib. III, ait Donatum aliquando exclamasse : *quid est Imperatori cum Ecclesia?* Sed et Augustinus, tractat. 6 in Joan., ait quemdam Donatistam dicere solitum : *quid mihi et imperatori?* Ipse et ipse Petilianus clamitabat : *Quid nobis cum regibus sæculi, quos numquam Christianitas nisi invidos sensit?* Id refert, refellitque Augustinus, lib. II contra Petilianum, cap. 92, sicuti et in lib. ad Donat. post collat., narrat, Primiani Donatistæ, qui Catholicis odiose insultabat, fuisse hanc exprobrationem : *illi portant multorum Imperatorum sacras, nos sola portamus Evangelia;* sacras cum dicit, sacras litteras intelligit : sacras autem, ut et

divinas, eo sæculo vocabant, quæ principis erant. Sic sæpe in cod. constitutionum.

Equidem fateor fuisse magis Ecclesiasticum, et Christianis, nedum episcopis dignius, uti potius litteris vere sacris, hoc est, propheticis et apostolicis, quam principalibus, vel aulicis, vel palatinis : neque Parmeniani, sed Ecclesiæ vocem hanc plerumque fuisse : *quid episcopis cum palatio?* Denique non **127** minus inviti ad aulas, relictis suis veluti caulis, quam ad castra boni Episcopi trahebantur. Et vero Sardicensis synodus fulminans adversus degeneres et ambitiosos episcopos, qui deserta sua statione et obliti sui officii, eo cursitabant, jubet ut alii Episcopi, qui sunt (ut loquitur) in canali, hoc est (nam et eo verbo similiter utuntur leges in Cod. Th.), in via publica, sive in urbibus in ea sitis, videntque aliquem sui ordinis, eo excurrentem, transeuntem graviter interrogent, ecquo et cur proficiscantur? ac si sponte proficisci intelligant, cum eo non magis communicent quam cum Ecclesiæ desertore vel hoste. Redeo ad id unde sum digressus.

Ibid. Optatus postremo recitat historiam judicii dati a Constantino Imp. in causa, quæ agitabatur inter Cæcilianum et Donatum. Historia est memorabilis, propterea que tanto magis miror a Græcis, qui alioqui tam multa de temporibus Constantini scripsere, esse præteritam. Augustinus, lib. 1 contra Parmen. jubet nos eam repetere ab isto primo Optati libro ; a quo et Donatistas ipsos eam repetiisse in collatione Carthaginensi, mox audiemus. Ipse etiam Augustinus passim multa inculcat, quæ eo pertinent. Sed ut ingenue fatear quod sentio, ne Optatus quidem mihi in hoc genere satisfacit : et video in utriusque scriptis multas esse perturbatas et præteritas hujus historiæ partes. Optatus ab ordinatione Cæciliani transilit ad libellum Donatistarum oblatum Constantino. Atqui intersunt septem vel octo anni, quibus quid Donatistæ interea domi egerint tumultuando et Cæcilianum vexando, scire velim. Nam non quievisse facile suspicor : imo interea mirifice invaluisse auctosque esse inde conjicio quod Augustinus in epist. XLVIII, scribat quadraginta annis ante Macariana tempora convenisse ducentos, et septuaginta Donatistas episcopos. Si quadraginta annis ante Macariana tempora, de quibus postea dicam, tam multi jam erant ; apparet tam multos fuisse statim atque Constantinus patri suo successit. Sed credo Donatistas non appellasse Galerium aut Maxentium, qui Africæ imperabant, quia hi tyranni Donatistas non audiissent, neque minus eos, quam Catholicos rejecissent. Ergo quæstio de Cæciliani ordinatione delata primum est ad Constantinum cum jam rerum potiretur, sublato Maxentio. Nam et si tunc scribat Optatus Constantinum harum rerum Ecclesiasticarum adhuc ignarum fuisse, tamen religioni et Ecclesiæ favere cœperat, et alia occasio, cujus mentionem facere quoque debuisset Optatus, sese obtulit.

Pag. 22. Optatus simpliciter narrat libellum Donatistarum fuisse oblatum Constantino. Sed observandum est, factum id esse, cum Constantinus cum Maxentii cæsi obtruncato capite in Africam ad Annullinum proconsulem misisset suum edictum de immunitate Cæciliani et cleri Carthaginensis. Quod edictum nescio quo casu confuse conjectum est in decimum Eusebii librum Ecclesiasticæ historiæ Græcæ. Annullini responsum rescriptumque exstat in Augustini epist. LXVIII. Simul autem arrepta tali occasione Annullinus ad Constantinum misit libellos Donatistarum Cæciliani ordinationem accusantium.

Optatus profitetur sese eorum exemplum edere. Non tamen totum neque integrum edere videtur, et sine die et consule id edit. Augustinus vero in epist. LXVIII, scribit transmissos ad Constantinum per Annullinum fuisse duos hujus generis libellos Donatistarum, unum in aluta subscriptum hoc modo : *libellus Ecclesiæ Catholicæ, criminum Cæciliani traditus a parte Majorini.* Alterum sine sigillo cohærentem eidem alutæ, datum die XVII kal. Maias, Carthag. D. N. Constantino A. III Cos. Atque hujus quidem posterioris libelli fuisse videntur verba, quæ recitat Optatus. Prioris non meminit. Mirabar in libello, quem recitat Optatus, generalem et confusam et obscuram et infinitam esse querimoniam Donatist. *Inter nos,* inquiunt, *et cæteros episcopos contentiones sunt.* Mirabar hic non nominari hos episcopos, sed ne Cæcilianum quidem, neque exprimi qua de re contentiones essent : quod in primis dicendum et exponendum erat. Sed suspicor in priori libello fuisse illa omnia magis expressa, ac fortasse etiam narratum fuisse, quomodo jam damnatus fuisset Cæcilianus ab episcopis LXX. Certe mirum est, Donatistas actum agere voluisse, et judices sibi novos dari petiise potius, quam executionem rei judicatæ ursisse.

Porro observandum est Constantinum non fuisse in Italia, cum hos Donatistarum libellos recepit, sed in extremis Galliarum finibus ad Rhenum. Id ego collegi ex veteri panegyrico, quem suspicor esse Nazarii ad Constantinum, ubi scriptum est, Constantinum paulo post quam Romæ Maxentium vicisset, eodem impetu quo redierat in suas Gallias, perrexisse ad inferiorem Germaniæ limitem, et a Tiberi ad Rhenum properasse, prolaturum, ut ait, Imperium a Thusco Albula ad Germanicum Albim.

Præterea si hæc historia diligenter pertexenda est, observo, Constantinum exemplaria litterarum et libellorum, quos ex Africa accepit, statim misisse ad tres illos Galliæ episcopos, qui postea nominabuntur, et jussisse propterea eos ire Romam : eademque de re scripsisse ad Miltiadem episcopum Rom. Non exstat rescriptum ad Galliæ episcopos. Exstat vero quod ad Miltiadem scriptum fuit. Nam nescio quo casu est conjectum in farraginem decimi libri Eusebianæ historiæ minime suo sane loco : sicuti et abs Nicephoro, lib. VII, cap. 43, non minus confuse et præpostere recitatur, ut ab homine ignorante quorsum id pertinet, et historiam involvente potius quam explicante. Debuerat potius hoc loco inseri, vel ab Optato recitari. Sed satis nunc sit indicasse locum, ubi reperietur. Ut autem Constantinus in eo rescripto testatur sese, quod dixi, scripsisse ad Gallos illos, sic etiam narrat sese simul jussisse, ut reus Cæcilianus Romam veniret cum decem episcopis, qui illi adessent, et totidem adversariis accusatoribus. Hoc in Africam missum Constantini mandatum alioqui nusquam reperio, quod tamen etiam interesset hujus historiæ non intercidisse. Cujacius, ad l. 1 C. de Tractor., recitat ex quadam (ut vocat) Constantini constitutione hæc verba : *aliquot ex iis, qui contra Cæcilianum dissentiunt, data evectione publica per Africam et Mauritaniam, inde ad Hispanias brevi tractu facias migrare, et inde nihilominus singulis episcopis singulas tractorias tribuas.* Quia hanc (ut vocatur) constitutionem alibi non legi, non possum liquido dicere quænam fuerit, sed facile suspicor ad Annullinum missam esse, et ad id, quod nunc quærimus, pertinuisse.

Pag. 23. Jam vero cum Optatus narret convenisse ces, et causam Cæciliani Romæ actam esse sexto kalend. Octobr. Constantino III et Licinio III Coss. (sic enim Optati locum legendum esse alibi probavi ex August.) et ex altero loco Augustini paulo ante indicarim libellos Donatistarum in Africa datos esse XVII kal. Maias, iisdem consulibus eodemque anno : idem observandum est, magnam et prope incredibilem diligentiam atque festinationem hic notari posse qualem et Ecclesiæ salus eo tempore postulabat.

Ibid. Optatus nominat tres illos Galliæ episcopos, qui cum Miltiade Ro. episcopo hujus causæ judices fuerunt, nempe Maternum Agripinensem, Marinum Arelatensem, et Rheticium Augustodunensem. Hic ego obiter cogor annotare, vel falsum vel valde mendosum esse Eusebii Chronicon, ubi, interprete Hieronymo, scriptum est, Miltiadem mortuum fuisse et Silvestrum ei successisse antequam Maxentius cæsus

Digitized by Google

esset; mirorque ipsum Augustinum Steuchum hominem doctissimum et bibliothecarium pontificium, cum adversus Laurentium Vallam contenderet de veritate historiæ Constantinianæ, tam confidenter affirmasse, Miltiadem a Maxentio vel Maximino occisum esse. Unus certe Optatus quam id falsum sit, non obscure demonstrat. Porro oportet etiam consarcinatores centuriarum (ut vocantur) historiæ Ecclesiasticæ parum attente hunc Optati locum legisse; cum in centur. 4, cap. 10, dubitantes aiunt, hunc Maternum et Marinum videri fuisse episcopos in Gallia vel in Italia. Sed multo magis Calvinus sese et alios multos fefellit, cum non observavit Arelatensem episcopum cum Miltiade Rom. judicem sedisse in hac causa, propterea que fingit judicem postea fuisse ipsius appellationis, quod tamen lex judiciorum minime pateretur. Denique Augustinus decies testatur in Arelatensi concilio, ubi causa Cæciliani et Donati rursus acta est, alios, alios, inquam, quam qui Romæ fuerant episcopos judices fuisse. Sed neque memoria antiquitatis patitur ut Arelatensem dicamus ambitiose supra Rom. episcopum, a Constantino fuisse evectum. Et cur non potius Calvinus id fingit de Syracusio episcopo, ad quem (ut mox dicam) nominatim scripsit Constantinus, ut de hac causa jam Romæ judicata, in Arelatensi concilio cognoscat? Sane ante tempora Donati, Cyprianus Carthaginensis agnoverat Martianum quemdam Arelatensem episcopum, qui Novatianus erat, abs Stephano episcopo Rom. castigari debere. Et multis post Constantinum annis, cum quidam Hilarius Arelatensis in Gallia contemneret auctoritatem Leonis Papæ, imp. Valentianus in edita lege testatus est, quam id ferendum non esset. Scribebat tempore Optati Ausonius *Gallula Roma, Arelas*, cum diminutivo verbo blande significare vellet Arelatem esse veluti Romulam, hoc est, quamdam in Gallia Romam. Sed tamen sciebat nonnisi coloniam esse, quæ supra suam Metropolim non assurgeret.

Quod attinet ad Rheticium Augustodunensem, existimo factum esse non modo per urbis illius (quæ ut caput erat Heduorum, sic Constantino tam grata fuit, ut et Flavia dicta sit) dignitatem, sed et personæ meritum, ut Rheticius lectus sit qui judex esset cum Miltiade, nam et eum litteratum fuisse et inter Ecclesiasticos scriptores ejus temporis numerari scimus. Scripserat enim contra Novatianos, Donatistis persimiles: ut mirum sit, si hunc sibi judicem dari voluerint Donatistæ, sed et sublimi ore scripsisse dissertationes in cantica ait Hieronymus in epistola ad Florent. Idem tamen in epistola ad Marcellum, licet eum eloquentem fuisse fateatur, tamen ineptum interpretem vocat. Cæterum quod ad historiam hujus loci attinet, addit, abs Constantino imperatore sub Sylvestro episcopo missum esse Romam ob causam Montensium. Pro Silvestro dicere debuit Miltiadem. Montenses vocat Donatistas. Sed nondum ita vocabantur, cum Rheticius Romam venit. Sane Augustinus, lib. 1 contra Julianum cap. 2, recitans **128** quamdam illius sententiam de baptismo, ita præfatur: *Rheticium ab Augustoduno episcopum magnæ fuisse auctoritatis in Ecclesia tempore episcopatus sui gesta illa Ecclesiastica nobis indicant quando in urbe Roma, Miltiade Apostolicæ sedis episcopo præsidente, cum aliis judex interfuit, Donatumque damnavit, qui prior auctor Donatistarum schismatis fuit et Cæcilianum episcopum Ecclesiæ Carthaginensis absolvit.* Jam vero etiam pertinet ad illustrandam hanc historiam, quod hic Augustinus ait Miltiadem illum præsedisse in hoc judicio. Donatistæ tantum sibi ex Gallia dari judices petierant. Constantinus vero jam tum sensit, Romani episcopi cognitionem esse debere. Atque hic quidem videtur allegisse suo arbitrio quindecim illos Italos episcopos tanquam assessores: neque tamen audent Donatistæ reclamare, aut tale judicium recusare, tametsi aliud maluissent. Inter illos Italos Optatus numerat quosdam qui fuerunt Gallliæ Togatæ et Cisalpinæ, ut olim a Romanis vocabatur: ut Meroclem Mediolanensem. Falsa igitur sunt Chronica Mediolanensia etiam ea, quæ alioqui fidelissima esse creduntur, ut Bossiana, in quibus scriptum est, Meroclem mortuum esse anno Christi 268. Atqui Optatus testatur Romæ judicem sedisse anno 313. Consequens etiam est, fabulosum esse quidquid in iis traditum est de quodam Eustorgio, qui eo ipso anno 313, dicitur creatus episcopus Mediolanensis. Optatus inter episcopos illos Italos numerat Florianum *a Sinna*. Existimo legendum esse *a Cesena*: quæ nobilis prope Ravennam civitas est in ea Italiæ parte, quam olim Galliam Togatam vocabant, sicuti et Mediolanum. Quid autem sit *Sinna*, nescio.

Pag. 23 et 24. Porro, cum Optatus narrat Donatum esse damnatum, meminisse debemus fuisse Donatum a Casis nigris, ut Augustinus in brevic. significat, eumque ex accusatore factum esse reum, quia fortasse Cæcilianus recriminatione usus sit, neque tamen simplex traditionis crimen (sicuti jure potuit) voluit in adversarium retorquere, sed graviori et magis Theologica criminatione usus est. Optatus recitat formulam sententiæ, qua Donatus primum damnatus, et Cæcilianus absolutus sit a Miltiade et ejus collegis. Addendum porro est quod Augustinus in epistola CLXII præterea recitat, sapienter et benigne ab eodem Miltiade oblatum fuisse Donatistis, qui resipiscere vellent et ad Ecclesiam redire. Id vero quia latius exposui in historia collat. Carthagin., eo lectorem hunc remittam. Cæterum admonebo observanda esse duo capita illius adversus Donatum sententiæ, quæ ait eum rebaptizasse, et Episcopis lapsis manum imposuisse, ac utrumque ab Ecclesia alienum esse pronuntiat. Quod ad prius attinet, observandum est, id pronuntiari Romæ, ubi etiam vetus illud Cypriani concilium de rebaptizandis iis, qui ab hæreticis baptizati fuerant, semper reprobatum fuit, et sententiam Miltiadis hac de re confirmavit Nicænum deinde concilium, adhibita tamen quadam distinctione propter Paulianos, ut alibi dictum est. Obscurius est, quod damnatus Donatus, quia episcopis lapsis manum imposuerit: idque etiam dicitur esse alienum. Triplex olim fuit impositio manuum. Imponebantur manus baptizatis. Augustinus autem, lib. III de baptis. contra Donat. cap. 16, *Manum*, inquit, *impositio non sicuti baptismus, repeti non potest*. Secundo imponebantur manus lapsis pœnitentibus, quibus post exomologesim pax dabatur. Etsi autem in Africa diu existimarint antistites (sicuti Augustinus indicat) talem pœnitentiam iterandam non esse non magis quam baptismum: tamen lapsis pœnitentibus semel saltem dandam esse pacem manusque imponendas, qui negasset, Novatianus fuisset: Donatum prope fuisse Novatianum facile dixero. Sed damnari quia non fuerit quis dixerit? Ergo cum damnatur a Miltiade, quia lapsis Episcopis manum imposuerit, et id factum a Donato, dicitur ab Ecclesia alienum, intelligitur alia quædam manuum impositio. Nempe tertia fuit ea, quæ ad ordinationem episcoporum pertinebat. Hanc autem non magis quam baptismum repeti et iterari debere veteres judicarunt. Ergo si episcopis lapsis in hæresim, posteaque pœnitentibus pax daretur impositione manuum, non erant, si in suo gradu manerent, iterum ordinandi, propterea que non erat iterum iis ea manus imponenda; nam prior ordinatio sufficiebat. Sequitur apud Optatum: *Cæcilianus omnium supra memoratorum sententiis innocens est pronuntiatus*, etc.

Hæc ipsa sunt verba, quæ deinde in collatione Carthaginensi recitata sic perculerunt Donatistas, multa impudenter alioqui fingentes de damnatione Cæciliani, ut cum hoc Optati testimonium elevare non auderent (fuit enim jam tum maximæ in Africa auctoritatis et fidei Optatus), tandem obmutuerint attoniti. Testis est Augustinus in breviculo collat. ad finem, ubi tamen non integra recitantur verba Optati. Desideratur enim verbum hoc, *sententiis*. Quam-

Digitized by Google

vis ergo tam impudentes fuerint Donatistæ, ut cum fingerent et mentirentur, a Constantino damnatum fuisse Cæcilianum, Optati, cujus testimonio uti volebant, verba depravare cavillando conati sint, ut mox ostendam : tamen eorum impudentia, quæ maxima fuit, tanta non fuit, ut etiam auderent fingere Romæ damnatum fuisse. Quo magis obstupui, cum hisce diebus audirem in Gallia id confidenter et gloriose scripsisse quemdam Morellium, hominem alioqui litteratum et in novo novorum ministrorum ordine egregium ; in suo ad Viretum libro Gallice scripto, et eleganter inscripto, *de disciplina Ecclesiastica*. In quo cum alia multa ab omni fide et veritate historiæ Ecclesiasticæ valde aliena, tum illud imprimis affirmari narrarique audio, abs Miltiade, Rheticio et Marino episcopis judicibus, non modo damnatum esse Cæcilianum, sed et abdicare coactum. Nihil ne fingi quidem posset, quod magis evidenter falsum sit. Redeo ad Optatum. Inquit : Pag. 24, *ad quam appellationem Constantinus Imp. sic respondit, o rubida*, etc. Hunc locum in priori editione emendavi, atque etiam hiantem explevi, additis ex antiquo exemplari, his, quæ desiderabantur, verbis, *appellationem interposuerunt* : atque ita probavi rejiciendam esse cujusdam alioqui eruditi et ingeniosi Interpretis legum conjecturam, divinando fingentis ex falsa notarum suspicione quamdam novam lectionem, quæ tamen non consistat. Id cum alibi satis ostenderim, nunc nihil repetam. Adjiciam modo, quod Augustinus in epist. CLXII ait Donatistarum rabida in Cæcilianum ora fuisse : ut minus jam miremur Constantinum, rabidam furoris audaciam in iis accusare. Venit etiam nunc in mentem mihi quædam lex Valentiniani Imp. de quodam Chronopio episcopo, qui in septuaginta episcoporum judicio damnatus appellavit præfectum urbi. Valentinianus rescribit, illicitam appellationem pœna pecuniaria coercendam esse, quæ pauperibus erogetur. L. 19 C. Th., Quorum appell. non recip.

Ibid. Ait Optatus, *Eodem tempore*, etc. In hac editione jussi ante hæc verba appingi lacunam vacuam, ut significarem mihi videri aliquid deesse et desiderari ante hæc verba. Nam cum propius considero totam, qua de hic agitur, historiam, sentio non posse hæc conjungi cum iis quæ proxime præcedunt : imo interfuisse aliquot annos, quibus causa Cæciliani rursus acta et definita sit in synodo Arelatensi, iterum quæ judicata Mediolani ab ipso Constantino. Ad cujus demum Mediolanensis judicii tempus referre necesse sit hæc quæ in Optato sequuntur, *eodem tempore*, etc. Itaque suspicarer quod de eo judicio sicuti et de Arelatensi Optatus inseruerat, deletum abs Donatistis fuisse, qui Optati libros misere contaminarunt. Sed rursus dubito, num Optatus, ut in Numidiæ angulo, inclusus, quidquid hac de re debuit, sciverit scripseritque. Nam in collatione Carthaginensi cum adversus Donatistas recitaretur testimonium Optati de absolutione Cæciliani, nihil de judicio Arelatensi aut Mediolanensi recitatur, quod tamen præteritum non fuisset, si fuisset ab Optato expositum. Et ineptum erat in ea collatione quærere quid senserit Optatus hoc loco, si aperte paulo ante a Constantino absolutum fuisse Cæcilianum scripsisset. An dicemus jam antea Donatistas suppressisse, ac delevisse quod ea de re scripserat Optatus? Verum utut sit, aliunde repetere licet quod hic desiderari dixi. Et quemadmodum Constantinus, initio, quamvis indigne ferre se præ se tulerit peti abs se judices in causa Cæciliani, tamen judices Ecclesiasticos dedit, qui et alioqui judices (ut nostri loquuntur) competentes erant : sic jam quamvis indignabundus exclamet rabidam esse Donatistarum provocantium pervicaciam : tamen appellationem utcumque admittit, cujus cognitionem rejicit ad synodum Arelatensem, in qua jubet alios de hac causa episcopos rursus cognoscere. Id toties narrat et inculcat Augustinus, ut putidum sit locos passim obvios indicare. Cæterum adjiciam quod minus est vulgare, et huc tamen imprimis pertinet : extare lib. x historiæ Eusebii, integrum rescriptum Constantini ad Chrestum Syracusium episcopum, quem ex Sicilia cum duobus aliis jubet proficisci ad illam synodum Arelatensem judicaturus cum aliis suis collegis de causa Cæciliani. Ac quidem mandat, ut id fiat intra Kalendas Augusti : sed quo anno? Quia rescriptum Constantini non habet consules subscriptos, difficile est id divinare. Sed non temere suspicor factum id esse Volusiano et Anniano Coss. hoc est, anno, post judicium Romanum proximo, quo etiam anno, in kal. Novemb. memini Treveris edidisse legem quamdam de appellationibus recipiendis, L. 1 C. Th., de appellat. Porro Constantinus, in illo suo ad Chrestum rescripto, non modo aperte provocationem Donatistarum non insimulat rabidi furoris, sed ne Donatistas quidem nominat. Simpliciter autem et placide narrat, eos qui Romæ judicati sint, nolle stare rebus judicatis, quia obtendant, causa nondum satis cognita, paucos judices præcipitasse sententiam. Mandat ergo, ut cum ex variis et infinitis (sicuti ait) locis episcopos convenire in urbem Arelatensem jusserit, communi judicio finis imponatur huic controversiæ, causa diligenter cognita et parte utraque audita. Dolendum est acta ejus synodi Arelatensis intercidisse. Ego aliquando eorum fragmenta quædam nactus eram, sed valde mendosa : ex quibus tamen didici, illi synodo, præfuisse Silvestrum, mortuo Miltiade. In conciliorum farragine vulgari recitantur quædam decreta concilii Arelatensis, quod dicitur esse primum. Sed abortiva pleraque videntur. Inter ea proponitur unum, quod Arianorum meminit, atque ita **129** etiam allegatur a Gratiano, de consecrat. distinct. 4, similiter et abs Magdeburgensibus consarcinatoribus centuriarum. Atqui nondum erat natum nomen Arianorum, quo tempore primum coiit synodus Arelatensis, de qua quærimus. Ergo lubenter audio canonem illum in antiquis et manuscriptis exemplaribus (ut testatur postrema eorum Conciliorum editio) minus corruptum esse, et pro *Arianis* legi *Afris*. Legitur et in ea farragine quippiam, quod ad causam Cæciliani accedit : nempe, eos, qui sacras litteras tradidisse convicti erunt, deponendos esse. Convinci autem debere, non nudis verbis, sed actorum publicorum fide. Subjicitur et quippiam de iis qui eos ordinant, sed mancum esse hoc fragmentum vel inde apparet, quod inseratur hæc clausula *ut diximus*. Atqui ea de re nihil præterea dictum ibi legitur. Dolendum est, et valde profecto dolendum, tam nunc esse mutilam et contaminatam veteris Ecclesiæ memoriam : tamque hujus rei nullam curam eos gerere, qui tantum tamen et hauriunt et abligurunt ex opibus Ecclesiasticis, quæ ad talium monumentorum restitutionem et conservationem erant aliqua saltem ex parte impendendæ.

Constat in Arelatensi concilio rursus absolutum fuisse Cæcilianum, damnatum vero Donatum : iterumque propterea Donatistas appellasse Constantinum. Major profecto, quam antea causa rejiciendæ tam importunæ appellationis erat. Sed passus est Constantinus sibi persuaderi, ut actum agi pateretur, et ipse cognosceret. Ergo Mediolani Constantinum de hac causa judicasse ait Augustinus, epist. CLXII. Quid vero judicavit? Repetendum id est ex alio Augustini loco, hoc est, ex lib. III contra Cresc. cap. 71, ubi recitatur epistola ipsius Constantini narrantis sese (ut loquitur) inter partes cognovisse, et innocentem Cæcilianum comperisse post episcopalia judicia : *Pervidi*, inquit, *Cæcilianum omni innocentia præditum, ac debita religionis suæ officia servantem, eique ita ut oportuit, servientem*. Sed quo tempore id judicatum est? diu id quæsivi. Non enim facile statimque occurrebat, ut misere dissipata sunt hujus historiæ lacera membra. Tandem venit in mentem quod Augustinus in lib. contra Donat. post collat. cap. 33, scribit Constantinum de Cæciliani purgatione scripsi-

Google

sisse 4 idus Novembr. Sabino et Rufino Coss. Ergo quarto anno postea quam hæc causa ex Africa ad Constantinum relata primum fuit, vix tandem definita postremo est. Pag. 24 et 25. Jam vero commode subjicietur, quod apud Optatum sequitur, *eodem tempore idem Donatus petiit*, etc. Hic vero ille locus est, quem Donatistæ in collatione Carthaginensi impudenter cavillando detorquere conati sunt. Digna est eorum futilitas, quæ exponatur. Augustinus in brevic. paulo ante finem: *Petierunt*, inquit, *Optatum legi, unde se probaturos dicebant, Cæcilianum ab imperatore damnatum; recitatus est Optatus recitantibus Donatistis, ubi ait: eodem tempore idem Donatus petiit, ut ei reverti licuisset, et ad Carthaginem accederet, tunc a Philomeno suffragatore ejus Imperatori suggestum est, ut bono pacis Cæcilianus Brixiæ retineretur, et factum est. In quibus verbis Optati cum omnino nulla Cæciliani damnatio, sicuti illi demonstraturos se esse promiserant, reperiri potuisset: jussit cognitor totam paginam recitari, ut de superioribus et inferioribus verbis, voluntas ejus qui scripserat, nosceretur. Et ex officio recitatum est: Cæcilianus omnium supra memoratorum sententiis innocens est pronuntiatus. Quod cum recitaretur, Donatistæ dixerunt, hoc se non petiisse recitari, stomachantes adversus eos, qui risum tenere non poterant, cum audiissent, quam apertam contra seipsos paginam protulissent. Deinde cum illis verbis, quæ ipsi recitaverant, extenuasse dicerent Optatum damnationem Constantini, et exprimere noluisse: flagitatum est ab eis, ut aliunde manifestum legerent, quod ab illo dicebant extenuatum.* Hæc Augustinus, in quo emendavi quod mendose videtur ex Optato recitare, veluti cum *pro suffragatore* suppositum est *suggestore*. Suffragii et suffragatoris verbum juris studiosis notum est in hac significatione. Porro non gravabor adjicere alterum Augustini locum, cum Augustinus non gravatus sit sæpius hanc rem recitare. In lib. ad Donatist. post. collat. cap. 31, inquit: *Milevitanæ Ecclesiæ Catholicum episcopum Optatum recitandum putaverunt, pollicentes inde se probaturos Cæcilianum ab imperatore damnatum. Quæ lectio cum magis contra eos recitaretur, nemo risum potuit continere. Quod pro se legi voluerunt, ambiguum fuit. Unde cum rectissime cognitor jussisset paulo superius recitari, ut inde si possent verba illa clarescerent, hoc recitatum est, quod nolebant: hoc est, Cæcilianum fuisse purgatum, nec, sicut jactaverant, damnatum. Sed Brixiæ, bono pacis, retentum. Hoc cum dixissent, illis verbis Optatum damnationem Cæciliani extenuare voluisse, dictum est ita, ut evidentem Cæciliani damnationem aliunde recitarent: ut ab Optato eam extenuatam esse posset ostendi, qui apertissime scripserat Cæcilianum fuisse purgatum.* Tertio idem Augustinus, in ep st. CLII. *Protulerunt*, inquit, *codicem Optati, unde probarent Cæcilianum ab imperatore damnatum. Qui codex cum contra illos legeretur, et magis ostenderet Cæcilianum fuisse purgatum, ab omnibus risi sunt.*

Hanc ego rem et historiam nunc inculco, quia alioqui præterii in descriptione collationis Carthaginensis, cujus tunc partem alteram præcipuam, quæ majorem quæstionem de Ecclesia continebat, tantum sum persecutus. Ut autem in ea quoque quæstione, collatores Catholicos et Donatistas alias ostendi non semper satis acutos dialecticos fuisse, sic jam cogor fateri in quæstione facti, hoc est, cum quærebatur, an Cæcilianus damnatus absolutusve fuisset, cum Optatum recitassent, minime acres fuisse in congressu. Quærebatur an abs Constantino damnatum esse Cæcilianum scripsisset Optatus. Donatistæ, ut id evincerent, protulerunt, scripsisse, *bono pacis esse retentum Brixiæ*. Facilis erat responsio, eaque multiplex. Primum enim non potuit Optatus id scribere, quin paulo ante aliquid de sententia Mediolanensi aliquid scriberet. Sed fingamus sane Optatum scripsisse consequens, non antecedens, an non exstabant alii scriptores testesque judicii Mediolanensis? Pag. 25. Deinde cum Optatus ait, *bono pacis, Cæcilianum Brixiæ esse retentum*, non significat propterea fuisse damnatum. Immo vero illud *bono pacis* significat aliam plane ejus retentionis causam fuisse. Postremo quantumvis dicat fuisse retentum, tamen paulo post in eadem pagina aperte scribit Carthaginem properasse ad suam plebem statim atque audivit Donatum Carthaginem esse reversum. Id Catholici objicere debebant ad refellendam cavillationem Donatistarum. Mirum vero quod cum illa omnia prætereunt, exultant quod Optatus scripserit a Miltiade absolutum fuisse Cæcilianum. Atqui Donatistæ id non negabant: neque de Miltiadis, sed de Constantini judicio quærebatur. Irrisos vehementer hic fuisse Donatistas ait Augustinus. At verendum est quod ait Catullus, risu inepto nihil esse ineptius. Certe qui scribit Cæcilianum esse a Miltiade absolutum, non propterea scribit a Constantino esse absolutum. Tanto ergo magis miror Donatistas obmutuisse, cum hic irriderentur. Credo equidem tam fatuos et ineptos fuisse, quam non erant acres et acuti.

Ibid. Redeo ad Optatum; ait: *hoc modo iterum renovellatæ sunt partes*, mallem *renovatæ*. Significat autem contentionem recruduisse novis partium studiis rursus inflammatam. Cæterum ut parum cohærere videtur quod proxime subjicitur, *constat tamen*, etc., sic res potius postulabat, postremo nunc adjici legem Constantini non modo severissimam illam contra Donatistas, quam alibi commemorat Augustinus, sed et alteram indulgentissimam. Nam idem Augustinus, in lib. contra Donat. post collat. cap. 33, scribit Constantinum, Crispo et Constantino iterum Coss. litteras dedisse ad Valerium Vicarium de Donatistarum exilio soluto, iisque vindici Deo relinquendis atque remittendis.

Crispus et Constantinus nobiliss. Cæsares, filii ipsius Constantini, iterum consules fuerunt anno nono post mortem Maxentii. Ergo saltem octo annis Donatistæ Constantinum imp. vexarunt, cum vexarent Cæcilianum. Cum autem quarto post anno coiisse Nicænam synodum meminerim (cui Cæcilianum ex Africa unum interfuisse alibi annotavi) observo vix in Africa tragœdiam Donati intermissam fuisse, cum in Egypto cœpit Arius. Idem Augustinus in ep. CLII, ait Constantinum litteras dedisse ad Verinum Vicarium, in quibus Donatistas quidem graviter detestatur, sed tamen dicit de exilio relexandos esse, et furori suo dimittendos, quia jam cœperat Deus in illos vindicare. Quo anno litteræ illæ scriptæ fuerint nescio. Sed secundo post Crispum et Constantinum Coss. iterum Coss. anno, Verinum fuisse præfectum urbi et successisse Valerio, in fastis consulum annotatum est.

Pag. 25 et 26. *Tunc Constantinus ad Ælianum.* Observandum est factum id esse posteaquam Cæcilianus in urbe (ut ait Optatus) purgatus est, hoc est, paulo postquam sententia Miltiadis episcopi Rom. est primum absolutus. Itaque istud *tunc* referendum est tantum ad id quod proxime præcedit de prima Cæciliani purgatione atque absolutione, quæ Romæ fuit: non etiam ad reliqua, quæ multo posteriora sunt. Augustinus, in epist. CLII ait, non multo post Cæcilianum episcopali judicio primo purgatum, Felicis causam ab Æliano proconsule examinatam esse. Factum autem id esse, quarto post illam purgationem mense inde colligo, quod Augustinus in lib. contra Donatum post collat. cap. 33, narrat factum id esse XV kal. Mart. Volusiano et Anniano Coss. Etsi ergo provocassent Donatistæ a sententia Miltiadis, et causa illa principalis contra Cæcilianum etiam non penderet in synodo Arelatensi, tamen in Africa interea ipsius Felicis causa acta est. Sane jure civili vix ita liceret conjungere et permiscere præjudicia. Mirabilis autem rursus hic fuit quædam Donatistarum sive oblivio sive impudentia, qui in collat. Carthaginensi fingebant jactabantque Constantinum post illam ab Æliano causam judicatam, retractasse suam quam pro Cæciliano contra Donatistas sententiam protulisset. Atqui

nondum de ea cognoverat, et aliquot primum post annis suam illam sententiam in Mediolanensi urbe tulit, nec parvo intervallo, sed longe posteaquam Felix ab Æliano absolutus fuisset, ut ait Augustinus in epist. CLII. Parco ut Optatus hic narrat mandasse Constantinum, ut de vita Felicis publice quæreretur, sic Augustinus, in epist. LXVIII, ait, publico judicio causam hanc discussam atque finitam esse. **130** Publici hujus judicii vel quæstionis publicæ formam et ordinem describit hoc etiam loco Optatus, neque difficile esset interpreti in libris legum rerumque Romanarum versato cumulare multa, quæ de veteri ordine publicorum judiciorum dicuntur : sed nunc ego alio propero. Illud modo dico, ex Optati loco posse emendari Constantini eadem de re agentis epistolam mendose scriptam, qualem recitat duobus locis Augustinus, ubi pro *Saturianus* scribitur *Centurio* : pro *Callidius* est *Calibius* : pro *Solon officialis publicus* est *Solus servus publicus*. Quod porro Optatus dicit de Ingentio scriba, Augustinus iisdem in locis, hoc est, in epist. LXVIII, et lib. III contra Crescon. cap. 70, modo mendose Vigentium, ut sæpe alibi, modo recte Ingentium vocat, eumque Decurionem Ziquensium civitatis fuisse ait, et vero de eo loquitur Optatus cum ait : *Pependit sub metu imminentium tormentorum*.

Pag. 26. Hic enim reus falsi fuit, quod diceretur falsa acta conscripsisse contra Felicem, et epistolam quamdam Cæciliani falsavisse, ut testis est Augustinus, qui et de eo loqui videtur, cum in ep. CLII, loquitur de quodam suspenso in equuleo, ut etiam ungulis vexaretur : neque potuisse Felicem contradicere, ne tanta diligentia vel severitate quæreretur. Ingentium suspensum quidem, sed minime tamen tortum fuisse, quia se diceret esse Decurionem, significat Augustinus in epist. LXVIII, et lib. III contra Crescon. cap. 70, et convenit cum lege Theodosiana, L. omnes, C. de Decur. Missum autem esse ad comitatum Constantini, eum crimen esset confessus. De eo etiam aliquid pronuntiasse Ælianum cum Felicem absolveret, Augustinus significat, qui et totidem verbis sententiam Æliani recitat, quibus Optatus. Superstationarium autem cum hic nominat Optatus, observemus, Stationarios fuisse ex Cohortalibus, hoc est officialibus Præsidum, tamquam dicas apparitores, qui dispositi per Provincias certis locis, denuntiabant magistratibus quid ageretur, quorumque propterea deforme et vile ministerium appellatur in libris legum, ubi et Stationariorum frequens est mentio. L. VI, C. de Dignit. L. I, C. de Cohortal., et l. I C. Th., de Cur. publ., et l. si quis in hoc C. Th., de episcop. et Cler. Porro noster Renardus eruditus juris interpres, totum hunc Optati locum recitat lib. IV varior. cap. 11, ut probet quæstionem olim de reo publice habitam esse; sed falleretur qui ad Felicem reum referret hæc Optati verba : *Pependit sub metu imminentium tormentorum*. Immo Felicem absentem fuisse ab Æliano absolutum testatur Augustinus in brevic. collat., ad finem. Quod obiter dico, quia video doctissimos quosque viros falli in historia hac tota. Ergo quantum potui, nunc conatus sum eam in ordinem redigere, quæ perturbata erat, et quæ erat confuse permixta, evolvere atque explicate exponere, præsertim cum etiam viderem alioqui historiæ ecclesiasticæ scriptores hanc rem totam, quæ memoria imprimis digna est, non satis exposuisse. Multa sunt hujus generis in historia veteris Ecclesiæ indigne contaminata.

IN LIBRUM SECUNDUM.

Pag. 29. Optatus disputans de Ecclesia Catholica, et in principio hujus libri aliquot provincias orbis Christiani enumerans, meminit trium Pannoniarum triumque Syriarum et duarum Armeniarum, nempe olim sæpe una provincia, quæ alioqui nimis late patebat, in duas aut tres dividebatur, et singulis proprius præses dabatur. Sic Macer jurisconsultus, in lib. III de Offic. assess., ait factum esse de Germania et Mysia ; sic Papinianus, in l. IX de postul., meminit provinciarum ejusdem nominis. Aquitaniæ duplicis fit etiam mentio in itinerario Antonini. Porro cum Optatus subjicit Catholicam esse Ecclesiam, quæ sit rationabilis, videtur rationabilem appellare, quæ non tam oculis cernatur quam ratione, hoc est, mente et intellectu comprehendatur. Pag. 30. De appellatione Catholicæ plura dixi in historia collat. Carth. Optatus deinde suam Ecclesiam probat esse Catholicæ partem, quia consentiat cum Romana : Romanam autem jam inde a Petro perpetua successione episcoporum conservasse consensionem doctrinæ, et veluti fundamentum et corpus ædificii apostolici. Pag. 31. Sic enumerat Optatus episcopos Romanos, ut et similem catalogum eodem fine contexit Augustinus in epist. CLXV, et simili argumento ante Optatum usus erat Irenæus et Origenes. Sed admonendi iterum sumus hæc verba, *Damaso Siricius hodie*, videri non esse Optati, sed alicujus paulo post eum Scriptoris. Nam constat Optatum scripsisse hos libros circa annum 370. Siricium vero illum non fuisse creatum episcopum ante annum 383, ut antea dictum est. Constat Optatum scripsisse hos libros imperante Valentiniano, ut Hieronymus testis est. Atqui deinde imperante Theodosio adhuc vixisse Damasum etiam constat, et ipsa lex Theodosiana, de summa Trinitate et fide Catholica id testatur. Pag. 32. Quod Optatus dicit de commercio Formatarum, significat epistolas illas communicatorias certa formula conceptas, quas tamquam fidei suæ tesseras et consensionis symbola, episcopi orthodoxi mittebant ad Romanum. Sic Formatas appellari testatur ipse Augustinus in epist. CLXIII. Sed et disputans cum Fortunio Donatista jactante suam Ecclesiam esse Catholicam, quæsivit utrum tales Formatas epistolas posset, quo vellet dare. Sic enim facillime illam terminari posse quæstionem.

Pag. 31. Quod paulo ante scriptum legitur in Optato, Petrum, quia apostolorum caput fuerit appellatum esse *Cephan*, dixi alibi solœcismum esse hominis somniantis vocem Syriacam, quæ significat *Petram*, esse Græcam κεφαλή, quæ *caput* significat. Sed suspicor hæc verba, *unde et Cephas appellatus est*, esse ineptæ alicujus glossæ ad marginem temere ascriptæ, et deinde ab Librariis contextui insertæ. Certe Optatus libro septimo simpliciter ait Petrum fuisse caput Apostolorum, neque præterea quidquam adjicit. Verticem episcopalis coronæ fuisse ait Valentinianus imp. in Nov. de ordinat. episcop. Præterea multa similia, quæ passim occurrunt, ut redeam ad notas in secundum Optati librum, in quibus illud dissimulare non possum valde insolens videri posse, Pag. 33. quod Optatus illud Pauli ad Romanos *memoriis sanctorum communicantes* detorquet ad Basilicas Rom. Ecclesiæ. In Græco exemplari Paulinæ epistolæ est χρείαις, id est, *necessitatibus*. Latini videntur legisse μνείαις qui verterunt *memoriis*. Sed mirum est, Optatum interpretari de templis Martyrum, quæ memoriæ dicebantur, quasi dicas monumenta. Turrianus allegat antiquum librum Eustratii Constantinopolitani, qui eum Pauli locum retulerit ad memoriam Christianorum defunctorum, pro quibus orandum sit. Pag. 34. Optatus paulo post indicat, cur Donatistæ Romæ dicti sunt Montenses. Sic Hieronymus in Chronico ait sectatores Donati Carthaginensis a quibusdam vocari Montenses, quia Ecclesiam Romæ primam in monte habere cœperint. Idem adversus Lucifer. nominat Montenses sive Campates. Ac quidem Erasmo assentior, Campates sive Campenses eum adjecisse quadam allusione ad Montenses. Sed numquam dixero, quod Erasmus dicit Montenses dictos esse a Montano : sicuti neque Epiphanio subscribam scribenti in suo Ancorato, ναυαταίους Romæ vocari μοντησίους. De Novatianis manifesto errore dicit, quod de Donatistis dicendum erat. Augustinus, in lib. de Unit. cap. 3, Romæ hos

vocat Montenses sive Rupitanos. Credo alteram fuisse allusionem ludibrii causa. Idem, in epist. CLXV, de quodam episcopo Donatista loquens : *Præsidens*, inquit, *paucis Afris, in urbe Roma, Montensium sive Cuzupitarum vocabulum propagavit.* Suspicor legendum esse, *Rupitarum*. Prætereo quod memini in quadam etiam lege Honorii, l. XLIII. C. Th., de Hæret., scriptum quoque est, Donatistas etiam vocari Montenses. Adjiciam potius quod Augustinus in lib. de Hæresib. *Isti*, inquit, *hæretici in urbe Roma Montenses vocantur, quibus hinc ex Africa solent episcopum mittere, aut hinc illuc Afri episcopi eorum pergere, si forte eum ibi ordinare placuisset.* Ac quidem Optatus hoc loco numerat et nominat quosdam ibi ordinatos. Inter quos cum meminit Macrobii, venit mihi in mentem, quod Gennadius scripsit sese ex scriptis Optati cognovisse, Macrobium (qui cum adhuc Presbyter esset in Ecclesia Dei, scripserat librum ad confessores et virgines), postea Donatianorum in urbe Roma sive Montensium episcopum occultum fuisse.

Pag. 37. In hoc Optati libro ante illa verba, *nam et fontem*, jussi lacunam asteriscis notari, ut significarem multa deesse, sicuti et pag. seq. ante hæc verba, *Restat*. Ne quis hic miretur alioqui tum et jejunam et abruptam et imperfectam esse disputationem de Ecclesia ejusque dotibus et insignibus. Quod paulo post ait Optatus, Donatistas non rebaptizare post socios suos in peccato detectos : inepte vir quidam doctissimus annotavit intelligi de Maximianistis. Nam post ætatem Optati accidit illud inter Primianum et Maximianum Donatistas dissidium, quod quidem inter hos schismaticos novi schismatis principium fuit, cum utraque pars obtenderet sui generis concilium, illa Carthaginense, hæc Bagaiense, et tamen neutra quidquam alterius baptismo detraheret. Nihil est quod Donatistis sæpius objiciat Augustinus rebaptizantibus post Catholicos. Sed Optatus non potuit objicere quod nondum erat; vidit tamen aliquid non dissimile, quod hic objicit. Historiam illam Maximianistarum integram exponit Augustinus in lib. de Gest. cum Emer. et lib. IV contra Crescon. cap. 10, et lib. III, cap. 53 et 56, sed et in Psalm. XXXVI, pag. 26. Optatus ait Donatistas non præterire in sacramentorum mysterio quiddam legitimum : significat autem solemnem formulam illius (ut etiam vocabatur) canonicæ precationis, qua dicitur offerri sacrificium pro una Ecclesia in toto orbe diffusa. Sic et lib. III, ait eos non potuisse prætermittere illud legitimum *pax vobiscum*. Et libro IV, ait eos etiam usos in baptismo fuisse solemni formula illius ecclesiastici exorcismi, *maledicte, exi foras*. Sic Cyprianus scribit Novatianos in baptismo non ausos esse præterire solemnem illam stipulationem, **131** *credis remissionem peccatorum?* tametsi hanc ipsi remissionem non crederent. Sic et Augustinus significat Pelagianos in baptismo puerorum adhibuisse illam quoque formulam *abrenuntias satanæ?* cum tamen alioqui negarent pueros aliquo originali peccato obstringi. Immo Firmilianus ad Cyprianum scribens ostendit diabolum quoque ipsum, cum per obsessam quamdam vatem etiam baptizaret, observasse verba solemnia atque usitata. Denique Augustinus, lib. II de Bono persev. cap. 13, disputans contra Pelagianos tacite significat eos aliquid ex ecclesiastica formula Eucharistiæ repetiisse quod objicerent; sed ipse sic eam interpretatur, ut adversus illos contorqueat. *Quod ergo*, inquit, *in sacramentis fidelium dicitur, ut sursum corda habeamus ad Dominum, munus est Domini : de quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere a sacerdote post hanc vocem, quibus hoc dicitur, admonentur, et dignum et justum esse respondent.*

Pag. 40 et 41. Porro quod Optatus narrat de Juliano Apostata, qui Donatistis faverit, a quibus appellatus atque laudatus est, latius exponitur ab Augustino in epist. 148 et 166, et lib. II contra Petil., cap. 83 et 92. Sane libro XVI Cod. Theod., Tit. V, cap. 57, in quadam Constitutione Honorii illi mentio cujusdam rescripti, quod Donatistæ ab hoc Juliano impetrasse dicebantur.

Pag. 42. Quod paulo post Optatus narrat de Diaconis in altari occisis, simile est quod Augustinus narrat lib. III contra Crescon., cap. 43. Sed et illam Donatistarum jactationem, qua Optatus significat eos, sese appellasse columbas, Catholicos vero vocasse vultures, adjiciam quod Augustinus, lib. II contra Petil., cap. 83 : *Isto*, inquit, *modo et milvus cum pullos rapere territus non potuerit, Columbum se nominat.* Denique quod subjicit Optatus Donatistas Eucharistiam procul care voluisse, Victor Uticensis non dissimile quippiam suis temporibus in Africa rursus accidisse narrat : ut hac quoque in parte Vandalos illos Arianos cum Donatistis comparari posse intelligamus. Verum id repetatur ex libris ipsius Victoris, quos nunc cum Optato edi curavimus.

IN LIBRUM TERTIUM.

Pag. 50. In editione Germanica totus hic lib. III, sic transpositis paginis, confusus et perturbatus fuerat, ut numquam magis fuerint permixta Sibyllæ folia, cum fierent (ut ait Poeta) rapidis ludibria ventis. Ego in priori editione Parisiensi, beneficio ejus exemplaris quo utebar, restitui aliquot paginas suo quasque loco. In hac editione rursus, totidem restitui suo ordine, quæ etiamnum temere confusæ et transpositæ jacebant, idque feci auxilio Tiliani codicis. Certe quamdiu illæ, quas dixi, metatheses paginarum miscebant omnia, vix ulla intelligi poterat sententia hujusce libri : hicque agnoscimus miratilem olim fuisse sive incuriam, sive inscitiam librariorum, qui libros non tam describere videbantur quam discerpere, ut catuli qui lacerant panniculos, sicuti ait Plato quodam loco. Nunc spero tamen sic librum istum esse in integrum restitutum, ut lector nostræ hujus editionis fructum statim agniturus sit. Quod ad rem attinet : hic agitur causa Macarii Præfecti, propter cujus animadversiones capitales, Donatistæ odiose declamitabant, Ecclesiam nostrorum esse sanguinariam, neque jam Ecclesiam Catholicam, sed Macarianam vocabant, ut scribit Augustinus in epist. CLXI. Idem in epist. CLXIV ad Emeritum Donatistam : *nos*, inquit, *appellatis Macarianos.* Denique ut Catholici, Donatistas vocabant partem Donati : sic Donatistæ, Catholicos, partem Macarii. Testis est Augustinus, lib. II contra Petil., c. 39. Injusta tamen erat recriminatio aut retaliatio. Nam ipsi Donatistæ sese ab initio vocarant partem Donati, ut Optatus hic probat. Catholici numquam se dixerant esse partium Macarii.

Porro, ut Augustinus causam ipsius quoque Cæciliani, quæ etsi bona esset, tamen personalis erat, conatus est semper separare ab Ecclesiæ causa, sic et ipsius Macarii, unde et in epist. CCIII, ad Maximinum Donatistam : *Nec tu*, inquit, *objicias tempora Macariana, nec ego sævitiam circumcellionum. Si hoc ad te non pertinet, nec illud ad me.* Non dissimilis est actio Optati. Illud modo adjicio, exstare quamdam Arcadii et Honorii legem, l. XXXI C. Th., de Episc. et Cleric., quæ huc pertinere videtur, cum judicibus Africanis præsidium armatæ apparitionis tribuit adversus eos, qui vi irruebant in ecclesias, earumque clericos affligebant.

Pag. 52. Quod post principium hujus libri Optatus dicit de hoc verbo ἰχθυς in editione Germanica tam erat depravatum, ut monstrum quoddam esse videretur. Erat enim in ea scriptum *Xort*. Ego jam in priori editione Parisiensi id emendavi atque restitui, simulque ad marginem ascripsi locum Augustini, qui latius exponit mysterium, quod Optatus hic subesse significat. Locus ille Augustini est lib. XVIII de Civit. Dei, cap. 23. Nunc, ne quis existimet, ab Optato, quidquid istud est, inventum aut conflictum esse, adjicio, ipsum antea Tertullianum in lib. de Baptismo, illius meminisse.

Pag. 52. Optatus deinde abutitur verbis Isaiæ Pro-

Digitized by Google

phetæ cap. 22, ut quæ simpliciter dicta sunt vel de Judæa quæ vocatur vallis, vel de urbe Jerusalem, cui denuntiatur tristis aliqua clades et vastitas, contorqueat adversus factionem Donatistarum in Africa. Nescio, qua Optatus usus sit translatione vel interpretatione Isaiæ. Sed dissimulare non possum, valde ab ejus Prophetæ et sententia et verbis alienum esse quod affingit. Credo etiam librariorum esse quædam peccata, ut cum hic Isaiam allegans, *templa* ponit pro *tecta*, et *virgam* pro *fugam*. Sed non suscepi omnia quæ Optatus, ex sacris litteris vel præpostere citat vel inepte repetit (quod vitium fuit illius et ætatis et regionis) corrigere.

Pag. 53 et 54. Quod Optatus ait de monte Sion, in cujus vertice erant septem synagogæ, et in quo post victorias Vespasiani Imp. vix antiquarum (ut ait) restant (sic enim emendavi ex Tiliano libro) indicia ruinarum : habet ea res aliquid quod historiæ studiosus observet. Ipse Hieronymus, in Jerem. cap. XIX, scribit Judæorum civitatem in æternos cineres collapsam esse, cujus ruinæ ad consummationem usque sæculi permansuræ sint. Sane post tempora Vespasiani, quibus urbs illa excisa et eversa jacuit annis prope quinquaginta, Adrianus Imp. sic eam rursus instauravit, ut non veterem urbem instaurare, sed plane novam exstruere intelligeretur. Itaque et nomen ipsum mutavit, ac pro Hierosolyma, Ælium Capitolinam dici voluit. Atque ita quidem appellatur, et ab Ulpiano, in paud., tit. de censib., et ab ipsis patribus Nicænis in canonibus ejus synodi. Alioqui vero Tertullianus quoque duobus locis, hoc est, in lib. contra Judæos, et lib. III contra Marc., exclamat, *Sion jam nulla est.*

Pag. 56. Nulla est in Optato sententia, quæ rarior esse videatur quam hæc quæ sequitur paulo post : *Non enim Resp. est in Ecclesia, sed Ecclesia est in Rep. id est, in Imperio Romano.* Alii interpretarentur. Remp. quidem esse posse sine Ecclesia, ut olim fuit Resp. Rom. Ecclesiam vero non posse sine Rep., imo hujus partem esse, cum in hujus sinu veluti coalescat. Scio etiam multa dici speciose posse in universum de Reip. et Ecclesiæ comparatione, sed nunc aliud agitur et quæritur. Dicam ergo quod hujus magis loci est. Olim solemnes in Judaica Ecclesia erant preces pro regno Davidis, in quo Ecclesia intelligebatur esse inclusa. Eoque pertinet Psal. CXVIII, LXXII et CXXII. Fuerunt deinde in Ecclesia Christiana solemnes preces pro Imperio Rom. multis de causis. Primum enim etsi primis sæculis Imperium illud valde adversarium et infestum esset Ecclesiæ, tamen ejus Imperii amplitudinem prodesse ad propagationem religionis, Christiani existimabant, ut Ambrosius annotat in Psalm. XLVI, et Eusebius ad finem lib. III, de demonstr. Evang., et Prudent., lib. II contra Symmachum. Deinde Christiani veteres, et locum Pauli ad Thessalonicenses de apostasia sic interpretabantur, et de Antichristo sic loqui solebant, ut proliterentur, Antichristum, qui Ecclesiam gravius percelleret, venturum non esse ante ruinam et dissolutionem Romani imperii : neque orbem prius esse periturum. Ergo Deum precari solebant pro imperio Rom. in cujus incolumitate sentiebant propterea inclusam esse incolumitatem Ecclesiæ. Tertullianus quem in Africa legebat Optatus Afer, sic loquitur in Apologetico ad Romanos : *Nominatim atque manifeste, orate, inquit Apostolus, pro regibus et pro Principibus, Potestatibus, ut omnia tranquilla sint. Vobiscum enim concutitur Imperium : concussis etiam cæteris membris ejus, utique et nos, licet extranei a turbis existimemur, in aliquo loco casus invenimur. Est et alia major necessitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni statu Imperii rebusque Romanis, quod vim maximam universo orbi imminentem ipsamque clausuram sæculi acerbitates horrendas comminantem, Romani Imperii commeatu scimus retardari. Itaque nolumus experiri, et dum precamur differri, Romanæ diuturnitati favemus.* Et rursus paulo post : *Oramus pro Imperatoribus, pro Ministris eorum, et Potestatibus sæculi, pro rerum quiete, pro mora finis.* Idem ad Scapulam non modo illud inculcat, *sacrificamus pro salute Imperatoris;* sed et profitetur necesse esse, ut Christianus salvum velit imperatorem, cum toto Romano imperio : et addit : *Quousque sæculum stabit, tamdiu enim stabit Imperium.* Idem in lib. de Resurrect. carnis sic interpretatur locum Pauli ad Thessalonic. ut quemadmodum non est futurus finis sæculi antequam reveletur Antichristus, sic Antichristum venturum non esse antequam deficiat Romanum imperium. Itaque ait Romanum statum obstare, quominus ille veniat. Sane Optatus non vidit illam Romani imperii maximam ruinam, quam Barbari intulerunt, qualem vidit Augustinus aut etiam Hieronymus, qui et cum urbem a Gothis captam videret, scripsit ad Geront. appropinquare Antichristum. Sed vidit Optatus imperii Romani sedem sic translatam esse in Orientem per Constantinum, ut simul imperium illud tunc factum sit Ecclesiæ Christianæ propugnaculum, et in eo impletum fuerit illud Esaiæ **132** ad Ecclesiam : *Et reges erunt nutricii tui.* Quo quidem Optatus commode potuisset objicere Donato rejicienti eleemosynas Constantis Imp.

Pag. 56 et 57. Optatus, paulo post, locum Ezechielis, cap. XXVIII, de Tyro, detorquet ad Donatum Carthaginensem, ut et Augustinus in lib de Unit. cap. 14, tametsi alibi, hoc est, lib. XI de Genes. ad lit. cap. 25, eumdem locum referat ad Diabolum. Sed revera vaticinium Ezechielis de excidio Tyri, aliud non est quam quod antea ipse Isaias ediderat, cap. 23. Neque tamen apud Isaiam scriptum est quod Optatus ait, *naves Carthaginis*, sed *naves Tharsis :* quo verbo transmarina potius Cilicia significatur, tametsi Augustinus, in psalm. XLVII, malit eo verbo intelligi Carthaginem. Sed neque Carthago fuit Tyrus : imo potius Tyri quædam colonia.

Pag. 57. Porro ad ea quæ Optatus narrat de fastu et arrogantia Donati, adjici posset quod Donatistæ jactabant, Deum de cœlo respondisse oranti Donato, ut ait Augustinus, tract. 12 in Joannem, et Angelum apparuisse, qui ejus sectam commendaret, ut refert idem Augustinus in epist. CLXV. Sed omnibus prope hæreticis volentibus communis fuit ambitio et arrogantia, qualem Optatus hic accusat in Donato. Omnes enim tument : ut inquit Tertullianus de Præscript. Denique ut Optatus narrat Donatistas jurasse per nomen Donati, sic et Priscillianistas per nomen sui Priscilliani, narrat Sulpitius Severus. Illud quoque mihi legenti hoc loco Donatum sibi arrogasse principatum Carthaginis, adjiciendum videtur, quod Hieronymus annotat in suo Chronico, Donatum hunc tandem Carthagine pulsum fuisse, anno Christi trecentesimo sexagesimo, hoc est, non multis annis antequam hos libros scriberet Optatus. Pag. 58. Quod paulo post subjicitur de persecutione excitata a Diocletiano sexaginta annis antequam hæc scriberet Optatus, explicatum est libro primo, ubi et de Annullino dixi, cujus hic quoque fit mentio. Illud modo addam quod non omnes fortasse alioqui intelligerent, provinciæ Proconsulari nomine hic significari Africam. Quod et in legibus frequens est. L. XI, C. de erogat. milit. ann.; L. ult. C. Th., de tyronibus; l. XIII C. Th. ind. deb. Porro multa deinde narrat Optatus de Circumcellionum immanitate. Pag. 59, 60. Augustinus partim similia, partim etiam atrociora de iis passim narrat, et quales fuerint illi Donatistarum satellites, diligenter exponit. Nam et plura eorum scelera vidit, quam Optatus. Illud modo comparabo, quod memini, Augustinum de injuria, quæ fiebat creditoribus et dominis similia narrare in epistola quinquagesima, cum Donatistæ et servos ad Pileum vocare viderentur, et debitoribus veluti novas tabulas darent : *Quis*, inquit Augustinus, *non dominus servum suum timere compulsus est, si ad Donatistarum patrocinium servus confugisset? quis quemlibet poterat exigere debitorem auxilium eorum defensionemque poscen-*

Digitized by Google

tem? pessimorum servorum, ut liberi abscederent, tabulæ frangebantur. Extorta debitoribus chirographa reddebantur. Quid sit reddere debitoribus chirographa, intelligunt Jurisconsulti, qui liberationem inde nasci sciunt, lib. IV, de pact. l. I, § ult., et l. III, de liber. leg. Observabit etiam juris et antiquitatis studiosus, quod paulo post ait, non fuisse permissum in domo Dei, hoc est, in templo vel Ecclesia, sepulturam : sicuti et lex quædam Gratiani temporibus Optati edita negat apostolorum vel martyrum sedem humanis corporibus esse concessam, l. II, C. de sacros. Eccl. Pag. 61. Augustinus tamen, in lib. de cura pro mort., laudat eos qui cupiebant in Ecclesia sepeliri prope sepulcra martyrum.

Ibid. Præterea nostri annotabunt, quod Optatus non multo post scribit, metatores (ut fieri solet) missos esse ante venturos milites. Metatores vocat, et iis ascribit, quod in codice constitutionum dicitur potius fuisse officium mensorum, l. I et V, C. de metat. Metata dicuntur in Jure civili hospitia, quæ provinciales præbere jubentur militibus : et metatores, ipsi hospites qui excipiuntur. L. IX, C. de metat. Sed Optatus ita vocat eos, qui præmittuntur ut hospitia illa (ut loquimur) prius designant. Sic et in commentariis Suidæ *μετάτωρ ὁ προαποστελλόμενος ἄγγελος πρὸ τοῦ ἄρχοντος*. Huc alludit illud Sidonii Apollinaris lib. VIII, metatoriam paginam quasi cum Musa prævia misi.

Pag. 68. Ex libris quoque Jurisconsultorum emendatum est et restitutum quod ante finem libri tertii Optatus recitat dicterium Donatistarum, *Caii Seii, Caia Seia*, ut et rursus ante finem libri sexti. Antea corrupte in Germania impressum fuerat *Gaiasei*. Norunt Juris studiosi Caium, aut Seium aut Titium appellari solere quemvis hominem. Unde et noster Tertullianus, in apolog., commemorat vulgare illud de Christiano, *Bonus vir Caius Seius*. Porro August. lib. II de Baptism. cap. 7, rursus hunc Optati locum illustrat, cum narrat fuisse hæc Donatistarum verba ad Catholicos : *bonus homo, si non esses traditor : consule animæ tuæ : esto Christianus.* Hic Augustinus Optatum secutus exclamat : *o improbam rabiem! cum Christiano dicitur, esto Christianus : quid aliud dicitur nisi, nega te Christianum?* Sic enim locum illum Augustini lego et emendo. Sane idem August., in epist. CLXIX, ad Eusebium, significat, cum quis Catholicus ad Donatistas deficiebat, et ab iis rebaptizari volebat, debuisse, ut id mererctur, dicere, sese hactenus fuisse paganum : *quæ vox*, inquit Augustinus, *ne procederet de ore Christiano, tantus sanguis martyrum fusus est.* Denique idem August., lib. IV contra Crescon. cap. 59, ait, hunc superbiæ tumorem esse omnium, qui se a Christi unitate discindunt, ut soli sese esse Christianos jactent, damnentque cæteros. De hac jactatione Donatistarum *totus mundus apostatavit, nos soli mansimus*, etc., dictum est alibi.

Pag. 69. Postremus in hoc Optati libro tertio locus, qui observatione valde dignus sit, est de imagine nescio qua, quam Macarius dicebatur contra ritum Christianum collocaturus in altari, priusquam sacrificium offerretur. Suspicor quod calumniatores odiose hic fingebant, fuisse de profana imagine sive statua ipsius imperatoris, a quo missus erat Macarius : ut mirari non debeamus, si tale simulacrum, quod in altari collocaretur, Christianos exhorruisse narret Optatus : cum quidem et id fieret contra imperatorum mandatum. Nam et licet principes ipsi illis temporibus magnificarent suas statuas, tamen Idola esse noluerunt. Ipse Theodosius junior in quadam constitutione : *si quando*, inquit, *nostræ statuæ vel imagines erigantur, adsit judex sine adorationis ambitioso fastigio.* Sic enim legitur in C. Theod. lib. XV, tit. V ; in C. tamen Justin. pro *fastigio*, legitur *fastidio*, lib. I Cod. tit. XXIV ; sed si nolit Theodosius fastidiri adorationem suæ statuæ, civilem modo honorem requirit, qualem eo tempore significabant superbo et ambitioso verbo adorationis saltem in Cod. Th. adjicitur ejus constitutionis clausula, quæ hic negligenda non est. *Excedens*, inquit, *cultura hominum dignitatem superno numini reservetur.* Illud modo dico moris olim fuisse, ut imperatores mitterent suas statuas sive imagines in provincias, in quas ipsi alioqui non proficiscebantur : easque imagines a populis de more fuisse exceptas prope religiose. Sic Imp. Theodosius, in lib. I. C. Publ. letic. vel consul nunc : *Si sacros*, inquit, *vultus inhiantibus forte populis inferimus, hos sine immodico pretio excipi præcipimus.* Imagines illas vulgo vocabant Laurata. Unde in actis secundæ Nicænæ synodi ubi de sacris imaginibus agebatur, legimus : *laurata et iconas, quæ mittuntur ad civitates, vel regiones obvii adeunt populi cum cereis et incensis, non cera perfusam tabulam, sed imperatorem honorantes.*

IN LIBRUM QUARTUM.

Pag. 71. Hoc libro Optatus illud potissimum agit, ut respondeat Donatistis, qui, cum baptismum a peccatoribus (ut vocabant) administratum contenderent esse inanem, ineptissime objiciebant illud ex psal. CXL, *oleum peccatoris non unget caput meum.* Sed vellem, Optati responsio interpretationem commodiorem opposuisset : qualem tamen ab Augustino, qui veluti supplere solet quod in Optato desideratur, repeti posse fateor. Ut autem Donatistæ illum psalmi versiculum tam inepte huc detorquerent, secuti videntur præposterum exemplum illius synodi Carthaginensis, cui præfuit Cyprianus, et in qua versiculus ille citatus fuerat ad improbandum baptismum hæreticorum. Ut jam minus mirari debeamus, si quod tale exemplum secutus Parmenianus ridicule objecerat, fuerit deinde et abs Petiliano et abs Cresconio, gloriosis Donatistarum patronis putide inculcatum. Verum bene habet Augustinum vera interpretatione graviter diluisse tam futiles eorum ineptias, lib. II contra Petil. cap. 103, et lib. III, cap. 35 ; et lib. II contra Crescon. cap. 24.

Porro nemo miretur, si Optatus tam facile existimet statim significari baptismum ubi mentio fit olei vel unctionis. Nam et baptismi verbo scriptura sacra interdum totum ministerium Ecclesiæ significat, ut et nomine altaris deinde nostri majores plerumque id significarunt, sic chrismatis aut olei verbo frequenter totum baptismum indicari existimarunt, plerumque cum olim Christiani solerent sacram illam unctionem adhibere tam ante, quam post baptismum.

Pag. 74. Non possum præterire quod Optatus deinde ait, Marcionem ex episcopo factum esse apostatam. Atqui Tertull. in lib. de præscr., non episcopum, sed episcopi filium fuisse ait, et a patre fuisse excommunicatum propter stuprum. Alioqui Marcionem vixisse solitarium scribit Epiphanius. Est autem intolerabile mendum quod in Optato legebatur. Marcionem induxisse duos *Scriptos*. Ergo ex Tiliano libro emendavi et restitui *Christos*. Quod vero subjicitur de Ebione, qui Patrem passum esse dixerit : mallem id dixisset de Praxea, cujus etiam meminit libro primo. Nam et Tertullianus, in lib. de præscript., testatur multis post Ebionem annis Praxeam (quem in Africa vixisse ait Augustinus) hæresim introduxisse, quæ Patrem omnipotentem (ut ait) diceret esse Jesum Christum, passum et crucifixum. *Ibid.* Quod autem Optatus deinde ait, Valentinum voluisse Christo carnem subducere., etsi Tertullianus 133 in suis libris contra Valentinianos utcumque dissimulet, cum alia eorum portenta exagitet, tamen in libro de carne Christi, non obscure accusat Valentinum, qui (ut ait) carnem Christi spiritalem commentus sit, quasi hanc Christus ex cœlo attulerit, et per virginem potius quam ex virgine natus sit. Optatus paulo post meminit cujusdam Corpiani hæretici. Pag. 75. In libro Tiliano legitur *Scorpiani*. De eo nihil memini me alibi legisse. Scio quosdam olim nebulones in Africa Cyprianum ignominiose appellasse Copianum : quasi stercorarium dicas. Sed Cypria-

Digitized by Google

num nemo dixerit alienum fuisse a martyrio, cum exhortationem ad martyrium scripserit, et ipse martyr fuerit. Sane quam Optatus significat fuisse hæresim Corpiani negantis debere esse martyria : scimus rariorem fuisse, quam altera illa fuerit, quæ auctore Montano martyria tam præcise requirebat, ut non alios quam martyres contenderet salvos fore. Eusebius, lib. VI, cap. 38, narrat ex Origene quamdam olim fuisse Helcesaitarum hæresim, quæ irrideret Christianos qui propter confessionem Christi periculum mortis adirent : sed eam hæresim statim atque nata fuit, exstinctam fuisse narrat. Majoris est momenti quod deinde Optatus scribit olim fuisse hanc in baptismo puerorum formulam exorcismi : *Ibid. maledicte, exi foras*, quæ etiamnum servatur. Memini Petrum martyrem familiariter aliquando mihi dixisse, quod et postea scripsit in primum librum Regum, sese cum quemdam Cypriani locum diligenter expenderet, singulariter deprehendisse atque observasse originem minime vulgo notam exorcismi cum baptismo conjungendi. Cyprianum enim, lib. IV, scribere ad Magnum, Spiritus immundos quandoque fallere servos Dei, dum adjurati fingunt sese abire nec tamen abeunt. Tum vero Cyprianum adjicere : *Verum cum ad aquam ventum est, ibi Diabolus minime valet subsistere prorsusque discedit.* Hinc Petrus Martyr jactat sese colligere, olim factum esse, ut arrepticii, qui non poterant curari exorcismis, baptizarentur. Posteritatem vero generaliter et confuse deinde semper exorcismos conjunxisse cum baptismo. Ac quidem fatetur Optatum, ut et Augustinum valde id probasse. Sed utrumque propterea reprehendit et erroris accusat. Prætereo quod inepte allegat nescio quem Optati librum octavum, qui nullus est. Illud modo dico, tam fuisse Optatum Cypriani temporibus vicinum, ut quod narrat passim suo tempore factum fuisse, intelligi etiam possit factum quoque fuisse tempore Cypriani : neque Optatum accusari posse ut auctorem hujus moris et consuetudinis.

IN LIBRUM QUINTUM.

Pag. 81 et 82. Nullus est in hoc libro illustrior locus, quam qui ex libris Jurisconsultorum repetitus est de testamento, cujus testimonio de voluntate testatoris judicari solet. Ut tali exemplo probet Optatus, ex tabulis sacrarum litterarum dirimendam quoque esse litem quam movent Donatistæ. Augustinus, qui Optatum imitari solet, videtur simili usus esse argumento. Nam in Psalm. XXI, compellans Donatistas, inquit : *Fratres sumus : quare litigamus ? non intestatus mortuus est pater : fecit testamentum, et sic mortuus est. Tamdiu contenditur de hæreditate mortuorum, quamdiu testamentum proferatur in publicum : et cum prolatum fuerit, tacent omnes, ut tabulæ aperiantur et recitentur. Judex intentus audit, advocati silent, præcones silentium faciunt, universus populus suspensus est, ut legantur verba mortui. Ille sine sensu jacet in monumento, et valent verba ipsius. Sedet Christus in cœlo, et contradicitur ejus testamento.* Idem Augustinus, in lib. de quinque hæresibus : *Leges*, inquit, *habent, ut testatoris voluntati in omnibus pareatur. Si quis contra voluntatem testatoris facere voluerit, careat hæreditate. Testamentum profero : verba testatoris recito.* Ineptus essem, si ex nostris legum libris nunc ambitiose atque adeo otiose repeterem multa ejus generis de fide et auctoritate et testimonio testamentorum. Illud magis hujus loci est, ut observemus, Augustinum cautius, quam Optatum, uti superiori exemplo et comparatione. Optatus enim eo utitur, cum ex novo Testamento profert scripturam Joannis de lotione pedum, ut inde probet non esse iterandum baptismum. Sed Augustinus, qui vidit coactum id esse, mavult uti superiori comparatione, cum ex psalmis et prophetarum scriptis probare vult Ecclesiam Christi esse catholicam. Qua de re cum Donatistis altera lis fuit. Sic et in lib. de Unit. Eccles. contra Petil. *Sunt*, inquit, *libri dominici, quorum auctoritati utrique consentimus, credimus, servimus. Ibi quæramus Ecclesiam : ibi discutiamus causam nostram.* Cæterum cum disputat adversus Donatistas de unico baptismo, eoque non iterando, non tam scripturam allegat quam traditionem Apostolicam, quasi nuncupativi potius quam scripti Testamenti testimonio tunc uti mallet. Lib. II de Baptis. cap. 7, et lib. IV, cap. 6, et lib. V, cap. 23. Ac quidem etiam aliquando allegavit locum Joannis de lotione pedum, lib. III de Baptism. cap. 14. Sed cum Petilianus eum in nostros retorqueret, Augustinus sic respondet, ut non dissimulet sese non valde urgere tale argumentum, lib. II contra Petil. cap. 22. Itaque et in lib. de Unit. cap. 19, ab eo loco statim transit ad Ecclesiæ usum et auctoritatem. Sane tamen locus ille Joannis, multis etiam post Augustinum annis tam visus est in Africa pertinere ad unicum baptismum, ut furente Vandalorum tyranno, cum septem illi fratres, quorum non minus nobile martyrium fuit, quam olim fratrum Maccabæorum, ab Arianis urgerentur ad alterum baptismum, nihil magis opposuerint. Testis est Victor Uticensis, lib. IV de Persec. Vandal., nempe, nostri olim fuerunt fortiores martyres quam acuti disputatores. Pag. 83 et 84. Illud postremo annotabo quod Optatus in hoc libro respondet adversariis contendentibus baptismum ad schismaticis administratum esse nullum, et propterea esse repetendum, quia et baptizati a Joanne sint iterum baptizati ab apostolis, ut Lucas refert. Optatus respondet exemplum esse dissimile, quia baptismus Joannis alius et diversus fuerit a baptismo Christi : baptismus vero Schismaticorum conferatur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, tamquam baptismus Christi. Non dissimile responsum et distinctio est Hieronymi in dial. contra Lucifer. et Augustini, libro secundo contra Petil. cap. 37, et lib. III, cap. 56, et lib. V de Baptis. contra Don. cap. 9, 10, etc.

IN LIBRUM SEXTUM.

Pag. 90. Nihil multos hodie magis offendit in hoc libro, quam quod Optatus tanti faciat altaria. Certe Petrus Martyr, in I lib. Regum, cap. 23, valde propterea reprehendit Optatum. Mirum vero cur non potius ipsum, qui antiquior est, Tertullianum, qui in lib. de Pœnitent. aras Dei in Ecclesia celebrat.

Porro quod Optatus hic narrat de incredibili Donatistarum fastu, et adversus Catholicos immani odio, memini multis post sæculis in Oriente Græculos esse imitatos in suo schismate. Nam Innocentius III, in cap. 6 de Baptism., lib. III decretal., ex suo Concilio Lateranensi (quod anno 1215 Romæ coiit) istam repetit narrationem. *Si quando*, inquit, *Sacerdotes Latini super Græcorum celebrassent altaria, non prius Græci sacrificabant in ipsis, quam ea, tamquam inquinata, lavissent, baptizatos etiam a Latinis Græci rebaptizare ausu temerario præsumebant.* Pag. 93 et 94. Alter in hoc loco præcipuus locus de Sanctimonialibus (ut vocabantur) quas et olim in Africa et Ægypto vocatas fuisse Nonnas, ex Arnobio atque Hieronymo didici. Et quidem Ambrosius, lib. I de Virgin., ait ex ultimis infra ultraque Mauritaniæ partibus deductas Mediolanum, sacrari gestiisse ab Ambrosio. Habebant et Donatistæ suas virgines Sanctimoniales, et cum Catholicos audirent in suis ostentare quoddam decus Ecclesiæ, valde hoc agebant, ut eas ad se pellicerent, sicuti indicat Augustinus in epist. CLXIX. Hoc ergo illud est, quod Optatus, qui et libro secundo aliquid hac de re dixerat, tam valde hic conqueritur tentatas a Donatistis fuisse tales Vestales : et earum non modo raptores, sed et procos tam valde abigit. Paulo antequam Optatus hæc scriberet, lata fuerat ab Imp. Joviano lex severissima, quæ capitalem pœnam denuntiabat iis qui non modo rapere, sed et jungendi matrimonii causa sacratissimas virgines attentare ausus esset. L. V, C. de sacros. Eccles. Testisque est Sozomenus, lib. VI, cap. 3, Jovianum id edixisse, ut reprimeret in-

Digitized by Google

cestam petulantiam, quæ tempore Juliani impie et impudenter grassata fuerat. Sed Donatistarum procacitatem et impudicitiam nulla lex coercere potuit.

Pag. 93, 94. Porro commode nunc mihi in mentem revoco, Fulgentium Afrum qui annis post Optati mortem plusquam centum in Africana Ecclesia fulsit floruitque, libro secundo ad suum Monimum ex hoc Optati libro sexto, ubi de Virginibus agitur, laudare Optati interpretationem, Paulinæ de iis sententiæ ad Corinthios, et consilii magis quam præcepti: eamque interpretationem conferre cum Augustini et Ambrosii alia expositione. Et quia integra Optati verba recitat Fulgentius, locum inspiciat lector, et cum nostra editione conferat. Nam et id majoris est momenti, quam quod præterea Optatus inculcat de velis, quibus tegebantur et veluti obnubebantur capita sacrarum virginum. Pag. 93, 94 et 95. Mitrellas vocat, quasi parvas mitras dicas. Mitra verbum est Syriacum: Græci dicunt διάδημα; Latini, vittam, et proprie significat vinculum aut redimiculum. Ut autem erant vittæ virginales, sic et aliæ erant matronales. Nam nuptæ matronæ aliter quam virgines caput velabant et ornabant. Unde Propertius:

Cinxit et acceptas altera vitta comas.

134 Pag. 95. Quod sub finem ait Optatus, de ea, quæ secundo nubit: *non in altum tollitur*, annotatum est ab aliis, dictum videri ex more Africanæ potius quam Latiæ Gentis. Fuisse enim apud Pœnos, ut et apud Ægyptios et Græcos, in more, ut nubentes sellæ curuli insiderent, curruque sublimes vectæ, a patris domo in domicilium mariti transferrentur. At Romano more nubentes potius manu ducebantur.

Pag. 97 et 98. Quam postremo elegantem similitudinem repetit ab aucupibus Optatus, videtur et Augustinus eum imitatus repetiisse in lib. ad Honor. de util. cred. cap. 1. Ego nunc edo emendationem, ubi pro *vivarum volentium*, ex meliori exemplari restitui *avium volantium*. Memini etiam, quod cum nuper me inviseret Fornierius Juriscons. Aurelianensis et de Optato forte incidisset sermo, admonuisse, sibi videri in eo, quod paulo post Optatus ait, *cantare gutture alieno*, illud *alieno* proprie significare ficto, ut apud Horatium, *malis ridentem alienis*, id est, *fictis et simulatis genis*, et similiter apud Homerum. Sed respondi, apud Optatum aves hic dici quasi de gutture alieno cantare, quia earum cantus qui verus est per errorem habeatur pro cantu aliarum avium aliquoti fictarum atque mutarum. Addidi, apud Valerium Flaccum, illud: *Errantesque genæ, atque alieno gaudia vultu*, simile esse versui Horatiano.

IN LIBRUM SEPTIMUM.

Pag. 99. Suspicatus sum aliquando hunc librum, (qui et in editione Germanica præteritus fuit) non esse Optati, cum Hieronymus non nisi sex libros ab eo scriptos esse scribat, et ipse Optatus, lib. 1, non nisi sex librorum argumentum proponat. Sed cum hic liber VI reperiatur in tribus, quibus usus sum, manuscriptis exemplaribus, et stylus resque conveniat, agnoscam esse Optati: verum dicam esse scriptum post editos sex superiores. Bene autem habet, quod multæ paginæ, quæ desiderabantur, inventæ sunt in Tiliano exemplari: et postrema pars quæ in eo deerat, in aliis exemplaribus exstiterit: tametsi non dubitaverim detrahere et delere, quod ex fine libri III de causa Macarii temere hic repetitum, et inepte additum atque assutum fuerat ad finem hujus libri VII. Sed nolui neque debui præterire quam in exemplaribus duobus appendicem postremam reperi, licet deesset in Tiliano. Illud modo confiteor in emendatione hujus libri postremi minime mihi ipsi me satisfecisse, neque propter varietatem scripturæ potuisse.

Cæterum, ut quod ad rem magis pertinet, et plenior Donatistarum historia postulat, expleam, et Optato hac ratione cumulate satisfaciam, visum est nunc adjicere integram expositionem disputationis de Ecclesia in amplissimo conventu Carthaginensi cum Donatistis habitæ præsente Augustino, annis aliquot post mortem Optati. Nam et in ea (ut vocata fuit) collatione, ipsius quoque Optati et librorum ejus causa quodammodo acta est, ut ex iis, quæ paulo ante annotavi intelligi potest.

GABRIELIS ALBASPINÆI
EPISCOPI AURELIANENSIS
OBSERVATIONES
IN SANCTUM OPTATUM EPISCOPUM MILEVITANUM.

OBSERVATIO PRIMA.
De erroribus et criminibus Donatistarum.

Ex omnibus Africæ Scriptoribus qui contra hæreticos pro Ecclesia scripserunt, non est qui tam diu interpretationis luce caruerit, quam Optatus Milevitanus. Et licet lumen aliquod a Francisco Balduino Jurisconsulto acceperit; quia tamen res potius quæ ad historiam pertinerent, in qua apprime versatus erat, quam ea quæ de veteri Ecclesiæ disciplina in illo auctore occurrunt, explicavit, sine interprete eum adhuc fuisse, merito possumus dicere, quod et antiquitatis investigatores, et controversiarum studiosi diutius ferre non debuerunt; cum in Optato multa utriusque exstent vestigia, quæ in aliis auctoribus non notantur. Sed antequam ad ea illustranda veniamus, pauca de Donatistarum erroribus et flagitiis prælibanda sunt.

Primum ergo Donatistarum crimen, a quo cætera eorum flagitia, quibus Africa tamdiu oppressa fuit, originem duxerunt, istud est, quod altare contra altare Carthagine erexerunt, hoc est, quod Majorinum in ecclesia, in qua Cæcilianus sedebat, qui rite inauguratus esset, ordinarunt. Hujusce impietatis multi fabricatores exstiterunt; sed Lucilla fœmina Hispana hunc motum prima excitavit, quæ cum inimicum suum Cæcilianum in illa sede ferre non posset, plurimos Episcopos cum Secundo Numidiæ Primate pecunia corrupit, eisque persuasit, ut deposito Cæciliano Majorinum lectorem domesticum suum Ecclesiæ Carthaginensi præficerent: huic mox ambitiosi quidam Botrus et Silesius, qui eumdem Episcopatum ambiebant, operam et studium præstiterunt: seniores denique nonnulli, qui depositam Ecclesiæ supellectilem negabant, his se addiderunt, atque plebis partem a Cæciliano subtractam et jam nutantem in idem schisma impulerunt.

His initiis et auctoribus Donatistarum dissensiones primum ortæ sunt. Verum cum interea animadverterent Majorini ordinationem stare non posse, quod sine

Digitized by Google

causa et absque ullo colore, alio sedente, facta esset; Cæcilianum novis et falsis criminibus coacti sunt petere, eumque traditionis et idololatriæ insimulare. Hoc est alterum Donatistarum crimen, alter prætextus, quem non obtenderunt, nisi aliquo tempore post Majorini ordinationem. Nam cum ei manus impositæ sunt a Secundo et a cæteris Lucillæ episcopis, nemo umquam Cæcilianum non modo de Idolorum cultu, aut de codicum traditione, sed ne minimi quidem criminis accersiit. Verum ne Majorini ordinatio rescinderetur, quod facta esset contra Ecclesiæ disciplinam, has omnes calumnias in Cæcilianum finxerunt; et ne tam cito ab his purgaretur, et eas falsas esse ostenderet, Mensurium decessorem, Felicemque ejus ordinatorem, ejusdem insuper criminis reos fecerunt aut facere conati sunt. Primum ut inde Cæciliani ordinatio damnaretur, quod per eam cum Episcopo idololatra communicasset: alterum, ut missio et communio ejus ab Episcopo sacris interdicto descendere, et a patre idolis mancipato originem habere videretur: et licet accusationes istæ calumniarum plenæ a Papa Melchiade, ab imperatore Constantino, a concilio Arelatensi, a duobus episcopis hac de causa missis **135** in Africam, ut Melchiadis sententiæ ac decreto staretur, communique pene cunctæ Africæ voce ac consensu judicatæ essent; Æliani præterea proconsulis Africæ in hanc rem inquisitionibus, universæ demum Ecclesiæ communione: non ideo tamen in calumniis suis non perstiterunt Donatistæ, sed nova insuper crimina et causas addiderunt, et in sua sententia et schismate pertinaciter manserunt.

Itaque ut omnibus persuasum esset crimina quibus onerabant Cæcilianum, neque falsa, neque immerito alium in ejus locum suffectum esse, ab omnibus primum Africæ Ecclesiis, quæ societatem cum Cæciliano coierant, divortium fecerunt. Postea vero rabie ac furore schismatis gliscente ab universæ demum Ecclesiæ pace et communione recesserunt, id est ab universo hominum genere, qui cum Cæciliano consentiebant: hic est hujusce schismatis ortus et prima quasi scintilla, quæ pene totam Africam et Ecclesiam incendit.

Qua in re animadvertendum est: si quæ Cæciliano mendaciter affingebant Donatistæ, vera fuissent, et Mensurius et Cæcilianus falso deorum cultu sese inquinassent, Donatistas nihil in Ecclesiæ disciplinam et canones commisisse cum Cæciliano cæterisque ejus communicatoribus et sociis communionem negarent. Non enim fas erat, non dico idololatram Episcopum consecrare, sed ne quidem cum laico lapso consuetudinem ullam habere: et quamvis Ecclesia id temporis Novatianos damnasset, quod cum lapsis longa pœnitentia purgatis non communicarent, tamen minime utebatur iis qui a fide vel in ipsis vinculis et tormentis defecissent, nisi post diuturnam gravemque pœnitentiam; quapropter Donatistæ, pro hæreticis non habebantur, quod cum Cæciliano ejusque partibus et consentientibus societatem non haberent, sed quod in sua pertinacia mordicus permanerent, et quod spreto summi Pontificis et concilii judicio, quibus Cæcilianus innocens repertus esset, pertinaciter factioseque schisma suum sustinerent.

Sed ut ad eorum errores et flagitia revertar, post hoc divortium et ab Ecclesia secessionem, quæ sequuntur crimina quasi necessario perpetrare coacti sunt. Primum sacrificia Cæciliani eorumque omnium qui cum eo communionem agebant, impura esse, irrita, et Deo invisa prædicabant, quæ propterea nec ullam inter orthodoxorum fideles pacem, nec inter Christum et Ecclesiam unionem et compaginem parere possent.

Deinde Eucharistiam, quæ in templis orthodoxorum consecrabatur, rite consecratam negabant, quod scilicet neque eorum episcopi, neque eorum sacerdotes rite consecrati essent, aut vim ullam aut potestatem consecrandi haberent; ac proinde cum orthodoxorum templa invaderent, pedibus projectam conculcarent Eucharistiam sine ullo pudore aut religionis metu; quod plane facturi non fuissent, nisi eorum qui consecrabant, potestatem in contentionem vocassent, docuissentque ab orthodoxis Eucharistiam consecrari non potuisse.

Ob eamdem etiam causam sanctum chrisma, veluti non consecratum, projiciebant.

Quartus eorum error et crimen erat, quod baptizatos rursus abluerent; qua in re multa sunt observanda. Primum ex Donatistarum instituto, aut ex eorum animi sententia rebaptizationes haud fiebant; nam mordicus tenebant cum orthodoxis unum tantum esse baptisma, et Christianos uno tantum baptismate tingendos esse: verum cum orthodoxos hæreseos et idololatriæ insimularent, quod cum Cæciliano communicarent, baptizandi vim et potestatem eis nullam esse existimabant. Secundo, baptismi repetitio non erat proprium ac peculiare illius sectæ crimen, neque a Donatistis inventum, sed ætate divi Cypriani invectum, qui eam de se per totam Africam opinionem et existimationem reliquerat, ut quidquid docuerat pro regula fidei haberetur. Ob hanc causam Donatistæ ad documenta tanti viri respicientes, qui docuerat hæreticos rebaptizandos esse, Cæciliani sectatores, omnesque qui in Ecclesia tincti essent post Cæciliani ordinationem rebaptizabant; non secus atque Africæ magna pars, quæ hæreticorum baptismum respuebat. Non enim divus Augustinus scribens contra Donatistas *locis omnibus* et argumentis ex divo Cypriano et ex concilio ejus tempore celebrato desumptis, respondisset, nisi Donatistæ ex divi Cypriani potius quam ex sua sententia hunc errorem sustinuissent.

Quintus eorum error et crimen erat in confirmando: nam ut baptismum, sic et confirmationem repetebant: et licet uno duntaxat verbo in Optato notentur hoc crimine *iterum unxistis*, certum tamen est, eos rebaptizatos rursus quoque confirmasse. Olim enim confirmatio baptismum semper sequebatur, neque quisquam prioribus illis sæculis sacris undis abluebatur, quin mox ab episcopo chrismate perficeretur et absolveretur. Itaque cum orthodoxos tamquam non rebaptizatos rursus intingerent, eosdem tamquam non confirmatos iterum etiam confirmabant: quemadmodum episcopos aut presbyteros, quos de integro baptizabant, iterum pariter ac de integro ordinabant et consecrabant.

Sextum crimen erat, quod omnes, qui in Ecclesia initiati et ordinati essent, pro non ordinatis haberent: atque ita in tota Ecclesia et in toto orbe terrarum, præterquam in angulo Africæ, ubi eorum schisma et factio vigebat, ullum episcopum aut presbyterum reperiri negarent, omnesque episcopos, presbyteros et diaconos, qui in eorum potestatem veniebant, nulla habita ratione dignitatis, consecrationis et olei sancti, inter profanos et laicos rescriberent: quod antiquitus summum erat scelus.

Septimum, quod Orientis et Occidentis Ecclesias omnes infectas, pollutas, ac reas esse existimarent: quod cum Cæciliano ejusque successoribus communionem ac societatem habuissent: itaque cum ex Arabia nonnullos nanciscebantur, non minus eos rebaptizarent quam Carthaginenses, quamvis eorum omnium ignari essent quæ in Cæcilianum fingebantur.

Octavum, Jesu Christi Ecclesiam visibilem neque esse, neque constare debere, nisi ex innocentibus, innoxiis, et nulla labe aut macula contactis: unde ab omnibus et ab universa Ecclesia segregatos, catharosque, puros, ac integros quemadmodum Novatiani se esse jactabant.

Nonum crimen, quod manus episcopis et presbyteris lapsis imponerent, ut colligitur ex sententia Melchiadis. Verum in hoc laboratur de quanam manus impositione sit accipiendum; nam plurima pars munerum et ministeriorum episcopalium manuum impositione conficiebatur, ut baptismus, con-

Digitized by Google

firmatio, ordinatio, pœnitentia, benedictio, curationes, miracula. Sed quia res est spissa ac difficilis, cademque pulchra, mihi videtur digna quæ diligentius enucleetur. De ea igitur in alia observatione disseremus.

Decimum, quod episcopos nulla justa de causa exauctorarent, eosque in laicos referrent, quæ res Ecclesiasticæ disciplinæ olim maxime adversabatur; et licet plurimis in monumentis historiarum legamus episcopos a sacris fuisse remotos, et ad laicam communionem redactos, id tamen non nisi justis magnisque de causis et atrocibus criminibus factum fuisse, uti ob idololatriam; verum episcopum nulla de causa dignitate sua et honore consessus spoliare ingens crimen erat : hoc enim erat eum exuere dignitate, quæ locum et partem in corpore Christi eminentiorem cæteris tribuebat, ideoque et eum, et Ecclesiam pariter injuria afficiebat, atque Ecclesiam hoc membro privabat. Idem de presbyteris et diaconis licet asserere, quos Donatistæ sine causa aut crimine ab ecclesiastica communione removebant. B

Undecimum scelus, quod eadem falsa opinio et fundamentum in animis eorum gignebat, est, quod omnes orthodoxos quamvis innocentes ad pœnitentiam cogerent, quod Ecclesiasticis olim canonibus maxime repugnabat, impium namque erat membrum de corpore Christi nisi putre et infectum rescindere, et in pœnitentiæ locum redigere : nam quamvis hæc pœnitentia publica summæ ac singulari utilitati esset iis qui baptismi primum candorem et innocentiam amiserant, summumque ac præsens in ea esset præsidium adversus peccati maculas, invisa tamen erat innocentibus, neque fas erat eam imponere nisi iis qui in criminibus detinebantur : nam pœnitentes olim in numerum interdictorum erant referendi antequam ad pœnitentiam pervenirent, et ita quasi traditi Satanæ habebantur; præterea in primo gradu lacrymis et veniam deprecabantur et status sui miseriam deflebant, deinde in secundo tamquam catechumeni et rerum Christianarum imperiti et rudes C erudiebantur : ac denique in tertio exorcismis a dæmonis potestate vindicabantur, et ejus afflatibus purgabantur; quod maxime abhorrendum erat iis qui innocentes erant. Cæterum notandum est Donatistas pœnitentiam his omnibus non imposuisse nisi initio schismatis et cum primum secessionem fecerunt, et iis dumtaxat qui baptizati essent ante schisma : nam iis qui baptizati essent post schisma pœnitentiam non poterant imponere, quod scilicet essent rebaptizandi. Itaque quod ait Optatus, eos innocentes inter reos et pœnitentes relegasse, id non ad Optati tempora quibus quoscumque allicere et abducere poterant, rebaptizabant, sed ad initia schismatis referendum est, quo tempore multi ad eos transibant qui tincti essent ante Cæciliani ordinationem, et qui purgari secundum eos non poterant nisi pœnitentia.

Duodecimum crimen erat : publica hac pœnitentia pueros innocentes et nondum peccati capaces eo ipso nomine quod cum Cæciliano communicassent, mulctabant; qua in re hoc concedatur oportet Optatum loqui de primis quibus natum est schisma temporibus, et de pueris ante schisma natis quos Donatistæ non rebaptizabant : nam qui post schisma nascebantur ad pœnitentes, uti dixi, non poterant rescribi, quia rebaptizabantur. Cæterum pueros rudes, et in ætate constitutos quæ peccati non est idonea, pœnitentia donabant, eo scilicet consilio, non ut eos a peccato liberarent, sed ut eos in perpetuum a communione Ecclesiastica et a sacris ordinibus arcerent : nam olim non licebat pœnitentem in clerum adsciscere; deinde ut ita cogerentur orthodoxi **136** peregrinos quærere et petere, et alibi natos quorum vita illis constare non posset, et in sedes eos Episcopales et presbyterales inducere : quod antiquitus vetitum legimus.

Decimum tertium crimen, quod altaria Orthodoxorum exurebant, calices frangebant, parietes et pavimenta Ecclesiæ quasi polluta Orthodoxorum sacrificiis lavabant. A

Decimum quartum, quod solemnia virginum vota solverent et inter pœnitentes detruderent, ut quæ apud lapsos aut idololatras professæ essent, ac proinde iis non tenerentur, neque rata essent.

Decimum quintum, quod in locis vi occupatis in quibus templa possidebant, civibus incolisque Catholicis sepulturæ pacem et honorem negarent, propterea quod eos lapsos et idololatria infectos per Cæciliani communionem existimarent et prædicarent : et quod defuncti per sepulturam olim cum viventibus communicare censebantur, precumque et sacrificii ac omnium communionum quæ fiunt in Ecclesia, et in sacris, non minus fieri participes quam viventes : ob hanc causam ne cum Orthodoxis post mortem communicare cogerentur, cum quibus viventibus ne cibum quidem sumere voluerant, in Ecclesiis et cœmeteriis quæ occupabant locum eis negabant. B

OBSERVATIO II.

Quomodo congruerent aut differrent Novatiani et Donatistæ.

Non abs re erit enucleare ac penitius inspicere num qua in re Donatistæ convenirent cum Novatianis : nam multi ex recentioribus innuere videntur has sectas eodem aut nixas fundamento, aut saltem in multis consensisse : sed falluntur egregie quidquid ex Eusebio, Epiphanio et Theodoreto pro sua opinione conradere valeant. Nam primum constat Novatianos pœnitentiam omnibus pene criminibus denegasse; contra vero Donatistas non solum eam concessisse idololatris et homicidis, verum ultro eam etiam reluctantibus aut certe immerentibus imposuisse, et quasi innocentes pœnitentiæ legibus subjecisse : secundo, inter Novatianos laicis, vel etiam flentibus et crimen deprecantibus pœnitentiæ remedium non patebat; at in hac hæresi Episcopi ad pœnitentiam adigebantur, quod erat contra Ecclesiæ disciplinam : tertio Novatianis jus et potestas non erat delicta condonandi, quod Ecclesiam hac auctoritate carere existimarent. Donatistæ vero contrarium omnino docebant; nam pœnitentia functos et purgatos in societatem admittebant : quarto illi a secundis nuptiis abhorrebant, hi vero hac in re ab Orthodoxis non dissentiebant. C

Negari tamen non potest nonnulla inter eos fuisse similia, quemadmodum Cathari nomen quo utrique puritatem suam ostentabant, sed diversam ob causam : nam Novatiani puros sese jactabant, quod cum lapsis, neque pœnitentibus, neque pœnitentia functis communicarent : Donatistæ vero puriores videri et appellari volebant : non quod a pœnitentibus abhorrerent, sed quod suam Ecclesiam a contagione et crimine Cæciliani immunem conservare vellent. D

OBSERVATIO III.

Nonnulla quæ in hac historia sunt obscura.

In hac historia, quamvis accurate descripta a Balduino et a Baronio, multa reperiuntur quæ non ita facile decidi explicarique possunt. Primum enim duos omnes produnt exstitisse Donatos hujusce schismatis auctores et fabricatores : unum a Casis nigris, Carthaginensem alterum, Magni cognomine illustrem, de quibus in auctoribus plurima est mentio, sed adeo, ni fallor, confusa ac perturbata, ut non satis certum sit uter amborum a Melchiade Romæ fuerit damnatus, et quem ex illis duobus hæcce verba designent; *quod confessus sit se rebaptizasse et manum lapsis Episcopis imposuisse, quod alienum est ab Ecclesia.* Quæ verba habentur in sententia et judicio quod in Donatum a Melchiade constitutum leginus : quæ res adeo incerta fuit semper, ut in collatione Carthaginensi, potarent Catholici

Digitized by Google

judicium illud in Magnum Donatum latum fuisse, et in eum Romæ animadversum. Verum cum Donatistæ contenderent de altero Donato rem esse accipiendam, non autem de Magno Donato, in eamdem nox sententiam Catholici discesserunt, ut patet ex D. Augustino in breviculo tertii diei : *Contenderent quod non Carthaginensis, sed Casensis in judicio Melchiadis adstitisset, quod Catholici concedebant.* Ipsemet etiam D. Augustinus hac in re se hallucinatum esse fatetur, libro Retractationum cap. 21 : *Item quod dixi Donatum cujus epistolam refellebam, rogasse ut Imperator inter ipsum et Cæcilianum transmarinos judices daret, non ipsum, sed alium Donatum, ejusdem tamen schismatis, hoc fecisse probabilius invenitur ; ille autem non erat Carthaginensis Episcopus Donatistarum, sed a Casis nigris, qui tamen primus apud Carthaginem nefarium schisma fecerat.*

Quæ quamvis clara admodum et perspicua sint, ita ut nemo sit qui non existimet Donatum Casensem Romæ damnatum fuisse, nihilominus ex Optato contrarium non minus perspicue colligitur. Nam scribit Magnum Donatum eumdem ipsum qui tantæ auctoritatis fuit in illo schismate, libellum supplicem Constantino obtulisse judicesque transmarinos petiisse : quod si Magnus Donatus apud imperatorem de ordinatione Cæciliani conquestus est, de eodem haud dubie Melchiadis sententia explicanda erit : nam omnes fatentur eumdem ipsum qui libelli auctor fuit pontificia damnatione Romæ convictum esse : Optati verba sic habent, pag. 58 : *Sed illico ad singulos quosque venientes hæc erant verba : « Quid apud nos agitur de parte mea? » Quasi jam vere populum cum Deo diviserat ut intrepide suam diceret partem : nam a temporibus ejus et usque in hodiernum, si quando de rebus Ecclesiasticis in judiciis publicis aliqua celebrata est actio, interrogati singuli sic apud acta locuti sunt ut dicerent se de parte esse Donati, de Christo tacuerunt. Et quid de clericis dicam, cum legantur preces quarum in primo libro fecimus mentionem, jamdudum ad Constantinum missæ et subscriptæ quæ episcoporum nomina continebant, sic datæ a Capitone, Nasutio, Digno et cæteris episcopis partis Donati ; et postulabant utique contra Episcopos qui dum non erant in parte Donati, in Christi Catholica habitabant : et dum episcopus inter coepiscopos suos non fuit, nec homo inter homines esse voluit, constat quod extulit cor suum, et Deus sibi fuisse videbatur.* Hæc postrema verba ad Magnum Donatum esse referenda, nemo est qui dubitet : nam tantus erat in illo homine fastus et superbia, ut omnes coepiscopos posthaberet et eorum communioni misceri dedignaretur; certum est præterea, eadem hæc verba *et cæteris partis Donati*, ab Optato de eodem et dicta et concepta esse : quod si ita est, manifeste relinquitur Magnum Donatum ex historia et sententia Optati ad Constantinum primum rem detulisse et Romæ in judicio adstitisse : et tamen ex aliis auctoribus hoc refellitur.

Secundo dubitatur unde et a quo hujusce schismatis nomen et appellatio profecta sit, et merito ; nam quamvis a Magno Donato nomen duxisse vulgo tradatur, tamen illud schisma vocabatur *pars Donati*, antequam Donatus Carthaginensis, qui est Magnus Donatus, Carthagini præficeretur, vel antequam de illo ullus haberetur sermo : Magnus quippe Carthagine inauguratus est ; sexto tantum post Nicænum concilium anno libellus oblatus est Constantino (in quo illud schisma vocatur *pars Donati*) duodecim vel tredecim annis ante illam synodum.

Tertio non mihi satis constat, num Donatus Casensis non fuerit episcopus Carthaginensis, nam D. Augustino qui refert eum non fuisse Episcopum Carthaginensem, sed a Casis nigris, minime assentior, cum aliunde multa concurrant quæ animum inclinant ut potius credam eum ex Casis nigris Carthaginem translatum et Majorino successisse. Primum quorsum in illo libello schisma illud vocaretur pars Donati, si tum Majorinus fuisset episcopus Carthaginensis? nam de sede Carthaginensi et de Mensurii successore erat controversia, non de rebaptizatione : quapropter a Majorino potius quam a Donato Casensi nuncupatio illa debuit dici, si Majorinus sedem illam tunc temporis occupasset : Secundo de sede, uti dixi, et Romæ et apud imperatorem disputabatur, et tamen cum libellus oblatus est imperatori : cum imperator eum ad Melchiadem rejecit : cum causa apud pontificem agitata est : cum Romæ judicata : denique in formula sententiæ et provocationis, nec Romæ nec Arelati aut uspiam alibi ulla nisi Donati solius facta est mentio : nonne consentaneum erat Majorinum si Carthagine sedisset, et si de episcopatu cum Cæciliano contendisset, in sententia nominari, et de illo mentionem aliquam aut in judicio, aut in imperatoris rescripto fieri? sed solus tantum Donatus commemoratur, nempe quia Majorinus mortem obierat, atque in sedem alter illius suffectus erat.

Quarto testatur Optatus Olympium Eunomiumque in Africam transiisse ut Donatum et Cæcilianum episcopatu deturbarent, aliumque eorum in loco substituerent, *ut remotis duobus unum ordinarent* (*de hoc loco vide variantes lectiones, pag.* 25); in hanc vero interpretes opinionem omnes descendunt, duos hosce Cæcilianum et Donatum a Casis Nigris fuisse; quibus ex rebus probabile fit, Donatum Casensem tunc temporis præfuisse Carthagini priusque Majorinum interiisse : quomodo enim tertium quempiam in duorum sede collocare potuissent, nisi detur eumdem eos occupasse episcopatum? denique quomodo papa cum imperatore potuisset exstinguere schisma quod ortum erat Carthagini, **137** removendo Donatum, ni Donatus fuisset Episcopus Carthaginensis?

Series Episcoporum orthodoxorum qui Carthagini præfuerunt a Mensurio ad collationem.	*Series episcoporum Donatistarum qui per idem tempus Carthagini fuerunt.*
MENSURIUS.	MAJORINUS, primus Donatistarum Episcopus.
CÆCILIANUS.	DONATUS ALTER, sive CASENSIS.
RUFUS.	DONATUS MAGNUS.
GRATUS.	PARMENIANUS.
GENETLIUS.	PRIMIANUS.
AURELIUS.	

OBSERVATIO IV.

An Melchiades datus fuerit judex a Constantino, in causa Donatistarum.

Pag. 22 et 23. Adversarii hac Donatistarum historia atque Constantini ad Melchiadem litteris utuntur, et ab eisdem argumenta deducunt, ut sanctæ sedis dignitatem comminuant et violent : inter quos Calvinus contra ejus auctoritatem factum ait, quod ab Imperatore Melchiades huic causæ datus sit judex, et quod ex ejus mandato, non ex ordine atque ex officio, controversiæ, quæ erat in Africa inter Cæcilianum et Donatistas, dirimendæ præfectus fuerit : necesse enim esse fateri pontifices ea tempestate Ecclesiæ non præfuisse, neque penes eos de rebus Ecclesiasticis supremum judicandi fuisse potestatem, si Melchiades vicaria et non propria potestate huic interfuerit judicio.

Addit Petrus Molinæus, Calvinistarum hodie signifer, eo libro quem nuper adversus Cardinalem Perronium conscripsit, Melchiadi socios in eadem delegatione datos et ab imperatore æquali cum eo potestate præditos : neque de ea societate, aut quod judices cum summo Pontifice constituerentur, conquestum esse Melchiadem ; unde argumenti satis esse putat ad fatendum prisca illa tempora et Constantini ætatem omnes episcopos dignitate et honore pares tulisse quando inter eos eadem provincia et potestas communicaretur.

Habes ad hæc omnia illustr. Card. Baronii ac Perronii responsionem : imperatorem tres quidem epi-

Digitized by Google

scopos judices in illa causa dedisse et sumpsisse, non autem Melchiadem, cui omnem illam controversiam non ex delegatione, sed quod de rebus ecclesiasticis ad eum cognitio pertineret, remisit; ad cujus rei probationem, ipsius imperatoris confessione utuntur, qui palam professus est, cum a Donatistis urgeretur, in Episcoporum causa se judicem esse non posse; quod si jus potestatemque non habuerit judicandi episcopos, multo minus in eorum causa judices dandi et delegandi : addunt Melchiadem præter eos qui ab imperatore designati essent, quindecim ex Italia delegisse episcopos, qui huic concilio interessent; quos sibi ad eam litem judicandam adsciscere non potuisset, si non jure suo, sed vicaria potestate de hac re cognovisset.

Præterea, petentibus Donatistis ut de Gallia (quæ idololatriæ crimine immunis esset) judices sibi darentur, Constantinum eorum petitioni minime satisfecisse, sed rem ad summum Pontificem detulisse, et invitos coegisse, ut coram eo causam suam ageret : quod non fecisset, præcipue cum tota Italia traditionis nomine suspecta esset Donatistis, nisi firmum et constans apud omnes tunc temporis fuisset pontificis esse de controversiis quæ in Ecclesia oriebantur judicare. Plura a Cardinale Perronio, libro ad Britanniæ regem, capite quadragesimo sexto, congeruntur, quæ brevitatis causa omitto.

OBSERVATIO V.

De manus impositione quæ est in sententia Melchiadis.

Cum igitur Cæcilianus et Donatus controversias suas et contentiones in Concilio Romano exposuissent, eorumque causa a Melchiade cæterisque Episcopis examinata esset, hoc judicio terminata est, pag. 23 : *Quod confessus sit se rebaptizasse, et episcopis lapsis manum imposuisse, quod alienum est ab ecclesiastica disciplina :* cujus quidem sententiæ priora verba nullam prorsus pariunt difficultatem; nam multo ante hæc tempora hæreticos rebaptizandos esse docuit, et rebaptizavit divus Cyprianus : sed posteriora sunt obscura, multumque de his inter interpretes ambigitur : nam cum variæ olim fuerint manus impositiones, atque omnia pene episcoporum munia et officia manus impositione celebrarentur, et hoc ipso nomine vocarentur, uti baptismus, confirmatio, exorcismi, absolutio, ordinatio, pœnitentia, pax, orationes, precationes, curationes, benedictiones et cætera quæ ab episcopis administrarentur, merito dubitatur et quæritur de qua manus impositione locutus sit Melchiades.

Si ad interpretes res deferatur, et maxime ad Franciscum Balduinum, et ejus judicio stare velimus de reordinatione Episcoporum qui deserta Ecclesia ad Donati partes confugiebant, hanc manus impositionem interpretabimur; in suis enim in hunc libellum notis docet perfugas et desertores episcopatus reordinatos fuisse a Donatistis; quemadmodum ab iisdem laici rebaptizarentur : quam explicationem pene omnes secuti sunt qui in hæc verba inciderunt, et qui de iis mentionem fecerunt; ego vero ex hoc ipso auctore, et plurimis et gravissimis argumentis ex veteri Ecclesiæ disciplina desumptis, probaturum me spero hanc manus impositionem de pœnitentia accipiendam esse; quam Donatistæ episcopis qui ab Ecclesia deficiebant, ut a crimine traditionis et idololatriæ purgarentur, imponebant.

Primum argumentum quod ab Optato desumemus his primi libri verbis continetur, pag. 3 : *Nec male imponendo omnibus captibus manum eversionis velamenta ostenderent, nec maledicerent Deo, nec rebaptizarent fideles*, quibus haud dubie alludit ad hanc Melchiadis manus impositionem, et conqueritur quod Donatistæ omnium fidelium statum everterent, episcoporum impositione scilicet pœnitentiæ, laicorum autem rebaptizatione. Quod si hac manus impositione de dignitate et de statu suo constet episcopos remotos fuisse, ad pœnitentiam potius quam ad reordinationem ea erit referenda, quia illa non evertit, imo potius erigit; nam laicos ad altiores gradus vocat, eosque inter clerum constituit, qui corporis Christi primas partes tenet : hæc vero summa injuria in supremo communionis fastigio constitutos et positos dejicit; et quamvis eosdem restituat et reordinet, tamen sine dedecore ex sede sua detrudi et inter laicos rescribi non poterant : deinde hæc verba, *nec maledicerent Deo*, sunt discutienda et consideranda, multumque nostræ interpretationi favere videntur. Nam si cum superioribus connectantur, sensusque sit, Donatistas in illa manus impositione Deo maledixisse, de reordinatione nemo est qui eam manus impositionem interpretetur, in qua non magis Deo maledicere poterant Donatistæ quam in prima ordinatione, in qua Deo non maledixerant; in pœnitentia vero quæ immerentibus imponebatur, Deo maledicebatur. Pœnitentes enim in tertio gradu exorcismis et manuum impositionibus a dæmonis potestate et persuasionibus purgabantur et vindicabantur : quod fieri non poterat sine injuria Spiritus sancti, qui in iisdem morabatur. Rursus quemadmodum divus Augustinus pluribus in locis docet atque increpat Donatistas quod rebaptizatione Deum fugarent injuriisque et maledictionibus in exorcismis eum onerarent, ita eosdem hic increpat Optatus, quod Deum in exorcismis pœnitentiæ quam episcopis imponebant, injuriis et contumeliis exorcismorum, qui in pœnitentia quemadmodum in baptismo frequentarentur, afficerent.

Pag. 44. Secundum, ex his secundi libri : *Ut dum presbyter aut episcopus dejicitur, sic plebs caperetur :* nam eorum sensus est, Donatistas orthodoxorum episcopos aut presbyteros ad pœnitentiam relegasse, ut populus præsidentes et duces orthodoxorum inter suos pœnitentes versari et lugere cum videret, pessimam de orthodoxis conciperet opinionem : qui sensus convenire nequit cum reordinatione, quæ nullam poterat ansam præbere ut de orthodoxis male sentirent Donatistæ; cæterum hoc verbum *dejicitur* non est prætereundum, quod est proprium pœnitentium, ut ex Tertulliano et ex concilio quarto Toletano licet colligere, *animum mœroribus dejicere.*

Pag. 46 et 47. Tertium ex his : *Honore nominis sui spoliati sunt sacerdotes*, quibus exprobrat Donatistis quod episcopos honore sacerdotii et consessus privassent : honor enim apud Tertullianum, Cyprianum et Divum Augustinum, pro sacerdotio et episcopatu accipitur; at si a Donatistis reordinati fuissent orthodoxorum episcopi, honore privati minime dicerentur, neque ab Optato ob hanc causam objurgarentur Donatistæ; reordinatio enim nominis honore non spoliat.

Ibid. Quintum ex his : *O impietas inaudita, quem jugulaveris inter pœnitentiam et tormenta servare!* Quibus docet Donatistas servasse inter pœnitentiam et tormenta episcopos, quos honore nominis, dignitatis, et episcopatus spoliassent; unde colligitur ab iisdem episcopos ad pœnitentiam relegatos fuisse, pœnitentia enim servari non potuissent nisi eam subiissent. Quid sit autem jugulatum servare inter pœnitentiæ tormenta, aut quomodo id accipiendum sit, facile est dicere; nam episcopus qui spoliatus fuerat honore sacerdotii, et qui pœnitentia Deo satisfaciebat, recte dicitur jugulatus et servatus : dignitatem enim suam depositione amiserat, et partem illam quam in corpore Christi habebat; pœnitentia autem servabatur ad 138 majora tormenta ferenda. Nam quæ major poterat esse miseria, aut quæ major crudelitas quam ex summa dignitate hominem inter pœnitentes detrudere, et singulis diebus per opprobria, miserias et tormenta pœnitentiæ, manum illi exorcismorum imponere? Tertullianus, *malo enim ad miseriam pervenitur.*

Ibid. Sextum ex his : *Vos vivum facitis homicidium.* Qui enim pœnitentem facit episcopum, eum jugulat et conservat; jugulat enim dignitatis et gradus priva-

Digitized by Google

tione, conservat autem cum miseram ei vitam trahere relinquit inter pœnitentes.

Ibid. Septimum ex his : *Paupertate sensus sui circumventi sunt, quos decipere potuistis ; præfecti enim fuerant illi opere scilicet Dei, qui in ejus nomine fuerant ordinati.* Nam cum superioribus verbis sunt connectenda, et de iisdem episcopis quibus manus fuerat imposita accipienda, hunc que sensum habere videntur : episcopi quos pœnitentes fecistis, et quibus vitam ordinis et honoris eripuistis, erant ordinati in nomine Domini, et hæc ordinatio erat opus divinum, quod vectibus malitiæ disjecistis : quare de vobis Donatistis recte dicitur : *quæ Deus perfecit, ipsi destruxerunt :* quæ cum ita sint, constat Donatistas aliquid fecisse in episcopos quod opus Dei everteret; hoc autem maxime fiebat pœnitentia quam imponebant episcopis quos decipere poterant, et qui ad eos transibant, non autem reordinatione : nam antiquitus aliquid injuriæ Deo et ejus sacramento et characteri fieri putabant si episcopus aut presbyter inter pœnitentes viseretur (Augustinus, libro primo de Baptismo) : quod si pœnitentiam imposuerint lapsis episcopis Donatistæ, verisimile est Melchiadis sententiam de ea manus impositione accipiendam esse, non autem de reordinatione qua opus Dei non poterat subverti.

Pag. 46. Octavum ex his : *Docete ubi vobis mandatum est radere capita sacerdotum ;* nam eodem respiciunt quo superiora, et de eadem injuria et contumelia qua episcopos afficiebant, sunt intelligenda : at non major fuisset injuria radere capita in secunda ordinatione quam in prima ; sed contumeliosum prorsus erat et a Deo prohibitum radere episcopum et unctum Dei pœnitentiæ tradere.

Ibid. Nonum ex his : *Tu quis es qui auferas quod non dedisti ?* Hanc enim accipiunt interpretationem : Deus potuit auferre oleum suum et sacramentum ex Saule, sed noluit, ut te doceret, injuriam non esse faciendam unctis suis ; sed tu aufers quod non dedisti, et facis injuriam unctis Dei, quia eos radis et ad pœnitentiam damnas ; quæ interpretatio non potest convenire cum reordinatione.

Ibid. Decimum ex his : *Quid prodest quia vivunt homines, et occisi sunt honores a vobis ?* Quæ quidem non dixisset si Donatistæ reordinassent episcopos quos circumveniebant, quia reordinatione non magis spoliabantur aut occidebantur quam ordinatione.

Pag. 46 et 47. Undecimum ex his : *Extendistis manum super omne caput.* Hæc manus extensio ad reordinationem non potest referri, ut liquet ex his quæ sequuntur : *Hoc est imponentibus manum super omnem ætatem ad evertendas animas. Invenistis pueros, de pœnitentia sauciastis, ne aliqui ordinari potuissent ;* sed potius ad pœnitentiam, qua status clericorum et maxime Episcoporum evertebatur : præterea verisimile est eum loqui de eadem manus impositione propter quam a Melchiade damnati fuerant Donatistæ : aut si id non conceditur, doceat, quæso, quænam esset illa manus extensio qua Donatistæ omne caput radebant : quod si de eadem loquitur, fatendum est sententiam Melchiadis de pœnitentia intelligendam esse.

Ibid. Duodecimum ex his : *Invenistis diaconos, presbyteros, episcopos, fecistis laicos.* Nam ex his colligitur Donatistas inter laicos rejecisse eos quos episcopos invenerant, in illis locis quæ occupaverant : quod si ita est, quomodo interpretes possunt dicere Donatistas usos fuisse reordinatione, et reordinasse episcopos quos capiebant?

Ibid. Decimum tertium ex his : *Socius et comes vester jamdudum fuerat cui nunc manus inferre conatus es ;* et ex sequentibus, quibus constat Donatistas aliquam manus impositionem voluisse inferre orthodoxis episcopis qua eos tamquam reos judicabant et condemnabant, quod commodius tribuitur impositioni manuum pœnitentiæ quam reordinationis.

A Pag. 48. Decimum quartum ex his : *Deuterium, Parthenium, Donatum et Getulum, Dei episcopos, linguæ gladio jugulastis ;* nam pœnitentia eos jugularant.

Ibid. Decimum quintum ex his : *Multis notum est et probatum persecutionis tempore, episcopos aliquos inertia a confessione nominis Dei delapsos thurificasse, et tamen nullus eorum qui evaserunt aut manum lapsis imposuit, aut ut genua figerent imperavit ;* nam de una eademque manus impositione hic et in sententia Melchiadis est sermo : quemadmodum enim ait Optatus, lapsis episcopis manum imposuisse Donatistas, ita Melchiades eosdem damnat, quod lapsis episcopis manum imposuissent : at illa manus impositio pertinet ad pœnitentiam, non autem ad reordinationem, ut ex his verbis, *aut ut genua figerent imperavit,* licet colligere : adgeniculationes enim pœnitentium erant argumenta humiliationis et exomologeseos actus qui sine pudore et dedecore non poterant fieri ab episcopis ; eæ vero quæ in ordinibus suscipiendis fierent, nulli poterant esse dedecori : quid B enim magis consentaneum disciplinæque magis conveniens quam ordinandum genua flectere, et coram ordinatoribus adgeniculari ? quod si ita est, non est disputandum de explicatione sententiæ Melchiadis.

Ibid. Decimum sextum ex his : *Dum peccatum hominis percutitur :* manus enim impositione de qua Melchiades et Optatus conqueruntur, peccatum illorum episcoporum quos pœnitentes Donatistæ fecerant, percussum fuerat : quod reordinationi convenire nequit, sed pœnitentiæ, qua peccata percutiuntur et delentur.

Ibid. Decimum septimum ex his : *Nam quæ major infelicitas quam Dei sacerdotes vivere, nec esse quod fuerant ?* Eumdem enim urget errorem eamdemque manus impositionem perstringit quæ ad reordinationem referri nequit, cum dicat episcopos per eam non esse amplius quod fuerant.

Pag. 72 et 73. Decimum octavum ex his libri quarti verbis : *Nec apostolos imitari voluistis, a quibus* C *etiam negator dilectus est Petrus :* quibus docet, Donatistas apostolorum exemplo, qui Petrum lapsum et negatorem dilexerunt, episcopos lapsos diligere debuisse, unde magis fit verisimile Donatistas episcopis pœnitentiam imposuisse quam ordines contulisse ; qui enim ordinantur aut reordinantur, inter reordinationis ritus osculo donantur, et pro fratribus ab ordinatoribus adsciscuntur : qui vero pœnitentiam agunt, pro extraneis et a fraternitate divulsis repudiantur : hæc denique libri sexti verba, pag. 98, *quos aut rebaptizatione aut pœnitentia sauciastis,* conveniunt cum sententia Melchiadis, atque eam exponere videntur ; et quod illic per manus impositionem significatur, hic explicari per pœnitentiæ impositionem.

OBSERVATIO VI.

In qua ex antiquæ disciplinæ rationibus eadem explicatio confirmatur.

Cum Melchiades, pontifex maximus, in elogio et in D sua illa sententia affirmet manuum illam impositionem quæ a Donatistis adversus lapsos episcopos usurpabatur, omnino Ecclesiasticæ disciplinæ esse contrariam, ipsique statuere ac persuadere velimus, istam manuum impositionem non ad reordinationem, sed ad pœnitentiam referri oportere : certissimis et lucidis argumentis et rationibus opus est demonstremus ex antiquis et vetere disciplina non impositam fuisse pœnitentiam Episcopis, quocumque demum scelere sese obstrinxissent; neque ætatis illius pietatem tulisse, ut inter lugentes adscriberentur. Primum in ipso pœnitentiæ vestibulo pœnitentes lacrymis peccata sua detestabantur ; at indignum erat episcopum, qui aliena potius quam sua delicta deflere debebat, inter flentes, ejulantes et humi jacentes, extra Ecclesiæ limina conspici, et transeuntis plebis vestigia deosculari. Secundo, in eodem illo pœnitentiæ gradu cum catechumenis erudiebantur pœniten-

tes, primaque fidei rudimenta et elementa docebantur; neque enim videbatur quomodo post baptismum peccare potuissent, nisi oblivione metus divini, et præceptorum et documentorum quæ in catechumenatu hauserant. Itaque tamquam catechumeni ad Christianæ religionis instituta rursus erudiebantur et instituebantur: quæ quidem institutio repeti non poterat nisi aliquo episcopalis dignitatis incommodo, et a qua non solum catechumeni, sed eorum magistri et doctores institui debebant. Tertio, toto illo tempore quo in tertio gradu versabantur, publicis et solemnibus exorcismis pœnitentes purgabantur, perinde atque alias hodieque infantes qui sacro fonte abluuntur; episcopum ad eumdem modum spectante populo tyrannide ac dominatu quodam dæmonis oppressum vindicari ac liberari ferendum non erat, neque ad Christianæ religionis dignitatem pertinebat; cum episcopus sit communionis cum Christo et unionis cum Deo princeps et caput, cæteraque membra ejus pietate et sanctimonia aditum habeant ad eamdem unionem. Quarto, episcopi populi patres dicuntur, sacerdotes Dei, antistites Christi, mediatores inter Christum et plebem, legati Christianorum, oblatores votorum, precum et oblationum intercessores, deprecatores; quorum etiam opera et studio dæmones e corporibus abjiciebantur, et rursus peccatores pro potestate quam a Christo adepti sunt traduntur Satanæ: uno verbo cum ii sint in quos Christus quidquid Ecclesiæ suæ concesserit et attribuerit, transfundat et deponat; quis non perhorrescat episcopos ipsos omnibus illis quæ modo commemoravimus, dotibus ac muneribus spoliatos ac nudatos videri: imo deteriori illos esse conditione, atque ante baptismum fuissent: deditos atque addictos imperio ac potestati dæmonis; excommunicationis pœna quasi affectos, cum pastoris loco alias haberentur, modo instar perditæ ac emortuæ **139** ovis censeri: cum dæmonem sibi subjicerent, nunc ejusdem vilissima dici mancipia: cum Christi prima membra et viva numerarentur, modo putidæ carnis ac cadaveris insepulti partes sustinere; cum Dei omnipotentis amores ac deliciæ appellarentur, ejici atque arceri, ut anathematis censura perculsos. Hoc tam detestabile probrum non ipsorum disciplina ferre ac perpeti poterat, neque tam inauditam ac minime ferendam commutationem audire. Quinto, quemadmodum antiqua illa disciplina neminem ex pœnitentibus inter clericos admittebat, ita neminem majorum clericorum ad pœnitentiam adscribebat; nam non minus turpe et indignum erat pœnitentem in clero, quam clericum in pœnitentia conspici, et episcopum demisso et depresso vultu turpis vitæ pudorem circumferre et ostentare. Sexto, concilia antiqua Ancyranum, Neocæsariense, Arelatense, Eliberinum et Nicænum, pœnitentiæ genus præscribunt unicuique laicorum vel etiam minorum clericorum, qui tempore persecutionis, aut in idololatriam prolapsi essent, aut a constantia dejecti, nonnihil a fidei professione resiliissent: illa, inquam, concilia nullum plane de episcoporum aut presbyterorum pœnitentia verbum faciunt; quin apud antiquos patres, ne locus quidem ullus ea de re reperitur: unde fit ut facile adducar ut credam episcopos et presbyteros numquam illa publica pœnitentia fuisse mulctatos. Septimo, Optatus asserit, olei sacri sanctificationem et episcoporum characterem Dei solius, non autem episcoporum esse, et ob hanc causam eos, etsi peccatores, honorandos esse: unde colligitur eadem tempora non permisisse ut inter pœnitentes versarentur, ne in contemptum venissent. Octavo, canones, cum peccatorum pœnas quæ irrogari debeant, definiunt, excommunicationem laicis et depositionem sacerdotibus pro eodem crimine constituunt; exempli gratia, laicum ob adulterium a cœtu fidelium removent, et sacerdotem, si eodem crimine teneatur, suo gradu deturbant: ideoque quam vim excommunicatio aut publica pœnitentia in laicos exercebat, eamdem A erga episcopos exercebat et habebat depositio: proinde primis illis temporibus non alia fuit culpæ reparatio cum presbyterorum tum episcoporum, quam mera depositio. Nono, videamus quid divus Cyprianus de Trophimi peccato et pœna disserat, qui etsi a fide defecisset, publicam tamen non egit pœnitentiam, neque de ulla ejus pœnitentia et satisfactione publica et solemni mentionem facit Cyprianus: sed ordine suo depulsum ac privatum et inter laicos rejectum; cum tamen quo tempore vixit, admitti et aggregari cœpti sint ad pœnitentiam idololatræ, qui aliis ante sæculis in perpetuum ab Ecclesia separarentur, aut certe suscepta pœna noxam eluere in omne tempus cogerentur: inde colligere est episcopos non ad pœnitentiam publice suscipiendam, compulsos. Decima ratio: quinto sextove sæculo concilia decernunt, uti Ecclesiastici in abditis remotisque locis ac privatis pœnitentiam agant, ut laici vel minimum offenderentur, si a quibus regi et B gubernari ipsos oporteret, ii graviori crimini affines fuisse viderentur: *tamen in publicum non procedit, ne grex fidelium in eo scandalum patiatur, nec enim debet sacerdos publice pœnitere sicut laicus.* His adjungi possunt rationes et argumenta quæ a patribus, cum de episcopis loquuntur, afferri solent: cum aiunt nemini licere pro iis preces fundere aut supplicare; si corruant, a nullo posse eos erigi ac sublevari: populi ipsius custodes custodiri non solere: quibus verbis non obscure indicant, pœnitentiæ debitores eos non fuisse, pro qua non solum episcopi, sed et laici preces fundebant; sic enim Tertullianus libro de Pœnitentia, *fratribus legationes deprecationis injungere.*

Sed et ab Origene hæc vulgo referuntur, quæ huic nostræ sententiæ plurimum favent: *si pœnitentia imponeretur episcopis, non esset pœnitentia, sed injuria.*

Ad extremum si hæ rationes non satis intelligerentur, canon octavus concilii Carthaginensis, quod C quintum vocatur, non pateretur eas in dubium revocari, cum aperte prohibeat manus, pœnitentiæ ergo, presbyteris vel diaconis imponi, quantumvis in se grave facinus et crimen admiserint: *Item confirmatum est, ut si quando Presbyteri aut diaconi in aliqua graviori pœna convicti fuerint qua eos necesse fuerit a ministerio removeri, non eis manus tamquam pœnitentibus vel tamquam fidelibus laicis imponatur.* Quibus verbis liquet numquam Episcopis pœnitentiam impositam neque Presbyteris, illamque quæ est apud Melchiadem manus impositionem plane eamdem esse de qua canon ille disputat; nam verisimile est eumdem canonem factum fuisse a patribus Africanis contra Donatistas et ab eis eumdem illum errorem correctum, qui a Melchiade in illa sententia damnatur: quippe in Africa habitum est, ubi error ille vigebat: deinde his verbis *confirmatum est*, Patres illius concilii videntur decreto suo confirmare quod antea et ab aliis excogitatum et inventum erat contra Donatistas, atque respicere ad judicium Melchiadis D et illud quasi repetere: sciebant enim hoc Donati crimen Romæ damnatum fuisse, quod hoc canone rursus damnant disciplinæ causa. Quidquid hujus sit, certum est omnes plerosque conciliorum Africanorum canones in Donatistas conflatos esse. Quod cum ita sit, et aliunde ex Melchiade discamus eos Episcopis manus imposuisse, quis dubitat in Donatistas hoc canone animadversum esse? Ad hæc omnia tamquam cumulus accedat canon decimus quartus epistolæ Siricii, qui tempore Donatistarum pontificatum gessit: *Illud quoque providere, ut sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum, ita et post pœnitudinem ac renuntiationem nulli umquam laico liceat honorem clericatus adipisci.*

OBSERVATIO VII.

In qua objectiones quædam solvuntur.

Ad ea quæ attulimus, primis illis sæculis numquam

majoribus Ecclesiasticis publicam pœnitentiam fuisse denuntiatam, licet inexpiabilem prope fraudem in se et culpam concepissent, neque ut id fieret eorum disciplinam et instituta permisisse ; ad ea, inquam, canones papæ Felicis opponi objicique possunt, quibus episcopi qui in rebaptizationem consenserant, pœnitentiam inire coguntur : quibus hoc ego obtrudo, tempora esse consideranda, et disciplinam tempore Felicis minus acerbitatis et severitatis prætulisse, quam primis sæculis : deinde in illis Canonibus laicos quidem jussos et coactos omnes pœnitentiæ gradus obire, in quibus infames impositiones manuum et crebri exorcismi fierent, episcopos autem et presbyteros alio veluti genere pœnitentiæ damnatos : quo facto Felix magnum inter utrosque discrimen et intervallum asserit : ad hæc addi illud potest, Felicem de loco et de gradibus pœnitentiæ episcoporum nihil addidisse; quod illo sæculo mos esset, eos in monasteriis lugere et pœnitentiam agere, non autem in publico et in oculis populi.

Hæc etiam Divi Cypriani verba ad Antonianum possunt objici, *et pœnitentia deprecationis errorem pristinum confitente*; quasi his velit, Trophimum episcopum pœnitentiam egisse, quod a Christo defecisset, et ad Ecclesiam nisi ea peracta rediisse, quamquam verba illa nihil aliud testificentur quam Trophimum suæ defectionis pœnituisse et indoluisse graviter Deum a se atrociterque offensum : non aliter quam Tertullianus ait in Præscriptionibus, *Marcionem pœnitentiam confessum;* quo verbo subintelligi non vult eum egisse pœnitentiam, sed actionibus suis ipsa exomologesi atque detestatione quadam declarasse sui a se sceleris commissi vehementer pœnitere : quid quod apud veteres pœnitentiam confiteri, est externa actione præ se ferre dolorem maximum de scelere admisso.

Tertio objici et illud potest, episcopos et presbyteros excommunicari olim potuisse, propterea que et ad publicam pœnitentiam accipiendam cogi, cum non major, neque turpior ignominia infamiaque inuri episcopis, aut Ecclesiæ probrum conciliari pœnitentia, quam excommunicatione posset. Ad hæc respondeo, non ita multa excommunicationis episcoporum exempla in medium afferri posse : qui si olim excommunicati fuerunt, hoc haud dubie accidit, quod ipsi se ab Ecclesia sejunxerunt et in apostasiam delapsi sunt; denique si recte ratiocinari velimus, in omnibus illis locis, in quibus de excommunicatione et anathemate episcoporum agitur, reperias illud anathema et excommunicationem nihil aliud quam ab ecclesiasticis separationem significare, tantumque habitam et judicatam a communione ecclesiastica distractionem, non autem a corpore laicorum, et, ut ita dicam, ab integro corpore Ecclesiæ : atque episcopum aut presbyterum excommunicatum dici, qui non a laica, sed ab ecclesiastica tantum communione separaretur.

Quarto dici potest tria illa peccata, homicidii, adulterii et idololatriæ, primis illis sæculis, nonnisi publica et perpetua pœnitentia aut perlongo annorum aliquot intervallo potuisse deleri; eoque nomine ecclesiasticos aut ab illis peccatis numquam absolutos, aut publicæ pœnitentiæ pudore suffusos. Ad hæc ego contra oppono decretum illud antiquæ disciplinæ ad laicos dumtaxat pertinuisse : episcopos vero aut presbyteros, si in his tribus peccatis aut in uno e tribus deprehensi fuissent, suo ordine abdicatos aut inter laicos redactos : quæ redactio aut depositio publicæ pœnitentiæ vicem et locum tenebat.

Quinto probari potest episcoporum peccatum longe gravius et detestabilius Deo et hominibus esse quam laicorum, cum illi sint tamquam exemplum virtutis ad imitandum propositum : quare si laicorum noxæ primis illis sæculis publicæ pœnitentiæ pœnas requirebant, quanto magis eadem animadversione clericorum culpæ vindicandæ fuerunt! Ad hoc respondit olim D. Augustinus et Optatus characterem episcoporum Dei dici, qui violari omnino non possit sine peccato; qui si insitus et impressus non esset in episcopis, eos atrociori quam laicos supplicio feriendos fuisse ; verum, cum 140 nihil æque ac Deum offendere, et ejus iram commovere, vererentur, a pœnitentia Episcopis imponenda destitisse.

Sexto, concilii Arausicani primus canon opponi potest : *pœnitentiam desiderantibus etiam clericis non negandam ;* quo constitutum illud patet Ecclesiasticis ut pœnitentia non minus quam laicis injungatur. At responderi primum potest, nomine clericorum hoc canone, minorum ordinum clericos intelligendos esse, verboque illo primis illis sæculis nominatim et magna ex parte indicari minores ministros. Secundo, non illo canone fieri mentionem publicæ et solemnis pœnitentiæ quæ invitis etiam imponebatur, aut saltem sine cujus auxilio nullus in Ecclesiam patebat regressus, sed pœnitentiæ votivæ quam nonnulli pii et erga religionem probe affecti posterioribus et consequentibus sæculis, hoc est, quinto et sexto, se suscepturos voverent, ut qui sequuntur canones fidem faciunt : decimus quintus concilii Agathensis : *juvenibus etiam pœnitentia non facile committenda ;* vigesimus tertius Epaunensis : *si quis accepta professaque pœnitentia ;* item quartus : *pœnitentiam professi*. nonus Gerundensis : *depressus pœnitentiæ benedictionem quam viaticum deputamus.* Postremo, illo eodem canone uti possumus ut probemus, primis illis sæculis neque episcopis, neque presbyteris publicam pœnitentiam irrogari solitam, cum consequentibus sæculis, in quibus non ita severa dicebatur disciplina, necesse fuerit edicto et novo canone jubere, ut votiva eis concederetur.

OBSERVATIO VIII.

An quosdam reordinarint Donatistæ.

Etsi, quantum conjectura assequi possum et sentio, impositio de qua in sententia Melchiadis injecta est mentio, non de impositione manuum reordinationis, sed de impositione pœnitentiæ accipi debeat, tamen non negarim neque abnuerim Donatistas aliquoties eos qui eorum sectam sequerentur ecclesiasticos iterum ordinandos et consecrandos judicasse : operæ pretium fuerit nihilominus multa ponderare et examinare, ut quamobrem id præstiterint cognoscamus ; neque enim quovis tempore illam reordinationem usurparunt, neque promiscue in quoslibet illam contulerunt.

Primum advertendum, sectam illam centum amplius annos viguisse, quia ab electione Majorini ad Carthaginis collationem sex et centum anni vel circiter numerantur : primis autem annis, hoc est, decimo aut duodecimo anno ab illa ordinatione, episcopos et presbyteros qui ad eorum castra convolabant, propter eas quas subjiciam rationes, credibile est non reordinari potuisse. Prima ratio : quod non alia de causa ab Ecclesia desciverant Donatistæ, nisi quod omnes Africæ episcopos tamquam lapsos et idololatras fugerent et exsecrarentur; at si aliquem ex his quamvis transfugam suscepissent et reordinassent, eodem se crimine et vitio, quo existimabant laborare Catholicos, obligassent.

Secunda, cum Donatistæ baptismum qui ante schisma collatum pro legitimo et vero haberent et sentirent, par est eos existimasse eodem tempore ordinationes collatas et institutas non irritas esse : quamobrem si quis episcopus ab Ecclesia ad eorum gregem se adjunxisset initio nascentis illius schismatis, non erat reordinandus.

Tertia, non poterant quemquam reordinare Donatistæ quin prius depositus et a crimine traditionis purgatus haberetur ; nam ex eorum sententia, nullus ex Orthodoxis hoc scelere carebat : sed non facile reperies in primis illis sæculis exemplum alicujus episcopi qui, cum reus esset alicujus gravis culpæ, et ob hanc causam a suo gradu depulsus, reordinatus fuerit ; multo minus inter Donatistas invenias, qui

puriores et sanctiores dici se volebant, et qui severioris se disciplinæ Ecclesiasticæ vindices et propugnatores palam profitebantur.

Quarta, necesse omnino erat ut illi episcopi quos volunt interpretes a Donatistis reordinatos, idololatriæ crimine absolverentur priusquam reordinarentur; neque enim ex eorum disciplina et moribus, uti antea docuimus, ulla poterat inter eos et crimine obstrictos communio et societas intercedere. Duo autem apud eos ad eluendam traditionis maculam remedia proponebantur : pœnitentia et rebaptizatio. Quod ad rebaptizationem attinet, primis illis schismatis annis non erant rebaptizandi episcopi, quod omnes essent baptizati ante schisma, non enim ad episcopatum admittebantur neophyti : idcirco in illis quasi incunabulis schismatis non poterant rebaptizare episcopos Donatistæ, ut eos a crimine traditionis abluerent. Restabat igitur pœnitentia, qua revera uti poterant erga episcopos illos quos suis technis et fraudibus circumveniebant : verum nullum umquam vetus illa disciplina ad episcopatum admisit, qui inter pœnitentes visus esset, multo minus Donatistæ qui Cathari vocabantur. Quamobrem obvium cuique et apertum, nullo pacto a Donatistis reordinari episcopos aut presbyteros potuisse primis schismatis temporibus : indeque sequi, Melchiadis sententiam, quæ initio schismatis data, de reordinatione non intelligi.

Nunc autem de postremis hujus schismatis temporibus agendum, in quibus largior id non ægre, a Donatistis episcopos reordinatos; quod facile est probare ex iis locis quos postea citabimus; videndum vero et perpendendum, quomodo et quibus conditionibus seu causis id concederetur et liceret : cum igitur quispiam episcopus aut presbyter ab orthodoxis ad Donatistas deficeret postremis illis temporibus quæ schismatis ortum consequebantur, illum ad pœnitentiam non adigebant uti sub Majorino : sed iterum baptizabant, et in ordinem laicorum referebant, unde, cum dignus visus esset, in clerum repetita ordinatione reponebatur, nemoque reordinatus fuit umquam cui id non ipsa rebaptizatione interposita contigerit. Primum, illo crimine quo orthodoxos laborare dictitabant, solutos et liberos esse oportebat : deinde nihil opus erat pœnitentia ut purgarentur, cum baptismus eam vim habeat, ut omnem peccatorum maculam deleat. Tertio, rebaptizatio depositionis notam elidebat. His adde ex Divi Augustini libro tertio contra litteras Petiliani, manifestum fieri Donatistas nullos sibi rebaptizatos reordinasse, et ex multis collationis locis eos rebaptizatione usos priusquam reordinationis manus imponerent : *et rebaptizaverunt illum hominem nonagenarium Episcopum :* item, *ipse est Episcopus qui rebaptizatus est et factus est audiens :* item, *ipse rebaptizabat post partem Donati; rebaptizatus est antea, et sic est ordinatus :* item, *iste Vitalis diaconus fuit Catholicus in civitate Sitifensi, rebaptizatus factus est presbyter, projectus est causa adulterii, et factus est postea Episcopus.*

Conclusio igitur hujus capitis : Melchiadis sententiam non posse traduci ad reordinationem, quandoquidem isto capite docuimus, Donatistas non potuisse reordinare eos qui intra primos schismatis annos deserta fide fierent Donatistæ.

OBSERVATIO IX.

Solvuntur quædam contra proximam observationem.

Contra quam diximus Donatistas, sub Majorino, a primis schismatis annis reordinatione uti non potuisse, opponi possunt verba illa D. August., lib. III de Baptismo contra Donatistas cap. 16 : *Manus autem impositio non sicut baptismus repeti non potest* : quibus Augustini verbis quidam se assecutos putant ex opinione et judicio illius non plus reordinare quam rebaptizare licitum esse. Sed ad illud respondeo primo, illam esse manus impositionem qua Spiritus sancti dona olim transfundebantur, uti donum linguarum, prophetiæ, curationum et similia; ut ex illius capitis lectione perspicitur, non autem impositionem manuum qua ordinatio peragebatur : quapropter verba illa ad rem nihil attinere. Secundo : locum illum manifeste et perspicue pugnare contra illorum sententiam. Nam si verborum sensus recte attendatur, voluit dicere D. Augustinus manuum illam impositionem repeti posse, non autem baptismum; neque obstat quod ex correctione et emendatione postremæ editionis, et ex antiqua impressione, aliter legendum esse putent quidam, ac contendant ultimam illam particulam *non* delendam esse : nam emendationem illam verba hæc ejusdem capitis respuunt : *quid est enim aliud nisi oratio super hominem?* quibus D. Augustinus asserit et ita sentire videtur, impositiones illas manuum quibus dona Spiritus sancti transmittebantur, de quibus paulo supra disseruit, non nisi orationes episcoporum appellandas, non autem sacramenta, ideoque posse repeti : baptismum autem esse sacramentum, propterea non iterari, ex cujus sententiæ sensu et argumento liquidum fit particulam illam *non* expungendam non esse, verbaque illa aliter accipi quam nonnulli existiment.

Objici etiam potest canon ille trigesimus octavus concilii Carthaginensis tempore Donatistarum habiti, quo, ut ex duobus superioribus, multa perperam et inconsiderate inducta a Donatistis rescinduntur : *non liceat fieri rebaptizationes, aut reordinationes, vel translationes episcoporum.* Quibus verbis videtur concilium illud Donatistarum reordinationes repudiare ac rejicere, ut et illorum rebaptizationes respuunt. Idque adeo clarum et perspicuum est, ut omnes interpretes Græci et Latini hanc explicationem comprobarint : at ego ad hæc canonem dico factum esse in exitu illius schismatis, ac proinde nullam vim ad ea quæ diximus labefactanda habere, quia non negamus, sed credimus Donatistas quosdam reordinasse; sed sub finem schismatis et eos quos rursus sacro fonte abluissent, non autem initio schismatis et non repetito baptismate.

Addo et illud, canonem non videri de reordinatione ejusdem personæ loqui, sed vetare, ne uno episcopo in una civitate ordinato, alter insuper per factiones reordinaretur, quod alibi ostendemus; sed satis superque prima solutione satisfactum est canoni.

141 Ad extremum dici potest D. Augustinum nullam mentionem fecisse de pœnitentia quam Donatistæ Episcopis imponerent, neque contra illum errorem scripsisse, quamvis omnes Donatistarum errores persecutus sit : quapropter verisimile videri Donatistas episcopos inter pœnitentes, aut non dejecisse, aut hoc non fuisse contra veterem Ecclesiæ disciplinam, aut denique manuum impositionem de qua est sermo in sententia Melchiadis ad reordinationem pertinere. Respondeo D. Augustinum non loqui de aliis criminibus, quam de iis quæ ipsius tempore a Donatistis committerentur, neque vero de aliis debuisse mentionem facere : propterea non potuisse agere contra pœnitentiam quam qui primi fuerant Donatistæ episcopis imponerent, quod ejus ætate id tamquam obsoletum non amplius admittebatur : quicumque enim D. Augustini tempore fierent Donatistæ, bi omnes sive Episcopi, sive presbyteri, denuo aquis immergebantur, atque ita sine pœnitentia a peccatis liberabantur; sed si D. Augustinus vixisset Donati temporibus, aut Majorini, multa illius erroris vestigia in illius scriptis reperirentur.

OBSERVATIO X.

De concilio Arelatensi.

De concilio Arelatensi non minor est disputatio : nam ab adversariis objicitur supremæ illius potestatis quam hodie usurpant pontifices, in eo vestigia nulla exstare. Imo ausos esse Donatistas a Melchiade ad imperatorem appellare; alios judices post pontificem quæsisse; et Constantinum alios etiam episcopos dedisse qui de eadem causa quæ a Melchiade judicata

Digitized by Google

esset, cognoscerent; denique ea tempestate pontificum judicia ejus auctoritatis et firmitatis non fuisse, quæ ab aliis episcopis rescindi non possent; quando de ipso Melchiade et de ejus sententia episcopi Arelatenses passi sint judices se constitui: addunt Sylvestrum de hac injuria, aut quod hoc facto sanctæ Sedis dignitas læderetur, questum non esse, aut legatos interposuisse, ne in illo concilio judicia summi pontificis in dubium revocarentur, et de iis cognosceretur. Hæc et similia a Calvino et a Petro Molinæo congeruntur; quibus respondendum est.

Primum quod aiunt, Donatistas a Melchiade ad imperatorem provocasse et appellasse; res est parum firma, et ex qua nullum potest deduci argumentum quod sit alicujus momenti: nam si quæ fuit appellatio, veræ appellationis vim non habuit, neque habere potuit; cum ipsemet pontifex maximus per legatos, Marinus Arelatensis, Maternus Agrippinensis, Rethicius Augustodunensis, Merocles Mediolanensis, Poterius Capuensis, a quorum sententia et judicio appellatum volunt a Donatistis, interfuerint concilio Arelatensi et inter alios Episcopos sederint, et de Donatistarum controversiis et appellatione cognoverint: forma enim judiciorum passa non fuisset ut iidem judices de appellatione et de judicio quod Romæ primum constitutum, et de quo appellatum esset, judicarent. Respondeo præterea appellatione illa, etsi vera fuisset appellatio, nulla ex parte lædi aut impugnari sanctæ Sedis auctoritatem: nam etiam nunc a pontifice ad pontificem provocamus; simili modo Donatistæ a Melchiade ad Sylvestrum, qui per legatos concilio præfuit Arelatensi, appellare, ejusque judicio litem quam Romæ perdiderant rursus permittere et deferre potuerunt: denique concilium Arelatense a majoribus nostris, uti a D. Augustino, vocatur plenarium concilium et generale, in quo cum sederit sanctus pontifex et per legatos præfuerit, nulli mirum videri debet si permiserit de judicio suo cognosci, et suam sententiam ab episcopis et a semetipso examinari.

Objiciunt præterea, episcopos quos judices in illo Concilio dederat imperator, non solum ad id datos, ut de judicio Romæ facto cognoscerent, sed etiam ut de ipso Melchiade judicarent; quomodo autem id probent, aut ubi legant, de Melchiade Arelatense concilium judicasse, non invenio: quamvis enim ægre ferrent Donatistæ Cæcilianum Romæ absolutum, et de illius absolutione conquererentur, non legimus tamen in illo concilio quidquam in Melchiadem ab illis confictum aut objectum.

Tertio quod obtrudunt, eamdem causam rursus Arelate judicatam et examinatam fuisse, et Arelatenses episcopos de eadem causa quam Donatistæ Romæ perdiderant judicasse, non satis constat: nam etsi a plerisque id concedatur, tamen si rem propius inspiciamus, et si ex ipsius concilii actis et canonibus conjecturam capere velimus, longe alia causa ad concilium Arelatense delata est quam quæ judicata Romæ fuerat. Duo erant inter Cæcilianum et Donatistas in controversia, et traditionis et schismatis: duobus criminibus accusabatur et petebatur Cæcilianus: quorum ab hoc Romæ absolutus, ab illo vero Arelate discessit; neque enim causa schismatis Arelate examinata aut judicata ullo modo fuit, sed traditionis dumtaxat; quod multis rationibus probari potest: nulla enim in illo concilio exstat mentio aut canon de schismate et de ordinatione Majorini, sed ex decimo tertio canone manifestum fit, quæsitum in illo concilio, an crimen et vitium ordinantis transiret in ordinatum, et si manus impositio a reo facta totam ordinationem irritam faceret; quamobrem enim sanxissent patres illius concilii, *ordinationem non obesse ordinatis, dummodo de his qui ordinati essent ratio subsisteret*, nisi de hoc facto quæsiissent Donatistæ, et causa in eo versaretur, an ordinatio celebrata ab idololatriæ reo et suspecto, pro infecta habenda esset? aut quos denique canon ille decimus quartus respicere potuisset, aut in quos videri constitutus, *quo ad exitum communione privantur qui falso accusarent fratres*, nisi in Donatistas, qui Felicem et Cæcilianum idololatriæ falso insimulabant? Ex quibus dubium non est, Donatistas, omissa schismatis causa quæ Romæ terminata fuerat, ad secundum traditionis crimen confugisse, et nullam aliam actionem in Cæcilianum Arelate intendisse, nisi quod ejus ordinatio ex ordinantis crimine rescindenda esset. Nulla præterea potest assignari ratio quamobrem patres Arelatenses de schismate mentionem nullam fecerint, et in eos qui falso accusarent fratres judicia tam severa tulerint, nisi quod nihil aliud in illo concilio et in illa quæstione versaretur, nisi si Cæcilianus Felicis crimine esset removendus ab episcopi dignitate. Præterea hæc cum hujusce schismatis et Donatistarum historia mirifice congruunt, qui in D. Augustino conqueruntur quod pauci judices nullo ordine servato sententiam Romæ præcipitassent: prius enim videbatur judicandum, an ordinantis crimine alicujus ordinatio corrumperetur et inficeretur, et an Felix traditor fuisset, quam de schismate quærere. Hoc illius causæ ordo postulare videbatur: quid enim necesse erat inspicere quænam ex Majorini et Cæciliani ordinationibus magis consentanea esset disciplinæ Ecclesiasticæ, si penes Felicem, idololatriæ reum, nullum fuisset manus imponendi jus et arbitrium? Quapropter dicebant Donatistæ de crimine Felicis prius inquirendum fuisse quam de schismate ac de ordinatione episcopi Carthaginensis judicaretur, ne illo scilicet judicio de Cæciliani ordinatione præjudicium haberent. Denique inter hujusce concilii subscriptiones, Cæciliani nomen invenitur et legitur, quod pro argumento accipiendum est, Felicis potius quam Cæciliani crimen et causam actam fuisse in illo concilio; non enim inter cæteros episcopos adsedisset et judicasset Cæcilianus, nisi omni criminis et schismatis suspicione caruisset et vacuus fuisset. Cætera quæ ab adversariis adferuntur, aut parum valida sunt, aut ex eis quæ diximus dissolvi possunt.

OBSERVATIO XI.

De die et consulibus judicii proconsularis quo Felix Apungitanus purgatus fuit.

Constare inter omnes video qui de Donatistarum schismate scripserunt, Felicis Apungitani Episcopi, qui traditionis a Donatistis accusabatur, causam ab Æliano proconsule, non nisi post Melchiadis judicium in Donatum, habitam et judicatam fuisse. Verum longe obscurius est an ejusdem Æliani Proconsulis sententia qua Felix idololatriæ absolutus est, tempore posterior fuerit concilio Arelatensi; nam quamvis iisdem consulibus, hoc est, Volusiano et Anniano, Felix in Africa et Cæcilianus Arelate innocentes et indemnati recesserint, tamen de die absolutionis Felicis non satis constat; multumque historiæ interesse videtur indagare, et adamussim quo die data et lata fuerit Æliani sententia, inspicere.

D. Augustinus tractatu post collationem capite trigesimo tertio, docet eam factam esse decimoquinto Kalendas Martias, cujus opinionem secuti sunt Cardinales Baronius et Perronius: verum in libello manuscripto ejusdem sententiæ et in ipsis actis Æliani proconsulis, quibus in Felicis vitam inquisivit, decimus tertius kalend. Septembr. dies inscribitur.

Inter has duas opiniones, quarum una auctoritate gravissimorum Scriptorum, altera fide vetustissimi codicis constare videtur, temerarium esset aliquid dijudicare: verum hæc posterior ad hanc historiam et ad concilium Arelatense magis accommodari et convenire videtur: nam post Melchiadis judicium quo schismatis causa terminata est, et Eunomii et Olympii legationem, et transitum in Africam, quo catholicæ Ecclesiæ communio ostensa et declarata est Carthaginensibus; nihil supererat judicandum in

concilio Arelatensi, atque inter Donatum et CæciliaA num nihil erat controversum, nisi si Felicis crimen, qui Cæcilianum ordinaverat, quique de traditione a Donatistis postulabatur, irritam fecisset manus ejus impositionem : hoc enim Arelate in disceptationem et in quæstionem vocabatur, an scilicet deprehenso scelere ordinantis, tota ordinatio rescindenda esset: et quamvis nonnullis videatur 142 in illo concilio non solum de ordinatione Felicis, sed etiam de schismatis origine a Donatistis quæstionem allatam; tamen potissimum, uti præcedenti et proxima observatione docuimus, quæsitum est, an ordinatio facta ab episcopo traditionis reo pro nulla habenda esset.

Quod cum ita sit, verisimile fit Felicem nondum ab Æliano traditionis et idololatriæ absolutum cum concilium habitum est : nam qua fronte in concilio Arelatensi, quod datum est mense Septembri, Donatistæ actionem rescindendæ ordinationis in Cæcilianum intendissent, cujus fundamentum non aliud erat quam Felicis crimen, si decimo quinto kalendas Martii de eodem scelere purgatus fuisset? Non neB cesse erat tantis sumptibus concilium convocare, et ex omnibus Africæ, Galliæ, Hispaniæ, Siciliæ et Italiæ partibus episcopos cogere, ad unam quæstionem discutiendam cujus tota ratio et pondus in scelere Felicis constituebatur, si Æliani judicio liberatus et innocens declaratus jam antea fuisset Felix. Non defuissent Africæ episcopi qui intererant concilio, qui frustra quæri de jure dixissent, cum factum quo jus nitebatur non constaret, imo cum contrarium omnino ex actis purgationis ejusdem Felicis appareret.

Quamobrem manuscripti fidem sequendam esse arbitror, et existimandum hæc duo eodem tempore facta; Cæciliani ordinationem confirmatam in concilio Arelatensi, et Felicem a crimine eodem mense aut circiter ab Æliano purgatum. Nec me movent D. Augustini verba, cujus auctoritati etsi in aliis omnibus cedendum esse velim, in hac tamen historia, ut recte monuit Franciscus Balduinus, non satisfacit, multaque in ejus scriptis prætereuntur quæ ad eam C pertinent. Deinde facile mihi persuadeo D. Augustinum antiquiorem paulo diem Æliani sententiæ æstu disputationis adscripsisse : nam ut diluceret quod a Donatistis opponebatur, Constantinum judicium suum quo Mediolani post Arelatense concilium Cæcilianum, audito Ingentio ad se per Ælianum misso, purgaverat, posteriore sententia rescidisse; ut hoc, inquam, diluceret, demonstrandum illi erat eadem sententia qua Felix absolutus erat ab Æliano, eadem, inquam, ad comitatum jussum Ingentium transire : atque imperatorem non absolvisse neque purgasse Cæcilianum, nisi postquam de Felicis vita et absolutione per Ingentium et per Æliani sententiam certior factus fuerit : quamobrem illius sententiæ diem paulo antiquiorem posuit, ut ostenderet Ingentium ab imperatore et visum et auditum multo antequam Mediolani pro Cæciliano pronuntiaret. Hæc sunt D. Augustini verba epistolæ centesimæ quinquagesimæ secundæ, in quibus neque diem neque mensem proconsularis judicii notavit, quo in loco tamen notandus erat si eum non ignorasset : *Nam et ordinem consulum et dierum qui gestis expressus est, si quis nunc diligenter advertat, inveniet primo Cæcilianum episcopali judicio fuisse purgatum; deinde non multo post Felicis Apungitani causa ab Æliano proconsule examinata est, ubi eum constitit innocentem. In qua causa ad comitatum mitti jussus est Ingentius, et longe postea ipse Imperator causam inter partes cognovit atque finivit. In qua cognitione Cæcilianum innocentem, illos autem calumniosos judicavit; in quo ordine consulum et dierum satis ostenditur fallaciter eos et calumniose dixisse, quod imperator misso ad comitatum Ingentio judicium suum mutavit, et Cæcilianum quem prius purgaverat postea condemnavit : non solum autem nihil de hac re legere potuerunt et contra seipsos tanta legerunt, sed etiam per ordinem consulum evidentius convincamus eos causam Felicis proconsulari judicio terminatam, in qua jussum est, ut ad comitatum Ingentius mitteretur, nec parvo intervallo, sed longe postea, memorati imperatoris judicio inter partes habito Cæcilianum fuisse purgatum.*

---

201 MONUMENTA VETERA (1)

AD DONATISTARUM HISTORIAM PERTINENTIA

A REDDITA SIBI A JULIANO LIBERTATE AD SCHISMATIS EXSTINCTIONEM.

ANNO DOMINI 362.

I.

RESCRIPTUM JULIANI IMPERATORIS

IN GRATIAM DONATISTARUM.

(*Ex Augustino l.* II *contr. litt. Petil. cap. XCVII.*)

Hoc quoque supplicantibus Rogatiano, Pontio, Cassiano et cæteris episcopis, sed et clericis, accedit ad cumulum, ut abolitis quæ adversus eos sine rescripto perperam gesta sunt in antiquum statum cuncta revocentur.

In libello supplici cujus auctor Pontius aiebant Juliano, quod apud eum sola justitia locum haberet.

202 ANNO DOMINI 373.

II.

VALENTINIANI SENIORIS (2)

IN REBAPTIZANTES CONSTITUTIO.

D (*Ex Cod. Theod. lib.* XVI, *Tit.* VI. Ne sanctum baptisma iteretur. *L.* I.)

Imp. *Valentinianus* et *Valens* AA. ad Julianum Proc. Africæ.

Antistitem, qui sanctitatem baptismi illicita usurpatione geminaverit, et contra instituta omnium eam gratiam iterando contaminaverit, sacerdotio indignum esse censemus. Dat. X Kal. Mart. Trev. Valentiniano et Valente IV AA. Coss.

ANNOTATIONES.

(1) Lectorem monitum volumus nos a pag. 142 editionis Dupinianæ ad pag. 201 consulto transire, ne hic scilicet repetamus Monumentorum partem quam in tomo VIII *Patrologiæ*, inter columnas 673 et 783 exscripsimus, eo quod ad gesta Constantini Magni ac etissimam haberet relationem. EDD.

(2) Valentinianus senior Treviris in Galliis constitutus, procul dubio etiam Gallicanorum episcoporum consilio, vel ad relationem ad se ex Africa factam *hac leg.* sacerdotem (seu episcopum) rebaptizantem, sacerdotio suo, seu Episcopatu, per Africam proconsularem indignum esse pronuntiat, Anno D. 373, et procul dubio ea re privari eum oportere jubet: per Africam, inquam, proconsularem, cujus pro-

203 Anno Domini 377.

III.

IMPERATORIS GRATIANI (1)

CONSTITUTIO IN REBAPTIZANTES.

(*Ex Cod. Theod. Lib.* XVI, *Tit.* VI. Ne sanctum baptisma iteretur. *L.* 2.)

Impp. Valens, Gratianus et Valentinianus AAA. ad Flavianum Vicarium Africæ.

Eorum condemnamus errorem qui apostolorum A præcepa calcantes, Christiani nominis sacramenta sortitos alio rursus baptismate non purificant, sed incestant, lavacri nomine polluentes. Eos igitur auctoritas tua erroribus miseris jubebit absistere, Ecclesiis quas contra fidem retinent, restitutis Catholicæ. Eorum quippe institutiones sequendæ sunt, qui Apostolicam fidem sine intermutatione baptismatis probaverunt. Nihil enim aliud præcipi volumus, quam quod Evangeliorum et apostolorum fides et traditio incorrupta servavit : sicut et lege divali

ANNOTATIONES.

consuli hæc lex inscribitur. Unde haud inanis conjectura spectare ad Donatistas, pariter ut ad eosdem pertinent quatuor sequentes : ut et duæ aliæ, puta *leg.* 5 *et* 38 *supr. de Hæreticis.* Et vero spectare ad B Donatistas, qui recentissime Firmo tyranno favorant in Africa, testatur Augustinus *ep.* CLXIV. Quæque procul dubio toleravit Valentinianus, data sua ἰδιαλοθρησκείας cuique licentia, de qua dixi ad *l. supr. de Maleficis* : anabaptismo tantum in his damnato, sub pœna sacerdotii privationis, neque enim ultra progreditur Valentinianus. De hac ipsa porro lege Optatum Afrum Milevitanum, *circa initium lib.* V, sensisse putat Balduinus : « Hæc, inquit, nostra vox est, qui in Trinitate baptismatis unitatem defendimus, non pro vobis, qui baptisma, in cujus imagine sunt illa duo, audaciter, et quod contra leges est, iteratis : quamvis et vos ipsi non negetis, quia non debet iterari, quod semel jussum est fieri. » In quo largiter fallitur : nam, quod et ipse alibi recte tradit, Optatum ante hunc annum 373, scripsisse certum est : et sane scripsit is, quod aperte Optatus ipse profitetur, sexagesimo et quod excurrit anno post persecutionem Diocletianeam, id est, circa annum Domini 367, ut alibi fuse ostendo. Illud equidem verum, hanc legem esse de numero earum quæ a Valentiniano in rebaptizantes scriptæ fuerunt, quarum meminit Gratianus quoque *l.* II *prox.* et quidem in Donatistas ῥητῶς, ut Augustinus testatur *ep.* 166 *ad Donatistas* : « Huic (Joviano), inquit, successit Valentinianus : legite quæ contra vos jusserit : » de quo jam etiam aliquid dictum ad. *l.* III *supr. de Hæreticis.* Ergo Optati locus accipiendus est de aliis Valentiniani legibus (si quæ ante hanc in Donatistas latæ sunt), Constantini item et Constantii (vel potius Constantis) quarum mentio *l.* II *infr.*

Notabilia duo in hac. leg. hæc occurrunt : Primum est, quod ait, contra instituta omnium, quæ latius explicata reperies ad *d. l.* II *prox.* Alterum est, quod baptismum vocat gratiam et divinam gratiam : quomodo et gratia communionis vocatur in *l.* V *infr. de Apostatis.* Gratianus pariter 3, *epist.* 17 : « Audientibus, si qui fuerint periculo præventi, etsi in exitu constituti, vigilantia vestra non desit, implorantibus D divinam gratiam misericordia Domini non denegetur. » Qui locus omnino componendus est cum *l.* I *supr. de Scenicis.* Græcis quoque ut Eucharistia, ita et baptismus χάρις dicta. De Eucharistia apud Cyrillum sæpius hæ locutiones, τὰς θείας χάριτος μεταλαμβάνειν, et προστέναι πρὸς τὴν ἐπουράνιον χάριν : et Optatus *lib.* V, pariter *de Eucharistia* : « Veniunt gentes ad gratiam : exhibet ille qui invitare dignatus est : ministerium exercet turba famulorum. » Omitto alia. Non minus sæpe de baptismo, qui cum plura habeat nomina, quæ Clemens Alexandrinus *lib.* I, Gregorius Nazianzenus *orat.* 40, et Chrysostomus non semel recensent, unum illorum est χάρισμα vel χάρις. In 4 Mystagogicon Cyrilli προσέρχεσθαι τῇ χάριτι est, ad baptismum accedere. Græcus quoque interpres Canonum Ecclesiæ Africanæ *p.* 174, ubi Latina habent, ut (ægrotantibus) scenicis atque histrionibus cæterisque hujusmodi personis reconciliatio non negetur (qui locus alioquin cum *d. l.* I, *de Scenicis*, componendus est), reconciliationis loco χάριν ἢ κατάλλαγμα vertit, et recte, eo quippe loco reconciliationis verbo, id quod alias viaticum et extremum suffragium dicitur, id est, baptismus et Eucharistia indicantur : de quo ad *d. l.* I, *de Scenicis.*

Illud postremum hic semel monendum, quæ *hac leg.* omnibusque aliis hujus tituli constitutionibus in rebaptizantes constituuntur, accipienda non indefinite, sed de hæreticorum tantum anabaptismo, qui illicita usurpatione, furore immani et institutione nefaria collatum semel recte baptismum in Ecclesia catholica, catholicæ Ecclesiæ odio, iterabant, quod clare sat colligitur ex sequentibus legibus : vide inter alias *legem* 6. Alioquin enim et ipsi Catholici baptisma quandoque rescindebant seu quosdam hæreticorum rebaptizabant : qua de re vide *canonem* 6 concilii Nicæni (cujus meminit et Rufinus, *lib.* I, *cap.* 6; Augustinus, *de Hæresibus*, *hæresi* 44), Laodiceni *canones* 7 *et* 8, Constantinopolitani secundi Œcumenici *canon.* 7. Vide et quæ Athanasius, *orat.* 3 *contra Arianos*; Basilium, *epistola canonica ad Amphilochium*, *cap.* 1. JACOBUS GOTHOFREDUS. C

(1) *Gratiani.* Hæc lex est imperatoris Gratiani, ut ex inscriptione patet; data enim est ad Flavianum Vicarium Africæ : quæ utique Africa Gratiano parebat. Quare vitium erat in subscriptione *Data* CP, id est Constantinopoli. Nam et Gratianus hoc anno versatus est in Gallia, et Treveris quidem vel Mogunliaci. Ut proinde minus dubitem hanc legem scriptam in Gallia ex consilio et dictatu episcoporum Gallicorum : et certe, assurgere eam palam est Gallicano cothurno.

Ergo Gratianus hac lege rebaptizantium per Africam errorem cœtusque damnat : variis tum rationum momentis, tum et sanctionibus. Rationum, inquam, Theologicarum et Ecclesiasticarum. Quarum prima est a baptismatis, quod unum esse debet, neque repeti oportet, natura, cum ait : *Christiani nominis sacramenta sortitos alio rursus baptismate non purificari, sed incestari lavacri nomine.* Quibus similia alia ex aliis legibus in unum cumulata habes *in Paratitlo.* Altera est, petita ab auctoritate Evangelii, apostolorum, traditionis incorruptæ, anteriorum tandem principum præjudiciis et constitutionibus. Hinc scilicet rebaptizantes ait : *Apostolorum præcepta calcare.* Hinc mox pro canone subjicit : *Institutiones sequendas eorum qui apostolicam fidem probaverunt.* Item, *Nihil aliud præcipi se velle, quam quod Evangeliorum et apostolorum fides et traditio incorrupta servavit : sicut et lege Divali*, etc. Quod Evangelii et apostolorum prærogativam attinet, de eo jam satis, ad *l. cunctos populos* 2 *supr. de fide Cathol.* et ad *l.* 28 *supr. de Hæreticis. Traditionem incorruptam quoque* hic advocari notandum est : qua sane se tuitus jam olim hac in re ipsa adversus anabaptismum Stephanus papa, anabaptismum omnem damnans, adversus Cyprianum, Firmilianum, et Africæ concilia : ut testatur Cyprianus ipse qui hæc Stephani verba recitat, *epist.* LXXIV *ad Pompeium Sabracensem* : *Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod* TRADITUM *est*, id est, *præter id quod traditum*

parentum nostrorum, Constantini, Constantii, Valentiniani, decreta sunt. Sed plerique expulsi de Ecclesiis, occulto tamen furore grassantur, loca magna domorum seu fundorum illicite frequentantes : quos

ANNOTATIONES.

est. Et Eusebeius *lib.* VII *Hist. Eccl. cap.* 1 : Παλαιοῦ γέ τοι κεκρατηκότος ἔθους : *et cap.* 2, ἀλλ' ὅγε Στέφανος, μὴ θεῖν τε νεώτερον παρὰ τὴν κρατήσασαν ἀρχῆθεν παράδοσιν, ἐπικαινοτομεῖν οἰόμενος, ἐπὶ τούτῳ διηγανάκτει : id est, *Stephanus nihil novi aut alieni a* TRADITIONE AB ANTIQUO OBTINENTE, *moliendum arbitratus, animo ob hanc causam indignabatur.* Augustinus quoque, lib. v de Baptismo contra Donatistas, cap. 23 : *Apostoli quidem nihil exinde præceperunt : sed consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum* TRADITIONE *exordium sumpsisse credendum est : sicut sunt multa quæ universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur.* Vincentius tandem Lirinensis in commonitorio suo c. 9, cum multa hanc in sententiam scribat, tandem ait, *epistolam a Stephano missam ad Africam, ubi his verbis sanxit, nihil innovandum, nisi quod* TRADITUM *est.* Quæ ipsa sunt Stephani verba, quæ Cyprianus supra memorabat. Et Cyprianus tamen illud in Stephano reprehendebat, quod Scripturis, quibus suam niti docerent Patres Africani, obduceret et opponeret traditionem, atque adeo traditionis nomine pravam venditaret consuetudinem, quæ non esset ab apostolis, sed postea irrepsisset. Sed de ista in ipsa Africa juniores a Cypriano abiere, et in argumento Stephani PP. acquievere, qui contendebat ante Agrippinum nusquam in Ecclesia iterari baptismum solitum. Et acquievit etiam tanto post Augustinus, lib. II, cap. 7, de Baptismo contra Donatistas: *Quam consuetudinem credo ex apostolica* TRADITIONE *venientem, sicut multa non inveniuntur in libris eorum neque in conciliis posteriorum ; et tamen quia per universam Ecclesiam creduntur, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur.* Et lib. IV, cap. 24 : *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica institutum rectissime creditur.* Vide eumdem et lib. I contra Cresconium cap. 33. Secuti et hanc sententiam et traditionis prærogativam imperatores ab episcopis edocti, Valentinianus scilicet leg. 1 supr. ubi eodem sensu ait, *contra* INSTITUTUM *omnium baptismum iterari;* Gratianus *hac lege* ubi pariter ait, INSTITUTIONES sequendas, et item, *quod* TRADITIO *incorrupta servavi ;* Honorius *l.* IV *infr. ut traditum est.* Eadem vero traditione sicut singularitas baptismi, ita et plerique ritus in baptismate, ne de aliis nunc dicam, defendebantur, ut prolixe et egregie multis demonstrat Tertullianus de Corona milit. cap. 34, 5, et Basilius de Spiritu sancto, cap. 27, veluti consecratio aquæ oleique unctionis; et ipsius qui baptismum accipit, renuntiatio Satanæ et angelis ejus; lactis et mellis prægustatio, ipsa fidei professio, et alia id genus : tandem et trina mersio. Hieronymus quoque adversus Luciferianos : *An nescis etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponatur, et ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis, ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum. Etiamsi scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hac parte consensus instar præcepti obtineret : nam et multa, quæ per* TRADITIONEM *in Ecclesia observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt, velut in lavacro ter mergitare.* Quare et ad ipsum Dominum et apostolos hos ritus referre non verentur Chrysostomus, si Chrysostomi est *Homilia de fide in Patrem, Filium et Spiritum Sanctum*, et Pelagius apud Gratianum, de Consecr. dist. 4. Et ita quoque hæc jam dicuntur et hic habentur *Apostolorum præcepta*, hæc *apostolica et apostolorum fides*, quam scilicet Traditio incorrupta servavit. Cui et *Evangeliorum* fides hic sociatur : Quomodo Augustinus quoque **204** etsi traditionem et consuetudinem urgeat, idem tamen, ne videretur humanis tantum argumentis agere, ex Evangelio documenta et testimonia protulit, quibus non solum idem colligeretur, sed plane ostenderetur : lib. I contra Donatistas : et lib. II, cap. 14; lib. IV, cap. 7; lib. V, cap. 4 et 23.

Provocat et *hac lege* Gratianus ad superiorum Principum constitutiones, Constantini M., Constantii (ego *Constantis* malim, cui Africa cesserat, non Constantii, qui etiam hæretica labe adspersus erat) itemque Valentiniani.

Provocat et ad sanctionem seu præceptum quoddam anterius ad Nitentium datum : quod quale sit nondum comperio : illud crediderim anteriorem ipsiusmet Gratiani constitutionem hic indicari : et quidem emissam ad Nitentium tribunum et notarium (cujus mentio apud Ambrosium epist. 64) extra ordinem in Africam missum cum mandatis seu *præcepto* (quomodo et hic vocatur) ad cohibendos hæreticorum cœtus : ut cæteroquin tribuni et notarii ab imperatoribus cum mandatis et præceptis missi etiam in negotio religionis, de quo plene ad *l. unic. supr. de mandatis Principum :* ubi Marcellini et Dalmatii exempla inter alia.

Nunc de *hujus legis sententia*, quidque adversus rebaptizantes constituat Gratianus : nempe tria hæc, hunc in finem statuuntur :

Primum absistere miseris erroribus suis. Vicarii Africæ auctoritate jubentur, id est eorum cœtus inhibere his jubetur. Quod mirum : Flavianus enim hic Vicarius Africæ (cujus alioquin meminit quoque Ammianus Marcellinus *extremo libro* XXVIII, et Augustinus *epist.* CLXIV ; vide Symmachum *lib.* II, *ep.* XXVII et LXIII) partis Donatistarum erat, quod Augustini locus, dicta *epist.* CLXIV, ostendit, ubi Donatistas sic inducit loquentes, tum et eis respondet : *At enim* (sunt verba Donatistarum) *et malos Christianis non licet persequi? Esto* (respondet Augustinus), *non liceat : sed numquid hoc Potestatibus, ad hoc ipsum ordinatis, fas est objicere? an apostolum delebimus? Sed vos, inquies* (altera hæc est Donatistarum objectio), *talibus* (potestatibus) *communicare non debetis? Quid ergo* (respondet Augustinus)? *vos Flaviano quondam Vicario partis vestræ homini, quia legibus serviens nocentes quos invenerat, occidebat, non communicastis?* Et sane *l.* IV *supr. de Hæreticis*, idem Gratianus (anno proximo 378 existimo) cœtus hæreticos dissimulatione Judicum agitari permissos testatur. Et vero ea lex (addatur et *lex* V *cod.*) huic firmandæ lata videtur : et utraque anterior aliqua lex antiquior adversus cœtus hæreticorum confirmatur : *olim*, inquit, *dict. l.* IV, *Jussimus.* Hac vero lege, *Nihil ut ab eo tenore sanctio nostra diminuat, qui dato dudum ad Nitentium præcepto fuerat constitutus.*

Secundo, *Ecclesias* quas adhuc nonnullas retinebant Donatistæ, Ecclesiæ Catholicæ restituere jubentur.

Tertio, *loca* in quibus coierint confiscari jubentur. Ubi notandum ad id delegisse eos *magnas domos* seu *fundos :* de qua confiscatione Augustinus, *lib.* I *contra litteras Petiliani c.* 24.

Tandem sibi quisque nocitura quod sentit sentire monetur : sibique solis fovere *virus* (nam ita repono) impiæ disciplinæ. Quod omnino congruit, sententiæ simul et verbis, *l.* V *supr. de Hæreticis.*, quæ biennio ferme post hanc legem data est.

Et hæc quidem omnia Donatistas respiciunt. Neque enim audio Baronium existimantem posteriorem hujusce legis partem ad Manichæos spectare ; nam imo tota legis series contrarium ostendit. Denique duo Donatistarum genera hic constituuntur : unum eorum qui Ecclesias adhuc quasdam contra fidem retinebant : alterum eorum, qui de Ecclesiis licet expulsi, occulto tamen furore grassabantur, loca

Digitized by Google

fiscalis publicatio comprehendet, si piaculari doctrinæ secreta præbuerint : nihil ut ab eo tenore sanctio nostra diminuat, qui dato dudum ad Nitentium præcepto fuerat constitutus. Quod si errorem suum diligunt, suis malis domesticoque secreto, soli tamen, foveant viros impiæ disciplinæ. Dat. XVI kal. Nov. CP. Gratiano A. IV et Merobaude Coss.

ANNO DOMINI 393.

IV.

DECRETUM HIPPONENSIS CONCILII

DE DONATISTIS CLERICIS IN NUMERO LAICORUM RECIPIENDIS,

Recitatum in concilio Carthaginensi anni 397.

Placuit etiam, ut quia in præcedentibus conciliis statutum est (1), ne quis Donatistarum cum honore suo recipiatur a nobis, sed in numero laicorum, propter salutem quæ nulli deneganda est (tantum autem inopiæ clericorum ordinandorum in Africa patiuntur Ecclesiæ, ut quædam loca omnino deserta sint), servetur quidem in istis, quod jam antea creditum (*al.* traditum) est : sed exceptis his, quos aut non rebaptizasse constiterit, aut qui cum suis plebibus ad communionem Catholicam transire voluerint. Sic enim scriptum est, quod duobus si convenerit Christianis, quidquid petierint impetrabunt (*Matth.* XVIII). Non oportet dubitari, quod remoto scandalo dissensionis universæ plebis, invitatæ pacis compensatione et sacrificio charitatis aboleantur, quæ majorum suorum auctoritatem sequentes, repetitione baptismi commiserunt. Sed hanc rem placuit non confirmari priusquam exinde transmarina Ecclesia consulatur.

205 ANNO DOMINI 393.

V.

EPISTOLA CABARSUSSITANI CONCILII

A DONATISTIS MAXIMIANENSIBUS HABITI

Contra Primianum Donatistam Carthaginensem.

(*Edita ex Augustino in Psalm.* XXXVI.)

Sanctissimis Fratribus atque Collegis, per universam Africam, hoc est, per Provinciam Proconsularem, Numidiam, Mauritaniam, Byzacenam et Tripolin constitutis, sed et Presbyteris, diaconis, et universis plebibus, in veritate Evangelii nobiscum militantibus, Victorinus, Fortunatus, et Victorianus, Migginus, Saturninus, Constantius, Candorius, Innocentius, Cresconius, Florentius, Salvius, alius Salvius, Donatus, Geminius, Prætextatus (Assuritanus episcopus), Maximianus, Theodorus, Anastasius, Donatianus, Donatus, alter Donatus, Pomponius, Pancratius, Januarius, Secundinus, Paschasius, Cresconius, Rogatianus, alius Maximianus, Benenatus, Gaianus, Victorinus, Guntasius, Quintasius, Felicianus, Salvius, Migginus, Proculus, Latinus et cæteri qui in Concilio apud Cabarsussi fuimus, in Domino æternam salutem.

Nemo est qui nesciat, fratres dilectissimi, de sacerdotibus Domini, non propriæ voluntatis, sed divinæ legis impulsu, tam in reos sententiam dicere, quam innocentibus inflictam, jure ab eis ac merito submovere. Non levi enim periculo subjacebit, quisquis aut reo pepercerit, aut innocentem conficere pertentarit : maxime cum scriptum sit : *innocentem et justum non occides : et purgatione non purgabis reum.*

Hoc igitur edicto legis admoniti, necesse nos fuerat Primiani causam, quem plebs sancta Carthaginensis Ecclesiæ episcopum fuerat in ovile Dei sortita, seniorum litteris ejusdem Ecclesiæ postulantibus, audire atque discutere sub eo, ut explanatis omnibus aut innocentem, quod optabile fuerat purgaremus, aut nocentem certe ostenderemus suis meritis esse damnatum. Optatissimum enim nobis fuit, ut plebs sancta Carthaginensis Ecclesiæ, eo se lætetur episcopo sublimatam, qui in omnia sanctus, et in nullo reprehensibilis haberetur. Propterea utique talem esse oportet Domini sacerdotem, ut quod populus pro se apud Deum non valuerit, ipse

ANNOTATIONES.

magnarum domorum seu fundorum illicite frequentantes. JACOBUS GOTHOFREDUS.

(1) *In præcedentibus conciliis statutum est.* Vetus Ecclesiæ Africanæ disciplina hæc fuit, ut hæretici et schismatici in clero constituti ad Ecclesiam redeuntes, sive prius in Catholica ordinati, vel apud hæreticos aut schismaticos promoti, ea conditione susciperentur, ut communicarent tantum ut laici, et satis haberent quod admitterentur ad pacem, nullam autem ordinationis et honoris prærogativam retinerent. Ita Cypr. ep. LXXII. Eamdem legem primum in Romana Ecclesia viguisse constat ex Innocent. I ep. XXII ad episcopos Macedoniæ. Idem statutum legitur in concilio Eliberitano, can. LI. Attamen mitius actum est aliquando cum schismaticis, ut in concilio Nicæno cum Novatianis, quos in clero manere synodus permisit, et cum Melitianis, quos etiam ulterius provehi non vetavit. Idem Donatistis initio schismatis indultum. Nam, ut observat S. Aug. ep. XLIII, Miltiades Donato solo expulso paratus fuit communicatorias mittere cæteris qui a Majorino ordinati fuerant, eosque pro episcopis habere : ita ut in iis locis ubi duo essent episcopi quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet qui foret ordinatus prior. In concilio Arelatensi nihil novi circa hoc statutum, quamquam hujus synodi patres optassent ut severior in Donatistas sententia proferretur, quemadmodum ex eorum epistolæ ad Miltiadem verbis intelligere est. At subsequentibus in conciliis Africanis vetitum fuisse, ne quis Donatistarum cum honore suo susciperetur, diserte hic asseritur in concilio Carthaginensi anni 401. In hoc Hipponensi anni 393, proponitur hujus severitatis relaxatio, in gratiam eorum tantum *quos aut non rebaptizasse constiterit, aut qui cum suis plebibus ad communionem Catholicam transire voluerint.* Sed antequam quidquam statueretur, transmarinam Ecclesiam consuli placuit. In concilio Carthaginensi anni 397, mandatum est, ut consulerentur præsules Romanus et Mediolanensis, utrum infantes baptizati a Donatistis ad clerum promoveri possent. Iterum in concilio Carth. anni 401, missa legatio ad eosdem antistites, ut liceret clericos Donatistarum in ordinibus suis suscipere. Tandem in concilio universali Africæ ejusdem anni, pro bono pacis et ob inopiam clericorum, potestas facta est omnibus episcopis catholicis Donatistarum clericos suscipiendi cum ordinibus suis. J. G.

Digitized by Google

pro populo mereatur quod poposcerit impetrare : A *quia scriptum est : si peccaverit populus, orabit pro eo sacerdos : si autem sacerdos peccaverit, quis orabit pro eo ?*

Scandala igitur Primiani, et ipsius nequitia singularis, sic in se cœleste judicium provocavit, ut horum criminum auctorem necesse esset penitus amputare : qui recens ordinatus, presbyteros supradictæ plebis ad conjurationem impiæ conspirationis impellens, hoc ab eis velut precario jure postulavit, ut ad damnandos quatuor diaconos, viros egregios, ac singularibus meritis approbatos, Maximianum scilicet, Rogatianum, Donatum, itemque Salgamium, consentirent, et incunctanter ei promitterent accommodare consensum.

Cujus illi mala præsumptione stupefacti cum rem B silentio refellissent, per se cogitatum scelus non dubitavit implere, usque adeo ut in Maximianum diaconum, virum, sicut omnibus notum est, innocentem, sine causa, sine accusatore, sine teste, absentem ac lecto cubantem, sententiam putaret esse promendam : qui jampridem clericos non dissimili furore damnarat.

Nam cum incestos, contra legem decretaque omnium sacerdotum, communioni sanctæ adjungeret : cumque obsistente maxima parte plebis, etiam seniorum nobilissimorum litteris conveniretur, ut per se corrigeret quod admiserat ; sua temeritate possessus, emendare contempsit. His itaque permoti seniores Ecclesiæ supradictæ, ad universum chorum litteras legatosque miserunt, quibus non sine lacry- C mis deprecati sunt, ut ad se ferventius veniremus ; quo perpenso libramine intentationibus exploratis ; existimatio Ecclesiæ purgaretur.

Ad hanc proinde, cum secundum memoratorum litteras veniremus ; nota sua ille ratione fervescens, adventum nostrum penitus declinavit. Qui usquequaque rebelli animo recalcitrans in malo permansit, ut, conducta multitudine perditorum, atque impetratis officialibus, basilicarum januas obsedissent, qui ingrediendi nobis atque agendi solemnia interdicerent facultatem. Hæc si episcopum convenit facere, si Christianis licet admittere, si hoc Evangelia protestantur ; probet aut judicet quisquis amator aut assertor est veritatis. Hoc enim nobis inflixit frater aliquando proprius, quod nunquam D faceret alienus.

Decrevimus omnes sacerdotes Dei, præsente Spiritu sancto, hunc eumdem Primianum, primo quod super vivos episcopos, alios subrogarit : quod incestos cum sanctorum communione miscuerit : quod presbyteros ad conjurationem meundam constringere pertentarit : quod Fortunatum presbyterum in cloacam fecerit mitti, cum ægrotantibus baptismo succurrisset : quod communionem Demetrio presbytero denegarit, ut cogeret filium abdicare : quod idem presbyter objurgatus sit, quod episcopos hospitio suscepisset : quod supradictus Primianus multitudinem miserit, quæ Christianorum domos everteret : quod obsessi sint episcopi simul et clerici, et postea ab ejus satellitibus lapidati : quod in basilica cæsi sint seniores, quod indigne ferrent Claudianistas ad communionem admitti : quod innocentes clericos putaverit esse condemnandos : quod se 206 nobis audiendum noluerit exhibere, cum basilicarum fores ne ingrederemur, multitudine et officio intercluserit : quod legatos a nobis ad se missos injuriose rejecerit : quod loca multa vi primo, dehinc auctoritate judiciaria usurpaverit : præter alia illicita ejus admissa, quæ pro honestate styli nostri siluimus, a sacerdotali choro perpetuo esse damnatum : ne eo palpato, Dei Ecclesia aut contagione, aut aliquo crimine maculetur. Quod id ipsum Paulus apostolus exhortatur et admonet : *Præcepimus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut discedatis ab omni fratre inordinate ambulante :* atque adeo non immemores puritatis Ecclesiæ, conducibile existimavimus, omnes sanctos consacerdotes et omnes clericos, et omnes populos qui se Christianos meminerunt, hac nostra tractoria commonere, ut omnes ejus communionem, utpote damnati, diligenti cura horreant. Ipse enim de suo interitu rationem reddet, qui hoc nostrum decretum non audiendo tentaverit violare.

Placuit sane nobis et Spiritui sancto, quod tempus tardis ad convertendum reservetur sub eo, ut quicumque consacerdotum vel clericorum suæ salutis immemores, a die damnationis supradicti Primiani, id est a die VIII kalendarum Juliarum, usque ad diem VIII kalendarum Januariarum, minus a Primiani damnati communione recesserint, tali sententia constringantur. Laici quoque nisi se a supra dicto die damnationis illius, intra diem Paschæ futuræ ab ejus consortio separaverint, non posse quemquam nisi per pœnitentiam, siquidem meminerint, Ecclesiæ reformari.

Victorinus Munaciensis episcopus subscripsi. Fortunatus Dionysianensis episcopus subscripsi. Victorianus Carcabianensis episcopus subscripsi. Florentius ab Adrumeto episcopus subscripsi. Miggin ab Elephantaria episcopus subscripsi. Innocentius Thebaltensis episcopus subscripsi. Miggin pro collega meo Salvio Membressitano episcopo subscripsi. Salvius Ausafensis episcopus subscripsi. Donatus Subratensis episcopus subscripsi. Gemelius a Tambeis episcopus subscripsi. Prætextatus Assuritanus episcopus subscripsi. Maximianus Stabatensis episcopus subscripsi. Datianus Camicetensis episcopus subscripsi. Donatus Fiscianensis episcopus subscripsi. Theodorus Usulensis episcopus subscripsi. Victorianus jubente collega Agnosio episcopo subscripsi. Donatus Cebrisetanus episcopus subscripsi. Natalicus Thelensis episcopus subscripsi. Pomponius Macrianensis episcopus subscripsi. Pancratius Balianensis episcopus subscripsi. Januarius Aquenensis episcopus subscripsi. Secundus Jocundianensis episcopus subscripsi. Pascasius a Vico Augusti episcopus subscripsi. Cresconius Taciamensis

Digitized by Google

episcopus subscripsi. Rogatianus episcopus subscripsi. Maximianus Erumminensis episcopus subscripsi. Benenatus Tugutianensis episcopus subscripsi. Ritanus episcopus subscripsi. Gaianus Tigualensis episcopus subscripsi. Victorinus Leptimagnensis episcopus subscripsi. Guntasius Benefensis episcopus subscripsi. Quintasius Capsensis episcopus subscripsi. Felicianus Mustitanus episcopus subcripsi. Victorianus ex delegatione Miggini episcopi subscripsi. Latinus Mugiensis episcopus subscripsi. Proculus Girbitanus episcopus subscripsi. Donatus Sabratensis episcopus pro fratre et collega meo Marratio subscripsi. Proculus Girbitanus pro collega meo Galliono subscripsi. Secundianus Prisianensis episcopus subscripsi. Helpidius Tusdritanus episcopus subscripsi. Donatus Samurdatensis episcopus subscripsi. Getulicus Victorianensis episcopus subscripsi. Annibonius Rabautensis episcopus subscripsi. Item Annibonius petitus a collega meo Augendo Arensi episcopo subscripsi. Tertullus Abitensis episcopus subscripsi. Primulianus episcopus subscripsi. Secundianus Aurisilianensis episcopus subscripsi. Maximus Pitanensis episcopus subscripsi. Crescentianus Murrensis episcopus subscripsi. Donatus Beliniensis episcopus subscripsi. Perseverantius Tevestinus episcopus subscripsi. Faustinus Binensis episcopus subscripsi. Victor Altiburitanus episcopus subscripsi. Omnes numero quinquaginta tres.

ANNO DOMINI 394.

VI.

SENTENTIA CONCILII BAGAIENSIS

A DONATISTIS EPISCOPIS CCCX

Pro Primiano habiti, in Maximianum ejusque ordinatores ac socios pronuntiata.

(Ex variis Augustini locis collecta.)

Cum omnipotentis Dei et Christi ejus Salvatoris nostri voluntate, ex universis provinciis Africæ venientes, in Ecclesia sancta Bagaiensi concilium gereremus, Gamalius, Primianus, Pontius, Secundianus, Januarius, Saturninus, Felix, Pegasius, Rufinus, Fortunius, Crispinus, Florentius, Optatus, Donatus, Donatianus, et cæteri, numero trecenti et decem : Placuit Spiritui sancto, qui in nobis est, pacem firmare perpetuam, et schismata resecare sacrilega (*Lib.* IV *contr. Crescon. cap.* 10).

Optata quidem pacis et concordiæ est juncta germanitas, sicut scriptum est : *Justitia et pax osculatæ sunt invicem* (*Ibid. cap.* 16).

Licet enim viperei seminis noxios partus venenati uteri alveus diu texerit : et concepti sceleris uda coagula, in aspidum membra tardo se calore vaporaverint ; tamen conceptum virus, evanescente umbraculo, occultari non potuit : nam etsi sero, publicum tamen facinus et parricidium suum, fœta scelerum vota pepererunt. Quod ante prædictum est : *Parturiit injustitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem.* Sed quoniam serenum jam fulget e nubilo nec est confusa criminum sylva, cum ad pœnam designata sunt nomina. Indulgentiæ enim ante hac fuerat : dum clementiæ dimittimus lineam, invehit causa quos puniat (*Lib. de Gest. cum Emer.* **207** *et lib.* IV *contr. Cresc. cap.* 31, *lib.* II *contr. Parmen. cap.* 3).

Sed veridica unda in asperos scopulos nonnullorum naufraga projecta sunt membra ; et Ægyptiorum ad modum exemplo, pereuntium funeribus plena sunt littora : quibus in ipsa morte major est pœna, quod post extortam aquis ultricibus animam, nec ipsam inveniant sepulturam (*Lib.* IV *contr. Crescon. cap.* 16).

Loquamur, charissimi fratres, schismatis causas : quia jam non possumus tacere personas. MAXIMIANUM fidei æmulum, veritatis adulterum, Ecclesiæ matris inimicum, Dathan, Chore et Abiron ministrum, de pacis gremio sententiæ fulmen excussit : et quod adhuc eum dehiscens terra non absorbuit, ad majus supplicium superis reservavit. Raptus enim pœnam suam compendio lucraverat funeris ; usuras nunc graviores colligit fœnoris, cum mortuis interest vivus (*l. de Gest. cum Emer.*).

Nec solum hunc sceleris sui mors justa condemnat. Trahit etiam ad consortium criminis plurimos catena sacrilegii, de quibus scriptum est : *Venenum aspidum sub labiis eorum, quorum os maledictione et amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem ; contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt : non est timor Dei ante oculos eorum.* Nollemus quidem quemquam e proprii corporis junctura præcidi ; sed quoniam tabescentis vulneris putredo pestifera plus habet in abscissione solaminis quam in remissione medicaminis ; inventa est causa salubrior, ne per cuncta membra pestilens irrepat virus, ut compendioso dolore natum decidat vulnus (*eod. lib.*).

Famosi ergo criminis reos, Victorianum Carcabianensem, Martianum Sullectinum, Beianum Baianensem, Salvium Ausaphensem, Theodorum Usulensem, Donatum Sabratensem, Miggenem Elephantariensem, Prætextatum Assuritanum, Salvium Membressitanum, Valerium Melzitanum, Felicianum Mustitanum, et Martialem Pertusensem, qui funesto opere, perditionis vas sordidum collecta fæculentia glutinarunt (*l.* III *contr. Cresc. cap.* 53) : sed et clericos aliquando Ecclesiæ Carthaginis, qui dum facinori intersunt illicito, incestui præbuerunt lenocinium, Dei præsidentis arbitrio, universalis concilii ore veridico, damnatos esse cognoscite. Eos autem quos sacrilegii surculi non polluere plantaria, hoc est, qui a Maximiani capite, proprias manus verecundo fidei pudore retraxerunt, ad matrem Ecclesiam redire permisimus (*l. de Gest. cum Emer.*).

Placuit tamen decreto concilii, dilationem temporis dari, intra quod si quis corrigi voluisset, innocens haberetur (*l.* IV *contr. Cresc. cap.* 34). Quantum enim de reorum morte purgamur, tantum de innocentium reditu gratulamur (*Eodem l. c.* 35).

Digitized by Google

Ac ne angustum redeuntibus tempus, spem salutis arctatæ dici pressura subducat; agnoscentibus quibuslibet longe manentibus præcedentibus statutis, universis usque ad diem octavum kalendarum Januarii proxime futurarum, agnitionis pandimus januam, ut integri honoris ac fidei regressi habeant fundamenta : quam si quisquam ingredi nequiverit pigra segnitie; sciat sibi ad omnes veniales aditus, sua voluntate viam esse subductam. Manebit enim circa eos dicta sententia, et post præstitutum diem redeuntibus fixa pœnitentia (*l.* IV *contr. Cresc. cap.* 4).

Data Bagaï in Numidia VIII kalendas Maias post consulatum Theodosii Augusti III, consulatu Augustorum Arcadii III et Honorii iterum (*l.* III *contra Cresc. cap.* 56, *et l.* IV *c.* 39).

Interfuerunt Episcopi 310.

ANNO DOMINI 395.

VII.

SUPPLEX LIBELLUS

PEREGRINI PRESBYTERI ET SENIORUM ECCLESIÆ MUSTITANÆ REGIONIS PRIMIANISTARUM

Adversus Maximianistas.

(*Ex Augustino, lib.* IV *contra Cresconium cap.* 4.)

Post consulatum dominorum Arcadii III et Honorii iterum Augustorum, sexto nonas Martias, Carthagine in secretario prætorii Titianus dixit : « Peregrinus presbyter et seniores Ecclesiæ Mustitanæ regionis tale desiderium prosequuntur. Cum Ecclesiæ catholicæ sanctitatem vir memoriæ venerabilis ab errore perfidiæ Donatus assereret; in ejus nomen et cultum, mundi pene totius observantia nutrita coaluit. Sed cum ejus religionis laudandum mirandumque propositum, Maximiani cujusdam venena polluerent; multorum cœtus antistitum in unum Deo conspirante collectus, hominem vel potius pestem, quæ supernæ displicuit majestati, etiam puræ mentis propria coercitione damnavit.

« Eos quoque, quos alienæ præsumptionis error attraxerat, portu primo proposito pœnitendi, si reverti cuperent intra tempus ad religionis tramitem præstitutum, pari vigoris admonitione compescuit. Sed suis institutis iniquitas delectatur, et semetipsam non deserit, cum semel præcipitata corruerit. Idem namque Maximianus cœptam nutrit audaciam, et alios sibimet consociat ad furorem.

« Inter quos etiam Felicianus quidam, qui primo recta sectatus, depravationis hujus attaminatione fuscatus, in Mustitana positus civitate, Deo omnipotenti parietes consecratos, et Ecclesiam venerandam quasi quadam obsidione credidit retinendam.

« Hunc etiam Prætextatus in Assuritanis partibus imitatur. Sed cum æquitatis tuæ innotesceret potestati consortium sacerdotum, jussisti, ut gesta testantur, exploso omni contradictionis effectu, sacratissimis sacerdotibus a profanis mentibus Ecclesias vindicatas oportere restitui » (*l.* III *contr. Crescon.* 56).

208 ANNO DOMINI 397.

VIII.

DECRETUM CARTHAGINENSIS CONCILII

DE PARVULIS A DONATISTIS BAPTIZATIS.

CAN. XLVIII.

De Donatistis placuit, ut consulamus fratres et consacerdotes nostros Siricium (romanum Episcopum) et Simplicianum (Mediolanensem), de solis infantibus qui baptizantur penes eosdem, ne quod suo non fecerunt judicio, cum ad Ecclesiam Dei salubri proposito fuerint conversi, parentum illos error impediat, ne promoveantur sacri altaris ministri.

ANNO DOMINI 398.

IX.

IN HÆRETICOS THEODOSII MAJORIS CONSTITUTIO,

Decernens mulctam auruariam, ad quam ipsos etiam Donatistas cum cæteris hæreticis pertinere, Arcadii et Honorii rescripto postea declaratum fuit (*ex lib.* III *contra Cresconium*, *n.* 51; *et epist.* 185, *n.* 25).

Impp. THEODOSIUS et ARCADIUS AA. Tatiano PF. P.

In hæreticis erroribus quoscumque constiterit, vel ordinasse clericos, vel susceptisse officium clericorum, denis libris auri viritim mulctandos esse censemus. Locum sane in quo vetita tentantur, si conniventia domini patuerit, fisci nostri viribus aggregari. Quod si id possessorem (quippe clanculum gestum) ignorasse constiterit, conductorem ejus fundi, si ingenuus est, decem auri libras fisco nostro inferre præcipimus; si servili fæce descendens, paupertate sui pœnam damni ac vilitate contemnit, cæsus fustibus deportatione damnabitur. Tum illud specialiter præcavemus, ut si villa dominica fuerit, seu cujuslibet publici juris, et conductor et procurator licentiam dederit colligendi, denis libris auri proposita condemnatione mulctentur. Verum si quos talibus repertos obsecundare mysteriis, ac sibi usurpare nomina clericorum jam nunc proditum fuerit, denas libras auri exigi singulos et inferre præcipimus. Dat. XVII kal. Jul. Constantinop. Arcad. III et Rufino Coss.

ANNO DOMINI 398.

X.

LEX HONORII

ADVERSUS IRRUENTES IN ECCLESIAS.

(*Ex Cod. Theod. Lib.* XVI, *Tit.* II, de Episcopis, ecclesiis et clericis, *l.* 31.)

Impp. ARCAD. et HONORIUS AA. Theodoro PF. P.

Si quis in hoc genus sacrilegii proruperit, ut in ecclesias catholicas irruens, sacerdotibus et ministris, vel ipsi cultui locoque aliquid importet injuriæ, quod geritur, litteris ordinum, magistratuum et curatorum, et notoriis apparitorum, quos Stationarios appellant, deferatur in notitiam potestatum, ita ut vocabula eorum qui agnosci potuerint, declarentur : et, si per multitudinem commissum dicetur, si non omnes, possunt tamen aliquanti cognosci,

Digitized by Google

quorum confessione sociorum nomina publicentur. Atque ita provinciæ moderator, sacerdotum, et catholicæ Ecclesiæ ministrorum, loci quoque ipsius, et divini cultus injuriam, capitali in convictos, sive confessos, reos sententia noverit vindicandum. Nec exspectet ut episcopus injuriæ propriæ ultionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi soli gloriam dereliquit. Sitque cunctis non solum liberum, sed et laudabile, factas atroces sacerdotibus, aut ministris injurias, veluti publicum crimen, persequi, ac de talibus reis ultionem mereri. Quod si multitudo violenta civilis apparitionis exsecutione, et adminiculo ordinum possessorumve non potuerit præsentari, quod se armis, aut locorum difficultate tueatur, judices Africani armatæ apparitionis præsidium, datis ad virum spectabilem comitem Africæ litteris, prælato legis istius tenore, deposcant, ut rei talium criminum non evadant. Dat. VII kal. Maii, Med. Honorio III et Eutychiano Coss.

ANNO DOMINI 400.

XI.

LEX HONORII (1)

DE RESCRIPTO QUOD DONATISTÆ A JULIANO IMPETRARANT.

(*Ex Cod. Theod. L.* XVI, *Tit.* V, De Hæreticis, *L.* 37.)

Impp. ARCAD. et HONORIUS AA. Hadriano PF. P.

Rescriptum, quod Donatistæ a Juliano tunc Principe impetrasse dicuntur, proposito programmate celeberrimis in locis volumus anteferri, et gesta, quibus est hujuscemodi allegatio inserta, subnecti: quo omnibus innotescat, et catholicæ confidentiæ stabilita constantia et Donatistarum desperatio fucata perfidia. Dat. V kal. Mart., Rav. Stilichone et Aureliano Coss.

ANNOTATIONES.

209 (1) Honorii imperatoris constitutiones ferme nunc sequuntur: namquam et *lex* 35 *supr.* ejusdem fuit. Sequuntur inquam, *num.* 17, puta hæc lex, et *leg.* 38, 39, 40, 41, 42, 43, 44, 45, 46, 47, 51, 52, 53, 54, 55, 56. Et quidem, quod observandum, potissimam partem adversus *Donatistas*, emissa: de quibus hæc quoque lex est: sic ut undecim in universum de Donatistis Honorii constitutiones hoc titulo liquido numerare liceat, ex quibus discimus quæ Honorii mens, quod odium in Donatistas fuerit. Nempe hæc illa Honorii tempora sunt, per quæ Donatistæ potissimum desæviere: et quidem, Circumcelliones in Africa, quæ Donatistarum nutricula erat. Atque ut omittam quæ sub eodem Honorio moliti illi sunt, jam inde ab imperii ipsius initio, atque adeo ante hanc legem, de hujus modo legis sententia nunc videamus.

Donatistis igitur per omnium ora traducendis, desperataeque et fucatæ eorum perfidiæ publicandæ: contra, Catholicorum confidentiæ et stabilitæ constantiæ efferendæ, Honorius imp. hac constitutione, quæ data est anno 400, Rescriptum quod a Juliano Apostata (ante 40 ferme annos) impetraverant, proposito programmate, celeberrimis in civitatum locis *anteferri*, id est proponi ab Hadriano PP., simul et *Gesta*, quibus hujus allegatio, seu rescriptum insertum fuerat, subnecti jubet. Hæc aperta hujusce l. est sententia, quæ nullam juris constitutionem continet, sed Donatistarum tantum odium præfert. Quæ ut melius intelligatur, de tribus videndum est: quodnam illud sit *Rescriptum* Juliani, simul et *Gesta* illa; quæ tandem occasio fuerit hujusce legis sanciendæ. Quod primum attinet, res sic se habet:

Donatistæ ante Julianum imp. a Constante imp. repressi, pulsis eorum ducibus, principibus, et basilicis eis ereptis, Juliano Apostata ad imperium evecto, legationem seu legatos, et in his Pontium, ad eum destinarunt, restitui se sibique basilicas, a Constante ereptas reddi, precibus petituros: qui utique adulationis plenissimi Julianum adorti, dicentes: *Quod apud eum solum justitia locum haberet* (quæ hic *fucata perfidia* dicitur). Id quod a Juliano facile impetravere, eo rescripto, cujus *hac lege* mentio fit. Cujus tum libelli, tum rescripti meminere Optatus Milevitanus *lib.* II, Chrysostomus *lib.* I *contra Gentes*; Augustinus contra *epist. Parmeniani*, *lib* I, *sub fin. p.* 22; *contra litteras Petiliani lib.* II, *cap.* 92 *et* 97; *epistola ad Vincentium* 48, *et epist. ad Donatistas* 166. Nempe eo consilio, ut ita Christianos inter se committeret, cui pax et unitas christiana nimium displicebat; quem Juliani animum, ut in genere Ammianus Marcellinus *lib.* XXII, describit: ita Chrysostomus *lib.* I *contra Gentes*, et Optatus *lib.* II, et Augustinus *d. lib.* I *contra Parmenianum et epist.* 166, hac in re nominatim tradit. Porro hujus rescripti quædam inter cætera et ad locum refert Augustinus *lib.* II *contra litteras Petiliani c.* 97: *Quod Julianus*, inquit, *constituit dicens: Hoc quoque supplicantibus Rogatiano, Pontio, Cassiano et cæteris episcopis, sed et clericis, accedit ad cumulum, ut abolitis quæ adversus eos sine rescripto perperam gesta sunt in antiquum statum cuncta revocentur.* Et hæc de rescripto Juliani ad preces Donatistarum. Quod quidem ut id obiter moneam, a Juliano Sirmii datum non fuit, quod probat vir doctus, ut ita huc trahat rescriptum, quod Sirmii datum dicitur et antiquatur, *l.* V *supr.* Neque enim Julianus princeps seu imperator Sirmii umquam fuit.

Quid *Gesta* hic sint, quibus hujuscemodi allegatio inserta, videamus. Sane bifariam id accipi posse quis putet? Primum per gesta hic accipienda videantur acta a Legatis, seu allegationes Donatistarum apud Julianum, et sic supplicatio seu preces ipsæ, quibus in scripta redactis, rescriptum deinceps insertum. Quo sensu hoc codice non una lex ex parte Actorum apud principem, seu in consistorio ejus exhibetur, de quo vide *Prolegom.* Secundo putet quis hic accipienda gesta judicum Africæ: ubi sane Donatistæ una cum rescripto a Juliano impetrato, preces Juliano oblatas, allegarunt, insinuarunt. Optatus *lib.* III: *Bene nosti quod vel a quo petiverint, et quam rogaverint, ut redirent et tecum venire potuissent, et nos didicimus, cum easdem preces; quas dederunt apud Africanos judices allegarent; in quibus infra scriptum est: Datæ ab episcopis partis Donati.* Augustinus pariter *lib.* I *contra Parmenianum d. cap.* 7, *in fin.*: *Juliano Donatistæ, sicut judicum gesta testantur, quibus hi quod impetraverunt*, ALLEGARUNT, *talibus verbis supplicaverunt. Dixerunt enim, quod apud eum solum justitia locum haberet.* Et contra litteras *Petiliani*, *lib.* II: *Pontius fecit, Pontius supplicavit, Pontius apud Apostatam solum justitiam locum habere prædicavit. His verbis sibi Pontium supplicasse in eodem rescripto suo nominatim sine ambage ipse Julianus expressit*: *Exstant* ALLEGATIONES VESTRÆ: *non hæc incerta fama, sed publica monimenta testantur.* Et rursum, *c.* 97: *Imperatori pagano et apostatæ dixistis: Quod apud eum solum justitia locum haberet. Quibus precibus et rescripto, sicut ibi scriptum est* (*sicut* ALLEGATIONIS GESTA *testantur*), *pars Donati universaliter usa est.* Nempe scripta principum qui impetraverant, ea judicibus et judicum gestis allegabant (*les faisaient enregistrer au greffe des juges*), ut docent præterea hoc codice *l.* II *supr. de integri restitut.*; *l. unic. supr.*

Digitized by Google

210 Anno Domini 401.
XII.

CONCILII CARTHAGINENSIS LEGATIO

AD CONSULENDUM ANASTASIUM ET VENERIUM DE PARVULIS APUD DONATISTAS BAPTIZATIS,

Ut in catholica Ecclesia clerici ordinari valeant.

Post consulatum Flavii Stilichonis viri clarissimi XIV (vel XVI) kal. Julias, Carthagine in secretario Basilicæ Restitutæ, cum Aurelius episcopus una cum episcopis suis consedisset, adstantibus diaconibus, Aurelius episcopus dixit: « Ecclesiarum Dei per Africam constitutarum necessitates mecum optime novit charitas vestra, sanctissimi fratres. Et quoniam præstitit Dominus, ut ex aliqua parte sancti cœtus vestri esset congregata sententia, videtur mihi, ut has eas- B dem necessitates, quas pro sollicitudine nostra indagare potuimus, in medium proferamus: quas cum approbaverit vestra sinceritas, sit consequens, eligendum esse unum e nostro numero consacerdotem, qui auxiliante Domino, orationibus vestris, et has ipsas necessitates suscipere possit et gnaviter peragendas implere, perrecturus ad transmarinas Italiæ partes, ut tam sanctis fratribus et consacerdotibus nostris, venerabili sancto fratri Anastasio sedis A apostolicæ episcopo, quam etiam sancto fratri Venerio sacerdoti Mediolanensis Ecclesiæ, necessitatem ipsam ac dolorem atque inopiam nostram valeat intimare (ex his enim sedibus hoc fuerat prohibitum); quo noverint communi periculo providendum: maxime quia tanta indigentia Clericorum est, multæque Ecclesiæ ita desertæ sunt, ut ne unum quidem diaconum vel illiteratum habere reperiantur. Nam de cæteris superioribus gradibus et officiis tacendum arbitror: quia, ut dixi, si ministerium diaconi facile non invenitur, multo magis superiorum honorum inveniri non posse certissimum est. Et quotidianos planctus diversarum pene emortuarum plebium jam non sustinemus: quibus nisi fuerit aliquando subventum, gravis nobis et inexcusabilis innumerabilium animarum perenatium causa apud Deum mansura est.

« Unde quoniam superiori concilio (*Conc. Afric. can.* 24 *Cod. can. Eccles. Afr. can.* 57) statutum esse mecum recognoscit unanimitas vestra, ut his qui apud Donatistas parvuli baptizati sunt, nondum scire valentes erroris eorum interitum, et postea quam ad ætatem rationis capacem pervenerunt, agnita veritate falsitatem eorum abhorrentes ad Ecclesiam Dei catholicam per universum mundum diffusam,

ANNOTATIONES.

de operibus public.; *l.* XXVI *supr. de cohortalibus*; *l.* XII, *et* 13, 20, 30 *supr.*, *de petition.*, *l. unic. supr. si vagum mancip. l.* II *supr. de incorporat.* Et ita quidem rescripta gestis allegabantur, ut simul etiam preces, ad quas rescriptum emanaverat, allegarentur, seu C intimarentur: quod et hic factum a Donatistis. Qua causa Honorius gestorum publicationem imperat; nam nonnisi ex his fucata Donatistarum perfidia innotescere potuit: vice versa Catholicæ confidentiæ stabilita confidentia. Nempe quod Donatistæ, at non et Catholici, adulatione fucata et perfida Juliano obrepserant, atque omne illud quod ab eo impetraverant, malis artibus impetraverant.

Nunc postremo loco inquirendum est, quænam occasio hoc tempore Honorio imper. præbita fuerit, ut Juliani apostatæ rescriptum hoc pro Donatistis, una cum eorum precibus, post tot demum annos ex actis proconsularibus publice proponi voluerit, atque omnibus innotescere. Putat haud absurde Baronius Donatistarum (et quidem Petilianii Donatistæ nominatim) epistolam seu invectivam in Catholicos huic constitutioni occasionem dedisse: qua, ut docet Augustinus pluribus locis, et inter cætera *epist.* 48 *et contra Petiliani epistolam lib.* II, *cap.* 92, exprobravit Catholicis, quod a principibus adversus se D sæpe expetissent auxilium: atque inter cætera hæc in eam sententiam dixerat: *Quid autem vobis est cum..., sæculi, quos numquam Christianitas nisi invidos sensit*, etc. Addatur et Augustini locus *contra epistolam Parmeniani lib.* I, *cap.* 7, *circa fin.* ubi pariter hoc Donatistarum factum jam proscribebat anno superiore 398 (ut existimo). Has scilicet invectivas ad aures Honorii pervenisse, per legatos africanos anno 399 superiore, vel ipsum Possidium Calamensem episcopum: Honorium his commotum, in eorum Donatistarum opprobrium, procaciam eorum efferri voluisse, qua ipsimet a Juliano imp. Apostata rescriptum seu auxilium impetrasse innotesceret. Fortasis et illud putet quis Donatistas de legibus ab Honorio imperatore adversus se latis querentes, Juliani factum jactasse exprobrandi animo, quasi minus æquitatis et juris Christiani ipsi a Christiano principe ferrent, quam a gentili imp. olim tulerant, Christiani alioquin nominis osore. Quare visum Honorio, rescriptum Juliani cum precibus Donatistarum publice omnibus proponi, ut ita sciretur, quam bonis, imo fucatis artibus id Donatistæ impetrassent, imo quam desperata et fucata perfidia eorum fuerit: quam interpretationem juvare videntur, quæ Augustinus scribit, tum passim, tum *lib.* I *adv. Parmenianum*, *cap.* 7, *epist.* 43, contra, quam aliis longe artibus, puta Catholica confidentia, Catholicorum constantia stabilita fuerit, quos ut a veritate, ita et sinceritate nihil dimovere unquam valuerit; quod sane ex Juliani temporum historia liquet.

Quidquid hujus sit, ut omittam quod Augustinus testatur de actis Collationis Carthaginensis, quæ in Ecclesiis Africanis publice Quadragesimæ tempore recitari mos fuit, *lib. de gestis cum Emerito*; ut omittam quod idem Honorius *l.* LV *infr.* voluit eadem gesta in publica monumenta relata, etiam mortuo cognitore Marcellino perpetem habere firmitatem: simili certe postea exemplo anno D. 412, et Marcellinus acta de sceleribus Donatistarum post Collationem Carthaginensem publice proponi voluit in Theopropria, quo frequens, ut videtur, multitudo confluebat, velut locum Carthagine celeberrimum, eademque Augustinus per Ecclesiam recitari desideravit: *Gesta*, inquit *epist.* 158 *ad Marcellinum*, *quæ promisit præstantia tua, vehementer exspecto, et in Ecclesia Hipponensium jam recitari cupio, ac si fieri potuerit, per omnes Ecclesias etiam in nostra diœcesi constitutas: ut audiant homines pleneque agnoscant confessores iniquitatis, non Dei timore extorquente pœnitentiam, sed judiciaria diligentia crudelissimorum pectorum aperiente duritiam: sive illorum qui de homicidio et de excæcato ac debilitato Presbyteri corpore confessi.* Et mox: *Quod autem scripsit Eximietas tua, dubitare te, utrum in Theopropria debeas eadem gesta jubere proponi; fiat, si potest illuc frequens confluere multitudo: alioquin alius locus celebrior proponendus est, non tamen ullo modo prætermittendum.* Notanda interim tria exempla illa, atque adeo mos publicandorum, recitandorum gestorum quondam cum hæreticis, in eorum, ut loquuntur, *diffamiam et convictionem*. Jac. Gothofr.

Digitized by Google

ordine antiquo per manus impositionem recepti sunt, A debere talibus suscipiendum munus clericatus non impedire nomen erroris, cum veram Ecclesiam illorum putaverint ad fidem accedendo, et ibi Christo crediderint, et Trinitatis sacramenta perceperint; quæ omnia vera, et sancta, atque divina esse certissimum est, et in his omnem animæ spem constitutam. Quamquam et hæreticorum præsumpta audacia veritatis nomine palliata, hæc tradere audeat, quæ quoniam simplicia sunt, ut præmonet beatus apostolus dicendo, unus Deus, una fides, unum baptisma, et iterari non liceat, quod semel dari oportet, anathematizato nomine erroris recipiantur per manus impositionem in unam Ecclesiam, columbam, ut dictum est, et unam matrem omnium Christianorum, ubi omnia illa sacramenta salubriter, et æterna, et B vitaliter accipiuntur : quæ perseverantibus in hæresi magnam damnationis pœnam conquirunt, ut quod eis in veritate ad æternam vitam consequendam esset luminosius, hoc in errore sit tenebrosius atque damnosius. Quod fugientes nonnulli, et matris Ecclesiæ ubera cognoscentes, qui illa omnia sancta mysteria amore veritatis crediderunt, atque perceperunt, quibus Sacramentorum rebus cum vitæ bonæ probitas accesserit, sine dubio ad officium clericatus tales esse applicandos, et maxime in tanta rerum necessitate, nullus est qui non concedat. Quamquam nonnulli ejusdem sectæ clerici cum plebibus atque honoribus suis ad nos transire desiderent, qui amore honoris aut persuadent ad vitam, aut retinent ad salutem. Sed hoc majori fratrum supradictorum con- C sideratione dimittendum censeo, ut prudentiori suo consilio nostræ suggestionis sermonem cum perpenderint, quid de hac re eis placeat, nos informare dignentur. Tantum de his qui infantes baptizati sunt, satagimus, ut nostræ, si placet, in iisdem ordinandis consentiant voluntati. Omnia ergo, quæ superius comprehendimus, apud sanctos episcopos agenda esse mecum honorabilis fraternitas vestra perpendat. »

211 XIII.

CARTHAGINENSE CONCILIUM

ARRIGÆ UNIVERSALE, DE RECONCILIANDIS DONATISTIS.

Vincentio et Flavito viris clarissimis consulibus, idibus Septembris Carthagine in secretario Basilicæ Restitutæ, cum in concilio congregati in Ecclesia D Carthaginensi consedissemus ex Africanis omnibus provinciis episcopi; id est, Aurelius ejusdem sedis episcopus cum collegis suis, quos eorum subscriptio manifestat : recitatis epistolis beatissimi fratris et consacerdotis nostri Anastasii Ecclesiæ Romanæ episcopi, quibus nos paternæ et fraternæ charitatis sollicitudine ac sinceritate adhortatus est, ut de hæreticorum et schismaticorum Donatistarum insidiis et improbitatibus, quibus Africanam Ecclesiam catholicam graviter vexant, nullo modo dissimulemus : gratias agimus Domino nostro, quod illi optimo ac sancto antistiti suo, tam piam curam pro membris Christi, quamvis in diversitate terrarum, sed in una compage corporis constitutis inspirare dignatus est.

Deinde pertractatis et consideratis omnibus, quæ utilitati Ecclesiæ convenire videbantur, annuente atque admonente Spiritu Dei, eligimus cum memoratis hominibus, quamvis de Dominici corporis unitate inquieta dissensione præcisis, leniter et pacifice agere (*Conc. Afric. can.* 33; *Cod. Can. Eccl. Afr. can.* 66) : ut quantum in nobis est, omnibus qui eorum communione et societate irretiti sunt, per universas provincias Africanas penitus innotescat, quam miserabili errore devincti sunt : *ne forte*, sicut dicit Apostolus (II *Tim.* II), *nobis in mansuetudine corripientibus diversa sentientes, det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant de diaboli laqueis, captivati ab ipso ad ipsius voluntatem.*

Itaque placuit, ut ex concilio nostro litteræ darentur ad judices Africanos, a quibus hoc peti congruum videretur, ut in hoc adjuvent communem matrem Ecclesiam catholicam, in quo Episcopalis auctoritas communiri (*al.* contemni) in civitatibus potest; id est, ut judiciaria potestate atque diligentia ex fide Christiana, quid gestum sit in omnibus locis, in quibus Maximianistæ basilicas obtinuerunt, qui ab eis schisma fecerunt, inquirant : et gestis publicis propter firmam notitiam omnibus necessariam, faciant inhærere (*Conc. Afr. can.* 34; *Cod. Can. Eccl. Afr. can.* 67).

Deinde placuit ut litteræ mittantur ad fratres et coepiscopos nostros, et maxime ad sedem apostolicam (*Conc. Afr. can.* 35. *Cod. Can. Eccl. Afr. can.* 68), in qua præsidet memoratus venerabilis frater et collega noster Anastasius, quo noverit habere Africam magnam necessitatem, propter Ecclesiæ pacem et utilitatem, ut ex ipsis Donatistis quicumque clerici correcto consilio ad catholicam unitatem transire voluerint, secundum uniuscujusque episcopi catholici voluntatem atque consilium, qui in eodem loco gubernat Ecclesiam, si hoc paci Christianæ prodesse visum fuerit, in suis honoribus suscipiantur; sicut (*V. August. Epist.* 43, *n.* 16, *et Epist.* 185, *n.* 44 *et* 47) prioribus ejusdem divisionis temporibus factum esse manifestum est : quod multarum et pene omnium Africanarum Ecclesiarum, in quibus talis error exortus est, exempla testantur. Non ut concilium (*V. eamdem Epist.* 185, *n.* 45) quod in transmarinis partibus de hac re factum est dissolvatur : sed ut illud maneat circa eos qui sic transire ad catholicam volunt, ut nulla per eos unitatis compensatio (*al.* concisio) procuretur. Per quos autem vel omnimodo perfici, vel adjuvari manifestis fraternarum animarum lucris catholica unitas in locis in quibus degunt, visa fuerit; non eis obsit quod contra honores eorum (quamvis salus nulli interclusa sit) in transmarino concilio statutum est, id est, ut ordinati in parte Donati, si ad catholicam correcti transire voluerint, non suscipiantur in honoribus suis secundum transmarinum concilium, sed exceptis his per quos catholicæ unitati consulitur.

Deinde placuit, ut his peractis (*Conc. Afr. can.* 36;

Digitized by Google

Cod. Can. Eccl. Afr. can. 69), legati etiam prædicandæ pacis atque unitatis, sine qua salus Christiana non potest obtineri, e numero nostro ad ipsorum Donatistarum, sive quos habent episcopos, sive ad plebes mittantur, per quos omnibus in notitiam perferatur, quam nihil habeant, quod adversus Ecclesiam catholicam juste possint dicere : maxime ut manifestum fiat omnibus per gesta etiam municipalia, propter documentorum firmitatem, quid ipsi de Maximianistis schismaticis suis egerint. Ubi eis divinitus demonstratur, si adtendere velint, tam inique tunc illos ab Ecclesiæ unitate præcisos, quam inique nunc clamant a se Maximianistas schisma fecisse : ex quorum tamen numero quos jam plenarii concilii (Bagaiensis) sui auctoritate damnaverant, in suis honoribus denuo receperunt, baptismum quem damnati et exclusi dederant, acceptaverunt : ut videant, quam stulto corde resistant paci Ecclesiæ toto orbe diffusæ, cum ista faciant pro parte Donati ; neque se istorum, quos ita receperunt, communione propter intuitum pacis contaminari dicant, et nos contendant (*al.* condemnent, *vel* contemnant), id est, Ecclesiam catholicam etiam in extremis terrarum partibus constitutam, per eorum communionem inquinatam, quos tunc accusantes convincere nequiverunt.

212 Anno Domini. 402.

XIV.

CONCILII MILEVITANI

UNIVERSALIS AFRICÆ ARCADIO ET HONORIO A A. V. COSS.

VI Kalend. Septembris habiti,

Decretum de Maximiano episcopo Bagaiensi.

De Maximiano autem Bagaiensi, et ad eum, et ad ipsam plebem placuit de concilio litteras dari, ut et ipse ab episcopatu discedat (1), et illi sibi alium requirant (*Cod. Can. Eccl. Afr. can.* 88).

Anno Domini 403.

XV.

CARTHAGINENSIS CONCILII

EX TOTA AFRICA HABITI THEODOSIO AUGUSTO ET RUMORIDO V. C. COSS.

VIII Kal. Septembr.

Decretum de conveniendis Donatistis.

Aurelius episcopus dixit : « Quod in tractatum venit charitatis vestræ, puto hoc Ecclesiasticis gestis esse firmandum. Professio enim vestrum omnium hoc deprompsit, debere unumquemque nostrum in civitate sua per se convenire Donatistarum præpositos, aut adjungere sibi vicinum collegam, ut pariter eos in singulis quibusque civitatibus vel locis, per magistratus vel seniores locorum conveniant. Hoc si omnibus placet, edicatur. » Ab universis episcopis dictum est : « Omnibus placet, et omnes hoc subscriptione nostra firmavimus. Petimus etiam, ut epistolis ad judices de concilio mittendis pro omnibus subscribat sanctitas tua. » Aurelius episcopus dixit: « Si videtur charitati vestræ, forma conventionis eorum recitetur, ut hunc tenorem prosecutionis omnes, si placuerit, teneamus. » Ab **213** universis episcopis dictum est : Recitetur. Lætus notarius recitavit.

Forma Conventionis Donatistarum.

Ille episcopus Ecclesiæ dixit: « Quid de auctoritate illius (2) amplissimæ sedis impetraverimus, petimus gravitatem vestram recitari, et gestis innecti ; atqui in effectum deduci jubeatis. Recitata autem jus-

ANNOTATIONES.

(1) *Ut et ipse ab episcopatu discedat.* Maximianus Bagaiensis episcopus (cujus etiam meminit Augustinus lib. III contra Cresconium cap. 43) ex Donatistarum schismate ad Ecclesiam catholicam conversus, cum pacifice a populo haud reciperetur, bono pacis consulens, ipse episcopatu cedendum existimavit, deque ea re litteras ad synodum misit quibus annuentes Milevitani Patres spontaneam illius abdicationem admiserunt atque in ejus locum alium, Castorium fratrem ipsius subrogarunt, ad quem exstat epistola Augustini et Alypii 238, quæ laudes continet abdicantis se Maximiani his verbis : *Longe est gloriosius episcopatus sarcinam propter Ecclesiæ vitanda pericula deposuisse, quam propter regenda gubernacula suscepisse. Ille quippe se honorem si pacis ratio pateretur, digne accipere potuisse demonstrat, qui acceptum non defendit indigne. Voluit ergo Deus etiam per fratrem tuum filium nostrum Maximianum ostendere inimicis Ecclesiæ, esse in visceribus Christi ejus, qui non sua quærant, sed quæ Jesu Christi. Neque enim illud ministerium dispensationis mysteriorum Dei victus aliqua sæculari cupiditate deseruit, sed pacifica permotus pietate deposuit, ne propter ejus honorem fœda et periculosa, aut fortasse etiam perniciosa in membris Christi dissensio nasceretur.* Et post pauca : *Te vero, fili carissime, qui nulla tali necessitate a suscipiendo episcopatu impediris, obsecramus, ut in episcopatu Vaginensis* (legendum *Bagaiensis*) *Ecclesiæ fratri tuo non ignominiose cadenti vel gloriose cedenti succedas.* Exstat spontaneæ abdicationis non absimile exemplum in Actis Ephesinæ synodi III œcumenicæ, de Eustathio Pamphyliæ provinciæ metropolitano, qui curas molestiasque, quas Episcopale munus adferebat, non ferens, libello, quo abdicationis causæ continebantur oblato, ab episcopatu ultro se abdicavit, et ut ait epistola synodica concilii Pamphyliæ : Τεθορυβημένος δὲ παρά τινων, καὶ ἀδικήτοις περιστάσεσιν ἐμβεβηκώς, εἶτα ἐκ πολλῆς ἄγαν ἀπραγμοσύνης ἀπειρηκώς τὴν ἀντίστασιν τῶν ἐπεγνεγμένων αὐτῷ φροντίδων καὶ διακορούεσθαι τὰς παρὰ τῶν ἐπιφυομένων αὐτῷ δυσφημίας δυνάμενος παραιτήσεως προσεκόμισε βιβλίον. *Ubi a quibusdam turbatus est, et in sollicitudines inexspectatas incidit ; et cum præmulto otio, pondus curarum sibi impendentium ferre non esset assuetus, nec valeret convitia insidiantium repellere, cessionis suæ obtulit libellum.* Qua quidem abdicatione admissa, episcopi provinciæ alium in ejus locum ordinarunt. Refert etiam Theodorus lector Martyrium Antiochenum episcopum Ecclesiæ suæ ultro renuntiasse : Ἐλθὼν δέ, inquit, εἰς Ἀντιόχειαν, καὶ βλέπων Ἀντιοχεῖς ταραχαῖς καὶ στάσεσι χαίροντας ἀπετάξατο τῇ ἐπισκοπῇ ἐπ' ἐκκλησίας εἰπών· Κλήρῳ ἀνυποτάκτῳ, καὶ λαῷ ἀπειθεῖ, καὶ ἐκκλησίᾳ ἐρρύπωμένῃ ἀποτάττομαι, φυλάττων ἐμαυτῷ τὸ τῆς ἱερωσύνης ἀξίωμα. *Antiochiam vero reversus, cum Antiochenos tumultuationibus et seditionibus delectari cerneret, episcopatui renuntiavit, dicens in Ecclesia : Clero immorigero, et populo rebelli, et Ecclesiæ contaminatæ renuntio, servata interim mihi sacerdotii dignitate.* Christoph. Justellus.

(2) Hujus *amplissimæ sedis* appellatione Baronius ad an. 403, intelligit *Apostolicam sedem urbis Romæ*, et censet *missas ab ipsa litteras* hic recitandas peti, *quibus quæ ab ea fuerunt impetrata, nota*

Digitized by Google

sione, atque actis innexa, dicat ille episcopus Ecclesiæ Catholicæ : Mandatum ad Donatistas per vestram gravitatem perferendum audire, et actis inserere, et ad eos perferre digneminí, eorumque responsionem rursus apud acta vestra nobis insinuare. Convenimus vos ex concilii nostri catholici auctoritate missi, de vestra correctione gaudere cupientes, considerantes Domini charitatem, qui dixit : *Beati pacifici, quia ipsi filii Dei vocabuntur* (*Matth.* v) : et admonuit per prophetam, etiam his qui dicunt se fratres nostros non esse, dicere nos debere : *Fratres nostri estis* (*Isai.* LXVI, *sec.* LXX). Hanc ergo pacificam ex charitate venientem commonitionem nostram contemnere non debetis, ut si quid veritatis habere vos arbitramini, non dubitetis asserere ; id est, ut congregato vestro concilio deligatis ex vobis, quibus causam assertionis vestræ committatis ; ut nos possimus hoc facere, ut etiam de nostro concilio deligantur qui cum eis quos delegeritis, constituto loco et tempore, quidquid quæstionis est, quod vestram a nobis separat communionem, cum pace discutiant ; et tandem aliquando adjuvante Domino Deo nostro finem veternosus error accipiat, ne propter animositatem hominum infirmæ animæ et ignari populi sacrilega dissensione dispereant. Si enim hoc fraterne acceperitis, veritas facile dilucescet : si autem hoc facere nolueritis, diffidentia vestra facile innotescet. » Cumque recitata esset, ab universis episcopis dictum est : « Satis placet, hoc fiat, » et subscripserunt : Aurelius episcopus Ecclesiæ Carthaginensis huic decreto consensi, et prælecto subscripsi : similiter et cæteri episcopi subscripserunt.

ANNO DOMINI 403.

XVI.

LIBELLUS,

AB EODEM CARTHAGINENSI TOTIUS AFRICÆ CONCILIO DATUS SEPTIMINO PROCONSULI.

Æquitatem tuam petimus, Septimine vir clarissime, proconsulum summe sublimis. Multa contra divinas humanasque leges ab hæreticis de parte Donati Ecclesia Catholica sustinet, quæ si vel anterioribus vel recentioribus imperialibus jussis prohibenda et tollenda postulanda vellemus, nequaquam audere deberent de nostris actionibus conqueri, scientes se, cum nulla tali lege adjuvarentur, schismaticos tamen suos Maximianistas per judicum jussa locis ac sedibus eorum pellendos exturbandosque curasse. Verumtamen nos saluti eorum et nostræ existimationi pacifice consulentes, propter charitatem qua Christiani sumus, leniter eos volumus admonere, ut errorem suum cogitando et agnoscendo non negligant : aut si putant se habere aliquid veritatis, non eam furiosis Circumcellionum violentiis contra publicam quietem, sed tranquilla rationis redditione defendant. Unde petimus sublimitatem tuam, ut cum eos de hac re per magistratus sive in civitatibus, sive in pertinentibus territoriis admonere voluerimus, copiam nobis præberi gestorum et eos ex allegatione nostra honeste conveniri præcipias : quod consecuti agamus excellentiæ tuæ apud Deum uberes gratias. Dat. ab universis episcopis Catholicis ex concilio Carthaginensi D. N. Theodosio PP. Augusto et Rumorido V. C. coss. idibus Septembris, Carthagine.

Septiminus vir clarissimus proconsul dixit : « In quolibet loco antistitibus legis venerabilis ob quietis imperium gestorum conficiendorum tribuitur facultas : hoc etiam tenore hujus præceptionis limitato, ut intelligant se deviæ plebis magistris (*f.* magistri, *id est*, Donatistarum episcopi petentibus Catholicis, etc.) salubriter petentibus propriæ persuasionis ratiocinia persolvere, ut rebus in medio prolatis amica legis moderatio servetur, superstitione supplosa. »

214 ANNO DOMINI 404.

XVII.

CONCILII CARTHAGINENSIS,

ADVERSUS DONATISTAS AD HONORIUM IMPERATOREM LEGATIO ET COMMONITORIUM LEGATIS DATUM.

Gloriosissimo imperatore Honorio Augusto VI consule, XVI kal. Julias, Carthagine in basilica regionis secundæ. In hoc concilio legationem susceperunt Theasius et Evodius contra Donatistas : in quo concilio insertum est commonitorium, quod ita se continet :

Commonitorium fratribus Theasio et Evodio, legatis ex Carthaginensi concilio, ad gloriosissimos, religiosissimosque principes missis. Cum Domini auxilio piissimos imperatores adierint, ut eis insinuent, quemadmodum plena fiducia secundum superioris anni concilium, Donatistarum præpositi actis municipalibus sunt conventi, ut si confiderint de assertionibus suis, electis ex suo numero aliquibus idoneis, nobiscum pacifice conferrent, et mansuetudine christiana, si quid veritatis tenerent, non ambigerent demonstrare : quo ita sinceritas Catholica, quæ jam pridem superioribus temporibus claruit, nunc quoque per imperitiam, vel pertinaciam resistentibus innotesceret ; sed quia diffidentia premebantur, nihil pene ausi sunt respondere. Unde quia impletum est erga eos episcopale ac pacificum officium, et illi qui veritati respondere nequiverunt, ad immanes violentias sunt conversi : ita ut multos episcopos multosque clericos (ut de laicis taceamus) insidiis oppresserint, Ecclesias etiam aliquas invaserint, aliquas invadere pertentaverint, ipsorum jam clementiæ est consulere,

fiant. Agitur profecto isthic de ipsa, quæ ejusdem concilii Carthaginensis precibus petita mox fuit, et impetrata a Septimino proconsule, sive a vicariæ præfecturæ sede, conficiendorum gestorum facultas. Unde dicitur, *Recitata autem jussione*, illius videlicet, *amplissimæ sedis ;* qua jussione magistratibus præcipiebatur, ut Catholicis episcopis fieret potestas conveniendi Donatistas per codices publicos. Hæc et *illustrissima sedes* et *sedes illustrium potestatum* vocatur in collatione Carthaginensi III, c. 167 et 170.

Digitized by Google

ut Ecclesia catholica, quæ eos religioso utero in Christo genuit, et fidei firmitate nutrivit, eorum etiam prospectione muniatur, ne temerarii homines religiosis temporibus infirmos populos terrendo prævaleant : quoniam seducendo depravare non possunt. Nota est enim, et sæpe legibus conclamata Circumcellionum, qua furiunt, detestabilis manus, quæ etiam ipsorum religiosissimorum supra principum frequentibus sanctionibus condemnata est, adversus quorum furorem possemus non insolita, nec a Scripturis sanctis aliena impetrare præsidia, quando Apostolus Paulus (*Act.* XXIII), sicut in Apostolorum Actibus fidelibus notum est, factiosorum conspirationem militari etiam submovit auxilio. Sed nos illud poscimus, ut Catholicis Ecclesiarum ordinibus (*al.* Ecclesiis ordinum), per civitates singulas, et vicinorum quorumque possessorum per diversa loca sine ulla dissimulatione tuitio præbeatur. Simul etiam petendum, ut illam legem, quæ a religiosæ memoriæ eorum patre Theodosio de auri libris decem in ordinatores, vel ordinatos hæreticos, seu etiam in possessores, ubi eorum congregatio deprehenditur, promulgata est, ita deinceps confirmari præcipiant : ut in eos valeat, contra quos propter eorum insidias Catholici provocati contestationem deposuerint, ut hoc saltem terrore a schismatica vel hæretica pravitate desciscant, qui consideratione æterni supplicii emendari corrigique dissimulant. Petendum etiam, ut lex, quæ hæreticis vel ex donationibus, vel ex testamentis aliquid capiendi, vel relinquendi delegat facultatem, ab eorum quoque pietate hactenus repetatur, ut eis relinquendi vel sumendi jus adimat, qui pertinaciæ furore cæcati, in Donatistarum errore perseverare voluerint. Cæterum illis qui consideratione unitatis et pacis se corrigere voluerint, absque interdicto hujus legis capiendæ hæreditatis aditus pateat, si adhuc in errore hæretico constitutis aliquid ante donationis, vel hæreditatis obvenit, his sane exceptis, qui lite pulsati putaverint ad Catholicam transeundum, quia de talibus credibile est, non metu cœlestis judicii potius, quam terreni commodi aviditate unitatem catholicam præoptasse. Ad hæc autem omnia, præsidio opus est potestatum suarum quarumcumque provinciarum, sane pro utilitatibus Ecclesiæ, quidquid intellexerint prodesse, agendi et imperandi liberam decernimus legationem. Illud præterea cunctis nobis placuit : ut litteræ de cœtu nostro ad gloriosissimos imperatores, et eminentissimas potestates dirigantur : quibus instruantur nostro omnium consensu ad beatissimum comitatum legatos a nobis esse directos. Sed quia iisdem litteris ab omnibus subscribi tardissimum est, ne singulorum subscriptionibus eædem epistolæ onerentur, petimus, frater Aureli, ut iisdem tua charitas nostro omnium nomine subscribere dignetur. Et subscripserunt : Aurelius episcopus Ecclesiæ Carthaginensis, huic decreto consensi, et subscripsi : similiter et cæteri episcopi subscripserunt. Litteræ etiam ad judices mittendæ sunt, ut donec Dominus legatos ad nos redire permittat, tuitiones per ordines civitatum, et possessiones prædiorum Ecclesiæ catholicæ impertiant. Adjungendum etiam de Equitio, ut improbitas ejus, qua sibi jus sacerdotum improbissime vindicat, ab Hipponensi Diarrhytorum diœcesi secundum statuta imperatorum repellatur. Litteræ etiam ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ commendatione legatorum mittendæ sunt, vel ad alios, ubi fuerit imperator. Et subscripserunt. Item Aurelius episcopus Ecclesiæ Carthaginensis huic decreto consensi, et prælecto subscripsi : similiter et cæteri episcopi subscripserunt.

A

B

C

D

215 Anno Domini 405.

XVIII.

HONORII LEX

IN REBAPTIZANTES.

Ex Cod. Theod., lib. XVI, *titulus* 5, de Hæreticis, *lib.* 38.

Impp. Arcad. Honor. et Theod. AAA.

Nemo Manichæum, nemo Donatistam (1), qui præcipue (ut comperimus) furere non desistunt, in memoriam revocet : una sit Catholica veneratio ; una salus sit : Trinitatis, par, sibi congruens, sanctitas expetatur. Quod si quis audeat interdictis sese illicitisque miscere, et præteritarum innumerabilium constitutionum, et legis, nuper a mansuetudine nostra prolatæ, laqueos non evadat : et si turbæ forte convenerint, seditionis concitatos, aculeos acrioris commotionis non dubitet exerendos. Dat. prid. idus Febr. Raven. Stilichone II et Anthemio Coss.

ANNOTATIONES.

(1) Manichæorum et Donatistarum spiritus, furor et error, cœtusque seditio sic ab Honorio imp. hoc edicto anno 405 retunduntur : firmatis anterioribus in eos constitutis, suaque lege nuper lata : pœnis severissimis propositis, atque ad unitatem omnibus invitatis.

Nempe hoc unitatis edictum est Honorii imp. per Africam missum : cujus ipse mentionem facit *l.* II *infr. de Relig.* proximo sequente mense hujus anni : *Edictum*, inquit Honorius, *quod per Africanas regiones clementia nostra direxit, per diversa proponi volumus, ut innotescat Dei omnipotentis unam* et *veram fidem catholicam, quam recta credulitas confitetur, esse retinendam.* De eodem accipienda et illa auctoris consularium, quæ Idacio subdita, *Stilichone*, inquit, II et *Anthemio* (Coss.). *His* Coss. *inter Catholicos et Donatistas* Unitas *facta.* Unitas facta, id est, unitatis edictum, seu Henoticum factum. Meminerunt et Patres Africani, triennio post in concilio Carthaginensi decimo, anno 407 *can.* 99 *Cod. Africani : Unitatis*, inquam, *Edictum :* quod et illa verba ostendunt : *Una sit Catholica veneratio : una salus sit : Trinitatis par sibi congruens sanctitas expetatur.* Cujusmodi edicta Græci ἑνωτικὰ vocant : quale etiam Zenonem Imp. postea tulisse memorat Victor Tununensis *in Chronico : Anastasius Imp.*, inquit, *hæreticorum synodum faciens Henoticum Zenonis confirmat :* et Theodorus Anagnostes *ecloga* 2, ὑπέθετο λάθρα τῷ βασιλεῖ, πείθετο τὸν Ῥώμης Ἐπίσκοπον τῷ ἑνωτικῷ Ζήνωνος ὑπογράψειν. Idque totum exstat apud Evagrium *lib.* III,

Digitized by Google

216 Anno Domini 405.

XIX.

EJUSDEM IMPERATORIS

LEX ALTERA IN REBAPTIZANTES (1).

Ex Cod. Theod., lib. XVI, *titul.* VI, Ne sanctum baptisma iteretur, *l.* 3.

Impp. Arcad. Honor. et Theod. AAA.

Rebaptizantium non patimur devios errores, etc. Dat. prid. idus Febr. Raven. Stilichone II et Anthemio Coss.

A

XX.

TERTIA HONORII LEX

IN REBAPTIZANTES.

Ex Cod. Theod., lib. XVI, *titul.* VI, Ne sanctum baptisma iteretur, *l.* 4.

Impp. Arcad. Honor. et Theod. AAA. Hadriano PF. P.

Adversarios Catholicæ fidei exstirpare hujus decreti auctoritate prospeximus. Ideoque intercidendam specialiter eam sectam nova constitutione cen-

ANNOTATIONES.

cap. 14. Neque alius generis est Theodosii edictum quod continetur *l. cunctos populos supr. de fide cathol.* Sane hujusce Honoriani Henotici pars est quoque *l.* III *infr.*, *ne sanctum baptisma iteretur*, quæ proinde huic coassanda est. Quinimo et hujus edicti partem facio eam legem quam memorat Augustinus *epist.* 196 de quo ad *d. l.* III. Quin huic edicto de unitate exaequendo eadem die simul specialia ab Honorio mandata ad Hadrianum præfectum prætorio emissa fuere, quæ continentur *l.* IV *et* V *infr. Cod. tit. ne sanctum bapt. iter.* Ac specialius adhuc mox peculiari ad proconsulem Africæ lege edictum istud suum per diversa proponi jussit *dict. l.* VII *infr. de Religione.*

Causam huic edicto præbuere tum Patres Africani superiore anno 404 congregati, tum ea quæ exinde a parte Donatistarum secuta sunt. Patres nempe Africani cum Donatistarum et Circumcellionum pertinaces spiritus et furorem, quos ad amicabilem anno 404 de Religione collationem invitaverant (quod liquet ex *Can.* 91, 92 *Codicis Africani* seu *can. ult. et penult.* concilii Carthaginensis 8 habiti superiore anno 404), viderent, legatione ad Honorium imp. missa et unitatis studium commendarunt, et pœnas adversus Donatistas sanciri expetiverunt (quas utique sancitas docet *d. l.* 4 et 5), et adversus Donatistarum furorem præsidium deposcere, ut plenissime eo *can.* 93 continetur, ubi inter cætera aiunt : *Donatistas pacifica collatione spreta ad immanes violentias conversos fuisse, ita ut multos episcopos, multosque clericos (ut de laicis taceamus) insidiis oppresserint, Ecclesias etiam aliquas invaserint, aliquas invadere pertentaverint.* Et mox : *Nota est enim, et sæpe legibus conclamata Circumcellionum, qua furunt detestabilis manus, quæ etiam ipsorum religiosissimorum supra principum frequentibus sanctionibus condemnata est, adversus quorum furorem possimus non insolita, nec a scripturis sanctis aliena impetrare præsidia.* His addendæ et querelæ etiam privatæ episcoporum, et in his Maximiani episcopi Bagaiensis, quæ ad Honorium imperatorem eodem tempore perlatæ; de quibus Augustinus *epist.* 48, 50, *ad Bonifacium*, *p.* 220, 221, 68; *lib.* III *contra Cresconium*, *cap.* 43; *lib.* III *contra Julianum*, *cap.* 1; *in Breviculo collationis diei* 3, *cap.* 14. Hinc igitur Honorius his compertis (quod ipsemet hoc edicto profitetur : *Qui præcipue*, inquit (ut comperimus), *furere non desistunt*). Edictum hoc promulgatum ivit, furori et errori Donatistarum cohibendis et seditionibus inhibendis : Hinc pœnæ propositæ *d. l.* IV *infr. Ne sanctum baptism.* firmatis in hac re anterioribus constitutionibus frequentibus (quas et ipsas Patres Africani ibidem memorant) suaque lege nuper promulgata.

Donatistis autem *hac lege* junguntur *Manichæi* : de quibus tamen nulla mentio fit in iis, sive Patrum, sive privatorum, quæ ad Honorium perlatæ sunt querelis, quæque huic edicto, ut dixi, occasionem præbuere. Attamen non inani conjectura ducor, ab Augustino impetratum hoc, qui superioribus pariter consulibus disputationem habuit cum Felice Manichæo, quem et ad fidem catholicam convertit : de quo videndus *in Vita Augustini cap.* 16. Ipse Augustinus *contra Mamchæum lib.* II *in fin.* et illa quæ ex codice quodam Nicolaus Faber extulit, quæque Baronius memorat *anno* 404, *num.* 128. Sed enim causam ipsemet *initio legis* indicat : Nempe hæc duo hæreticorum præcipue genera Africam tum turbasse; quod præter *hanc legem* docuit *jam l.* 35 *supr.*, docebit *l.* 40, 41, 43, *infr. hoc tit.* : videnda et quæ ad *d. l.* 35, notavi.

Porro minitatur *hac lege* Honorius legis laqueos seu pœnas lege nuper a se promulgata constitutas. Quibus verbis intelligo, mulctam pecuniariam decem librarum a Theodosio promulgatam, quæ antea statuta fuerat : id enim inter alia per *legis laqueos* intelligendum esse jam ostendi; imo et severiorem pœnam comminatur si turbæ convenerint. Certe Patres Africani quoque eo quo dixi concilio habito anno superiore, id ab Honorio petendum per legatos decrevere, ut legem illam Theodosii *quæ de auri libris decem in ordinatores vel ordinatos hæreticos seu etiam in possessores, ubi eorum congregatio deprehenditur promulgata est, ita deinceps confirmari præcipiat, ut in eos valeat, contra quos propter eorum insidias Catholici provocati contestationem deposuerint.* De quo ipso est Augustini locus qui id egregie explicat, *epist. ad Bonifacium*, *p.* 219. De quo plura ad *l. prox.* Jacob. Gothofred.

(1) Honorii tres in Rebaptizantes constitutiones sequuntur : et omnes quidem constitutiones in Donatistas, cujus in Donatistas plures aliæ exstant *titulo de Hæreticis*, et quidem undecim numero : de quo vide quæ nos ad *l.* 38 *eo tit.* Neque eo secius, ad alios quoque hæreticos rebaptizantes hæc ipsa lex generaliter pertinere videatur.

Et cum brevis ejus et perspicua sit sententia, et sententiæ quam legi propior, utpote quæ neque definiat quid, neque sanciat; atque ideo quoque a Cod. Justin. abest, unicum nobis in ea superest speciandum et notandum, quod ea non ad Magistratum aliquem directa sit, verum *Edictum* dicitur. Nempe lex hæc solemnis illius Honoriani edicti de unitate seu Henotici, per Africanas regiones anno D. 405 ad Patrum Africanorum legationem (de quo ad *ll. proximas*) emissi, pars est : pariter ut *lex* 38 *supr. de hæreticis*, quæ proinde huic coassanda venit, ad quam plene de hoc edicto Henotico seu unitatis dixi : cujus etiam mentio fit ab ipsomet Honorio *l.* II *infr. de Religione* in *can.* 99 *Codicis Africani*, et apud Idacium *iis ipsis* Coss. *qui huic legi subnotati* : Eo edicto omnibus ad unitatem commonitis, Donatistæ nominatim, ut et Manichæi damnati, eorumque cœtus prohibiti fuere : atque adeo et Rebaptizantium error, propositis in eos severissimis pœnis, si ad unitatem non redirent : quod præter *hanc legem*, et ad *d. l.* 38, ostendent adhuc proxime sequentes duæ *leges* 4 et 5, quæ et ipsæ huic conjungendæ sunt, velut eodem die datæ; etsi ad Hadrianum PP. directæ sint : ut cæteroquin eadem opera leges ad magistratus emitti solitæ, exsequendis edictis quæ populo proponerentur vulgarenturque. Tandem hujus ipsius edicti de unitate seu Henotici, pars quoque fors fuit

Digitized by Google

suimus, quæ ne hæresis vocaretur, appellationem schismatis præferebat. In tantum enim sceleris progressi dicuntur ii, quos Donatistas vocant, ut baptisma sacrosanctum, mysteriis recalcatis, temeritate noxia iterent, et homines semel, ut traditum est, munere divinitatis ablutos, contagione profanæ repetitionis infecerint. Ita contigit, ut hæresis ex schismate nasceretur. Inde male credulas mentes ad spem secundæ indulgentiæ blandus error invitat. Facile est enim persuadere peccantibus, veniam prius præstitam denuo posse præstari; quæ si concedi iterum eodem modo potest, non intelligimus cur tertio denegetur. Hi vero et servos vel homines juri proprio subditos, iterati baptismatis polluunt sacrilegio. Quare hac lege sancimus, ut quisquis posthac fuerit rebaptizasse detectus, judici, qui Provinciæ præsidet, offeratur, ut facultatum omnium publicatione multatus, inopiæ pœnam, qua in perpetuum afficiatur, expendat. Ita ut filiis eorum, si a paternæ societatis pravitate dissentiunt, ea quæ fuerint paterna non pereant; ut si ipsos forsitan sævitas paternæ depravitatis implicavit, ac reverti jam ad Catholicam religionem malunt, adipiscendorum his bonorum copia non negetur. Ea præterea loca seu prædia, quæ feralibus sacrilegiis deinceps constiterit præbuisse secretum, fisci viribus applicentur: si tamen dominus aut domina, aut præsens forte fuisse, aut consensum præstitisse probetur: quos quidem inusta etiam per sententiam notabit infamia. Si vero his nesciis per conductorem procuratoremve eorum in domo agitatum hujusmodi facinus comprobatur, præjudicio a prædiorum publicatione suspenso, impliciti sceleris auctores coerciti plumbo, exsilium, in quo omni vitæ **217** suæ tempore afficiantur, accipient. Ac ne forsitan sit liberum conscientiam piacularis perpetrati intra domesticos parietes silentio celare secreto, his qui forsitan ad rebaptizandum cogentur, refugiendi ad Ecclesiam Catholicam sit facultas, ut ejus præsidio adversus hujus criminis et societatis auctores, adtributæ libertatis præsidio defendantur, liceatque his sub hac conditione fidem tueri, quam extorquere ab invitis Domini tentaverint. Nec assertores dogmatis Catholici, ea qua cæteros qui in potestate sunt positi, oportet ad facinus lege constringi; et maxime convenit omnes homines sine ullo discrimine conditionis aut status infusæ cœlitus sanctitatis esse custodes. Sciant ii vero qui a supradictis iterare baptisma non timuerint, aut qui consentiendo hoc facinus propria hujus societatis permixtione damnaverint, non solum testandi sibi, verum adipiscendi aliquid sub specie donationis, vel agitandorum contractuum in perpetuum copiam denegatam, nisi pravæ mentis errorem revertendo ad veram fidem consilii emendatione correxerint. Illos quoque par nihilominus pœna constringat, qui memoratorum interdictis cœtibus seu ministeriis præbuerint conniventiam: ita ut moderatores provinciarum, si in contemptum sanctionis hujusmodi consensum putaverint commodandum, sciant se viginti librarum auri pœna esse multandos. *Officia* etiam sua simili condemnatione subjuganda. Principales vel defensores civitatum, nisi id quod præcipimus fuerint exsecuti, vel his præsentibus Ecclesiæ catholicæ vis fuerit illata, eadem multa se noverint adtinendos. Dat. prid. idus Febr. Raven. Stilichone II, et Anthemio Coss.

XXI.

QUARTA LEX HONORII (1)

IN REBAPTIZANTES.

Ex Cod. Theod. Lib. XVI, *Tit.* VI, Ne sanctum baptisma iteretur. *L.* 5.

Impp. ARCAD. HONOR. ET THEOD. AAA. Hadriano PF. P.

Ne divinam gratiam, sub repetito baptismate pollutam, Donatistarum secreta violarent, et fallendi occasionem, severitate hujus præceptionis abolemus,

ANNOTATIONES.

sententia constitutionis illius, quam memorat Augustinus *epist.* 166, quam Balduinus Constantino perperam tribuit, *Not. in Optatum*, *p.* 82, cujus etiam verba nonnulla consignat: *Attendite* (Donatistas compellat) *quam manifestissima veritate per cor regis quod in manus Dei est, ipse Deus dixerit in ista ipsa lege, quam contra vos prolatam dicitis: est autem si intelligatis prolata pro vobis. Attendite quid habeant verba principis. Nam si in eis qui primo initiati sunt, idcirco religio Baptismatis judicatur infirma, quod ii a quibus accipitur, peccatores putantur, toties renovari necesse erit traditum sacramentum, quoties indignus fuerit inventus collati baptismi administrator et fides nostra non ex nostræ voluntatis arbitrio, neque ex divini muneris gratia, sed ex meritis sacerdotum et clericorum qualitate pendebit. Faciunt mille concilia episcopi vestri: huic uni sententiæ respondeant,* etc. J. G.

(1) Honorinæ constitutionis, ad Adrianum PP. emissæ, adversus anabaptismum Donatistarum, eorumdemque hac parte vim et fallaciam, anno D. 405, latæ, hæ duæ partes sunt: et quidem eodem die fineque emissæ, quo Henoticum edictum, cujus pars est lex 3 *supr.*, et *l.* 38 *supr. de hæreticis*, quibus proinde hæ duæ quoque coassandæ veniunt. Nempe, quod ad *d. l.* 3 quoque jam indicavi, eodem semper fine et Henoticum edictum ad populum per Africanas provincias propositum, Donatistis ad unitatem adducendis, invitandis: et hæc constitutio nostra, ad frangendam eorum contumaciam, audaciam, *fallendique occasionem* (ut *l.* 5 dicitur) præcidendam. Hac scilicet duplici via Honorius Donatistas hoc tempore adgredi instituit, et edicti monitorio, et pœnarum severitate, ut expresse dicitur *l.* 5, emissa constitutione ad Adrianum PP. qui severitatem *hujus leg.* exerceri curaret, per moderatores provinciarum, officiales, defensores, de quo *fine leg.* Mirum tantum ab hujus codicis conditoribus in duas leges eam constitutionem hic discerptam: et posteriore quidem, eamdem sanctionem totidem verbis repeti, quæ priore jam continebatur.

Antequam ad ipsam constitutionis dispositionem accedo, duo præstanda, præmittendaque sunt. Primo tenendum hanc constitutionem, ut et Henoticum illud edictum, emissa ab Honorio Imper. ad legationem concilii Carthaginensis quod habitum fuit anno superiore 404, Honorio A. VI et Aristæneto Coss., 6 kal. Julias. Quod ut ipsa temporum ratio suadet, ita fidem omnino faciunt capita legationis istius, eaque quæ ab imp. Honorio legatis petendo commissa fuerunt comprehensa eo Commonitorio quod exstat in co-

Digitized by Google

statuentes, ut cætera hujusmodi homines pœna sequatur, legisque censuram experiantur ultricem qui in Catholicam religionem perverso dogmate commisissent. Jubemus igitur, *Ut si qui posthac fuerit re-*

ANNOTATIONES.

dice Canonum Ecclesiæ Africanæ *c.* 63, postea ostendemus.

Secundo loco spectanda nobis ea veniunt, quibus confodere et confundere nititur Honorius his legibus Donatistas et eorum anabaptismum; contra quibus fidem catholicam, legitimumque et singularem baptismi usum commendatum it; atque adeo rationes quibus eum adstruit.

Singulares ante omnia, variasque *baptismatis* appellationes, quæ hic usurpantur, colligere in unum juvat. Vocat scilicet id 1° *mysterium*, 2° *munus* divinitatis, 3° *indulgentiam*, 4° infusam cœlitus *sanctitatem*, 5° divinam *gratiam* (de qua *gratiæ* appellatione dixi jam ad *l.* 1. *supr.*).

Procedebant dein ea quibus odium suum Honorius adversus Donatistarum sectam et anabaptismum passim profitetur, verborumque adeo atrocitate ea confidit : vocat eos, adversarios catholicæ fidei : eos exstirpare hujus decreti auctoritate prospexisse se : intercidendam (non *interdicendam*, ut quidam reponunt) specialiter eam sectam : scelus, temeritatem, noxiam pravitatem eis tribuit; contagione profanæ repetitionis ablutos inficere ait : iterati baptismatis sacrilegio pollnere : sævitatem depravitatis imputat : feralia sacrilegia, facinus, piaculare perpetratum crimen, pravæ mentis errorem, gratiam sub repetito baptismate pollutam, perversum dogma.

Jam, summopere notandum quod ad historiam Donatistarum pertinet, simul et ad hæreseos et schismatis differentiam. Nempe ait Donatistas *sectæ suæ prætulisse appellationem schismatis*, et revera tamen *hæresim ex schismate ortam*, dum anabaptismum invehunt. Quod hæreseos et schismatis differentiam attinet, est ea jam satis nota, ex obviis veterum testimoniis, Cypriani in his, Augustini et Balsamonis. Verus saltem auctor dialogi seu consultationis aut altercationis auctor inter Apollonium Philosophum et Zachæum Christianum *lib.* 2, de Novatianis agens: *Fuerunt hi aliquando nobiscum, sed Novato quodam auctore disrupti sunt: non tamen hæreticis æquandi, quia non a confessione catholica, sed a charitate dissentiunt, atque in solam pietatem rebelles Dei misericordiæ subtrahunt, quos semel inimici laqueis irretitos restitui non admittunt, mundos se, atque, ut ipsorum verbo utar, Catharos vocant, et conventus extra Ecclesiam contrahunt.* Par ratio Donatistarum et schismatis eorum : de quo videndus vel Optatus Milevitanus. Sed enim, ut *hac leg.* dicitur, *hæresis ex schismate nata est*, ut ferme alias adsolet. Nempe notum, Donatistas nullo primum de religione seu capite dissidio, ab Ecclesia tantum catholica, et sic a corpore recessisse : verum postea schismati hæresim et obstinationem, anabaptismo invecto, odio catholicorum superinduxere, et *in tantum scelerum progressi sunt*, quod et Augustinus non uno etiam loco tradit : inter alia *epistola* 164, ubi ait : *eos schismatis crimen, etiam hæresim male perseverando fecisse.*

218 Notandæ etiam Honorii *rationes* e media Theologia in anabaptismum, ab episcopis quos procul dubio in consilium adhibuit suggestæ : præter generales quæ etiam aliis legibus continentur, ista plane Theologica : *Inde*, inquit, *male credulas mentes ad spem secundæ indulgentiæ blandus error invitat : facile est enim persuadere peccantibus, veniam prius præstitam denuo posse præstare : quæ si concedi iterum eo modo potest, non intelligimus cur tertio denegetur.* Huc pertinet illud Tertulliani *lib. de Baptismo : Semel baptismum inimus, semel delicta diluuntur, quia iterari ea non oportet.*

Antequam etiam de mediis agimus, atque ideo de justa Honorii his legibus severitate ad cohibendum anabaptismum, videndum quousque Donatistarum scelus seu facinus vel fallacia hac in re processerint. Nempe domos, loca seu prædia seligebant, quæ feralibus ipsorum sacrilegiis præberent secretum : idque si non dominis, at conductoribus, procuratoribus eorum consentientibus, quos in partes suas trahebant : et sic conscientiam piacularis perpetrati intra domesticos parietes silentio celabant secreto : servos item suos ad id invitos cogebant : tandem et connivентes sibi sæpe in officio constitutos habebant. Hæ tres fallaciæ Rebaptizantium erant.

His igitur, horumque temeritati, imo omni *fallendi occasioni*, ut dicitur *l.* 5, *hoc tit.* justam severitatem et propositionem opponit his legibus Honorius, septemque adeo media et remedia : cui omnino similis est ejusdem Honorii lex biennio post 40, *supr. de hæreticis.* in Manichæos, Phrygas, Priscillianistas. Primo, publicam hanc accusationem facit, dum in utraque *l.* 4 *et* 5 statuit, eos qui rebaptizasse detecti fuerint, judici qui provinciæ præest offerendos : et mox addit, maxime convenire omnes homines sine ullo discrimine conditionis aut status, infusæ cœlitus sanctitatis esse custodes : de qua publica hæreseos, ut et apostasiæ accusatione, *suis titulis.* Et sic humanum quodammodo genus omne in hos animat. Secundo Rebaptizantes bonis suis multari jubet, quæ fisco adquirantur, nisi filios jam orthodoxos habeant, vel qui fieri serio velint.

Tertio, *loca* in quibus rebaptizatio facta fuerit, domino sciente, consentiente, confiscari imperat : imo et dominum infamia notari. Quarto, conductores, procuratores conscios plumbatis cæsos, in perpetuum exsilium dandos. Quinto, servis et colonis, quos domini ad anabaptismum cogere velint, Ecclesiæ perfugium patere debere, et ad libertatem ideo pervenire, seu, ut loquitur, *attributæ libertatis præsidio defendi.* Quod quidem adjectum videri possit, propter Crispinum Calamensem Donatistarum episcopum, qui colonos quosdam mercede attractos rebaptizaverat : de quo Augustinus *epistola* 173, *et contra litteras Petiliani cap.* 88; et hic interim casus aliis addatur, quibus servi et coloni pro præmio libertatem adipiscuntur. Sexto, testandi, adipiscendi aliquid ex donatione, vel contrahendi jus rebaptizantibus, quique eorum cœtibus seu ministeriis præbuerint conniventiam, in errore permanentibus adimit. Quod ad Patrum Africanorum petitionem et legationem sancitum ; sic enim illi in commonitorio legatis dato ; *Petendum etiam, ut lex quæ hæreticis, vel ex donationibus, vel ex testamentis aliquid capiendi vel relinquendi denegat facultatem, ab eorum quoque pietate hactenus repetatur, ut eis relinquendi vel sumendi jus adimat, qui pertinaciæ furore cæcati in Donatistarum errore perseverare voluerint. Cæterum illis, qui consideratione unitatis et pacis se corrigere voluerint, absque interdicto hujus legis capiendæ jus hæreditatis pateat, si adhuc in errore hæretico constitutis aliquid ante donationis vel hæreditatis obvenerit :* ubi vides eamdem quoque exceptionem : *nisi*, inquit Honorius, *pravæ mentis errorem revertendo rursus ad fidem consilii emendatio correxerit.* Ergo revertentibus ad fidem Catholicam et ipsis, et eorum filiis supra venia data : et sic post propositas pœnas severissimas veniæ spe, Donatistarum pervicaciam frangi posse credidit Honorius : et limitatio tamen quædam addita a Patribus Africanis : *his sane exceptis, qui lite pulsati putaverint ad Catholicam transeundum : quia de talibus credibile est, non metu cœlestis judicii potius quam terreni commodi aviditate unitatem catholicam præoptasse.* Quod tamen Honorio displicuit anno 407, in *l.* 41. *supr. de hæret*, quæ hanc in rem est elegantissima et humanissima.

Postremo rectoribus provinciarum, officialibus eo-

Digitized by Google

baptizare detectus, Judici qui Provinciæ præsidet offeratur, ut facultatum omnium publicatione multatus, inopiæ pœnam expendat, etc. Dat. Prid. Idus Feb. Ravennæ. Stilichone et Anthemio Coss.

XXII.

LEX HONORII

DE EDICTO UNITATIS

Per Africam proponendo.

Ex Cod. Theod. Lib. XVI, *Tit.* II, De Religione, *L.* 2.

Impp. ARCAD. HONOR. ET THEOD. AAA. Diotimio Proc. Africæ.

Edictum, quod *de Unitate* (1) per Africanas regiones clementia nostra direxit, per diversa proponi volumus, ut omnibus innotescat Dei omnipotentis unam et veram fidem Catholicam, quam recta credulitas confitetur, esse retinendam. Dat. III non. Mart. Rav. Stilichone II et Anthemio Coss.

219 XXIII.

DECRETUM CONCILII

HABITI STILICHONE ITERUM ET ANTHEMIO V. C. COSS.

X. Kalend. Septembr. Carthagine in Basilica regionis secundæ.

Ut quia apud Carthaginem tantum unitas facta est, dentur etiam litteræ ad judices, ut et in aliis provinciis et civitatibus operam impendi jubeant unitati. Ut gratiarum actiones de Carthaginensi Ecclesia pro universa Africa, de exclusione Donatistarum, cum episcoporum litteris ad comitatum mittantur. Recitatæ sunt litteræ Papæ Innocentii: ut episcopi ad transmarina pergere facile non debeant; quod hoc ipsum episcoporum sententiis confirmatur. Ut propter gratiarum actionem et exclusionem Donatistarum duo clerici Ecclesiæ Carthaginensis ad comitatum mittantur. (*Conc. Afr. can.* 61; *Cod. can. Eccl. Afr. can.* 94).

XXIV.

LEX HONORII

QUA MULTA (2) STATUITUR IN DONATISTAS.

Ex Cod. Theod. Lib. XVI, *Tit.* V, De Hæreticis, *L.* 39.

Impp. ARCAD. HONOR. et THEOD. AAA. Diotimio suo Sal.

Donatistæ superstitionis hæreticos, quocumque loci, vel fatentes, vel convictos, legis tenore servato, pœnam debitam absque dilatione persolvere decernimus. Dat. VI, Idus Decembr. Raven., Stilichone II, et Anthemio Coss.

ANNOTATIONES.

rum, provincialibus, item et defensoribus hanc curam injungit, multaque adeo minatur Honorius, *huic* rei conniventibus, vel vim non arcentibus. Quod tralatitium, et quidem eidem Honorio gemina germana *leg.*, ab eodem Honorio Imp. *l.* 40, *supr. de hæret.*, similiter in negotio Manichæorum, Phrygum, sive Priscillianistarum usurpatum, ut et *l.* 45, *eodem tit.*, et *l.* 46; similiter ut iisdem injunxit ut vim a Judæis et Gentilibus amolirentur, in quiete degentibus, *l.* 24 *infr. de Paganis*, ita et a Patribus Africanis postulatum: sic enim in commonitorio: *Sed nos illud poscimus ut Catholicis Ordinum* (et sic Principalium) *per civitates singulas, et vicinorum quorumque possessorum per diversa loca sine ulla dissimulatione tuitio præbeatur.* Et mox: *Ad hæc autem omnia præsidio opus est potestatum suarum quarumcumque provinciarum.* Quatuor hæc scilicet hominum genera in provinciis erant, qui oppressis tuitionem præbere debebant, quosque vigilare oportuit, ne quid adversus leges admitteretur: de defensoribus, vid. quæ in Paratitlon *tit. de defensorib.* congesta sunt; de principalibus vide Paratitlon *de decurionib.*

(1) Edictum de unitate, seu ἑνωτικὸν missum ab Honorio Imp. in Africam adversus Manichæos et Donatistas fuerat ipso anno 405, mense superiore Februario. Quod Idacii quoque consularia testantur *Stilichone* II et *Anthemio: His Coss. inter Catholicos et Donatistas unitas facta.* Cujus quidem edicti Hænotici pars est *lex* 38 *supr. de Hæreticis, et lex* 4 *supr. Ne sanctum baptisma iteretur.* Ejusdemque mentio fit triennio post in concilio Carthaginensi decimo anno 407, *Canone* 99 *Codicis Africani.*

Huic igitur Edicto exsequendo ut eodem die simul specialia ab Honorio mandata ad Hadrianum PP. Italiæ (sub quo Africa erat) missa fuere (quæ continentur *l.* 4. *et* 5, *Ne sanctum baptisma iteretur*), ita uno mense post, Martio, inquam, peculiari hac ad proconsulem Africæ lege, Edictum istud per Africam Honorius proponi jubet, quo omnibus innotesceret. De quo proponendorum Edictorum more et ratione alibi dictum plene.

Cæterum de Henotico hoc, aliisque Henoticis, vide quæ dixi plenius ad *d. l.* 38, *supr. De Hær.* J. G.

(2) MULTA auraria DECEM AURI LIBRARUM *clericis* hæreticorum Ministris a Theodosio Magno imposita, anno 392, *l.* 21, *supr.* hac Honorii filii ipsius constitutione ad Donatistas *hæreticos* (qui tamen se hæreticos negabant) ubicumque, fatentes vel convictos, expresse porrigitur: porrigitur, inquam, nam hoc est illud quod illis verbis indicatur: *legis tenore servato pœnam debitam absque dilatione persolvere decernimus.* Ut miror Baronium consignata *hac leg.* nihilominus scribentem, Honorianam de multa auraria decem librarum persolvenda constitutionem desiderari. Nos illud videamus, quibus gradibus ad *hanc leg.* ferendam Honorius adductus fuerit. Primo, quidem anno superiore 404, Patres Africani eo concilio ita decreverant, ut habetur *can.* 93 *Cod. Africani, simul etiam petendum, ut illam legem quæ a religiosæ memoriæ eorum patre Theodosio de auri libris decem in ordinatores vel ordinatos hæreticos, seu etiam in possessores, ubi eorum congregatio deprehenditur, promulgata est, ita dirigere confirmari præcipiant, ut in eos valeat contra quos propter eorum insidias Catholici provocati contestationem deposuerint: ut hoc saltem terrore a schismatica vel hæretica pravitate desciscant, qui consideratione æterni supplicii emendari corrigique dissimulant.* Sequantur nunc Augustini loca, hanc in rem; primum procedat locus *epistolæ* 50 *ad Bonifacium* comitem rei militaris, de moderate coercendis hæreticis *pag.* 219: *Antequam istæ leges quibus ad conscientiam sanctum coguntur intrare, in Africam mitterentur, nonnullis fratribus videbatur in quibus et ego eram, quamvis Donatistarum rabies usquequaque sæviret, non esse petendum ab imperatoribus, ut ipsam hæresim juberent omnino non esse, pœnam constituendo eis, qui in illa esse voluissent, sed hoc potius constituerent ut eorum furiosas violentias non paterentur, qui veritatem Catholicam vel prædicarent loquendo vel legerent constituendo. Quod eo modo fieri aliquatenus posse arbitrabamur, si legem piissimæ memoriæ Theodosii, quam generaliter in omnes hæreticos promulgavit, ut quisquis eorum vel Episcopus vel Clericus ubilibet esset inventus, decem libris auri multaretur, expressius in Donatistas, qui se negabant hæreticos, ita confirmarent, ut non omnes ea multa ferirentur, sed in quorum regionibus aliquas violentias a clericis vel a circumcellionibus vel populis eorum Ecclesia catholica pateretur, ut scilicet post protestationem Catholicorum, qui fuissent ista perpessi, jam cura Ordinum ad persol-*

Digitized by Google

XXV.

DECRETUM CONCILII

HABITI HONORIO VII, ET THEODOSIO II, AUG. COSS.

Idibus Junii Carthagine in Basilica Regionis secundæ.

De plebibus vel diœcesibus ex Donatistis conversis.

Ut illæ plebes, quæ conversæ sunt a Donatistis, et habuerunt episcopos, sine dubio, inconsulto concilio habere mereantur: quæ autem plebes habuerunt episcopum, et eo defuncto voluerint non episcopum proprium habere, sed ad alicujus episcopi diœcesim pertinere, non eis esse denegandum. Nec non et illud suggestum est, quod plebes, ante legem imperatorum de unitate latam, quicumque converterunt

ANNOTATIONES.

vendam multam episcopi sive ministri cæteri tenerentur. Ita enim existimabamus, eis territis et nihil tale facere audentibus, posse libere doceri et teneri catholicam veritatem, ut ad eam cogeretur nemo, sed eam qui sine formidine vellet, sequeretur, ne falsos et simulatores catholicos haberemus. Et quamvis aliis fratribus aliud videretur, vel ætate gravioribus, vel multarum civitatum et locorum exempla currentibus, ubi B *firmam et veram Catholicam videbamus, quæ tamen ibi talibus beneficiis Dei constituta esset et firmata, dum per priorum imperatorum leges ad communionem homines Catholicam venire cogerentur, obtinuimus tamen, ut illud potius quod dixi ab imperatoribus peteretur, decretum est in concilio nostro, legati ad Comitatum missi sunt. Sed Dei major misericordia qui sciret, earum legum terror, et quædam medicinalis molestia, quam pravis vel frigidis animis necessaria, et illi duritiæ quæ verbis emendari non potest, sed tamen aliquantula severitate disciplina potest, id egit ut legati nostri, quod susceperant obtinere non possent. Jam enim nos prævenerant ex aliis locis quædam episcoporum querelæ gravissimæ, qui mala fuerant ab ipsis multa perpessi, et a suis sedibus exturbati: præcipue horrenda et incredibilis cædes Maximiani episcopi catholici Ecclesiæ Vaggiensis effecit, ut nostra legatio jam quid ageret non haberet. Jam enim lex fuerat promulgata, ut tantæ immanitatis hæresis Donatistarum, cui* C *crudelius parci videbatur quam ipsa sæviebat, non tantum violenta esse, sed omnino esse, non sineretur impune. Non tamen supplicio capitali, propter servandam etiam circa indignos mansuetudinem christianam, sed pecuniariis damnis propositis, et in episcopos vel ministros eorum exsilio constituto.* Et mox: *Hinc ergo factum est ut Imp. religiosus et pius perlatis in notitiam suam talibus causis mallet piissimis legibus illius impietatis errorem omnino corrigere, et eos qui contra Christum Christi signa portarent, ad unitatem Catholicam terrendo et coercendo redigere, quam sæviendi tantummodo auferre licentiam et errandi ac pereundi relinquere. Jam vero cum ipsæ leges in Africam*, etc. Idem epistola 68: *Crispinus judicatus* hæreticus, *nec pœna decem librarum auri, quæ in hæreticos ab imperatoribus fuerat constituta, per mansuetudinem Catholicam feriri permissus est, et tamen ad Imp. appellandum putavit. Cujus appellationi quod ita responsum est: Nonne vestrorum præcedens improbitas et eadem ipsius appellatio extorsit, ut fieret? nec tamen etiam post ip-* D *sum rescriptum, intercedentibus apud Imp. nostris episcopis eadem auri condemnatione multatus est. Ex concilio* **220** *autem nostri episcopi legatos ad comitatum miserunt qui impetrarent, ut non omnes episcopi et clerici partis vestræ ad eamdem condemnationem decem librarum, quæ in omnes hæreticos constituta est, tenerentur, sed hi soli quorum in locis aliquas a vestris violentias Ecclesia catholia pateretur. Sed cum legati Romam venerunt, jam cicatrices episcopi catholici Vagitani horrendæ ac recentissimæ imperatorem commoverant, ut* LEGES TALES *mitterentur, quales et missæ sunt.* Idem epist. 169, ad Donatistas: *Et tamen cum Crispinus propter hoc factum in proconsulari judicio convinceretur* hæreticus, *ejusdem episcopi Possidii intercessu decem libras auri non est exactus. Cujus benevolentiæ et mansuetudini ingratus, ad Imperatores Catholicos ausus est appellare. Unde hanc in vos iram Dei de qua murmuratis, multo importunius et vehementius provocavit.* Idem, lib. 3, contra Cresconium, cap. 47: *Crispinus episcopus vester exhibitus est, quod se esse proconsuli quærenti negaverat, facillime* CONVICTUS *hæreticus; decem tamen* LIBRAS AURI, *quam multam in omnes hæreticos Imperator major* THEODOSIUS *constituerat, intercedente Possidio non est compulsus exsolvere. Qua mitissima sententia non contentus, nescio quo consilio, quod displicuisse cæteris omnibus dicebatur, ad ejusdem Theo-* B *dosii filios provocandum putavit. Acceptum est rescriptum quod pars Donati jam sciret se ad illam* PŒNAM *aurariam cum cæteris hæreticis pertinere;* et quæ mox sequuntur, ubi vocat *recentissimas leges.* Idem contra litteras Petiliani lib. VII, cap. 83: *Ipsa Catholica Ecclesia solidata principibus catholicis imperatoribus terræ marique armatis turbis ab Optato atrociter et hostiliter oppugnata est. Quæ res coegit tunc primo adversus vos allegari apud Vicarium Seranum legem illam de decem libris auri, quas vestrum nullus adhuc pendit, et nos crudelitatis arguitis.* Idem epistola ad Crispinum ipsum 173: *Nam possemus agere, ut decem libras auri secundum Imperatoria jussa persolveres. An forte propterea non habes unde reddas quod dare jussi sunt rebaptizatores, dum multam erogas, ut emas quos rebaptizes.* Possidonius quoque in V Augustini, cap. 12: *Crispinus*, inquit, *proconsulari*, etc. *libellari sententia est* PRONONCIATUS hæreticus. *Proque illo apud cognitorem catholicus episcopus intercessit ne auraria multa exigeretur*, C *ei et beneficium impetratum. Unde cum ingratus ad piissimum Imp. provocasset, ab Imperatore relationi debitum est responsum solutum, et consecutum* PRÆCEPTUM NULLO *prorsus* LOCO *Donatistas* HÆRETICOS *esse, et ad jura* LEGUM *omnium contra hæreticos latarum* UBIQUE *teneri debere. Ex quo et judex propter officium, et idem Crispinus quod minime fuerat* EXACTUS *præcepti sunt denas libras auri fisci juribus* INFERRE. Qui postremus Possidonii locus hujus legis sententiam et verba prope ipsa exprimit: Ait, *Donatistas hæreticos esse.* Lex ipsa habet, *Donatistæ superstitionis hæreticos*, et infr. l. 44, *Donatistarum hæreticorum*, de quo mox plura. Ait, *nullo prorsus loco*: item UTIQUE ipsa lex, *quocumque loci.* Ait; *ad jura legum omnium contra hæreticos latarum ubique teneri debere:* lex ipsa ait, *legis tenore servato.* Denique ait, *præceptos quod minime fuerant exacti denas libras auri fisci juribus inferre.* In ipsa lege ait Honorius, *pœnam debitam absque dilatione persolvere decernimus.* Itaque jam dubium nullum, D hanc illam esse Honorii legem, de multa decem librarum auri Donatistis hæreticis imposita: *Hæreticis*, inquam, Donatistis. Qua unica voce Honorius indicat rationem *hujus leg.* et cur multam a Theodosio M. patre in hæreticos generaliter latam, in Donatistas quoque proroget: quia et ipsi *hæretici* sint: quod etiam indicat Augustinus *epist.* 50 *ad Bonifacium*, et Possidonius *in vita Augustini cap.* 12, locis quos superius consignavi. Quare et *Donatistarum hæreticorum* idem Honorius dixit *l.* 44, *infr.* ubi vide adhuc quæ dicam; et *l.* 41, hæreticorum sive Donatistæ sive Manichæi sint; et *l.* 46, ne Donatistæ vel cæterorum vanitas hæreticorum. Quamquam proprie adhuc hac *hæreticorum* voce ministri, clerici et episcopi Donatistarum intelligi videntur. Neque enim omnibus Donatistis hæc pœna hac lege imposita: neque Donatistæ omnes multati (quod factum post demum *l.* 52 et 54. *infr.*) idque alia et alia pœna. Denique historia hujus rei sic habet: Patres Africani superiore anno decreverant, petendum ab Honorio, *ut nulla illa auraria*

Digitized by Google

episcopi ad Catholicam, ipsi eas obtinere debeant: verum a lege unitatis, et deinceps oporteat universas Ecclesias vindicare sibi episcopos catholicos eorum locorum, ad quos loca sub hæreticis pertinebant vel conversorum ad Catholicam, vel non conversorum hæreticorum, et diœceses, et si qua forte sunt instrumenta Ecclesiæ, vel ad ejus jus pertinentia. Qui vero aliqua usurpaverunt, post legem usurpata conventi restituant. (*Conc. Afr. can.* 66; *Cod. Can. Eccl. Afr. can.* 99.)

XXVI.

OCCASIO LEGUM SUBSEQUENTIUM.

In concilio Carthaginensi subsequentis anni 407, die 16 junii *legationem iterum suscepit Fortunatianus episcopus contra Paganos et hæreticos.* In altero item concilio ejusdem anni 407, habito Carthagine die 13 octob. *legationem contra Paganos et hæreticos susceperunt Restitutus et Florentius episcopi, eo tempore quo Severus et Macarius occisi sunt: et propter eorum causam Evodius et Theasius et Victor episcopi cæsi sunt.*

Legationis causam discere licet ex Augustini ad Olympium epistola 96, n. 2, *quo* nimirum per novum Imperatoris edictum *noverint inimici Ecclesiæ, leges illas quæ de idolis confringendis et hæreticis corrigendis vivo Stilichone missæ sunt, ex voluntate Imperatoris piissimi constitutas: quo nesciente vel nolente factas, sive dolose jactant, sive libenter putant; atque hinc animos imperitorum turbulentissimos reddunt, et (Catholicis) periculose ac vehementer infestos.* Hinc vero subsequentium occasio legum.

221 ANNO DOMINI 408.

XXVII.

LEGES HONORII

QUIBUS PŒNAS ADVERSUS DONATISTAS ALIOSQUE HÆRETICOS LATAS RENOVAT.

Ex Cod. Theod. l. XVI, *tit.* 5, *De Hæreticis, l.* XLI.

Impp. ARCAD. HONOR. et THEOD. AAA. Porfyrio Proc. Africæ.

Licet crimina soleat *pœna* purgare, nos tamen pravas hominum voluntates admonitione *pœnitentiæ* volumus emendare. Quicumque igitur hæreticorum (sive Donatistæ sint, sive Manichæi, vel cujuscumque alterius pravæ opinionis, ac sectæ), profanis ritibus adgregati, catholicam fidem et meritum (quæ omnes homines cupimus observare) simplici confessione susceperint, licet adeo inveteratum malum longa ac diuturna meditatione nutriverint, ut etiam legibus ante latis videantur obnoxii; tamen hos, statim ut fuerint Deum simplici religione confessi, ab omni noxa absolvendos esse censemus (1): ut ad omnem reatum, seu ante contractus est, seu postea (quod

ANNOTATIONES.

violentis *tantum Donatistis et Circumcellionibus imponeretur.* Verum et Crispini provocatio et cicatrices episcopi Vagitani id apud Honorium effecere, ut omnibus Donatistarum clericis et ministris fatentibus vel convictis pœnam aurariam imponeret. Quamquam hoc ipso anno ante hanc legem, septem mensibus post legationem Patrum Africanorum, severiorem longe ab Honorio pœnam Donatistis rebaptizantibus impositam, puta bonorum proscriptionis, docet *d. l.* 4, 5, *in fine. Ne sanctum bapt. iter.* J. G.

(1) Pœnitentibus seu conversis hæreticis per Africam, Donatistis et Manichæis et similibus, hac Honorii constitutione humana prorsus et benigna venia datur, pariter ut hoc ipso jam anno *l.* XL *prox. supr. vers. alioquin*, circa filios tantum Manichæorum: non circa ipsos: pariter ut pœnitentibus et conversis Donatistarum filiis *l.* 4 *infr. ne sanctum Baptisma.* Et hac quidem *lege* adeo pœnitentibus seu conversis venia datur, ut simplici confessione, quocumque tandem tempore, etiam exsecutionis mox faciendæ, licet vel sera confessione conversis detur, licet inveteratum malum longa et diuturna meditatione nutriverint, inter ipsa quoque pericula atque in miseriis ipsis invocato religionis subsidio. Neque quidquam interesse vult Honorius, de quo tamen vel maxime dubitatum videtur, sive ante leges a se in hæreticos latas, sive post eas latas ad hæresim prolapsi, conversi dein fuerint. Sera nempe numquam est hæreticorum conversio ad evitandas pœnas hæreticis propositas. Ita, inquam, Honorius generaliter et quoad evitandas pœnas, et ad abolitionem, ut loquitur. Quod omne velut singulare notandum est. Alioquin quoad lucrum emergens captandum concilio Carthaginensi 8, quod habitum anno 404, ante triennium Patribus Africanis aliquod temporis discrimen placuisse video, ut patet ex *Canone* 93 *Cod. Afric.*: *Cæterum*, inquiunt, *illis qui consideratione unitatis et pacis se corrigere voluerint, absque interdicto hujus legis, capiendæ hæreditatis aditus pateat, si adhuc in errore hæretico constitutis aliquid ante donationis vel hæreditatis obvenit; His sane exceptis qui lite pulsati putaverint ad catholicam transeundum, quia de talibus credibile est, non metu cœlestis judicii potius, quam terreni commodi aviditate unitatem catholicam præoptasse.* Certe etsi Apostatis pœnitentibus venia proposita, attamen nonnisi Catechumenis Apostatis ea data, at non etiam iis qui ex fidelibus seu competentibus, id est, post susceptum sanctum baptisma in apostasiam prolapsi, quorum flagitium pœnitentia non oblitteratur, quæ sententia est *l.* 4, *infr., de Apostatis*, quam Cujacius *Paratitl. Cod.* numquam intellexit.

Suffragio igitur justæ pœnitentiæ quamlibet seræ hæreticos absolvi voluit Honorius. Neque dubium mihi id ab Honorio constitutum, occasione concilii Carthaginensis 10, quod hoc ipso anno D. 407, habitum fuit ante sex ferme menses pariter, ut ad ejusdem postulationem *legem* 34, *supr., de Episcopis* dedit, quæ lex huic jungenda est: ut ad eam probatum est. Quod primum hujus rei præjudicium habeo. Alterum accedit ex canone ejus quod dixi concilii, ubi hæc inter alia habentur *Canone* 99 *Cod. Africani: Sane ut illæ plebes, quæ conversæ sunt a Donatistis, et habuerunt episcopos, sine dubio, inconsulto concilio habere mereantur: quæ autem plebes habuerunt episcopum, et eo defuncto voluerint non episcopum proprium habere, sed ad alicujus episcopi diœcesin pertinere, non eis esse denegandum. Nec non et illud suggestum est, quod plebes ante legem imperatorum de unitate latam, quicumque converterunt episcopi ad Catholicam, ipsi eas obtinere debeant: verum a lege* [id est post legem] *unitatis, et deinceps oporteat universas ecclesias vindicare sibi episcopos catholicos eorum locorum, ad quos loca sub hæreticis pertinebant, vel conversorum ad catholicam vel non conversorum hæreticorum, et diœceses, et si qua forte sunt instrumenta Ecclesiæ, vel ad ejus jus pertinentia. Qui vero aliqua usurpaverunt post legem usurpata conventi restituant.* Vides de *conversis* pariter agi; vides tempora, quæ hic miscentur, distingui, puta conversionem ante legem de unitate latam, et post eam latam. JACOB. GOTHOFR.

Digitized by Google

nolumus) contrahitur, etiamsi maxime reos pœna videatur urgere, sufficiat ad abolitionem, errorem proprio damnavisse judicio, et Dei omnipotentis nomen, inter ipsa quoque pericula requisitum, fuisse complexum : *Quia nusquam debet in miseriis invocatum religionis deesse subsidium.* Ut igitur priores, quas statuimus leges, in excidium sacrilegarum mentium omni exsecutionis urgeri jubemus effectu, ita hos, qui simplicis fide religionis, licet sera, confessionem maluerint, censemus datis legibus non teneri. Quæ ideo sanximus, quo universi cognoscant, *nec profanis hominum studiis deesse vindictam, et ad rectum redundare cultum, legum quoque adesse suffragium.* Dat. XVII Kal. Dec. Rom. Honorio VII et Theod. II. AA. Coss.

XXVIII.

IBID. L. XLIII.

Idem AA. Curtio PF. P.

Omnia quæ in Donatistas (qui et *Montenses* vocantur) Manichæos, sive Priscillianistas, vel in Gentiles, a nobis generalium legum auctoritate decreta sunt, non solum manere decernimus, verum in exsecutionem plenissimam effectumque deduci : ita ut ædificia quoque, vel horum, vel cœlicolarum etiam, (quæ nescio cujus dogmatis novi conventus habent) Ecclesiis vindicentur. Pœna vero lege proposita veluti convictos tenere debebit eos, qui Donatistas se confessi fuerint, vel Catholicorum communionem refugerint sævæ religionis obtentu, quamvis Christianos esse se simulent, etc. Dat. XVII kalend. Decemb. Romæ Basso et Philippo Coss.

222 XXIX.

IBID. L. XLIV (1).

Idem AA. Habe Donate K. NB.

Donatistarum hæreticorum, Judæorum nova atque inusitata detexit audacia, quod catholicæ fidei velint sacramenta turbare. Quæ pestis atque contagio ne latius emanet ac profluat. In eos igitur qui aliquid quod sit Catholicæ sectæ contrarium adversumque tentaverint, supplicium justæ animadversionis expromi præcipimus. Dat. VIII kalend. Decemb. Rav. Basso et Philippo Coss.

ANNOTATIONES.

(1) Confirmantur his legibus, ut et *l.* XIX *infr. de Paganis* (quæ his jungenda est), ab Honorio anno D. 408, post cæsum Stilichonem, superiores a se latæ constitutiones in Donatistas, Manichæos, Priscillianistas, Gentiles; quin et ad Cœlicolas eædem propagantur; de quibus dicam suo titulo *de Judæis Cœlicolis.* Confirmantur, inquam, per præfecturam prætorianam Italiæ, ac nominatim Romæ (quod *Montensium* mentio ostendit, qui utique nonnisi Romæ fuere). Donatistæ quippe *Montenses* Romæ dicti, ideo quod Romæ primum Ecclesiam suam in monte habuere. Optatus Milevitanus *lib.* 2 : *Speluncam quamdam foris a civitate gradibus sepserunt, ubi ipso tempore conventiculum habere potuissent, unde Montenses appellati sunt.* Augustinus *libro de hæres. ad Quodvultdeum : Isti hæretici in urbe Roma Montenses vocantur, quibus hinc ex Africa solent episcopum mittere.* Meminit idem et *epist.* 165. Hieronymus chronico anno 356 : *Quidam sectatores Donati etiam Montenses vocant, eo quod Ecclesiam Romæ primum in monte habere cœperunt.* Et in Lucifer : *Marcionitas, Valentinianos, Montenses sive Campates.* Et in epist. ad Marcellum : *Quum Reticii Augustodunensis episcopi qui quondam a Constantino* (male legitur Constantinopolitano) *imperatore sub Sylvestro episcopo ob Causam Montentium missus est Romam.* Augustinus *epist.* 165, de quodam episcopo Donatista loquens : *Sed ex transverso,* inquit, *ex Africa ordinatum miserunt qui paucis præsidens Afris in urbe Roma Montensium vel Cuzupitarum vocabulum propagavit.* Ubi Balduinus pro Cuzupitarum suspicabatur legendum *Rupitarum.* Nam et idem Augustinus *de Unitate Ecclesiæ cap.* 3 : *Si enim,* inquit, *sanctæ Scripturæ in Africa sola designaverunt Ecclesiam et in paucis Romæ Rupitanis vel Montensibus, et in domo vel patrimonio unius et Hispanæ mulieris, quidquid de chartis aliis aliud proferatur, non tenent Ecclesiam nisi Donatistæ.* Nempe *Rupitani* dicti, simili allusione et ludibrio quo Montenses et Campates : Donatistæ igitur Montenses dicti Romæ. Quare allucinatur Epiphanius qui Novatianos Romæ ait vocatos Μοντησίους. Sed multo magis errant qui Montenses a Montano dictos autumant. Nunc ad rem. Quin et subscriptio *legis* 43 *supr. hoc tit. et l.* 9 *infr. de Paganis,* id evincit, hanc legem ad urbem Romam pertinere : *Data Romæ,* id est, reddita, proposita. Nam hoc tempore Honorius Ravenna consistebat (ut præter Chronologiam Cod. Theod. docet et Zosimus). Rursum nominatim per Africam; Donatus enim cui *lex* 44 inscribitur, proconsul Africæ hoc tempore erat, ut docet *l.* 19, *supr., de pœnis.* Et Augustinus *epist.* 137 *et* 138.

Et vero ferendarum harum legum hæc occasio fuit : Nempe Stilichone hoc ipso anno cæso, ante trimestre ferme, illico hæretici et pagani jactare cœperunt, leges adversus se latas de idolis confringendis et hæreticis corrigendis, vivo Stilichone missas, ac nominatim in Africam, non ex voluntate Honorii constitutas, verum eo nesciente vel nolente, quod Augustinus disertis verbis scribit *epist.* 129 ad Olympium comitem magistrum officiorum, cui superior lex inscribitur. Unde eas irritas esse putabant et intendebant, pariterque cum cæteris Stilichonis actibus rescindendas : quinimo et hac occasione in Catholicos insurrexere, vimque eis intentavere. Ideo et privatim et publice eas leges recentari ac confirmari catholici illic petiere. Nempe Patres Africani hoc anno, 3 Id. Octobr., legationem ad Honorium destinavere contra paganos et hæreticos, episcopi privatim ad comitatum profecti : Augustinus quoque privatim eo fine ad Olympium, eam quam dixi epistolam dedit, quæ hic tota reddenda foret, nisi modum horum commentariorum excederem. Ex eo nempe liquet, de illis quas dixi gentilium et hæreticorum post cæsum Stilichonem molitionibus, de privatorum querelis, et ad comitatum profectione, de legatis ex Africa mittendis ad Honorium admittendis, de celeritate exhibenda. Tam gravibus igitur querelis excitus, et, ut credere par est, Olympii studio, Honorius has leges promulgavit, confirmandis anterioribus suis legibus. *Omnia,* inquit Honorius, *quæ a nobis generalium legum auctoritate decreta sunt, nedum* MANERE *decernimus, verum in exsecutionem plenissimam effectumque deduci.* Quamquam mihi mens ea, hasce leges non ad Patrum Africanorum postulationem latas (utpote quorum legatos serius ad Honorium pervenisse, Augustinus *d. epist.* 179 ad Olympium testatur), verum latas ad privatas Augustini ipsius et aliorum querelas, quæ *media hyeme,* ut ipse Augustinus testatur, ad Honorium pervenerunt et legatos prævenerunt. Atque ipse Augustinus apud Olympium hoc instanter egit, ut negotium hoc diligentissima acceleraretur instantia, quacumque primitus exorta occasione maturaretur : neque illud ullo modo differendum; etiam antequam episcopos qui ideo profecti erant, videret,

Digitized by Google

223 XXX.

IBID., l. XLV (1).

Idem AA. Theodoro PF. P. II.

Defensorum Curialium, omniumque officiorum specula custodiat, ne quis intra aliquam civitatem, vel ulla territorii parte secreta, qui ab Ecclesiæ catholicæ sacerdote dissidet, inlicitæ cohibitionis habeat facultatem. Ipsa etiam loca juri publico sociari, seclusa omni excusatione, censemus : et proscriptos eos in exsilium detrudi, qui audent disputare ea, et adserere, quæ institutio divina condemnat. Dat. v Kalend. Decemb. Raven. Basso et Philippo Coss.

Anno Domini 409.

XXXI.

IBID., L. XLVI (2).

Idem AA. Theodoro PF. P. II. Post alia.

Ne Donatistæ, vel cæterorum vanitas hæreticorum, aliorumque error, quibus Catholicæ communionis cultus non potest persuaderi, Judæi, atque Gentiles

ANNOTATIONES.

quam primum vigilantia potuerit accelerandum. Quare *lex* 46 demum, sequentis anni initio ad Patrum Africanorum postulationem emissa fuerit.

Supplicio igitur hæreticos Donatistas affici, ac nominatim *l.* 44, Honorius jubet, qui ipsi catholicis vim et mortem per hæc tempora intentavere, nonnullis etiam episcoporum per Africam necatis : cujus proconsul Donatus, cui lex illa inscribitur. Et Augustinus tamen epistola peculiari ad hunc ipsum Donatum proconsulem Africæ, *puta* 127, Donatistas coerceri, non occidi, enixe ab eo postulavit ; ubi inter alia hæc observentur : *Unde ex occasione terribilium Judicum, ac* LEGUM *ne æterni judicii pœnas incidant, corrigi eos cupimus, non necari ; nec disciplinam circa eos negligi volumus, nec suppliciis quibus digni sunt exerceri. Sic ergo eorum peccata compesce, ut sint quos pœniteat peccavisse. Quæsumus igitur, ut cum Ecclesiæ causas audis, quamlibet nefariis injuriis appetitam vel afflictam esse cognoveris, potestatem occidendi te habere obliviscaris ; petitionem nostram non obliviscaris.* Et mox : *Cito interim per edictum excellentiæ tuæ noverint hæretici Donatistæ* MANERE LEGES *contra errorem suum latas, quas jam nihil valere arbitrantur et jactant, ne vel sic nobis parcere aliquatenus possint. Plurimum autem labores et pericula nostra quo fructuosa sint adjuvabis, si eorum vanissimam et impiæ superbiæ plenissimam sectam non ita cures,* IMPERIALIBUS LEGIBUS *comprimi, ut sibi vel suis videantur qualecumque molestias pro veritate atque justitia sustinere, sed eos cum hoc abs te petitur, rerum certarum manifestissimis documentis, apud acta vel præstantiæ tuæ, vel minorum Judicum, convinci atque instrui patiaris,* etc. Quæ gentiles spectant, ea specialius exsequetur *d. l.* 19 *infr. de Paganis.*

Inter cætera autem jubentur ædificia, in quibus hæreticorum, etc. conventus habentur, Ecclesiis vindicari : quod et ipsum statuitur *l.* 53 *infr. de. . . .*; *l.* 54, 57, 65, *infr. hoc tit.* At enim ut ædificia templorum ad usum publicum vindicari *dict. l.* 19, (huic conjungenda) jussit Honorius, ita et mox *lege prox.* hæreticorum.

Notandum porro has sanctiones, imo pœnam capitalem indici nominatim *l.* 44. Donatistis hæreticis, de quibus jam supra et cœlicolis *l.* 44. De quibus opportunior erit dicendi locus *ad legem.* 19 ejusdem Honorii *infr. de Jud.*, quæ sequente anno 409 data est.

Cæterum *Donatistarum hæreticorum hac leg.* junctim legendum est : nempe Honorius Theodosii patris sui legem generalem in hæreticos latam, extendens, rationem hac voce reddere voluit, cur in Donatistas quoque eam extendat, quia et ipsi hæretici sint : quare et similes formulæ in aliis Honorii constitutionibus occurrunt, *l.* 39 *et* 41 *supr.*, *et l.* 46 *infr.* ; quibus omnino respondent, quæ Augustinus scribit *epist.* 50 *ad Bonifacium*, et Possidonius *in vita Augustini, cap.* 12, quorum verba retuli ad *legem* 39. Rursum *epistola* 127, cujus verba paulo ante retuli. Quare error est viri docti Petiti, qui *hæreticorum* vocem cum voce *Judæorum* hic conjungendam putavit, quasi hic indiceretur Cœlicolas Judæorum hæreticos fuisse : de quo plura ad *d. l.* 19, *infr. tit. de Judæis et Cœlicolis.* Jac. Goth.

(1) Cœtus hæreticorum rursus ab Honorio prohibentur anno D. 408, defensoribus Curialibus, officiisque judicum, hoc munere injuncto, prohibendorum (inquam) cœtuum istorum pariter ut aliis suis legibus *l.* 40 *supr.*, et *l.* 4 *infr. ne sanctum baptisma*, ubi vide quæ dixi, et *l.* 46 *prox.* ; locis in quibus cœtus habiti fuerint, confiscari jussis. Hæreticos insuper fidei catholicæ contraria adserentes, id est doctores hæreticorum deportari, bonis proscriptis.

Observanda interim illa, *qui ab Ecclesiæ Catholicæ Sacerdote dissidet*, id est qui separatos ab Ecclesiæ Catholicæ episcopo cœtus agunt, spreto unitatis studio, quæ Ecclesiæ catholicæ nota et ad quam invitati ante triennium hæretici *l.* 35, *supr.* Neque dubium ad eosdem Donatistas hanc legem pertinere, quibus bellum agitantibus tot legibus occurrere Honorius necesse habuit. Ergo hæretici censentur qui ab Ecclesiæ Catholicæ sacerdotibus dissentiunt, et illicite coeunt : adque adeo hæretici ad sacerdotum Ecclesiæ Catholicæ communionem reducantur : quo pertinent quoque *lex* 2 *et* 3 *supr. de fide Catholica*, *l.* 62 *infr. hoc tit. lex ult. infr. de his quæ religione cont.* Et recte, cum, ut hic dicitur, Ecclesiæ revera Catholicæ Sacerdotes sint : et norma hic secundaria respondet normæ principali.

Item observetur tria hominum genera, defensores, curiales, et officia omnia quibus hæc cura imposita ut hæreticis contra irent : de quo fidem quoque facit supr. *l.* 40, faciet *l. prox.* 46.

Tandem neque inani conjectura ducor, huic legi conjungendam videri *legem* 39, *supr. de episcopis*, et *legem* 3, *Cod. de Episcopali audient.* Quod si ita est, tum ex his tribus legibus inter se conjunctis id efficiatur, Honorium in commune id modis variis egisse, ut sua constaret episcoporum Catholicorum judicio reverentia : 1° sive ipsam spectes *doctrinam*, 2° sive *conventus* eorum, 3° sive *cognitionem* et audientiam.

Jacob. Gothofr.

(2) Confirmantur leges et pœnæ in Donatistas, hæreticos alios, Judæos item et Gentiles, hac rursum Honorii constitutione initio anni 409. Pœna judicibus amissione dignitatis, quin et graviore indicta pro motu principis, officialibus et curialibus ea, ipsa quam jam antea constituerat.

Atque hæc illa ipsa mihi Honorii constitutio videtur potius quam 43 et 44, quæ ad Patrum Africanorum postulationem et querelam data fuit. Cujus conjecturæ ratio quam etiam ad eam legem reddidi. Nempe quod Augustinus *epist.* 129 ad Olympium Com. et Mag. officiorum testetur, privatorum querelas media hyeme, id est fine anni præcedentis 408, ad comitatum seu Honorium perlatas (quo utique tempore datæ *l.* 44, 45, *supr.*), etenim secutas demum Patrum Africanorum querelas, hanc demum. At enim eodem semper fine : nempe quo liqueret, leges antea adversus hæreticos et similes latas, non Stilichoni acceptas ferendas, et sic eo cæso antiquatas (quod hæretici Gentiles jactabant), verum in vigore suo manere oportere, atque eo spectant illa *l.* 43 : « Omnia quæ a nobis generalium legum auctoritate decreta sunt non solum

Digitized by Google

(quos vulgo *Paganos* appellant), arbitrentur, legum ante adversum se datarum constituta tepuisse, noverint Judices universi præceptis eorum fideli devotione parendum : et inter præcipua, quidquid adversus eos decrevimus, non ambigant exsequendum. Quod si quisquam Judicum loco conhibentiæ exsecutionem præsentis legis omiserit, noverit amissa dignitate graviorem motum se nostræ clementiæ subiturum. Officium quoque suum, quod saluti propriæ contempta suggestione defuerit, punitis tribus primatibus, condemnatione viginti librarum auri plectendum. Ordines quoque et Duumviri, si in propriis civitatibus, vel territoriis commissum tale aliquid siluerint in gratiam noxiorum, deportationis pœnam manere decernimus, verum in exsecutionem plenissimam effectumque deduci. » Pariter eodem pertinent illa hujusce legis: « Ne Donatistæ, etc., arbitrentur legum ante adversus se datarum constituta tepuisse, noverint judices universi præceptis eorum fideli devotione parendum : et inter præcipua quidquid adversus eos decrevimus, non ambigant exsequendum. » J. G.

(1) Infirmat hac constitutione Honor. Imp. anno D. 410, fine mensis Augusti, Varane Cos. per Africam *Oraculum*, id est, edictum, legem, rescriptum, quo hæreticis rituum suorum exercendorum, conveniendique, seu coeundi publice potestatem fecerat, pœna proscriptionis et sanguinis proposita.

Nempe hoc est illud ipsum edictum hac lege infirmatum, cujus meminere Patres Africani, hoc ipso anno 410, ante bimestre et quod excurrit : cujus hæc verba sunt, ut habetur codice Ecclesiæ Africanæ : *Post consulatum gloriosissimorum imperatorum Honorii* VIII, *et Theodosii* III, AA., XVIII *Kal. Julias Carthagine, in Basilica regionis secundæ. In hoc concilio legationem susceperunt contra Donatistas Florentius, Possidius, Præsidius et Benenatus episcopi eo tempore quo lex data est, ut libera voluntate quis cultum Christianitatis exciperet.* Quæ verba Balsamo perperam intellexit, eodemque traxit, quo duodecimum Canonem Neocæsariensem. At enim Patrum hæc mens est, paulo ante latam ab Honorio legem, qua hæreticis ac Donatistis rituum suorum exercendorum copia facta fuerat. Et hoc illud est *Oraculum*, quod hac lege memoratur simul et abrogatur. Et sane ipsemet Honorius duobus ferme post mensibus, in *Mandatis* suis Marcellino Tribuno et Notario ad Carthaginensem collationem destinato (quorum pars est *lex* 3 *infr. de Religione*) utriusque legis meminit : et hujus, et illius simul, et hanc confirmat. *Nec sane latet*, inquit, *conscientiam nostram sermo cœlestis* ORACULI *quem* (sermonem) ERRORI *suo posse proficere sæva Donatistarum interpretatio profitetur, qui quamvis depravatos animos ad correctionem mitius invitaret,* ABOLERI *eum tamen etiam* ANTE (nempe *hac lege*) *jussimus, ne qua superstitionibus præberetur occasio. Nunc quoque excludendam* SURREPTIONEM, *simili auctoritate censemus, illudque merito profitemur, libenter ea quæ* STATUTA FUERANT *submovere, ne in divinum cultum nobis se quisquam auctoribus æstimet posse peccare;* ut habetur in actis Collat. Carthaginensis *pag.* 5 et 256, 260. Quare et in *l.* 3 *infr. de Religione*, quæ et ipsa pars est mandatorum illorum quæ dixi, *novella subreptio* (nam ita legendum ibi ostendam), cujus ibi mentio fit, est illud ipsum Oraculum, quod ut *hac leg.* ita et prædictis infirmatur.

Cæterum *hæc lex*, ut indicio sunt superiora e codice Africano, atque ipsa insuper temporum ratio, ad Patrum Africanorum postulationem lata videtur. Honorius scilicet et extremis superioris anni 409, et primis hujus anni mensibus, in hæreticos remissior fuerat, ac nominatim Donatistas, quorum depravatos animos ad correctionem mitius invitandos crediderat, ut ipsemet superiore loco ait. Quinimo et in paganos; nam et Zosimus, *lib.* 5, *pag.* 821, Legem qua Catholicæ sectæ inimici (id est, ut hæretici ita et pagani) intra palatium militare prohibiti fuerant (et sic *l.* 42, *supr.*), eo quo dixi tempore abrogatam, testatur.

Conjicit etiam Baronius causas utriusque legis per Africam. Nempe priorem illam quæ hic abrogatur, ab Honorio ipsa rerum necessitate extortam, ne alioquin Donatistæ tot legibus exasperati, a partibus Attali Tyranni starent, qui Africam tentaturus videbatur : cum autem periculum illud cessasset, Attalo videlicet exauctorato; ad Patrum Africanorum petitionem eam, *hac lege* abrogatam. Quod valde probabile facit, præter ipsam temporum rationem, *Heraclianæ Comitis Africæ* nomen, cui hæc lex inscribitur. Nempe hic ille Heraclianus est, adversus quem Honorii partes sectantem atque Africam sub imperio Honorii retinentem, Attalus tyrannus Constantinum cum exercitu in Africam superioris jam anni fine misit; Africæ potundæ spe, tanto terrore et timore Honorio imperatori injecto (quem etiam ipse quodammodo prodit *l.* 1, *supr. de terris limit.*), ut si Africana hæc expeditio Attalo feliciter cederet, imperio cedere, atque in Orientem fugere in animum induceret. Verum hic ab exercitu Heraclianæ mox cum suis interfectus. Eo acrius Heraclianus Africam tueri cœpit, littorum et portuum Africæ custodibus admotis, atque annonam Romam subvehi vetuit. Unde Romæ fames exorta : mox Attalo imperium ab Alarico abrogatum, ut memorant Zosimus *lib.* 6, *p.* 827, 828, 829 et 830, et Sozomenus *lib.* 9, *c.* 8; verum de hoc Attalo plura ad *legem penultim.* et *ultim. supr. de indulgent. crimin.*, et ad *legem.* 1 *supr. de terris limitaneis*, et *l.* 2 *supr. de littorum et itiner. custod.*, et *l.* 6 *supr. de indulgent. debitorum.*

Repetita porro *hæc lex* anno Domini 416, totidem verbis; nonnullis tamen auctior [*l.* 56, ubi dicam.

In utraque lege notanda est pœna *sanguinis*, quam Honorius comminatur illicitos cœtus agitantibus hæreticis : nempe id ita in animum induxit suum, post frequentes hæreticorum conatus, obreptiones, factionesque. Alioquin in hæreticos pœna sanguinis haud adeo sancita, nisi in detestabiles et exsecrabiles nonnullos, in sp. *l.* 9 et 51, 56, *supr.*; verum de hoc plura in Paratitlis et ad *l.* 28, *hoc tit.* Errat certe vir doctus qui *hac leg.* pœnam proscriptionis et sanguinis impositam successive ait, puta ut primum hæretici proscriptione plectantur : quam pœnam si contempserint, deinde pœna sanguinis plectantur : nam utraque pœna simul hic imponitur verbis constitutionis.

Intendit porro *hac lege* Honorius pœnam in Donatistas, quod mitioribus edictis invitati, vel pœnis etiam affecti, furorem suum quotidie augerent et exercerent; unde valido metu opus visum. J. G.

ANNO DOMINI 410.

224 XXXII.

IBID., L LI (1).

QUA ABROGAT EDICTUM QUO HÆRETICIS CONCESSA FUERAT LIBERTAS.

Idem AA. Heracliano Com. Afric.

Oraculo penitus remoto, quo ad ritus suos hæreticæ superstitiones obrepserant, sciant omnes sanctæ legis inimici, plectendos se pœna et proscriptionis et sanguinis, si ultra convenire per publicum, exsecranda sceleris sui temeritate tentaverint. Dat. VIII Kal. Sept. Varane V. C. Cons.

ANNOTATIONES.

Digitized by Google

225 ANNO DOMINI 411.

GESTA COLLATIONIS

CARTHAGINI HABITÆ

HONORII CÆSARIS JUSSU

INTER CATHOLICOS ET DONATISTAS

CORAM MARCELLINO V. C. TRIB. ET NOT. P. C. VARANIS V. C.

PRÆFATIO OPERIS

P. MASSONNO AUCTORE.

Acta collationis Carthaginensis, Innocentio primo pontifice Romano, Honorii clementissimi Cæsaris jussu habita sunt, anno post consulatum Varanis, cum nullus in Occidente consul esset, propter nimiam rerum perturbationem, Roma ab Alarico Gothorum rege recens capta. Mandato igitur quo hæc disputatio fieri jubebatur, locus quidem et dies appositus est; at Consulem, qui nullus erat, curiosi frustra requirent. Catholicæ Ecclesiæ episcopi collationem fieri petierant adversus Donati partem; id enim agnoscunt, septem ex eis delecti, Aurelius, Alypius, Augustinus, Vincentius, Fortunatus, Fortunatianus, et Possidius: totidem Donatistæ, Primianus, Petilianus, Emeritus, Montanus, Gaudentius, Adeodatus, et Protasius: atque hi inter absentes episcopos partis suæ, ut fucum facerent, Felicem quasi urbis Romæ episcopum nominant, licet Catholici Innocentium tunc sedere testentur, ut verum erat, utque probatissimæ fidei annales tradunt, ad annum a partu Virginis quadringentesimum undecimum. Disputatio dividitur in primam cognitionem, secundam, et tertiam. Tertia sexto Idus junias habita est: quo die profertur Marcellini cognitoris sententia, confutatos a Catholicis Donatistas omnium documentorum manifestatione asserentis, ut divi Augustini verbis utar. Hanc sententiam ut emptam a cognitore Catholico et noctu prolatam, calumniose postea Emeritus et quidam pertinaces Donatistæ arguebant: quos Augustinus acutissime refellit; cui sane laudi esse debet, quod epitomen collationis brevissimam scripsit, ideo utiliorem futuram quia tertiæ cognitionis magna pars, quæ hic deficit, necessario inde petenda est. Ubi de Cæciliano et Mensurio, deque traditoribus sacrorum codicum et supellectilis Ecclesiasticæ agitur, Diocletiano et Maximiano Ecclesiam acerrime persequentibus: et si ante Augustinum in libro de Hæresibus id quoque ab Optato Milevitano copiose narratum est. Ac disputavit quidem Augustinus adversus Donatistas ante collationem, et libros de baptismo parvulorum edidit; simul disseruit adversus Petiliani litteras ex forensi advocato episcopi, et Cresconium Grammaticum dicendo pene obtrivit. Post collationem vero Honorio XII et Theodosio VIII Coss. ut ipsemet præfatur, quid egerit cum Emerito satis ostendit libro singulari sic inscripto: De gestis cum Emerito. *Atque hunc quidem fuisse unum eorum septem, quos pro suæ causæ defensione Donatiani delegerant, et qui in eadem causa maxime laboraverat, libro secundo Retractationum Augustinus tradit; eoque mortuo Possidius in ejus vita etiam refert. Denique adversus Gaudentium Thamugadensem episcopum, quem ex illo numero fuisse eodem quoque libro demonstrat, libros duos conscripsit. At summa utilitas ejus judicii fuit: nam licet Donatiani Cæsarem appellarunt, ab Honorio confirmatum est; nosque edictum ex codice Theodosiano huic disputationi annexuimus: cui obediens plebs Donatistarum, desertis episcopis suis ad Ecclesiam catholicam statim rediit, et ex Optati antiquissimo manuscripto codice interrogationes quasdam collationi intelligendæ necessarias adjici curavimus. Cognitorem quidem Orosius libro septimo prudentem, industrium et studiorum bonorum appetentissimum fuisse testatur: ad eumque non multo post Romam captam, scripti sunt ab Augustino libri viginti de Civitate Dei, ut præfatio ad eos indicat. De morte autem Marcellini Hieronymus loquitur lib. 3 contra Pelag. violentam eam fuisse necesse est. Percussorem enim ejus et sicarium idem Orosius nominat. Laudandus quoque est Marcellus qui hoc volumen Actorum collationis, quod copiosissimum atque diffusissimum erat, modulata, ut ipse ait, brevitate distinxit atque collegit, ut ex epistola ejus ad Severianum et Julianum videri potest. Nec plura hoc loco dicenda existimamus, quia Balduinus præceptor meus in jure civili, qui acta commodato tantum in veteribus adhuc membranis ab antistite Meldorum Tillo habuerat, elegantem in ea commentarium edidit.*

226 PRÆFATIO

CLARISSIMI VIRI BALUZII IN EAMDEM COLLATIONEM.

Gesta collationis Carthaginensis inter episcopos Catholicos et Donatistas quæ nunc exstant, integra non sunt, sed abbreviata ex illis quæ conscripta fuerant coram Marcellino Notario. Nam cum illa valde prolixa essent, ut Augustinus ait in epistola quinquagesima, timendumque propterea esset ne in contemptum venirent, Severianus et Julianus a Marcello Memoriali, qui collationi interfuerat et cum Marcellino communicaverat laborem librandæ disceptationis, exegerunt uti fastidia lectionis remedio brevitatis excluderet. Quippe Donatistæ, cum obtinere a cognitore non potuissent ne collatio fieret et ut prorsus causa ipsa non ageretur, hoc effecerunt, *inquit Augustinus,* multum loquendo ut quod actum est, difficile legeretur. *Qua propter Marcellus Memorialis obsecundans postu-*

Digitized by Google

latis amicorum suorum, superflua resecavit, et gesta eo modo concinnavit quo nunc a nobis leguntur. Ea sane olim studiose excepta, conscripta, collataque fuerant, inquit Balduinus, sed temporis injuria posteritatisque negligentia intercciderant, donec tandem anno 1566 in manus ejusdem Balduini venere beneficio viri clarissimi Joannis Tilii episcopi Meldensis. Quod autem non omnino perierunt, debemus, opinor, quicquid alii contra sentiant, nobilissimæ Ecclesiæ Lugdunensi, quæ illustre hoc antiquitatis monumentum in bibliotheca sua servavit. Cui rei indicio est etiam inscriptio vetus posita in initio veteris exemplaris, ei similis quæ exstat in capite codicis Tertullianei, quem eidem Ecclesiæ obtulit Agobardus archiepiscopus. Sic ergo legitur in fronte istorum gestorum.

LIBER OBLATUS
AD ALTARE SANCTI STEPHANI
VOTO FULCHERII CANONICI.

Tum vero Balduinus, qui existimabat, et vere, magnum sibi quemdam thesaurum esse oblatum, ea gesta accurate legit et expendit, et interea dum ederentur, historiam istius collationis vulgavit. Poterat ille leviore compendio gesta edere, si voluisset. Sed haud dubie intelligebat multa mendu exstare in veteri codice, quæ auferre destinabat, multa etiam quæ explicatione indigerent, ut ex eis colligi posset aliquis fructus. Fecisset sane rem gratissimam theologo Lovaniensi qui curam suscepit emendandi Breviculi Augustiniani. Ille enim testatur se, cum hæc acta magno redempta optavisset, atque apud Balduini tum defuncti amicos et hæredes inquiri jussisset, intellexisse dilapsa nescio quo fuisse. Transierant illa in jus et potestatem celeberrimi viri Angeli Vergetii, hominis quidem Græci, sed Latine doctissimi; a quo ea deinde habuit Claudius Mondinus Advocatus Parisiensis, cujus beneficio servata esse scribit Papirius Massonus. Prima hinc eorum editio prodiit Parisiis anno 1589 opera ejusdem Massoni, sed, quod dolendum est, ita mendosa, ut præter errata veteris librarii, multa adhuc nova commissa ab illo sint. Tandem anno 1594, mense Februario venerandus hic codex et auro contra æstimandus ad magnum illum Petrum Pithœum pervenit, ei datus a Mondino causa permutationis cum codice Henrici III, Francorum regis. Et Pithœus quidem, collatione facta cum veteri exemplari, meliorem fecit editionem Massoni, sed non ita tamen quin adhuc multo plura superfuerint emendanda post laboriosas et doctas summi viri vigilias. Nos itaque, quum intelligeremus quanti momenti esset hæc gesta habere sana, quantumque hinc utilitatis accederet Ecclesiæ si emendatiora prodirent, hunc laborem lubenter suscepimus, satis amplam qualiscumque operæ nostræ mercedem recepturi si noster hic conatus Ecclesiæ placuerit et ordini litteratorum. Primum itaque clarissimorum virorum editiones contulimus cum eo ipso veteri exemplari quo illi usi sunt, quod nunc censetur in locupletissima bibliotheca Colbertina, tanti plurimi æstimandum quod aliud ullibi exstare hactenus est incompertum. Deinde errata quoque veteris librarii, quæ admodum multa sunt, sustulimus pro modulo virium nostrarum, secuti in hoc vel doctissimorum virorum judicium, qui varia istorum gestorum loca sanare per transennam studuerunt, vel conjecturas nostras, quum certæ nobis visæ sunt. Nam quod Jacobus Cujacius lib. IV Observat. cap. 31, adnotat multos errores in libros juris civilis attulisse veterem per notas scribendi rationem, de gestis istis affirmari potest absque ullo periculo reprehensionis. Præterea adhibuimus auctoritatem veterum scriptorum, præcipue vero sancti Augustini episcopi Hipponensis, cui uni plus quam cæteris in hac causa debet Ecclesia. Mutationum porro omnium a nobis in textum inductarum rationem reddere et fastidiosum fuisset lectoribus et non admodum utile, nobis vero valde onerosum. Itaque de his quæ manifestæ erant plerumque silui- B mus; earum vero rationem reddidimus quæ aliquid difficultatis habere videbantur, aut quæ illustratione indigebant. Sane affirmare vere possumus editionem hanc nostram multo meliorem esse omnibus iis quæ usque ad hanc diem prodierunt, idque facile intellecturos eos qui illam contulerint cum Massoniana et Pithœana, ex quibus reliquæ ortæ sunt. Nam si cui tantum otii erit, is profecto facile animadvertet quam multa exciderint Massono et Pithœo, quæ nos reposuimus ex veteri codice, quam multa errata ab illis non animadversa, quæ nos satis feliciter, ut quidem opinamur, emendavimus. Illud dolendum, quod hiatus omnes supplere nequivimus, præsertim ubi agebatur de restituendis nominibus episcoporum viginti Ecclesiæ catholicæ quæ exciderunt in recitatione subscriptio- C num. Quoniam vero magna pars tertiæ cognitionis desideratur, quæ necessario petenda est ex Breviculo sancti Augustini, ut pridem monuit Papirius Massonus, gestis adjunximus fragmentum ex illo Breviculo, ab eo videlicet loco ubi gesta deficiunt. Quantum autem intersit reipublicæ christianæ ea habere sana et integra vel hinc liquet quod per annos singulos lectitata in Ecclesiis Africanis fuisse testatur idem Augustinus **227** in epistola LVIII et in libro de Gestis cum Emerito. Dedimus et illud quorumdam suasionibus ut huic fragmento subjungeremus nomina episcoporum utriusque partis quæ recitata sunt in cognitione primæ diei, tum etiam seorsim nomina eorum qui ab utraque parte electi sunt ad suscipiendam collationem. Ob quam etiam causam isthic edidimus eos sermones quos idem sanctus D episcopus habuit instante collatione et post collationem, quorum mentionem facit Possidius indiculo operum ejusdem. Addidimus præterea constitutiones post hanc collationem ab Imperatore Honorio editas; quas et nos putamus respicere ad ea quæ gesta in collatione sunt, et ita viris aliquot doctis persuasum fuisse animadvertimus. Reliquum est ut nonnulla dicamus de anno quo ista acta sunt. Quæ disquisitio esset profecto inutilis, cum habitam collationem constet anno qui secutus est post consulatum Varanis, nisi vir summe doctus nobisque numquam sine laude nominandus Jacobus Sirmondus eam rejecisset in annum alterum post consulatum Varanis, id est in annum quadringentesimum duodecimum, eo in primis argumento quod in-

Digitized by Google

choatam constet kalendis Juniis, ex sermone autem quem sanctus Augustinus habuit instante collatione colligatur paulo ante collationem peractum fuisse jejunium Pentecostes, quod illo anno desiit IV *kalendas Junias.* Deprecamini nobiscum, *inquit Augustinus*, Dominum solemnibus jejuniis, quæ jam reddimus Deo, reddamus et pro causa. Jam enim jejunamus post Pentecosten solemniter; et utique jejunaremus, etiamsi ista causa non esset. *Sane verum est dominicum diem Pentecostes incidisse anno 412, in diem* IV *kalendas Junias. Sed eo die finitum esse jejunium Pentecostes, quod nullum unquam fuit ante Pentecosten, dici vere non potest. Verus ergo ac genuinus, ut ego quidem arbitror, verborum Augustini sensus hic est. Agebantur jejunia quæ quatuor temporum Pentecostes vocamus, quæ post Pentecosten solemniter celebrari vetusta lex Ecclesiæ jubet; et tum Augustinus eum sermonem habuit, instante collatione : quod est valde notandum. Nam hinc manifeste colligitur necesse fuisse ut eo anno quo episcopi Carthaginem convenere ad faciendam collationem, jejunium quatuor temporum Pentecostes evenerit ante kalendas Junias, cum eo die cœpta sit collatio. At vero id fieri non potuisse anno 412 ex eo deprehenditur quo tum dominicus dies Pentecostes inciderit in diem* IV *kalendas Junias, ut supra monuimus. Rectius illa concurrunt in annum 411, quod Pascha fuit* VII *kalendas Apriles, Pentecostes vero pridie idus Maias, et jejunium quatuor temporum Pentecostes incepit* XVII *kalendas, desiit vero* XIV *kalendas Junias, id est, ante dies decem quam Episcopi disceptationem aggrederentur. Nam eo die Catholicos episcopos fuisse apud Carthaginem patet ex collatione prima, cap. 27, 29, et ex collatione secunda, cap. 50.*

Interim autem dum exspectabatur dies kalendarum juniarum, episcopi Catholici, quod antea sæpe fecerant, inter se conferebant de modis revocandæ ac retinendæ unionis in Ecclesia Africana. Tum vero res sane memorabilis et boni exempli accidit, quæ merito referenda est in hoc loco, ut sit veluti viæ dux ad sequendum divinum Spiritum qui apparet per omnes paginas istius collationis. Refert illam sanctus Augustinus, testis videlicet omni exceptione major, in libro de Gestis cum Emerito, his verbis.

Dicam charitati vestræ et commemorem rem dulcissimam et suavissimam, quam Domino adjuvante sumus experti. Cum ante ipsam collationem inter nos aliqui fratres de hac re colloqueremur, quia pro pace Christi episcopi debent esse aut debent non esse, quod vobis fatendum est circumspicientes omnes fratres et coepiscopos nostros, non facile nobis occurrebant qui hoc vellent suscipere et de hac humilitate Deo sacrificare. Dicebamus ut fieri solet, Ille potest, ille non potest, ille consentit hoc, ille non tolerat, loquentes magis pro suspicionibus nostris, qui corda illorum videre minime poteramus. Quando autem ventum est ut hoc palam fieret in concilio universorum tam frequenti pene trecentorum episcoporum, sic exarserunt omnes ut parati essent episcopatum pro Christi unitate deponere, et non perdere, sed Deo tutius commendare. Duo ibi vix inventi sunt quibus displiceret; unus annosus senex, qui hoc etiam dicere liberius ausus est; alter voluntatem suam tacito vultu significavit. Sed postea quam illum senem liberius hoc dicentem obruit omnium fraterna correptio, illo mutante sententiam, vultum etiam ille mutavit.

228 NOMINA ET SEDES

EPISCOPORUM XVIII UTRIUSQUE PARTIS QUI ELECTI SUNT AD COLLATIONEM HABENDAM.

ACTORES VII.

EX PARTE CATHOLICORUM.	EX PARTE DONATI.
1. Aurelius Carthaginensis.	1. Primianus Carthaginensis.
2. Alypius Thagastensis.	2. Petilianus Constantiniensis.
3. Augustinus Hipporegiensis.	3. Emeritus Cæsareensis.
4. Vincentius Colusitanus seu Culusitanus.	4. Protasius Tubiniensis.
5. Fortunatus Constantiniensis.	5. Montanus Zamensis.
6. Fortunatianus Siccensis.	6. Gaudentius Thamugadensis.
7. Possidius Calamensis.	7. Adeodatus Milevitanus.

CONSILIARII TOTIDEM.

1. Novatus Sitifensis.	1. Peregrinus Suffetanus.
2. Florentius Hipponensis Diarrhytorum.	2. Aptus Turusitanus.
3. Maurentius Tuburzicensis.	3. Clarentius Tabracensis.
4. Priscus Quidiensis.	4. Habetdeum Aurusulianensis.
5. Serenianus Meditensis.	5. . . . .
6. Bonifacius Cataquensis.	6. . . . .
7. Scillacius Scillitanus.	7. . . . .

Digitized by Google

CUSTODES CHARTARUM IV.

1. Deuterius Cæsareensis.
2. Leo Moptensis.
3. Asterius Vicensis.
4. Restitutus Tagorensis.

A

1. Victor Hipponensis Diarrhytorum.
2. Marinianus Œensis.
3. Veratianus Carpitanus.
4. Victor. . . . . .

NOTARII IV.

1. Januarius.
2. Vitalis.

1. Victor.
2. Cresconius.

229 NOTITIA

EPISCOPORUM SUPRA MEMORATORUM QUI COLLATIONEM CARTHAGINENSEM SUSCEPERUNT.

Non omnes episcopi qui Carthaginem venerant, tum Catholici, tum Donatistæ, collationem Carthaginensem susceperunt; sed octodecim dumtaxat ex utraque parte: septem scilicet Actores, totidem Consiliarii, et gestorum Custodes quatuor. De Catholicis haud ambigitur: singulorum enim nomina descripta sunt in mandato concilii Carthaginensis, quod refertur in gestis cognitionis primæ, cap. 55, et singillatim enumerantur in gestis cognitionis tertiæ, cap. 2. Quo in posteriori loco referuntur quoque nomina septem Episcoporum, quibus partes Donati tueri incumbebat: iis adjunguntur quatuor tantum consiliarii: aliorum vero nec hic nec alibi fit mentio. Duo autem Custodes chartarum ex parte Donatistarum nominat Primianus Carthaginensis in gestis cognitionis primæ, cap. 132, Victorem Hipponensem Diarrhytorum et Marinianum Œensem: et duos alios Veratianum nempe et Victorem, ibid. c. 223, Veratianum Carpitanæ Ecclesiæ episcopum fuisse constat ex cap. 126. Cujus autem sedis Victor episcopus fuerit, cum plures sint hujus nominis episcopi Donatistæ in collatione Carthaginensi, dicere difficile est. Nunc breviter quid de singulis memoriæ proditum sit, exponendum. Ordiemur a Catholicis.

B

C

Primus inter actores Catholicos, est Aurelius Carthaginensis antistes, vir notissimus, quem Augustinus lib. II *Retractationum, cap.* 21, *venerabilem senem appellat. Quamplurimis ille conciliis Carthaginensibus et Africanis præfuit, meritoque dicitur a Prospero in carmine de Ingratis, concilii Africani Dux, cujus Augustinus* ingenium. *Nec minus celebris est memoria Alypii Thagastensis, Augustini a primis annis amicissimi. Is Thagastæ oriundus erat primoribus municipalibus. Romam veneratus ante Augustinum, et simul cum eo Mediolanum profectus est: hujus etiam propositum imitatus secessit una cum eo Cassiciacum catechumenus cum catechumeno. Mediolani baptizatus, in Africam revertitur, et postea ad Thagastensem episcopatum promotus, scientia et pietate fuit illustris; ac Hieronymo, Sixto, cæterisque Italis conjunctissimus. Pluribus conciliis Africanis interfuit, et magnæ fuit apud Afros episcopos auctoritatis. De Augustino, tertio actore nil necesse est dicere. Vincentius Colusitanus, seu potius Cululitanus in provincia proconsulari episcopus, interfuit conciliis Carthaginensibus annorum 416 et 419. Idem putatur esse qui laudatur a Paulino in Vita Ambrosii cap. ultimo. Fortunati Constantiniensis nomen occurrit etiam in superscriptione concilii Milevitani anni 416, ubi quoque Fortunatiani nomen comparet, qui in eo concilio electus est unus e Judicibus provinciæ proconsularis, et cujus honorifica fit mentio apud Augustinum lib.* I *contra litteras Petiliani cap.* 1 *et Lib.* III, *cap.* 38, *necnon in libro de Unico Baptismo contra eumdem cap.* 16, *ubi dicitur Profuturi ante paucissimos annos defuncti, in sede Constantiniensi successor. Possidius Calamensis episcopus Augustini fuit discipulus, ab eo Dei verbo nutritus, Donatistarum hostis acerrimus, a quibus pene interfectus est, ut narrat Augustinus epist.* 166. *Scripsit Augustini Vitam, in qua testis est se quadraginta annis Dei dono absque amara ulla dissensione familiariter ac dulciter vixisse. Hæc de actoribus catholicis. Cæteri vix aliter noti quam ex præsentibus gestis, ex quibus sedes eorum episcopales collegimus, quod unum de ipsis superest.*

E Donatistarum actoribus quatuor aut quinque celebres sunt: Primianus Parmeniani Donatistæ successor in sede Carthaginensi circa annum Christi 390, *qui statim a Feliciano aliisque suæ partis episcopis damnatus est, et depositus in concilio Cabarsussitano anni* 393, *subrogato in ejus locum Maximiano: at paulo post in concilio Bagaiensi absolutus et restitutus dejecto Maximiano. Qua de re centies apud Augustinum fit mentio. Petilianus ante episcopatum forensis advocatus e catechumeno in Catholica, per vim a Donatistis ordinatus episcopus Constantinæ, cujus exstant litteræ, adversum quas Augustinus scripsit. Emeritum post collationem communem convenit Augustinus in urbe sua Cæsareensi, et cum eo egit præsentibus episcopis ejusdem provinciæ, ac plebe Cæsareensis Ecclesiæ, et gesta collationis hujus in qua superior fuit, ipse descripsit. Fuerat is Emeritus auctor sententiæ concilii Bagaitani in Maximianum latæ. Fama percrebuerat ipsum circa finem vitæ factum esse Catholicum: at falsus fuit iste rumor, et quamvis ab Augustino fuisset convictus, numquam tamen ad communionem catholicam accessit, et in schismate pertinax obiit. Gaudentius quoque Thamugadensis Augustini scriptis, quibus duas epistolas ejus refellit, nobilitatus est. De cæteris Donatistarum episcopis nihil præter sedis nomen, quod ex collationis gestis liquet, habemus.*

D

Digitized by Google

230 PRÆFATIO (1)

MARCELLI MEMORIALIS AD SEVERIANUM ET JULIANUM.

Dilectissimis Fratribus et in Christi nomine venerandis, Severiano et Juliano Marcellus Memorialis.

Amplector alacriter jussionem qua mihi amanter atque in Domino fiducialiter imperastis, ut totius membra negotii, et articulos actionis, quod per istud volumen actorum, prosecutiones partium per longos explicuere conflictus, modulata per me brevitas distinguat et colligat : atque huic operi sola charitate me sentio fateorque sufficere. Ad omnem quippe delegati muneris obsequelam, efficaciores vires habet qui præceptis amore jubentium, quam qui fiducia sui paret. Ac jam quidem in hanc operationem qua in Ecclesiæ negotio pro singulorum viribus laboratum est, quantum mea mediocritas potuit, officii mei symbolam dedi : quod a viro spectabili, et in quo plurimum insigne probitatis est, tribuno et Notario Marcellino curarum ascitus in partem, non tam merito meo, quam dignatione censentis, communicavi cum judice librandæ disceptationis laborem. Sed hoc quoque quod me facere voluistis, peculiariter adhibere non piguit. Quandoquidem mihi non minor in eadem re voluptas et gloria est solvisse nunc fratribus votum, quam cognitori tunc præbuisse consilium. Quicquid igitur laxius a partibus peroratum est, et quicquid interfatibus judicantis utrobique signatum est, sedula breviatione succinxi, consequenter affigens etiam per ordinem, notas calculantibus familiares, ut inquirentis intentio indicem secuta brevitatem, ad id quod deprehendere velit in paginis actionis, non absque commoditate compendii, numeris ducibus directa perveniat. Abusi videamur fortassis otio, dum ad laborem superflua revocamus. Quod nos vere superflue fecisse fateremur, si in tota voluminum serie perlegenda, habiles esse vellent homines ad laborem. Sed periniquum est eos de istius diligentiæ velut quadam inanitate causari, a quibus si in perlegendis jugiter paginis disputationis hujusce non inanis diligentia flagitetur, eam non esse diligentiam, sed molestiam confitentur. Unde, quantum ego arbitror, non opus irritum lusimus qui fastidia lectionis remedio brevitatis exclusimus. Certe, si ex ipsius operationis atque utilitatis effectu, absolutum esse non poterit, quod vanus labor iste non fuerit, idcirco tamen non ineptum est quicquid hic egi, quia in hoc vobis jubentibus parui. Nunc oraverim, ut in vicissitudinem meriti pro me orare dignemini. Ita enim fiet, ut quod sponte facitis, mihi tamen cedat in remunerationem. Omnipotentia Trinitatis, id est, omnipotentia Dei nostri, charitatem vestram jugiter nostri memorem perpetua pietate custodiat, Domini merito dilectissimi, et in Christi nomine venerabiles Fratres.

Explicit epistola capitulorum.

(1) *Hic observa hanc præfationem esse tantum capitulorum Collationis Carthaginensis, quod opus est Marcellini Memorialis : nam quod spectat ad acta, ea non sunt breviarium ab hoc auctore confectum, ut viris alioquin doctissimis visum est, sed ipsamet acta Notariorum publicorum, ut legenti patet.*

231 INCIPIUNT CAPITULA GESTORUM.

1. De astante officio.
2. De ingressis episcopis.
3. Interlocutio de qualitate negotii, ubi jubet sibi cognitor imperiale præceptum recitari.
4. Recitatio imperialis præcepti de habenda collatione.
5. Recitatio edicti per quod congregari episcopos jubet.
6. Interlocutio de alio judice eligendo.
7. Responsio Donatistarum, de judice non postulato.
8. Interlocutio quod collatio fuerit postulata, non judex.
9. Responsio Donatistarum, ut hi proponerent qui collationem petiissent.
10. Recitatio edicti, ubi dicit qui modus et locus collationi sit aptus, et quoteni deberent esse ab utrisque partibus, qui causam peragerent.
11. Ubi jubet cognitor recitari quæ ante collationem pars utraque peregerit.
12. Prosecutio Donatistarum similis præcedenti.
13. Interlocutio quod suo ordine omnia peragi debent, et jubet recitari quæ dixerat.
14. Recitatio notariæ Donatistarum, in qua sibi edictum asserunt displicere.
15. Interlocutio ut Catholicorum epistola legeretur.
16. Recitatio epistolæ Catholicorum, in qua edicto consentiunt et conditiones Donatistis proponunt.
17. Recitatio edicti in quo (cognitor) se omnia publicaturum populo pollicetur.
18. Ubi recitatur rescriptum Catholicorum respondentium notariæ Donatistarum.
19. Interlocutio de Catholicorum consensione, ubi et illi interrogantur utrum consentiant?
20. Prosecutio Donatistarum de tempore et de personis.
21. Interlocutio ut certus numerus constituatur actorum secundum lectum edictum.

Digitized by Google

22. Donatistarum prosecutio de tempore exempto, ut jam nihil ageretur instantium.
23. Interlocutio qua excluduntur de tempore constituto et certo numero constituendo Donatistæ.
24. Ubi Donatistæ de tempore vel de die collationis inquirunt.
25. Interlocutio excludens supradictam prosecutionem.
26. Prosecutio iterum Donatistarum de die collationis exempto.
27. Interlocutio ut ad quæsita respondeat officium et responsio quando quartus mensis impletus sit.
28. Interlocutio de adventu partis utriusque Carthaginem.
29. Prosecutio Donatistarum de adventu suo Carthaginem, et quod jam die transacto fieri non debeat ipsa collatio, sed in contumaces pronuntiari debere.
30. Interlocutio refellens superiorem prosecutionem.
31. Prosecutio Donatistarum ut divinis tantum testimoniis causa tractetur.
32. Interlocutio ut numerus constituatur, et sic causa dicatur.
33. Responsio Donatistarum, ut omnes episcopi ipsorum adsint in judicio.
34. Interlocutio multitudinem non habere personam.
35. Responsio Donatistarum ut non juris lege agatur.
36. Interlocutio, non jus, sed contentionem cessare debere.
37. Ubi Donatistæ laudant judicis integritatem.
38. Ubi offerunt Catholicorum mandatum.
39. Ut, ubi prosequantur, petunt.
40. Interlocutio, ut profiteantur Catholici utrum divinis tantum [testimoniis] agere velint.
41. Responsio Catholicorum, ex mandato cognosci voluntatem suam.
42. Interlocutio cognitoris quid haberet mandatum.
43. Responsio Catholicorum, ex ejus recitatione posse cognosci.
44. Ubi dicunt Donatistæ: *Legem Dei repudiat qui dubitat quid debeat profiteri.*
45. Interlocutio ad supradicta.
46. Responsio Catholicorum ad supradicta.
47. Ubi dicunt Donatistæ, non debere esse mandatum; sed jus publicum aut legem Dei eligere debere.
48. Prosecutio Catholicorum per dicta divina Ecclesiam se demonstrare, per scripta publica hominum crimina purgari.
49. Interlocutio approbans dicta Catholicorum.
50. Prosecutio Catholicorum, per mandatum omnia intimari.
51. Interlocutio approbans supradicta.
52. Ubi Catholicis volentibus legere mandatum, dicit cognitor, ut officium recitet.
53. Prosecutio Donatistarum permittens recitari mandatum, accusans genus accusationis.
54. Interlocutio, se aliter audire non posse quod imperialibus legibus constitutum est.
55. Ubi recitatur mandatum Catholicorum, in quo omnem causam complexi sunt.
56. Interlocutio approbans mandatum Catholicorum divinis constare testimoniis.
57. Recitatio subscriptionum Primatuum Catholicorum.
58. Interlocutio requirens numerum subscribentium, et renuntiat officium.
59. Ubi requirunt Donatistæ Catholicos qui subscripserunt.
60. Ubi respondent Catholici, ut mitterent qui illos agnoscerent.
61. Ubi de numero episcoporum Catholicorum movent quæstionem Donatistæ, quod supponi potuerint qui episcopi non fuissent.
62. Interlocutio contra istam prosecutionem.
63. Ubi petunt Donatistæ, ut sigillatim omnes Catholicos episcopos permittantur agnoscere.
64. Ubi requirit judex si bini ubique possunt esse episcopi.

232 65. Ubi Donatistæ laudant judicem de ipsa inquisitione, et [de] Catholicorum numerositate incongrua conqueruntur.

66. Ubi Catholici multiloquium reprehendunt.
67. Ubi dicunt Donatistæ: *Plus scripsisti quam dixi.*
68. Prosecutio Catholicorum ut personæ constituantur actorum.
69. Interlocutio [cognitoris] quod [de] incompetenter ordinatis mandatum sibi non sit.
70. Ubi iterum Donatistæ prosequuntur judicari debere de numero partis utriusque.
71. Interlocutio, quod multitudo opus non sit.
72. Responsio Catholicorum ubi excusant absentiam suorum.
73. Interlocutio ut venirent omnes.
74. Ubi rursus Catholici turbas non opus esse respondent.
75. Interlocutio cognitoris, utrum loco uno essent episcopi Catholici qui dicebantur absentes.
76. Responsio Catholicorum, nescire ubi sint, nec debere venire ad collationis locum, nisi eos de quibus dubitatur.
77. Ubi dicunt Donatistæ, quod impugnet se actio Catholicorum: et instant ut omnes Catholici veniant qui subscripserunt.
78. Ubi Catholici tumultum vel strepitum cavent.
79. Interlocutio confirmans superius dicta.
80. Ubi dicunt Donatistæ frustra conqueri Catholicos de tumultu.
81. Responsio Catholicorum, quod causa cito peragetur, si Donatistæ voluerint respondere.
82. Ubi dicunt Donatistæ confiteri illos cum tumultu venturos.
83. Ubi respondetur a Catholicis quare tumultum formident.
84. Ubi dicunt Donatistæ, *si in paucos tumultus fieri non potest, in multos quemadmodum fieri potest?* et respondent Catholici, *Judica.*
85. Interlocutio, quod multitudo sacerdotum possit præstare silentium.
86. Ubi iterum Donatistæ dicunt, omnes debere venire.
87. Interlocutio, ut de quo dubitatur, veniat.
88. Ubi dicitur a Donatistis causa tumultus, ubi, vel quomodo episcopi recitati exeant.
89. Ubi consentiunt Catholici quod petebatur, ut omnes veniant.
90. Ubi sibi volunt Donatistæ mandatum ostendi Catholicorum.
91. Interlocutio, ut fiat quod petierunt.
92. Ubi dicunt Donatistæ: Omnes adsint, aut causa differatur.
93. Ubi respondetur a Catholicis, quia non differtur: et petunt, ut actis offeratur mandatum.
94. Ubi ad hoc respondent Donatistæ.
95. Interlocutio ad eam rem.
96. Ubi dicunt Donatistæ præsentiam eorum non mandatum se velle.
97. Ubi dicunt [Catholici] ut ii qui inventi sunt, intromittantur, et jubetur fieri.
98. Interlocutio, satisfactum esse petitionibus Donatistarum.
99. Ubi recitari incipiunt singuli episcopi Catholicorum, et jubetur ut exeat qui non suscepit negotium.
100. Ubi dicitur a Catholicis ut et illorum episcopi procedant.
101. Ubi interrogat cognitor, utrum et Donatistæ consentiant.
102. Ubi suggeritur a Catholicis, ut et Donatistæ mandent.

Digitized by Google

103. Ubi inquirit cognitor, utrum cum mandaverint, exeant et dent locum acturis.
104. Ubi ad hoc consentiunt Donatistæ.
105. Interlocutio de subscriptionibus etiam Donatistarum judiciis intimandis.
106. Ubi respondent Donatistæ, apud acta se velle mandare.
107. Ubi cognitor quærit apud quæ acta.
108. Ubi respondent Donatistæ, apud eum se velle mandare, sed ei permittere quid jubeat.
109. Ubi quæritur a Donatistis quid eligant de mandato Catholicorum.
110. Ubi respondent Donatistæ, ut mandatores potius cognoscantur.
111. Ubi jubetur ut fiat.
112. Recitatio et interlocutio de ipsis.
113. Prosecutio de ipsis.
114. Interlocutio et responsio de episcopo Zummensi.
115. Ubi dicitur a Catholicis, ut videantur præsentes et absentes : et jussio cognitoris ut fiat.
116. Interlocutio de præsentibus, et recitatio de invicem agnoscentibus.
117. Responsio Donatistarum de diœcesibus.
118. Et Catholicorum ad eamdem rem.
119. Iterum Donatistarum inde.
120. Interlocutio, quod non pertineat ad actionem præsentem.
121. De episcopo ad Catholicam converso, et sequentium nominum recitatio.
122. Ubi Catholici inquirunt de Feliciano Mustitano.
123. Responsio Donatistarum inde.
124. Iterum Catholici inde.
125. Iterum Donatistæ inde.
126. Interlocutio ut cœptus ordo teneatur : et recitatur.
127. Responsio Catholicorum de Habetdeo diacono Primiani.
128. Interlocutio de ipso.
129. Responsio Donatistarum de episcopo Cufrutensi cum deesset.
130. De alio episcopo Donatistarum, de adulterio damnato.
131. Interlocutio, si fuit ibi Catholica : et respondent Donatistæ, *Non*.
132. De mutatis exceptoribus et custodibus datis.
133. Interlocutio judicis, ut tabulæ a custodibus signarentur : et recitatio episcoporum.
134. De episcopo et Ecclesia Ceramussense.
135. Recitatio sequentium nominum.
136. Responsio Catholicorum de unitate Tagastensis Ecclesiæ.
137. Et responsio Donatistarum ad ea.
138. Recitatio subscriptionum actorum.
139. Objectiones Donatistarum et responsiones Catholicorum, cum actores Catholici recitarentur.
140. Objectio Donatistarum, quod iidem sint actores qui mandatores.
141. Interlocutio ad eam rem, et recitatio subscriptionum contra objectionem Donatistarum.
142. Interlocutio ad eam rem.
143. Interlocutio contra objecta Victoris episcopi Hipponensium Diarrhytorum.
144. Ubi consessum episcopis offeret judex.
145. Ubi recusantes Donatistæ sessionem, judicem laudant.
146. Interlocutio ut soli remanerent actores.
147. Ubi mandatum offerunt Donatistæ.
148. Interlocutio, ut recitetur. Et recitat officium.
149. Interlocutio, ut subscriptiones recitet officium.
150. Ubi Catholici petunt præsentiam Donatistarum.
151. Interlocutio de mandato et subscriptionibus Donatistarum.

233 152. Petitio Catholicorum, ut singuli accederent etiam Donatistæ.
153. Interlocutio ad petitionem Catholicorum
154. Prosecutio Catholicorum, ut professio pareret Donatistarum.
155. Interlocutio de ea re.
156. Et Catholici ad eam rem.
157. Recitatio nominum Donatistarum.
158. Responsio Catholicorum de Felice episcopo urbico Donatistarum.
159. Et Donatistæ de eodem nomine.
160. Iterum Catholici inde.
161. Interlocutio de transmarinis non sibi esse præceptum.
162. Item Catholici inde.
163. Responsio Donatistarum de transmarinis, et sequentium nominum recitatio.
164. Interlocutio, ut decem sufficerent ad subscribentium fidem.
165. Prosecutio Donatistarum ut singuli transirent etiam ipsorum, propter suam multitudinem commendandam.
166. Interlocutio quod non sit de numero mandatum.
167. Responsio Donatistarum unde supra.
168. Ubi Catholici agunt de numerositate coepiscoporum suorum vanum dicentes præjudicium Donatistarum.
169. Ubi dicunt Donatistæ : *Injuriam facis vene.*
170. Ubi Catholici prosecutionem quam Donatistæ interruperant peragunt, asserentes quod numquam causæ agendæ defuerint.
171. Interlocutio, ut causa tractetur.
172. Prosecutio Catholicorum, ut multitudo exiret episcoporum.
173. Interlocutio, ut singuli transirent recitati.
174. Ubi Catholici quærunt professionem Donatistarum.
175. Responsio Donatistarum de subscribentibus.
176. Interlocutio, ut singuli etiam Donatistæ recitentur.
177. De episcopo Vagense de quo dubitabatur.
178. Interrogatio cognitoris de ipso.
179. Responsio Donatistarum de ipso.
180. Interlocutio approbans quæsita; et sequitur recitatio nominum.
181. Suggestio Catholicorum, quod il qui recitati fuerant, fundorum erant episcopi non civitatum.
182. Et responsio Donatistarum inde.
183. Ubi agitur de episcopo pro quo subscripsit presbyter cum ipse Carthaginem non venisset, quia cæcus erat.
184. Catholicorum responsio inde et Donatistarum.
185. Responsio Donatistarum ad ea.
186. Interlocutio inde.
187. Et Catholicorum inde responsio : et sequitur nominum recitatio.
188. De episcopo Catholico et rebaptizato, et nominum recitatione.
189. Ubi multa mala in Catholicos commemorantur, et ad hæc responsio Donatistarum.
190. Interlocutio, hoc sibi non esse mandatum.
191. Responsio Catholicorum contra negationem Donatistarum.
192. Ubi dicunt Donatistæ injuriam sibi fieri.
193. Interlocutio contra supradicta.
194. Inquisitio Catholicorum de absente pro quo alius subscripsit.
195. Responsio Donatistarum de eo.
196. Interlocutio inde.
197. Responsio Catholicorum unde supra, et sequitur recitatio nominum.
198. Responsio Donatistarum de episcopo rebaptizato. Sequitur nominum recitatio.
199. Responsio Donatistarum de episcopo rebaptizato et rebaptizante.

Digitized by Google

200. Ubi quærit cognitor de absente Felice Summense propter falsitatem subscriptionis.
201. Responsio Donatistarum de rebaptizato et in adulterio deprehenso, et recitatio nominum.
202. De presbytero Catholico interventore ubi episcopum haberent Donatistæ, et nominum recitatio.
203. De diacono Catholico rebaptizato et facto episcopo a Donatistis.
204. Ubi Catholici dicunt non esse Donatistarum episcopum in eo loco unde esse dicebatur; qui recitatus respondit, et ad hoc responsio Donatistarum, et interlocutio cognitoris.
205. Ubi Donatistæ mandatum suum volunt constare.
206. Interlocutio ad supradicta, et recitatio nominum.
207. Prosecutiones utrarumque partium et interlocutiones de mortuo quem dixerunt Donatistæ in itinere defecisse.
208. Interlocutio de eo quem dixerunt Catholici in via ordinatum.
209. De subscriptionibus absentium, ubi hoc eis cognitor concedit, quamvis in mandato suo præsentes præsentibus mandaverint.
210. Testatio Catholicorum quod non æquatur (Catholicis) numerus Donatistarum, quamvis multas proferrent subscriptiones absentium.
211. Inquisitio cognitoris de numero utrinque episcoporum.
212. De supervenientibus episcopis Catholicis.
213. Inquisitio de numero Donatistarum, et responsio officii.
214. Inquisitio de numero episcoporum Catholicorum.
215. Mandatio supervenientium Catholicorum qui non subscripserunt.
216. Interlocutio ut actores starent, et cæteri exirent.
217. De his qui non venerant, vel de plebibus vidualis, quod ab utrisque suggestum est.
218. Interrogatio cognitoris, utrum hi remanserunt qui causam agent.
219. Interrogatio cognitoris de hora diei et responsio officii.
220. Interlocutio cognitoris de die pene jam consumpto, et utrum ex communi consensu negotium differatur. Ab utrisque, placere, responsum est.
221. Ubi ab utrisque responsum est interjecto die causam debere finiri.
222. Interlocutio ut custodes dentur exceptoribus atque codicibus.
223. Ubi offerunt Catholici custodes, similiter et Donatistæ.
224. Interlocutio judicis de conclusione gestorum.

Expliciunt Capitula gestorum primæ Cognitionis.

INCIPIUNT CAPITULA SECUNDÆ COGNITIONIS.

1. De adstante officio.
2. De ingressu partium.
3. De consessu oblato.
234 4. Ubi recusatur a parte Donati consessus.
5. Interlocutio, quod stans cognosceret.
6. Responsio Donatistarum inde.
7. Interlocutio inde.
8. Suggestio officii de notaria Donatistarum, ubi petunt sibi edi Catholicorum mandatum.
9. Jussio ut recitetur.
10. Prosecutio Donatistarum contra id quod ab officio dicti sunt partis esse Donati.
11. Responsio Catholicorum ad ea.
12. Interlocutio ut notaria recitetur : et recitat officium.
13. Interlocutio de subscriptionibus gestorum.
14. Responsio Catholicorum de consensu ipso.
15. Interlocutio cognitoris de ipso placito.
16. Responsio Donatistarum recusantium supra scripta.
17. Ubi dicunt Catholici illos non consentire edicto.
18. Et respondent Donatistæ de basilicis non redditis.
19. Interrogatio cognitoris, si contenti essent fide gestorum.
20. Ubi petunt Donatistæ sibi edi gesta, et propter hoc causam differri.
21. Responsio Catholicorum ad hoc.
22. Interlocutio ad hoc.
23. Iterata petitio Donatistarum de hoc.
24. Interlocutio ut officium recitet eorum consensum.
25. Item, ubi gesta a se legenda postulant Donatistæ.
26. Responsio Catholicorum ad eam rem.
27. Interlocutio ut consensus partium legatur.
28. Ubi Donatistæ dilationem petunt.
29. Responsio Catholicorum in qua multiloquium accusant.
30. Ubi Donatistæ multiloquium excusant.
31. Ad hoc responsio Catholicorum.
32. Recitatio gestorum de consensu partium.
33. Iterum ubi petunt Donatistæ dilationem.
34. Interlocutio resistens petitioni dilationis.
35. Iterum Donatistæ inde, quod sibi gesta edita non sint.
36. Interlocutio contra hæc.
37. Ubi excusant per exceptores Donatistæ.
38. Interlocutio qua interrogantur exceptores de conscriptione gestorum, eorumque responsio.
39. Causatio Donatistarum, quod pars gestorum in codicibus habeatur.
40. Prosecutio Catholicorum ne causa differatur.
41. Interlocutio, ut iterum consensus partium legatur. Recusatio Donatistarum.
42. Interlocutio iterum inde.
43. Responsio inde Donatistarum.
44. Recitatio iterum de consensu partium.
45. Interlocutio non licere contra proprios venire consensus; et ut notarii Ecclesiæ recitent si de fide dubitant exceptorum.
46. Prosecutio Donatistarum, ubi sibi gesta primitus edi volunt.
47. Interlocutio, ut ab Ecclesiasticis notariis, sicut ab exceptoribus, consensus partium recitetur.
48. Prosecutio Donatistarum de dilatione accipienda.
49. Interlocutio, quod priore judicio id quod nunc flagitant petere debuerunt.
50. Prosecutio Catholicorum qua demonstratur, quo die ad collationem pars quæque convenerit.
51. Interlocutio confirmans superius judicatum.
52. Prosecutio Donatistarum, ubi nuper actum de die refragantur.
53. Professio partium pro susceptis tabulis, propria signa cognoscunt.
54. Ubi dicunt Donatistæ, sic solere testamenta aperiri.
55. Interlocutio cohibens proprias professiones reprehendi.
56. Prosecutio Catholicorum, ubi permittunt judici, petentibus Donatistis, inducias prorogare.
57. Interlocutio quærens ab exceptoribus ad quem articulum sit dilata cognitio, licet ad dilationem utriusque partis consensus accesserit.
58. Responsio Donatistarum, ubi dicunt cognitionem non suo vitio prorogari.
59. Interlocutio cognitoris, ubi præcipit recitari quod nuper exactum est ; et recitatur.
60. Post recitationem interlocutio, qua clarescit in præsentem diem consensu partium dilatum fuisse judicium.
61. Prosecutio Donatistarum, ubi agere velle dicunt, si exceptores habent gesta parata præ manibus.

Digitized by Google

62. Ubi Donatistæ promittunt se gestis subscripturos.
63. De dilatione exceptoribus data.
64. Responsio exceptorum de gestis edendis.
65. Interlocutio de die in diem signando.
66. Responsio de hac re.
67. Prosecutio Donatistarum, qua (*l.* pollicentur certo) postulatur certos ad judicium se esse venturos.
68. Indicatio cognitoris qua futuri examinis dies percepta gestorum editione definitur.
69. Prosecutio Catholicorum qua conditio ista proponitur, ut editis gestis de eorum susceptione et de tempore caveatur a partibus.
70. Prosecutio Donatistarum, ubi id se facturos esse promittunt.
71. Interlocutio judicis, ubi etiam præsentia gesta una cum superioribus edere jubetur officium.
72. Prosecutio Catholicorum ubi edictum a judice flagitant proponendum, ut Donatistæ dilationem petisse noscantur.
73. Decisio cognitoris, ubi prædictam gestorum propositionem se facturum esse promittit.

Expliciunt Capitula gestorum secundi conflictus.

INCIPIUNT CAPITULA TERTIÆ COGNITIONIS.

1. De adstante officio.
2. De ingressis episcopis.
3. Interlocutio de die examinis constituto, qui dies etiam officii responsione signatur.
4. Recitatio cautionis, ubi Catholici gesta receperunt.
5. Recitatio similis cautionis partis alterius.
6. Interlocutio, qua statuitur ut principalis causa dicatur.
7. Prosecutio Catholicorum, ubi principale negotium olim se agere velle testantur.
8. Ubi Donatistæ a Catholicis exigunt ut proponant.
9. Ubi respondetur, propositionem ex mandato suo posse cognosci.
10. Prosecutio Catholicorum, qua prædicunt ne morarum impedimenta nectantur.
11. Prosecutio, ut quod intenditur, proponatur.
12. Responsio Catholicorum, qua dicunt propositionem Donatistarum ex ipsorum colligi posse mandato.
13. Interlocutio, qua poscitur ut principalis causa dicatur.
14. Prosecutio Catholicorum, qua provocant ut Ecclesiæ principale negotium peragatur.
15. Prosecutio Donatistarum, discutiendas esse personas.
16. Responsio Catholicorum, jam confirmatas esse personas.
17. Interlocutio, quod prosecutionem Donatistarum Catholici non diligenter adverterint.
18. Responsio Catholicorum, qua dicunt utrumque recitandum esse mandatum.
19. Interlocutio qua Donatistarum prosecutio Catholicis asseritur.
20. Prosecutio Catholicorum, quid ab Imperatore petierint, a se directa legatione, ex qua flagitant ut jam causa dicatur.
21. Interlocutio ut recitetur Imperiale præceptum.
22. Prosecutio Donatistarum de Catholici nominis quæstione et inde contentio.
23. Interlocutio de eadem re.
24. Recitatio Imperialis arbitrii.
25. Interruptio Donatistarum, qua interpretatur Imperiale præceptum.
26. Catholicorum ad ista responsio.
27. Ubi Donatistæ a Catholicis se dicunt esse laudatos.
28. Catholicorum ad ista responsio.
29. Recitatio principalis jussionis superius inchoatæ.
30. Prosecutio Donatistarum de proprii ac paterni nominis ratione.
31. Catholicorum ad ista responsio.
32. Professio Donatistarum, sibi Principem fuisse Donatum.
33. Ubi a Catholicis ad condemnandum Donati vocabulum provocantur.
34. Ubi id ipsum de Mensurii nomine a Donatistis in Catholicos retorquetur.
35. Catholicorum ad ista responsio.
36. Interlocutio de lege recitata, et discutienda totius erroris origine.
37. Ubi preces Catholicorum legi sibi postulant Donatistæ.
38. Interlocutio de rescripto pragmatico.
39. Prosecutio Donatistarum de legatorum discutienda persona.
40. Ubi Catholici contestantur multa agendo nihil velle agere Donatistas.
41. Item Catholicorum prosecutio de his quæ super legatorum persona Donatistæ fuerant prosecuti.
42. Interlocutio de superfluis amovendis et negotio proponendo.
43. Prosecutio Donatistarum de Imperiali rescripto Catholicorumque mandato inter se pariter conferendo.
44. Ubi asserunt Catholici, prosecutioni suæ Donatistas minime respondisse.
45. Interlocutio de lege qua datus est cognitor, in qua parte sit superstitio constituta.
46. Ubi asserunt Donatistæ, moras potius per Catholicos fieri.
47. Catholicorum ad ista contentio.
48. Interlocutio, quidnam petatur a partibus.
49. Prosecutio Donatistarum debere Catholicos aut mandati sui aut Imperialis præcepti subire jacturam.
50. Responsio Catholicorum, quod mandatum suum universa contineat.
51. Interlocutio qua exponitur a Donatistis forma pragmatici, et Catholicorum professio probabilis judicatur.
52. Ubi dicunt Donatistæ Catholicos Imperatori esse mentitos.
53. Ubi ad hæc Catholici ex ipsa lege respondent.
54. Ubi Donatistæ dicunt actionem non se differre.
55. Prosecutio Catholicorum de ipso Imperiali rescripto, et de collatione sua, et de testimoniis scripturarum quibus confirmatur Ecclesia.
56. Prosecutio Donatistarum unde superius, id est, de legatorum suscipienda persona.
57. Responsio Catholicorum, quod ideo aliud quæritur ut causa fugiatur; et inde contentio.
58. Interlocutio discutiendas legatorum personas non necessario postulari.
59. Prosecutio Catholicorum, quid ab Imperatore petitum sit, quidve concessum.
60. Prosecutio Donatistarum de persona iterum legatorum.
61. Catholicorum ad ista responsio.
62. Iterum Donatistarum contentio de legatorum discutienda persona.
63. Contestatio Donatistarum, quod moras Catholici innectant qui personas nolunt prodere legatorum.
64. Interlocutio, quod de his personis nihil quæri voluit Imperator.
65. Iterum Donatistarum contentio de legatis.
66. Interlocutio, ut dicant Donatistæ, si ex præsentibus Catholicis possunt eos agnoscere quos dicunt esse legatos: aut si absunt, præsentari oportere.
67. Prosecutio Donatistarum, ubi dicunt præsentandos esse legatos.
68. Responsio Catholicorum, ubi dicunt jam semel personam suam ab illis esse firmatam.

Digitized by Google

69. Iterum Donatistæ de legatorum discussione contendunt.

70. Interlocutio, ut de persona legatorum contentione supplosa, ad interna negotii veniatur.

71. Iterum Donatistæ de legatorum persona contendunt.

72. Ubi exigunt Catholici Donatistas causam oportere propriæ separationis ostendere.

73. Iterum Donatistarum contentio de legatis.

74. Ubi Catholici respondent, nihil ab Imperatore præceptum de legatorum discutienda persona, sed de erroris initio disquirendo.

75. Prosecutio Donatistarum apud se esse potius Catholicam : et iterum de legatorum discussione contentio.

76. Prosecutio Catholicorum, qua sibi testimoniis flagitant comprobari, quod apud se Donatistæ dixerunt esse Catholicam.

77. Interlocutio legatorum nomina superfluo flagitari, quibus omissis, jam ad propositionem negotii veniendum.

78. Iterum Donatistarum contentio de legatis.

79. Interlocutio similis præcedenti.

80. Prosecutio Catholicorum, qua ad collationem se, sicut voluit Imperator, venisse testantur.

81. Interlocutio, legatorum discutiendas fuisse personas, ubi officium suum exsecuta legatio est.

82. Ubi postulant Catholici ut a Donatistis causa separationis propriæ publicetur.

83. Iterum Donatistæ flagitant edi sibi debere legatos.

236 84. Interlocutio ubi cognitor dicit, a forma legis se deviare non posse et omnes a legatorum inquisitione cessare debere, sed causam esse dicendam.

85. Prosecutio Donatistarum de edendo eo, quod Catholici ab Imperatore petierint, et per quos petierunt.

86. Interlocutio, quod præceptum non sit inquirere, quidnam Catholici ab Imperatore petierint, sed confirmatis utrisque personis, negotium debere proponi.

87. Iterum Donatistarum inde contentio.

88. Catholicorum ad ista responsio, qua etiam contestantur prolixa velle gesta facere Donatistas.

89. Prosecutio Donatistarum, ubi moras dicunt per Catholicos fieri, et ubi edi sibi postulant quid ab Imperatore petierint : et ubi quærunt utrum jure publico an divinis legibus velint actitare Catholici.

90. Interlocutio collationem tantummodo ab Imperatore petiisse Catholicos.

91. Interpellatio Donatistarum, qua se potius Catholicos dici oportere testantur.

92. Interlocutio eos Catholicos esse vocitandos quos sic vocari voluit Imperator.

93. Prosecutio Donatistarum, Catholicum nomen eis esse servandum quem victoria declaraverit Christianum.

94. Interlocutio ad ista consentiens, et formam præcedentis præcepti observans.

95. Ubi Donatistæ sine præjudicio suo, hoc ipsum interfatum esse judicem volunt.

96. Interlocutio, ut jam causæ proponatur initium, si volunt ostendere Donatistæ adversariis nomen non convenire Catholicum.

97. Prosecutio Donatistarum ut Catholici, quia nolunt satisfacere judicatis, hoc saltem respondeant, utrum nomen petitoris adsumant.

98. Catholicorum ad ista responsio, et de Ecclesia ubique diffusa.

99. Prosecutio Donatistarum, nihil se habere cum Ecclesiis peregrinis : sed Catholicum nomen victori esse servandum : et profiteri Catholicos oportere, utrum personam petitoris adsumant.

100. Prosecutio Catholicorum, quomodo Afri Christiani communionem habeant cum orbe terrarum.

101. Item prosecutio Catholicorum, ibi Ecclesiam inquirendam ubi sponsus Ecclesiæ, id est, Christus agnoscitur; et Catholici nominis evidens expressio.

102. Prosecutio Donatistarum, ubi Catholicum nomen interpretari aliter moliuntur, et conantur iterum ad transacta recurrere de nominibus legatorum.

103. Interlocutio judicis, ut omissis quæ transacta sunt, Catholici nominis promissa ratio demonstretur.

104. Donatistarum contentio, ut proponere Catholici compellantur.

105. Item petitio Donatistarum, quod debeat judex pronuntiare de singulis.

106. Item ubi postulant Donatistæ, ut Catholici edicant, utrum petitorum, an respondentium sibi velint vindicare personam.

107. Interlocutio ista confirmans.

108. Ubi Catholici profitentur, ad hoc se ingressos esse judicium, ut objectis eorum criminationibusque respondeant.

109. Prosecutio Donatistarum, qua requirunt, a quibus fuerint ad judicium provocati.

110. Prosecutio Catholicorum, qua ideo se ad collationem convenisse asserunt Donatistarum, ut eorum objecta refellerent, et qua eosdem Donatistas auditionem in comitatu petiisse testantur.

111. Interlocutio ut Donatistæ quæ solent crimina Catholicis objicere, jam proponant.

112. Prosecutio Donatistarum, ut pronuntiet judex utrum recta sint quæ iidem postulant Donatistæ.

113. Interlocutio qua et illos recte petiisse, et a Catholicis recte responsum esse pronuntiat.

114. Prosecutio Donatistarum in qua conantur Catholicos facere petitores.

115. Interlocutio judicis, si Catholici aliquid objiciunt Donatistis.

116. Prosecutio Catholicorum, qua dicunt nihil se objicere, sed objecta velle diluere : illos autem sæpius objecisse et proprii tenore mandati et verbis episcopi Primiani posse monstrari.

117. Interlocutio ut Donatistæ traditionis crimen, quod in mandatum suum contulerant adversus Catholicos, probationibus fulciant.

118. Postulatio Donatistarum, ut ante judex pronuntiet de persona, et sic eatur in causam.

119. Catholicorum ad ista contentio.

120. Interlocutio, eum esse petitorem qui crimen intendit.

121. Donatistarum petitio, ut Catholici doceant collationem ab utrisque partibus postulatam.

122. Catholicorum ad ista responsio.

123. Interruptio Donatistarum, per quam sibi Catholicum nomen assumunt : et de nominibus parentum utrinque contentio.

124. Ubi offerunt gesta Catholici in judicio habita Præfecturæ, quibus comprobant quod promissum est.

125. Ubi ad transacta se referunt Donatistæ, ne gesta recitentur, et de persona pronuntiari desiderant.

126. Interlocutio, collationem solam petiisse Catholicos, de hac tantummodo judicandum.

127. Ubi Donatistæ contendunt, ut judex de sua primum petitione pronuntiet.

128. Prosecutio Catholicorum, ut proferant Donatistæ si habent unde sua falsitas convincatur : et ubi gesta ingerunt Præfecturæ.

129. Ubi ad transacta se conferunt Donatistæ, ne gesta apud Præfecturam habita recitentur.

130. Interlocutio, qua supplosis omnibus, recitari oportere eadem gesta pronuntiat.

131. Prosecutio Donatistarum de persona petitorum, et judicis pronuntiatione promenda.

132. Interlocutio, ubi omnibus quæ offerunt, recitandi ordinem pollicetur.

Digitized by Google

133. Interruptio Donatistarum, ne gesta recitentur.

134. Interlocutio, personam petitoris hinc posse clarescere si gesta fuerint recitata.

135. Contentio Donatistarum, ut pronuntiet cognitor de petitis.

136. Petitio Catholicorum, ut gesta recitentur.

137. Interlocutio, non debere ad pronuntiationem adigi cognitorem, cum ex altera parte probationis volumen offerretur.

138. Prosecutio Donatistarum, ubi ne gesta recitentur, aliud prosequuntur : et pronuntiari de parte a cognitore desiderant.

237 139. Interlocutio, ut gesta eadem recitentur.

140. Ubi multis prosecutionibus recitari gesta non sinunt Donatistæ, et contra multas pronuntiationes judicis confligendo, personam fugiunt petitoris.

141. Ubi eadem gesta incipiunt recitari, et volentes interrumpere Donatistæ, proconsularia vel vicariana offerunt gesta, per quæ sibi monstrant plurima objecisse Catholicos.

142 Contestatio Catholicorum de tumultuantibus Donatistis.

143. Petitio Donatistarum, ut secundum ordinem temporis, singularum partium volumina recitentur.

144. Catholicorum ad ista responsio.

145. Interlocutio, utrum priora sint gesta quæ legi desiderant Donatistæ.

146. Donatistarum ad interrogata responsio.

147. Interlocutio, ea quæ antiquiora sunt gesta primitus recitanda.

148. Ubi Catholici offerunt ea gesta quæ priora sunt omnibus.

149. Prosecutio Donatistarum, qua ne aliqua gesta recitarentur, Catholicos dicunt ad forensia remeasse, cum divinis legibus elegerint universa discingi.

150. Interlocutio ut ea gesta recitentur quæ antiquiora sunt.

151. Ubi Donatistæ se in causam mirantur induci.

152. Ubi Catholici respondent gesta se per ordinem recitanda, sicut ipsi postulaverant, obtulisse.

153. Prosecutio Donatistarum, ubi aliud quam quod a Catholicis offertur, se petiisse respondent : et eos provocant, ut aut divinis tantum testimoniis, aut publico jure disceptent.

154. Interlocutio, ut gestorum dies inter se ab officio conferantur.

155. Prosecutio Catholicorum, quando debeat divinis legibus, quando publicis causa tractari.

156. Interlocutio qua Catholicorum prosecutio probabilis judicatur.

157. Prosecutio Donatistarum in qua redeunt ad priora, ut mandatum sibi et legatio publicetur.

158. Interlocutio adversus Donatistarum prosecutionem.

159. Prosecutio Donatistarum de mandato præsentibus defensoribus adtributo, et de alio mandato prioribus legatis impositio.

160. Catholicorum ad ista responsio, qua dicitur illo mandato quod legatis impositum est, aliena quoque negotia quæ ab istis inquiri non debeant, contineri.

161. Prosecutio Donatistarum, qua hoc ipsum criminantur quod Catholici dixerunt, illud legatorum mandatum non esse prodendum.

162. Catholicorum ad ista responsio, quæ sensum præcedentis prosecutionis exponit.

163. Prosecutio Donatistarum similis præcedenti.

164. Interlocutio, mandatum Catholicorum non debere disquiri : sed Donatistas potius oportere profiteri, utrum crimina velint traditionis ostendi, an fidei causam Ecclesiæque tractari.

165. Donatistarum prosecutio, quod eis persona petitoris inludenter imponitur.

166. Interlocutio quod petitor gestorum poterit recitatione monstrari : et Donatistæ respondent ordinem in eorum recitatione servandum.

167. Interlocutio ubi tempora gestorum Proconsularium sive Præfecturæ inter se conferre jubetur officium.

168. Ubi gesta illis antiquiora a Catholicis offerantur.

169. Ubi cognitor jubet volentibus legere Donatistis ab officio potius quæ legenda sunt recitari.

170. Ubi Catholici ea quæ ipsi offerunt gesta antiquiora esse respondent.

171. Ubi cognitor percontatur officium quæ priora sint gesta.

172. Ubi respondet officium antiquiora esse gesta quæ obtulerunt de codice Donatistæ.

173. Ubi respondent Catholici se antiquiora proferre.

174. Ubi cognitor jubet Donatistarum gesta quasi antiquiora recitari : et ab officio recitatur datus a Catholicis libellus proconsuli Septimino.

175. Ubi Donatistæ petitores volunt esse Catholicos.

176. Prosecutio Catholicorum, ubi petunt antiquiora potius recitari, quæ apud Anulinum proconsulem gesta sunt, agentibus Donatistis.

177. Interlocutio quæ jubet probare Catholicos schismatis crimen quod objiciunt Donatistis.

178. Catholicorum ad ista responsio.

179. Interlocutio quæ jubet universa per ordinem recitari.

180. Contendentibus de nomine petitoris, interloquitur judex petitorem melius posse clarescere cum omnia fuerint recitata.

181. Prosecutio Donatistarum, ut eligant Catholici utrum publicis agere velint legibus, an divinis.

182. Ad hæc interlocutio cognitoris, ut gesta per ordinem recitentur, quo possit petitor agnosci.

183. Ubi Donatistæ ne gesta apud Anulinum Proconsulem habita recitentur, præscriptionem de lapsu temporis moliuntur inducere.

184. Ubi ista contendentibus Donatistis, interloquitur judex præscriptionem de lapsu temporis submovendam, cum ad hunc diem partes examen communi voluntate distulerint.

185. Ubi Donatistæ dicunt, ideo se præscriptionem temporis intulisse, quoniam Catholici forensi more chartis oblatis agere voluerunt.

186. Interlocutio, ut respondeant Catholici objectis.

187. Catholicorum ad ista responsio, qua profitentur secundum Scripturas se acturos esse divinas, si a criminibus personarum et a legendis chartulis recedatur.

188. Prosecutio Donatistarum qua dicunt nihil certum de duobus elegisse Catholicos : nec se esse petitores, qui ad judicium venerint provocati, sed ipsos potius debere proponere.

189. Ubi dicunt Catholici eum non adsistere loco petitoris cui crimen objicitur.

190. Interlocutio approbans supradicta.

191. Ubi dicunt Donatistæ, de oblata conditione forensis divinique tractatus nihil a Catholicis esse responsum.

192 Catholicorum ad ista responsio.

193. Ubi dicunt Donatistæ, quod sensim inducantur in causam : et hoc sibi a patribus esse mandatum ut nomine respondentis adsistant.

194. Interlocutio ubi dicitur ad unam propositionem Donatistarum ipsum judicem, ad aliam vero respondisse Catholicos.

195. Ubi dicunt Donatistæ judicem absentium, non præsentium partes debere defendere.

Digitized by Google

196. Interlocutio qua se hoc quod voluerant Donatistæ pronuntiasse respondent.

197. Prosecutio Catholicorum qua se etiam elegisse 239 respondent quo juro disceptent, et nihil pro se egisse judicem, sed pro partibus suis.

198. Prosecutio Donatistarum, non fuisse in sua potestate quod ad judicium convenerunt.

199. Ubi Catholici interrogant Donatistas, utrum a personarum criminatione discedant.

200. Prosecutio Donatistarum, qua dicunt, huic interrogationi Catholicorum se respondere non posse : sed eos loco debere adsistere petitoris.

201. Prosecutio Catholicorum per quam se propositis Donatistarum conditionibus respondisse testantur.

202. Interlocutio approbans respondisse Catholicos, dicens antiquiora gesta recitari, ut petitor possit ostendi.

203. Prosecutio, qua Donatistæ negantes unum certum elegisse Catholicos, ad præscriptionem de lapsu temporis revertuntur.

204. Catholicorum responsio, non occurrisse ad ultimum Donatistas qui postea mandaverunt.

205. Donatistarum inde contentio.

206. Prosecutio Catholicorum de professione episcopi Primiani, et ubi legendum offerunt per quod comprobant Donatistas transacta repetere.

207. Responsio Donatistarum cur redeant ad peracta.

208. Prosecutio Catholicorum moratorie agere Donatistas, et gesta esse recitanda quæ detegant petitorem.

209. Ubi ne legantur gesta, volunt præscribere Donatistæ.

210. Interlocutio, Donatistas contra suos velle venire consensus, et gesta esse recitanda.

211. Defensio Donatistarum cur nolint Catholicis proprium servare consensum.

212. Interlocutio, ut gesta recitentur, ea servans incolumia Donatistis, quæ possunt ratione competere.

213. Ubi dicunt Donatistæ consensus proprios servare debere Catholicos, qui se divinis legibus acturos esse promiserint.

214. Catholicorum ad ista responsio, non Cæciliani, sed Ecclesiæ causam promisisse se divinis legibus peracturos.

215. Interlocutio, ut gesta recitentur quibus petitor possit ostendi.

216. Ubi, lecto titulo relationis, quærunt Donatistæ, cur titulus lectus est : et cognitor jubet ut actis neuter titulus inseratur.

217. Ubi exceptore recitante, Donatistæ quærunt unde prolata sint.

218. Ubi Catholici dicunt, recitatis gestis debere a se exigi lectionis ipsius firmitatem.

219. Interlocutio ante lectionem præcipiens responderi unde gesta prolata sint.

220. Ubi Catholici respondent, ex Archivo Proconsulis hæc esse prolata : et recitantur ex ordine.

221. Ubi interrupta recitatione gestorum, interrogant Donatistæ, utrum Cæciliani sit filius is qui nunc agat.

222. Catholicorum ad ista responsio, scriptum esse, ne Christianus partem sibi dicat in terra ; nec in Cæciliano spem se ponere si innocens fuit, nec si nocens ille fuit, Ecclesiam deserendam.

223. Ubi interloquente cognitore omnia debere recitari, Donatistæ postulant ut prosequi jubeantur.

224. Ubi Catholici dicunt, ex recitatione gestorum petitoris inveniri posse personam.

225. Prosecutio Donatistarum, ubi dicunt non esse discutiendam Cæciliani personam, si et reus manifestissimus deprehensus, non potest obesse Catholicis.

226. Catholicorum responsio, ideo se Cæciliani in medium misisse personam, quoniam ipsa Catholicæ Ecclesiæ semper objecta est, de qua si nunc taceant Donatistæ, nihil esse jam causæ cur separatio teneatur.

227. Ubi interrogant Donatistæ utrum qui agunt Cæciliani sint filii.

228. Catholicorum ad ista responsio.

229. Iterum interrogatio Donatistarum super eadem re.

230. Catholicorum responsio, non patrem aut matrem Cæcilianum sibi fuisse, sed fratrem ; ibi etiam profitentur fidei suæ Christum esse principium.

231. Iterum Donatistæ, utrum pater fuerit Cæcilianus, interrogant.

232. Catholicorum ad ista responsio, et inde contentio.

233. Interlocutio quæ designat ad interrogata respondisse Catholicos.

234. Ubi jurantes objiciunt judici Donatistæ quod satis defendat ipse Catholicos.

235. Prosecutio Catholicorum continens de patris ac fratris nomine repetita : ubi etiam dicitur Cæciliani causam ad Ecclesiam minime pertinere, sed tamquam frater innocens defendendus sit.

236. Prosecutio Donatistarum, Cæcilianum Catholicis radicem fuisse vel caput, et necesse esse, ut si Cæcilianus nocens fuerit, etiam propaginem ejusdem qui in capite fuit reatus inficiat.

237. Ubi Catholici respondent caput sibi esse Christum.

238. Ubi Petilianus interrumpit, et quærit, quis ordinaverit Augustinum.

239. Item quæstio a Donatistis immissa, de Apostolo in quo dictum est, *Ego vos genueri per Evangelium.*

240. Catholicorum contestatio de tumultu partis adversæ.

241. Interlocutio quæ jubet respondere Catholicos ad propositam de Apostolo quæstionem.

242. Catholicorum ad quæsita responsio, cum testimoniis Scripturarum, unum patrem esse ad salutem Deum, dici autem alios honoris gratia, non salutis.

243. Ubi interrogant Donatistæ, quis vocatur qui ordinaverit Augustinum.

244. Prosecutio Catholicorum, ad causam minime pertinere, ut ordinator ipsius inquiratur.

245. Ubi exprimentibus Donatistis de Augustini ordinatore, se quærere a Catholicis respondetur, non se defendendam Augustini causam, qualiscumque sit suscepisse.

246. Interlocutio qua jubetur ut Augustinus de ordinatore suo ad quæsita respondeat.

247. Ubi Augustinus causa Ecclesiæ in tuto primitus constituta, de suo evidenter ordinatore respondet, et ad objicienda quæcumque putarint, provocat Donatistas.

248. Interlocutio quam Donatistas præcipit respondere quid competat quod interrogant ; licet non differat causam quæstio personarum.

249. Prosecutio Donatistarum qua dicunt vitiis sacerdotum Ecclesiam maculari : et volumen offerunt cum divinis testimoniis recitandum : [contra ea quæ in] recitato a Catholicis in prima cognitione mandato posita compererunt.

250. Interlocutio ubi dicit tunc demum quod a Donatistis 239 offertur posse recitari, si velint a publicarum discussione chartarum discedere cognitorem.

251. Ubi petunt Donatistæ quod offerunt interim recitari et ab officio recitatur.

252. Interlocutio quæ dicit scripturam illam non debuisse ab his penitus concipi, a quibus mandato semel effecto negotium omne transierat.

253. Ubi asserunt Donatistæ legalibus testimoniis velle se a Catholicis prolata in mandato suo legalia

testimonia refutare, et rogant ut sua audiatur Epistola.

254. Interlocutio quæ concedit ut recitetur quod secundum jus publicum non recte conceptum est : et hoc ipsum quod indulget, enumerat, ne jus a judice videatur omissum.

255. Exceptore recitante, dicent Donatistæ sensus epistolæ non bene distingui.

256. Ubi Catholici concedunt ipsos legere Donatistas, cum ipsi Catholicis, ut legerent, in superioribus denegarent.

257. Interlocutio quæ dicit nihil interesse quis legat.

258. Ubi a Donatistarum Episcopo recitatur Epistola quam miserunt ad judicem Donatistæ, quæ testimoniis referta legalibus illa omnia testimonia quasi contrariis nitatur excludere, quæ in mandato suo Catholici posuerunt.

259. Interlocutio quæ omni Epistolæ recitata, præbitam a Catholicis pronuntiat esse patientiam : et adversus textum ejus jubet respondere Catholicos.

260. Prosecutio Donatistarum qua petunt, ut testimonia sua testimoniis revincantur.

261. Ubi a Catholicis adversus Donatistarum epistolam respondetur.

262. Ubi volunt interrumpere Donatistæ negantes aream in scripturis esse nominatam.

263 Item ubi asserunt Donatistæ, de occultis non evidentibus reis Evangelium præcepisse, ut eorum permixtio toleretur.

264. Ubi Catholici postulant ut sibi patientia non negetur, quam ipsi recitatæ Donatistarum epistolæ præbuerunt.

265. Prosecutio Catholicorum, ubi inter cætera de superioribus repetita, et illud infertur, mundi nomine Ecclesiam contineri.

266. Donatistarum contra ista contentio, mundi nomine Ecclesiam non teneri.

267. Ubi Catholici postulant ut admoneantur Donatistæ præstare patientiam, quorum epistolæ illico respondetur, nullo dilationis spatio postulato quomodo ipsi petierunt Catholicorum vellent respondere mandato.

268. Ubi Donatistæ respondent, ipsum sibi obstrepere qui longa prosequitur.

269. Ubi Catholici postulant, ut si volunt de singulis habere conflictum, removeatur epistola, aut patientiam præbeant, aut respondeatur epistolæ.

270. Ubi dicunt Donatistæ, ideo se non posse præstare patientiam, quod aliter volunt legem interpretari Catholici.

271. Interlocutio quæ patientiam dicit esse præbendam, quoniam totius epistolæ tenor a Catholicis patienter auditus est.

272. Prosecutio Catholicorum qua ideo scribi universa testantur, ut si quid in oblivionem venerit, de tabulis repetatur : et ubi dicunt, et in malo et in bono, mundum scripturarum testimoniis nominatum.

273. Interlocutio quæ scriptum esse præcipit, perstrepere Donatistas.

274. Ubi asserunt Donatistæ, interpretari Ecclesiam non posse per mundum, cum mundum agrum esse non Ecclesiam ipse Christus expresserit.

275. Interlocutio interrogans Donatistas, quis ille sit mundus, qui salvandus est dictus.

276. Donatistarum ad ista responsio, mundum illum hominem dici.

277. Interlocutio, quæ requirit, utrum ex iisdem hominibus constet Ecclesia.

278. Donatistarum ad ista contentio.

279. Ubi exceptores et notarii suggerunt, implet is codicibus se debere discedere, et alios subrogari.

280. Interlocutio id fieri oportere præcipiens.

281. Prosecutio Catholicorum qua prolatæ a Donatistis epistolæ plena adsertione respondent.

HUC USQUE GESTA.

RELIQUA DESUNT.

282. Prosecutio Donatistarum adversus prosecutionem Catholicorum quam contra Epistolam retulerunt.

283. Prosecutio Catholicorum, qua ostendunt malos in Ecclesia seminatos, quod Donatistæ fieri posse negaverunt, qua defendunt quod se dixisse de duabus Ecclesiis dixerunt Donatistæ.

284. Interlocutio quæ præcipit ut ex codice recitetur, utrum duas Ecclesias dixissent Catholici prosequentes.

285. Ubi interpretari volunt Donatistæ, de duabus Ecclesiis sensisse Catholicos, quoniam duas eos Ecclesias dixisse non constitit.

286. Prosecutio Catholicorum qua defendunt, quid dixerint de Ecclesia præsentis temporis et futuri.

287. Prosecutio Donatistarum ubi dicunt etiam mortalem Ecclesiam dixisse Catholicos, cum Ecclesiæ immortalitas sit promissa.

288. Prosecutio Catholicorum ubi asserunt supradictis assertionibus suis, eam Ecclesiam immortalem esse promissam, quæ nunc ex justis mortalibus constat in terra.

289. Interlocutio quæ dicit de peracta quæstione in sententia se dicturum esse quod sentiat, et jubet, ut causa pandatur erroris.

290. Prosecutio Donatistarum quæ petit ut de singulis articulis cognitio decursa pronuntiet : et ubi dicunt testimoniis legalibus suis non esse responsum.

391. Catholicorum ad hæc secundum superiora responsio.

292. Interlocutio judicis qua dicitur, legibus prohiberi, ne sententia pro parte negotii proferatur.

293. Donatistarum ad ista contentio, quæ etiam Catholicis facit injuriam, dum illos falsos jactitat sacerdotes.

294. Contestatio Catholicorum, ubi se ab injuria dissimulare respondent.

295. Prosecutio Donatistarum, quæ dicit judici, si Christus non es, cur de sacerdotibus judicas? et quæ asserit hoc judicium Christo esse servandum : et a Catholicis quærit, utrum eis præceperit Christus hominem judicem postulare.

296. Catholicorum ad ista responsio, quod primi Donatistæ 240 in Episcopali causa humana judicia flagitarunt, et quod persecutionem non patiantur ipsi, sed faciant.

297. Ubi dicunt Donatistæ quod circumcelliones faciunt ad sacerdotes minime pertinere.

298. Prosecutio Catholicorum, quod Donatistæ oculos eruendo, diabolum superaverunt.

299. Ubi dicunt Donatistæ, diabolum a Catholicis esse defensum.

300. Prosecutio Catholicorum, Maximianistas Donatistis esse meliores, a quibus persecutionem passi sunt, si tolerata persecutio efficit meliores.

301. Prosecutio Donatistarum, ubi dicitur diabolus rem fecisse pejorem, quod Job oculos spectatores vulnerum non ademit.

302. Prosecutio Catholicorum, ubi consolarium fecisse Donatistas, et dominicos codices combussisse dicuntur.

303. Prosecutio Donatistarum, Ecclesias suas cruentis adhuc plenas esse corporibus.

304. Interlocutio quærens, an ipsa fuerit causa dissidii.

305. Donatistarum ad ista responsio.

306. Ubi a Catholicis dicitur hoc posse Maximianistas objicere Donatistis.

307. Interlocutio similis præcedenti.

308. Ubi Catholici provocant Donatistas ut causam veteris dissidii fateantur.

309. Ubi dicunt Donatistæ traditores, id est, ma-

Digitized by Google

lam arborem ex factis suis, id est, ex fructibus posse cognosci.

310. Catholicorum ad ista responsio.

311. Interlocutio quærens, quando mala arbor exstiterit.

312. Prosecutio Donatistarum, non sibi ad omnia esse responsum et ad singula.

313. Judicem debere ferre sententiam et a primi hominis culpa hæreditarium in omnes transiisse delictum.

314. Interlocutio, de omnibus simul ferendam esse sententiam, ne motus judicis ante finem negotii publicetur.

315. Prosecutio Catholicorum postulans, ut chartæ quæ recitari cœperant, perlegantur.

316. Interlocutio eas præcipiens recitari, et (recitatio) relationis ad Constantinum Imperatorem ab Anulino Proconsule destinatæ, qua Majorinus obstitisse Cæciliano chartas criminum ejus Proconsulis ad principem dirigendas tradidisse, signatur.

317. Ubi post recitationem servari sibi quod contra competit, postulant Donatistæ.

318. Item recitatio relationis alterius ab eodem Proconsule ad eumdem principem destinatæ, qua significat idem Proconsul Cæcilianum cum decem clericis suis et totidem adversarios ejus ad urbem pergere se fecisse, sicut præceperat Imperator.

319. Item recitatio epistolæ Constantini ad Miltiadem Romanum Episcopum missæ, qua et cæteris sacerdotibus inter Cæcilianum et adversarios ejus (cognitio) delegatur.

320. Prosecutio Catholicorum intimans quæ lecta sunt cognitori, et postulans ut Miltiadis in Cæciliani causa judicium recitetur.

321. Recitatio judicii Miltiadis.

322. Ubi Donatistæ volunt aliud contra Miltiadis judicium recitari.

323. Ubi a Catholicis dicitur, non omne Miltiadis judicium esse perlectum, quoniam triduo tunc actum est, et trina sunt gesta.

324. Interlocutio ubi contra recitata volentibus prosequi Donatistis dicitur, ut patiantur primitus omnia per ordinem recitari.

325. Ubi contendunt contra recitata prosequi Donatistæ.

326. Ubi a Catholicis dicitur adhuc superesse quod debeat recitari, siquidem non sit lecta sententia Miltiadis.

327. Prosecutio Donatistarum qua se dicunt ideo de exiliis ad judicium remeasse, quia eis cognitor juraverat per edictum.

328. Responsio Catholicorum non fuisse in exilium Donatistas.

329. Prosecutio Donatistarum de petitoris persona, quæ peracta sunt repetens, et dicens Cæciliani purgationem non debuisse recitari, qui adhuc ab ipsis non fuerat accusatus.

330. Interlocutio, debere chartas quas Donatistæ offerunt recitari, ut omnibus recitatis petitoris persona valeat deprehendi.

331. Ubi contendunt Catholici recitationem chartarum suarum interrumpi penitus non debere, sed omnia per ordinem esse recitanda.

332. Ubi Donatistæ respondent, recitationem de Cæciliano catholico non potuisse competere.

333. Interlocutio ubi contendentibus de continuanda recitatione Catholicis, jubet cognitor illa potius recitari quæ offerunt Donatistæ.

334 Prosecutio Donatistarum initium referens causæ, quid Mensurius Carthaginensis Ecclesiæ episcopus unitatis tempore persecutio effecerit, unde exstitit causa dissidii.

335. Interlocutio probationem exigens si Mensurio crimen traditionis impingitur.

336. Prosecutio Catholicorum qua salva Ecclesiæ causa, traditionem in Mensurio probari desiderant.

337. Ubi a Donatistis familiaris epistola recitatur a Mensurio ad Secundum Episcopum destinata, qua quid circa se actum sit tempore persecutionis insinuat.

338. Prosecutio Catholicorum, qua volunt esse testatum, familiares epistolas recitari quarum fides habeatur incerta.

339. Item alia familiaris epistola recitatur Secundi ad Mensurium rescribentis.

340. Ubi Catholici postulant exprimi, qui fuerit hic Secundus.

341. Ubi qui Secundus fuerit exprimunt Donatistæ.

342. Recitatio supradicti rescripti, qua vicissim quid circa se in Numidia gestum sit eo tempore Mensurio Secundus insinuat.

343. Interlocutio præcipiens ut recitatis epistolis suis, patienter audiant Donatistæ quæ legi a Catholicis cœperant.

344. Prosecutio Donatistarum quæ superesse sibi dicit quod de Cæciliano legendum est.

345. Interlocutio etiam de Cæciliano, quod super-
B est præcipiens recitari.

346. Prosecutio Catholicorum quæ patienter se habere asserit ut legatur.

347. Ubi offerunt Donatistæ conditum a patribus suis de Cæciliani damnatione decretum, et hoc jubente judice recitatur.

348. Recitatione conclusa interloquitur judex, ut si quid est adhuc quod de Cæciliano recitari debeat intimetur.

349. Prosecutio Donatistarum, de cæteris quoque personis se habere documenta promittens.

241 350. Interlocutio ut quæ a Catholicis oblata fuerant perlegantur.

351. Prosecutio Catholicorum testatum faciens et adversum Mensurium nihil publicis actum esse judiciis, et Cæcilianum absentem ab his esse damnatum in concilio sine consule et die, qui sibi invicem confessa traditionis crimina in alio inveniuntur ignovisse concilio.

C 352. Interlocutio hoc ipsum exigens recitari.

353. Ubi principio Concilii recitato, interrumpunt Donatistæ, negantes consulem et diem ecclesiasticis adjici solere decretis.

354. Catholicorum ad ista responsio.

355. Interlocutio similis præcedenti.

356. Ubi exigunt Catholici oportere disquiri, utrum Donatus, cujus modo vocabulum recitatum est, inter Cæciliani fuerit damnatores.

357. Interlocutio quærens ista disquiri, et ita nomina singulorum.

358. Ubi Donatistæ testantur se præbuisse patientiam, vicem petentes, cum cœperint respondere.

359. Interlocutio secundum voluntatem Donatistarum exigens de Catholicis patientiæ professionem.

360. Ubi de præbenda patientia Catholici profitentur.

361. Ubi lecta codicis parte totum legi flagitant Donatistæ.

D 362. Catholicorum ad ista responsio.

363. Prosecutio Catholicorum ideo asserens se legisse quæ lecta sunt, ut Cæciliani possit valere purgatio.

364. Interlocutio adversus illa quæ a Catholicis recitata sunt, Donatistas admonens respondere, ut cætera quæ interrupta sunt recitentur.

365. Prosecutio Donatistarum asserens quod decretum sine Consulis adscriptione protulerint ex consuetudine se fecisse majorum.

366. Interlocutio quæ dicit, ex hoc ne Catholicos fecisse aliquam quæstionem.

367. Prosecutio Catholicorum ideo hæc agere Donatistas ut tempora contrahantur.

368. Ubi Donatistæ dicunt, *si de sententiis dictis nemo dubitat, Cæcilianus jure damnatus est.*

369. Prosecutio Catholicorum asserens posse monstrari quod de Cæciliano sit gestum, si quæ interrupta fuerint, recitentur.

Digitized by Google

370. Ubi exigunt a Catholicis Donatistæ, utrum illud verum esse Concilium, quo Cæcilianus damnatus est, fateantur.

371. Catholicorum responsio, et si verum sit illud Concilium, Cæciliano absenti præjudicare non posse : quomodo Maximianistarum concilium damnantium Primianum præjudicium non attulit Primiano.

372. Donatistarum prosecutio, nec causam causæ, nec personam præjudicare personæ.

373. Interlocutio de Cæciliano qui a septuaginta damnatus est, respondere Catholicos oportere.

374. Prosecutio Catholicorum, inde se mentionem de Primiani damnatione fecisse, quia evangelica regula est, adversarios de suis operibus arguendos.

375. Prosecutio Donatistarum a primordio repetens, quid Cæcilianus admiserit, et promittens ex Optati episcopi Catholici scriptis posse monstrari Cæcilianum fuisse confessum quia a traditoribus fuerit ordinatus.

376. Prosecutio Catholicorum ut quæ interrupta fuerant recitentur, et ubi dicunt, ipsos illius temporis Donatistas de suo judicasse Concilio, qui Cæcilianum quem damnaverant accusare apud Constantinum Principem voluerunt.

377. Interlocutio qua requiritur, utrum post hoc Concilium accusationis Cæciliani ad principem Donatistæ transmiserint.

378. Ubi quærunt Donatistæ utrum Cæcilianus ab illo episcoporum judicio appellaverit.

379. Catholicorum prosecutio qua destruitur Donatistarum utroque modo Concilium, sive ante factum est quam ad Imperatorem Cæciliani crimina mitterentur, sive postea congregatum est.

380. Interlocutio quæ a Donatistis exigit responderi utrum ante accusationem Cæciliani, an postea illud fuerit celebratum.

381. Donatistarum ad ista responsio.

382. Catholicorum prosecutio, qua postulant ea quæ acta sunt postea recitari, ut Cæcilianus absolutus, et accusatores ejus doceantur fuisse damnati.

383. Prosecutio Donatistarum, qua volunt lectione monstrare consuetudinis esse majorum quod Ecclesiastico judicio consul non sit adscriptus.

384. Ubi Catholici dicunt ad causam non pertinere quod volunt legere Donatistæ.

385. Interlocutio quæ Catholicos percontatur, utrum illud decretum, quod sine consule est, falsum esse non existiment.

386. Catholicorum ad ista responsio.

387. Interlocutio jubens ut quæ interrupta primitus fuerant, recitentur.

388. Ubi Donatistæ illud Concilium quo Cæciliani damnatores invicem sua crimina donaverunt, ideo arguunt falsitatis, quia huic contra Ecclesiasticum et Apostolicum morem, consul adjectus est.

389. Prosecutio Catholicorum postulans ut superfluis amputatis, ea gesta recitentur quibus absolutus Cæcilianus possit ostendi.

390. Ubi contendunt Donatistæ ecclesiasticis Conciliis adscribi consulem non solere, et hoc flagitant ex scriptis dominicis approbare.

391. Ubi postulant Catholici purgationis Cæciliani gesta debere recitari.

392. Prosecutio Donatistarum Catholicos cogens decreti illius subire jacturam, quod adversus damnatores Cæciliani recitaverunt.

393. Interlocutio ubi dicit, ex duobus decretis illud potius posse nutare, cui nomen Consulis deest : et præcipiens, ut quæ interrupta fuerant, perlegantur.

394. Prosecutio Catholicorum asserens nec illius se decreti causationem aliquam facere, nec tamen alterius decreti se pati debere jacturam.

395. Donatistarum ad ista responsio.

396. Interlocutio, ex majore diligentia Consulis adjecti, fidem non perire decreto.

397. Donatistarum ad ista contentio.

398. Prosecutio Catholicorum, Cæciliani purgationem debere in judicio recitari.

399. Ubi Donatistæ dicunt, non valere Catholicos solvere quod objectum est.

400. Catholicorum ad ista responsio, cur in Apostolicis Conciliis non sit dies adjectus et consul : et quod in propheticis libris inveniantur singula tempora suis significationibus fuisse testata.

401. Interlocutio præcipiens gesta quæ interrupta fuerant recitari.

242 402. Interlocutio qua petentibus Donatistis ut judicet, dicit judicari de negotii parte non posse.

403. Recitatio judicii Miltiadis et aliorum similiter sacerdotum, qua Cæcilianus ostenditur absolutus.

404. Prosecutio Donatistarum ubi secundum superiora contendunt, ut Catholicos cogat decreti, quod adversus Cæciliani damnatores protulerunt, subire jacturam.

405. Interlocutio quæ a Donatistis exigit, utrum habeant aliquid proferendum contra recitatum judicium Miltiadis.

406. Item interlocutio quæ Donatistas aliud agentes admonet, ut ad quæsita respondeant.

407. Catholicorum responsio contra illud quod a Donatistis decreti a se prolati jacturam facere compellantur.

408. Ubi Donatistæ contendunt, illud decretum adversus damnatores Cæciliani a Catholicis recitatum ideo nulla veritate fulciri, quia persecutionis tempore non possit Concilium congregari.

409. Catholicorum similis ad ista responsio, persecutionis tempore fieri potuisse Concilium : et hoc legalibus testimoniis edocetur.

410. Prosecutio Donatistarum similis præcedenti.

411. Catholicorum ad ista responsio, potuisse Concilium persecutionis tempore celebrari, si illo tempore, quamvis furtim, tamen etiam populus potuit congregari.

412. Prosecutio Donatistarum, numquam persecutionem passos esse Catholicos, qui quanta vis sit persecutionis ignorant.

413. Catholicorum ad ista responsio, quæ interrogat Donatistas utrum negent collectas Christianorum persecutionis fieri solere temporibus.

414. Interlocutio quæ definit a Catholicis hoc probandum, utrum noverint persecutionis tempore Concilium celebratum.

415. Catholicorum responsio, Apostolos inter persecutiones Judæorum primum fecisse Concilium.

416. Donatistarum ad ista contentio.

417. Interlocutio a Catholicis exigens hoc doceri.

418. Ubi Catholici de Actibus Apostolorum recitant lectionem qua probare velint quod ab ipsis Concilium requisitum est.

419. Interlocutio quæ designat recitatam a Catholicis lectionem quod quæsitum est non probasse.

420. Prosecutio Catholicorum asserens persecutionis tempore ab Episcopis colligi potuisse Concilium, siquidem tunc etiam plebes congregatæ reperiuntur, unde martyres facti sunt.

421. Interlocutio id exigens comprobari, et ubi exceptores alii subrogantur.

422. Prosecutio Catholicorum quæ interrogari desiderat Donatistas, utrum nulla habeant Martyrum gesta persecutionis tempore in collectis se fuisse fatentium.

423. Interlocutio ad interrogata respondere commonens Donatistas.

424. Donatistarum ad quæsita responsio, qua dicunt, nullam domum episcoporum capere potuisse Concilium.

425. Ubi respondent Catholici, duodecim episcopis qui in Concilio tunc fuerunt, domum sufficere potuisse.

426. Interlocutio quæ requirit quantus in illo Concilio numerus Episcoporum fuerit.

Digitized by Google

427. Catholicorum prosecutio similis præcedenti.
428. Interlocutio Catholicorum dicta confirmans.
429. Ubi Catholici interrogant Donatistas, utrum tempore persecutionis negent fieri solere collectas.
430. Donatistarum prosecutio quæ dicit hoc decretum quod a duodecim Episcopis actum Catholici protulerunt, vel hinc falsum esse, quod illis non est temporibus factum, vel quod Imperatore in propinquis regionibus posito nemo illic auderet congregare Concilium.
431. Ubi Catholici dicunt, parvum Episcoporum numerum facile tunc colligi potuisse.
432. Donatistarum ad ista responsio.
433. Ubi Catholici contestantur non permitti suos exire quos ad gesta miserant perferenda de Martyribus in collecta se fuisse fatentibus.
434. Ubi ultro gesta Martyrum Donatistæ offerunt recitanda.
435. Interlocutio præcipiens eamdem recitari.
436. Ubi recitatio de gestis consule et die flagitant Donatistæ, ut etiam decreti consul et dies cum eorumdem gestorum consule vel die conferantur.
437. Interlocutio quæ inter decreti gestorumque tempora quantum intersit, inquirit.
438. Ubi aliter de intervallo temporis pronuntiantibus Catholicis, quantum interfuerit scriba respondet (1).
439. Ubi id de quo temporis intervallo aliter a Catholicis renuntiatum fuerat, tolli de tabulis prohibent Donatistæ.
440. Ubi hoc ipsum Catholici excusant, et remanere patiuntur in tabulis.
441. Ubi de hoc falsi notant Catholicos Donatistæ.
442. Catholicorum responsio, qua asserunt falsum illud dici non posse decretum, nisi probaverint Donatistæ persecutionis tempore collectas fieri non solere.
443. Prosecutio Donatistarum, non potuisse Concilium eo tempore congregari, quo Martyres in equuleo dependebant.
444. Interlocutio Catholicorum repetens ad ista responsum.
445. Ubi Catholici respondent etiam tempore persecutionis tantam fuisse Christianorum diligentiam, ut in carceribus baptizati Martyres fecerint collectas plebis, factas ex gestorum posse recitatione clarescere.
446. Interlocutio, gesta præcipiens recitari.
447. Ubi Donatistæ dicunt, hæc ipsa se gesta nuper obtulisse recitanda quæ nunc a Catholicis proferuntur.
448. Item recitatio gestorum quibus passiones Martyrum continentur.
449. Item offerunt alia Martyrum gesta Catholici, unde collectæ plebis tunc factæ doceantur, et recitantur.
450. Interlocutio quæ definit ex recitatione gestorum collectas plebis persecutionis tempore celebratas.
451. Prosecutio Donatistarum, qua contendunt Catholicos decreti istius facere debere jacturam, quia non potuit tunc episcopale Concilium congregari.
452. Interlocutio quæ definit, duodecim Episcopos in unam domum tunc colligi potuisse, quando collectæ plebis publice fieri potuerunt.
453. Prosecutio Donatistarum, qua adhuc de decreti falsitate contendunt, et ipsius decretis sententias et verba discutiunt, et Cæcilianum contra damnatores suos illo se decreto dicunt defendere potuisse, si constaret tunc factum hoc fuisse decretum.
454. Interlocutio contra Donatistarum prosecutionem, quæ dicit duodecim episcopos et congregari tunc et latere facile potuisse, Cæcilianum autem non illo duodecim episcoporum decreto, sed Miltiadis potius absolutum esse judicio.
455. Ubi iterum Donatistæ Catholicos cogunt jacturam ipsius subire decreti.
456. Ubi alia documenta Imperatorii judicati super absolutione Cæciliani volunt offerre Catholici.
457. Interlocutio id ipsum præcipiens recitari.
458. Ubi exigunt a judice Donatistæ, ut de decreti illius falsitate pronuntiet.
459. Interlocutio, claruisse de gestis fieri tunc potuisse Concilium.
460. Prosecutio Catholicorum, qua tacentibus Donatistis judicatum Constantini super absolutione Cæciliani offerunt recitandum.
461. Prosecutio Donatistarum, qua contendunt fieri tunc non potuisse Concilium, et debere Catholicos ejusdem decreti dispendium sustinere.
462. Interlocutio tunc de isto decreto enixius inquirendum fuisse, si in hoc Cæciliani absolutio teneretur, nunc Donatistas contra judicium Miltiadis, aliud oportere vel dicere, vel proferre, quo Cæciliani absolutio destruatur.
463. Prosecutio Donatistarum, qua promittunt responsuros se esse contra judicium Miltiadis: fidem tamen illius inquirendam esse decreti.
464. Interlocutio exigens intimari aliquid contra judicium Miltiadis, et judicans in persecutione fieri potuisse Concilium.
465. Catholicorum prosecutio necessariam fuisse causam cur tunc congregarentur Episcopi.
466. Interlocutio exigens contra Cæciliani absolutionem a Donatistis aliquid responderi.
467. Prosecutio Donatistarum, quamvis collectæ tunc factæ sint plebis, tamen episcoporum contrahi tunc non potuisse Concilium.
468. Interlocutio exigens Donatistas legere aliquid contra judicium Miltiadis.
469. Prosecutio Donatistarum, non potuisse episcopos suos in eo crimine alterum condemnare, si eo ipsi tenerentur obnoxii.
470. Catholicorum de scripturis dominicis ad ista responsio.
471. Interlocutio exigens ut contra absolutionem Cæciliani quid proferatur.
472. Prosecutio Donatistarum, Cæcilianum in Africa ubi damnatus fuerat, debuisse purgari: Miltiadis autem pro eo sententiam non valere, quia simili etiam crimine tenebatur.
473. Prosecutio Catholicorum exigens hoc probari quod de crimine Miltiadis dixerant Donatistæ.
474. Interlocutio approbari præcipiens quod intenditur Miltiadi.
475. Prosecutio Donatistarum, qua de Miltiadis nomine quid sit actum, probaturos se gestorum recitatione promittunt.
476. Ubi Catholici petunt de nomine Miltiadis res judicatas debere proferri.
477. Ubi Donatistæ dicunt se scriptis Optati catholici episcopi monstraturos Cæcilianum Brixiæ fuisse damnatum.
478. Interlocutio, Optati testimonio nunc amoto, illud potius quod super nomine Miltiadis Donatistæ promiserant proferendum.
479. Ubi Donatistæ Optati volunt testimonium recitari.
480. Interlocutio quæ promittit Optati testimonium recitandum, si primum quod contra Miltiadem promissum fuerat recitetur.
481. Prosecutio Catholicorum, contra eminentes episcoporum sententias unius Optati testimonium suscipi non debere.
482. Donatistarum prosecutio, nimium verum esse quod contra Catholicos Optatus catholicus dixit.

(1) *In ms.* pronuntiantium Catholicis quantum interfuerit scripta respondeat: *nullo sensu, recte emendatum a Baluzio ex Aug. in Brevic. Coll. diei 3, l. 17.*

Digitized by Google

483. Catholicorum prosecutio, Optati scripta pro scripturis canonicis non haberi.

484. Prosecutio, qua exigunt Donatistæ ut aut damnent Catholici Optatum, aut patiantur ejus testimonium recitari quo Cæcilianum Brixiæ dicit fuisse damnatum: et qua admonent judicem, ut promissam teneat æquitatem.

485. Interlocutio similis præcedenti.

486. Catholicorum prosecutio, contra Miltiadem debere Donatistas proferre aliquod judicatum.

487. Interlocutio similis præcedenti.

488. Ubi dicunt Donatistæ non esse prolixum quod de Optato desiderant recitari.

489. Interlocutio, ordinem servandum esse definiens, ut primo contra Miltiadem aliquid, postea de Optato quantum voluerint, recitetur.

490. Ubi gesta in urbe habita offerunt Donatistæ.

491. Ubi gesta eadem recitantur quibus in urbe Roma a nonnullis aliis et a quodam Stratone rerum Ecclesiasticarum traditio perpetrata est.

492. Interlocutio in tam prolixis gestis nihil dictum de nomine Miltiadis.

493. Ubi dicunt Donatistæ adhuc se non finisse totum quod promiserant recitare.

494. Catholicorum prosecutio qua prolixis gestis se patientiam præbuisse testantur, et nihil ex iisdem adversum Miltiadem esse prolatum unde se debere de absolutione Cæciliani, etiam Constantini Principis legere judicatum.

495. Prosecutio Donatistarum, qua testantur traditionem se gestis prioribus recitasse, et adhuc se habere quod legant.

496. Interlocutio, alia circa Miltiadis personam recitari gesta permittens, et Catholicis servans, ut recitent postea si quid velint.

497. Hic Catholici volunt esse testatum, quod non expresserint Donatistæ, ubi superiora gesta confecta sint.

498. Interlocutio confirmans quod a Catholicis dictum est.

499. Item a Donatistis gesta alia recitantur, quibus post redditam agendi licentiam Christianis, res Ecclesiæ quæ traditæ fuerant, recuperantur a Stratone et cæteris quos ad id negotium Miltiades episcopus destinarat.

500. Interlocutio, quod etiam secunda gesta nihil de reatu contineant Miltiadis.

501. Ubi asserunt Donatistæ eum Stratonem quasi diaconum a Miltiade directum ad res Ecclesiæ repetendas, qui invenitur ante tradidisse.

244 502. Interlocutio postulans id doceri.

503. Ubi recitatur ex primis gestis Stratonis nomen.

504. Interlocutio postulans evidenter ostendi, utrum Straton in primis gestis diaconus fuerit nominatus.

505. Ubi Donatistæ ex hoc illud interpretari volunt ibi diaconum significatum quod iisdem gestis hortator susperstitionis fuerit nominatus.

506. Ubi Catholici ex Donatistarum prosecutione colligunt, fieri potuisse ut alter fuerit Straton superstitionis hortator.

507. Donatistarum contra ista contentio.

508. Interlocutio qua dicitur utraque gesta iisdem temporibus facta, et debuisse Stratonem eodem hortatoris nomine utrobique signari.

509. Item interlocutio quæ requirit apertum crimen et manifestam damnationem Miltiadis esse promendam.

510 Prosecutio Donatistarum, eumdem Stratonem esse qui primo tradidit, postea res suscepit Ecclesiæ; nec obesse veritati, quod ibi hortator superstitionis est dictus, quia gentiles diabolum dicere noluerunt: tunc de Miltiade oportere judicari Stratonis consortio maculato.

511. Interlocutio, probari oportere quod idem Straton etiam tunc a Miltiade directus sit, quando dicitur tradidisse.

512. Donatistarum prosecutio, ideo ibi non teneri vocabulum Miltiadis quod adhuc episcopus non fuisset: hinc autem Miltiadem fuisse pollutum, quod traditorem Stratonem in numero habuit diaconorum.

513. Interlocutio pronuntians, partes agere debere quæ competunt.

514. Prosecutio Catholicorum, duo Stratones tunc esse potuisse, nec abhorrere a consuetudine, ut duo uno nomine censeantur, Miltiadem vero reum esse non posse, nisi traditionem Stratonis scisse doceatur.

515. Interlocutio inter episcopos nihil suspicionibus actitandum, et debere Constantini judicium recitari.

516. Recitatio judicii Constantini, quo apud se quoque Cæcilianum fuisse purgatum post Arelatense Concilium, significat Imperator.

517. Interlocutio quæ admonet Donatistas, utrum contra hæc habeant aliquid recitandum.

518. Ubi dicunt iterum Donatistæ Miltiadem Stratonis societate pollutum.

519. Interlocutio similis præcedenti.

520. Ubi dicunt Donatistæ, falsum esse judicium Constantini auribus intimatum.

521. Interlocutio, quod inter partes sententiam tulerit Imperator.

522. Ubi hoc legi desiderant Donatistæ.

523. Interlocutio, hoc ipsum significans, et ex rescripto Principis superius recitato.

524. Ubi Donatistæ volunt esse testatum in rescripto Principis nec diem esse nec consulem.

525. Ubi respondent Catholici, et lectum esse ex rescripto diem, et iterum offerunt ut legatur.

526. Prosecutio Donatistarum, lecto die non esse consulem lectum.

527. Catholicorum ad ista responsio, et ut si de rescripto dubitatur, archivorum inspiciatur auctoritas.

528. Interlocutio, imperiale rescriptum cui desit consul et dies, in dubium revocari non posse.

529. Ubi Donatistæ queruntur episcopale decretum superius a Catholicis cum consule esse prolatum, et nunc Imperatoris epistolam sine consule recitari.

530. Ubi Catholici provocant Donatistas, ut dicant falsam esse Imperatoris epistolam.

531. Ubi postulant Donatistæ, ut quod sibi servatum fuerat, de Optato proferant lectionem.

532. Interlocutio, debere respondere primitus Donatistas, utrum falsa sit Imperatoris epistola, et ita demum recitari de Optato quod velint.

533. Ubi asserunt Donatistæ Cæciliano nihil prodesse rescriptum, quia invenitur postea condemnatus: et hoc volunt recitata Optati lectione constare.

534. Ubi Catholici contestantur, quod sibi non obsit error Optati: legi tamen patiuntur Optatum.

535. Ubi postea Consul invenitur Imperiali epistolæ.

536. Ubi de Optato lectio recitatur.

537. Non inventa in Optato damnatione Cæciliani, sed retentione apud Brixiam temperantius ab Optato esse dictum asserunt Donatistæ.

538. Interlocutio, debere Donatistas qui hoc Optatum temperantius posuisse dixerunt, evidentius approbare Cæcilianum ab Imperatore fuisse damnatum.

539. Prosecutio Donatistarum, qua dicunt alium Casæ non fuisse Donatum.

540. Catholicorum ad ista responsio, quod in actis Miltiadis Donatus Casensis evidenter expressus sit.

541. Ubi Petilianus Episcopus partis Donati impedimento raucedinis agere se non posse testatur.

542. Ubi Catholici testantur, ideo se Petilianum excusationi subtrahere voluisse, quod ei Donatus Casensis ex gestis evidenter ostensus est.

543. Interlocutio, cum septeni adstent, de unius defectu querelam esse posse.

Digitized by Google

544. Prosecutio Donatistarum, qua principi Constantino libellum asserunt proprios dedisse majores, et eo principem motum agendi eis dedisse licentiam, et ibi Felicis Aptungitani episcopi qui Cæciliani fuerat ordinator, causa narratur.

545. Interlocutio exigens ut quod competit Donatistis, documentorum prolatione monstretur.

546. Libelli recitatio quem Constantino imperatori dederunt illo tempore Donatistæ.

547. Prosecutio Catholicorum, qua asserunt pro se facere libellum quem recitaverunt Donatistæ.

548. Interlocutio Catholicorum dicta confirmans, et rescriptum Constantini præcipiens recitari.

549. Ubi recitatur epistola Constantini ad vicarium Verinum destinata, qua libertatem agendi tribuit Donatistis.

550. Prosecutio Catholicorum quæ dicit pro se magis epistolam facere Constantini, quia non de Cæciliano aliquid judicatum est, sed furori ipsi permissi sunt.

551. Interlocutio Catholicorum dicta confirmans.

552. Ubi Donatistæ petunt ut judex de permissa **245** sibi a Constantino arbitrii libertate pronuntiet.

553. Interlocutio pronuntians quod petitum est, et adserens principem Honorium de absolutione Cæciliani hodie præcepisse disquiri.

554. Prosecutio Donatistarum qua interpretantur ideo non videri Cæcilianum fuisse purgatum, quia retractata causa Felicis ordinatoris ejusdem, Ingentius quidam ad comitatum præceptus est destinari, et nihil actum ab Ingentio reperitur quo Felix absolutus esse noscatur.

555. Prosecutio Catholicorum qua promittunt se Æliani proconsulis recitata relatione monstrare, quid super Felicis absolutione fuerit actitatum.

556. Ubi Donatistæ contendunt Constantini potius litteras recitandas, quibus jussus est Ingentius ad palatium destinari.

557. Interlocutio quæ hoc potius præcipit recitari.

558. Ubi hæ ipsæ litteræ recitantur.

559. Prosecutio Catholicorum, ubi dicunt relationem Æliani proconsulis recitandam, qua Felix ostenditur absolutus.

560. Recitatio relationis ejusdem.

561. Interlocutio quæ deposcit, ut ad pleniorem fidem etiam gesta ipsa quibus Felix purgatus est, recitentur.

562. Ubi Donatistæ contendunt illud potius recitandum, si aut directus est, aut aliquid apud imperatorem egit Ingentius.

563. Prosecutio Catholicorum, acta potius recitari oportere, ut quemadmodum Cæcilianum constitit absolutum, ita et Felix purgatus fuisse monstretur.

564. Interlocutio gesta præcipiens recitari.

565. Gestorum recitatio pro Felice qui Cæciliani fuerat ordinator.

566. Interlocutio exigens ut quod partibus competit, intimetur.

567. Prosecutio Donatistarum contra gesta pro Felice prolata.

568. Interlocutio, gesta, quæ roboravit antiquitas, nonnisi aliorum prolatione gestorum posse rescindi.

569. Prosecutio Catholicorum, sufficere causæ quod ab ipsis est recitatum, et si Cæciliani purgationem Ingentii persona rescindit, Donatistas hoc potius debere monstrare.

570. Interlocutio quæ istud exigit recitari.

571. Donatistarum prosecutio qua dicunt, præsentem Felicem debuisse purgari, et qua requirunt, utrum aliquid apud imperatorem Ingentius pro Felice responderit.

572. Prosecutio Catholicorum qua dicunt, quoniam omnia per ordinem recitata sunt, debere cognitorem, summotis tergiversationibus, ferre sententiam.

573. Interlocutio exigens ut contra gesta, quibus absolutus est Felix, aliquid recitetur.

574. Prosecutio Catholicorum, majoris esse innocentiæ documentum quod absens purgatus est Felix.

575. Prosecutio Donatistarum, qua omnes totius negotii recapitulantur articulis superiorum prosecutionum diversi tractati.

576. Interlocutio absoluta et consumpta repeti non debere, qua rursus exigitur ut contra Felicis absolutionem aliquid recitetur.

577. Prosecutio Catholicorum, postulans ut quoniam discussis omnibus, superflua repetuntur, jam sententia proferatur.

578. Interlocutio contra Felicis absolutionem aliquid recitandum.

579. Prosecutio Donatistarum debere judicem de his quæ prolata sunt judicare.

580. Prosecutio Catholicorum (qua postulant) ut etiam cætera recitentur.

581. Interlocutio, omnia debere recitari, ut de omnibus judicetur.

582. Prosecutio Donatistarum similis præcedenti.

583. Interlocutio similis præcedenti.

584. Prosecutio Donatistarum, pro arbitrio partis adversæ falsatum esse et destructum quidquid a sua parte prolatum est.

585. Interlocutio, si nihil superest quod legatur, debere partes exire, ut scribi possit plena sententia.

586. Interlocutio convocans partes ut sententia recitetur.

587. Sententia recitata quæ totum complexa negotium, quid observari oporteat, pro catholica unitate decernit.

Expliciunt Capitula tertiæ Cognitionis.

---

246 Anno Domini 411.

INCIPIUNT GESTA PRIMÆ COGNITIONIS.

1. *Post consulatum Varanis V. C. kal. Jun. Carthagine in Secretario* (1) *Thermarum Gargilianarum* (2), *præsentibus Sebastiano, Maximiano et Petro viris devotissimis protectoribus domesticis, adstantibus Urso,*

(1) *In Secretario.* Id est, in auditorio, in prætorio ubi jus publice dicebatur. Cyprianus episcopus Carthaginensis productus est *Carthagine in Secretario* coram Paterno proconsule, ut legitur in ejus actis. Secretarium prætorii legitur apud Augustinum l. III, contra Cresc. c. 56. Et Secretarium proconsulis apud Evodium Uzalensem l. II de Miraculis S. Stephani c. 5. Locus autem ille erat situs in media urbe Carthaginensi, ut docet August. in l. ad Donatistas scripto post collationem c. 25, fuisse spatiosum, lucidum et refrigerantem scribitur ibid. c. 35. BALUZIUS.

(2) *Thermarum Gargilianarum.* Harum exstat descriptio in l. II vet. Epigr. Pithœi. Ex prioribus vero et ultimis litteris Epigrammatis in quo Thermæ illæ describuntur, recte collegit Sirmondus eas a Thrasamundo Vandalorum rege fuisse renovatas. BALUZIUS.

Digitized by Google

Petronio et Liboso ducenariis, Bonifacio et Evasio apparitoribus illustrium atque eminentium potestatum, Fileto apparitore illustris comitivæ sedis (3), *Exitioso adjutore corniculari, Possidio, Quodvultdeo et Colonico adjutoribus commentariorum Officii* D. N. V. C. *et spectabilis proconsulis Navigio adjutore numerorum Officii* D. N. V. C. *et spectabilis vicarii, Nampio scriba Officii* V. C. *legati almæ Carthaginis, Rufiniano scriba* V. C. *curatoris celsæ Carthaginis, excipientibus etiam Hilaro et Prætextato exceptoribus* D. N. V. C. *et spectabilis proconsulis, Fabio exceptore* D. N. V. C. *et spectabilis vicarii, et Romulo exceptore* V. C. *legati almæ Carthaginis, excipientibus quoque Januario et Vitale notariis Ecclesiæ catholicæ; Victore et Cresconio notariis Ecclesiæ Donatistarum, Ursus ducenarius illustrium atque eminentium potestatum, dixit:* Dudum vestra sublimitas (4) secundum imperiale præceptum et nos et cæteros qui tam de sacratissimo comitatu quam etiam de Africanis officiis sublimitatis tuæ sunt actibus deputati, ad singulas provincias destinavit, et edicta etiam per universam Africam direxit, ut tam Catholici quam Donatistæ episcopi intra quartum mensem collationi cuncti adesse deberent: quæ tempora hodierna die videntur impleri: et quia præsto sunt universi, de omnibus scilicet provinciis Africanis, id est, de provincia proconsulari, de provincia Byzacena (5), de Numidia, de Mauritaniis Sitifensi et Cæsariensi, sed etiam et de Tripolitana provincia, si præcipit nobilitas tua, adsint iidem venerabiles viri, ut omnia suo ordine peragantur.

2. *Flavius Marcellinus V. C. tribunus et notarius dixit:* Adsint venerabiles viri quos præsentes esse suggeritis. *Et ingressis universis episcopis partis Donati, ingressis etiam Aurelio, Alypio, Augustino, Vincentio, Fortunato, Fortunatiano et Possidio episcopis Ecclesiæ Catholicæ, cum Novato, Florentio, Maurentio, Bonifacio, Prisco, Sereniano et Scyllacio coepiscopis suis, Deuterio, Leone, Asterio, et Restituto, æque episcopis et custodibus gestorum.*

3. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit:* Optarem quidem tantæ hujus multitudinis sanctitatem quæ sub unius Christi Dei religione censetur, nulla a se dissensione sejungi: sed quia id quod dudum error antiqui hostis immisit, Deum certum est velle nunc corrigi, ne diutius germana religio concertatione sua spectaculum gentibus faciat, licet supra meritum meum, hoc cognoscam esse judicium, ut inter eos videar judicare a quibus me potius decuerat judicari: tamen quia certum est, hanc causam spectante Deo et angelis testibus agitandam, quæ sub fidei cœlestis examine vel probata præmium afferat, vel læsa judicium, ut tandem præsentium disceptationibus episcoporum manifestius veritas elucescat, imperialis primitus sanctio recitetur, ut in quem modum atque formam sit suscipienda cognitio, ab omnibus possit adverti, licet eam cunctis innotuisse sat clarum sit. *Martialis exceptor recitavit.*

4. Imperatores Cæsares Flavius Honorius et Theodosius pii, felices, victores, ac triumphatores semper Augusti, Flavio Marcellino suo salutem. Inter imperii nostri maximas curas, Catholicæ legis reverentia, aut prima semper, aut sola est: neque enim aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis consiliis ordinamus, nisi ut verum Dei cultum orbis nostri plebs devota custodiat, ut etiam Donatistas vel terrore vel monitu olim implere convenerat, qui Africam, hoc est, regni nostri maximam partem, et sæcularibus officiis fideliter servientem, vano errore et dissensione superflua decolorant. Nos tamen eadem frequentius non piget replicare, quæ omnium retro principum devota in Deum definivit auctoritas, ne temporibus nostris si quid forte in injuriam legis catholicæ fuerit generatum, justo judicio hoc nobis possit imputare posteritas. Nec sane latet conscientiam nostram sermo cœlestis oraculi, quem errore suo posse proficere sæva Donatistarum interpretatio profitetur; qui quamvis depravatos animos ad correctionem mitius invitaret, aboleri eum tamen etiam ante jussimus, ne qua superstitionibus præstaretur occasio. Nunc quoque excludendam subreptionem simili auctoritate censemus, illudque merito profitemur, libenter nos ea quæ statuta fuerant submovere, ne in divinum cultum nobis se quisquam auctoribus æstimet posse peccare. Et quamvis una sit omnium et manifesta sententia Catholicæ legis plenam veritatem recto hominum cultu et cœlesti sententia comprobatam, studio pacis et gratiæ, venerabilium virorum episcoporum legationem libenter admisimus; quæ congregari Donatistas **247** episcopos ad cœtum celeberrimæ desiderat civitatis, ut electis etiam sacerdotibus quos pars utraque delegerit habitis disputationibus superstitionem ratio manifesta confutet. Quam rem intra quatuor menses præcipimus explicari, ut conversos animos populorum etiam nostra clementia, sicut desiderat, celerius possit cognoscere (*Aug. Brevic. Collat. diei* 1, *c.* 1). Quod si intra præstitutum tempus studiose Donatistarum episcopi declinaverint convenire trini edicti vocatione contumacium tempora concludantur: quibus emensis atque transactis, si provocati adesse contempserint, cedat cum ecclesiis populus qui doctores suos silentio cognoverit superatos, et victum se aliquando gratuletur, sciatque si non præceptis nostris, vel Catholicæ legis veris imperiis serviendum. Cui quidem disputationi principe loco te judicem volumus residere (quicquid etiam ante in mandatis acceperis, plenissime meministi) omnemque vel in congregandis episcopis, vel evocandis, si adesse contempserint, curam te volumus sustinere, ut et ea quæ ante mandata sunt et quæ nunc statuta cognoscis, probata possis

(3) *Sedis.* Proconsularis.

(4) *Vestra sublimitas.* Marcellinum tribunum alloquitur.

(5) *Byzacena.* In veteri exemplari legitur *Byzc.* Unde Massonus et Pithæus fecerunt *Burcensi*, sed perperam: legendum *Byzacena*, ut a Baluzio animadversum est.

Digitized by Google

implere solertia; id ante omnia servaturus, ut ea quæ circa Catholicam legem vel olim ordinavit antiquitas, vel parentum nostrorum auctoritas religiosa constituit, vel nostra serenitas roboravit, novella subreptione (*In Cod. Theod.* superstitione) submota integra et inviolata custodias (*In Cod. Theod.* custodiri præcipimus). Ut sane adminicula competentia actibus tuis deesse non possint, viros spectabiles proconsulem atque vicarium serenitas nostra commonuit, ut si propriarum dignitatum statum cupiunt retinere, si apparitionem suam extrema declinare supplicia, tam ex propriis officiis, quam ex omnium judicum apparitione, abunde necessarios faciant deputari. Erit jam sollicitudinis tuæ, si quid ulla cognoveris arte differri, missis relationibus indicare, ut negligentes puniat digna correctio. Omnia sane quæ vel in unum episcopis congregatis disputatio completa firmaverit, vel desistentibus forte statuerit circa contumaces lata sententia, te referre conveniet; ut quid ad confirmandam Catholicam fidem præceptio nostra profecerit, celerius possimus agnoscere. *Et divina manu.* Vale, Marcelline carissime nobis. Data pridie Idus Octobris Ravennæ. Varane V. C. Consule (Consulatus *ex Cod. Theod. adjectus*).

5. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Recitata venerabilis lex gestis præsentibus inseratur, cujus definitio evidenter apparuit, unde nunc edictorum meorum per ordinem forma recitetur (*Aug. Brevic. Collat.* 1 *diei, c.* 2).

Martialis exceptor recitavit, Quid clementissimus princeps dominus noster Honorius pro catholicæ fidei confirmatione decreverit, antelatorum apicum tenore monstratur: legationem siquidem venerabilium episcoporum libenter accipiens Africam suo devotam semper imperio vario religionum genere diutius inquietari decolorarique non passus est: studio namque pacis et fidei tantorum dissidia populorum ex antiqua persuasione venientia veritatis voluit manifestatione sedari, ut quos sedare principalibus a se sanctionibus prorogatis ac trahi ad unam fidei sententiam non posse pervidit, habita utrarumque partium disceptatione revocaret. Cunctos etenim tam Catholicæ quam Donatianæ partis episcopos in unum voluit congregari, ut lectis ab utraque parte peritioribus viris, certæ fidei veritate discussa, superstitionem ratio manifesta convincat: quatenus quicquid illud est quod pro suis partibus æstimat unusquisque posse competere, proferatur in medium, et sic germanæ, vel sero, fidei lux clarescat. Consona siquidem utriusque partis petitio ad hanc principem sententiam provocavit. Nam sicut a Catholicis nuper collatio postulata est; sic ante brevissimum tempus Donatistarum episcopos in judicio illustrium potestatum collationem postulasse non dubium est. Et quoniam libenter assensum tribuit clementia principalis, et concilium fieri intra Africam universale decrevit utriusque partis (*Addendum videtur* episcopis) juxta poscentibus, huic me disputationi principe loco judicem voluit residere. Unde cunctos per Africam tam Catholicæ quam Donatianæ partis episcopos hujus edicti tenore commoneo, ut intra tempus lege præscriptum, id est intra quatuor menses, qui dies intra diem kalendarum Juniarum sine dubio concludetur, ad civitatem splendidam Carthaginensem concilii faciendi gratia convenire non differant, ne eam partem de merito propriæ fidei appareat judicasse (*f.* dubitasse), quam defuisse constiterit. Universos etiam cunctarum provinciarum curatores, magistratus et ordinis viros, necnon et actores, procuratores, vel seniores singulorum locorum, pari admonitione convenio, sub propriæ existimationis dignitatis reatu salutisque periculo, quatenus in civitatibus locisque in quibus consistunt utriusque partis episcopos convenire, vel sub gestorum confectione, vel sub cujuslibet scripturæ documento exstante, festinent: ita ut si ipso in tempore in civitatibus non potuerint inveniri, per rura etiam perquisitis tam imperialis præcepti forma, quam tenor hujus innotescat edicti, quatenus intra hos quatuor menses ordinum relatione cognoscam, singularum partium voluntatem. Illud etiam scire Donatianæ partis episcopos volo, si quis eorum affuturum se esse responderit, Ecclesiam sibi primitus cum omni jure suo quæ forte a Catholicis juxta præceptum imperiale retinetur, sine aliqua dilatione per viros ordinis mox tradendam (6). Si vero omnes vel singuli in locis suis positi se adfuturos esse responderint, et Ecclesias et ea loca quæ eorum fuisse vel eos tenuisse constiterit, per supradictorum ordinum instantiam eorum juri dominioque reddenda, ut reformato iisdem primitus statu, disputationis inchoetur initium. Et quoniam tanti mihi negotii summam committere voluit augustissimus princeps, illud me quoque fateor libenter accipere, ut si de mea persona aliquid cunctationis affertur, alium mecum judicem quem ipsi delegerint Donatianæ partis et fidei, vel superioris vel similis dignitatis residere non abnuam. Sive autem cum alio sive solus in hoc negotio judicaturus interero, nihil aliud me, nisi quod allegationes partium examinatæ potuerint demonstrare et quod veri inveneri fides, per admirabile mysterium Trinitatis, per Incarnationis dominicæ sacramentum, et per salutem supramemoratorum principum judicaturum me esse promitto. Nec illam sane partem potui reticere, quatenus noverint sive pro Donatistis, sive pro Catholicis fuerit lata sententia, in nullo se Donatistarum episcopos aliquam molestiam esse passuros, sed liberos, et ab omni injuriæ genere alienos ad pro-

(6) *Ecclesiam sibi primitus*, etc. Id concessum Donatistis a Marcellino sine jussu imperatoris scribit August. in Brev. Coll. diei 1, c. 2. *In eo edicto Basilicas sine jussione imperatoris reddidit Donatistis qui se pollicerentur esse venturos, ut eo modo eos ad conferendum etiam beneficiis invitaret.* Testimonio Aug. astipulatur etiam ipse Marcellinus in edicto dato adversus Donatistas post collationem. *Ecclesias quas eis humanitate mea absque imperiali præcepto usque ad diem sententiæ constat indultas, Catholicis tradere sine ulla dilatione festinent.* Baluzius.

Digitized by Google

pria 248 redituros : quod me et per tremendum judicii diem, et per sacramenta superius memorata, ita facturum esse polliceor. Omnes autem qui ad singulas provincias fuerant destinati, noverint in nullo se quemquam deinceps Donatistarum aliquatenus convenire debere : vel aliquam iisdem superioris executionis molestiam generare, ni malunt pro contemptu recentioris præcepti subjacere vindictæ. Erit autem omnibus Donatianæ partis hominibus, de eorum qui missi sunt concussionibus et deprædationibus, si quas forte admissas esse noverunt, liberum conqueri, ut in eos probata criminum qualitate, ultio digna procedat. *Et alia manu.* Proponatur.

6. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Lectum edictum gestis præsentibus adhærebit, quo constat me evidentius obtulisse, ut si placeret electus a vestra parte mecum alius cognitor resideret : qui si præsto est, introire dignetur.

7. *Petilianus episcopus dixit.* Non decet nos cognitorem eligere alterum, qui non petivimus primum. *Et alia manu.* Recognovi.

8. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Evidentissime præceptionis augustæ tenore declaratum est collationem non cognitorem fuisse postulatum, et arbitrio suo meæ mediocritatis judicium delegisse : cui necesse est me omnibus modis inservire, cum et sanctitatem vestram ideo convenisse manifestum sit, ut satisfieret imperialibus constitutis.

9. *Petilianus episcopus dixit.* Salvis omnibus quæ competunt nobis, et de persona et in causa, proponant ii qui ista elicere meruerunt. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit. Salvis atque incolumibus universis quæ legibus deferuntur, edictorum per ordinem, sicut et prius statui formæ recitentur.

10. *Martialis exceptor recitavit.* Magnitudo hujusce negotii, quod de veritatis ac religionis agnitione suscipitur, etiamsi parum momenti sui librare tur examine, convenerat tamen ipsa disceptantium gravitate atque auctoritate pensari. Nulli enim habetur ambiguum, quanti sit ponderis causa, quæ inter episcoporum est discutienda personas. Sed cum mihi cognitionem disceptationis hujusce crediderit augusta dignatio, eisque judicem dederit, quibus inferiorem me esse, pro tanti nominis veneratione cognosco, fidei sollicitudinis meæ hac consideratione prospexi, ut de meo vellem judicio judicari. Ilujus igitur auctoritate propositi omnes utriusque partis episcopos censui commonendos, ut ante cognoscant, non amplius quam septenos ambarum episcopos partium mutuæ inter se disceptationis habituros esse colloquium, quos in officium disputandi suarum partium subrogarit electio : siquidem certum deligi ex partibus numerum præceperit imperialis auctoritas. Aderunt alii quoque septeni, delecti judicio suæ cujusque partis episcopi : qui servata primitus per omne colloquium moderatione silentii, ad hoc se tantum intelligant interesse, ut si qui ex disputantibus utrinque septenis conferre consilium cum suorum quoque voluerit, cum eodem illic secedat in partem, atque ibi communicata patienter ratione tractandi, proprium revertatur ad locum, fidem servaturus officii, ut alter, cui id necesse est, tacendo audienda commendet ; alter cui id munus est, loquendo suscepta confirmet. Erit autem collationi aptissimus locus Thermarum Gargilianarum, in quem die kalendarum Juniarum eosdem episcopos solos qui designati sunt oporteat convenire. Ex quo illud profecto perspicuum est, eo nullum penitus populi fieri debere conventum, quo nec ipsos universos confluere sinatur episcopos. Nam cum patientia disputandi quæ soli amica silentio est, omnem catervatim agminis strepitum perhorrescat, nihil interest, utrum eam congestio populorum, an episcoporum turba præpediat. Igitur episcopi memorati soli in prædictum locum tempusque conveniant : ita tamen ut reliqui omnes utriusque partis episcopi ante diem qui prædestinatus examini est, ratum se habituros quicquid a septenis utrinque coepiscopis suis fuerit actitatum, epistolis ad meam dicationem currentibus utrinque designent. Quibus epistolis tamen etiam testimonium omnes apud me propriæ subscriptionis adjungant. Æquissimum namque est, ut eorum universa collatio rata futura promittatur ab omnibus, qui eliguntur ab omnibus. Nullus ergo vel laicus, vel episcopus ultra numerum præstitutum in illum tranquillissimum concilii locum contra prohibitum moliatur accedere, quin potius etiam plebes suas pia quietis ac modestiæ commonitione conveniant, hoc per Ecclesias proprias ante tractantes, quatenus a die disputationis ac loco omnis se multitudo contineat, ut religioso patientiæ magisterio delinitum Christianæ paci populum parent. Non solum enim episcopi, verum etiam rationabilis in hanc sententiam populus consentit, disputantibus supradictis : et ubi major occupatio mentium defixa consistit, de veritate quærentibus, nihil turbidum, nihil tumultuosum nihil denique intempestivum debere prorsus obstrepere. Nam ut quod omnium saluti proficiat, fiat postea publicum, debet discutientibus veritatem præstare ante secretum : a me vero ita per omnia promulganda sententia est, ut in publicam dimissa notitiam toto splendidæ Carthaginis populo judice ponderetur. Ita quippe oculis non solum urbis hujusce, verum etiam universæ provinciæ totus emensæ disputationis ordo pandetur, ut tam prosecutiones disputantium episcoporum quam prosecutionum mearum series subsecuta, digestis in publico voluminibus explicetur. Hæc enim in judice securitas fidei est, ut de se non timeat judicari. Ut igitur in eliciendæ veritatis examen non inserpat aliquatenus calumniosa suspicio, lucemque perspicuam quam mentibus publicis probationum evidentium fides absoluta purgabit, nullis penitus nebulis causatio cujuslibet partis obducat ; id etiam contra suspicionum fucos et commenta fallendi necessario provisum. Noverint omnes

Digitized by Google

non solum oportere, verum etiam expedire servari, scilicet ut interfatibus meis me primitus per omnia subscribente, etiam omnes disputantes episcopi suis in scheda prosecutionibus universi absque ulla prorsus excusatione subscribant. Exigit enim meritum fidei, ut adversus eum qui assertionibus suis perfidum forte subducere tentarit assensum et inficiari quæ dixerit, etiam testimonii sui consistat auctoritas; ubi soli proficit victoria veritati. Ii autem qui excipiendi funguntur officio præter eos qui dicationi meæ de publicis præstolantur officiis, etiam quaterni de singulis partibus ecclesiastici alternis debebunt adstare notarii: quorum fides ne qua vacillet ambage, quaterni episcopi partium singularum delecti suorum judicio præponantur, ut eosdem exceptores ac notarios, pervigili ac sollicita observatione custodiant, quatenus cum eisdem exceptoribus ac notariis egressi per vices, subinde faciant perspicua digeri descriptione quæ dicta sunt, ut nihilominus adhuc episcopis **249** supradictis in disceptatione versantibus, transeat in apices evidentes profligatæ pars aliqua quæstionis, ut confestim ea cum a septenis episcopis subnexa subscriptione, celerem exspectationi publicæ tribuant notionem. Post primum autem collationis diem, descriptioni subscriptionique gestorum, locum diei subsequentis efficiet procrastinata cognitio, ita ut si quid forte præcedenti collationi supererit, in diem tertium recurrat examen. Omne igitur spatium conferendi vicissim diei unius intercapedo distinguet, quo possint in medio gesta subinde subscribenda describi, memoratorum præstolante custodia, qui hoc fine suum metiantur officium, non ut aliquid dicant, sed ut dicta custodiant. Donec autem emenso exitu quæstionum, omnes expedita veritas enodet ambages, schedas subinde scriptas pariter atque subscriptas, tam mei sigilli quam illorum octo custodum signabit impressio. Maximianistis etiam edicti hujus innotescet auctoritas, qua sibi ab illo concilio intelligant temperandum, quod inter Catholicos Donatistasque distingui (*f.* discingui, *ut tertiæ cognit. c.* 149) omnem dijudicarique conflictum clementium principum præceptio religiosa constituit, nec eis opitulari aliquatenus posse, quod sibi Donatistarum nomine blandiuntur, cum a Donastistis dicantur esse damnati. Si quis ex istis quæ adversus omnes multifariæ suspicionis insidias provisa sollicite, constituta fideliter, ordinata diligenter, tenor hujus propositionis amplectitur, (modo) quolibet observare noluerit, non solum quid de causa sua sentiat confitetur, verum etiam quid moliatur ostendit. Sufficit interim cognitori talis prærogativa justitiæ hujus commonitionis circa universos episcopos fecisse populum sibi plebis Carthaginensis testem, quem mox est habiturus judicem. Superest ut ante concilii diem universum hujusce ordinationis tenorem, utriusque partis episcopi amputata penitus mora missis ad dicationem meam litteris suis impleturos se esse promittant; hoc præcipue maturato, ut eædem quibus ad omnia hujusce edicti se consensisse profitebuntur epistolæ, primatium tantummodo episcoporum subscriptione signentur. Sufficit enim illis epistolis universalem (ut ita dixerim) subscriptionem episcoporum omnium cohærere, quibus totum disputationis ordinem conferentium septenorum, ratum se habituros esse promiserint.

11. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Hoc quoque edictum suscipiet corpus actorum. Ne quid autem fidei plenorum videatur deesse gestorum, universa quæ a partibus medio tempore vel scripta sunt, vel intimata judiciis percurrat officium.

12. *Petilianus episcopus dixit.* Egisti partes tuas vir nobilis, ut et partibus te justum futurum esse promiseris, et auribus publicis popularem. Sed quia hæc omnia ante causam sunt, non de causa, id primum tuam petimus potestatem, ut is qui me acciri edictis, qui de meis sedibus evocari, qui me laborem itineris pati inquietavit, petita ut voluit proponai, cur meam desiderarit adesse præsentiam, ut noverim utrum vel quid debeam respondere. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

13. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Hæc suo loco et ordine rectius peragentur. Interim quod statui percurrat officium.

14. *Romulus exceptor recitavit.* Exemplum notariæ Donatistarum. Post consulatum Varanis viri clarissimi octavo kalendas Junias Flavio Marcellino viro clarissimo et spectabili tribuno et notario, Januarius, Primianus et cæteri sinceræ Christianitatis episcopi et catholicæ veritatis. Notum facimus sinceritati tuæ, nos edicto tuo conventos, ex diversis partibus Africæ convolantes, ingressos fuisse Carthaginem xv die kal. Jun. cujus nostri adventus et omnes quos Carthago continet testes sunt, et tua sinceritas non ignorat. Tanta enim vis jurisjurandi tui edicto tuo expressa est, ut exceptis his quos adversæ valetudines corporum in sedibus retinent, aut ægritudo in via comprehendit, nec gravissimos senes annositas, nec prolixi itineris labor potuerit prohibere. Quod cum solum edictum ante causam sufficeret, alterum quoque dignatus es edere, in quo cum multa nos moveant, tum præcipue magnam sollicitudinem facit, quia nos ipsos edicto tuo epistolis nostris adstipulari oportere censuisti, cum hoc nec mos publicus habeat nec judicum consuetudo. Qua de re sinceritatem tuam plurimum exhortamur, ut prioris edicti fide servata, cunctos nos ad te venire præcipias, ut quamprimum de numero nostro constet, quos adversarii paucos esse sæpe mentiti sunt, ut rite omnibus ordinatis quæ nostris partibus competunt, disceptatio subsequatur; ne aut edicta se tuæ sinceritatis impugnent, aut nobis quicquam præjudicet, ut cum omnes venire præceperis, paucos nunc adesse velle videaris. Hoc enim decet et expedit ut cunctis præsentibus commune negotium pauci loquantur. Hujus Notariæ parem apud nos retinuimus. *Et alia manu.* Januarianus episcopus subscripsi. *Et alia manu.* Primianus episcopus subscripsi.

Digitized by Google

15. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Alterius quoque partis recitetur epistola.

16. *Romulus exceptor recitavit.* Honorabili ac dilectissimo filio viro clarissimo et spectabili tribuno et notario Marcellino, Aurelius, Sylvanus, et universi episcopi Catholici. — Edicto spectabilitatis tuæ, etc. *Extat apud August. t.* II, *col.* 487, *Ep.* 128 *nostræ edit.*

17. *Marcellinus* **250** *vir clarissimus et spectabilis tribunus et notarius dixit.* Quoniam justitia dictante vel fide semel me spopondisse commemini, quidquidcum utriusque partis episcopis gessero in publicam transmissurum me esse notitiam, causa mihi repetendorum nascitur edictorum. Nam cum superioris forma programmatis ea digesta contineat, quibus ordinata cognitio inoffensum sequatur tramitem judicandi; necessarium esse censueram, quid super eodem pars utraque sentiret, edicto ab universis episcopis flagitare : quid dicationi meæ partim per notoriam, partim per epistolam rescribentes, quid super conditionibus nuper propositis sentiant intimarunt. Cujus vel epistolæ, vel notoriæ quemadmodum se forma contineat, offerendum publicis obtutibus judicavi, ut quid vel præcedentis edicti textus exegerit, vel singularum partium responsione relatum sit, ubi totius populi considerarit agnitio, qualiter se habeat examinantis intentio perspicue possit advertere. *Quo indito, idem recitavit.*

18. Honorabili ac dilectissimo filio viro clarissimo et spectabili tribuno et notario Marcellino, Aurelius, Silvanus et universi episcopi Catholici. — Multum nos sollicitos reddidit notoria vel litteræ fratrum nostrorum, etc. *Extat apud S. August., tom.* II, *col.* 490, *Epist.* 119 *editionis nostræ.*

252 19. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Evidenter apparuit edicto dicationis meæ numero præstito quem ex omnium voluntate susciperent, curam negotii peragendam, quoniam id etiam sacratissimam legem voluisse ejus recitatio patefecit. Et quia Catholicos episcopos ad edicti tenorem consensisse monstratum est, utrum etiam episcopi partis alterius de hac re satisfecerint, vel utrum nunc satisfacere velint, intimare dignentur.

20. *Emeritus episcopus dixit.* Acta est, ut arbitror, causa et adhuc conflictantium non est statuta persona. Tibi enim, judicum verissime, nihil aliud incumbit quam tenere veritatem. Si enim omnium negotiorum avertamus instantiam, primo de tempore, de mandato, de persona, de causa, tunc demum ad merita negotii veniendum est. Quod si prætermissis istis, secundum forenses fasces jactantiamque illius controversiæ quam tribunalia sibi vindicant, semper legalis nobis rituş ac sermo servandus est, judica, vir sublimis, in negotio Christiano : quia huic causæ judicat Deus, qui et nostra merita et veri judicis sententiam æqua ponderans libra ne invergat, attendit. Edictis enim propositis præsentiæ tuæ quantum ad judicis voluntatem pertinet, nihil temere, nihil incongrue, nihil adversus aliquem videmus esse prolatum quantum ad responsiones nostras, quoniam ante causam superflue et ante merita principalis negotii supervacua esse noscuntur, neque mihi nostra propositio : neque illorum responsio officere potest, cum, salvis omnibus ante causam nunc limen ingressi judicii, quæ sint merita negotii definire valeamus. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

21. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Constat de causa nihil penitus mutilatum, cum ea tantum quæ ante scripta vel gesta sunt, præceperim recitari. Unde quoniam certus a partibus numerus constitui debere præceptus est, utrum edicto paritum sit, sicut superius interfatus sum, venerabilitas vestra intimare dignetur.

22. *Emeritus episcopus dixit.* Admoniti quidem integritatis tuæ edictis, omnia integra et illibata causæ servabimus. Hanc causam, si tempus, si dies patitur, intimamus. Scimus enim et edicto spectabilitatis tuæ, et sacri tenore rescripti, intra quatuor menses causam debere finiri. Si iste est dies, veniamus ad causam. Non possumus etenim quicquam de meritis disceptare, nisi primo de die fuerit judicatum. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

23. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ex edicto secundo diem cognoscere potuisti, qui dies kal. Juniarum videtur esse constitutus, quoniam hunc esse hodiernum etiam suggestio patefecit officii, et recitatio monstravit edicti. Superest, utrum de ordinando negotio a vestris partibus eligendisque personis satisfactum sit, intimetur. Siquidem in confusa multitudine, certa non possit esse persona, cum hoc constet etiam legibus definitum.

24. *Emeritus episcopus dixit.* Diem negotii utrum terminus edictalis incluserit, an forma imperialis præcepti, nobilitatis tuæ debet judicio definiri. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

25. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ex edicto dies est constitutus, secundum formam judicii principalis; et quoniam non est in his diutius immorandum, superest ut in electione satisfaciatis cœlestibus constitutis.

26. *Emeritus episcopus dixit.* Forma præcepti talis est, ut intra quatuor menses causa dicatur. Si secundum hanc formam sublimitatis tuæ edictum est constitutum, superest ut suggerente officio in medium causa mittatur. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

27. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Officium ad quæsita respondeat. *Nampius Scriba dixit.* Secundum diem edicti nobilitatis tuæ quartus mensis conclusus est, die XIV kal. Juniarum.

28. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Cum partes Carthaginem utræque venissent, in hunc eas diem consensisse non dubium est. Siquidem nulla super hac parte videatur aut dilatio postulata, aut judicium flagitatum.

29. *Petilianus episcopus dixit.* Nos ad hanc urbem XV kal. die Juniarum venisse, et notoria nostra significavimus, et omnem non dico Carthaginem, sed

Digitized by Google

Africam fecimus testem ; qui si non adessemus, jam pars adversa sine dubio flagitaret in contumaces dicendam esse sententiam, tempusque jam fuisse definitum, quo nec post venientibus agere quicquam aut respondere licuisset. Si igitur vir nobilis mediam semper libram judicii tui suspensam ita tenes ac regis, ut nullam in partem vergat aliquid gratiam illam qua tibi conditionem atque præceptum imperiali auctoritate cognoscis esse permissum, ut ferre possis in contumaces sententiam : nunc te judiciali illo motu illa quæ pura cessura animadvertere oportebit, contra hanc partem te ferre judicium, quæ destitit, quæ non adfuit, quæ delectata est laboribus meis, quæ in hoc quoque mihi insultavit, ut diu chorus iste sanctissimus senatus cœlestis spectaret judicii tui auctoritatem, excubaret pene quotidie, ipsaque Dei, quæ sacra sunt, sine sollicitudine non gessisset. Feras igitur quæso judicium, promasque sententiam, non dico acriorem quam adversum me ferre potueras, sed quam tibi leges et imperiale præceptum intimant, quamque præcipiunt. Non enim fas est, ut qui contra nos posses ferre judicium, nunc contra adversarios meos sententiam valeas denegare. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

30. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Sanctitatem atque peritiam tuam latere non credo id imperiali præceptione fuisse constitutum, ut ea pars quæ trini edicti conventione adesse noluisset, sententiam contumacis incurreret. Perpensa enim clementissimus imperator moderatione constituit ut si longinquitate itineris quarto mense partes ad constitutum locum venire minime potuissent, duorum mensium induciæ præstarentur. Quam **253** quidem rem ne alicujus partis querela videretur existere, videor custodisse. Unde de tempore, quoniam magis forensis est quam episcopalis objectio, quæ quidem nec in publico judicio secundum formam imperialis præcepti prævalere potuisset, cum partes utraque observasse sat clareat, sicut superius interfatus sum, utrum electi sint qui peragere possent ex omnium voluntate negotium, intimare dignamini.

31. *Emeritus episcopus dixit.* Causæ præscriptio est judicis sermo, servari forensem usum consuetudinemque jurgandi inter episcopos non oportere nutare illam versutiam legum jurisque controversiam, ubi de fidei statu et de totius sanctitatis disceptatione tractatur. Quod quidem castis et bene credulis auribus accipimus, vir spectabilis : sed ne forte in perniciem nostram ista replicentur, jusque transeat ad adversarios iterum confligendi, adseraturque nobis hoc juris præcepto servato : in hanc formam legis consentire debes, hoc ipsum judiciaria auctoritate defige, episcopalis nos moris regula sanctitati adesse debere, ut non præstigiis juris, neque ligaminibus cujusque facundiæ, sed Testamento novo ac veteri, quod instituit Deus, quod sacravit Dominus Christus, causa possit audiri. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

32. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ne quid inordinate fieri videatur, quoniam hoc et ipsum veritatis regula continetur, et legum dictat auctoritas, prius est ut personarum numerus designetur : tunc demum ea quæ partibus competunt, per eos qui firmati fuerint rectius peragentur. Ne hæc inter incertas personas videantur infirma.

33. *Emeritus episcopus dixit.* Cum omnes qui mandaturi sunt adstare videantur, magisque persona præsentium quam sermo teneatur absentium, quid est quod potest movere judicia, cum statutis omnibus quæ primo ex lege descendunt, quæque initium causæ facere consueverunt, tunc demum ad electionem defensorum secundum edictum sublimitatis tuæ arbitrium veniamus? *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

34. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Numquam habere potuit certam multitudo personam, cum hoc etiam in publicis actionibus atque corporibus soleat custodiri, ut per ordinatas atque firmatas (personas) omnia peragantur.

35. *Emeritus episcopus dixit.* Teneo fidem tuam, vir sublimis, nihil mihi de juris lege præscribi, ubi agitur de fide. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

36. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Interlocutio mea non jus cessare debere, sed forensem contentionem apertissime definivit. Neque enim possunt aliqua quæ competunt partibus denegari : sed si hoc utrarumque partium consensus habet, ut nihil de jure publico, sed omnia Ecclesiasticis regulis, id est novi et veteris Testamenti testimoniis peragantur, pars utraque designet.

37. *Petilianus episcopus dixit.* Optimus moderator. *Et alia manu.* Petilianus Episcopus recognovi.

38. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quoniam secundum N. T. edictum non omnes nostri collegæ adsunt, illi obtemperantes edicto, et voluntas cunctorum mandato continetur, jube hoc idem mandatum ab officio suscipi et recitari. *Et alia manu.* Recognovi.

39. *Emeritus episcopus dixit.* Si jubes, competit causæ per integritatem tuam. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

40. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Aliud constat esse quæsitum ut utrum a jure publico recedi velitis et totum divinis legibus agitari, vestris professionibus demonstretis.

41. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Carthaginensis dixit.* Inveniet hoc ipsum sublimitas tua cum hoc mandatum fuerit recitatum. *Et alia manu.* Recognovi.

42. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Et hoc mandato evidentissime continetur, ut omissa juris publici controversia, omnia divinis legibus peragantur.

Digitized by Google

43. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Carthaginensis dixit.* Recitatio mandati sensus tuos poterit informare. *Et alia manu.* Recognovi.

44. *Petilianus episcopus dixit.* Legem Dei repudiat, qui dubitat quid debeat profiteri. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

45. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ego hæc partium volui responsione firmari : cæterum certum est me, quoniam imperiali præcepto omnia nunc aguntur, per quod jura constituta sunt, omnino non posse.

46. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Carthaginensis dixit.* Legem Dei non repudiamus cum hoc mandatum ingerimus legendum, in quo potest omnis nostra assertio perdoceri. Nec enim egredi possumus limitem istius mandati, quod nobis patres vel fratres nostri universalis concilii Ecclesiæ catholicæ, hic apud Carthaginem constituti mandarunt. *Et alia manu.* Recognovi.

47. *Emeritus episcopus dixit.* Fidei causa est, quæ et sine mandato ipso jure agi potest. Neque enim alibi oculos habet Deus, aut deseruit cœlum ne intendat causam suam. Quid est quod de mandato, vel de obligatione mandati, de subscriptione, de modo, de formulis, quæritur? Quid est quod in hac causa quasi aut refragantis, aut non mandati judicialis sponsio arbitrium flagitat : cum singuli quique propriam causam, et salutis suæ negotium gerant, superfluumque sit cæterorum mandatum, cum in uno constet Ecclesiæ tota persona? Advertat, vir nobilis, integritas tua, quam in ista sede jam quodam lumine coruscare cognoscimus, veritatem ita præsidere debere, ut si forensis altercatio jurisque conflictus in medio mittitur, proponatur : sin autem simplex illa veritas qua datur vita, qua renascitur sæculum, qua liberatus est mundus, in hoc judicio spiritali altercatione conquiritur, quæso, vir sublimis, utrumque proponant et de utroque unum eligant. Aut enim merita juris omittere non possunt, præscriptionemque causarum; aut si de illis sacratissimis legibus, quibus communis reverentia est adhibenda (*f.* pendemus), patientia ipsas magis amplectar et teneam, et quasi cœlestis aræ pontificatum adorem semper ac venerer, ut et tibi integro cognitori secundum institutum mentis tuæ morisque ordinem certa sit causa judicandi, nec fluctuet judicium tuum, de quo est Deus et populus judicaturus. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

48. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Catholica Ecclesia quæ toto sicut promissa est terrarum orbe, diffunditur, cum adversæ parti semper de fide obtulisset et de actione quam nobis criminose objiciunt, collationem, et scriptis publicis, et testimoniis multorum, et conventione magistratuum facilius edocebitur. Sed ut omni ex parte tuta sit ipsius collationis causa, confusa non facit multitudo. **254** Deligant igitur præsentes fratres nostri quia volunt ex adverso sistentes aliquos sui ordinis primarios viros, quibus totam actionis summam committant, atque adstipulationem faciant præsentium gestorum; ut si forte in assertione ejusdem causæ defecerint, in eorum persona qui hujusmodi negotium susceperint, absque cunctatione victos eos esse et recitatio demonstret actorum. Et ideo quia non opus est multifaria dilatione causam peragere, deligant personas secundum propositi edicti tenorem quæ collationis causam suscipiant, ut omnibus semper probata veritas luce clarius demonstretur. Nam mandatum nihil juris et cavillationis forensis habere, ejus lectione, si pars adversa patiatur, facilius edocebitur. *Et alia manu.* Recognovi.

49. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Prosecutionem tuam cum imperiali certum est concordare præcepto, quo constitutum est ut certus a singulis partibus numerus deligatur. Nam sive juris, sive fidei causa tractatur, certæ debent astare personæ, ut quicquid actum fuerit, integrum robur obtineat.

50. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Dignetur igitur spectabilitas tua mandatum susceptum officio tradere et recitari (jubere) ut ex eo tenore pars adversa quia dignatur ab hoc instructa valeat objectis omnibus respondere, unde possit etiam clarescere nihil nos jure publico velle tergiversari. *Et alia manu.* Recognovi.

51. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Professionem quam exspectabat sanctitas vestra evidenter accepit : patiatur ergo nunc recitari mandatum, salvo eo ut utraque pars me agnoscat imperialis præcepti formam custodire debere. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Si jubet spectabilitas tua recitetur.

52. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Universa quæ a partibus offeruntur, ut omnis amputetur ambago, ab officio recitentur.

53. *Petilianus episcopus dixit.* Sine præjudicio nostro legat, salvo eo, quia hæc causatio forensis est, non legalis. Nam uti mandato, his formulis præsumere, non est Ecclesiasticæ consuetudinis, sed forensis ludi atque certaminis, et illius exercitii quod magis argumentis quam fide aliqua sæpe subsistit. Proinde nobilitatis tuæ spectabilitatisque censura, etiam atque etiam in hoc loco morari dignentur, ut edicant utrum lege divina causam agi velint, et ipsam disceptationem inter partes ventilari; an omnino legibus publicis uti velint : quoniam in utroque mihi plurima competunt; ut si a lege discesserit, episcopum se non esse demonstret; si vero legem tenuerit, tunc ei ut illi qui Christianus esse desiderat debeam respondere. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

54. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Si nullo potestatis sæcularis judice residente inter episcopos tantum hæc contentio tractaretur, tunc demum eorum erat arbitrii, et forsitan justi, ut nihil publico velint jure tractari : me autem, cum legumlatores ii sint qui me judicem delegerunt, a legibus certum est deviare non posse : quamvis pro-

Google

fessionem partis e diverso venientis apertissime susceperit sanctitas vestra, in qua id expressisse cognoscitur, quod vestra prosecutio postulavit. Unde mandatum per officium recitetur.

55. *Petilianus episcopus dixit.* Legat. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi. *Romulus exceptor recitavit.* Post consulatum Varanis viri clarissimi, III kalend. Jun. Mandatum factum in Ecclesia. *Et cum recitaret, Adeodatus episcopus dixit.* Sine præjudicio nostro recitet. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Sæpius interfatus sum, omnia integris responsionibus recitari. *Romulus exceptor recitavit.* Mandatum factum in Ecclesia Carthaginensi ab universo concilio episcoporum catholicorum : præsidente Aurelio episcopo Ecclesiæ Carthagin. et Silvano primate Numidiæ. Quamvis causa Ecclesiæ catholicæ adversus omnes falsas criminationes, etc. *Vid. apud August. tom.* IX, *col.* 822-827 *nostræ edit.*

257 56. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Quoniam ex recitatione mandati quod gestis præsentibus adhærebit, claruit divina magis testimonia quam forensia vincula esse prolata, et edicti pariter mei tenorem fuisse servatum, in numero scilicet deligendo, et imperialis constitutionis formam nihilominus custoditam : ideoque, quoniam justitiæ ordo hoc postulat, etiam subscriptiones omnium recitentur.

57. *Romulus exceptor recitavit.* Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Carthaginensis Carthagini constitutus præsente V. C. tribuno et notario Marcellino hoc mandatum suscepi et subscripsi. *Item alia manu.* Silvanus primæ sedis provinciæ Numidiæ præsente V. C. Marcellino tribuno et notario Carthagini constitutus mandato a nobis facto consensi et subscripsi. *Item alia manu.* Valentinus episcopus Ecclesiæ Vaianensis (9) Carthagini constitutus, præsente V. C. Marcellino Tribuno et Notario mandavi et subscripsi. *Et reliquæ subscriptiones quorum nomina mandato continentur.*

58. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Has quoque subscriptiones cum mandato gesta suscipient. *Et adjecit.* Numerus etiam subscribentium designetur. *Martialis exceptor dixit.* Ducenti sexaginta sex sunt.

59. *Petilianus episcopus dixit.* Ubi sunt qui mandaverint? *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

60. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Opus est hoc, eligant de suis septem, et eant ubi constituti sunt in ecclesia, et videant illos. *Et alia manu.* Recognovi.

61. *Petilianus episcopus dixit.* Subtilis argumenti res est, ut judicem facerent testem. Potuerunt etenim etiam quoscumque clericos minoris loci apponere nominibus suis, et fingere illum honorem esse quem apud se summum existimant, cum hinc potissimum dubitetur. Proinde veniant in judicium notarii a nobis singuli cognoscantur. Veremur etenim argumenta sæpe diutius requisita, quæ in perniciem simplicitatis nostræ quotidie machinantur. Hæc igitur prima res est, de qua per notariam nostram sublimitati tuæ intimare curavimus, neque cessavimus ut de numero primo nostro constaret, quem esse parvulum semper imperialibus auribus mentiuntur . quidquid enim contra nos semper elicitur, quasi contra paucissimos impetratur. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

258 62. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Falsi crimen nec objicere condecet sacerdotem, nec committere potuisse credendum est. Illud autem est quod per vestram venerabilitatem scire desidero, utrum omnes episcopos contra quos vestra pergit intentio, quorum etiam subscriptio recitata est, possitis agnoscere.

63. *Petilianus episcopus dixit.* Singuli quique sedium nostrarum adversarios facile possumus agnoscere. Sane non falsum objecimus, sed diligentiæ maximæ est quod volumus et probare. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

64. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Hoc magis de vestra judico sanctitate, diligentiæ potius esse quam ullius objecti criminis, quod in prosecutione dicendum esse credidit sanctitas tua. Sed illud quæro, utrum in omnibus locis et civitatibus utriusque partis bini esse possint episcopi; sic enim possunt se alterutrum plene cognoscere.

65. *Petilianus episcopus dixit.* Sapientissime ac præscie omnia prævidisti, vir nobilis; nam in plebe mea, id est, civitate Constantinensi, adversarium habeo Fortunatum. In medio autem diœcesis meæ, nunc institutum habeo, imo ipsi habent, nomine Delphinum (10). Pervidet jam hinc præstantia tua, duos in unius plebe fuisse imaginarie (11) constitu-

(9) *Vaianensis*, seu *Baianensis*, uti scriptum est in veteri libro. Infra capp. 99, 115, 135, scribitur semper Vaiensis, sed nos ubique reposuimus *Vaianensis;* quia constat emendationem esse certam. Nam *Felix episcopus Baianensis* interfuit concilio Carthaginensi sub Grato, et *Beianus Baianensis* damnatus fuit anno 394, in concilio Bagaiensi. Animus erat hanc sedem referre ad Mauritaniam Cæsariensem, quia inter episcopos illius provinciæ ejectos ab Hunerico rege Vandalorum reperio Cæcilium Belianensem. Verum huic cogitationi obstant subscriptiones concilii Cabarsussitani, ubi legitur nomen Pancratii Balianensis. Cum enim synodus illa habita sit uno anno ante Bagaiensem in qua damnatus est Beianus Baianensis Donatista, istud evincere videtur Ecclesiam Balianensem fuisse diversam a Baianensi; duos quippe episcopos Donatistas in una Ecclesia fuisse constitutos non est verisimile. Baluzius *addit.* In eodem concilio Cabarsussitano præter Pancratium Balianensem est Donatus episcopus Belianensis, unde Balianensem et Belianensem duas sedes esse certum est.

(10) *Delphinum.* Missus is fuerat in Numidiam a coepiscopis suis propter necessitates Ecclesiæ, ut habet Aug. ep. ad Marcell. olim 158, nunc 139. Hujus etiam fit mentio infra c. 215. Erat episcopus constitutus de novo ob Ecclesiæ necessitates in aliqua urbe Constantinæ vicina.

(11) *Imaginarie.* Sub titulo ficto et supposito : sic Colluthus apud Athan. dicitur non verus, sed imaginarius episcopus.

Digitized by Google

tos, ut et numerum augeant, et tamen plebium numerus non idem sit, qui sit illarum scilicet personarum. Et hoc argumenti est maximi, ut videantur nos hoc genere superare, si duo contra unum sint constituti vel tres. Nam etiam in plebe præsentis sanctissimi collegæ ac fratris mei Adeodati, id est, in civitate Milevitana, ita commissa res est, ut unum ibidem habeat adversarium (12), alterum in Tuccensi (13) civitate, quæ ad hujus scilicet plebem antiquitus pertinet, et ante biennium esse videtur constitutus; tertius vero sit in loco qui dicitur Ceramussa. Ergo cum unus sit civitatis Milevitanæ episcopus a partibus nostris, tres videntur ab his constituti fuisse, ut illorum numerus augeretur, aut fortassis excederet numerum veritatis. Requirendum est igitur quando auctus sit illorum numerus, quam originem habuerit, utrum hoc novitas fecerit, an dederit antiquitas, utrum, ut ita dixerim, contra vetustatem canam, vitium hoc fuerit novitatis. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

66. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Multiloquio Ecclesiæ causam agi non debere perspicit mecum tuæ dignationis sensus, optime cognitorum. *Et cum diceret. Et alia manu.* Recognovi.

67. *Petilianus episcopus dixit.* Plus scripsisti quam dixi. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

68. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Verum vir gravissimus Petilianus cum ante paululum Ecclesiæ causam divinis Scripturis firmandam esse professus fuerit; atque eam divinis testimoniis quæri debere constituerit, nunc eum per diversa vagari in personis ordinatorum, prosecutione ejus ostenditur. Atque ideo, ne illi similes videamur, decreti tenorem accepit sublimitas tua; et quid Patrum statuta voluerint, ejus lectione monstratum est. Convenit præsentes, moratoriis omnibus actionibus repulsis atque prostratis, eligere nunc ex parte sua idoneos qui possint institutæ causæ præstare rationem, omniumque consensum his actis depromere, ut, dilucescente veritate, nulli possit esse ambiguum. Siquidem confirmatis personis nulla pars audebit dicere, sententiam non posse (nec) debere consistere, quandoquidem eorum consensus actis fuerit depromptus; et ideo aut subscriptionibus quæ gerimus se doceant confirmare, aut consensum suum singuli patefaciant, ut actio Ecclesiæ possit suo ordine inchoari. *Et alia manu.* Recognovi.

69. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* De incompetenter ordinatis quos Petilianus vir sanctissimus comprehendit, me certum est qui ad aliam partem principali auctoritate judex videor constitutus, non posse cognoscere. Superest ut, si numerum episcoporum qui ab officio intra hanc splendidam Carthaginem constitutus est verum esse credit venerabilitas tua, jam nunc intimare dignetur.

70. *Petilianus episcopus dixit.* Non intellexit e diverso consistens, quid fuerim prosecutus, nam cum de numero mandantium nunc agatur, diligentiæ meæ maxime fuit requirere, ubi sunt illi qui præsentibus mandaverunt: deinde constare non ab re est, quod sum in tuo judicio, vir nobilis, prosecutus. Quoniam igitur et jacturam fecerunt earum rerum quas forensibus cancellis ac legibus uti potuerant, et recitaverunt mandatum quod non magis forense sit, sed legale, hinc agnosco debere me illis lege divina competenter respondere. Sed, ut prius de mandatorum numero constet, et de partibus meis quanti mandaverint vel quanti sint mandaturi, id primum peto de nobilitate tua, ut superfluum non sit, de numero utriusque partis ferre debere judicium celsitudinem tuam. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

71. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Evitandæ quidem multitudinis causa ad hunc locum de quorum numero dubitatur, minime convenisse dicuntur, præsertim cum sufficerit eos præsentibus omne delegasse negotium; sed si quid super hac parte dubitationis affertur, judiciis intimetur.

72. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Carthaginensis dixit.* Nos evitamus tumultum; idcirco non venerunt; sed mandatum firmissimum est, quod lectum est nobilitati tuæ. Si de numero dubitatur, eant provinciales ad Mauros, eant provinciales ad Numidas, eant provinciales ad Byzacenos, eant quoque ad Tripolitanos, eant ad provinciæ proconsularis, qui præsentes sunt ex numero ipsorum, et cognoscant nostros qui huic mandato subscripserunt. *Et alia manu.* Recognovi.

73. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Non patiar rem superfluam longa partium obluctatione differri, unde veniant universi.

74. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quid opus est turbis? Et nos in civitate diu versati sumus, et nostri collegæ. Ii quoque in civitate, ut dicunt, non hodie, sed aliquantis diebus demorati sunt. Legantur subscriptiones, et de cujus nomine dubitant, ipse veniat. *Et alia manu.* Recognovi.

259 75. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* In uno loco sunt omnes, aut id non potest liquido designari?

76. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Nescimus postea quam mandaverunt quid opus erat ut concluderentur. *Et alia manu.* Recognovi. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* De quorum nomine dubitatur, ipsi veniant. *Et alia manu.* Recognovi.

(12) *Adversarium.* Severum nempe qui paulo ante infirmitate correptus discesserat, ut habetur c. 215. Exstat ejus epistola ad Augustinum inter Augustinianas 109, et duæ Augustini ad ipsum 110 et 62, postremæ editionis. Ibid. ep. 34, Augustini condiscipulus dicitur.

(13) *Alterum in Tuccensi civitate.* Sabinum de quo c. 130, episcopum civitatis hujus in Numidia. Haud ita pridem episcopalis facta fuerat.

Digitized by Google

77. *Emeritus episcopus dixit.* Impugnat se actio, et ex una parte diversa contentio; unus prosequitur venire debere, alter nescire se utrum possint adesse. Concordent inter se sententiis suis, et arbitratu proprio atque secreto quid magis eligant, dicant. Opperimur enim pro meritis tuis quicquid isti dixerint, quod magis putaverint eligendum. Non enim nos falsitatis crimen objecimus, sed hoc ipsum factum volumus judiciis approbari. Melior est enim adstipulatio, quæ præsentibus actis inditur, et veritatis fides instrumentorum veritate firmatur. Agitur enim res de qua quis negare poterit : *Non mandavi, non interfui, nescio.* Non enim ex me ista procedunt, sed ex ipsis potius qui ista confingunt. Habeant inter se consilium suum, arbitrioque suo definiant universa; ut si volunt in præsenti mandare, sicuti nos personas mandantium actis sublimitatis tuæ nunc in præsenti insinuamus, habeant in compendio, tulerint de medio falsitatem, donamus illis universa quæ potuerant de præceptione depromi, ut sublimitatis tuæ judicio possit ex illorum et ex nostris partibus apparere, quod possit esse mandatum. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

78. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Tumultus ne fieret cavendum fuit, et hoc salubriter prudenterque providisti. Et quoniam metuendum est, ne, cum fuerit exorta aliqua perturbatio, nobis potius tribuatur, incertumque sit hominibus, a quorum parte potius exstiterit, nihil melius et tranquillius putamus decernere nobilitatem tuam, nisi ut recitatis omnibus nominibus, de quo dubitant, veniat. *Et alia manu.* Recognovi.

79. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Accepistis professionem partis adversæ. Quæ competunt, peragantur.

80. *Emeritus episcopus dixit.* Patientia nobilitatis tuæ intimumque secretum, quod omnibus monstras, cunctorum oculis patuit, teneo judicii tui fidem, teneo testimonium. Pene jam peracto solis curriculo totus est transactus dies, et nullus adhuc exortus tumultus, cum tanta sacerdotum Dei multitudo consistat. Quis enim præter eos quos judicii veritas adesse præcepit; vel mutiendo inter se, vel balbo sermone respondit? Tacito linguæ silentio exspectant veridici cognitoris integram severamque sententiam, et acclinibus, ut dixit, pene cervicibus, in teipsum toto ore pendentes, quid de Dei causa judices sollicite rimantur. Nullus strepitus, sermo nullus, imo ad Deum continua oratio, et ad cœlum privata vox. Unde hic tumultus publicus de privatis scurrilibusque sermonibus, quibus aut facile strepere, aut ex ipso usu rixa quotidiana metus judiciorum non timens, possit exurgere? Ad hoc Dei sacerdotes tot antistites, animæ suæ causam et fidei suæ rationem audire cupientes, tumultu superfluo et quadam rixa turbantes, ad judicii veritatem nolentes descendere, quærunt immissam actionem turpissime perturbare. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

81. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ad multa fratris mei videat nobilitas tua quam pauca respondeam. Quod si nobis voluerint respondere, causa tota cito forsitan peragetur; metuendum est, ne ideo non fiat tumultus ab hac turba quæ præsens est, quia non hic est alia multitudo, in quam possit referri causatio. *Et alia manu.* Recognovi.

82. *Petilianus (f. Emeritus) episcopus dixit.* Confiteris illos cum tumultu esse venturos. Nam hic tumultus nec fuit nec erit a partibus nostris. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

83. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Non confiteor cum tumultu esse venturos; sed timeo ne ideo adhuc quiescat multitudo præsens, quia non est in quem referat si quid forte turbulenter exstiterit, dum utraque præsens fuerit multitudo. Petimus ut quod dictum est, fiat; de quocumque dubitatur, præsentetur. *Et alia manu.* Recognovi.

84. *Adeodatus episcopus dixit.* Si in paucos tumultus fieri non potest, in plurimos fieri quemadmodum potest? *Et alia manu.* Recognovi. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Judica. *Et alia manu.* Recognovi.

85. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Potest quidem sacerdotalis multitudo divinam considerans utrobique sententiam, etiam in quavis populositate præstare silentium, sed illud certum est, et ambigi nullatenus potest, paucitatem magis silentio posse præbere consensum. Unde ne superfluis immoremur, si de subscriptionibus aliqua est dubitatio, eos quos nec præsentes esse, nec subscribere potuisse credit sanctitas vestra, faciam ad judicium mox venire, ut tandem aliquando confirmatis secundum imperiale præceptum ex utraque parte personis, ad negotii merita veniatur.

86. *Emeritus episcopus dixit.* Ex una parte diversæ sententiæ concordare debent. Aut enim hic esse suos dicunt, et adesse debebunt; aut si absentes esse profitentur, videat nobilitas tua quid de absentibus debeat judicare. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

87. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Quod præsentes præsentibus mandaverunt, prosecutione spectabilitatis vestræ tenetur expressum, eo quod omnes qui subscripserunt, a vobis et a vestris omnibus facile possint agnosci. Unde cum subscriptiones per ordinem fuerint recitatæ, de quo dubitatur, poterit mox venire.

88. *Adeodatus episcopus dixit.* Affero compendium diversæ parti, ne tumultus posse fieri utrisque partibus præsentibus putent. In uno loco coepiscopi nostri consistant, ad alterum item locum suos faciant venire. Et cum recitata fuerint quæcumque loca, bini mittantur, quo possit omnis causatio, omnis tumultus amputari. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus recognovi.

89. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Nova res nunc a diversa parte flagitatur. Nam nos obedientes edictalibus præceptis, tot venimus quot fue-

Digitized by Google

rant edicto definiti. Sed quia et hoc non est negandum sollicitudini præsentium, quamquam de numero quærere non sit nostræ præsentis actionis, tamen qui modo præsentes fratres nostri reperiri potuerunt, jube ut ingrediantur; si qui forte absentes fuerint, crastino eorum præsentiæ tuis etiam obtutibus monstrabuntur, dum tamen ne ulla dilatio causæ nascatur, sicut nos certi numero adsumus electi ab universali catholico concilio, etiam ipsi ad asserendum confirmati jam suscipiant omnem sarcinam causæ, ut nulla dilatio quæstioni possit opponi. *Et alia manu.* Recognovi.

90. *Adeodatus episcopus dixit.* Præcipe nobis mandatum **260** eorumdem ostendi ubi subscripserunt, quod nunc lectum est ab officio. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus recognovi.

91. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Mandatum quod nunc ab officio recitatum est, in quo omnium subscriptiones continentur, postulantibus ostendatur.

92. *Petilianus episcopus dixit.* Magnam nobis sollicitudinem facit ista varietas : aut hodie repræsentent numerum eorum quos sibi dicunt mandasse quod agant, aut ipsi causam in crastinum distulerunt. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

93. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Non est dilata causa; hodie agenda est. *Et alia manu.* Recognovi. *Augustinus episcopus dixit.* (Mandatum) actis offeratur, ab officio offeratur.

94. *Adeodatus episcopus dixit.* Hoc exspectavimus, hoc desideravimus, ut eadem gesta quibus subscripserunt in præsentiarum sint donec mandatores veniant. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus recognovi.

95. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Hoc necesse est ut fiat ita, ut si sollicitudinis aliquid geritis, a vobis obsignata serventur.

96. *Petilianus episcopus dixit.* Illorum præsentia nobis necessaria est, non mandatum. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

97. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Jam postulavimus fratres et consacerdotes nostros intromitti debere, qui præsentes inveniri potuerunt. Præcipiat nobilitas tua, superfluum nodum amputari quæstionis, ut intromissi saltem vel obtutibus eorum fidem debitam ferant. *Et alia manu.* Recognovi.

98. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Illi venerabiles sacerdotes qui præsentes esse dicuntur, venire dignentur. *Et ingressis episcopis catholicis.*

Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit. In omni petitioni vestræ satisfactum esse cognosco. *Et adjecit.* Præsentes sunt episcopi quos ingredi voluistis; qui secundum imperialis præcepti formam et edicti tenorem, certum numerum ad peragendam causam elegisse noscuntur. Unde, ne qua ulterius possit esse dubitatio, vel forte confusio, A singulis subscriptiones propriæ relegantur, ut agnitis iisdem exire dignentur.

99. *Martialis exceptor ex mandato recitavit.* Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Carthaginensis Carthagini constitutus, præsente viro clarissimo tribuno et notario Marcellino, hoc mandatum suscepi et subscripsi. *Hoc modo omnes reliqui subscripserunt. Item recitavit.* Silvanus episcopus Summensis Ecclesiæ catholicæ. *Idem dixit.* Præsto sum. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Silvanus qui non suscepit collationem exeat. *Quo egresso idem recitavit.* Valentinus episcopus Ecclesiæ Vaianensis (14). *Idem dixit.* Præsto sum.

100. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Reddiderunt nos sollicitos, diligentiam nobis primi- B tus ipsi incusserunt : quomodo nominantur nostri, sic etiam de ipsorum numero dubitamus. *Et alia manu.* Recognovi.

101. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ita fiet, consentit tamen pars diversa, ut simul agniti exeant.

102. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Sed primo mandare habent et ipsi, ut appareat quia hic sunt. *Et alia manu.* Recognovi.

103. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ergo placet sanctitati vestræ, ut post impletum mandatum, exeant, etiam partis vestræ venerabiles viri episcopi, et inter paucos causa peragatur, et ad quod quæsitum est respondere dignemini.

104. *Primianus episcopus Ecclesiæ Carthaginensis* C *dixit.* Cum et nos apud acta mandaverimus præsentes, eximus, damus locum actoribus : hic tamen in proximo erimus. *Et alia manu.* Primianus episcopus recognovi.

105. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ergo vestræ quoque subscriptiones judiciis intimentur, ut illorum quoque professiones præsentium requiruntur.

106. *Petilianus episcopus dixit.* Apud acta volunt mandare. *Et alia manu.* Petilianus recognovi.

107. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Apud quæ acta sanctitas vestra se asserit mandaturam?

108. *Emeritus episcopus dixit.* In judicio præstantiæ tuæ voluntas est nostra, si jubes ut gestis muni- D cipalibus hoc judicio nobilitatis tuæ finiatur. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

109. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Illud nunc est, quod a vestra sanctitate ad amputandas omnes ambages necessario postulatur, ut apertissime designetis utrum vobis epistola mandati cum subscriptionibus recitata sufficiat, an etiam ipsos quæritis apud acta mandare.

110. *Petilianus episcopus dixit.* Non ut profiteantur volumus, sed ut recognoscantur a nobis, qui mandasse dicuntur. *Et alia manu.* Ut supra.

111. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius*

(14) *Valentinus Vaianensis.* Primas fuit Numidæ anno 419, quo concilio Carthaginensi interfuit.

Digitized by Google

dixit. Ergo subscribentium nomina per ordinem recitentur.

112. *Honoratus exceptor recitavit.* Numidius episcopus Ecclesiæ catholicæ Maxulitanæ. *Idem dixit.* Præsto sum. *Felix episcopus (loci suprascripti) dixit.* Agnosco illum. *Marcellinus V. C. tribunus et notarius dixit.* Constat utrumque esse præsentem.

113. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Illorum etiam duorum qui jam exierunt compares prodeant. Ipsi hoc exegerunt. Videantur ergo qui præsentes sunt, et qui absentes. Hoc volumus constet. *Et alia manu.* Recognovi. *Et accedente episcopo.*

114. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Cujus civitatis est vir venerabilis episcopus? *Adeodatus episcopus dixit.* Felix episcopus Zummensis (15), nostræ communionis, qui contra Silvanum agit, male habet.

115. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Probabilis excusatio est. *Et adjecit.* Alius recitetur. *Et recitavit.* Marinus episcopus Ecclesiæ Taborensis. *Idem dixit.* Præsto sum. *Victor episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum.

116. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Utrorumque præsentiam gesta retinebunt. *Item recitavit.* Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ civitatis Magomaziensis (16). *Idem dixit.* Præsto sum. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Alius ejusdem civitatis episcopus veniat a parte diversa. **261** *Salustius episcopus partis Donati civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Etiam hos constat esse præsentes. *Item recitavit.* Victor episcopus Ecclesiæ catholicæ Libertinensis (17). *Idem dixit.* Præsto sum. *Januarius episcopus loci suprascripti dixit.* Agnosco illum. Diœcesis mea est. *Victor episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Neminem illic habet.

A *Januarius episcopus partis Donati dixit.* Diœcesis mea est. *Victor episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Cum neminem illic habeat, neque ecclesiam, neque aliquem communicantem, frustra mentitur quod sit ejus diœcesis. *Januarius episcopus dixit.* Communicarunt tibi (*f* mihi) ante vim tuam?

117. *Petilianus episcopus dixit.* In una plebe Januarii collegæ nostri præsentis, in una diœcesi quatuor sunt constituti contra ipsum; ut numerus scilicet augeretur.

118. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quæratur quot annorum episcopus sit.

119. *Petilianus episcopus dixit.* Quatuor estis contra unum.

120. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Hæc ad præsentem omnino non pertinent B actionem. Quæ cœpta sunt perlegantur. *Item recitavit.* Optatus episcopus plebis Vesceritanæ (18). *Idem dixit.* Præsto sum. *Fortunatus episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Januarius episcopus plebis Tunusudensis (19). *Idem dixit.* Præsto sum. *Victorianus episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Evangelus (20) episcopus Ecclesiæ Assuritanæ (21). *Idem dixit.* Præsto sum. *Petilianus episcopus dixit.* Noster ibi defunctus est (22) ipse dicat. *Item recitavit.* Latonius episcopus Ecclesiæ plebis Tenitanæ (23). *Idem dixit.* Præsto sum. *Securus episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Aptus episcopus plebis Tigiensis (24). *Idem dixit.* Præsto sum. Nec C habui nec habemus episcopum Donatistam. *Primianus episcopus Carthaginensis dixit.* Non illic habemus. *Item recitavit.* Assellicus episcopus Ecclesiæ Tusuritanæ (25). *Idem dixit.* Præsto sum. *Aptus episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Innocentius episcopus Ecclesiæ Germanien-

(15) *Zummensis.* In Numidia. Hujus episcopus Silvanus primas fuit Numidiæ.

(16) *Magomaziensis* seu *Macomadiensis* episcopus Numidiæ, ut patet ex cap. 182, ubi Aurelius ait se presbyterum habere in urbe Idassensi, quæ oppidum est Numidiæ. Idem constat ex Antonino et notitia episcoporum Africæ, ubi *Macomadiæ* oppidum reperitur in Numidia diversum ab urbe ejusdem nominis in Byzacena.

(17) *Libertinensis.* In provincia proconsulari. Januarius episcopus *Libertinensis* subscribit epistolæ episcoporum illius provinciæ ad Paulum patriarcham Constantinopolitanum, quæ refertur in concilio Lateranensi sub Martino. D

(18) *Vesceritanæ.* Videtur istud oppidum esse Numidiæ quod in notitia episcoporum Africæ dicitur *Berceritanus.* Conjicit Baluzius hunc Optatum eum esse ad quem scripta est Augustini epistola 190.

(19) *Tunusudensis*, in veteri codice legitur *Tunudensis*, at in cap. 201, Victorianus hujus urbis episcopus ex parte Donatistarum, nominatur episcopus *Tunusudensis.* Apud Plinium lib. v, cap. 4, inter Africana Romanorum oppida recensetur *Thunudisense*, Ptolemæo Thunusda. Apud Victorem Vitensem lib. 1, num. 13, mentio fit *Tinusadæ*, seu ut in quibusdam codicibus habetur *Tunusudæ.* Est etiam in tabulis Peutingerianis urbs *Thunu.* Quidam eam a *Timidensi provinciæ proconsularis oppido* non distinguunt, sed perperam.

(20) *Evangelus.* Interfuit conciliis habitis apud Carthaginem ann. 397 et 401. In codice canonum Ecclesiæ Africanæ can. 23 et 77.

(21) *Ecclesiæ Assuritanæ.* In provincia proconsulari. In concilio Carthaginensi sub Cypriano adfuit *Victor ab Assuris.* Exstat etiam epistola ejusdem Cypriani *Epicteto fratri et plebi apud Assuras consistenti.*

(22) *Noster ibi defunctus est.* Prætextatus qui subscripsit concilio Cabarsussitano ann. 393, et in Bagaiensi anno sequenti a sede sua dejectus est. Hunc mortuum esse paulo ante quam Augustinus scriberet libros suos contra Epistolam Parmeniani, patet ex libro III extremo. Successorem habuit Rogatum cujus meminit Augustinus lib III contra Cresconium, cap. 56, cui postea ad unitatem catholicam converso Circumcelliones manus et linguam præciderunt, ut idem narrat in libro de gestis cum Emerito num. 9.

(23) *Tenitanæ.* In provincia Byzacena, ut docet notitia episcoporum Africæ. In concilio Carthaginensi sub Cypriano inter alios subscripsit *Euchratius a Thenis. Thenas seu Thœnas* vocant Plinius, Antoninus et Anonymus Ravennas, Ptolemæus *Theœnas.*

(24) *Tigiensis* vel *Tisiensis* in Byzacena, ut docet notitia episcoporum Africæ.

(25) *Tusuritanæ.* Ex Arzugitana provincia, ut colligitur ex capite 208, quæ Tripolitanæ provinciæ pars erat, aut saltem ipsi contermina, ut patet ex cap. 49 Codicis canonum Ecclesiæ Africanæ.

Digitized by Google

sis (26). *Idem dixit.* Præsto sum, sed adversarium non habeo. *Item recitavit.* Honoratus episcopus Matharensis (27) Ecclesiæ. *Idem dixit.* Præsto sum, sed non contra me habeo episcopum. *Item recitavit.* Hilarusepiscopus Ecclesiæ Bofetanæ (28). *Idem dixit.* Præsto sum, sed non habeo mecum episcopum.

121. *Petilianus episcopus dixit.* Noster fuit. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Et nos hoc cupimus ut illum imitemini. *Item recitavit.* Secundus episcopus Ecclesiæ Ruspitensis (29). *Idem dixit.* Præsto sum, sed non habeo contra me episcopum. *Item recitavit.* Donatus episcopus Ecclesiæ Amburensis (30). *Idem dixit.* Præsto sum. *Servatus episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Cresconius episcopus Ecclesiæ Tubiniensis (31). *Idem dixit.* Præsto sum. *Protasius episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Restitutus episcopus plebis Novasinensis (32). *Idem dixit.* Præsto sum. *Felix episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Cresconius episcopus Ecclesiæ Cuiculitanæ (33). *Idem dixit.* Præsto sum. Habui contra me episcopum; exivit de corpore, *Item recitavit.* Lucianus episcopus Ecclesiæ Guirensis (34). *Idem dixit.* Præsto sum, sed alium contra me non habeo. *Item recitavit.* Tutus episcopus plebis Melzitanæ (35). *Idem dixit.* Præsto sum. Sed alium contra me non habeo. *Item recitavit.* Donatianus episcopus Ecclesiæ Teleptensis (36) *Idem dixit.* Præsto sum. *Bellicius episcopus civitatis suprascriptæ* **262** *dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Potentius episcopus plebis Bladiensis (37). *Idem dixit.* Præsto sum. *Adeodatus episcopus dixit.* Quem ibi nos habemus, oculos dolet, venire non potest. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Utrum hic sit Carthagini? *Item recitavit.* Maximianus episcopus plebis Turensis (38). *Idem dixit.* Præsto sum, sed non contra me habeo episcopum. *Adeodatus episcopus dixit.* Noster fuit. *Item recitavit.* Datianus episcopus plebis Legensis (39). *Idem dixit.* Præsto sum, sed alium contra me non habeo. *Item recitavit.* Urbicus episcopus plebis Tebestinæ (40). *Idem dixit.* Præsto sum. *Perseverantius episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Aspidius episcopus plebis Tacaratensis (41). *Idem dixit.* Præsto sum. *Verissimus episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. Quatuor sunt in plebe mea, Datianus, Aspidius, Fortunatus et Octavianus. *Item recitavit.* Terentius episcopus Seleucianensis (42). *Idem dixit.* Præsto sum. *Mescianus episcopus (civitatis suprascriptæ) dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Servus Dei episcopus plebis Tubursicuburensis (43). *Idem dixit.* Præsto sum. *Donatus episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Dialogus episcopus Zamensis (44). *Idem dixit.* Præsto sum. *Montanus episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Urbicosus episcopus plebis Egulguilitanæ (45). *Idem dixit.* Præsto sum, sed Catholica est omnis ex vetustate. *Item recitavit.* Silvanus epi-

(26) *Germaniensis.* In Numidia, ut docet notitia Africæ, diversa a *Germanitiana* quæ in Byzacena.

(27) *Matharensis.* In Numidia, ut scriptum est in eadem notitia.

(28) *Bofetanæ.* Melius *Bosetanæ*, in Numidia, cujus mentio fit in actis sancti, Mammarii et sociorum inter urbes Numidiæ prope Tigisim.

(29) *Ruspitensis* Est episcopus *Rusfensis* seu *Ruspensis* in notitia Byzacenæ; sed *Ruspinam* a *Ruspe* distinguit Ptolemæus, et utramque habent tabulæ Peutingerianæ atque anonymus Ravennas: utraque in Byzacena,

(30) *Amburensis.* In notitia Numidiæ, *Amporensis*, et sic legendum, nam infra Servatus qui hic ejusdem sedis episcopus dicitur, vocatur *Amphorensis*, in veteri exemplari.

(31) *Tubiniensis* seu *Tubuniensis* in Numidia, ut docet notitia, diversus a *Tubiensi* in Mauritania. Inter episcopos concilii Carthaginensis sub Cypriano est Nemesianus *a Tubunis.* Apud *Tubunas* colloquium habuerat Augustinus cum Bonifacio comite, qui tunc cupiebat dimissis rebus omnibus vitam monasticam amplecti. De quo Augustinus epist. 229.

(32) *Novasisnensis* seu *Nobasinensis* in Numidia, ut docet notitia.

(33) *Cuiculitanæ.* Ibid ex eadem notitia. In concilio Carthaginensi sub Cypriano, adest Pudentianus a *Cuiculi.*

(34) *Guirensis. Guira* urbs Africæ in tabulis Peutingerianis. Forte legendum *Girensis*, cujus episcopus Martialis legitur in notitia Numidiæ.

(35) *Melzitanæ. Melditæ* oppidi in Africa meminere Plinius et Ptolomeus: et locatur inter civitates Mediterraneas provinciæ proconsularis.

(36) *Teleptensis. Telepte* notissima civitas in Byzacena; nec ignobilis Donatianus hujus episcopus, qui primas fuit provinciæ, pluribusque conciliis Africanis interfuit.

(37) *Bladiensis.* Baluzius legendum esse censet *Badiensis*, et adversarium illius Potentii fuisse Pancratium *Badiensem*, qui nominatur infra cap. 180. Dativus *a* Badis interfuit concilio Carthaginensi sub Cypriano. *Badam* in Mauritania Gaditana locat anonymus Ravennas; quapropter *Badiensis* sedes potest esse diversa *a Vadensi* Numidiæ, cujus mentio fit in notitia.

(38) *Turensis* seu *Turrensis* in Byzacena, ut videre est in notitia Africæ.

(39) *Legensis.* Duplex est in notitia Numidiæ urbs hujus nominis, scilicet n. 78. *Legiensis*, et 85, *Legensis.* Pariter hic duo episcopi harum urbium, hoc scilicet in capite *Dacianus episcopus Legensis*, qui nullum habet adversarium; et cap. 187, *Cresconius episcopus Legensis Donatista.*

(40) *Tebestinæ. Tebeste* nota urbs in Numidia, de qua vide quæ diximus in not, 44, ad III Opt. p. 41.

(41) *Tacaratensis.* In Numidia, ut docet notitia, E quatuor episcopis quos Verissimus in hac diœcesi constitutos a Catholicis fuisse conqueritur. Octavianus postea dicitur Ressianensis et Fortunatus Casensis.

(42) *Seleucianensis.* Item in Numidia. Ibid.

(43) *Tubursicuburensis.* Aug. I. III contr. Cresc. *episcopus catholicus a Tubursicubure Servus nomine.* Hanc vero Ecclesiam proconsularis provinciæ fuisse probatur ex concilio Carthaginensi sub Bonifacio, cui inter cæteros hujus provinciæ episcopos adfuit *Reparatus episcopus Tubursicuburensis.*

(44) *Zamensis. Zama* urbs regia in Numidia, ut ex Ptolemæo et tabulis Peutingerianis constat.

(45) *Egulguilitanæ.* Legendum Igilgitanæ: nam *Igilgilis* oppidi in Mauritania Sitifensi mentio fit apud Ptolemæum, in Antonini Itinerario, in tabulis Peutingerianis, necnon apud anonymum Ravennatem. Ammianus Marcellinus lib. XX, cap. 5, meminit littoris Mauritaniæ Sitifensis, quod appellant incolæ *Igilgitanum.* Est et *Igilgitanus* episcopus in notitia Mauritaniæ Sitifensis.

Digitized by Google

scopus plebis Perdicensis (46). *Idem dixit.* Præsto sum. *Rogatus episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Navigius episcopus Dydritanus (47). *Idem dixit.* Præsto sum. *Honoratus episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Romanus episcopus plebis Leptiminensis (48). *Idem dixit.* Præsto sum. *Victorinus episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Rufinus episcopus plebis Drusilianensis (49). *Idem dixit.* Præsto sum. *Restitutus episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Donatus episcopus Tisilitanus (50). *Idem dixit.* Præsto sum, sed non habeo contra me alium episcopum. *Petilianus episcopus Donatista dixit.* Exivit de corpore. *Item recitavit.* Gallus episcopus Ticensis (51), *Idem dixit.* Præsto sum. *Petilianus episcopus dixit.* Non venit, litteras misit. *Item recitavit.* Donatianus episcopus Montenus (52). *Idem dixit.* Præsto sum. *Petilianus episcopus dixit.* Ægrotat. *Item recitavit.* Victorianus episcopus plebis Mustitanæ (53). *Idem dixit.* Præsto sum. Habeo Felicianum Mustitanum et Donatum Turensem (54) contra me.

122. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* De nomine Feliciani, utrum in communione sit Primiani. *Et alia manu.* Recognovi.

123. *Petilianus episcopus dixit.* Quis tibi hoc mandavit, aut ex cujus persona hoc exigis? an vis tibi imponere personam eorum qui foris sunt? *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

124. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Dictum sit ad postulata respondeat. *Et alia manu.* Recognovi.

125. *Petilianus episcopus dixit.* Hoc jam internæ actionis est. *Et alia manu.* Ut supra.

126. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Nunc cœptus ordo teneatur. De his, si visum fuerit rationabile, postea requiretur. *Item recitavit.* Victorianus episcopus plebis (Mustitanæ) pro **263** Pascasio episcopo plebis Anguiensium. (55) *Idem Pascasius dixit.* Præsto sum, unitatem habeo. *Item recitavit.* Ferox episcopus plebis Macrianensis Majoris (56). *Idem dixit.* Præsto sum, unitatem habeo. *Pomponius* (57) *episcopus loci suprascripti dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Asmunius episcopus Tigualensis (58). *Idem dixit.* Præsto sum. In diœcese mea duo sunt, Gaianus et Privatus. *Gaianus episcopus loci suprascripti dixit.* Agnosco illum. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Animadvertit nobilitas tua etiam in nostrorum diœcesi eos ordinasse episcopos. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Talia ab utrisque partibus constat objecta, [ut] si hæc vultis diligenter inquiri, ad hanc causam superfluo venisse noscemur. *Item recitavit.* Felix episcopus plebis Segermitensis (59). *Idem dixit.* Præsto sum. *Restitutus episcopus loci suprascripti dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Secundus episcopus plebis Magarmelitanæ (60). *Idem dixit.* Præsto sum. *Felix episcopus loci suprascripti dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Vincentianus episcopus plebis Feraditanæ Majo-

(46) *Perdicensis.* Antoninus in Itinerario *Perdicem* memorat inter *Zarat* et *Sitifim* XXV milliaribus passuum ab ista dissitam. In concilio Carthaginensi anni 403, adest Sylvanus Legatus provinciæ Mauritaniæ Sitifensis, qui non videtur ab isto diversus.

(47) *Dydritanus.* Legendum recte conjicit Baluzius *Thusdritanus*; nam nullibi *Dydritanæ* civitatis in Africa fit mentio, et postea cap. 206. Honoratus episcopus, qui hic dicitur adversarius Navigii episcopi *Dydritani*, vocatur *Thusdritanus.* Oppidi *Thusdritani* meminit Ptolemæus, et in Itinerario Antonini inter oppida provinciæ Byzacenæ collocatur.

(48) *Leptiminensis.* Oppidi provinciæ Byzacenæ, quod ita quoque nominatur in notitia. Ptolemæo et Antonino *Leptisminor.* Anonymo Ravennensi post Tabulas Peutingerianas *Lepte minus.* In concilio Carthaginensi sub Cypriano sententiam tulit *Demetrius a Leptiminus.* Duplicem quoque *Leptim* in Africa memorant veteres, minorem et magnam. Hæc *Leptimagnensis* dicitur in notitia, estque provinciæ Tripolitanæ.

(49) *Drusilianensis. Drusiliana* nominatur post *Tatiam* provinciæ proconsularis urbem in tabulis Peutingerianis et in anonymo Ravennate.

(50) *Tisilitanus.* Hic diversus a *Tibilitano.* Nam Donatus hujus episcopus hic ait se non habere adversarium. Et tamen cap. 197, nominatur *Simpliplicius Tibilitanus episcopus Donatista.* In concilio Carthaginensi sub Bonifacio ann. 525, adfuisse legitur *Florentius episcopus Tisiliensis.* Hunc episcopatum ad provinciam proconsularem pertinere crediderim.

(51) *Ticensis*, Tices in Getulia memorat anonymus Ravennas. *Ticenam* urbem appellat Ptolemæus. In notitia Africæ Bizacenæ mentio fit, urbis *Ticibus.* In synodica Patrum Byzacenorum in concilio Lateranensi sub Martino act. 2, subscriptiones leguntur. *Romuli episcopi civitatis Ticibus et Candidi patriæ Diceusis episcopus.* Si pro *Dicensis* legendum sit *Ticensis*, ut conjicit Baluzius, *Tice* erit diversa a *Ticibus*: quod tamen mihi non fit verisimile.

(52) *Montenus*, seu *Montensis* in Numidia episcopus ut docet notitia.

(53) *Mustitanæ. Mustitanus* episcopus legitur in notitia Numidiæ, sed erat alia *Mustis*, sita in provincia proconsulari, ut ex Antonini Itinerario colligere est. Hujus est episcopus hic Januarius, qui duos adversarios Donatistas habebat Felicianum *Mustitanum* et Donatum Turensem. Alterius vero in Numidia Donatianus episcopus erat, non Felicianus, sed Cresconius, ut legitur cap. 206. *Mustitanorum* simul et Assuritanorum mentio frequenter occurrit apud Augustinum in libris contra Donatistas. Assuritani autem ad provinciam proconsularem pertinebant.

(54) *Turensem.* Videtur is locus diversus a *Turensi* civitate Byzacenæ provinciæ. Nam vicinus erat Mustitanæ civitati, quæ erat provinciæ proconsularis.. Hujus sedis episcopus videtur esse *Samfucius*, de quo Augustinus agit epist. 34 et 83.

(55) *Anguiensium.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(56) *Macrianensis majoris.* In Byzacena, ut constat ex notitia,

(57) *Pomponius Macrianensis*, qui concilio Cabarsussitano interfuit.

(58) *Tigualensis*, seu *Ticualtensis.* In provincia Byzacena ut docet notitia, n. 95.

(59) *Segermitensis*, seu *Segermitanus* in provincia Byzacena ex notitia. In concilio Carthaginensi sub Cypriano sententiam dixit Nicomedes a *Segermis.*

(60) *Magarmelitanæ.* In notitia Numidiæ vocatur *Vagarmelitanus.* Secundus forte est qui Leporii libello subscripsit his verbis: *Secundus episcopus Ecclesiæ Aquensis sive Megarmitanæ.*

Digitized by Google

ris (61). *Idem dixit.* Præsto sum, unitatem habeo. *Item recitavit.* Placentinus episcopus plebis Madaurensis (62). *Idem dixit.* Præsto sum. *Donatus episcopus loci suprascripti dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Rusticianus episcopus plebis Tabracensis (63). *Idem dixit.* Præsto sum. *Clarentius episcopus loci suprascripti dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Octavianus episcopus plebis Ressianensis (64). *Idem dixit.* Præsto sum, unitatem habeo. *Item recitavit.* Benenatus episcopus plebis Simmittensis (65). *Idem dixit.* Præsto sum, nec habeo alium, nec hæreticos. *Petilianus episcopus dixit.* Exivit de corpore. *Item recitavit.* Timianus episcopus plebis Utmensis (66). *Idem dixit.* Præsto sum. *Petilianus episcopus dixit.* Habet Felicem, sed absens est. *Item recitavit.* Filolocius episcopus plebis Adrumetinæ (67). *Idem dixit.* Præsto sum. *Victorinus episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Adeodatus episcopus plebis Belalitensis (68). *Idem dixit.* Præsto sum, non habeo nec episcopum, nec hæreticos; unitatem habeo. *Item recitavit.* Felix episcopus plebis Visicensis (69). *Idem dixit.* Præsto sum, A episcopum contra me non habeo. *Victor episcopus civitatis Taborensis* (70) *dixit.* Proxime recessit; ego ibi intervenio. *Item recitavit.* Victor episcopus plebis Jufitensis (71). *Idem dixit.* Præsto sum, unitatem habemus. *Item recitavit.* Fuscinullus episcopus plebis Eliensis (72). *Idem dixit.* Præsto sum, non contra me habeo episcopum, *Item recitavit.* Honorius episcopus plebis Cellensis (73). *Idem dixit.* Præsto sum. *Castus episcopus dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Maximianus episcopus Aquensium Regiorum (74). *Idem dixit.* Præsto sum, in patria mea non habeo alium episcopum. *Item recitavit.* Antonius episcopus plebis Carpitanæ (75). *Idem dixit.* Præsto sum. *Veratianus episcopus dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Fortunatianus episcopus plebis Neapolitanæ B (76). *Idem dixit.* Præsto sum. *Ampelius episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Pannonius episcopus plebis Puppitanæ (77). *Idem* dixit. Præsto sum. *Victorianus episcopus civitatis supradictæ* **264** *dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Januarianus episcopus plebis Tubulbacensis (78). *Idem dixit.* Præsto sum, unitas est Catholica, non

(61) *Feraditanæ majoris. Feradimaiensis* vocatur in notitia episcoporum provinciæ Byzacenæ.

(62) *Madaurensis. Madaura* urbs Numidiæ natali Apulei et studiis Augustini illustris. Martyres *Madaurenses* vindicat sanctus Augustinus epist. 17. Antigonus episcopus *Madaurensis* adfuit concilio Carthaginensi sub Grato, et inter episcopos exules provinciæ Numidiæ Pudentii *Madaurensis* nomen exstat in notitia.

(63) *Tabracensis. Tabraca* urbs nota apud antiquos auctores inter proconsularem et Numidiam, cujus C episcopus Victoricus *a Tabraca* sententiam dixit in concilio Carthaginensi sub Cypriano. Ad provinciam proconsularem pertinebat.

(64) *Ressianensis.* In Numidia. Octavianus is unus est e quatuor episcopis, quos antea conquestus est Verissimus Tacaratensis in sua diœcesi a Catholicis constitutos.

(65) *Simmittensis.* In provincia proconsulari, ut patet ex Ptolemæo et Itinerario Antonini. In notitia provinciæ proconsularis duæ sunt sedes, quarum nomina huic vicina sunt, scilicet, num. 37, *Simminensis*, et num. 42, *Seminensis.* Benenatus episcopus, de quo hic fit mentio, unus videtur fuisse e quatuor, qui in concilio Carthaginensi ann. 410, legationem susceperunt.

(66) *Utmensis. Utimmirensis* oppidi in provincia proconsulari nomen exstat in notitia; quod forte diversum non est ab *Utmensi.*

(67) *Filolocius episc. plebis Adrumetinæ.* In concilio Carthaginensi ann. 403, dicitur *Filologius* unus D ex episcopis provinciæ Byzacenæ.

(68) *Belalitensis.* In notitia episcoporum Numidiæ est sedes *Belesasensis*, quam eamdem esse cum ista suspicatur Baluzius.

(69) *Visicensis.* In epistola episcoporum provinciæ proconsularis ad Paulum patriarcham subscribit *Valentinianus episcopus Ecclesiæ Visicensis.*

(70) *Victor episc. civitatis Taborensis.* Vicinæ civitatis episcopus Donatista cum statim dicat se post discessum episcopi Visitensis, se hujus plebis curam gerere. Hoc enim significant sequentia : *Proxime recessit*, id est, *obiit. Ego ibi intervenio*, id est, *plebem curo*, ut infra cap. 176. *Presbyterum habemus qui intervenit.* Cum ergo Visitense oppidum sit provinciæ proconsularis, ejusdem debet esse sedes *Taborensis* ac proinde a *Taborentensi* quæ in notitia Mauritaniæ Cæsareensis reperitur diversa.

(71) *Jufitensis.* Est in notitia Mauritaniæ Sitifensis Victor *Jerafitanus*, forte hic legendum *Jerafitensis.*

(72) *Eliensis.* In Byzacena, ut docet notitia. In Itinerario Antonini et apud anonymum Ravennatem est civitas *Elie.* Synodicæ episcoporum Byzacenorum ad Constantinum in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Constantinus episcopus sanctæ Ecclesiæ Heliensis,*

(73) *Cellensis.* Duæ fuere hujus nominis Ecclesiæ in Africa, una in provincia proconsulari; altera in Sitifensi. De utra intelligi debeat hic locus incertum.

(74) *Aquensium Regiorum. Aquæ Regiæ* oppidum provinciæ Byzacenæ ex tabulis Peutingerianis, Antonino et notitia. Maximianus is legatus provinciæ Byzacenæ nomine interfuit concilio Carthaginensi VII, ann. 419, sub Aurelio, ut videre est in codice canonum Eccles. Afric. can. 127, ubi dicitur *Aquensis episcopus*, et in quibusdam codicibus *Aquæ regiensis*, aut *Aquensis-regiorum.*

(75) *Carpitanæ.* Sedis in provincia proconsulari, de qua vide quæ diximus ad librum II Optati p. 42, not. 46.

(76) *Neapolitanæ.* Item in provincia proconsulari, ut docet notitia. In concilio Carthaginensi sub Cypriano adfuit *Fortunatianus Neapolitanus episcopus.* Hujus urbis meminere Hircius in libro de Bello Africano, Pomponius Mela, aliique auctores, quam Itinerarium Antonini et Peutingerianæ tabulæ mediam locant inter *Putput* et *Clypeam.* Cæterum Ptolemæus *Neapolim* coloniam appellat, liberum oppidum Plinius.

(77) *Puppitanæ.* Urbs provinciæ proconsularis, quæ *Putput* in Itinerario Antonini, *Pudput* in tabulis Peutingerianis, *Pulpu* in anonymo Ravennate, et *Pulpud* apud Cyprianum et a Tito Livio appellatur. Hujus Pannonii nomen legere est in epistola concilii Carthaginensis ad Innocentium papam, inter epistolas ultimæ editionis 175, ubi ex mss. nomen Pannonii restitutum est, cum antea perperam legeretur Pantonii. In concilio Carthaginensi ann. 525, sub Bonifacio interfuit Fortunatus episcopus plebis *Puppitanæ*, et primus omnium epistolæ synodicæ episcoporum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi recitatæ subscribit *Gulosus episcopus Puppitanus.*

(78) *Tubulbacensis.* In Byzacena, ut docet notitia.

Digitized by Google

contra me habeo episcopum in civitate mea. *Item recitavit.* Gratianus episcopus plebis Metensis (79). *Idem dixit.* Præsto sum. *Fortunatianus episcopus partis Donati civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Victor episcopus plebis Bahannensis (80). *Idem dixit.* Præsto sum, unitatem habeo. *Item recitavit.* Quodvultdeus episcopus plebis Centuriensis (81). *Idem dixit.* Præsto sum. *Cresconius episcopus partis Donati civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Fortunatus episcopus plebis Capsensis (82). *Idem dixit.* Præsto sum. *Celer episcopus partis Donati civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Cresconius episcopus plebis Temonianensis (83). *Idem dixit.* Præsto sum : ibi in eodem loco ubi ago non contra me habeo episcopum [*Item recitavit*]. Montanus episcopus Ecclesiæ catholicæ Auguritanæ (84). *Idem dixit.* Præsto sum, unitatem habeo. *Item recitavit.* Jocundus episcopus plebis Sufetulensis (85). *Idem dixit.* Præsto sum. *Titianus episcopus partis Donati civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Victor episcopus plebis Bartanensis (86). *Idem dixit.* Præsto sum. *Honorius episcopus partis Donati civitatis suprascriptæ dixit.* In mala quæ fecit mihi modo illum didici. *Item recitavit.* Victor episcopus Cullitanus (87). *Idem dixit.* Præsto sum. *Fidentius episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Palatinus episcopus Bosetensis (88). *Idem dixit.* Præsto sum. *Felix episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Quodvultdeus episcopus Girbitanus (89). *Idem dixit.* Præsto sum. *Evasius episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Silvanus episcopus Carianensis (90). *Idem dixit.* Præsto sum, unitas est illic. *Item recitavit.* Æmilianus episcopus Aggeritanus (91). *Idem dixit.* Præsto sum. *Candorius episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Privatus episcopus plebis Usilensis (92). *Idem dixit.* Præsto sum, non contra me habeo episcopum. [*Petilianus episcopus*

(79) *Metensis.* In provincia Numidiæ, ut videre est in eadem notitia.

(80) *Bahannensis.* Est in notitia provinciæ Byzacenæ *Boanensis* sedes, et epistolæ episcoporum hujus provinciæ ad Constantinum in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Januarius episcopus Banensis.*

(81) *Centuriensis.* In Numidia, ut docet notitia, et Procopius, lib. II de Bello Vandalico mentionem facit Castelli cujusdam cui *Centuriæ* nomen erat in Numidia. De hoc ipso *Quodvultdeo episcopo Centuriensi* actum est in concilio Milevitano anni 402, Cod. Afric. can. 87, quo statuitur ut nullus cum eo communicet, donec causa ejus fuerit terminata, quia noluerat cum adversario suo contendere in episcoporum judicio.

(82) *Capsensis. Capsa* urbs provinciæ Byzacenæ. Hujus plerique veteres meminere. *Donatulus a Capse* subscribit concilio Carthaginensi sub Cypriano qui mentionem etiam facit *Capsensis* civitatis epist. 56. In notitia provinciæ Byzacenæ, num. 60, occurrit *sedes Capsensis.* Ptolemæus *Capsam* inter urbes sub Adrumeto constitutas recenset. In ea Jugurthæ regis thesauri asservabantur, teste Strabone, lib. XVII. De hac urbe Sallustius lib. de bello Jugurthino : *Erat inter ingentes solitudines oppidum magnum atque valens nomine Capsa.* Ipsius excidium postea describit, sicut et Florus, lib. III, cap. 1. Plinius vero, lib. V, cap. 4 : *Capsitanos* memorat inter eos qui *non civitates tantum, sed pleræque etiam nationes jure dici possunt. Capsam* coloniam habent tabulæ Peutingerianæ.

(83) *Temonianensis.* Sedes provinciæ Byzacenæ, ut docet notitia ; in qua tamen legitur *Themoniarensis.* In synodica episcoporum provinciæ Byzacenæ ad Constantinum inter episcopos reperitur *Victorinus Themunianensis.* Cresconius de quo hic fit mentio, eligitur legatus provinciæ Byzacenæ, can. 127 Cod. Afric.

(84) *Auguritanæ.* In Numidia, ut patet ex notitia. Antea male legebatur *Cathauguritensis.*

(85) *Jocundus episcopus plebis Sufetulensis.* In provincia Byzacena, qui concilio Carthaginensi an. 419 interfuit. Privatianus *a Sufetula* sedit in concilio Carthaginensi sub Cypriano. Præsidius *Sufetulensis* nominatur in notitia episcoporum provinciæ Byzacenæ, et celebratur a Victore Vitensi, Historiæ Vandalicæ lib. II.

(86) *Bartanensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(87) *Cullitanus.* Forte *Cululitanus,* qui inter episcopos provinciæ Byzacenæ refertur in notitia, num. 56. *Cululim* recenset Procopius, lib. VI de ædificiis Justiniani inter urbes Mediterraneas Byzacenæ, quas hic imperator adversus Mauros munierat.

(88) *Bosetensis.* Erat hujus nominis episcopatus in provincia proconsulari non secus ac in Numidia. Nam in epistola episcoporum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino legitur subscriptio Crescituri episcopi Ecclesiæ *Busitanæ,* seu ut habet cod. ms. Bellovacensis *Bositanæ.* Felix hujus adversarius appellatur infra cap. 202, *Vosetanus.*

(89) *Girbitanus.* Ita emendavit Baluzius, nam in ms. codice legitur *Givit.* In concilio Carthaginensi sub Cypriano sententiam dixit Monnulus *a Girba.* In concilio Cabarsussitano Proculus *Girbitanus* episcopus. Evasius qui hic dicitur adversarius Quodvultdei cap. 199, appellatur *episcopus Girbitanus.* In concilio Carthaginensi sub Bonifacio an. 525, adfuit Vincentius episcopus plebis *Gervitanæ* seu *Girbitanæ* provinciæ Tripolitanæ legatus. In notitia hujus provinciæ episcopus est *Girbitanus ;* necnon in notitia imperii sect. 42, memoratur procurator Baphii *Girbitani* provinciæ Tripolitanæ.

(90) *Carianensis.* Seu *Casularum Carianensium.* Oppidi provinciæ Byzacenæ.

(91) *Aggeritanus.* In notitia provinciæ Byzacenæ duplex sedes *Aggaritana,* scilicet n. 29 et num. 108, alterutrius erat Æmilianus episcopus.

(92) *Usilensis.* In notitia provinciæ Byzacenæ *Usulensis.* In concilio Carthaginensi sub Grato adest Cassianus *Usulensis,* et Theodorus *Usulensis* notus Donatista concilio Cabarsussitano subscripsit : quamquam in codice ms. bibliothecæ Colbertinæ legitur *Uculensis,* quæ urbs est provinciæ proconsularis ab *Usulensi* diversa, et cujus episcopus erat Cericius, de quo infra cap. 128. In epistola synodica episcoporum Byzacenorum subscribit *Laurentius episcopus civitatis Usilabis :* Et in epistola episcoporum provinciæ proconsularis *Cresconius episcopus Ecclesiæ Uculensis.* Οὐσίλλα a Ptolemæo memoratur. Antoninus inter Tusdrum et Thenas *Usulam* civitatem locat. *Usila* dicitur ab anonymo Ravennensi, et in tabulis Peutingerianis *Usilla.*

Digitized by Google

dixit.] Presbyterum illic habet. *Item recitavit.* Maius episcopus plebis Amudarsensis (93). *Idem dixit.* Præsto sum, in patria mea Catholica est. *Item recitavit.* Victor episcopus plebis Uvazensis (94). *Idem dixit.* Præsto sum. *Secundinus episcopus plebis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Cresconius episcopus plebis Tituli (95). *Idem dixit.* Præsto sum. *Victor episcopus loci suprascripti dixit,* Agnosco illum. *Item recitavit.* Milicus episcopus plebis Tagamutensis (96). *Idem dixit.* Præsto sum; omnes Catholici sunt. *Item recitavit.* Speratus episcopus plebis Ammederensis (97). *Idem dixit.* Præsto sum. *Crescentianus episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Aurelius episcopus plebis Numnulitanæ (98). *Idem dixit* Præsto

285 sum, non habeo contra me episcopum. *Habetdeus diaconus episcopi Primiani Carthaginensis dixit.* Exivit de corpore. *Item recitavit.* Venustus episcopus plebis Turudensis (99). *Idem dixit.* Præsto sum. *Adeodatus episcopus dixit.* Non ibi habemus. *Item recitavit.* Honoratus episcopus Abiddensis (100). *Idem dixit.* Præsto sum, episcopum contra me non habeo ibi. *Item recitavit.* Gududus episcopus Ancusensis (101). *Idem dixit.* Præsto sum. *Donatus episcopus ejusdem loci dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Sabratius episcopus plebis Turretamallumensis (102). *Idem dixit.* Præsto sum. *Jurata episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Fortunatus episcopus Ecclesiæ Undesitanæ (103). *Idem dixit.* Præsto sum. *Cresconius episcopus* [*loci suprascripti*] *dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Severus episcopus plebis Utimari (104). *Idem dixit.* Præsto sum, unitas est illic. *Item recitavit.* Pascasius episcopus plebis Tijucensis (105). *Idem dixit.* Præsto sum, sed unitas est illic. *Item recitavit.* Valerius episcopus plebis Utinisensis (106). *Idem dixit.* Præsto sum, episcopum non habeo. *Habetdeus diaconus dixit.* Fuit illic, exivit de corpore. *Item recitavit.* Urbanus episcopus plebis Theodalensis (107). *Idem dixit.* Præsto sum. Catholica unitas est. *Item recitavit.* Victor episcopus plebis Migirpensis (108). *Idem dixit.* Præsto sum. *Gloriosus episcopus loci supradicti dixit.* Agnosco illum.

127. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Cum episcoporum sit petita collatio, miramur nescio qua impudentia præsentem diaconum (109) episcopi personam velle suscipere, et collationem quam Deo favente cœpimus inchoare, studio contentionis perturbare. Unde cohibeat se a tali actione: quia non decet rebus seriis non necessaria commiscere. *Et alia manu.* Recognovi.

128. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius*

(93) *Amudarsensis. Amudarsa*, seu *Amurdasa*, urbs provinciæ Byzacenæ apud Ptolemæum et in itinerario Antonini. In notitia ejusdem provinciæ exstat Liberatus *Amudarsensis.*

(94) *Uvazensis.* In provincia proconsulari. Nam Ptolemæus, lib. IV, cap. 3, inter civitatem Thabraca et Bagradam fluvium memorat *Vaznam* civitatem, quæ videtur propterea sita fuisse in limite proconsularis versus Numidiam. Ita Baluzius.

(95) *Tituli.* In provincia proconsulari est episcopus *Titulitanus.*

(96) *Tagamutensis.* In provincia Byzacena, ut constat ex notitia num. 19.

(97) *Ammederensis. Ammædaram* vocat Ptolemæus, eamque locat post Siccam Veneriam, Assuram, Naraggaram, et Madauram, hoc est in limite provinciæ proconsularis et Numidiæ. Itinerarium Antonini *Ammederam* locat inter urbes Numidiæ.

(98) *Numnulitanæ.* In proconsulari, ut patet ex epistola episcoporum illius provinciæ in concilio Lateranensi in qua subscribit *Donatianus episcopus Ecclesiæ Numnulitanæ.*

(99) *Turudensis.* Forte *Turusensis* in proconsulari provincia.

(100) *Abiddensis.* In proconsulari ubi erat oppidum *Abitta*, testibus Ptolemæo, et Antonini Itinerario. In concilio Cabarsussitano subscribit *Tertullus episcopus Abittensis.* Erat et in Mauritania Cæsareensi *Bidensis*, seu *Biddensis* episcopus; atque etiam *Itensis.* Forte ad alterutrum revocari posset.

(101) *Ancusensis.* In provincia Byzacena. In veteri codice perperam hic *Anusiensis* legitur; nam Donatus Gududi adversarius, cap. 207, *Ancusensis* episcopus dicitur: ut recte observavit Baluzius.

(102) *Turretamallumensis.* Duæ erant in Africa urbes dictæ *Tamalluma*, ut ex notitia constat; una in provincia Byzacena, altera in Mauritania Sitifensi. Illa *Turretamallumensis* dicitur. *Tamallumensis Ecclesiæ plebes invaserat Vincentius Girbitanus* ex concilio Juncensi. Ex quo colligitur hanc urbem in extremis Byzacenæ partibus fuisse sitam versus Tripolitanam, ad quam *Girba* pertinebat. In Itinerario Antonini collocatur *Turristamalleni* in limite Tripolitanæ. In concilio Lateranensi sub Martino, act. 2, epistolæ Byzacenorum subscribit *Pentasius episcopus sanctæ Ecclesiæ Turriumtamulus*, seu *Turrium-Tamal* ex codice Bellovacensi.

(103) *Undesitanæ.* Legendum *Vadesitanæ*, ut monet Baluzius. Nam postea Cresconius Fortunati adversarius vocatur *Baiesitanus*, cap. 201, et sane in notitia episcoporum Africæ nullus *Undesitanus*, sed *Vadesitanus* inter Numidas occurrit.

(104) *Utimari.* Est in provinciæ proconsularis notitia episcopus *Utimmirensis*, sed hujus sedis episcopum fuisse statuimus *Timianum Utmensem*, de quo supra.

(105) *Tijucensis.* Hujus sedis nomen in notitia non comparet. Nam quod Baluzius *Tisiensem* Byzacenæ putat esse, non advertit supra se Aptum episcopum plebis *Tigiensis* huic sedi adscripsisse. Ego existimarem *Tysicense* oppidum, quod Augustinus in proconsulari situm esse docet, et cui Novellum episcopum præfuisse tempore Cæciliani, ait, diversum fuisse a *Tisiensi*, idemque cum *Tijucensi*, de quo agimus.

(106) *Utinisensis.* Forte *Tinnisensis* in provincia proconsulari.

(107) *Theodalensis.* In provincia proconsulari *Theudalen* urbem fuisse constat ex Ptolemæo, lib. IV, cap. 3, et Plinio, lib. V, cap. 4. Victor Vitensis, lib. I num. 7, laudat Habetdeum episcopum *Theudalensem* a Genserico relegatum. *Theudalensem* pro *Eudalensi* in notitia provinciæ proconsularis legendum censent Baluzius et Harduinus.

(108) *Migirpensis.* In provincia proconsulari. In concilio Carthaginensi sub Cypriano subscribit *Felix primus a Migirpa*, et in notitia episcoporum provinciæ proconsularis *Migirpensis* occurrit. In concilio Carthaginensi anni 397, interfuit *Tutus episcopus Migirpensis.*

(109). *Præsentem Diaconum.* Habetdeum Primiani Carthaginensis diaconum, cujus exstant plurimæ interlocutiones in his gestis.

Digitized by Google

dixit. Superflua prosequitur sanctitas tua, cum constet præsentem ad id fuisse delectum, ut cognosceret singulos, non ut studium disputationis arriperet. *Item recitavit.* Lucianus episcopus plebis Tuneiensis (110) [*Idem dixit.*] Præsto sum, unitas est illic. *Item recitavit.* Donatus episcopus plebis Saiensis (111). *Idem dixit.* Præsto sum unitas est illic. *Item recitavit.* Rufinianus episcopus plebis Muzuensis (112). *Idem dixit.* Præsto sum; omnis Catholica est. *Item recitavit.* Victor episcopus plebis Trisipensis (113). *Idem dixit.* Præsto sum. *Felicianus episcopus* [*loci suprascripti*] *dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Adeodatus episcopus plebis Bencennensis (114). *Idem dixit.* Præsto sum. Catholica est ab origine. *Item recitavit.* Faustinus episcopus plebis Sillitanæ (115). *Idem dixit.* Præsto sum. *Possidonius episcopus loci suprascripti dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Felix episcopus plebis Aptugnitanæ (116). *Idem dixit.* Præsto sum, Catholica est omnis. *Item recitavit.* Geta episcopus plebis Jubaltianensis (117). *Idem dixit.* Præsto sum. Non habeo contra [me] alium. *Item recitavit.* Januarius episcopus plebis Cenculianensis (118). *Idem dixit.* Præsto sum, non est illic episcopus alius, Catholica est. *Item recitavit.* Julianus episcopus plebis **266** Tasfaltensis (119). *Idem dixit.* Præsto sum; unitas est, Catholica est omnis illic. *Adeodatus episcopus dixit.* Annus est ex quo mortuus est. *Item recitavit.* Crescentianus episcopus plebis Arenensis (120). *Idem dixit.* Præsto sum, unitas est apud me. *Item recitavit.* Licentius episcopus plebis Zattarensis (121). *Idem dixit.* Præsto sum; Catholica est ibi. *Item recitavit.* Malcus episcopus plebis Masculitanæ (122). *Idem dixit.* Præsto sum. *Vitalis episcopus loci suprascripti dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Marianus episcopus plebis Rufinianensis (123). *Idem dixit.* Præsto sum; unitatem Catholicæ habet. *Item recitavit.* Tertiolus episcopus plebis Cillitanæ (124). *Idem dixit.* Præsto sum. *Donatus episcopus loci suprascripti dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Sopater episcopus plebis Tambaiensis (125). *Idem dixit.* Præsto sum. *Faustinus episcopus loci suprascripti dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Paulus

(110) *Tuneiensis.* *Tunes* celebris est apud Polybium; hujus situm sic describit: *Tunes Carthagine abest stadia ferme* 120, *ex omni ferme parte Carthaginis potest conspici.* Nunc *Tunis.* In concilio V generali Sextilianus *Tuneiensis*, seu *Tuniensis* episcopus vices agit Primosi episcopi Carthaginis.

(111) *Saiensis.* Holstenius pro *Saiensi* legendum putat *Salditanum* qui ad Mauritaniam Sitifensem pertineret: Baluzius *Suensem*, cujus sedis episcopum subscripsisse legimus in epistola episcoporum provinciæ proconsularis ad Paulum patriarcham in concilio Lateranensi sub Martino.

(112) *Rufinianus*, etc., *Muzuensis.* Is interfuit concilio Carthaginensi sub Aurelio, ann. 419, ubi varie sedis ejus nomen refertur. Nam in Labbæana editione, tom. II, Concil., col. 1603 et 1605, dicitur *Rufinianus Muzutensis*, seu *Mustensis;* et col. 1670, *Rufinus episcopus Mazensis.* In Cod. Can. Eccles. Afric. can. 127, dicitur *Muzucensis* et inter legatos provinciæ proconsularis ponitur. At *Muzuca* ad Byzacenam pertinebat. Quare rectius in Græco tum hic, tum in subscriptionibus Μουζουενσιανὸς appellatur; quod concinit cum collatione et notitia.

(113) *Trisipensis.* Hujus sedis non alibi fit mentio quam in epistola episcoporum provinciæ proconsularis ad Paulum patriarcham Constantinopolitanum in concilio Lateranensi, ubi legitur subscripsisse *Felix Episcopus sanctæ Ecclesiæ Trisipellis*, aut ut in ms. codice Bellovacensi *Trisipelis.*

(114) *Bencennensis.* Forte legendum *Beneventensis* seu *Benentensis*, quæ sedes est in provincia proconsulari. In concilii Arelatensis anni 314 subscriptionibus legitur inter episcopos Afros, *Anastasius episcopus de civitate Beneventina.*

(115) *Sillitanæ.* In provincia Numidiæ, ut docet notitia num. 54.

(116) *Aptugnitanæ.* Ita legitur ubique apud Augustinum. Apud Optatum et in actis purgationis *Autumnitanæ*, vulgo *Aptungitanæ.*

(117) *Jubaltianensis.* In provincia Byzacena, ut docet notitia. Qui nominatur hic ejus episcopus *Geta*, adfuit concilio Carthaginensi anno 403, ut refertur in codice can. Ecclesiæ Africanæ can. 90. Ejusdem sedis fuisse videtur episcopus Restitutus, qui in epistola episcoporum provinciæ Byzacenæ dicitur *Jubedidiensis*, seu ut habet exemplar Bellovacense *Jubalidiensis episcopus.*

(118) *Cenculianensis* seu potius *Cunculianensis* in notitia provinciæ Byzacenæ.

(119) *Tasfaltensis.* In notitia ejusdem provinciæ, *Tasbaltensis.* In concilio Carthaginensi sub Cypriano sententiam dixit *Adelfius a Thasbalte*, seu ut in nonnullis habetur codicibus, *a Thasvalte.* Antoninus in Itinerario *Taballam* memorat inter urbes Byzacenæ. Concilio Cabarsussitano ann. 393 inter episcopos Donatistas subscribit *Innocentius Thebaltensis.* Illic forte est de quo dicitur hoc loco: *Annus est ex quo mortuus est.*

(120) *Arenensis.* Cujus provinciæ sit incertum.

(121) *Zattarensis. Zattara* urbs Numidiæ notissima. Ex episcopis quatuor qui fidei professionis libellum Hunerico regi obtulere, unus fuit *Januarius Zattarensis*, ut testatur Victor Vitensis, lib. III, *Felix Zattarensis* episcopus legatus Numidiæ interfuit concilio Carthaginensi sub Bonifacio ann. 525, et alteri sub Reparato ann. 534. Habemus etiam *Cresconium episcopum Zattarensem* provinciæ Numidiæ, qui adfuit concilio V generali. In notitia episcoporum qui Carthaginem venerunt anno sexto regis Hunerici inter Numidas recensetur *Januarius Jacterensis;* sed utrum is a *Zattarensi Januario* de quo supra, diversus fuerit, incertum.

(122) *Masculitanæ.* Numidiæ urbis de qua vide notam 48 ad l. I Optati, p. 15.

(123) *Rufinianensis.* In provincia Byzacena, ut docet notitia.

(124) *Cillitanæ.* In eadem provincia ex eadem notitia.

(125). *Tambaiensis.* Civitatis provinciæ Byzacenæ, de qua mentionem facit Victor Vitensis, lib. V de persecutione Vandalic. In concilio Carthaginensi sub Cypriano adfuit *Secundianus a Tambœis;* et inter episcopos Donatistas, cap. 44, subscribit *Gemelius episcopus a Tambeis.* Inter episcopos provinciæ Byzacenæ in notitia memoratur *Tambeitanus.* Antea legebatur *Tambalensis*, sed emendatum est a Baluzio *Tambaiensis;* quia cum infra nominatur Faustinus Sopatris hujus adversarius, *Tambaiensis* dicitur.

Digitized by Google

episcopus plebis Uzittarensis (126). *Idem dixit.* Præsto sum, non habeo ex illa parte. *Habetdeus diaconus dixit.* Exivit de corpore. *Item recitavit.* Januarius episcopus plebis Aptucensis (127). *Dominicus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Hic est, commotus est corporis infirmitate. *Item recitavit.* Victor episcopus Ecclesiæ Uticensis (128). *Idem dixit.* Præsto sum. *Gedulus episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Qui supra pro Cericio (129) episcopo plebis Uculensis (130). *Quo accedente, idem dixit.* Præsto sum; omnis Catholica est. *Item recitavit.* Basilius episcopus plebis Altiburitanæ (131). *Idem dixit.* Præsto sum. *Augustialis episcopus* [*loci suprascripti*] *dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Victor episcopus plebis Vinensis (132). *Idem dixit.* Præsto sum. *Habetdeus diaconus dixit.* Non habemus, exivit de corpore ante annos quinque. *Item recitavit.* Fructuosus episcopus plebis Abziritensis (133). *Vincentius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Hic est Carthagini, sensit sibi (134). *Adeodatus episcopus dixit.* Diœcesis est Feliciani Utinensis (135), Presbyterum ibi habet. *Item recitavit.* Publianus episcopus plebis Bazaridid acensis (136). *Idem dixit.* Præsto sum, unitas est. *Item recitavit.* Cassianus episcopus plebis Bamaccorensis (137). *Idem dixit.* Præsto sum. *Donatus episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum; presbyter meus fuit. *Item recitavit.* Cresconius episcopus plebis Zaraitensis (138). *Idem dixit.* Præsto sum. *Rogatus episcopus loci suprascripti dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Felix episcopus Villaregensis (139). *Idem dixit.* Præsto sum, non habeo contra me episcopum. Modo exivit de corpore. *Victor episcopus* [*loci suprascripti*] *dixit.* Constat me modo fuisse ordinatum. *Item recitavit.* Primulus episcopus plebis Tamagristensis (140). *Idem dixit.* Præsto sum. *Saturnius episcopus civitatis suprascriptæ dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Adeodatus episcopus plebis Satafensis (141). *Idem dixit.* Præsto sum. *Urbanus episcopus loci suprascripti dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Faustinianus episcopus plebis Tamogadensis (142). *Idem dixit.* Præsto sum. *Gaudentius episcopus loci suprascripti dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Avitus episcopus plebis Lamasuensis (143). *Idem dixit.* Præsto sum. *Januarius episcopus civitatis Non habemus, exivit de corpore ante annos quinque.*

(126) *Uzittarensis.* Est in notitia provinciæ proconsularis episcopus *Usitensis*, quam sedem eamdem putat esse Baluzius cum ista. *Usitæ* in Africa meminit Hirtius in libro de Bello Africano, sed hæc sita erat in provincia Byzacena, ut post Norisium, observat Theodericus Ruinart; nam dicitur illa ab Hirtio a portu Leptis parvæ millia sex passuum abfuisse. Leptis autem erat in Byzacena supra Adrumetum versus Tripolim millia passuum decem et octo, ut testatur Antoninus in itinerario, proindeque longius a provincia proconsulari dissita, quam ut ei attribui posset. Huic etiam sententiæ favet Ptolemæus, qui libro IV, cap. 3, inter urbes quæ sub Adrumeto erant *Usitam* commemorat.

(127) *Aptucensis.* Cave ne *Aptucam* confundas cum *Aptunga* provinciæ proconsularis urbe. Ubi sita fuerit *Aptuca*, incertum.

(128) *Uticensis.* Urbs notissima provinciæ proconsularis, et Catonis morte nobilitata, ut observant Pomponius Mela et Plinius.

(129) *Qui supra pro Cericio.* Antea legebatur: *Item recitavit qui supra. Procericio episcopus plebis Uculensis.* Sed hunc locum emendavit Baluzius et recte. Sensus est, episcopus Catholicus qui modo subscripserat, nempe Victor Uticensis, pro Cericio episcopo plebis Uculensis tunc absente, etiam subscripserat: sed tunc præsens Cericius subscriptionem approbat et respondet.

(130) *Uculensis*, diversus ab *Uzulensi*, de quo supra, cap. 126, provinciæ proconsularis fuisse colligitur ex epistola episcoporum hujus provinciæ in concilio Lateranensi sub Martino, cui *Cresconius episcopus Ecclesiæ Uculensis* subscripsisse legitur.

(131) *Altiburitanæ* seu *Altuburitanæ* in provincia proconsulari, ut docet notitia. *Victor episcopus Altiburitanus* concilio Cabarsussitano interfuit, et *Constantinus episcopus Ecclesiæ Altoburitanæ* synodicæ Patrum proconsularium subscripsit in concilio Lateranensi sub Martino.

(132) *Vinensis.* In eadem provincia proconsulari, ut patet ex eadem epistola synodica, cui subscripsit *Fructuosus Vinensis episcopus.* Inter episcopos concilii Cabarsussitani reperitur *Faustinus episcopus Binensis* Donatista, quem eum esse existimat Baluzius, de quo hic dicit Habetdeus diaconus:

(133) *Abziritensis* seu *Abziritanus*, vel *Abderitanus.* Nam Victor episcopus qui interfuit concilio Carthaginensi ann. 397, in vulgatis *Abderitanus* episcopus, in vetustissimo codice ms. bibliothecæ Colbertinæ, dicitur *Abziritanus.* Forte hujus sedis episcopus est *Victorianus Auziritanus*, qui subscripsit epistolæ synodicæ Patrum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino. Cave tamen ne eam sedem cum *Abaritana*, quæ secunda est in notitia provinciæ proconsularis confundas.

(134) *Sensit sibi.* Mendosus locus ex quo tamen colligi potest, Fructuosum male se habuisse.

(135) *Utinensis.* In provincia proconsulari. Hujus *Feliciani* fit etiam mentio cap. 133 et 187.

(136) *Bazaridid acensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(137) *Bamaccorensis.* In notitia Numidiæ corrupte legitur *Damatcorensis.* Hic in veteri libro *Vamaccorensis*; at cap. 187, *Bamaccorensis.* Plinius, lib. v, cap. 4, memorat in Africa civitatem *Vamacures.* In concilio Carthaginensi sub Cypriano occurrit. *Felix ab Amaccura* aut *Amachorra*, pro quo legendum conjiciunt eruditi a *Bamaccura.*

(138) *Zaraitensis* seu *Zarattensis* in Numidia, ut docet notitia.

(139) *Villaregensis.* Male in notitia Numidiæ *Villadegensis.* Cap. 48 et 77. Cod. Can. Eccl. Afr. *Cresconius Villaregensis* in Numidia episcopus reprehenditur, quod propria sede relicta Tubiensem Ecclesiam invasisset. *Candidum Villaregiensem episcopum*, cui ex Donatista facto Catholico honor episcopalis servatus est, laudat Augustinus, lib. II contra Cresconium, c. 10.

(140) *Tamagristensis.* In Mauritania Sitifensi, ut docet notitia.

(141) *Satafensis.* Ibidem est *Satafensis* in Sitifensi, num. 6, et in Cæsareensi, num 116. Alterutrius sedis fuerunt episcopi, quorum hic fit mentio.

(142) *Tamogadensis* seu *Tamugadensis* in Numidia. De qua vide notam Baluzii ad acta purgationis Cæciliani, supra, p. 171.

(143) *Lamasuensis.* Item in Numidia, ut docet eadem notitia. Dicitur postea Januarius adversarius Aviti, cap. 187. *Lamasbensis*, et in concilio Carthaginensi sub Cypriano sententiam dixit *Pusillus a La-*

Digitized by Google

suprascriptæ dixit. Agnosco illum. *Item recitavit.* Sextilius episcopus plebis Assabensis (144). *Idem dixit.* Præsto sum. *Marcianus episcopus* [*loci suprascripti*] *dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Marcianus episcopus Idicrensis (145). *Idem dixit.* Præsto sum. *Martialis episcopus dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Crispulus episcopus Ecclesiæ Volitanæ (146). *Idem dixit.* Præsto sum. *Quodvultdeus episcopus dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Germanus episcopus Gypsariensis (147). *Idem dixit.* Præsto sum. *Fidentinus episcopus dixit.* Agnosco illum. [*Item recitavit.*] Rogatus episcopus Gaguaritanus (148). *Idem dixit.* Præsto sum, unitatem habet. *Adeodatus episcopus dixit.* Noster fuit, a nobis illo transiit. *Item recitavit.* Quadratus episcopus plebis Gegitanæ (149). *Idem dixit.* Præsto sum, numquam ibi fuit episcopus. *Item recitavit.* Gregorius episcopus Tamallensis (150). *Idem dixit.* Præsto sum. *Lucius episcopus dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Lucius episcopus civitatis Tagaratensis (151). *Idem dixit.* Præsto sum. *Quintus episcopus dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Felicianus episcopus plebis Cufrutensis (152). *Idem dixit.* Præsto sum, episcopum alium non habeo.

129. *Primianus episcopus dixit.* Ille qui fuit damnatus est a nobis et ab illis; cum scirent illum reum, et ipsi confirmaverunt; adhuc alter non est ordinatus. *Et alia manu.* Primianus episcopus recognovi. *Item recitavit.* Bonifacius episcopus Cenensis (153). *Idem dixit.* Præsto sum. *Vindemius episcopus dixit.* Agnosco illum. *Item recitavit.* Adeodatus episcopus plebis Bazaritanæ (154). *Idem dixit.* Præsto sum. Est quidem in corpore constitutus Calipotius; sed cum videret universum populum ad Ecclesiam catholicam fuisse conversum, discessit. *Item recitavit.* Niventius episcopus Tunugabensis (155). *Idem dixit.* Præsto sum. Non ibi habeo contra me episcopum.

130. *Primianus episcopus dixit.* Damnatus est in causa adulterii; tamen illic fuit usque ad annum præsentem. *Item recitavit.* Sabinus episcopus Tuccensis (156). *Idem dixit.* Præsto sum. *Adeodatus episcopus dixit.* In diœcesi mea est ordinatus, ex presbyterio meo est. *Sabinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Cum sæpe a civibus meis peterer ut eos in communionem Ecclesiæ catholicæ suscepissem, rogaverunt eam ut eis episcopus daretur. Petierunt me, et ordinatus sum. *Adeodatus episcopus dixit.* Quem habuit decessorem? Edicat in cujus locum successit.

131. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Constat non ibi fuisse Catholicam? *Adeodatus episcopus dixit.* Non. *Item recitavit.* Marianus episcopus Utzipparitanorum (157). *Idem dixit.* Præsto sum, numquam ibi habui alium. *Item recitavit.* Victorius episcopus plebis Larensis (158). *Idem dixit.* Præsto sum. *Honoratus episcopus dixit.* Agnosco illum.

132. *Hilarus exceptor dixit.* Quoniam codices implevimus, et alii nobis subrogandi sunt exceptores, jubeat nobilitas tua e corpore nostro alios subrogari, nobis custodibus datis. *Vitalius notarius Ecclesiæ catholicæ dixit.* Hoc et ego suggero, quod et exceptor nobilitati tuæ. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Dentur nunc notariis qui codices se implesse confirmant, et exceptoribus ab utraque parte custodes. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Carthaginensis dixit.* Jam nos delegisse custodes, mandato ipso narravimus. Ex ipsis etiam duos offerimus custodes. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Eo-

masba. Ita etiam appellatur hocce oppidum in Antonini Itinerario; in tabulis Peutingerianis, *Lamasbua.*

(144) *Assabensis*, seu potius *Assafensis* in Sitifensi, ut docet notitia.

(145) *Idicrensis.* In Numidia. Vide notam 49 in in librum II Optati, p. 42.

(146) *Volitanæ.* Ptolemæus, inter alias urbes quas lib. IV, cap. 3, sub Carthagine fuisse commemorat, *Vol* secundam recenset. In notitia provinciæ proconsularis, *Bolitanus* dicitur ejus episcopus, et Paulinus in vita Ambrosii *Muranum episcopum Bolitanum* laudat. Exstat sermo Augustini 13, de verbis apostoli habitus in die natali *Bolitanorum Martyrum*; et *sanctorum Volitanorum* memoria celebratur in Carthaginensi calendario die XVI kalendas Novembris.

(147) *Gypsariensis.* In Mauritania Cæsareensi, ut colligi potest ex Ptolemæo, lib. IV, cap. 14. At in Tabulis Peutingerianis, et in Anonymo Ravennate *Gypsaria* collocatur inter oppida provinciæ Byzacenæ.

(148) *Gaguaritanus.* In notitia provinciæ Byzacenæ dicitur *Gauvaritanus.*

(149) *Gegitanæ. Gegitanus* episcopus legitur in notitia Mauritaniæ Sitifensis. Hic potius designatur, quam *Ziggensis* quæ in proconsulari.

(150) *Tamallensis.* Hæc est *Tamalluma* Mauritaniæ Sitifensis.

(151) *Tagaratensis.* In provincia proconsulari, ut docet notitia.

(152) *Cufrutensis.* In provincia Byzacena, ut docet notitia. Iste *Felicianus* adfuit concilio Carthaginensi ann. 403, et ibi quoque dicitur *Cufrutensis episcopus.*

(153) *Cenensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(154) *Bazaritanæ.* In Numidia, ut docet notitia. Calipotius hujus adversarius infra, cap. 188, dicitur *Calipodius episcopus Vazaritanus.*

(155) *Tunugabensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(156) *Tuccensis.* Non *Tuccæ* in Sitifensi, neque *Tuccæ* in Byzacena, sed oppidi cujusdam hujus nominis antea diœceseos Milevitanæ, ut patet ex sequentibus.

(157) *Utzipparitanorum.* In provincia proconsulari, ut docet notitia; quæ *Uzipparitanum* habet episcopum. Is *Marianus* concilio Carthaginensi ann. 419, postea interfuit.

(158) *Larensis.* In provincia proconsulari. Hujus meminit Victor Vitensis, lib. II Hist. Vandal., num. 6. In concilio Carthaginensi sub Cypriano sententiam dixit *Hortensianus a Laribus.* Adfuit concilio Carthaginensi ann. 525, sub Bonifacio, *Vitulus episcopus plebis Larensis.* Erat in Mauritania Cæsareensi *Lar* castellum, ut docent Itinerarium Antonini et anonymus Ravennas, sed diversum a *Larensi oppido*, de quo fit mentio apud Victorem Vitensem. Nam istud *Siccæ Veneriæ* vicinum erat, et huc episcopi ducti fuerant, ut inde in eremum deportarentur. *Hilarensis oppidi* et *Siccensis* quasi vicinorum meminit Augustinus epist. CCXIX, ad Darium Comitem; nec videtur *Hilarense* diversum a *Larensi.*

Digitized by Google

rum nomina qui nunc offeruntur edicto. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Deuterium (159) et Restitutum (160). *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Congruum est ut sicuti et alii subrogati sunt exceptores, sic dentur et ab alia parte custodes. *Primianus episcopus Carthaginensis dixit.* Damus custodes, Victorem Hipponiensem (161) et 268 Marinianum Oeensem (162) collegas nostros.

133. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Quoniam ex utraque parte episcopi custodes videntur appositi, singulorum (sicut cœperat) officium nomina subscriptionesque recitare debebit, et ad susceptas tabulas ad majorem diligentiam alterutrum signet sollicitudo custodum, ut hisdem præsentibus reseratæ, describi possint, atque ea quæ gesta sunt schedarum serie contineri. *Cumque ab utrisque partibus tabulæ susciperentur atque signarentur, recitatum est.* Innocentius episcopus Lamiggigensis (163) coram viro clarissimo tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* Præsto sum. *Junianus episcopus dixit.* Nec ego illum novi, nec ipse me. *Et recitavit.* Rufinianus episcopus Bonustensis (164) coram viro clarissimo tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi, et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* Numquam illic fuerunt Donatistæ. *Primianus episcopus Carthaginensis dixit.* Ipse fuit noster, sed populos habemus quibus ordinare (165). *Rufinianus episcopus Ecclesiæ catholicæ Bonustensis dixit.* Numquam habuit. *Et recitavit.* Laodicius episcopus plebis Clypiensis (166) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* E parte adversa est Geminius. *Et recitavit.* Donatus episcopus plebis Buritanæ (167) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quare cum recitavisset, idem dixit.* Non illic habent Donatistæ neminem. *Et recitavit.* Candorius episcopus plebis Mullitanæ (168) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Marcellinus episcopus dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Isaac episcopus plebis Utinensis (169) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Felicianus episcopus dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Qui supra pro Victore episcopo Tuburbitanorum Minorum (170) coram V. C. tribuno et notario Marcellino subscripsi eum suprascripta mandasse præsentem Carthagine. *Maximinus episcopus dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Felix episcopus Tubiensis (171) coram V. C. tribuno et notario

(159) *Deuterium.* Episcopum *Cæsareensem* in Mauritania, ut patet ex Augustino, lib. II Retract. cap. 51. BALUZIUS.

(160) *Restitutum.* Episcopum *Tagorensem* in Numidia.

(161) *Hipponiensem. Diarrhytorum* in provincia proconsulari, non *Hippo-Regiorum* in provincia Numidiæ. Nam *Macrobius* non *Victor* erat adversarius sancti Augustini *Hippo-Regiorum* episcopi : et cap. 139, is *Victor* dicitur adversarius Florentini episcopi Ecclesiæ catholicæ *Hipponensium-Zaritorum*, ac demum diserte cap. 179, dicitur *Hipponensis-Diarrhytorum.* Apud Ptolemæum, lib. IV, cap. 3. Ἵππον Διαῤῥύτος appellatur, quam urbem sic a Græcis nominari asseverat Plinius, lib. V, cap. 4, propter aquarum irrigua. Eodem nomine designatur apud Pomponium Melam, lib. I de situ orbis cap. 7, *Hipposarrhutus* dicitur in Itinerario Antonini. In tabulis Peutingerianis *Ipponte Diarito.* Apud anonymum Ravennensem, lib. III, num. 6, *Hippone-Zareston :* et lib V, num. 5, *Yppone Zarestum.* Utriusque *Hipponis* meminit Strabo, lib. XVII, sed errat cum utrique *Regii* nomen tribuit. Rectius Solinus in Polyhistore, cap. 30, utramque urbem sic distinguit : *Hipponem, Regium postea dictum; item Hipponem alterum, de interfluente freto Diarrhiton nuncupatum, nobilissima oppida equites Græci condiderunt.* In concilio Carthaginensi sub Cypriano sententiam tulit *Martyr Petrus ab Hippone Diarrhito.* Augustinus, lib. XVI de Civitate Dei cap. 8, *Hipponem Diarrhitum* appellat. Denique epistolæ proconsularium antistitum in concilio Lateranensi subscribit *Donatus, gratia Dei episcopus sanctæ Ecclesiæ Ipponizaritensis.*

(162) *Oeensem.* In Tripolitana, ut docet Notitia. *Oeeam* habet Antoninus in Itinerario : *Heoam* Ptolemæus, lib. IV, cap. 3. Dicitur a Plinio *Urbs Oeensis.* Agrum *Oeensem* in Tripolitana provincia memorat Ammianus Marcellinus, lib. XXIX, cap. 6. Statuam *apud Coenses* habuisse dicitur Apuleius, apud Augustinum, epist. CXXXVIII, sed in undecim manuscriptis habetur *Ocenses*, et in quinque *Oeenses*, atque ita legendum patet ex eo quod statim additur, *ex qua civitate uxorem habebat :* Pudentilla autem Apulei uxor, ipso Apuleio teste in Apologia, *Oeensis* erat. In concilio Carthaginensi sub Cypriano *Natalis ab Oea*, tam pro se quam pro suis comprovincialibus *Pompeio Sabratensi* et *Dioga Leptimagnensi* sententiam dicit.

(163) *Lamiggigensis.* Duæ sunt hujus nominis urbes in Africa, et ambæ in Numidia. In Notitia, una num. 101, altera num. 123. Duplex quoque episcopus Donatista *Lamiggigensis* reperitur in hac Collatione, nempe *Junianus* hic et cap. 198, et *Recargentius* cap. 187.

(164) *Bonustensis.* In provincia proconsulari, ut docet notitia.

(165) *Quibus ordinare.* Deest hic aliquid.

(166) *Clypiensis.* In proconsulari, ut docet notitia. *Crescens Clypiensis episcopus* interfuit concilio Carthaginensi sub Bonifacio ann. 525, et *Stephanus episcopus Ecclesiæ Clypiensis* subscripsit synodicæ episcoporum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino. *Clypea* urbs celebrata a Ptolemæo, Hirtio, Plinio, Pomponio Mela, Solino, Silio Italico, Floro aliisque. Prima omnium Africanarum in Romanorum potestatem venit sub Regulo, ut observant Polybius et Florus.

(167) *Buritanæ.* Forte eadem sedes cujus Victor Vitensis, lib. I de Persecut. Vandal., num. 11, ait episcopum fuisse *Faustum*, quem *Buronitanum episcopum* appellat. Videtur oppidum fuisse provinciæ proconsularis.

(168) *Mullitanæ.* In provincia proconsulari, ut docet notitia. In concilio Carthaginensi anni 525, subscripsit *Segetius episcopus plebis Mullitanæ.*

(169) *Utinensis.* In provincia proconsulari, ut supra observatum est.

(170) *Tuburbitanorum Minorum.* Duplex in Africa *Tuburbium ; Majus* et *Minus. Minoris* mentio fit hic et cap. 205, *Majoris* cap. 135 et 201. Ambo hæc oppida erant provinciæ proconsularis. Unum tantum est in notitia.

(171) *Tubiensis.* in Mauritania Sitifensi. Nam in concilio Carthaginensi an. 397, Cod. Afr. can. 48, conqueruntur legati provinciæ Mauritaniæ Sitifensis

Digitized by Google

Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi. *Idem dixit.* Catholica est sola. *Et recitavit.* Felix episcopus Abbiritanorum Majorum (172) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* Catholica est sola. *Et recitavit.* Augendus episcopus plebis Villæ-magnensis (173) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* Catholica est tantum. *Primianus episcopus Carthaginensis dixit.* Ipse **269** est qui jamdudum ad illam partem transiit. *Et recitavit.* Lucidus episcopus plebis Marcellianensis (174) et Bazitensis coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* Catholica est (*Desunt hic non nonnulla*), et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso est Restitutus (175). *Restitutus episcopus dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Aufidius episcopus plebis Tignicensis (176) coram viro clarissimo tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso habeo Julianum. *Julianus episcopus dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Fortunatus episcopus plebis Abensensis (177) coram viro clarissimo Marcellino tribuno et notario suprascripta mandavi et subscripsi. *Quo recitato, idem dixit.* Unitatem habeo. *Optatus episcopus dixit.* Non habemus episcopum, presbyterum habemus. *Et recitavit.* Trifolius episcopus plebis Aborensis (178) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* Nomen si illic auditum fuerit Donatistarum, lapidatur. *Et recitavit.* Qui supra pro Paulino Zurensi (179) præsente litteras nesciente coram V. C. Marcellino tribuno et notario suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, et accedente episcopo Paulino catholico, idem dixit.* Catholica est. *Habetdeus diaconus Primiani episcopi dixit.* Presbyter est illic noster. Diœcesis est nostra. *Et recitavit.* Lucrus episcopus plebis Nigrensium Majorum (180) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* Unitas est. *Habetdeus diaconus dixit.* Presbyterum habet. *Et recitavit.* Fidentius episcopus plebis Cefalensis (181) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* Unitatem habeo. *Valentinianus diaconus Primiani episcopi dixit.* Modo exivit de corpore. Fidentius dicebatur. *Et recitavit.* Cresconius episcopus plebis Rusucensis (182) coram V. C. tribuno et notario

A B C D

de Cresconio Villaregensi episcopo provinciæ Numidiæ, quod *Tubiensem* invaserit Ecclesiam. Erat ergo oppidum Sitifensis provinciæ Numidiæ vicinum.

(172) *Abbiritanorum Majorum.* Duplex fuit oppidum nomine *Abbir* in Africa : unum majus de quo hic, et alterum de quo cap. 215. Apud Victorem Vitensem, lib. II de Persecut. Vandal. num. 8, mentio fit *Felicis Abbiritani episcopi* in exilium acti, qui forte idem est *Felix* qui *Abaritanus* appellatur in notitia provinciæ proconsularis. *Abaritanæ provinciæ* mentionem facit idem Victor, lib. I, num. 4, tamquam diversæ a *proconsulari* : ibi enim dicitur Gensericus reservasse sibi provincias *Byzacenam*, *Abaritanam*, *Getuliam et partem Numidiæ* ; exercitui vero *Zeugitanam* vel *proconsularem* divisisse. In concilio Carthaginensi an. 419, adest *episcopus Candidus Abbiritanus* unus e legatis provinciæ proconsularis : et in subscriptionibus dicitur *Candidus Germaniæ*, quippe hæc urbs dicebatur *Abbir Germanitiana* : unde in concilio Carthaginensi sub Cypriano interfuit *Successus ab Abbir-Germanitiana*. *Germanitiana* erat pars Numidiæ, ut colligitur ex Augustino, qui epistola 251, *Germanitienses* ad curam suam pertinuisse testatur. In anonymo Ravennate, et tabulis Peutingerianis urbs *Germani* statuitur in Numidia prope Thebeste ; et in Notitia provinciæ Numidiæ, num. 28, est *Florentius Noba-Germaniensis*, et num. 97, *Crescentianus Germaniensis*. Itaque *Abbir Germanitiæ* diversum crederetur ab *Abbir* provinciæ proconsularis, nisi *Candidus episcopus Abbiritanus* Legatus provinciæ proconsularis in concilio Carthaginensi an. 419, diceretur *Germaniæ* sive *Germanitiorum episcopus*. Antoninus in Itinerario *Germanitiam* ad Byzacenam revocare videtur. Ut hæc concilientur dicendum *Germanitiæ* regionem, partim ad proconsularem, partim ad Byzacenam, partim ad Numidiam pertinuisse, seu in limitibus trium istarum provinciarum sitam. Alterutrius sedis *Abbir* fuit episcopus iste *Felix* qui adversarium non habebat ; alterutrius vero *Annibonius*, de quo cap. 215.

(173) *Villæ-Magnensis. Cyprianus episcopus Villæ-Magnensis* subscripsit epistolæ synodicæ episcoporum proconsularium in concilio Lateranensi sub Martino.

(174) *Marcellianensis.* In Numidia, in cujus notitia legitur *episcopus de Giru-Marcelli.* Concilio Carthaginensi sub Cypriano adfuit *Julianus a Marcelliana* aut *Marcellina.* Diversa est ista sedes a *Masclinianensi*, provinciæ Byzacenæ : nam hic Lucidus observat hanc Ecclesiam catholicam esse, hoc est ibi nullum esse episcopum Donatistam : at cap. 208, fit mentio *Pluriani episcopi Masclinianensis* e parte Donatistarum.

(175) *Restitutus.* Quinque istius nominis episcopi Donatistæ fuere in collatione Carthaginensi, *Drusilianensis*, *Segermitensis*, *Flumenpiscensis*, *Membressitanus*, *Laritensis.* Drusilianensis habuit adversarium Rufinum episcopum catholicum, Membressitanus, Gennadium. Segermitensis Felicem. De utro reliquorum intelligi debeat locus iste incertum est.

(176) *Tignicensis. Tignicam* prope *Teclatam* Numidiæ civitatem locant tabulæ Peutingerianæ.

(177) *Abensensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(178) *Aborensis.* In provincia proconsulari, ut docet epistola synodica episcoporum hujus provinciæ in concilio Lateranensi, cui subscribit *Felix episcopus sanctæ Ecclesiæ Aborensis.*

(179) *Zurensi.* In eadem provincia proconsulari, nam subscribit Aborensis pro eo tamquam pro vicino episcopo litteras nesciente. Apud Victorem Vitensem lib. II de persecut. Vandal. cap. 9, quædam mulier dicit se filiam *Zuritanæ quondam civitatis episcopi.*

(180) *Nigrensium Majorum.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(181) *Cefalensis.* In provincia proconsulari, ut patet ex epistola episcoporum illius provinciæ ad Paulum Constantinopolitanum in concilio Lateranensi sub Martino.

(182) *Rusucensis.* Est in Mauritania Cæsareensi *Rusubus*, cujus episcopus *Rusuburitanus* dicitur in notitia. Forte idem est ac *Rusucensis* de quo hic ; aut *Rusucibar*, quod oppidum memorat Ptolemæus lib IV, cap. 3.

Digitized by Google

Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato* [*idem*] *dixit.* Unitatem habeo. *Habetdeus diaconus dixit.* Non habemus. *Et recitavit.* Ambibius episcopus plebis Pisitensis (183) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* Habeo Felicem e diverso. *Valentinianus diaconus dixit.* Felix dicitur, litteras misit excusationis senectutis causa. *Et recitavit.* Rogatianus episcopus plebis Tigimmensis (184) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso mihi est Victorianus. *Et accedente Victoriano episcopo* [*idem*] *dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Stephanus episcopus plebis Sinnuaritensis (185) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* Unitas est illic, Ecclesia est illic. *Habetdeus diaconus dixit.* Diœcesis ea est Cypriani a Siccenni (186). Cyprianus dicitur episcopus, qui illic intendit ad Sinuar. *Et recitavit.* Serotinus episcopus plebis Turuzitanæ (187) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* Numquam habuit, nec habet. *Habetdeus diaconus dixit.* Presbyter est illic Cattus. *Serotinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Illic est, sed superfluo. *Et recitavit.* Majorinus episcopus plebis Zemtensis (188) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* Catholica est; nec habuit, nec habet. *Et recitavit.* Thomas episcopus plebis Cubdensis (189) coram viro clarissimo tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* E contra neminem habemus. *Et recitavit.* Restitutus episcopus plebis Muzucensis (190) coram viro clarissimo tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* E contra Idaxius nobis est. *Et accedente Idaxio episcopo, idem dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Antonius episcopus plebis Mutugennensis (191) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato,* **270** *idem dixit.* E diverso Splendonius est. *Et accedente Splendonio episcopo, idem dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Privatianus episcopus plebis Vegeselitanæ (192) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso est mihi Donatus Cillitanus. *Et accedente Donato Cillitano episcopo, idem dixit.* Diaconos illic habeo, vicina plebs agit, diœcesis mea est. *Privatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ubi conveniunt? *Donatus episcopus dixit.* Et loca et memorias martyrum tamen prohibuisti. Candidum non habui presbyterum inde? *Privatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Et ubi agebatur? *Et recitavit.* Æmilianus episcopus Ecclesiæ Bennefensis (193) coram viro clarissimo tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.*

(183) *Pisitensis.* Hanc urbem in confinio provinciarum Byzacenæ et Tripolitanæ locat Baluzius. Quia in tabulis Peutingerianis *Pisida* locatur inter *Puteam* Byzacenæ urbem et *Sabratam* Tripolitanæ. At Norisius *Pisitanam* civitatem proconsulari provinciæ attribuit ejusque mentionem fieri ait lib. I de Miraculis sancti Stephani, qui Evodio Uzalensi tribuitur cap. 13. Certe Felix adversarius Ambibii qui hic nominatur, diversus est a *Putiensi*, de quo cap. 204. Nam is de quo agitur in præsenti capite non aderat Carthagini; alter vero præsens erat.

(184) *Tigimmensis.* In provincia proconsulari, ut docet epistola episcoporum hujus provinciæ ad Paulum Constantinopolitanum relata in concilio Lateranensi sub Martino.

(185) *Sinnuaritensis.* In provincia proconsulari, ubi *Sinnuarensem* aut *Sinnarensem* sedem fuisse docet notitia. In concilio V generali, subscribit *Victor episcopus Municipii Sinna* provinciæ proconsularis.

(186) *A Siccenni.* Oppido provinciæ proconsularis, nam *Sinnarienses* vicini indigitantur. Forte idem locus cujus episcopus memoratur *Maximinus Sinitensis*, seu *Sinicensis* apud Augustinum, lib. XXII de Civit. Dei, cap. 8.

(187) *Turuzitanæ.* Diversa est isthæc *Turuzus* a *Tuzuru*, cujus Aptus episcopus memoratur cap. 187. Videtur autem fuisse provinciæ proconsularis.

(188) *Zemtensis.* In provincia proconsulari, ut docet epistola episcoporum hujus provinciæ toties citata.

(189) *Cubdensis.* Ibidem ex eodem monumento.

(190) *Muzucensis.* Episcopus provinciæ Byzacenæ, ut docet notitia.

(191) *Mutugennensis.* Erat in diœcesi Hipporegiensi villa dicta *Mutugenne*, ubi presbyter erat Augustini tempore Donatista nomine Donatus, ut constat ex Augustino, epist. XXIII et CLXXIII, sed hæc villa episcopum non habebat.

(192) *Vegeselitanæ.* Duæ fuerunt *Vegeselæ* in Africa; nam alius est *episcopus Vegeselitanus*, cap. 135. Una erat in Numidia, cujus episcopus *Januarius* subscribit in concilio Carthaginensi sub Bonifacio, tam pro se, quam pro *Januario Masculitano.* Ea procul dubio est *Megesela*, quæ prope *Masculam* locatur in Itinerario Antonini. *Privatus Vegeselitanus episcopus* adfuit concilio Carthaginensi sub Grato, et *Vigisilitanam plebem* laudat Augustinus, ep. LXIV, *Vegeselæ* in Numidia passus dicitur Marculus Donatista, cujus acta superius retulimus. Alteram vero *Vegeselam* ad Byzacenam pertinere statuit Baluzius, quia in Itinerario Antonini *Vegesela* seu *Vergesalla* locatur inter urbes Byzacenæ. Verum in notitia Numidiæ duæ sunt sedes hujus fere nominis, scilicet num. 59, *Veselitanus*, et num. 80, *Velesitanus*: sed verisimilius est hanc *Vegeselam*, cujus hic *Fortunatianus* dicitur episcopus, fuisse Byzacenæ vicum vel castellum: nam statim *Donatus Cillitanus* episcopus ex parte Donati contendit *Vegeselam* suæ esse diœceseos. *Cillitanum* autem *episcopum* provinciæ Byzacenæ fuisse constat ex notitia, Itinerario Antonini, et epistola episcoporum Byzacenorum in conc. Lat. Qui *Donatus* statuitur etiam adversarius *Tertioli Cillitani* episcopi catholici, supra, cap. 128. Erat igitur simul episcoporum *Cillitani* et *Vegesilitani* adversarius, quia *Vegesela* hæc ad *Cillitanam civitatem* pertinebat; ac proinde in Byzacena sita erat.

(193) *Bennefensis.* In provincia Byzacena, ut docet notitia. Auctor vitæ sancti Fulgentii, cap. 14, dicit monasterium in quod Fulgentius sese recepit *Benefensi* littori maxima ex parte contiguum. In concilio Cabarsussitano subscribit *Guntasius Benefensis.*

Digitized by Google

Habeo neminem e diverso. *Valentinianus diaconus dixit.* Maximianus dictus est, hodie de corpore exiit. *Æmilianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Triennium habeo ex illo quo ordinatus sum, nullum illic scio. *Valentinianus diaconus dixit.* Mittatur, et videant illum. *Et recitavit.* Litorius episcopus plebis Suavensis (194) coram viro clarissimo tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* Unitas est illic, omnis Catholica est. *Habetdeus diaconus partis Donati dixit.* Non habemus. *Et recitavit.* Benenatus episcopus plebis Hospitensis (195) coram V. Cl. trib. et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* In loco meo alius non est episcopus. *Lucullus episcopus dixit.* Persecutio semper me fugavit. *Et recitavit.* Leontius episcopus plebis Musertitanæ (196) coram V. Cl. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato,* [*idem dixit.* Habeo neminem e diverso.] *Habetdeus diaconus partis Donati dixit.* Cresconius nunc ordinatus est contra. *Et recitavit.* Silvanus episcopus plebis Macrianensis (197) coram V. Cl. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* Non habet neminem; Catholica est. *Et recitavit.* Eunomius episcopus plebis Marazanensis (198) coram viro clarissimo tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso est mihi Habetdeus. *Habetdeus episcopus dixit.* Præcessor meus ad Marazanensem locum ordinatus est. Is posiquam cathedram sedit, expulsus est. *Eunomius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Numquam sedit. *Habetdeus episcopus dixit.* Ego etiam non admissus, in tertio miliario in civitate conquievi. *Eunomius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Numquam fuerunt Donatistæ, nec sunt, nec aliquando sederunt cathedram. *Habetdeus episcopus dixit.* Modo oppressi sunt. *Et recitavit.* Barbarus episcopus plebis Hierpinianensis (199) coram V. Cl. tribuno et notario Marcellino [suprascripta mandavi et] subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* Non habeo neminem contrarium. *Valentinianus diaconus dixit.* Mœcopius dicebatur episcopus, exivit de corpore. *Et recitavit.* Secundianus episcopus plebis Hermianensis (200) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* Contra mihi est Maximianus episcopus. *Et accedente Maximiano episcopo, idem dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Postumianus episcopus plebis Tagorensis (201) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* Catholicæ est unitatis. *Et recitavit.* Barbarianus episcopus plebis Creperulensis (202) coram viro clarissimo tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* Catholica est tantum. *Valentinianus diaconus dixit.* Non habemus. *Et recitavit.* Felix episcopus Caniopitanorum (203) **271** coram viro clarissimo tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, Valentinianus diaconus dixit.* Presbyterum habemus nomine Restitutum. *Et recitavit.* Victor episcopus plebis Tibaritanæ (204) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta

(194) *Suavensis.* In Numidia, ut docet notitia, n. 96.

(195) *Hospitensis.* Itidem in Numidia ex notitia, n. 110.

(196) *Musertitanæ.* Legendum videtur *Mutecitanæ*, quæ sedes exstat in provincia Mauritaniæ Cæsareensis, ut docet notitia. Hinc Cresconius hujus adversarius, infra, cap. 206, dicitur *Mustitanus* episcopus, alio errore. Nam ex capite 122, constat *Mustitanæ* sedis episcopum catholicum *Victorianum* adversarium habuisse non *Cresconium* sed *Felicianum.* Verum facile *Mutecitani* nomen mutatum est in *Mustitani.*

(197) *Macrianensis.* Duæ sunt tantum *Macrianenses* sedes in notitia episcoporum Africæ : una in Byzacena num. 80, altera in Mauritania Sitifensi num. 23. In hac vero collatione, tres; nempe cap. 126. *Ferox episcopus Macrianensis Majoris;* Hic *Silvanus Macrianensis*, et cap. 215, *Felix episcopus Macrianensis.* Sed fieri potuit ut duo essent in una sede episcopi catholici, quod fiebat cum episcopus Donatista ad Ecclesiæ unitatem accedebat, huic enim et nomen et locus episcopi relinquebatur, ut patet ex Ampelio et Primulo episcopis Vagensibus, in cap. 176 collationis Carthaginensis. Porro *Silvanus* iste *Macrianensis* concilio Carthaginensi ann. 403 interfuit. Concilium *Macrianense* laudat Ferrandus diaconus, in Breviar. Canonum.

(198) *Marazanensis.* In provincia Byzacena, ut docet notitia. In concilio Carthagineusi sub Cypriano recensetur *Felix a Marrasuna. Marazaniam* appellat Antoninus in Itinerario.

(199) *Hierpinianensis*, sive *Irpinianensis* in Byzacena, ut docet eadem notitia, num. 53.

(200) *Hermianensis.* Ibidem ex eodem monumento. Celebris est *Facundus Hermianensis* hujus sedis episcopus. *Benadus episcopus Hermianensis* subscribit epistolæ episcoporum Byzacenorum in concilio Lateranensi sub Martino. Procopius, lib. 1 de Bello Vandalico, *Hermionem* Byzacii locum commemorat.

(201) *Tagorensis.* Duplex *Tagorensis* sedes memoratur in Collatione. Is *Postumianus* hoc capite, et cap. 143, *Restitutus* item *Tagorensis*, qui erat custos tabularum. Unam ex his in Numidia fuisse ex notitia colligitur, ubi *Tagurensis* occurrit, et ex Antonini Itinerario. Apud Augustinum epist. LIX, mentio fit *Xantippi Tagosensis*, qui de primatu Numidiæ cum Victorino contendebat. Hunc *Tagorensem* episcopum fuisse plerique suspicantur, sed in omnibus manuscriptis habetur constanter *Tagosensis*, et in uno *Tagonensis.* Altera *Tagoru* seu *Tacora* videtur sita fuisse in proconsulari ex tabulis Peutingerianis.

(202) *Creperulensis.* Sive *Crepedulensis* in provincia Byzacena, ut docet notitia et epistola synodica patrum Byzacenorum, ubi occurrit episcopus *Secrepedulensis.* Scriptum erat *S. E.* hoc est *Sanctæ Ecclesiæ Crepedulensis.*

(203) *Caniopitanorum.* Forte *Canapii* in provincia proconsulari, cujus sedis nomen legitur in epistola episcoporum hujus provinciæ toties laudata, cui subscribit *Redemptus episcopus sanctæ Ecclesiæ municipii Canapii* seu *Canapu*, ut habet codex Bellovacensis.

(204) *Tibaritanæ.* In concilio Carthaginensi sub Cypriano subscribit *Vicentius a Tibari.*

Digitized by Google

mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* Et diverso [mihi] est Victorianus episcopus. *Et accedente Victoriano episcopo, idem dixit.* Agnosco eum. *Et recitavit.* Gennadius episcopus plebis Membressitanæ (205) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso mihi est [Restitutus. *Et accedente Restituto episcopo, idem dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.*] Restitutus episcopus plebis Simingitensis (206) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato*, [*idem dixit.* Catholica est omnis. *Habetdeus diaconus dixit.* Non habemus.] *Et recitavit.* Octavius episcopus plebis Utimmensis (207) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* E contrario mihi est Bonifacius. *Et accedente Bonifacio episcopo, idem dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Victorinus episcopus plebis Tabudensis (208) coram viro clarissimo tribuno et notario Marcellino, suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso est Argutus. *Et accedente Arguto episcopo, idem dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Maximinus episcopus plebis Enerensis (209) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* Catholica est, unitatem habeo. *Quodvultdeus episcopus dixit.* Habet episcopum; sed male habet. *Et recitavit.* Reginus episcopus plebis Tigillavensis (210) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato*, [*idem dixit.* E diverso mihi est Donatus.] *Flavianus episcopus* (211) *dixit.* De itinere revertit Donatus, causa ægritudinis. *Et recitavit.* Qui supra pro Cresconio episcopo Centenariensi (212) præsente viro clarissimo tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini, eo quod infirmitatis causa præpediatur, mandante ipso subscripsi Carthagini. *Quo recitato*, [*idem dixit.* E diverso est ...] *Quodvultdeus episcopus dixit.* Etiam ipse male habet. *Et recitavit.* Felix episcopus plebis Izirianensis (213) coram viro clarissimo tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso est mihi Saturus (214). *Et accedente Saturo episcopo, idem dixit.* Presbyter meus erat. *Et recitavit.* Felicianus episcopus plebis Feraditanæ Minoris (215) præsente viro clarissimo tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* Catholica est. *Valentinianus diaconus dixit.* Non habemus. *Et recitavit.* Romanus episcopus plebis Meglapolitanæ (216) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso non habeo. *Felix episcopus dixit.* Presbyterum habemus Maximianum, præsto est. *Et recitavit.* Restitutus episcopus plebis Cincaritensis (217) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso mihi est Campanus episcopus. *Et accedente Campano*

(205) *Membressitanæ.* Duplex hic occurrit episcopus *Membressitanus* catholicus; et hoc ipso in capite; nempe hic *Gennadius*, cui *Restitutus* adversarius opponitur, qui cap. 198, dicitur *Membressitanus* episcopus: Et postea *Theusius plebis Memblositanæ episcopus*, qui adversarium non habet. In notitia unus est *Membrositanus*, seu, ut habet codex Halleri *Membresitanus* in Africa proconsulari episcopus. Utramque vero urbem videtur memorare anonymus Ravennas cum libro III, num. 5, *Membriscæ* meminit inter provinciæ proconsularis urbes, et num. sequenti *Membronem.* In tabulis Peutingerianis pariter legere est *Membrissam et Membrionem. Membrissa* oppidum certe est provinciæ proconsularis, quod Procopius, lib. II de Bello Vandal., ait 350 stadiis a Carthagine distare. Inter eas urbes etiam locatur quæ pertinent ad proconsularem. Et in epistola episcoporum provinciæ proconsularis legitur *Victor episcopus Ecclesiæ Membressitanæ.* In concilio Carthaginensi sub Cypriano sententiam dixit *Lucius a Membresa*, et *Paschasius Membressitanus* interfuit synodo Carthaginensi sub Bonifacio. Ad eamdem etiam provinciam pertinet *Membrosa*, ut habet notitia vel *Memblosa*, ut infra, vel *Memlo* aut *Membro*, ut habet Itinerarium Antonini: quamquam *Membronem* inter oppida Numidiæ numeret anonymus Ravennas. Porro Restitutus Gennadii adversarius is est qui fervente inter Donatistas schismate, in locum Salvii *Membressitani* fuerat ordinatus, ut narrat Augustinus, epist. CVIII, et lib. IV contra Cresconium cap. 48.

(206) *Simingitensis.* In concilio Carthaginensi an. 525 subscribit *Cresconius episcopus plebis Simingitanæ.* Sed in qua parte sita fuerit isthæc sedes, non dicitur.

(207) *Utimmensis.* Jam duos aut tres hujus fere nominis episcopos habemus, nempe cap. 126, *Timiani Utmensis*, et eodem in capite, *Severi episcopi plebis Ulmari*, et in cap. 128, ac 133. *Isaac episcopi* Catholici *Utinensis* et *Feliciani* ejus adversarii ejusdem sedis episcopi. Nunc quartus adest *Utimmensis* episcopus Octavius; et tamen in notitia Africæ unus est *Utimmirensis* episcopus in provincia proconsulari, num. 10. Sed hic veteres editiones collationis habent *plebis Utinunensis;* et cap. 198, Bonifacius Octavii adversarius *Utunnensis* episcopus dicitur.

(208) *Tabudensis.* In Numidia, ut docet notitia n. 42.

(209) *Enerensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(210) *Tigillavensis* seu *Tigillabensis* in Numidia, ut docet notitia num. 33.

(211) *Flavianus episcopus. Pauzerensis*, infra, c. 187.

(212) *Centenariensi.* In Numidia, ut docet notitia, num. 39. *Centenarias* recenset Anonymus Ravennas. *Ad Centenarium* habent tabulæ Peutingerianæ.

(213) *Izirianensis Hizirzadensis*, legendum putat Baluzius ex notitia Numidiæ num. 55. Certe eamdem utrobique esse sedem haud ambiguum.

(214) *Saturus.* Is dicitur infra, cap. 198, *episcopus Byzaciensis:* quapropter omissum putat hic Baluzius nomen Donatistæ, qui erat adversarius *Felicis Iziriensis* et nomen episcopi catholici *Bizaciensis.* Sed forte mendum est in cap. 198, et pro *Bizaciensi* legendum *Izirianensi.*

(215) *Feraditanæ Minoris. Feraditana Major* est in notitia provinciæ Byzacenæ. In eadem quoque *Feraditanam Minorem* fuisse verisimile. Nam solebant oppida ejusdem nominis, quorum unum majus, alterum minus dicebatur, sibi esse vicina. Videtur hæc esse eadem cum *Peradamiensi* quæ reperitur etiam in notitia provinciæ Byzacenæ num. 31.

(216) *Meglapolitanæ.* In provincia proconsulari, ut docet ejus notitia num. 39, et epistola synodica episcoporum hujus provinciæ in concilio Lateranensi, in qua reperitur nomen *Reparati episcopi sanctæ Ecclesiæ Meglapolitanæ.*

(217) *Cincaritensis*, seu *Cincaritanus*, ut habetur

Digitized by Google

episcopo, idem dixit. Agnosco illum. *Et recitavit.* Nados episcopus plebis Sabratensis (218) coram V. C. tribuno et notario Marcellino **272** suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato idem dixit.* E diverso habui, modo non habeo. Et recitavit. Caltasius episcopus plebis Mataritanæ (219), coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* Unitas est. *Habetdeus diaconus dixit.* Habuimus Rusticianum; modo exivit de corpore. *Et recitavit.* Octavianus episcopus plebis Ucimajoris (220) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* Unitatem habeo. *Salvianus episcopus* (221) *dixit.* Senis Victoriani diœcesis est, presbyterum habet Januarium. *Et recitavit.* Safargius episcopus plebis Lampuensis (222) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Valentinianus diaconus Primiani episcopi dixit.* Senis Cartheri est plebs; sed absens est, pedibus laborat: propterea venire non potuit. *Et recitavit.* Victorinus episcopus plebis Tabudensis pro Gorgonio consacerdote meo, qui infirmitate detinetur, plebis Liberaliensis (223) coram V. C. tribuno et notario Marcellino mandante ipso subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem Gorgonius dixit.* Basilicam mihi deposuerunt hæretici, solus sum. *Protasius episcopus dixit.* Habemus illic Victorem episcopum. *Et recitavit.* Fortunatus episcopus loci Casensis-Calanensis (224) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* Solus sum. *Verissimus* [*episcopus*] *dixit.* Presbyter est ibi Victorinus. *Et recitavit.* Theasius episcopus plebis Memblositanæ (225) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* Sola unitas est illic Ecclesiæ catholicæ. *Salvianus episcopus dixit.* Tempore persecutionis succubuit illic episcopus qui illic fuit. *Et recitavit.* Probantius episcopus plebis Trofimianensis (226) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit. Solus sum. Valentinianus diaconus dixit.* Presbyterum habet. *Et recitavit.* Dulcitius episcopus plebis Tacapitanæ (227) præsente V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit* [Habeo alium contra me]. *Valentinianus diaconus dixit.* Felix dicitur. Hic est, sed male habet. *Item recitavit.* Catulinus episcopus plebis Gittensis (228) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi. *Quo recitato, idem dixit.* Unitas est. *Valentinianus diaconus episcopi Primiani dixit.* Non habemus. *Et recitavit.* Villaticus episcopus plebis Sinnipsensis (229) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* Unitas est. *Et recitavit.* Hilarianus episcopus plebis Hiltensis (230) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* Solus sum. *Verissimus* [*episcopus*] *dixit.* Presbyter est ibi Victorinus. *Et recitavit.* Theasius episcopus plebis Memblositanæ (225) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* Sola unitas est illic Ecclesiæ catholicæ. *Salvianus episcopus dixit.* Tempore persecutionis succubuit illic episcopus qui illic fuit. *Et recitavit.* Probantius episcopus plebis Trofimianensis (226) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit. Solus sum. Valentinianus diaconus dixit.* Presbyterum habet. *Et recitavit.* Dulcitius episcopus plebis Tacapitanæ (227) præsente V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit* [Habeo alium contra me]. *Valentinianus diaconus dixit.* Felix dicitur. Hic est, sed male habet. *Item recitavit.* Catulinus episcopus plebis Gittensis (228) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi. *Quo recitato, idem dixit.* Unitas est. *Valentinianus diaconus episcopi Primiani dixit.* Non habemus. *Et recitavit.* Villaticus episcopus plebis Sinnipsensis (229) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* Unitas est. *Et recitavit.* Hilarianus episcopus plebis Hiltensis (230) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta

infra, cap. 188. Forte *Circinitanus* in provincia Byzacena, ut docet notitia. *Cerciuæ Insulæ* meminere Polybius et Ptolemæus. In Itinerario Antonini sita dicitur *inter Africam et Siciliam a Tacapis* distans *stadia* 622. In hanc Fulgentius paulo ante mortem secessit, ut narratur in ejus Vita, cap. 29. In epistola episcoporum provinciæ proconsularis, relata in concilio Lateranensi est urbs *Cicitita* quam a *Cincaritana* diversam non esse suspicatur Norisius.

(218) *Sabratensis.* In Tripolitana provincia, ut docet notitia, num. 2. In concilio Carthaginensi sub Cypriano fit mentio *Pompeii Sabratensis* episcopi. Victor Vitensis laudat *Vincentium Sabratenum*, lib. I, num. 7. In Cabarsussitano concilio interfuerat *Donatus Sabratensis*. ann. 393, et anno sequenti in Bagaiensi fuerat exauctoratus. Hic autem erat defunctus eo tempore. *Sabratam* laudant Ptolemæus, lib. IV, c. 3, Antoninus in Itinerario, tabulæ Peutingerianæ, Plinius, lib. V, cap. 4 et alii. *Sabatram* appellat Procopius, lib. VI de Ædificiis.

(219) *Mataritanæ.* Duplex in notitia provinciæ Byzacenæ est sedes hujus fere nominis. *Macturitana* num. 25, et *Mattaritana* num. 50. Duplex etiam in hac Collatione episcopus harum sedium; hic *Caltasius episcopus plebis Mataritanæ* Catholicus, qui adversarium non habet; et cap. 202, *Comparator episcopus Mactaritanus* Donatista. Inter episcopos qui sederunt in concilio Cypriani de rebaptizandis hæreticis recenseur *Marcus a Mactari* posterioris hujus sedis episcopus, si ita legatur ut legitur apud Cyprianum; at prioris, si legatur *Mattari*, ut legitur apud Augustinum. Oppidi *Matterensis* meminit Plinius, lib. V, cap. 4. Apud Cassiodorum, lib. de Divinis Institutionibus cap. 29. Cassiani Collationes expurgasse dicitur *Victor Martaritanus* episcopus Afer, qui forte idem est cum *Mattaritano.*

(220) *Ucimajoris.* Plinius, lib. V, cap. 4, inter oppida Africæ nominat *Ucitana* duo, majus et minus. Sunt etiam in notitia provinciæ proconsularis duæ sedes quæ his adaptari possunt; scilicet, num. 20, *Urcitanus* et, num. 25, *Uzitensis.* Apud Victorem Vitensem, lib. I de Persecutione Vandal. num. 3, mentio fit *Mansueti Uricitani martyris.* In hac Collatione jam recensitus est cap. 128. *Paulus Uzittarensis*, et nunc iste *Octavianus Ucimajoris.*

(221) *Salvianus episcopus. Leptitanus*, in provincia Tripolitana.

(222) *Lampuensis.* In notitia Numidiæ num. 87, *Lamfuensis.* In concilio Carthaginensi sub Bonifacio ann. 525, subscripsit *Pontius episcopus plebis Lamfuensis.*

(223) *Liberaliensis. Tabudensi* in Numidia vicinus.

(224) *Casensis-Calanensis.* In Numidia, ut docet notitia num. 43. *Casæ Calaneæ* civitas memoratur in notitia Leonis a Goare edita.

(225) *Memblositanæ.* De hac vide quæ diximus supra, not. 205, p. 271.

(226) *Trofimianensis*, seu *Trofinianensis*, ut habetur in notitia provinciæ Byzacenæ num. 35.

(227) *Tacapitanæ.* In provincia Tripolitana, ut docet notitia, num. 5. Hujus oppidi *Tacapes* mentio fit apud Ptolemæum, lib. IV, cap. 3, Plinium, lib. V, cap. 4, Procopium, lib. VI de Ædificiis, et in tabulis Peutingerianis. Porro *Dulcitius* iste episcopus provinciæ Tripolitanæ nominatur in actis concilii Carthaginensis anni 403, *Gaius* ejusdem urbis episcopus et provinciæ suæ legatus subscribit concilio Carthaginensi sub Bonifacio ann. 525, qui tamen in concilii actis *Gallus* appellatur.

(228) *Gittensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(229) *Sinnipsensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(230) *Hiltensis.* In provincia proconsulari, ut docet epistola synodica episcoporum hujus provinciæ in concilio Lateranensi sub Martino.

Digitized by Google

scripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso habeo neminem.] *Et accedente Victore episcopo, idem dixit.* Modo sum illic ordinatus, non me novit. *Hilarianus episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit.* Non habet. *Et recitavit.* Januarius episcopus Ecclesiæ Gisipensis (231) majoris coram V. Cl. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* Non habemus. *Et recitavit.* Severianus episcopus Ceramunensis (232) coram V. Cl. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* Catholica est omnis. *Habetdeus diaconus episcopi Primiani dixit.* Habemus senem Adeodatum. *Severianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ostendat illum. *Adeodatus episcopus dixit.* In plebe mea est Milevitana Ceramussa.

134. *Severianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Omnis ab origine catholica est ibi, numquam ibi fuerunt Donatistæ. *Adeodatus episcopus dixit.* In plebe mea est. Per violentiam inde exclusit omnes [clericos] et presbyteros. *Severianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Mentitur teste Deo. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Illud sanctitas tua simpliciter dignetur edicere, utrum in ea plebe episcopus nunc sit. *Adeodatus episcopus dixit.* In plebe mea est, circum circa meum est totum. Etiam mei terrore succubuerunt omnes, qui in eodem loco constituti erant. *Severianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Mentitur. *Et recitavit.*

273 135. Dominicus episcopus plebis Bullensium Regiorum (233), præsente V. Cl. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso mihi est Felix, sed unus est, qui illi communicat. *Et accedente Felice episcopo, idem dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Valentinus episcopus Vaianensis pro consacerdote meo Regino Ecclesiæ Vegeselitanæ (234), qui hic apud Carthaginem infirmitatis causa detinetur, præsente V. Cl. tribuno et notario Marcellino subscripsi. *Quo recitato Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Male habet. *Habetdeus diaconus dixit.* Gavinus (235) præsto est. *Et recitavit.* Reparatus episcopus plebis Sufasaritanæ (236) coram V. Cl. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* Non habet, fuit ibi. *Habetdeus diaconus dixit.* Modo recessit. *Et recitavit.* Proculus episcopus plebis loci Serrensis (237) coram V. Cl. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* Unitatem habeo. *Valentinianus diaconus dixit.* Non habemus. *Et recitavit.* Publicius episcopus Gratianopolitanæ plebis (238) coram V. Cl. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso Deuterius est, solus sine plebe. *Deuterius episcopus dixit.* Quia et domos dejecisti, et persecutionem mihi fecisti. *Et recitavit.* Maximianus episcopus plebis Sugabbaritanæ (239) coram V. Cl. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso habeo Germanum. *Et accedente Germano episcopo, idem dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Pompeianus episcopus Sucardensis (240) coram V. Cl. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Hic est, sed ægrotat. *Et recitavit.* Fortunatus episcopus plebis Rusuccurritanæ (241) coram V. Cl. tribuno et

(231) *Gisipensis majoris.* In provincia proconsulari, ut docet notitia num. 24, concilio Carthaginensi ann. 525, sub Bonifacio interfuit *Redemptus Gisipensis*, et ejusdem sedis episcopus *Mellosus* subscribit epistolæ episcoporum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino.

(232) *Ceramunensis.* Supra in indice capitulorum, et paulo post *Ceramussensis.* Constat ex contentione quæ hic refertur inter Adeodatum et Severianum, locum hunc vicinum fuisse Milevitanæ urbi ac proinde in Numidia.

(233) *Bullentium Regiorum.* Duplex in provincia proconsulari *Bullensis* sedes; una quæ simpliciter *Bullensis* dicitur in notitia, num. 34, altera *Bullensium regiorum*, ibidem, num. 50, hujus celebrioris mentio fit itinerario Antonini, apud Ptolemæum, et in tabulis Peutingerianis. In concilio Carthaginensi sub Genethlio memoratur *Epigonius Bullensium regiorum episcopus.* In Synodica episcoporum proconsularis provinciæ in concilio Lateranensi sub Martino *Mellosus episcopus Bulleriensis* subscribit, nec non *Victor Bulnensis*, forte *Bullensis.*

(234) *Vegeselitanæ.* In Numidia, nam Vaianensis episcopus erat etiam Numida. Vide notas ad cap. 99 et 133.

(235) *Gavinus. Gabini* episcopi Donatistæ qui ad catholicam unitatem transierat meminit Augustinus, lib. I contra Gaudentium cap. 12 et 13, qui forte non est diversus ab isto.

(236) *Sufasaritanæ.* In notitia Mauritaniæ Cæsariensis occurrunt duo episcopi *Sufaritani*, unus num. 3, et alter num. 87, quorum tamen primus in codice Halleri dicitur *Susaritanus.* In itinerario Antonini inter Mauritaniæ urbes memoratur *Sufasar* quæ civitas ab anonymo Ravennensi *Sufasa* dicitur. In notitia Leonis *Sufara.*

(237) *Serrensis.* In Mauritania Cæsariensi, ut ex notitia constat, num. 117, ubi dicitur *Sertensis.* Quamquam præter hunc duo occurrunt in hac collatione Zertenses episcopi Donatistæ, unus *Gaudentius*, cap. 187, et alter cap. 201, nomine *Salustius.* Cum tamen is de quo hic mentio adversarium non habeat. Erat *Zerta* in Numidia, ubi *Zertense* concilium post collationem habitum est, cujus epistola ad Donatistas est inter Augustini epist. 141, alter *Zertensis*, forte is est *Sertensis* Mauritaniæ Cæsariensis vel *Zemtensis*, quod si dicatur, hujus *Serrensis* sedes incerta erit, sin minus alter *Zertensis* idem potuit esse cum *Zemtensi* provinciæ proconsularis, cujus sedis nomen legitur in epistola episcoporum hujus provinciæ in concilio Lateranensi sub Martino.

(238) *Gratianopolitanæ plebis.* In Mauritania Cæsariensi, ut docet notitia, num. 81.

(239) *Sugabbaritanæ.* In eadem provincia ex notitia, num. 20; Ammianus Marcellinus, lib. XXIX, *Municipium*, inquit, *Sugabaritanum monti Transcellensi adoline.* Ptolemæus, lib. IV, cap. 2, habet ex codice Palatino *Zuchabari.*

(240) *Sucardensis.* In eadem provincia ex notitia, num. 13.

(241) *Rusuccurritanæ.* In eadem provincia ex notitia, num. 54. In concilio Carthaginensi ann. 419, occurrit

Digitized by Google

notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso mihi est Optatus. *Et accedente Optato episcopo, idem dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Victor episcopus plebis Bartimisiensis (242) coram V. Cl. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* Catholica est. *Habetdeus diaconus dixit.* Non habemus. *Et recitavit.* Restitutianus episcopus plebis Sululittanæ (243) coram V. Cl. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* Omnis Catholica, est, omnes Catholicos habemus. *Valentinianus diaconus dixit.* Non habemus. *Et recitavit.* Helpidius episcopus plebis Aquensis (244) coram V. Cl. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso mihi est Reparatus episcopus. *Et accendente Reparato episcopo, idem dixit.* Ipse est, agnosco illum. *Et recitavit.* Victor episcopus plebis Malianensis (245) coram V. Cl. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso mihi est Nestorius. *Et accendente Nestorio episcopo, idem dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Ego Restitutus episcopus petitum me a Victore episcopo Mammillensi (246) coram V. Cl. tribuno et notario Marcellino subscripsi eum suprascripta mihi mandasse. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso est Serenianus. *Et accendente Sereniano episcopo, idem dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Victor episcopus plebis Tabaïcariensis (247) coram V. Cl. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso est Marcianus. *Et accendente Marciano episcopo, idem dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Victor episcopus plebis Timicitanæ (248) coram V. Cl. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* Habeo Optatum e diverso. *Et accedente Optato, idem dixit.* Ipse est. *Et recitavit.* Bonifacius episcopus plebis **274** Vallitanæ (249) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* Non habeo. *Valentinianus diaconus dixit.* Defunctus est ante annos septem. Restitutus dictus est. *Et recitavit.* Qui supra pro Limeniano episcopo plebis Taprurensis (250) coram V. C. tribuno et notario Marcellino subscripsi eum præsentem Carthagine mandasse. *Quo recitato, idem dixit.* Catholica est. *Habetdeus diaconus dixit.* Contra non habemus. *Et recitavit.* Proculus episcopus plebis Giutsitensis Salariæ (251) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* Catholica est. *Habetdeus diaconus dixit.* Habet presbyterum Lillybium. *Et recitavit.* Auxilius episcopus plebis Nurconensis (252) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* Unitatem possidemus, quod omnes sciunt Cæsarienses. Hic est Severinus (253), dicat. *Severinus episcopus dixit.* Numquam habuit. *Et recitavit.* Mensurius episcopus plebis Medefessitanæ (254) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato,* [*idem dixit.* Neminem habeo contra me.] *Valentinianus diaconus dixit.* Modo exivit de corpore. *Et recitavit.* Honorius episcopus pro Januario fratre et coepiscopo meo plebis Casarum Medianensium (255) Carthagini constitutus

Nicellus Rusurrensis aut *Rusurrianensis* Mauritaniæ Cæsariensis legatus, qui in Labbæana editione dicitur *Ruscuriensis*, et in margine *Rusuccurrensis*, vel *Rusocorensis*. Cæterum, Plinius, lib. v, cap. 2, ait *Rusucurium* civitate honoratum esse a Claudio. Coloniam appellant Antoninus in Itinerario et tabulæ Peutingerianæ. Apud Ptolemæum, lib. iv, c. 2, *Rusuccore* dicitur.

(242) *Bartimisiensis.* In eadem provincia Mauritaniæ Cæsariensis, in cujus notitia, num. 45, occurrit *Vardimissensis.*

(243) *Sululittanæ.* Iterum cap. 201 fit mentio episcopi *Hilari Sullitani.* Neuter locus in notitia Africæ reperitur, nisi forte *Sululittanus* idem sit cum *Cululitano*, qui tamen probabilius est *Cullitanus* de quo supra.

(244) *Aquensis.* In Mauritania Cæsariensi ex notitia num. 24. Ejusdem sedis videtur fuisse *Crescens* Metropolitanus *Aquitaniæ* civitatis, cujus meminit Victor Vitensis, lib. i, num. 7. Alii memorantur in hac collatione *Aquenses* episcopi, de quibus suo loco.

(245) *Malianensis.* In notitia Mauritaniæ Cæsariensis, num. 8, occurrit *Melianensis*, legendum *Malianensis.* Nam *Mallianam* habet Antoninus in Itinerario inter *Sufasar* et *Tigavascastra*, Mauritaniæ Cæsariensis urbes. In Augustini epistola ccxxxvi, ad Deuterium, fit mentio *Victorini* cujusdam *Mallianensis* subdiaconi ex Manichæorum secta, necnon *Mallianæ* urbis.

(246) *Mammillensi.* In Mauritania Cæsariensi, ut docet ejus notitia, num. 78.

(247) *Tabaïcariensis.* In eadem provincia ex eodem monumento, num. 103, ubi *Tabadcarensis* legitur.

(248) *Timicitanæ.* In eadem provincia, ibidem, num. 6. Plinius, lib. v, cap. 2, *Timici* inter civitates memorat. Ptolemæus, lib. iv, cap. 2, *Timice* cum aliis Mauritaniæ urbibus recenset.

(249) *Vallitanæ.* Apud Optatum, lib. ii, fit mentio *Bonifacii Ballitani* episcopi Donatistarum Romæ. *Vallim* in proconsulari locant Itinerarium Antonini et tabulæ Peutingerianæ. In concilio Carthaginensi ann. 525, sub Bonifacio subscribit *Restitutus episcopus plebis Vallitanæ.*

(250) *Taprurensis.* Hic locus *Taparura* vocatur in tabulis Peutingerianis, *Taphrura* apud Ptolomæum, et *Taphra* a Plinio. Hic in ms. codice *Taprurensis:* at cap. 187, dicitur *Taprura.* Situs est in provincia Byzacena et in limite Numidico, ut colligitur ex Ptolemæo et tabulis Peutingerianis.

(251) *Giutsitensis Salariæ.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(252) *Nurconensis.* In Mauritania Cæsariensi, ut docet notitia num. 102, ubi dicitur *Murconensis.* Patet ex verbis sequentibus hunc locum esse Mauritaniæ Cæsariensis.

(253) *Severinus.* Episcopus *Castellanus* in Mauritania Cæsariensi.

(254) *Medefessitanæ.* In provincia Byzacena, ut patet ex notitia, num. 57, ubi *Menefessitanus* episcopus commemoratur. *Menefeseos* in Byzacio meminit Procopius, de bello Vandal. lib. ii, cap. 23.

(255) *Casarum Medianensium. Casæ Medianenses* in Numidia, ut docet notitia, num. 29.

Digitized by Google

præsente V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et pro eo subscripsi. *Quo recitato, et accedente Januario episcopo catholico, idem dixit.* E diverso est mihi Æmilianus. *Et recitavit.* Adeodatus episcopus plebis Simidiccensis (256) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* Catholica est. *Habetdeus diaconus dixit.* Non habemus. *Et recitavit.* Ego Restitutus episcopus pro Solemnio collega meo plebis Tigisitanæ (257) præsente V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso est Paschasius. *Et accedente Paschasio, idem dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Lampadius episcopus plebis Tiseditensis (258) coram V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso [est mihi Donatus. *Et accedente Donato, idem dixit*]. Agnosco illum. *Et recitavit.* Cyprianus episcopus plebis Tuburbitanorum Majorum (259) præsente V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso est Rufinus. *Et accedente Rufino, idem dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Donatianus episcopus plebis Zellensis (260) præsente V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagine. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso habeo Natalicum. *Et accedente Natalico episcopo, idem dixit.* Agnosco illum. [*Et recitavit.*]

136. Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ Tagastensis (261) Carthagini constitutus præsente viro clarissimo tribuno et notario Marcellino hoc mandatum suscepi, et subscripsi. *Quo recitato, idem dixit.* Utinam quemadmodum Tagastis antiqua unitate gaudet, ita etiam de cæteris locis gaudeamus.

137. *Petilianus episcopus dixit.* Mala est unitas innocentiæ et criminis. Non possunt utraque juxta misceri. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi. *Et recitavit.*

138. Augustinus episcopus Ecclesiæ Hipponiensium regiorum (262) Carthagini constitutus præsente viro clarissimo tribuno et notario Marcellino hoc mandatum suscepi et subscripsi. *Quo recitato, et accedente episcopo, idem dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Vincentius episcopus Ecclesiæ Culusitanæ (263) Carthagini constitutus, præsente V. C. tribuno et notario Marcellino hoc mandatum suscepi et subscripsi. *Quo recitato, idem dixit.* catholica est. *Habetdeus diaconus dixit.* Habuit, sed modo communicavit ipsis. *Et recitavit.* Fortunatus episcopus Ecclesiæ Constantiniensis (264) Carthagini constitutus, præsente V. C. tribuno et notario Marcellino hoc mandatum **275** suscepi et subscripsi. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso habeo Petilianum.

139. *Petilianus episcopus dixit.* Ipse est Ecclesiæ persecutor in eadem civitate ubi ego episcopus sum. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Carthaginensis dixit.* Et paulo ante jaculatus es injuriam, et non recepisti. *Fortunatus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* In eadem civitate ab hæreticis omnia altaria confracta sunt. *Petilianus episcopus dixit.* Persecutorem te esse acta contineant. Loco suo audies quæ mereris. *Et recitavit.* Fortunatianus episcopus Ecclesiæ Siccensis (265) Carthagini constitutus, præ-

(256) *Simidiccensis.* In provincia proconsulari. In concilio Carthaginensi ann. 419, iste Adeodatus dicitur tum in codice Canon. Eccles. Afric., tum in codice Canon Ecclesiast. ex Dionysio Exiguo *Simidicus episcopus*, in Græco Σιμηδικίτης; male autem in editione Labbæana *Simituensis*, seu *Sumitensis*. Unus est e legatis provinciæ proconsularis.

(257) *Tigisitanæ.* Illius scilicet quæ in Numidia, non illius quæ in Mauritania Cæsariensi; nam subscribit pro Solemnio *Restitutus Novasiunensis episcopus in Numidia.* De *Tigisitanis* sedibus consule notam 65, in lib. I Optati., p. 15.

(258) *Tiseditensis.* Baluzio idem est ac *Tididitanus*, qui in notitia Numidiæ num. 24, Holstenio idem ac *Tifiltensis*, qui in notitia Mauritaniæ Cæsariensis, n. 15.

(259) *Tuburbitanorum Majorum.* In provincia proconsulari, nam, ut observavimus, oppida ejusdem nominis, quorum unum dicitur majus, alterum minus, solent esse vicina.

(260) *Zellensis* seu potius *Telensis* in provincia proconsulari, ut docet notitia, num. 14, nam *Natalicus* hujus adversarius *Telensis episcopus* dicitur in concilio Cabarsussitano. Litteræ *Z* et *T* sæpe commutantur. Attamen alius est episcopus *Telensis* ex parte Donati nomine *Felix*, cap. 207, unde colligit Baluzius *Zellam* a *Tela* differre. Sed fieri potuit, ut duo essent episcopi Donatistæ ejusdem urbis, aut mendum sit in nomine posterioris. Nam Natalicum qui hic *Zellensis* dicitur et Donatiani adversarius, constat *Telensem* fuisse episcopum ex concilio Cabarsussitano. In synodica episcoporum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi legitur nomen *Bonifacii episcopi Telensis. Zellæ* aliàs nulla fit mentio.

(261) *Tagastensis.* In Numidia, ut docet notitia, num. 118, nota civitas ex Augustini et Alypii nominibus. In Antonini Itinerario media locatur inter *Hipponem regium* et *Naragarram.*

(262) *Hipponiensium regiorum.* Notissimum veteribus Emporium in ora Numidiæ, cujus meminere Strabo, Ptolemæus, Antoninus in Itinerario, Silius Italicus, aliique veteres, inter *Tabracam* et *Cirtam.* Hæc urbs Augustini episcopatu quantum nobilitata fuerit vix dici potest.

(263) *Culusitanæ.* In provincia proconsulari, ut docet notitia num. 33. *Vincentius* hujus episcopus fuit unus ex actoribus, de quibus jam diximus in præfatione Gestorum. *Marcianus episcopus plebis Culusitanæ* interfuit concilio Carthaginensi sub Bonifacio anno 525. Et synodicæ episcoporum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Petrus episcopus Ecclesiæ Culcitanensis.*

(264) *Constantiniensis* seu *Cirtensius* in Numidia. Urbs Numidiæ celebris; olim regia Massinissæ Metropolis civilis totius Numidiæ: Melæ, Straboni, Cæsari, Livio, Plino, cæterisque omnibus Geographis nota. In Antonini Itinerario pro *Cirta* legitur *Circa.* Et in notitia episcoporum Numidiæ *Cicensis* quoque legitur. *Constantinæ* nomen habet a *Constantino Magno*, et nunc etiamnum hoc nomine donatur.

(265) *Siccensis.* In provincia proconsulari, ubi urbs *Sicca Veneria* cujus meminit Antoninus in Itinerario. Cujus etiam meminit Procopius, libro II de bello Vandalic., Victor Vitensis, et Augustinus, et Tabulæ Peutingerianæ. Hujus episcopus subscripsit epistolæ episcoporum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino, et *Castus a Sicca* unus est episcoporum qui in concilio Carthaginensi sub Cypriano sententiam dixerunt.

Digitized by Google

sente V. C. tribuno et notario Marcellino hoc mandatum suscepi et subscripsi. *Quo recitato, idem dixit.* Unitatem Ecclesiæ Siccensis novi, episcopum quidem tantum nomine audivi. *Et recitavit.* Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ Calamensis (266) Carthagini constitutus, præsente V. C. tribuno et notario Marcellino hoc mandatum suscepi et subscripsi. *Petilianus episcopus dixit.* Crispinus proximo tempore exivit de corpore. *Et recitavit.* Florentinus episcopus Ecclesiæ catholicæ Hipponensium Zaritorum, Carthagine constitutus, coram V. Cl. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso est Victor. *Habetdeus diaconus dixit.* Custos datus est codicum.

140. *Petilianus episcopus dixit.* Jamdudum inter defensores quibus mandatum est adverti nomen Fortunatiani et Fortunati retineri. Nunc quoque ipsos mandatores esse recitari percipio. Quæ est ista diversitas? Nemo umquam sibi mandavit.

141. *Marcellinus vir clarrissimus tribunus et notarius dixit.* Utrum eorum qui causam peragendam susceperunt, par atque similis sit subscriptio recitetur. *Et recitavit.* Fortunatus episcopus Ecclesiæ Constantinensis Carthagini constitutus præsente V. C. tribuno et notario Marcellino hoc mandatum suscepi et subscripsi. *Item recitavit.* Fortunatianus episcopus Ecclesiæ Siccensis Carthagini constitutus præsente viro clarissimo tribuno et notario Marcellino hoc mandatum suscepi et subscripsi. *Quo recitato.*

142. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Pervidet sanctitas vestra subscriptionibus suis eos de suscepto mandato fuisse professos. Unde cætera per ordinem relegantur. *Et recitavit.* Serenianus episcopus Miditensis (267) Carthagini constitutus præsente viro clarissimo tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi, *Quo recitato, idem dixit.* Catholica est. *Peregrinus Sufetanus* (268) *episcopus dixit.* Presbyterum illic habeo Victorem. Diœcesis mea est. *Victor episcopus dixit.* Adsum. Scriptum sit si ipse Florentius bene agnoscit, qui me persecutus est innocentem, quem apprehendit, et in custodiam officii dedit necandum, ubi triennium temporis feci.

143. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ista suo ordine, cum putaveris, peragentur. *Et recitavit.* Novatus episcopus Ecclesiæ Sitifensis (269) Carthagini constitutus præsente V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso habeo Marcianum. *Et accedente Marciano episcopo, idem dixit.* Agnosco persecutorem meum. *Et recitavit.* Maurentius episcopus Ecclesiæ Tubursicensis (270) Carthagini constitutus præsente viro clarissimo tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso Januarianum habeo. *Et accedente Januariano, idem dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Bonifacius episcopus Ecclesiæ Cataquensis (271) Carthagini constitutus præsente viro clarissimo tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi Carthagini. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso Speratus est mihi. *Et accedente Sperato, idem dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Squillacius episcopus Ecclesiæ Scillitanæ (272) Carthagini constitutus præsente V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi. *Quo recitato, idem dixit.* E diverso Donatum habeo. *Et accedente Donato episcopo, idem dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Priscus episcopus Ecclesiæ Quidiensis (273) Carthagine constitutus præsente. V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi. *Quo recitato, idem dixit.* Non habeo Donatistas. Qui illic fuit cum paucis parentibus suis, cum ipsis conversus est. *Honoratus episcopus dixit.* Episcopus noster Quizicensis succubuit in persecutione. Presbyteri nostri sunt illic. *Et recitavit.* Deuterius episcopus Cæsariensis (274) Carthagine constitutus **276** præsente viro clarissimo tribuno et notario Marcellino

(266) *Calamensis.* In Numidia, ut docet notitia num. 3, de qua vide quæ diximus in nota 51 ad lib. I Optati p. 15. De Possidio quoque ejus episcopo dictum in Præfatione ad hæc Gesta.

(267) *Miditensis.* In provincia Byzacena, ut docet notitia num. 6.

(268) *Sufetanus episcopus.* In eadem provincia, ex eadem notitia, num. 21. In concilio Carthaginensi, sub Cypriano sententiam dixit *Privatus a Sufibus.* *Sufis* memoratur in Itinerario Antonini : ejusdem fit mentio apud Victorem Vitensem, et in Vita Fulgentii. *Suffectanos martyres sexaginta* laudat Augustinus, epist. L, quorum memoriam celebrat Martyrologium Romanum die 13 Augusti.

(269) *Sitifensis.* Nota civitas, vel ex eo quod toti provinciæ nomen dederit, cujus et caput erat : ejus meminere Antoninus in Itinerario, Ptolemæus aliique veteres. Illic *Novatus* suæ provinciæ legatus adfuit concilio Carthaginensi ann. 419, et laudatur ab Augustino in epistola 229, circa finem vitæ ejus scripta.

(270) *Tubursicensis.* In Numidia, ut docet notitia, n. 22. Hujus oppidi meminit Antoninus, in Itinerario. Vicinum erat Tagastæ, ut patet ex epistola Aug. CLXIII.

(271) *Cataquensis.* Pro quo legitur in notitia Numidiæ, num. 68, *Cethaquensusca*, haud dubie mendose, quia cum scriptum esset *Cethaquensis*, studiosus quidam apposuit in margine *ca* pro *ce*, legendum docens *Cataquensis*, quod imperitus exscriptor non intelligens, *ca* in fine apposuit. *Bonifacius* de quo hic, Pauli in episcopatu successor fuerat, ut videre est apud Augustinum epist. 96.

(272) *Scillitanæ.* Est sedes *Sillitana* in Numidia, de qua supra ad cap. 128, sed ista videtur ad provinciam proconsularem pertinere. Sane in epistola episcoporum hujus provinciæ in concilio Lateranensi subscribit *Parjator episcopus sanctæ Ecclesiæ Scillitanæ. Scillitanos martyres* ab hoc potius quam ab illo oppido dictos fuisse suspicor.

(273) *Quidiensis.* In Mauritania Cæsariensi, ut docet notitia, num 2. *Quisa Xenitana* peregrinorum oppidum dicitur apud Plinium, lib. v, cap. 2. A Pomponio Mela, lib. I, cap. 6, Castellum dicitur, municipium ab Antonino, in Itinerario et colonia a Ptolemæo, lib. IV, cap. 2.

(274) *Cæsariensis. Cæsarea* Mauritaniæ Metropolis, *Jol* olim dicta *Regis Jubæ regia, a divo Claudio coloniæ jure donata, ejusdem jussu deductis veteranis*, ut habet Plinius, lib. v, cap. 2; a Ptolemæo, lib. II, cap. 4, *Jol Cæsarea;* ab Antonino, in Itinerario, *Cæsarea colonia;* a Pomponio Mela, lib. I, cap. 6, *Jol ad*

suprascripta mandavi [et subscripsi.] *Quo recitato*, *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Custos est tabularum. *Valentinianus diaconus episcopi Primiani dixit.* Emeritus est illic. *Et accedente Emerito, idem dixit.* Agnosco eum. *Et recitavit.* Restitutus episcopus Tagorensis (275) Carthagini constitutus præsente viro clarissimo tribuno et notario Marcellino, suprascripta mandavi [et subscripsi.] *Quo recitato, Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Etiam ipse custos est tabularum. *Valentinianus diaconus episcopi Primiani dixit.* Non habemus. *Et recitavit.* Leo episcopus municipii Moptensis (276) Carthagine constitutus præsente V. C. tribuno et notario Marcellino suprascripta mandavi et subscripsi. *Quo recitato, idem dixit.* Habeo Felicem. *Et accedente Felice, idem dixit.* Agnosco illum. *Et recitavit.* Asterius episcopus plebis Vicensis (277) Carthagine constitutus coram V. Cl. tribuno et notario Marcellino [suprascripta] mandavi et subscripsi. *Quo recitato, idem dixit.* In ipso solo mecum alius episcopus non est. *Et accedente Urbano episcopo, idem dixit.* Deus videt, quia non illum novi.

144. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Jamdudum me obtulisse sanctitati vestræ sat certum est, ut competenti reverentia, sedentes omnia tractaretis : siquidem mihi onerosum esse non nescio, tot venerabilibus viris stantibus residere. Unde vel nunc multitudine sequestrata, sedere dignemini.

145. *Petilianus episcopus dixit.* Agimus gratias honorificentiæ tuæ, vir nobilis, quod talis ac tanta est tua pietas, ut benemeritis viris antiquissimisque sacerdotibus et tot persecutionum palmis florentibus, hanc benignitatem præstare digneris ut gravissima senectus, quæ ornata est annis et meritis suis, sedendo sese reficiat, ne stando diutius laborare videatur, ne hic quoque labor oneret modicas vires senectutis. Sed quoniam vires Dominus subministrat, ipsamque reverendam senectutem facit esse fortiorem, non erubescimus, non veremur, non evitamus te residente, vir nobilis, libenter adsistere. Siquidem hoc nec Christus Dominus noster vitaverit cum ante præsidem stetisse dignatus est, quanto magis nos non recusamus, cum tu honorificus, tu justus, tu reverens, tu benignus, hanc offeras gratiam quæ tibi a Domino remuneratore dignissimis præmiis frequentissime referatur? Id autem nobis expedit, id necesse est, ut cum causa peroratur, cum prius incipitur, ut etiam personæ constent, stare singulos deceat, quibus subire contingit disceptationis examen. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

146. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Quoniam oblata recusat sanctitas vestra, pars illa tractanda est, ut quia sicut voluit vestra religio, universorum qui subscripserunt demonstrata præsentia est, secundum formam cœlestis oraculi, sponsionis quoque vestræ memores, deligatis idoneos vestræ scilicet assertionis actores, quibus disputantibus, atque multitudinis sicut ante placuit confusione seclusa, plene possint universa cognosci.

147. *Emeritus episcopus dixit.* Res in vado est, mandantium persona præsens est, mandatum quoque ferimus; sed ut actorum fides etiam cum nostra subscriptione adstipuletur, et professio recitabitur, et quæ in placito subscripta sunt, actis hærebunt. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

148. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Susceptum mandatum ab officio recitetur. *Et cum tradidissent, Rufinianus subscriba recitavit.* Post consulatum Varanis viri clarissimi octavo kalendarum Juniarum Carthagini Junuarianus, Primianus, Felix, Donatus, Candorius, Optatus, Donatianus, Antonianus, Victorianus, Fortis et cæteri, Primiano, Petiliano, Emerito, Protasio, Montano, Gaudentio, Adeodato coepiscopis nostris præsentes præsentibus salutem. Mandamus vobis Ecclesiæ Dei causam, defensoresque vos facimus adversus traditores persecutoresque nostros, qui nos in judicio viri clarissimi spectabilis tribuni et notarii Marcellini, per supplicationem suam proposito edicto inquietare voluerunt, ut eorum intentionibus respondeatis. Quicquid egeritis pro statu sanctæ Ecclesiæ, ratum nos habituros, nostra subscriptione profitemur. *Et alia manu.* Optamus vos in Domino bene valere et nostri memores esse. *Quo recitato.*

149. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Subscriptiones hujus quoque mandati relegantur. *Rufinianus scriba recitavit.* Januarianus episcopus Casensium Nigrensium (278) huic mandato nostro subscripsi. *Item alia manu.* Primianus episcopus Carthaginensis huic mandato subscripsi. *Item alia manu.* Felix urbis Romæ episcopus (279) huic mandato subscripsi. *Item alia manu.* Donatus

mare aliquando ignobilis, nunc quia Jubæ regia fuit, et quod Cæsarea vocitatur illustris. Solinus regis Bocchi regiam postmodum Jubæ, indulgentia populi Romani dono datam observat. Nunc putatur esse Algerii civitas. Emeritus ejus episcopus Donatista unus fuit e septem actoribus partis Donati, et Deuterius catholicus unus e custodibus tabularum ex parte Catholicorum.

(275) *Tagorensis.* Hujus *Tagoræ* quæ in proconsulari, non illius quæ in Numidia. Vide supra, not. 201. *Restitutus* is fuit unus e custodibus chartarum ex parte Catholicorum.

(276) *Moptensis.* In Mauritania Sitifensi. Cujus provinciæ legatus hic *Leo* adfuit concilio Carthaginensi ann. 419. Quidam codices habent *Moctensis. Mopti* municipium habetur in tabulis Peuting. Idem videtur esse cum *Mozotensi*, de quo in notitia Sitifensis provinciæ, n. 33.

(277) *Vicensis.* Forte *Vico Pacensis* in Numidia, quæ ultima est sedes in ejus notitia. Concilio Carthaginensi sub Cypriano interfuit *Januarius a Vico Cæsaris*, et in concilio Carthaginensi sub Bonifacio anno 525, *Florentianus Vicopacatensis.*

(278) *Casensium-Nigrensium.* In Numidia famosus est *Donatus a Casis Nigris* auctor schismatis. Januarianus primas erat episcoporum Numidarum partis Donati, ut docet indiculus Possidii in codice Colbertino, et lemma ep. LXVIII S. Aug.

(279) *Felix Urbis Romæ.* Pseudo-episcopus scilicet Montensium qui Romæ degebant.

Digitized by Google

episcopus Botrianensis (280) huic mandato subscripsi. *Item alia manu.* Florianus episcopus Putiziensis (281) subscripsi. *Item alia manu.* Candorius episcopus Aggeritanus subscripsi. *Item alia manu.* Antonianus episcopus Lamsortensis (282) subscripsi. *Quo recitato.*

150. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Noverimus etiam ipsorum præsentiam. [*Et alia manu*] Recognovi.

151. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Tam mandatum quam subscriptiones eidem cohærentes gestis præsentibus inserentur. Ad pleniorem autem fidem pars utraque designet, utrum nihil de mutuis mandatis vocetur in dubium.

152. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Carthaginis dixit.* Secundum subscriptiones mandati singuli accesserunt nostrorum, et professi sunt mandasse se nobis. Etiam ipsi hoc faciant, ut subscriptionibus recitatis, singuli profiteantur mandavisse se huicque mandato subscripsisse. *Et alia manu.* Recognovi.

153. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius* **277** *dixit.* Ideo transire jussi sunt singuli, ut de præsentia, non de professione constaret. Subscriptiones enim tantum posse sufficere nulli vocatur in dubium. Unde nunc illud quæritur, utrum utrarumque partium mandata utrisque partibus placere videantur.

154. *Aurelius episcopus Ecclesiæ Catholicæ Carthaginis dixit.* Sed volumus ut suis subscriptionibus respondeant per incolumitatem tuam, cognoscant mandavisse se, quia non interfuit sublimitas tua cum isti subscriberent. Quod clanculo fecerunt, publice profiteantur. *Et alia manu.* Recognovi.

155. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Justa poscuntur, licet subscriptiones certum sit posse sufficere.

156. *Aurelius episcopus ecclesiæ catholicæ Carthaginis dixit.* Ipsi nos sollicitiores reddiderunt.

157. *Rufinianus scriba recitavit.* Januarianus episcopus Casensium [Nigrensium]. *Et cum recitasset, Januarianus* [*Episcopus dixit.*] Ego et mandavi et subscripsi. Scriptum sit itaque me non habere adversarium aliquem de parte ipsorum in plebe mea. *Rufinianus scriba recitavit.* Primianus episcopus Carthaginensis. *Et cum recitasset, Primianus episcopus Carthaginis dixit.* Mandaveram; sed ego hoc mandatum suscepi. *Rufinianus scriba recitavit.* Felix episcopus urbis Romæ. *Et cum recitasset, Felix episcopus urbis Romæ dixit.* Et mandavi et subscripsi. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ubi est Felix? *Et alia manu.* Recognovi.

158. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Esto, quia urbis Romæ episcopum se dicit. Quare præjudicatur absenti (283)? *Et alia manu.* Recognovi.

159. *Petilianus episcopus dixit.* Quæ ratio (284) huc eum detulerit nullus ignorat. Nobilitatem omnem hic esse Romanam nec ipsi nescitis. Idem igitur turbo, eademque necessitas eum huc detulit. Ut non dissentire videretur a nobis, et ipse mandavit. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

160. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Carthaginis dixit.* Potuimus et nos transmarinos conducere, quorum nomina adderemus mandato. *Et alia manu.* Recognovi.

161. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Licet et sanctitas vestra plenius recognoscat, et imperiali sit auctoritate definitum inter Africanarum provinciarum episcopos me tantum debere cognoscere, tamen hoc quoque sine præjudicio episcopi urbis Romæ, licet ex superfluo, libenter indulgeo.

162. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Carthaginis dixit.* Abundat nos absenti [non] præjudicasse. *Ex alia manu.* Recognovi.

163. *Petilianus episcopus dixit.* In omnibus hoc sequantur et teneant, se pro absentibus et transmarinis nihil esse locuturos. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Carthaginis dixit.* Abundat nos Innocentium dixisse urbis Romæ esse episcopum. *Et alia manu.* Recognovi. *Rufinianus scriba recitavit.* Donatus episcopus Botrianensis. *Idem dixit.* Et mandavi et subscripsi. Scriptum sit me non habere contrarium. *Rufinianus scriba recitavit.* Florianus episcopus Putiziensis. *Et cum recitasset, Primianus episcopus Carthaginis dixit.* Hic apud Carthaginem infirmatus est: timens exitum suum perrexit, jam subscripserat. *Et recitavit.* Candorius episcopus Aggeritanus. *Et cum recitasset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. Habeo contrarium. *Et recitavit.* Antonius episcopus Lamsortensis. *Idem dixit.* Mandavi et subscripsi. Non illic habeo adversarium. *Et recitavit.* Datianus episcopus Tamicensis (285). *Idem dixit.* Mandavi et subscripsi: adversarium ibi non habeo. *Et recitavit.* Victorianus episcopus Abissensis (286). *Et cum recitasset, idem dixit,* Mandavi et subscripsi: adversa-

(280) *Botrianensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(281) *Putiziensis.* Duplex sedes *Putiensis* occurrit in notitia; una in provincia Numidiæ num. 17, altera in Byzacena num. 18. Hic forte Byzacenæ episcopus est. Alter episcopus *Putiensis* Donatista nomine Felix reperitur.

(282) *Lamsortensis.* In Numidia, ut docet Notitia num. 23. Concilio Carthaginensi sub Bonifacio ann. 525 subscripsit *Florentius episcopus Lamsortensis.*

(283) *Absenti.* Id est, vero episcopo Romano, qui tunc erat Innocentius. BALUZIUS.

(284) *Quæ ratio.* Nimirum cladeś Romanæ urbis quam Alaricus Gothorum rex ceperat IX kal. Septembris anni superioris. BALUZIUS.

(285) *Tamicensis*, non *Timicensis.* Nam hujus episcopus Donatista vocabatur *Optatus*, ut constat ex superioribus; sed forte *Tamazucensis* vel *Tamazensis* in notitia Mauritaniæ Cæsariensis num. 120. Est et *Tamazenus* episcopus inter Byzacenos, in epistola relata in concilio Lateranensi sub Martino, cujus nulla est in notitia mentio.

(286) *Abissensis.* Cujus provinciæ sit, ignotum.

Digitized by Google

rium habeo in diœcesi mea. *Et recitavit.* Natalicus episcopus Zellensis. *Et cum recitasset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Maximinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Diœcesis est Mizonii (287) episcopi. Presbyteros habet et abundantem populum quam ipse. *Et recitavit.* Fortis episcopus Cediensis. *Et cum recitasset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi, adversarium non habeo.

164. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Quoniam longum est ire per singulos, hi decem qui se mandasse professi sunt, actis edicant utrum coram ipsis omnium sit facta subscriptio, et præbeant in ea quæ sunt gesta consensum.

165. *Petilianus episcopus dixit.* Magno quidem compendio utitur magnificentia tua, vir nobilis, ut decemque patres collegæque nostri, qui jam se mandasse subscripsisseque professi sunt, etiam cæteros patres subscripsisse testentur. Equidem hoc ad eam rem, vel maxime proficit, ne tempus hujusce diei ulterius producatur. Sed tamen hoc expedit causæ, ut singuli quique se et mandasse et subscripsisse profiteantur, propterea ut etiam illud non taceant, se æmulos non habere. Lucrum enim videtur his cedere, qui multos se adversum nostros habere per hanc provinciam ostenderunt, si in provincia Numidia non ostendimus eos penitus non habere, aut habere certe, sed raris locis. Omnis enim intentio nostra, vir nobilis, sicut meminisse dignaris, de numero sæpissime causata est, atque in eodem vehementissime hæret. Et quamquam nobis multitudinem pax nutriat et conservet, illis multitudinem bella conquirant, dum absentibus nobis, aut in locis, aut in civitatibus, aut in diœcesibus passim multas imagines (288) erigunt, ut numerosi esse videantur: tamen etsi par sit utriusque adversitatis numerus, major meus debet videri, qui et me absente perstitit, et cum ipse sit cardinalis atque authenticus, nec æmulatione multiplici superatur. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

166. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Desiderio vestro satisfacere volui in omnibus inquirendis. Cæterum constat nullam mihi de numero cognitionem fuisse mandatam.

167. *Petilianus episcopus dixit.* Nobis hoc salvum sit quod non debuimus reticere.

168. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit.* **278** Potuimus quidem numerosiores Catholicæ Ecclesiæ toto orbe diffusæ, quantum ad causam pertinet, in Africa demonstrare, si in hoc totum actionis pondus consisteret. Verum quia nescio quibus moratoriis actionibus vir gravissimus utitur Petilianus, amputatis superfluis, ad causæ jam initium veniatur, significantes insinuantesque nobilitati tuæ, vanum in nos præjudicium sua prosecutione voluisse depromere. *Et cum diceret.* (*Et alia manu.* Recognovi.)

169. *Petilianus episcopus dixit.* Injuriam facis vane, reponetur tibi, et quamquam reponere non liceat, tecum habeto. *Et alia manu.* Recognovi.

170. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit.* Quo diceret, excusationis tendiculas prætendens, ante diem cognitionis se quasi cœlorum senatum partis Donati episcopos observasse diuturno labore fuisse confectos, cum a nostra parte omnino semper audientia flagitata sit; sed idcirco diem tempusque observavimus, ut et in hoc obedientia catholicæ Ecclesiæ monstretur. *Et cum diceret* (*et alia manu.* Recognovi.)

171. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Secundum edicti tenorem utræque partes his tantum in judicio remanentibus quibus constitit cognitionem ab omnibus fuisse mandatam, juxta professiones suas causam tractare debebunt.

172. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ut causa cognosci possit, decernat sublimitas tua superfluam et circumstantem nobis exire multitudinem. *Et alia manu.* Recognovi.

173. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Hoc fieri necesse est. Illud autem prius est, ut decem ab utraque parte fateantur se in subscribentium consensisse personas; et licet ad vestram petitionem eorum fuerit præsentia procurata, tamen, ne quid vobis denegatum esse videatur, universorum subscriptiones ex ordine relegantur.

174. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Respondeant; utrum omnium subscriptiones quæ mandato continentur, hic apud Carthaginem sint conscriptæ. *Et alia manu.* Recognovi.

175. *Emeritus episcopus dixit.* Quantum ex prosecutione cognovi, opus erat ut e nostris partibus professio promeretur. Patientia judiciorum tuorum, quæ manum dat omnibus, libenter annuit, ut et ii qui subscripserunt, professionem suam præsenti adstipulatione inserant gestis. Petimus præstantiam tuam ut cum subscriptio cœperit recitari, eosdem digneris audire. *Et alia manu.* Emeritus recognovi.

176. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Subscriptiones omnium, sicut jusseram, recitentur. *Rufinianus scriba recitavit.* Optatus episcopus Rusuccuritanus. *Et cum recitasset, Optatus episcopus dixit.* Mandavi et subscripsi. *Et recitavit.* Pomponius episcopus Macrianensis. *Et cum recitasset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Et recitavit.* Donatianus episcopus Bagaiensis. *Et cum recitasset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Et recitavit.* Privatus episcopus Auzagensis (289). *Et cum recitasset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi: adversarium in plebe

(287) *Mizonii episcopi.* Antea sub finem cap. 135, non *Mizonius*, sed *Donatianus* dicitur Catholicus episcopus, cui *Natalicus Zellensis* oppositus erat. Quare suspicatur Baluzius hinc excidisse nomen cujusdam *Donatiani* episcopi, cujus adversarius erat iste *Mizonius*; nisi dicas duos fuisse episcopos in diœcesi Zellensi *Donatianum et Mizonium.*

(288) *Imagines.* Id est, personatos episcopos.

(289) *Auzagensis. Auzagga* duplex, ut constat ex cap. 179 infra. Huic sese opponit *Primulus Vagensis* episcopus partis Donati, et adversarius quondam *Ampelii*, sed qui ad Ecclesiam redierat, ut mox dicitur. Cur autem id acciderit, ortum est ex eo quod nomen hujus urbis pronuntiabatur ab Afris, Ausse-

Digitized by Google

mea non habeo. *Ampelius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Perfectam unitatem ex conversione sua cognoscens, rectissimam fidem mecum frater meus Primulus loquitur episcopus. Episcopus enim tunc fuit partis Donati. Nunc conversus demonstrat cum plebe integram fidem ex sua conversione. Unitas illic perfecta est, non solum in ipsa civitate, verum etiam in omnibus diœcesibus.

177. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Carthaginis dixit.* Rogamus recitari nomina quæ jamdudum de subscriptione recitavit, Donatianum dico Bagaiensem et Privatum Vagensem. *Et alia manu.* Recognovi.

Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit. Denuo hæc nomina, de quibus dubitatio nascitur, recitentur. *Et recitavit.* Donatianus episcopus Bagaiensis, Privatus episcopus Vagensis. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Absit fallacia. *Rogatus episcopus dixit.* Januarianus dicitur, non Privatus.

178. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Vultum tamen ipsum esse cognoscis.

179. *Rogatus episcopus dixit.* Januarianum scio, Privatum nescio. *Primianus episcopus Carthaginensis dixit.* Jamdudum de duobus fuit causa. Idcirco et illi non sunt mentiti, nec nostri. Nam est Auzagga ubi fuit Januarianus, qui nunc defunctus est : alia Auzagga, ubi est Privatus, qui nunc vivit. *Et alia manu.* Primianus episcopus recognovi.

180. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Satis episcopali veritate rem de qua error fuerat natus, judiciis intimare dignatus es. Unde nunc cætera perlegantur. *Et recitavit.* Donatus episcopus plebis Celerinensis (290). *Et cum recitasset, idem dixit.* Ego mandavi et subscripsi : adversarium omnino nec habui nec habeo in plebe mea. *Et recitavit.* Victor episcopus Hipponiensium Diarrhytorum. *Et cum recitasset, idem dixit.* Et mandavi et subscripsi. *Et recitavit.* Sarmentius episcopus Ternamusensis (291). *Et cum recitasset, idem dixit.* Et mandavi et subscripsi. Teneant gesta quia in plebibus meis adversarium non habeo. *Et recitavit.* Perseverantius episcopus Tevestinus (292). *Et cum recitasset, idem dixit.* Et mandavi et subscripsi. *Et recitavit.* Pancratius episcopus Badiensis. *Et cum recitasset, idem dixit.* Et mandavi et subscripsi. *Et recitavit.* Maximianus Serteitanus (293) episcopus. *Et cum recitasset, idem dixit.* Et mandavi et subscripsi. *Et recitavit.* Severinus episcopus Castellanus (294). *Et cum recitasset, idem dixit.* Et mandavi et subscripsi. *Et recitavit.* Colonicus episcopus Tinistensis (295). *Et cum recitasset, idem dixit.* Et mandavi et subscripsi, et traditores apud me non habeo. *Et recitavit.* Felix episcopus Moptensis. *Et cum recitasset, idem dixit.* Et mandavi et subscripsi. **279** *Et recitavit.* Secundinus episcopus Jucundianensis (296). *Et cum recitasset, idem dixit.* Et mandavi et subscripsi : adversarios in Ecclesia non habeo. *Et recitavit.* Donatus episcopus Vageatensis (297). *Et cum recitasset, idem dixit.* Et mandavi et subscripsi.

181. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Scriptum sit istos omnes in villis vel in fundis esse episcopos ordinatos, non in aliquibus civitatibus. [*Et alia manu.* Recognovi.]

182. *Petilianus episcopus dixit.* Sic etiam tu multos habes per omnes agros dispersos. Immo crebros ubi habes, sane et sine populis habes. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Scripta sint quæ ab utrisque partibus insinuata videntur esse judiciis. *Et recitavit.* Rogatianus episcopus Idassensis (298). *Et cum recitasset, idem dixit.* Et mandavi et subscripsi : non habeo adversarium. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Macomadiensis dixit.* Habeo presbyterum in Ecclesia Florentinum. Episcopi fuerunt tres Catholici jam decesserunt : non potuimus adhuc ordinare. Presbyterum illic habemus Florentinum *Et recitavit.* Germanus episcopus Zugabbaritanus. *Et cum recitasset, idem dixit.* Et mandavi et subscripsi. *Et recitavit.* Rogatianus episcopus Villamagnensis. *Et cum recitasset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi : adversarium non habeo (299). *Et recitavit.* Presbyter Manilius Bazienus (300) pro episcopo meo. *Et cum recitasset.*

gensis, ut in concilio Carthaginensi sub Cypriano, ubi occurrit *Aimnius ab Ausvaga*. Quare hinc factum ut non audita prima syllaba, *Vagensem* esse crediderint, et idcirco *Vagenses* episcopi huic sese opposuerint. Sicut autem *Vaga* erat in Numidia, ita et *Ausvaga*.

(290) *Celerinensis*. Cujus provinciæ sit, incertum.

(291) *Ternamusensis*. In veteri codice *Cernamusensis*, sed emendavit Baluzius *Ternamusensis* ex Itinerario Antonini, ubi inter oppida Mauritaniæ Cæsariensis refertur *Taranamusa castra*. Certe sedes ista diversa est a *Ceramanensi* Numidiæ, quæ nullum habebat episcopum Donatistam, ut supra dicitur cap. 133. In notitia Mauritaniæ Cæsariensis est sedes *Ternamunensis*, legendum *Ternamusensis*.

(292) *Tevestinus*. Vide quæ diximus ad Notam 44 in lib. II Optati.

(293) *Serteitanus*. In Mauritania Sitifensi, ut docet notitia, num. 28.

(294) *Castellanus*. In Mauritania Cæsariensi, ut docet notitia num. 75. Inter Mauritaniæ Cæsariensis urbes *Castellum* memorat Anonymus Ravennensis lib. III, num. 8.

(295) *Tinistensis*, seu *Tinisensis*. Forte in Numidia. In concilio Carthaginensi sub Cypriano sententiam dixit *Venantius a Tinisa*. *Tinissam* laudat Ptolemæus lib. IV, cap. 3.

(296) *Secundinus episcopus Jucundianensis*. Is in concilio Cabarsussitano appellatur *Secundus Jocundianensis*, cujusdam villæ Numidiæ.

(297) *Vageatensis*. Item cujusdam villæ aut fundi in Numidia episcopus, ut statim arguit Alypius.

(298) *Idassensis*. In Numidia, ut docet notitia num. 27, a *Macomadia*, non longe abfuisse ex hoc loco colligitur, cum Macomadiensis episcopus dicat se ibi presbyterum habere.

(299) *Adversarium non habeo*. Idem antea cap. 133, dixit, *Augendus Villæ-magnensis* : quare vel se mutuo non noverant, vel diversarum ejusdem nominis sedium erant episcopi.

(300) *Bazienus* seu *Bazitensis* in Numidia. Nam ut

Digitized by Google

183. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Pro quo episcopo? *Petilianus episcopus dixit.* Lumine captus est. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Respondeatur utrum præsens sit, pro quo subscriptum est. *Et alia manu.* Recognovi. *Primianus episcopus dixit.* Loquamur veritatem. Oculis captus est, venire non potuit, presbyterum suum direxit. *Et alia manu.* Primianus episcopus recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Sed nomen ipsius debuit subscriptione teneri.

184. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Testatum sit [eos] etiam absentium nomina velle inserere, ut etiam nobis liceat omnes catholicos episcopos, qui per infirmitatem vel per aliquam occasionem adesse non potuerunt, gestis inserere. *Et alia manu.* Recognovi. *Et recitavit.* Donatus episcopus Apissanensis (301). *Et cum recitasset, idem dixit.* Et mandavi et subscripsi: adversarium non habeo.

185. *Petilianus episcopus dixit.* Quoniam prosecutio partis adversæ contestata monstravit aliquos se absentes habere, nos quoque non tacemus aliquantos nostros multis necessitatibus aut adversis valetudinibus præpeditos non venisse, aliquantas etiam cathedras nunc esse viduatas, quibus adhuc episcopi ordinati non esse monstrantur. Etiam hoc acta contineant. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

186. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Quantum ad confirmationem mandati pertinet, sufficit in utraque parte eorum numerus sacerdotum, qui eidem mandato subscripsisse monstrantur. Unde reliqua perlegantur, superfluis absentum causationibus sequestratis. *Et recitavit.* Quintasius episcopus Vaianensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi.

187. *Alypius episcopus ecclesiæ catholicæ dixit.* Obliteretur ergo subscriptio absentum. *Et alia manu.* Recognovi. *Et recitavit.* Januarius episcopus Lamasbensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Felix episcopus Novasinnensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Martialis episcopus Idicrensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Gedudus episcopus Uticensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Urbanus episcopus Satafensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Donatus episcopus Cillitanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Liberalis episcopus loci Nasaitensis (302). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi: nec habui adversarium, nec habeo, nec habebo permittente Deo. *Item recitavit.* Maximianus episcopus Hermianensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Fortunatus episcopus Vesceritanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Peregrinus episcopus Sufetanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Donatus episcopus Merferebitanus (303). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Gavinus episcopus Vegeselitanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Veratianus episcopus Carpitanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi, qui sum successor Faustiniani, qui in unitate veritatis fuerat ordinatus a Donato, postmodum vero temporibus Macarii, illic emerserunt traditores. *Item recitavit.* Gaianus episcopus Tigualensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Rogatus episcopus Perdicensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Victorinus episcopus plebis Leptiminensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Martinianus episcopus loci Tibuzabetensis (304). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Quintianus episcopus a Lacu-dulce (305). *Valentinianus diaconus episcopi Primiani dixit.* Male habet. *Item recitavit.* Pelagius episcopus Vanarionensis (306). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi: adversarium non habeo. *Item recitavit.* Victorianus episcopus Tibaritanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Primulianus episcopus Mandasumitanus (307). *Cumque accessisset, idem dixit.* Consensi et subscripsi. *Item recitavit.* Fortunatianus episcopus Metensis. *Cumque accessisset,* **280** *idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Felicianus episcopus Utinensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Florentinus episcopus a Tubusubtu (308). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item*

constat ex cap. 133, *Lucidus* erat *episcopus plebis Marcellianensis* et *Bazitensis.*

(301) *Apissanensis.* Legendum videtur a *Pissanis* seu *Pesanis. Pesana* inter civitates Byzacenas numeratur in veteri notitia quam Beveregius edidit.

(302) *Nasaitensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(303) *Merferebitanus.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(304) *Tibuzabetensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(305) *A Lacu-dulce.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(306) *Vanarionensis.* Forte *Panutoriensis.* In Mauritania Cæsariensi, ut docet notitia num. 11.

(307) *Mandasumitanus.* In provincia Byzacena, ut docet notitia num. 110, ubi appellatur *Madassumitanus.*

(308) *A Tubusubtu.* In notitia Mauritaniæ Sitifensis num. 8, occurrit episcopus *Tugusubditanus*, pro quo legendum *Tubusubditanus.* In notitia imperii habetur sect. 20 Præpositus limitis *Tubusubditani. Tubusuptum* scribebant veteres, et ita legitur apud Ptolemæum lib. IV, cap. 2, Plinium lib. V, cap. 2. Antoninum in Itinerario, et Ammianum Marcellinum, lib. XXIX, cap. 5. In Antonini Itinerario prope *Saldas* locatum numeratur, et apud Ammianum loco laudato *Tubusuptum* dicitur fuisse contiguum *Montiferrato*, qui, ut ex Tabulis Peutingerianis patet, a *Rusuccurro* colonia *Saldas* usque pertingebat.

Digitized by Google

recitavit. Marcus episcopus Midicensis (309). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi: adversarium non habeo. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Unde es? quæ est autem civitas tua? *Marcus episcopus dixit.* Secus Tapruram Midica. Novit me Dimenianus a Taprura. *Item recitavit.* Donatus episcopus Cresimensis (310). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi : adversarium non habeo. *Item recitavit.* Victorianus episcopus Puppitanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Dativus episcopus Novapetrensis (311). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi : et adversarium non habeo, quia illic est domnus Marculus, cujus sanguinem Deus exiget in die judicii. *Item recitavit.* Maximinus episcopus dixit (312). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Cresconius episcopus Legensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi : adversarium ibi nec habui, nec habeo. *Item recitavit.* Valentinianus episcopus Juncensis (313). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Gaudentius episcopus Zertensis (314). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi : adversarium non habeo. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Macomaziensis dixit.* Est ibi presbyter Catholicorum. *Gaudentius episcopus dixit.* Non habeo adversarium in plebe mea. *Item recitavit.* Bonifacius episcopus Urugitanus (315). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Donatus episcopus Bamaccorensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi, et nullum habeo adversarium in plebe, nisi solum Absalonem (316). *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Macomadiensis dixit.* Hic est episcopus præsens Cassianus. *Item recitavit.* Restitutus episcopus Drusilianensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Flavianus episcopus Pauzerensis (317). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Clarentius episcopus Tabracensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Recargentius episcopus Lamiggigensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi : adversarium non habeo. *Aurelius episcopus Macomadiensis dixit.* Illic est Crescentianus presbyter. *Item recitavit.* Pascasius episcopus Tuggensis (318). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Castus episcopus Cellensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Aptus episcopus Tuzuritanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Victor episcopus Rotariensis (319). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi : adversarium non habeo. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Macomadiensis dixit.* Episcopum illic habuimus. Occidistis illum et invasistis.

188. *Adeodatus episcopus dixit.* Dicit episcopum occisum. Accuset, doceat, intendat. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus recognovi. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Macomadiensis dixit.* Et rebaptizaverunt illum hominem nonagenarium episcopum (320). *Victor episcopus Azurensis* (321) *Ecclesiæ catholicæ dixit.* Dicit se non habere. Ego Ecclesiam illic habeo, quod te non fugit. *Item recitavit.* Calipodius episcopus Vazaritanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Benenatus episcopus Casensium Bastalensium (322). [*Cumque accessisset, idem dixit.*] Mandavi et subscripsi, et non habeo adversarium. *Item recitavit.* Honoratus episcopus Adquesirensis (323). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Felix episcopus Maxulitanus (324). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Marcianus episcopus Sitifensis. *Cumque accessisset,*

(309) *Midicensis.* Vicina sedes Tapruræ in provincia Byzacena.

(310) *Cresimensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(311) *Novapetrensis.* Castellum in Numidia.

(312) *Dixit.* Loco hujus verbi, *dixit*, reponendum esset nomen civitatis cujus *Maximinus* erat episcopus.

(313) *Juncensis.* In Byzacena, ut docet notitia num. 105, celebris fuit synodus *Juncensis* anno 524, habita; cujus canonem refert Ferrandus in Breviatione Canonum can. 26, *Juncensis* littoris fit mentio in vita Fulgentii. Erat et in Mauritania Cæsariensi *Juncensis episcopus*, qui primus apparet in notitia hujus provinciæ. In epistola episcoporum provinciæ Byzacenæ subscribit *Numidius episcopus sanctæ Ecclesiæ Sosianæ-Juncis.*

(314) *Zertensis.* Vide quæ diximus ad caput 135.

(315) *Urugitanus.* Forte *Uracitanus* seu *Urcitanus*, in provincia proconsulari.

(316) *Absalonem. Cassianum* scilicet qui ejus presbyter fuerat, ut habetur supra cap. 128. Atque ideo *Absalonem* hic eum vocat.

(317) *Pauzerensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(318) *Tuggensis.* Forte in provincia proconsulari. Nam *Victor episcopus municipii Togiæ* subscribit epistolæ episcoporum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi.

(319) *Rotariensis.* Apud Optatum lib. 1, num. 14, p. 15, *Felix a Rotario* recensetur inter episcopos Numidiæ qui concilio Cirtensi adfuerunt.

(320) *Nonagenarium episcopum. Simplicium* scilicet *Tibilitanum*, ut dicitur in fine capitis 197.

(321) *Azurensis.* Hic Victor Cognit. 2, cap. 15, dicitur *Ajurensis.* E Numidia fuisse verisimile est, cum in urbe Rotariensi quæ Numidiæ est, dicat Ecclesiam se habere.

(322) *Casensium Bastalensium.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(323) *Adquesirensis.* In Mauritania Cæsariensi, ut docet notitia num. 66.

(324) *Maxulitanus.* In provincia proconsulari, ut docet notitia num. 30, *Maxulæ* meminere Ptolemæus, Plinius, Itinerarium Antonini, et Tabulæ Peutingerianæ. Concilio Carthaginensi sub Aurelio anno 419, interfuit *Numidius Maxulitanus* hujus *Felicis* adversarius, ut patet ex cap. 112. Item in concilio Carthaginensi sub Bonifacio ann. 525, alius ejusdem nominis *episcopus Maxulitanus. Sanctorum Maxulitanorum* festivitas in veteri Calendario Carthaginensi celebratur die 11 kalend. Augusti; et de iisdem duos habemus divi Augustini sermones, qui *de sanctis martyribus Massylitanis* inscribuntur.

Digitized by Google

idem dixit. Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Januarius episcopus Numidiensis (325). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi, et traditores non habeo. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ Siccensis dixit.* Unde es? *Januarius episcopus dixit.* Numidia est. Mauritania est Cæsariensis. *Reparatus episcopus Ecclesiæ catholicæ Sufasaritanæ dixit.* Diœcesis mea est. Illic presbyterum habeo, illic tecum vigilavit. *Item recitavit.* Campanus episcopus Cincaritanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Cresconius episcopus Cæsarianensis. *Cumque* **281** *accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi: æmulum non habeo.

189. *Novatus episcopus Sitifensis Ecclesiæ catholicæ dixit.* Habet contra se Catholicum presbyterum, clericos abundantes, et populos ex cœtu Donatistarum. Hic est presbyter et diaconus, hic in hac civitate Carthaginensi, quem prædavit, quem torsit, quem suspendit. Ecclesiam autem catholicam prædavit, pecuniam sustulit, frumenta deportavit, carpenta duxit, ut norit iste, quia est illic Ecclesia catholica. Hoc sum prosecutus. *Adeodatus episcopus dixit.* Hæc omnia documentis agenda sunt. Faciat periculum qui mendacium in judicio promit. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus recognovi. *Novatus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Jube presbyterum loci intromitti.

190. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ad præsentem cognitionem ista non pertinent. Quæ mihi mandata est reliquorum subscriptio relegatur. *Salvianus episcopus* (326) *dixit.* Nobis præscriptum est dudum quo dicerent. De episcopis agitur, non de presbyteris.

191. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit.* A nostris partibus propterea respondetur, quia ibi Catholica denegatur. Unde impudentiæ vestræ satisfactum fuisse præsentia gesta loquentur. *Et alia manu.* Recognovi.

192. *Adeodatus episcopus dixit.* Agimus tibi gratias, quod semper facis injuriam. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus recognovi.

193. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ista in tempus aliud reserventur, nunc quod delegatum est sacro judicio peragatur. *Item recitavit.* Felicissimus episcopus Obbensis (327). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Rufinus presbyter pro episcopo meo Juliano Midlensi (328) subscripsi.

194. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit.* Respondeatur utrum pro præsente subscripserit. *Et alia manu.* Recognovi.

195. *Adeodatus episcopus dixit.* Julianus ægritudine præpeditur: sed ne videretur aliquo pacto defuisse, presbyterum misit, per quem suam absentiam excusaret; et ipse pro illo subscripsit. *Et alia manu.* Recognovi.

196. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Probabilis et rationabilis excusatio est.

197. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Etiam hoc testatum esse volumus, quia pro absente subscripsit. *Et alia manu.* Recognovi. *Item recitavit.* Optatus episcopus Timicitensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Victorianus Tigimmensis episcopus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Honorius episcopus Vartanensis (329). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Martinus episcopus Siccesitanus. (330). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Vindemius episcopus a Cenis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Donatus episcopus Tanudaiensis (331). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Possidius episcopus Sillitanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Reparatus episcopus Aquensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Honoratus episcopus Larensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Proficentius episcopus Macomaziensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Licet non habeam adversarium, mandavi et subscripsi. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ex qua Macomadia (332)? *Proficentius episcopus dixit.* Rusticiana. *Item recitavit.* Paschasius episcopus Dusitanus (333). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Antonianus episcopus Druensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Januarius episcopus Aquæ Albensis (334). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi

(325) *Numidiensis*, seu *Numidensis* in Mauritania Cæsariensi, ut statim habetur, utque docet notitia hujus provinciæ num. 118. Avulsus erat iste episcopatus a Sufasaritano, ut conqueritur deinceps Reparatus.

(326) *Salvianus episcopus. Leptitanus* qui nominatur infra cap. 207.

(327) *Obbensis*, seu *Obbitanus*, in Mauritania Cæsariensi, ut patet ex notitia hujus provinciæ num. 56. Inter episcopos qui adfuere concilio Carthaginensi sub Cypriano, legitur *Paulus confessor ab Obba*, in quibusdam codicibus et apud Augustinum, *a Bobba. Bobbam* Coloniam in Mauritania collocat Plinius. Concilio v generali adfuit *Valerianus episcopus Obbæ* Ecclesiæ Africanæ.

(328) *Midlensi*, seu *Midilensi*. In Numidia, ut docet notitia num. 41, concilio Carthaginensi sub Cypriano adfuit confessor et martyr *Jader a Midila.*

(329) *Vartanensis*. In Tabulis Peutingerianis habetur *Vatari* inter *Flaviam Marc et Velesim*. Utrum hæc eadem sit cum ista incertum.

(330) *Siccesitanus*. In Mauritania Cæsariensi, ut docet notitia num. 80.

(331) *Tanudaiensis*. Forte *Tamadensis* in Mauritania Cæsariensi ex eadem notitia num. 100.

(332) *Ex qua Macomadia*. Duplex, uti observavimus cap. 116, erat *Macomadia*, una in Numidia, altera in Byzacena. *Proficentius* is de quo agitur, erat episcopus *Macomadiæ* in Byzacena, quæ *Rusticiana* cognominabatur.

(333) *Dusitanus*. Sequitur alter fere ejusdem nominis *Druensis*, et capite sequenti *Bebianus episcopus Dusensis*. In notitia nullum alium similis nominis habemus, præter *Durensem* in Byzacena.

(334) *Aquæ Albensis*. *Aquæ Albensis* sedes duplex in notitia una, in Byzacena num. 52, altera in Mau-

Digitized by Google

et subscripsi. *Item recitavit.* Crescens episcopus Icositanus (335). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Paschasius episcopus Turensis (336). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Victor episcopus Oriensis (337). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Marcianus episcopus Tabazagensis (338). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Cresconius episcopus Siguitensis (339). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. Sicut adversarium non habeo, sic numquam habeam. *Item recitavit.* Dativus episcopus Visensis (340). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Quodvultdeus **282** episcopus Nebbitanus (341). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Constantius episcopus Rusubiccariensis (342). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Augustalis episcopus Altiburitanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Saturninus episcopus Tamagristensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Simplicius episcopus Tibilitanus (343). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi : adversarium non habeo. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Macomadiensis dixit.* Ipse est episcopus qui rebaptizatus est, et factus est audiens.

198. *Adeodatus episcopus dixit.* Hoc cognitioni servandum est. Agnovit veritatem. *Item recitavit.* Verianus episcopus a Turre alba (344). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Verissimus episcopus Tacaratensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Servatus episcopus Amporensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Martialis episcopus Vatarbensis (345). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi : adversarium non habeo. *Item recitavit.* Donatus episcopus Tamascaninensis (346). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Quadratianus episcopus plebis Sicilibbensis (347). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Saturnus episcopus Sitensis (348). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Junior episcopus Rusiccadiensis (349). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Miggin episcopus Edistianensis (350). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Fidentius episcopus Dianensis (351). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Geminius episcopus Clypiensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Marcianus episcopus Assabensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Rogatianus episcopus a Vico Ateri (352). *Cumque accessisset,*

ritania Sitifensi num. 5. Utrius episcopus fuerit Januarius, incertum.

(335) *Icositanus.* In Mauritania Cæsariensi, ut docet notitia num. 59, *Icosium* celebris urbs a Vespasiano Latio donata, ut scribit Plinius. Hujus meminere Ptolemæus, Pomponius Mela, Antoninus, Ammianus Marcellinus, et Anonymus Ravennas. Ejusdem urbis episcopus fuit *Laurentius Icositanus* Legatus Mauritaniæ Cæsariensis ad concilium Carthaginense ann. 419.

(336) *Turensis.* Duorum jam *Turensium* episcopatuum diversorum mentio facta est : nunc tertius accedit, cujus provinciæ incertum. Est in concilio Carthaginensi ann. 525, sub Bonifacio *Felix episcopus Vico Turrensis*, qui cujusnam ex his sedibus episcopus fuerit, incertum.

(337) *Oriensis*, seu *Horrensis.* Præter *Horream Aninicensem* est in Mauritania Sitifensi alia *Horrea* inter *Sitifim* et *Tubuxubtum* in Tabula Peutingeriana, cujus forte loci est is episcopus.

(338) *Tabazagensis.* Hic episcopus supra dicitur *Tabaicensis*, in notitia Mauritaniæ Cæsariensis *Tabadcarensis* num. 103.

(339) *Siguitensis* seu *Siguitanus.* In Numidia ubi *Sigus* in Tabulis Peutingerianis locatur prope Tigisim et Cirtham. In Itinerario Antonini dicitur *Sugus* Cirtha distans XXV millia passuum. Erat etiam in Mauritania Cæsariensi *Siga colonia* apud Ptolemæum l. v, c. 2. Sed Cresconius erat episcopus Numidiæ; subscribit enim pro Gaudentio Episcopo Tigisitano.

(340) *Visensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(341) *Nebbitanus.* Forte *Neptitanus* in Byzacena, ut docet notitia num. 14.

(342) *Rusubiccariensis.* In notitia Mauritaniæ Cæsariensis num. 22, occurrit *Rusuburitanus*, et num. 77, *Rubicariensis*, pro quo legendum esse suspicantur viri docti *Rusubicariensis. Rusubricari* legitur in Antonini Itinerario et in Tabulis Peutingerianis. *Rusubeser* habet Ptolemæus, l. IV, c. 2, *et Rusicibar* cap. sequenti.

(343) *Tibilitanus.* In Numidia, ut docet notitia num. 66. Vide quæ diximus not. 50, ad lib. I Optati. Nam etiamsi *Aquæ Tibilitanæ* diversæ forent a *Tibili*, ut videtur verisimile ex Tabulis Peutingerianis, attamen uterque locus ejusdem diœceseos.

(344) *A Turre alba.* Forte *Aquæ Albensis* in Mauritania Sitifensi.

(345) *Vatarbensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(346) *Tamascaninensis*, seu *Tamascaniensis.* In Mauritania Sitifensi, ut docet notitia num. 34, *Tamascani municipium* habetur in Tabulis Peutingerianis.

(347) *Sicilibbensis.* In provincia proconsulari. Nam in concilio Carthaginensi anni 419, adfuit *Prætextatus Sicilibbensis episcopus* unus ex episcopis provinciæ proconsularis. In concilio Carthaginensi sub Cypriano sententiam dixit *Satius a Sicilibba.* Antonino *Sicilibra*, apud Anonymum Ravennatem *Siciliba.*

(348) *Sitensis.* In Mauritania Cæsariensi, ut docet notitia num. 112.

(349) *Rusiccadiensis.* In Numidia. Vide notam 49, in lib. I Optati.

(350) *Edistianensis.* Cujus provinciæ sit incertum.

(351) *Dianensis.* In Numidia ex Itinerario Antonini, ubi duplex *Diana.*

(352) *A Vico-Ateri.* In Byzacena, ut docet notitia num. 92. In concilio Carthaginensi ann. 525, Petrus Abbas pro tuenda monasterii sui immunitate affert exemplum Monasterii Præcisu, quod licet in medio Leptiminensis Ecclesiæ positum esset, prætermisso episcopo vicino, *Vico-Ateriensis* Ecclesiæ episcopi in longinquo positi consolationem habebat. In synodica Byzacenorum Patrum in concilio Lateranensi sub Martino, subscripsit *Ebasius episcopus sanctæ Ecclesiæ Vico-Ateriensis.*

Digitized by Google

idem dixit. Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Donatus episcopus Bucconiensis (353). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi : adversarium non habeo. *Item recitavit.* Donatus episcopus Tegulatensis (354). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Donatus episcopus Zicensis (355). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Felix episcopus Magarmelitanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Marcellinus episcopus Mullitanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Benenatus episcopus a Casis Silvanæ (356). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Rufinus episcopus Labdensis (357). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Victor episcopus Dionysianensis (358). *Primianus episcopus Carthaginis dixit.* Ægrotat. *Item recitavit.* Benenatus episcopus Mesarfeltensis (359). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi : et adversarium non habeo. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Macomadiensis dixit.* Habes. Persecutio tua plurimos cives evertit. Lucianus ibi fuit episcopus. Adhuc ordinari habet. *Item recitavit.* Gloriosus episcopus Migirpensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Junianus episcopus Lamigigensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Paulus episcopus Siccensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Felicianus episcopus Aquænovensis (360). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Æmilianus Verronensis (361). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Secundinus episcopus Uvaziensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Bellicius episcopus Teleptensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Lucius episcopus Zabensis (362). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Bebianus episcopus Dusensis (363). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Bonifacius episcopus Utimmensis. *Cumque accessisset,* **283** *idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Restitutus episcopus Membressitanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Cresconius episcopus Aquensis (364). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi : et traditorem in plebe mea non habeo. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Macomadiensis dixit.* Habemus ibi presbyterum. Nam et episcopus ibi fuit, modo defunctus est, et in loco ejus necdum est ordinatus. *Item recitavit.* Victor episcopus Curubitanus (365). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Saturus episcopus Bizaciensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Florentinus episcopus Furnitanus (366). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Æmilianus episcopus Casensium Medianensium. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Victor episcopus Gatianensis (367). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Luculus episcopus ab Hospitiis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et

(353) *Bucconiensis*, seu *Bocconiensis* in Numidia, ut docet notitia num. 13.

(354) *Tegulatensis*, seu *Teglatensis*. In Numidia, ut docet notitia num. 69.

(355) *Zicensis*. Forte *Ziggensis*, qui in notitia provinciæ proconsularis num. 41 habetur.

(356) *A Casis Silvanæ*. Cujus provinciæ sit, incertum.

(357) *Labdensis*. In provincia proconsulari, ut docet notitia num. 18. *Victor Labdensis* interfuit synodo Carthaginensi anni 525, sub Bonifacio.

(358) *Dionysianensis*. In provincia Byzacena, ut docet eadem notitia num. 111. In concilio Carthaginensi sub Cypriano sententiam dixit *Pomponius a Dionysiana*. In concilio Cabarsussitano subscripsit *Fortunatus Dionysianensis*.

(359) *Mesarfeltensis*. In Byzacena. Nam *Mesarfilia*, seu *Mesarfilta* in Tabula Peutingeriana locatur inter *Zyrnas Mascli* et *Gemellas* oppida provinciæ Byzacenæ.

(360) *Aquænovensis*. In Numidia, ut docet notitia num. 73.

(361) *Verronensis*. Cujus provinciæ sit, incertum.

(362) *Zabensis*. Duplex *Zabe* in notitia, una in Numidia num. 70, altera in Mauritania Sitifensi num, 40. Vide quæ diximus nota 39, in lib. II Optati.

(363) *Dusensis*. Cujus provinciæ sit, incertum.

(364) *Cresconius episcopus Aquensis*. Plures erant *Aquenses* episcopi in Africa, et plures memorantur in hac collatione. Jam mentio facta est cap. 135 *Helpidii* Catholici episcopi *Aquensis* in Mauritania Cæsariensi et *Reparati* ejus adversarii. Hic mentio fit *Cresconii* episcopi Donatistæ *Aquensis*, sed Numidæ. Nam statim *Aurelius episcopus Macomadiensis* interloquitur, tamquam de Ecclesia sibi nota et vicina. Tertius habetur infra cap. 208, *Victorinianus episcopus Aquensis*, quem ex Arzugibus profectum esse ait statim Asellicus. Arzugitana autem provincia vicina erat Tripolitanæ.

(365) *Curubitanus*. In notitia provinciæ proconsularis n. 36, minus bene *Curbitanus* dicitur. Concilio Carthaginensi sub Bonifacio anni 525, adfuit *Peregrinus episcopus Ecclesiæ Curubitanæ*. Sanctus Augustinus, lib. XXII de Civit. Dei cap. 8, *Curubis* meminit. Plinius, Antoninus in Itinerario et Anonymus Ravennas *Curubim* inter civitates Africæ memorant, *Curobim* seu *Curabim* appellat Ptolemæus, lib. IV, cap. 3.

(366) *Furnitanus*. In provincia proconsulari. Apud Victorem Vitensem, lib. I, n. 3, *Mansuetus Uricitanus episcopus* incensus dicitur in porta *Furnitana*, hoc est ad portam Carthaginis, qua via erat ad urbem *Furnitanam*. *Simeon episcopus plebis Furnitanæ* subscripsit concilio Carthaginensi sub Bonifacio, qui Bonifacius apud *Furnos* Ecclesiam consecrasse dicitur in vita S. Fulgentii cap. 29; *Geminius a Furnis* interfuit concilio Carthaginensi sub Cypriano.

(367) *Gatianensis*. Apud Victorem Vitensem sub finem lib. III, mentio fit *Bonifacii Gatianensis*, diversi a *Secundino Garrianensi* qui nominatur in notitia episcoporum provinciæ Byzacenæ n. 22. Eidem sedi præfuit *Januarius Ecclesiæ Gattianensis episcopus*, qui synodicæ Byzacenorum Patrum subscripsit, relatæ in concilio Lateranensi sub Martino.

Digitized by Google

subscripsi. Duos adversum me habeo, et ordinaverunt modo unum. *Item recitavit.* Romanus episcopus Lesvitanus (368). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Restitutus episcopus Segermitanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Cresconius episcopus ab Horrea Aninicensi (369). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Faustinus episcopus Tambaiensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Primilianus episcopus Lucimagnensis (370). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi : adversarium non habeo. *Item recitavit.* Maximianus episcopus Bennefensis. *Primianus episcopus Carthaginis dixit.* Hodie exivit de corpore. *Item recitavit.* Donatus episcopus Tiseditanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Urbanus episcopus Talensis (371). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Innocentius episcopus Guzabetensis (372). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi : adversarium non habeo. *Item recitavit.* Felix episcopus Zummensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Leontius episcopus Rusticianensis(373). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi : adversarium non habeo. *Terentius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Iste rebaptizabat post partem Donati. Rebaptizatus est postea, et sic est ordinatus.

199. *Adeodatus episcopus dixit.* Serva partibus quæ competunt. *Item recitavit.* Evasius episcopus Girbitanus. *Cumque accessisset, idem dixit,* Mandavi et subscripsi.

200. *Fortunatius episcopus Ecclesiæ catholicæ Siccensis dixit.* Felix Zummensis quomodo absens subscribere potuit doceatur. *Et alia manu.* Recognovi.

201. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Videtis quid a partibus vestris flagitetur. Quæritur enim quis nomine istius qui in præsentiarum videtur minime constitutus subscripserit mandato. *Adeodatus episcopus dixit.* Expecta, hoc quæritur. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus recognovi. *Optatus episcopus dixit.* Felix Lambiensis (374) infirmatur.

(368) *Lesvitanus.* In Mauritania Sitifensi notitiæ n. 10. Medio fere itinere inter *Saldas* et *Sitifim Lesbi* habetur in Antonini Itinerario millia passuum 25 a *Tubusupto* distans.

(369) *Ab Horrea Aninicensi.* In Mauritania Sitifensi eadem quæ in ejus notitia n. 7, *Horrensis. Horream Sitifensem* memorat Antoninus in Itinerario inter *Tisifim* et *Tubusuptum*, quæ millia passuum 18 a priore distat.

(370) *Lucimagnensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(371) *Talensis.* Nescio quis ille sit nisi forte *Tablensis* in Mauritania Cæsariensi notit. n. 60, *Tablatensis limitis* mentio fit in notitia imperii.

(372) *Guzabetensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(373) *Rusticianensis.* In Numidia, notitiæ n. 61. *Rustici* habent Tabulæ Peutingerianæ.

(374) *Lambiensis.* In Numidia erat *Lambese* civitas ab antiquis memorata, cujus loci episcopum hunc

A *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Cujus loci Felix episcopus subscripserit, officium aperte demonstret. *Et recitavit.* Felix Zummensis, *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Subscriptionis falsitatem deprehensam fuisse testatum sit. *Et alia manu.* Recognovi. *Adeodatus episcopus dixit.* Hic error est, non falsitas. *Et alia manu.* Recognovi. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Magnus error. Nescivit unde esset. *Et alia manu.* Recognovi. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quis sub ejus nomine subscripserit, saltem hoc Notarius eorum edicat. Ut supra. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Sufficit non nos prætermisisse ista. Ut supra. *Petilianus episcopus dixit.* Felix quidam Lambiensis, collega noster, hic ægrotat; sed et alii duo, id est

B Flavianus (375) et Donatus (376), ibidem non mediocri ægritudine retinentur. Credo quod alicui mandaverit pro se subscribi ille Felix, et in nomine sedis vel loci factus est error; quem aut simpliciter accipiant, aut facimus hujus nominis jacturam. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Accepistis prosecutionem, quam vobis æstimo posse sufficere. Unde patimini ut reliqua perlegantur. *Et recitavit.* Januarius episcopus de Tubursico Numidiarum. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Securus episcopus Tenitanæ urbis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Hic sum; et mandavi et subscripsi. *Item recitavit,* Donatus **284** episcopus

C Arensis (377). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi, et traditores in plebe mea non habeo. *Item recitavit.* Marinianus episcopus ab Oea. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Montanus episcopus a Cemeriniano (378). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi : adversarium non habeo. *Fortunatus episcopus Ecclesiæ catholicæ Constantiniensis dixit.* Habemus illic Ecclesiam, et presbyterum Terentium. *Item recitavit.* Donatianus episcopus Carcabianensis (379). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Justus episcopus Nicibensis (380). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Felix episcopus Tagaraiensis (381).

potius fuisse crediderim, quam *Lanviritani* qui in notitia Numidiæ n. 19.

D (375) *Flavianus. Pauzerensis* episcopus, supra, cap. 187.

(376) *Donatus. Sucardensis* episcopus, infra, cap. 210.

(377) *Arensis.* Duos hujus loci episcopos recensent Donatistæ in hac Collatione, is scilicet *Donatus* hoc loco, et inferius, cap. 208. *Secundus*, videntur esse Numidæ.

(378) *A Cemeriniano.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(379) *Carcabianensis.* In provincia Byzacena, ut docet notitia n. 84. Famosus est *Victorianus Carcabianensis episcopus* qui concilio Cabarsussitano interfuit, et in Bagaiensi e sede sua dejectus fuit.

(380) *Nicibensis.* Forte *Nibensis* in Numidia, notitiæ n. 8.

(381) *Tagaraiensis.* Præter *Tagaratam* proconsularis provinciæ civitatem erat in Byzacena *Tagariatana* sedes, ut docet notitia n. 37. Forte is est, qui

Digitized by Google

Cumque accessisset, idem dixit. Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Victor episcopus Equizetensis (382). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Januarius episcopus Horreæ Cæliensis (383). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Cresconius episcopus Pudentianensis (384). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. Traditores vero in plebe mea et omni diœcesi mea non habeo. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Macomadiensis dixit.* Episcopum ibi habebamus Memmianum reverentissimum virum. Postea alterum Memmianum illic ordinavimus. Defuncti sunt. Ordinamus alium. *Adeodatus episcopus dixit.* Cui? *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Macomadiensis dixit.* Remotis vobis ordinamus. Ipsi deposuerunt basilicas, ipsi tulerunt ornamenta Ecclesiæ. Ille qui loquitur, quatuor basilicas deposuit uno loco. *Item recitavit.* Januarius episcopus Aptucensis (385). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Victor episcopus Ecclesiæ catholicæ Libertinensis dixit.* Unitas est illic, publicam non latet conscientiam. *Item recitavit.* Fidentius episcopus Cullitanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Saturninus episcopus Gazabianensis (386). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Vitalis episcopus Masculitanus. *Cumque accessisset, idem dixii.* Mandavi et subscripsi. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Macomadiensis dixit.* Iste Vitalis diaconus fuit catholicus in civitate Sitifensi. Rebaptizatus, factus est presbyter. Projectus est causa adulterii, et factus est postea episcopus. *Petilianus episcopus dixit.* Accusatoris loco stare voluisti. *Et alia manu.* Recognovi. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Macomadiensis dixit.* Non accusatoris loco, sed purgationis. *Item recitavit.* Rufinianus episcopus Tuburbitanus. *Cumque accessisset, [idem dixit]* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Cresconius episcopus Baiesitanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Saturninus episcopus Victorianensis (387). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Lucianus episcopus Burugiatensis (388). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Maximus episcopus Abitinensis (389). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Victor episcopus Gibbensis (390). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Victorianus episcopus Tunusudensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Cresconius [episcopus] Ausugrabensis (391). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Fortunatianus episcopus a Senemsalis (392). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Salustius episcopus Zertensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Hilarius episcopus Sullitanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. [*Item recitavit.* Victor episcopus Taborensis.] *Et cum recitasset, Victor episcopus Taborensis dixit.* Susceperam quidem mandatum; sed quia beatissimus pater et princeps noster Primianus nunc suscepit, me necesse est mandare his actis. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Voluntatem tuam gesta retinebunt. *Item recitavit.* Argutus episcopus Tabudensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Felix episcopus Manazenen-

in epistola episcoporum provinciæ Byzacenæ in concilio Lateranensi sub Martino dicitur *Tugazensis.*

(382) *Equizetensis*, seu *Eguizotensis* in Mauritania Sitifensi notitiæ n. 11. Tabulæ Peutingerianæ *Equeheto.*

(383) *Horreæ Cæliensis.* In Byzacena, ut docet notitia n. 113, concilio Carthaginensi sub S. Cypriano interfuit *Tenax ab Horreis-Cæliæ.* In Itinerario Antonini *Horrea-Cælia* vicus Byzacenæ. *Hilarinus episcopus Horreo-Cælensis* interfuit synodo Carthaginensi sub Aurelio anno 419. Legatus provinciæ Byzacenæ.

(384) *Pudentianensis.* In notitia Numidiæ n. 44, *Punentianensis.* Gregorius Magnus, epist. 33, lib. II, indict. 10, *meminit Maximiani Ecclesiæ Pudentianæ in Numidia constitutæ episcopi.*

(385) *Januarius episcopus Aptucensis.* Supra, cap. 128. *Januarius Aptucensis episcopus* inter Catholicos recensetur, qui tunc detinebatur corporis infirmitate. Prodit nunc alter *Januarius* ejusdem sedis episcopus e Donatistarum factione: sed Victor Libertinensis episcopus catholicus negat hunc episcopum esse et unitatem illic esse affirmat.

(386) *Gazabianensis.* Forte idem qui in notitia Numidiæ n. 93, dicitur *Gaudiabensis.*

(387) *Victorianensis.* In Byzacena, ut docet notitia n. 88, *Saturninus a Victoriana* concilio Carthaginensi sub Cypr. interfuit. *Restitutum Victorianensem episcopum* laudat Augustinus epistola 105. *Getulicus Victorianensis episcopus* subscripsit concilio Cabarsussitano inter Donatistas.

(388) *Burugiatensis.* In concilio Carthaginensi sub Cypriano sententiam dixit *Quietus a Buruch*, quæ sedes forte eadem est cum ista. *Burcensem* esse in Numidia, de qua notitiæ n. 5, censent viri docti.

(389) *Abitinensis. Abitina* urbs erat proconsularis provinciæ, cujus *episcopus Augustalis* subscripsit epistolæ synodicæ Episcoporum hujus provinciæ sub Martino. Concilio Carthaginensi sub Cypriano subscripsit *Saturninus ab Avitinis.* Eamdem urbem memorat Augustinus, lib. III contra epistolam Parmeniani, et lib. IV contra Cresconium cap. 49, *Bithinam* habet inter urbes Africæ Anonymus Ravennas. Celebres sunt *Abitinenses martyres*, quorum habemus acta.

(390) *Gibbensis* seu *Gilbensis.* In Numidia duplex est *Gilbensis* sedes, una notit. n. 40, altera n. 90. Alterutrius erat iste Episcopus. In concilio Carthaginensi sub Cypriano sententiam dixit *Lucius a Castro Galbæ;* quod Castrum *Gilba*, dicitur etiam ab Augustino, a Victore Vitensi, in concilio Milevitano et in concilio Carthaginensi sub Bonifacio.

(391) *Ausugrubensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(392) *A Senemsalis.* In provincia proconsulari. In concilio Carthaginensi, anno 525, sub Bonifacio inter proconsulares recensetur *Patronianus Senemsalensis*, et in epistola synodica episcoporum ejusdem provinciæ sub Martino subscribit *Julianus episcopus sanctæ Ecclesiæ duarum Senepsalitinarum* seu *Senemsalitinarum.* Inde, ut observavit Baluzius in emendandis veteribus codicibus sagacissimus, in notitia proconsularis provinciæ n. 16, pro *Duassedemsai*, legendum *Duarum-Senemsalium.*

Digitized by Google

sium Regiorum (393). *Cumque accessisset, idem dixit.* **285** Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Macrobius episcopus Hipponiensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Maximinus episcopus Uzabirensis (394). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Cresconius episcopus Silemsilensis (395). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. Traditores non habeo in plebe mea. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Macomadiensis dixit.* Presbyterum habemus qui intervenit.

202. *Adeodatus episcopus dixit.* Intervenit dixisti. Si ubique vestros spargere velitis, jam videmini habere nobiscum partem in his locis ubi Christiani sunt. *Et alia manu.* Recognovi. *Item recitavit.* Gaudentius episcopus Nigizubitanus (396). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Cresconius episcopus Sinitensis (397). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi: *Item recitavit.* Turrasius episcopus Fissanensis (398). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Speratus episcopus Cataquensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Fortunatianus episcopus Vensanensis (399). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Januarius episcopus Centurionensis (400). *Cumque accessisset idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Comparator episcopus Mactaritanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Cresconius episcopus Banzarensis (401). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi: traditorem non habeo in plebe mea. *Item recitavit.* Victor episcopus Hiltensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Victor episcopus Titulitanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Felix episcopus Vosetanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi.

203. *Palatinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Diaconus fuit et rebaptizatus est. *Adeodatus episcopus dixit.* Serva partibus quæ competunt. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus recognovi. *Item recitavit.* Rogatus episcopus Zaraitensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Cresconius episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit.* Diaconus catholicus erat, et rebaptizatus est. *Adeodatus episcopus dixit.* Serva partibus quæ competunt. *Item recitavit.* Maximinus episcopus Tuburbitanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Donatus episcopus a Medianis Zabuniorum (402). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi.

204. *Victor episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Probet se accessisse ad unam domum quam dicit. *Novatus episcopus Ecclesiæ catholicæ Sitifi dixit.* Scriptum sit Medianas Zabuniorum habere presbyterum. Ipse hodie tenet plebem et basilicam. Unitatem habet. Nullus illic est Donatistarum. Supra corpus episcopi catholici presbyterum ordinavi, et Deo volente ordinabitur illic episcopus. Episcopus autem Donatistarum in eodem loco non est. *Adeodatus episcopus dixit.* Contra hæc serva quæ competunt. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Quæ partibus competunt, salva erunt. *Item recitavit.* Felix episcopus Uzalensis (403). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Servandus episcopus a Casis Favensibus (404). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. Traditorem non habeo. *Item recitavit.* Felix episcopus Putiensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi.

205. *Petilianus episcopus dixit.* De mandato constet, non de causa, quæ postea est ventilanda *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

206. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ista frequentius interlocutus sum, superflue in his creditis immorandum. *Item recitavit.* Messianus episcopus Seleucianensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Liberantius episcopus Tisanianensis (405). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Cresconius episcopus Advocatensis (406). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi.

(393) *Manazenensium regiorum.* In Mauritania Cæsariensi. Nam in ejus notitia n. 82, habetur *Manaccenseritanus.*

(394) *Uzabirensis.* In provincia Byzacena. Quippe in ejus notitia, num. 41, *Unuzibirensis* occurrit, et in synodica Patrum Byzacenorum in concilio Lateranensi subscribit *Donatus misericordia Dei episcopus sanctæ Ecclesiæ Uniziverensis.*

(395) *Silemsilensis.* In concilio Carthaginensi anni 397, sub Genethlio adfuit *episcopus Selemselitanus,* qui locus videtur esse provinciæ proconsularis.

(396) *Nigizubitanus.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(397) *Sinitensis.* In Numidia, ut docet notitia num. 67. Erat prope *Hipponem regium Castellum Sinitense* ex Augustino, lib. XXII de Civit. Dei cap. 8. Idem epist. 105, num. 4, mentionem facit *Marcellini* episcopi Catholici hujus loci.

(398) *Fissanensis.* Ubi fuerit hic locus, incertum. *Donatus episcopus Fiscianensis* interfuit concilio Cabarsussitano.

(399) *Vensanensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(400) *Centurionensis.* In Numidia, Concilio Cirtensi adfuit. *Nabor a Centurionis.* Diversus est iste locus a *Centuriensi,* cujus episcopus Donatista erat Cresconius, ut patet ex cap. 126, supra.

(401) *Banzarensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(402) *A Medianis Zabuniorum.* In notitia episcoporum provinciæ Byzacenæ num. 27. *Medianensis* occurrit, et in notitia Mauritaniæ Cæsariensis num. 86, *Castellum Mediani.* Sed *Mediana* de qua hic agitur ad Mauritaniam Sitifensem pertinet, ut colligitur ex interlocutione Novati Sitifensis, quæ sequitur, qui dicit ordinasse se ibi presbyterum.

(403) *Uzalensis.* In provincia proconsulari notit. num. 7, cujus episcopus catholicus erat *Evodius. Mustulus episcopus Uzalensis* subscripsit concilio Carthaginensi sub Bonifacio. Augustinus, lib. XXII de Civit. Dei cap. 8, hanc urbem *Uticæ* coloniæ proximam fuisse testatur. *Uzalitanum* oppidum Latinum appellat Plinius lib. V, cap. 4.

(404) *A Casis Favensibus.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(405) *Tisanianensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(406) *Advocatensis.* Hujus oppidi mentio fit in actis Honorati a nobis nunc primum editis supra, pag.

Digitized by Google

Item recitavit. Donatus episcopus Scillitanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Urbanus episcopus Vicensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Victorinus episcopus Adrumetinus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Maximus episcopus Canianensis (407). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Ampelius episcopus Neapolitanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Maximus episcopus Macrensis (408). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Idaxius episcopus Muzucensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Restitutus episcopus Flumenpiscensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Tertullus episcopus Cilibiensis (409). *Cumque accessisset,* **286** *idem dixit.* Mandavi et subscripsi. (*Item recitavit.*) Januarius episcopus Narensis (410). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Honoratus episcopus Thusdritanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Crescentilianus episcopus Lambiritensis (411). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi : et profiteor me traditores non habere. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Macomadiensis dixit.* Superflue profiteris. Episcopus ibi fuit, proxime defunctus est. Ordinandus illic erit alius. *Item recitavit.* Habetdeus episcopus Aurusulianensis (412). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Burcaton episcopus Gemellensis (413). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. Traditorem non habeo nec habui umquam. *Item recitavit.* Januarius episcopus Betagbaritanus (414). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Donatianus episcopus Lamzellensis (415). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. Traditorem autem nec habeo, nec habui, nec habiturus sum. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Macomadiensis dixit.* Rufus episcopus ibi fuit noster. Lamzelli in basilica nostra positus est Gildo (416). Scriptum sit, dum exspectatur electio. Cæterum in nomine Christi ordinabitur illic episcopus. *Item recitavit.* Celer episcopus Capsensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Cresconius episcopus Musertitanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi [et subscripsi]. *Item recitavit.* Donatus episcopus Tubursicensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Quodvultdeus episcopus Cessitanus (417).

207. *Petilianus episcopus dixit.* In itinere defecit. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Qui in itinere dicitur defecisse, quemadmodum invenitur subscripsisse doceatur. *Et alia manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Non de ipso dictum est, calumniose agis, de altero suggestum est. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* De quo? *Petilianus episcopus dixit.* Qui decessit in via. *Et alia manu.* Ut supra. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Recitentur nomina, ut eadem agnoscat. *Et alia manu.* Recognovi. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Si in via defecit, quomodo subscripsit? *Et alia manu.* Recognovi. *Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ Carthaginis dixit.* Clericus pro mortuo subscripsit? *Et alia manu.* Recognovi. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Eligat sibi ut ostendam quomodo mentiatur. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Doceatur quomodo is qui in itinere dicitur defecisse, subscripserit. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Recitetur utrum clericus ex nomine suo subscripserit, an ex nomine defuncti. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Recitetur, cujus nomine subscripserit qui in itinere dicitur defecisse. *Et recitavit.* Quodvultdeus episcopus Cessitanus æger subscripsi. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit.* Advertit nobilitas tua, nullius clerici nomen pro defuncti nomine subscripsisse, sed tamquam vivi, mortui nobis, qui in via juxta eorum professionem dicitur defecisse, subscri-

192, ubi ex *Abvocatensi* oppido Carthaginem venisse dicitur. Provinciæ proconsularis fuisse crediderim.

(407) *Canianensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(408) *Macrensis.* In Mauritania Sitifensi, ut docet notitia num. 17, *Macri* prope *Cellas* collocatur in Itinerario Antonini. *Magri* habent Tabulæ Peutingerianæ.

(409) *Cilibiensis.* In provincia proconsulari, ut patet ex epistola episcoporum hujus provinciæ in concilio Lateranensi sub Martino, cui subscribit *Joannes Elibiensis.* In concilio Carthaginensi ann. 525, sub Bonifacio subscribit *Restitutus episcopus plebis Cilibiensis.*

(410) *Narensis.* In provincia Byzacena notit. num. 11, *Naram* memorat Antoninus in Itinerario.

(411) *Lambiritensis*, seu *Lambiritanus* in Numidia notit. num. 19. Anonymus Ravennas inter Numidiæ civitates recenset *Lambridim*, quæ etiam habetur in Tabulis Peutingerianis.

(412) *Aurusulianensis.* In concilio Cabarsussitano legitur adfuisse *Secundianus episcopus Auritilianensis.* Qui haud dubie *Habetdei* decessor fuit. *Aurusulianam* in Numidia fuisse crediderim.

(413) *Gemellensis. Littæus a Gemellis* fuit unus ex episcopis qui adfuerunt in concilio Carthaginensi sub Cypriano. *Gemellas* in Sitifensis Mauritaniæ et Numidiæ finibus sitas fuisse colligitur ex Itinerario Antonini, ubi mediæ ponuntur inter novam Sparsam Numidiæ et ipsam Sitifim, ab ista millia passuum 25 distantes.

(414) *Betagbaritanus.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(415) *Lamzellensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(416) *Gildo.* De Gildone tyranno dictum putat Baluzius, sed verisimilius est de quodam episcopo hujus nominis *Lambellensi* defuncto *Aurelium* loqui.

(417) *Cessitanus.* Est in notitia episcoporum Africæ duplex *Cissitanus* episcopus, unus in provincia proconsulari num. 27, alter in Mauritania Cæsariensi num. 107, et hic quoque duo sunt episcopi hujus nominis Donatistæ, nempe hic *Felix*, et postea cap. 208, *Flavosus* episcopus *Cissitanus.*

Digitized by Google

tionem obtulisse. *Et alia manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Quid si et iste moriatur, qui æger subscripsit? quasi hodie non unus defecit (418). *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi. *Aurelius episcopus Ecclesiæ Catholicæ Carthaginensis dixit.* Sed in itinere defecisse dixisti. *Et alia manu.* Recognovi. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Sufficiunt ista deprehensa. Cætera subsequantur. *Et alia manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Nihil deprehendisti, argumentaris contra veritatem. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi. *Alypius episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit.* Tu dixisti. *Et alia manu.* Recognovi.

208. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Si verum est, ut asseritis, quod in itinere defecit, constat ejus subscriptionem falsissime recitatam : sin vero ipse subscripsit, non potuit in itinere deperire. *Petilianus episcopus dixit.* Non est humanum mori? Non etiam morientes testamentis suis subscribunt? *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Humanitatis est mori, sed inhumanitatis est fallere. *Et alia manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Non est hoc fallere, quia potuit revertens in itinere mori. Mandatum adhuc modo accipio. Dico quid moveat. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Mandatorum dies prolatus a partibus recitetur, ut appareat de nomine defuncti, quæ pars in mendacium prosilierit. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Mandati diem pandat officium. *Rufinianus scriba dixit.* Recitabo sicut præcepit sublimitas tua diem mandati. *Et recitavit.* Post consulatum Varanis virì clarissimi octavo kalendas Junias Carthagine. *Et cum recitaret, Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Cætera perlegantur. *Rufinianus scriba recitavit.* Januarianus, Primianus, Felix, Donatus, Candorius, Optatus, Donatianus, Antonianus, Victorianus, Fortis, et cæteri; Primiano, Petiliano, Emerito, Protasio, Montano, Gaudentio, Adeodato, coepiscopis nostris præsentes præsentibus salutem. *Et cum recitaret, Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Jamdudum ipse subscripsit. Modo dixit Clericus subscripsit, modo episcopus. *Et cum diceret, (et alia manu.* Recognovi.) *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Advertitis, præsentes **287** præsentibus peragendi negotii dedisse mandatum. Quomodo igitur hic qui præsens in hac urbe se inter cæteros sine dubio mandasse professus est et in itinere dicitur defecisse, et in hac urbe subscripsisse mandato? *Adeodatus episcopus dixit.* Octo dies emensi sunt, ut mandatum confectum est. Is qui mandavit, de cujus nomine nunc agitur, cum ægrotare cœpisset, ad propria remeans in itinere defecit. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus recognovi. *Vincentius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Dicat quo in loco defecit. *Et alia manu.* Recognovi. *Adeodatus episcopus dixit.* Non novi locum. *Et alia manu.* Ut supra. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Quoniam probabilis est vestræ sanctitatis prosecutio, qua eum hic fuisse et ægrum ad propria remeantem defecisse testaris, saltem hoc docere te convenit, ut utrum in hac urbe fuerit sub Dei testificatione designes. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Si præcipit sublimitas tua, Petiliani viri clarissimi prosecutio recitetur, ut ex lectione cognoscant universi, quam non vere nunc dicatur eum repedantem de Carthagine, in itinere defecisse, quia aliter eum ejus prosecutio demonstravit. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Legatur prosecutio postulata. *Cumque ex codice legeretur, Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Nihil mihi videtur amplius de hac parte quærendum, nisi ut sub testificatione divina utrum hic præsens fuerit de quo agitur, simplici professione pandatur. *Emeritus episcopus dixit.* Quid si se alius pro eodem apposuit? *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit. De hoc Dei erit etiam sine sacramenti interpositione circa fallentes, omni ex parte judicium. Unde reliqua subscribentium nomina relegantur. *Et recitavit.* Quodvultdeus episcopus Volitanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Donatus episcopus a Turre Rotunda (419). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Victorius episcopus Selendetensis (420). *Crescentianus episcopus dixit.* Hic est, ægrotat. *Item recitavit.* Crescentianus episcopus Ammederensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Felix episcopus Bullensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Cresconius episcopus a Cibaliana (421). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Jurata episcopus a Turre-Tamallumensi. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Liberalis episcopus Milidiensis (422). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Donatus episcopus Auzagerensis (423). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Victor episcopus Villaregensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Donatus episcopus

(418) *Quasi hodie non unus defecit.* Nimirum *Maximinianus Bennefensis,* supra, cap. 133 et 198.

(419) *Turre rotunda.* Ptolem. lib. IV, c. 2, *Robundam* locat inter oppida Numidiæ, quam cum *Turre rotunda* convenire posse suspicatur Baluzius.

(420) *Selendetensis.* Inter episcopos qui concilio Carthaginensi anni 525 interfuerunt nominatur *Felicissimus episcopus Sedelensis.*

(421) *A Cibaliana.* Concilio Carthaginensi sub Cypriano interfuit *Donatus a Cibaliana.* Cujus provinciæ fuerit, incertum. Forte idem cum *Seberianensi* Byzacenæ, de qua notitia. Adfuit concilio Carthaginensi sub Bonifacio, *Constantius episcopus Ecclesiæ Cerbalitanæ,* annon ejusdem sedis cum istis?

(422) *Milidiensis.* Cujus provinciæ sit, incertum.

(423) *Auzagerensis.* In provincia Byzacena notit.

Buzensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Lucius episcopus Tamallensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Quintus episcopus Tagaratensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Datianus episcopus Teleptensis (424). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Megasius episcopus Tucaborensis (425). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Honoratus episcopus Jommitensis (426). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Vitalis episcopus Ucrensis (427). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Plutianus episcopus Masclianensis (428). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Faustinus episcopus Naraggaritanus (429). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Felicianus episcopus Viltensis (430). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Felix episcopus Boncarensis (431). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Felix episcopus Telensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Secundus episcopus Arensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi : adversarium in plebe mea non habeo. *Item recitavit.* Julianus episcopus Tignicensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Splendonius episcopus Mutugennensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Serenianus episcopus Mammillensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Salvianus episcopus Leptitanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Reparatus episcopus Vindensis (432). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Leontius episcopus Præsidiensis (433). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Titianus episcopus Sufetulensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi **288** et subscripsi. *Item recitavit.* Nestorius episcopus Malianensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Donatus episcopus Ancusensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Flavosus episcopus Cissitanus. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Maximinus episcopus Turreblandensis (434). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Miggin episcopus Vagalitanus (435). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Donatianus episcopus Capsensis (436). *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Marcianus episcopus Cebarsussensis (437). *Cumque accessisset, idem dixit.* Licet adversarium non habeam, tamen mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Restitutus episcopus Laritensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Victorinianus episcopus Aquensis. *Cumque accessisset, idem dixit.* Mandavi et subscripsi. *Asellicus episcopus Ecclesiæ catholicæ municipii Tasuritani dixit.* Sub testificatione omnipotentis Dei et Jesu Christi Salvatoris nostri, dico nos sic esse de Arzugibus profectos, die tertio kalendarum Maiarum. Presbyter fuit, non episcopus in via ordinatus est. Sed hac factione qua valet est illic episcopus, in

num. 96.

(424) *Teleptensis.* Alter episcopus Donatista *Teleptensis*, nomine *Bellicius* habetur cap. 121 et 198. Duplex tamen non est *Telepte*, sed duos obtrudunt ejusdem sedis episcopos.

(425) *Tucaborensis.* In provincia proconsulari. Nam synodicæ episcoporum hujus provinciæ in concilio Lateranensi subscribit *Stephanus episcopus Tucaboriensis. Fortunatus a Tucabori* interfuit concilio Carthaginensi sub Cypriano.

(426) *Jommitensis*, seu potius *Jonnitensis.* In Mauritania Cæsariensi. *Jonnium* municipium habent Itinerarium Antonini et Ptolemæus.

(427) *Ucrensis.* Legendum videtur *Verensis*, qui locus est provinciæ proconsularis in notit. num. 26, *Veris* nominatur in Tabulis Peutingerianis et in Anonymo Ravennate. *Vitalis episcopus* de civitate *Verensium* interfuit concilio Carthaginensi sub Cypriano, et *Quodvultdeus episcopus Verensis* subscripsit concilio Carthaginensi anni 419, sub Aurelio.

(428) *Masclianensis.* In Byzacena, ut docet notitia num. 9. In concilio Carthaginensi sub Genethlio memoratur *Numidicus episcopus Misclianitanus.*

(429) *Naraggaritanus.* In provincia proconsulari ex notit. num. 48, ubi perperam legitur *Maraggaritanus. Naraggara* civitas est Ptolemæo nota. In Itinerario Antonini et in Tabulis Peutingerianis post *Tagastem* commemoratur. In concilio Carthaginensi sub Bonifacio anno 525, subscripsisse legitur *Victorinus episcopus plebis Nagargaritanæ.* Et in synodica episcoporum provinciæ proconsularis in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Benenatus episcopus Ecclesiæ Naraggaritanæ.*

(430) *Viltensis.* In provincia proconsulari, ut colligitur ex epistola synodica modo citata, cui subscribit *Theodorus Biltensis.* Concilio Carthaginensi ann. 525, sub Bonifacio subscribit *Restitutus episcopus plebis Viltensis.*

(431) *Boncarensis.* In Mauritania Cæsariensi in cujus notitia num. 62, habetur *Voncariensis.*

(432) *Vindensis.* Ubi fuerit hic locus, incertum.

(433) *Præsidiensis.* In Byzacena notit. num. 76. *Præsidium* non semel occurrit in Tabulis Peutingerianis, sed per modum adjuncti.

(434) *Turreblandensis* seu *Turreblandinus.* In Byzacena, ut docet notitia num. 98, et epistola synodica episcoporum hujus provinciæ in concilio Lateranensi sub Martino, cui subscribit *Datianus episcopus Ecclesiæ Turreblandis.*

(435) *Vagalitanus.* In Mauritania Cæsariensi, ut docet notit., num. 26, *Vagal* inter Mauritaniæ oppida memorat Antoninus in Itinerario.

(436) *Donatianus episcopus Capsensis.* Præter hunc *Donatianum* alius episcopus *Capsensis* Donatista nomine *Celer* recensetur. Duæ erant sedes hujus nominis in Africa; una in Byzacena sub Adrumeto; altera prope Libyam interiorem inter Ingentes solitudines. Utramque vide in Tabula.

(437) *Cebarsussensis.* Legendum *Cabarsussensis*, ut docent acta concilii Donatistarum hoc in loco habiti. Est in Byzacena *Susa* oppidum. *Cabar* Phœnicia lingua, *magnam* significat. Hinc forte *Cabarsusa.*

adulterio detectus. Adhuc pendet cognitio. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Episcopum sufficit ordinatum; hac parte transita, reliqua percurrat officium. *Et recitavit.* Faustinus episcopus Nationensis (438). *Cumque accessisset, idem dixit.* Adversarium non habeo, mandavi et subscripsi. *Item recitavit.* Marcianus episcopus Eminentius..... (439). *Episcopus.....* in itinere remansit. Felix Novasinnensis subscripsi pro eo. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quomodo præsentes præsentibus mandaverunt? *Felix Novasinnensis episcopus dixit.* Ipse me rogavit in itinere, et ego pro ipso subscripsi.

209. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Licet hoc lectum atque dictum sit, quod præsentes præsentibus mandaverunt; tamen ne mora superflua conteratur, reliqua percurrat officium. *Et recitavit.* Martialis episcopus Idicrensis pro Felice Garbensi (440) et Justo Formensi (441), qui in itinere causa infirmitatis detenti sunt, pro eis subscripsi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Etiam hoc superiori constat esse consimile. *Et adjecit.* Aliud recitetur. *Marcianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Felix episcopus Garbensis de domo sua non exivit. *Et recitavit.* [Gaudentius episcopus Tigisitanus (442).] *Cresconius episcopus Siguitanus* (443) *dixit.* Gaudentius collega noster, episcopus loci Tigisitani, infirmitatis causa in itinere remansit; pro eo subscripsi.

210. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Testatum sit actis sublimitatis tuæ, ideo hæc fieri ut major videatur eorum numerus episcoporum; quamvis nec sic Catholicis possit æquari. *Et alia manu.* Recognovi. *Item recitavit.* Donatus episcopus Sucardensis. *Marinianus episcopus dixit.* Ilic est in civitate; sed ægrotat.

211. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ut statui, lecta in seriem referentur actorum. Quoteni autem sint utriusque partis episcopi quorum subscriptio recitata est, cauculatim pandat officium.

212. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Adhuc sunt præsentes collegæ nostri, qui subscriptiones suas mandato non indiderunt. Occupati enim fuerant vel infirmitate, vel necessitate, vel etiam postea supervenerunt. Ii etiam jube ut cogniti accedant. *Et alia manu.* Recognovi.

213. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Interim eorum numerus qui subscripserunt, ab officio demonstretur. *Rufinianus scriba dixit.* Excepta ea pagina quæ errorem habet in subscriptione Donatistarum, invenimus nomina contineri. *Marcellinus V. C. tribunus et notarius dixit.* Ipsa autem pagina quot nominibus continetur? *Alypius episc. Eccl. catholicæ dixit.* Sex annumeratis etiam absentibus. *Et cum diceret* (*Et alia manu.* Recog.). *Rufinianus scriba dixit.* Sex, ac sic efficiuntur omnes ducenti septuaginta novem.

214. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Alterius quoque partis quot episcopi recitati sunt, intimetur. *Rufinianus scriba dixit.* Catholicæ partis episcopi secundum subscriptionem huic brevi insertam efficiuntur ducenti sexaginta sex, exceptis his quos dicunt necdum subscripsisse.

215. *Marcellinus V. C. tribunus et notarius dixit.* Nunc quot sunt ii quos subscripsisse testantur, edicere non morentur. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Transeant et cognoscantur. Viginti sunt. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ergo, si adsunt, suam debent singuli demonstrare præsentiam. *Cumque Apronianus episcopus accessisset, Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Cujus es civitatis episcopus? *Apronianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Mazacensis (444). *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Mandato, cui per absentiam non subscripsisti, consentis? *Apronianus episcopus Ecclesiæ catholicæ Mazacensis dixit.* Consentio. *Item et accedente Maximino Suffetano episcopo, Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Consentis tu quoque mandato? *Idem dixit*, Consentio et mando. *Item accedente Victore episcopo Ajurensi, idem dixit.* Mando et consentio. *Item accedente Felice episcopo* **289** *Ficense* (445), *idem dixit.* Mando et consentio. *Item accedente Felice episcopo Macrianensi, idem dixit.* Mando et consentio. *Item accedente Lucio episcopo Olivensi* (446), *idem dixit.* Mando et consentio. *Item accedente Tertulliano episcopo Hirenensi* (447), *idem dixit.* Mando et consentio. *Item accedente Joanne Gummitano* (448) *episcopo, idem dixit.*

(438) *Nationensis.* In provincia Byzacena, ut docet notitia num. 75.

(439) *Eminentius.* Forte *Eminentianensis.* In Mauritania Sitifensi, notit. num. 14, et supplendum postea *Felix Novasinnensis episcopus dixit.* In itinere remansit, subscripsi pro eo. Hunc locum ita restituendum esse putat Baluzius.

(440) *Garbensi.* In Numidia, ut docet notitia num. 102, *Victoris Garbensis* mentio fit in actis concilii Cirtensis et apud Optatum lib. I, num. 14.

(441) *Formensi.* Itidem in Numidia notit. num. 104, *Urbani Formensis* meminit Optatus lib. II, § 18.

(442) *Tigisitanus.* Mauritaniæ Cæsariensis. Nam supra subscripserat alter *Tigisitanus episcopus* in Numidia, ut a nobis observatum est cap. 135.

(443) *Siguitanus.* Erat in Mauritania Cæsariensi *Siga* colonia apud Ptolemæum lib. v, cap. 2, et in Itinerario Antonini.

(444) *Mazacensis.* In Numidia, ut docet notitia num. 81.

(445) *Ficense.* In Mauritania Sitifensi, ut docet notitia num. 22. In Tabulis Peutingerianis memoratur *ad Ficum*, qui locus in Antonini Itinerario locatur inter *Satafam et Igilgilim.*

(446) *Olivensi.* In Mauritania Sitifensi. Nam *Oliva* locatur inter *Assavam* et *Moptum* in Tabula Peutingeriana.

(447) *Hirenensi.* Habetur in notitia provinciæ Byzacenæ num. 94. *Irensis episcopus*, et Synodicæ Byzacenorum in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Theodorus episcopus Hirinensis.*

(448) *Gummitano.* Ejusdem provinciæ, ut docet notitia num. 89, concilio Carthaginensi anno 525,

Digitized by Google

Mando et consentio. *Item accedente Ampelio Vagensi* (449) *idem dixit.* Mando et consentio. *Item accedente Primulo episcopo Vagense, idem dixit.* Mando et consentio. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Diu observavit Severus (450), sed nunc infirmitate discessit. *Item accedente Regino episcopo Tigillabensi, idem dixit.* Mando et consentio. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Delphinus (451) episcopus hic est, sed infirmitate detinetur. Nam et Faustinianus episcopus Rusiccadensis hic est, in hac civitate, sed male habet, et Felix Serteitanus pedem dolet. *Item accedente Victore episcopo Abitinensi, idem dixit.* Mando et consentio. *Item accedente Ænea episcopo a Turbunice* (452), *idem dixit.* Mando et consentio. *Item accedente Annibonio episcopo Abbiritano* (453), *idem dixit.* Mando et consentio. *Item accedente Felice episcopo Novensi* (454), *idem dixit.* Mando et consentio. *Item accedente Argyrio Sitipensi* (455), *idem dixit.* Mando et consentio.

216. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Quot sunt isti quorum professio nunc processit, edicat officium. *Nampius scriba dixit.* Viginti sunt. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Omnium episcoporum partis utriusque claruit et certa esse mandata, et firmas adstare personas. Et ideo debent egredientes reliqui eis jam præstare secretum, quibus omne negotium crediderunt.

217. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Scriptum sit centum viginti esse absentes, quos aut infirmitas, aut ætas, aut certe necessitas detinuit. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Scriptum erit *Petilianus episcopus dixit.* Scriptum sit multo plures [nostros] absentes esse, etiam Cathedras viduatas, quibus episcopi ordinandi sunt. *Et alia manu.* Ut supra. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Hoc quoque gesta retinebunt. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ Siccensis dixit.* Quia de viduatis cathedris dixit sanctissimus Petilianus, nos quoque sexaginta quatuor vacuas habere his gestis intimamus. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Etiam hoc hæret publicis monumentis [*Et adjecit.* Remaneant utriusque partis episcopi qui electi sunt] et alii exeant. Quibus egressis:

218. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Utrum ii tantum adsint qui a partibus secundum imperiale præceptum electi esse noscuntur, edicat officium. *Rufinianus scriba dixit.* Partis Ecclesiæ catholicæ secundum formam edicti tot stant, id est, decem et octo, id est, septem actores, septem consiliarii, et quatuor ad chartas. Etiam ex parte Donati adstant decem et octo, septem actores, septem consiliarii, et quatuor ad chartas.

219. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Edicat officium, quantum diei jam videatur emensum. *Rufinianus scriba dixit.* Exemptæ sunt horæ undecim diei.

220. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Quoniam diei pene omnem partem constat emensam, idcirco utrum ex communi consensu negotium differri placeat, intimetur. *Ab utrisque partibus dictum est.* Placet: quoniam jam iste dies videtur emensus.

221. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* In quem diem hæc ipsa comperendinatio differatur, pars utraque designet.

Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit. Sicut edicto nobilitas tua præscripsit, crastino intermisso, propter descriptionem schedarum, perendie si præcipis observabimus. *Et alia manu.* Recognovi. *Adeodatus episcopus dixit.* Etiam nos consentimus, ut perendino die negotium peragatur. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus recognovi.

222. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Sicut partibus placuit, interjecta die negotium repetatur. Illud autem utræque partes observare debebunt, ut designatos custodes exceptoribus atque codicibus in describendis schedis invigilare faciant, quatenus fideliter omnia conscribantur: alios quoque binos, ut quaterni sint, sicut dispositum est, his qui nuper exceperunt, adhibere custodes.

223. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Alii duo præsentes sunt, sicut jam et officium suggessit, id est, fratres nostri Leo et Asterius. *Et alia manu.* Recognovi. *Primianus episcopus dixit.* Damus etiam nos custodes tabularum quatuor. Duos jam dedimus, duos nunc subrogamus, id est, Veratianum et Victorem, præsentes collegas nostros. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Etiam istis adver-

subscribit *Sabinianus episcopus plebis Gummenartarum.* Synodicæ Patrum Byzacenorum in concilio Lateranensi sub Martino subscripsit *Stephanus Epist. civitatis Gummasis.* Sæculo undecimo, tempore Leonis IX cum Ecclesiæ Africanæ episcopi ob Barbarorum illuviem quinque tantum superessent, unus ex iis erat *Gummitanus*, qui primatis nomen et honorem ambiebat, ut patet ex Leonis IX epistolis 3 et 4.

(449) *Vagensi.* In concilio Carthaginensi sub Cypriano adfuit *Libosus a Vaga*, concilio Carthaginensi sub Grato interfuit *Crescens Vagensis.* Ptolemæus et Plinius duplicem *Vagam* agnoscunt, unam in Mauritania Cæsariensi, alteram in Numidia. Ampelium hujus episcopum fuisse crediderim. Et duo erant episcopi hujus urbis, cum Ampelius primum Donatista ad Ecclesiam accessisset.

(450) *Severus.* Episcopus Milevitanus catholicus, ad quem Augustini epistola 73, et cujus epistola ad Augustinum est 69.

(451) *Delphinus.* Episcopus Numidiæ, ut patet ex capite 65, et ex epistola 158 S. Augustini.

(452) *A Turbunice.* Provinciæ proconsularis. Nam Synodicæ Patrum hujus provinciæ in concilio Lateranensi sub Martino subscribit *Crescens gratia Dei episcopus sanctæ Ecclesiæ Tiburnicensis.*

(453) *Abbiritano. Abbiritanorum* scilicet *minorum* in finibus provinciæ proconsularis.

(454) *Novensi*, seu *Nobensi.* Duplex *Nobensis* in Mauritania Cæsariensi, ut docet notit. unus num. 19, alter num. 93.

(455) *Sitipensi.* Cujus provinciæ sit, incertum.

Digitized by Google

santibus, id quod postea exceptum est, signatis nunc tabulis crastino describetur. *Et alia manu.* Edantur. *Item alia manu.* Hilarus et Martialis exceptores edidimus.

Expliciunt Gesta primæ cognitionis.

290 INCIPIUNT GESTA SECUNDÆ COGNITIONIS.

Flavius Marcellinus vir clarissimus et spectabilis tribunus et notarius dixit. Omnium conscientia retinetur, id me dudum edicto proposito fuisse pollicitum, ut quidquid inter utriusque partis episcopos ageretur, subinde in publicam notitiam perveniret. Unde ea quæ interim gesta sunt, sanctitati vestræ demonstrare curavi, quatenus habiti partem conflictus etiam oculis judicetis. *Et alia manu.* Proponatur.

1. *Post consulatum Varanis viri clarissimi tertio nonas Junias in secretario Thermarum Gargilianarum Carthagini, adstantibus Sebastiano, Maximiano et Petro, viris devotissimis protectoribus domesticis, Urso, Petronio et Liboso ducenariis, sed et Bonifacio et Evasio apparitoribus illustrium atque eminentium potestatum, Fileto apparitore illustris comitivæ sedis, Exitioso adjutore Cornicularii, Possidio, Quodvultdeo et Colonico, adjutoribus commentariorum officii Domini nostri viri clarissimi et spectabilis proconsulis, Navigio adjutore numerorum Domini nostri viri clarissimi et spectabilis vicarii, Nampio scriba officii viri clarissimi legati almæ Carthaginis, Rufiniano scriba viri clarissimi curatoris celsæ Carthaginis, excipientibus etiam Hilaro et Prætextato exceptoribus Domini nostri viri clarissimi et spectabilis proconsulis, Fabio exceptore Domini nostri viri clarissimi et spectabilis vicarii, et Romulo exceptore viri clarissimi legati almæ Carthaginis, excipientibus quoque Januario et Vitale notariis Ecclesiæ catholicæ, Victore et Cresconio notariis Ecclesiæ Donatistarum, Libosus ducenarius illustrium potestatum dixit:* Quoniam in hodiernum diem comperendinata Cognitio est, et præsentes sunt utriusque partis episcopi, si jubet sublimitas tua, intromittentur.

2. *Flavius Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Veniant. *Et ingressis Aurelio, Alypio, Augustino, Vincentio, Fortunato, Fortunatiano, Possidio, Novato, Florentio, Maurentio, Prisco, Sereniano, Bonifacio, Scillacio, Deuterio, Leone, Asterio, et Restituto, episcopis Ecclesiæ catholicæ; ingressis etiam ex alio latere, Primiano, Petiliano, Emerito, Protasio, Montano, Gaudentio, Adeodato, episcopis partis Donati, Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit:*

3. Et superiore judicio sæpe me obtulisse certissimum est, et nunc deprecor ut sedere dignemini. *Cumque catholici episcopi consedissent, Petilianus episcopus dixit.* Quod priore judicio factum non est, facere non audemus. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Licet et superiore judicio me obtulisse meminerim, tamen illa arbitror tunc minime factum esse ratione, quia multis sacerdotibus convenientibus, locus considendi esse non poterat. Unde quia nunc definitas video convenisse personas, deprecor ut vel nunc sedere dignemini.

4. *Petilianus episcopus dixit.* Patribus nostris absentibus non sedemus, maxime cum lege divina consessus prohibeatur; ne cum hujusmodi adversariis nostris considere velimus. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

5. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Si petitionem meam sanctitas vestra audire neglexit, ut considere dignaretur, hoc mihi extorqueri non poterit, quominus stando cognoscam. *Cumque episcopi catholici surrexissent, atque sessus judicis auferretur, ejusdem judicis jussione, et D. N. vir clarissimus et spectabilis Marcellinus tribunus et notarius stetisset.*

6. *Petilianus episcopus dixit.* Scriptum sit, hoc tuæ voluntatis esse, non nostræ. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

7. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Decet me vobis stantibus habere hujusmodi voluntatem, quæ ad reverentiam tantorum pertinet sacerdotum. *Petilianus episcopus dixit.* Honorifice feceris. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

8. *Martialis exceptor dixit.* Cujusmodi notariam episcopi hesterno nobilitati tuæ obtulerint, hanc in manibus habemus: si præcipit nobilitas tua, recitamus.

9. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ne quid celatum parti alteri videatur, recitetur.

10. *Petilianus episcopus dixit.* Episcopos nos veritatis Christi Domini nostri, et dicimus, et sæpe actis publicis dictum est. Donatum autem sanctæ memoriæ, martyrialis gloriæ virum præcessorem scilicet nostrum, ornamentum Ecclesiæ istius civitatis, loco suo meritoque veneramur. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

11. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Episcopos veritatis probare opus est, non jactare. *Et alia manu.* Recognovi.

12. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Utrarumque partium prosecutiones gesta retinebunt. *Et adjecit.* Quod præceptum est, recitetur. *Martialis exceptor recitavit.* Post consulatum Varanis viri clarissimi quarto nonas Junii, Flavio Marcellino viro clarissimo et spectabili tribuno et notario, Primianus, Petilianus, Emeritus, Protasius, Montanus, Gaudentius, Adeodatus, episcopi et defensores Ecclesiæ veritatis, per notariam hæc dicunt: Hesterna die kal. Junii inter nos et adversarios nostros spectabilitas tua audire dignata est. Et quoniam evoluto pene die partibus patientiam præbens, aliquanta, quæ principia negotii fuerant, audire dignatus es, opusque est ad causam, ut mandatum quod adversarii nostri obtulerunt, nobis in notitiam perferatur, quoniam series actorum propter sui prolixitatem non potest explicari, ne imparati ad judicium venire vi-

Digitized by Google

deamur, id mandatum quod adversarii nostri legendum dederunt, in exemplaribus nobis hodie, quod est quarto die nonarum Juniarum, dari præcipias, ut instructi negotio nobis injuncto adesse valeamus. *Et alia manu.* Primianus episcopus huic notariæ subscripsi quarto nonas Junias Carthagini. *Flavius Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Quoniam ea quæ instructionis gratia postulantur concedi debere perspicuum est, ut nulla cognitionem futuram morarum impedimenta suspendant, mandatum a catholicis Episcopis datum, sub ea quæ cominus constituta est custodum adservatione descriptum, vobis tradere maturabit officium. *Cumque recitasset,*

13. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Lecta gestis indentur. *Et adjecit.* Quoniam inter multas conditiones, de quibus superiore judicio definitum est, unam illam constat fuisse dilatam, ut sicut ego interlocutionibus meis, ita prosecutionibus **291** suis unusquisque subscriberet, quid de hoc videatur sanctitati vestræ debetis edicere.

14. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Nos in hoc consensisse litteris nostris expressimus. *Et alia manu.* Recognovi.

15. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Quid etiam voluntas partis alterius habeat, intimetur.

16. *Petilianus episcopus dixit.* Multum nos sollicitos facit, quod de nobis id quæritur, idque præcipimur facere, quod usus numquam habere consuevit. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

17. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Testatum sit partem adversam noluisse, quod edicto nobilitatis tuæ publicatum est. *Et alia manu.* Recognovi.

18. *Petilianus episcopus dixit.* Testatum sit vos adhuc Ecclesias plerasque non reddidisse, nec fecisse satis priori ejus edicto. *Et alia manu.* Ut supra.

19. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ergo ad integram gestorum fidem contenta est sanctitas vestra custodibus ab utraque parte delectis, qui notariis et exceptoribus videntur apposite.

20. *Petilianus episcopus dixit.* Edantur nobis primitus gesta, tunc respondebimus. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

21 *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Dubitatur ergo vel de fide officii, vel de fide custodum, *Et alia manu,* Recognovi.

22. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ad hoc etiam consensisse sanctitatem vestram, superiorum gestorum fides evidenter ostendit.

23. *Petilianus episcopus dixit.* Legamus et recenseamus, *Et alia manu.* Ut supra.

24. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Et de custodibus ab utraque parte delectis, et ad quam partem fuerit dilata cognitio, ab officio recitetur.

25. *Emeritus episcopus dixit.* Si jubes, edantur nobis primitus gesta, relegantur a nobis, recenseantur verba nostra et adversariorum instructio. Sic legibus semper concessum est. Hæc est humanitas rerum. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

26. *Fortunatus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quamvis recens actio nullum potuerit præterire, tamen ex hoc sensus nobilitatis tuæ volumus esse edoctos, ut intelligantur jam dilatione quadam ad causæ negotium nolle venire. *Et alia manu.* Recognovi.

27. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Legatur quod præcepi, ut noverim ad quem articulum sit delata cognitio.

28. *Emeritus episcopus dixit.* Si jubes, ad hoc competit mihi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Age. *Emeritus episcopus dixit.* Sunt quidem humana ingenia ita velocitate sui prompta, ut vel visu vel auditu facile cuncta capiant, quæ in eorum notitiam perferuntur. Sed hoc doctis forte aut eruditis viris pro rei ipsius qualitate permissum sit; me autem ad hanc rem minus idoneum esse profiteor. Quis enim levem vocem et facilem sermonem ipso pene apice transeunte, aut sensu retinere aut concipere potest, vir nobilis? cum ad tractatum omnem disceptationemque et verba et sensus et interiora sint negotii pertractanda. Ergo cum de scheda legitur, et leves voces aura quodammodo ventilantur, sensus nostri capere et retinere non possunt. Ubi hoc aut cui concessum est? Si hac felicitate ingenii gaudent, non se jactent de arrogantia memoriæ suæ. Mihi autem non competit nisi sæpius repetere et diuturna lectione edoceri, ut fidem veri [inveniam] et quæ dixerim relegam, et quæ adversarius objecit advertam. Intelligis ita rem esse gestorum, ideo memoriæ scripturarum per litteras digeruntur, ne sola memoria quæ capax esse non potest, oblivione decepta quid gesserit nesciat. Neque enim aliter sapientia providente scripturarum notitia monumentisque publicis provisa est, nisi ut ex lectione, quæ per silentium forte, aut per longum tempus, aut per ipsorum actuum continuationem minus capi atque minus intelligi potest, et ex lectione et ex ipso assiduo tractatu possit agnosci, quid sit judicio ventilatum. Vides ergo, Vir nobilis, justa nos deposcere, nec per transitum causam debere ventilari, sed editis gestis in notitiam nostram datis, universis pertractatis, causam debere cognoscere. *Et alia manu.* Ut supra.

29. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Scriptum est; *Ex multiloquio non effugies peccatum.* Hoc quoniam nos ante oculos habemus, Deo inspirante, verbosi videri nolumus. Itaque, si placet, ad causam veniatur, quæ proxime agi poterit et definiri, moratorias autem prosecutiones. *Et cum diceret.* (*Et alia manu,* Recognovi.) *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Legatur, quod præcepi.

Digitized by Google

30. *Emeritus episcopus dixit.* Sicut de scriptura proposuit, scriptum est nobis : *Sapientia abscondita thesaurus invisus. Quæ utilitas in utroque? Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

31. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* In multiloquio numquam fuit sapientia. *Et alia manu.* Recognovi.

32. *Martialis exceptor ex codice recitavit.* Nobilitas tua dixit. Quoniam diei pene omnem partem constat emensam, idcirco utrum ex communi consensu differri negotium placeat, intimetur. *Ab utrisque partibus dictum est :* Placet, quoniam jam iste dies videtur emensus. *Nobilitas tua dixit.* In quem diem hæc ipsa comperendinatio differatur, pars utraque designet. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Sicut edicto nobilitas tua præscripsit, crastino intermisso propter descriptionem schedarum, perendie, si præcipis, observemus. *Adeodatus episcopus dixit.* Etiam nos consentimus ut perendino die negotium peragatur. *Nobilitas tua dixit.* Sicut partibus placuit, perendino die negotium repetetur. *Et cum recitasset, Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Videt sanctitas vestra contra proprios vos venire non posse consensus. Unde causa dicatur.

33. *Emeritus episcopus dixit.* Non adeo immemores sumus ut contra nostra veniamus : nec ego hic incuriam officii aut exceptorum negligentiam damno, ubi intelligo prolixitate gestorum [ad] diem minime occurrere potuisse. Quod si factum est, et explicitis omnibus gesta res est, cur non in notitiam nostram quæ acta sunt perferuntur? Cum enim ea quæ nobilitas tua recenseri jussit ab officio fuerint ventilata, necesse ut acceptis universis tractem discutiamque quibus causis quibusve modis debeam respondere. Tantam etenim ex mandato illorum confusionem causæ esse cognovi, ut et de præteritis instrui debeam, et agnoscam de præsentibus cui debeam respondere. *Et alia manu.* Emeritus recognovi.

34. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Licet professio sanctitatis vestræ sola sufficiat, tamen quidquid vobis ad instructionem plenissimam credidistis posse sufficere, hesterna die et postulasse **292** vos et accepisse non dubium est. Unde nunc ad causæ meritum veniatur.

35. *Petilianus episcopus dixit.* Advertit sublimitas tua exceptorem ex codicibus legisse quid nudiustertiana die vel promissum fuerit vel pronuntiatum. Ex qua re magis agnosco acta adhuc exposita non fuisse. Quod si exposita sunt et parata, idem exceptor respondeat. Proferat gesta. Subscribe, tractamus, postea respondemus. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

36. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Studium dilationis agnosco, et mutatæ voluntatis indicium. Potuerat enim sanctitas vestra ex magnitudine gestorum, ut hodie negotium differretur superiori judicio postulare. Huc additur quod ea quæ vobis ad plenissimam instructionem sufficere credidistis, hesterno die edi vobis, data notaria postulatis.

37. *Petilianus episcopus dixit.* Dicant exceptores, utrum exponere una die potuerint, quod una die videtur esse confectum. *Et alia manu.* Ut supra.

38. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Exceptores, utrum hesterno die omnia potuerint in schedis gesta describi, apud acta designent. *Martialis exceptor dixit.* Adhuc partem in codicibus habemus. Siquidem etiam ii episcopi qui nobis custodes dati sunt, non nesciant.

39. *Petilianus episcopus dixit.* Accepit sublimitas tua ex responsione officii, acta adhuc digesta non esse in paginas, nec esse quod pars utraque legat atque recenseat, nec dari aut revocari memoriæ paululum possit. Proinde sublimitas tua, quoniam res honesta postulatur, largiri dignetur quod petimus, ut gesta ex more edantur. Legamus ut respondere possimus. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

40. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Longitudo gestorum magis in numero et responsione utriusque partis episcoporum est, quam in aliqua commendatione negotii. Nihil ergo est unde causetur pars diversa, aut hodie cognitio differatur ; præcipue quia etiam ipsi professi sunt ad hodiernum diem differendum esse negotium. *Et alia manu.* Recognovi.

41. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ut iterum partibus evidenter appareat, venerabilium virorum denuo professio recitetur. *Petilianus episcopus dixit.* Unde recitabitur? *Et alia manu.* Ut supra. *Montanus episcopus dixit.* De scheda nobis recitetur. *Et alia manu.* Ut supra.

42. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ergo quæ codicibus tenentur inserta, cum tanti sacerdotes custodes appositi fuerint, in dubitationem aliquam existimant devocanda?

43. *Petilianus episcopus dixit.* Notas non novimus; neque ea natura rerum est, atque ipsarum, ut ita dixerim litterarum, ut quisquam notas legat alienas. In codicibus legere non possumus. Nisi edita fuerint gesta in paginis, non habeo quod tractem, non habeo quod legam. *Et alia manu.* Ut supra. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ut dictum est, iterum venerabilium virorum professio recitetur.

44. *Martialis exceptor ex codice iterum notarum [recitavit. Nobilitas tua] dixit.* Quoniam diei pene omnem partem constat emensam, idcirco utrum ex communi consensu differri negotium placeat intimetur, *Ab utrisque partibus dictum est.* Placet, quoniam jam iste dies videtur emensus. *Nobilitas tua dixit.* In quem diem hæc ipsa comperendinatio differatur, pars utraque designet. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Sicut edicto nobilitas tua præscripsit, crastino intermisso propter descriptionem schedarum, perendie, si præcipis, observemus. *Adeoda-*

Digitized by Google

tus episcopus dixit. Etiam nos consentimus, ut perendie negotium peragatur. *Sublimitas tua dixit.* Sicut partibus placuit, perendino die negotium repetetur. *Et cum recitasset, Petilianus episcopus dixit.* Unde legit?

45. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Quid super hac parte legum sit auctoritate definitum, sanctitatem vestram arbitror non latere, cum contra proprios non liceat venire consensus. Unde, ne qua forte de exceptoribus officii fraude suspecti sint, ex tabulis notariorum ecclesiasticorum hæc eadem conditio relegatur.

46. *Emeritus episcopus dixit.* Ingredientibus nobis nobilitas tua interfari dignata est, si edictis propositis adhiberemus assensum, et utrum subscriptiones nostras accommodaremus propriis prosecutionibus. Cui rei satisfaciam, non adverto. Tenet me enim propositum nobilitatis tuæ, quo me subscriptionem indere gestis, et universa quæ publice acta sunt, publice proponi promisisti. Nunc autem cogor agere, et ante agnitionem gestorum in negotium præcipitari. Quæ ista sunt? Quid primum eligam nescio, quod votum tuorum judiciorum teneam non agnosco. Si subscribendum est paginæ; edatur pagina ut subscribi possit. Si hujus rei est facienda jactura, edictum tuum omne vacillabit; quidquid proposuisti in publicam conscientiam destruetur. Dixisti enim ex subscriptione nostra et ex sublimitatis tuæ adnotatione cuncta quæ gesta sunt in notitiam publicam debere deferri. Prius est ergo ut ea quæ gesta sunt recitentur, et publicentur, et agnoscantur, ut ex judicio tuæ sublimitatis ad cætera quæ sunt negotii veniatur. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

47. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Sicut interlocutus sum, ab ecclesiasticis notariis ea quæ ab exceptoribus officii recitata sunt, percurrantur.

48. *Petilianus episcopus dixit.* Tene modum tuum, vir nobilis; tene promissam sæpe justitiam. Nam cum a parte nostra nudiustertiana die fuisset objectum, quod dies legitimus causæ jam videretur fuisse transactus, et a causa cecidisse eos qui nos in judicium vocaverunt, coacti sumus id velle, ut recedentes ab eadem conditione in tempus præsens consentire videremur. Nemo mihi sit hac in parte ingratus, vir nobilis. Nam si ego concessi tantumdem temporis, salvis his tamen, si illi adstipulationibus suis non fuerint refragati, cur mihi breve non conceditur tempus ut scribantur gesta, ut subscribatur a sublimitate tua, videamque ac perlegam cui rei subscribere debeam, percipiamque ac recipiam meos scilicet sensus, adversariorum quoque calliditatem subtilemque argutiam; ut scilicet plenissime instructus, intentionibus eorum valeam respondere? Humanum esse arbitror atque justum. Ne dederis, vir nobilis, huic rei atque huic justissimæ petitioni aliquid quod in sollicitudinem abeam. Siquidem te justissimum promiseris, et nos id credere sit necesse, si tamen justa nobis nullatenus denegentur. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

49. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Hæc rectius et justius præterito judicio debuerant postulari, in quo ex consensu utriusque partis in hunc diem dilata cognitio est. Unde ab ecclesiasticis notariis ad quam partem fuerit dilata cognitio **293** recitetur. *Petilianus episcopus dixit.* Ergo circumventi sumus. *Et alia manu.* Ut supra. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Non est nostra causa factum, quod nobis volunt imputare fratres nostri e diverso sistentes. *Et cum diceret,* (*Et alia manu.* Recognovi.) *Petilianus episcopus dixit.* Injuriam nobis facis. *Et alia manu.* Ut supra.

50. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Edictum nobilitatis tuæ sic se habet, quartum mensem concludi ad diem kalendarum Junii. Ante autem nos venimus; et ipsi qui videntur nobis hinc facere invidiam, octavo kalendas Junias mandaverunt: cum utique, si ante diem venerant, ante ipsum diem mandare debuerint. Legatur etiam ipsius Primiani professio, ad quem diem se pollicitus est occursurum, et solvatur ista quæstio, de qua nobis jam apud populum magna invidia concitata est. *Et alia manu.* Recognovi.

51. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Hæc superiore judicio determinata jam constat, præsertim cum personæ ab utraque parte videantur esse firmatæ. Et tamen si cum causa cœperit retractari, putaverit hæc sanctitas tua relegenda, tunc rectius relegentur; quamvis superfluum sit, ut post confirmationem personarum hæc denuo retractentur. Unde, ut interfatus sum, ab ecclesiasticis notariis quod præceptum est recitetur.

52. *Emeritus episcopus dixit.* Scriptum sit tunc nos in diem consensisse cum isti suam retinuerint voluntatem. *Et alia manu.* Ut supra.

53. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Susceptæ tabulæ ab ecclesiasticis notariis recitentur. *Cumque intra Sabanum* (id est *lineum*) *volumen schedæ membranaceum pro parte descriptum et codices tabularum pariter obsignati, judiciariis offerrentur adspectibus, Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Custodes edicant utrum signa cognoverint. *Leo episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Agnosco sigillum meum. *Marinianus episcopus dixit:* Agnosco sigillum meum. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit:* Quoniam ab utraque parte impressionem signorum agnitam constat, ea quæ præcepi a notariis relegantur.

54. *Petilianus episcopus dixit:* Sic solent testamenta, non gesta reserari. *Et alia manu.* Ut supra.

55. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit*: Quod propter sollicitudinem partis utriusque factum est, et ex communi consensu non decet reprehendi. *Petilianus episcopus dixit:* Non reprehendo cautelam, sed peto [secundum] consuetudinem rerum ut gesta legitime exponantur, ut legi ac pertractari

Digitized by Google

possint. Quæ res urget? Quid festinatur? *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

56. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit:* Hoc solum constet ipsos rem velle differre. Ut concedat sublimitas tua, petimus te. Humanum est, considerare volunt, discutere volunt, paratiores volunt venire, ne nolentes differre prolixiora gesta faciamus, et ipsa gestorum prolixitas majores nobis moras incutiat. *Et alia manu.* Recognovi.

57. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit:* Et ut in hunc diem cognitio differretur, utriusque partis constat fuisse consensum, quod video hodie prodesse non posse. Interim, ut præcepi, ab ecclesiasticis notariis ad quam partem fuerit dilata cognitio recitetur.

58. *Petilianus episcopus dixit:* Scriptum sit hoc non nostro vitio fieri, sed tantum quod notarii occurrere non potuerunt, vel exceptores. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

59. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit:* Recita. *Januarius notarius Ecclesiæ Sitifensis partis Donati ex codice recitavit. Nobilitas tua dixit:* Edicat officium quantum jam diei videatur emensum. *Rufinianus scriba viri clarissimi curatoris dixit:* Exemptæ sunt horæ undecim diei. *Nobilitas tua dixit:* Quoniam diei pene omnem partem constat emensam, idcirco utrum ex communi consensu differri negotium placeat intimetur. *Ab utraque parte dictum est.* Placet, quoniam iste dies videtur emensus. *Nobilitas tua dixit:* In quem diem hæc ipsa comperendinatio differatur, pars utraque designet. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit:* Sicut edicto nobilitas tua præscripsit, crastino intermisso propter schedarum descriptionem perendie, si præcipis, observamus. *Adeodatus episcopus dixit:* Etiam nos consentimus ut perendino die negotium peragatur. *Sublimitas tua dixit:* Sicut partibus placuit, perendino die negotium repetetur. *Et cum recitasset.*

60. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit:* Utrarumque partium professione monstratum est in hunc diem cognitionem fuisse dilatam, ita ut hodie negotium tractaretur.

61. *Petilianus episcopus dixit:* Si perfecerunt gesta exceptores, agatur. *Et alia manu.* Ut supra.

Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit: Licet apertissimis fuerit professionibus designatum in quem diem dilatum esset judicium, tamen, ne quid ei parti quæ dilationem postulat negatum esse videatur, cognitio differetur, ita ut edicat in quem diem debeat judicium protelari.

Petilianus episcopus dixit: Dicant exceptores quando edituri sunt gesta. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit:* Exceptores quando possunt in schedis gesta conscribi et edenda compleri, edicere non morentur. *Hilarus exceptor dixit:* Sicut consensus accessit utrarumque partium, dum in scheda prosecutiones suas subscripserint, tunc demum diem edendorum gestorum possumus edicere.

Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit: Possunt hodie schedæ vel ab officio compleri, vel ab utraque parte subscribi? *Hilarus exceptor dixit:* Hodie schedas complemus.

Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit: Quoniam suggessit officium hodie se schedas posse complere, edicat sanctitas vestra utrum hodie vel crastino die sit parata subscribere.

62. *Adeodatus episcopus dixit:* Cum nobis scheda oblata fuerit, subscribemus. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus recognovi.

63. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit:* Edicat nunc officium post subscriptionem schedarum, etiam in editione gestorum quot dierum sufficere possit sine ulla excusatione dilatio.

64. *Hilarus exceptor dixit:* Si crastino die subscripserint vel hodie, possumus die noctuque invigilantes post tertium diem gesta edere, ita ut notarii eorum nobis de scheda subscripta dictent. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit:* Quis iste dies sit ab officio designetur. *Rufinianus scriba viri clarissimi curatoris dixit:* Hodiernus dies est III nonas Junias. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit:* Diem quæro quo edi gesta promissum est. *Hilarus exceptor dixit:* Possumus gesta edere septimo iduum Juniarum die.

65. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit:* Licet jam de professionibus dubietas mihi magna nascatur, tamen denuo utrum sexto iduum **294** Juniarum die, omnibus ambagibus amputatis, negotium sit principale tractandum, pars utraque designet.

66. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit:* Nos et hodie volumus, et si fieri posset, vellemus. Tamen quia humanum fuit hoc concedere fratribus nostris quod nobis non injuste videntur postulasse, ad diem sextum iduum Juniarum, adjuvante Domino Deo nostro, adfuturos nos ad peragendum principale negotium Ecclesiæ pollicemur. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit:* Etiam pars alia quid voluntatis habeat dignetur edicere.

67. *Emeritus episcopus dixit:* De professionibus nostris nulla est ambiguitas. Quantum autem ad instructionem, quam fieri debere in judicio flagitavimus, advertit nobilitas tua nos justa et legitima postulasse. Diem autem statutum, hoc est, sextum iduum Juniarum, si Deus jusserit, observabimus; ita tamen ut acceptis gestis nobis largiatur aliquid æquissimus judex, quo possit esse tractatus. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit:* Septimo iduum Juniarum die matutinis horis vobis gesta tradentur. Edicite utrum alia die, id est, sexto iduum Juniarum, adesse dignemini ut principale negotium peragatur. *Emeritus episcopus dixit:* Aderimus ad judicium, si quæ statuit nobilitas tua, habuerint effectum. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

68. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius*

Digitized by Google

dixit: Memores periculi et professionis propriæ exceptores constituto die, matutinis horis, id est, septimo iduum Juniarum, gesta edere festinabunt, ita ut notarii partis utriusque in dictando non desint. Sciat autem utraque pars officio se cavere debere de perceptione gestorum hora pariter designata. Sacerdotale vero est, ut amputatis ambagibus nulla morarum impedimenta nectantur.

69. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit:* Secundum præceptum nobilitatis tuæ, cum gesta susceperimus, de subscriptione et de tempore consequenter cavebimus. *Et alia manu.* Recognovi.

70. *Emeritus episcopus dixit:* Cum oblata nobis fuerint gesta, satisfaciemus judicatis. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

71. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit:* Etiam istius diei gesta, ne qua possit esse denuo causatio, eadem die edere vobis festinabit officium.

72. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit:* Multa nudiustertiana die falsa jactata sunt. Ne hujusmodi illusionibus populus perturbetur, petimus ut ipsos petisse dilationem nobilitatis tuæ edicto noscatur. *Et alia manu.* Recognovi.

73. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit:* Ea quæ populus loquitur sanctitatem vestram permovere non condecet. Tamen, sicut edicto meo definitum est, gesta proponentur. *Et infra.*

Hilarus et Martialis exceptores edidimus, et hæc similiter ut supra emendavimus.

Expliciunt Gesta secundæ Cognitionis, ubi Donatistæ dilationem popoşcerunt.

INCIPIUNT GESTA TERTIÆ COGNITIONIS.

1. *Post consulatum Varanis viri clarissimi sexto idus Junias Carthagini in Secretario Thermarum Gargilianarum, adstantibus Sebastiano, Maximiano et Petro, viris devotissimis, protectoribus domesticis, adstantibus etiam Vincentio et Taurillo viris devotissimis agentibus in rebus, Urso, Petronio et Liboso ducenariis illustrium potestatum, Bonifacio et Evasio apparitoribus illustrium atque eminentium potestatum, Fileto et Octaviano apparitoribus illustris comitivæ sedis, Restituto et Exitioso adjutoribus cornicularii, Possidio, Quodvultdeo et Colonico adjutoribus commentariorum officii D. N. viri clarissimi et spectabilis proconsulis, Navigio adjutore numerorum, et Peregrino adjutore subadjuvarum officii D. N. viri clarissimi et spectabilis vicarii, Nampio scriba officii viri clarissimi legati almæ Carthaginis, Rufiniano scriba viri clarissimi curatoris celsæ Carthaginis; excipientibus etiam Hilaro et Prætextato exceptoribus D. N. viri clarissimi et spectabilis proconsulis, Fabio exceptore D. N. viri clarissimi et spectabilis vicarii, Romulo exceptore V. C. legati almæ Carthaginis, excipientibus quoque Januario et Vitale notariis Ecclesiæ catholicæ, Victore et Cresconio notariis Ecclesiæ Donatistarum, Ursus ducenarius illustrium potestatum dixit:* Præterito judicio Donatianæ partis episcopi in hodiernam diem, ut exinde instructi in judicio sublimitatis tuæ responderent, causa sibi edendorum gestorum inducias postularunt. Nunc utræque partes pro foribus sunt, si præcipis, intromittentur.

2. *Flavius Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit:* Veniant. *Et ingressis episcopis catholicis Aurelio, Alypio, Augustino, Vincentio, Fortunato, Fortunatiano, et Possidio, cum Novato, Florentio, Maurentio, Bonifacio, Prisco, Sereniano et Scillacio coepiscopis suis, Deuterio, Leone, Asterio, et Restituto æque coepiscopis et custodibus gestorum: Item e diverso ingressis episcopis Donatistarum, Primiano, Petiliano, Emerito, Montano, Gaudentio, Adeodato, cum Peregrino, Apto, Clarentio, et Habetdeo coepiscopis eorum.*

3. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit:* Certum est ob hoc dilatum fuisse negotium, ut hodierno die gestis editis principalis actio tractaretur. Quod utrum factum sit, edicat officium. *Martialis exceptor D. N. viri clarissimi et spectabilis proconsulis dixit:* Constat juxta præceptum nobilitatis tuæ gesta ante eum diem edita qua parvitas nostra fuerat professa. Quod, si jubet nobilitas tua, ad plenam fidem ex cautionibus partis utriusque monstrabimus.

4. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit:* Recitentur. *Martialis exceptor recitavit.* Post consulatum Varanis viri clarissimi octavo idus Junias, Fortunatianus episcopus catholicus civitatis Siccensium scripsi me gesta geminæ cognitionis pariter suscepisse, habita primum die kalendarum Juniarum; item habita die tertia nonarum; et susCepi tradente Martiale exceptore sedis proconsularis, qui sit deputatus Flavio Marcellino viro clarissimo tribuno et notario die octava iduum Juniarum hora diei quinta in Ecclesia catholica restituta. Et quamvis exceptores septimo iduum Juniarum gesta promiserint **295** edituros, melius tamen eorum festinavit industria, ut nobis ante diem promissum acta cognitionum duarum pariter traderentur. Quibus perceptis, loco et tempore suprascripto instructos nos ad peragendum negotium die qui actis expressus est, pollicemur esse venturos. *Cumque recitasset, idem dixit:* Lego aliam, si præcipit nobilitas tua.

5. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Lege. *Martialis exceptor recitavit.* Post consulatum Varanis viri clarissimi octavo idus Junias, Montanus episcopus civitatis Zamensium regiorum. Scripsi vobis, Hilare et Prætextate exceptores, me accepisse a vobis gesta geminæ cognitionis; in quibus una cum traditoribus et persecutoribus nostris confligimus, habita primum die kalendarum Juniarum, et alia habita die tertia nonarum earumdem, quæ vos exceptores suprascriptæ sedis proconsularis, tradidistis nobis coram patribus et coepiscopis nostris die octava iduum Juniarum, hora diei tertia, in Ecclesia Theoprepia; quibus perceptis loco et tempore suprascripto, profitemur nos ad agendum negotium die actis expressa ordine integro esse venturos.

Digitized by Google

6. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Lectæ cautiones gestis præsentibus adhærebunt. *Et adjecit.* Quoniam constat ante diem editionem factam esse gestorum, superest ut principale negotium proponatur.

7. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Principale negotium jamdiu est ut cupimus terminari. Proinde, si vel sero conceditur, probent, quoniam ex parte adversa esse desiderant, totiens objecta Ecclesiæ sanctæ catholicæ toto orbe diffusæ crimina et numquam probata. *Et cum diceret,* (*Et alia manu.* Recognovi.)

8. *Adeodatus episcopus dixit.* Proponant. Sciamus quid agunt. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus salva appellatione recognovi.

9. *Vincentius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Propositionem ex mandato non didicisti. *Et alia manu.* Recognovi.

10. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Morarum tendiculas nullus interponat, si de causæ nostræ defensione aliquam habemus fiduciam. *Et cum diceret,* (*Et alia manu.* Recognovi.)

11. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Si quid intenditur, proponatur.

12. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Mandatum ipsorum legatur, et intentionem ipsorum inde agnoscet nobilitas tua. *Et alia manu.* Recognovi.

13. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Amotis omnibus moris, quoniam constat omnia quæ ad principia negotii pertinebant superiore judicio terminata, causa dicatur.

14. *Fortunatus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Duo in mandato suo objecisse monstratur pars adversa, traditionem et persecutionem. Si igitur causam Ecclesiæ volunt ut peragamus, jamjamque te judicante finiatur. Nefas est enim ut exspectatione populus in errorem mittatur. Si agnoscenda est Ecclesia toto terrarum, sicut promissa est, orbe diffusa, testimoniis scripturarum doceatur. Sin vero solitis præstigiis solitisque ambagibus id intendit pars adversa ne ad veritatem veniamus, dicatur, ut hoc omnibus innotescat. *Et alia manu.* Recognovi.

15. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Quid his refertur?

Emeritus episcopus dixit. Numquam memini in judicio condemnatam esse patientiam. Quin imo semper id laudi est, ut secretum retinens lingua, objectis, si potest, dilucide respondeat. Ergo quoniam omnium actionum debent esse principia, totiusque negotii initia ex se sumere consueverunt, quid præteritorum dierum actus involvimus, et quasi non fuerint peracta, iterum refricamus, cum præsentis diei propositio suam debeat sumere accipereque personam? Unde si propositio eorum et responsio nostra in judicium mittitur, personarum primum est discutienda qualitas, quis in judicium adduxit, quis convenire fecit, quis principes sæculi convenit, quis legatos misit, quis supplicavit, quis legem meruit, quis judicium postulavit; ut cum eorum intentionibus docti fuerimus, respondere valeamus. *Et alia manu.* Emeritus episcopus salva appellatione recognovi.

16. *Fortunatianus episcopus ecclesiæ catholicæ dixit.* Diffidentia est causæ personas velle discutere, quas priore conflictu visus est confirmasse. Et ideo causam Ecclesiæ peragamus, quæ, sicut promissa est, toto terrarum orbe diffunditur. Et *alia manu.* Recognovi.

17. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Sanctitas tua propositionem, quantum arbitror, non diligenter advertit. Alia enim constat esse quæsita.

18. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit. Ad* id ergo quod quæsierunt, *jube recitari partis utrius*que mandata, et instruentur *ad id quod desiderarunt. Et alia manu.* Recognovi.

19. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Quæsitum est per quos hæc sit postulata collatio, quive episcopos qui e diverso consistunt ad judicium postularit. Unde ad hæc sanctitas vestra respondere debebit.

20. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Si ad rem judicas pertinere, præstantiæ tuæ est considerare. Catholicis episcopis vel legatis catholicorum episcororum concessum esse habendam collationem, tenor rescripti imperialis ostendit. Venimus utrique, hic sumus; et Deus nos disputatores et collatores magis quam litigatores esse præcepit, et nihil aliud voluit Deum timens et Deo serviens clementissimus imperator. Adstitisse legitimas personas, et confirmata esse mandata primo die conflictus nostri judicavit sublimitas tua. Non interponantur quæ ad rem necessaria non sunt. Ecclesia est quam asserimus testimoniis scripturarum divinarum, omnibus nota, in monte, sicut scriptum est, altissimo constituta, ad quam veniunt omnes gentes. Si est aliquid contra istam Ecclesiam quod dicatur, jam dicatur, et nullæ moræ interponantur. Si nihil est quod dicatur, cedat veritati, qui suam criminationem affirmare et ostendere et probare hominibus non potest. Quamdiu ista tanta populi exspectatio suspensa est? De anima sua omnes cogitant, et nos moratorias præscriptiones ad hoc interponimus, ut ad finem cognoscendæ veritatis numquam veniatur. *Et alia manu.* Recognovi.

21. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ut adverti possit in quem modum sit delegata cognitio, imperialis præcepti forma relegatur.

22. *Petilianus episcopus dixit.* Catholicos se sine præjudicio nostro dixisse, his actis signatum est. Hujusce rei serva conflictum. *Et alia manu.* Petilianus episcopus salva appellatione recognovi. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quod præceperas recitetur. *Et alia manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Apud nos est enim vera catholica, quæ persecutionem patitur, non quæ facit. *Et alia manu.* 296 Petilianus episcopus recognovi, salvo appellationis effectu. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Hoc

Digitized by Google

probare opus est, non jactare. *Et alia manu.* Recognovi.

23. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Hoc utrarumque partium conflictus inveniet. *Et adjecit.* Imperialis sanctio interim relegatur.

24. *Martialis exceptor recitavit.* Imperatores Cæsares Flavii Honorius et Theodosius pii, felices, victores ac triumphatores, semper Augusti, Flavio Marcellino suo salutem. *Et cum recitaret.*

25. *Petilianus episcopus dixit.* Terreri me Imperator voluit, non occidi, non persecutionem pati, non pertrahi, non spoliari. *Et alia manu.* Petilianus episcopus salva appellatione nostra recognovi.

26. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quod amplius est, nec territus es. *Et alia manu.* Recognovi.

27. *Petilianus episcopus dixit.* Laudasti constantiam bonæ fidei, et veræ catholicæ disciplinæ. *Et alia manu.* (Petilianus episcopus) salva appellatione recognovi.

28. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Nec territus es, ut dictum est, nec timuisti. *Et alia manu.* Recognovi.

29. *Martialis exceptor dixit.* Inter imperii nostri maximas curas, catholicæ legis reverentia aut prima semper aut sola est. Neque enim aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis consiliis ordinamus, nisi ut verum Dei cultum orbis nostri plebs devota custodiat; ut etiam Donatistas vel terrore vel monitu olim jam implere convenerat; qui Africam, hoc est regni nostri maximam partem, et sæcularibus officiis fideliter servientem, vano errore et dissensione superflua decolorant. Nos tamen eadem frequentius non piget explicare quæ omnium retro Principum devota in Deum definivit auctoritas, ne temporibus nostris, si quid forte in injuriam legis catholicæ fuerit generatum, justo judicio hoc nobis possit imputare posteritas. Nec sane latet conscientiam nostram sermo cœlestis oraculi, quem errori suo posse proficere scæva Donatistarum interpretatio profitetur : qui quamvis depravatos animos ad correctionem mitius invitaret, aboleri eum tamen ante jussimus, ne qua superstitionibus præstaretur occasio. Nunc quoque excludendam subreptionem simili auctoritate censemus; illudque merito profitemur libenter nos ea quæ statuta fuerant submovere, ne in divinum cultum nobis se quisquam auctoribus æstimet posse peccare. Et quamvis una sit omnium et manifesta sententia, catholicæ legis plenam veritatem recto hominum cultu et cœlesti sententia comprobatam, studio tamen pacis et gratiæ, venerabilium virorum Episcoporum legationem libenter admisimus, quæ congregari Donatistas episcopos ad cœtum celeberrimæ desiderat civitatis, ut lectis etiam sacerdotibus quos pars utraque delegerit, habitis disputationibus, superstitionem ratio manifesta confutet. Quam rem intra quatuor menses præcipimus explicari, ut conversos animos populorum, etiam nostra clementia, sicut desiderat, celerius possit agnoscere. Quod si intra præstitum tempus studiose Donatistarum episcopi declinaverint convenire, trini edicti evocationem volumus custodiri; ita ut vicenis diebus in evocatione contumacium tempora concludantur : quibus emensis atque transactis, si provocati adesse contempserint, cedat cum Ecclesiis populus, qui doctores suos silentio cognoverit, superatos, et victum se aliquando gratuletur, sciatque si non præceptis nostris, vel catholicæ legis veris imperiis serviendum. Cui quidem disputationi principe loco te judicem volumus residere (quidquid etiam ante in mandatis acceperis, plenissime meministi); omnemque vel in congregandis episcopis, vel evocandis si adesse contempserint, curam te volumus sustinere, ut et ea quæ ante mandata sunt, et quæ nunc statuta cognoscis, probata possis implere solertia; id ante omnia servaturus, ut ea quæ circa catholicam legem vel olim ordinavit antiquitas, vel parentum nostrorum auctoritas religiosa constituit, vel nostra serenitas roboravit, novella subreptione submota, integra et inviolata custodias. Ut sane adminicula competentia actibus tuis deesse non possint, viros spectabiles proconsulem atque vicarium serenitas nostra commonuit, ut si propriarum dignitatum statum cupiunt retinere, si apparitionem suam extrema declinare supplicia, tam ex propriis officiis quam ex omnium judicum apparitione abunde necessarios faciant deputari. Erit jam sollicitudinis tuæ, si quid ulla cognoveris arte differri, missis relationibus indicare, ut negligentes puniat digna correptio. Omnia sane quæ vel in unum episcopis congregatis disputatio completa firmaverit, vel desistentibus forte statuerit circa contumaces lata sententia, te referre conveniet, ut quod ad confirmandam Catholicam fidem præceptio nostra profecerit, celerius possimus agnoscere. *Et divina manu.* Vale, Marcelline, charissime nobis. Datum pridie idus Octobris Ravennæ.

30. *Petilianus episcopus dixit.* Donatistas nos appellandos esse credunt, cum si nominum paternorum ratio vertitur, et ego eos dicere possum, imo palam aperteque designo Mensuristas et Cæcilianistas esse, eosdem traditores et persecutores nostros. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi sine præjudicio appellationis nostræ.

31. *Vincentius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Et hoc recusas quod in præfectorum judicio pro voto complexus es? *Et alia manu.* Recognovi.

32. *Petilianus episcopus dixit.* Nec nunc abnuo esse mihi principem ac fuisse beatissimæ sanctæque memoriæ Donatum hujus civitatis episcopum, ejusque tanta merita floruisse, ut et illius temporis gloriam vetustas ipsa. *Et cum diceret;* (*Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi, salvo appellationis effectu.)

33. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Damnent nomen Donati, et deinceps non appellabimus illos Donatistas. *Et alia manu.* Recognovi.

Digitized by Google

34. *Petillianus episcopus dixit.* Damna nomen Mensurii et Cæciliani, et non diceris (Mensurista neque) Cæcilianista. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi sine præjudicio appellationis nostræ.

35. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Feci enim mentionem Mensurii? *Et alia manu.* Recognovi.

36. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Hæc omnia utrisque partibus salva erunt. *Et adjecit.* Evidenter apparuit episcopis postulantibus disputationem à venerando principe me disceptante fuisse mandatam, ut causa primi discutiatur erroris, quæ jam in medium proferatur.

37. *Emeritus episcopus dixit.* Lectum est rescriptum. Legantur et preces, ut causa possit audiri. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

38. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Peritiam sanctitatis vestræ arbitror non latere, pragmaticis rescriptis preces inseri non solere; quas quidem ab episcopis qui collationem postulaverant, **297** sicut ejusdem sanctionis textus ostendit, processisse non constat. Unde tandem aliquando negotium proponatur.

39. *Emeritus episcopus dixit.* Si pragmatico rescripto preces inseri non solere præstantiæ tuæ interlocutione signatum est, eos quos legatos esse dixerunt, utrum ex omnium voluntate, utrum ex communi mandato perrexerint, doceant, ut si non in precibus, certe vel in legatis possit stare persona. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi, sine præjudicio appellationis meæ.

40. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Advertat nobilitas tua quanta aguntur ut nihil agatur. *Et alia manu.* Recognovi. *Montanus episcopus dixit.* Ordine integro causa peragenda est. *Et alia manu.* Montanus episcopus recognovi, salva provocatione.

41. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Præsentes sunt, utrique convenimus : locus iste episcopis pene refertus est, mandata recitata atque firmata sunt; non negatur a partibus nostris postulatam esse collationem, ut in ea collatione tandem aliquando vel probent vel probare non potuisse monstrentur, quæ solent non nobis, non unicuique nostrum, sed universo orbi christiano objicere crimina : qui Christianus orbis non opinione humana, sed divinis testimoniis et promissus est, et impletur. Quid? Adhuc nescio qua tergiversatione moratoria ab eis interponuntur qui se episcopos Christi dici volunt? Exspectatio, non dico hujus civitatis, sed universi pene generis humani suspensa est, aliquid de Ecclesia cupit audire; et nos adhuc forenses formulas discutimus, et miserrime litigamus. Jam advertat nobilitas tua quid agatur. Jam aliquando nos de hoc negotio amputatis omnibus morulis, adjuvante Deo, liberare dignare. *Et alia manu.* Recognovi.

42. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ad omnem confirmationem sufficere posse non ambigo universorum subscriptiones, superiore judicio mandato insertas atque digestas. Unde quoniam omnium consensus expressus est, amotis superfluis aliquando negotium proponatur.

43. *Emeritus episcopus dixit.* Duo sunt in judicium missa, a quibus deviari nullo modo potest : unum, quod secundum imperiale præceptum : alliud, quod secundum mandati tenorem agere se judicio demonstrarunt. Igitur si utraque connexa sunt, debet edoceri : si autem separata atque sejuncta sunt, unius necesse est faciant jacturam, qui utrumque nolunt ad probationem in judicium mittere. Convenire enim debet cum rescripto mandatum, et ad formulam statuti imperialis mandatorum debet sensus astringi. Quod si neutrum esse intelligitur præstantia tua, neque moratoriis nos velle agere, neque nos a causæ actione suspendere, sed constitutis primitus fundamentis ecclesiasticum negotium velle definire, quid est quod nobis de mora præscribitur, et tamquam cavillatoribus, et a cognitione refugientibus, quasi moras quasdam per nos innecti causantur; cum utique, si advertant, magis his qui proponunt incumbere aut necessarium esse dicimus, ut omnibus moris amputatis ad negotii instrumenta arcemque veniatur, ut ostendatur ex adversa parte quis petierit, quemadmodum petierit, vel quid petierit; ut cum de mandato vel de rescripto utraque concordantia complexus fuero, et ea quæ in rescripto sunt confirmata, et ea quæ ex ipsorum petitione suggesta sunt, possint judiciis approbari. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

44. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Tuæ sunt partes, vir nobilis. Si respondit ad ea quæ diximus, opus est ut respondeamus. Si autem pervidet præstantia tua nihil eum respondisse ad id quod juste flagitamus, sed moris superfluis alias moras superfluas addidisse, judica ut videtur. *Et alia manu.* Recognovi.

45. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Certum cognitionis tenorem principali constat auctoritate definitum. Hoc enim relectæ sanctionis series demonstravit ut, convocatis episcopis atque partibus delectis, superstitionem, ut ipsius legis verbis loquar, ratio manifesta confutet. Unde dignabitur sanctitas vestra clarius demonstrare in qua sit parte superstitio constituta.

46. *Petilianus episcopus dixit.* Advertit sublimitas tua magnam diffidentiam eos habere, magnumque mendacium, si ea quæ petimus prodere noluerint. Etenim ante de sua conscientia judicat, qui petitionem suam timuerit publicare. Non igitur moram aliquam facimus; sed per ipsos moras fieri sublimitati tuæ. *Et cum diceret, (Et alia manu.* Petilianus episcopus salvo appellationis nostræ merito recognovi.)

47. *Vincentius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Non sufficit quod tibi respondit judex? *Et alia manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Aut legant quod petimus, aut negent. *Et alia manu.* Petilianus

Digitized by Google

episcopus recognovi, salva appellatione nostra. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quid ad rem pertinet quod pars adversa est prosecuta, et non propter moras quasdam? *Et cum diceret*, (*Et alia manu.* Recognovi.) *Petilianus episcopus partis Donati* [*dixit.*] Judica. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi, salvo nostræ appellationis effectu.

48. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Evidentius sanctitas vestra quid postulet designare debebit.

49. *Emeritus episcopus dixit.* Longo volumine præterito judicio quasi mandati tenorem pars adversa prodidit. Cui rei si vera adstipulatur assertio, id in judicio publicare ac prodere debent, tantummodo se sequi hoc ipsum : jacturam autem facere imperialis rescripti, ad cujus promulgationem neque tenorem precum, neque mandatum legatorum monstrare voluerunt. Igitur quia nihil abs re est quod in judicio postulamus, petimus ut primitus aut rescripti jacturam, aut mandati sui faciant cessionem, ut ad causam venire valeamus. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi sine præjudicio appellationis [nostræ].

50. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Legatur mandatum nostrum, et intelligent quam cuncta contineat. *Et alia manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus partis Donati dixit.* Patere, præsta judici patientiam quam nobis præstat. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi sine præjudicio appellationis nostræ.

51. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Nihil aliud præcipue principali sanctione adverti esse constitutum, nisi ut convenientibus episcopis disputatione habita, causa primi inveniatur erroris. Cui disputationi me judicem voluit residere. Accepit autem sanctitas vestra prosecutionem partis e diverso sistentis; in qua evidenter ostensum est atque promissum, ut Ecclesia toto orbe diffusa divinis testimoniis demonstretur, cum videatis ex mandati serie et ex præsenti professione id fuisse declaratum, ut legis exemplis atque documentis omnia comprobentur. Nec enim clementissimus princeps formam collationi dedisse monstratus **298** est, sed tantum collationem debere fieri judicavit. Unde quoniam secundum desiderium vestrum divinis testimoniis se agere eorum professio declaravit, quid amplius desideretis ignoro.

52. *Petilianus episcopus dixit.* Apertissime intelligitur eos diffidentia vel sero pudore id agere, ne petitionem suam omnibus publicent, quoniam eos constat clementissimo imperatori mentitos. *Et alia manu.* Petilianus episcopus sine præjudicio appellationis nostræ recognovi.

53. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Collatio petita est a legatis nostris. Lex ipsa hoc continet, quæ ad tuam nobilitatem data est. *Et alia manu.* Recognovi.

54. *Petilianus episcopus dixit.* Non differimus agere. *Et alia manu.* [Petilianus episcopus] salva appellatione nostra recognovi.

55. *Augustinus episcopus ecclesiæ catholicæ dixit.* Data est. Omnes fatemur nos petisse collationem, quoniam eam recusabatis; ut tandem sic saltem ad hunc locum vel ad hoc tempus, collationis et disputationis et demonstrandæ veritatis gratia veniremus. Factum est. Venimus, et nihil vultis prodesse quod venimus. Confitemur nos collationem petisse. Nihil aliud imperator quam nos collationem petisse suis verbis expressit. Jam fiat ipsa collatio. Videamus quid dicatur contra Ecclesiam toto orbe diffusam, quam demonstramus divinis testimoniis et promissam esse, et nunc ita exhiberi, ut cæcorum oculos feriat, surdorum aures irrumpat. Ad hanc demonstrandam nolunt pervenire fratres nostri, ut demonstretur, quod latere non potest. Edicant crimina. Videamus quibus criminibus periit quod promissum est Abrahæ : *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Quæ crimina istam promissionem jurantis Dei delere potuerunt audiamus, discamus, noverimus, sequamur. Si autem nihil est quod contra dici possit, aut pronuntia, aut tolle omnes moras, et aliquando negotium finiatur. *Et alia manu.* Recognovi.

56. *Emeritus episcopus dixit.* Magno argumento veritas occultatur; ut cum ad inquisitionem nostram modicum quid ex parte adversa prolatum sit, cætera sileantur. Dixit enim suos isse legatos, quorum neque nomina, neque ordinem, neque mandatum vult judicio publicare. Igitur aut hujus rei jacturam faciat; quia non potest approbare; aut si valet hoc legibus edocere, vel qui legati fuerint, vel quando missi sint, vel quid pertulerint, legati mandatum in judiciorum notitiam asserere debebunt. Videt præstantia tua, nihil nos abs re petere : quippe cum ipsorum sit causa, cur non ad interna negotii veniamus. Proposuerunt enim ex mandati sui tenore nescio quibus se allegationibus adversum nos stare debere. Has ipsas allegationes et nos possumus legalibus testimoniis superare. Prius est ergo ut initio actionis exposito, personam suam, sive suscipientis, sive mandantis in judicio approbare valeat : tunc demum ad negotii merita descendatur. *Et alia manu.* Emeritus episcopus salva appellatione recognovi.

57. *Vincentius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quid est aliud causam dimittere, et personas quærere, nisi effugere velle? Quare venisti? *Et alia manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* A personis incipit omnis causa. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi, salvo nostræ appellationis effectu. *Vincentius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Non tibi forum tuum designavit, quæ omissa sunt, repeti non posse. *Et alia manu.* Recognovi.

58. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Collationem fuisse postulatam, et collationem fuisse concessam, cœlestis sanctionis forma declaravit. Cur nunc legatorum personæ in medium veniant, necdum diligenter adverti.

59. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.*

Digitized by Google

Si negaremus nos petisse collationem, imperatoris testimonio convinceremur. Habemus imperatorem testem, petisse nos confitemur. Venimus ut fiat quod et nos petivimus, et ille concessit, et adhuc nescio quæ dubitationes vel moræ interponuntur. *Et alia manu.* Recognovi.

60. *Emeritus episcopus dixit.* Ecce jam professus es partem. Dic quando petisti, dic per quos petisti. *Et alia manu.* Emeritus episcopus salva appellatione nostra recognovi.

61. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ad demonstrandam veritatem, personarum non est necessaria inquisitio. *Et alia manu.* Recognovi.

62. *Montanus episcopus dixit.* Quoniam pars adversa ad clementissimum imperatorem confugit, oportet eamdem et mandatum edere et legationem; ut cum hæc potuerimus advertere, in judicio nobilitatis tuæ noverimus quid possimus respondere. *Et alia manu.* Montanus episcopus salva appellatione recognovi. *Vincentius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Satis longum est a causa, et præter hanc causam illa velle repetere quæ hujus judicati tenor in statum inquisitionis suæ omnino non quæsivit. *Et alia manu.* Recognovi. *Montanus episcopus dixit.* Tuæ actionis est quod flagito. *Et alia manu.* Montanus episcopus recognovi, salvo provocationis effectu. *Vincentius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Definitiva est judicis qui præsidet sententia, ad quid nos ad hodiernum diem distulit, satis pudoris esse debere, hoc si transimus quod de causa judicamus nos ipsi. *Et cum diceret,* (*Et alia manu.* Recognovi.) *Montanus episcopus dixit.* Tuæ actionis est quod flagito, tu fundamentum causæ constituisti, tu ad imperatorem confugisti. Oportet ergo me et mandatum repetere et legationem, quibus usus sis verbis; ut cum hæc omnia in judicio nobilitatis tuæ a nobis fuerint pertractata, tum demum quid utilitati nostræ conveniat, valeam respondere. *Et alia manu.* Montanus episcopus salvo provocationis effectu recognovi. *Vincentius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Professionem tuam tu superare non potes. Unde recessisti cognosce. Omissa repetere non potes. *Et alia manu.* Recognovi. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quid flagitas quando petierim, cum videas quando venerim? Quid quæris utrum petierim, cum universum catholicum præsens in hac urbe consilium mandatum dederit, mandato subscripserit, subscriptiones præsens te instante cognoverit? Nihil hic aliud quam moræ inquiruntur, quia contra Ecclesiam universam Dei testimoniis commendatam, nihil est quod dicatur. *Et alia manu.* Recognovi.

63. *Montanus episcopus dixit.* Scriptum sit, partem adversam moratoria innectere, cum quod a nostris partibus flagitatur non produnt. Ac per hoc si volunt eamdem moram de medio tolli, prodant quod flagitamus, prodant mandatum, prodant et legationem; tum deinde ad merita negotii veniemus. *Et alia manu.* Montanus episcopus salvo provocationis effectu recognovi.

64. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Non hoc quæri voluit clementissimus imperator. Causam dissidii et erroris jussit inquiri.

65. *Montanus episcopus dixit.* Sed clementissimus imperator rescripto suo eosdem publicavit, legationem inseruisse. Unde quia etiam ipse hanc facultatem nobis tribuere voluit pro clementia sua ut hoc 299 in judicio requiramus, oportet eosdem et mandatum proferre et legationem, ut sciamus quid idem in eodem textu fortasse fuerint ementiti; ut tum demum his omnibus pertractatis, noverimus personarum meritum; an valeant honoribus suis integro ordine respondisse. *Et alia manu.* Montanus episcopus salvo provocationis effectu recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Legationi eos consensisse universi concilii et subscriptionis tenor evidenter ostendit. Denique ad integram confirmationem, cum omnium subscribentium nomina legerentur, sanctitas vestra dixit sibi hoc plene non posse sufficere, nisi etiam omnes advenissent, ut in præsentiarum positi, utrum ipsi subscripsissent atque mandassent, propriis professionibus indicarent. *Montanus episcopus dixit.* Personas eorum flagito qui mandatum dederunt ad clementissimum imperatorem, non eorum qui hodie ad hoc judicium pervenerunt. Unde, vir sublimis, oportet istos quam refugiunt actionem in judicio nobilitatis tuæ prodere. Jam ergo prodant mandatum, prodant et legationem, ut cum his recensitis adverterimus qui iisdem commendarint, valeamus eorum objectionibus respondere. *Et alia manu.* Montanus episcopus recognovi, salvo provocationis effectu.

66. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Eos quos legationem peregisse dicis, si præsentes esse vel in præsentiarum mandato subscripsisse cognoscis, evidenter ostende. Sin vero absentes, necesse est ut veniant, quatenus omne possit negotium pertractari.

67. *Montanus episcopus dixit.* Ergo, vir sublimis, eorum præsentia facienda est, qui ad clementissimum imperatorem per maria volaverunt. Ipsorum ergo et persona adstans doceat sibi aliquid ab istis esse mandatum; ut de ipso mandato intelligam quid in sua causa voluerint innectere, quid deinde forsitan in eadem legatione contra nos ementiri. Est enim studium semper adversariorum, incerta de adversariis auribus sacratissimis innectere. Ergo unde probabo episcopalem quam sibi jactant esse, personam sub verecundia et textu aliquid imperatori suggerere potuisse, nisi eumdem legationem vel mandatum sibi creditum potuero perlegere et de eodem judicare? *Et alia manu.* Montanus episcopus salvo appellationis effectu recognovi.

68. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Eadem superfluo repeti etiam nobilitas tua nobiscum considerat. Sufficit persona assertorum præsentis mandati auctoritate firmata. Jam nunc remotis superfluis ad negotium veniamus; cujus firmamentum nullam poterit habere dubitationem, quando persona

Digitized by Google

nostra, quibus universale concilium mandavit, disputationem ab imperatore præceptam ita firmavit, ut ne ipsi quidem dubitare possint, in quorum adspectibus processerunt omnes qui mandaverunt. *Et alia manu.* Recognovi. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Petisse nos collationem quis negare potuit aut potest? *Et alia manu.* Recognovi.

69. *Emeritus episcopus dixit.* Quid petisti? Quem misisti? Dic nomen, quæ mandasti? *Et alia manu.* Emeritus episcopus salvo appellationis effectu recognovi. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* De causa loquere, mandatum audisti. Recitetur idem, et responde, si habes quod dicas. Superfluis immoraris. *Et alia manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Quem misisti, quid mandasti, quid egisti advertere debeo. Non enim clanculo tibi licet suggerere, quod postea non debeat publicari. *Et alia manu.* Petilianus episcopus sine præjudicio appellationis nostræ recognovi.

70. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Qua ratione legatorum nomina postulentur ignoro, cum collationem tantum postulatam esse et collationem fuisse concessam, sicut superius interfatus sum., principalis sanctio diligenter ostenderit. Unde sanctitas vestra jam ad negotii interna venire dignetur, quatenus veritas elucescat.

71. *Montanus episcopus dixit.* Sed clementissimus imperator me magis instruere voluit quid de adversariis nostris requiramus, dum utique eorum legationem publicat. *Et alia manu.* Montanus episcopus recognovi salvo provocationis effectu.

72. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Separationis et dissensionis tuæ ab Ecclesia universali, quæ toto orbe diffunditur, causas expone. *Et alia manu.* Recognovi.

73. *Montanus episcopus dixit.* Legatur ad locum, si legationem eorum non publicavit clementissimus imperator. De hac re, de hac causa me voluit disputare, eorum legationem in judicio voluit publicari. Ab statutis clementissimi imperatoris non est deviandum, faciendum est satis in hoc loco clementissimo imperatori: siquidem de eorum legatione in judicio publicata nos voluit pertractare. *Et alia manu.* Montanus episcopus, manente appellationis nostræ effectu, recognovi.

74. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Hoc clementissimus non censuit imperator; sed id partibus dignatus est statuere, ut ab utrisque partibus electis episcopis, veternosum errorem tandem aliquando propter salutem populorum et animarum in medium prolata veritas monstret. *Et alia manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Lege utrum hoc petiveris. *Et alia manu.* Petilianus episcopus salva appellatione nostra, recognovi. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Cæterum superfluis immoramini, Catholicam monstramus Ecclesiam de Lege, de Prophetis, de Evangeliis, de Psalmis, de omnibus divinis testimoniis. Contra hoc a vobis profertur mandatum. Publica. Tecum ad Ecclesiam demonstrandam Evangelium proferamus. *Et alia manu.* Recognovi.

75. *Petilianus episcopus dixit.* Ecclesiam catholicam penes me esse, et pura observatio nostra facit, et vitia vestra atque flagitia vestra. Omnis Ecclesia Dei pura, sancta, sine macula et ruga esse debebit. Quare igitur, ut ad hujus disputationem rei possimus descendere, et congruo tempore testimoniis Dominicis, ut prius est, quod de te flagito, si non diffidis, maxime cum id agat causæ justissimus cognitor, ut quidquid agendum sit populo publicetur. Mentitum te igitur clementissimo imperatori sat constat, cum dubitas proferre quid dixeris, quid egeris, quid mandaveris, quid susceperit ille legatus, quod mandatum acceperit, quid peregerit. Noverit hæc conscientia populi, sciat universa provincia, hoc acta ista quæ controversa plene contineant, sciant vos apertissime de mendacio vestro diffidere, moraque innectere actioni, ne ad veritatem aliquando vestris præstigiis nebulisque obstantibus veniatur. *Et alia manu.* Petilianus episcopus salva appellatione nostra recognovi. *Vincentius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quod nescis an petiverim, quomodo reprehendis? *Et alia manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Petisse se confessus est. *Et alia manu.* Petilianus episcopus, salva appellatione nostra, recognovi.

76. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ecclesiam **300** Catholicam apud se esse testatus est. Hanc voluimus residente nobilitate tua testimoniis edoceri. Publicet quod promittit, ut aut in ejus apertam veritatem noster consensus accedat, aut patiatur monstrari luce clarius veritatem, et tandem aliquando ab errore desciscens cedat veritati congrue pro salute, qui cogitat in errore vincere contra salutem. *Et alia manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Ut possimus facere hæc, prius fac quod de te flagitamus. *Et alia manu.* Petilianus episcopus sine præjudicio appellationis nostræ recognovi. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Si ordo gestorum flagitat, publicamus. *Et alia manu.* Recognovi.

77. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Cum legationis formam demonstrarit augusta præceptio, cur legatorum nomina postulentur ignoro. An invictissimum principem aliquid contra rationem dixisse vestra sanctitas putat? Cum ad causam peragendam personæ videantur expressæ atque firmatæ, cur nunc legationis mentio fiat, necdum potui diligenter advertere, vel cur legatorum nomina postulentur ignoro. Unde tandem aliquando amotis superfluis, negotium proponatur.

78. *Emeritus episcopus dixit.* Mandatum quod recenti negotio recitatum est, actis videtur insertum. Quid autem per legatos suos mandaverint insinuare noluerunt. *Et alia manu.* Emeritus episcopus salvo effectu appellationis nostræ recognovi.

79. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Collationem postulatam evidenter recitata

Digitized by Google

principalis sanctio declaravit, hancque fuisse concessam constat. Et quoniam in unum sanctitas vestra de delectis ab utraque parte qui negotium possent actitare convenit, quæso vos ut tandem proponere negotium, et peragere atque explanare dignemini. *Emeritus episcopus dixit.* Hoc ipsum dicat quod præstantia tua sua interlocutione signavit. *Et alia manu.* Emeritus episcopus salva appellatione nostra recognovi.

80. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Hoc olim clamamus ut fiat. Collatio postulata est, collatio concessa est, causa collationis utrique venimus. Jam tandem fiat, quod et petitum fatemur et concessum esse ipsa concessio declaravit. *Et alia manu.* Recognovi. *Emeritus episcopus dixit.* Postulatam esse dixit. Per quem petiit? *Et alia manu.* Emeritus episcopus salva appellatione nostra recognovi. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Finem superfluis imponere nolunt. *Et alia manu.* Recognovi. *Montanus episcopus dixit.* Tu ad actionem moras innectis. *Et alia manu.* Montanus episcopus recognovi, salvo provocationis effectu.

81. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Legatorum personæ ibi fuerant exigendæ, ubi peracta legatio est. Cum autem de nominibus legatorum clementissimus tacere voluerit imperator, cur hic desiderentur ignoro. *Emeritus episcopus dixit.* Ipsi non taceant, si tacuit imperator. *Et alia manu.* Emeritus episcopus, salva appellatione nostra, recognovi.

82. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Causam dicant, ut jam diximus, separationis et divisionis ab Ecclesia toto terrarum orbe promissa, lege firmata, testimoniis prophetarum luce clarius demonstrata, Evangelio usque hodie magna firmitate perducta; et discedant moratoriæ tergiversationes, et separationis crimen vel sero cognoscant. *Et alia manu.* Recognovi.

83. *Montanus episcopus dixit.* Cum edideris ea quæ postulamus, assertionibus nostris non deerimus. *Et alia manu.* Montanus episcopus prosecutiones meas salvo appellationis effectu recognovi.

84. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Legationem a Catholicis susceptam imperialis sanctionis tenor ostendit, in qua collationem constat fuisse postulatam, cui me judicem idem clementissimus princeps voluit residere. Unde quoniam de personis legatorum nihil inquirere præceptus sum, nec excedere me posse præcepti formam vestra sanctitas mecum melius recognoscit, dignamini tandem aliquando negotium proponere, ut et ipsi veritati et principali jussioni satisfactum esse in omnibus videatur.

85. *Emeritus episcopus dixit.* Quid secreto agatur intelligis, vir spectabilis, dum rem in medio positam et pene ipsa luce clariorem volunt nebulis obligare. Collationem imperiale præceptum inter partes fieri, pro sua censuit voluntate. Nos quoque secundum eorum petitionem, ut dicunt, quam nunc in judicio negant, quam approbare nolunt. *Et* [*cum diceret, (Et) alia manu.* Emeritus episcopus, salva appellatione nostra, recognovi]. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Non negamus. *Et alia manu.* Recognovi. *Emeritus episcopus dixit.* Quam publicare detrectant, provinciis nostris acciti, conflictum quem se proponere pollicentur, refugere nos non debere omnino profitemur. Igitur quoniam nihil de re, nihil de causa, nihil de persona actum est, cum primitus illud debeat ventilari utrum petierint, per quos petierint, vel quid petierint, quare id sileant, quare non publicent, advertit sublimitas tua. Si concordant petitiones, debent in judicio ventilari. Si neutrum volunt, unius debent facere cessionem. Si ad prioris mandati volunt nos tenere consensum, non negamus secundum imperiale præceptum adesse nos conflictationi debere. Si autem secundum præsens mandatum volunt agere, debent cognitionem ejusdem quoque rei, profiteantur adstipulationem. Si dubitant proponere, ut nos eorumdem propositionibus respondere valeamus, videat præstantia tua non e nostris partibus nasci quominus negotium ventiletur. Quippe cum hac agoga (1) et hac quodammodo janua ad negotii merita descendendum sit, intelligit præstantia tua vel negare saltem eos, vel reticere, vel contemnere respondere propositionibus nostris; ut cum hæc adverteris, judicare digneris. *Et alia manu.* Emeritus episcopus, salvo effectu appellationis nostræ, recognovi.

86. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Quid petierint, vel quid pertulerint, inquirere me debere non jussit clementissimus imperator. Quare autem petita collatio sit, apertissime demonstratum est, id est, ut superstitionem ratio manifesta confutet. Hoc hodie fieri posse non dubium est; siquidem delectas ab utraque parte personas convenisse cognosco. Unde jam, sicut sæpius interfatus sum, negotium proponatur.

87. *Emeritus episcopus dixit.* Petierunt, aut non petierunt. Dicant per quos vel quid petierunt. *Et alia manu.* Emeritus episcopus, salva appellatione nostra, recognovi.

88. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Sufficit jam rescripti recitatio. Agnoverunt quid voluerit **301** inter nos discuti clementissimus imperator. Removeantur superflua, ad causam veniamus. Considerandum est enim quid agat pars diversa; videlicet, quemadmodum priore judicio longitudine præteritorum gestorum prætendit dilationem, ita etiam hodie desiderat superfluis codices onerare, ut item causentur de mora describendorum vel edendorum gestorum. *Et alia manu.* Recognovi. *Montanus episcopus dixit.* Tu moras innectis, cum non profers quod nos a te flagitamus. *Et alia manu.* Montanus

(1) *Agoga.* Plinius lib. XXXIII, c. 4, de modis auri quærendi agens, *Agogas* vocari ait fossas quæ in plano cavantur, in quas aurum profluat. BALUZIUS.

Digitized by Google

episcopus prosecutionem meam recognovi, salvo provocationis effectu.

89. *Petilianus episcopus dixit.* Proxime præterita cognitione atque controversia, quamvis ante causæ principium ventilatum, non nostro vitio neque nostra petitione dilationem provenisse manifestum est, sed humanitate judiciorum tuorum, quam non poteras denegare: quippe cum exceptores onerati longitudine controversiæ ac prolixitate, id etiam professione sua responderint. Unde quoniam ista peracta sunt, sed fecit inde hodie mentionem, ideo hæc volui replicare. At nunc eosdem nunc moras innectere, eosdem in præsenti actione obtendere nebulas, ne ad eorum mendacia veniamus, ipsa eorum taciturnitas monstrat. Loquuntur enim, cum tacent, se vereri id proferre quod clementissimo imperatori mentiti sunt. Si igitur freti sunt bonæ petitionis voluntate atque ordine, quid eam dubitant ventilare? Et quoniam potestas tua meminisse dignatur id priore controversia agitatum, ut aut jure publico agerent, aut legis dominicæ auctoritate descenderent disputare, idque suo mihi promisere consensu, nobilitas autem tua id sibi exceperit, a legibus tolli se minime oportere, tuarum partium est, vir nobilis, id tenere quod legum est; illorum autem est promissa necessitas, ut lege divina debeant experiri. Si igitur apud te legibus publicis agitur, quoniam tu hisdem præsidere te professus es, exige quod leges habent. Si autem disputatio legalis in medium mittitur, interrogo te hic qui desideras disputare, quid petieris, quid egeris, quid contra me dixeris: quem si invenero vera dixisse, necesse habeo ejus legis disputationem committere. Si autem cognovero a perfidia atque mendacio te cœpisse, necesse est ut tuam personam longe prorsus evitem. Quid enim mihi prodest docere mendacem? Quid mihi prodest refragatori ac refragaturo reddere rationem? *Et alia manu.* Petilianus episcopus sine præjudicio appellationis nostræ recognovi.

90. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Collationem a Catholicis tantum postulatam fuisse relecta imperialis sanctio declaravit.

91. *Petilianus episcopus dixit.* Catholicos nos esse acta contineant. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

92. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Necesse est me eos [eo] nomine appellare, quo eos appellari voluit clementissimus imperator.

93. *Petilianus episcopus dixit.* Ante causam inane nomen est illis. Etiam de ipso nomine erit disputatio nobis atque contentio. Tum demum obtinebit hoc nomen qui fuerit inventus esse Christianus. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

94. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Certum est post habitum conflictum eos Catholicos nuncupandos, apud quos veritas fuerit deprehensa. Ego autem etiam in hac parte formam necesse habeo sequi præceptionis augustæ, in qua Catholicos eos appellare dignata est.

95. *Petilianus episcopus dixit.* Sine præjudicio nostro hoc interfari dignata fuerit præstantia tua. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi, salvo nostræ appellationis effectu.

96. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Sanctitas vestra, si eos falso hoc nomine asserit nuncupatos, negotium proponere tandem aliquando dignetur; quatenus de præsumpto nomine, si potuerit comprobari, pars e diverso consistens in omnibus confutetur.

97. *Emeritus episcopus dixit.* Magnis actum est voluminibus, et respondere noluerunt, tenentes apud se quodam præjudicio voluntatem, ne satisfacerent judicatis. *Et cum diceret.* (*Et alia manu.* Emeritus episcopus, salva appellatione recognovi.) *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quibus judicatis? *Et alia manu.* Recognovi. *Emeritus episcopus dixit.* Vel illud reverentiæ ac patientiæ judiciorum præstare dignentur [ut respondeant] utrum petitoris loco adsistant, utrum ipsi proponant, utrum ipsi nos in judicium vocent; ut cum ex eorumdem responsione vel hoc cognitum fuerit, ad eorum propositiones respondere valeamus. *Et alia manu.* Emeritus episcopus, salva appellatione, recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Respondeatur objectis.

98. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ecclesia, quod audire non vultis, et necesse est audiatis, quoniam tot testimoniis et divinis eloquiis proclamatur toto terrarum orbe diffusa, cujus communionem videmur tenere, falsis criminationibus a vobis appetita est. Unde exstitit vestra separatio, quam dolemus. Istæ criminationes quibus insectari soletis Ecclesiam toto, sicut promissa est, orbe diffusam, hodie audire volumus utrum veræ sint. Si enim veræ sunt istæ criminationes quas Ecclesiæ memoratæ objicere consuestis, si eam pollutam, maculatam, eversam, destructam, et exstinctam nescio quibus nostris criminibus demonstrare potueritis, supererit ut quæramus utrum apud vos remanserit, quam ubique perisse clamatis. Si autem illa perire non potuit, superest ut eam vos agnoscatis, et litem tandem aliquando finiatis. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Accepistis prosecutionem partis adversæ, cui respondere dignamini.

99. *Emeritus episcopus dixit.* Puto importunum esse alienam causam velle defendere, et id in medium negotium mittere, quod præter ruborem non potest unusquisque sine mandato in judicio ventilare. Possem enim nunc asserere et clamare adversus istos universum orbem reluctari, reniti. Non vobis mandavi, ab hujus cognitionis eventu longe mea posita est conscientia. Ego agnosco victorem. Quicumque justis legitimisque ex causis Christianus fuerit approbatus, ille meus est catholicus, illi hoc nomen imponitur, ille debet sibi hanc regulam vindicare; quamvis ipsa Catholica, quæ nunc pro præscriptione partis adversæ quasi in fronte quadam rite adversum nos temperari cognoscitur, medium esse debet; et in

Google

judicio ita constitui, ut hoc nomen victor accipiat. Intelligit præstantia tua nihil nobis de peregrinis, nihil nobis de longe positis præjudicare posse, cum inter Afros hoc negotium ventiletur; sed magis hoc exspectari, ut quicumque ex veridica cognitione fuerit superatus, is ab orbe videatur esse rejectus. Intelligant e diverso venientes propositionibus nostris se respondere debere, ut adstantes aut non adstantes, quid personæ gerant dicere non morentur, ut eorum intentionibus respondere valeamus. *Et alia manu.* Emeritus episcopus, salvo 302 effectu appellationis nostræ, recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Quid refertur? *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Personas primo die judicii esse firmatas et sequenti etiam die interlocutionis tuæ. *Et cum diceret* (*Et alia manu.* Recognovi.) *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Aliud quæsitum est.

100. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Interlocutionis tuæ forma declaravit. Sed quia dicit cum peregrinis Christianis non se habere aliquam rationem, sed hoc totum quod agitur, inter Afros agi, Afrorum Christianorum Catholicorum hæc vox est: Nos universo orbi Christiano communione cohæremus. Hanc Ecclesiam elegimus retinendam, quam in eis scripturis invenimus. [*Et cum diceret.*] *Et* (*alia manu.* Recognovi. *Emeritus*) *episcopus dixit.* Sic semper eligere et mutare consuesti. *Et alia manu.* Emeritus episcopus, salva appellatione, recognovi.

101. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Nos eam Ecclesiam retinemus, quam in illis scripturis invenimus, in quibus etiam cognovimus Christum. Scripturæ quippe nostræ, quarum auctoritati utrique subdimur, Christum et Ecclesiam tamquam sanctum commendant conjugium, Christum sponsum, illam sponsam. Ubi illum cognoscimus, ibi et illam invenire debemus. Si itaque nunc exorti essemus, et cogitaremus in Africa cui communioni Christianorum sociari deberemus, procul dubio eam tenere deberemus, quam in Scripturis invenīremus, et criminatrices opiniones hominum repudiare, ad sola eloquia divina, quæ mentiri nesciunt, nos tenere. Hoc fecerunt Christiani Afri, et appellantur et merito sunt catholici, ipsa sua communione nomen testantes. Catholon enim *secundum totum* dicitur. Qui autem a toto separatus est, partemque defendit ab universo præcisam, non sibi usurpet hoc nomen, sed nobiscum teneat veritatem. *Et alia manu.* Recognovi.

102. *Gaudentius episcopus dixit.* Catholicum nomen putant ad provincias vel ad gentes referendum, cum hoc sit catholicum nomen quod sacramentis plenum est, quod perfectum, quod immaculatum, non ad gentes. Nam doceat sibi omnes gentes communicare, et plenus est catholicus. Sed prius est tamen ut doceant quid petierint, quid meruerint. *Et alia manu.* Gaudentius episcopus, salva appellatione nostra, recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Utrum debeant edere quæ poposcimus necne statuere dignare, ut scilicet. *Et cum diceret*, (*Et alia manu.* Petilianus episcopus sine appellationis nostræ præjudicio recognovi.) *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Aut interloquere, aut jube nos satisfacere postulatis. *Et alia manu.* Recognovi.

103. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ad transacta recurritur. *Et adjecit.* Catholici nominis doceatur assertio, et illud quod pars e diverso sistens credidit prosequendum, utrum in omnibus gentibus eadem catholica esse ostendi possit Ecclesia.

104. *Emeritus episcopus dixit.* Si proponit, doceat. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Dignare pronuntiare de supra comprehensis. *Et alia manu.* Petilianus episcopus, salva appellatione nostra, recognovi. *Emeritus episcopus dixit.* Si proponit, doceat. Nam si proponere noluerit, quemadmodum docebit? *Et alia manu.* Emeritus episcopus, salvo effectu appellationis interpositæ, recognovi.

105. *Petilianus episcopus dixit.* Pronuntia de singulis. *Et alia manu.* Petilianus episcopus sine præjudicio appellationis nostræ recognovi. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quod postulaverunt doce me. *Et alia manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Hoc nobis debet tua persona. *Et alia manu.* Petilianus episcopus sine præjudicio appellationis nostræ recognovi.

106. *Emeritus episcopus dixit.* Petimus ut nulla sit mora, ut aut proponentis aut respondentis possit esse persona. Igitur quoniam approbandum est, et de causa jam in judicio ventilandum, edicant utrum petunt aut respondent; ut cum eorum intentionem in judicio videro, valeam respondere. *Et alia manu.* Emeritus episcopus salva appellatione nostra recognovi.

107. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Justa poscuntur, sanctitas vestra dignetur edicere utrum petitoris loco in judicio adstare videatur.

108. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Tuæ sublimitatis est judicare, nos ad eorum criminationes refellendas ingressi sumus. Solent Ecclesiam quam tenemus crimine traditionis arguere. *Et alia manu.* Recognovi.

109. *Emeritus episcopus dixit.* Quis me in judicium vocavit? Ad cujus suggestionem conflictum voluit fieri imperator? *Et alia manu.* Emeritus episcopus, salvo effectu appellationis, recognovi.

110. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Solent Ecclesiæ quam tenemus crimina traditionis objicere, et nescio quorum peccatis eam contendere esse destructam et exstinctam. *Et alia manu.* Recognovi. *Emeritus episcopus dixit.* Non hoc a te petii. Fac satis judicatis. *Et alia manu.* Emeritus episcopus salvo effectu appellationis recognovi. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Atque his criminationibus fallere corda simplicium, de quorum salute satagimus. His nos permoti, convenimus eos ut nobiscum conferrent, et quod intenduut utrum probare

Digitized by Google

possent in Ecclesiam cui intendunt ostenderent. Quam conventionem nostram quoniam recusaverant, cum nuper in comitatum venissent quidam illorum, apud acta etiam præfectoria dixerunt audiri se velle et discuti velle, amplectentes nos, aliquando eorum de collatione consensum petendum ab imperatore credidimus, ut collatio ad hoc fieret ut ea crimina quæ solent dicere in universam Ecclesiam aut probarent, ut veritas appareret, aut non probarent, ut nihilominus veritas appareret. Hæc crimina si volunt aut possunt ostendere proferantur et demonstrentur. Si autem non possunt aut nolunt, jam tuæ sublimitatis est de re tota, sicut ratio ipsa indicat, judicare. *Et alia manu.* Recognovi.

111. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Accepistis prosecutionem partis adversæ. Si quid objicitis, jam jamque proponite.

112. *Petilianus episcopus dixit.* Pronuntiet prius nobilitas tua utrum recte petamus quæ petimus, necne; tum demum eis ad singula respondebimus. *Et alia manu.* Petilianus episcopus sine præjudicio appellationis nostræ recognovi.

113. *Marcellinus V. C. tribunus et notarius dixit.* Recte vos petere prosecutionis vestræ textus ostendit, et recte respondisse partem e diverso sistentem eorum similiter prosecutionibus declaratum est. Adsertum est enim quod criminibus nescio quibus Ecclesiam quam tenent, a vobis hodieque adserant infestari; quæ, si qua sunt, debetis edicere. Si vero non sunt, est necesse ut ad hæc respondere dignemini.

303 114. *Emeritus episcopus dixit.* Sic agitur causa, hæc judicii forma est, sic veritas inquiritur ut de persona taceatur. Dicit me nescio quo auctore crimina in Ecclesiam ventilare, et quasi per famam quamdam honorem suum meritumque destruere. Quidquid velit, quo nomine velit, quo potest argumento huic ipsi causæ nomen imponat necesse est, ut quia iterum provocat, petitor adsistat. Utrum ego dixerim necne, utrum vere dixerim, anne conflnxerim, cum ipsius propositione cognovero; cum ea quæ mihi objicit vera esse, et ex me prolata constiterit, tunc demum necesse est eorumdem me intentionibus respondere. Videt ergo præstantia tua sine provocante respondentis superfluam esse personam, nec posse quemquam dici respondentem nisi primo fuerit provocator. Ergo si provocatoris loco, hoc est, quod dicitur petitoris, adsistit, instituat actionem, cui respondere debeam. Sæpissime enim dicunt nos superfluis moratoriis uti, ne ad negotium veniatur. Ergo cum iste cardo sit causæ, ut is qui alterum in judicium vocat, instituere actionem debeat, et provocare ad responsionem, advertat præstantia tua eos prosequi debere, utrum nobis vel quam instituant actionem, ut respondere possimus. *Et alia manu.* Emeritus episcopus, salvo effectu appellationis nostræ recognovi.

115. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Edicat pars catholica utrum e diverso sistentibus aliquid objiciendum credit.

116. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Nos collationem poposcimus ubi objecta diluamus, non ubi objiciamus diluenda; quandoquidem cum illi objecta probare non potuerint, quid sint, quid remaneant, nobis non dicentibus manifestum erit omnibus, et a tua sublimitate judicabitur. Nunc ingressi sumus diluere criminationes eorum, quas solent Ecclesiæ quam tenemus objicere: mandatum quoque ipsorum hoc continet. *Adversus traditores et persecutores nostros.* Quondam autem Primianus, si dignatur, frater noster conventus pro ipsa collatione respondit. *Indignum est ut in unum conveniant filii martyrum et progenies traditorum.* Hæc crimina diluenda suscepimus, ut hæc crimina diluantur istam collationem poposcimus. Concessa est. Aut probentur, aut purgentur. *Et alia manu.* Recognovi.

117. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Mandati series traditorum partem e diverso sistentem esse profitetur. Collationem vero, si tamen prosecutio catholicæ partis veritate subnixa est, ab utrisque partibus constat esse postulatam. Unde nunc id quod mandato videtur expressum, sanctitas vestra probationibus fulcire dignetur. Accepistis enim ex eorum prosecutionibus magis a vobis aliqua objici, et ea objecta se velle diluere.

118. *Petilianus episcopus dixit.* Pronuntiare dignare de persona. Tunc itur in causam. *Et alia manu.* Petilianus episcopus sine præjudicio appellationis nostræ recognovi.

119. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Jam non est nostrarum partium de hoc aliquid superfluo respondere. *Et alia manu.* Recognovi. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Interlocutiones superiores sublimitatis tuæ recitentur, et agnoscant quid postulant. *Et alia manu.* Recognovi.

120. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Si collationem ab utrisque partibus constat esse postulatam, constat eum esse petitorem qui crimen intendit.

121. *Emeritus episcopus dixit.* Doceat ab utrisque partibus collationem esse in judicio flagitatam. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

122. *Alypius episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit.* Docemus. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Hoc pars catholica docere debebit.

123. *Adeodatus episcopus dixit.* Catholicos nos esse scriptum sit. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus prosecutionem meam salvo appellationis effectu recognovi. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Donatistas vos esse ex Primiani mandato docemus. *Et alia manu.* Recognovi. *Adeodatus episcopus dixit.* Cæcilianistas vos esse scriptum sit. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus prosecutionem meam, salva appellatione, recognovi.

124. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Si præcipis, gesta recitamus in judicio habita

Digitized by Google

præfecturæ; ubi se pars adversa audiri tantopere flagitavit. Et ideo, si præcipis. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et Notarius dixit.* Gesta habita in judicio illustrium potestatum suscepta ab officio recitentur.

125. *Petilianus episcopus dixit.* Contra hæc serva quæ competunt. *Et alia manu.* Petilianus episcopus sine præjudicio appellationis nostræ recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Salva erunt. *Petilianus episcopus dixit.* De persona pronuntia. Quid petierint, quid suggesserint clementissimo imperatori, quidve mentiti sint, hoc prodatur. Hic Pronuntia utrum id superflue flagitem, necne. Tum demum itur in causam. *Et alia manu.* Petilianus episcopus, salvo merito appellationis nostræ, recognovi.

126. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Collationem fuisse postulatam missis legatis sermo cœlestis ostendit, hanc fieri evidenter sanctione præcepit: cui me judicem residere pariter constitutum est. Excedere me hujus præceptionis formam etiam sanctitas vestra omnino non posse mecum melius recognoscit.

127. *Petilianus episcopus dixit.* Pronuntiare te constanter convenit, vir nobilis, utrum proferri debeant illa quæ clanculo habentur, quæ rubore compressa sunt mentientium: aut certe si superflue petimus, hoc pronuntia. *Et alia manu.* [Petilianus episcopus] sine præjudicio appellationis nostræ recognovi.

128. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Si quid est quod contra nos, ubi mentitos esse pars adversa designat, proferre poterit, jam proferat; ne superfluis nos accusationibus agens, populus adhuc usque, cui consulere volumus, decipiatur. Et ideo, si nobilitas tua præcepit, apud præfecturam gesta habita recitentur. *Et alia manu.* Recognovi.

129. *Petilianus episcopus dixit.* Ordine suo cuncta legantur. Legantur primo quæ petimus. *Et alia manu.* Petilianus episcopus sine præjudicio appellationis nostræ recognovi. *Emeritus episcopus dixit.* Hoc est quod volebamus in judicio prodi, utrum imperialibus auribus intimarint nos in judicio præfecturæ vel voluntarios adstitisse, vel quæsisse conflictum. Si enim ista dixisses, possem te digestorum fide in judicio confutare. Si autem non dixisses, intelligatis qui cognitor datus est de omnibus se imperatoriæ notioni referre oportere. Igitur quoniam evidentissime comprobamus istos docere minime valuisse, vel ea quæ imperatoris auribus intimasse se dicunt, vel utrum ierint, vel quando ierint, vel cum quo mandato ierint, hoc ipsum potestas tua judicare dignetur; **304** ut si putant personam nostram tamquam petitorum de actorum confectione quæ apud illustrissimas potestates sunt habita, in judicio comprobare, cum ex recitatione gestorum fuerit approbatum, judicare digneris. *Et alia manu.* Emeritus episcopus, salva appellatione nostra, recognovi.

130. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ad ea ex quibus constat esse transitum, regressum fieri minime oportere sat clarum est. Unde ut evidenter petitoris persona monstretur, illustrium potestatum gesta relegantur.

131. *Petilianus episcopus dixit.* Nebula est ista quæ obtenditur. Nam ab initio ipsos esse petitores certo loco monstrabimus, cum dignaberis de his quæ jamdudum petivimus atque petimus pronuntiare. *Et alia manu.* Petilianus episcopus sine præjudicio appellationis nostræ recognovi.

132. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Etiam sanctitas vestra quæ offert per ordinem relegentur. *Et adjecit.* Patimini nunc interim quæ postulata sunt ab officio recitari.

133. *Petilianus episcopus dixit.* Pronuntia, et patior recitari. *Et alia manu.* Petilianus episcopus salvo merito appellationis nostræ recognovi.

134. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Petitoris persona tunc aperte poterit demonstrari, cum hoc gestis evidentissimis fuerit approbatum.

135. *Petilianus episcopus dixit.* Pronuntia me recte an non recte petisse quod diutius flagitavi. Res enim nobis cum populo est. Tu quoque cum populo voluisti habere rationem, qui de judicio tuo voluisti judicari. *Et alia manu.* Petilianus episcopus sine præjudicio appellationis nostræ recognovi.

136. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Legantur gesta. *Et alia manu.* Recognovi.

137. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Pronuntiare me postulat sanctitas tua, cum ab alia parte gesta necessaria probationibus publicentur. Unde hoc fieri patiatur sanctitas tua. Tum demum, utrum de parte negotii pronuntiari debeat, existimabo.

138. *Petilianus episcopus dixit.* Aliud ostendit, cum aliud postulem. Conscientia ipsa publica tenet, nec tacebo ulterius, nec differam, vir nobilis, te ipsum populo fuisse edictis frequentibus pollicitum, quidquid auditurus esses, inter disceptantes scilicet partes, te rursum edictis subsequentibus prolaturum. Tu hoc videris, tuæ existimationis est causa, utrum tam facile me cogere debeas de causæ meritis disputare, cum id mihi adversarius meus negaverit quod ego magnopere postulo esse prodendum. Ipse videris, ipse hoc quomodo volueris æstimes. Ego tamen tuam desidero providere præstantiam quid hoc loco sentias. Mihi hoc expedit, nolo a populo denotari, quod prætermiserim id, et eumdem locum prætermiserim, ubi occulte video tegi mendacium quod debeat publicari. Proinde tu, vir nobilis, qui mediam tenes hoc loco personam, assume illam puram innocentemque constantiam, nec dubites pronuntiare quod licet. Neque enim fas est ut, cum mihi satisfactum non fuerit, ego cogar ad intima causæ descendere. Unde quidem magnopere præsumo; sed ea quæ expeto non debeo præterire. *Et alia manu.* Petilianus Episcopus salvo merito appellationis nostræ recognovi.

Digitized by Google

139. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ut diligentius adverti possit quid debeat judicari, patiamini gesta recitari.

140. *Petilianus episcopus dixit.* Non is est ordo gestorum, ut hæc primitus recitentur. *Et alia manu.* Petilianus episcopus salva nostra appellatione recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Nihil debet partibus denegari. *Adeodatus episcopus dixit.* Si nihil partibus denegandum est, tandem nobis concedendum est quod flagitavimus. Ostendant legationem. Neque enim nudis verbis hæc potuit concipi legatio. Scripta sunt; demonstrentur, prodantur in publicum. Videamus utrum hæc contra nos vera an falsa sint ficta. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus meam prosecutionem salva appellatione recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Jam pronuntiavi atque judicavi formam me excedere non posse imperialis oraculi. Nec enim in judicio meo legatorum certum est discuti debere personas. Unde gesta relegantur, ut quis petitoris loco adsistat, clarius demonstretur. *Adeodatus episcopus dixit.* Hoc imperator non præcepit, ut gesta illustrium potestatum in judicio prodantur; et tamen datur adversæ parti licentia prodendi. Produnt ipsi quæ volunt, nobis non sinitur accipere quod poscimus. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus prosecutionem meam salva appellatione recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Et sanctitas tua quæcumque gesta obtulerit, vel prolaturam se esse promittit, necesse est ut eadem relegantur. *Adeodatus episcopus dixit.* Quæcumque causæ necessaria sunt, negari non debent. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus prosecutionem meam salva appellatione recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Patere igitur ut hoc quod causæ propriæ necessarium dicit pars e diverso sistens, ab officio recitetur. *Adeodatus episcopus dixit.* Concedere non possum ut ea quæ volunt in judicio ventilent, nisi ea quæ de ipsis flagitavi in judicio deprompserint. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus prosecutionem meam salva appellatione recognovi. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Nos ista de archivis accepimus. Si quid est quod et tu accipere potuisti, si recitandum poposceris, et a nobis fuerit contradictum, iniquos deputa, et vicem redde. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Suspicionem judiciis facis, quod ea non pateris, cum et tibi fas sit universa quæ ingesseris publicare. Unde tandem aliquando ea quæ oblata sunt recitentur. *Petilianus episcopus dixit.* Noluisse pronuntiare potestatem tuam quod petimus, acta contineant. Ulterius non possumus aliquid dicere, maxime cum videam potestatem tuam aliud velle, cum ego aliud flagitem. Pronuntia superflue me postulare quod peto, sit quod teneam, sit quod populus noverit. Tum demum ad necessaria causæ descendam. *Et alia manu.* Petilianus [episcopus] prosecutionem meam appellatione incolumi recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Non possum de eo judicare quod necdum est approbatum. *Petilianus episcopus dixit.* Utrum recte petam prodi oportere id quod clanculo imperatori suggesserint, hoc pronuntia. *Et alia manu.* Petilianus episcopus hanc prosecutionem meam appellatione incolumi recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Clanculo imperatori nihil suggestum esse, ad universos judices datæ sanctionis [forma], et ad meam quoque mediocritatem ipsius recitatione monstratum est. Unde cum ex lectione gestorum cognovero quid debeam judicare, sine dubio judicabo.

141. *Martialis exceptor recitavit.* Exemplum actorum habitorum sub die tertio kalendas Februarias Ravennæ, D. N. Arcadio PP. Augusto et Probo IV, **305** consulibus. *Et cum recitaret, Petilianus episcopus dixit.* Si jubes, contra hoc advertit sublimitas tua non adhuc satisfactum petitionibus nostris, ut exceptione eorum constaret ipsos esse petitores, ipsosque intendere oportere quæ objicienda esse putaverunt. *Et alia manu.* Petilianus episcopus prosecutionem meam appellatione incolumi recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Jam nunc ex lectione gestorum qui petitor adsistat evidenter aperteque monstrabitur. *Petilianus episcopus dixit.* Sunt longe primitus gesta confecta, quibus spectabilis viri proconsulis. *Et cum diceret, (Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Prosecutiones suas formidat, ideo gesta recitari non permittit. *Et cum diceret, (Et alia manu.* Recognovi.) *Petilianus episcopus dixit.* Sunt gesta habita in judicio proconsulari, habita etiam in judicio vicariæ præfecturæ, quibus nobis plurima intendisse monstrantur. Sunt etiam alia quæ de clementissimo imperatore, eidem scilicet mentientes, longe ante (1) petiverunt [per] adsistentes ac supplicantes, scilicet Theasium et Euvodium (2), illos scilicet quos præcursores et navigatores semper habent, furiæque suæ legatos, qui expetant sanguinem, expetant proscriptiones, incutiant metus, pericula ingerant, homines per provincias diversas occidant. Hæc omnia igitur principio præcipe recitari. Tum demum eos invenies petitores. *Et alia manu.* Petilianus episcopus prosecutionem meam salva appellatione recognovi.

142. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Qua impatientia et tumultu agant sit testatum his gestis, interlocutione nobilitatis tuæ. Causam enim satis timent, ad cujus meritum omnino descendere nolunt. Non sint vacua omnia quæ a partibus nostris in prosecutionibus tanta dicta sunt de Ecclesiæ Dei promissionibus et exhibitionibus. Quid tergiversantur, quid nescio quæ forensia rimantur? Jam

(1) *Longe ante.* Anno 403, cum in concilio Carthaginensi decreta est legatio adversus Donatistas.

(2) *Theasium et Euvodium.* Quibus in dicto concilio commonitorium datum est, quod exstat in cod. Can. Eccl. Africanæ c. 93.

Digitized by Google

dignetur nobilitas tua pronuntiare faciem defensionis eorum. *Et alia manu.* Recognovi.

143. *Petilianus episcopus dixit,* Ordine suo a principio cuncta recitentur. Tum demum invenies petitorem. *Et alia manu.* Petilianus episcopus prosecutionem meam appellatione incolumi recognovi.

144. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Si a principio [cuncta recitanda sunt] ex quo causam ad imperatorem Constantinum miserunt criminum Cæciliani jube recitari. *Et alia manu.* Recognovi. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quia voluistis de prioribus gestis mentionem facere. *Et cum diceret* (*Et alia manu.* Recognovi),

145. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Hæc gesta quæ recitari postulat sanctitas vestra, posteriora sunt his gestis quæ obtulit pars catholica, an priora?

146. *Petilianus episcopus dixit.* Non est equidem pars catholica, nisi quæ hujus conflictationis sumpserit palmam. Igitur cupimus recitari quæ in judicio proconsulari et vicariæ præfecturæ ab ipsis sunt ante longius prompta atque petita. *Et alia manu.* Petilianus episcopus prosecutionem meam appellatione incolumi recognovi. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Si de causa præsumeres, ad causæ meritum venires. *Et alia manu.* Recognovi.

147. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Sine præjudicio catholicos dico, sequens nuncupationem clementissimi principis. Unde ea gesta quæ antiquiora sunt, si placet, ab officio recitentur.

148. *Possidius Episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Offerimus antiquissima quæ petimus suscipi ab officio. Præcipiat nobilitas tua ea recitari.

149. *Petilianus episcopus dixit.* Si hoc potestati tuæ mandatum est, si non recesserunt ab his quæ jamdudum promiserant se legaliter agere oportere, redde nobis illam primam objectionem, cujus visi quodammodo sumus sub hujus exceptionis ratione fecisse jacturam. Si igitur ad legem se retinet, pervidet præstantia tua nullatenus eos harum chartularum quas proferunt, facere posse mentionem. Et nunc etiam atque etiam flagito ut promant quid eligant, utrum forensi actione mecum agant, an legali concertatione disceptent. *Et alia manu.* Petilianus episcopus prosecutionem meam incolumi appellatione recognovi.

150. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Suscipiat officium quæ ab utrisque partibus offeruntur, et conferat tempus, ut quæ priora esse constiterit, eadem recitentur.

151. *Petilianus episcopus dixit.* Sensim in causam inducimur. *Et alia manu.* Petilianus episcopus prosecutionem meam appellatione incolumi recognovi.

152. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quod petistis, offerimus. Non vos pœniteat petisse. Antiqua gesta voluistis recitari. Hæc in manibus habemus, jubeat nobilitas tua quod offerimus recitari. *Et alia manu.* Recognovi.

153. *Petilianus episcopus dixit.* Me id petisse adhuc recalent gesta, ut ea quæ imperatori mentiti sunt proferant, legant quæ objecerunt, contra hæc hujusmodi nebulas, ut vellent acta relegere quæ sunt habita in judicio præfecturæ, his quæ ego longe prætuli, antiquiora. Igitur, vir nobilis, si tenor se ita habet causæ sicut ab initio videtur esse formatus, aut jacturam chartularum istarum publicarum faciant, et ad legalem disceptationem veniant; aut si his rebus uti desiderant, faciant legis divinæ jacturam. *Et alia manu.* Petilianus episcopus prosecutionem meam appellatione incolumi recognovi.

154. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Proconsularia gesta et habita in judicio illustrium potestatum, officium diligenter inspiciat, ut ea quæ priora sunt, primitus recitentur.

155. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ad ea quæ prosecuta est modo pars diversa, paucis advertat sublimitas tua. Nos Ecclesiam catholicam retinere, ipsa nostræ communionis testificatione monstramus, quam Ecclesiam probare descendimus, si permittant, non rumoribus humanis, neque errantibus opinionibus, sed divinis eloquiis declaratam. Ut autem leges, vel gesta, vel quæcumque de archivis prolata offeramus in hac collatione recitanda, ipsi cogunt qui talibus agunt. Nam si remotis hujuscemodi omnibus chartis nollent Ecclesiam nisi in Scripturis adverti, nihil vellemus, nihil aliud optaremus. Crimina dicunt traditionis. Ea crimina traditionis aut non probant archivis, et nihil dicunt; aut probant, et archivis nos vicissim agere compellunt. Itaque pervidet præstantia tua distinguendas esse causas, quando cogamur publicis legibus agere; quando autem velimus et optemus negotium Ecclesiæ non nisi divinis eloquiis terminari. *Et alia* **306** *manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Quid elegerit dicat. Ambo enim tenere non poterunt. *Et alia manu.* Petilianus episcopus prosecutionem meam incolumi appellatione recognovi.

156. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Apertissimam prosecutionem partis adversæ fuisse satis clarum est: in qua id videtur ostensum ut si traditionis crimen objicitur, quod sine dubio legibus divinis non potest approbari, sed gestorum fide diligentius inveniri, tum demum gestis publicis omnia peragantur. Sin vero causa fidei cœperit agi, tunc ad ea quæ veteris et novi Testamenti exemplis docenda sunt venietur. Unde sanctitas vestra, si petitionem suam prosecutionemque adversæ partis vult professionibus roborari, evidenter ostendat, utrum traditionis crimen, quod probari nullatenus potest, nisi quibusdam evidentissimis documentis, agi in judicio desideret, an tantum fidei causam cupit in judicio mediocritatis meæ disquiri atque terminari.

157. *Emeritus episcopus dixit.* Quæ ad causam pertinent, sæpius me replicare non pudet. Adeo enim et in prima fronte negotii postulavimus, ut mandatum legatorum suorum luce clarius demon-

Digitized by Google

strarent; ne cum hæc in judicium mitterentur, forte renuerent. Possunt enim dicere : alia mandavimus, non eadem censuimus, nec petenda ab imperiali præcepto consensimus. Sicut enim nunc. *Et cum diceret* (*Et alia manu.* Emeritus episcopus salva appellatione recognovi),

158. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Hæc universorum subscriptionibus constat esse mandata.

159. *Emeritus episcopus dixit.* Quoniam duo sunt negotia, duo debent esse mandata. Mandatum quod in negotio præsenti recitatum, actis insertum est; mandatum vero quod legatis videtur traditum, nullo in modo recitatum est. Debemus ergo advertere utrum et hoc ante, ut imperialibus auribus deferretur, ab iisdem videtur esse conscriptum; ut cum utraque mandata in judicio fuerint recitata, utrum unam habuerint voluntatem, judicare digneris. *Et alia manu.* Emeritus episcopus salvo effectu appellationis recognovi.

160. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Jam toties conclamavimus. Mandatum quod injunctum est legatis episcoporum, ab episcopis flagitant sibi recitari. Hoc est aliena requirere ad causam non pertinentia. Mandatum quod nobis propter collationem cum his faciendam injunctum est, hoc recitatum est, hoc eis sufficiat. Quid si enim aliqua legatis mandata sunt, ad causam quidem istam non pertinentia, sed quæ ipsos scire nolumus? Sufficit quod imperator collationem nos petisse suo testimonio declaravit. Hæc concessa est, ad hanc venimus, hæc aliquando agatur, veritati aures hominum patent. *Et alia manu.* Recognovi.

161. *Adeodatus episcopus dixit.* Confessus es quæ olim tacuisti. Ostendisti te multa adversus nos mandasse, quæ scire non facile debeamus. Unde advertit sublimitas tua, quid ex ejus prosecutione debeamus advertere, quid illud mandatum continet, quod contra nos mandatum scire non facile debeamus. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus prosecutionem meam salva appellatione recognovi.

162. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Non hoc dixi, non advertisti, aut dissimulas te audisse quod dixi. Audi, planius hoc dicimus, ne forte culpa mea non intellexeris, dum id obscurius aliquantum dixi studio brevitatis, quod percipere nequiveris. Notum est omnibus multas causas habere Ecclesiam, et suam, et privatarum personarum sibimet commissarum; et potest fieri ut ad episcoporum intercessionem multa pertineant. Secreta nobis committuntur negotiorum et causarum alienarum, in quibus nostra interventio sæpe postulatur, propter quæ auxilium ab Ecclesia poscitur. Hæc prodenda non sunt, ne proditores inveniamur. Sufficit tibi quod collationem me petisse in causa tua ipse testis est clementissimus imperator. Nihil ultra quæras, si negotia aliena non quæris. Negotio tuo sufficit quod de ipsa imperatoris lege recitatum est, quod nostro mandato subscriptionibusque firmatum est. *Et alia manu.* Recognovi.

163. *Adeodatus episcopus dixit.* Non possunt in uno mandato diversa mandari negotia. Sed si forsitan eadem quæ adversus nos mandastis, etiam adversus alias provincias mandasse te constat, bene facis non prodere. Non te ergo in medium proferas. Quoniam me primum insequi desideras, servas hoc aliis provinciis. Ostendisti quid fecisti, ostendisti quid celes. Teneo tuum mendacium, teneo falsitatem. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus salva appellatione recognovi.

164. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Prosecutione sua, vir venerabilis, si dignatur sanctitas tua diligenter advertere, non adversum te aliquid se mandasse, sed ea quæ ad te non pertineant propria prosecutione signavit. Illud tantum evidenter confessus est, collationem se omnibus modis postulasse, et hanc fuisse concessam. Unde illius mandati, ne excedere videamur imperialis præcepti formam, mentionem fieri video non debere. Quapropter ad ea quæ quæsivit, sanctitas vestra respondere dignetur, utrum traditionis crimen, quod archivis publicis poterit monstrari, agi in judicio velitis, an Ecclesiæ et fidei tantum causam cupiatis inquiri.

165. *Petilianus Episcopus dixit.* Urbane nobis illuditur, ut cum ipsi sint petitores, semperque nostram pacem inquietaverint atque turbaverint, nos loco petitorum constituamur, cum pacis et Ecclesiæ Dei possessores semper fuerimus ac simus. Peto igitur nobilitatem tuam ut hunc ordinem serves. Ostendant quid egerint, ibi invenies petitores. *Et alia manu.* Petilianus episcopus salva appellatione recognovi.

166. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Si sanctitas tua permitteret, vel permisisset gesta recitari, jam olim qui petitoris loco adsisteret, potuisset ostendi. Unde vel nunc antiquiora, ut interfatus sum, gesta recitentur. *Petilianus Episcopus dixit.* Ordinem serva gestorum. *Et alia manu.* Petilianus episcopus prosecutionem meam appellatione incolumi recognovi.

167. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Eorum gestorum quæ a partibus offeruntur, id est proconsularium et illustrissimæ sedis, tempora recitentur.

168. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Offerimus chartas antiquiores nostris definitionibus profuturas. *Et alia manu.* Recognovi. *Montanus episcopus dixit.* Si jubes, de codice lego. *Et alia manu.* Montanus episcopus prosecutionem meam appellatione incolumi recognovi.

169. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Sicut statui, ab officio recitetur. *Navigius adjutor numerorum recitavit.* Post consulatum D. N. Theodosii Augusti (1), idibus Septembris Carthagine. *Et cum recitaret,*

(1) Legendum *D. N. Theodosio PP. Augusto et Rumorido v. c. coss., ut infra, annus est* 403.

Digitized by Google

307 170. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Antiquiora proferimus. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Interim ista quæ antiquiora sunt gesta in sede illustrium habita potestatum, patimini relegantur. *Navigius adjutor numerorum recitavit.* D. N. Arcadio Augusto VI et Probo viro clarissimo consulibus (*An.* 406). *Et cum recitaret,*

171. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et Notarius dixit.* Quæ priora sunt, ab officio suggerantur.

172. *Rufinianus scriba viri clarissimi curatoris dixit.* Ea sunt priora quæ in codice oblato (*a Donatistis*) continentur.

173. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ecce antiquiora proferimus. *Et alia manu.* Recognovi. *Rufinianus scriba viri clarissimi curatoris dixit.* Siquidem, sicut suggessimus, consulatum contineant Theodosii Augusti et Rumoridi viri clarissimi, alia vero consulatum contineant D. N. Arcadii VI et Probi viri clarissimi.

174. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ea quæ antiquiora sunt recitentur. *Navigius adjutor numerorum officii viri clarissimi et spectabilis viçarii recitavit.* Æquitatem tuam petimus, Septimine vir clarissime, proconsulum summe sublimis. Multa contra divinas, humanasque leges ab hæreticis de parte Donati Ecclesia catholica sustinet, quæ si vel anterioribus vel recentioribus imperialibus jussis prohibenda et tollenda postulanda vellemus, nequaquam audere deberent de nostris actionibus conqueri, scientes se, cum nulla tali lege adjuvarentur, schismaticos tamen suos Maximianistas per judicum jussa locis ac sedibus eorum pellendos exturbandosque curasse. Verumtamen nos saluti eorum et nostræ existimationi pacifice consulentes, propter charitatem qua Christiani sumus, leniter eos volumus admonere, ut errorem suum cogitando et agnoscendo non negligant; aut si putant se habere aliquid veritatis, non eam furiosis Circumcellionum violentiis contra publicam quietem, sed tranquilla rationis redditione defendant. Unde petimus sublimitatem tuam ut cum eos de hac re per magistratus sive in civitatibus, sive in pertinentibus territoriis admonere voluerimus, copiam nobis præberi gestorum, et eos ex allegatione nostra honeste convenire præcipias: quod consecuti, agamus excellentiæ tuæ apud Deum uberes gratias. Data ab universis episcopis catholicis ex concilio Carthaginensi (*Anni* 403), D. N. Theodosio Augusto et Rumorido viro clarissimo consulibus, idibus Septembris Carthagine. *Septiminus vir clarissimus proconsul dixit.* In quolibet loco antistitibus legis venerabilis ob quietem imperii gestorum conficiendorum tribuitur facultas; hoc etiam tenore hujus præceptionis limitato, ut intelligant se deviæ plebis magistris salubriter petentibus propriæ persuasionis ratiocinia persolvere, ut rebus in medio prolatis, amica legis moderatio servetur, superstitione supplosa. *Quo recitato,*

175. *Petilianus episcopus dixit.* Petitor est qui petit, an quid vocabitur? *Et alia manu.* Petilianus episcopus prosecutionem meam appellatione incolumi recognovi.

176. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Hæc postulavimus, sed præcedentibus vestris criminationibus et accusationibus. Nam proferimus antiquissima gesta, quibus vestri majores tunc in tempore ad Anulinum venerunt proconsulem, et illi chartas in quibus dicerent majorum nostrorum crimina esse conscripta obtulerunt, et rogaverunt ut easdem ad Constantinum imperatorem misisset. Has offerimus, et petimus nobilitatem tuam ut eas suscipi ab officio et ex ordine recitari præcipias. *Et alia manu.* Recognovi.

177. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Libellus datus a vobis evidenter ostendit schismatis et hæreseos crimen objectum; quod probare vos convenit.

178. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Omnia probabuntur, si ea quæ obtulimus, et suscipi et ab officio recitari præcipere fueris dignatus. *Et alia manu.* Recognovi.

179. *Marcellinus V. C. tribunus et notarius dixit.* Universa per ordinem recitentur.

180. *Emeritus episcopus dixit.* Ergo loco est petitoris. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Cum chartæ fuerint recitatæ, petitor facilius invenietur. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Licet ex his gestis petitorum loco adstare videantur, tamen melius et evidentius approbabitur cum omnia fuerint recitata.

181. *Petilianus episcopus dixit.* Si in forensem conflictum revertimur, constat eos legis divinæ fecisse jacturam. Respondeant igitur etiam atque etiam quod exegi, utrum legibus publicis agant, an legis divinæ conflictu. Eligant alterum de duobus. Utrumque enim tenere non possunt. *Et alia manu.* Petilianus episcopus salva appellatione recognovi.

182. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Hæc quæ sanctitas vestra obtulit relegenda non ambigitur, quia in judicio viri spectabilis proconsulis acta sunt, ad forensem disceptationem absque dubio pertinere. Unde, sicut interfatus sum, ut diligentius ostendatur qui loco petitoris adsistat, etiam illa patimini recitari.

183. *Petilianus episcopus dixit.* Contra ista præscribo. Si forensis est actio, hujus temporis causam audire præceptus es, vir nobilis. Si simpliciter et ecclesiastico more res geritur, acquiescam in ea quæ lege divina proferuntur, vel a me, vel a parte diversa. Si autem annosas, antiquasque chartulas cupiunt recitare, habeo pro me validas præscriptiones, recito illud tempus cujus contestatione prætermissionem interim feci. Lapsum causa incurrit, non potest rursus audiri. *Et alia manu.* Petilianus episcopus salva appellatione recognovi. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Crimina traditionis

Digitized by Google

objiciunt. *Et alia manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Hoc causæ est. *Et alia manu.* Petilianus episcopus salva appellatione recognovi. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Redde vicem, auditus es, cum prosequereris, nobis patientibus. Crimina traditionis Ecclesiæ quam tenemus objicere consueverunt. *Et alia manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Legaliter agit, an more forensi? *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Prior chartas obtulisti. *Et alia manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Redde mihi tempus. Calculetur officium de temporibus, utrum hodierna die causa dicenda sit, si ad forenses descendimus actiones. *Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi.

184. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Etiam vestra sanctitas in hac parte judicare deberet. Constat enim ex consensu utriusque partis judicium fuisse dilatum. Cur nunc superfluo temporis præscriptionem objiciendam esse creditis, cum eam constet ex consensu partium fuisse seclusam? Unde nunc ea quæ ad causam pertinent, peragi debere manifestum est.

308 185. *Petilianus episcopus dixit.* Quia ipsi se ad forensia contulerunt, ideo forensia postulavi. Respondeatur mihi ad ea quæ postulo. Forensi more agit, an ecclesiastico? *Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi.

186. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Respondeatur objectis. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Si patiantur, Ecclesiæ quam tenemus (sicut omnes noverunt, quorum solent animos suis sollicitare criminationibus, et etiam sui mandati tenore declararunt); Ecclesiæ, inquam, quam tenemus, crimina solent traditionis objicere. *Et alia manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus partis Donati dixit.* Proliteantur ad quæsita. Professionem petivimus, non conflictum. *Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi.

187. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Si horum criminum jacturam faciunt, de chartis publicis nihil proferimus. Si autem in eadem criminatione persistunt, chartis publicis docemus hanc causam olim esse finitam, nec tamen eos ab hujusmodi objiciendis criminibus cessavisse. Unde nunc collationem istam poposcimus, non ut illam causam traditionis quam Cæciliano et ejus collegis objiciebant, suscipiamus denuo finiendam, sed demonstremus olim esse finitam, ut hoc cognoscentes populi qui nesciunt, et istorum adhuc criminationibus commoventur, tandem aliquando cognoscant in qua Ecclesia christianæ salutis viam requirant. Si ergo de Ecclesia quæritur quæ sit, quanta sit, qualis sit, sola divina testimonia ad eam demonstrandam sufficient. Si homines appellant, si hominibus crimina intendunt, quamquam Ecclesiæ causa ab hominum causa distinguenda est, nec in hominibus spes ponenda est Ecclesiæ, si boni sunt, neque si mali sunt, judicanda est Ecclesia Dei perisse: sed tamen etiam ipsorum causam tamquam fratrum nostrorum suscipimus, et si nobis ostendi potuerint criminosi, hodie illos anathemamus; non tamen propter illos Ecclesiam a Deo promissam et exhibitam deserimus aut relinquimus. Ipsi ergo eligant quod volunt. Non objiciant crimina hominibus, et chartæ cessabunt. Sola divina loquetur auctoritas; sola Dei Scriptura, cui utrique subdimur, in medium proferetur. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Quid refertur his?

188. *Emeritus episcopus partis Donati dixit.* Prolixæ orationi respondere non possum. Tamen summatim, ut valeo, quæ superflue in judicium missa sunt ventilabo, cum optationes a nostris partibus propositas ne vel relectione confundant, ut neque velint esse petitores, neque se dicant responsores adstare, intulerintque nostris partibus prosecutionem, ut si forensis regulæ ordinem tenent, conditionalis diei non omittam internis sensibus notionem; si autem legalibus magis cupiunt in judicio conluctari, divinis Scripturis nos eis necesse est respondere. Primum est autem quod in judicio flagitamus, ut quoniam de mandatorum suorum allegatione in judicio vacillant, quippe cum unum legentes, aliud negent, dicantque tamen se legatos ad imperiales aures destinasse antea, secutumque est identidem, ut ex responsione gestorum dilucide claruisset, utrum nos inquietatores essemus, an inquietati ad judicium veniremus, his tot propositionibus respondere nolentes, ad alia se nescio qua argumentatione dejiciunt, quæso, vir nobilis, constituant gradum, dicant se quo ordine quave actione in judicio consistant. Nos enim, qui adducti sumus ad disceptationem, petitoris loco adstare non possumus. Ipsos necesse est proponere, ut eorum propositionibus pars nostra valeat respondere. *Et alia manu.* Emeritus episcopus salva appellatione recognovi.

189. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Si petitoris loco adsistunt qui crimina objecta defendunt, tuæ nobilitatis est pronuntiare. *Et alia manu.* Recognovi.

190. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Etiam prosecutione viri venerabilis Petiliani id constat fuisse signatum, ut utrum pars catholica, quod nomen sine præjudicio dicere me multis interlocutionibus patefeci, jure publico agi vellet, an certe divinis testimoniis, evidenter ostenderet. Sed denuo ad quæsita responsum est, ita ut evidentissime monstraretur, si crimina non objicerentur, a documentis publicis discedendum, quæ probari non posse aliter nisi publicorum certum est attestatione gestorum: sin vero causa Ecclesiæ tractaretur, legalia tantum testimonia proferrentur. De quibus quid placeat, evidentius designetur.

191. *Petilianus episcopus dixit.* Duo sunt quæ præter cætera a diei hujus principio cœpimus ventilare. Unum, ut ipsi legissent quid imperatori clementissimo suggesserint; aliud, utrum disceptationem

legis divinæ tenere cupiant, an publicas leges. De utroque nihil mihi aperte responsum est. *Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi.

192. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ad omnia esse responsum superiora testantur gesta. *Et alia manu.* Recognovi.

193. *Petilianus episcopus dixit.* Pervidet igitur sublimitas tua sensim nos ad causæ interna deduci: pervidet illa tua præstantia atque vivacitas sensus, magis mihi interlocutionibus nobilitatis tuæ quam responsionibus adversariorum fuisse responsum. Igitur evidentius aliquid decernatur, evidentius constet, noverim quid debeam respondere. Mihi enim, sicut tua meminit nobilitas, idem a partibus meis mandatum est, ut objectis respondeam, non ut objiciam aliquid. Non enim loco petitoris adsisto, sed responsuri. Qui sæpius apud imperatoris aures et coram omni populo sane apud se constituto, in crimen nos invidiamque deducunt, ut hæreticos nominent, ut schismaticos quoque appellent, hoc doceant, hoc diluo, huic rei responsures sum, si modo se ad legalia convertant, ipsiusque legis quærant responsa atque judicia. Sin vero utraque miscent, evidentius designetur. Noverim genus actionis, nemo me reprehendat in publico, nemo bonæ causæ infirmum esse judicet defensorem, nemo judicet obliquum, nemo adversarium dolosum ac licentiosum, cui omnia permittuntur; ut cum de his justa atque evidentia requirantur, libeat illis delicate quomodo voluerint nebulas ac tenebras obtendere, ut veniri non possit ad cardinem veritatis. *Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi.

194. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Duo sunt quæ sanctitas tua credidit postulanda; unum, ut mandatum in quo legati delecti sunt a parte e diverso sistente relegeretur; aliud, utrum a divinis legibus recederent, evidentissime demonstrarent. *Petilianus episcopus dixit.* Respondeant breviter ad utrumque. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Uni rei, quoniam mea intererat, ipse respondi. Nec enim de his legatis poteram dubitare, de quorum legatione pronuntiaverat clementissimus imperator, ne in ejus injuriam refricari 309 aliquid videretur. Aliud vero eorum constat prosecutionibus definitum, quibus id evidenter ostensum est, velle se a publico jure sub ea conditione discedere, si de personarum criminibus taceretis. Unde quoniam hinc conflictus tantum remansisse cognoscitur, ut qui petitoris loco adsistat evidentissime demonstretur, quoniam gesta a vestra parte oblata recitata sunt, patimini denuo etiam ea quæ a diversa parte offerentur, ab officio recitari.

195. *Petilianus episcopus dixit.* Cujus gesta sunt quæ a partibus meis recitata sunt? Si absentes essent e diverso sistentes, licuit tibi, vir nobilis, absentum partes judiciario animo defensare. Nunc præsentes sunt. Ipsi mihi respondeant, ipsi edicant, ipsi ad utraque quæ proposui, respondere non differant. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Nec respondere nos permittis. *Petilianus episcopus dixit.* Tuum est pronuntiare quid audias; illorum est agere causam qui adversus me loco petitoris. *Et cum diceret* (*Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi),

196. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Hoc pronuntiavit, ut ex gestorum lectione hæc omnia possint diligenter agnosci. *Petilianus episcopus dixit.* Ipsi dicant, ipsi profiteantur. *Et alia manu.* Petilianus episcopus incolumi appellatione recognovi.

197. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Jam diximus unde agamus potius, id est, utrum publicis documentis an divinis testimoniis. In vestra est positum potestate. Si enim a criminibus hominum cessatis, et nos cessabimus a publicis documentis, et solam Ecclesiæ causam divinis testimoniis asseremus. Si autem ab hominum criminibus non desistitis, necesse est nos et a vobis publica documenta flagitare, et contra vos publica documenta proferre. Hoc autem cum cognitori insinuaremus, quia illi de corde non est excussum multiplicibus et superfluis prosecutionibus vestris, ideo vobis jam a nobis hæc acta esse ipse respondebat, non partes nostras agens, sed suas, cui jam insinuavimus ejusque cordi penitus infiximus quid dicamus. *Et alia manu.* Recognovi.

198. *Adeodatus episcopus dixit.* Quo ordine agere debeamus in nostra non est positum potestate, cum ipsum venire in nostra potestate non fuerit. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus salva appellatione recognovi.

199. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ergo ad interrogata respondete. Recedilis a criminibus traditionis? Respondeant ad breve interrogatum nostrum. Facilis jacturam criminum quæ soletis objicere Cæciliano et collegis ejus, an in eadem criminatione persistitis? *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ad quæsita respondete.

200. *Emeritus episcopus dixit.* Breve suum dicit esse postulatum, breve nostrum debet esse responsum. Omnis actio duas solet suscipere personas, petitoris et e diverso respondentis. Cum hæc causa suum ordinem teneat, conflictumque desideret, quid est quod ante principia negotii, quasi quædam mihi electio ex adversa parte proponitur, ut dicam, utrum criminibus intentatis Cæciliani refrager, atque ab iisdem quæ objeceram sileam, an objecta in judicio valeam confirmare? Memento judicum summe, sicut adsoles, qui sit ordo dicendi. Nemo enim adversum se adstanti dicit: Elige tibi utrum me accusas necne. Nemo dicit: Intentaturus es crimen, an nihil mihi in judicio oblaturus es, et intentionibus

Digitized by Google

tuis mutum quoddam silentium imponens, inanis ac sine ratione de tam longinquis regionibus venisse dicaris, cum ad hoc ego adsistam, ut si me ipse dixerit illa dixisse quæ graviter ferre aut imperialibus auribus, aut in suo mandato subscripsit, tum demum eligam atque respondeam, utrum velim intentionibus ejusdem secundum prosecutionis suæ tenorem legum confirmatione robustus accedere, an me ab hac actione removere. Videt præstantia tua me respondere non posse, cum incertum dixerit, cum nihil tale proposuerit cui debeam revocare responsum. Dico enim eum utrum petitor an responsor stet. Ille mihi dicit : Si Cæciliani causam intermiseris, tunc petitor sum; si autem non prætermiseris, necesse est me respondere ad ea quæ videntur objecta. Si times Cæciliani causam, metuisque tibi aliquid objectum, tu proponere, tu instituere actionem in judicio debebis. Adtrahe me et in publicum colloca. Dic me aliquod tibi crimen quod ad aures imperatorias detulisti, per publicam conscientiam commendasse. Cum ego autem de te magis expetam quid audieris, quid me dixisse, quid me insinuasse judiciis intimes, cur metuis, cur vereris actionem istam in judicio firmare? Nimirum illud attendis, ne petitoris suscipiens personam, eaque in judicium mittis, aut accepta, aut dicta, aut ab aliquo promulgata docere in judicio compellaris. Attende, vir nobilis, in quo statu sit ista causa, cum ego, qui pulsor, petitionem illorum promi in judicium petam, eosque qua possum postulatione deprecor semper ne moratoriis ad negotii cardinem venire minime permittamur. Non ergo ex nostra parte est quod adhuc usque nihil de negotio gestum est, cum si personam suam judiciis adstruere voluissent, necesse nos erat objectis illico respondere. *Et alia manu.* Emeritus episcopus salva appellatione recognovi.

201. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* O breve responsum! Quam multum dicitur, ubi inveniri non potest quid dicatur! Breviter respondi ego postulationibus tuis. Voluisti ex me scire, utrum legalibus testimoniis divinis agam, an publicis gestis. Respondi : Si recedis a criminibus quæ non possunt nisi gestis publicis declarari, recedo a publicis gestis, et solis divinis testimoniis asseram causam Ecclesiæ quam defendo. Si autem tu ab illis criminationibus non vis recedere, nec ego recedam ab eis documentis quibus te ostendam falsa crimina vel nobis vel ipsi Ecclesiæ quam retinemus objicere. *Et alia manu.* Recognovi.

202. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ad hæc plene constat esse responsum. Quæ autem pars loco petitoris adsistat sciri omnino non poterit, nisi ex recitatione gestorum; quæ, ut statui, quoniam a parte vestra quæ oblata sunt, constat esse recitata, tandem aliquando perlegantur.

203. *Petilianus episcopus dixit.* Nemo duo eligit de duobus. Cum ergo proposuerim ut alterum elegisset, ille sibi ambo evidentius vindicavit. Non timeo, non recuso, si hoc potest esse retinendum. Serva mihi primitus tempora legum, statuatur dies. Respondeat officium de die causæ cognoscatur lapsus fuisse. Hinc judica, hinc debes ferre sententiam. Siquidem contra me sententiam ferres, si forte defuissem. *Et alia manu.* Petilianus episcopus salva appellatione recognovi.

204. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Si die decimo quinto venerunt, ut ad quartumdecimum occurrerent, quare octavo kalendas constiterunt? *Et alia manu.* Recognovi.

205. *Petilianus episcopus dixit.* Non inquietasti, scivi **310** te lapsum, superflue ingressus sum judicium, qui intrare non debui post diem lapsi negotii. *Et alia manu.* Petilianus episcopus, appellatione incolumi recognovi.

206. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quare ad kalendas se promisit adfuturum esse Primianus? *Et alia manu.* Recognovi. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Hoc jube recitari. Quamvis ista transacta sint, quamvis ad illusionem populorum has nebulas injiciat pars diversa, tamen etiam hoc petimus, præcipias recitari, ut sic saltem cognoscant, quam impudenter hæc iterum repetant quæ jam ante transmissa sunt. *Et alia manu.* Recognovi.

207. *Petilianus episcopus dixit.* Dum non vis designare alterum de duobus, ambo tenens, facis me eadem repetere. *Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi.

208. *Fortunatius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Sciunt se in causa Ecclesiæ nihil habere. Ideo moratoriis agunt. Quapropter quoniam illa jam transacta sunt, ut cognoscatur qui sit petitor, jube antiqua gesta recitari. *Et alia manu.* Recognovi.

209. *Petilianus episcopus dixit.* Si legibus publicis uti vis, præscribo ne legas. *Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi,

210. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Contra consensus proprios quod legibus inhibetur, venire desideras. Ex consensu enim partium constat primum dilatum fuisse judicium, ut alio die, vel tertio, vel certe post editionem gestorum, negotium tractaretur. Unde, ut quis loco petitoris adsistat diligentius declaretur, gesta recitentur.

211. *Petilianus episcopus dixit.* Servarem consensum, si et ipsi servarent. *Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi.

212. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Recitentur gesta. *Adeodatus episcopus dixit.* Contra hæc serva quæ competunt. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus appellatione incolumi recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ea quæ rationi et æquitati competere potuerint, salva erunt.

213. *Adeodatus episcopus dixit.* Si enim consensus servandus est, et retinendi sumus ad consensum nostrum, debent etiam nobis ipsi fidem sui consensus, qui se legibus divinis acturos esse promiserunt.

Digitized by Google

Et alia manu. Adeodatus episcopus appellatione incolumi recognovi.

214. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Sed causam Ecclesiæ, non causam Cæciliani et collegarum ejus, quibus crimina intenditis. Ecce pollicemur, et totiens pollicemur quotiens exactum fuerit a nobis, et cum non exigitur, offerimus, Ecclesiæ causam non nisi divinis testimoniis firmamus, docemus, ostendimus; Cæciliani autem et quorumlibet hominum non nisi his documentis quibus solent ista vel demonstrari, vel purgari. *Et alia manu.* Recognovi.

215. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ista frequentius dicta sunt. Unde quoniam constat primitus petitoris personam debere disquiri, gesta recitentur. *Martialis exceptor recitavit.* Incipit relatio Anolini proconsulis, ubi ostendit Donatistas Cæciliani causam ad imperatorem Constantinum detulisse. *Et cum recitaret,*

216. *Montanus episcopus dixit.* Ut quid iste titulus legitur? *Et alia manu.* Montanus episcopus salva appellatione recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Neuter titulus actis inseretur. *Martialis exceptor recitavit.* Augustis nostris Anolinus vir clarissimus proconsul Africæ. Scripta cœlestia Majestatis vestræ accepta atque adorata Cæciliano et his qui sub eodem agunt, quique clerici appellantur, devotio mea apud acta parvitatis meæ insinuare curavit. *Et cum recitaret,*

217. *Petilianus episcopus dixit.* Unde hoc profert, ex publico scrinio, an de suo? *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

218. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Legat, et tunc de nobis exigat hujus lectionis firmitatem. *Et alia manu.* Recognovi.

219. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit:* Ante lectionem unde proferas evidenter ostende.

220. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Si inde dubitant, archiva proconsulis requirantur. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Quoniam in archivis publicis ea quæ recitantur inesse dixisti, sicut cœperat officium, omnia relegere debebit. *Martialis exceptor. ex superioribus gestis recitavit.* Eosdemque hortata est, ut unitate consensu omnium facta [cum omni omnino] munere [indulgentia] Majestatis vestræ liberati esse videantur, Catholica custodita, sanctitati legis debita reverentia, ac divinis rebus inserviant. Verum post paucos dies exstiterunt quidam, adunata secum populi multitudine, qui Cæciliano contradicendum putarent, quique fasciculum in aluta signatum, et libellum sine signo obtulerunt dicationi meæ, atque impendio postularunt ut ad sacrum ac venerabilem comitatum numinis vestri dirigerem, quæ manente Cæciliano in statu suo, subjectis eorumdem actis, quo cuncta Majestas vestra possit dignoscere, parvitas mea dirigere curavit. Transmisi libellos duos, unum in aluta signatum ita : *Libellus Ecclesiæ catholicæ criminum Cæciliani traditus a parte Majorini.* Item alium sine sigillo cohærentem eidem alutæ. Datum die decimo septimo kalendarum Maiarum Carthagine, D. N. Constantino Augusto III consule. *Quo recitato,*

221. *Petilianus episcopus dixit.* Quis est iste qui agit? Cæciliani filius est, an non? *Et alia manu.* Petilianus episcopus salva appellatione recognovi.

222. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ne vobis dicatis patrem in terra, simul audivimus, simul legimus, simul populis prædicamus. Quid de me quæris utrum sim filius Cæciliani? Cæcilianus, si innocens fuit, gaudeat de sua innocentia, me congaudente, non in ejus innocentia me spem meam ponente. Si autem nocens fuit, quod fortasse discussa causa vel sic, vel aliter declarabit, sustinuit eum Ecclesia quam teneo, ut a similitudinibus dominicis non recedam, sicut paleam in area, sicut in eisdem pascuis hædos, sicut in eisdem retibus pisces malos; non tamen propter malos nos aut aream dominicam deserere debemus, aut retia dominica nefaria animositate dissensionis abrumpere, et in mare ante tempus littoris prosilire. *Et alia manu.* Recognovi.

223. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Sic ut statutum est omnia relegantur. *Emeritus episcopus dixit.* Jube nos prosequi. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi. *Marcellinus V. C. tribunus et notarius dixit.* Agite. *Emeritus episcopus dixit.* Recitata scriptura quam pars adversa protulit. *Et cum diceret* (*Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi),

224. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quis possit esse petitor, his gestis poterit inveniri. *Et alia manu.* Recognovi.

311 225. *Emeritus episcopus dixit.* Recitata scriptura quam pars adversa protulit, consors meus justa prosecutione signavit nomen sibi imponere debere eum qui causam defendit in judicio Cæciliani. Sed arctatus his nodis veniens e diverso, quasi quodam lubrico fugere atque elabi conatur; duas in judiciis inferens personas et geminas actiones. Dicit enim. Si Cæciliani persona pro objectis criminibus poterit destrui, Ecclesiæ, inquit, nihil oberit, cum unius hominis persona destructa adstare videatur in fide. Quid ergo opus est, vir sublimis, Cæciliani causam in medium mittere, si nihil obest his, si nihil adversus eos facit; aut cur in judicio defenditur vel accusatur? Cum enim dicat neque sibi obesse ejusdem reatum, neque posse aliquam nebulam vel maculam Ecclesiæ innectere, vides ergo superflue Cæciliani nomen in judicium missum, cum hac quasi peremptoria præscriptione excusatus esse videatur, ut si reus sit, ab Ecclesia videatur extraneus; si innocens, quasi objectis criminibus purgatus atque liberatus, bene in Ecclesia sua stetisse videatur. Judica, vir sublimis, unum eos tenere debere; si Cæciliani causam defendunt, superbire se et prosequi ea quæ in judicio adversus Cæcilianum de veritate promuntur. Si autem dicunt obesse sibi omnino non posse quid fecerit Cæcilianus, quid opus est Cæciliani causam in medium mittere, cum eis obesse non possit si fuerit in judicio reus manifestissimus deprehensus. *Et alia*

Google

tuis mutum quoddam silentium imponens, inanis ac sine ratione de tam longinquis regionibus venisse dicaris, cum ad hoc ego adsistam, ut si me ipse dixerit illa dixisse quæ graviter ferre aut imperialibus auribus, aut in suo mandato subscripsit, tum demum eligam atque respondeam, utrum velim intentionibus ejusdem secundum prosecutionis suæ tenorem legum confirmatione robustus accedere, an me ab hac actione removere. Videt præstantia tua me respondere non posse, cum incertum dixerit, cum nihil tale proposuerit cui debeam revocare responsum. Dico enim eum utrum petitor an responsor stet. Ille mihi dicit : Si Cæciliani causam intermiseris, tunc petitor sum; si autem non prætermiseris, necesse est me respondere ad ea quæ videntur objecta. Si times Cæciliani causam, metuisque tibi aliquid objectum, tu proponere, tu instituere actionem in judicio debebis. Adtrahe me et in publicum colloca. Dic me aliquod tibi crimen quod ad aures imperatorias detulisti, per publicam conscientiam commendasse. Cum ego autem de te magis expectam quid audieris, quid me dixisse, quid me insinuasse judiciis intimes, cur metuis, cur vereris actionem istam in judicio firmare? Nimirum illud attendis, ne petitoris suscipiens personam, eaque in judicium mittis, aut accepta, aut dicta, aut ab aliquo promulgata docere in judicio compellaris. Attende, vir nobilis, in quo statu sit ista causa, cum ego, qui pulsor, petitionem illorum promi in judicium petam, eosque qua possum postulatione deprecor semper ne moratoriis ad negotii cardinem venire minime permittamur. Non ergo ex nostra parte est quod adhuc usque nihil de negotio gestum est, cum si personam suam judiciis adstruere voluissent, necesse nos [illegible] illico respondere. *Et alia manu.* [illegible] salva appellatione recognovi.

201. [illegible] *Ecclesiæ catholicæ dixit.* O brevem [illegible] multum dicitur, ubi invenitur [illegible]atur! Breviter respondi ego [illegible] voluisti ex me scire, utrum lege [illegible] agatur [illegible]licis gestis. Rem [illegible] possunt nisi [illegible] ri, [illegible] licis gestis. [illegible] causam Ecclesiæ [illegible] crimine, [illegible] ab eo, [illegible] vel nolit [illegible] cere. Et

[illegible] Quæ [illegible] dixit [illegible] riat

[illegible] Digitized by Google

A non recuso, si hoc potest esse retinendum. Serva mihi primitus tempora legum, statuatur dies. Respondeat officium de die causæ cognoscatur. Fuisse. Illinc judica, hinc debes ferre sen[illegible]. Siquidem contra me sententiam ferres, si fuissem. *Et alia manu.* Petilianus episcopus salva appellatione recognovi.

204. *Augustinus episcopus Ecclesiæ* [illegible] Si die decimo quinto venerunt, ut [illegible]mum occurrerent, quare octavo [illegible]runt? *Et alia manu.* Recognovi.

205. *Petilianus episcopus* [illegible] scivi **310** te lapsum, superb[illegible] cium, qui intrare non de[illegible] *Et alia manu.* Petilianus [illegible] columi recognovi.

206. *Augustinus* [illegible] Quare ad kalend[illegible] mianus? *Et alia* [illegible] *Ecclesiæ cath*[illegible] ista tran[illegible] rum ha[illegible] hoc peti[illegible] gnoscam[illegible] quæ ju[illegible] gnovi.

[illegible]

pi ordinator, non satis agnoscimus. Tes- divinis pater Deus est edoctus. *Et alia* cognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Qui vo- ui eum ordinavit edicat. *Et alia manu.* Peti- episcopus appellatione incolumi recognovi. us *episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ordinavit ? Multi adstamus, multi assertionem causæ se- dum tenorem mandati suscepimus. Cujus ordina- rem quærit, aut quem quærit, exponat pars diversa, videamus utrum dignum sit ad hæc respondere. *Et alia manu.* Recognovi.

245. *Adeodatus episcopus dixit.* Augustinus hæc dixit. Dicat quis eum ordinavit. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus salva appellatione recognovi. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Non B modo Augustini causam suscepimus defendendam, qualemcumque ipse habet. *Et cum diceret* (*Et alia manu.* Recognovi), *Adeodatus episcopus dixit.* Hoc est indicium causæ desperatæ, ut cum nos flagitemus alia, alia respondeantur; ut quoniam objectis respondere non possunt, quærant alia quibus nebulas innectant. Dicat igitur Augustinus quis eum ordinaverit. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus salva appellatione recognovi. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Superflua quæri video. *Et cum diceret.* (*Et alia manu.* Recognovi),

246. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ad interrogata respondere dignare.

247. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Superflua quæri video a fratribus nostris e diverso C sistentibus; et ad ipsa superflua non denego responsionem, dum tamen Ecclesiæ causa, cui responderi nihil potest, in fundamento tutissimo conlocetur. Ego, cujus ordinatorem requiris homo sum Christianus, fidelis, quod Deo teste loquor, Catholicus. Unde adhuc ambigimus quis dignus hoc nomine vocitetur. Ego illam Ecclesiam defendo, hanc assero qualicumque voce, in qua quidquid fuero, illa Ecclesia est. Video quo tendas, humanas calumnias consectaris; et quæ soleatis jactare et dicere, non alienum est ab auribus vel a cordibus nostris. Megalius me ordinavit primas Ecclesiæ Numidiæ catholicæ, eo tempore quo ille me potuit ordinare. Ecce respondi. Prosequere, profer quæ præparas. Ibi etiam calumniosus appareas. Ecce dixi ordinatorem meum. Profer jam calumnias tuas. D *Et alia manu.* Recognovi.

248. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Accepisti prosecutionem. Unde quid competat respondere dignare, licet hæc quæ de personis aguntur, cognitionem differre non debeant.

249. *Emeritus episcopus dixit.* Si nulla est actio personarum, cur Cæciliani in judicio faciunt mentionem? Aut enim juste timent, quod eum desiderant excusare; aut si superflua actio adversus Cæcilianum intenta liberat mores, vitam purgat, hoc ipsum debent legalibus testimoniis approbare. Dicimus etenim multis legalibus documentis, sacerdotum vitia, ac probrosos mores, et nefariam conversationem approbare. culam aut rogam Ecclesiæ semper inferri

139. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ut diligentius adverti possit quid debeat judicari, patiamini gesta recitari.

140. *Petilianus episcopus dixit.* Non is est ordo gestorum, ut hæc primitus recitentur. *Et alia manu.* Petilianus episcopus salva nostra appellatione recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Nihil debet partibus denegari. *Adeodatus episcopus dixit.* Si nihil partibus denegandum est, tandem nobis concedendum est quod flagitavimus. Ostendant legationem. Neque enim nudis verbis hæc potuit concipi legatio. Scripta sunt; demonstrentur, prodantur in publicum. Videamus utrum hæc contra nos vera an falsa sint ficta. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus meam prosecutionem salva appellatione recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Jam pronuntiavi atque judicavi formam me excedere non posse imperialis oraculi. Nec enim in judicio meo legatorum certum est discuti debere personas. Unde gesta relegantur, ut quis petitoris loco adsistat, clarius demonstretur. *Adeodatus episcopus dixit.* Hoc imperator non præcepit, ut gesta illustrium potestatum in judicio prodantur; et tamen datur adversæ parti licentia prodendi. Produnt ipsi quæ volunt, nobis non sinitur accipere quod poscimus. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus prosecutionem meam salva appellatione recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Et sanctitas tua quæcumque gesta obtulerit, vel prolaturam se esse promittit, necesse est ut eadem relegantur. *Adeodatus episcopus dixit.* Quæcumque causæ necessaria sunt, negari non debent. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus prosecutionem meam salva appellatione recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Patere igitur ut hoc quod causæ propriæ necessarium dicit pars e diverso sistens, ab officio recitetur. *Adeodatus episcopus dixit.* Concedere non possum ut ea quæ volunt in judicio ventilent, nisi ea quæ de ipsis flagitavi in judicio deprompserint. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus prosecutionem meam salva appellatione recognovi. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Nos ista de archivis accepimus. Si quid est quod et tu accipere potuisti, si recitandum poposceris, et a nobis fuerit contradictum, iniquos deputa, et vicem redde. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Suspicionem judiciis facis, quod ea non pateris, cum et tibi fas sit universa quæ ingesseris publicare. Unde tandem aliquando ea quæ oblata sunt recitentur. *Petilianus episcopus dixit.* Noluisse pronuntiare potestatem tuam quod petimus, acta contineant. Ulterius non possumus aliquid dicere, maxime cum videam potestatem tuam aliud velle, cum ego aliud flagitem. Pronuntia superflue me postulare quod peto, sit quod teneam, sit quod populus noverit. Tum demum ad necessaria causæ descendam. *Et alia manu.* Petilianus [episcopus] prosecutionem meam appellatione incolumi recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Non possum de eo judicare quod necdum est approbatum. *Petilianus episcopus dixit.* Utrum recte petam prodi oportere id quod clanculo imperatori suggesserint, hoc pronuntia. *Et alia manu.* Petilianus episcopus hanc prosecutionem meam appellatione incolumi recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Clanculo imperatori nihil suggestum esse, ad universos judices datæ sanctionis [forma], et ad meam quoque mediocritatem ipsius recitatione monstratum est. Unde cum ex lectione gestorum cognovero quid debeam judicare, sine dubio judicabo.

141. *Martialis exceptor recitavit.* Exemplum actorum habitorum sub die tertio kalendas Februarias Ravennæ, D. N. Arcadio PP. Augusto et Probo IV, **305** consulibus. *Et cum recitaret, Petilianus episcopus dixit.* Si jubes, contra hoc advertit sublimitas tua non adhuc satisfactum petitionibus nostris, ut exceptione eorum constaret ipsos esse petitores, ipsosque intendere oportere quæ objicienda esse putaverunt. *Et alia manu.* Petilianus episcopus prosecutionem meam appellatione incolumi recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Jam nunc ex lectione gestorum qui petitor adsistat evidenter aperteque monstrabitur. *Petilianus episcopus dixit.* Sunt longe primitus gesta confecta, quibus spectabilis viri proconsulis. *Et cum diceret,* (*Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Prosecutiones suas formidat, ideo gesta recitari non permittit. *Et cum diceret,* (*Et alia manu.* Recognovi.) *Petilianus episcopus dixit.* Sunt gesta habita in judicio proconsulari, habita etiam in judicio vicariæ præfecturæ, quibus nobis plurima intendisse monstrantur. Sunt etiam alia quæ de clementissimo imperatore, eidem scilicet mentientes, longe ante (1) petiverunt [per] adsistentes ac supplicantes, scilicet Theasium et Euvodium (2), illos scilicet quos præcursores et navigatores semper habent, furiæque suæ legatos, qui expetant sanguinem, expetant proscriptiones, incutiant metus, pericula ingerant, homines per provincias diversas occidant. Hæc omnia igitur principio præcipe recitari. Tum demum eos invenies petitores. *Et alia manu.* Petilianus episcopus prosecutionem meam salva appellatione recognovi.

142. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Qua impatientia et tumultu agant sit testatum his gestis, interlocutione nobilitatis tuæ. Causam enim satis timent, ad cujus meritum omnino descendere nolunt. Non sint vacua omnia quæ a partibus nostris in prosecutionibus tanta dicta sunt de Ecclesiæ Dei promissionibus et exhibitionibus. Quid tergiversantur, quid nescio quæ forensia rimantur? Jam

(1) *Longe ante.* Anno 403, cum in concilio Carthaginensi decreta est legatio adversus Donatistas.

(2) *Theasium et Euvodium.* Quibus in dicto concilio commonitorium datum est, quod exstat in cod. Can. Eccl. Africanæ c. 93.

Digitized by Google

dignetur nobilitas tua pronuntiare faciem defensionis eorum. *Et alia manu.* Recognovi.

143. *Petilianus episcopus dixit,* Ordine suo a principio cuncta recitentur. Tum demum invenies petitorem. *Et alia manu.* Petilianus episcopus prosecutionem meam appellatione incolumi recognovi.

144. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Si a principio [cuncta recitanda sunt] ex quo causam ad imperatorem Constantinum miserunt criminum Cæciliani jube recitari. *Et alia manu.* Recognovi. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quia voluistis de prioribus gestis mentionem facere. *Et cum diceret* (*Et alia manu.* Recognovi),

145. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Hæc gesta quæ recitari postulat sanctitas vestra, posteriora sunt his gestis quæ obtulit pars catholica, an priora?

146. *Petilianus episcopus dixit.* Non est equidem pars catholica, nisi quæ hujus conflictationis sumpserit palmam. Igitur cupimus recitari quæ in judicio proconsulari et vicariæ præfecturæ ab ipsis sunt ante longius prompta atque petita. *Et alia manu.* Petilianus episcopus prosecutionem meam appellatione incolumi recognovi. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Si de causa præsumeres, ad causæ meritum venires. *Et alia manu.* Recognovi.

147. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Sine præjudicio catholicos dico, sequens nuncupationem clementissimi principis. Unde ea gesta quæ antiquiora sunt, si placet, ab officio recitentur.

148. *Possidius Episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Offerimus antiquissima quæ petimus suscipi ab officio. Præcipiat nobilitas tua ea recitari.

149. *Petilianus episcopus dixit.* Si hoc potestati tuæ mandatum est, si non recesserunt ab his quæ jamdudum promiserant se legaliter agere oportere, redde nobis illam primam objectionem, cujus visi quodammodo sumus sub hujus exceptionis ratione fecisse jacturam. Si igitur ad legem se retinet, pervidet præstantia tua nullatenus eos harum chartularum quas proferunt, facere posse mentionem. Et nunc etiam atque etiam flagito ut promant quid eligant, utrum forensi actione mecum agant, an legali concertatione disceptent. *Et alia manu.* Petilianus episcopus prosecutionem meam incolumi appellatione recognovi.

150. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Suscipiat officium quæ ab utrisque partibus offeruntur, et conferat tempus, ut quæ priora esse constiterit, eadem recitentur.

151. *Petilianus episcopus dixit.* Sensim in causam inducimur. *Et alia manu.* Petilianus episcopus prosecutionem meam appellatione incolumi recognovi.

152. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quod petistis, offerimus. Non vos pœniteat petisse. Antiqua gesta voluistis recitari. Hæc in manibus habemus, jubeat nobilitas tua quod offerimus recitari. *Et alia manu.* Recognovi.

153. *Petilianus episcopus dixit.* Me id petisse adhuc recalent gesta, ut ea quæ imperatori mentiti sunt proferant, legant quæ objecerunt, contra hæc hujusmodi nebulas, ut vellent acta relegere quæ sunt habita in judicio præfecturæ, his quæ ego longe prætuli, antiquiora. Igitur, vir nobilis, si tenor se ita habet causæ sicut ab initio videtur esse formatus, aut jacturam chartularum istarum publicarum faciant, et ad legalem disceptationem veniant; aut si his rebus uti desiderant, faciant legis divinæ jacturam. *Et alia manu.* Petilianus episcopus prosecutionem meam appellatione incolumi recognovi.

154. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Proconsularia gesta et habita in judicio illustrium potestatum, officium diligenter inspiciat, ut ea quæ priora sunt, primitus recitentur.

155. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ad ea quæ prosecuta est modo pars diversa, paucis advertat sublimitas tua. Nos Ecclesiam catholicam retinere, ipsa nostræ communionis testificatione monstramus, quam Ecclesiam probare descendimus, si permittant, non rumoribus humanis, neque errantibus opinionibus, sed divinis eloquiis declaratam. Ut autem leges, vel gesta, vel quæcumque de archivis prolata offeramus in hac collatione recitanda, ipsi cogunt qui talibus agunt. Nam si remotis hujuscemodi omnibus chartis nollent Ecclesiam nisi in Scripturis adverti, nihil vellemus, nihil aliud optaremus. Crimina dicunt traditionis. Ea crimina traditionis aut non probant archivis, et nihil dicunt; aut probant, et archivis nos vicissim agere compellunt. Itaque pervidet præstantia tua distinguendas esse causas, quando cogamur publicis legibus agere; quando autem velimus et optemus negotium Ecclesiæ non nisi divinis eloquiis terminari. *Et alia* **306** *manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Quid elegerit dicat. Ambo enim tenere non poterunt. *Et alia manu.* Petilianus episcopus prosecutionem meam incolumi appellatione recognovi.

156. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Apertissimam prosecutionem partis adversæ fuisse satis clarum est: in qua id videtur ostensum ut si traditionis crimen objicitur, quod sine dubio legibus divinis non potest approbari, sed gestorum fide diligentius inveniri, tum demum gestis publicis omnia peragantur. Sin vero causa fidei cœperit agi, tunc ad ea quæ veteris et novi Testamenti exemplis docenda sunt venietur. Unde sanctitas vestra, si petitionem suam prosecutionemque adversæ partis vult professionibus roborari, evidenter ostendat, utrum traditionis crimen, quod probari nullatenus potest, nisi quibusdam evidentissimis documentis, agi in judicio desideret, an tantum fidei causam cupit in judicio mediocritatis meæ disquiri atque terminari.

157. *Emeritus episcopus dixit.* Quæ ad causam pertinent, sæpius me replicare non pudet. Adeo enim et in prima fronte negotii postulavimus, ut mandatum legatorum suorum luce clarius demon-

Digitized by Google

strarent; ne cum hæc in judicium mitterentur, forte renuerent. Possunt enim dicere : alia mandavimus, non eadem censuimus, nec petenda ab imperiali præcepto consensimus. Sicut enim nunc. *Et cum diceret* (*Et alia manu.* Emeritus episcopus salva appellatione recognovi),

158. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Hæc universorum subscriptionibus constat esse mandata.

159. *Emeritus episcopus dixit.* Quoniam duo sunt negotia, duo debent esse mandata. Mandatum quod in negotio præsenti recitatum, actis insertum est; mandatum vero quod legatis videtur traditum, nullo in modo recitatum est. Debemus ergo advertere utrum et hoc ante, ut imperialibus auribus deferretur, ab iisdem videtur esse conscriptum; ut cum utraque mandata in judicio fuerint recitata, utrum unam habuerint voluntatem, judicare digneris. *Et alia manu.* Emeritus episcopus salvo effectu appellationis recognovi.

160. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Jam toties conclamavimus. Mandatum quod injunctum est legatis episcoporum, ab episcopis flagitant sibi recitari. Hoc est aliena requirere ad causam non pertinentia. Mandatum quod nobis propter collationem cum his faciendam injunctum est, hoc recitatum est, hoc eis sufficiat. Quid si enim aliqua legatis mandata sunt, ad causam quidem istam non pertinentia, sed quæ ipsos scire nolumus? Sufficit quod imperator collationem nos petisse suo testimonio declaravit. Hæc concessa est, ad hanc venimus, hæc aliquando agatur, veritati aures hominum patent. *Et alia manu.* Recognovi.

161. *Adeodatus episcopus dixit.* Confessus es quæ olim tacuisti. Ostendisti te multa adversus nos mandasse, quæ scire non facile debeamus. Unde advertit sublimitas tua, quid ex ejus prosecutione debeamus advertere, quid illud mandatum continet, quod contra nos mandatum scire non facile debeamus. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus prosecutionem meam salva appellatione recognovi.

162. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Non hoc dixi, non advertisti, aut dissimulas te audisse quod dixi. Audi, planius hoc dicimus, ne forte culpa mea non intellexeris, dum id obscurius aliquantum dixi studio brevitatis, quod percipere nequiveris. Notum est omnibus multas causas habere Ecclesiam, et suam, et privatarum personarum sibimet commissarum; et potest fieri ut ad episcoporum intercessionem multa pertineant. Secreta nobis committuntur negotiorum et causarum alienarum, in quibus nostra interventio sæpe postulatur, propter quæ auxilium ab Ecclesia poscitur. Hæc prodenda non sunt, ne proditores inveniamur. Sufficit tibi quod collationem me petisse in causa tua ipse testis est clementissimus imperator. Nihil ultra quæras, si negotia aliena non quæris. Negotio tuo sufficit quod de ipsa imperatoris lege recitatum est, quod nostro mandato subscriptionibusque firmatum est. *Et alia manu.* Recognovi.

163. *Adeodatus episcopus dixit.* Non possunt in uno mandato diversa mandari negotia. Sed si forsitan eadem quæ adversus nos mandastis, etiam adversus alias provincias mandasse te constat, bene facis non prodere. Non te ergo in medium proferas. Quoniam me primum insequi desideras, servas hoc aliis provinciis. Ostendisti quid fecisti, ostendisti quid celes. Teneo tuum mendacium, teneo falsitatem. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus salva appellatione recognovi.

164. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Prosecutione sua, vir venerabilis, si dignatur sanctitas tua diligenter advertere, non adversum te aliquid se mandasse, sed ea quæ ad te non pertineant propria prosecutione signavit. Illud tantum evidenter confessus est, collationem se omnibus modis postulasse, et hanc fuisse concessam. Unde illius mandati, ne excedere videamur imperialis præcepti formam, mentionem fieri video non debere. Quapropter ad ea quæ quæsivit, sanctitas vestra respondere dignetur, utrum traditionis crimen, quod archivis publicis poterit monstrari, agi in judicio velitis, an Ecclesiæ et fidei tantum causam cupiatis inquiri.

165. *Petilianus Episcopus dixit.* Urbane nobis illuditur, ut cum ipsi sint petitores, semperque nostram pacem inquietaverint atque turbaverint, nos loco petitorum constituamur, cum pacis et Ecclesiæ Dei possessores semper fuerimus ac simus. Peto igitur nobilitatem tuam ut hunc ordinem serves. Ostendant quid egerint, ibi invenies petitores. *Et alia manu.* Petilianus episcopus salva appellatione recognovi.

166. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Si sanctitas tua permitteret, vel permisisset gesta recitari, jam olim qui petitoris loco adsisteret, potuisset ostendi. Unde vel nunc antiquiora, ut interfatus sum, gesta recitentur. *Petilianus Episcopus dixit.* Ordinem serva gestorum. *Et alia manu.* Petilianus episcopus prosecutionem meam appellatione incolumi recognovi.

167. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Eorum gestorum quæ a partibus offeruntur, id est proconsularium et illustrissimæ sedis, tempora recitentur.

168. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Offerimus chartas antiquiores nostris definitionibus profuturas. *Et alia manu.* Recognovi. *Montanus episcopus dixit.* Si jubes, de codice lego. *Et alia manu.* Montanus episcopus prosecutionem meam appellatione incolumi recognovi.

169. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Sicut statui, ab officio recitetur. *Navigius adjutor numerorum recitavit.* Post consulatum D. N. Theodosii Augusti (1), idibus Septembris Carthagine. *Et cum recitaret,*

(1) Legendum *D. N. Theodosio PP. Augusto et Rumorido v. c. coss.*, *ut infra*, annus est 405.

Digitized by Google

307 170. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Antiquiora proferimus. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Interim ista quæ antiquiora sunt gesta in sede illustrium habita potestatum, patimini relegantur. *Navigius adjutor numerorum recitavit.* D. N. Arcadio Augusto VI et Probo viro clarissimo consulibus (*An.* 406). *Et cum recitaret,*

171. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et Notarius dixit.* Quæ priora sunt, ab officio suggerantur.

172. *Rufinianus scriba viri clarissimi curatoris dixit.* Ea sunt priora quæ in codice oblato (*a Donatistis*) continentur.

173. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ecce antiquiora proferimus. *Et alia manu.* Recognovi. *Rufinianus scriba viri clarissimi curatoris dixit.* Siquidem, sicut suggessimus, consulatum contineant Theodosii Augusti et Rumoridi viri clarissimi, alia vero consulatum contineant D. N. Arcadii VI et Probi viri clarissimi.

174. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ea quæ antiquiora sunt recitentur. *Navigius adjutor numerorum officii viri clarissimi et spectabilis viçarii recitavit.* Æquitatem tuam petimus, Septimine vir clarissime, proconsulum summe sublimis. Multa contra divinas, humanasque leges ab hæreticis de parte Donati Ecclesia catholica sustinet, quæ si vel anterioribus vel recentioribus imperialibus jussis prohibenda et tollenda postulanda vellemus, nequaquam audere deberent de nostris actionibus conqueri, scientes se, cum nulla tali lege adjuvarentur, schismaticos tamen suos Maximianistas per judicum jussa locis ac sedibus eorum pellendos exturbandosque curasse. Verumtamen nos saluti eorum et nostræ existimationi pacifice consulentes, propter charitatem qua Christiani sumus, leniter eos volumus admonere, ut errorem suum cogitando et agnoscendo non negligant; aut si putant se habere aliquid veritatis, non eam furiosis Circumcellionum violentiis contra publicam quietem, sed tranquilla rationis redditione defendant. Unde petimus sublimitatem tuam ut cum eos de hac re per magistratus sive in civitatibus, sive in pertinentibus territoriis admonere voluerimus, copiam nobis præberi gestorum, et eos ex allegatione nostra honeste convenire præcipias: quod consecuti, agamus excellentiæ tuæ apud Deum uberes gratias. Data ab universis episcopis catholicis ex concilio Carthaginensi (*Anni* 403), D. N. Theodosio Augusto et Rumorido viro clarissimo consulibus, idibus Septembris Carthagine. *Septiminus vir clarissimus proconsul dixit.* In quolibet loco antistitibus legis venerabilis ob quietem imperii gestorum conficiendorum tribuitur facultas; hoc etiam tenore hujus præceptionis limitato, ut intelligant se deviæ plebis magistris salubriter petentibus propriæ persuasionis ratiocinia persolvere, ut rebus in medio prolatis, amica legis moderatio servetur, superstitione supplosa. *Quo recitato,*

175. *Petilianus episcopus dixit.* Petitor est qui petit, an quid vocabitur? *Et alia manu.* Petilianus episcopus prosecutionem meam appellatione incolumi recognovi.

176. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Hæc postulavimus, sed præcedentibus vestris criminationibus et accusationibus. Nam proferimus antiquissima gesta, quibus vestri majores tunc in tempore ad Anulinum venerunt proconsulem, et illi chartas in quibus dicerent majorum nostrorum crimina esse conscripta obtulerunt, et rogaverunt ut easdem ad Constantinum imperatorem misisset. Has offerimus, et petimus nobilitatem tuam ut eas suscipi ab officio et ex ordine recitari præcipias. *Et alia manu.* Recognovi.

177. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Libellus datus a vobis evidenter ostendit schismatis et hæreseos crimen objectum; quod probare vos convenit.

178. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Omnia probabuntur, si ea quæ obtulimus, et suscipi et ab officio recitari præcipere fueris dignatus. *Et alia manu.* Recognovi.

179. *Marcellinus V. C. tribunus et notarius dixit.* Universa per ordinem recitentur.

180. *Emeritus episcopus dixit.* Ergo loco est petitoris. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Cum chartæ fuerint recitatæ, petitor facilius invenietur. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Licet ex his gestis petitorum loco adstare videantur, tamen melius et evidentius approbabitur cum omnia fuerint recitata.

181. *Petilianus episcopus dixit.* Si in forensem conflictum revertimur, constat eos legis divinæ fecisse jacturam. Respondeant igitur etiam atque etiam quod exegi, utrum legibus publicis agant, an legis divinæ conflictu. Eligant alterum de duobus. Utrumque enim tenere non possunt. *Et alia manu.* Petilianus episcopus salva appellatione recognovi.

182. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Hæc quæ sanctitas vestra obtulit relegenda non ambigitur, quia in judicio viri spectabilis proconsulis acta sunt, ad forensem disceptationem absque dubio pertinere. Unde, sicut interfatus sum, ut diligentius ostendatur qui loco petitoris adsistat, etiam illa patimini recitari.

183. *Petilianus episcopus dixit.* Contra ista præscribo. Si forensis est actio, hujus temporis causam audire præceptus es, vir nobilis. Si simpliciter et ecclesiastico more res geritur, acquiescam in ea quæ lege divina proferuntur, vel a me, vel a parte diversa. Si autem annosas, antiquasque chartulas cupiunt recitare, habeo pro me validas præscriptiones, recito illud tempus cujus contestatione prætermissionem interim feci. Lapsum causa incurrit, non potest rursus audiri. *Et alia manu.* Petilianus episcopus salva appellatione recognovi. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Crimina traditionis

Digitized by Google

objiciunt. *Et alia manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Hoc causæ est. *Et alia manu.* Petilianus episcopus salva appellatione recognovi. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Redde vicem, auditus es, cum prosequereris, nobis patientibus. Crimina traditionis Ecclesiæ quam tenemus objicere consueverunt. *Et alia manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Legaliter agit, an more forensi? *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Prior chartas obtulisti. *Et alia manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Redde mihi tempus. Calculetur officium de temporibus, utrum hodierna die causa dicenda sit, si ad forenses descendimus actiones. *Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi.

184. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Etiam vestra sanctitas in hac parte judicare deberet. Constat enim ex consensu utriusque partis judicium fuisse dilatum. Cur nunc superfluo temporis præscriptionem objiciendam esse creditis, cum eam constet ex consensu partium fuisse seclusam? Unde nunc ea quæ ad causam pertinent, peragi debere manifestum est.

308 185. *Petilianus episcopus dixit.* Quia ipsi se ad forensia contulerunt, ideo forensia postulavi. Respondeatur mihi ad ea quæ postulo. Forensi more agit, an ecclesiastico? *Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi.

186. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Respondeatur objectis. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Si patiantur, Ecclesiæ quam tenemus (sicut omnes noverunt, quorum solent animos suis sollicitare criminationibus, et etiam sui mandati tenore declararunt); Ecclesiæ, inquam, quam tenemus, crimina solent traditionis objicere. *Et alia manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus partis Donati dixit.* Proliteantur ad quæsita. Professionem petivimus, non conflictum. *Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi.

187. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Si horum criminum jacturam faciunt, de chartis publicis nihil proferimus. Si autem in eadem criminatione persistunt, chartis publicis docemus hanc causam olim esse finitam, nec tamen eos ab hujusmodi objiciendis criminibus cessavisse. Unde nunc collationem istam poposcimus, non ut illam causam traditionis quam Cæciliano et ejus collegis objiciebant, suscipiamus denuo finiendam, sed demonstremus olim esse finitam, ut hoc cognoscentes populi qui nesciunt, et istorum adhuc criminationibus commoventur, tandem aliquando cognoscant in qua Ecclesia christianæ salutis viam requirant. Si ergo de Ecclesia quæritur quæ sit, quanta sit, qualis sit, sola divina testimonia ad eam demonstrandam sufficient. Si homines appellant, si hominibus crimina intendunt, quamquam Ecclesiæ causa ab hominum causa distinguenda est, nec in hominibus spes ponenda est Ecclesiæ, si boni sunt, neque si mali sunt, judicanda est Ecclesia Dei perisse: sed tamen etiam ipsorum causam tamquam fratrum nostrorum suscipimus, et si nobis ostendi potuerint criminosi, hodie illos anathemamus; non tamen propter illos Ecclesiam a Deo promissam et exhibitam deserimus aut relinquimus. Ipsi ergo eligant quod volunt. Non objiciant crimina hominibus, et chartæ cessabunt. Sola divina loquetur auctoritas; sola Dei Scriptura, cui utrique subdimur, in medium proferetur. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Quid refertur his?

188. *Emeritus episcopus partis Donati dixit.* Prolixæ orationi respondere non possum. Tamen summatim, ut valeo, quæ superflue in judicium missa sunt ventilabo, cum optationes a nostris partibus propositas ne vel relectione confundant, ut neque velint esse petitores, neque se dicant responsores adstare, intulerintque nostris partibus prosecutionem, ut si forensis regulæ ordinem tenent, conditionalis diei non omittam internis sensibus notionem; si autem legalibus magis cupiunt in judicio conluctari, divinis Scripturis nos eis necesse est respondere. Primum est autem quod in judicio flagitamus, ut quoniam de mandatorum suorum allegatione in judicio vacillant, quippe cum unum legentes, aliud negent, dicantque tamen se legatos ad imperiales aures destinasse antea, secutumque est identidem, ut ex responsione gestorum dilucide claruisset, utrum nos inquietatores essemus, an inquietati ad judicium veniremus, his tot propositionibus respondere nolentes, ad alia se nescio qua argumentatione dejiciunt, quæso, vir nobilis, constituant gradum, dicant se quo ordine quave actione in judicio consistant. Nos enim, qui adducti sumus ad disceptationem, petitoris loco adstare non possumus. Ipsos necesse est proponere, ut eorum propositionibus pars nostra valeat respondere. *Et alia manu.* Emeritus episcopus salva appellatione recognovi.

189. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Si petitoris loco adsistunt qui crimina objecta defendunt, tuæ nobilitatis est pronuntiare. *Et alia manu.* Recognovi.

190. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Etiam prosecutione viri venerabilis Petiliani id constat fuisse signatum, ut utrum pars catholica, quod nomen sine præjudicio dicere me multis interlocutionibus patefeci, jure publico agi vellet, an certe divinis testimoniis, evidenter ostenderet. Sed denuo ad quæsita responsum est, ita ut evidentissime monstraretur, si crimina non objicerentur, a documentis publicis discedendum, quæ probari non posse aliter nisi publicorum certum est attestatione gestorum: sin vero causa Ecclesiæ tractaretur, legalia tantum testimonia proferrentur. De quibus quid placeat, evidentius designetur.

191. *Petilianus episcopus dixit.* Duo sunt quæ præter cætera a diei hujus principio cœpimus ventilare. Unum, ut ipsi legissent quid imperatori clementissimo suggesserint; aliud, utrum disceptationem

Digitized by Google

legis divinæ tenere cupiant, an publicas leges. De utroque nihil mihi aperte responsum est. *Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi.

192. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ad omnia esse responsum superiora testantur gesta. *Et alia manu.* Recognovi.

193. *Petilianus episcopus dixit.* Pervidet igitur sublimitas tua sensim nos ad causæ interna deduci: pervidet illa tua præstantia atque vivacitas sensus, magis mihi interlocutionibus nobilitatis tuæ quam responsionibus adversariorum fuisse responsum. Igitur evidentius aliquid decernatur, evidentius constet, noverim quid debeam respondere. Mihi enim, sicut tua meminit nobilitas, idem a partibus meis mandatum est, ut objectis respondeam, non ut objiciam aliquid. Non enim loco petitoris adsisto, sed responsuri. Qui sæpius apud imperatoris aures et coram omni populo sane apud se constituto, in crimen nos invidiamque deducunt, ut hæreticos nominent, ut schismaticos quoque appellent, hoc dicant, hoc diluo, huic rei responsures sum, si modo se ad legalia convertant, ipsiusque legis quærant responsa atque judicia. Sin vero utraque miscent, evidentius designetur. Noverim genus actionis, nemo me reprehendat in publico, nemo bonæ causæ infirmum esse judicet defensorem, nemo judicet obliquum, nemo adversarium dolosum ac licentiosum, cui omnia permittuntur; ut cum de his justa atque evidentia requirantur, libeat illis delicate quomodo voluerint nebulas ac tenebras obtendere, ut veniri non possit ad cardinem veritatis. *Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi.

194. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Duo sunt quæ sanctitas tua credidit postulanda; unum, ut mandatum in quo legati delecti sunt a parte e diverso sistente relegeretur; aliud, utrum a divinis legibus recederent, evidentissime demonstrarent. *Petilianus episcopus dixit.* Respondeant breviter ad utrumque. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Uni rei, quoniam mea intererat, ipse respondi. Nec enim de his legatis poteram dubitare, de quorum legatione pronuntiaverat clementissimus imperator, ne in ejus injuriam refricari **309** aliquid videretur. Aliud vero eorum constat prosecutionibus definitum, quibus id evidenter ostensum est, velle se a publico jure sub ea conditione discedere, si de personarum criminibus taceretis. Unde quoniam hinc conflictus tantum remansisse cognoscitur, ut qui petitoris loco adsistat evidentissime demonstretur, quoniam gesta a vestra parte oblata recitata sunt, patimini denuo etiam ea quæ a diversa parte offerentur, ab officio recitari.

195. *Petilianus episcopus dixit.* Cujus gesta sunt quæ a partibus meis recitata sunt? Si absentes essent e diverso sistentes, licuit tibi, vir nobilis, absentum partes judiciario animo defensare. Nunc præsentes sunt. Ipsi mihi respondeant, ipsi edicant, ipsi ad utraque quæ proposui, respondere non differant. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Nec respondere nos permittis. *Petilianus episcopus dixit.* Tuum est pronuntiare quid audias; illorum est agere causam qui adversus me loco petitoris. *Et cum diceret* (*Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi),

196. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Hoc pronuntiavit, ut ex gestorum lectione hæc omnia possint diligenter agnosci. *Petilianus episcopus dixit.* Ipsi dicant, ipsi profiteantur. *Et alia manu.* Petilianus episcopus incolumi appellatione recognovi.

197. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Jam diximus unde agamus potius, id est, utrum publicis documentis an divinis testimoniis. In vestra est positum potestate. Si enim a criminibus hominum cessatis, et nos cessabimus a publicis documentis, et solam Ecclesiæ causam divinis testimoniis asseremus. Si autem ab hominum criminibus non desistitis, necesse est nos et a vobis publica documenta flagitare, et contra vos publica documenta proferre. Hoc autem cum cognitori insinuaremus, quia illi de corde non est excussum multiplicibus et superfluis prosecutionibus vestris, ideo vobis jam a nobis hæc acta esse ipse respondebat, non partes nostras agens, sed suas, cui jam insinuavimus ejusque cordi penitus infiximus quid dicamus. *Et alia manu.* Recognovi.

198. *Adeodatus episcopus dixit.* Quo ordine agere debeamus in nostra non est positum potestate, cum ipsum venire in nostra potestate non fuerit. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus salva appellatione recognovi.

199. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ergo ad interrogata respondete. Receditis a criminibus traditionis? Respondeant ad breve interrogatum nostrum. Facitis jacturam criminum quæ soletis objicere Cæciliano et collegis ejus, an in eadem criminatione persistitis? *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ad quæsita respondete.

200. *Emeritus episcopus dixit.* Breve suum dicit esse postulatum, breve nostrum debet esse responsum. Omnis actio duas solet suscipere personas, petitoris et e diverso respondentis. Cum hæc causa suum ordinem teneat, conflictumque desideret, quid est quod ante principia negotii, quasi quædam mihi electio ex adversa parte proponitur, ut dicam, utrum criminibus intentatis Cæciliani refrager, atque ab iisdem quæ objeceram sileam, an objecta in judicio valeam confirmare? Memento judicum summe, sicut adsoles, qui sit ordo dicendi. Nemo enim adversum se adstanti dicit: Elige tibi utrum me accusas necne. Nemo dicit: Intentaturus es crimen, an nihil mihi in judicio oblaturus es, et intentionibus

Digitized by Google

tuis mutum quoddam silentium imponens, inanis ac sine ratione de tam longinquis regionibus venisse dicaris, cum ad hoc ego adsistam, ut si me ipse dixerit illa dixisse quæ graviter ferre aut imperialibus auribus, aut in suo mandato subscripsit, tum demum eligam atque respondeam, utrum velim intentionibus ejusdem secundum prosecutionis suæ tenorem legum confirmatione robustus accedere, an me ab hac actione removere. Videt præstantia tua me respondere non posse, cum incertum dixerit, cum nihil tale proposuerit cui debeam revocare responsum. Dico enim eum utrum petitor an responsor stet. Ille mihi dicit : Si Cæciliani causam intermiseris, tunc petitor sum; si autem non prætermiseris, necesse est me respondere ad ea quæ videntur objecta. Si times Cæciliani causam, metuisque tibi aliquid objectum, tu proponere, tu instituere actionem in judicio debebis. Adtrahe me et in publicum colloca. Dic me aliquod tibi crimen quod ad aures imperatorias detulisti, per publicam conscientiam commendasse. Cum ego autem de te magis expetam quid audieris, quid me dixisse, quid me insinuasse judiciis intimes, cur metuis, cur vereris actionem istam in judicio firmare? Nimirum illud attendis, ne petitoris suscipiens personam, eaque in judicium mittis, aut accepta, aut dicta, aut ab aliquo promulgata docere in judicio compellaris. Attende, vir nobilis, in quo statu sit ista causa, cum ego, qui pulsor, petitionem illorum promi in judicium petam, eosque qua possum postulatione deprecor semper ne moratoriis ad negotii cardinem venire minime permittamur. Non ergo ex nostra parte est quod adhuc usque nihil de negotio gestum est, cum si personam suam judiciis adstruere voluissent, necesse nos erat objectis illico respondere. *Et alia manu.* Emeritus episcopus salva appellatione recognovi.

201. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* O breve responsum! Quam multum dicitur, ubi inveniri non potest quid dicatur! Breviter respondi ego postulationibus tuis. Voluisti ex me scire, utrum legalibus testimoniis divinis agam, an publicis gestis. Respondi : Si recedis a criminibus quæ non possunt nisi gestis publicis declarari, recedo a publicis gestis, et solis divinis testimoniis asseram causam Ecclesiæ quam defendo. Si autem tu ab illis criminationibus non vis recedere, nec ego recedam ab eis documentis quibus te ostendam falsa crimina vel nobis vel ipsi Ecclesiæ quam retinemus objicere. *Et alia manu.* Recognovi.

202. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ad hæc plene constat esse responsum. Quæ autem pars loco petitoris adsistat sciri omnino non poterit, nisi ex recitatione gestorum; quæ, ut statui, quoniam a parte vestra quæ oblata sunt, constat esse recitata, tandem aliquando perlegantur.

203. *Petilianus episcopus dixit.* Nemo duo eligit de duobus. Cum ergo proposuerim ut alterum elegisset, ille sibi ambo evidentius vindicavit. Non timeo, non recuso, si hoc potest esse retinendum. Serva mihi primitus tempora legum, statuatur dies. Respondeat officium de die causæ cognoscatur lapsus fuisse. Hinc judica, hinc debes ferre sententiam. Siquidem contra me sententiam ferres, si forte defuissem. *Et alia manu.* Petilianus episcopus salva appellatione recognovi.

204. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Si die decimo quinto venerunt, ut ad quartumdecimum occurrerent, quare octavo kalendas constiterunt? *Et alia manu.* Recognovi.

205. *Petilianus episcopus dixit.* Non inquietasti, scivi **310** te lapsum, superflue ingressus sum judicium, qui intrare non debui post diem lapsi negotii. *Et alia manu.* Petilianus episcopus, appellatione incolumi recognovi.

206. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quare ad kalendas se promisit adfuturum esse Primianus? *Et alia manu.* Recognovi. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Hoc jube recitari. Quamvis ista transacta sint, quamvis ad illusionem populorum has nebulas injiciat pars diversa, tamen etiam hoc petimus, præcipias recitari, ut sic saltem cognoscant, quam impudenter hæc iterum repetant quæ jam ante transmissa sunt. *Et alia manu.* Recognovi.

207. *Petilianus episcopus dixit.* Dum non vis designare alterum de duobus, ambo tenens, facis me eadem repetere. *Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi.

208. *Fortunatius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Sciunt se in causa Ecclesiæ nihil habere. Ideo moratoriis agunt. Quapropter quoniam illa jam transacta sunt, ut cognoscatur qui sit petitor, jube antiqua gesta recitari. *Et alia manu.* Recognovi.

209. *Petilianus episcopus dixit.* Si legibus publicis uti vis, præscribo ne legas. *Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi,

210. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Contra consensus proprios quod legibus inhibetur, venire desideras. Ex consensu enim partium constat primum dilatum fuisse judicium, ut alio die, vel tertio, vel certe post editionem gestorum, negotium tractaretur. Unde, ut quis loco petitoris adsistat diligentius declaretur, gesta recitentur.

211. *Petilianus episcopus dixit.* Servarem consensum, si et ipsi servarent. *Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi.

212. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Recitentur gesta. *Adeodatus episcopus dixit.* Contra hæc serva quæ competunt. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus appellatione incolumi recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ea quæ rationi et æquitati competere potuerint, salva erunt.

213. *Adeodatus episcopus dixit.* Si enim consensus servandus est, et retinendi sumus ad consensum nostrum, debent etiam nobis ipsi fidem sui consensus, qui se legibus divinis acturos esse promiserunt.

Digitized by Google

Et alia manu. Adeodatus episcopus appellatione incolumi recognovi.

214. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Sed causam Ecclesiæ, non causam Cæciliani et collegarum ejus, quibus crimina intenditis. Ecce pollicemur, et totiens pollicemur quotiens exactum fuerit a nobis, et cum non exigitur, offerimus, Ecclesiæ causam non nisi divinis testimoniis firmamus, docemus, ostendimus; Cæciliani autem et quorumlibet hominum non nisi his documentis quibus solent ista vel demonstrari, vel purgari. *Et alia manu.* Recognovi.

215. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ista frequentius dicta sunt. Unde quoniam constat primitus petitoris personam debere disquiri, gesta recitentur. *Martialis exceptor recitavit.* Incipit relatio Anolini proconsulis, ubi ostendit Donatistas Cæciliani causam ad imperatorem Constantinum detulisse. *Et cum recitaret,*

216. *Montanus episcopus dixit.* Ut quid iste titulus legitur? *Et alia manu.* Montanus episcopus salva appellatione recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Neuter titulus actis inseretur. *Martialis exceptor recitavit.* Augustis nostris Anolinus vir clarissimus proconsul Africæ. Scripta cœlestia Majestatis vestræ accepta atque adorata Cæciliano et his qui sub eodem agunt, quique clerici appellantur, devotio mea apud acta parvitatis meæ insinuare curavit. *Et cum recitaret,*

217. *Petilianus episcopus dixit.* Unde hoc profert, ex publico scrinio, an de suo? *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

218. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Legat, et tunc de nobis exigat hujus lectionis firmitatem. *Et alia manu.* Recognovi.

219. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit:* Ante lectionem unde proferas evidenter ostende.

220. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Si inde dubitant, archiva proconsulis requirantur. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Quoniam in archivis publicis ea quæ recitantur inesse dixisti, sicut cœperat officium, omnia relegere debebit. *Martialis exceptor. ex superioribus gestis recitavit.* Eosdemque hortata est, ut unitate consensu omnium facta [cum omni omnino] munere [indulgentia] Majestatis vestræ liberati esse videantur, Catholica custodita, sanctitati legis debita reverentia, ac divinis rebus inserviant. Verum post paucos dies exstiterunt quidam, adunata secum populi multitudine, qui Cæciliano contradicendum putarent, quique fasciculum in aluta signatum, et libellum sine signo obtulerunt dicationi meæ, atque impendio postularunt ut ad sacrum ac venerabilem comitatum numinis vestri dirigerem, quæ manente Cæciliano in statu suo, subjectis eorumdem actis, quo cuncta Majestas vestra possit dignoscere, parvitas mea dirigere curavit. Transmisi libellos duos, unum in aluta signatum ita : *Libellus Ecclesiæ catholicæ criminum Cæciliani traditus a parte Majorini.* Item alium sine sigillo cohærentem eidem alutæ. Datum die decimo septimo kalendarum Maiarum Carthagine, D. N. Constantino Augusto III consule. *Quo recitato,*

221. *Petilianus episcopus dixit.* Quis est iste qui agit? Cæciliani filius est, an non? *Et alia manu.* Petilianus episcopus salva appellatione recognovi.

222. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ne vobis dicatis patrem in terra, simul audivimus, simul legimus, simul populis prædicamus. Quid de me quæris utrum sim filius Cæciliani? Cæcilianus, si innocens fuit, gaudeat de sua innocentia, me congaudente, non in ejus innocentia me spem meam ponente. Si autem nocens fuit, quod fortasse discussa causa vel sic, vel aliter declarabit, sustinuit eum Ecclesia quam teneo, ut a similitudinibus dominicis non recedam, sicut paleam in area, sicut in eisdem pascuis hædos, sicut in eisdem retibus pisces malos; non tamen propter malos nos aut aream dominicam deserere debemus, aut retia dominica nefaria animositate dissensionis abrumpere, et in mare ante tempus littoris prosilire. *Et alia manu.* Recognovi.

223. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Sic ut statutum est omnia relegantur. *Emeritus episcopus dixit.* Jube nos prosequi. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi. *Marcellinus V. C. tribunus et notarius dixit.* Agite. *Emeritus episcopus dixit.* Recitata scriptura quam pars adversa protulit. *Et cum diceret* (*Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi),

224. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quis possit esse petitor, his gestis poterit inveniri. *Et alia manu.* Recognovi.

311 225. *Emeritus episcopus dixit.* Recitata scriptura quam pars adversa protulit, consors meus justa prosecutione signavit nomen sibi imponere debere eum qui causam defendit in judicio Cæciliani. Sed arctatus his nodis veniens e diverso, quasi quodam lubrico fugere atque elabi conatur; duas in judiciis inferens personas et geminas actiones. Dicit enim. Si Cæciliani persona pro objectis criminibus poterit destrui, Ecclesiæ, inquit, nihil oberit, cum unius hominis persona destructa adstare videatur in fide. Quid ergo opus est, vir sublimis, Cæciliani causam in medium mittere, si nihil obest his, si nihil adversus eos facit; aut cur in judicio defenditur vel accusatur? Cum enim dicat neque sibi obesse ejusdem reatum, neque posse aliquam nebulam vel maculam Ecclesiæ innectere, vides ergo superflue Cæciliani nomen in judicium missum, cum hac quasi peremptoria præscriptione excusatus esse videatur, ut si reus sit, ab Ecclesia videatur extraneus; si innocens, quasi objectis criminibus purgatus atque liberatus, bene in Ecclesia sua stetisse videatur. Judica, vir sublimis, unum eos tenere debere; si Cæciliani causam defendunt, superbire se et prosequi ea quæ in judicio adversus Cæcilianum de veritate promuntur. Si autem dicunt obesse sibi omnino non posse quid fecerit Cæcilianus, quid opus est Cæciliani causam in medium mittere, cum eis obesse non possit si fuerit in judicio reus manifestissimus deprehensus. *Et alia*

Digitized by Google

manu. Emeritus episcopus salva appellatione recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Doceatur a parte diversa quod quæritur.

226. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Cæciliani causam vel collegarum ejus solent ipsi Ecclesiæ catholicæ objicere, vel ut sine controversia loquar, ipsi Ecclesiæ quam tenemus. Proinde, ut video, magnum volunt adferre compendium. Si hanc causam non objiciunt Ecclesiæ quam tenemus, dicant quid ei objiciant. Si enim nihil, quare separamur? Si aliquid præter causam Cæciliani, id ipsum offerant, id ostendant. *Et alia manu.* Recognovi.

227. *Petilianus episcopus dixit.* Tu quis es? Filius es Cæciliani, an non? Tenet te crimen Cæciliani, an non, si fuerit? *Et cum diceret* (*Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi),

228. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ego in Ecclesia sum in qua Cæcilianus fuit. *Et alia manu.* Recognovi.

229. *Petilianus episcopus dixit.* Unde cœpisti? Quem habes patrem? Alioquin si patrem tuum damnaveris, hæreticum te esse profiteris, qui nec originem vis habere, nec patrem. *Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi.

230. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* In Ecclesia sumus, in qua Cæcilianus episcopatum gessit et diem obiit. Ejus nomen ad altare recitamus, ejus memoriæ communicamus, tanquam memoriæ fratris, non tanquam patris aut matris. Quæris autem a me unde communio mea sumat exordium. Dominus ipse Christus asserit exordium communionis meæ dicens: *Oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertio die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem.* Cœpit ista prædicatio ab Hierusalem, inde se ab illustrissimo exordio diffudit, diffundens Ecclesiam quam tenemus; primo per vicina, deinde per longinqua, etiam in Africam venit. In hanc oculos aperimus, hanc in divinis eloquiis et testimoniis sicut ipsum Dominum Christum et redemptorem nostrum comperimus. Ab illo Deo patre, ab hac Ecclesia matre, nullius me hominis crimina, nullius calumniæ separabunt. *Et alia manu.* Recognovi.

231. *Petilianus episcopus dixit.* Cæcilianus tibi pater aut mater est, ut dixisti? *Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi.

232. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Jam audisti quia frater erat. *Et alia manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Frater non est qui generat filios. *Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi.

233. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Nec patrem nec matrem sibi esse Cæcilianum apertissima prosecutione signavit. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Cæcilianus non est pater meus. Si bonus est, frater meus est bonus; si malus est, frater est malus. Tamen propter sacramenta frater est, sive bonus, sive malus. *Et alia manu.* Recognovi, *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ut nec patrem suum nec matrem Cæcilianum fuisse diligentius demonstretur, ejusdem prosecutio superior relegatur.

234. *Petilianus episcopus dixit.* Satis illos defendit per Deum. *Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi.

235. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ecce dico, quoties voluerint dico, Cæcilianus non est pater meus, quia audio Dominum meum dicentem: *Ne vobis patrem dixeritis in terra: unus est pater vester Deus.* Dico Cæcilianum fratrem, bonum fratrem, si bonus; malum fratrem, si malus est, quoniam propter communia sacramenta frater meus est. Si autem judicium de illo meum vis audire, etiam innocentem credo, appetitum falsis criminationibus existimo, sed tamquam homo de homine existimans, non tamquam certum aliquid credens. Tu si objicis Ecclesiæ crimina Cæciliani, adsisto, defendo tamquam fratris, ostendens non pertinere ad Ecclesiam, nec ad ejus causam, nec ei præjudicare; et sic demonstro nihil te objicere Ecclesiæ catholicæ, etiamsi vera fortasse, quod nullo modo poteris demonstrare, sint crimina Cæciliani. Si autem nec ipsa vera potueris demonstrare, etiam te judice vides ubi remanseris, et quid rejecta tandem animositate erroris eligere debeas, ut nobiscum teneas veritatem; nobiscum amplectaris damnato errore charitatem. *Et alia manu.* Recognovi.

236. *Petilianus episcopus dixit.* Ipsa sunt illa ambigua quibus ab hodierni diei percurrit principio, nec tamen se alterum tenere aliquando professus est, cum utraque magno amplexu retineat, utrumque metuens dimittere vel tenere. Tandem aliquando expressius dicat, utrum patris loco habeant Cæcilianum, et quo deducta est ista progenies. Non enim potest aliqua res sine generatore suo nasci, aut sine capite incipere, aut sine radice sua crescere. Videt igitur nobilitas tua se originem non habere sæpius protestatum. Si igitur originem non habet, ipse est magis hæreticus, qui non habet patrem, qui habitum patrem judicio suo damnavit. Adstipuletur igitur, ut si criminosum patrem ejus constiterit, eum crimina teneant; si autem innocentem, necesse habeat esse filius innocentis; ita quoque e diverso necesse habeat ut sit filius criminosi, si constiterit criminosum. *Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi.

237. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Habeo caput, sed Christus est. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Diligentius demonstretur 312 utrum patrem vestrum Cæcilianum, aut matrem, sicut quæsitum est, esse dicatis. *Augustinus episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit.* Habeo caput, sed Christus est, cujus Apostolum audio. *Et cum diceret* (*Et alia manu.* Recognovi),

238. *Petilianus episcopus dixit.* Quis te ordinavit ut episcopus esses? *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi salvo appellationis effectu.

239. *Montanus episcopus dixit.* Et quid est quod

Google

dicit apostolus Paulus : *Et si decem millia pædagogorum habueritis in Christo, sed non multos patres. Per Christum enim ego vos generavi per Evangelium.*

240. *Cumque streperent, Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* De tumultu testatum sit. *Et alia manu.* Recognovi.

241. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ad quæsita responde.

242. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Habeo caput, sed Christus est, cujus Apostolum audio dicentem : *Omnia vestra, vos autem Christi, Christus vero Dei.* Nam et ubi se patrem dixit Apostolus, ne ipsius paternitatis velut basem humanam infirmitatem crederemus, addidit. *Per Evangelium ego vos genui.* Semen ergo et vena seminis mei de Evangelio ducitur. Honorificentiæ causa patres appellamus eos qui nos vel tempore, vel meritis præcesserunt. Aliud est cum quærimus ad fidem quem habeamus patrem, ad salutem æternam quem habeamus patrem, ad retinendam Ecclesiam, et percipienda Dei promissa quem habeamus patrem. Nam illud honoris est, ut quotidie senibus dicamus, *Pater.* Quotidie etiam quibusdam non nobiscum in una Ecclesia, nec in iisdem sacramentis constitutis, dicimus, *Frater.* Sodomitis etiam dixit Loth, *Fratres*, utique ad leniendam eorum animositatem, non ad cognitam fraternitatem, et quasi unius hæreditate consortium. Tollantur ergo ista, distinguamus vocabula quæ hominibus propter honorem debentur, et vocabulum quod propter salutem requirimus. Pro salute æterna, pace Apostoli dixerim, imo jubente Apostolo dixerim, non pater meus Apostolus est ad salutem æternam, qui mihi dicit : *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* De hoc Dominus dixit : *Nolite vobis dicere patrem in terra.* Utique scivit dicturum apostolum. *Per Evangelium ego vos genui.* Non enim Domino dicente : *Ne vobis dicatis patrem in terra*, contrarius futurus erat Apostolus dicens : *Etsi multos habeatis patres, per Evangelium ego vos genui.* Sed quia distinxit ad quam rem patrem nobis constituerit Dominus, et pro qua honorificentia eum apostolum possemus patrem accipere, ideo sic locutus est, ut ejus oratio non esset contraria Dominicæ veritati. Patres igitur quoscumque agnosco in terra, honorificentiæ causa agnosco. Patrem salutis meæ non teneo nisi Deum, de quo mihi Dominus dixit : *Ne vobis patrem dicatis in terra*, et qui quotidie dicimus : *Pater noster qui es in cœlis. Et alia manu.* Recognovi.

243. *Petilianus episcopus dixit.* Quis dicitur qui eum ordinavit? Dicat quis eum ordinavit. *Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ordinator ejus inquiritur. Unde quis eum ordinaverit evidentius designetur. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quem?

244. *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quid ad causam pertineat veritatis uniuscujusque episcopi ordinator, non satis agnoscimus. Testimoniis divinis pater Deus est edoctus. *Et alia manu.* Recognovi. *Petilianus episcopus dixit.* Qui vocatur qui eum ordinavit edicat. *Et alia manu.* Petilianus episcopus appellatione incolumi recognovi. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ordinavit quem? Multi adstamus, multi assertionem causæ secundum tenorem mandati suscepimus. Cujus ordinatorem quærit, aut quem quærit, exponat pars diversa, ut videamus utrum dignum sit ad hæc respondere. *Et alia manu.* Recognovi.

245. *Adeodatus episcopus dixit.* Augustinus hæc dixit. Dicat quis eum ordinavit. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus salva appellatione recognovi. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Non modo Augustini causam suscepimus defendendam, qualemcumque ipse habet. *Et cum diceret* (*Et alia manu.* Recognovi), *Adeodatus episcopus dixit.* Hoc est indicium causæ desperatæ, ut cum nos flagitemus alia, alia respondeantur; ut quoniam objectis respondere non possunt, quærant alia quibus nebulas innectant. Dicat igitur Augustinus quis eum ordinaverit. *Et alia manu.* Adeodatus episcopus salva appellatione recognovi. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Superflua quæri video. *Et cum diceret.* (*Et alia manu.* Recognovi),

246. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ad interrogata respondere dignare.

247. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Superflua quæri video a fratribus nostris e diverso sistentibus; et ad ipsa superflua non denego responsionem, dum tamen Ecclesiæ causa, cui responderi nihil potest, in fundamento tutissimo conlocetur. Ego, cujus ordinatorem requiris homo sum Christianus, fidelis, quod Deo teste loquor, Catholicus. Unde adhuc ambigimus quis dignus hoc nomine vocitetur. Ego illam Ecclesiam defendo, hanc assero qualicumque voce, in qua quidquid fuero, illa Ecclesia est. Video quo tendas, humanas calumnias consectaris; et quæ soleatis jactare et dicere, non alienum est ab auribus vel a cordibus nostris. Megalius me ordinavit primas Ecclesiæ Numidiæ catholicæ, eo tempore quo ille me potuit ordinare. Ecce respondi. Prosequere, profer quæ præparas. Ibi etiam calumniosus appareas. Ecce dixi ordinatorem meum. Profer jam calumnias tuas. *Et alia manu.* Recognovi.

248. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Accepisti prosecutionem. Unde quid competat respondere dignare, licet hæc quæ de personis aguntur, cognitionem differre non debeant.

249. *Emeritus episcopus dixit.* Si nulla est actio personarum, cur Cæciliani in judicio faciunt mentionem? Aut enim juste timent, quod eum desiderant excusare; aut si superflua actio adversus Cæcilianum intenta liberat mores, vitam purgat, hoc ipsum debent legalibus testimoniis approbare. Dicimus etenim multis legalibus documentis, sacerdotum vitia, ac probrosos mores, et nefariam conversationem, maculam aut rugam Ecclesiæ semper inferre. Unde

Digitized by Google

enim est quod Apostolus ait : *Non habentem maculam neque rugam.* Et iterum : *Oportet episcopum irreprehensibilem esse?* Multis etiam documentis lex divina diffunditur, quibus immaculata vita pastoris debeat cœlestibus testimoniis approbari. Sed ne per longitudinem prosecutionis audientiæ fastidium faciam, aut forte præteream quæ competunt causæ, quoniam habemus in manibus divinorum sacramentorum collectam undique uniformitatem, idipsum potestas tua adversum eorum mandatum, quod legaliter se scripsisse dixerunt, jubeat recitari, ut post **313** adsertionem nostræ prosecutionis lectionemque libelli, sive litterarum quas in judicio petimus recensendas; universa quæ nostris partibus competunt, specialiter peragamus. *Et alia manu.* Emeritus episcopus salva appellatione recognovi.

250. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Constare quidem primitus volueram, ut quis loco petitoris adstaret, ex recitatione gestorum evidentissime monstraretur. Sed si vultis ab hac me parte discedere, evidenter ostendite ut ea quæ offertis, debeant recitari.

251. *Montanus episcopus dixit.* Interim jube recitari, et respondebimus. *Et alia manu.* Montanus episcopus salva appellatione prosecutionem meam recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Recitentur. *Romulus exceptor recitavit.* Flavio Marcellino viro clarissimo spectabili tribuno et notario Januarianus et cæteri episcopi veritatis catholicæ, quæ persecutionem patitur, non quæ facit. Quia apud acta nobilitatis tuæ fratribus collegisque nostris defensionem mandavimus. *Et cum recitaret;*

252. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Quantum ex istius epistolæ quæ profertur principiis demonstratur, denuo aliud video processisse mandatum, cum post confirmationem personarum, ea omnia quæ partibus competunt vestro nomine debuerint judiciis intimari, quoniam ab illis post mandatum semel factum, constat transisse negotium.

253. *Emeritus episcopus dixit.* In mandato suo legalia quæque se posuisse dixerunt. Hæc eadem legalia nos scripturis legalibus convincimus. Nihil absque mandato est. Imo ut audientiam præstantia tua præbeat, hoc rogamus. *Et alia manu.* Emeritus episcopus salva appellatione recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Non hæc proferri prohibui; sed rectius erat ut vestro nomine qui adsistitis, proferrentur. *Emeritus episcopus dixit.* Cum actio nobis competat, scriptura mandati nihil interest, utrum ex nostra persona an ex eorum qui mandaverunt [proferatur] dummodo hoc ipsum jubeas recitari. *Et alia manu.* Emeritus episcopus salva appellatione recognovi.

254. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Recitentur. Ego enim, ne quod juris esset omitterem, id videor interfatus. *Romulus exceptor recitavit.* Magnum justi cognitoris indicium est, A quod uni parti concesserit. *Et cum recitaret,*

255. *Emeritus episcopus dixit.* Non legit, non distinguit sensus. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

256. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ipsi legant. Concedamus eis quod ipsi nobis concedere noluerunt. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ecclesiastici notarii ea relegant, ut apertius designetur, quæ a venerabilibus viris constat oblata. *Possidius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Scriptum sit ipsos petisse, ut a suis notariis gesta quæ proferunt recitentur. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Nihil interest a quo relegantur. *Petilianus episcopus dixit.* Non de fide dubitatur officii, sed B de pronuntiatione. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

257. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Superflua est ista causatio. Unde, ut diligentius omnia cognoscantur, ab ecclesiasticis notariis quod oblatum est recitetur. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Legatur concedentibus nobis, quod ipsi nobis concedere noluerunt. *Habetdeus episcopus dixit.* Ego lego. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Lege.

258. *Habetdeus episcopus dixit.* Flavio Marcellino viro clarissimo et spectabili tribuno et notario, Januarianus et cæteri episcopi veritatis catholicæ, quæ persecutionem patitur, non quæ facit. Quia apud acta nobilitatis tuæ fratribus collegisque nostris de- C fensionem mandavimus, magnum justi cognitoris indicium est, quod uni parti concesserit, alteri non negare, ne uni parti favere, alteram premere videatur. Quod te pro tua prudentia et longe prospicere, et longius condecet præcavere, maxime cum populos edictis invites de audientiæ tuæ libramine judicare. Adversarii igitur traditores persecutoresque nostri cum elucubratum volumen sui mandati, diuque conceptum et expositum actis ingererent, sine præjudicio equidem nostro libenter audisti. Quod ut huic epistolæ nostræ concedas, impendio postulamus. Non quo illorum prava perversaque doctrina nos terreat, sed ne labor sit defensoribus nostris, contra librum illorum prolixum, et contra prosecutiones eorum confligere, cum nec dies totus causæ D sufficiat, nec vox aut latera defensioni, ut liber cum libro, et defensio cum defensione concertet. Quare igitur hanc epistolam nostram petimus accipi atque inseri jubeas, tunc deinde causam audire digneris. Adversarii enim nostri decursis testimoniis quibus Ecclesia cum laude sui ubique diffunditur, id prius mandant suis defensoribus peragendum, ut contra nos, qui Ecclesiæ defendimus puritatem, isto modo agant, ut eamdem Ecclesiam habituram in se permixtos simul bonos et malos usque in finem sæculi, dicant esse prædictam. Cujus rei causam nos magis ostendimus Ecclesiam Domini in scripturis divinis sanctam et immaculatam fore ubique nuntiatam. Per Esaiam : *Exsurge Sion, indue fortitudinem tuam Hieru-*

Digitized by Google

salem, civitas sancta, non adjiciet transire per te incircumcisus et immundus (*Isa.* LII). Et iterum : *Dic filiæ Sion : Ecce tibi Salvator adveniet, habens mercedem et opus ante faciem suam, et vocabit illum populum sanctum redemptum a Domino. Tu autem vocaberis desiderata civitas, et non derelicta* (*Isa.* LXII). Et iterum : *Confortamini manus dissolutæ, et genua debilia confortamini. Qui estis pusillanimes, nolite timere. Dominus noster judicium retribuet, et ipse veniet, et salvos faciet nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum audient, plana erit lingua mutorum, et claudus saliet sicut cervus : quoniam rupta est in deserto aqua, et fons in terra sitienti* (*Isa.* XXXV). Et adjecit : *Illic via munda et sancta vocabitur : et non transibit illic immundus, neque erit illic via immunda. Etiam illic non erit leo, neque ex bestiis malis ascendet in illa, neque invenientur in illa, sed ambulabunt illic redempti et electi. De qua in Canticis Canticorum ex persona Domini scriptum est : Tota speciosa es, soror mea, et reprehensio non est in te* (*Cant.* IV). Quod Paulus apostolus apertissime demonstravit dicens : *Christus dilexit Ecclesiam, et semetipsum tradidit propter eam, ut eam sanctificaret, purgans eam lavacro aquæ in verbo, et adjungens sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam neque rugam, aut aliquid ejusmodi, sed sanctam et immaculatam* (*Ephes.* V). Et iterum : *Desponsavi enim vos uni viro virgi em sanctam assignare Christo* (II *Cor.* XI). Iiis ergo tot et tantis documentis de Ecclesiæ puritate, quæ per spiritum promittebatur, spretis atque contemptis, malos in illa inter bonos esse mansuros, per zizaniorum similitudinem incompetenter affirmant, cum ipsam similitudinem Dominus interpretatus sit Apostolis suis dicens : *Qui seminat bonum semen, filius est hominis. Ager autem est hic mundus, bonum autem semen ii sunt filii regni, zizania autem filii sunt maligni, inimicus autem qui seminat ea* **314** *diabolus est ; messis autem consummatio sæculi, messores autem angeli sunt* (*Matth.* XIII). Et cætera. *Ager*, inquit, *est mundus.* Non ergo Ecclesia, sed mundus, in quo boni simul et mali usque [ad] messem, id est, usque ad divinum judicium reservantur. Quia nec potest a Domino interpretata imo corrumpere. Quoniam si apostoli, ipsius Domini comites, in Ecclesia zizania, id est filios diaboli pullulantes, in sanctorum communione dimittendos esse didicissent, numquam Simonem, Erastum, Filetum, Alexandrum, Deman, Hermogenem, cæterosque consimiles, Ecclesiæ liminibus ejecissent. Imo, si ita esset, vacaret totum præconium scripturarum divinarum, quo jubentur polluti e medio sanctorum sacerdotum diligentia separari, dicente Domino per Moysem : *Legitimum*, inquit, *æternum in progenies vestras, dividere inter sanctos et profanos, inter mundos et immundos* (*Levit.* X). Quod alibi neglectum in persona sacerdotum Spiritus increpat, dicens : *Sacerdotes ejus repulerunt legem meam, profanabant sancta mea, inter mundum et immundum non dividebant, et inter sanctum et pollutum non separabant* (*Ezech.* XXII). Ad hanc parabolam illud quoque adversarii subjungunt, paleas cum frumentis debere simul in Ecclesia permanere. Quod Hieremias repercutit, dicens : *Quid paleis ad frumentum?* Et Paulus apostolus : *Quæ participatio est fidei cum infideli, aut quæ communio luci ad tenebras* (I *Cor.* VI)? Et Salomon : *Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator justo* (*Eccli.* XIII). Pisces etiam bonos et malos uno reticulo usque ad littus, id est, justos et injustos usque in finem sæculi simul contineri et protrahi confirmant, non intuentes hoc de reis latentibus dictum, quoniam reticulum in mari positum quid habeat a piscatoribus, id est, a sacerdotibus, ignoratur, donec extractum ad littus ad purgationem boni seu mali prodantur. Ita et latentes et in Ecclesia constituti, et a sacerdotibus ignorati, in divino judicio prodíti, tamquam pisces mali, a sanctorum consortio separantur, sicut Dominus in Evangelio de latenti reo qui per obreptionem sacerdotes fefellerat, per figuram loquitur, dicens : *Intrans*, inquit, *rex videre recumbentes, vidit illic hominem non habentem vestimentum nuptiale, et ait illi : Amice, quomodo huc venisti? Ille autem obmutuit, et dixit rex ministris suis : Auferte illum pedibus et manibus, et mittite illum in tenebras exteriores : illic erit ploratio et stridor dentium* (*Matth.* XII). Secundum hanc igitur rationem, frustra dixerunt bonos propter malos sacrilega separatione non deseri, sed malos propter bonos pia unitate tolerari, cum propter hanc profanam permixtionem commoveri et sejunctionem maximam provocare alio loco Dominus indignatus ostendat. *Pro eo*, inquit, *quod facta est mihi omnis domus Israel permixtio, omnes æramentum, argentum, ferrum, stannum et plumbum, in medio camini ardentis permixtum, propterea dicit. Hæc dicit Dominus. Propter quod facti estis omnes in permixtione una, ideo recipio vos in medio Hierusalem. Sicut recipitur æramentum, argentum et ferrum, et stannum et plumbum in medio camini, ad insufflandum in igni, ut conflétur, ita recipiam vos in ira mea, et concremabo, et insufflabo in vos insufflationem ignis iræ meæ, et conflabimini in medio ejus, et scietis quia ego sum Dominus, qui effudi iram meam super vos* (*Ezech.* XXII). Contra hæc et talia quibus Ecclesia Dei a contaminatione permixtorum immundorum defenditur, clarum est adversarii qua conscientia patrocinantes erroribus malos nolint a bonorum communione discerni. Sequuntur enim apertissime blasphemantes, ut dicant Ecclesiam malorum delictis, etiam manifestorum non posse maculari, adhibentes exempla prophetarum, qui licet increparent eos pro delictis, tamen se ab eis corporaliter non separarunt, cum ostendamus longe aliud fuisse illud tempus in quo frequentare baptismum toties quoties peccabant, permittebantur. Tamen etiam sic inveniuntur eidem prophetæ a malorum communione se abstinuisse, quando Sophonias propheta, qui ad Hieroboam in schismate positum missus, nec panem nec aquam jubetur accipere, qui circumventus, violato præcepto, a leone confectus est. Helias etiam

Digitized by Google

et Helisæus altaribus schismatis Samariæ numquam communicaverint, neque consenserint, qui magis in solitudine morabantur. Osee quoque propheta ostenditur non interfuisse mysteriis eorum quorum sacrificia detestatur et damnat, dicens : *Sacrificia eorum tamquam panis luctus. Omnis qui tetigerit ex eis, inquinabitur* (*Osee* IX). Amos denique quando potuit Samariæ mysteriis misceri, de quo pseudopropheta ita regi invidiam facit; dicens : *Conglobationes facit adversum te Amos in medio domus Israel. Non potest terra supportare sermones ejus, et ob hoc insuper expellitur* (*Amos*, VII). Jam vero in ipsa Hierusalem quomodo poterant prophetæ sacrificiis peccantium hominum communicare, quæ ipsi divino spiritu pleni damnabant Esaia dicente : *Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum ? dicit Dominus. Plenus sum. Holocaustomata arietum, et adipem agnorum, et sanguinem taurorum et hircorum nolo, nec sic veniatis in conspectu meo. Quis enim exquisivit ista de manibus vestris? Calcare aulam meam non adjicietis : si attuleritis similaginem, vanum. Incensum abominatio est mihi. Neomenias vestras, et sabbata et diem magnum non sustineo. Jejunium et ferias, et dies festos vestros odit anima mea. Facti enim estis mihi in abundantia multa. Jam non parcam peccatis vestris. Cum extenderitis manus, avertam oculos meos a vobis : et si multiplicaveritis preces, non exaudiam vos. Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt* (*Isa.* I). Et iterum : *Facinorosus autem qui sacrificat mihi vitulum, quasi qui canem occidat ; et qui similam offert, quasi sanguinem porcinum; et qui thus in memoriam, quasi blasphemus* (*Isa.* LXVI). Aggæus etiam non modo sacrificia, sed ipsam gentem peccatricem penitus exsecratur, dicens : *Sic et populus iste, et sic gens ista : et si quis illuc accesserit, inquinabitur* (*Aggæ.* II). Et Malachiel : *Vos o sacerdotes qui profanatis nomen meum, et dixistis : In quo profanavimus nomen tuum ? et ponentes in altari meo panes pollutos, et dixistis : In quo polluimus illos? in eo ut diceretis : Mensa Domini benedicta est, et quæ superponebantur annullastis* (*Malach.* I). Et ita in omnibus Prophetis invenies, quoniam si communicassent eis quos tantis vocibus condemnabant, prævaricationis crimen incurrerent. Quod ergo inter eos erant commorationis fuit, non communionis. In defensionem deinde sceleris sui auctoritatem sibi exemplo Judæ traditoris assumunt, quo eum dicunt a Domino et prægnitum assumptum et cognitum toleratum, cum utique sine præjudicio præscientiæ suæ Dominus Christus Judam in apostolorum numerum assumpserit, cognitum autem sibi, non hominibus, hac ratione pertulerit, qua et hodie perferre videtur occultos. Scriptum est enim : *Quæ occulta sunt mihi, quæ manifesta vobis et filiis vestris* (*Deut.* XXIX). In Psalmis : *Nonne Deus inquiret ista? Ipse enim scit latentia cordis* (*Psal.* XLIII). In Regnorum : *Homo videt in facie, Deus autem videt in corde* (I *Reg.* XVI). Et in Apocalypsi : *Et scient omnes Ecclesiæ quoniam ego sum scrutator renum et cordis* (*Apoc.* XVII). Denique Domino cum discipulis recumbente et dicente : *Unus ex vobis me tradet* (*Matth.* XXVI), atque respondente eodem Juda : *Numquid ego sum, Domine?* et ab eodem Domino audiret, *Tu dixisti* (*Marc.* XIV), detectum se protinus videns, confusus abscessit, sed cum ipsa postmodum turba ad tradendum Dominum venit.

315 Vadant ergo cum suo Juda patrono inimici dominicæ veritatis, qui suo more defendere reos manifestissimos elaborant. Item ad defensionem pollutæ permixtionis suæ verba Apostoli objiciunt, quibus ait : *Sive per occasionem, sive per veritatem misserebor, quoniam filii fornicationis sunt, quia fornicata est mater ipsorum, dedecoravit eos quæ peperit eos* (*Philip.* I). Et in Isaia : *Quomodo vestimentum conspersum in sanguine non erit mundum, ita nec tu eris mundus, quia terram meam perdidisti, et plebem meam occidisti : non manebis in æternum tempus, semen nequam. Para filios tuos interfici peccatis patris sui, ut non exsurgant* (*Isa.* 14). Et in Regnorum libro tertio : *Et deposuit Salomon Abiathar de sacerdotio Domini, ut impleatur verbum Domini, quod locutus est de domo Heli in Selom* (III *Reg.* II). Jam vero quod dicunt baptismum Christi ita defendi sicut ipsa Catholica defenditur ubique, et apud omnes esse, decretis Patrum nostrorum martyrum beatissimorum compendio brevitatis excluditur. Illud autem quam incaute, immemores sui, inimici veritatis oppugnant, apud fures et raptores quoslibet extraneos datum baptisma suscipi debere, adhibito incompetenti ad hanc rem testimonio Pauli apostoli quod scriptum est : *Qui veritatem Dei in injustitia detinent* (*Rom.* I), hoc in loco furtum furtivo voluerunt defendere testimonio. Apostolus enim de gentilibus agens, et incredulos increpans, ita locutus est dicens : *Revelabitur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent; quoniam quod cognoscibile est Dei, manifestum est illis. Deus enim illis manifestavit. Etenim quæ invisibilia sunt ejus a constitutione mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoque virtus ejus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles : quia cum cognovissent Deum, non ut Deum honorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et intenebratum est insipiens cor illorum. Dicentes enim se esse sapientes, infatuati sunt, et immutaverunt claritatem incorrupti Dei in similitudine imaginis corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum et serpentum. Propter quod tradidit illos Deus in concupiscentia cordis illorum in immunditiam* (*Rom.* I). Unde secundum hunc sensum etiam gentilium inquinata mysteria se suscipere profitentur. Secuti autem sunt errorem suum evidentissimis accumulare blasphemis, quo dicant eos qui hæreticorum baptisma reprobant, posse Christum reprobare, quod eum dæmonia confessa sunt. Hoc loco non solum sanctorum martyrum decretis insultant, sed magis parati sunt dæmoniorum quia Christum confessi sunt, communioni misceri. Quod autem subtili brevitate ista dixerunt, eum, qui foris baptizatus fuerit suscipi debere, non ut quod deest adsit sed

Digitized by Google

ut quod inest prosit, in utroque se ipsos circumvenisse monstrantur. Omnia enim hæc, ut supra dictum est, sanctorum martyrum sententiis evacuantur. Unde enim fieri potest, si una est Ecclesia et indivisus est Christus, ut foris positus baptismum consequatur? Quod vero sibi a nobis objici dicunt, *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis* (I *Tim.* v), et quasi respondentes occurrunt moribus potius debere homines quam corpore separari, ad hoc non modo moribus, sed etiam corpore a malis debere disjungi multis admodum testimoniis legalibus approbamus. In Numeris: *Discedite a tabernaculis hominum istorum durissimorum, et ne tetigeritis ab omnibus quæ sunt eis, ne simul pereatis et vos in omnibus peccatis eorum* (*Num.* xvi). Item Esaias: *Discedite, exite inde, et immundum nolite tangere: Discedite de medio eorum qui fertis vasa Domini* (*Isa.* lii). Item Apostolus: *Vos enim estis templum Dei vivi. Dicit enim ipse: Quoniam habitabo in eis, et in eis ambulabo, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus meus. Propter quod discedite de medio eorum et separamini, et immundum ne tetigeritis, et ego recipiam vos, et ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens* (II *Cor.* vi). Illud vero quale est, ut cum nos eis objiciamus persecutiones et immanes crudelitates quibus ipsi et majores eorum nos patresque nostros per annos centum vel amplius sine cessatione afflixerint atque vexaverint, illi isto non erubescant suffragio, quod dicant ab aliquibus nostrorum Maximianistis fuisse persecutiones illatas, cum utique longe aliud sit usurpata Ecclesiastica et compauperum civiliter repetere voluisse, nec ullum ad communionem nostram nolentem invitumque coegisse, et aliud sit aperto furore per universum populum Christianum omnia mala crudeliter exercere. Quis enim nesciat istos traditores persecutoresque nostros ab ipso exordio condemnatæ traditionis commentitiis precibus cunctis in nostram necem hujus sæculi principibus supplicasse, atque ad suam communionem contra Dei præcepta minis et proscriptionibus coarctasse? Nam ut omittamus quantus sanguis Christianus effusus sit per Leontium, Ursatium, Macarium, Paulum, Taurinum, Romanum, cæterosque exsecutores quos in sanctorum necem a principibus sæculi meruerunt, quando plurimi venerabiles sacerdotes occisi, alii in exsilium relegati, Christianitas late vexata, sacrata stuprata virginitas, proscripti divites, spoliati pauperes, ablatæ basilicæ, atque acti in fugam profugi sacerdotes, nostro nunc tempore quanta commiserint nullus ignorat. Episcopis ingesserunt exsilia, Christianis fugientibus præcipitia, oppresserunt populos, prædati sunt clericos, invaserunt basilicas, intulerunt consentire nolentibus plagas; postremo in uno tantum oppido Bagaiensi eorum causa multorum Christianorum sanguis effusus est, et nec sic satiati in hodiernum cessare contenti sunt. Unde quia ad hoc tantæ immanitatis eorum acerbissimos titulos de scripturis divinis, quibus ista flagitia prohibentur, superfluum sit documenta subnectere, cum talia nec mundanis legibus permittantur, satis sit eorum nos errori respondisse, et quæ superfluo responderunt, divinis testimoniis eluisse. *Et alia manu.* Dominus te incolumem conservet, quod optamus. Recitavi.

259. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Id quod lectum est gestis præsentibus adhærebit. *Et adjecit.* Et quoniam in hoc præbitam patientiam constat, ea quæ dudum sunt oblata recitentur; et ad hæc omnia pars e diverso sistens respondere cogatur.

260. *Emeritus episcopus dixit.* Prius testimoniis testimonia revincant. Tunc ad ea quæ sublimitas tua judicaverit veniendum est. *Et alia manu.* Emeritus episcopus salva appellatione recognovi.

261. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Permitte nos, vir sublimis, pro causa Ecclesiæ non diutius superfluis immorari. Atque utinam fratres nostri e diverso sistentes hanc epistolam ante illos omnes moratorios sermones suos protulissent, ut jam de Ecclesia, unde causa vertitur, aliquid ageremus. Animadvertit ergo nobilitas tua in hac epistola duo quædam genera vel objectionum vel rerum inserta quibus respondere debeamus, unum de divinis scripturis et sanctæ legis eloquiis, alterum de criminationibus humanis, quæ objicienda nescio qui invidiosius potius quam verius putaverunt. Ad hæc duo paucis si Dominus adjuverit, respondebimus, **316** ne prolixum sermonem tantæ prolixitati redamus. Quæstio est de Ecclesia utrum permixtos malos usque in finem habitura prædicta est, an omnino omnes bonos, omnes sanctos atque immaculatos in hoc sæculo, isto etiam tempore usque in finem ultimum sæculi. Utraque testimonia divina sunt; et utique repugnantia esse non debent, nec omnino possunt, si intellectorem inveniant. Aream esse Ecclesiam non ego dixi. Non quisquam nostrum, sed Evangelium loquitur, ubi scriptum est venturum qui ventilabrum ferat in manu sua et mundaturum aream suam, frumenta recondet in horreo. *Et cum diceret* (*Et alia manu.* Recognovi),

262. *Emeritus episcopus dixit.* Non legit aream. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Joannes dixit: *Mundabit aream suam, frumenta recondet in horreo* (*Matth.* iii, 12; *et Luc.* iii, 17). *Et cum diceret* (*Et alia manu.* Recognovi), *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Hoc quod postulat relegatur.

263. *Petilianus* (Aut potius *Emeritus*) *episcopus dixit.* De occultis reis hoc dixit Evangelista, non de evidentibus, quod tu vis tecum esse permixtos. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

264. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit:* Prosecutio nostra pro ipsorum epistola habeatur. Legi cœpit, nullus a nobis relatus est strepitus, nulla interturbatio, nulla interruptio. Permittat ut finiam quod cœpi eloqui, et sic respondeat. Quare

Digitized by Google

non nobis rependitur quod prærogavimus. Animadvertit nobilitas tua patientiam nostram cum tam longa recitaretur epistola. *Et cum diceret* (*Et alia manu.* Recognovi), *Emeritus episcopus dixit.* Nos gravat cum se dicit esse patientem ; et non debet de se ferre sententiam de quo alius judicat. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

265. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* O si esses et tu patiens donec finiam quod prosequor! Ergo, ut dicere cœperam, divina sunt testimonia de zizaniis et tritico ea quæ intelligere conati. Verumtamen de retibus aliquando confessi sunt quod malos et bonos habitura est Ecclesia; sed eos dixerunt esse sacerdotibus incognitos, et ideo non præjudicare bonis quoniam ignorarentur. Ego autem possem qualibuscumque facultatulæ meæ assertionibus ostendere illum esse veriorem intellectum, quod Ecclesia habeat et bonos et malos, zizania scilicet et triticum, mundumque ipsum apellatum esse pro Ecclesiæ nomine, quandoquidem Dominus ipse dicit : *Non ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* (*Joan.* III), cum sciamus Dominum non salvare nisi Ecclesiam. *Et alia manu.* Recognovi.

266. *Emeritus episcopus dixit.* Mundus te non cognovit. Ergo Deum Ecclesia non agnovit, si mundus Ecclesia est. Et iterum dixit : *Ut reus fiat totus mundus Deo* (I *Joan.* V). Et iterum dixit : *Si de mundo essetis, mundus quod suum esset amasset ; sed nunc quoniam de mundo non estis, propterea odit et persequitur vos mundus* (*Joan.* XV). Et iterum : *Ipsi de mundo sunt, et mundus obaudit eis* (I *Joan.* IV). Et iterum : *Si quis dilexerit mundum, non est charitas Patris in illo* (*Ibid.* 2). *Et alia manu.* Emeritus episcopus salva appellatione recognovi.

267. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Omnia ista possemus et nos dicere et velut contraria primo proposita solvere. Itaque sine causa interrumpunt isto strepitu, quia epistolæ ipsorum potuissemus talia facere, ne recitaretur. Patienter audiant. Admoneantur a sublimitate tua facere quod sponte facere debuerunt. Patienter audiant. Non est res levis quæ tractatur a nobis. Suscepimus hodie respondere, si Deus adjuverit, prolixæ epistolæ eorum. Nec rogamus ut edatur nobis et consideremus et postea respondeamus, sicut ipsi de mandato nostro fecerunt. Præbeant nobis aliquam patientiam per incolumitatem tuam. *Et alia manu.* Recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Justa postulantur. Patientiam ejusdem prosecutioni certum est debere commodari.

268. *Emeritus episcopus dixit.* Ipse sibi obstrepit, dum longa prosequitur. *Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi.

269. *Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit :* Si respondere volunt, removeatur epistola, et singuli respondeamus. Sin autem, permittant responsionem.

270. *Adeodatus episcopus dixit.* Possumus præbere patientiam. *Et cum diceret* (*Et alia manu.* Adeodatus episcopus recognovi), *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Quando legebatur epistola, sic habebamus tanquam ipsi prosequerentur. Prosecutioni ipsorum præbuimus silentium. Nolo enim dicere patientiam, quia id calumniantur. Præbeant nobis et ipsi silentium. *Et alia manu.* Recognovi. *Adeodatus episcopus dixit.* Possumus præbere patientiam ; quam quidem præbemus, si ea quæ pars diversa asserit, habeant firmissimam rationem. Nam cum aliter lex interpretetur quam est, quis ferat, quis patiatur silentio adferri præjudicium? *Et alia manu.* Adeodatus episcopus recognovi. *Vincentius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Serva tibi quod reprehendas si aliquid contradicitur. *Et alia manu.* Recognovi.

271. *Marcellinus V. C. tribunus et notarius dixit.* Promissa patientia præbeatur. *Montanus episcopus dixit.* Quando omnia in animo retinentur, si non ad singula respondeamus. *Et alia manu.* Montanus episcopus recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Tenorem universæ epistolæ patienter constat auditum. Consequens est ut responsiones ad singula patienter audire dignemini.

272. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Ideo et illa conscripta sunt, et hæc excipiuntur. Si quid memoriam fallit, et ego possum petere ut mihi de epistola recitetur; et ipsi possunt, ut illis ex codicibus recitetur, præbere silentium. Agamus aliquid. Ut ergo dicere cœperam, ipsis admonentibus, invenimus in scripturis mundi nomen in malo, mundi nomen in bono. Nam mundi nomen in malo, sicut ipsi dixerunt : *Et mundus eum non cognovit* (*Joan.* I). Et : *Si quis dilexerit mundum, non est charitas Patris in illo* (I *Joan.* II), et cætera. Mundi autem nomen in bono. *Ut credat mundus quoniam tu me misisti* (*Joan.* XVII). Non enim credere malorum est. Mundi nomen in bono. *Non venit ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* (*Ibid.* 3). Non salvabitur nisi Ecclesia in mundo. Cum ergo et in bono mundus, et in malo mundus, unde ista scripturarum rixa? Si intellectore careat, adhibe lumen intelligentiæ. Vide mundum in malo omnes dilectores temporalium per universas gentes : vide mundum in bono omnes fideles et spem gerentes æternæ vitæ per universas gentes. *Deus erat in Christo*, inquit, *mundum reconcilians sibi* (II *Cor.* V). Si reconciliari potest Deo detestatus ille mundus de quo dictum est quia non est charitas Christi in eo qui dilexerit mundum, judicent qui loquuntur. Audiat ergo patienter nobilitas tua. Video scripturam sanctam [per] commixtos bonos et malos, sicut ipsi de retibus jam confessi sunt, præsignasse Ecclesiam. *Et cum diceret cumque streperetur, Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Scriptum sit, quia perstrepunt.

317 273. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ipsos perstrepere acta contineant. *Alypius episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit.* Ubi est promissa patientia, quæve vicissitudo rependitur? Nonne in-

Digitized by Google

dicant quemadmodum dissidant ? *Et alia manu.* Recognovi.

274. *Petilianus episcopus dixit.* Quid sit mundus, quid sit Ecclesia, apertissime definitum est ab ipso auctore mundi atque factore, per quem omnia facta sunt, et sine quo nihil est factum. Ipse enim Dominus dixit : *Mundus hic ager.* (*Matth.* XIII.) Potuisset dicere : Mundus Ecclesia est. Quis igitur hominum audet definire quid mundus sit, cum ipse Dominus hujus factor atque opifex jam dignatus fuerit definire ? *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

275. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Quid mundus sit, qui salvandus dicitur, evidenter ostendite.

276. *Petilianus epicopus dixit.* Homo dictus est mundus, ubi dixit, *mundum reconcilians sibi*, non enim sibi Deus belluas, sed homines voluit reconciliari. *Et alia manu.* Petilianus episcopus recognovi.

277. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Ex his omnibus qui mundi nomine nuncupantur, dicis Ecclesiam posse constare, postea declaratam, an certe renuis ?

278. *Emeritus episcopus dixit.* Tollis nos a manifesta præscriptione. Ait Dominus Christus in Evangelio : *Ager mundus est. Et cum diceret. Et alia manu.* Emeritus episcopus recognovi. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Patimini ergo, ut ad omnia quæ epistolæ textus continet, respondeant, et tunc plenissime de omnibus judicabo.

279. *Hilarus exceptor dixit.* Quoniam a diluculo partes egerunt, et codices binos implevimus, si jubet præstantia tua, alii nobis exceptores subrogentur ; ut ad conferendum exeamus, datis nobis custodibus. *Vitalis Notarius Ecclesiæ Catholicæ dixit.* Hoc et ego suggero quod et exceptor nobilitati tuæ adstans suggessit.

280. *Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit.* Sicut etiam superiore judicio factum est, hi qui se tabulas implesse commemorant, cum custodibus exeant, in eorum loco aliis subrogatis. *Cumque id fieret.*

281. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Mundus ergo, non enim aliter et nobis videri potuit, in hominibus intelligitur : non utique ita stulti simus ut belluas etiam et quæcumque irrationabilia animantia ad salutem, quam Christus promisit, pertinere dicamus. Prorsus hoc dicimus : *Mundus in maligno positus est* : homines sunt. *Ut credat mundus quia tu me misisti* : homines sunt. *Mundum reconcilians sibi* ; homines sunt, et cætera quæ in malo dicta sunt, homines illi, homines illi. Per totum enim mundum utrique, mali mixti bonis. Sic et Ecclesia, quam confessi sunt retium nomine declaratam habere malos, sed dixerunt latere peccatores, constat jam quod habeat bonos et malos. De latendo et de non latendo quæstio est utrum pertinuerit ad pietatem bonorum etiam malos cognitos tolerare, ne desererent bonos, an propter malos totum deserere voluerint quibus mali quid in Ecclesia apparuerit. Ipsa quæstio est. Hoc probamus. Dicimus enim nos non negligendam quidem Ecclesiasticam disciplinam, et ubicumque fuerint proditi mali, coercendos eos esse ut corrigantur, non solum sermone correctionis, verum etiam excommunicationibus et degradationibus, ut humilem locum salutis in Ecclesia quærant ; ad medicinam ipsorum fieri, non odio, sed studio salutis fraternæ : sicut quodam loco etiam ipse Apostolus evidentissime declarat dicens : *Si quis non obaudivit verbo nostro, per epistolam hunc notate, et nolite commisceri cum eo.*

N. B. *Cætera quæ sequebantur, quia exciderunt in collectione Gestorum, requirenda sunt, si libet, apud S. Augustinum in libro tertio Breviculi collationis Donatistarum. Vide tom.* IX, *cap.* 9 *hujus tertii libri, col.* 652, *num.* 16, *qui incipit his verbis* : Flagitantibus itaque patientiam eorum catholicis, etc.

SENTENTIA COGNITORIS.

Flavius Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit. Vellem quidem, quod et omni de votorum intentione nunc cupio, ut quanta ex demonstratione veritatis et tandem proditi erroris orta lætitia est, tanta ex conversione superstitionis antiquæ et in melius mutatæ sententiæ gratulatio nasceretur. Magna enim gaudia esse quis dubitet cum inveteratæ ægritudini provenit insperata curatio ; causamque exultationis in talibus majorem facit sanitas restituta quam semper retenta. Sed quia obstinatio mentium perditarum, quas pravæ simul persuasionis vincula nexuerant, ad viam salutis ostensæ aut redire dissimulat aut, quod est deterius, impudentia reformidat, exserenda jam legum est et exercenda sententia, ut quos ad bonam valetudinem leniora post apertam cominus veritatem medicamina non revocant, acrior restituat curationis intentio. Cui enim ratio proxima, sicut gestorum series subjecta demonstrat, sicut divinorum quoque voluminum indita exempla testantur, non liquido declaret alieni, etiamsi probari potuisset, sceleris noxa alium fieri reum omnino non posse, et universalis Ecclesiæ statum Cæciliani insimulatione, de quo nihil reprehensibile potuit approbari, non debere subverti, nec etiam eorum qui se a corpore Ecclesiæ separarunt lata adversus eum præjudicare valuisse sententia, sicut nec a Maximianistis recenti tempore in absentem Primianum prolata damnatio eidem nocere prævaluit ? Cui etiam illud ad correptionis causam non omni ex parte sufficiat tot judiciis patefacta Donato auctore schismatis comprobatio, Cæciliani persolutio atque purgatio, ultimaque sententia triumphabilis memoriæ Constantini, qua evidentius docetur expressa et Cæciliani innocentia et Donati sociorumque ejus calumniosa criminatio, Felicis quoque Aptugnensis ordinatoris ejus proconsularis sententiæ documentis ostensa purgatio ? Unde si hæc tam perspicua atque manifesta inveterato mederi nequeunt morbo, putris est vulneris sanies reprimenda ; ut libertate præclusa, sibi tantum no-

Digitized by Google

cere, quia hoc potius eligit, incipiat. Per hæc enim fiet ut velit aliquando sanari. Declaratæ igitur veritati detecta falsitas colla submittat. Unde universos ordinis viros, dominos etiam fundorum, actores, conductores tam domus divinæ quam etiam privatarum possessionum, senioresque omnium locorum, hujus edicti auctoritate commoneo quatenus memores legum, dignitatum, æstimationis salutisque propriæ, Donatistarum conventicula in omnibus civitatibus et locis prohibere contendant, ita ut ecclesias quas eis humanitate mea absque imperiali præcepto usque ad diem sententiæ constat indultas Catholicis tradere sine ulla dilatione festinent, ni malunt tot sanctionum laqueis irretiri: quas quidem, si unitati catholicæ consentire voluerint, eorum esse sat certum est. Majore autem causa atque solertia post detectam modis omnibus unitatem superstitionemque convictam a proprii debent facinoris intentione depelli. Hi autem qui post vetita legum eorum se cœtibus miscuerint, indubitanter intelligant pœnam se imperiali arbitrio præstitutam ulterius vitare non posse, quos principe loco post agnitæ catholicæ reverentiam legis ad profanos eorum cœtus communionemque rediisse sat clarum est. Quod ut ante non fieret, patientiæ tantum consideratione et spe correctionis aliqua parte ex parte distuleram. Hactenus igitur inimicos fidei Christianæ legibus insultasse sufficiat, maxime cum eorum notas certum sit esse personas. Quid necesse est tot sanctionum, quoniam nulla emendatio subsecuta est, nexibus subdi? Ipsam vero catholicorum episcoporum, etiam post victoriam veritatis, noverint Donatistæ manere sententiam, ut completis collationibus quas eis et ante oblatas publica conscientia retinetur, et nunc offerri sine dubitatione sat certum est, sese suscipi posse cognoscant. Superioris autem edicti fidem in omnibus certum est reservari. Unde unusquisque Donati communionis episcopus ad loca propria sine ulla debet inquietudine ac molestia remeare; quatenus in propriis constitutus, aut ad unam veramque Ecclesiam revertatur, aut satis legibus facere sine dissimulatione non differat. Hi autem qui in prædiis suis circumcellionum turbas se habere cognoscent, sciant, nisi eorum insolentiam omnimodis comprimere et refrænare gestierint, maxime ea loca a fisco mox occupanda. Siquidem tam catholicæ legi quam quieti publicæ, ut eorum conquiescat insania, in hac parte consulitur. Gestorum autem relectio qua profertur superius memoratum a Donatistis errorem schismatis exstitisse, atque Cæcilianum et cæteros, quos improbe crediderant accusandos, fuisse purgatos, sanctitatem vestram plenissime poterit edocere. (*Et alia manu*). PROPONATUR. (Datum Carthagini) post consulatum Varanis v. c. VI, kal. Julii.

Explicit num. XXXIII *Monumentorum ad Donatistarum historiam pertinentium.*

326 ANNO DOMINI CCCCII.

[a] XXXIV. LEX HONORII IMPERATORIS,

QUA MULCTÆ PECUNIARIÆ IMPONUNTUR DONATISTIS.

(*Ex Cod. Theod., Tit.* de Hæreticis, *L.* 52).

Impp. Honorius et Theodosius AA. Seleuco P. F. P.

Cassatis, quæ pragmatici, vel adnotatione manus nostræ, potuerint impetrari, et manentibus his, quæ etiam dudum super hoc definita sunt et veterum principum sanctione servata, nisi ex die prolatæ legis omnes Donatistæ, tam sacerdotes quam clerici, laicique catholicæ se, a qua sacrilege descivere, reddiderint, tunc illustres singillatim postæ nomine fisco

JACOBI GOTHOFREDI COMMENTARIUS.

XXXIV. Donatistis ad catholicam fidem revocandis, atque resecandis enixe incumbit Honorius imperator hac constitutione, quæ data statim post collationem Carthaginensem anno D. 412. Primo capite Donatistis pœnæ seu mulctæ imponuntur, nisi ad catholicam Ecclesiam redierint, non obstante quacumque tandem principis pragmatica vel adnotatione. Eo, inquam, pertinet *hujus legis* initium, quod ita restituo: *Nisi*, etc. *Catholicæ se a qua sacrilege descivere, reddiderint.* De eo quippe quod dixi agi ostendit manifeste vox DESCIVERE, quæ omnino pertinet ad personas, non ad res ablatas. Et totus deinceps legis contextus id evincit, agi de Donatistis a prava religione revocandis, quod et diserte eodem loco dicitur. De ecclesiis enim demum agitur in fine legis: idque ipsum argumento dictæ *legis* 54, *infr.* firmari potest. Pœnæ autem, quod secundum, per singula hominum genera proponuntur, sive in dignitate positorum, sive popularium, sive Circumcellionum (de quibus postea plenius). Tertio proponit pœnam *occultantibus* eos, etiam conductoribus, procuratoribus et hominibus domus principis, uxoribusque eorum. Quarto, post mulctam inflictam contumacibus bonorum proscriptionem minatur. Quinto, et dominis etiam catholicis eamdem mulctam imponit, nisi servos et colonos a prava religione revocaverint. Sexto, Honorius *clericos, ministros sacerdotales* Donatistarum in exilium singulos per singulas regiones mitti sub fida prosecutione jubet. Postremo capite, *Ecclesiæ, Conventicula*, prædiaque, hæreticorum largitate in eorum ecclesias collata, catholicis ecclesiis juxta priores constitutiones (id est juxta *l.* 43,) vindicare jubentur.

Et hæ quidem septem rationes sunt quibus Donatistas ad fidem catholicam traducere, eorumque pertinax institutum frangere, resecare hoc tempore studuit Honorius, quibus validiores fingi rationes non possint. 1° Metus damni pecuniarii. 2° Conductores et procuratores in eos excitati ad eos detegendos. 3° Imo et uxores. 4° Bonorum proscriptionis metus post contumaciam. 5° Domini in servos et colonos concitati. 6° Clerici in exilium missi. 7° Ecclesiæ et donaria catholicæ Ecclesiæ vindicari jussa. Quibus similia jam complura *l.* 54, *infr.* ubi et nonnulla addita.

Ut hæc hujusce legis in universum est sententia, ita Augustinus ejus vim sic breviter expressit *epist.* 50, *ad Bonifacium. Jam enim* LEX *fuerat promulgata, ut tantæ inimanitatis hæresis Donatistarum, cui crudelius parci videbatur, quam ipsa sæviebat, non tantum violenta esse, sed* OMNINO ESSE NON SINERETUR *impune* (hæc primum est *hujus leg.* sententia). *Non tamen supplicio capitali, propter servandam etiam circa indignos misericordiam, sed* PECUNIARIIS DAMNIS *propositis* (secundum hoc caput *hujus legis*, ubi pariter vox *damna*, ut ex *l.* 54, occurrit). *Et in* EPISCOPOS, MINISTROS *eorum exilio constituto.* (Tertium hoc caput est.) Quamquam et si ordinem verborum Augustini spectes,

Digitized by Google

nostro, auri pondo quinquaginta cogantur inferre : Spectabiles, auri pondo quadraginta : Senatores, auri pondo triginta : Clarissimi, auri pondo viginti : Sacerdotales, auri pondo triginta : Principales, A auri pondo viginti : Decuriones, auri pondo quinque : Negotiatores, auri pondo quinque : Plebeii, auri pondo quinque : Circumcelliones, argenti pondo decem. Qui nisi a conductoribus, sub quibus comma-

JACOBI GOTHOFREDI COMMENTARIUS.

videatur de alia lege anteriore multo sentire, sed tamen in eamdem sententiam. Idem Augustinus certe eadem *epistola* 50, *ad Bonifacium* postremum *hujus legis* caput memorat *p.* 224. *Quicquid ergo nomine ecclesiarum partis Donati possidebatur, Christiani imperatores legibus religiosis cum ipsis ecclesiis ad catholicam transire jusserunt*, etc., ubi æquitatem etiam ejus rei pluribus subjicit. Idem Augustinus *in Joan. tractatu* 6, *in fine. Leguntur*, inquit, *manifestæ leges, ubi præceperunt imperatores, ut qui præter Ecclesiæ catholicæ communionem usurpant sibi nomen Christianum, nec volunt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere :* et in fine *veniant ad Catholicam, et nobiscum habebunt non solum terram, sed etiam illum qui fecit cœlum et terram* : Et vi hujus legis, itemque *legis* 54, *infr. ne sanctum bapt.* relicta testamento Donatistis, Catholicis vindicata idem testatur, Donatistas loquentes inducens : *Modo deficientes ubique quid nobis proponunt, non invenientes quid dicant? Villas nostras tulerunt, fundos nostros tulerunt, proferunt testamenta hominum. Ecce ubi Caius eis donavit fundum ecclesiæ, cui præerat Faustinus. Cui episcopus præerat Faustinus? Ecclesiæ? Quid est Ecclesiæ? Ecclesiæ dixi cui præerat Faustinus? Sed non Ecclesiæ præerat Faustinus, sed parti præerat. Columba autem Ecclesia est.* Et hæ quidem sententiæ Augustini spectant postremum hujusce legis caput. Sequitur sententia Augustini de irrogato exilio clericis, quod tertium caput hujusce legis est quod et *l.* 54, repetitum exstat. *Mitiora*, inquit, *in vos constituit imperator propter mansuetudinem Christianam, exilium vobis voluit inferre non mortem, sed vos homines docti* **327** *considerantes quid debeatur merito, et quid minus sit in supplicio, non de judicio illius, sed de vestro additis mortem.*

Cæterum *hujus legis* ferendæ causa repetenda est, ab exitu seu eventu Collationis Carthaginensis, quæ superiore anno habita fuit, ante septem et quod excurrit menses (quo alioquin spectant *l.* 55 *infr. hoc tit.* ubi dicam plene, et *l. ult. infr. de religione.*) Nempe cum pendente ea Collatione Marcellinus tribunus et notarius in ea Collatione cognitor, Donatistis, qui ad eam esse pollicebantur venturos, ex humanitate sua absque imperiali præcepto ecclesias seu basilicas ad diem sententiæ usque indulsisset : atque adeo eis ecclesias cum omni jure suo, quæ a Catholicis juxta præceptum imperiale retinebantur, reddi seu reformari jussisset : quod ex ejus edicto liquet, in actis Collationis Carthaginensis *pag.* 10, 11, et ex sententia *pag.* 405, et ex Augustino *in Breviculo Collationis in princ.* Tandem ultima definitione ab eo damnati Donatistæ, eas rursum Catholicis tradere sine ulla dilatione jussi fuere. Quinimo et Circumcellionum insania et insolentia reprimi jussa. Quin et decurionibus, dominis fundorum, actoribus, conductoribus, non privatarum possessionum modo, sed et domus divinæ, mandatum, ut conventicula Donatistarum in omnibus civitatibus et locis prohiberent. Imo et fine sententiæ seu edicti oblationes, collationes, largitates in ecclesias Donatistarum factas episcopis catholicis tradi jussit. Quæ omnia *huic legi* apprime conveniunt. Et vero illam sententiam *hæc lex* imperatoris secuta est. Verum huic sententiæ non adeo ubique et hac parte, ut hæc *lex et* 54, testantur paritum. De cætero, quis Collationis istius Carthaginensis eventus fuerit, docet Augustinus *epis.* 127, 158, 159, 160, 169, et aliis locis. Quare ad hanc severiorem legem Honorius processit : ubi singularia multa sublegenda sunt. Primo notanda sunt hic varia admodum decem numero personarum et quidem laicarum, *dignitatumque* genera *gradusque*, quibus provinciales constabant, quas ordine hic decurrit Honorius, distinctisque adeo multis et pœnis gradatim persequitur, quod omne ex *hac lege* mutuatum Hunnericus suo edicto adversus catholicos inseruit, quod refertur ab Victore Uticensi *lib.* III *de persecutione Vandal.* 1° *Illustres*, inquam, 2° *Spectabiles*, 3° *Senatores*, 4° *Clarissimi*, 5° *Sacerdotales*, 6° *Principales*, 7° *Decuriones*, 8° *Negotiatores*, 9° *Plebeii*, 10. *Circumcelliones* : illustribus imposita mulcta auri pondo 50, Spectabilibus, 40, Senatoribus, 30, Clarissimis, 20, Sacerdotalibus, 30, Principalibus, 20, Decurionibus, 5, Negotiatoribus, 5, Plebeiis, 5, Circumcellionibus, argenti pondo decem. Quibus adjice qui subjiciuntur conductores, et procuratores, servos et colonos : cui haud absimilis personarum Notitia continetur *l.* 54, *infr. hoc tit.* quæ alioquin et in aliis quamplurimis huic similis est.

B

Secundo observandum, in illo personarum recensu de *Senatoribus* : eos non tantum ab illustribus et Spectabilibus separari et post eos nominari, verum etiam a Clarissimis distingui : Sic quoque *d. l.* 54. *infr.* quæ huic in quamplurimis par est, senatores post eos qui succincti proconsulari, aut vicariano vel comitivæ primi ordinis honore; id est, post spectabiles, primi inter honoratos nominantur : et ita describuntur, *qui nullo muniti extrinsecus privilegio dignitatis sunt* : et post eos sacerdotales statim ponuntur, nulla clarissimorum mentione, ubi vides multa equidem congruentia cum *hac lege* contineri. Quinam igitur senatores isti a clarissimis diversi esse possunt? Certe Codice Justinianeo quoque titulus exstat, *ubi senatores vel Clarissimi civiliter vel criminaliter conveniantur*. Putabat Cujacius hac quoque lege senatores dici expertes omnis dignitatis : Clarissimos vero qui in dignitate erant; eoque etiam sensu distingui eos eo titulo codicis Justinianei. Verum ut illo quoque ipso titulo senatores iidem cum clarissimis sunt, et vero παραλληλισμῷ, ibi conjunguntur : et *l.* 1. *ejus tituli* clarissimi non alii sunt quam senatores, ut manifestius adhuc discere est ex l. 1. *hoc codice de accusat.* Unde lex illa desumpta est : ita *hac leg.* Senatores Clarissimis præmittuntur; atque adeo velut majoris jam dignitatis, et majori quoque pœnæ subjiciuntur : uti vice versa, non illustres tantum, sed et spectabiles majori, quam senatores afficiuntur.

C

Tertio observandi *sacerdotales*, qui *hac lege* et *d. l.* 54, nominantur, post senatores, ante principales seu decemprimos curiales. Nempe *sacerdotales*, hi erant primi inter decuriones, qui sacerdotales ludos procurabant; de quibus plene supra *titulo de decurionibus* : et *tit. de Payanis.* Hinc illud interea discimus Christianos eos quoque fuisse saltem Donatistas.

D

Quarto, *Circumcellionum* nomen hic notandum, quorum frequens mentio in historia Donatistarum apud Optatum Milevitanum, Augustinum in Collatione Carthaginensi *d.* 3, *cap.* 73. et in sententia Marcellini, in codice canonum Ecclesiæ Africanæ, Isidorum VIII *Etymol.* 5, Possidonium *in vita Augustini*. Illi vero erant inter Donatistas velut satellites qui per nundinas, villas, vicosque et *circum cellas* (unde iis nomen) vagantes, armis instructi, intentatum nihil relinquebant, nihil non audebant, omnia furore implentes : denique in Catholicos insaniebant, sæviebant, grassabantur : quorum etiam hoc ipso tempore, et ante Collationem Carthaginensem me-

Digitized by Google

nent, vel procuratoribus, executori, exigendi, fuerint præsentati, ipsi teneantur ad pœnam : ita ut nec domus nostræ homines ab hujuscemodi censura habeantur immunes. Uxores quoque eorum, maritalis segregatim mulcta constringat. Eos enim, quos nequaquam illata damna correxerint, facultatum omnium publicatio subsequetur. Servos etiam, dominorum admonitio : vel colonos, verberum crebrior ictus a prava religione revocabit : ni malunt ipsi ad prædicta dispendia (etiamsi sunt catholici) retineri. Clerici vero ministrique eorum, ac perniciosissimi sacerdotales ablati de Africano solo, quod ritu sacrilego polluerunt, in exilium viritim ad singulas quasque regiones sub idonea prosecutione mittantur. Ecclesiis eorum, vel conventiculis, prædiis- A que, si qua in eorum ecclesias hæreticorum largitas prava contulit, proprietati potestatique Catholicæ (sicut jamdudum statuimus) vindicatis. Datum III, kalend. febr. Rav. Honor. IX, et Theod. V. AA. coss.

328 ANNO DOMINI CCCCXIV.

XXXV. ALIA LEX EJUSDEM IMPERATORIS IN DONATISTAS.

(*Ex eodem Cod., ibid., L.* 54.)

Idem AA. Juliano Proc. Africæ.

Donatistas atque hæreticos, quos patientia clementiæ nostræ nunc usque servavit, competenti constituimus auctoritate percelli. 1° quatenus evidenti præceptione se agnoscant, et *intestabiles*, et nullam

JACOBI GOTHOFREDI COMMENTARIUS.

minit Augustinus *epist.* 122, et post Collationem idem *epist.* 159, 169. Eosdem vero a Donato *Agonisticos*, eorumque præfectos *Sanctorum duces* nominatos tradit Optatus *lib.* III. B

Quinto, observandum latebram Donatistis, et Circumcellionibus præbuisse *conductores et procuratores*, etiam domus principis, quod et ipsum dicta sententia Marcellini tribuni et notarii et *l.* 54 *infr.* indicatur : ubi de triplici istorum conductorum genere dicetur. Certe et ex Augustino variis locis id quoque discere est. Ut et cæteroquin aliorum criminum reis latebram præbebant ; ut passim ex hujus codicis constitutionibus videre est.

Sexto fit *hac lege* mentio *executoris*, qui Donatistas et Circumcelliones inquirebat, exigebat, cuique illi præsentandi erant. Quod quidem si de certo quodam executore accipiendum est, tum fuerit hic omnino Dulcitius tribunus et notarius ut ferme tribuni et notarii ad hujusmodi executiones missi : de quo *l. in supr. de mandatis principum*, quem imperialium jussionum in Africa contra Donatistas datarum executorem ait Augustinus *lib.* I *Retractationum*, *cap.* 59. *Per idem tempus Dulcitius tribunus et notarius hic erat in Africa* EXECUTOR *Imperialium jussionum contra Donatistas datarum*, etc. Ad eumdem exstat ejusdem *epist.* 61. *pag.* 308 qua inter alia ait : *Non enim tu in eos jus gladii ullis legibus accepisti, aut imperialibus constitutis, quorum tibi injuncta est* EXECUTIO, *hoc præceptum est ut necentur.* Ibidem testatur, Dulcitium istum (Honorii scilicet) *Imperatoria potestate, sive terrendo, sive plectendo corrigendis præfectum erroribus*, duobus edictis Donatistas admonuisse. Quod si ita est, tum perperam Baronius hæc de Dulcitio executore ad annum 414 retulerit *n.* 8, 9. C

Septimo, notetur quod de *uxoribus* additur *uxores quoque eorum maritalis segregatim mulcta constringat.* Quod de uxoribus conductorum et procuratorum, qui latebram Donatistis et Circumcellionibus præberent, accipi posse videatur : vel potius in genere, de omnibus uxoribus Donatistarum et Circumcellionum : Nam et perditi hi utriusque sexus erant, teste August. *epist.* 158, ubi de Macrobio episcopo Donatistarum agit *pag.* 718, *in fin.* Igitur neque uxoribus parci voluit Honorius *hac lege* ita ut peculiaris eas mulcta constringeret, a maritorum mulcta separata *maritali segregatim* : nam ita lego, id est, a maritali separatim. D

Octavo notetur, *servos* a dominis, admonitione; *colonos* (de quorum conditione dixi plene paratitlo *tituli de Fugitivis colonis*) verberum crebriore ictu a Donatistarum religione revocari juberi : alioquin ipsos dominos licet Catholicos mulctandos. Quod utique singulare et ipsum continetur *l.* 54, *infr.* Ubi interim observandum, primo *admonitionis* voce, castigationem significare, de quo in *Gloss. Theod.* Secundo, et in colonos idem castigandi jus dominis tribui quod in servos (quod et ipsum tribuitur *l. ultim. Cod. de Agricolis l. in Cod. ad Sc. Claud. Nov.* 22. *cap.* 17) huic et pro pœna ferro a dominis ligati *l.* 1, *de fugit. colon.* sic tamen ut illi admonitione, ut dixi, hi verberum ictu castigarentur : unde apparet, admonitionem in servos, et verberum ictum hic distare. Certe *coercitionis* verbo utrumque significatur *d. l.* 54, quæ mox colonos speciatim verberibus coactos pariter ait.

Nono observetur, et *hac leg.* et *d. l.* 54, exilii genus in Donatistarum clericos, ministros et sacerdotales : nempe, *ut in exilium viritim* ad singulas quasque regiones sub idonea prosecutione mittantur, ut *hac leg.* dicitur : vel ut *dict. l.* 54, ad singulas quasque insulas, atque provincias exulandi gratia dirigantur. Quod solitarii exilii genus et alias imperatum, divellendis illis, quod manu facta furorem suum exercerent, seditionibusque omnia complerent. Cujus etiam solitarii exempli in simili re eodem fine alibi exempla occurrunt.

XXXV. In Donatistas per Africam proconsularem, hæc secunda jam est, Honorii imperatoris post Collationem Carthaginensem, quæ habita fuit ante triennium ann. 411, constitutio : prima enim fuit *lex.* 52, data paulo post eam finitam, septem videlicet ferme post mensibus. Utraque vero Honorius post longam patientiam proposito vario pœnarum genere, Donatistas ab errore suo ad catholicam Ecclesiam revocare enixe studuit, eorum intentionem resecare, ut *hac leg.* dicitur, id est, pertinax propositum frangere. Ista primum *l.* 52, anno D. 412, iisdem ferme pœnis propositis : At enim hæc jam posteriore anno 414, distinctius et districtiore severitate, cum videlicet illa parum profectum fuisset : imo *cum patientia ejus eos usque servasset*, ut ipsemet *initio legis* testatur. Quare jam *competenti auctoritate* et austeritate percellendos eos credidit, et vero *hac leg. percelli constituit*, quæ ipsius pariter expressa verba sunt : et ut rursum *vers.* 6, dicit, *auctoritate sacræ definitionis adstringi : et prolatæ præceptionis auctoritate mulctari.* Quorum etiam hæresim atrocitate verborum confodit passim, ut cum *diram superstitionem* eorum vocat : *vers.* 2, errorem *vers.* 5 *et* 8, gregem Donatistarum appellat *d. vers.* 3, hæresim et hæreticos *initio l. et fine vers.* 5, sacrum mysterium (id est, baptisma) ab his inquinari ait *vers.* 6. Quibus etiam in posterum non amplius parcendum, ut antea factum fuerat, aperte indicat, cum præter ea quæ jam dixi, ait : *quatenus* EVIDENTI *præceptione se agnoscant intestabiles*, etc. et vers. 5, *Damna quoque patrimonii pœnasque pecuniarias* EVIDENTER *imponimus.* Id enim vox *evidentis* et *evidenter* in constitutionibus importat. Denique quos a Juliano proconsule Africæ pœnis

Digitized by Google

potestatem alicujus ineundi habere, sed perpetua inustos infamia a cœtibus honestis et a conventu publico segregandos. 2° Ea vero *loca*, in quibus dira superstitio nunc usque servata est, catholicæ venerabili Ecclesiæ socientur: 3° Ita ut *episcopi*, presbyteri, omnesque antistites eorum, et ministri spoliati omnibus facultatibus ad singulas quasque insulas atque provincias exulandi gratia dirigantur. 4° Quis-

JACOBI GOTHOFREDI COMMENTARIUS.

hac leg. statutis subjici passim jubet : imo est et ubi de his ad se referri. Et hæc quidem ideo, quod Donatistarum vesania tantum abest post Collationem Carthaginensem expressa fuerit, ut contra in immensum excreverit, de quo testis passim Augustinus. Nos pœnas istas nunc summatim apponamus : quæ decem omnino sunt, in quot etiam versus hanc constitutionem ordine divisimus : e quibus singularia postea quædam educemus : Summa hæc est; 1° Donatistas in commune intestabiles esse, commercio iis interdici, infamia eos notari, de qua infamiæ pœna hæreticis imposita dixi semel *d. l.* 7. 2° Conventicula eorum catholicæ Ecclesiæ sociari oportere. 3° *Sacerdotes* et ministros eorum bonis proscriptis deportandos. 4° Ut et occultatores eorum. 5° Mulctam Donatistis in commune viris, mulieribus, qui ad communionem Donatistarum accesserint, qui in grege Donatistarum inventi fuerint, qui in hæresi permanere maluerint, et in proposito perdurare, irrogandam pro cujusque conditione et dignitate : proconsularibus, vicariis, comitibus primi ordinis, ducentarum argenti librarum : senatoribus, centum : decemprimis curialibus, quinquaginta : reliquis decurionibus, decem. 6° Eos qui locum præberent **329** in alienis prædiis ad mysteria celebranda, conductores, inquam, rei privatæ, ut et emphyteuticarios, tantum fisco pœnæ nomine solvere oportere, quantum pensionis seu conductionis nomine solvere solent. 7° Ut et privatos dominos prædiorum, si conductores suos errantes non correxerint, vel perseverantes non commutarint. 8° Officiales quoque judicum in hoc errore deprehensos, triginta libris argenti mulctandos. 9° Colonos servosque verberibus coercendos, et perseverantes tertia peculii parte mulctandos. 10° Postremum omnia quæ ex locis vel mulctis collecta fuerint, ad principis ærarium illico dirigenda. Hæc, inquam, legis istius summa est : in qua præter ea quæ ad *l.* 52, huic similem notabamus, multa singularia notanda veniunt.

Primo quidem, quod *Testamenti* factione Donatistæ priventur, quod et ipsum statuitur *ne sanctum bapt. l.* 4, imo et commercii jure, tandem et infamia notentur : et sic Romano communi jure priventur, de quo jam ad alias *leges* : et sic neque morientibus id solatii relinqui, ut de bonis suis testari possint, neque superstites alicujus (contractus scilicet : nam id hic supplendum) ineundi potestatem habeant, et velut infames in perpetuum ab honestorum cœtu et conventu publico submovendos. De hæreticis intestabilibus jam aliis legibus actum. Ut Donatistæ vero intestabiles essent, id jam ab Honorio expetierant Patres Africani ante decennium anno 404, ut docet *can.* 93, *Cod. Afric.* id quod ad eorum postulationem ab Honorio constitutum, initio anni proxime sequentis 405. *l.* 4, *ne sanctum bapt.* quæ lex huic nostræ quam simillima est. Meminit Augustinus *lib.* 1 *contra epistolam Parmeniani* hujus omnis rei, atque adeo hujus legis : *Sunt et aliæ jussiones generales, quibus eis vel faciendi testamenta, vel per donationes alicui conferendi facultas adimitur, vel ex donationibus aut testamentis aliquid capiendi. Nam in quadam causa cum homo nobilis imperatoribus supplicasset, quod soror ejus quæ de parte Donati fuerat cum defungeretur, nescio in quos communionis suæ vel maxime in quemdam Augustinum episcopum eorum plurima contulisset, ex illa generali lege præceptum est, ut omnia fratri restituerentur : ubi etiam Circumcellionum mentio facta est, si more suo violenter obsisterent quo genere auxiliorum et adminiculis repelleretur.* Idem *epist.* 48, *ad Vincentium* ubi hæc inter alia ironice : *Ita sane huic provisioni contradicere debui, ne res quas dicitis vestras perderetis, et securi Christum proscriberetis. Ut jure Romano testamenta conderetis, et jure divino Patribus conditum testamentum (ubi scriptum est, in semine tuo benedicentur omnes gentes) calumniosis criminationibus rumperetis. Ut in emptionibus et venditionibus liberos contractus haberetis, et vobis dividere, quod Christus emit venditus, audere tis. Ut quod quisquam vestrum cuiquam donasset, valeret, et quod donavit Deus devorum a solis ortu usque ad occasum vocatis filiis non valeret. Ut de terra corporis vestri in exilium non mitteremini, et de regno sanguinis sui, a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terræ Christum exulem facere conaremini? Imo vero serviant reges terræ Christo etiam* LEGES *ferendo pro Christo.* Idem de ovibus *cap.* 13, *Vigilate hæretici, audite a pastore testamentum pacis, venite ad pacem, irascimini Christianis imperatoribus, quia testamenta vestra valere noluerunt in domibus vestris : videte quam digna sit pœna, et quid est quod testamentum non valet in domo vestra? quid est? quantum est? Dolor ille admonitio est, nondum damnatio.*

Secundo notandum *Occultatoribus* sacerdotum et ministrorum Donatistarum eamdem pœnam bonorum proscriptionis et deportationis imminere. Sane et alias execrandorum maxime hæreticorum occultatoribus pœnæ indictæ, veluti Manichæorum per Africam *l.* 35, Donatistarum *hæc leg.* et *l.* 52 *supr.*

Tertio notetur, dignitatum et honorum notitia, proque eorum diversitate mulctæ quoque seu pœnæ diversitas. *Proconsulares* scilicet, *Vicariano* honore succincti, *comites primi ordinis* : de quibus *lib.* VI *supr.* Hos sequuntur *Honorati* alii, non illi qui ementito honore per provincias pollebant, de quibus ad *l.* 1 *de Offic. Judic. civil.* verum sequentes *senatores* nudi, nullo muniti extrinsecus dignitatis privilegio, omnes alterius dignitatis expertes : de quibus dixi etiam ad *l.* 52, *supr. Sacerdotales*, qui scilicet inter decuriones primo loco erant, de quibus *supr.* quoque *l.* 52, et *tit. de Decur. et infra tit. de Paganis.* Hos sequuntur *decemprimi* decuriones : de quibus itidem plene *tit. de Decurionib.* tandem reliqui *decuriones.* Pœnarum vero gradus hic : 200 argenti librarum mulcta primis imponitur : senatoribus nudis, 100 ut et sacerdotalibus (unde apparet de horum sacerdotalium dignitate æqua senatoribus, etsi proxima) decemprimis, 50, decurionibus cæteris, 10.

Quarto observetur, quod duobus hujus constitutionis locis additum *vers.* 5 et 8 de *quinta condemnatione* : nempe quinquies lapsos, mulctatos, coercitos, lapsos rursum non jam ordinaria pœna seu mulcta, verum extraordinaria plectendos : Quinque equidem lapsus eadem mulcta coerceri, sextum vero et deinceps vel ad principem referendum, si videlicet de his qui in dignitatibus vel honoribus positi agatur, quo acerbius in eos vindicetur; vel illico a judicibus gravius coercendos veluti officiales. Hæc contumaciæ hac in re post quintam emendationem pœna.

Quinto observetur enumeratio aliarum personarum, post hos qui in dignitatibus et honoribus constituti erant : et quidem per Africam Donatistarum quoque hæresi implicitorum, hisque faventium. Primo, Conductorum tria genera : *Conductores* domorum et prædiorum rei privatæ principis; *Emphyteuticarii*, id est, conductores prædiorum ad respu-

Digitized by Google

quis autem hos fugientes propositam ultionem, *occultandi* causa susceperit, sciat et patrimonium suum fisci nostri compendiis aggregandum, et se pœnam quæ his proposita est, subiturum. 5° Damna quoque patrimonii, pœnasque pecuniarias evidenter imponimus *viris*, *mulieribus*, personis singulis, et dignitatibus pro qualitate sui, quæ debeant irrogari. Igitur proconsulari, aut vicariano, vel comitivæ primi ordinis quisque fuerit honore succinctus, nisi ad observantiam catholicam mentem propositumque converterit, ducentas argenti libras cogetur exsolvere fisci nostri utilitatibus aggregandas. Ac ne id solum putetur ad resecandam intentionem posse sufficere, quotiescumque ad communionem talem accessisse fuerit confutatus, totiens multam exigatur : et si quinquies eumdem constiterit nec damnis ab errore revocari, tunc ad nostram clementiam referatur, ut de solida ejus substantia ac de statu acerbius judicemus. Hujusmodi autem conditionibus etiam Honoratos reliquos obligamus : scilicet, ut senator, qui nullo munitus extrinsecus privilegio dignitatis, inventus in grege Donatistarum, centum libras solvat argenti : sacerdotales eamdem summam cogantur exsolvere : decem primi curiales quinquaginta libras argenti addicantur, reliqui decuriones decem solvant libras argenti quicumque in hæresi maluerint permanere. 6° *Conductores* autem domus nostræ, si hæc in prædiis venerabilis substantiæ uti *permiserint*, tantam pensionem pœnæ nomine cogantur inferre, quantum in conductione pensitare consuerunt. Eadem quoque emphyteuticarios auctoritas sacræ definitionis adstringet. 7° Conductores vero privatorum, si permiserint in hisdem prædiis conventicula haberi, vel eorum patientia sacrum mysterium fuerit inquinatum, referetur per judices ad scientiam dominorum, quorum intererit, si pœnam volunt sacræ jussionis evadere, aut certantes corrigere, aut perseverantes commutare : ac tales prædiis suis præbere rectores, qui divina præcepta custodiant. Quod si procurare neglexerint, hi quoque in pensiones, quas accipere consuerunt, prolatæ præceptionis auctoritate mulctentur, ut quod ad compendia eorum pervenire poterat sacro jungatur ærario. 8° *Officiales* autem diversorum judicum si in hoc errore fuerint deprehensi, ad triginta librarum argenti illationem pœnæ nomine teneantur : ita ut si quinquies condemnati abstinere noluerint, coerciti verberibus exilio mancipentur. 9° *Servos* vero et *colonos* coercitio ab hujusmodi ausibus severissima vindicabit. Ac si coloni verberibus coacti in proposito perduraverint, tunc tertia peculii sui parte mulctentur. 10° Atque omnia, quæ hujusmodi generibus hominum locisque colligi poterunt, ad largitiones sacras illico dirigantur. Dat. x, kal. Jul. Rav. Constantio et Constante. coss.

330 ANNO DOMINI CCCCXV.

XXXVI. ALIA LEX EJUSDEM IMPERATORIS,

QUA CONTRA DONATISTAS GESTA ANNO 411, SUB MARCELLINO COGNITORE EO QUAMLIBET MORTUO ET INVIDIOSE CÆSO PLENAM FIDEM ET FIRMITATEM OBTINERE DECLARANTUR.

(*Ibid.*, *L.* 55.)

Idem AA, Juliano Proc. Afric.

Notione et sollicitudine Marcellini, spectabilis

JACOBI GOTHOFREDI COMMENTARIUS.

blicas et civitates pertinentium : de quibus actum *lib.* x, tandem Conductores privatorum, seu rectores prædiorum. Quæ etiam tria alias hominum genera reis latebras præbere solebant : de quo fidem faciunt innumeræ constitutiones : Exinde *Officiales* judicum. Tandem *servi et coloni*.

Sexto, notetur mulctæ genus *vers.* 6 *et* 7, nempe tantum fisco inferendi quantum pensionis annuæ ex fundo quis præstare vel percipere solet ; Et quidem ob præbitum fundum mysteriis hæreticorum celebrandis : vel ob conductores fundorum suorum id facientes, non emendatos vel commutatos.

Cætera, et in his quidem, de exilio, et quidem solitario, episcoporum et ministrorum Donatistarum, vide ad *l.* 52, *supr.*

Cæterum hujusce legis *ῥητῶς*, an vero *legis* 52 *supr.* an utriusque executorem post Marcellini mortem, de quo *l. prox.* Dulcitium tribunum et notarium Honorius in Africam miserit (quo alioquin pertinent quæ Augustinus scribit *lib.* II *Retract. cap.* 59) dubium videri possit : Baronius id de *hac leg.* accepit : Ego non minus accipiam de superiore *l.* 52, ubi et Dulcitius ipse indicari videtur his verbis : *Qui nisi executori exigendi, id est, fuerint præsentati*, etc. Augustinus sæpe meminit hujus *Edicti*, et per sacram Scripturam ostendit id justissimum esse : ac nominatim in tractatibus expressis super hoc, inculcat *epist.* 59, ad Comitem Bonifacium (cui titulus : *de corrigendis moderate Romanis : epist.* 61, ad Dulcitium : in libris contra Gaudentium : *epist.* 48 *ad Vincentium*, *de corrigendis hæreticis per vim*, ut jure Romano testamenta condentes et jure divino.... testamentum rumperent, vid. lib. I contra Gaudentium c. 19, t. 7, p. 259; *Mitiora in eos constituit Imp. exilium vobis voluit inferre*, *non mortem*, etc. Magnam vero hæc lex et *d. l.* 12, utilitatem attulere : vide Augustinum *d. epist.* 50 et *epist.* 48, et contra Gaudentium *lib.* I, *c.* 29, *p.* 61.

XXXVI. Contra Donatistas ante triennium gesta, sub notione Marcellini cognitoris, hoc tempore jam mortui, perpetuam nihilominus firmitatem habere jubet hac constitutione Honorius imp. anno D. 414, subjecta generali regula (quæ notanda est :) *Morte cognitoris perire non debere publicam fidem.* Nempe publica fide gesta, atque in publica monumenta seu acta semel relata perpetuam fidem faciunt, et ut hanc legem efferunt *lib.* VI, *tit.* I, Basilica, *τὰ ἐν δικαστηρίῳ ἀνενεχθέντα ἐν ὑπομνήμασιν ἰσχυρῶς διαμένουσι, καὶ τελευτῶντος τοῦ δικαστοῦ*, et Chrysostomus *λόγῳ ἀ. εἰς τὴν ἁγίαν Πεντηκοστήν*, *tom.* VIII, *pag.* 609, *ἐν δικαστηρίῳ ἅπερ ἂν ἐπὶ ὑπομνημάτων ὁ δικαζόμενος φθέγξηται πάντως ἐγγράφεται δηνεκῶς, καὶ ἐξαλειφθῆναι οὐκ ἔνι λοιπόν*. Tantum abest mors cognitoris eis quidquam derogare valeat. Non ut alia mors solvit, ita et mors cognitoris gesta quoque publica solvit.

Hæc quidem hujusce legis est sententia ; verum de tribus videndum est quænam videlicet *gesta* illa sint, quis *Marcellinus* ille, de quibus *hac l.* agitur. Tandem quæ *hujus legis* promulgandæ occasio fuerit.

Quod primum attinet. Nempe hic indicatur ACTA seu GESTA COLLATIONIS CARTHAGINENSIS, inter Catholicos et Donatistas, cui Marcellinus tribunus et notarius ex Honorii præcepto cognitor præfuit mense Junio anni D. 411, *post* Cos. *Varanis*, seu ante

memoriæ viri contra *Donatistas* gesta sunt ea, quæ translata in publica monumenta, habere volumus perpetim firmitatem : *Neque* enim *morte cognitoris perire debet publica fides*. Dat. III. kal. Sept. Rom. Rav. Constantio et Constante coss.

A **331** XXXVII. ALIA LEX EJUSDEM IMPERATORIS IN DONATISTAS.

(*Ibid.*, *L.* 56)

Idem AA. Heracliano Com. Afric.

Sciant cuncti, qui ad ritus suos hæresis superstitionibus obrepserant sacrosanctæ legis inimici, plec-

JACOBI GOTHOFREDI COMMENTARIUS.

triennium, et quod excurrit : quam in rem videndæ sunt Augustini *epist.* 158, 139, 160, et Possidius *in V. S. Augustini cap.* 2, ubi confutati a Catholicis Donatistæ omnium documentorum manifestatione. Cujus collationis acta seu gesta, a Marcello *modulata brevitate*, ut ipse ait, distincta atque collecta, a Papyrio Massonio primum in lucem edita : mox cum Ms. collata et emendata a P. Pithæo exstant : magna tamen, quod dolendum, parte cognitionis tertii diei mutilata. Sed et Augustinus ipse, qui Collationi interfuerat, imo a quo potissimum ea B procurata, teste Possidio, brevissimam ejus epitomen seu Breviculum conscripsit. Sed et Fr. Balduinus, antequam acta ipsa ederentur, historiam ejus Collationis Cathaginensis sive disputationis edidit luculentam. Hæc igitur illa gesta sunt : hic ille Marcellinus, de quo multa Augustinus, Orosius, Hieronymus : ad quem etiam exstat *lex ultima infr. de religione*, quæ lex, ut acta Collationis edocent, pars est mandatorum ipsorum, seu imperialis Honorii sanctionis, qua ei cognitio anno D. 410, tributa fuerat : ut ad eam plenius ostendetur. Quamquam et gesta de sceleribus Donatistarum post Collationem Carthaginensem hic quoque intelligi possunt : de quibus sub finem Commentarii.

Quod secundum attinet : vel ex *hac leg.* liquet, ei ferendæ occasionem præbuisse *mortem* ipsius Marcellini. Nempe Donatistæ eo mortuo contendebant, gestorum quoque sub ejus notione fidem perire debere : ac maxime, quod ipsum tamquam *Heraclia-* C *ni* tyranni (de quo *l.* 21. *de Pœnis* : et *l.* 13, *de Infirm. his quæ sub tyr.* et cui *l.* 51, *supr.* et *l. prox. sequ.* 56, inscripta est, ubi dicam) partium e medio sublatum contenderent : atque adeo ut ipsius Heraclianı tyranni gesta irrita fuerant *ea l.* 13, anno superiore, ita et Marcelliana illa pariter infirmanda viderentur. Nempe Hieronymus scribit *lib.* III *contra Pelagianos*, Marcellinum sub invidia tyrannidis Heraclianæ ab hæreticis innocenter cæsum fuisse. Scilicet, Donatistæ, ut post Collationem statim calumniæ tela in eum sparsere, quasi perperam, noctu, auroque a Catholicis corruptus sententiam in Donatistas dixisset : ita postea iisdem agentibus, hi enim procul dubio *hæretici* sunt, (quos Hieronymus intellexit) calumniam passus, quasi Heraclıani partium, cæsus fuit. Neque dubito, occasione *legis* 21 *de Pœnis* : qua exciti publice ab Honorio delatores satellitum et consciorum Heraclıani. Tandem, quo spectabant maxime, gesta ab eo, mortuo eo, et quidem quasi perduelle, irrita D esse jactabant. Verum, ut auctor mortis ejus *Marinus Comes* qui Africam Romano imperio restituerat, et rempublicam ab Heraclıano tyranno liberaverat : ab Honorio ex Africa revocatus, dimissus est, quod scribit Orosius *l.* VII, *cap.* 42, *in fin.* ita idem Honorius hac constitutione et famam Marcellini vindicatum ivit, quod ex eo apparet, quod *Spectabilis memoriæ virum* vocat, et gesta simul sub ejus notione contra Donatistas confirmavit. Qua non absimili ratione *legem prox.* promulgatam mox ostendam.

Hinc interim quoque discimus; quod et alias constat, in negotio religionis captatam aliquando occasionem mortis judicis alicujus ab hæreticis ad irritanda ea quæ sub judice aliquo actitata fuerant, atque in publica acta translata. Verum ut *hac leg.* definitur, eorum auctoritatem esse æternam voluere principes, voluit *hac leg.* Honorius. Quæ quidem definitio seu constitutio locum obtinet, ubi omnia legitime gesta sunt, constitutis cominus partibus, ut in Collatione Carthaginensi inter Catholicos et Donatistas. Aliud enim si μονομερῶς quædam gesta ἀπόντων τινῶν. De quo est Anastasii locus *Apol. ad Imp. Constantinum*, quæ scripta anno D. 356, in initio : Προθήκη δὲ πρὸς φανερὰν ἀπόδειξιν, εἰ καταξιώσειας μαθεῖν, ὅτι παρόντων μὴν ἡμῶν οὐδὲν ἀπέδειξαν οἱ κατηγοροῦντες κατὰ Μακαρίου τοῦ πρεσβυτέρου, ἀπόντων δὲ ἡμῶν ΚΑΤΑ ΜΟΝΑΣ ἔπραξαν ἅπερ ἠθέλησαν : τὰ δὲ τοιαυτὰ προηγμένως μὲν ὁ θεῖος νόμος, ἔπειτα, καὶ οἱ ὑμέτεροι νόμοι μηδεμίαν ἔχειν δύναμιν ἀπεφηναντο : et *Apol.*, *p.* 578, ubi quæritur adversus Marcellum, ἐν δὲ τῷ μαρεώτῃ μὴ παρεῖναι ἔνθα τὰ ΥΠΟΜΝΗΜΑΤΑ κατ' αὐτοῦ γεγενῆσθαι λέγεται, οἴδατε δὲ ἀγαπητοί, ὅτι τὰ κατὰ ΜΟΝΟΜΕΡΕΙΑΝ ἰσχὺν οὐκ ἔχει, ἀλλ' ὑποπτα τυγχάνει. Quæ omnia ad eam juris æquitatem pertinent, *absenter neminem damnandum accusatorem et reum simul in judicio adesse oportere* : quam in rem sunt et alia Athanasii loca. Aliud vero in hoc casu, ubi omnia legitime gesta; quæ procul dubio ideo Donastistæ abolita volebant, quod ex his eorum fraudes et sophismata notescerent, quæ ad sui infamiam tendere videbant, et ideo e medio sublata cupiebant; ut etiam ea quæ infamandi alterius causa in monumenta publica relata, e medio tolli jubentur, *l.* 37, *de Injur.* Sed firma hæc esse voluit Honorius et exstare ad eorum infamiam, pariter ut idem rescriptum quod iidem Donatistæ a Juliano impetraverant, proposito programmate celeberrimis in locis anteferri voluit, et gesta quibus erat ejusmodi allegatio inserta : subnectens, *quod clarius innotesceret et catholicæ confidentiæ stabilita constantia et Donatistarum desperatio fractaque audacia.* Hæc, inquam, Honorii mens fuit: eodemque fine eadem gesta collationis Carthaginensis in Ecclesiis Africanis Quadragesimæ tempore recitari solita testatur, *lib. de Gestis cum Emerito.* Sed et Marcellinus acta de sceleribus Donatistarum post Collationem Carthaginensem proponi voluit in Theoprepria, quo frequens, ut videtur, multitudo confluebat, velut in locum Carthagine celeberrimum, eademque per ecclesias recitari desideravit *epist.* 158, *ad Marcellinum.* De quibus gestis hæc quoque lex accipi possit, ut jam ante indicavi.

XXXVII. Cœtus ritusque hæreticorum hac constitutione Honorius imperator per Africam sub pœna proscriptionis et sanguinis, rursum prohibet. Quæ constitutio et *Heracliano Com. Africæ* inscribitur, et subscriptos habet consules, qui anno Domini 415, congruunt. Denique totidem pene verbis ex *l.* 51, transcripta est. Quod utique mirum : Sic ut de vitio suspecta videri possit : quandoquidem Heraclianus cui ea inscribitur, tyrannus jam factus et exinde profligatus jam cæsusque ante biennium anno 413, fuerat : quod docuit *lex* 13, *de Infirmandis his quæ sub tyrannis :* et *l.* 21 *supr. de Pœnis.* Quare Baronius hanc legem ad annum 412, referendam existimavit, id est, *ad Honorium* IX *et Theodosium* V. AA. coss. Atque adeo consulum præposteratio videri possit. Verum tamen, cum rem propius intueor, nihil mutandum censeo. Nempe ita existimo simili occasione hanc legem in Africa propositam, imo repositam, qua superiore anno superiorem *legem* 45 promulgatam ostendi. Nempe Heracliano tyranno

Digitized by Google

tendos se pœna et proscriptionis et sanguinis, si ultra convenire per publicum exercendi sceleris sui temeritate tentaverint : ne qua vera divinaque reverentia contagione temeretur. Dat. VIII kalend. Sept. Honorio X, et Theod. VI, AA. coss.

ANNO DOMINI CCCCXVIII.

XXXVIII. LEX IMP. THEODOSII JUNIORIS.

IN QUA INTER HÆRETICOS QUIBUS NUSQUAM IN ROMANO SOLO CONVENIENDI ORANDIQUE LOCUS RELINQUITUR ENUMERANTUR DONATISTÆ.

(*Ibid.*, *L.* 65.)

1° Hæreticorum ita est reprimenda insania, ut ante omnia quas ab Orthodoxis abreptas tenent ubicumque *Ecclesias*, statim catholicæ Ecclesiæ traden- A das esse non ambigant : quia ferri non potest, ut qui nec proprias habere debuerant, ab Orthodoxis possessas, aut conditas, suaque temeritate invasas, ultra detineant. 2° Dein, ut si alios sibi adjungant *clericos*, vel ut ipsi æstimant, *sacerdotes*, decem librarum auri mulcta, per singulos, ab eo qui fecerit, et qui fieri passus sit : vel si paupertatem prætendant, de communi clericorum ejusdem superstitionis corpore, vel etiam donariis ipsis, extorta nostro inferatur ærario. 3° Post hæc, quoniam *non omnes eadem austeritate plectendi sunt*, Arianis quidem, Macedonianis et Apollinarianis, quorum hoc est facinus, quod nocenti meditatione decepti, credunt de veritatis fonte mendacia, intra nullam civitatem ecclesiam habere liceat. Novatianis autem et Sabbatianis B omnis innovationis adimatur licentia, si quam forte

JACOBI GOTHOFREDI COMMENTARIUS.

cæso, ejusque gestis infirmatis *d. l.* 13, memoria privatim publice aboleri jussa, Donatistæ et eam simul legem, quæ ad Heraclianum olim ante quinquennium anno 410, adversus se lata fuerat, id est, legem 51, pariter infirmandam et infirmatam jactasse videntur : haud aliter atque gesta sub Marcellino post ejus mortem irrita jactabant. Quare Honorius recentari hanc legem voluit et in Africa proponi, cum eadem inscriptione *ad Heraclianum Com. Africæ*, ut ita Donatistis liqueret, quamlibet infirmatis aliis sub Heracliano gestis, ejusque memoria privatim publice abolita *dict. l.* 13, non ideo tamen eam *legem* 51, infirmatam : multumque interesse inter ea quæ ipse gessisset, vel etiam a privatis sub eo gesta, a publicis atque imperatoriis gestis, atque adeo constitutionibus ad eum directis : pariter ut superiore lege gesta notione et sollicitudine Marcellini cognitoris in Collatione Carthaginensi in publica monumenta translata perpetuam firmitatem habere voluit. Atque hac interpretatione ab emendatione hæc lex defendi potest. Ubi etiam observandum, nihil jam hac lege agi (quod tamen agitur in *dict. l.* 51) de oraculo infirmando, quo Donatistæ ad ritus suos obrepserant. Cujusmodi sane hac tempestate nullum emerserat. Atque hoc inter hanc et illam discrimen.

Atque hactenus Honorii imp. constitutiones : sequuntur Theodosii Jun. et Valentiniani III.

XXXVIII. In hæreticos et hæreses, quarum *viginti tres* hic nominat, est hæc amplissima Theodosii Junioris constitutio : data fine mensis Maii anno D. 428, qua cum pleraque anterioribus constitutionibus cauta repetantur, ac nominatim confirmentur : nihil attinet ea sigillatim expendere : præsertim cum ejus capita et sententias jam in notis distinxerimus. Quare singularia tantum quædam in ea nunc sectabor. Primum eo notabilis est hæc lex, quod Theodosius Jun. *hæreticos non omnes eadem austeritate plectendos*, ait. Quod in argumento de hæreticis sedulo observandum, et vero ex hujus tituli constitutione passim id ipsum discimus. Theodosius certe *hac leg.* ideo quatuor ut hæreticorum classes, ita et pœnarum gradus constituit. Prima classis est eorum, quibus intra civitates tantum non in agris ecclesiarum jus adimit. Quo in censu ponit tres hos : Arianos, *Macedonianos* et *Apollinarianos :* suæ proinde quædam his ecclesiæ a Theodosio *hac leg.* relictæ extra civitates. Quod etiam discimus de *Macedonianis*, ex iis quæ anno proximo 429, contigere : Eo scilicet Macedonianis ablatæ ecclesiæ extra muros urbium quarumdam, et in his Constantinopolitanæ, ea occasione quam memorat Socrates *lib.* VII, *c.* 31, et Marcellinus Chronico : Ἀφῃρέθησαν, inquit Socrates, ἥ τε ἐν Κωνσταντίνου πόλει πρὸ τοῦ παλαιοῦ τείχους τῆς πόλεως, καὶ ἡ ἐν Κυζίκῳ καὶ ἄλλαι πολλαὶ ὧν εἶχον ἐν τοῖς ἐν Ἑλλησπόντῳ ἀγροῖς. *Orthodoxi nostri*, inquit Marcellinus, *Macedonianorum ecclesiam extra urbis muros positam abstulerunt*, quoniam, etc. Secunda classis hæreticorum est, eorum quos suis ecclesiis contentos esse jubet, neque alias de novo ædificare (puta *Novatianos*, *Sabbatianos.*) Tertia classis est eorum quibus nusquam in Romano solo conveniendi orandique, neque in agris facultatem habere jubet. Postrema in classe sunt Manichæi, quos etiam civitatibus expelli jubet. Unde liquet etiam, levissimam Novatianorum et Sabbatianorum conditionem ; gravissimam Manichæorum constitui. Nempe Novatiani et Sabbatiani meliore semper loco inter hæreticos habiti fuere : de quo dixi plene ad *l.* II, *et* 59 etiam ex Socrate et Sozomeno. At C enim Manichæi deterrimo, quos et ideo hic ad imam usque scelerum nequitiam pervenisse ait Theodosius Junior in Novella sua de Judæis 3 vers. superest *Deo semper offensos*, de quo dixi ad *l.* 3, et *l.* 3, 4, *de Apostatis.* Secundo observetur, Castrensi seu armata militia hæreticos et in his Eunomianos non interdici; et Synesium tamen conqueri videmus *epist.* 5, de Eunomianorum militia. Sane horum temporum militia armata, ad miscellanea omnis generis hominum venit, barbarorum, hæreticorum. Tertio observetur, hæreticis donandi, testandi in certas personas jus concessum fuisse. Quænam vero personæ illæ sint, alibi non expressum. Quarto notetur, hæreticis Catholicos ut servos habere quocumque titulo permittitur, ita mysteriis suis imbuendi, vel prohibendi eos catholicam religionem sequi, pœnam exilii et 10 librarum auri imponi. At enim Judæo neque Christianum mancipium quoquo titulo habere licuit, et id superstitione sua D imbuenti capitale fuit : ut docebit *titulo ne Christianum mancip. Jud.* Postremum notetur, judici pœnas legem neque dissimulare, neque mollire sine fraude licere : cui congruit et *lex.* 8 *sup. de appellationibus*, *l. ultim. supr. ad L. Jul. de Vi publ. seu l.* VIII *Cod. eod.* Symmachus *libro extremo epist. extrema. Alia est conditio Magistratuum, quorum corruptæ videntur esse sententiæ, si sint legibus mitiores : alia dominorum principum potestas, quos decet acrimoniam severi juris inflectere :* vid. et Novellam *Justin.* 82, Quintil. *declam* 17, 345, *l.* XV, *π. ad municipal.* Quid est igitur quod Augustinus *in epist. ad Marcellinum* 158, scribit : *Soleo enim audire in potestate esse judicis mollire sententiam et mitius vindicare quam leges ?* Nempe de illis legibus id accipio, quæ ad terrorem scriptæ, cujusmodi fuere ferme in hæreticos scriptæ. Quod tamen ipsum *hac leg.* exerte judicibus interdicit.

Tandem certam puto Baronii conjecturam, *hanc*

Digitized by Google

tentaverint. Eunomiani vero, Valentiniani, Montanistæ, seu Priscillianistæ, Fryges, Marcianistæ, Borboriani, Messaliani, Euchytæ, sive Enthysiastæ, Donatistæ, Audiani, Hydroparastatæ, Ascodrogitæ, Fotiniani, Pauliani, Marcelliani, et qui ad imam usque scelerum nequitiam pervenerunt, Manichæi nusquam in Romano solo conveniendi, orandique habeant facultatem, Manichæis etiam de civitatibus expellendis : quoniam nihil his omnibus relinquendi loci est, in quo ipsis etiam elementis fiat injuria. Nulla his penitus præter cohortalinam in provinciis, et castrensem, indulgenda militia. Nullo donationis faciendæ invicem, nullo testamenti aut voluntatis ultimæ penitus jure concesso. Cunctisque legibus, quæ contra hos, cæterosque, qui nostræ fidei refragantur, olim latæ sunt, diversisque promulgatæ temporibus, semper viridi observantia valituris, sive de donationibus in hæreticorum factis ecclesias, sive **332** ex ultima voluntate rebus qualitercumque relictis : sive de privatis ædificiis, in quæ Domino permittente, vel cohibente convenerint, venerandæ nobis catholicæ vindicandis Ecclesiæ : sive de procuratore, qui hoc nesciente domino fecerit, decem librarum auri mulctam, vel exilium, si sit ingenuus subituro : metallum vero post verbera, si servilis conditionis sit : ita ut nec in publico convenire loco, nec ædificare sibi ecclesias, nec ad circumscriptionem legum quicquam meditari valeant : omni civili et militari, Curiarum etiam, et defensorum, et judicum, sub viginti librarum auri interminatione, prohibendi auxilio. Illis etiam in sua omnibus manentibus firmitate, quæ de militia et donandi jure, ac testamenti factione, vel negandi penitus, vel in certas vix concessa personas, pœnisque variis de diversis sunt hæreticis promulgatæ : ita ut nec speciale quidem beneficium adversus leges valeat impetratum. Nulli hæreticorum danda licentia, vel ingenuos, vel servos proprios, qui Orthodoxorum sunt initiati mysteriis, ad suum rursus baptisma deducendi : nec vero illos quos emerint, vel qualitercumque habuerint, necdum suæ superstitioni conjunctos, prohibendi catholicæ sequi religionem Ecclesiæ. Quod qui fecerit, vel cum sit ingenuus, in se fieri passus sit, vel factum non detulerit, exilio ac decem librarum auri mulcta damnabitur, testamenti et donationis faciendæ utrique deneganda licentia. Quæ omnia ita custodiri decernimus, ut nulli judicum liceat delatum ad se crimen minori, aut nulli coercitioni mandare, nisi ipse id pati velit, quod aliis dissimulando concesserit. Dat. III Kal. Jun. Constantinop. Felice et Tauro coss.

333 ANNO DOMINI CCCXL.

XXXIX. LEO PAPA I.

AD EPISCOPOS MAURITANIÆ CÆSARIENSIS.

(*Ex epistola prima*).

Maximinum quoque ex laico reprehensibiliter ordinatum, tamen si Donatista jam non est, et a spiritu schismaticæ pravitatis alienus, ab episcopali, quam quoquo modo adeptus est, non repellimus, dignitate : ita ut et ipse libello ad nos edito, Catholicum se esse manifestet.

XL. FASTIDIOSUS ARIANUS.

(*Apud Fulgentium; Ep.* IX.)

Donatistis etiam prædicantibus communione malorum bonos pollui. *Et postea.* Donatiana quippe vanitas non attendit ad hoc collatum hominibus baptismi beneficium, ut qui originaliter alienis gravantur erroribus, gratiæ medentis auxilio relevati, propria deinceps tantummodo bajularent, nec communio sacramenti, sed consensus damnaret unumquemque peccati.

XLI. SANCTUS PETRUS CHRYSOLOGUS.

ARCHIEPISCOPUS RAVENNATIS.

(*Serm.* 13.)

Consiliis suis se diabolus prodit. *Mitte te deorsum.* Lapsus quærit, præcipitia imperat, et tali consilio per Africam martyres facit, sine clamore dicendo : Si vis martyr esse, mitte te deorsum, ut eos impellat de alto ad mortem, non de humili tollat et elevet ad coronam.

XLII. CASSIODORUS.

(*In Psal.* LX.)

Audiant Donatistæ a finibus terræ Ecclesiam clamare, et ipsi eam localem dicere protinus conquiescant. Contra vocem mundi quis possit audiri? Impudentissimum est adversum trium testimonium loqui, et contra generalem sententiam non erubescunt

JACOBI GOTHOFREDI COMMENTARIUS.

leg. a Theodosio Jun. promulgatam, Nestorii (qui his coss., superiore mense, 4 idus Aprilis episcopus Constantinopolitanus creatus fuit, quod testatur Socrates *lib.* VII, *c.* 29) persuasione. Nam non Vincentius Lerinensis tantum (qui octennio post *hanc leg.* scribebat), testatur *eum cunctarum hæreseon blasphemias insectatum* : verum et Socrates *diserte d. cap.* 29, scribit, eum simul ac episcopus creatus fuit, oratione ad imp. Theodosium Jun. habita, hæc, quæ postea in multorum ore fuerunt, inter cætera dixisse : *Mihi, o imperator, terram hæreticis purgatam tribue, et ego tibi cælum tribuam. Tu mihi in profligandis hæreticis subveni, et ego tibi in profligandis Persis subveniam* : Δός μοι, ὦ Βασιλεῦ, καθαρὰν τὴν γῆν τῶν αἱρετικῶν, κἀγώ σοι τὸν οὐρανὸν ἀντιδώσω : συγκάθελέ μοι τοὺς αἱρετικούς, κἀγώ συγκαθελῶ σοι τοὺς Πέρσας. Quæ verba, ut etiam ab iis, quibus odio erant hæretici, accepta fuerint, subjicit etiam *eodem cap.* 29, quid in Arianos, Novatianos, Quartodecimanos molitus sit ad tumultum et incendium usque : impetum tamen ejus in Novatianos ab imperatore repressum (cujus Theodosii moderationis in Novatianos et hæc lex fidem facit). Addit idem Socrates *eodem lib. cap.* 31, et Macedonianos afflixisse, tandemque imperatori persuasisse ut ecclesiæ illis adimerentur : et vero ademptam eis ecclesiam extra vetera urbis Constantinopol. mœnia sitam, alteram Cyzici, et alibi præterea complures, quas in agris Hellesponti tenebant. Juxta hanc legem scilicet qua iis in civitatibus tantum ecclesiæ eis interdictæ. Ergo quæ memorat Socrates, posteriora sunt hac lege.

Digitized by Google

impudenter armari. Cur novis inventionibus animas fatigant? Accipiant certe quod credant, non quod sua iniquitate pervertant. Orat fidelis populus *a finibus terræ quia factus est* Dominus *spes ejus*, posteaque se auditum hymnidica 334 exultatione gratulatur: quoniam in conspectu Domini jugiter apparebit! quid jam satisfaciat, si hoc non satiat? Videmus quotidie fieri quod promisit: videmus mundum ad fidei Christianæ regulas convenire: Et proh dolor! Falsitas nititur abscondere quod decrevit veritas indicare.

ANNO DOMINI DII.

XLIII. GREGORIUS MAGNUS.

(*Lib.* I, *Epist.*, *Indict.* IX, *Ep.* LXXII.)

Gregorius Gennadio patricio et exarcho Africæ.

Sicut excellentiam vestram, hostilibus bellis, in hac vita Dominus victoriarum fecit luce fulgere; ita oportet etiam inimicis Ecclesiæ ejus omni vivacitate mentis et corporis obviare: quatenus ejus et utroque triumpho magis ac magis enitescat opinio: cum et forensibus bellis adversariis catholicæ Ecclesiæ vehementer obsistere et Ecclesiastica prælia sicut bellatores Domini fortiter dimicatis. Notum est enim hæreticæ religionis viros, si eis, quod absit, suppetit nocendi licentia, contra catholicam fidem vehementer insurgere, quatenus hæreseos suæ venena ad tabefacienda se valuerint Christiani corporis membra transfundant. Cognovimus enim eos contra Ecclesiam catholicam Domino eis adversante colla subrigere, et fidem velle Christiani nominis inclinare. Sed eminentia vestra conatus eorum comprimat, et superbas eorum cervices jugo rectitudinis premat.

XLIV. *Idem eodem in Lib. Ep.* LXXV,

Gregorius universis episcopis Numidiæ.

Petiistis etenim per Hilarium chartularium nostrum a B. memoriæ prædecessore nostro ut omnes vobis retro temporum consuetudines servarentur, quas a beati Petri apostolorum principis ordinationum initiis hactenus vetustas longa servavit. Et nos quidem juxta seriem relationis vestræ consuetudinem, quæ tamen contra fidem Catholicam nihil usurpare dignoscitur inmotam permanere concedimus, sive de primatibus constituendis cæterisque capitulis, exceptis his qui ex Donatistis ad episcopatum perveniunt, quos provehi ad primatus dignitatem, etiam cum ordo clericorum eos ad locum eumdem deferat, modis omnibus prohibemus. Sufficiat autem illis commissæ sibi plebis tantummodo curam gerere, non autem etiam illos antistites quos catholica fides Ecclesiæ sinu et edocuit et genuit ad obtinendum culmen primatus anteire.

ANNO DOMINI DXCII.

XLV. *IDEM Lib.* II, *Ep.* XXXIII.

Gregorius Columbo episcopo Numidiæ.

Notum est, charissime in Christo Frater, quod antiquus hostis qui primum hominem de Paradisi deliciis in hanc ærumnosam vitam callida persuasione deposuit, et in eo jam tunc humano generi pœnam mortalitatis inflixit; eadem nunc calliditate ovium dominicarum pastores, quo facilius gregem capiat, transfusis conetur venenis inficere, et jure jam potestati propriæ vindicare. Sed nos qui licet immeriti sedem apostolicam vice Petri apostolorum principis suscepimus gubernandam, ipso pontificatus officio cogimur generali hosti quibus valemus nisibus obviare. Porrecta igitur petitione insinuaverunt nobis præsentium latores Constantius et Mustellus, et asserunt Ecclesiæ Pudentianæ diacones in Numidia provincia constitutæ Maximianum ejusdem ecclesiæ antistitem, in loco quo degit, corruptum præmio Donatistarum episcopum nova licentia fieri permisisse; cum etsi hoc anterior usus permitteret, manere atque persistere fides catholica prohiberet. Ob hoc ergo fraternitatem tuam scriptis præsentibus necessario duximus adhortandam ut veniente ad te Hilario chartulario nostro, adunato episcoporum universali concilio, habito præ oculis terrore venturi judicis causa eadem subtili ac solerti debeat indagatione perquiri. Et si capitulum hoc a præsentium latoribus prædicto episcopo documentis idoneis fuerit approbatum, a dignitate officioque quo fungitur, omnibus modis degradetur: ut et ille ad pœnitentiæ lucra per agnitionem delicti redeat, et cæteri tentare talia non 335 præsumant. Æquum est enim ut qui Jesum Christum Dominum nostrum hæretico accepta pecunia venundedit, ut fertur, ab ejus videlicet sacrosancti corporis et sanguinis tractandis mysteriis submoveatur. Si qua autem inter eos extra crimen hoc damnorum quorumdam vel privatorum negotiorum, sicuti petitio diaconorum ipsorum continet, versatur intentio, hanc tua fraternitas cum prædicto chartulario nostro privata cognitione perquirat, et inter utramque partem justitia procedente definiat. Porro autem præsentium latorum insinuatione didicimus Donatistarum hæresim pro peccatis nostris quotidie dilatari, et valde plures, data per venalitatem licentia, post catholicum baptisma a Donatistis denuo baptizari. Quod quam grave sit, Frater, oportet nos tota mentis intentione perpendere. Ecce lupus Dominicum gregem non jam in nocte latenter sed in aperta luce dilaniat, et nos eum grassari in ovium nece cernimus, et nulla ei sollicitudine, nullis verborum jaculis obviamus. Quos ergo fructus Domino multiplicati gregis ostendemus, si et ipsum quem paseendum suscepimus otiosa mente cernimus a bestia devorari.... Vigilemus ergo ne quid pereat, et si forte quid captum fuerit, vocibus divinorum eloquiorum ad gregem Dominicum reducamus, ut ille qui pastor pastorum est vigilasse nos circa gregem suum suo misericors dignetur judicio comprobare. Hoc quoque vos necesse est solerter intendere, ut si qua contra latores præsentium ejusdem episcopi recta fuerit petitio subtili debeat indagatione perquiri: et si fortasse ipsi pro sua culpa jure feriendi sunt, nequaquam consensus esse parcendum.

Digitized by Google

ANNO DOMINI DXCIV.

XLVI. *IDEM Lib.* III, *Ep.* XXXII.

Gregorius Pantaleoni præfecto Africæ.

Hæreticorum nefandissimam pravitatem, qualiter lex persequatur instantius excellentiæ vestræ non habetur incognitum. Hi igitur quos et fidei nostræ integritas et legum damnat districtio mundanarum, non leve peccatum est, si vestris inveniant temporibus licentiam reserpendi. In illis igitur partibus quantum didicimus, ita Donatistarum crevit audacia, ut non solum de suis ecclesiis auctoritate pestifera ejiciant fidei catholicæ sacerdotes: sed hos quos vera confessione aqua regenerationis abluerat, rebaptizare non metuant, valdeque miramur, si tamen ita est, ut vobis illic positis liceat hujuscemodi hominibus pravis excedere. Primum siquidem quale de vobis judicium hominibus relinquatis attendite: si hi qui aliorum temporibus justa ratione compressi sunt vobis administrantibus viam sui excessus inveniant. Deinde perditorum animas Deum nostrum de manu vestra scitote requirere si tantum nefas in quantum possibilitas exigit emendare negligitis.

XLVII. *IDEM, Ibid., Ep.* XXXV.

Gregorius Victori et Columbo episcopis Africæ.

Comperimus Donatistarum stimulos sic in illis partibus gregem turbasse Dominicum, ac si nullius pastoris moderamine regeretur, nuntiatumque nobis est quod dicere sine gravi dolore non possumus, quod plurimi eorum venenatis jam sint dentibus laniati. Denique sacerdotes canonicos pravissima de suis ecclesiis temeritate repellere, et multos insuper quibus salutem regenerationis aqua præbuerat rebaptizantes, pravitate nefandissima necavisse dicuntur. Quæ res animos nostros valde mœstificant quod vobis illic positis damnatæ præsumptioni tantum scelus perpetrare licuerit, qua de re fraternitatem vestram scriptis decurrentibus adhortamur, ut habito tractatu initoque concilio, ita nascenti huic adhuc morbo inhianter ac tota virtute debeatis obsistere, dummodo nec vires ex neglectu percipiat, nec in commisso vobis grege pestilentiæ damna concutiat.

ANNO DOMINI DXCVI.

XLVIII. *IDEM, Lib.* V, *Ep.* XXXVI.

Gregorius Columbo episcopo Numidiæ.

Præterea res ad nos omnino dura et rectæ fidei inimica pervenit, quia quod dici nefas est catholici homines et religiosi, quod est deterius, filios mancipiaque sua vel alios quos in potestate habent, in Donatistarum hæresi baptizari consentiunt. Et ideo si verum est fraternitas vestra hoc summopere studeat emendare: quatenus sinceritas fidei vestræ sollicitudine intemerata consistat, et innocentes animæ quæ catholico baptismate salvari poterant, hæreticorum infectione non pereant. Quisquis ergo de his personis quas superius memoravimus, quemquam suorum apud Donatistas passus est baptizari, ad catholicam eos fidem omni virtute omnique instantia studeat revocare. Si quis vero talium de cætero hoc fieri de suis qualibet excusatione pertulerit, a clero sit omnibus modis alienus.

XLIX. *IDEM, ibid., Ep.* LXIII.

Gregorius Maurico Augusto.

Inter armorum curas et innumeras sollicitudines quas indefesso studio pro christianæ reipublicæ regimine sustinetis, magna mihi cum universo mundo lætitiæ causa est, quod pietas vestra custodiæ fidei, qua dominorum fulget imperium, præcipua sollicitudine semper invigilat. Unde omnino confido, quia sicut vos Dei causam religiosæ mentis amore tuemini, ita Deus vestras majestatis suæ gratia tuetur et adjuvat. Qualiter autem pietatis vestræ serenitas contra Donatistarum flagitiosissimam pravitatem consideratione justitiæ et sincerissimæ religionis zelo commota sit directarum lucidissime tenor insinuat jussionum. Sed venientes viri reverendissimi ex Africana provincia episcopi asserunt ita esse incauta dissimulatione postpositas, ut nec Dei illic judicium haberetur in metu, nec principales hactenus jussiones sortirentur effectum: hoc etiam subjungentes quod in præfata provincia Donatistarum præmiis prævalentibus fides catholica publice venundetur. At contra gloriosus vir Gennadius de uno eorum mihi similia questus est qui talia querebatur, cui etiam duo alii certi in eadem re testimonium ferebant. Sed quia causa ipsa judicis sæcularis intererat, eosdem episcopos ad pietatis vestræ existimavi esse vestigia dirigendos, ut per semetipsos serenissimis auribus suggerant quæ se fatentur pro fide catholica pertulisse. Ea propter obsecro ut dominorum Christianitas pro salute animæ et vita piissimæ sobolis suæ, eos quos tales esse cognoscit, districta ulcisci jussione præcipiat, et ruinam pereuntium ereptionis manu suspendat, atque insanis mentibus correptionis medicinam adhibeat, et errorum ab eis morbos expellat: quatenus dum piæ provisionis vestræ remedio, pestiferæ pravitatis fuerit caligo depulsa, et vera illic fides radios suæ serenitatis asperserit, cœlestis vos ante Redemptoris nostri oculos triumphus exspectet: quia quos exterius ab hoste defenditis, etiam interius a diabolicæ fraudis veneno, quod est gloriosius, liberatis.

Digitized by Google

337 APPENDIX AD MONUMENTA PRÆCEDENTIA.

HISTORIA
CARTHAGINENSIS COLLATIONIS

OLIM HABITÆ INTER CATHOLICOS ET DONATISTAS.

AUCTORE FRANC. BALDUINI. J. C.

R. D. JOANNI TILIO EPISCOPO MELDENSI FRANC. BALDUINUS S. D.

Cum hisce diebus Optatum nostrum, quem ope tui codicis iterum emendatum rursus edere instituo, forte relegerem, diu multumque cogitavi, quid sibi vellet quod ait, rempublicam non esse in Ecclesia, sed Ecclesiam esse in republica. Ut autem gravissimæ hujus sententiæ rationem et causam videor mihi tandem assecutus, sic respiciens temporum nostrorum conditionem, vel potius confusionem, judicavi recte dici quoque posse, rempublicam magis esse in Ecclesia, quam sit Ecclesia in republica. Est enim reipublicæ tamquam corporis, ipsa Ecclesia veluti anima; ut si hæc sapiat, illi bene esse; si insaniat, male esse statuamus. Et vero sine Ecclesia bene constituta, neque ullus reipublicæ status stabilis esse potest, neque ut quisquam esse possit, valde optandum est, si modo quis esse debeat finis rerum humanarum, meminerimus. Fuisse autem semper majores Ecclesiæ quam reipublicæ bene constituendæ difficultates non negamus, neque in ista corrupti orbis terrarum colluvione miramur tam magnas semper fuisse, cum etiamnum acerrime disceptetur, quid et ubi Ecclesia sit, et quænam aut ea sit, aut ejus forma esse debeat. Hæc vero quæstio tanto major est, quo majoris ponderis et momenti rem esse constat : et Ecclesiæ salute, reipublicæ salutem contineri (ut et illius perturbationem hujus quoque perturbatio sequitur), necesse est ut agnoscamus : quo magis et utramque salvam esse velimus, et utriusque servandæ rationem teneamus, quicumque prospicimus, qualis alioqui utrique impendeat calamitas. Neque vero, qualis quantaque nunc utriusque non solum perturbatio, sed etiam confusio sit, quæritur : scimus enim plusquam etiam vellemus, esse tristissimam et miserrimam. Verum quæritur, ecquæ tantorum malorum depulsio, non solum optari, sed etiam sperari possit. Audio enim attonitos gubernatores, si qui sapiant, id sollicite quærere, quos alioqui non solum terret, sed etiam desperatione quadam fractos et debilitatos percellit hæc tempestas ejusque intemperies. Sed cum meminerim non minores olim fuisse fluctus, ex quibus tamen emerserit et respublica et Ecclesia, consilio et virtute suorum defensorum liberata ; non existimo deesse consilium, si sibi et suo muneri non desint ipsi rectores quibus mandatum est, operam ut dent, ne quid vel hæc vel illa detrimenti capiat. Exemplum enim et veluti formulam atque adeo legem officii, et conspirantis cum religione sapientiæ, quæ turbas omnes et olim composuerit, et nunc componere possit, ipsa veteris Ecclesiæ atque reipublicæ historia suppeditat. Ergo semper judicavi, imprimis consulendam 338 esse sapientem et religiosam antiquitatem : neque præterea tantum mihi arrogo, ut de re tanta sententiam dicere meam velim : neque si tantum mihi sumam, sim ferendus. Illud modo dicam : si quales olim Marcellinos Augustinosque habuit Africa, nunc haberet Gallia, magnam sperari posse levationem eorum malorum, quibus nunc respublica premitur. Quid autem magni illi viri et veluti Heroes fecerint, tumultuantibus in Africa Donatistis, et quam secuti sint rationem eorum revincendorum, ut magis intelligerem, tu ipse fecisti, qui mihi collationis Carthaginensis acta quædam nondum evulgata communicasti. Eorum vero lectio me impulit, ut eam historiam altius repeterem et diligentius persequerer, et familiarius exponerem, cum historiæ Ecclesiasticæ, cujus studiosum esse me non inficior, non ignobilem partem esse sentirem, et ejus memoriam hisce temporibus valde utilem esse posse existimarem. Ad quem autem eam referrem, diutius deliberandum non esse existimavi, cum tu occurreres, qui auctor et adjutor fuisti, ut aliquam huic commentario operam darem : et idoneus imprimis sis judex harum rerum et antiquitatum Ecclesiasticarum neque non ad Augustini quamdam imitationem te compares : denique venit in mentem, non solum rempublicam et Ecclesiam plurimum tibi debere, sed et privatim me tibi multis nominibus devinctum esse : neque tibi modo, sed et archigrammateo fratri tuo, et dominis a S. Andrea, fratribus, tuis affinibus, viris clarissimis atque doctissimis. Neque sane testificandæ meæ erga te et tuos observantiæ rationem meliorem esse judicavi, quam hujusce consilii relationem : neque si de privato nostro jure civili otiosam et humilem et tritam aliquam ex subtili pulvere vel fori vel auditorii alicujus disputationem repeterem, existimavi gratiorem tibi fore ejus muneris editionem : veritus sum potius, ne tunc audirem vetus illud,

Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit.

Vale, Lutetiæ Parisiorum kalend. April 1566.

Digitized by Google

339 LECTORI.

De Æinea spectante Carthaginensem picturam belli Trojani scripsit olim bonus Poeta :

Animum pictura pascit inani
Multa gemens.....

Ego vero ut Æneidem illam aliquando relegens, quam mihi puero in ludo prælectam fuisse memini, et meorum casuum conditionem comparans varie afficior, multum ipse et terris jactatus et alto : sic in ista Ecclesiæ prope deploratæ calamitate et communibus reipublicæ miseriis, quibus non minus quam privatis ærumnis commoveor, mœstum animum utcumque pasco veterum historiarum recordatione, in quibus multa etiam occurrunt, quæ me gemitusque meos consolentur. Cum autem id agens forte incidissem in quædam monumenta Ecclesiæ Carthaginensis, in quibus, non ut ille in templo Didonis, pictam belli Trojani historiam sed Ecclesiasticæ cujusdam de Ecclesia cum Donatistis disputationis nobillissimam descriptionem legebam, sic ejus me lectio recreavit, ut simul cogitans de nostrorum temporum certaminibus sæpe ingemuerim. Memini, cum Ratisbonæ in Germania Carolus V imp. comitia, in quibus de religione quæsitum atque disputatum est, haberet, laudatum fuisse vetus exemplum illius Carthaginensis (ut vocata est) collationis : et aliquot post annis, cum in Galliam reversus etiam incidissem in conventum illum Posiacum, in quo non dissimilis collatio rursus instituta esse dicebatur, non dissimulavi exstare in Africanæ Ecclesiæ historia veteri exemplum memorabile, in quod hæc ætas intueri deberet. Sed quid? Neque Marcellini præsides, neque Augustini antistites nunc rursus occurrunt, ut Cresconii grammatici et Petiliani causidici. Tanto vero magis est necesse ut recurratur ad consilium præsidiumque bonæ antiquitatis, cujus ea est auctoritas, ut audacissimos etiam adversarios sæpe terreat. Feci itaque perlubenter, ut illius Carthaginensis (cujus modo memini) collationis acta, quæ nondum edita mihi communicavit Joannes Tilius Meldensis episcopus doctissimus evolverem, et cum Augustini Breviculo conferrem. Nam et in iis aspersa sunt multa juris nostri veluti emblemata, et actionem disceptationemque continent de Ecclesia prope civilem : et ut cognitor atque judex est Marcellinus, magnum jurisprudentiæ decus, sic actores sunt non imperiti judiciorum forensium. Imo Petilianus, qui malarum partium patronus est in hac causa, versutior fuit causidicus, et forensium cautionum atque cavillationum peritior, quam causa postularet. Non enim cum ad gubernationem ecclesiæ Donatistarum transiisset, oblivisci potuit veteris suæ consuetudinis et artis. Solebat jactare potentiam quondam suam in advocatione forensi, ut Augustinus ait (*lib.* III *contra Petil., cap.* 17). Sed bene habet, talem rabulam non modo incidisse in Marcellinum, sed incurrisse in ipsum Augustinum, qui importunum latratum canis impuri et impudentis, justa gravique responsione comprimeret : quique etiamnum eodem exemplo compescere posset alios ejus generis ordinisque togatos non leguleios, sed nebulones. Nam et tales etiamnum ardeliones simili intemperie incitantur, ut allatrent, quorum linguæ, quia meritoriæ sunt, meretricias quoque nunc esse videmus. Non ausim cum Petiliano conferre bonum illum Theodorum, quem quidam vesanum vocant, alii narrant in Posiaca (ut ipse vocavit) velitatione, visum esse valde versutum, si non veteranum, at certe veteratorem. Illud modo dico : cum in Carthaginensi veluti arena multa essent, quæ Petilianum debilitarent, multa vero in Posiaca, quæ adjuvarent Theodorum, factum tamen esse, ut hic non minus quam ille in luto hæserit, cum ventum esset ad questionem de Ecclesia, in qua rursus occurrebat Augustinus, tamquam scopulus. Imo cum Theodorus ille ante primam veluti coitionem, confessionem suæ scilicet fidei, tam suo, quam multorum Gallorum, qui tamen eam numquam legerant, nomine offerret, principio professus est se damnare et detestari sectas omnes et hæreses, quæ olim in Ecclesia damnatæ essent abs sanctis doctoribus, abs Hilarii et Athanasii temporibus usque ad Ambrosium et Cyrillum. Riserunt quidam in illo conventu, tam ineptam quæ tamen tam diu et valde elaborata afferebatur, proferri orationem, quæ conjungeret Ambrosium cum Cyrillo, et significaret magnum quoddam temporis intervallum fuisse inter Athanasium, Hilariumve et Ambrosium, cum tamen ipse Theodorus, mirificus **340** chronologus, nuper ad Polonos scribens, scripserit Hilarium fuisse σύγχρονον Augustini. Sed tales solœcismos, quos scholastica ferula castigaret, barbato magistro tam facile condonarunt boni auditores, quam mirati sunt, sic eum loqui et scribere, ut non modo non videretur damnare hæreses, quæ ante tempora Hilarii damnatæ sunt, sed etiam significaret approbare se omnia veteris Ecclesiæ judicia a temporibus Hilarii usque ad Cyrillum. Sed qui sedato animo tam confusam et inconditam confessionem audiebant, judicarunt quamdam esse trepidationem hominum ad religiosæ antiquitatis tribunal velut evocatorum : et optarunt, ut cum ad se rediissent, tam sibi constarent, ut simpliciter agnoscerent, Ecclesiæ jam inde ab apostolicis temporibus perpetuam consensionem, ubi occurrit, magnæ esse auctoritatis : et vero cum ad eam revocatus esset bonus Theodorus, sine fraude poterat lis transigi, si bona ille fide egisset. Nam et ut minus dubitaret, proferebatur quod ab ejus magistro in institutione scriptum erat, Augustinum merito objecisse Donatistis successionem Ecclesiæ continuatæ : non enim dubium esse, nihil interea, nequidem Romæ, mutatum in doctrina ipsa fuisse. Sed cum prospiceret cautus Theodorus, quo recideret, si id confiteretur ; neque tamen tam adhuc audax esset, ut id aperte inficiari auderet, elusit, obscure et confuse nescio quid submurmurans, in quo neque confessio neque inficiatio intelligeretur. Sic enim et Petilianus, cum urgeretur ut cum Ecclesiam jampridem degenerando

Digitized by Google

defecisse causabatur, notaret tempus et definiret conditionem ejus apostasiæ, neque quid tunc liquido diceret, haberet, causatus est sese jam longa disputatione raucum factum esse, et ea excusatione silentii usus aufugit. Theodorus magis gloriosus miles est, quam ut fugere dignaretur. Sed cum triumphantem sequerentur clientes, nonnulli qui minus erant vesani rogabant nihilne esset quod Petilianus respondere potuerit Augustino objicienti vaticinia prophetarum de Ecclesia toto orbo diffundenda et propaganda, eaque ad suum etiamnum tempus referenti. Theodorus ingeniosior vates nasuto cachinno excepit : *Parturient montes, nascetur ridiculus mus.* Familiares monuere nimis apertum esse hoc Lucianicum ludibrium. Ergo bonus Poeta, ut aliquid simularet, tamquam nova Sibylla subjecit : saltem Donatistas quibus Augustinus opponebat prophetias de futura Ecclesia, potuisse illum Augustino objicere Virgilianum versiculum : *Ostendent terris hanc tantum fata, nec ultra esse sinent.* Cum infinitum id rursus esse diceretur et ineptum, ubi quæritur quando et quomodo Ecclesia aspectabilis esse desierit : sensit acutus Theodorus rursus se premi. Ubi autem diu se torsisset, putavit callide se elabi posse, cum in postrema sua præfatione nuper scripsit, jampridem defecisse Ecclesiæ successionem tantopere olim laudatam : nam et jampridem improbos bonis successisse. Dicebam nullam esse hanc responsionem et alteram esse ineptiam, ubi perinde loquitur, ac si de personarum, et non potius de rerum successione quæreretur, cum tamen in Posiaca disputatione professus esset nihil se morari successionem personarum, sed doctrinæ et rerum successionem quærere. Verum quale rursus ludibrium est, quod toties rogatus de tempore defectionis, nihil aliud ingeminat quam suum illud *jampridem?* Imo vero cum diutius reprimere non posset indignationem erumpentem, audie eum in eadem illa sua præfatione militari, quam ut me terreret, Evangelio præfixit, iratum exclamare, cum multa alia indigna, ut Ecclesiam illam, quam cum Augustino defendimus, jugularet, tum vero ista veteribus episcopis numquam in mentem venisse, neque judaizandum, neque (ut loquitur) gentilissandum esse : et Christianam propterea religionem cito et turpiter degenerasse in ceremonias vanas, in ludicras liturgias, in manifestam superstitionem, et denique in ἀθεότητα. Equidem obstupui, talia scribere ἄθεον Theodorum, et quod de sua factione dicere potuit, contorquere adversus veterem Ecclesiam, ut quam jampridem defecisse dixit, diceret non minus cito quam turpiter degenerasse. Sed quid nunc non audet impietas Lucianica? Petilianus cum suis Donatistis clamitabat Ecclesiam, quam Augustinus prædicabat, esse apostolicam : et ab iis Catholicos non pro Christianis, sed pro Paganis habitos esse; testes sunt Optatus et Augustinus : atqui Petilianus antistitum modo mores accusabat, non etiam Ecclesiæ illius doctrinam et ritus. Theodorus indigne ferens hunc accusatorem, sive ineptum, sive nimis pudentem, vel etiam prævaricatorem esse suspicatus, putavit (ut est homo ingenuus) nihil esse dissimulandum, et tandem agendum esse asperius : neque quia in Posiaca sua velitatione moderatior forte fuisset, semper esse indulgendum. Quidni vero? Sic ipse Gaudentius, alter Donatistarum patronus, qui in Carthaginensi collatione contenderat, suam factionem esse Ecclesiam catholicam : posteaquam sensit id se evincere non posse, quod Augustinus suæ Ecclesiæ asserebat, ausus est palam dicere, humanum esse figmentum, quicquid de Catholica Ecclesia dicitur. En quo evadunt recidumve homines vesani.

Equidem minime omnium vellem, cum Ecclesiæ corpus defenditur, defendi etiam **341** excusarive nævos et maculas et labes. Imo vero hæc hominum peccata gravissime accusanda sunt. Sed vellem, quem ipsi prophetiæ in sua actione modum servarunt, ipsi observaremus, cum illos legimus divinos præcones Ecclesiæ, simul et censores et vitiorum acerrimos accusatores, sicuti etiam dicemus in expositione collationis Carthaginensis. Interea fateor, neque posse quemquam negare scio, quālis *quantusque* miserę situque obsitæ Ecclesiæ nunc squalor sit, qualis deformitas contaminatæ, quanta pessumeuntis inclinatio : qualis denique quantaque desperatio veluti depositæ. Ergo fateor eo rem recidisse, nihil ut nobis supersit, quam ut illam Hieremiæ tristissimam eversæ desertæque Hierosolymæ vastitatem lugentis ingeminemus querimoniam : *Expandit Sion manus suas; sed nullus est qui consoletur eam.* Verum in mediis ejus ruinis nondum oblivisci potuimus quod psalmus ait, servos Domini etiam diligere rudera et pulverem Sionis, cujus eos miseret. Tantum vero abest, ut iis blandiamur, quos tam domi quam foris illi insultare videmus, ut etiam sæpe in mentem veniat quod alter propheta Ezechiel paulo ante illam calamitatem scripsit sese a Deo jussum esse, perfosso potius pariete et veluti aperta fenestra spectare quid in templo agerent homines impii atque nefarii, ut eorum abominationes execretur. Sed una simul me res consolatur. Eodem enim loco Deus eum horribilem vindictam sese sumpturum esse denuntiat, simul significat sese interea eorum misereri velle, qui cum propheta lugebant, aversi ab illa profana vel sacrilega colluvione. Jubet ergo, ut ultor angelus frontem eorum, qui gemunt, insigniat, quo magis dignoscantur atque discernantur ii, quibus parcendum erit, cum terribilem aliorum stragem edet.

Redeo ad actionem Donatistarum. Nam et multa mihi nunc in mentem veniunt, cum apud Optatum lego, eos abs Constantino aliquando petiisse judices in Gallia; quibus nescio cur magis confiderent : cumque ex Augustino intelligo eam Arelatensis in Gallia synodi, cujus judicio mandavit Constantinus alteram ejus causæ et provocantium Donatistarum cognitionem, fuisse et fidem et integritatem, ut ii statim senserint frustra et stulte sese ibi sperasse aliquid sive favoris sive patrocinii. Nam iterum damnati sententiam retulerunt qualem merebatur

Digitized by Google

eorum protervia : neque tunc in Gallia minus quam centum post annis in Carthaginensi foro offenderunt. Quid vero cum talia legimus, nunc cogitare possimus, aliis cogitandum relinquo. Nam et quid nunc agatur, et quo res recidérint, nimis notum est : et talibus malis, inquit Augustinus (*ep.* 22), magis debentur prolixi gemitus quam prolixi libri. Sed cum olim legimus Donatistas vi et audacia armatos, fuisse etiam eruditos mentiendi artifices, miramur eam eorum fuisse impudentiam, ut non modo semper jactarint sese vicisse, ubi victi erant ; sed etiam in collatione Carthaginensi, Optati librum, qui narrabat eorum damnationem, protulerint tamquam testem suæ victoriæ et absolutionis, cum eum sic mutilassent atque corrupissent, ut omnia invertisse viderentur. Quid vero dicemus, majorem etiamnum esse impudentiam multorum fabulatorum vesanæ factionis, qui quidvis in rem suam et aliorum fraudem fingunt, cum mendacia et fictiones suas venditant pro historiis et veris narrationibus? Certe fieri non potest, quin qui prospiciunt, quantum hæc impostura et erroris et caliginis offundet miseræ posteritati, doleant hoc agi, ut (utar verbis legis) veritas rerum, erroribus gestorum vitietur. Olim Augustinus dicebat mirari se Donatistas habere in corpore sanguinem, qui numquam erubescerent toties in manifesto mendacio deprehensi. Quid dixisset de pallida impudentia hominum et falsariorum et sanguinariorum? Cum Crescomium Donatistam grammaticum refelleret, dubitabat, num exclamare posset illud, frontem periisse de rebus. Sed qui de Pelagianis agens scripserat, hæreticorum frontem non esse frontem, an dubitaret, si videret verecundiam vesanæ hæreseos? An non etiam illud Ezechielis ingeminaret : *Frons meretricis facta est tibi : noluisti erubescere?* Quid porro, quid si videret patulas aures imperitæ multitudinis impostores audientis? Dixit olim sectatores ipsius Petiliani, qui mentienti magistro applaudebant, non habere aures in corde, sed cor in auribus? Quid vero, quid cordis superesse iis putaret, qui nonnisi putidis et contumeliosis fabulis pascuntur? Ecce, nondum satiati famosis libellis famosissimæ suæ Bezæ, etiam acta colloquii Posiaci contaminarunt, ut in iis multa fingerent, quæ res ipsa clamat esse falsissima, meque etiam, qui vix interfui, immiscerent, et (quod est ridiculum) narrarent in eo prope fuisse meas partes, quales alicujus scilicet μασίτου esse possent, ne dicam quales ipsius Marcellini fuerunt in Carthaginensi. Quid? Æneas spectans picturam cujus ante meminí : *Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis.* Sed quibus oculis legerem, me principibus et gubernatoribus disputationis Posiacæ prope præfuisse? Credo equidem facetos nugatores, ut rideant et ludant, talia fingere. Sed nimis otiosi sunt, quibus vacat tam valde ineptire et nugari in re seria. Imo quia audierant, Donatistas olim cavillatos esse, Marcellinum pretio corruptum in collatione fuisse, etiam finxerunt 342 nescio qua liberalitate et munificentia Navarrica cumulatum me fuisse.

A Illic vero cur non serio dolerem eos ludere et mentiri?

Credo equidem, si optimus princeps diutius vixisset, spem non fefellisset, quam dederat, fore ut majores melioresque meos labores remuneraretur. Nunc cur eo mortuo nobis instiltent adversarii, non nihil fortasse causæ est, præsertim cum jam tandem perfecerint, quod jampridem multis insidiis tentarunt, ut quam spem meæ familiolæ esse putabam, summam calamitatem esse experirer, cumulatam nova hisce diebus et prope incredibili injuria, direptisque etiam meorum studiorum subsidiis. Sed de tali remuneratione gratiave viperina alias querar. Illud modo dico, tali beneficio hanc commentationem, cui, cum id factum est, operam dabam, abruptam fuisse non minus quam alteram, cujus alio-
B qui accessione hanc instituebam augere, cum quidem eodem etiam tempore forte rogatus, ut quæ in Constitutionum codice primæ occurrunt leges de religione et Ecclesia, eas leges publice interpretarer, pluribus diebus in juris auditorio Parisiensi id egissem, præsertim cum is esset auditorum concursus et frequentia (nam aliquot millia doctissimorum hominum convenere) eaque attentio et assiduitas, ut meipsum excitarit, ut sapientissimi et fortissimi, et (quod imprimis dicendum erat) religiosissimi principis, hoc est, Theodosii consilia Constantinopolitano quoque concilio confirmata, optimasque constitutiones de Ecclesia concilianda atque in integrum restituenda pluribus verbis exponerem. Ergo nunc optabam, si per Davos, qui interturbant omnia, licuisset, illud
C exemplum Theodosii patris et consilium, quod Orientis Ecclesiam servavit, conferre cum ea ratione, quam Honorius filius triginta post annis ad Africanam Ecclesiam liberandam inivit. Est enim utrumque imprimis memorabile exemplum, quod nunc quoque in simili reipublicæ attonitæ periculo sequantur, qui rempublicum cum Ecclesia salvam esse volunt. Scio talia nunc irrideri, atque etiam esse odiosa. Sed non quia multi nunc etiam virtutem irrident tamquam fabulam aut inane nomen, propterea virtutis omnem et effigiem proculcabimus et memoriam abjiciemus. Imo vero quia homines nequam virtutem numquam ne pictam quidem viderunt, invitis etiam obtrudenda est, et tanto ea magis ingerenda, quam antiquitas olim coluit : *Virtutem*
D *ut videant, intabescantque relicta.* Saltem mihi vehi detur, si legibus et exemplis bonis ex Ecclesiastica quoque historia repetitis, et sanctioris juris prudentiæ monumentis delectari me non dissimulo, præ quibus prope jam mihi sordent alia subtiliora scilicet mysteria, quæ juris civilis esse dicuntur, et eo titulo ambitiose jactantur. Per me sane licet ut juris periti, qui volent, se abjiciant vel ad captandas in scholis gloriolas inanium λεπτολογιῶν, vel ad opes in foro colligendas, vel etiam ad magistratus si non misere ambiendos, at certe damnose emendos : liceat modo mihi, bona eorum gratia, iis in solidum relinquere atque concedere, quod tanti faciunt, ut, quod negligunt, potius amplectar.

Digitized by Google

343 HISTORIA CARTHAGINENSIS COLLATIONIS.

Dicturus de nobilissima Catholicorum cum Donatistis Collatione Carthaginensi, paulo altius rem repetam ex veteri memoria Ecclesiæ Africanæ. Nam et in Carthaginensibus conciliis indicandis varie abs doctissimis etiam viris peccatur, hanc Ecclesiasticæ historiæ partem paulo negligentius exponentibus.

Balsamon Græcus interpres Nomocanonis, annotat, primum post apostolorum tempora concilium fuisse illud Carthaginense, cui Cyprianus præfuit, cum quæreretur de Baptismo hæreticorum. Sed id non minus inepte dicitur, quam quod consarcinatores Latinæ farraginis conciliorum, et Magdeburgenses exscriptores Centuriarum historiæ Ecclesiasticæ, aiunt primum concilium Carthaginense fuisse illam Donatistarum synodum, in qua Cæcilianus Carthaginensis absens damnatus est. Si quæratur primum post apostolorum tempora concilium, dicerem potius fuisse illam Cæsariensem in Palæstina synodum, quæ de Pachatis die disputavit tempore Commodi imperatoris sicuti et paulo post Romæ, et in Gallia, et in Achaia, et in Arabia synodos propterea convenisse testis est Eusebius lib. v, cap. 23, et lib. vi, cap. 36 et 37. Deinde ante Cyprianum alia fuit synodus Carthaginensis de Baptismo hæreticorum. Cyprianus ad Jubaianum, *Multi* (inquit) *jam anni sunt et longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro, convenientes in unum episcopi plurimi hoc statuerunt*, etc. Augustinus tamen lib. iv de Baptis., c. 6, non multis, sed paucis annis ante Cyprianum hoc accidisse ait : ut intelligamus non adeo multis ante annis id factum esse. Sed neque unum ea de re Cypriani tempore concilium Carthaginense fuit : imo vero tria fuisse, indicat Cyprianus ad Jubaianum. Quod autem ex iis celeberrimum est, quo et Donatistæ potissimum abutebantur, olim etiam quidam dixerunt falsum et fictum esse : neque ab eorum opinione omnino alienum sese esse Augustinus aliquando significavit lib. i contra Crescon. cap. 32. Sed tamen in epist. 48, ingenue agnoscit, et ex ipso stylo liquere fatetur, confictum non esse. Cæterum si in Cypriani temporibus prædicanda est aliqua synodus Africana sive Carthaginensis, illa potius laudanda esset, quam Cyprianus lib. iv, epist. 8, narrat convenisse adversus eos, qui circumcisionis exemplo abutentes, nolebant infantes baptizari ante octavum diem. Sed et illi Africani episcopi, qui cum Cypriano conjuncti scripsere ad Cornelium papam Romanum de pace lapsis pœnitentibus danda, laudabilis synodi Carthaginensis adversus Novatum eo tempore speciem edidere, sicuti et eodem tempore quamdam Romanam synodum, cui Afri quoque interfuerint, idem definiisse, testis est Eusebius libro sexto capite 43. Operæ pretium autem est, priusquam ad Donatistas descendamus, aliquid etiam dicere de Novatianis. Nam et his illi veluti successere, et inter eos similia multa fuerunt, et multi etiam olim doctissimi homines hic multa confuderunt, quæ discernenda sunt. Adeo Africanæ historiæ Ecclesiasticæ, quæ meliori memoria dignissima est, perturbatio magna est. Sic Epiphanius et Theodoretus aiunt Donatistas fuisse Novatianæ hæreseos : imo quod de Donatistis proprie dicendum erat imperite ad Novatianos refert Epiphanius, cum hos ait Romæ appellatos esse Montenses. Certe licet in anabaptismo convenirent, tamen in cæremoniis baptismi non conveniebant. Utebantur etiam chrismate Donatistæ, non utebantur Novatiani : neque pœnitentiæ adversarii erant Donatistæ, ut Novatiani, neque secundas, ut hi, nuptias damnabant. Saltem ipse Cresconius Donatista cum negaret sese hæreticum esse, et hæreticos enumeraret, cum quibus nihil haberet commune, Novatianos etiam commemorat : neque Augustinus, cum ei respondit, aliquam Novatianæ hæreseos notam ei inurit, lib. ii contra Cresconium cap. 3. Habuit tamen Novatianum schisma similia multa cum schismate Donatistarum : sed Novatiani non ita crudeliter grassati sunt, et in Italia atque Oriente regnarunt potius quam in Africa.

Ut autem quidam olim temere confundebant Donatum Numidam cum Donato Carthaginensi, sic etiam multi Novatum cum Novatiano. Certe Theodoretus de Fab. hæretic. scribit de Novato, quæ de Novatiano potius scribenda erant, et Epiphanius ait Novatum fuisse Romæ tempore persecutionis, cum id potius dicendum videatur de Novatiano. Denique et Zonaras Novatum hæresiarcham dicit fuisse Romanæ Ecclesiæ presbyterum, eodem errore. Sed qui Cyprianum, vel etiam Hieronymum in Catal. vel Paciani epistolas nuper editas legerunt, facile animadvertunt quid Novato, quid Novatiano proprie adscribendum sit : et tanto propterea magis miror auctores Centuriarum historiæ ecclesiasticæ scripsisse Novatianum a Novato creatum fuisse diaconum Carthaginensem invito Cypriano. Felicissimum potius dicere debuerant. Sane Novatus Cypriani episcopi Carthaginensis presbyter fuit : qui cum in Italiam venisset, Novatianum Romanum presbyterum 344 veluti antipapam Romæ creari curavit ; cum electionem Cornelii, quam impedire non potuerat, legitimam non esse cavillaretur : sicuti Donatus Numida, cum Cæciliani episcopi Carthaginensis ordinationem accusaret, Majorinum, cui Donatus alter successit ordinari curavit, ut testis est August. in lib. de Hæres. qui etiam propterea adjicit eum in urbe Carthagi-

Digitized by Google

nensi primum erexisse altare contra altare : sicuti Cyprianus simili formula usus antea dixerat Novatianos idem fecisse, sed Romæ. Atque hoc illud est schismatis summum malum, quod ut in Donatistis, sic et antea in Novatianis accusatum est, magis quam hæreseos crimen. Certe Dionysius Alexandrinus scribens ad Novatianum, eumque sui officii admonens, ait, eum quidvis facere debuisse, potius quam Ecclesiam schismate scindere : neque tam idololatriam, quam schisma fugere debuisse, quia cum hanc fugit, sibi tantum cavet : cum vero illud, universæ Ecclesiæ consulit. Testis est Hieronymus in Catal. Et vero Novatiani, si schismatis rei non fuissent, suæ de lapsis deque hæreticorum baptismo opinionis novum et insolens exemplum non esse dicere fortasse potuissent. Quid enim? Ipse Cyprianus in epistola ad Antonianum scribit, apud suos (ut ait) antecessores in sua provincia quosdam episcopos non putavisse dandam pacem mœchis, et in totum clausisse contra adulteria locum pœnitentiæ. Quid vero ut eos utcumque excuset, adjicit? *Sed tamen*, inquit, *a coepiscoporum suorum collegio non recesserunt, neque catholicæ Ecclesiæ unitatem vel duritiæ vel censuræ suæ obstinatione ruperunt.* Atque id quidem etiam Augustinus Cypriano subscribens diligenter observavit epist. 48. Omitto quod ipse Tertullianus jam olim videatur in lib. de Pudicit. acerrime defendisse, quod hic Cyprianus ait quosdam ante se episcopos putavisse. Sed Tertullianus Ecclesiæ unitatem rupit, vel duritiæ, vel censuræ suæ obstinatione.

Porro quod Novatiani baptizatos in Ecclesia, quam ut pollutam accusabant, et a qua tamquam profana desciverant, non habebant pro baptizatis, propterea que rebaptizabant : faciebant quod hæreticos antea ausos non esse, indicat Cyprian. in epist. ad Jub. et ad Pomp., et Aug. l. III de Bapt., cap. 10. Sed tamen principio quodam nitebantur, quod plerique in Africa Catholici sequebantur, et Africanis (ut dixi) quibusdam conciliis confirmatum esse videbatur. Ergo ut Novatus baptismum abs Cypriano administratum non habebat ratum : sic neque Cyprianus eum, cujus minister fuisset Novatus aut Novatianus. Cæterum hoc interfuit, quod Cyprianus ab iis, qui baptismum non esse iterandum credebant, sic dissensit, ut tamen propterea non refugerit eorum communionem, neque unitatis vinculum ruperit, neque alicujus schismatis auctor fuerit. Ergo Augustinus Cypriani quidem errorem de baptismo reprehendit, sed laudat illam unitatis charitatem, qua peccatum cooperiri ait, et rebaptizantes tempore Cypriani, nec tamen ab unitatis (ut loquitur) compagine recedentes profitetur eadem dilectione pacis ad veniam pertinere, qua Cyprianus ipse tolerabat admissos in Ecclesiam sine alio quam hæreticorum baptismo : ut quemadmodum propter unitatis custodiam (sic enim loquitur) Cyprianus ignoscebat iis, quos alioqui in baptismo non iterando errare putabat : sic Cypriano revera erranti in baptismo iterando, ignosceretur propter eamdem unitatis, in qua nihilominus mansit, charitatem. Novatianis vero schismaticis, qui hoc errore imbuti ab Ecclesia defecerant, non ignosceretur, et multo minus Donatistis. Nam et horum quam illorum opinio, quamvis similis esset, minus excusationis habebat : quia Donatistæ non ignorabant in concilio œcumenico errorem illius Africani concilii, quod Novatiani obtendere potuissent, fuisse damnatum. Inter tempora Novati et Donati Sabellius Afer et veluti medius majus aliquid audet, et Ecclesiæ caput *ipsum*, hoc est Christum ipsum *petit*, quem non nisi hominem esse clamitabat : atque ut Trinitatis mysterium tolleret, non modo unicam divinitatis οὐσίαν, sed etiam hypostasin unicam esse contendit : et hæc, *Pater*, *Filius*, *Spiritus Sanctus*, non personas, sed voces et verba esse docuit. Denique repetiit quod eodem tempore Paulus Samosatenus antistes Antiochenus inculcabat. Capitalis fuit hæc hæresis, sed Africanam Ecclesiam minus perturbavit quam factio Donati : et quia Paulus Samosatenus in Antiochena synodo statim damnatus fuit, Afri Catholici non putarunt esse necesse ut ad Sabellium damnandum cogerent novum concilium : et vero Sabellianismus late in Africa grassatus esse non videtur. Saltem Sabellii non minus quam Praxeæ aut Marcionis, non solum vitia, sed et nomina Africanis provinciis prope ignota suo tempore fuisse Optatus lib. I scribit. Prætereo quod Calvinus in sua Institut. scribit Sabellium post Arium fuisse. Constat enim Sabellium mortuum esse priusquam natus esset Arius. Sed novum non est doctissimos etiam viros in Africanæ Ecclesiæ historia inscite peregrinari.

Sabellium Pentapolis emiserat : et ecce paulo post in vicina Ægypto Arius, ex Numidia vero (altero Africæ extremo) Donatus majores dant turbas, ille in Alexandrina, hic in Carthag. Ecclesia. Et quidem ut Optat. l. III de Donato agens ait, in Africa de scintilla conflatum esse incendium : sic et Euseb. l. II de Vita Constant., quemadmodum ex modica scintilla ingens ignis accenditur, Arianum incendium pervasisse ipsam quoque Libyam. Sed de Donatiana tragœdia nunc tantum quærimus, quæ et prior fuit, et minus subtilis. Originem et veluti protasim diligenter exponit Optat. l. I, ex quo etiam August. hanc historiam repetere nos jubet l. I contra Parm. c. 3, ut et quædam in Optati libris desiderantur, quæ ex Augustino repetenda sunt.

Ac quidem imprimis observo, quod Augustinus scribit lib. VII de Bapt. cap. 7, post Cypriani passionem annis quadraginta factam esse illam codicum in Africa traditionem, cujus quæstio Donatiani schismatis prima veluti si non causa, at certe occasio fuisse dicitur. Idem August., lib. III contra Crescon. cap. 27, indicat imp. Diocletianum VIII et Maximianum VII Consules fuisse, cum edixerunt, ut Christianorum libri flammis abolerentur. Describit Eusebius lib. VIII tragœdiam postremæ illius persecutionis. Sed de Africa tantum ait innumerabilem in ea fuisse

Digitized by Google

martyrum multitudinem. Thermas Maximiani in urbe Carthaginensi illo tempore exstructas fuisse ait, ut et Diocletiano Romæ aliæ exstruebantur, quibus attollendis serviebant multa millia Christianorum, veluti ad metalla damnatorum. Sed nunc quæritur de Christianis in Africa lapsis, et codicum sacrosanctorum traditionis reis, deque Ecclesiæ Carthaginensis statu et conditione. Ac quidem Optatus narrat quoddam tunc fuisse concilium Cirtense, quod reos illos utcumque absolvit, cum etiam iidem essent prope judices, qui et rei. Factum id est in Numidia, cujus erat Cirta urbs nobilissima et potentissima, quondam (ut ait Mela) domus regum Jubæ et Syphacis, et postea colonia Romanorum, quam **345** Plinius ait vocatam esse Siteranorum : olim etiam caput regni Masæsulorum, ut scribit Livius lib. XXX. Porro illius de quo nunc loquor concilii Cirtensis annum eumdem fuisse indicat Augustinus, cum eosdem, quos dixi, consules nominat. Præerat Secundus Tigisitanus Numidiæ primas. Iidem vero qui Cirtæ convenerant, postea cum aliquot aliis ejusdem generis in urbe Carthaginensi conveniunt : et quam in Cirtensi conventu fuerant molles et indulgentes, tam in hoc Carthaginensi severi videri voluerunt : Cæcilianumque Carthaginensem episcopum, quem vel traditionis reum faciebant, vel a traditore ordinatum esse clamitabant, inauditum et absentem damnant, atque abdicare jubent : creant vero quemdam Majorinum, quem illi opponant. Augustinus in Brevic. hoc concilium Carthaginense contra Cæcilianum fuisse episcoporum septuaginta narrat ; sed injustum et iniquum : cujus etiam contra Cæcilianum sententia postea rescissa fuit. Itaque dixi indignum fuisse, quod Magdeburgenses in suis Centuriis referrent inter concilia Ecclesiastica, et fingerent primum fuisse Carthaginense. Hoc autem illud fuit, quod (ut narrat Augustinus in Brevic.) postea Donatistæ in Collatione Carthaginensi, de qua dicturi sumus, potissimum laudabant, sed sine die et consule, ut primum esse videretur, in quo de traditione judicassent : quia opponebatur Cirtense, in quo fuerant indulgentiores. Sed quod sive prius sive posterius sibi jus dixerant, idem profecto jus aliis in eadem causa dicere debebant : neque erant ferendi : qui quod in aliis crimen ne convictum quidem, tam acerbe vindicabant, in seipsis etiam confessis impune esse volebant. Cæterum Carthaginense illud fuisse Cirtensi posterius indicat Optatus lib. I, cum ait, Non post longum tempus Carthaginem venisse, qui Cirtæ antea convenerant, et simili phrasi utitur Augustinus contra Donat. post Collat. cap. 33. Cæterum eodem tempore oportet aliud fuisse multo majus Carthaginense concilium Donatistarum episcoporum, cum Augustinus, epist. 48, testetur ducentos et septuaginta (adeo statim crevit Donati factio) Carthaginem convenisse annis quadraginta ante Macariana tempora. Hæc autem tempora fuisse tempora Constantis imperat. colligo ex libro tertio Optati. Si ergo retro numeremus annos quadraginta, intelligimus id factum esse antequam Constantinus rerum potiretur saltem in Italia aut Africa. Cum autem audio jam tum numerari ab Augustino Donatistas episcopos CCLXX in illo eorum concilio Carthaginensi, neque multo plures convenisse centum post annis ad Collationem contra Catholicos meminerim, ut postea dicam, suspicatus submendosum esse numerum in Augustino, præsertim cum vix credibile videatur tam multos tam cito fuisse antistites Donatistarum. Itaque suspicabar posse detrahi ducentos, ut septuaginta tantum relinquantur, quot diximus eo tempore convenisse contra Cæcilianum : et fortasse crediderit aliquis idem fuisse concilium. Sed nihil hic temere audeo vel affirmare, vel mutare. Illud valde memorabile est, quod Augustinus adjicit in illo Carthaginensi tot Donatistarum concilio, post longam deliberationem dierum 75 decretum fuisse, ut traditoribus etiam non rebaptizatis communicaretur. Quod quidem magis convenit cum iis, quæ in Cirtensi sua synodo decreverant, quam cum iis quæ in Carthaginensi contra Cæcilianum. Porro quid consecutum sit, cum Cæciliani causam ad Constantinum imperat. septem post annis Donatistæ retulissent, et Constantinus modo judices episcopos Romæ dedisset, modo deinde alios Arelati, et denique ipse, cum esset Mediolani, de ea judicasset, repetere oportet partim ex Optat., partim ex Aug. Nam in Optato desiderantur, quæ de judicio Arelat. et Constant. sententia Mediolanensi, qua Cæcilianus postremo absolutus est, suggerit Augustinus in epist. 162 et lib. III contra Crescon. cap. 71, ne quis alioqui ex Optato temere colligat, sic Constantinum rejecisse appellationem Donatistarum de Melchiadis sententia conquerentium, ut nullos præterea dare judices voluerit : aut simpliciter tunc pronuntiarit a re bene judicata temere appellari, sicuti quidam tradidit. Imo vero sciamus Constantinum dedisse judices hujus appellationis, non quidem ipsum Arelatensem episcopum (quod temere putavit Calvinus, cum non observasset eum jam Romæ cum Melchiade judicem fuisse), sed alios episcopos qui Arelati convenerant. Porro si quis roget de tempore, quo Donatistæ non contenti suo Carthaginensi concilio appellarunt Constantinum : in Optati libro primo scriptum est, Constantino III et Licinio II coss. Romæ de hac causa judicatum esse ab iis, quos Constantinus primum judices dedit. Augustinus vero habet, factum id esse Constantino tertium et Luciano iterum consulibus. Non dubium est, *Luciano* mendose scriptum esse pro *Licino* : sed in Optato rursus mendose scriptum esse existimo III pro II, et II pro II, sicuti in numeris facilis est lapsus librariorum. Ut autem magis probem, quod dixi, facit quod August. in lib. contra Donatistas post Collat. cap. 33, ait sequenti anno consules fuisse Volusianum et Anianum. Vivebat ergo etiamnum Diocletianus, sed jampridem abdicatus, cum primum ab Donatistis appellatus est Constantinus. Nam Diocletianus mortuus est Volusiano et Aniano coss. decimo

Google

anno post suum edictum de abolendis Christianorum libris. Ut autem toto illo decennio Donatus sui schismatis fundamenta jecit, sic novem post annis hæc causa Constantinum etiam fatigavit : quem August. postremo narrat, cum ipse consul esset cum Crispo, litteras dedisse, quibus Donatistarum exsilium solvebat, et eorum furorem Deo relinquebat. Adeo Donatistarum factio coerceri reprimive non posse videbatur.

Porro tribus aut quatuor annis post datas illas nimium Donatistis indulgentes litteras, Constantinus adversus Arium, de quo reprimendo magis sollicitus erat, coegit Nicænum concilium, cui etiam interfuisse ipsum Cæcilianum acta indicant. Ac quidem cum ex Libya et Thebaide plures eo venissent, tamen ex Africa tota hunc solum adfuisse, affirmavit etiam in quinta synodo Benignus episcopus Heracleæ, ut ejus synodi acta testantur. Cæterum Nicæni Patres cum toti essent in Arianis refellendis, nescio quomodo Donatistas missos fecere. Neque tamen non aliquid de iis actum esse Nicææ suspicor. Cur autem id suspicer, cum eorum neque Nicæni canones, qui circumferuntur, neque acta, quæ vulgo habentur, meminerint, multi fortasse mirabuntur. Sed in August. libris observavi, quod vulgo non observatur. Ut de Ecclesia, sic de Baptismo magna adversus Donatistas quæstio fuit. Hi enim Carthaginense concilium Cypriani opponebant, cum Baptismum adversariorum, quos judicabant alienos esse ab Ecclesia, ratum non habebant, et propterea in suo cœtu eum iterabant : quod et Arianos fecisse testis est Ambrosius de Basil. traden. Quid Nicænum concilium? In eo reprobatum fuisse quod placuerat Carthaginensi concilio Cypriani Augustinus sæpe significat, cum Carthaginensi **346** huic concilio provinciali opponit concilium (ut vocat) plenarium totius orbis et universæ Ecclesiæ et omnium Gentium : quod quidem post Cypriani passionem, antequam ipse Augustinus natus esset, convenisse scribit lib. II de Baptis. cap. 9, sed de Nicæno alias plura. Sed cum in Nicæno concilio actum sit de Novatianis, et de lapsis, et illis facilius quam his pœnitentibus venia data sit, tacite de Donatistis et eorum dogmate, rursus actum satis esse videtur. Nunc Donati historiam et veluti tragœdiam persequamur.

Primus, ut dixi, Donatistarum episcopus Carthaginensis, qui Cæciliano sese opposuit, et altare contra altare erexit, fuit Majorinus. Huic successit Donatus alter, qui hoc schisma valde confirmavit. Nam et multa cum scripsisse ad suam hæresim pertinentia, testatur Hieronymus in Catal. Sed et eodem tempore Vitellium Afrum hujus factionis acerrimum defensorem fuisse, Gennadius in suo Catalogo illustrium scriptorum testis est. Interea vero Catholicum aliquem scriptorem Donatistas refutasse non legi. Credo nostros (ut dixi) in Arianis refellendis totos fuisse. Ergo in Africa magis atque magis invalescebant Donatistæ : et vero Donatus ille Carthaginensis eo evasit, ut non modo tamquam aliquis Hannibal imperatores Romanos superbe contemneret, sed et tamquam Deus aliquis a suis coleretur, et per ejus nomen, tamquam numen, jurareturr: denique illi Deus de cœlo respondisse crederetur. Testes sunt August. et Optatus. Sane tamen Hieronymus, in suo Chronico, hunc Donatum Carthagine tandem pulsum esse significat : licet mendosus videatur index temporis, ubi annis triginta floruisse significat : tyrannum fuisse Optatus notat. Itaque tali duce incitati Donatistæ nil non audebant. Ac quidem Ariani alicujus sui Imp. Constantii aut Valentis præsidio armati, audebant in Catholicos sævire : Donatistæ vero non modo non adjuvantibus, sed etiam reclamantibus principibus statim imitati sunt Arianorum sævitiam ; cum tamen non nisi suorum Circumcellionum audacia et furore sepulti essent. Ipse imperator Constans ad eos coercendos in Africam aliquando misit Macarium, suum præfectum qui severe animadvertit in Donatistas. Sed talis animadversio non potuit tollere insaniam, quæ animos multorum occupaverat : et Catholici maluissent sine armis agi, et ratione atque disputatione discuti errorem, qui præcipites Donatistas agebat, ut Optatus satis significat. Cæterum Donatistarum audaciam tandem armavit Julianus Apostata, et iis basilicas restituit, quas Constantinus antea abstulerat. Testis est Augustinus l. II contra Petilianum, cap. 92, qui et sæpe testatur, illum Apostatam propterea laudatum esse a Donatistis. Memorabile autem est, quod Honorius imp. edixit rescriptum, quod abs Juliano impetrarunt proposito programmate publicandum esse, ut Donatistarum desperatio fucata perfidia omnibus innotesceat. lib. XXXVII C. Th. de hæret. Vellem exstaret etiamnum illud rescriptum. Sed qualecumque fuerit, Apostata fovebat quoscumque audiebat esse aut apostatas aut Ecclesiæ hostes.

Ergo magis atque magis Donatistæ insolescere cœperunt. Donato autem Carthaginensi successit Parmenianus, qui suam rursus sectam novis libellis propagavit atque confirmavit. Tum vero in Numidia excitatus tandem aliquis nostrorum est, qui illi responderet. Is fuit Optatus Milevitanus episcopus, qui testatur se illi rescribere et respondere, ut sit inter absentes quædam veluti collatio. Ac multos quidem desiderasse, ut ad eruendam veritatem, partium conflictus haberetur. Sed Donatistas et accessum prohibuisse, et aditus interclusisse, et concessum vitasse, et colloquium denegasse. Itaque non nisi per litteras cum iis agi potuisse. (Parmeniani tractatum vocat Optatus quem refellit. Scripsit autem præterea hic Parmenianus ad Tichonium epistolam, quam Augustinus tribus libris refutavit.)

Post Parmenianum Carthaginensis Donatistarum antistes fuit Primianus ille, qui abs suo Maximiano diacono, quem damnarat, accusatus effecit, ut Donatistæ inter sese veluti committerentur, et novo schismate suum schisma distraherent, alteraque

Digitized by Google

pars alteram velut discerperet : ut et Arianos in plures sectas tandem dissectos fuisse accepimus. Ergo adversus Primianum in urbe Carthaginensi quadraginta tres Donatistæ antistites convenerunt, qui suo eum præjudicio, ut ait Augustinus, prædamnarunt. Deinde alterum fuit Cubursussitanum plus quam centum ejus generis episcoporum concilium, qui Primianum magis damnarunt. Testis est Augustinus lib. v contra Crescon. cap. 6. Integram autem et solemnem ejus Concilii sententiam recitat in Psalm. xxxvi. Et quidem ipsum Maximianum in urbe Carthaginensi contra Primianum ab ejusdem erroris centum episcopis ordinatum esse August. ait in lib. de Hæres. Quo anno et consule factum id sit, minus liquet. Sed utcumque tamen conjicere licet, cum quidem paulo post secutum sit contrarium concilium Bagaitanum, idque convenisse uno anno ante mortem Theodosii, Aug. significet lib. III contra Crescon. c. 56. Fuit autem hoc Bagaitanum in Numidia concilium trecentorum et decem antistitum Donatistarum, qui rescinderunt sententiam contra Primianum pro Maximiano latam, et illos centum qui non Donatistæ, sed jam Maximianistæ vocabantur, male judicasse pronunciarunt, et Primianum in integrum restituerunt. Formulam sententiæ Bagaiensis recitat Augustinus lib. III contra Crescon. cap. 53. Est autem valde necesse, rem illam totam diligenter cognoscere. Nam et illud demum est, quo probat Augustinus Donatistas suo veluti gladio jugulatos esse : et in Collatione Carthaginensi propterea id illis imprimis objecit, et postea congressus in Mauritania cum Emerito, recitansque gesta Collationis, auditores valde est obtestatus, ut attente cognoscerent illam de Maximianistis historiam, quam et eo loco diligenter rursus exponit. Sane cum in collatione Carthaginensi Donatistarum veluti dux et signifer fuisse dicatur Primianus Carthaginensis eorum antistes; credo, eum ipsum esse quem defendit synodus Bagaitana. Nam et inter hanc atque illam collationem non nisi anni sexdecim intersunt. Postremo observandum est Donatistas, ut sui Bagaiensis concilii sententiam exsequerentur, Theodosianam de hæreticis legem protulisse, cujus auctoritate, Maximianistas, tamquam hæreticos expellerent aut coercerent. Atqui ea lex adversus omnes Donatistas, ut et reliquos hæreticos lata erat. Verum cum ei non parerent Donatistæ, Maximianistas tamen obnoxios esse volebant, ut etiam occuparent eorum basilicas. Ea lex erat, ut qui Ecclesiæ catholicæ non communicarent, nihil Ecclesiæ nomine possiderent, sed potius unitati id restituerent, ut ait Augustinus tractatu sexto in Joannem, et libro II contra Petilian. Mitto alias Theod. leges in hæreticos; quarum Aug. sæpe meminit, et inter quas duæ nobilissimæ fuerunt duobus aut tribus annis ante Bagaitanum illud concilium latæ. Prior, quæ severissima est, lata Titiano et Symmacho coss. exstat in Cod. Justin. lib. III, C. de Apost. Altera lata **347** sequenti anno, hoc est, Arcadio II et Rufino coss. de multa decem librarum auri, exstat in cod. Theodos. Cæterum etsi vix ulla harum legum executio esset, Donatistæ tamen invidiose odioseque clamabant, sese injuste vexari, et suam causam non jure agi, sed vi opprimi. Ac quidem cum paulo post mortem Theodosii Gildo comes Africæ, dux perduellium omnia misceret in Africa, ut suam tyrannidem stabiliret, præcipuus ejus satelles Optatus quidam latrociniis infamis, sic sese dedit partibus Donatistarum, ut Circumcellionum etiam furorem superare videretur, sicuti Augustinus hujus Optati Gildoniani sæpe meminit. Sed ita agendo suam sectam magis atque magis infamabat, et (ut verbo Augustini utar) maculabat. Ergo Donatistæ eo tempore potius usi sunt Petiliano, qui ex causidico factus eorum antistes Cirtensis, et deinde Cæsariensis, acerrimus fuit suæ factionis patronus. Sed bene habet : incidit in Augustinum, qui, quo anno mortuus est Theodosius, factus episcopus Hipponensis, fortis et assiduus Ecclesiæ catholicæ vindex fuit, et restitantes adversarios tandem pertraxit ad Collationem : quæ optima esse visa est eorum convincendorum ratio.

[Sed priusquam de ea dicamus, aliquid rursus repetendum est de aliis Carthaginiensibus conciliis. Nam et video multa de iis tradi et falso et præpostere et confuse. Ac imprimis quidem falsum et fictum plane esse videtur, quod scriptores Centuriarum historiæ Ecclesiasticæ narrant concilium quoddam Carthaginense, quod vocant secundum, convenisse Valentiniano et Theodosio coss. Nam neque hi consules simul fuerunt, neque quisquam veterum meminit alicujus concilii Carthaginensis temporibus Theodosii magni, nisi illius, quod dixi fuisse Donatistarum. Quod vero adjiciunt, Cæsario et Attico coss. concilium Carthaginense aliquod fuisse, minus repudio, quia Balsamon id indicat, sed cur tertium illud vocent, viderint. Certe falluntur, cum illi concilio ascribunt canones, qui potius alteri multo celebriori concilio Carthaginensi, quod aliquot post annis habitum est, adscribendi sunt, ut ex Photii Nomocanone intelligi potest. Repudiandum etiam est, quod fingunt de alio concilio Carthaginensi, quod quartum vocant, et duobus annis post superius, quod vocant tertium, hoc est Honorio IV et Eutychiano coss. convenisse narrant. Nam etsi Balsamon fateatur iis consulibus aliquid in Ecclesia Carthaginensi decretum fuisse de mittendis legatis ad imperatorem, tamen nescio unde repetuntur tam multi canones, qui huic concilio ascribuntur. Ut autem moleste fero multa fingi de hujus generis conciliis Carthaginensibus, sic miror præteriri Carthaginensem cum Donatistis Collationem, quæ in eorum historia imprimis commemoranda erat. Sed et paulo post coiit nobilissimum contra Pelagianos concilium Carthaginense, quod Augustinus Africanum vocat. De eo postea viderimus. Nunc ordo postulat, ut agamus de Collatione.]

Jam annis prope centum Donatistæ sic omnia permiscuerant, ut in Africa discerni vix posset quænam

Digitized by Google

esset Ecclesia, cum quidem altare contra altare passim erectum esset, et utraque pars de Ecclesiæ titulo et possessione contenderet. Ergo jampridem multi optabant ut aliqua legitima disceptatione hæc quæstio definiretur, et populus id non minus quam res ipsa postulabat. *Scimus* (inquit Augustinus in lib. post. coll.) *quam multi vestrum et forte omnes, aut pene omnes dicere soletis : O si in locum unum convenirent ! O si aliquando conferrent, et illis disputantibus veritas appareret !* Sed quam propterea Catholici optabant cum Donatistis congredi, tam congressum refugiebant Donatistæ. Augustinus, in epist. 166 ad Donatistas : *Vestri*, inquit, *episcopi conventi a nobis numquam nobiscum pacifice conferre voluerunt, quasi fugientes cum peccatoribus loqui.* Sane cum aliquando diceretur quidam episcopus Donatista dixisse, velle se bonis viris sedentibus conferre cum Aug., Augustinus nihil non fecit, ut ei ultro occurreret, atque etiam currentem incitaret, epist. 47. Denique cum non impetraret, quod tantopere optabat, curat ut clerici sui Hipponenses Januarium Carthaginensem Donatistarum archiepiscopum sollicitent. Exstat eorum epistola, quæ inter Augustini epistolas est 68. Ea autem imprimis urget, ut quoniam jam olim in hac causa appellatus est imperator, hujus auctoritate instituatur publica Collatio : quia et ille demum sit, qui cum legibus jam latis non teneatur, liberius poterit et collationem indicere, et de re tota statuere : cum præfectis, qui legibus jam latis serviunt, tantum non liceat. Et quia Donatistæ eo, quem dixi, prætextu recusarunt cum nostris congredi : Hipponenses clerici eo se demittunt, ut etiam allegent Christum ipsum cum diabolo de lege locutum esse : et cum Paulo non solum Judæos, sed et Epicureos contulisse. Donatistæ rursus excipiebant, dialecticas disputationes non convenire Christianæ religioni, et Augustinum nihil aliud esse quam contentiosum disputatorem, qui fugiendus potius et cavendus, quam refellendus revincendusque esset. Quid huic cavillationi responderit Augustinus, legi potest primo ejus libro contra Cresconium. Idem libro quarto, *Studium*, inquit, *pro veritate certandi, quia sæpe voluimus cum vestris conferre, ut errore sublato, fraterna charitas pacis vinculo necteretur, contentionis et animositatis vitioso nomine reprehendis.* Sed notat hoc Donatistas obtendisse, quia, ut ait, mallent causam malam cooperire excusatione, quam disputatione finire. Et in eodem libro, *Puto*, inquit, *quod facillime intelligas, non devitandæ contentionis causa, quæ nulla est, cum veritas quæritur, vel non pro vana gloria litigatur, sed causæ malæ diffidentia, vos nobiscum nolle conferre.*

[Hic vero operæ pretium est obiter observare disputationes in causa religionis modo bonas et utiles, modo perniciosas esse. Certe quidnam sit, de quo quæratur, videndum est, et modus semper est tenendus. Tertullianus de Præscript. negat cum hæreticis disputandum esse. Sed Nicæni patres nihilominus cum Arianis semel disputare non recusarunt. Cum autem in Constantinopolitano quodam conventu rursus Arianorum causa agenda esset, Theodosius laudavit eorum consilium, qui, ne toties actum ageretur, non tam disputationibus novis, quam veterum præjudiciis et auctoritate urgendos adversarios esse dicebant. Postremo Augustinus, cum quibus et quatenus, et quando et quomodo disputandum esset, recte vidit. Qua de re quid statuerit, intelligere licet, ex his quæ scribit lib. II de Civitate Dei cap 1, et lib. I de peccat. Mer. et Remis. c. ult., et in Enchirid. cap. 69, et in epist. 111 et 121. Tandem ex sententia concilii Chalcedonensis sapientissima et religiosissima lege lata, vetuit Martianus imper. ne quis de fide Christiana publice turbis, ut ait, coadunatis et audientibus tractet : neque res judicatas et recte dispositas disputando atque contendendo revolvat, ne ex hujusmodi certamine profanet veneranda mysteria, lib. III C. de summa Trinit. Sed hoc demum edictum **348** fuit de mysteriis fidei, et post quatuor concilia œcumenica, et cum jam in tertio, hoc est, in Ephesino decretum esset, ut symbolo fidei nihil adjiceretur : denique cum infinitis ea de re disputationibus, earumque petulantiæ et procacitati frænum injiciendum esset. Cæterum ut nihil hoc ad causam Donatistarum, sic neque ad ætatem aut personam Augustini. Et vero hic unus demum ostendit, quænam esset hæc ratio tuendæ veritatis : et quomodo ea utendum esset, expertus quoque sæpe fuerat : sed numquam magis quam in illa de qua nunc loqui institui, cum Donatistis collatione.]

Prima Augustini, necdum episcopi, sed tantum presbyteri publica hujus generis conflictatio fuit duobus diebus cum Fortunato Manichæo in urbe Hipponensi. Aderant notarii, qui singula exciperent atque consignarent. Populus auditor erat disputationis. Sed alioqui nullus judex aderat. Etsi autem plane conversus non fuerit infelix ille Fortunatus, at saltem perculsus in eo certamine fuit.

Altera in eadem urbe fuit tribus diebus Augustini disputatio non dissimilis cum Felice Manichæo : sed exitu feliciore. Acrior fuit et celebrior eodem in loco cum Maximino episcopo Ariano, sed minime eodem successu. Exstant harum Collationum acta in libris Augustini. Fuit et alia cum Pascentio comite Ariano in urbe Carthaginensi : sed prima ejus coitio molestior fuit, quia adversarius notarios consignatores adesse principio nolebat, pactisque conventis minime stabat. Tandem tamen legem Collationis accepit, neque solum notarios adhiberi passus est, sed et Laurentium quondam judicem tulit, et ab eo sententiam ferri non recusavit. Testis est Augustinus epist. 174 et 178. Sed nulla vel utilior vel nobilior tametsi fuerit de quæstione minus subtili et magis populari, quam cum Donatistis collatio fuit. Ac jam antea privatim et obiter Augustinus cum Fortunio quodam Donatista episcopo congressus fuerat in populari quadam turba. Cumque hæc suo strepitu ipsos quoque notarios exceptores interturb-

Digitized by Google

baret, et disputatio propterea abrupta fuisset, rogarat August., epist. 163, ut in aliquo recessu tuto et tranquillo hæc peragerentur. Sed multo magis quod optabat, impetravit, cum instituta fuit Collatio Carthaginensis. Possidius, qui interfuit, scribit eam potissimum ab Augustino procuratam fuisse magno cum Ecclesiæ bono, adjuvante, ut ait, gloriosissimo et religiosissimo imperatore Honorio, qui ad id perficiendum etiam a suo latere tribunum et notarium Marcellinum, in Africam judicem misit. Nempe ex consilio Augustini miserant catholici Afri legatos in Italiam ad Honorium, qui hoc postularent. Videbant enim sine principis auctoritate, atque præsidio, neque conventum talem indici, neque adversarios ad eum cogi, neque ut disputationem non eluderent, contineri posse. Sane ut Constantinus civilibus conciliis civitatum et provinciarum Africæ, liberam tribuerat potestatem, ut sua desideria ad principem deinde referrent., l. 1 C. Th. de Legat. et decr. legat. sic Theodosius et Honorius descripserunt formam talium conciliorum provincialium et extraordinariorum, l. XII et XIII C. Th. eod. tit. Sed jam agebatur de desiderio Ecclesiæ Africanæ, et de auctoritate conventus aut concilii Ecclesiastici.

Ne quis autem miretur causam hanc ecclesiasticam ad principes relatam, et ab his ejus cognitionem magistratui civili demandatam esse, meminerit extraordinarium quoddam et singulare exemplum fuisse propter necessitatem, quæ legem non habere dicitur: propterea que ad consequentiam trahi non debere. Id ipse Augustinus indicat lib. III contra Julianum. Pelagiani post episcoporum concilia provincialia, provocabant ad nescio quam (ut vocant) œcumenicam synodum, et ab imperatore litteras eo nomine impetraverant. Catholici id recusant, cum intelligerent id peti non minus insidiose quam ambitiose. Pelagiani objiciebant exemplum, de quo agimus. Augustinus iis respondens: *Nec vero*, inquit, *vos et alios decipiatis, velut talem vocem habentes adversus nos, qualem nos adversus Donatistas, quos ad Collationem nobiscum venire per imperialia jussa compulimus. Illorum enim furor occupaverat Africam totam, nec prædicari a Catholicis veritatem contra suum patiebantur errorem violentis aggressionibus, latrociniis, rapinis, ignibus, cædibus, multa vastantes, cuncta terrentes. Cum quibus apud episcopos, quos communes non habebamus, nihil agere poteramus. Quod vero ante centum ferme annos majores nostri cum iis egerant, jam populorum memoriam non tenebat. Hæc igitur necessitas compulit, ut saltem gestis nostra collatione confectis, eorum contunderemus inverecundiam, et reprimeremus audaciam.* Hæc ille. Etsi autem hoc genus Collationis quodam modo extraordinarium fuerit, et in Africa magis quam alibi, fuerit usitatum, tamen memini Epiphanium scripsisse non dissimilem disputandi præsentibus notariis, qui gesta exciperent, potestatem concessam ab imperatore Constantino fuisse Photino hæretico jam alioqui in Sardicensi synodo damnato: et quidem inter auditores ejus disputationis et arbitros ab Constantino datos, Epiphanius numerat quemdam Marcellinum. Fuit autem illa inter Photinum et Basilium Ancyranum Collatio de quæstione multo subtiliori quam quæ cum Donatistis habita est. Nam caput, hoc est, Christum ipsum oppugnabat Photinus; Donatistæ vero non nisi corpus, hoc est, Ecclesiam. Adde, contra Donatistas fuisse quamdam velut immixtam causam, cui etiam inerat quædam civilis quæstio facti de Cæciliano et ejus ordinatore Felice: quam et ipsi Donatistæ olim priores retulerant ad Constantinum, quamque hic imperator partim suis in Africa præfectis, partim ecclesiasticis in Gallia et Italia antistitibus mandarat. Postea crevit Donatistarum intemperies, qui pro offensione jactabant victoriam, neque tamen in jus sive ad Collationem trahi poterant nisi imperio magistratus: quique in Collatione, ut ad rem venirent, cogi non poterant, nisi ejusdem potestatis præsidio et auctoritate. Denique quorum furor militaris et Circumcellionum gladiis armatus coerceri non poterat, nisi terrore principali. Erant mirabiles pragmatici, magisque versipelles et versuti calumniatores, quam ulli unquam fuerint in suo foro causidici. Erant etiam gladiatores magis sanguinarii, quam ulli in castris educati milites, qui non ex jure manu consertum, sed mage ferro, ut ait Ennius, rem repetunt. Et vere si Marcellinus aliquis cum sua apparitione adfuisset, periculum erat ne Collationem efficerent, qualis paulo post mortem Augustini fuit Ephesina illa furiosa synodus, quæ λῃστρικὴ appellata fuit. Certe non dubitassent Augustinum tractare, ut in ea synodo Flavianum tractarunt Nestoriani. Quid enim? Possidius, bonus imprimis auctor, narrat Donatistas, cum ad moderatam disputationem provocarentur, furiose exclamasse Augustinum tamquam lupum esse opprimendum, et eos, qui eum trucidassent, abs Deo veniam facile impetraturos esse. Credo, propter has causas Honorium voluisse suum Marcellinum cum armata apparitione adesse huic Collationi. Alioqui sane voluisset Augustinus 349 tale præsidium abesse. Nam et in epist. 203, cum Donatistas provocat, *Cessabit*, inquit, *a nostris partibus timor temporalium potestatum; cesset etiam a vestris partibus terror congregatorum Circumcellionum.* Et in epist. 173 provocans Crispinum Donatistam ad Collationem, *Mappalienses*, inquit, *ambos nos audiant, ita ut scribantur quæ dicemus, et a nobis scripta eis Punice interpretentur, et remoto timore dominationis eligant quod voluerint.*

Denique prospiciebat quod Catholici merito exprobrarunt improbo illi Ephesino et armato concilio, quod reprobabant. Nam fuit hæc eorum, qui Flaviani causam postea egerunt in Chalcedonensi synodo, exceptio, *Ubi gladii et fustes, qualis synodus est?* Interea patres qui ad Chalcedonensem synodum convenere, cum metuerent Eutychianorum tumultus et arma, rogarunt per legatos Leonis papæ imperatorem Martianum, ut adesset ad vim inhibendam; alioqui sine tali præsidio nolle se convenire dixerunt

Digitized by Google

et protestati sunt, ut testis est Liberatus Carthaginensis, cap. decimo tertio.

Postremo et illud observandum est, ut Donatistæ actum agebant, sic Marcellinum juris minime aut novi aut dubii arbitrum fuisse : et facti potius quam juris fuisse quæsitorem, et quidem cognitionem illi potius quam jurisdictionem mandari : denique judicem cum formula dari : ut olim rerum privatarum judices privati a prætore dabantur. Sed neque hic sedere voluit Marcellinus, nisi si assiderent collocutores : cum tamen in judicio civili solus sedeat judex, stare autem jubeantur litigatores. Denique protestatur, quod Constantinus in Nicæno concilio protestatus erat sedens in imo subsellio. Et tamen ut Collatio diversa fuit abs forensi aliquo judicio, sic et ab Ecclesiastico concilio, in quo potius judices sunt antistites. Quam autem demisse, temperanter, modeste, hic se gesserit Marcellinus, acta ipsa melius ostendent. Nullam autem hic fieri mentionem episcopi Romani, non mirabitur, qui, quæ jam dixi, expendet. Eum certe reverebantur et observabant Afri, tametsi in concilio Milevitano et Carthaginensi, cum suam in utroque sententiam de Pelagianis ad eum retulissent, dicantur transmarinas alioqui appellationes inhibuisse. Sed neque prætereundum est quod observant, quo tempore hæc Collatio postulata est, eo tempore Innocentium episcopum Rom., Urbe abs Gothis capta, longe aliud domi habuisse quod ageret. Et quid si dicam eum Honoriano rescripto mandatæ Collationis veluti subscripsisse? Certe Orosius narrat eum Ravennæ fuisse, quo tempore Romam invaserunt Gothi. Si tunc Ravennæ fuit, fuit cum Imp. Honorio. Adjiciam quod magis mirari aliquis posset, Felicem quemdam, qui se urbis Romæ episcopum esse jactabat, in hac Collatione cum Donatistis fuisse, acta significant, ubi et Romana nescio quæ nobilitas simul adesse dicitur. Sed suspicor aliquem Donatistam pseudoepiscopum, qui Romæ suis Donatistis Montensibus (ut ibi appellabantur) præfuerat, urbe capta, Gothos fugientem cum suis in Africam trajecisse, et sese Collationi Carthaginensi, in quam forte incidit, cupide et ambitiose immiscuisse. Nam et Donatistis tempestive submissum videbatur tale auxilium.

Porro cum audimus Marcellinum tribunum et notarium præfuisse huic Collationi, intelligimus virum sapientem et religiosum, et potestate magna præditum, magistratum dico spectabilem et clarissimum (nam hisce titulis ornabantur tribuni notarii, et Augustinus ipse in epist. 159 et 160, iis ornat hunc Marcellinum) operam dedisse huic cognitioni. Tribunus etiam et notarius fuisse dicitur Dulcitius ille, cui postea in Africa demandatam quoque fuisse curam legum et jussionum imperialium contra Donatistas scribit August. Et Ambros., in epist. 32, ait missum ad se esse ab Imper. Valentiniano Dalmatium tribunum et notarium, qui ad consistorium evocaret Ambrosium in causa religionis. Omitto, Claudianum poetam ejus temporis, tribuni et notarii titulo ornari in epitaphio, quod Romæ in foro Trajano prostabat. Exstat lib. XII cod. titulus VII de Primicerio et notariis, ubi et de tribunis notariis agitur. In Theodosii lege scriptum est : *Præcipua est nostræ pietatis intentio circa notariorum nomen.* Deinde in lege Leonis Imp. *Præclaram nobilemque militiam spectabilium tribunarum notariorum, diversis beneficiorum titulis muniendam credimus et augendam.* Videntur hi notarii fuisse qui nunc dicuntur secretarii regum in Gallia. Theodosius, in l. XII C. de excus. mun : *Notarii,* inquit, *nostri a sordidis muneribus excusentur.*

Qualis autem quantusque vir fuerit hic Marcellinus, quam æquus arbiter, quam moderatus judex, ipsa hujus Collationis acta melius indicant. Dicerem quod Orosius dicit, virum imprimis prudentem fuisse et industrium, omniumque bonorum studiorum appetentissimum. Sed unius Augustini testimonio contentus sum, ut intelligam virum magnum, et jurisconsultum minime profanum fuisse. Scripsit Augustinus ad eum non solum libros de peccatorum Meritis et Remissione contra Pelagianos, et de Spiritu et Littera : sed et eruditissimos illos de Civitate Dei, inchoatos paulo post urbem captam, hoc est, circa tempus Collationis Carthaginensis : sed et epistolas duas 5 et 7, ex quibus apparet, in media reip. gubernatione Marcellinum de religione imprimis sollicitum fuisse, et subtilissimas etiam in eo genere quæstiones intellexisse : imo quemdam veluti ἐργωδιώκτην fuisse, qui Augustinum incitaret. Adde ejusdem Augustini ad eum epistolas duas, 158 et 159, ubi quoque scriptum est, causas Ecclesiasticas ejus excellentiæ potissimum injunctas fuisse. Non erat, ut ille apud Ciceronem ridiculus L. Gellius, qui cum in Asiam iturus, Athenas venisset, putavit sese statim omnes omnium Philosophorum, quos ad se vocavit, controversias obiter definire posse, cum tamen ne eas quidem intelligeret. Noster Marcellinus non divini minus quam humani juris peritus erat. Et vero tales jurisconsulti, tales, inquam, politici viri, tam digni sunt, quibus hæc cura mandetur, quam hujus temporis profanos nescio quos Ulpianos, religionis irrisores et proculcatores, potius quam procuratores, Ecclesia Christi merito exsecratur. Augustinus, epist. 50 ad Bonifacium comitem : *Laudo,* inquit, *et gratulor, et admiror, fili dilectissime Bonifaci, quod inter curas bellorum et armorum vehementer desideras ea nosse, quæ Dei sunt.* Sed quanto magis id dicere potuit de Marcellino togato? Exstat et Hieronymi epistola ad hunc Marcellinum, quæ testis est hunc virum subtilissimas Ecclesiæ quæstiones, veluti de origine animæ sollicite proposuisse, et ad discendum magis paratum fuisse quam erat Hieronymus ipse ad respondendum : ac ne hoc quidem studium remisisse in media reip. perturbatione, cum Hieronymus ei rescribens, fateatur sese urbis Romæ vastatione confusum non posse litteris operam dare.

Nolo hoc loco præterire, quod ipse Augustinus in lib. post Collat. cap. 24, ait, Donatistas a primate

Digitized by Google

suo per tractoriam fuisse evocatos. Tractoria verbum
350 est juris nostri, sicuti et in eadem prope significatione, *Evectio*, quo etiam verbo utitur Augustinus lib. v Confess. Significat autem libellum vel diploma ut missis aut evocatis detur viaticum de publico, et ut uti possint cursu publico. Exstat lib. xii Cod. titul. de Tract. ubi interpres præterea refert quoddam fragmentum cujusdam edicti Constantini facientis mentionem tractoriarum et evectionis publicæ dandæ Donatistis propter causam Cæciliani. Superest ut quæramus, quo anno habita sit Collatio Carthaginensis. Quod quidem quo magis necesse sit imprimis rescire, tanto magis miror nusquam ab Augustino expressum aut notatum esse. Nec spes ulla erat, aliunde id posse intelligere. Sed tanto magis mihi gratulatus sum, cum in Actis manuscriptis, atque adeo statim in prima pagina legi habitam esse *P. C. Varanis kal. Jun.* Sic tandem intellexi habitam esse kalendis Junii post consulatum Varanis, hoc est, anno Christi quadringentesimo undecimo, post captam urbem Romam proximo. Sane anno Christi quadringentesimo decimo, kalendis Januarii, nulli fuisse dicuntur creati consules ordinarii, et propterea in quibusdam Fastis reperio eum annum hoc modo notari P. C. imp. Theodosii Junioris A. iii, et Imp. Honorii A. viii. Sed tamen constat eo anno, kalendis Februarii in Oriente creatum esse Varanem consulem, Romæ vero circa kal. Julias Tertullum. Et propterea in Chronico Prosperi et Cassiodori scriptum est, Varane et Tertullo coss. captam a Gothis urbem Romam fuisse. Sed Tertulli rarior et obscurior fuit memoria. Itaque in Chron. Marcellini scriptum est, Varane solo cos. captam illam fuisse. Scio hujus nominis variam esse scripturam. Nam modo hunc Varonem, modo Vararim, modo Varanum nominari audio. Puto tamen rectius Varanem.

Sequenti anno fateor Theodosium Aug. iv cos. indicari in Chronico Prosperi, Cassiodori, et Marcellini. Sed Prosper addit Varanem non solum urbe a Gothis capta solum fuisse Orientalium partium consulem, sed et in sequenti anno obs rvatum id esse. Ergo in Actis quæ dixi, scriptum est P. C. Varanis, hoc est post consulatum Varanis, ad indicandum eum annum qui secutus est illius consulatum.

Captam a Gothis fuisse urbem Romam ix kal. Septemb. verius est. Eodem autem anno paulo post ab imp. Honorio indictam et imperatam fuisse Collationem Carthaginensem observavi, quia ejus hac de re rescriptum exstat in illis, quæ dixi actis, quod datum dicitur Ravennæ pridie idus Octobres. Consul non adscribitur, negligentia librarii. Sed adscribi potest debetque *Varanes*. Sic quod in hac Historia imprimis quærebatur, et aliunde cognosci non poterat, liquet de tempore Collationis : quod quidem tanto diligentius investigavi, quia et maximum operæ pretium sit imprimis observare tempus, quo Honorius ab Africis Catholicis tam valde interpellatus est contra Donatistarum intemperiem. Desidebat Ravennæ in summa rerum suarum non solum perturbatione, sed etiam desperatione, præsertim jam mortuo Stilicone. Gothi Romam ceperant, totamque Italiam evastabant, omnibusque imperii Romani provinciis imminebant. Neque tamen propterea infelix attonitusque Honorius non audit Ecclesiæ Africanæ preces. Multas et ipse paterno exemplo jam leges tulerat adversus Donatistas. Sed tam suas quam paternas leges veluti suspendi patitur, cum audit aliter cum Donatistis nunc agendum esse. Aliquot ante annis edixerat quod ad earum exsecutionem pertinebat, ne eas Donatistæ putarent refrixisse aut saltem tepuisse, ut loquitur in l. xlvi C. Th. de Hæret. Sed et eo quoque tempore jusserat, ut publice proponeretur quod in Africam miserat edictum de unitate l. ii C. Th. de Relig. Verum Donatistarum schisma solis edictis tolli non posse audiebat : et Africanæ Ecclesiæ tamen unitatem omnibus modis restitui optabat.

Denique Ecclesiæ illius curam majorem gessisse videtur, quam suæ Romæ atque Italiæ. Qua in re facile admirabilem Dei providentiam agnoscet, qui quanta hujus principis alioqui sive socordia sive ignavia, sive (ut Ciceronis verbo utar) non curantia, quantaque eorum temporum confusio fuerit, recordabitur. Nempe fecit Deus, ut Honorius hic audierit viros bonos, et ab iis sibi dictari passus sit rescripta, quæ consignaret. Ergo in mandato hujus Collationis diceres Theodosium potius quam Honorium loqui. Ambrosius ait, Theodosium magis de Ecclesiæ, quam animæ suæ salute sollicitum fuisse. Non dicam Honorium filium fuisse omnino ejusdem animi. Sed in hac saltem Donatistarum causa fecit, quod pater fecisset, et edicta emisit plena paternæ pietatis. Vivo Stilicone solebant multi calumniari leges, quæ in Africam mittebantur, tametsi Honorii nomen præ se ferrent, tamen magis abs Stilicone, quam abs Theodosii filio mitti, ut Augustinus narrat epist. 129. Nunc mortuo Stilicone dici tale aliquid non potuit. Idem Augustinus, ep. 166, scribit Donatistas conquestos esse de legibus filiorum Theodosii. Sed ipse respondet nihil eas aliud quam repetere atque confirmare judicium Constantini, Valentiniani, Gratiani, Theodosii : simulque detestatur Julianum Apostatam, qui (ut ait) permiserit libertatem perditioni partis Donati, cum eo modo putaret Christianum nomen posse perire de terris si sacrilegas dissensiones liberas esse permitteret. Donatistæ contra hoc nomine prædicabant Julianum illum, et apud eum solum solam justitiam locum habere propterea jactabant. Augustinus nihil injustius, nihil indignius, nihil perniciosius esse ait. *Et quæ*, inquit, *pejor mors animæ, quam libertas erroris?* Interea tamen ne Donatistæ queri possent, aut sibi injuriam fieri, aut sese inauditos damnari : placuit, rursus in Collatione tandiu audiri quamdiu vellent : et interea liberos esse. Sed alioqui semper in Africa permittere altare contra altare, majorem Ecclesiæ deformitatem esse judicavit imp. Honorius, quam eo tempore Romæ erat in urbis eversione atque vastitate.

Digitized by Google

Nunc veniendum est ad Acta, sive (ut appellabantur) gesta Collationis : quæ quidem olim studiose excepta, conscripta, collataque fuerant, sed temporis injuria, posteritatisque negligentia interciderant. Ergo cum nuper majorem melioremque eorum partem, beneficio Jo. Tilii nactus essem, existimavi magnum mihi quemdam thesaurum oblatum esse. Nam etsi ex Augustino summa capita facile repetere liceat : tamen multa, quæ ille præteriit, desiderabam, et memineram quam valde olim Ecclesia voluisset integra hæc Acta legi, eorumque memoriam conservari. Nam et ipse Augustinus in lib. de Gestis cum Emerito narrat, apud omnes (ut ait) diligentes Ecclesias Africanas quotannis ea a capite ad finem usque ordine recitata fuisse, quo tempore populo maxime integrum erat audire. Fateor non modo leptologica, sed et prope battologica posse videri : quia recitentur omnes Donatistarum cavillationes, ac ne verbum quidem ullum prætermittatur. Sed Ecclesiæ et reipub. interfuit, singula **351** eo modo conscribi atque exponi. Et tamen ne eorum forte longitudo lectores deterreret, Augustinus epitomen etiam conscripsit, quam vocavit Breviculum : et rursus eadem de re scripsit in lib. Post Collat., et denique ex synodo Cirtensi eamdem narrationem repetit, epist. 152, quam quidem epistolam indicat, cum ad Marcellinum scribens de hisce suis laboribus in epist. 158 : *Mihi*, inquit, *fuit breviatio gestorum Collationis nostræ satis operosa, cum viderem neminem velle tanto aggeri litterarum legendo se committere : sicut mihi fuit etiam epistola ad ipsos laicos Donatistas de hac eadem Collatione nostra.* Scribit autem ad Marcellinum, ut publicentur gesta in causa quorumdam crudelium Donatistarum in judicio convictorum. Nam et talia recitari per omnes Ecclesias optat non minus quam gesta ipsius Collationis. Adeo historia Donatistarum visa est digna, quæ inculcaretur. Obiter autem admoneo, falli Erasmum, qui in argumento ejus ad Marcellinum epistolæ annotat, Augustinum ad Marcell. petere, ut quæ adversus Donatistas in concilio episcoporum decreta sunt, publicentur. Certe in concilio episcoporum non decernebatur quod pro tribunali Marcellini. Porro ut gaudebat Augustinus Marcellinum Collationis cognitorem fuisse, sic et Bonifacium Comitem optabat ejus historiam cognoscere. Itaque ad eum scribens epist. 50 : *Quoniam*, inquit, *valde proficua sunt gesta, et tibi aliis rebus Romanæ paci necessariis occupato, multum est ut legantur, breviarium eorum tibi legi poterit.* Quid multis? Existimavit in iis sitam esse Ecclesiæ victoriam. Itaque in epist. 204 ad quemdam Donatistam : *Præstitit*, inquit, *misericordia Dei, ut et nos et episcopi vestri tam frequenti numerosoque conventu Carthaginem veniremus, atque inter nos de ipsa dissensione ordinatissime conferremus. Gesta conscripta sunt, nostræ etiam subscriptiones tenentur. Lege vel patere ut tibi legantur : et tunc elige quod volueris.*

Sane cum super incidissem in Acta concilii Constantinopolitani secundi, quod Justiniani nostri tempore fuit, et quintum œcumenicum esse dicitur, et iis forte occurrisset quoddam caput tamquam fragmentum Gestorum Collationis Carthaginensis, quod tum in illo Orientali concilio prolatum fuit annis plusquam centum et quadraginta posteaquam fuerat scriptum in Africa : existimavi me nactum esse aliquid, quod minime in hoc commentario negligendum esset. Est autem ejusmodi : *Ex Gestis, quæ apud Marcellinum V. C. tribunum et notarium acta sunt, cap.* 188, *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit : Non in hominibus spes ponenda est Ecclesiæ, si boni sunt, neque, si mali sunt, judicanda est Dei Ecclesia periisse. Sed tamen ipsorum causam tamquam fratrum nostrorum suscipimus ; et, si nobis ostendi potuerint criminosi, hodie illos anathematizamus : non tamen propter illos Ecclesiam a Deo promissam et exhibitam deserimus et relinquimus.*

Hoc fragmentum et cap. 187 Gestorum Collationis deerat etiam in Tiliano exemplari, quod multis aliis modis mancum et mutilum est. Sed interea dum exspectabimus, ut aliquando integra illa Gesta reperiantur et edantur, præcipuam partem hujusce Collationis exponamus.

Ac imprimis quidem observo magnum et celebrem fuisse conventum cum catholici episcopi ducenti et octoginta sex, Donatistæ vero ducenti septuaginta novem convenissent. Et tamen paulo ante multo plures Donatistæ convenerant in Bagaiensi concilio adversus suos Maximianistas, alteram Donatistarum sectam. Adeo in Africa invaluerat Donati soboles : neque non de sua multitudine illi gloriabantur non minus quam alias de sua paucitate. Augustinus vanitatis eos redarguere vult, quia jactarent sese esse plusquam quadringentos in Africa antistites. Sed si suos Maximianistas sibi adjungi patiebantur, revera erant plusquam quadringenti. Maximianistas autem, qui non minus optabant huic Collationi interesse, quam reliqui Donatistæ eam refugiebant, non modo Donatistæ rejecerunt, sed et Catholici excluserunt. Cur id factum sit, indicat Augustinus in libro tertio contra Julianum : *Cupientes*, inquit, *exiguitatem suam nomine saltem certaminis consolari, et ideo videri aliquid apud eos quibus contemptibiles erant, quia inire nobiscum sinerentur examen, interpellantes eos et libellum dantes provocantesque contempsimus. Magis enim de certamine nominari desiderabant, quam formidabant in certamine superari : nec sperabant victoriæ gloriam, sed famam requirebant Collationis, quia multitudinis non habebant.*

Hæc ille : qui inde probat non esse consequens, ut qui conferre in aliquo judicio volunt nec sinuntur, putari debeant de veritate confidere : idque objicit Pelagianis, qui cum jam damnati in concilio episcoporum fuissent, jactabant quasdam litteras imperatorias, ex quibus ad novam Collationem catholicos provocabant, eamque Catholicis recusantibus, victores se esse stolide gloriabantur.

Porro quam ultro sese offerebant Maximianistæ, qui repulsi sunt, tam reliqui Donatistæ, qui restita-

Digitized by Google

bant, invitabantur : et ut in his evocandis cogendisque multum negotii fuit : sic etiam, cum jam venissent, in pertrahendis ad Collationem, ejus licet æquissimæ conditiones proponerentur. Lepidum autem est, quod cum Marcellinus in suo secretario sive auditorio, honoris causa, rogaret Donatistas, ut sederent, sicuti Catholici sedebant, illi recusando responderunt scriptum in psalmo XXXVI esse, *Cum impiis non sedebo* : apposite vero nostri replicarunt, jam eos tamen fecisse, quod in eodem psalmo David subjicit : *et cum iniquis non ingrediar*. Sed addendum erat, quod in eodem psalmo David adjicit, sese ita odisse impiorum societatem, ut tamen propter eos non sit deserturus templum aut altare Domini. Et certe mirum est Donatistas nimis inepte morosos stare quam sedere maluisse, cum illud reorum, hoc judicum sit. Imo cum reus sedere jubebatur, absolutus esse intelligebatur, neque alia absolutionis formula usi erant eorum majores in primo illo suo Cirtensi concilio, cujus antea mentionem feci. Fuit profecto incredibilis quidam fastus horum hypocritarum. Sed factum est justo Dei judicio, ut honorem nimis liberaliter iis oblatum, quo indigni erant, recusarent. Optatus, lib. I, narrat indigne etiam tulisse, quod fratres a Catholicis appellarentur : et multis post annis, atque adeo in ipsa Collatione hanc nostrorum humanitatem superbe respuerunt. Augustinus, lib. III contra Gaudent.: *An*, inquit, *irasceris, quia te fratrem voco? Hoc enim nomen a nobis etiam in nostra Collatione respuistis*, etc.

Cum multa sint in gestis hujus Collationis singulariter observanda, tum vero illud memorabile est, quod Catholici, ut Donatistis uterentur æquioribus, non recusant iniquam ultro subire conditionem, adversariis vero deferre utilem. Offerunt enim, si in hac Collatione vincantur, sese abdicaturos, ut verbo Romano utar : sin vincant, nihilominus ut victis adversariis integrum sit non abdicare : sed victores iis resipiscentibus communicent honorem et dignitatem muneris episcopalis, ut in eadem Ecclesia duo tolerentur episcopi, tamquam collegæ, **352** et ut olim Romæ consules : sed ita, ut sit inter eos quædam (ut Græcorum jurisconsultorum verbo utar) ἀλληλοκληρονομία et quoddam veluti jus accreseendi : ut qui prior decedet, socium relinquat Episcopum tamquam hæredem in solidum. Sane Canon Nicæni concilii prohibebat duos in una urbe esse episcopos. Nam prospiciebat incommoda talis societatis, et ut Romæ non nisi unus erat princeps Senatus, quamvis essent consules duo : sic visum fuit, collegio presbyterorum non nisi unum esse præficiendum. Sed, ut id placuit, pacis fovendæ causa : sic etiam ubi conciliationis ratio visa est postulare, ut duo tolerarentur, cum alter expelli vix posset, Canonis finem et sententiam potius quam verba intueri oportuit. Sane tamen cum Augustinus passus esset sese Valerii episcopi Hipponensis collegam creari, ut esset veluti coepiscopus ; ignotum sibi Canonem Nicænum fuisse dixit. Et propterea Possidius narrat, eum, cum episcopus esset, publice recitari sæpius Canones Nicænos voluisse. Sed hæc ex Ecclesiæ usu atque utilitate æstimanda atque metienda esse nemo negaverit, ut ubi justa causa postularet, ille Canon cedat. Qualis causa esse visa est, ut Donatistis antistitibus, quos ambitio retinebat, objiceretur spes aliqua honoris, si resipiscerent : detraherenturque timor infamiæ et ignominiosæ abdicationis, si ad Ecclesiam catholicam redirent. Nam et ipsi quoque Nicæni Patres cum agerent de Novatianis, id tribui posse confessi sunt. Sed et Arianis, qui jam aliquot annis Ecclesiæ gubernationem in Oriente occupaverant, et de ea possessione si sanari nollent, decedere abs Theodosio jubebantur, non dissimilis conditio fuit oblata : quo etiam tempore Meletius episcopus Antiochenus, pacis retinendæ causa, Paulino, qui separatos alioqui habebat suos cœtus, non dissimili prætextu quo Donatistæ, obtulit, ut conciliatio fieret, societatem sui episcopatus, ea lege, ut altero mortuo, alter, qui superstes esset, in solidum episcopus maneret. Quid moror? Augustinus, in epist. 163, narrat, cum Melchiades Romanus episcopus ex sententia suorum collegarum damnaret Donatum, Donatistis, qui resipiscere vellent, ita pepercisse, ut sanitatis recuperandæ, inquit Augustinus, optionem liberam iis fecerit, paratus communicatorias litteras mittere etiam iis, quos a Majorino ordinatos esse constaret : ita ut quibuscumque locis duo essent episcopi, quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior : alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur. De hac Melchiadis sententia loquens Augustinus exclamat : *Quam innocens ! quam integra ! quam provida atque pacifica ? O virum optimum ! o filium Christianæ pacis, et patrem Christianæ plebis !* Idem Augustinus, epist. 50, eamdem historiam recitat, et simul significat Catholicos hoc deinde exemplum secutos esse in recipiendis Arianis, qui, cum resipiscerent, clerici et episcopi, ut antea fuerant, in eodem ordine manerent. Narrat etiam id tam displicuisse Lucifero, ut propterea desciverit ab Ecclesia : quod et narrat Hieronymus contra Luciferianos. Sed injusta schismatis causa hæc esse nostris visa est. Illud nunc inculcare volo, Melchiadis illius judicium secutos paulo post esse Nicænos quoque Patres, cum de Novatianis agerent. Nam licet eos, quos lapsos vocabant, ad se Ecclesiæ quidem communionem post exomologesim admittendos, non etiam ad ullum ordinem cleri vel ministerii ecclesiastici, decrevissent : Novatianis tamen resipiscentibus non modo remiserunt duriorem longioris exomologeseos conditionem ; sed et ministerii ecclesiastici functiones permiserunt. Cur erga Donatistas Afri antistites duriores essent, nulla causa erat : magna vero, ut etiam essent indulgentiores, si forte hac conditione redimere unitatis et Ecclesiæ pacem possent. Omitto quod jam olim de sua erga lapsos humanitate Cyprianus ad Cornelium Papam scripsit, antistes alioqui et ipse Afer et severus et rigidus. Illud dico in resipiscentium hæreticorum causa qui

Digitized by Google

errore peccassent, magis quam in lapsorum, qui metu, auditam fuisse veterem illam legem XII Tab. : *Sanctibus idem jus esto quod fortibus.* Porrò non modo obtulerunt Catholici Donatistis conditionem, quam jam dixi ; sed etiam liberaliter addiderunt alteram, quam didici ex Augustini libro de Gestis cum Emerito, ubi et narrat aliquid memorabile accidisse, cum de ea proponenda Catholici inter se deliberarent. Recitabatur in quodam conventu Mauritaniæ Cæsariensis notaria abs Catholicis in Collatione Carthaginensi proposita. Cum ventum est ad hunc locum : *Si forte populi Christiani singulis delectentur episcopis, et duorum consortium inusitata rerum facie tolerare non possunt, utrique de medio discedamus, et Ecclesiis singulis damnata schismatis causa, in unitate pacifica constitutis, ab his singulis in Ecclesiis singulis annuentibus, unitati factæ, per loca necessaria singuli constituantur episcopi ;* Augustinus episcopus dixit : « Dicam charitati vestræ et commemorem rem dulcissimam et suavissimam, quam Domino adjuvante sumus experti. Cum ante ipsam Collationem inter nos aliqui fratres, de hac re colloqueremur : quia pro pace Christi episcopi debent esse aut debent non esse : quod vobis fatendum est, circumspicientes omnes fratres et coepiscopos nostros, non facile nobis occurrebant, qui hoc vellent suspicere, et de hac humilitate Domino sacrificare : dicebamus ut fieri solet : *ille potest, ille non potest : ille consentit hoc, ille non tolerat :* loquentes magis pro suspicionibus nostris, qui corda illorum minime videre poteramus. Quando autem ventum est, ut hoc palam fieret in concilio universorum tam frequenti pene trecentorum episcoporum, sic placuit omnibus, sic exarserunt omnes, ut parati essent episcopatum pro Christi unitate deponere : et non perdere, sed Deo tutius commendare. Duo ibi vix inventi sunt, quibus displiceret. Unus annosus senex, qui hoc etiam dicere liberius ausus est : alter voluntatem suam tacito vultu significavit. Sed posteaquam illum liberius hoc dicentem obruit omnium fraterna correptio, illo mutante sententiam, vultum etiam ille mutavit. » Hæc Augustinus. Quæ quidem tanto magis recitata, quod in actis Collationis sint permissa, et tamen memorabile exemplum sit, et imprimis sit utile : quoties de pontificatu certatur, et ambitio contendentium perturbandæ Ecclesiæ causa est.

Redeo ad gesta Collationis. Ut citius ad rem veniretur, et de gravioris causæ statu ageretur, Catholici voluerunt disjungere atque separare causam Cæciliani, et eam quæstionem missam facere, quæ facti magis erat quam juris. Nam et privata et personalis erat ea causa, quæ cum altera (ut ita dicam) reali et generali, nempe de Ecclesia, nihil habebat commune. Itaque non recusabant ultro hoc largiri, quod tamen falso prætexebant Donatistæ, Cæcilianum fuisse traditorem. Nam ne tum quidem ab Ecclesia Catholica, quæ ei communicasset, Donatistas desciscere debuisse, nostri aiebant. Nihil certe erat facilius quam probare Cæcilianum talem non fuisse, et recte fuisse absolutum : et Donatistarum propterea calumnias retegere, impudentiamque prope incredibilem. Sed **353** tamen Donatistæ in ea cavillatione perstabant, potius quam ad juris quæstionem de Ecclesia pertrahi se paterentur. Sic enim multa confuse miscendo tenebras offundere, ut elaberentur, volebant. Cumque alias in ore habere solerent forensem illam præscriptionem : *Nec causa causæ, nec persona personæ præjudicat.* Tamen indigne ferebant eam exceptionem sibi objici, ubi Cæciliani causam cum Ecclesiæ causa ita conjungebant, ut hanc ex illa pendere vellent. Certe Augustinus, epist. 204, ait, nihil in actis Collationis fuisse quod Donatistæ magis deleri voluissent. Fuit sane vetus illud hæreticorum artificium, ut, frustrationis ergo, cum suum dogma tueri non possent, suos mores quos laudabant allegarent : aut cum adversariorum doctrinam refellere non possent, mores eorum accusarent. Sed hæc diverticula sunt eorum, qui eludere volunt. Sane ante Collationem Petilianus Augustinum, cum quo certabat, multis conviciis propterea impetebat, ut jam de Augustini persona potius quam de Ecclesia, de qua instituta erat disputatio, quereretur : *Me*, inquit Augustinus, *facit causam, cum defecisset in causa.* Item : *Relicto negotio publico, privata quadam simultate, hominis unius vitam maledicis opprobriis insectatus est, quasi homo ille esset causa, quæ inquiritur.* Sed ut Augustinus indicat quorsum id faceret astutus adversarius, sic obstat, ne ille tali astu eludat : et injuriam privatam pati mavult, quam alio excurrendo, descrere causam publicam. Ergo et Cresconio Donatistæ respondens, *Desine*, inquit, *talibus. Unus homo sum : Ecclesiæ inter nos agitur causa, non mea.* Sicque etiam constrinxit Pelagianos, qui in disputatione captabant, quod Donatistæ : *Quod* (inquit lib. III contra Julianum) *ad mores nostros pertinet, quemadmodum vivamus, in promptu est eis, cum quibus vivimus. Nunc de Catholico agitur dogmate.* Manichæi, quamvis minus essent Rhetoricis illis artibus eruditi, tamen non dissimilia rursus diverticula quæsierunt : neque solum mores alienos accusarunt, sed etiam cum essent impurissimi, suos prædicarunt. Sic Fortunatus Manichæus de fide rogatus, de sua suorumque vita respondet. Quid Augustinus ? in lib. contra Fortun. : *Alia*, inquit, *est quæstio de fide, alia de moribus.* Ac quidem alias Donatistarum Manichæorumque mores accusavit, et suorum constantissime defendit. Sed non patitur causam religionis cum tali actione permisceri. Sic et Hieronymus contra Rufinum imprimis hoc agit et urget, ut non conjungantur captiose, quæ disjungenda sunt : *Non est*, inquit, *necesse, ut in Ecclesiasticis tractatibus rem tribunalem ventilemus.* Item : *quis nostrorum, omissa causa, in superflua criminum objectatione versatus est ? Quæ non chartæ Ecclesiasticæ, sed libelli judicum debent continere ? Aut quid refert si causa cadas, et crimine superes ? Istæ machinæ hæreticorum sunt, ut convicti de perfidia, ad maledicta se conferant.* Hæc ille. Est autem operæ pretium talia diligenter observare, quia hoc quoque

Digitized by Google

tempore videmus eos qui de religione contendunt, intempestive, ut omnia misceant, transilire ad criminationem personarum. Sane quo magis gesta Collationis Carthaginensis considero, tanto magis sentio, tam ad rem principalem Catholicos venire statim voluisse, quam Donatistas id refugisse: qui (quemadmodum sæpe Augustinus dixit) hoc unum agebant, ut nihil ageretur. Nam et Carthaginem tantum venisse videntur ut redirent. Dixit etiam aliquando Augustinus in libris contra Julianum Pelagianum, frontem hæreticorum non esse frontem. Id vero de incredibili Donatistarum impudentia multo magis dici potuit debuitque. Sane cum refelleret Cresconium Donatistam grammaticum, significat prope esse ut exclamet illud Persii, *frontem periisse de rebus*. Et alio loco dixit se mirari Donatistas, habere in corpore sanguinem, et tamen numquam erubescere. Dicerem, quam crudeles fuerunt sicarii tam vafros fuisse pragmaticos. Sed acta, de quibus loquor, testabuntur, strophas eorum non tam erudito aliquo artificio tectas, quam meretricia quadam protervia communitas fuisse. Sunt in libris juris explicata hæc verba legis, *si calvitur*. Sed vix umquam magis quid illud sit, apparuit, quam in Donatistarum tergiversatione atque frustratione. Ergo Marcellinus interlocutiones prope sexcentas, ut eorum ludificationi occurreret, interponere coactus fuit, prius quam ad rem eos restitantes revocare, et ad causam principalem judicandam venire potuerit. Et vero oportuit non minus civilis, quam divini juris peritum fuisse, ut hic præstaret quod erat necesse. Nam Donatistæ cum simularent sese causam agere velle tantum ex sacris litteris, sicuti theologos decebat: tamen præscriptiones infinitas ex forensi technologia repetebant, quæ sine juris civilis cognitione refelli non poterant. Miraretur aliquis, eos, cum undique conquirerent omnes (ut vocant) declinatorias exceptiones, tamen non excepisse, quod Ambrosius antea exceperat ad Valentiniani junioris consistorium, aulica fraude Justinæ evocatus, ut in eo cum Arianis disputaret. Sed dissimilitudinem observare facile licet: et Donatistæ sibi gratulari debebant, sese ad aulam Honorii vel transmarinum aliquod tribunal, sicuti antea evocari curarant Cæcilianum, nunc non evocari. In Actis scriptum est hanc Collationem habitam esse in Secretario Thermarum Gargilianarum, quod in urbe Carthaginensi videtur fuisse auditorium aliquod nobile. Cyprianus reus dicitur ad paternum Proconsulem Carthaginensem adductus fuisse in quoddam Secretarium. Et in codice Constitutionum sæpe vocatur Secretarium judicum, ut Consistorium Principis. Secretarium Prætorii vocat Augustinus libro III contra Crescon. cap. 56. In Hipponensi Balneo Sosn. sub præsentia populi sese contulisse cum Fortunato Manichæo scribit in libro contra Fortun. In Trullo palatii convenisse synodum Constantinop. non est ignotum. Quod dico, ne quis hic offendatur Thermis Gagilianis. Nunc ad rem.

Cum primum sese steterunt Donatistæ, cavillati nescio quid fuerunt, de tempore, quod præstitutum fuerat jam elapso. Sed interlocutus est Marcellinus de prorogatione: et tenebat illud Ulpiani: *Qui pro tribunali cognoscit, nonnumquam tempus judicati prorogat*, etc., l. II de Re judic. Credo equidem, lubenter etiam Donatistæ submurmurassent illud e medio jure civili, moram purgari non posse, ubi lapsu temporis commissa est. Sed hisce cavillis non erat nunc locus. Cæterum cum ordo Collationis imprimis postularet, ut utrinque certi deligerentur actores, idque Marcellinus ediceret, et Catholici probarent, Donatistæ rursus reclamabant, qui cum prope trecenti convenissent, volebant omnes disputare: quod profecto sine tumultu et confusione fieri non poterat. Ergo Marcellinus interloquitur, observandum hic esse, quod in publicis actionibus et corporibus custoditur, ut per certas, sicuti ait, et ordinatas et firmatas personas omnia peragantur, sicuti noster Ulpianus scribit. Quibus permissum est corpus habere collegii sive societatis nomine, eorum proprium esse, ad exemplum Reipublicæ habere actorem sive syndicum, per quem, quod communiter agi fierique oporteat, agatur et fiat, l. I, Quod cujusque univers. nom. Ergo tandem placuit 354 et convenit, ut septem ex numero Catholicorum, et totidem ex parte Donati deligerentur, qui suæ universitatis nomine et mandato causam agerent, et disputationem prætexerent in hac Collatione. Eorum autem septem princeps veluti fuit hinc Augustinus, illinc Petilianus: ut et antea hi scriptis adversariis conflictati inter sese fuerant, et erat in suo quisque ordine præstantissimus. Et Petilianus qui aliquando causidicus fuerat, jactare solebat suam quondam potentiam in advocatione forensi, ut ait Aug. lib. III contra Petil. cap. 17. Sed res ipsa ostendit nihil aliud quam ineptum rabulam fuisse, qui, quam in Collatione causam de Ecclesia impotenter ageret, ne intelligeret quidem: ut impudentes et garruli causidici in foro educati temere et imperite et confuse balbutire solent de religione.

Porro quia Catholici ab imperatore petierant Collationem, Donatistæ volebant initio sibi edi et nomina legatorum et preces. Quærebant enim, quod in eo quoque genere arroderent. Marcellinus nihil hoc ad rem pertinere pronuntiat: et respondet rescripto pragmatico preces inseri non solere. Petitam ab imperatore esse Collationem non omnino audebant Donatistæ reprehendere: quia et ipsi priores aliquando id petiissent, et causam Cæciliani olim ad Constantinum retulissent. Sed clam tamen nescio quid submurmurabant: *Nobis* (inquit Augustinus in libro post Collat.) *invidiam concitant, quod apud imperatorem causam agamus Ecclesiæ. Hinc illa Primiani Donatistæ vox: Illi portant multorum imperatorum sacras: nos sola portamus Evangelia.* Dixi ea de re quidpiam in annotat. ad Optatum, ubi et alteram ex Augustino recitavi exprobrationem Petiliani: *Quid nobis cum regibus sæculi, quos numquam*

Digitized by Google

Christianitas nisi invidos sensit? Si et doctior et acutior fuisset Petilianus, fortasse potuisset id ita urgere, ut Augustino difficilior fuisset responsio. Et quid si ex Tertulliani Afri Apologet. objecisset illud, Cæsares credidissent Christo, si et Christiani potuissent esse Cæsares? Sed Donatistæ obtusiores fuisse videntur, quam ut potuerint valde pungere premereque adversarium. Saltem fuissent minus aulici, ut adversarios, si qui nimis aulici erant, justiori exprobratione castigassent. Fateri enim cogimur, optandum esse ut aulicis strophis religio non involvatur ac polluatur, quales nimium ipsis Donatistis familiares fuere. Quid dicam Africanam Ecclesiam, quæ antea domi suæ nullos aut imperatores aut reges viderat, paulo post sensisse quid sit tales habere in suo sinu, quales habuit Vandalos? Tunc igitur, tunc ad eorum tribunal citata, in quo Ariani antistites regnabant, subscripsisset Donatistis exclamantibus apud Optatum, *Quid episcopis cum Palatio?* Nunc redirem ad Donatistarum Collationem fugitantium circuitiones atque tergiversationes. Sed quis omnes enumeret? Interea sedati judicis fuit, quidquid tandem illi dicerent, tametsi sæpius otiose et frustra inculcarent, patienter id audire: quod quidem Marcellinum fecisse Acta testantur. Sane mira fuit illa eorum cavillatio: quod ubi proferebatur ecclesiasticum concilium cum suo die et consule: propter adjectam hanc temporis notationem, causabantur fictum esse concilium. Rursus, cum aliquod Constantini rescriptum iis objiciebatur, cui forte adjectus non erat cons. index ipsius anni: propterea cavillabantur falsum et fictum quoque esse. Quid Marcellinus? de conciliis nihil dicit. Nimis enim notum certumque erat, diem et consulem iis adscribi, ut ficta non esse intelligantur. Sed pronuntiat, non nocere tamen veritati legum et rescriptorum, si omissa sit hæc temporis notatio: *Cognitor*, inquit Augustinus, *interlocutus est, evidentissimis legibus definitum esse imperialia constituta, etiamsi consules non legerentur, in dubium non vocari.* Scio Constantinum rescripsisse, auctoritate carere personalia beneficia, quæ sine die et consule proferuntur, l. IV C. de divers. Rescript. Sed talium beneficiorum alia ratio est: et ipse Justinianus, licet hoc rescriptum in suum Codicem retulerit, tamen præfatus est id dici non posse de Constitutionibus. Nam nullam dubitationem inde emergere vult, quod quædam sine die et consule compositæ legantur. Sane cum quæreretur de quadam epistola sive cautione, respondit noster Cervidius Scævola, non ideo nullius esse momenti quod sine die et consule sit, l. 34 de Pignor. Et quod in Pandectis non exstat, invenitur quoddam fragmentum ex libris regularum nostri Modestini, nihil nocere testamento, si dies et consul adjecti non sint. Adjici tamen sæpius solebant: licet ubi testamentum aperiebatur, diem et consulem, inquit noster Ulpianus, non patiebatur Prætor describi vel inspici, ne quid falsi fiat, lib. II, Quemadmodum testamentum aper. Sed quis mirabitur Donatistas in Collatione omnia frustrationis diverticula captasse, quæ ne forensis quidem causidicus in mala causa invenisset? Etiam post rem judicatam exceptiones obtendebant, et quidem ex jure civili repetitas esse fingebant: de quibus aliquid postea dicam. Denique in iis quæ ad rem principalem alioqui non pertinebant, plus et temporis et verborum consumptum frustra hic fuit, quam in ea quæstione de qua sola collatores agere debebant.

Age, nunc de causa principali iterum cognoscatur, et quis ejus status fuerit, videamus. Ut duobus verbis dicam, quæstio fuit de Ecclesia: an hæc esset penes Catholicos, an vero Donatistas. Sed tanto difficilior dijudicatio fuit, quod utrobique prope eadem alioqui sonaret doctrina, et forma similis conspiceretur: imo et eædem formulæ audirentur, sicuti et Optatus, lib. I, significat. Neque temere est, quod Augustinus in lib. de vera Relig. cap. 5, non modo in schismaticis id observat, sed etiam in quibusdam hæreticis, ut Arianis et Photinianis. Manichæos vero et nonnullos alios ait etiam ritu sacramentorum dispares esse voluisse, ut minus mirandum sit, quod hos, minus quam illos, Ecclesia catholica ferre potuerit. Cum ergo Donatistæ pares esse viderentur doctrina et ritibus, difficilior cum iis fuit de Ecclesiæ agnitione quæstio: et aliis indiciis fuit opus quam doctrinæ et sacramentorum. Et vero si Donatistæ cum Ecclesia catholica communicarent tam in doctrina fidei, quam in ritibus et cæremoniis, tametsi cum personis non communicarent, quas tamquam pollutas refugiebant, non nisi cujusdam morositatis schisma fuisse videtur. Sed in sua actione sic variarunt, ut sibi ipsis non consentirent, et in Collatione miscerent inconstanter quædam repugnantia. Alioqui dicerem eo recidisse certamen, ut quod in symbolo omnes profitebantur, Ecclesiam unam esse sanctam et catholicam, in Collatione Carthaginensi varie agitatum sit: cum nostri urgerent vaticinia prophetarum, quæ catholicam promittunt: Donatistæ vero opponerent vaticinia, quæ sanctam describunt Ecclesiam. Fateor causam hanc adversus Petilianum, et nervosius et planius egisse Augustinum lib. de Unit. quam in ipsa Collatione: quia scriptionem non interrumpebat adversarius, ut orationem; sed eadem semper causa fuit. Observemus autem, Catholicos aliam non admiscuisse, quæ institutam disputationem perturbasset.

Poterant fortasse Donatistis odiose objicere aliquid **355** Arianismi. Sed nolunt alio excurrere, et malunt amice confiteri, sibi cum iis rem esse, non de capite, id est, Christo, sed de corpore, id est, Ecclesia. Quinimo quæstionem de anabaptismo, cujus erant rei Donatistæ, hic etiam omittunt: et cum iis agunt perinde atque cum Luciferianis, qui eodem tempore in ipsa etiam Africa separatos ab Ecclesia catholica suos cœtus habebant, neque tamen hæretici, sed potius schismatici erant: multo tamen quam Donatistæ modestiores. Quamdam cum his collationem quodam Carthaginensis cum Donatistis colla-

Digitized by Google

tionis exemplo, Hieronymus describit. Augustinus utrosque conjunctim damnat. Nam in lib. de Agone christiano cap. 30, posteaquam de Donatistis egit: *Nec eos*, inquit, *audiamus, qui quamvis neminem rebaptizent, præcidere se tamen ab unitate, et Luciferiani dici quam Catholici maluerunt. Quod non rebaptizant, non reprobamus: sed quod etiam ipsi præcidi a radice voluerunt, quis non detestandum esse cognoscat? Hi sunt, de quibus Apostolus dicit: Habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Hanc illi non habent, quia præcisi ab unitate sunt*, etc. Sed et Prosper, Augustini discipulus, lib. II de Promiss. et Prædict. cum Donatistis Luciferianos comparat, et utrosque ait, Christi corpus, id est, Ecclesiam, humanis calumniis insectatos esse: ut alii hæretici, Ecclesiæ caput, id est, Christum ipsum, insectabantur. Denique Hieronymus disputans contra Luciferianos, simul damnat Donatistas, quos vocat Montenses, sicuti eo tempore Romæ vocabantur, et pronuntiat apud eos non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Donatistæ clamitabant, Ecclesiam catholicam (ut loquebantur) apostatasse, et cum asylo Romuli eam compararunt, ut ait Augustinus lib. II contra Cresc. cap. 13. Luciferiani dicebant de Ecclesia factum esse lupanar, ut Hieron. contra Lucif. narrat. Utrorumque similis erat ratio: quia lapsi, vel hæretici, qui resipiscerent, reciplebantur. Sed schismatis justam excusationem hanc non esse Catholici responderunt. Lucifer Calaritanus in Sardinia episcopus, acerrimus erat Nicænæ fidei defensor, et ab Athanasio, Hilario, Hieronymo, propterea laudatus est (Et nunc legimus, ejusdem Luciferi ad Constantium imp. libros editos, qui testantur, quam acer hæreticorum hostis esset Lucifer). Sed injusti tamen schismatis non minus quam Donatus, reus fuit, cum dolens Arianis facile ignosci, et existimans eorum communione Ecclesiam pollui, secessit, et catholicam communionem deseruit, inque sua demum Sardinia, ut Donatus in Africa, hoc est, in suo cœtu, Ecclesiam superesse dixit. Sic Luciferiani ad Donatistas accessere, et ut propius accederent, in Africam trajecerunt. Sed mihi venit in mentem quod Ambrosius narrat in oratione de obitu fratris sui Satyri. Laudat fratrem illum suum, qui cum in Africam forte trajecisset, ubi erat Ecclesia Luciferiana, noluit cum ea communicare, quæ cum catholica non communicabat: *Quamvis enim*, inquit Ambrosius, *Lucifer pro fide exsulasset, et fidei suæ reliquisset hæredes, tamen non est fides in schismate: et licet fidem erga Deum teneret, tamen erga Dei Ecclesiam non tenebat, cujus patiebatur velut artus dividi, et membra lacerari. Etenim cum propter Ecclesiam Christus passus sit, et Christi corpus Ecclesia sit, non videtur ab his exhiberi Christo fides a quibus evacuatur ejus passio, corpusque distrahitur.* Hæc Ambrosius.

Feci non invitus, ut obiter de Luciferianis aliquid intersererem, quod et Donatistarum conditionem illustret. Nam et ubi illos damnari audimus, multo magis hos damnandos esse intelligimus. Sane Augustinus, epist. 48, graviter reprehendit eorum errorem, qui existimabant nihil interesse, in qua quisque parte Christianus sit, sed ubi fidem teneat. Objicit autem, hoc uni Deo congruere, ut in unitate colatur. Narrat etiam, lib. I contra Parmen., Tichonium illum, qui inter Donatistas moderatissimus simul et doctissimus erat, ingenue quidem agnovisse, Ecclesiam catholicam toto orbe diffusam esse: sed negasse (quod tamen erat consequens) Donatistas peccare, qui illi non communicabant. Recte quidem solet laudari illud Christi tamquam proverbium: *Ubicumque fuerit corpus sive cadaver, illic congregabuntur et aquilæ:* ut intelligamus, cum de religione quæritur, in Christum nos intueri, ad eumque accurrere debere, sicuti corvi aut vultures ad cadaver convolant.

[Audio Calvinum eo loco annotasse quicumque Christo cohærent esse extra schismatis periculum. Sed ut capiti cohæreamus, corpori insitos nos esse oportet. Neque sane caput sine corpore est, ut neque corpus sine capite est.] Et vero Christus eodem loco, corporis quoque sui, hoc est, Ecclesiæ catholicæ, cujus veluti ductu ad eum accurramus, gloriam et lucem, quam spectemus, nobis commendat, cum de suo novo regno, et ejus repentina admirabilique propagatione loquens ait, *Sicut fulgur exit ab Oriente et apparet ad Occidentem*, etc. Ergo et Augustinus lib. I Evangel. quæst. cap. 38: *Orientis*, inquit, *et Occidentis nomine totum orbem voluit significare, per quem futura erat Ecclesia.* Tunc addit: *Constituta ergo auctoritate Ecclesiæ per orbem terrarum clara atque manifesta consequenter discipulos Christus admonet atque omnes fideles, ne schismaticis credant, qui occulte congregant tamquam in penetralibus et paucos in deserto*, etc.

Ut redeam ad gesta Collationis: nihil jam est quod magis observare imprimis oporteat, quam quod Augustinus in lib. de Unit. contra Petilianum scribit: *Quia*, inquit, *cum Donatistis quæstio nobis est, non de capite, sed de corpore: id est, non de ipso Salvatore Jesu Christo, sed de ejus Ecclesia: ipsum caput, de quo consentimus, ostendit nobis corpus suum, de quo dissentimus.* Recte. Sed si illi, ut nos, caput illud ostentent: ubi potius corpus esse existimabitur? Augustinus monet, capitis verbis, hoc est sacris literis id satis indicari. Quibus? Quæ Ecclesiam ostendunt esse catholicam. Ubi cum iis hæreticis, cum quibus de capite, id est, de Christo, ejusve sive essentia et natura, sive officio aut beneficio, imprimis quæstio erat, et deinde de corpore, id est, de Ecclesia, ut cum Arianis: Catholici simpliciter contendebant, ad dignoscendum corpus, inspiciendum esse caput, et de capite potissimum agebant. At ubi cum Donatistis res erat, qui de illo capite consentiebant: alio, ut necesse fuit, argumento corpus, de quo solo controversia erat, penes se esse contenderunt. Difficilis in tanta alioqui similitudine fuit hæc dijudicatio. Sed sufficere visa est illa, quam dixi, indicatio. Ergo etsi Donatistæ cum capite fortasse

Digitized by Google

ostentarent alicujus corporis, hoc est, suæ societatis et conspirationis speciosiorem sive faciem sive colorem, hoc est, ritus et mores minus vitiosos : tamen prævaluit altera Catholicorum probatio, qua penes se, Christi corpus, id est, Ecclesiam, esse evicerunt : et simul apud Donatistas non esse ostenderunt. Nam et esse unicam constat. Frustra autem de capite gloriantur, qui de corpore non sunt. Nam ubi alterum non est, neutrum est, cum et totus Christus caput et corpus sit, ut ait Augustinus. **356** Hinc protritum illud ejusdem contra Donatistas : *Extra Ecclesiam non est salus.* Sane Paulus Ecclesiam appellat Christum. Cumque Jehova sit proprium nomen Dei, tamen etiam attribuitur non modo altari Hierosolymitano, sed et novæ Hierusalem, id est, Ecclesiæ. Hæc autem obiter dico, ut magis intelligamus, quanta de re quæratur, cum de Ecclesia quæritur et cum Donatistis agi de re magna omniumque adeo maxima, meminerimus.

Posteaquam autem jam intelligimus τὸ κρινούμενον, quæramus τὸ κριτήριον· tametsi et hoc jam judicaverimus, illud nolo præterire quod Chrysostomus in homil. 49 in XXIV cap. Matth., fatetur suo tempore fuisse difficillimum cognoscere et discere et discernere Ecclesiam in tanta confusione similitudinis, cum hæretici ostentarent quæ Catholici ostendebant. Unicum vero reliquum fuisse indicium ex Scripturis. Sed quomodo ? Augustinus id explicat.

Donatistæ in Collatione rogabant, quibus testimoniis, divinis an humanis ageretur, et quo judicio lis definiretur? Nostri sacram scripturam, et testem et judicem sibi fore respondent. Sed quomodo ea utantur, et quid inde repetant, ut evincant quod volunt, observandum etiam est. Cum Augustinus de Baptismo ab hæreticis, id est, extra Ecclesiam administrato, adversus Donatistas disputat, non tantum allegat scripturam, sed apostolicam traditionem et Ecclesiæ usum, consuetudinem, testimonium, auctoritatem, ut l. II de Baptismo cap. 7, et l. IV c. 6, et l. V cap. 23, et l. I contra Crescon. cap. 31, 52, 53. Sciebat Optatum quæstionem de unico Baptismo contra Donatistas voluisse definire ex nudis sacris litteris. Sed infeliciter id eum tentasse agnoscebat : neque ingenuum esse judicavit, locos scripturæ detorquere. Ergo quod Optatus de Baptismo dicturus contra Donatistas provocaverat sacras litteras, et quod ex testamenti tabulis de voluntate testatoris judicandum esse jurisconsulti aiunt, huc retulerat : id Augustinus, in psalm. XXI, ita imitatus est, ut tamen in quæstione de Ecclesia potius hoc diceret. Nam in graviori hac causa sentiebat scripturam liquidius probare quod aiebat. Atque ita etiam in libro de Unitate Eccles. contra Petilianum : *Non audiamus*, inquit, Hæc dico, hæc dicis ; *sed audiamus*, hæc dicit Dominus. *Sunt certe libri Dominici, quorum auctoritati utrique consentimus, utrique credimus, utrique servimus. Ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram.*

Non recusarunt hanc legem Donatistæ : sed in hypothesi dissensio erat ; et cum utrique suas veluti theses ex sacris litteris repeterent, minime conveniebant in fine, usu, interpretatione. Catholici enim cum suam Ecclesiam esse catholicam, hoc est, toto orbe diffusam, liquere non dubitarent, satis superque esse statuunt, si probent sacris litteris catholicam commendari. Ordiuntur autem a Veteris Testamenti libris. Non enim hos repudiabant Donatistæ, ut Manichæi. Et ut a principio res repetatur, promissio facta Abrahæ imprimis proponitur (nam et ex illo fœdere dependet quicquid deinde in universa Ecclesia admiramur). Deinde vaticinia Prophetarum de vocatione gentium, quæ Christo exhibito futura est, accumulant. Nam et ea conveniunt cum promissione facta Abrahæ.

Est autem diligenter observandum, quod Augustinus graviter observavit et religiose monet concione secunda in psalm. XXX ; nempe, prophetas apertius de Ecclesia quam de Christo locutos esse : idque propterea, quod viderent in spiritu (ut ait) homines contra Ecclesiam facturos esse particulas, et de Christo non tantum litem habituros, sed de Ecclesia magnas contentiones excitaturos. Ergo illud, de quo majores lites futuræ erant, planius et apertius prædictum esse. Proponit hujus rei exemplum ex Geneseos cap. XXII, ubi post Isaacum e morte ereptum promittitur Abrahæ semen infinitum, atque eo modo Ecclesia aperte prædicatur, cum Christus non nisi figurate. Tandem concludit, pene ubique Christum in aliquo involuto sacramento prædicatum esse a Prophetis : Ecclesiam vero aperte, ut eam viderent et qui futuri erant contra illam.

Quid Donatistæ? Augustinus, in lib. de Unit. c. 9, ait eos non ausos quidem esse plane dicere falsa esse, quæ ex prophetis recitabantur vaticinia de futura amplitudine Ecclesiæ christianæ toto orbe diffusæ, hoc est, catholicæ : sed excepisse tamen, non esse ea impleta, quia homines noluerint. Hic vero multo magis insurgit et clamat Augustinus, nihil hoc aliud esse, quam dicere, prophetiam esse falsam, et prophetas fuisse pseudoprophetas. Fateor perversitate ingratorum hominum factum esse, ut multæ Dei promissiones, non dico irritæ fuerint, sed fuerint quodammodo impeditæ, quatenus erant conditionales appendices fœderis. Sed quod attinet ad principalem, quæ pars fuit, promissionem, veluti de Messia exhibendo, et ejus regno instaurando atque propagando, Apostolus profitetur eam non potuisse impediri hominum indignitate. Fateor etiam multa de Ecclesiæ excellentia et majestate prophetas prædixisse, quæ in cœlis impleantur. Sed in terris saltem inchoari nemo negaverit. Apud Isaiam Deus loquens de Ecclesiæ amplificatione, cum jurejurando ait : *Mihi flectetur omne genu.* Id autem Paulus refert ad finem mundi, et postremum (ut vocatur) judicium. Sed interea, non negat quin suo etiam quodam modo id fiat in Ecclesia christiana.

Cum Donatistæ negare non possent aliquam catholicam Ecclesiam exstare, suæ Ecclesiæ hunc titulum

Digitized by Google

arrogarunt : et cum adversarios negabant esse, quod dicebantur, Catholicos : tum vero in Collatione sese nuncuparunt episcopos et defensores catholicæ Ecclesiæ et veritatis. Hic vero cœpit esse quæstio facti, potius quam juris : et tanto rursus difficilior, quod Donatistæ doctrinam fidei catholicam retinere etiam videbantur, neque apostasiæ in eo genere accusabantur. Adversus alios hæreticos veluti contra Manichæos et Arianos facilior fuit hujus quæstionis dijudicatio. Sane Lactantius, lib. IV, cap. 30, scribit, singulos cœtus hæreticorum existimasse suam esse Ecclesiam catholicam. Saltem id jactarunt, cum viderent primam hanc esse Ecclesiæ christianæ conditionem. Sed cum ad probationem ventum erat, erant ridiculi. Imo etiam eveniebat, ut nostris tandem concederent, quod temere imprudentes, iis eripere voluerant. Aug. contra ep. Manich. cap. 4 : *In catholicæ*, inquit, *Ecclesiæ gremio me tenet ipsum nomen catholicæ : quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes hæretici se catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus hæreticorum, vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.* Idem Augustinus, in lib. de vera Relig. cap. 7: *Tenenda est*, inquit, *ejus Ecclesiæ communicatio quæ catholica est, et catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint enim, nolint, ipsi quoque hæretici et schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud quam catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quod ab universo* **357** *orbe nuncupatur.* Sed et rursus in lib. de Util. creden. cap. 7, scribit quidem omnes hæreticos velle videri et dici catholicos : sed unam tamen esse (ut omnes concedunt) catholicam Ecclesiam, multitudine refertiorem, si totum orbem consideres, et veritate sinceriorem cæteris omnibus. Ex quo (ut ait) liqueat judicantibus arbitris, quos nulla impedit gratia, cui sit catholicum nomen tribuendum, quod omnes ambiunt. Sed et postea audiemus ex Victore Uticensi Arianos in quadam Carthaginensi Collatione imprimis de hoc titulo litem movisse.

Sane Novatianos aliquando id irrisisse, quia (ut aiebant) sub Apostolis nemo catholicus vocabatur, observavi in quadam epistola Paciani Barcinonensis ad Sympronianum Novatianum. Quid autem ut hoc nomen tueretur, responderit Pacianus, magnus olim in Ecclesia antistes, eadem epistola suggerit : quam et Donatistæ legisse potuerunt. Præterea quid paulo ante Augustinum ipse imp. Theodosius lege lata edixerit ea de re lib. I, cap. de summa Trinit. Nunc videamus quid Donatistæ obtenderent, ut hunc titulum sibi arrogarent, nostris autem detraherent. Cresconius Donatista clamitabat, Ecclesiam, cui Augustinus communicabat, non esse catholicam, quia totus ei orbis non communicaret, cum quidem multæ adhuc gentes barbaræ, quæ in Christum nondum crediderant, et multæ hæreses sub nomine Christi, alienæ a societate communionis Augustini essent. Augustinus libro tertio contra Crescon., cap. 63, arripit, quod ipse Cresconius confessus erat, totum quotidie mundum verti in nomen Christianum : et respondet, Ecclesiam ad residua occupanda quotidie diffundi.

Fortunius Donatista audiens illam demum Ecclesiam esse catholicam, quæ toto se terrarum orbe diffunderet, ausus est dicere, suam ubique terrarum esse communionem. Augustinus, epist. 163, ut ei respondeat, rogat, num possit, epistolas Formatas, quo velit, dare. Sic enim facillime terminari posse hanc quæstionem. Erant hæ epistolæ communicatoriæ, certa formula conceptæ, quas ultro citroque mittebant episcopi, ut testes et veluti tesseras suæ confessionis. Sic Optatus, lib. II contra Donatistas, ait suos cum Damaso communicare, cum quo totus orbis commercio Formatarum concordat. Donatistæ jactabant saltem magnam esse multitudinem suæ sectæ, et ut eam ostentarent, tam multi certatim confertimque concurrerant Carthaginem ad Collationem : conquestique etiam sunt, injuriam sibi fieri ab iis, qui eos non esse multos dixerant. Sed tamen cum præ catholicis pauci esse viderentur, paucitatem nihilominus suam voluerunt esse indicium Ecclesiæ, quia (ut eorum patronus Cresconius dicebat) in paucis frequenter sit veritas : errare autem multorum sit. Augustinus, lib. III contra Crescon. cap. 66, respondet bonos verosque Christianos, qui per seipsos multi sunt, in comparatione malorum falsorumque itidem paucos esse. Idem, lib. II contra Advers. leg. cap. 12, cum audisset quemdam Manichæum commendare suorum paucitatem, quia (ut dicebat) paucorum sit sapientia : respondet hoc omnibus hæreticis adversariis Ecclesiæ catholicæ, quæ per omnes terras copiosa fertilitate diffunditur, in sua cujusque propria vanitate commune esse. Omnes de sua paucitate gloriari, et seducere multitudinem si possint, velle. Sane Socrates, Hist. Eccles. lib. V, cap. 10, narrat, Arianos primum gloriatos esse de sua multitudine. Ubi vero abs Theodosio repressi et civitatibus ejecti essent, jactasse in desertis suis synagogis illud, *Multi vocati, pauci electi.*

Cum sentirent Donatistæ sese numero et multitudine non posse evincere nomen Catholicorum, confugiunt ad aliam cavillationem. Nam acta Collationis narrant, Gaudentium dixisse, hoc esse catholicum quod sacramentis plenum est, quod perfectum, quod immaculatum. Sic et Augustinus, in Brevic., scribit, Donatistas respondisse, Catholicum nomen non ex universitate Gentium, sed ex plenitudine sacramentorum esse institutum. Verum inepta et inanis erat hæc argutiola : *Acutum aliquid sibi dicere videbantur*, inquit August. epist. 49, *cum Catholicæ nomen non ex totius orbis communione interpretantur, sed ex observatione præceptorum omnium et sacramentorum.* Augustinus respondet, aliam esse hujus vocis significationem, et tamen se non in ea hærere, sed divinis oraculis inniti promittentibus Ecclesiam toto orbe diffusam. Et vero ille idem Gaudentius tandem eo recidit, ut cum urgeri se sentiret, indignabundus ex-

Digitized by Google

clamarit, catholicam Ecclesiam humanum esse figmentum. Testis est Augustinus lib. II contra Gaudent. Majori calore dixissent, Catholicum nomen esse profanum et civile, quo leges utuntur, cum significant procuratorem Cæsaris l. pen. C. de Bon. proscr. Sane ante Augustinum, Optatus lib. II contra Donatistas disputans non solum urget Ecclesiam esse catholicam, et ita appellari, quæ sit toto orbe terrarum diffusa : sed et alias (ut vocat) Ecclesiæ dotes, quibus illa et ornatur et dignoscitur, indicat : tametsi id faciat frigide et obscure. Prætereo, quæ paulo post Augustinum Vincentius Lirinensis ea de re acutius scripsit. Sed illud dico, cum apostolica Ecclesia defenditur, non defendi apostolicam colluvionem quorumdam nebulonum qui κακολυκοί potius dicendi sunt. Ergo Donatistæ postremo Catholicis apostasiam objecerunt, cujus tamen ipsi potius rei erant. Augustinus in lib. de agone Christ. cap. 29 : *Cum*, inquit, *Donatistis objicis locos Scripturæ de Ecclesia toto orbe diffundenda, dicunt, jam ista omnia fuisse completa, antequam esset pars Donati : sed postea totam Ecclesiam periisse, et in sola Donati parte reliquias ejus mansisse contendunt.* Quid ad hæc Augustinus? *O linguam*, inquit, *superbam et nefariam!* Idem in libro de Unit. contra Petilianum narrat, Donatistas quidem confessos tandem esse, quæ Prophetæ prædixerunt de Ecclesiæ amplitudine : sed excepisse, postea orbem terrarum, ut loquebantur, apostatasse, defecisseque ex omnibus Gentibus Christianam religionem, excepta parte Donati : sicut in Enoch, in Noha, in Abrahamo, Isaac, et Jacob, et in duabus tribubus Juda olim remansit Ecclesia. Speciosa erat hæc Donatistarum replicatio, qui et apostasiam quasi Catholicam dici posse objiciebant, si longe et late diffusa occupet orbem terrarum. Sed in apostasia probanda imperite hærebant, qui eam non ex doctrina fidei, sed ex hominum moribus et degeneri nequitia æstimari volebant, homines profecto præposteri et morosi et importuni, potiusquam acres aut acuti.

Non potuit hæc controversia melius dijudicari, quam ex successione. Ergo Catholici responderunt legitimam jam inde ab apostolis successionem sibi suffragari : Donatistis vero nullam esse. Dico successionem non modo personarum, sed etiam rerum : neque tantum doctrinæ, sed et ordinationis : neque solum ordinationis, sed etiam religionis. Certe ubi talis successio est, defectio non est, imo vero est continuatio : ut neque ii, quibus ita succeditur, decessisse omnino videantur. Usi antea erant hac defensione Irenæus et Origenes adversus sui temporis **358** hæreticos, et ipse quoque Tertullianus Afer de Præscrip. hæretic. Optatus eamdem opponit Donatistis lib. II, et ejus exemplo Augustinus, qui et Manichæis eumdem veluti arietem objicit quinquies, aut sexies in libris contra Faustum, et in lib. contra epist. Manich., et in lib. de Util. cred., et in lib. I contra advers. leg. cap. 20. Sed cum adversus Donatistas agitur, difficilior hæc ratio est : quia et Donatistæ se cum veteri optima Ecclesia Romana consentire contendebant, et non nisi a degeneri defecisse. Sic jam causæ quædam translatio erat, ut non tam de Africana quam de Romana Ecclesia deinceps quæreretur, et rursus multiplex quæstio facti oboriebatur. Non negabant Donatistæ Africanas Ecclesias tamquam colonias respicere debere, Romanam tamquam metropolim, ut et Tertullianus Afer de Præscript. : *Videamus*, inquit, *quid Ecclesia Romana didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit.* Ergo Donatistæ astute curarant, ut aliquam Romæ Ecclesiam haberent. Sed non potuerunt efficere, ut jam inde ab apostolorum temporibus viderentur ibi habuisse episcopum suæ sectæ. Ergo revocati ad originem evanescebant. Originem autem, cum de successione ageretur, inspiciendam esse, ipse quoque Tertullianus prænonuerat in lib. de Præscrip. Sane acta Collationis testantur, Petilianum anticipatione quadam usum, etiam Augustino et ejus collegis ultro litem movisse de origine et successione. Rogasse enim, quis eos ordinasset? quem patrem et auctorem haberent? unde cœpissent? Augustinum autem respondisse, ab ipso Christo indicari exordium suæ communionis et originem suæ Ecclesiæ, quæ ab Hierusalem diffusa est per omnes gentes continuo quodam progressu. Sic se Christum habere caput, Deum, Patrem : matrem, Ecclesiam talem. Rogant Donatistæ quis Augustinum ordinasset. Augustinus fatetur fuisse Megalium Primatem Numidiæ. Donatistæ aliquid vitii in ea ordinatione notare et reprehendere volebant. Sed futilis eorum cavillatio fuit, quæ non extorquebat Afris Catholicis defensionem suæ cum Ecclesia Rom. communionis, in qua hi exultabant.

Optatus lib. II, disputans contra Parmenianum Donatistam, enumerat jam inde a Petro continuam successionem episcoporum Rom. cum quibus Afri Catholici communicabant. Tum vero insultans Donatistis, *Vos*, inquit, *vestræ cathedræ originem edite.* Respondebant, ut erant insulsi, Donatistæ, se quoque in urbe Roma habere antistitem. Optatus replicat primum, quem ibi habuerunt, vel potius quem eo miserunt, fuisse quemdam Victorem, eumque Afrum, qui ante Donatum non fuerit. Ergo et Augustinus in quodam psalm. contra Donatistas, *Numerate*, inquit, *sacerdotes ab ipsa Petri sede : et in ordine eorum patrum, quis cui successit, videte.* Sed et in lib. Quæst. Veteris et Novi Testam. cap. 110 (qui liber Augustino ascribitur), *Ordinem*, inquit, *ab apostolo Petro cœptum, et usque ad hoc tempus per traducem succedentium episcoporum servatum perturbant, ordinem sibi sine origine vindicantes, corpus sine capite.*

Donatistæ, ut Romanorum episcoporum illam successionem, quam Afri Catholici cum iis communicantes jactabant, interruptam et vitiosam esse ostenderent, neque tamen confuse ea de re declamitare viderentur, aliquando dixere, primos aliquos illos quidem inculpate (sic enim loquebantur) Rom.

Digitized by Google

episcopatum gessisse : sed alios deinde dissimiles fuisse : quos et incredibilibus calumniis insectati sunt, ut ait Augustinus in libro de unico Baptismo. Denique clamitarunt Marcellinum, Miltiadem, Silvestrum, non minus traditores fuisse quam Cæcilianum. Mirum vero, potius non objecisse Liberii quamdam desertionem, et Damasi qui ei successit, seditiosam ordinationem, quam et Pelagiani propterea exagitarunt. Nam id Augustinus significat, cum libro sexto contra Julian. inquit : *De constituendo episcopo dissensionem populi Rom. insultabundus objectas.* Notum autem est ex Ammiano, qualis et quam cruenta fuerit ea dissensio, cum Damasus crearetur episcopus. Sed et Julianus Pelagianus, cum sedis Romanæ auctoritate premeretur, etiam ipsum (ut ait eodem loco Augustinus) beatæ memoriæ Zozimum, apostolicæ sedis episcopum, prævaricationis accusavit. Verum ubi talia objiciebantur, Catholici respondebant esse calumnias : et licet vera crimina essent, tamen privata vitia personarum religioni et Ecclesiæ, quæ et talia peccata damnat non obesse. Plus habuisset coloris, si Donatistæ objecissent, quod ipse olim Tertullianus Afer in libro contra Praxeam notaverat, ejus temporis antistitem Romanum prope Montanistam fuisse, et reliqua cumulassent, quæ ipse Tertullianus suo schismati obtendit in libro de Pudic. et contra Psych. Sed usi sunt patrono Petiliano, qui tam fuit ineptus, quam fuerat olim acer et vehemens Tertullianus. Si Tertullianum alterum habuissent suarum partium in Collatione, magis sudasset Augustinus. Nunc languidos et molles vincere facile fuit. Nam et si quid objiciunt, quid aliud quam, ut ait Poeta, telum imbelle sine ictu contorquent, vel (quod dicitur) plumbeum et obtusum pugionem intentant? Ecce ne vagari in aere viderentur, et agere, sine ullo testimonio, aliquando (inquit Augustinus epist. 48) veluti insidiantes testimoniis divinis, tamquam jam periisset Ecclesia de orbe terrarum, objiciebant Hilarii quamdam querimoniam de provinciis Asiaticis, quæ Arium sequebantur. Poterant, si doctiores acriores que fuissent, talem apostasiæ exprobrationem exaggerare. Nam ipse Hieronymus contra error. Joan. Hieros : *Totum* (inquit) *Orientem, excepto Athanasio et Paulino, Arianorum hæresis possidebat.* Imo vero et Occidentem pervaserat, et ipsum episcopum Romanum infregerat. Quid multis? Basilius epist. 60, fatetur sese cogitasse principia esse illius apostasiæ cujus meminit Paulus ad Thess. Neque non in Collatione Donatistæ objicere poterant, urbem Romam a Barbaris captam esse, et imperium Romanum jam pessumire : sicuti eo tempore Hieronymus ipse alludens ad illum Pauli locum ad Thessalon. et ruinam Romani imperii, quæ apostasiæ regnum præcessura credebatur, deplorans in epistola ad Gerontiam de Monog. inquit : *Qui tenebat, de medio fit : et non intelligimus Antichristum appropinquare?* Sed Donatistæ agunt paulo remissius. Neque sane sui schismatis excusationem probabilem inde poterant repetere, cum quidem jam tempore Constantini, quo et Imperium Rom. et Ecclesia Christiana maxime floreba[t], ipsi defecissent ab Ecclesia. Neque Augustinus nunc laborat, ut illum Pauli ad Thessalonicenses de Antichristo locum exponat : quod postea fecit ad Marcellinum nostrum libro XX, capite 19, de Civitate Dei. Tantum nunc diluit, quod ex Hilario Donatistæ objecerant. Hilarii verba in lib. de Synod. hæc sunt : *Audivi et vidi vitia præsentium non laicorum, sed episcoporum. Nam absque episcopo Eleusio et paucis cum eo, ex majori parte Asianæ decem provinciæ Deum nesciunt. Atque utinam eum nescirent. Cum procliviori enim venia ignorarent quam obtrectarent.* Si Donatistæ hinc probare volebant Ecclesiam jam tum in **359** orbe periisse, inepte Asiam pro toto orbe accipiebant. Quinimo in eodem libro Hilarius confitetur saltem Galliæ et Britanniæ Ecclesias in fide sincera perstitisse. Neque vero minus Africanæ Ecclesiæ Arianismum rejecerant. Sed Augustinus alia defensione utitur. Quanam? Ait Hilarium decem provinciarum Asianarum zizania arguisse, non ipsum triticum : aut etiam ipsum triticum, quod defectu quodam periclitatur, quanto vehementius, tanto utilius arguendum esse putasse. Ait Donatistas calumniari docto viro, qui graviter increpabat, quo iterum parturiebat : et eodem modo potuisse dicere, nec tot Ecclesias Galatiæ tunc fuisse, quando dicebat Apostolus, *O stulti Galatæ*, etc. Ait Ecclesiam aliquando obscurari, et tamquam obnubilari multitudine scandalorum : sed etiam tunc in suis firmissimis eminere : et aliquando multitudinem tranquillitate temporis quieta et libera apparere : aliquando tentationum et tribulationum fluctibus operiri atque perturbari. Tale autem tempus fuisse, de quo scripsit Hilarius. Addo, paulo post, tempore Theodosii, Ecclesiam illam utcumque liberatam fuisse, ut rursus esset, qualis fuerat tempore Constantini. Addo, non dissimilem vicissitudinem olim visam esse et in regno Davidis. Sed interruptio, quæ videtur continuitatem abrumpere, non tollit perpetuitatem. Cæterum, ut ad Donatistas redeam, si ex Hilario aliquid proferre volebant, quod Augustino objicerent in hac causa, cur non potius protulerunt quod Hilarius scripsit contra Auxentium de Ecclesia? Cur non urgent quod scripsit Rufinus, Ecclesiæ faciem jam eo tempore fœdam admodum fuisse? Imo vero cur non objiciunt graviorem querimoniam Basilii et horribilem, quam edit picturam Ecclesiæ (ut ita dicam confuse) confusæ? Cur non clamant Hieronymum confiteri, Ecclesiæ fæcem pro Ecclesia superfuisse tempore hujus Collationis? Cur non ipsius Augustini ad ipsum Marcellinum verba ex epistola 5 repetunt, *In ista* (inquit) *colluvie morum pessimorum et veteris disciplinæ deperditæ*, etc. Verum simplicem historiam actionis Donatianæ persequamur.

Cum Donatistæ clamitarent Ecclesiam catholicam apostatasse (ut loquebantur) atque periisse, et hoc clamore eludere vellent prophetarum vaticinia de Ecclesiæ gloria, amplitudine, perpetuitate : rogarunt Catholici in Collatione, ubinam scriptum esset

Digitized by Google

tam cito esse perituram : ut et Augustinus in lib. de Unit. quærit a Petiliano, quando, quis, quomodo deleverit Ecclesias apostolico labore fundatas? sicuti et in epist. 161, ad Honoratum, rogat, quomodo Christus perdiderit hæreditatem Gentium sibi promissam? Hæc enim interrogatio fuit, quæ Donatistis minime ut oportebat ad hoc certamen instructis, veluti os obstruxit. Miror non objecisse, quod in Ezechiele vel in Daniele, vel in Apocalypsi scriptum esse dicitur de Antichristo, vel etiam in epist. ad Thessalonic. An suo tempore nondum venisse tempus illius Antichristi sentiebant? Supererat alius locus Pauli ad Timotheum de apostatis, qui novissimis temporibus emergent. Sed ipse Augustinus in lib. de Unitate contra Petilianum, veluti præoccupat, et id pertinere ait ad purgamenta Ecclesiæ, et ad eos qui ab Ecclesia defecere : sicuti et in Manichæos locum illum retorquet l. v contra Faustum capite 10, et lib. xxx, et lib. i contra Felicem Manichæum, cap. 7, et in libro contra Secundinum, cap. 2.

Venio ad id quod Donatistæ in Collatione potissimum urgebant : ut cum catholica Ecclesia prædicaretur, ipsi sanctam quoque esse debere vicissim contenderent, qualem adversariorum, hoc est Catholicorum Ecclesiam, non esse clamitabant. Catholici agnoscebant quid sibi deesset, et qualis illa esse deberet. Sed in hac vita perfectam non fore fatebantur : futuram vero in cœlis : et hoc quotidie agi, ut maculæ deleantur, et rugosa esse desinat. Sed integram reformationem in hac hominum colluvione non exstare. Ergo Augustinus ut Fulgentio Donatistæ sic respondit, gloriose garrienti de suæ Ecclesiæ perfectione, sic in epist. 50 ad Bonifacium : *Absit*, inquit, *ut quisquam nostrum ita se justum dicat, ut sine peccato se esse jactare audeat in hac vita, sicuti Donatistæ in nostra Collatione dixerunt, in ea se esse Ecclesia quæ non habeat maculam aut rugam, aut tale ejusmodi.* Fuit tamen non dissimilis jactatio Pelagianorum, ut indicat Augustinus lib. iv ad Bonifacium cap. 7, et lib. ii de Bono pers. c. 5, et l. ii contra Julianum. Sed quam ventosa sit vanitas hæreticorum, non est ignotum.

Porro cum Catholici in Collatione distinxissent Ecclesiam quæ est in cœlis ab ea quæ est in terris : Donatistæ calumniati sunt, eos fingere duas esse Ecclesias, nec meminisse unam modo esse. Catholici talem calumniam facile refutarunt, cum replicarunt et ostenderunt, eamdem ipsam unam et sanctam Ecclesiam, nunc esse aliter, tunc autem aliter esse futuram, ut ait Augustinus Collat. 3, cap. 4. Ego non dubitarim tres gradatim agnoscere formas et species Ecclesiæ : primam Mosaicam sive Judaicam, secundam catholicam, tertiam cœlestem, et quidem secundam priori multo excellentiorem, et tertiam secunda rursus multo meliorem promitti a Prophetis : et tamen talis profectus non interrumpit continuationem unius Ecclesiæ : neque obstat, quin et prima illa Ecclesia, quæ et secundæ A præmonstratio quædam erat, valde laudata sit. Unde et psalmus LXXXVII, de Sione et Hierosolymis : Gloriosa, inquit, de te dicuntur, o urbs divina.

Redeo ad Donatistas, qui repetito ab illius memoria exemplo, speciose jactabant, sese esse tamquam duas illas tribus, quæ non defecere, cum aliæ decem tribus Israelis abs Judæ regno desciverant, secutæ Jeroboamum. Sed Catholici merito invertebant hanc comparationem : et quamvis faterentur multas esse maculas et labes suæ Ecclesiæ, tamen quamdiu illa Christum habebat caput, schisma Donatistarum esse impium contendebant. Sed et August. in lib. contra Fulgent. cum audiret Catholicos a Donatistis vocari Samaritanos, probat ipsos potius Donatistas esse tamquam Samaritanos. Hinc autem B pendebat judicium de exemplo communionis ex veteri Judæorum Ecclesia repetito, de quo in collatione maxime certatum est : tametsi non dissimulem utramque partem in ea contentione parum cavisse videri, cum neutra in exemplo prophetarum, quod allegat, satis observat discrimen, quod prophetæ tamen omnes inculcant. Adeo fervor contentionis interdum confuse miscet, quæ discernenda erant. Itaque tanto magis excutiendum nunc est hoc caput Collationis, ut cum ventum sit ad præcipuum causæ statum, utriusque partis rationes propius expendamus. Acta Collationis testantur Catholicos suam (ut vocant) Notariam, et Donatistas suam proposuisse atque opposuisse, cum scriptis potius quam verbis agerent et contenderent. Notariam eo sæC culo sive etiam Notoriam vocabant scripturam, quæ aliquid notum faciebat vel indicabat : neque alioqui sic appellatur a nobis vel notariis. Ut autem hoc verbo Augustinus quoque in historia hujus Collationis **360** utitur eo modo, quem dixi, sic et alibi magis civiliter in historia Donatistarum, Notoriam sive Notariam vocat scriptum ab Irenarchis elogium de reis Donatistis, ut in epist. 159 et 160. Atque ita etiam usurpatur in Jure civili, ut in l. Divus. De Custod. reor. l. ab accusatione, § Accusatores ad Senat. Turpil. l. Ea quidem, C. De accusat. l. 31, C. Th. de Episc. et cleric. Apud Vopiscum duobus locis Notoria generaliter dicitur epistola. Sed redeo ad Notariam vel Notoriam Catholicorum in hac Collatione propositam, in qua Acta testantur scriptam D et propositam imprimis fuisse hanc thesim.

Prophetæ populum peccatorem et Dominum multis execrabilibus abominationibus offendentem, tam severis vocibus arguebant, et flagellis correptionis duros atque indomitos animos, usque ad inimicitias adversum se horribiles excitabant : nec tamen se ab eo populo, in quo utique etiam boni inter malos erant, corporali discrimine dividebant; melius judicantes per patientiam ferre malos, quam per calumniam relinquere bonos.

Donatistarum responsio in illis Actis longior est : sed conclusio est hæc de prophetis, quorum mentio facta erat : *Quod inter eos quos damnabant, fuerunt, commorationis fuit, non communionis.*

Digitized by Google

Quid deinde replicarint Catholici, breviter exponit Augustinus in Breviculo Collationis tertiæ diei, his verbis. *De prophetis, quia dixerant Donatistæ in litteris suis, non eos communicare illis in quos mala tanta dixerunt, responderunt Catholici, quod unum templum fuerit, quo universi utebantur : nec quemquam prophetarum, qui tanta dixerunt in malos constituisse sibi aliud templum, sacrificia, sacerdotes.* Idem Augustinus in lib. contra Donatist. post Collat. cap. 20: *Adhuc*, inquit, *audent commemorare prophetica et apostolica testimonia, quibus nos universaliter in illa Collatione respondimus, ostendentes ipsos prophetas sanctos cum iniquis in uno templo, sub iisdem sacerdotibus inter eadem sacramenta versatos, nec tamen a malis fuisse pollutos, quia noverant, inter sanctum et immundum, non sicuti isti sentiunt corporaliter populum dividendo, sed bene judicando et bene vivendo, discernere.* Idem paulo post propius accedens ad Donatistarum objectionem, ait: *quod jussus est quidem propheta nec panem manducare, nec vinum bibere in Samaria, quo missus fuerat, ut corriperet eos qui vaccas constituerant adorandas more idolorum Ægyptiorum, hoc omnino facere debuit quod præceperat Dominus, cui tunc eo modo illos corripere placuit ut nihil ibi tangeret propheta quem miserat. Numquid enim in Ecclesia non fit quotidie, quando eos, quos acrius corripimus, etiamsi in eorum possessione sumus, nihil ibi apud eos contingimus, ut sentiant quantum eorum peccata doleamus? Numquid tamen ideo plebis discessio facienda est, ut sicut mollis herba, indiscrete eradicentur infirmi, qui de pectoribus hominum, et ignotis factis, etiamsi nobis sint cognita, judicare non possunt? Nam in ipsa Samaria et Helias et Helisæus erant, et si ipsi in solitudine, non tamen devitandorum sacramentorum causa, sed quia persecutionem ab impiis regibus patiebantur. Nam illic erant non utique in solitudine, separata, quæ ipse ignorabat Helias, septem millia virorum, qui non curvarunt genu ante Baal.* Hæc ille. Hic vero necesse est, ut ingenue dicam, quod sentio. Cum diligentius considero quæ jam recitata sunt, videntur mihi tam Catholici quam Donatistæ inconsiderate confundere discrimen quod olim fuit inter Judam et Israelem, interque Hierusalem et Samariam. Nam ut Donatistæ confuse contendunt prophetas propter hominum vitia non communicasse sacrificiis sive Hierosolymitanis sive Samaritanis : sic Catholici non minus confuse contra contendere videntur, tam his quam illis sacrificiis illos communicasse, et tametsi moribus sese separarent, tamen altaribus fuisse conjunctos. Atqui, ut ipse Augustinus lib. XVII de Civit. Dei, cap. 22, recte dixerat, in Israele omnes reges fuisse reprobos, non etiam in Juda : sic dicere debuit de sacrificiis : et quidem sacrificiis Hierosolymitanis communicasse prophetas et communicare debuisse, quamdiu illorum legitima erat forma : tametsi sacerdotum et populi magna esset alioqui corruptio, et damnanda hypocrisis. Sed sacrificiis Israelis sive Samariæ, neque prophetas communicasse, neque communicare debuisse : cum quidem non esset legitimum altare extra templum : tametsi sacerdotum et populi vita fuisset minime vitiosa. Et vero prophetæ aliter reprehendunt sacrificia Judæ, aliter Israelis. In illis enim reprehendunt hypocrisim et impietatem personarum : in his vero formam quoque et substantiam ipsorum sacrificiorum. Augustinus in libro post Collat. ait: Quæstionem hanc in Collatione fuisse evidenter solutam. Ego vero (ut nihil dissimulem) cogor dicere fuisse evidentem utriusque partis quemdam errorem, et quidem juris et facti errorem quamdiu non adhibetur distinctio, quam dixi. Itaque miror cum in collatione Carthaginensi adessent tam multi præclari antitistes, neminem observasse discrimen illud, quod toties et tam evidenter prophetæ inculcant.

Recte Donatistæ aiunt Eliam et Elisæum numquam communicasse altaribus Samariæ, et propterea in solitudine moratos esse. Itaque miror Augustinum respondere, Eliam et Elisæum non fuisse in solitudine devitandorum Samariæ sacramentorum causa. Habitarunt etiam in Bethel. Sed numquam aut ibi sacrificarunt, aut ejus loci sacrificiis communicarunt. Denique et singulare et extraordinarium fuit, quod in monte Carmelo Elias semel sacrificaverit. Saltem cum Augustinus ait Eliam aut Elisæum non devitasse sacramenta Samariæ, distinguendum esset inter sacramenta circumcisionis et sacramenta sacrificiorum. Sacrificia certe in Samaria omnino vitanda et fugienda erant : quia non nisi in templo Hierosolymitano fas erat sacrificare. Sed circumcisio similiter templo alligata non erat.

Recte rursus Donatistæ de prophetis Osea et Amos dixere, quod de Elia et Elisæo, quia similiter illi prophetæ agebant cum Israelitis, et tamen clamabant, *Ne eatis in Gilgal, ne ascendatis in Bethavem* : hoc est, ne communicetis sacrificiis Israelis sive Samariæ. At non similiter dixissent, *Ne ascendatis in Hierusalem.* Ergo male Donatistæ subjiciunt : *Jam vero in urbe Hierosolyma quomodo poterant prophetæ sacrificiis peccantium hominum communicare, quæ divino spiritu pleni damnabant.* Atque in his Prophetæ damnabant non tam sacrificii formam, quam sacrificantis hypocritæ personam.

Sed et ubi Donatistæ concludebant, *Commoratio nis fuisse, non communionis, quod Prophetæ fuerint inter eos, quos damnabant :* Rursus distinguendum fuit inter Judam et Israelem. Prophetæ quidem etiam oriundi ex Juda, migrarunt in Israelem, ut ibi commorantes, non quidem altaribus Samariæ communicarent; sed ut ea damnarent : sicuti fecere Amos et Oseas. Levitæ autem, qui in Israelis tribubus habitabant, inde omnes fugerunt in urbem Hierosolymam, ubi tantum sacrificare fas erat.

Donatistæ, ut refellerent quod Catholici in Collatione dixerant, moribus, non corporibus bonos a malis separari debere, allegarunt illud Isaiæ: *Discedite, discedite, exite de medio eorum. Mundamini*, etc., **361** quia et Paulus id repetit in epist. ad Co-

Digitized by Google

rinth. Sed quod ad Isaiam attinet, constat prima illa ejus verba tantum hoc velle et agere, ut Judæi sint parati ad discedendum ex Babylone statim atque dies liberationis venerit. Interea autem etiam monet ut sint mundi : ne scilicet communicent idolis Chaldæorum : quod Apostolus ad suos Corinthios repetit, ne et ii communicent idolothytis, etc. Sed alioqui non jubet, ut patriam suam relinquant, et ex idololatrarum urbibus fugiant. Alioqui ex mundo exire eos oporteret, ut alibi ait. Quod autem Judæi ex Babylone discedere jubebantur, peculiarem rationem habet, quæ ad alios trahenda non est. Augustinus in lib. de Unitate capite 12, narrat Petilianum clamitasse, decem tribus divisas esse et traditas servo Salomonis, nempe Jeroboamo : duas vero remansisse filio Salomonis, deinde comparationem fingendo dictitasse : *Sic et nunc totus mundus apostatavit : nos autem tamquam duæ illæ tribus permansimus in templo Dei*, id est, *in Ecclesia*. Quid ad hæc Augustinus? *Ostendant*, inquit, *scriptum esse, se esse tales, sicut scriptum est, illas duas tribus tales fuisse : et tunc nihil resistimus*. Sed successio, de qua dixi, ostendebat potius Catholicos esse tales. Schisma vero indicabat Donatistas potius esse similes decem tribubus. Olim quidem decem illæ tribus Israelis penes se esse Ecclesiam, potius quam in Hierusalem, contendebant. Sed numquam id evicerunt, neque ullus umquam propheta id iis concessit. Cum abductæ in servitutem eæ essent et iis successissent Samaritæ duravit eadem contentio : adeo ut æmulum templum in monte Garisim ædificatum sit, quale Hierosolymis fuerat a Judæis reducibus non multo ante instauratum. Ac quidem quæstio tunc quoque agitata est, utrum esset templum legitimum : tandemque est relata ad judicium Ptolomæi Ægyptii regis : et quidem terribili conditione, ut qui advocatus causa caderet, morte mulctaretur. Sed audita Mosis lege, et probata pontificum Judæorum continua successione, recte judicatum est pro templo Hierosolymitano. Testis est Josephus lib. XIII, c. 6. Estque profecto historia illa memorabilis, et idoneum exemplum, quod hic laudetur. Sed simul miremur, Samaritanos tamen sibi nihilominus arrogasse quod solebant : quod etiam fecere cum eorum templum Garizitanum fuisset dirutum : adeo ut Christi tempore eam litem etiamnum perdurasse audiamus. Nihil dicam de altero templo apostatico, quod in Ægypto ad exemplum Hierosolymitani conditum ab ipsis Judæis est, connivente rege Ptolomæo. Nunc enim me contineo in exemplo veteris dissensionis inter Samariam et Hierusalem. Neque potest in hoc argumento exemplum illustrius et historia veteris Ecclesiæ repeti : in quod quidem cum intuemur, tam horribilis etiam schismatis, quod tamdiu duravit, memoria nos percellat, necesse est. Neque dubium est, quin Augustinus multa prospiciens inde colligeret, quod in schismate Donatistarum gemens deploraret, ut tristissimam Ecclesiæ calamitatem defleret. [Legerat quod Nazianzenus de suis temporibus et Arianorum intemperie loquens et suspirans conquerebatur, non modo Ecclesiam distractam esse, ut olim Juda et Israel, sed per domos singulas populum Christianum esse dissectum. Legerat quod ille ad Deum conversus precari solebat, *O Domine, sit aliquis finis hujus belli ecclesiastici. Ne sit amplius Juda et Israel : Hierusalem et Samaria : Roboam et Jeroboam*. Non dubito, quin Augustini similes preces fuerint et similia vota suspiriaque. Ut autem Oseas et Hieremias prædixerant fore, et Juda et Israel rursus aliquando coalescerent sub uno capite (quod quidem ubi Ecclesia Christiana primum coaluit, factum esse dubium non est), vix audebat sperare rursus facile id futurum esse, cum novum in Ecclesia schisma invaluisse videbat. Certe idem Nazianzenus, qui vidit quam Theodosius Ecclesiarum ἕνωσιν procurabat, gaudio exultans aliquando exclamavit, *Non amplius invicem φέρομεν καὶ ἄγομεν, Judas et Israel unum sibi ponunt principatum : omnes facti sumus Christiani :* Sed Augustinus tam felix non fuit, ut id omnino viderit : tametsi Collatio Carthaginensis ad eam unitatem restituendam multum momenti attulerit.]

Redeo ad eum locum, in quo Augustinus negat Donatistas esse, quod dici volunt, hoc est, tamquam tribum Judæ. Adjicit enim per concessionem, etsi id essent, tamen legere debere prophetas, qui dicunt Israelem aversatricem justificatam esse peccatis Juda prævaricatricis. Hoc certe Jeremias, cap. III, et Ezechiel, cap. XIX, dixere, ut et suos Judæos castigarent, Ecclesiæ titulo nimis indigne abutentes : neque dubito quin et ipse August. peccatis suorum minime indulgens, sæpius suo populo id exprobrarit. Illud miror quod in eodem suo lib. de Unit. contra Petilianum, cum hanc quæstionem tractat, adjicit partem illam veteris populi, hoc est, Israelem, deputandam non esse, tamquam hæresis fuisset. Deum enim decem illas tribus jussisse separari, non ut religio, sed ut regnum divideretur. Cum hæc lego, fateor (ne quid iterum dissimulem) me hærere et subsistere. Deus quidem juste meritoque decreverat, Jeroboam fore regem, ut puniret peccatum Salomonis. Sed nihilominus Israel peccavit, cum perfidiose talem sibi regem ascivit, ut a regno Davidis et a templo deficeret. Sed et ipse Augustinus libro I contra Cresconium cap. 31, ait Samaritanos fuisse veluti hæreticos Judæorum. Audio, quod contra Petilianum ait, Deum jussisse, ut regnum Juda divideretur, non etiam religio. Non enim jussisse fieri schisma : *Sicuti*, inquit, *sæpe in orbe terrarum regna dividuntur, et tamen Christiana unitas non dividitur, quia in utraque parte inveniatur Ecclesia catholica*. Verum (si mihi fas est ingenue dicere quod sentio, ut quod verum esse puto, verecunde quidem, sed tamen libere exponam, nullo Augustini præjudicio impeditus) existimo observandum esse aliam fuisse rationem regni Judaici sive Davidici, aliam esse aliorum regnorum. Nam in regno Davidis sic inclusa fuit

Digitized by Google

Ecclesia, sicque cum eo conjuncta, ut non potuerit dividi, quin religio divideretur, hoc est, quin qui ab eo desciscceret, schismatis reus esset. Nam qui ab eo deficiebat, ab Ecclesia quoque ipsa deficiebat. Certe orabatur pro hoc regno, ut pro Ecclesia, psalm. LXXVII et CVIII : et David propterea dicebatur primogenitus inter reges, psalm. LXXXIX. At, inquies, Deus tamen dicitur divisisse regnum Davidis. Fateor, sed longe alio fine, quam ipse Jeroboam schismaticus aut quæ eum secutæ sunt decem tribus, quarum longe aliud fuit, quam Dei consilium. Hæc obiter dicta sunto. Conclusio Augustini contra Petilianum est, fuisse etiam in Israele prophetas. Audio. Sed tunc fateor Donatistas recte dixisse, commorationis illud fuisse, non communionis. In Juda vero non modo commoratos esse, sed etiam communicasse, dicendum etiam est, ut ante admonui.

Hic ego veniam audaciæ peterem, si paulo liberius videor notare in Augustino et ejus collegis, non satis ab iis observatum esse discrimen Judæ et Israelis. Sed pudoris potius quam petulantiæ ullius vestigium in meo facto agnoscet æquus et veritatis **362** studiosus judex. Certe ut mihi integrum non fuit dissimulare quod sentiebam, sic agnosco factum esse quodam impetu disputationis, ad Donatistarum morosissimam importunitatem reprimendam, ut Catholici in Collatione minus distinxerint Judam ab Israele, cum prophetas quantumvis severos vitiorum reprehensores minime omnium fuisse schismaticos ostendere vellent, et Donatistas valde reprehenderent, qui sui schismatis exemplum repetebant a prophetis, quos fugisse suæ gentis sacrificia confuse clamitabant, contrario quodam modo Judæ et Israelis discrimen confundentes. Cæterum minime alioqui Augustinum ignorasse quod dixi, imo vero tale discrimen diligenter alias indicasse, testis est ejus liber XVII de Civit. Dei.

Ut autem novis hodie Momis, qui totam Collationem Carthaginensem propter μνημονικὸν ἁμαρτημα irridere, et bonis Patribus insultare vellent, frænum aliquod injiciam, venit in mentem quod ipse Calvinus novorum censorum princeps, cum sexcentis alioqui in locis annotasset, illud a prophetis toties indicatum discrimen, tamen nescio quomodo ejus oblivisci videtur, ubi in disputatione incaluit. Certe cum primum iratus in me scriberet, etiam illud invertisse videtur. Ait : *Quin Hierosolymis vera fuerit Ecclesia, quo tempore sacerdotes a legitimo Dei cultu deflexerant, minime ambigitur. An vero ejus Ecclesiæ auctoritas vigere et valere debuerit apud pios, ex prophetis patet, qui ubique clamant longissime ab impia eorum factione recedendum.* Idem paulo post ait, negari non posse, apud Israelitas, qui Jeroboamum secuti sunt, fuisse aliquam Ecclesiam. Addo locum alterum, qui nunc mihi in mentem venit. Nota est querimonia Eliæ prophetæ conquerentis sese relictum esse solum. Eam proprie pertinuisse ad statum Israelis potius quam Judæ Augustinus recte observavit et admonuit lib. XVII de Civitate Dei cap. 22. Calvinus tamen in præfatione suæ Institutionis, ex illa querimonia liquere generaliter contendit, nullam temporibus Eliæ fuisse Ecclesiam aspectabilem. Atque ipsa historia sacra testatur Eliam tantum loqui de regno Israelis ubi habitabat : in regno autem Judæ eo tempore fuisse illustrem Ecclesiam regnante Josaphat, quem et tamquam alterum Davidem fuisse significat. Imo vero idem Calvinus in ipsa sua Institutione videtur confuse dicere, quod Donatistæ in Collatione dicebant hac in parte. Allegat, Prophetas de Judæis et Israelitis sui sæculi passim clamasse, profana esse conventicula, quibus non magis consentire liceat, quam Deum abnegare : vel si illæ Ecclesiæ fuerunt, ab Ecclesia Dei alienos fuisse, in Israele quidem, Eliam, Michæam et similes : in Juda autem Isaiam, Jeremiam, Oseam. Concludit autem necesse fuisse, ab eorum cœtuum consensione desciscere, quæ nihil aliud erat quam impia adversus Deum conspiratio. Quis non videt hæc confuse dici, ubi distinguendum erat inter Judam et Israelem ? Et vero in eadem paulo ante pagina sibi veluti contradicens, dixit quod et volumus, et ad Donatistas refellendos dicimus. « Fateor, inquit, prophetas omnes, qui Hierosolymis fuerunt, cum res illic essent admodum corruptæ, nec seorsum sacrificasse, nec separatos ab aliis cœtus habuisse ad orandum. Habebant enim Dei mandatum, quo in templum Salomonis convenire jubebantur. Sacerdotes Leviticos, quos, quia sacrorum antistites ordinati erant a Domino, necdum abdicati, utcumque indigni eo honore essent, locum illum adhuc tenere noverant. Sed neque ad ullum superstitiosum cultum adigebantur. » Idem rursus in eadem paulo ante sua Instit. : « Horrendæ, inquit, sunt illæ descriptiones, quibus, Isaias, Jeremias, Joel, Habacuc et alii Ecclesiæ Hierosolymitanæ morbos deplorant. In plebe, in magistratu, in sacerdotibus, omnia usque adeo corrupta erant, ut clamet Isaias, a vertice capitis usque ad calcem pedis, nihil esse illic sanum. Religio partim contempta, partim contaminata. In moribus passim referuntur furta, rapinæ, perfidiæ, cædes, et similia scelera. Neque tamen propterea aut novas sibi Ecclesias erigebant, aut nova altaria exstruebant prophetæ, in quibus separata sacrificia haberent : sed qualescumque essent homines, quia tamen reputabant Dominum apud eos verbum suum deposuisse et cæremonias instituisse, quibus illic colebatur, in medio impiorum cœtu puras manus ad illum extendebant. Certe si putassent aliquid inde contagionis se contrahere, centies potius mortui fuissent, quam passi fuissent illuc se pertrahi. Nihil ergo eos retinebat, quominus discessionem facerent, quam servandæ unitatis studium. Quod si religio sanctis prophetis fuit, ob plurima et maxima scelera non unius aut alterius hominis, sed propemodum totius populi, se ab Ecclesia alienare : nimium nobis arrogamus, si protinus audemus ab Ecclesiæ communione decedere, ubi non omnium mores vel nostro judicio vel Christianæ etiam professioni satisfaciunt.

« Jam Christi et apostolorum sæculum quale fuit ? Neque tamen impedire potuit desperata illa Phari-

sæorum impietas, et quæ tunc passim regnabat, dissoluta vivendi licentia, quin iisdem sacris cum populo uterentur, et in unum cum reliquis templum ad publica religionis exercitia convenirent. Unde id? nisi quia sciebant malorum societate minime pollui qui, pura conscientia, iisdem sacris communicarent? Si quem parum movent prophetæ et apostoli ; ille saltem Christi auctoritati acquiescat. Bene ergo Cyprianus : Etsi videntur, inquit, in Ecclesia zizania, aut vasa impura, non est tamen cur ipsi de Ecclesia recedamus : nobis danda opera, et quantum licet innitendum, ut vas aureum et argenteum simus. Cæterum fictilia vasa confringere solius Domini est, cui et virga ferrea data est : nec quisquam sibi quod proprium est soli Filio, vendicet, ut ad aream ventilandam et purgandam paleam sufficiat, zizaniaque omnia humano judicio segreganda. Superba est ista obstinatio, et sacrilega præsumptio, quam sibi furor pravus assumit, etc. Fixum igitur utrumque istorum maneat, nihil excusationis eum habere, qui externam Ecclesiæ communionem sponte deserit, ubi Dei verbum prædicatur, et sacramenta administrantur : deinde nihil obstare vel paucorum vel multorum vitia quominus illic rite cæremoniis a Deo institutis, fidem nostram profiteamur : quia nec alterius sive pastoris, sive privati, indignitate læditur pia conscientia, nec minus pura sunt et salutaria Domini mysteria homini sancto et recto, quia simul ab impuris attrectentur. » Hæc ille, quæ nunc non invitus describo, ut adversarii quoque confessione, causam, quam ago, peragam : et talia subscriptione confirmem conclusionem Carthaginensis Collationis contra Donatistas. Itaque non gravabor ex eadem Institutione repetere ea quæ paulo ante sunt subscripta. Nam ex Augustino repetita videntur, et Donatistas veluti jugulant. **363** Fuerunt, inquit, semper, qui falsa absolutæ sanctimoniæ persuasione imbuti, tamquam aerei quidam dæmones jam facti essent, omnium hominum consortium aspernarentur, in quibus humanum adhuc aliquid subesse cernerent. Tales olim erant Cathari et qui ad eorum vesaniam accedebant, Donatistæ. Tales hodie sunt ex Anabaptistis nonnulli qui supra alios volunt videri profecisse. Alii sunt qui inconsiderato magis justitiæ zelo, quam insana illa superbia peccant. Dum enim apud eos, quibus Evangelium annuntiatur, ejus doctrinæ non respondere fructum vident, nullam illic esse Ecclesiam, statim judicant. Justissima quidem est offensio, et cui plus satis occasionis hoc miserrimo sæculo præbemus. Nec excusare licet maledictam nostram ignaviam, quam Dominus impunitam esse non sinet: ut jam gravibus flagellis castigare incipit. Væ ergo nobis qui tam dissoluta flagitiorum licentia committimus, ut propter nos vulnerentur imbecilles conscientiæ. Sed in hoc vicissim peccant illi quos diximus, quod offensioni suæ modum statuere nesciunt. Nam ubi Dominus clementiam exigit, omissa illa, totos se immoderatæ severitati tradunt. Quia enim non putant esse Ecclesiam, ubi non est solida vitæ puritas et integritas, scelerum odio a legitima Ecclesia discedunt, dum a factione improborum declinare se putant. Allegant Ecclesiam Christi sanctam esse. Verum ut simul intelligant esse ex bonis et malis permixtam, illam ex ore Christi parabolam audiant, in qua reti comparatur, quo pisces omne genus colliguntur, neque seliguntur, donec in littore sint expositi. Audiant agri esse similem, qui bona fruge consitus, zizaniis inimici fraude inficitur quibus non expurgatur donec in aream advecta fuerit messis. Audiant denique aream esse, in qua sic collectum est triticum, ut sub palea delitescat, donec vanno et cribro repurgatum in horreum tandem reconditur. Quod si hoc malo ad diem usque judicii laboraturam Ecclesiam pronuntiavit Dominus, ut improborum permixtione oneretur, frustra nullo nævo inspersam quærunt. » Hæc ille. Quæ si nondum sufficiunt ad contundendam nostrorum censorum sive contumaciam sive morositatem, adjiciam quod idem eorum magister scripsit adversus Anabaptistas.

« Vidimus, inquit, quæ vitia in Ecclesia Judaica Prophetæ reprehendunt, aut potius contra quas abominationes vociferentur ; neque vero reprehensiones illæ competunt in unum genus hominum : sed palam denuntiant, a primoribus ad plebem usque, a summis ad infimos omnia sic corrupta et depravata fuisse, ut vix unicum membrum sanum reperiri possit. Hæc enim sunt ipsorum verba. An vero propterea desierunt cum populo iniquo et perverso convenire, ut adorarent Deum, ut offerrent sacrificia, ut audirent doctrinam legis? An seorsum, templum aut altare exstruxerunt, ut pura Ecclesia potirentur? Si polluitur fidelis, quod in precibus cum iniquis communicet, in audienda doctrina, in sacramentis recipiendis : Prophetæ omnes polluti fuerunt, ac veluti duces qui cæteros exemplo suo in exitium ducerent. Nunc ad Christum Dominum nostrum et ipsius apostolos veniamus. Primum scimus qualis eo tempore fuerit Ecclesiæ Hierosolymitanæ status. Tamen cum cæteris Dominus Jesus circumcidi voluit. Deinde purgationis die ad templum afferri, ut ex solito more Deo offerretur. Si allegent, sancti viri manibus susceptum fuisse : respondeo, id totius Ecclesiæ nomine factum : quæ tamen spurcitia multa et abominandis vitiis scatebat. Si rursum objiciant, infantem fuisse nec ab eo proprie facta : respondeo ita infantem fuisse in humana natura, quam a nobis acceperat, ut interim providentia sua divina regeretur, qua numquam scivisset se ulla actione contaminari, quæ filiorum Dei puritati repugnaret. Quinetiam vir factus, ac quod amplius est, cum prædicaret verbum Dei, ac officio suo fungeretur, eam viam persecutus est usque ad extremum diem vitæ. Si offenditur Deus ab eo, qui precandi et testificandæ fidei suæ gratia in cœtum aliquem ingreditur, a quo scelerati non arcentur : quid sibi voluit Dominus noster, quale exemplum præbuit, cum templum Hierosolymitanum ingrederetur, ut una cum Scribis et Pharisæis, et populo tunc perditissimo sacra faceret? Protinus, sat

Digitized by Google

scio, excipient, Christum in templum non ascendisse, nisi ut vitia et scelera reprehenderet, quæ tum admittebantur : non ut cum eorum sacrificiis et cæteris testificationibus fidei participaret. Verum falsam esse hanc solutionem facile est commonstrare. Non abs re dicit Paulus eum subditum legi factum (de Christo semper intelligo) ut ab ejus servitute omnes qui ei subjiciebantur, redimeret. De cæremoniali lege nominatim verba facit. Cum igitur ad templum, ac præcipue diebus festis et solemnibus accedebat, quamvis eo veniret, ut meliorem promovendi Evangelii, et corrigendis impiorum vitiis, occasionem nancisci posset : tamen non desinebat sese legis observatorem ostendere, quæ lege jubentur, faciens, veniens in templum adorandi et sacrificandi causa. Quod ipse ore suo confirmavit, cum Samaritanam conveniret. Loquens enim ex omnium Judæorum persona, ait : *Scimus id quod adoramus : at vos, quod adoratis nescitis :* quia salus ex Judæis est. Haud certe ab illis se segregat, cum loquitur de adoratione, qua etiam sacrificia continentur : verum sese redigit in communem ordinem cæterorum. Id quod ratio ab eo adjuncta, magis etiam confirmat : nempe, quia salus ex Judæis est. His enim verbis nihil aliud intelligit, quam cultum qui Hierosolymis exhibebatur Deo, ipsi gratum fuisse, tantum ob fœdus quod cum populo illo inierat. Ex quibus perspicimus eum qui sacramentis a Deo institutis cum iniquis communicat, ipsorum congressu non pollui, modo ipse crimine vacet, puraque conscientia sit præditus. Idem Apostoli magistri exemplum secuti fecerunt. Verum ne prolixiores simus, quam par sit, Paulo uno contenti simus. Omitto quod quemcumque in locum veniret, sine ulla difficultate in synagogam Judæorum ingressus est, ut oraret Deum et de scriptura tractaret. Omitto etiam, quod ei religio non fuit sese in templo exhibere, ut ibi Deum adoraret, et cæremoniis legitimis una cum reliquis uteretur : quamvis summa esset sacerdotum et scribarum, qui tum illic erant, improbitas et nequitia. Non quod illa ad rem non faciant : sed quia clariore probationum genere, quæ calumniis minus eludi possunt, non caremus. Nempe quod conqueritur eos qui ipsum adjuvare debuerant, Christi honore et Ecclesiæ prorogatione posthabitis, privatis commodis suis studuisse. Neque tamen legimus ipsum, ne pollueretur, se ab eorum cœtu segregasse.

« Item, cum vitia illa horrenda, quibus Corinthii et Galatæ laborabant, reprehendit : non vetat eos qui puri sunt et immunes, ullam cum cæteris communionem habere quoad bene purgata fuerint **364** omnia : sed tantum adhortatur ut vitia quæ suo quæque loco reprehendit, corrigant, nulla mentione facta de ejusmodi segregatione, qualem isti fanatici introducere volunt.

« Quid vero necesse est adeo disputare ? Cum Apostolus ipse alio in loco tractans, quo quisque modo præparari debeat ad recipiendam, ut decet, cœnam Domini, non jubet unumquemque proximi sui vitia examinare : sed ita loquitur, Probet seipsum homo, ac sic de pane illo edat, et de calice bibat. Nam qui edit et bibit indigne, judicium sibi ipsi edit et bibit. In quibus verbis duo sunt observanda. Primum, indigne panem Domini edere, non esse cum iis qui indigni sunt communicare : sed non rite præparare seipsum, nec expendere fidem propriam et pœnitentiam. Alterum, cum cœna recipienda est, ne initium faciamus ab aliis, quo examinemus ipsos, sed nosmetipsos probemus, et certe si accurate considerentur omnia, qui ita otio abundant ut inquirant in alios, sæpius in re sua sunt negligentes et obliviosi. » Hactenus ille.

Visum fuit superiores aliquot paginas ex ejus viri commentariis describere, cujus ore et confessione Donatistas quoque damnari, et similes hypocritas atque ardeliones accusari, lubenter audio, ut tanto magis os obstruatur male feriatis quibusdam ejus discipulis, quorum severam scilicet censuram, hoc est, vesanam intemperiem, notari atque coerceri necesse est. Nunc ut ad Collationem revertar : ejus acta significant, Donatistas etiam objecisse *quidpiam* ex Aggæi prophetæ cap. II, de fugienda contagione malorum, tametsi Augustinus scribat nonnisi post Collationem id eos allegasse. Quæstio autem fuit de hisce verbis, *Quicumque accesserit ad illum, inquinabitur*, etc., quæ leguntur in interpretatione LXX. Sed si Catholici observassent, ab interpretibus illis adjecta videri : saltem non exstare in contextu Hebraico, magna molestia respondendi facile se liberassent.

Donatistæ non tam fuerunt vel ingeniosi, vel acres, vel facundi, vel vehementes, quam alii quidam in accusanda Ecclesia, a qua defecerant. Imo multa, quæ suo schismati speciose obtendere poterant, nescio quomodo præterisse videntur. Saltem hodie novi censores et illorum alioqui prope patroni, Ecclesiæque accusatores aiunt eos prævaricatos posse videri, et bonam causam male egisse, jusque suum ignorasse : ignorasse conditionem Ecclesiæ, a qua defecerant, ignorasse ejus maculas et vitia. Aiunt Aerium, Jovinianum, Vigilantium, Faustum Manichæum, et similes diligentius notasse quæ reprehenderent : et quia hos reprehensores Ecclesia damnarit, iterum ream esse debere. Sed nunc nihil attinet suggerere Donatistis novam criminationem : tametsi facile quoque sit eam refellere. Possem etiam exaggerare populi Carthaginensis extremam corruptionem et horrenda infinitaque scelera, quæ Salvianus episcopus Massiliensis descripsit lib. VIII de Provident. Sed ne ea quidem sufficiebant ad excusandum schisma Donatistarum. Sane cum multa vulgo male fieri fatebatur et deplorabat Augustinus, in iis fugiendis consentientem habuere Donatistæ. Sed quæ Ecclesia recte probabat, graviter defendit diluens adversariorum calumnias : et ut multa illi exprobrarentur, tamen Ecclesiam Christi esse constantissime contendit, præsertim cum auctores illa bonos haberet, et promissa laudataque esset a prophetis, qualis post Christum exhibita est, totoque orbe diffusa : neque aliam ostendere Donatistæ possent, ad quam vaticinia illa Prophetarum referri possent. Itaque deficere ab ea Ecclesia catholica non debuisse Donatistas, conclu-

Digitized by Google

dit : et (quod mirum est) eadem est nunc eorum conclusio, qui alioqui illius quoque temporis Ecclesiam acerrime accusant, et sibi licere propterea volunt, quod tamen Donatistis negant. Quæ porro Donatistæ dicebant, ut suam factionem probarent esse veram Ecclesiam Christi, putidiora sunt quam ut pluribus refelli debeant : audiamus tamen.

Jactabant in Collatione, sese antistites et defensores esse sinceræ Ecclesiæ, quæ (ut aiebant) persecutionem patitur, et non facit. Crucem enim et patientiam esse quædam insignia Ecclesiæ profitebantur. Sed Augustinus contendit eos facere potius quam pati : vel si quid interdum patiuntur, juste eos pati quod injuste faciunt. Immo in sua epistola L, probat non esse consequens, ut Ecclesia vera sit, quæ persecutionem patitur, non quæ facit : et refutat Donatistas, qui non quærunt causas, quare quisque faciat persecutionem, vel quare patiatur : sed hoc putant esse signum veri Christiani, si persecutionem patiatur, non autem faciat.

Sane quia aliquando ab imperatore missus erat Macarius præfectus ad coercendam Donatistarum insolentiam, Parmenianus Donatista Catholicis exprobrans (ut vocabat) Macarianam vim invidiose clamitaverat : *Non potest dici Ecclesia, quæ cruentis morsibus pascitur, et sanctorum sanguine opimatur.* Sed Optatus lib. II, justa recriminatione id in adversarium retorserat : *Et ostendam*, inquit, *partem vestram cruentis morsibus pastam, et sanguine Christianorum opimatam*, etc. Postea tamen Petilianus Donatista multo et odiosius et verbosius repetitam Parmeniani sui sive querimoniam sive exprobrationem ingeminavit. Sed Augustinus futiles calumnias et inania maledicta esse ostendit : imo vero probat Donatistas impudenter aliis objicere, quod ipsi committebant.

Jactabant Donatistæ suos martyres : et Parmenianus invidiose nostris eos antea objecerat. Sed Augustinus graviter talem jactationem refutaverat lib. I contra Parmenianum cap. 7. Nihilominus tamen Petilianus eamdem cantilenam canit. Ergo Augustinus eamdem responsionem repetit, ostenditque, non pœnam, sed causam efficere martyres. Et tamen Donatistas occidi negat. Imo vero ipsos sese furiose præcipitare, sibique mortem ultro consciscere probat. Legatur ejus epistola quinquagesima ad Bonifacium : et adjungatur Cyprianus Christi martyr, qui multo ante tempora Donatistarum, etiam dixerat, extra Ecclesiam non posse esse martyrem, neque in morte coronari posse, sicuti et multis post Augustinum sæculis ipse Bernardus ostendit etiam diabolum habere suos martyres : et eleganter ait, mirum non esse, si qui potest homines impellere, ut sibi ipsis mortem inferant, possit iis persuadere, ut patiantur sese ab aliis occidi. Sane et Eusebius, lib. v, cap. 6, scribit jam olim Montanistas jactasse suos quoque martyres, et ad hanc gloriam, tamquam ad sacram anchoram, confugisse, ut suam sectam commendarent atque celebrarent. Sed res ipsa loquitur fuisse fatuam κενοδοξίαν.

Porro quia Donatistæ audiebant Ecclesiam catholicam, non modo sanctis martyriis, sed et illustribus miraculis fuisse ornatam, jactarunt etiam suæ partis nescio quæ miracula, quasi certa indicia testimoniaque Ecclesiæ. Sed acute Augustinus ea retorquet, ut potius pro signis Antichristi vel pseudoprophetarum habeantur.

365 Quid non ausi sunt Donatistæ, quid non tentarunt ut Ecclesiam penes se esse probarent? Jactarunt etiam angelum cœlestem apparuisse, qui eorum causam confirmaret. Sed Augustinus in epist. CLXV, altius assurgit, et illi etiam, si quis fuisset, audet denuntiare anathema, fretus vaticiniis prophetarum catholicam Ecclesiam promittentium. *Et has*, inquit, *promissiones tenenti, si tibi angelus de cœlo diceret, dimitte Christianitatem orbis et tene partes Donati, anathema esse deberet.* Donatistæ tandem eo evaserunt, ut etiam dicerent Deum ipsum de cœlo respondisse Donato : prope ut de suo auctore dicerent, auditam esse Dei vocem illam, *Ipsum audite.* Verum quod, ubi miracula jactarunt responsum audierunt, idem nunc eis Augustinus objicit. *Aut falluntur*, inquit, *aut fallunt. Et contra istos, ut ita loquar, mirabiliarios : cautum me fecit Deus meus, dicens : In novissimis temporibus exurgent pseudoprophetæ, facientes signa et portenta, ut in errorem inducant, si fieri potest, etiam electos. Ecce prædixi vobis. Ergo cautos nos fecit sponsus, quia et miraculis decipi non debemus.*

Redeo ad acta Collationis, ut audiam ecquid tandem de Donatistis pronuntiarit Marcellinus. Nihil enim alioqui actum esset. Augustinus in Breviculo ait eum pronuntiasse confutatos esse a Catholicis Donatistas, omnium documentorum manifestatione. Integram sententiam, quæ longior est, et edicti formam habet, continent acta de quibus loquor. Est autem in ea imprimis memorabile, quod jubet fidem publicam evocatis Donatistis datam (vulgo salvumconductum vocant) servari, ut iis liberum et integrum sit tuto domum redire. Sed interea non posse se diutius differre legum contra eos latarum executionem, propterea que jubet ut eorum cœtus dissolvantur, et Basilicæ quas occuparant, Catholicis restituantur.

Possidius, qui etiam interfuit, ait Donatistas sententia cognitoris notatos esse, et post eorum appellationem, piissimi regis responso juste inter hæreticos esse condemnatos. Nempe sententiam Marcellini consecuta est lex imperatoria. Nam et quæ in Codice Theodosiano lib. XLIV, de Hæret. exstat Honorii constitutio contra Donatistas, data Ravennæ Constantio et Constante coss. nonnisi duobus post Collationem Carthaginensem annis edita est. Atque ita quidem olim solebant Christiani imperatores sancire decreta conciliorum. Præfatur autem Honorius Imp. sese hactenus pepercisse Donatistis, quos inquit, patientia clementiæ nostræ servavit. Id vero non satis intelligeretur, nisi meminerimus quam patienter et benigne paulo ante auditi in Collatione fuissent.

Digitized by Google

Neque tamen plane novum est, quod Honorius jubet eos esse intestabiles, nullamque potestatem ullius, ut loquitur, ineundi, habere ait. Certe Theodosiana quoque lex fuit, qua iis vel faciendi testamenta, vel per donationes alicui quid conferendi facultas adimitur, vel ex donationibus testamentisve aliquid capiendi, ut ipse Augustinus recitat ad finem lib. I contra Parmenian. Sed et ad jus civile pertinet, propterea que minus præterire possum quod eodem loco narrat Augustinus, cum homo quidam nobilis imperatoribus supplicasset, quia soror ejus quæ de parte Donati fuerat, cum defungeretur, in aliquos communionis suæ plurima contulisset, præceptum esse, ut omnia fratri restituerentur. Hic ergo locum non habuit lex Papia de caducis, ex qua fiscus capiebat, quod relictum erat ei qui capere non poterat. Sed etsi frater ille fuisset præteritus vel exhæredatus, jure communi potuisset rescindere sororis testamentum, in quo turpes et infames personæ (quales erant Donatistæ) fuissent institutæ. Sed quia nunc de jure civili disputandi locus non est, prætereo quod pluribus verbis ea de re dici posset. Moneo tamen lectorem, ut conferat quam hujus legis depravationem postea in Africa edidit Hunericus Vandalus, ut Victor Uticensis lib. III narrat. Illud præterea ex lib. XVI Cod. Theodos. tit. V, c. 5, didicimus, quod huc omnino referendum est, non multo post Collationem mortuum fuisse Marcellinum, propterea que quæsitum fuisse, an ejus morte acta Collationis labefactarentur. Imperatorem vero Honorium duobus circiter mensibus post superiorem legem suo ea edicto iterum confirmasse. Sic enim Juliano proconsuli Africæ rescribit: *Notione et sollicitudine Marcellini spectabilis memoriæ viri contra Donatistas gesta sunt ea quæ translata in publica monimenta habere volumus perpetuam firmitatem. Neque enim morte cognitoris perire debet publica fides. Dat.* III *kalend. Septemb., Rom., Constantio et Constante coss.* Sed ad hujus legis sive rescripti sententiam intelligendam, necessaria fuit Collationis historia quam exposui. Et ut fragmenta colligam quæ dispersa dissectaque non intelliguntur: nunc adjiciam quod Honorius scribit, et ad hunc locum pertinet, inquit lib. VII, cap. 42: *His diebus præcipiente Honorio, pax et unitas per universam Africam Ecclesiæ catholicæ reddita est, et corpus Christi (quod nos sumus) redintegrata discissione sanatum est, imposita executione sancti præcepti Marcellino tribuno viro imprimis prudenti et industrio omniumque studiorum bonorum appetentissimo, quem Marinus comes apud Carthaginem incertum, zelo stimulatus, an auro corruptus, occidit: qui continuo revocatus ex Africa, factusque privatus, vel ad pœnam, vel ad pœnitentiam, conscientiæ suæ dimissus est.* Hæc Orosius. Quæ quidem indicant quis fuerit sive fructus, sive exitus Collationis cum Donatistis, et quid eam consecutum sit, ut et iis satisfiat qui quærunt ecquid illa profuerit? Ac quidem primum respondeo de Donatistis, quod Hieronymus de Luciferianis eorum prope sociis, nempe vinci posse, persuaderi non posse. Et tamen multos qui sanabiles erant, resipuisse ipse Augustinus testatur in lib. de Gestis cum Emerito ubi de hac Collatione loquens: *Donatistas*, inquit, *in nomine Christi in gremium catholicum magna ex parte suscepimus, ita ut pene omnes communioni catholicæ sociatos esse gaudeamus.* Idem Augustinus in epist. L, ad Bonifacium, ait, *Maxime post Collationem quæ inter nos et episcopos eorum apud Carthaginem fuit ex magna parte correcti sunt.* Ergo effecit hæc Collatio quod vix umquam efficere potuerunt maxima et optima alioqui concilia. Sed vellem etiam quod Augustinus optabat, effecisset ut Catholici mali, quorum depravatio irritabat Donatistas, horum tumultibus correcti et emendati fuissent. At quam potius facti sint deteriores, bonus est testis Salvianus Massiliensis in lib. de Provid. et Judic., ubi Carthaginensium incredibilem insaniam et projectam nequitiam describit. Ergo non multo post Collationem accidit ut hostes Donatistis longe *immaniores* in Africam inundarint, qui terribile divinæ ultionis adversus deploratam improbitatem exemplum ediderunt, excisis plusquam quadraginta Ecclesiis, et ipsa denique Carthagine eversa; moriensque Augustinus talem calamitatem ita deflevit, ut tamen in ea gemens justum Dei judicium agnosceret, sicuti Possidius narrat. Interea gratulandum est Donatistis, si qui sanabiles erant, nullum scandalum obstitisse quominus ad eam redirent, quam in Collatione Ecclesiam agnoverant. Sane Possidius, qui Collationi, ut dixi, interfuit, testatur, **366** potissimum per hanc Collationem factum esse, ut Augustino palmam Deus dederit, et in dies ageretur pacis unitas et Ecclesiæ confraternitas, et multi Donatistarum episcopi ad pacem catholicam redierint, et quidvis eo nomine ab Donatistis passi sint. Interea tamen idem Possidius adjicit non defuisse qui calumniose dicerent non fuisse permissos Donatistas apud potestatem quæ causam audivit, dicere omnia pro suis partibus, quoniam catholicæ communionis cognitor suæ favebat Ecclesiæ. Sed inanem fuisse hanc cavillationem Possidius ostendit. Alii fingebant pretio corruptum Marcellinum fuisse. Sed hoc eadem impudentia dicebant qua olim cum appellassent Constantinum, et is Cæcilianum absolvisset damnassetque Donatum, cavillati sunt corruptum fuisse imperatorem. Atque ut intelligamus nihil non eos captasse, quod calumniarentur, etiam conquesti sunt noctu Marcellinum judicasse. Ipsi cavillando in Collatione jam diem consumpserant, ut in tenebris effugerent. Judex volens sua patientia iis præcidere omnem in posterum occasionem justæ querimoniæ, adjiciebat clepsydram, et patiebatur eos quidvis dicere, potius quam actionem interrumperet. Sed tamen tandem, sententiam tulit, cum illi dixissent, et dixisse se confessi essent: neque, quia serius judicaverat, propterea rem judicatam eludi passus est. Gellius libro decimo quarto scribit senatusconsultum nec ante exortum, nec post occasum solem factum,

Digitized by Google

ratum fuisse. Imo et cum de judiciis ageretur, in XII Tab. scriptum fuit, *Sol occasus suprema tempestas esto.* Sed non eadem fuit omnium decretorum ratio: neque semper ea lex servata est. Nam et sæpe Romani imitati sunt Areopagitas, qui nonnisi noctu judicabant, et ipse noster Justinianus in Novella 82 jubet pedaneos suos judices sedere pro tribunali a summo diluculo usque ad vespertinum crepusculum, sive ut loquitur, εἰς δείλην ὀψίαν, neque quicquam obstat, quin si causa postulet, judex possit diutius etiam sedere. Denique et testamenta et contractus noctu posse fieri, dubitandum non esse lex ait. Libro XXII, § penultim., de Testament., L. Non minorem, C. de Transact. Noster quidem certe Augustinus respondens Donatistis exclamat: *Quis ferat victos homines conqueri quod nocte contra eos est prolata sententia; quasi non sæpe judices audiendi necessitas teneat, ut usque ad multam partem noctis sedere cogantur? An ideo non est verum quod dicitur, quia per noctem dicitur?* etc.

Interfuerat Collationi Emeritus Donatista: Sed ingenue non fatebatur sese in ea victum esse, et nescio quos calumniarum fumos spargebat in sua Cæsariensi Mauritania. Eo itaque cum profectus esset Augustinus, non recusavit veluti actum agere, et gesta Collationis rursus exponere atque tueri. Ait id se fecisse Honorio XII et Theodosio VIII coss. Itaque apparet septem annis post Collationem id accidisse, atque adeo eo ipso anno, quo in Carthaginensi concilio causa Pelagianorum agebatur, et ut in Milevitano judicata fuerat anno priori. Augustinus lib. II Retract. simpliciter ait aliquanto post Collationem, cum quædam orta esset necessitas pergendi in Mauritaniam Cæsariensem sese egisse cum illo Emerito: neque alioqui causam illius suæ profectionis exprimit. Sic et in epist. CCVII: *Eo*, inquit, *nos injuncta nobis a Zosimo apostolicæ sedis episcopo ecclesiastica necessitas deduxerat.* Et Possidius qui interfuit Cæsariensi illi actioni, non minus quam Collationi Carthaginensi, tantum ait, sedis apostolicæ litteras compulisse Augustinum cum aliis episcopis venire in Mauritaniam ob terminandas alias Ecclesiæ necessitates: cumque incidisset in Emeritum ejus loci Donatistarum episcopum, cum eo iterum congressum esse, ut is libere diceret pro sua parte, quæcumque vellet, quia quidam dictitabant eum in Collatione prohibitum esse omnia dicere. Quid ibi gestum sit, ipse Augustinus conscripsit, ut gesta Cæsariensis illius collocutionis cum Actis Carthaginensis Collationis conjungerentur. Ridiculum est quod exscriptores Centuriarum historiæ Ecclesiasticæ nuper annotarunt, illi Cæsariensi repetitioni interfuisse imperatores Honorium et Theodosium, quia hanc iis consulibus habitam Augustinus dicat.

Superest, ut observemus eodem tempore convenisse adversus Pelagianos nobilissimum illud concilium Carthaginense: cui tamen pauciores episcopi catholici interfuerunt, quam interfuerant Collationi. Nam in hac CCLXXXVI, in illo vero CCVII numerantur. Prosper in suo Chronico ait Pelagium anno Christi 415 publicasse suum dogma, hoc est, statim post Donatistas in Collatione repressos. Anno autem 420, habito apud Carthaginem concilio 217 episcoporum, missa esse ad pontificem Zosimum synodalia decreta, quibus probatis per totum mundum hæresis Pelagiana damnata sit. Sed rem totam satis non explicat Prosper. Ex Augustini vero scriptis repetere licet, quod imprimis hic observandum est.

Propter Pelagium, tempore Innocentii pontif. cui Zosimus successit, eodem tempore convenisse videntur duo magna concilia, Carthaginense et Milevitanum: illud Carthaginis et Africæ, hoc Numidiæ passim vocat Augustinus epist. XLVII, XCII, XCIV, CVI, CX et CLVII. Fateor, cum Pelagiani causam suam judicari vellent in universali concilio Orientis et Occidentis, Augustinum id iis negasse, respondisseque rarissimas fuisse hæreses, propter quas damnandas fuerit necessaria congregatio synodi. Sed tamen cum id scribebat Augustinus lib. IV contra duas Epist. Pelag., cap. ult., jam viderat duas saltem provinciales synodos congregatas ad damnandam hæresim Pelagianam. Nam id scribit ad Bonifacium pont. Rom. et multo post illas synodos scripsisse se non dissimulat: et vero earum præjudicio fiebat, ut tanto magis Pelagianis negaretur quod præterea calumniose postulabant. Credo equidem eos cavillatos esse quod Palladium quemdam Arianum in Aquileiensi synodo eludendi causa causatum esse legimus, cum eam synodum refugere se diceret, quia universalis non esset. Sed quod Ambrosius, qui ei concilio præerat, respondit Palladio, Augustinus Pelagianis respondere potuit: tametsi Ambrosius hoc plus haberet, quod in Nicæno concilio damnata esset hæresis Ariana. Porro memorabile est quod Augustinus præterea significat, Pelagianos Collationem postulasse, qualis cum Donatistis fuerat. Sed merito Catholicos eam refugisse, ne actum agerent

Cæterum etsi Augustinum concilio Milevitano potius quam Carthaginensi interfuisse dicamus, tamen cum Milevitanum citius finitum fuerit, et Carthaginense diutius durarit, non negamus, et huic interesse tandem illum potuisse. Ineptum tamen est, quod scriptores Centuriarum annotant, Augustinum ei præfuisse, ex eoque ad Innocentium scripsisse, Aurelium potius dicere oportuit: sicuti et is primo loco nominatur in epistola ejus concilii ad Innocentium, in qua Augustinus non nominatur: tametsi epistola relata sit inter Augustini epistolas num. 90, sicuti et responsum Innocentii subjectum est, 367 numero 91. Cæterum tam ex Milevitano concilio, quam deinde ex urbe Carthaginensi Augustinus cum suis collegis rescripsit eadem de re ad eumdem Innocentium epist. XCII et XCV, et exstat ad utramque responsum Innocentii epist. XCIII et XCVI. Augustinus lib. I contra Julianum cap. 2, simpliciter ait, Innocentium Africanis respondisse conciliis, quod antiquitus apostolica sedes et Romana Ecclesia cum cæteris tenet.

Digitized by Google

Porro cum Patres concili Carthaginensis in sua ad Innocentium epistola narrent, ferme ante quinquennium fuisse in Ecclesia Carthaginensi agitatam causam Cœlestii, apparet non modo Pelagianam hæresim publicatam fuisse citius quam Prosper annotet, sed et damnatam ibi esse, quo tempore Donatistarum causa eodem in loco agitabatur, tametsi Augustinus in Donatistis refellendis tunc occupatus, Pelagianos nondum aggressus esset. Sane lib. II Retract., cap. 33, significans Cœlestium Pelagii discipulum fuisse ibi damnatum ante suum magistrum; *Cœlestius*, inquit, *discipulus ejus jam propter tales dissensiones apud Carthaginem in episcopali judicio, ubi ego non interfui, excommunicationem meruerat.*

Patres Milevitani concilii (inter quos Sylvanus primo loco, Augustinus octavo numeratur) in sua ad Innocentium epistola aiunt sese ad eum de concilio Numidiæ scribere de Actis contra Pelagium, imitantes Carthaginensis Ecclesiæ provinciæque coepiscopos. Ergo jam editum erat decretum concilii illius Carthaginensis contra Pelagianam hæresim. Responsum autem Innocentii pontif. ad Patres Milevitanos datum esse dicitur VI kalend. Februar., Honorio et Constantio coss. Ego puto legendum, *Constante et Constantio coss.*, sicuti et in codice hi consules conjunguntur. Fuit quidem hic Constantius II cos. cum Honorio Imp. Sed tunc Innocentius erat mortuus, ut ex Chronico Prosperi apparet. Cæterum Constantem et Constantium coss. fuisse anno 416 indicat idem Prosper: ut si eo anno responderit Innocentius Milevitanis Patribus, necesse sit concilium Carthaginense contra Pelagianos inchoatum esse statim post Collationem contra Donatistas. Porro Augustinus in epist. XLVII, loquens de damnatione hæreseos Pelagianæ, ait non modo de concilio Carthaginis provinciæ et Numidiæ scriptum ad Innocentium papam fuisse, sed et aliquanto diligentius a quinque episcopis. Hi fuerunt Aurelius, Alypius, Augustinus, Evodius, et Possidius, qui etiam (excepto Evodio), ut cum Donatistis in Collatione committerentur, selecti fuerant. Est autem memorabile, quod Augustinus in epist. CX narrat, duobus conciliis Numidiæ et Carthaginis, curam scripturarum sibi ab episcopis impositam esse. Unde conjicere licet, quanti tum fieret hic antistes: et tamen superavit exspectationem. Verum illud modo dico, Aurelium Carthaginensis concilii, cui præfuerat, Augustinum Milevitani, cui interfuerat, sententiam contulisse, et tribus aliis adjunctis eamdem rursus causam egisse, ex urbeque Carthaginensi ad Innocentium diligentius scripsisse. Est epist. XCV, cujus principium est: *De conciliis duobus provinciæ Carthaginensis et Numidiæ ad tuam Sanctitatem a non parvo episcoporum numero subscriptas litteras misimus.* Nempe eas miserat Aurelius ex Carthaginensi, Augustinus vero ex Milevitana synodo.

Postea mortuo jam Innocentio videntur plures, Suam antea, Carthaginem rursus convenisse episcopi, qui eamdem causam discuterent. Augustinus, ut prius concilium Carthaginense vocat concilium provinciæ Carthaginis, sic istud alterum, quod ad Zosimum Innocentii successorem scripsisse narrat, vocat concilium Africanum, in epistola XLVII. Sed ejusdem concilii quamdam fuisse, ut vocat, continuationem, pluribus ex Africa concurrentibus, et iis, qui antea Milevitano interfuerant, cum iis qui Carthaginenses, convenientibus, merito aliquis dixerit. Sicuti et rursus quoddam posterius plenarium concilium totius Africæ eamdem ob causam convenisse Augustinus significat in epistola XLVII. Neque dissimilis quædam fuit Constantinopolitani concilii, quod fuisse secundum universale aiunt, conditio, cum Patres modo dimitterentur, modo revocarentur. Cæterum cum historici ista confuse narrant, neque quicquam distinguunt, multa imperite miscent quæ discernenda sunt, et credulum lectorem sæpe fallunt.

Prosper annotat concilium Carthaginense ad Zosimum scripsisse Honorio XII et Theodosio VIII coss. anno Christi 420. Acta indicant, iis coss. in eo concilio pronuntiatum fuisse contra Pelagianam hæresim, et Augustinum interfuisse significant. Cæterum ipse Augustinus narrat sese iisdem coss. XII kalend. Octobris Cæsareæ in Mauritania congressum esse cum Emerito Donatista, et Carthaginensis cum Donatistis Collationis judicium defendisse. Adeo nihil non et faciebat et præstabat optimus antistes, de Ecclesiæ salute sollicitus.

Porro ad Zosimum ex Africano concilio scriptum, et a Zosimo rescriptum ad universos totius orbis episcopos fuisse ait August. epistola XLVII. Sed ejus scripti rescriptive nihil extat. Addit Augustinus: *Et quod posteriori concilio plenario totius Africæ contra errorem Pelagii breviter constituimus.* Sed nihil præterea de eo plenario concilio, cui se magis interfuisse significat, quod dicam habeo, nisi quod ea quæ circumferuntur Acta concilii Carthaginensis, ut Pelagii non meminerunt, sic indicant postremo agitatam fuisse aliam, cujus apud Augustinum nulla est mentio, causam Apiarii presbyteri, et in ea quæstionem de jure provocationis adversus legatos Zosimi, scriptumque ea de re fuisse ad Bonifacium Zosimi successorem, et denique ad Cœlestium Bonifacii successorem: ut si ita sit, neccesse sit hoc concilium multis annis durasse. Sed vereor ne multa et confuse et falso jactentur ea de re. Non inficior quæstionem ejus generis aliquam agitatam esse: sed fideliter et simpliciter recitanda esset, non autem contumeliosis additionibus contaminanda. Bonus Beza jubet nos de ea judicare ex Græco, potius quam ex Latino textu. Sed an existimat Acta Africana Græce potius quam Latine scripta primum fuisse? Recte sane Africani Patres de Nicænis canonibus judicandum esse putarunt ex archetypis et authenticis libris Græce scriptis. Sed eadem ratione dicam de Africanis canonibus judicandum esse ex archetypis Latine scriptis. Non minus ineptum est,

Google

quod idem Beza in eadem sua confessione, hoc concilium Carthaginense, in quo illam quæstionem falsi judicatam esse stomachose narrat, vocat tertium: et paulo post sui immemor vocat sextum, et posteaquam Bonifacium pro Zosimo impotenter accusavit, exclamat decretum in hoc concilio Carthaginensi fuisse, ut qui Romam provocaret, abdicaret, sive (ut ait) deponeretur. Sed unde hausit hoc decretum? Nam ne ea quidem, quæ laudat, Acta ejus meminerunt: Nempe abs suo magistro, qui eadem in hoc genere temeritate fingit Zosimum, et ejus successores voluisse, ut quod in Milevitano concilio decretum fuisse ait, abrogaretur in Carthaginensi. Atqui Veteres non narrant in Milevitano aliquid **368** decretum esse contra voluntatem Romani antistitis. Imo Innocentius, ejus concilii Acta contra Pelagianos, quæ ad eum missa sunt, vehementer laudat. Et paulo post Augustinus, epist. xcv, cum ad eum scriberet ex sententia suorum collegarum de Pelagiana hæresi jam damnata in conciliis duobus, Carthaginensi et Milevitano, petit nihilominus, ut in urbem Romam Pelagius citatus trahatur. *A tua*, inquit, *veneratione acciendus est Romam, et diligenter interrogandus.*

Sed quid dubitaverit Beza affirmare, cum etiam in eodem suo libello docuerit concilium Milevitanum, ante mille ducentos annos habitum esse, hoc est, ante tempora Augustini? et ex sui præceptoris dictatis repetat concilium Aquileiense, cui præfuit Ambrosius, fuisse universale? Quid dici posset impudentius? Illud postremo dicam de concilio Carthaginensi sive Africano: in ejus canonibus aliquid inveniri quod ad Donatistas pertineat. Quicquid tamen illud sit, mancum, et mutilum et confusum esse, dependere ex præjudicio Collationis Carthaginensis.

Jam vero velim, ut cum Carthaginensi Collatione Catholicorum quæ habita est cum Donatistis, conferatur altera, quæ fuit Arianorum cum Catholicis, annis circiter LXX post superiorem, indicta ab Hunerico Vandalo, non minus crudeli tyranno, quam furioso Ariano, ut eam describit Victor Uticensis, lib. II et III. Sic enim etiam intelligetur discrimen, quod hic observari utile est. Ac principio quidem, edictum illius Hunerici evocantis Catholicos, quos vocat Homusianos speciose compositum est non minus quam fuerat ipsius Honorii imp. vel Marcellini Donatistas evocantis. Eugenius episcopus Carthaginensis audiens mandata Hunerici, respondet tam A suo quam suorum in Africa Catholicorum nomine, sese minime recusare refugereve Collationem, quam imperabat Hunericus: sed petere, ut etiam vocentur transmarini Catholici: quia sine iis non possit agere communem causam, præsertim talem tantamque. Id autem obtendebat, ut cum transmarini adessent, in quos sævire non auderet Hunericus, ne imperatorem eorum offenderet, tanto liberior esset disputatio. Alioqui nefas non fuisse provinciales coire conventus ad disputandum, Victor ipse fatetur. Et vero Eugenius cum suis ad diem venit, ut cum Arianis conferret, sicuti Hunericus mandarat. Cæterum cum tyrannus in suo edicto pollicitus Catholicis esset omnia tuta, fidem statim infregit, et iis, qui venerant, manum injicit: sævit in doctissimos, B eosque etiam necat. En quale fuerit principium illius Collationis. Qui tamen superstites erant, non diffugiunt, imo ut disputatio sine tumultu transigeretur, eligunt ex suo ordine quosdam, qui pro omnibus loquantur: sicuti in altera Carthaginensi Collatione factum fuerat. Cæterum cum Ariani æquo jure se ad disputationem comparare deberent, volunt, ut eorum nescio quis patriarcha Cyrillus, sit judex: et eum magno satellitio armatum collocant in alto suggestu. Catholici conqueruntur de tali forma iniquissimi judicii: sed frustra. Imo accusantur, quid se vocent Catholicos, et magnis adversariorum clamoribus prope obruuntur. Tum vero nostri, iis ultro largiuntur, ut Catholicorum nomen veluti suspendatur, donec quæstio definita sit: et ut ad rem C veniant, edunt scriptam suæ fidei confessionem, quam tueri instituunt. Quid Ariani? Cum vicissim suam edere deberent, tantum clamant nostros esse seditiosos, et inflammant suum Hunericum. Hic statim contra nostros edicit, quod christiani imperatores in Donatistas edixerant. En qualis catastrophe illius Collationis fuerit. Sed legatur historia tota apud Victorem Uticensem, et ex eo cognoscatur, qualis tunc esset status Ecclesiæ Carthaginensis. Nulla tunc mentio Donatistarum. Nam hi in Africa Arianis cessisse videntur. Neque tamen alioqui desierant. Nam et Gregorii pont. temporibus multos passim fuisse, ex ejus epistolis apparet. Libera tandem fuit Ecclesia Africana, et pulsis Vandalis restituta suæ libertati imperioque Rom., et licet tempora valde barbara atque tenebricosa essent, tamen non D desiit cogere pias synodos, religionis tuendæ causa, ut apparet ex Carthaginensibus conciliis contra Monothelitas.

NOMINA EPISCOPORUM
QUÆ RECITATA SUNT IN COLLATIONE.

N. B. *In hoc Catalogo ad numeros crassioribus characteribus in nostra editione expressos lector remittitur.*

EPISCOPI CATHOLICI.

Adeodatus Bazaritanus. 267
Adeodatus Belatinensis. 263
Adeodatus Bencennencis. 265
Adeodatus Satafensis. 266 et 267
Adeodatus Simidicensis. 274
Æmilianus Aggeritanus. 264
Æmilianus Bennefensis. 270
Æneas Turbunicensis. 289
Alypius Tagastensis. 228, 229, 274
Ambibius Pisitensis. 269
Ampelius Vagensis. 289
Annibonius Abbiritanus. *Ibid.*
Antonius Carpitanus. 263
Antonius Mutugennensis. 269
Apronianus Mazacensis. 288
Aptus Tigiensis. 261
Argyrius Sitipensis. 289
Asmunius Tigualensis. 263
Aspidius Tacaratensis 262
Assellicus Tusuritanus. 261, 288
Asterius Vicensis. 276, 289

Digitized by Google

Ausidius Tigaicensis. 269
Augendus Villemagnensis. *Ibid.*
Augustinus Hipponensium-regiorum. 228, 229, 274
Aurelius Carthaginensis. 228, 229, 260
Aurelius Magomazensis. *Ibid.*
Aurelius Numnulitanus. 264
Auxilius Nurconensis. 274
Avitus Lamasuensis. 267
Barbarianus Creperulensis. 270
Barbarus Hierpinianensis. *Ibid.*
Basilius Altiburitanus. 266
Benenatus Hospitensis. 270
Benenatus Simittensis. 263
Bonifacius Cataquensis. 228, 275
Bonifacius Cenensis. 267
Bonifacius Vallitanus. 273
Candorius Mullitanus. 268
Cassianus Bamaccorensis. 266, 280
Catulinus Citensis. 272
Cericius Uculensis. 266
Crescentianus Arenensis. *Ibid.*
Cresconius Centenariensis. 271
Cresconius Cuiculitanus. 261
Cresconius Rusucensis. 269
Cresconius Temonianensis. 264
Cresconius Tittulitanus. *Ibid.*
Cresconius Tubiniensis. 264
Cresconius Zaraitensis. 266
Crispulus Volitensis. 267
Cultasius Mataritanus. 272
Cyprianus Tuburbitanorum-majorum. 274
Datianus Legensis. 262
Delphinus 289
Deuterius Cæsariensis. 228, 275
Dialogus Zamensis. 262
Dominicus Bullensium-regiorum. 273
Donatianus Montenus. 262
Donatianus Teleptensis. 261
Donatianus Zellensis. 274
Donatus Amburensis. 261
Donatus Buritanus. 268
Donatus Saïensis. 265
Donatus Tisilitanus. 262
Dulcitius Tacapitanus. 272
Evangelus Assuritanus. 261
Eunomius Marazanensis. 270
Faustinianus Rusiccadensis. 289
Faustinianus Tamogadensis. 267
Faustinus Sillitanus. 265
Felicianus Cufrutensis. 267
Felicianus Feraditan. minor. 271
Felix Abbirit. major. 268
Felix Aptugnitanus. 265
Felix Caniopitanorum. 270
Felix Ficensis. 288, 289
Felix Izirianensis. 271
Felix Macrianensis. 289
Felix Novensis. *Ibid.*
Felix Segermitensis. 263
Felix Serteitanus. 289
Felix Tubiensis. 268
Felix Villaregensis. 266
Felix Visicensis. 263
Ferox Macrianensis major. *Ibid.*
Fidentius Cefalensis. 269
Florentius Hipponensium Diarrhyto-rum. 228, 275
Fortunatianus Neapolitanus. 263
Fortunatianus Siccensis. 228, 229, 275
Fortunatus Abensensis. 269
Fortunatus Capsensis. 264
Fortunatus Casensis Calanensis. 272
Fortunatus Constantiniensis. 228, 229, 274, 275
Fortunatus Rusuccuritanus. 273
Fortunatus Undesitanus. 265
Fructuosus Abziritanus. 266
Fusciuullus Eliensis. 263
Gallus Ticensis. 262
Gennadius Membressitanus. 271
Germanus Gypsariensis. 267
Geta Jubaltianensis. 265
Gorgonius Liberaliensis. 272
Gratianus Metensis. 264
Gregorius Tamallensis. 267
Gududus Ancusensis. 265
Helpidius Aquensis. 273
Hilarianus Hiltensis. 272
Hilarus Bofetanus. 261
Honoratus Matharensis. 261
Honoratus Abiddensis, 265
Honorius Cellensis. 263
Innocentius Germaniensis. 261
Innocentius Lamiggigensis. 268
Isaac Utinensis. 268
Januarius Aptucensis. 266
Januarius a Casis Medianensibus. 274
Januarius Cenculianensis. 265
Januarius Gisipensium majorum. 272
Januarius Tubulbacensis. 264
Januarius Tunusudensis. 261
Joannes Gummitanus. 289
Jocundus Sufetulensis. 264
Julianus Taffaltensis. 266, 267
Lampadius Tiseditanus. 274
Laodicius Clypiensis. 268
Latonius Tenitanus. 261
Leo Moptensis. 228, 276, 289
Leontius Musertitanus. 270
Licentius Zattarensis. 266
Limenianus Taprurensis. 274
Litorius Suavensis. 270
Lucianus Guirensis. 261
Lucianus Tuneiensis. 265
Lucidus Marcellianensis et Bazitensis. 269
Lucius Olivensis. 289
Lucius Tagaratensis. 267
Lucrus Nigrensium majorum. 269
Majorinus Zemtensis. 269
Maius Amudarsensis. 264
Malcus Masculitanus. 266
Murcianus Idicrensis. 267
Marianus Rufinianensis. 266
Marianus Utzipparensis. 267
Marinus Taborensis. 260
Maurentius Tuburzicensis. 228, 275
Maximianus Aquensium-regiorum. 263
Maximianus Turensis. 262
Maximianus Zugabbaritanus. 273
Maximinus Enerensis. 271
Maximinus Suffetanus. 288
Mensurius Medefessitanus. 274
Milicus Tagamutensis. 264
Montanus Augustanus. *Ibid.*
Nados Sabratensis. 271
Navigius Thusdritanus. 262
Niventius Tunugabensis. 267
Novatus Sitifensis. 228, 275
Numidius Maxulitanus. 260
Octavianus Ressianensis. 263
Octavianus Uci majoris. 272
Octavius Utimmensis. 271
Optatus Vesceritanus. 261
Palatinus Bosetensis. 264
Pannonius Puppitanus. 263
Pascasius Anguiensis *Ibid.*
Pascasius Tijucensis. 265
Paulinus Zurensis. 269
Paulus Uzittarensis. 266
Philolocius Adrumetinus. 263
Placentius Madaurencis. *Ibid.*
Pompeianus Sucardensis. 273
Possidius Calamensis. 228, 229, 275
Postumianus Tagorensis. 270
Potentinus Bladiensis. 262
Primulus Tamagristensis. 266
Primulus Vagensis. 278, 289
Priscus Quidiensis. 228, 275
Privatianus Vegeselitanus. 270
Privatus Usilensis. 264
Probantius Trosnianensis. 272
Proculus Giutsitanus. 274
Proculus Serreusis. 273
Publianus Bazaridiacensis. 266
Publicius Gratianopolitanus. *Ibid.*
Quadratus Gegittensis. 267
Quodvultdeus Centuriensis. 264
Quodvultdeus Girbitanus. *Ibid.*
Reginus Tigillabensis. 271, 289
Reginus Vegeselitanus. 273
Reparatus Sufasaritanus. 273, 280
Restitutianus Sululitanus. 273
Restitutus Cencaritensis. 271
Restitutus Muzucensis. 269
Restitutus Novasinnensis. 261
Restitutus Simingitensis. 271
Restitutus Tagorensis. 228, 276
Rogatianus Tigimmensis. 269
Rogatus Gaguaritanus. 267
Romanus Leptiminensis. 262
Romanus Meglapolitanus. 271
Rufinianus Bonustensis. 268
Ruffinianus Muzuensis. 265
Rufinus Drusilianensis. 262
Rusticianus Tabracensis. 263
Sabinus Tuccensis. 267
Sabratius Turretamallumensis. 265
Safargius Lampuensis. 272
Scillacius Scillitanus. 228, 275
Secundianus Hermianensis. 270
Secundus Magarmelitanus. 263
Secundus Ruspitensis. 261
Serenianus Miditensis. 228, 275
Serotinus Turuzitanus. 269
Servus Dei Tibursicuburensis. 262
Severianus Ceramunensis. 272
Severus Utimari. 265
Severus Milevitanus. 289
Sextilius Assabensis. 267
Silvanus Carianensis. 264
Silvanus Macrianensis. 270
Silvanus Perdicensis. 262
Silvanus Summensis sive Zummensis. 206
Solemnius Tigisitanus. 274
Sopater Tambaïensis. 266
Speratus Ammederensis. 264
Squillacius, *vide* Scillacius.
Stephanus Simnuaritanus. 269
Terentius Seleucianensis. 262, 285
Tertiolus Cillitanus. 266
Tertullianus Hirenensis, 289
Theasius Memblositanus. 272
Thomas Cubdensis. 269
Timianus Utmensis. 265
Trifolius Aborensis. 269
Tutus Melzitanus. 261
Urbanus Theodalensis. 265
Urbicosus Eguilguilitanus. 262
Urbicus Tevestinus. *Ibid.*
Valentinus Vaianensis. 260, 270
Valerius Utinicensis. 265
Venustus Turudensis. *Ibid.*
Victor Abitinensis. 289
Victor Azurensis. 280, 288
Victor Bahannensis. 264
Victor Bartanensis. *Ibid.*
Victor Bartimisiensis. 273
Victor Cullitanus. 264
Victor Jufitensis. 265
Victor Libertinensis 261
Victor Mallanensis. 275
Victor Mamilleusis. *Ibid.*
Victor Migirpensis. 265
Victor Tabaïcariensis. 273
Victor Tibaritanus. 271
Victor Triniciensis. 275
Victor Trisipensis. 265
Victor Tuburbitanorum minorum. 268
Victor Vinensis. 266
Victor Uticensis. *Ibid.*
Victor Uvazensis. 264
Victorianus Mustitanus. 262
Victorinus Tabudensis. 271
Victorius Larensis. 267
Villaticus Sinnipsensis. 272
Vincentius Colusitanus. 228, 229, 274
Vincentianus Feraditens. major. 265

Omnes sunt 265.

Verum ex Collatione diei 1, cap. 214 et 215, *et ex Augustino in Breviculo intelliguntur adfuisse episcopi Catholici* 286. *Exciderunt ergo nomina episcoporum* 21. *Ex iis tres deprehendisse sibi visus est Baluzius*, Maximianum Bagaiensem, Maximianum Siuitensem et Evodium Uzalensem.

Digitized by Google

EPISCOPI DONATISTÆ.

Adeodatus Milevitanus. 228
Æmilianus a Casis Medianensibus. 274, 283
Æmilianus Verronensis. 282
Ampelius Neapolitanus. 263, 285
Antonianus Druensis. 281
Antonianus Lamsortensis. 276
Aptus Tusuritanus. 228, 261, 280
Argutus Tabudensis. 271, 284
Augustalis Altiberitanus. 267, 282
Bebianus Dusensis. 282
Bellicius Teleptensis. 261, 282
Benenatus Casen. Bastalen. 280
Benenatus a Casis-Silvanæ. 282
Benenatus Mesarfeltensis. *Ibid.*
Bonifacius Urugitanus. 280
Bonifacius Utimmensis. 271, 282
Burcaton Gemellensis. 286
Calipodius Bazaritanus. *Non interfuit.* 267, 280
Campanus Cincaritensis. 271, 280
Candorius Aggeritanus. 264, 276
Cartherus Lampuensis. *Non interfuit.* 272
Castus Cellensis. 280
Celer Capsensis. 264, 286
Clarentius Tabracensis. 228, 263, 280
Colonicus Tinistensis. 278
Comparator Mactaritanus. 285
Constantius Rusubiccariensis. 282
Crescens Icositanus. 281
Crescentianus Ammederensis. 264, 287
Crescentilionus Lambiritensis. 286
Cresconius Advocatensis. 285
Cresconius Aquensis. 283
Cresconius Ausugabrensis. 284
Cresconius Baiestianus. *Ibid.*
Cresconius Banzarensis. 285
Cresconius Cæsarianensis. 280
Cresconius Centuriensis. 264
Cresconius a Cibaliana. 287
Cresconius ab Horrea Aninicensi. 285
Cresconius Legensis. 289
Cresconius Musertitanus. 270, 286
Cresconius Pudentianensis. 284
Cresconius Siguitensis. 281, 288
Cresconius Silemsilensis. 285
Cresconius Sinitensis. *Ibid.*
Cresconius Undesitanus. 265
Crispinus Calamensis. *Non interfuit.* 275
Cyprianus a Siccenni. *Non interfuit.* 269
Datianus Tamiceusis. 277
Datianus Teleptensis. 287
Dativus Novapetrensis. 280
Dativus Visensis. 281
Deuterius Gratianopolitanus. 273
Donatianus Bagaiensis. 278
Donatianus Capsensis. 288
Donatianus Carcabianensis. 284
Donatianus Lamzellensis. 286
Donatus Ancusensis. 265, 288
Donatus Apissanensis. 279
Donatus Arensis. 285, 284
Donatus Auzagerensis. 287
Donatus Bamaccorensis. 266, 280
Donatus Botrianensis. 276, 277
Donatus Bucconiensis. 282
Donatus Buzensis. 287
Donatus Celerinensis. 278
Donatus Cresimensis. 280
Donatus Cillitanus. 266, 270, 285
Donatus Madaurensis. 263
Donatus a Medianis Zabuniorum. 285
Donatus Merferebitanus. 279
Donatus Scillitanus. 275, 285
Donatus Sucardensis. *Non interfuit.* 283, 288
Donatus Tamascaninensis. 282
Donatus Tanudaiensis. 281
Donatus Tegulatensis. 282
Donatus Tigillavensis. *Non interfuit.* 271
Donatus Tiseditanus. 274, 283
Donatus Tubursicensis. 286
Donatus Tubursicuburensis. 262
Donatus Turensis. *Non interfuit.* *Ibid.*
Donatus a Turre Rotunda. 287
Donatus Vageatensis. 270
Donatus Zicensis. 282
Emeritus Cæsariensis. 228, 229, 276
Evasius Girbitanus. 265, 283
Faustinus Naraggaritanus. 287
Faustinus Nationensis. 288
Faustinus Tambaiensis. 265, 283, 288
Felicianus Aquenovensis. 282
Felicianus Mustitanus. *Non interfuit.* 265
Felicianus Trisipensis. 265
Felicianus Viltensis. 287
Felicianus Utinensis. 268, 280
Felicissimus Obbensis. 281
Felix Boncarensis. 287
Felix Bosetensis. 264
Felix Bullensium-regiorum. 275, 287
Felix Garbensis. *Non interfuit.* 288
Felix Lambiensis. *Non interfuit.* 285
Felix Magarmelitanus. 265, 282
Felix Manazensis. 284
Felix Maxulitanus. 260, 280
Felix Moptensis. 276, 278
Felix Novasinuensis. 261, 279, 288
Felix Pisitensis. *Non interfuit.* 269
Felix Putiensis. 285
Felix Romanus. 276, 277
Felix Tacapitanas. *Non interfuit.* 272
Felix Tagaraiensis. 284
Felix Telensis. 287
Felix Utmensis. *Non interfuit.* 263
Felix Uzalensis. 285
Felix Zummensis. *Non interfuit.* 260, 285
Fidentinus Gypsariensis. 267
Fidentius Cesalensis. *Non interfuit.* 269
Fidentius Cullitanus. 264, 284
Fidentius Dianensis. 282
Flavianus Pauzarensis. 280, 285
Flavosus Cissitanus. 288
Florentinus a Tubusubtu. 280
Florentinus Furnitanus. 283
Florianus Putiziensis. 276, 277
Fortis Cediensis. 277
Fortunatianus Metensis. 264, 279
Fortunatianus Senemsalensis. 284
Fortunatianus Vensanensis. 285
Fortunatus Vesceritanus. 261, 279
Gaianus Tigualensis. 263, 279
Gaudentius Nigizubitanus. 285
Gaudentius Tamogadensis. 228, 229, 267
Gaudentius Tigisitanus. *Non interfuit.* 288
Gaudentius Zertensis. 280
Gavinus Vegeselitanus. 273, 279
Gedudus Uticensis. 266, 279
Geminius Clypiensis. 268, 282
Germanus Zugabbaritanus. 273, 279
Gloriosus Migirpensis. 265, 282
Habetdeus Aurusulianensis. 228, 286
Habetdeus Marazanensis. 270
Hilarus Sullitanus. 284
Honoratus Adquesirensis. 280
Honoratus Jommitensis. 287
Honoratus Larensis. 267, 281
Honoratus Thusdritanus. 262, 286
Honorius Vartanensis. 264, 281
Idaxius Muzucensis. 269, 285
Innocentius Guzabetensis. 283
Januarianus Casensium-Nigrensium. 276, 277
Januarianus Vagensis. 278
Januarius Aptucensis. 284
Januarius Aquæalbensis. 281
Januarius Betagbaritanus. 286
Januarius Centurionensis. 285
Januarius Horreæ-Cæliensis. 284
Januarius Lamasbensis. 267, 279
Januarius Libertinensis. 261
Januarius Narensis. 286
Januarius Numidiensis. 280
Januarius Tubursicensis. 275, 283
Januarius de Tubursico Numidiarum. 283
Julianus Midlensis. *Non interfuit.* 281
Julianus Tignicensis. 269, 287
Julianus Lamiggigensis. 268, 282
Junior Rusiccadiensis. 282
Jurata Turretamallumensis. 265, 287
Justus Formensis. *Non interfuit.* 288
Justus Nicibensis. 284
Leontius Præsidiensis. 287
Leontius Rusticianensis. 285
Liberalis Milidiensis. 287
Liberalis Nasalensis. 279
Liberantius Tisanianensis. 284
Lucianus Burugiatensis. 285
Lucius Tamallensis. 267, 287
Lucius Zabensis. 282
Luculus Hospitensis. 270, 283
Manilius Bazienus pro episcopo suo. 279
Macrobius Hipponensium-regiorum. 283
Marcellinus Mullitanus. 282, 285
Marcianus Eminentianensis. *Non interfuit.* 288
Marcianus Assabensis. 267, 282
Marcianus Cebarsussensis. 288
Marcianus Sitifensis. 275, 280
Marcianus Tabaicariensis. 273
Marcianus Tabazagensis. 281
Marcus Midicensis. 280
Marinianus Oecensis. 228, 284
Martialis Idicrensis. 267, 279, 288
Martialis Vatarbensis. 282
Martinianus Tibuzabetensis. 279
Martinus Siccesitanus. 281
Maximianus Bennefensis. *Non interfuit.* 283
Maximianus Hermianensis. 270, 279
Maximianus Serteitensis. 278
Maximinus. 280
Maximinus Tuburbitanorum minorum. 269, 285
Maximinus Turreblandensis. 288
Maximinus Uzabirensis. 285
Maximus Abitinensis. 284
Maximus Canianensis. 285
Maximus Macrensis. *Ibid.*
Megazius Tucaborensis. 287
Mescianus Seleucianensis. 262, 285
Miggin Edistianensis. 282
Miggin Vagalitanus. 288
Mœcopius Hierpinianensis. *Mortem obieral.* 270
Montanus a Cemeriniano. 284
Montanus Zamensis. 262
Natalicus Zellensis. 274, 277
Nestorius Malianensis. 273, 288
Optatus Rusuccurritanus. 273, 278
Optatus Timicitensis. 273, 281
Pancratius Badiensis. 278
Paschasius Dusitensis. 281
Paschasius Tigisitanus. 274
Paschasius Tuggensis. 280
Paschasius Turensis. 281
Paulus Siccensis. 282
Pelagius Vanarionensis. 279
Peregrinus Sufetanus. 228, 279
Perseverantius Tevestinus. 262, 278
Petilianus Constantiniensis. 228, 229, 275
Plutianus Masclianensis. 287
Pomponius Macrianensis majoris. 263, 274
Possidonius Sillitanus. 265, 281
Primianus Carthaginensis. 228, 229, 276, 277
Primulianus Lucimagnensis. 283
Primulianus Mandasumitanus. 279
Privatus Auzagensis. 278
Privatus Tigualensis. *Non interfuit.* 263
Proficentius Macomazensis. 281
Protasius Tubiniensis. 228, 229, 261
Quadratianus Sicilibbensis. 282
Quintasius Vaianensis. 279
Quintianus a Lacu-dulce. *Non interfuit.* 279
Quintus Tagaratensis. 267, 287
Quodvultdeus Cessitanus. *Non interfuit.* 286

Digitized by Google

Quodvultdeus Nebbitanus. 281, 282
Quodvultdeus Volitanus. 287
Recargentius Lamiggigensis. 280
Reparatus Aquensis. 273, 281
Reparatus Vindensis. 287
Restitutus Drusilianensis. 262, 280
Restitutus Flumenpiscensis. *Forte idem qui pag.* 269, *not.* 175. 285
Restitutus Laritensis. *Forte idem qui, p.* 269, *not.* 175. 285
Restitutus Membressitanus. 271, 283
Restitutus Segermitensis. 263, 283
Restitutus Vallitanus. *Non interfuit.* 274
Rogatianus Idassensis. 279
Rogatianus Vico-Ateriensis. 282
Rogatianus Villemagnensis. 279
Rogatus Perdicensis. 262, 279
Rogatus Zaraitensis. 266, 283
Romanus Lesvitensis. 283
Rufinus Labdensis. 282
Rufinus Tuburbitanorum majorum. 274, 284
Rusticianus Mataritanus. *Diem obierat.* 272
Salvianus Leptitanus. 287
Salustius Magomaziensis. 260, 261
Salustius Zertensis. 288
Sarmentius Ternamusensis. 278
Saturninus Gazabianensis. 284
Saturninus Tamagristensis. 266, 282
Saturninus Victorianensis. 284
Saturnus Sitensis. 282
Saturus Bizaciensis. 283
Saturus Izirianensis. 271
Secundinus Jucundianensis. 279
Secundinus Uvazensis. 264, 282
Secundus Arensis. 287
Securus Tenitensis. 261, 283
Serenianus Mammillensis. 275, 287
Servandus a Casis-Favensibus. 285
Servatus Amburensis. 261, 282
Severinus Castellanus. 274, 278
Simplicius Tibilitanus. 282
Speratus Cataquensis. 275, 283
Splendonius Mutugennensis. 269, 270, 287
Tertullus Cilibiensis. 285
Titianus Sufetulensis. 264, 287
Turrasius Fissanensis. 285
Urbanus Satafensis. 267, 279
Urbanus Talensis. 285
Urbanus Vicensis. 276, 285
Valentinianus Juncensis. 280
Veratianus Capitanus. 228, 263, 289
Verianus Turrealbensis. 282
Verissimus Tacaratensis. 262, 282
Victor Curubitanus. 283
Victor Dionysianensis. *Non interfuit.* 282
Victor Equizetensis. 284
Victor Gatianensis. 283
Victor Gibbensis. 284
Victor Hiltensis. 272, 285
Victor Hippon. Diarrhytorum. 228, 275, 278
Victor Liberaliensis. *Non interfuit.* 272
Victor Oriensis. 281
Victor Rotariensis. 280
Victor Taborensis. 260, 263, 284
Victor Titulitanus. 264, 285
Victor Villaregensis. 266, 287
Victor Vosetanus. 285
Victorianus Abissensis. 277
Victorianus Puppitanus. 263, 280
Victorianus Tibaritanus. 271, 279
Victorianus Tigimmensis. 269, 281
Victorianus Tunusudensis. 261, 284
Victorianus Uci-majoris. *Non interfuit.* 272
Victorinianus Aquensis. 288
Victorinianus Adrumetinus. 263, 285
Victorinus Leptiminensis. 262, 279
Victorinus Selendetensis. *Non interfuit.* 287
Vindemius Cenensis. 267, 281
Vitalis Masculitanus. 266, 284
Vitalis Verensis. 287
Omnes sunt. 316.

At ex cap. 213 *Collat. diei* 1, *et ex Augustino in Breviculo constat adfuisse tantum* 279. *Itaque qui super numerum sunt non interfuere Collationi, sed data occasione nominati sunt, et ex iis quidem nonnulli jam mortem obierant.*

INDEX ANALYTICUS

OPERUM SANCTI ZENONIS.

Numerus arabicus designat paginas sermonum crassioribus characteribus in nostra editione expressas, Romanus Prolegomenorum : litteræ vero* adn. *cum subjecto numero arabico numerum adnotationum indicat.

A

Abel ideo martyr, quia justus; ideo, justus, quia patiens, a quo pati martyres didicerunt, 67.

Abraham placuit Deo credulitate sine lege, 5. Deum Deo credendo promeruit, 11, 104. Justitiam non didicit, sed genuit, 183 *et adn.* 1, 2. Justus quia fidelis, 20. Nullo jure legis tenebatur, et omne jus divinum præcipue custodivit, 177. Laudatur, 67. Gemini populi typum in semetipso portavit, ut circumcisionis nota exprimeret Judæum, credulitatis justitia Christianum, 102. In senectute suscepit filium Isaac munus fidei et credulitatis, 174, 178. Ejus constantia in filii immolatione describitur, et commendatur, 175 et seqq., 181, 185.

Abortus avaritiæ causa procuratus, 79.

Acrobustia, 102 *et adn.* 14.

Adam peccando mortis hæreditatem posteris dereliquit. 65, 102. Per Adæ peccatum hæreditaria conditione confectum uniformiter interibat omne genus humanum, 93. Nonnullorum sententia de Adæ peccato, cujus generis fuerit, CIV, 102.

Adæque. 12, *adn.* 15, 119, 208.

Administratio mundana, 128 *et adn.* 14.

Adserit pro vindicat rationibus, 18, *adn.* 59.

Adulter pro adulterino, 13, *adn.* 42, 259.

Adulteria capitalibus pœnis afficiebantur per leges Romanas, 47, *adn.* 33.

Ægyptiaci dies qui fuerint, 122, *adn.* 19. Cur sic dicti, *ibid.* Infausti habebantur, iisque diebus nulla opera incipienda Gentiles putabant, *ibid.*

Æquævus, 262.

Aeris corporea inanitas, 206, *adn.* 5. Aeris spiritus, 206. Qui ab auctore dicantur, *ibid.*, *adn.* 7.

Æstivalia pro æstiva mulierum veste, 193 *et adn.* 8. Æstiva vestis erat munda et intacta, 196.

Agapes, id est epulæ in martyrum festis olim peractæ, 121, *adn.* 18. In libidinem et ebrietatem conversæ reprehenduntur ac eliminantur, *ibid.* In hoc more tollendo S. Zeno excelluit, *ibid.*, CXXVII.

Aggressura, 129 *et adn.* 19, 189, 199.

Agina frutinæ pars, 267, *adn.* 9.

Agnus legalis typus Christi, 282, 283, 291. Agnum bifariæ naturæ Judæis sumendum esse, cur a nonnullis creditum sit, 289, *adn.* 4, 291.

Allegatæ, priusquam fundantur, acceptantur preces, 52 *et adn.* 54.

Amor, vid. *Charitas.*

Amoris impuri, seu cupidinis descriptio effectus, et quam varius, 27.

Angeli ascendentes et descendentes in scala Jacob quid significent, 190.

Anima, Dei simulacrum sensibile et intelligens, 93. Quomodo accipiendum, 93, *adn.* 12. E proprio fonte spiritus Dei, 93 *et adn.* 13. Lineamentis corporis circumsepta, 94. Principaliter in loco aliquo non continetur, sed tantum ex consortio corporis invenitur in loco, 372. Subjectum sibi corpus servilibus officiis suæ compellit implere desideria potestatis, 103. Pecuina est, si carnis curam gerit, 103. Animæ vita per baptismum comparata, 95. Animæ immortalitas demonstratur, 127 *et seqq.* Eam negare nemo audet, 127. Plato de ea præclare scripsit, 126 *et adn.* 4 *et* 5. Philosophi de anima varie dixerunt, sed tamen hanc esse immortalem fere confessi sunt, 127 *et adn.* 11. Epicurus, Dichæarchus, et Democritus contra animæ immortalitatem disseruere, *ibid. et adn.* 12. Assertum a poetis bivium animæ immortalitatem confirmat, *ibid.*, *adnot.* 13. Gentes libationibus ad mortuorum sepulcra animarum immortalitatem significabant, 127 *et adn.* 9. Justorum animas quotidie ante extremi judicii diem in cœlum receptas auctor sensit CXIX.

Annorum computatio a Christi nativitate quinquaginta fere annis olim excessisse multis exemplis probatur XLIV, XLV.

Anonymus auctor Vitæ S. Zenonis ejusque Translationis quo sæculo scripserit CLVII, de ea vita judicium, CXXII,

Digitized by Google

CLVII. Historia Translationis ex mss. suppleta editur CLVII.
Anonymus Pipinianus de Veronæ laudibus, LXVII. Coronato multo melius S. Zenonis gesta paucis descripsit, CXXVIII, ex mss. suppletus, CXXVIII; restitutus ac melius suppletus ex ms. Lobiensi CXCVIII.
Antipodæ, seu *Antichthonæ*, 203, *adn.* 6.
Apophoreta in conviviis distributa, 252.
Apostoli *cœli* vocati, 225.
Arbiter pro judice, speculatore, 40 *et adn.* 6.
Arca. In arca lignea olim Eucharistia servabatur, 113, *adn.* 18.
Arcani disciplina violata ab Arianis, 14, *adn.* 44.
S. Arcadius passus Cæsareæ Mauritaniæ, 211 *et adn.* 1. Non Gallieno imperante, *ibid.* Ejusdem Acta ex S. Zenonis tractatu concinnata, *ibid.* Sæviente persecutione delitescit, 214. Mox ultro judici se obtulit, 213. Acerbissimo supplicio torquetur, 215. Laudatur, *ibid.* et 216.
Arcatius, 252, *adn.* 12.
Arianorum errores XLVII et seqq. Dei Filium Deum verum esse non credebant, 117 *et adn.* 2. Dicebant quidem Dei Filium Deum, sed non ex Patris nobilitatis perpetuitate progenitum; fuisseque tempus quando non fuit, 163. *adn.* 5. *Blasphemabant*, *Filium non fuisse antequam nasceretur*, 149, *adn.* 8. Versuta disputatione legis fundamenta temnentes, ad communia humanitatis nomina, quæ possunt argumentis attingi, Patris et Filii festinabant, 141 *et adn.* 4. Carnalis mentis homines dicti, 141, confutantur, XLVII *et seqq.*, 142, 143 *et seqq.* Fidei formulas edebant varias et multiplices, XCVIII *et seqq.* Catholici eas detestabantur, *ibid.*, 8, 9 *et seqq.* Venales propositæ eorum fidei formulæ cur, 9, *adn.* 32. Novellæ litis favore ac labore nutritæ, 9. Semper variæ, 9, *adn.* 33. Ariani philosophia abutebantur, 70, *adn.* 2 et 3, 304. Eorum disputationes versutæ, 304, *adn.* 4. Ratiocinationibus de fide disputantes reprehensi tractatu integro, 1. Plures auro et præmiis corrupere, 9. Arianorum fides desiderabat patrocinia regum, 12, *adn.* 38, judicum et divitum, *ibid.*, *adn.* 39, aliquotiens etiam Gentium, 13, *adn.* 40. Turpis et lubrica, 13, *adn.* 41. Factionibus pollebat, 13. Adultera, *ibid.*, *adn.* 42. Publicana, 14, *adn.* 44.
Arvina pallenti, 212, *adn.* 12.
Astutus pro docto, 6.
Athenagoræ locus de æterna Filii Dei generatione a Petavii censura vindicatus, XCII.
Avaritia est inimica justitiæ, 36. Qui elaborat, ut plus habeat quam habebat, avaritiæ partes agit, 37. Inest omnibus, et ab omnibus, quasi non sit, arguitur, 37; quia communis, crimen esse desiit, 79; avaritiæ naturale est avariorem facere, 85. Ejus effectus et peccata inde profecta, 57, 79 *et seqq.*, 85 *et seqq.*, 90.
Avarus est, qui quærit quod non habet, et qui putat se non habere quod habet, 82. Avarus est, qui rerum omnium captat annonam, 83. Dolet sterilitate et fertilitate, *ibid.* Avarus non est a tyranno dissimilis, qui solus habet, quod potest prodesse commodis plurimorum, 38. Aucupatur distrahendi tempus, 83. Negat se habere, quod distrahat, ut jugulet, *ibid.* Avarorum durities in pauperes perstricta, 36, 37. Reprehenduntur avari, 78 *et seqq.* Avari aurum aut argentum celandum terræ mandabant, 86.
Auctor feminini generis, 65.
Auguria quomodo peragebantur, 122, 210. A Christiano quam aliena, 122.

B

Baiæ, 93. Quid hoc nomine vocari soleret, *ibid.*, *adn.* 25.
Balneator præcinctus, quod unctui, quod tersui opus erat, præbebat, 247.
Baptismus Spiritus sancti non signaculum, ut olim circumcisio, sed signum, 107 *et adn.* 37, ejus effectus, 245 *et seqq.*, 292. Vitam animæ comparat, 93. Desecat animi vitia et originale peccatum, 107 *et* 108 *et adn.* 38. Omnia omnino peccata diluit 235, 255, 277, 292; naufragos ad vitam suavem perducit, 112, 292; baptismate renatus desinit esse quod fuerat, incipit esse quod non erat, 197; fit Ecclesiæ filius, 198. Baptismus suscipit mortuos, et inspiratos aqua cœlesti mox efficit vivos, 233. A cunis ipsis infantiæ ad supremos exitus cujusvis ætatis salutare munus impertit, 118. Iterari non potest, 249, *adn.* 3. Baptismi typus Erythræi transitus fuit 281, *adn.* 5. In baptismate sponsiones factæ, 234 *et adn.* 16. In baptismi collatione solemnis hymnus canebatur, 243. Aqua in eodem adhibita, paschali tempore calefiebat, 246 *adn.* 3. Fluebat semper nova in fontem, *ibid.* Per immersionem usurpatum baptisma, 245, 248. Inter cæremonias baptismi Zenonis tempore denarius tradebatur 114 *et adn.* 21, 247 *et adn.* 5, duplex unctio in baptismate, 247 *adn.* 4, lotio pedum ante vel post baptismum, *ibid.* V. *Catechumeni*, *Neophyti*.
Baptismata multa apud Judæos, 295, *adn.* 3.
Baptisterium locus fere ab ecclesia separatus, 241 *adn.* 1.
Baptizati pueri, adolescentes, juvenes, senes utriusque sexus, 262. Baptizati in unum homines genere, ætate, sexu, conditione diversi, 244, 259. Et natione, 250. Charismate diverso sunt diversi, 280 *adn.* 4, baptizati cur omnes dicti infantes, 250, *adn.* 5.
Barthius Gaspar adnotationibus illustrat S. Zenonis tractatum de Resurrectione, 125, *adn.* 1. Et alium de S. Arcadio, 211, *adn.* 1, ejus castigationes in tres S. Zenonis tractatus de nativitate Christi a Daumio editæ, 163, *adn.* 1.
Beatitudo cœlestis describitur, 84.
Bergomenses ecclesiæ S. Zenoni dicatæ, CL.
Bifaria natura, 282.
Bissenus, 278.
Bivium poetarum apud inferos animæ immortalitatem indicabat, 127 *et adn.* 13.
Bona spiritus in arduo constituta, ut ad ea, nisi summa difficultate, non possit ab aliquo perveniri, 96.
Breviatum, 28 *et adn.* 55.
Brixianæ diœcesis et urbis ecclesiæ S. Zenoni dicatæ, CXLIX.
Bromosis pecudibus, 119 *et adn.* 10. *Bromosum* convivium, 290, *adn.* 6.
Bruti cordis, 294, *adn.* 2.
Bulli interpretatio de aliquot S. Zenonis testimoniis proponitur et expenditur, LXXX.
Busto fumantia membra, 61 *et adn.* 31, 212.

C

Cacabueius panis qui, 266, *adn.* 6.
Cenulentus latex, 287.
Cæsenæ S. Zenoni antiquæ ecclesiæ dicatæ, CXLVI.
Calami descriptio, 187, ex cannis flebant, 191 *et adn.* 25.
Calumnia scholaris, 71, *calumnia curiositatis*, 29.
Calumniosa quæstio, 92.
Camelarius, 252.
Camelum glutiens, culicem liquat, 79.
Cancellis altare septum Zenonis tempore, 241 *et adn.* 4.
Candidati dicti Neophyti ob candidas, quas induebant, vestes, 242, 248.
Canit Scriptura, 16, *adn.* 49.
Capitolia pro idolorum templis, 109 *et adn.* 3.
Captivi redempti, edictis feralibus liberati, conditionibus duris exsuti liberalitate Veronensium, 89. Quando, *ibid.* et LVII.
Capulus gladii unus, 186.
Carmen sacrum pro S. Scriptura, 141 *et adn.* 5. *Carmen propheticum*, 73 *et adn.* 15, 228 *et adn.* 2, 230. *Carmen* pro festiva formula, 95 *et adn.* 26.
Carnaliter, 282.
Carnatus, 159 *et adn.* 10.
Caro animo imperare non potest, 103. Est quoddam speculum intuentis plenitudine gravidatum, 139. Id est imaginem animi refert, *ibid.*, *adn.* 69. Carnale spolium, 140. Blandum animæ venenum, *ibid.* Passim sua munera impartit, maxime indignis, 97. Carnis delicta describuntur, 95. Quibus omnes invitantur, *ibid.*, cur ab his homines superentur, 96.
Caro vetus, pro homine veteri et peccatore, salutari necata baptismate, 138. Nova resurgit sacro fontis ex gurgite, *ibid.*
Carpsi ms. Ecclesiæ Veronensis testimonia laudata, CXXXII, CXXXIII, CLXI, CLXII, CLXV, 261, *adn.* 1, 273, *adn.* 1. Stephanus presbyter et cantor id opus quo sæculo exaraverit, CXXXII.
Castra metatur in templo prædestinatæ virginis, pro sibi habitationem paravit in Virginis utero Dei Filius, 169 *et adn.* 7.
Cata Joannem, 161 *et adn.* 18, *cata* Lucam, 195.
Cataclysmus, 67.
Catechumeni unde dicti, 277, *adn.* 6. Examinabantur in scrutiniis, 253, *adn.* 3. Quo tempore et quoties symbolum catechumenis ante baptisma tradebatur, 240, *adn.* 1. Catechumeni ante baptisma peccata confitebantur, 235, *adn.* 4. 256, *adn.* 6, 258. Pœnitentia iisdem imposita, 254, *adn.* 5. V. *Baptismus*.
Causa pro principium, 203, *adn.* 3.
Caveæ significatio varia, 78, *adn.* 18.
Census charitatis est totum in misericordiam habere, 29.
Census opulentissimus, 90.
Chaos in principio fuisse, id est informem indigestamque latentis naturæ congeriem, quidam tradiderunt, 144 *et adn.* 1, hi impugnantur, 145.
Charitatis laudes, 22 *et seqq.*, 28 *et seqq.*
Charitatis officia, 24, 25. Charitatis virtutum omnium divinarum substantia naturalisque magistra, 24. Unde veniat, ubinam consistat, cui vel maxime debeatur, 28. Charitatis nomen quam late ab auctore sumptum, 22, *adn.* 21. CVIII. Ejus laudes, 28, 29.

Digitized by Google

Christi nativitates duæ, spiritalis prima sine matre, sine patre secunda carnalis, 164, 169. Christus carnem sumens factus est quod non erat, nec tamen desiit esse, ante quod fuerat, 168. Dissimulata interim majestate in prædestinatæ Virginis templo sibimet castra metatur, quibus latenter infunditur in hominem gigniturus, 169. Cur latenter Virginis uterum ingressus dicatur, 169, *adn.* 8, 173, *adn.* 3, 237, *adn.* 2. Nascitur sine patre filius, non totus matris, sibi debens, quod conceptus est, donans matri, quod natus, 173 *et adn.* 6. Ideo carnem dignatus est induere, ut nemo se possit per carnem excusare, 172. Mortem gustat, ut mortem devincat, 158. Inferos penetrat, ut mortuos vivos inde reducat, 159. Purus de cœlo descendit, carnatus ascendit in cœlum, 159. Mysteria universa conficiens et concludens, iter ad cœlum omnibus se sequentibus patefecit, 192. Cur circumcisionem accepit, 106. Christi resurrectio spem vincendæ mortis attulit, et hominem ad præmia immortalitatis admisit, 94. Christus significatus per columnam viam Judæis demonstrantem, 281. Christi regnum temporale quid sit, 160. Aliud a regno æterno, 161. Christum ab utero Virginis sumpsisse principium, Deumque exinde ob Justitiam factum esse, non natum, qui hæretici asseruerint, L. 163, *adn.* 3, 158, *adn.* 3. V. *Filius Dei.*

Christianorum numerus S. Zenonis tempore, CXXV, 5, pene orbis totus erat christianus, XLVI, 55. Christiani *minime consecrati* qui, 60 *et adn.* 28. Christiani dicti *familia Domini*, 212, 213. In ecclesiis manus tendebant, cervices curvabant, se prosternebant, exomologesin faciebant, 87, *adn.* 15 et 17. Christianorum cum Gentibus nuptiæ improbantur, 58 *et seqq.* Christiani culminis fundamenta consistunt in spe, in fide et in charitate, 19. Si quid ex his Christiano defuerit, perfectionem sui operis non habebit, *ibid.* Christianis est necessaria voluntatis Dei observatio, 108. Christianus salvus esse non poterit, quamvis sit justus nisi exomologesin faciens et præsentia sua peccata extinguat, et futura repellat, 197. In baptismo renuntians sæculo, sponsione facta, spiritaliter sacris interrogationibus obligatur, 234 *et adn.*, 16. Christiani *ambiqui* inter pios et impios medii qui sunt, 222. De his erit judicium, 223. Quomodo intelligendum CXVII *et seqq.*

Circulata cicatrix, 99 *et adn.* 3.

Circumcisionis definitio, 99. Signaculum, non signum dicta circumcisio, 107 *et adn.* 37. Abrahæ non fuit necessaria, sed in designationem Judaici populi, qui carnalis futurus fuerat, procurata, 101 et *adn* 13. Cur apud Josue circumcisio secunda dicatur præcipiaturque, 105 *et adn* 30. Circumcisio prima carnalis evacuata probatur, 104 *et seqq.* Circumcisio cordis requiritur, 103. Hæc circumcisio spiritalis Christianorum est, 106. Quæ sit, 107 *et seqq.*

Clavium Ecclesiæ vis in baptismo. 256.

Cœaternitas 146, 162.

Cœlum pro globo cœlesti, 205, *adn.* 4 Cœli apostoli vocati, 225.

Columen matronatus. 50.

Combinata, 191 *et adn.* 24.

Communia omnibus timentibus Deum quatenus dictum, 37, *adn.* 25.

Communio sancta fidelium. 197.

Comœdiæ reprehensæ, 123, *adn.* 4.

Compendio pudoris, 51 *et adn.* 47.

Competentes qui, 277, *adn.* 6. Legitimo examinis numero examinabantur in scrutiniis ante baptisma. 233, *adn.* 14. V. *Catechumeni.*

Computandi modus in digitos, 83 *et adn.* 19.

Conata succedant, 43, *adn.* 18.

Conciliabulum est parietum contextio, 110, *adn.* 6.

Conclamatum cadaver quid, 153, *adn.* 36.

Concubinas habere licitum Gentibus putabatur, 47, *adn.* 33 *et* 34.

Conditionibus duris, 89 *et adn.* 23, 162, *adn* 23, 284.

Confessio peccatorum baptismati præmissa, 253, *adn.* 4, 256 *et adn.* 6, 258.

Confirmationis sacramentum secunda feria Paschæ in Veronensi Ecclesia medio ævo administratum, 261, *adn.* 1.

Conscientiæ timor de reatu deterior est aliis timoribus, quia non deletur, 75.

Consecrati pro baptizati, 60 *et adn.* 28.

Constitutionis nostræ libri, pro, *tractatus nostri de fide*, 11.

Continere imperata, 65.

Contumelia pro damno, 64 *et adn.* 12.

Conventus fratrum qui, 257, *adn.* 1.

Coronatus notarius quo sæculo scripserit vitam S. Zenonis, LXX, CLV. Vita ab eo conscripta, CLXIII. Quo ex fonte deducta fuerit, CXXI, CXXVIII, CLV. Ad examen revocatur, LXIX, CXXVIII, CXXXIX *et adn. a pag.* CLXIII *ad pag.* CLXVIII; fabulosum est quod tradit Gallieni imperatoris filiam a S. Zenone sanatam, LXX; unde hunc errorem duxerit Coronatus, LXX.

Corpus. V. *Caro.*

Corrigit pro dirigit, 76 *et adn.* 12.

Credulitas pro fide, 5, *adn.* 6, *pag.* 6, 11, 102, 104, 115, 175, 196 *et adn.* 4.

Credulus, 208 *et adn.* 15.

Cremiale oleum, 265 *adn.* 4.

Criminator diabolus, 93.

Criticorum difficultates de S. Zenonis sermonibus recensentur XXXIII; diluuntur, XXXVII *et seqq.*

Crux in modum Tau litteræ prominens lignum, quod ab hostili impetu defendit, 113, *adn.* 17. Sine crucis dominicæ signo vivere immortalitatemque apprehendere in toto non potest Christianus, 233. Per scalam Jacob crux significata. 191.

Cultus antiquitas et propagatio ad sanctorum merita ac celebritatem cognoscendam quantum conferant, CXLIII.

Cupidinis descriptio, 26.

Cura mortis pro medicina peccati, 102 *et adn.* 19.

Curiositas in rebus fidei reprehensa, XCIX, 6, 15, 71, 153, 157 *et adn.* 17, 164, 205 *et adn.* 2, 217 *et adn.* 2. Curiositas reum efficit, non peritum. 153 *et adn.* 10.

Cybelles cur amatrix dicta, 100, *adn.* 6. Hujus deæ sacerdotes, Galli dicti, in honorem deæ suæ virilia sibi amputabant. 99 *et adn.* 4.

D

Damno crinium. 133.

Daniel. Apud Danielem descriptus trium puerorum hymnus laudatur, 300, 301. Tres iidem pueri figura Trinitatis, 297, 299. Fuere martyres, 255 *et adn.* 2.

David humilitas prædicatur, 72.

Daumius (Christianus) tres S. Zenonis sermones de nativitate Christi cum Barthii castigationibus inter homilias Patrum inseruit, 163, *adn.* 1.

Debitus, 213.

Decem mensium partus legitimi, 169 *et adn.* 10.

Defero pro revereor, 301.

Denarius Zenonis tempore in baptismo collatus videtur, 114 *et adn.* 21, 247, *adn.* 5. Denarii vocis varia significatio, 187, *adn.* 10. *Denarii duo una moneta signati.* 191 *et adn.* 26.

Denique pro paucis, 163, 201 *et adn.* 10, 279 *et adn.* 3, 289. Pro dein. 53.

Denotare, 230, 296.

Deplacare, 175.

Deriavit pro *convertit*, 138 *et adn.* 62.

Desiderata, 243. Quid significet hæc vox apud Patres, *ibid.*, *adn.* 3.

Deus hoc est quod est; quod vero homo definiendum putaverit, non est, 164 *et adn.* 12. Deus solus est principium rerum omnium, 143. Ejus attributa, *ibid. et* 146. Deus perfectus non esset, si esset aliquid, quod esse volens, esse non posset, 168. Dei proprium est scire transacta et nosse futura. 256.

Diabolus omnium corrupte viventium pater, 196, *adn.* 32.

Diaconorum erat ad episcopum ingredi, quotiens illi e cubiculo ad sacra officia procedendum erat, 147, *adn.* 1.

Didrachma aureum pendebatur templo a Judæis, 187 *adn.* 10.

Dies in duodecim horas divisi tum æstate, tum hyeme, 64, *adn.* 11. Dies Ægyptiaci qui fuerint, infausti habebantur, et cur sic dicit, 122, *adn.* 19. Dierum vana observatio Deo displicet, *ibid.*

Diffamare omne genus peccati per legem, 6.

Digessit se Deus in Deum, 146 *et adn.* 7.

Digiti computando adhibere soliti, 83 *et adn.* 19.

Dignus evadere, 67.

Dii gentium impudici et ex impudicitia geniti, 44 *et seqq.*

Discoloratur, 128.

Dispositus tus 168 *et adn.* 3.

Dispunctus mortis lege pro mortuo, 130 *et adn.* 23.

Disputatio si versuta sit, eradicat fidem, 7.

Distringis legem lege, 16. *Distringit* jus jure sapientiæ sæcularis, pro evertit, 34 *et adn.* 11.

Divites sancti pauci sunt, 116.

Docti interveniebant concionibus S. Zenonis, 50. Qui fuerint, *ibid.*, *adn.* 1.

Domorum penetralia quomodo ornarentur, 81.

Dulcia substantive pro rebus dulcibus, 232 *et adn.* 17.

E

Ecclesia paradisus dicta, 292 *et adn.* 5. Per Ninivem figurata, 209.

Ecclesiæ Christianorum olim templa non dicebantur, 34, *adn.* 26. S. Ambrosius primus templi nomine pro ecclesia

usus, *ibid.* Dictæ arces sacræ, 109. Orationis loca, *ibid. et adn.* 4, 116. Conventicula seu conciliabula, 110 *et adn.* 6. Publicæ erant tempore S. Zenonis, LI. Earum ædificia minime comparanda cum Gentium templis, *ibid. et* 109, *adn.* 4. Angusta, ut fidelium multitudinem non caperent, 111 *et adn.* 8.

Edicta feralia quæ, 89, *adn.* 22.

Effectus. *In Effectu*, 43.

Eleemosynam denegare homini inopia morienti est ipsum occidere. 38.

Elogium, 221. Et in bonam et in malam partem accipitur, *ibid.*, *adn.* 6. *Damnationis elogium*, 317.

Energumeni, 128. Eorum, dum adjurantur, effectus, 128. A spiritibus vagis et immundis invasi, 128. Nonnumquam per ipsos spiritus elocuti, 129. Quidam iidem spiritus aliquando fuisse traduntur, CXVI, 129, *adn.* 20.

Episcopi in vigiliis celebriorum festorum nonam lectionem legebant, 99, *adn.* 2. Episcoporum ordo antiquus quanti faciendus, LXVI, LXVII. E diptychis manat, *ibid.*

Epocha quorumdam Antiquorum a Christi nativitate quinquaginta fere annis excedebat, XLIV, XLV.

Evangelii nomen omnibus Novi Testamenti libris tributum, 91, *adn.* 1.

Eucharistia convivii nomine indicata, 251, vel prandii, 252. Et forte etiam lactis, 244, *adn.* 7. Cur his allegoriis indicetur, *ibid.*, *adn.* 5. Dicta sacrificium secretum, 60 *et adn.* 27 *et* 28. A catechumenis videri non poterat, *ibid.* Eam feminæ in linteaminibus, viri nudis manibus olim capiebant, 113, *adn.* 18. Deferebatur domum a Christianis, 60 *et adn.* 29. Quomodo custodiebatur, 113, *adn.* 18. Corpus et sanguis Christi a Psalmista prænuntiati, 197. Communio Eucharistica post baptisma, 241, *adn.* 4. Sub utraque specie, sub panis et mustiquomine, 280. Panis et vini, 251, *adn* 9. Eucharistiæ sacrificium indigne offerre sacrilegum est, indigne manducare mortiferum, 124 *et adn.* 25.

Evomitus adjective, 209.

Exagium facere. 267 *et adn.* 9.

Excarnata umbra tractabilis, 97.

Exomologesim faciebant Christiani, 88 *et adn.* 17, 197 *et adn.* 40.

Exordia ab auctoribus nonnumquam parata, 238. S. Zenonis exordium, 303, *adn.* 1.

Expono pro depono, 193 *et adn.* 7. *Exponit* infantem pro parit, 170 *et adn.* 11. *Expositum* corpus, 55 *et adn.* 13.

Expungo pro distribuo, 252, *adn.* 16, 279, *adn.* 2.

Exsequiæ a sepulcro revertuntur, 21 *et adn.* 16. Pro funeris comitatu, *ibid. et* 216.

Exsertæ majestatis, 155, *adn.* 11; *exserte*, 142 *et adn.* 7. *Extraria*, 164.

F

Fabula pro historia, 289, *adn.* 2.

Fabulantur secreta, 14.

Facies pigmentis quomodo exculta, 45.

Famigerabile prælium, 199 *et adn.* 3; *rem famigerabilem*, 301.

Fana, in prædiis potissimum. S. Zenonis tempore sacrificiis fumabant, 120 *et adnot.* 14.

Fanatici qui, 61, *adn.* 32.

Feminarum vanitas descripta, 43, 56, 86; neces animarum in phaleris pendent ornatæ feminæ, 38; totum corpus inauratæ ad ecclesiam procedebant, 86 *et adn.* 12; ubique delicatæ, sub monilibus fortes, 87 *et adn.* 13; feminæ vanæ orationibus potius insultant, quam rogant, 88; feminæ, quæ Deum non timent, non possunt timere maritum, 88; comam in funere maritorum sibi adimebant, cadaverique crines imponebant, 55, *adn.* 13; anus pluries nubentes perstringuntur, 57.

Fenerare nuptias pro multiplicare, seu plures nuptias inire, 62 *et adn.* 35.

Fenus reprehensum, 82; unde dictum, *ibid.*, *adn.* 16; Calendis solvebatur, *ibid.*, *adn.* 13, V. *Usura*.

Fenerator summam quærit, non quam commodato dedit: sed quam ei peperierint armati numero dies, menses et digiti, 82, ei casu aliquo fraus, inopia, fuga, mors, extorquebant debitorem, 83; merito perdit sua, qui desiderat aliena, *ibid.*

Fero pro aufero, 83 *et adn.* 21.

Festinata educatione pro sedula, 180.

Feta rudis, 170 *et adn.* 12.

Fides ex voluntate nascitur, 4; non pendet ab ore docentis, 4; est ita connexa cum spe et charitate, ut aliis aliæ sint necessaria, 16; spei substantia, *ibid.*; ubi fides non est nec spes est, *ibid.*; omni genere est custodienda virtutum, *ibid.*; vitæ nostræ immobile fundamentum, 20. Fidei peritorum officia quæ, 16, *adn.* 49. Fidei generositas vera quæ, 18; ejus laudes, 19, 20, 21. Fides conscientiam mundat, et quomodo, 7. Fides cum charitate conjuncta est idonea expultrix avaritiæ, 94; ubi fides est, non est dolor, 177; qui hanc habuerit, necesse est ut expedite vivat et munde, 199; nihil difficile est fidei, quæ tantum habet, quantum credit, 184. In fide credentium, non in oculis carnalibus est verum constitutum, 132. Fides non est, ubi quæritur fides, 7. Fidei videre secreta possibilitatis humanæ non est, 15. Fidei natura subjici se loquacitatis artificio non patitur, 8. Fides quam præsumpta, quæ mavult magis novellæ suæ traditioni credi, quam antiquitati, 15. Fides antiqua, at eadem apud Abraham ac in nobis est, 10, *adn.* 34. Fides tractatus apud auctorem quæ, 8, *adn.* 27.

Fides multæ idem ac multæ formulæ fidei, 9, *adn.* 31, 10, quantum ab iis abhorreret S. Zeno, XCIX.

Fiduciuliter loqui, 52.

Figuravit hominem, 93.

Filii stipem in triviis emendicare patrum avaritia coacti, 80.

Filius Dei Deus, æqualis Patri a catholicis prædicatur, 141; ejus cum Patre æqualitas comprobatur, 142, 149, 159, 161 *et seqq.*, LXX; paternæ antiquitatis est solus conscius, 283; indeminutæ Deitatis paterna substantia, paternaque voluntas, 189; Filius Dei quomodo dictus paterni cordis exsecutor, 143, *adn.* 13, LXXXVIII, subjectus Patri affectu, non conditione, charitate, non necessitate, non diminutiva, sed religiosa subjectione, 162; quod dictum est a Patre, et dici potest, quia Verbum est Filius, sine Filio non est, 143 *et adn.* 12; principium est, 147; cur sic dicatur, *ibid*, *adn.* 2. Filium ante omnia sæcula Pater in profundo suæ sacræ mentis, arcano insuspicabili amplexus est, 148; ab æterno genitus et distinctus a Patre, LXXXI; at hæc generatio occulta, et ob id *sine discrimine*, sed *sine revelamine* Pater Filium amplexus traditur, *ibid.*, 148. Filii generatio, 148 *et seqq.* 152, 153; de eadem aliquot Zenonis formulæ explicatæ et vindicatæ, LXXVII *et seqq.*; Filii manifestatio in creando mundo nativitas a nonnullis appellata, LXXXII; decretum, seu mandatum de creando mundo habitum ipsum Filium Dei, LXXXIV; quædam generatio æterna eidem Filio in eodem decreto attributa, *ibid.*; visibilis effectus, quia orbem terræ erat ipse facturus, humanumque visitaturus genus, 152, LXXXV; tres hæ voces *Verbum, Filius, Imago* propriæ secundæ personæ LXXXVI. V. *Verbum. Procedit in nativitatem, qui erat antequam nasceretur, in Patre æqualis in omnibus*, quomodo intelligi debeat, LXXXIX. Formulæ: *Verbum Dei Filius exore Patris prodiit, e regione cordis eructatum fuit*, unde sumptæ et explicatæ, 154, *adn.* 5, LXXXIV. Antenicænorum Patrum de divina Verbi generatione sententia vindicata, XCII; item Marii Victorini, XCVI. Filius Dei ad ineffabilem originem pertinet, hominis ad sacramentum, 92; Deus et homo, 158. V. *Christus*.

SS. Firmi et Rustici martyrum antiqua memoria et cultus apud Veronensem Ecclesiam, 298, *adn.* 1.

Flagitat pro *infamat*, 27 *et adn.* 45.

Fluminum augmenta inter marinos æstus, 202, *adn.* 8.

Fœterosus, 121.

Fontanus, 244.

Fornicaria, 193 *et adn.* 9, 198. Fornicariæ veræ conceptum habent perosum ac semper vitant, 193.

Fornicationis nomen non stricte, sed late aliis de rebus acceptum, quam vulgo intelligi solet, CXII.

Fortitudo hujus mundi quæ, 34.

Fraudulentus coloratis ratiociniis sua furta excusat, 224.

Frenos, 164 *et adn.* 11.

Frisingensi in Ecclesia jam inde a S. Corbiniano S. Zeno præcipue colitur, CLIII.

Frivolum crimen, 78 *et adn.* 2; *frivolo* lucro, 85.

Fundimur a natura, 94; *fusus infans*, 170.

Furtum pro adulterio, 48, *adn.* 34, 123, *et adn.* 21.

G

S Gaudentius emendatus, 119, *adn.* 10.

Generalitas nominis, 137.

Genitura, 262. *Genesis*, 263.

Gentiles Zenonis tempore templa adibant, LII, 59; potissimum in prædiis, 120 *et adn.* 14; ideo Pagani dicti, *ibid.*; iis novorum ædificandorum templorum facultas adempta per Jovinianum vel Valentinianum, LIII, 109; quod circa Ethnicum cultum a Juliani obitu usque ad annum 391 decretum fuit, historice refertur, LV *et seqq.*; Gentiles vocabulo terræ significati, 226; quatenus Christum venerarentur, 304, *adn.* 6; cur docti vocati, 30, *adn.* 1; Christianos imperitos appellabant, *ibid.*; interveniebant concionibus S. Zenonis, *ibid.*; Scripturas ob objectum impolitumque sermonem despiciebant, 36 *et adn.* 19; eas impugnarunt, 91 *et adn.* 1; licet hostes judicitiæ, eam tamen admirabantur, 39 *et adn.* 3; eamdem uti deam colebant, *ibid.*; habebant suas virgines, 57 *et adn.* 23; apud eos plures nuptiæ mulierum male audiebant, CXIII; eorum

pudicitia nec fructuosa nec vera, 40 *et adn.* 7. Gentiles philosophi et sophistæ justitiam Dei manere in eloquentiæ viribus existimabant, 31 *et adn.* 3; duas justitias adseruerunt, unam civilem, alteram naturalem, *ibid. et adn.* 5; de futuro nihil opinantes justitiam mediis et manibus perdiderunt, 32; viduitatis et cœlibatus statuere pœnas, 39, *adn.* 3; mulieribus solutis uti licere Gentibus persuasum erat, 48 *et adn.* 33, 35 *et* 34, *pag.* 48. Gentium sacrificia redarguuntur, 118; eorum cultus superstitiosus recensetur, 209, 212.

Gladius utraque parte acutus in Apocalypsi duo testamenta significat, 186.

Gradatæ ætatis, 65 *et adn.* 14.

Græciæ viri sapientes videri volunt, 70.

Grandinatus imbribus lapideis, 207 *et adn.* 11.

Granditer, 227 *et adn.* 7.

Gravidatur, 130; *gravidatum*, 139.

H

Hæredes illiciti qui, 43 *et adn.* 16.

Hæreditates captabantur, 88 *et adn.* 19. Qua arte conjuges a conjugibus hæreditates aucupio quærebant. *Ibid.*

Hallæ in diœcesi Salisburgensi monasterium antiquum sub invocatione S. Zenonis. CLIII.

Hartmannus monachus Sangallensi nomen S. Zenonis litaniis inseruit, CLIII.

Hasta dura distrahi. 68 *et adn.* 28.

Hemithei, 194 *et adn.* 19.

Her filius primitivus Judæ figura primitivi populi, 194.

Herculem impudicitia in Omphalis amore devicit, 46 *adn.* 28.

Hierocles Diocletianeæ persecutionis auctor sacram Scripturam impugnavit, 91, *adn.* 1.

S. Hilarium S. Zeno est imitatus, XXXIX, LVI, 70, *adn.* 1; 71, *adn.* 6; 72, *adn.* 10 *et* 12; 74, *adn.* 1 *et seqq.*; 75, *adn.* 8; 205, *adn.* 1, 3, 4 *et* 5; 220, *adn.* 1, 2 *et* 4; 222, *adn.* 7 *et* 11.

Homo cur factus a Deo ad imaginem et similitudinem suam, 25. Quæ sit in homine Dei imago, 218, 219. Homo mobile totumque se nesciens simulacrum, 137 *et adn.* 14. Ab humo nomen habuit, 95 *et adn.* 14. Intra hominem clandestinum fremit bellum, cum spiritus nitatur carnem subjugare, caro spiritum, 95. Homo cur a carne potissimum superetur, 96. Cæcitas ejusmodi demonstratur, et reprehenditur, 97.

Hominem assumere, 140. *Homini a Deo assumpto*, 159. *Hominem, quem sumsit*, 158. *Hominem gerere, in hominem includit Deum*, 72 et adn. 8. *Hominem indutus*, 142. *Hominem induerat*, 197. *Hominem mistum*, 158 *et adn.* 4; hæ formulæ ante-hæreses a Patribus passim usurpatæ vindicantur, ct *et seqq.*

Humilitas laudatur et suadetur, 70 *et seqq.*

Hymnus trium puerorum, V. *Daniel.*

I

Imago Dei in hominibus quæ sit. 217, *adn.* 3; 218, *adn.* 6; 219.

Imagines principum quanto honore habitæ, 26, *adn.* 40, pœnæ in earum violatores, *ibid.*

Imaginem falso colit, qui ejus non diligit veritatem, 297.

Imagini reddere veritatem, 283, *adn.* 2; 285.

Imagine pro cogitatione, 42, *adn.* 15; profigurate. 135.

Immortalitas ordinem temporis non recipit, 92. V. *Anima.*

Imperiti dicti Christiani ab Ethnicis, *adn.* 1. Imperitos cur se dicerent Christiani, 17, *adn.* 54. Imperitum videri tutius, quam esse sacrilegum, 17.

Impiata pro polluta, 66 *et adn.* 18.

Impii seu infideles non judicabuntur, 223. Cur, 221, 223, CXVII.

Impatientia describitur ac reprehenditur, 64 *et seqq.*

Impossibilia quatenus Deo possibilia dicantur, 134, *adn.* 41.

Impotentia pro immoderata potentia, 83 *et adn.* 4.

Impudicitia in idolis dea, in Gentibus ministra, 44 *et adn.* 22 *et* 23. Deos Gentium genuit, 45. Ad idololatriam pertinet. 46. Cur, *ibid.*, *adn.* 30. Impudicus prædo qui, 41 *adn.* 7. Impudicitia cum concubinis impunita ac permissa apud Gentes, 47 *et adn.* 33 *et* 34. Impudicitiæ effectus, 42 *et seqq.* Impudicorum est filios necare, aut exponere, 45 *adn.* 17.

In præpositio nunc cum accusativo constructa, quum ablativum, nunc cum ablativo, quum accusativum ex grammaticorum regulis generalibus postularet. *In confusam molem sepelit*, 190 *et adn.* 5. *In inferno descendet.* 84 *et adn.* 23. *In puero Daniele* Spiritus S. ingressus. 204, *adn.* 7.

Inaffectatus, 50.

Inanitas corporea aeris, 206, *adn.* 5.

Incarcerati, 35.

Incarnatio Domini sacramentum seu mysterium appellata. 28, *adn.* 54, 92, *adn.* 9, 197.

Incarnatus, 263.

Incestator, 256.

Inceste pro impie, 112 *et adn.* 11.

Incomprehensibilis, 146, 148.

Incredulitate sive metu præponuntur temporalia sempiternis, 97.

Incunctanter, 148 *et adn.* 3; 154.

Indeminutus, 189.

Indemutabilis, 146.

Ineffabilis, 92, 148.

Inexterminabilis, 65.

Inferna metiris, 104 *et adn.* 28.

Inferre se civitati, 209.

Infestationibus, 24 *et adn.* 29.

Infulcias tempus pro ingeris, 165 *et adn.* 14.

Injustitia sub nomine justitiæ palliata. V. *Justitia*, legibus agit, ut aliena usurpet, sub propriæ defensionis prætextu, 37.

Innascibilis Dei substantia, 150.

Inscriptio Veronensis, CXXXVII.

Insinuatio legis pro fidei didascalia, 4, *adn.* 5.

Insolentibus argumentis, 70.

Insubditus, 207.

Insuspicabili arcano, 148 *et adn.* 1. *Insuspicabilis secreti*, 168 *et adn.* 1.

Interanea, 252.

Invidium concinnare, 132 *et adn.* 34. *Invidiosis vocibus*, ibid. *Invidium facere*, *ibid. et* 200, *adn.* 7.

Isaac, id est risus nomen impositum ab angelo, 174, *adn.* 7; 180. Desperatus parentibus sed Deo permittente susceptus, 178. Lætatur ad vocem patris de sua immolatione, 176. Ejus in immolatione constantia, 187. Fuit figura Christi. *Ibid.*

Isaiæ carbo, quo ejus labia mundata sunt, quid desiguet, 186. Isaiæ martyrium a Potamio descriptum, 317.

J

Jacob patientia laudatur, 68. Fuit imago Christi, 186. Lapis et scala a Jacob visa quid significet, *ibid.* Angeli ascendentes et descendentes quid designent, 190.

Jacobus presbyter Veronensis carminibus miracula S. Zenonis descripsit quo tempore, CLX.

Jejunii tempore a conjugii usu abstinebatur, 52, *adn.* 55. Hinc expiationis sacræ jejunia casta, appellata, 250, *adn.* 2.

Jeremiæ nomine laudatus Baruch liber, 166. Cur, *ibid.*, *adn.* 18.

S. Joannes ab Amelio Platonico barbarus dictus et cur, 36, *adn.* 19.

Joannes Veronensis auctor ms. Historiæ Imperialis fuit presbyter mansionarius Ecclesiæ Veronensis, LXII. Ex eo profecerunt Pastrengus et Petrus de Natalibus, *ibid.*, 3, *adn.* 1, CXCIX. Laudatus. LXIII, CXXI, CXXXV, CXLI, CLV, CXCVIII, 262, *adn.* 1.

Job patientia, 68. Ejus virtutes, et mira patientia describuntur, 199. Figura Christi, 201.

Jonæ naufragium describitur, 208; ejus significatio quæ, *ibid.*

Josephi Hebræi pudicitia laudata, 49. Patientia, 67.

Judas ex parte prophetarum, ex parte patriarcharum patrumque typus fuit, 149. Ejus filii quid significaverint, *Ibid. et seqq.*

Judæi significati per vineam veterem et sterilem, 231 *et adn.* 1; 236. Judæis beneficia collata quæ, 226, 281, 284. Quid spiritualiter significent, 282, 292. Judaici populi fuga ex Ægypto quid significet, 280. Judæi reprobantur, quod audire contempserunt, 225. Post regiam dignitatem majori dedecore imperio Romano servierunt, 295, 296. Judæorum rejectio est aliarum electio personarum, 224. Eorum punitio est admonitio Christianis facta, ne illos imitentur, 236. Judæi sublato templo legitimum pascha celebrare non possunt, 288, *adn.* 2, 295 *et seqq.* Judæorum cæcitas accusatur, 226, 228 *et seqq.*, 285 *et seqq.* Judæorum baptismata multa, 295, *adn.* 3. Judæi circumcisione gloriantur, 100. Perstringuntur, *ibid. et seqq.* Judæis synagogas ædificare permissum ante Theodosium juniorem, LIII, 109 *et adn.* 2.

Judex pro rectore, 12, *adn.* 39.

Judicium pro causæ dubiæ examine, CXVII, 221. Judicium erit de iis, qui inter pios impiosque sunt medii, 235. Quo sensu de aliis non erit, CXVII, 221 *et seqq.* Judicium aquæ, et judicium ignis, 281.

Juga captivorum pro instrumentis, quibus captivi ligantur, 35 *et adn.* 16. Jugum vineæ, 232, *adn.* 7.

Jus legis, et *jus divinum* quid significent apud S. Zenonem, 177 *et adn.* 18. *Jus templorum* quid, 120, *adn.* 14. *In jure* pro in statu, 137 *et adn.* 39.

Justa crudi funeris solvere, 200 *et adn.* 6.
Justitia fons malerque virtutum, 35. Laudatur, *ibid.* Justitiæ est immortalitas merces, 94. Hanc justitiam Christus docuit, 33. Justitia comprehendi non potest sine magisterio divinæ sapientiæ, 31. Vera justitia ab Ethnicis stultitia appellata, 36. De justitia philosophi nihil certi prodidere, 30 *et adn.* 2. Philosophi et sophistæ justitiam in eloquentiæ viribus manere existimabant, 31 *et adn.* 3. Perstringuntur, 33 *et adn.* 10. Ab eis duæ assertæ fuerunt justitiæ, una civilis, altera naturalis, 31. Qui has prodiderit, *ibid.*, *adn.* 5. Justitia naturalis apud ipsos quæ, 32 *et adn.* 7 *et* 8, 31 *et adn.* 5. Stultitia dicta, *ibid.* Justitia civilis quæ, *ibid.* Sapientia dicta, sed injusta, *ibid.* Rem non valuere Ethnici transferre, sed nomina, 33 *et adn.* 9. Injustitiæ magis stultitia, justitiæ sapientia convenit, 33. Justitiam qui sequitur, necesse est ut probetur, 197. Justitiæ perfectio quæ falso putetur, et quæ sit. 36.
Justus quis sit, 34. Qui non est justus, nec sapiens est, 34. Cum vivit in hoc mundo, semper in tribulatione, semper in pœna est. 140.

L

Lac neophytis olim datum. 244, *adn.* 7, 259, *adn.* 5.
Laciniis spoliatur. 77 *et adn.* 16.
Lactantium S. Zeno imitatus XL, LVI, 30, *adn.* 2, 31, *adn.* 5; 32, *adn.* 6, 7 et 8; 33, *adn.* 9; 34, *adn.* 14; 35, *adn.* 15 et 16; 37, *adn.* 25; 92, *adn.* 12; 93, *adn.* 13, 14 et 15; 94, *adn.* 19 et 21; 127, *adn.* 11, 12 et 13; 144, *adn.* 1; 145, *adn.* 4. Lactantii testimonia de generatione Christi vindicata. XCV.
Larroque Matthæus notatur. 124, *adn.* 25; 195, *adn.* 32.
Latibula turpia et hypogæa quæ apud Romanos. 48, *adn.* 35.
Lectio nona in Cursu nocturno quæ olim erat, 99, *adn.* 1. Dicebatur aliquando ab episcopo. *Ibidem.*
Leges legibus impugnare per eloquentiam injustitiæ faventem, 34. Legum circumscriptionibus agere contra justitiam, est omni violentia deterius, quia illud quod vi eripitur, non numquam repeti potest, quod legum circumscriptionibus non potest, 37. Legum humanarum iniqua impunitate decepti, justitiam veram non noscunt. 48 et 49, *adn.* 34.
Lex Julia de Adulteriis, concubinas ac meretrices permittens perniqua. 47, *adn.* 33.
Lex index voluntatis Dei est, 7. Non spernenda, sed veneranda, 24. *Legis sacræ* nomen non tam Moysis Pentateucho, quam cæteris libris Veteris Testamenti et Novi etiam tributum, 91, *adn.* 1; 141 *et adn.* 3; 282 *et adn.* 3. Apud Judæos Vetus Testamentum. 164 *et adn.* 6.
Lex pro doctrina argumentis et ratiocinationibus innixa, in mysterio Trinitatis ab Arianis usurpata, integro tractatu reprehenditur. 3.
Lex pro didascalia fidei quam utilis, 6. Legis ac fidei discrimen, 7. *Legis insinuatio.* 4 et 5, *adn.* 5.
Libationes Gentilium ad sepulcra mortuorum, 127 *et adn.* 9; libaminum profusio, 201, 209, 212.
Liber genitalis legem continens qui, 7.
Liber nativitatis naturæ pro Genesi. 91 *et adn.* 1.
Libertas hominis adstruitur, et gratia commendatur. CV. Vid. *Voluntas.*
Ligatura, 181, 234 *et adn.* 15.
Ligneis in tabulis testamenta inscribebantur, 189 *et adn.* 14.
Limpidatus. 270.
Linea una tanguntur. 49, *adn.* 37.
Litigare non oportet servum Dei. 18.
Litterator, pro eo qui litteras docet. 19.
Lubricitas serpentis. 65.
S. Lucillus, S. Athanasii amicus, sextus episcopus Veronensis quo anno adhuc in vivis fuerit. LXVIII.

M

Macchabæa mater septem filios non extulit, sed ipsa potius feliciter suis hortamentis occidit: 132.
Magis gloriosior, 41 *et adn.* 8. *Mavult magis.* 15.
Magnopere pro summa industria, 64, *adn.* 9, 86. *Non magnopere* pro facile, 64 *et adn.* 9, 264.
Majestate pro divina virtute ac dignitate, 172 *et adn.* 1, majestas custodit. 146.
Mancipes pro lictoribus. 214 *et adn.* 20.
Manuscriptorum codicum S. Zenonis descriptio, VI *et seqq.* mss. laudati, LXIII, LXVI, LXVII, LXXII, LXXIII, CXXII, CXXIV, CXXVIII, CXXIX, CXXXI usque ad CXXXV, CXXXVIII, CXL, CXLIV, CXLV, CXLVI, CXLVII usque ad CLI, CLV usque ad CLXI, CLXVII, CLXVIII, CLXXIX usque ad pag. CXCVII, 261, *adn.* 1; 273, *adn.* 1.
Mare. V. *Oceanus.*
Maria Moysis soror typus Ecclesiæ. 282.
Maria Virgo decem mensium fastidia nescilt, parturiit non dolore, sed gaudio, 169, 173. Fabula obstetricis, quæ Virginem invenit Deiparam, 171 *et adn.* 17. Unde originem habuerit, *ibidem.* Mariæ virginitas, 106, 175 *et adn.* 16. Maria virgo post connubium, virgo post conceptum, virgo post filium, 54. Mariæ virginitati qui detraxerunt, *ibid.*, *adn.* 5.
Maritalis. 57.
Martyrum laudibus ad cœleste præmium populus accenditur, 212; martyrum tormenta recensentur, 215. Episcopi et ecclesiastici præsertim in persecutionibus necati, 271, *adn.* 8; persecutiones quarti sæculi, quibus plures martyres obiere, recensentur, LIX. Martyrii quodam modo pars est, martyres non horruisse supplicium, 298. Martyres tres, pueri licet incolumes e fornace evaserint, 299, *adn.* 2. Martyrium baptismi vicem supplet, 106, *adn.* 36, martyres sibi quidam pariebant amore bibendi et luxuriandi. 121.
Materiam Deo coæternam quidam philosophi et hæretici tradidere, 144, *adn.* 1. Hic error impugnatur, 144, 145. Materia non potest esse principium. 145.
Matricalis culpa. 102.
Matronatus. 50, *adn.* 42.
Medii Christiani qui, 222 *et adn.* 9, *medium* gladium exprimit. 185 *et adn.* 9.
Mediocritatis. 155, 226, 233.
Mediolanensis ecclesiæ cultus maximus erga S. Zenonem exponitur. CXLVII et seqq. CLXI, CLXXXIV.
Melioratur. 298.
Membratim Deum exorat. 74 *et adn.* 17.
Metatura. 172 *et adn.* 2.
Mimum carnalem cur quidam appellarunt humanæ vitæ curriculum. 97 *et adn.* 35.
Mistus humanæ carni Christus, 169 *et adn.* 9. *Mistus homo*, 158 *et adn.* 4. Hæc formula a Patribus ante hæresim usurpata vindicatur. CI.
Moliti pro *destinati*, 270, *adn.* 4.
Momentis omnibus, 37, 54, 88, 95, 292. *Uno momento*, 79. *Per momentum*, 133, 136. *Per momenta*, 13, 38, 44 *et adn.* 21, 65, 67, 79, 113, 208.
Monasterium Virginum Veronæ primum in toto Occidente a S. Zenone institutum, CXXVII.
Mortui de hujus mundi labe migrantes plangendi non sunt, 133, solemnibus divinis a sacerdotibus Dei quiescentes commendari soliti, 135 *et adn.* 35. Mortuorum cadavera exponebantur a Gentibus in ædium vestibulis, a Christianis in ecclesiis, 55, *adn.* 13. Veste aliqua obvolvebantur, 88 *et adn.* 24. Conclamabantur, 133 *et adn.* 36. Mulierum planctus in alicujus morte olim fieri soliti describuntur et reprehenduntur. 133.
Multimodus opes. 95.
Mundum ex materia præexistenti a Deo constitutum et ornatum qui asseruerunt, 144, *adn.* 1. Impugnantur, 145. Mundus alius habitus is, quem Antipodæ habitant, 206, *adn.* 6.
Mustulentus. 270.

N

Nativitas apud ethnicos per duodecim signa Zodiaci peragi solita, 262. Auctor eam a profana observatione in sacram traducit. 263 *et seqq.*
Natura pro rebus creatis, 165. *Ex natura* est tempus, *ibid.* *Naturæ thesaurus* qui, 131 *et adn.* 29. *Naturæ secretum*, 133 *et adn.* 39. *Naturam* creare extra *naturam*, 134 *et adn.* 42. Natura ex nihilo facta. 165.
Naturas cœli. 205 *et adn.* 4.
Nemo dat quod non habet. 8.
Ninive Ecclesiæ imaginem præfert. 209.
Neophyti flores dicti, 124 *et adn.* 26. Ecclesiæ flores clarissimi, 270. Vites novellæ, 236 *et adn.* 4. Infantes cur nuncupati, 250 *adn.* 5.
Neophytis in Occidente lac dabatur, 244, *adn.* 7; 259, *adn.* 5. Hinc dicti lactentes, 244. Albis vestes induebant, 242, *adn.* 5. Post baptisma Eucharistiam statim sumebant. 241, *adn.* 4; 244, *adn.* 7.
Noe patientia. 67.
Nomen mutare rebus intactis, vitiaque virtutum nomine infamare. 33.
Nox clarissima in pervigilio paschatis. 250, *adn.* 3.
Numerositas. 216.
Nummi si erogentur, pecunia sunt, si serventur, simulacra, 86 Cur, *ibid.*, *adn.* 11.
Nunc fuerant. 21 *et adn.* 17, 56 *et adn.* 14.
Nundinari pro diffamari. 228 *et adn.* 14.
Nuptiæ secundæ et plures dissuadentur. 133.
Nuptiæ secundæ cur dictæ res prope sanæ. 57, *adn.* 19. Apud antiquos Patres secundæ et plures nuptiæ male audierunt, CIX. Eas tamen per se malas et illicitas non habuerunt, CXI. Cur eas redarguerint, CXII. Ethnicis quoque

quantum exosæ fuerint, *ibid.* Nuptiæ cum infidelibus arguuntur et cur. 57 *et adn.* 24, CXIII, CXV.

O

Observatio voluntatis Dei est fideliter viventibus necessaria, 108. Observatio dierum reprehensa 121.
Obsoletatus sordibus. 201 *et adn.* 11.
Obstetrix. De obstetrice, quæ virginem invenit Mariam, fabula, 171, *adn.* 17. Unde originem habuerit, et qui eam tradiderit, quique eam uti apocryphum exploserint, *ibid.*
Obumbrat terrore. 73.
Oceanus impermeabilis. 206, *adn.* 6.
Oculi vineæ. 233 *et adn.* 11.
Oculorum lenocinio mundus infelix est, 73. Oculi pulchritudinis procuratores et gubernatores. 97.
Omnifariæ. 41.
Onan. ex LXX Aunan dictus 192, *adn.* 2. Figura populi Hebraici. 194.
Opificium Domini pro creatione mundi. 207.
Orbis pro imperio Romano. 55 *et adn.* 11.
Ordinabiliter. 265.
Ordinationes sacræ in privilegio paschatis habitæ S. Zenonis quoque ætate. 276, *adn.* 4.
Originale peccatum, 65, 93, 103 *et adn.* 22. Ejus effectus. 94. *Vid.* Peccatum orig.
Ottius Jo. Henricus notatur. 124, *adn.* 25; 195, *adn.* 32.

P

Pacificus Irenæus Mansionarius Ecclesiæ Veronensis alius a Pacifico antiquo Archidiacono CLIX.
Panis conficiendi ratio apud antiquos. 265, *adn.* 4; 266, *adn.* 6; certo pondere vendebatur. 268, *adn.* 10.
Palmes vineæ. 232, *adn.* 6. Dimittebatur in scrobem. 232.
Palpantibus verbis. 55.
Paradisus pro Ecclesia. 292, cur, *ibid.*, *adn.* 5.
Parentalia, V. *Prandia*.
Parricida pro fratris interfectore. 66 *et adn.* 17. Pro interfectore filii. 67. *Parricidium* eodem sensu, *ibid. Parricidales filii*, qui se occidunt. 73. *Parricidali gladio* jugulare, de intentata occisione Susannæ. 27.
Partibus pro *per partes*, 7.
Pascha anni Ecclesiastici initium. 269, *adn.* 2. Anni parens annique progenies. 272, 373, 275. Paschali tempore seu in paschatis pervigilio sacrorum ministrorum ordinationes Zenonis quoque tempore habitæ. 276, *adn.* 4; ritus quidam præcipuus Veronensis Ecclesiæ die Paschatis. 269, *adn.* 1. Pascha legitimum Judæi celebrare non possunt sublato templo. 288 *et adn.* 2; 289, 290, 291, 294, 295.
Passibilitate. 75.
Pater manente suo integro statu totum se reciprocavit in Filium. 146 *et adn.* 9, alium se genuit ex se, ex innascibili scilicet sua substantia. 150. Filium ante omnia sæcula in profundo suæ sacræ mentis, arcano insuspicabili, amplexus est. 148. In filio exsultat cum Spiritus sancti plenitudine, una originali coæternitate retinens. 146 *et adn.* 10, quodcumque dictum est a Patre, et dici potest, quia Verbum Filius est, sine Filio non est. 143.
Patientiæ laudes et effectus. 63 *et seqq.* 66 *et seq.*
Pausa. Sine Pausa. 79.
Peccatum originale. 65, 93, 103, 107, *adn.* 38. Ejus effectus. 94. Per baptismum diluitur. 107 *et adn.* 58.
Pecuina caro. 137, *adn.* 58.
Pecus pro fetu, 79. *Pecus pecoris* quatenus distinctum a *pecus pecudis*. 294, *adn.* 4.
Pedatura. 116 *et adn.* 25.
Peræquatio. 69.
Peregrina luxuria. 47. V. *Profana*.
Perfidia pro hæretica fidei formula. 114, *adn.* 43.
Peritius agere. 35.
Persecutiones quæ a Zenone indicentur. 234, *adn.* 20. Earum quæ IV sæculo evenere descriptio, LX.
Persona. *Ex persona hominis, quem assumpserat*. 140 *et adn.* 71.
Petavii censura in S. Zenonis aliquot formulas de æterna Filii Dei generatione, LXXVII, refellitur, LXXX *et seqq.*
Petri nomen Christus imposuit Simoni, super quem ædificavit Ecclesiam. 105. Inde felix. 188.
Ph. pro *P.* 309, 316, *adn.* 30.
Pharao typus diaboli. 281.
Philastrii Sancti locus restituitur atque illustratur, XLIV et XLV.
Philosophi cor suum, ultra quam licitum est, argumentis insolentibus extulerunt. 70, apud SS. Patres cur male audiere, *ibid.*, *adn.* 2; 205, *adn.* 2. de anima varia senserunt, 127 *et adn.* 11. Animæ immortalitatem docuere, *ibid.*
Philosophia abutebantur Ariani. 70, *adn.* 2 et 3; 141, *adn.* 1; 304. Philosophicam ratiocinationem in rebus fidei cur S. Zeno repudiarit, c.
Phœnix resurrectionis symbolum. 135. De ea plura vide *ibid.*, *adn.* 49.
Photiniani, qui asserebant Christum ab utero Virginis sumpsisse principium, impugnantur, L. 158, *adn.* 3; 165, *adn.* 3.
Pietatis semina eleemosynæ. 35, *adn.* 18, *pia semina*. 88.
Pisana Ecclesia S. Zenonem colit, CXLVI.
Pistoriensis Ecclesia S. Zenonem Patronum habet, ejusque nomine cathedralis Deo dicata, CXLV.
Plato sapientissimus. 126 *et adn.* Ejus sententia de animæ immortalitate laudata, *ibid.*
Plenitudo mundi. 173.
Plenus. Ad *Plenum* nullam partem tenentes. 222.
Plumbatarum. 215.
Pœnitentia ante baptisma imposita, 234, *adn.* 5.
Pœnitentes quo die reconciliabantur. 277, *adn.* 5.
Populoso fructu. 136. *Populosis ulceribus*. 190 *et adn.* 18
Postfuturi pro posteris, 286, *adn.* 4.
Potamius episcopus catholicus duorum sermonum auctor. 310.
Potentia Dei quæ sit et quanta. 134 *et seqq. et adn.* 41.
Præconat. 100, *adn.* 8.
Prædestinatæ Virginis. 169.
Prædita pro prælata. 22 *et adn.* 18.
Prærogata. 234, *adn.* 19.
Præporto. 67.
Præsentaria mors. 284.
Præstator. 235.
Præstiteras mater, pro, *meliori in statu eras*. 184 *et adn.* 6.
Præsumo pro *anticipate sumo*. 10, *adn.* 34. Pro *certo scio*. 20, *adn.* 7.
Præsumpta fides. 14. *Præsumptor*. 67 *et adn.* 25.
Prandia mortuorum cadaveribus sacrificata. 46, 121, *adn.* 17.
Preces surdis allegare. 118.
Principaliter. 173, 219, 263.
Principium rerum omnium est solus Deus, 145.
Processiones. 300, *adn.* 1.
Proculus Sanctus, IV. Episcopus veronensis sub Maximiano floruit, LXVI. Ejus solemnitas cur Venetiis et in multis Calendariis ac Martyrologiis alio die ab emortuali peragatur, CXXX.
Prodigiosus concubitus. 44. Qui sit, *ibid.*, *adn.* 20.
Prodigiosa libido. 66.
Proditrix. 62.
Prodromus. 167 *et adn.* 29.
Profana libido pro peregrina, seu extra legitimum torum quæsita. 48. *adn.* 34.
Profani pro Ethnici. 14, 62.
Profectus potius quam mortuus. 131, *adn.* 27.
Prolitare. 213, *adn.* 12.
Promeruit Deum. 11.
Promovere aliquid pro opponere, 37.
Propositum pro voto virginitatis. 51, *adn.* 52.
Protoplastus. 138 *et adn.* 62.
Proscriptio industria ab avaris vocata, 37.
Provectus temporis. 260.
Providentia Dei in incarnatione. 92, 94.
Provisio pia dicta Verbi incarnatio. 159, *adn.* 12.
Psalmi non tantum canebantur, sed etiam aliquando legebantur. 117, *adn.* 3; 231 *et adn.* 3.
Publicana fides. 14. *Publicanæ* mulieres. 123 *et adn.* 22.
Pudicitia honorabilis etiam hostibus, id est Gentilibus. 39 *et adn* 3. Pudicitiæ laudes et effectus. 39, 40 *et seqq.*, 49, 50. Pudicitia apud Gentes nec fructuosa, nec vera, 40. Cur., *ibid. adn.* 7.
Purgationes mulierum parientium sunt tarditate periculosæ. 171.

Q

Quadragesima sacræ expiationis castum jejunium appellata. 250. Cur, *adn.* 2.
Quadratura. 111, *adn.* 10; 116.
Quadruplicata apophoreta. 252.
Quemadmodum interrogative usurpatum. 137, 205.

R

Ravenna ecclesias antiquitus S. Zenoni nuncupavit, CXLV.
Reciprocavit Pater se totum in Filium. 146 *et adn.* 9.
Rectum non est unicuique, nisi quod amaverit. 53.
Reddere veritatem imagini. 283, *adn.* 2, 285.

Reddere pro *dare*. 23, *adn*. 25.
Redintegro. 28.
Reflabilis tori. 95, *adn*. 24.
Regum nomen pro imperatoribus. 12, *adn*. 38, 26. Regum imaginis violator capitales pœnas luebat. 26 *et adn*. 40.
Regnorum libri pro libris Regum. 58, *adn*. 28.
Religiositas. 212.
Remissa peccatorum, 137, *adn*. 57; 277, *adn*. 7.
Remunero active. 97. *Remuneror* passive. 35.
Repigrare cursus. 135 *et adn*. 44.
Replicare libros lectitando. 91.
Repudiatio. 208.
Restiti illis nihil pro reliquum fuit. 296.
Resurrectionis dogma cur tam crebro a Patribus inculcatum. 125, adn. 1; hæretici qui eam negaverunt, *ibid*. Gentibus ea improbabilis videbatur, *ibid*. Resurrectio carnis demonstratur atque suadetur. 133 *et seqq*. Resurrectionem negans, vitam suam condemnat. 125. In resurrectione quæ discretio futura ut justorum; e injustorum. 137.
Retinaculum, 69.
Rhythmus antiquus de S. Zenone, CLXIX et Coronato Auctor exceptit, CLVI.
Rhythmus de laudibus Veronæ, V. *Anonymus Pipinianus*.
Ridiculosa, 14.
Rigor cultus, 87, quid, *ibid*., *adn*. 14.
Rorulentus, 300.
Rudis feta, 170 *et adn*. 12; *rudis terra*, 66; *rudis tunica* 114 *et adn*. 20.
Rufinus interpres novem saltem S. Basilii sermonum, 308, quatuor ex his Zenoni perperam adscripti, proprio auctori et interpreti restituti, 332 *et seqq*.

S

Sabellii error impugnatur, 165 *et adn*. 13.
Sacramenta majorem gratiam conferunt dignioribus, 212 *et adn*. 3, hinc diversa charismata baptizatorum, 270, *adn*. 3.
Sacramenta contaminare, 123 *et adn*. 24.
Sacramentum pro Incarnatione, 28 *et adn*. 34, 92, *adn*. 9, 197.
Sacramentum pro mysterio seu figura mystica, 94, 176, *adn*. 12; 188, *adn*. 12; 189, 297, 299, *adn*. 3; 301, 303.
Sacrificium pro Eucharistia, 60 *et adn*. 28 *et adn*. 29; 124 *et adn*. 25; cur dictum secretum, LII, sacrificium Christiani populi mundum, 118. Quale sit, 119. Sacrificium indigne offerre sacrilegum est, 124. Sacrificium pro defunctorum animabus oblatum, 133 *et adn*. 25.
Sacrificium Gentium detestabile, 118. Cur dictum publicum, LIII.
Sacrificium Judæorum improbatum, 118. In solo Hierosolymitano templo fieri poterat, 288, *adn*. 2.
Samuel sacerdos dictus, 130 *et adn*. 25. Utrum ipsius anima Saüli apparuerit, 130 *et adn*. 26. *Liber primus verborum Samuel* pro primo Regum, *ibid*.
Sancto pia in Ecclesiasticarum clavium usu, 235, *adn*. 2.
Sanctorum solemnitates in quadragesima minime peragebantur, CXXX. Cur non die emortuali, sed alio celebratæ, *ibid*.
Sanguinea teneritudo quæ, 135 *et adn*. 47.
Sapiens est qui est justus, 34.
Sapientia justitiæ convenit, 33. Sapientia quæ habita a Gentibus, 32, *adn*. 5; 31, *adn*. 7 *et* 8. In eloquentiæ viribus constituta, 31. Ejus effectus, 33. Injusta, 32. Stultitia potius, 33. Nec vera sapientia, 34.
Saræ status, cum concepit Isaac, 179, 184.
Scala Jacob quid significet, 186. Qui angeli ascendentes et descendentes, 190. Scalæ gradus quid demonstrent, 191. Figura crucis dominicæ, *ibid*.
Scapi scalarum, 191 *et adn*. 27.
Scholares calumniæ, 70.
Scius, 135.
Scribendi instrumentum antiquum calamus et canna, 187, 191.
Scriptura ab Ethnicis ob abjectum et impolitum sermonem despiciebatur, 36 *et adn*. 19. A quibusdam Ethnicis impugnata, 91, *adn*. 15.
Secretarium quid, 112, *adn*. 16.
Secretum pro æterna Filii Dei generatione, 131, *adn*. 3; 157 *et adn*. 17; 164 *et adn*. 11. *Secretum naturæ*, 133 *et adn*. 39.
Secta Dei neglecta, 123 *et adn*. 23.
Selon tertius Judæ filius figura populi christiani, 195.
Semensa fides. 11.
Sensibile Dei simulacrum homo, 93 *et adn*. 12,
Sepulcra a Gentibus in templa conversa, 46 *et adn*. 31.
Per sepulcra discurrebant, prandia mortuis sacrificabant, 121 *et adn*. 16, 17 *et* 18. Sepulcra defodiebantur avaritiæ causa, 80 *et adn*. 11.
Sequela, 234 *et adn*. 18.
Sequens est, 25 *et adn*. 37.
Sequestraverat, 214.
Series episcoporum ex antiquis monumentis profecta maximi facienda, LXVI.
Sermo, ex Sermonibus antiquorum PP. plura ipsorum operum compacta, LXXV.
Serpens dictus, quod sensim serpat, 93.
Siclus. v. *Stater*. Septuaginta interpretes didrachmum pro siclo reddiderunt, 187, *adn*. 10.
Sicunde, 253.
Silicæ quid sint, 114, *adn*. 21. Neophytis una cum albis olim datæ, *ibid*.
Similantibus, 1, 3 *et adn*. 10.
Simplices meliores nimis astutis, 6.
Soporatus, 107.
Specialiter, 69 *et adn*. 39.
Spectaculorum loca infamia, 195. V. *Comœdiæ*.
Spei laus, 19. Ita videtur esse connexa fidei et charitati ut sint aliis aliæ necessariæ, *ibid*.
Spiritaliter, 281, 282.
Spiritus adversus carnis delicias pugna, 97.
Spiritus sancti processio, 146, *adn*. 10. Habens unam substantiam, virtutem, deitatem, majestatem, voluntatemque Patris et Filii, 186. Spiritus sancti divinitatem impugnantes refelluntur, 17, *adn*. 52, L. Qui fuerint hi hæretici, LI.
Sputamentis pinguibus, 97 *et adn*. 32.
Stater sive siclus quatuor denariis constabat, 187, *adn*. 10. Cur dictus duo denarii a S. Zenone, didrachma aureum a Sedullio, *ibid*.
Statio quid, 273, *adn*. 1. In quibus Veronensibus ecclesiis stationes paschali tempore habebantur, *ibid*.
S. Stephani ecclesia Veronensis, 261, *adn*. 1. *Ad martyres* nuncupata, quod, *ibid*., XL. Martyrum exuviæ requiescant; et de his testimonia, *ibid*.
Stephanus presbyter et cantor ecclesiæ Veronensis, auctor Carpsi, quo sæculo vixerit, CXXXII. V. *Carpsi*.
Stibium. *In stibio fletus includere*, 56 *et adn*. 15.
Stola immortalitatis, 140.
Subditiliæ personæ, 123 *et adn*. 21.
Subire jugo, 69 *et adn*. 34.
Sublimitas, 73. *Sublimo*, 182.
Succidaneum pignus, 174 *et adn*. 3.
Succincta spes futurorum, 132.
Suggestus pro narratione, 49, *adn*. 40.
Superbia philosophorum reprehenditur, 70, 71.
Surculus vineæ, 232, *adn*. 5.
Susannæ laudes, 50, 203. Ejus historia describitur, 203, 204.
Suspicio pro opinione et scientia tenui, 128 *et adn*. 15; 148, *adn*. 4. V. *Insuspicabilis*.
Symbolum. *In symbolis* pro *figurate*, 104 *et adn*. 24.
Symbolum tradebatur catechumenis ante baptismum, quo tempore et quoties, 240, *adn*. 1.

T

Tabet, 27.
Tabulatis pura materia infertur, 232 *et adn*. 9.
Tabulæ testamentorum lignæ, 189, *adn*. 14.
Tarvisinæ Ecclesiæ cultus erga S. Zenonem, CL.
Tatiani testimonium de æterna Filii Dei generatione vindicatum, XCIII.
Temperamento conscribunt, 187.
Tempus quod volvitur semper, in momento quid afferat, dubium est, 80.
Tenacitas, 37. *Tenaciter*, 96.
Teneritudo, 287.
Tentationibus christianus perducitur ad coronam, 234.
Testamenta veteris et novæ legis significata per scalam Jacob, 186. Per gladium ex utraque parte acutum, *ibid*. Per forcipem Isaiæ, *ibid*. Comparantur cum calamo scribæ, 187. Explicantur per duos denarios in ore piscis a Petro capti, 187. Per David dictum : *Virga tua et baculus tuus*, etc., et per Evangelicum dictum : *Omnis scriba*, etc., 189. Comprobantur ex duobus denariis stabulario datis a Samaritano, *ibid*. Designantur ex Moyse et Aaron, 281. Unum sine altero utile esse non potest, qua veteri sicut novum præstat fidem, ita novum perhibet testimonium, 187.
Testamenta quomodo inscribebantur, 189, *adn*. 14.
Templi nomine non appellabantur ecclesiæ Christianorum, sed idolorum ædes et illud Salomonis, 59, *adn*. 26. S. Ambrosius primus templi nomine donavit ecclesias, non

Digitized by Google

Hilarius, 39, *adn.* 26. Christianorum ecclesiæ dictæ arces 109. Loca orationis, *ibid. et adn.* 3. Conventicula seu sacræ, conciliabula, 110, *adn.* 6. Ideo antiqui PP. cum negabant Christianis esse templa, non negabant esse certa orationis loca, 110, *adn.* 6. V. *Ecclesiæ*.

Tem, lum Dei est populus fidelis, III *et adn.* 7. Hoc templum describitur, III *et seqq.*

Templa sive fana Gentiles adibant S. Zenonis tempore, LIII, 58, 59, 120. V. *Fana*. Templorum jura, id est reditus, sublata per imperatores christianos, 120, *adn.* 15. Templa quædam in prædiis constituta, erant in jure privatorum, *ibid.* Id juris ne quis sibi eriperet, quotidie litigabant, 121. In templa Gentiles sepulcra converterunt, 46 *et adn.* 31.

Terra num aqua portetur, an a qua terræ gremio contineatur, magna erat quæstio, 206, *adn.* 6.

Tertulliani loca de generatione æterna Verbi explicata, XCIV.

Tessera regalis primæ tubæ, 137 *et adn.* 54.

Thamaris historia, 193. Fuit figura Ecclesiæ, 195. Accepit monile, annulum, virgam a Juda, 193. Quid illa tria designent, 197.

Thecla Sancta. Mira ex antiquis ejusdem actis describuntur, 76 *et* 77. De iisdem actis judicium. 76, *adn.* 13.

Theophili Antiocheni locus de generatione Verbi explicatus. XCIV.

Thesaurus naturæ quid. 131 *et adn.* 29.

Timiditas. 68.

Timores duo, Dei alter, naturæ alter, 74. Timor Dei discitur et docetur, *ibid.* In Dei amore consistit, 75. Ejus effectus, *ibid.* Timoris Dei exempla, 76 *et* 77. Beatos efficit, 78. Cujus proprietatis sit, *ibid.* Ubi non devotionis, sed necessitatis est, quod timetur, nullus hic beatitudinis locus est. 75.

Torcular antiquorum quid erat. 233, *adn.* 12 *et* 13.

Tota pro omnia, 151 *et adn.* 30; *totis* armis. 199.

Totum pro omnia, 29, 45 *et adn.* 25, 66, 69, 73, 78, 94, 173 *et adn.* 10.

Tractabilis. 97.

Tractatus dicti episcoporum sermones. 3.

Tractatus fidei apud auctorem qui, 8, *adn.* 26. Formulæ fidei dictæ *tractatus*, 8. Tractatus fidem, quam adstruit, destruit, *ibid.* Aliud est fides, aliud est tractatus, 15. Tractatus multi Arianorum notati. XCVIII, 8.

Transducitur fides pro *recipitur*, 14.

Transversum. Ex *Transverso*. 189.

Tridentinæ diœcesis cultus erga S. Zenonem. CXLIX.

Trinitatis figura in tribus pueris apud Danielem. 297, 299.

Trinus. 146.

Tripondes. 268, *adn.* 10.

Tristitudo. 217, 255, 269.

Triviali stipi subjecti. 80 *et adn.* 7.

Triumphali sermone. 109.

Turbulentare. 63.

U

Unigeniti pro una geniti. 250.

Usualis lex. 215.

Usura. V. *Fenus*.

Utilitate pro usu vel voluptate. 45, *adn.* 24; 123, *adn.* 21.

Uxorum plurium ductor Romanis legibus notabatur infamia ac puniebatur, 47, *adn.* 33. Uxoribus quod non licet, non licet nec maritis in rebus voluptuosis. 48, 52.

V

Vacuasti. 28.

Vanitas feminarum descripta. 44, 45, 56, 86, 87.

Vel pro et, 69 *et adn.* 35.

Ventorum figuræ. 206.

Verbum Divinum ex ore Patris prodivit; et e corde ejusdem eructatum cur dictum sit, LXXXIV. Non est verbum prolatitium, sed substantivum, *ibid.* Unum est Verbum quo et divinæ res et creatae dictæ fuerunt. LXXXVII.

Verecunda nativitas pro veneranda. 181 *et adn.* 17.

Veritas pura, non sermo fucatus quæritur in Ecclesia Dei, 31.

Veritate pro re ipsa. 42 *et adn.* 15, 91, 99, 136.

Verisimile non potest tantam vim habere, quam veritas, 139. Pro exemplo a simili. *Ibid.*

Verona per S. Zenonem erroribus purgata ac ad veram religionem perducta, CXXV. In ea erant tum virgines, quæ in domibus pudice versabantur, tum virgines, quæ in monasterio degebant. CXXVII.

Veronensium liberalitas in captivorum redemptione eximiis laudibus effertur, 88, 89.

Veronensium priorum antistitum antiqua series exponitur atque defenditur. LXVI.

Veronensi in Ecclesia olim publice legebantur S. Zenonis sermones, VII, XIII, 99, *adn.* 1. 147, *adn.* 1. 192, *adn.* 1. 199, *adn.* 1. 240, *adn.* 1. 246, *adn.* 1. 248, *adn.* 1. 250, *adn.* 1. 257, *adn.* 1. 261, *adn.* 1. 269, *adn.* 1. 273, *adn.* 1. 275, *adn.* 1. 278, *adn.* 1. 282. *adn.* 1. 298, *adn.* 1. 300 *adn.* 1. Apud Veronensem Ecclesiam quo cultu habitus sit S. Zeno. CXLIV.

Veronenses ecclesiæ, in quibus stationes paschali hebdomada habebantur. 273, *adn.* 1.

Vestales quanto in honore fuerint apud Gentes, 39, *adn.* 3. Ad virginitatis professionem vi adigebantur, 40, *adn.* 7. Quando desierint. LVIII.

Vians tis. 75 *et adn.* 6. 83.

Vicarii filli, qui in mortuorum locum suscipiuntur, 207 *et adn.* 12. *Vicaria* laudis mercede remunerari. 35.

Victimæ sertis ornatæ trahebantur apud Gentes. 212.

Vicentinæ diœcesis ecclesiæ S. Zenonis nomini dicatæ, CL.

Victorini Marii vindiciæ a censura Petavii, ejusque sententia de divini Verbi generatione. XCVI.

Viduatur. 216.

Viduitas persuadetur. 54 *et seqq.*

Vineæ cultura accurate descripta, 321 *et seqq.* Ejus significatio. 231, 233, *et seqq.* 235.

Vini conficiendi apud veteres ratio, 232. Melius veterascendo redditur. 233.

Virgilius poeta sapientissimus, 138. Ejusdem versus recitantur. 128, 138.

Virgines christianæ Gentilibus summæ admirationi fuere, 39 *et adn.* 3. Virgines suas, etsi non felices, habebant Gentes, 37 *et adn.* 23. Virginitas vera et fructuosa duntaxat apud Christianos. 40 *et adn.* 77.

Virginitas persuadetur atque commendatur, 52 *et seqq.* Obloquebantur nonnulli adversus eos, qui eam persuaderent. 53 *et adn.* 2.

Virginitas perpetua B. Mariæ prædicatur. 54, *et* 169, *adn.* 5.

Vivacitas et *vivacior*. 55.

Vocabulum. 165, *adn.* 13.

Volens. 168.

Voluntati nostræ commissa est electio, 98. Cui se jungit parti, præbet victoriam. *Ibid.*

Voluntate pro libertate. CVI.

Vultus pro imagine. 26 *et adn.* 39.

Z

S. Zeno unde ortum habuisse videatur, CXXII. E Syria venit in Italiam, *ibid.* Quo anno ac die ordinatus fuerit episcopus Veronensis, LXXII, CXXIII. Sæculo IV floruisse demonstratur, XLIV *et seqq.*, LXV *et seqq.* Arianis se opposuit, XLVI. Paganis se objecit, CXXV. Gentes eum concionantem audiebant, *ibid.*, 30 *et adn.* 1. Quamplures simul in paschate baptizabat, CXXV. Veronam ab erroribus purgavit, ac ad veram religionem perduxit, CXIII. In dedicatione novi templi sermonem habuit, 109, *adn.* 1. Agapes in libidinem et ebrietatem conversas reprehendit, atque eliminavit. 121, *adn.* 18. Ejus judicio probata, et sanctificata benedictione virgo Indicia, LXVI, CXXVII. Pauper erat, 277, CXXVII. Auditores, in quibus fides ac pietas manebat, commendat, 84. Veronensium liberalitatem in captivorum redemptione præstitam eximiis laudibus effert, 88. Miraculis celeber, CXXVIII. Quo anno circiter ac die obierit, CXXIX. Cur alio die ab emortuali variis in locis ejus natalis celebretur, CXXIX. Ejus ætas certis finibus statuitur, LXXI. S. Zenonem floruisse Gallieno imperante fabulam esse demonstratur, LXX. V. *Coronatus*. Martyrne obierit, CXXXI. An Confessor tantum, CXXXIV. Ecclesia antiqua, ubi primum ejus corpus quiescebat, quæ fuerit, CXL, CXLI. Miraculum Athesis ad ejus ecclesiam a S. Gregorio descriptum, CXL, CXCVII. Quo anno contigerit, CXL. Quo die, CXXIX. Translatio S. Zenonis quando peracta, CXL. Ejus translationis historia, *ibid.*, *et* CLXXII *et seqq.* Ejus corpus per aliquod tempus irruptionis Hungarorum causa in Cathedrali depositum fuit, CXLII. Quo anno, *ibid.* In suam ecclesiam restituitur, et adhuc religiose servatur, *ibid.* Reliquiæ S. Zenonis variis in locis custoditæ, *ibid.* Cultus S. Zenonis quam antiquitus ac late pervagatus sit, CXLIII *et seqq.* Nullum alium Zenonem episcopum præter sanctum magnum Patronum agnovit umquam Veronensis Ecclesia. LXIV.

S. Zenonis sermones antiquis codicibus, multisque testibus, et Veronensis Ecclesiæ antiqua traditione vindicantur, LXI *et seqq.* Ejusdem tractatus quidam olim in Ecclesia Veronensi publicis in officiis legebantur, VII. V. *Veronensi in Ecclesia*. Tractatuum ejus collectio inter omnes latinorum PP. antiquissima, LXXV. Quantum utilis antiquæ disciplinæ cognoscendæ, præcipuisque dogmatibus statuen-

dis, *ibidem*. Tractatus cur breves paschali tempore S. Zeno habuerit, XLIII, 238. Non nulli sunt præfationes potius quam tractatus, *ibid.* Cur aliqui similes sententias habeant, XL, 238, 239. Non fuerunt ab Auctore editi, sed ab aliquo antiquo amanuensi, non multum post mortem ejus ex schedis collecti, XVI, 239. Hi sermones sæculo IV scripti probantur, XLIV. Paschalem canonem ab eo editum quidam perperam produnt, CXXVII. Num scripserit epistola, 3. *adn.* 1. Ejusdem tractatus de fide Germanice redditus, *ibidem*. Quidam sermones a Barthio illustrati. V. *Barthius*. Sermones XI. Olim S. Zenoni perperam tributi, suis auctoribus restituuntur, 307, XXXVII.

S. Zeno Nicænum dogma adversus Arianam hæresim quam diserte asseruerit, XLVI et LXXIX. Difficilia aliquot ejusdem testimonia vindicantur, atque explicantur, LXXX *et seqq.*

S. Zeno in Virgilii lectione exercitatus, 128, 138. Lactantium imitatus est, XL, LVI. V. *Lactantium*. Et S. Hilarium, XXXIX, LVI. V. *S. Hilarium*. S. Zenonem auctor incertus imitatus, non nulla ex eodem exscripsit. 203, *adn.* 1 *et* 4.

INDEX ANALYTICUS

OPERUM SANCTI OPTATI.

Omisimus hoc in indice nomina episcoporum et locorum de quibus in Collatione Carthaginensi, quia suos habent peculiares indices. Cætera accurate collegimus. Hoc signum *Præf.* Præfationem totius operis indicat. *Hist.*, Historiam Donatistarum a nobis adornatam. *Geogr.*, Geographiam nostram. *Annot.*, variorum annotationes, observationes, et notas ad finem Optati. *Hist. Coll.*, Historiam Collationis Carthaginensis, auctore Balduino. Ubi vero nulla nota præfigitur, sed tantum pagina indicatur, ipsum Optati textum laudari scias. (*Ad numeros crassioribus characteribus in hac nostra editione expressos lector revocatur.*)

A

Abitinenses Martyres, Post gloriosam confessionem in carcerem conjecti, *Hist. pag.* 2.

Adelphius de colonia Londinensium. Adest conc. Arelat. I, *Hist.* 7.

Ælianus proconsul Africæ. Cognoscit de causa Felicis Aptungitani, 23, etc., *ibid. not.* 42. Idem est ad quem scribit Constantinus de evectione episcoporum ad concilium Arelatense, *Hist.* 7; *ubi vide notam* 16, *p.* 3.

Africa. Africæ descriptio, *Geogr.* 23; Divisio, *ibid.* 23, 24; *Annot.* 122, 123. Africæ ubertas, *Geogr.* 23 *et* 24. Multitudo incolarum, locorum et episcopatuum, 24, 25. Quando et a quibus lumen religionis Christianæ acceperit, *Hist.* 1. *Vide ibid. not.* 1 *et* 2. Quam brevi creverit, *ibid. et p.* 1, 2.

Agrippinus Carthaginensis episcopus. Quo tempore floruerit, *Geogr.* 30.

Agroetius Trevirensis. Concil. Arelat. adfuit, *Hist.* 7.

Albaspinæus Aurelianensis episcopus. De editione operum Optati quæ nomen ejus præfert, *Præf.* 9.

Alfius Cæcilianus. *V.* Cæcilianus.

Altare. Quid hoc nomine significetur, *Annot. p.* 121. Signum veræ Ecclesiæ, *not.* 31, *p.* 19. In altaribus vota populi et membra Christi portata sunt, 90. Postulatus ibi descendit Spiritus sanctus, *ibid.* Unde a multis pignus salutis æternæ, tutela fidei et spes resurrectionis accepta, *ibid.* Altare sedes Corporis et Sanguinis Christi, *ibid.* Ibi Corpus et Sanguis Christi per certa momenta habitat, 91. Altaria sacrificii incruenti. *Annot.* 7, 8, *p.* 90. Eorum insignia nomina, *Annot. ibid.* Altaria lignea, 91 *et* 92. Altaria linteaminibus in peragendis mysteriis cooperiuntur, 92. Veneratio altaribus debita, *Annot. p.* 133. Sacrilegium est altaria frangere aut removere, 45 *et* 90. Quantum periculum altare contra altare erigere, *ibid.* 121, 122, 126.

Ambitausus Remensi, adest conc. Arelat. I, *Hist.* 7.

Anastasius Beneventinus, adest concilio Arelat. I, *ibid.*

Angelus. Dos Ecclesiæ, 56. Quid, *ibid. not.* 81; *Annot.* 81, *p.* 36. Angeli septem Ecclesiarum ad quos scribit Joannes, 36. Angelus aquis lustralibus adest, et apud ipsum fit professio fidei, 38, *ibid. not.* 17.

Animæ, Sanguine Christi redemptæ vendi non possunt, 68.

Annulus. Annulus quo signatus est Ecclesiæ fons, 9 et 10. Quid sit, *Vide Ibid. not.* 91; *Annot.* 90, *p.* 9.

Anulinus, in Christianos sævit in provincia proconsulari tempore Diocletiani, *Hist.* 1.

Appellationes in causis Ecclesiasticis. Vide quid de iis sentiat Balduinus, p. 114.

Apostoli, divisas non habent à Petro cathedras, 31, *ibid. not.* 28.

Aqua, rerum omnium principium, *Annot.* 24, p. 52. Quo sensu non facta, *ibid.* Aquam non legimus factam, 529, *ibid. not.* 24. Plura de Aqua baptismi, 51, 52; *Annot.* 21, *p.* 81.

Aræ. Aræ exstructæ super tumulos martyrum, 60, *ibid. not.* 77. Aræ martyrum dealbatæ, *annot.* 77, 78, *p.* 60.

Arius, docebat Filium ex nullis substantiis factum esse, 75. Hujus doctrina in concilio Nicæno a 318 episcopis damnata, *ibid.*

Asmodæus, Dæmon à Sara puella fugatus a Tobia, 52, *ibid. not.* 18. Ἀπάτητε. Quid significet ista vox. Sap. III, 16, *p.* 77, *not.* 59.

Aucupes. Egregia descriptio aucupum qui glutine aves capiunt, et eorum comparatio cum hæreticis, 98, *annot. p.* 134, *p.* 98, *annot.* 8, 9.

Ave, dici non debet hæreticis, 74.

S. Augustinus. Ejus collationes cum Donatistis. *Hist. Coll.* 347, 348. Opera et acta in Donatistas, *ibid.* 41 *et seq.*

Avitianus Rothomagensis, adest concilio Arelat. I, *Hist.* 7.

Aurelius Carthaginensis. Tempus quo sedit Carthagini, *Geogr.* 31.

Autumnitanus, seu Aptungitanus episcopus. Cujus provinciæ fuerit, 17, *ibid. not.* 3.

Axido. Dux Circumcellionum, 59, 60.

B

Bagaïs, seu Vaga, urbs Numidiæ episcopalis, 51, 58, *not.* 8.

Balduinus (Franciscus) accusatur à Beza, *Hist. Coll.* 341. Ejus paupertas, *ibid.* Ejus studia et professio, *ibid.* 342. Ejus de edendo Optato concilium, *annot. p.* 111 et 124. Editiones operum Optati ab eo publici juris factæ, *Præf.* 4.

Ballis seu *Vallis*, oppidum in Numidia, 33, *ibid.*, *not.* 55.

Baluzius. Acta martyrum et Collatio Carthaginensis ab eo edita, *Præf.* 9; Hujus eruditio, *ibid.*

Baptisma. Quando institutum a Christo, 85. Aqua Baptismi res Dei est, non Deus, 78. Unum baptisma est, 79 et 80. Laudes Baptismi, 80 et 81. Hujus effectus, *ibid. et annot.*, 8, 9, et *p.* 80. Hos non operarius, sed credentis fides et Trinitas præstat, 81. Baptismi vis sita in nominibus Trinitatis, 38. Cui concurrit fides credentium, *ibid.* Vim suam non habet a ministro, sed a Deo, *ibid.* Ubi Trinitas cum fide concordat, qui natus fuerat sæculo renascitur spiritualiter Deo, *ibid.* Ejus necessitas, *Præf.* 3. Per Baptismum hominibus muri facti sunt ad tutelam, 52. Baptismi cæremoniæ jam tum tempore Optati, *annot. p.* 121. Exorcismus Baptismo prævius, 6. Unctio quæ fit in baptismate, *ibid.* In Baptismate tria, Trinitas, Credens et Operans, 83. Diluvium Baptismi figura, 6, 80, et Circumcisio, 6. Baptismatis unio in Trinitate, *ibid.* In Trinitate collatus, *annot.* 50, 51, *p.* 6. Christus piscis est qui in Baptismate fontalibus undis inseritur, 52. Singularis Baptismus, *ibid.* An fidem suscipientis requirat, ut ratus sit secundum Optatum, 6. Validus etiamsi a malis et ab hæreticis collatus, *ibid. Annot.*, *p.* 130, 131 *et p.* 7, *not.* 30 *et seqq.* De Baptismo hæreticorum, *annot.* 118, 125. Hæreticorum Baptismata vana et falsa, 12, 80, 81, 82, 83. De Baptismo hæreticorum quid statutum a synodo Arelatensi, *Hist.* 8. Rebaptizati a Donatistis resurgent sine tunica nuptiali, 89. De reiteratione Baptismi, *annot.* 80 etc., *p.* 8. In nomine Trinitatis collatus iterari non debet, 6 et 80. Iteratio Baptismi vetita, 38, 51, 52. Iteratio Baptismi ex sacris litteris illicita probatur, 51, 52, 81, 82, *annot.* 133. Iteratio Baptismi contra leges, 6, 7, *not.* 12, *p.* 30 et 31, *not.* 15. Iteratio Baptismi rejicitur Canone Carth., 313.

Baptisma Joannis, diversum a Baptismo Christi, 84 et 85. Baptisma Joannis non erat plenum, 85. Qui baptizati fuerunt a Joanne ante institutum Baptismi Christi, salvi facti

sunt. 85. Qui post institutum Christi Baptisma baptizabantur Baptismo Joannis, rebaptizati Baptismo Christi, *ibid.* Utrum baptizati a Joanne Christi Baptismo iterum tincti fuerint, 7.

Basilicæ. In basilicis sepultura non conceditur passim, 60, 61. Hæreticorum basilicæ non necessariæ, 51. *Ibid. not.* 6. A persecutoribus dicebatur basilicas dirui, 51. Basilicæ catholicorum in Africa a Donatistis occupatæ, 41. Nondum restitutæ statim post remissam in Africa persecutionem, 14. Multæ Romæ primis temporibus, *præf.* 4. Quadraginta Romæ et amplius basilicæ initio schismatis Donatistarum, 34. *Ibid. not.* 70.

Beza (Theodorus). Hujus lapsus, *Hist. Coll.* 339. Comparatur cum Petiliano, 340. Ejus in colloquio Possiaco errores, *ibid.*

Bonifacius Ballitanus, pseudo-episcopus Romæ de parte Donati, 33. Romam missus interventor a Donatistis, *Hist.* 12.

Bonifacius Carthaginensis. Tempus quo sedit, *Geogr.* 31.

Botrus. Episcopatum Carthaginis ambit, 17. Spe frustratur, *ibid.* Idem, *Hist.* 4. De Botro et Celestio Balduinus, 126.

Byzacena. Provincia Africa, *Geogr.* 23. Hujus descriptio et limites, *ibid.* 26.

C

Cæcilianus Archidiaconus Mensurii in Carthaginensi Ecclesia, *Hist. p.* 2. Inconsultam turbam accedentium ad visitandos Abitinenses Martyres arcet, *Hist.* 2. Inde calumnia Donatistarum in illum quod eos qui ad alendos Martyres veniebant cædi jusserit, *ibid.* 2. Suffragio populi eligitur episcopus Carthaginensis et ordinatur, manus imponente Felice Aptungitano, 17. Eadem, *Hist.* 3 et 4. Tempus quo sedem Carthaginensis obtinuit, *Geogr.* 30, 31. Hujus ordinatio vitii accusatur, 18. Secundus Tigisitanus aliique episcopi traditores conveniunt Carthaginem in eum, *ibid.* Quo sensu se ordinandum iterum offert, *annot. p.* 126, 127, et *not.* 30, 31, *p.* 19. A septuaginta episcopis Numidis deponitur absens, *ibidem, Hist.* 4. Majorinus adversus eum ab ipsis ordinatur, 18 et 19. Retinet Cæcilianus cathedram suam, *ibid.* Accusatur criminum per litteras Numidarum, 19. Eadem, *Hist.* 3 *et* 4. Non exivit a Majorino, sed Majorinus a Cæciliano, *annot.* 1. *p.* 10. In damnatum a Numidis litteræ missæ, *Hist.* 4. Permanet in sede, 4. A Constantino judices dati in concilio Romano Cæcilianum absolvunt, 24; *Hist.* 5, 6, *et annot. p.* 128, 129, 177. Sententia Miltiadis in ejus gratiam, 24. Retinetur Brixiæ pro bono pacis, 25. Carthaginem redit, *ibid.* Absolvitur iterum in concilio Arelatensi, *ibid.* 136, 137; *annot. p.* 128, 129, et *not.* 13, 14, 15, *p.* 24. Rursus accusatur apud imperatorem a Donatistis, *ibid.* 19, 20. Romam advocatus ad diem non comparet, *ibid.* 21. Imperator ipsum innocentem pronuntiat, *ibid.* 21, 22. In eum rursum libellum offerunt Donatistæ, nebulonem eum appellantes, *ibid.* 25. Cæcilhani mors, *ibid.* 29. De hujus historia et judiciis in eum vel pro eo gestis, quæ scripsit Balduinus habes, *annot.* 127 *et seq.* De eo Albaspinæus, *annot.* 134 et 135.

Cæcilianus decurio Aptungitanæ Coloniæ. Quid egerit tempore persecutionis ad extorquendos libros ab episcopo et clericis hujus loci, *Hist.* 2. Testis in causa Felicis, 17; *Hist.* 6.

Calama. Oppidum Numidiæ, de quo vide *p.* 14, *ibid. not.* 51.

Calices. Christi sanguinis portatores, 92. Eos vendere sacrilegium, *ibid.*

Calidius Gratianus. Testis in causa Felicis, 26, *Hist.* 6.

Calvinus. Lucanius dictus a Balduino, *annot.* 151. Hujus σφάλματα notata a Balduino, *ibid.* 114, 115, 120. Alii ejus errores de doctrina, *ibid.* 115, 116, 118, 119. Circa disciplinam, *ibid.* 117. Ejus testimonia de Synagoga et Ecclesia, *Hist. Collat.* 362, 363.

Calvinistæ. Eorum cum Donatistis egregia comparatio, *annot.* 121, 127.

Campitæ. Ita dicti Donatistæ, *Hist.* 12.

Canis. Vile animal Hebræis ad sacrificia ineptum, 76, *not.* 50.

Capito. Episcopus partis Majorini, 22. Accusator Cæciliani, *Hist.* 9.

Capreolus Carthaginensis ordinatus circa annum 423; *Geogr.* 31.

Carpi. Urbs Africæ, 42, *ibid. not.* 46.

Carpophorus. An recensendus inter episcopos Carthaginenses, *Geogr.* 30.

Carthago urbs. Carthaginis urbis historia et varia fortuna, *Geogr.* 28, 29. Ejus situs ex antiquis, *ibid.* 29, 30.

Carthaginensis Episcopus. Totius Africæ primas, *Geogr.* 26. Hujus sedis privilegia, *ibid. et p.* 26. Series Carthaginensium antistitum, *ibid.* 30 *et seq.* Series Carthaginensium quorumdam episcoporum secundum Albaspinæum, *annot.* 137.

Casaubonus (Mericus). De editione operum Optati ab eo facta, *Præf.* 4 et 5.

Cataclysmus. Figura Baptismi, 80.

Cataphrygæ. Hæretici, 8.

Cathedra. Quid sit, 10. 11, 31 *et not.* 31. Cathedra una per Petrum, *annot.* 20, 21 *et seq., p.* 31. *Annot.* 79, *p.* 35; *not.* 83, *p.* 38; *not.* 11, *not.* 27, *p.* 104. Prima Ecclesiæ dos, 38, 31, 36 *et annot.* 94, *p.* 10. Per Petrum nostra, 36. Per eam habet et cæteras dotes, 37. Quis prior ipsam sederit, 31. Cathedra Petri et Cypriani, 10 *et ibid., not.* 3, 4. Recedere a cathedra, et novam instituere, schismatis argumentum, 10, 11. Cathedra Petri, in ea unitas servatur, 31. Qui eam tenuerint pontifices, 31, 32. In ea minime sedebant episcopi Donatistæ Romam missi, 31.

Catholicum. Quæ sit hujus vocis etymologia et significatio, 29, *ibid not.* 6.

Causæ. Deo quædam servantur, 15.

Cœlestius. Episcopatum Carthaginis ambit, 17. Spe frustratur, *ibid.* Idem, *Hist.* 3. De Cœlestio et Botro Balduinus, *annot. p.* 18 *et* 126.

Charitas. Necessitas charitatis ad martyrium, 65.

Chrisma. Sanctum Chrisma ex oleo, 62. Antequam fiat oleum, natura simplex sit suave, cum de nomine Christi conditur, 102. Venientes a Donatistis non iterato chrismantur a Catholicis, 103. Effectus Chrismatis, *ibid.* Ejus usus antiquus probatur, *annot. p.* 126. Hujus tamquam rei sanctæ meminit Optatus, *Præf.* 3. Ampulla Chrismatis profecta illæsa inter saxa consedit, 42.

Christus. Filii Dei, 1. Deus, *ibid.* Judex sæculi venturus, 2. Secundum hominem prius natus, passus, mortuus et sepultus, 2. Qui resurrexit, *ibid.*; et antequam in cœlos ascenderet, pacem suis reliquit, *ibid.* Solus Christus Dei filius perfectus, 44. Rex et sponsus Ecclesiæ, 54. Sponsus et vestis nuptialis, 89. Piscis, et quo sensu, 52. A peccato immunis, *annot.* 70, *p.* 7. Caro Christi peccatrix dici non debuit, 7; nec in remissionem peccatorum tincta, *ibid.* Hæretici carnem Christo subducentes, 11. Per carnem Christi reconciliatus est mundus, *ibid.* De eo dictum a Propheta : *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*, et quo sensu, 76. De hujus unctione et baptismo, *ibid.*

Christianus. Paganus appellari non potest, 68.

Circumcelliones. Quo tempore orti sunt, 24. Qui fuerint, et unde dicti, *ibid. et* 39, *not.* 70. A Donato Bagaiensi impulsi, 39. Eorum furor, 24, 60. Plurimi eorum occisi, 62, 63. Mulctatis militibus, occasionem iis dedere sæviendi in se, 63.

Circumcisio. Figura baptismi, 80.

Cirta. Civitas Africæ, 14. Hujus urbis descriptio, *Hist. Collat.* 344, 345.

Clarentius episcopus Donatista. Cum eo concertatio Augustini, *Hist.* 18.

Claudianus, pseudo-episcopus Romæ ex parte Donati, *Præf.* 1; *Hist.* 12. Quid de eo Itali ad Valentinianum, et Valentinianus ad Italos episcopos, *ibid.* 12 et 13.

Claudianistæ. Donatistarum secta, *Hist.* 13.

Claudius Saturninus curator reipublicæ. Testis in causa Felicis Aptungitani, 26, *ibid. not.* 45; *Hist.* 6.

Claves. Claves Ecclesiæ Petro datæ, 35. Petrus has accepit communicandas cæteris, 101, 102. Hæretici claves non habent quas solus Petrus accepit, 9, 12. Adversus eas portæ inferi non prævalebunt, 35.

Clericorum immunitas a Constantino Afris indulta, *Hist.* 5. Eadem alia lege confirmata, *ibid. p.* 25, 26.

Cochlæus, primus editor Operum Optati, *Præf.* 4.

Codices sacri. Edictum Diocletiani de iis comburendis quo obtentu datum, *annot. p.* 123.

Collationes in causa religionis. Earum utilitas, *Hist. Coll.* 347, 348. An a Principibus peti possint, *ibid.* 348.

Collatio Carthaginensis anni 411 cum Donatistis. Collatio petitur a Catholicis, *Hist.* 19 et *Hist Collat.* 348. Conveniuntur Donatistæ ut Collationem accipiant, *Hist.* 19. Legatio ad imperatorem missa, *ibid.* Petitur a Donatistis, *ibid.* 20 *et Hist. Collat.* 348. Collationis Carthaginensis indictio, *Hist.* 20. Hujus utilitas, *Hist. Coll.* 348 *et* 349. Marcellinus judex, *ibid.* De tempore Collationis, *ibid.* 227 et 349, 550. Actorum nomina, *ibid* 228. Eorum notitia, *ibid.* 229. Capitula Collationis, *ibid.* 231 *et seq.* Edictum imperatoris et Marcellini circa collationem, *ibid.* 146 *et seq.* Actores ex utraque parte, *ibid.* 228, 229. Gesta ipsa, *ibid. a pag.* 246 *ad pag.* 317. Breviculum gestorum quæ desiderantur ex Augustino, *ibid. a pag.* 317 *ad pag.* 325. Sententia Cognitoris, 325 et 265. Leges consecutæ, 565. Catholici offerunt Donatistis ut etiamsi hi victi fuerint, tamen episcopatus retineant, *Hist. Coll.* 351. Fortuna codicis ms. quo continentur, *ibid.* 226. Quomodo emendata a Baluzio, *ibid.* 226, 227. Hujus actorum historia a Balduino composita, 350 *et*

seq. Iterum actorum historia a Balduino, *a pag.* 353 *ad finem.* Historia brevis hujus Collationis, *Hist.* 20, 21. Alia Collatio post Carthaginensem, *Hist. Coll.* 365, 366.

Collatio Carthaginensis cum Arianis. De ea, *Hist. Coll.* 367, 368.

Colligere. Quid sit colligere plebem, 34, *ibid. not.* 64, 65.

Communio, cum toto orbe terrarum, 39; cum Ecclesiis et memoriis Apostolorum, *ibid.* 40 *et* 93. Una totius Ecclesiæ communio per Romanum pontificem, *annot.* 36, 37, etc., p. 32. Communio omnium episcoporum cum Romano episcopo et per eum secum invicem, 32, *ibid. not.* 37. Aliud est communicare episcopum cum episcopo et aliud laicum cum episcopo, 103 *et* 106. Non potest nisi accusatus et convictus reus a Communione semoveri, *ibid.*

Concilium Africanum. De primis conciliis apud Africam celebratis, *Hist. Coll.* 343.

Concilium Arelatense anni 314. Indictum a Constantino, *Hist.* 6, 7. Quot ei adfuerint episcopi, *Hist.* 7. Qui fuerint illi, *ibid.* Quis concilii præses, *ibid.* 8. Hujus judicium de causa Cæciliani, *ibid.* Quot Canones ab eo conditi, *ibid.* Hujus Canones duo explicati, *ibid. et* 8. Ep. synodica, *ibid.* 8 *et* 9. De ea synodo Balduinus, *annot. p.* 113, 114, 128 *et* 129; et Albaspinæus, *p.* 141.

Concilium Bagaitanum Primianistarum in Maximianistas. Quid in eo gestum, *Hist.* 16. De eo Balduinus, *Hist. Coll.* 246.

Concilium Cabarsussitanum Maximianistarum in Primianistas, *Hist.* 15.

Concilium Carthaginense. Ex Numidis, 70. Episcopus adversus Cæcilianum, 18 *et* 19; *Hist.* 4; *Hist. Coll.* 345. A quibus vocati et suscepti hi episcopi. *Hist.* 4. Vocatus ab iis Cæcilianus adesse renuit, *ibid.* Damnatur quasi ordinatus a traditore, *ibid.* Majorinum ordinant, 19; *Hist.* 4. Adversus Cæcilianum scribunt, *ibid.*

Concilium Carthaginense, 270. Episcoporum Donatist., *Hist. Coll.* 345.

Concilium. Carthaginense anni 249. De unitate procurata gratias agit Deo, *Hist.* 14.

Concilium Carthaginense Maximianistarum adversus Primianistas, *Hist.* 15.

Concilium Carthaginense in Pelagianos De eo, *Hist. Coll. Carth.* 366, 367.

Concilium Carthaginense anni 346, sub Reparato. Ejus acta, *Geogr.* 31.

Concilia Carthaginensia. De conciliis Carthaginensibus errores notati, *Hist. Coll.* 347.

Concilium Cirtense. Quando habitum, 14. *Vide ibid. not.* 59, 62. Ubi, *ibid.* Ex quibus episcopi compositum, 14 *et* 15. *Vide etiam notam* 73, *ibid.* Hujus acta, 15 *et Hist.* 3. De eo, 100; *annot. p.* 125, *not.* 59, 62, *p.* 14; *Hist. Coll.* 344, 345.

Concilium Milevitanum adversus Pelagium. De eo, *Hist. Coll.* 367, 368.

Concilium Nicænum episcoporum 318 damnat Arium, 75. An aliquid statuerit adversus Donatistas, *Hist. Coll.* 345, 346. De eo plura observata a Balduino contra Calvinum, *annot. p.* 114, 115. Hujus symbolum defensum, *ibid.* 115.

Concilium Romanum in causa Cæciliani. Quando habitum et ubi, 23; *ibid. not.* 90 et 91; *Hist. Coll.* 345. Quot, quinam adfuerint episcopi, et eorum nomina, 23. Sententia in Donatum lata, *ibid.* Cæcilianus absolutus, 24. De eodem, *Hist.* 5 et 6; *annot. p.* 113, 114, 127, 128 et *p.* 23, *not.* 4, 7 *et p.* 24, *not.* 13, 14, etc. Quid ab eo pronuntiatum de episcopis qui Cæcilianum damnaverunt et de Ordinatis a Majorino, *Hist.* 6. Epistola hujus concilii ad imperatorem, *ibid.*

Conciones sacræ. In nomine Dei incipiuntur, *Hist.* 14. De iis, *annot.* 18, 19, *p.* 73, *et p.* 74, *not.* 26. A stantibus audiebantur, *ibid. not.* 19. Episcoporum est concionari, *ibid. not.* 21, *p.* 102, *et not.* 30, *p.* 105. An Diaconis et aliis permissæ, *ibid.*

Constans imperator. Ejus ad unitatem procurandam labores, *Hist.* 12; *Hist. Coll.* 345, 346.

Constantinus Imperator. Felicitas et tranquillitas Ecclesiæ sub Constantino imperatore, 40 Cæciliano pecunias distribuendas in Africa committit, *Hist.* 5. Cleris Africanis immunitatem concedit, *Hist.* 5. Quomodo delata ad eum Cæciliani causa, *annot. p.* 113, 114. Quid egerit, 153, 154. Judices a Constantino petunt Donatistæ, 22. De genere justo cujus pater inter cæteros imperatores persecutionem non exercuit, *ibid., idem Hist.* 5. Quid responderit Donatistis a se judices petentibus, 22, 23. Indicit concilium Arelatense, *Hist.* 12, 13. Ad eum epistola concilii Arelatensis, *Hist.* 8. Ejus epistola ad episcopos hujus synodi, *ibid.* 8. Cæcilianum vocat, *Hist.* 8 *et* 9. Minatur Donatistas, *ibid.* Causam Cæciliani judicat, *ibid.* 9. Æliano proconsuli mandat judicium de causa Felicis Aptungitani, 25 *et* 26; *Hist.* 6. Legem severissimam fert in Donatistas, *Hist.* 10. Eam revocat, *Hist.* 10. Committit Deo judicium Donatistarum, *Hist.* 10, 11. Basilicam novam Catholicis Constantinicnsibus erigi jubet in locum ejus quam Donatistæ invaserant, *Hist.* 11. Ejus gesta in negotio Cæciliani ex Balduino, *Annot.* 123, 126, 127, 129, 130.

Constantius episcopus Faventiæ. Sedet in concilio Romano sub Miltiade, 23.

Core, Dathan et Abiron, Schismaticorum Antesignani, 20. Horum supplicium, 20, 21.

Corpiani hæretici. Quid hoc nomine designarit Optatus, *not.* 37, *p.* 74.

Crescens, forte idem cum *Cresto Syracusano*, Adest concilio Arelat. I, *Hist.* 7.

Cresconius Grammaticus Donatista. Ab Augustino refutatur, *Hist.* 19.

Crestus Syracusanus. Vocatus ad synodum Arelatensem litteris Constantini, *Hist.* 6. Forte idem ac Crescens; *ibid.* 7.

Crispinus Calamensis Donatista. Ejus acta in catholicos. *Hist* 19.

Cutzupitæ. Ita dicti Donatistæ, 34. *not.* 77.

Cyprianus, Episcopus Carthaginensis, 19. Tempus quo Carthaginensem sedem tenuit, *Geogr.* 30.

Cyriacus Carthaginensis Antistes tempore Gregorii VII, *Geogr.* 31.

Cyrus, non est recensendus inter episcopos Carthaginenses, *Geogr.* 30.

D

Daphnus Vasionensis. Adest Conc. Arelat. I, *Hist.* 7.

David. Non vult in unctum Dei manum mittere, 46.

Dei Filius, a Patre distinctus, 11.

Deogratias Carthaginensis episcopus. Ejus ordinatio et sors, *Geogr.* 31.

Deo gratias. Usitata pacis formula, 16. Ab episcopis dictum in concilio Cirtensi, *Hist.* 3.

Deus. Deus unus, 11. Genus Dei est non habere genus, 52. In Deo perennis majestas exundat, 77. Quidquid est supra homines jam quasi Deus est, 57. Juratur per Deum solum, *ibid.* De invocatione nominis Dei, 93, 106. Duos deos inducentes hæretici, 11.

Deuterius Episcopus Catholicus, dejectus a Donatistis. 48.

Diaconi. In tertio sacerdotio constituti, 13, 14; *Præf.* 3. Minoribus clericis præerant, *annot.* 36, *p.* 19. Diaconus in presbyterum ordinatus absque manus impositione. *Præf.* 4.

Dignatio. Quid, 73, *not.* 21; *annot.* 20, *p.* 73.

Dignus. Episcopus partis Majorini, 22.

Dispungere. Quid sit, *annot.* 65, 66, *p.* 59.

Dominicus Carthaginensis antistes, tempore Gregorii Magni, *Geogr.* 31.

Donatianus episcopus a Foro Claudii, sedet in concilio Romano sub Miltiade, 23.

Donatistæ. Pars Donati, quid, 57. Primum in Ecclesia erant ex ea egressi, 105. Schismatis Donatistarum origo et causæ ex Optato, 17 et 18; *Hist.* 3. Quo tempore schismatis hujus initium statuendum, *Hist.* 4; *Annot.* 125, *Hist. Coll.* 344. Donatistarum auctores fuisse Traditionis reos, 14 et 15. Iidem auctores schismatis et quomodo, 16 et 17. Traditionis et schismatis convicti, 27. Reges parvi pendunt, 22. Tamen Constantinum adierunt et ab eo judice petiere, *ibid.* Judicia in eos lata, *Hist. Coll.* 341. Eorum impudentia et protervia, *ibid.* 342. Appellatio Donatistarum a synodo Romana, 24. Increpantur a Constantino, *ibid.* Appellant ad imperatorem a judicio synodi Arelatensis, *Hist.* 8. *Vide ibid. not.* 6. Eorum molitiones in Cæcilianum, *ibid.* 8. E comitatu sese subducunt, *ibid.* 9. Turbas excitant in Africa, *ibid.* Basilicam urbis Constantinæ invadunt, *Hist.* 10, 11. Lex Constantini adversus Donatistas, *Hist.* 10. Ea feruciores redduntur, *ibid.* Vexant Catholicos indulgentia Constantini abutentes, *ibid.* 10. Libellum offerunt imperatori Constantino, *ibid.* 10. Donatistarum concilium contra iterationem baptismi, *ibid.* 11, 12. Ab eo tamen dissentiunt Donatistæ, *ibid.* Preces offerunt Juliano Apostatæ et ab eo libertatem obtinent, *ibid.* 14, 17, 18, *et not.* 34, 35, *p.* 40. Sæviunt in Catholicos, 40 *et* 41. Eorum sacrilegia, 42. Episcopos Romam mittunt, 32, 33, *Hist.* 12 Pauci Romæ Donatistæ, *ibid.* Cathedram ibi non habent nec Ecclesiam, 33 et 34. De pseudo-episcoporum Romanorum apud eos successione, *annot.* 41, *p.* 31, *not.* 56, *p.* 33, *not.* 64 *et seq., p.* 34. Toti Afri et peregini, *not.* 73, *p.* 34. Foras extra civitatem ex spelunca suos congregantes, *ibid. not.* 74. Unde dicti Montenses, 34, *ibid. not.* 77; *Hist.* 12; *annot.* 76, 77, *p.* 34. Campitæ dicti, *not.* 77, *p.* 34. Item Cutzupitæ, *ibid. not.* 77. Forte Rupitæ, *ibid.* Nulla in eos mota persecutio a Catholicis, 51. Fugerunt nuntiata unitate, *ibid.* Suis imputare debent quod aspere in eos factum, *ibid.* Novas turbas excitant in Africa post annum 408, *Hist.* 20. Concilium congregant, *ibid.* 21, 22.

De judiciis in eos latis, *Hist. Coll.* 343. Leges in eos, *ibid.* 46, 347, 350. Leges Honorii in Donatistas, *Hist.* 17, 20, 31. Theodosii Junioris, *ibid.* 22. Eorum status sub Vandalis, *ibid.* Eorum reliquiæ usque ad Gregorium Magnum, *ibid.* Collationem repudiant, *Hist.* 19. Sæviunt in Catholicos, *ibid.* Ad unitatem coacti lege Honorii, *ibid.* 20. A Marcellino damnati, *Hist. Coll.* 365. Leges in eos post collationem, *ibid.* 365 *et* 366. Quæ cavillati sint in sententiam, *ibid.* 366. Eorum pertinacia post collationem, *Hist.* 21, 22. De eorum schismate, erroribus et criminibus fuse Albaspinæus, *annot.* 134 *et seq.* In quibus convenirent aut dissentirent a Novatianis, *annot.* 136; *Hist. Coll.* 343 et 344. An et quomodo hæretici, *annot. p.* 120, *not.* 68, *p.* 15. Quid de Ecclesia sentiant, *Mon.* 313 *et seq.* Fatentur reos occultos in Ecclesia esse, *ibid.* An de Trinitate male senserint, *Hist.* 10. Eorum doctrina, *ibid.* 11. Non rebaptizant post socios in peccato detectos, *annot. p.* 131. Eorum dogmata et facinora, *ibid. et p.* 132. An Donatistæ reordinarint, *annot. p.* 140, 141. Male imponunt manus, maledicunt Deo et rebaptizant, 3 *et* 7. Repudiabant fratrum nomen, 4; *ibid. not.* 28. Consessum et colloquium Catholicorum vitant, 5; *Hist. Coll.* 347. Fugiunt pacem, 72. Nomen Donatistarum repudiant, *Mon.* 296. Eorum furor, 40. Et artes, *annot.* 132. Proselytos quærunt in variis regionibus, *Hist.* 12. At eorum secta hæsit in Africa, *ibid.* Et in paucis Romæ Montensibus ac in patrimonio Hispanæ mulieris, *ibid.* Eorum actus, 2 *et* 3. Altaria Catholicorum radunt, frangunt, aut removent, 90, 91. Eorum in hac parte sacrilegium, *ibid.* Calices item vendunt, 92. Per suos jurant, 45. Radunt capita sacerdotum in contemptum unctionis sacerdotalis, *ibid.* Nulli parcunt, sed omnium animas evertunt, 46. Exorcizant fideles, lavant parietes; episcopos, presbyteros et diaconos honoribus spoliant, 44, 46 et 47. Imponunt pœnitentiam innocentibus, 48. Virgines Deo consecratas a Catholicis, ad pristinum statum remittebant, 94, 95. Coactæ ab iis ut alteram mitellam acciperent, 96. Eripiunt Catholicis instrumenta divina, *ibid.* Item velamina, pallas, aliaque instrumenta dominica, *ibid.* Lavant pallas et parietes Ecclesiaram salsa aqua, 97. Donatistarum insipientia et superstitio in lavandis parietibus et palliis Catholicorum ridetur, *ibid.* Sæviunt in mortuos Catholicos non permittentes eorum corpora sepeliri, 97, 98. Comparantur aucupibus, 98. Superbi se falso sanctos jactitant, 44. Maledicunt Catholicis in concionibus, 73 et 74. Donatistarum sermo ut cancer serpit, 73. Fures Christianorum, *ibid.* Donatistæ schismatici falsi vates, 2, 66, 67. Ædificant ruinosum parietem juxta prophetiam Ezechielis, 67. Qui sint eorum sermones ad neophytos suos, 67, 68, 73. Seductores ostenduntur, 67, 68. Peccatores quorum timendum est oleum et repudiandum sacrificium, 72. Muscæ morituræ quæ corrumpunt suavitatem unguenti, 103. Eorum pseudo-martyres, 61, 63.

Donatus Catholicus episcopus. Annorum septuaginta dejectus et ad pœnitentiam detrusus a Felice Idicrensis, 43 *et* 48.

Donatus, Filius Nini, Diaconus occisus a Donatistis in Castello Lemellensi. 41.

Donatus Bagaiensis Donatista. Dux et Antesignanus insanæ multitudinis, 51. Circumcelliones excitat, 59. Conducit turbam in Macarium, 61.

Donatus Calamensis. Traditionem confitetur, 14, 15.

Donatus Carthaginis, diversus a Casensi, *Hist.* 9; *ibid. not.* 9; *annot.* 112. Utrum diversus a Casensi de eo sententia Albaspinæi, *annot.* 136 *et seq.* Qualis fuerit, *Hist.* 9 *et ibid. not.* 9. Circa annum 316 successit Majorino, *Geogr.* 31. Prædecessor immediatus Parmeniani, *ibid.* Auctor schismatis, 23. Ab eo dicti Donatistæ, 58; *annot.* 136. Hujus sectatores dicebantur pars Donati, *ibid.* Comparatur principi Tyri, 57. Hujus superbia et typhus, 57 *et* 58. In sæculo mortuus Donatus et in amore mundanarum litterarum, 58, 59. Insurgit adversus potestates, 56. Eleemosynas repudiat, 56 *et* 59. Causa Donati judicata in concilio Romano, 23. Sententia ibi in eum prolata, 23 *et* 24; *Hist.* 5 *et* 6. Appellat a sententia concilii Romani, 24. Cujus generis fuerit ista appellatio, *ibid. not.* 26. Petit ut sibi liceat reverti in Africam, idque obtinet ea conditione ut Carthaginem non accedat, 25. Carthaginem deinde redit, *ibid.* Provocavit ut unitas fieret, 51, 53. Erat adhuc superstes anno 347; *Hist.* 13. Ad eum scribit pseudo-Sardicensis synodus, *ibid.* In exsilium relegatur, *ibid.* 13. Mors ejus, *ibid.* 14. Superest in vivis usque ad annum circiter 353, *Geogr.* 31. Hujus convitia in Gregorium, *ibid.* 12, 13. Hujus scripta, *ibid.* Errores circa Trinitatem, *ibid.* 10. Hujus epistolam refellit S. Augustinus, *ibid.* 13. Pseudo-martyr Donatistarum, 63, *ibid. not.* 99. De eo Balduinus, *annot.* 132.

Donatus a Casis-Nigris. Ecclesiam Carthaginensem Cæciliano etiamnum diacono turbat, *Hist.* 4. Cur damnatus in concilio Romano, *annot.* 11, etc., *p.* 128 *et p.* 23. Petit ut sibi liceat reverti, *ibid. not.* 29, 30, *p.* 24. De eo Balduinus, *annot.* 109.

Donatus Masculitanus. Adest Concilio Cirtensi, et veniam criminis traditionis petit, *Hist.* 3. De eo, 14; *annot.* 47, 48, *p.* 14.

Donatus Sabratensis. Adest concilio Cabarsussitano, *Mon.* 205, 206. Damnatur in Bagaitano, *ibid.* 207.

Dulcitius comes. Executor legum Honorii in Donatistas, *Hist.* 21 *et* 22.

E

Ebion. De eo observatio Balduini, *annot.* 131.

Eborius Eboracensis. Adest concilio Arelatensi I, *Hist.* 7.

Ecclesia Catholica. Cur sic dicta, *not.* 5, *p.* 39, *not.* 12, *p.* 50. Quid significet nomen Ecclesiæ Catholicæ, *not. p.* 130. Constans ex episcopis, presbyteris, diaconis et fidelium turba, 39, 46; *Præf.* 3. Monstratur ex Lege, Prophetis, Evangeliis et Psalmis, *Mon.* 233. Præter unam catholicam altera non est, 7, 9, 28. Catholicam facit fides et unitas animorum, 11, *not.* 16, *p.* 11. Ecclesia catholica prior hæresibus, 104. Esse non potest apud hæreticos et schismaticos, 28. Argumenta ad eam probandam, *Hist. Collat.* 335, 336. Eam esse ubique dispersam, *ibid.* 337; ex successione probari, *ibid.* 338. An perire possit, *ibid.* 339. An duplex Ecclesia, *ibid.* 339. Ubique diffusa, 28, 29; *Præf.* 3; *Mon.* 234, 235, 302. Per totum orbem, 29, 30, 39, 54. Permixtos habet bonos et malos in terra, *Mon.* 235, 236, 316, 317; *Hist. Coll.* 339, 360, 361. Non perit malorum communione, *Mon.* 235, 236. De imperio Romano per totum orbem caput tulit, *annot.* 27, *p.* 54. Est in Republica, non Respublica in Ecclesia, 56; *ibid. not.* 40, 41. Quo sensu sit in Republica, *annot. p.* 131, *not.* 40, 41, *p.* 56; *Hist. Coll.* 337, 338. Successio episcoporum Ecclesiæ catholicæ argumentum, *annot. p.* 118, 119, 120. Ejus dotes, 9, 31, *ibid. not.* 14. Ecclesiæ dotes ita sibi connexæ ut separari non possint, 36. In Ecclesia spiritus, qui ubi vult spirat, *ibid.* Communio et unio Ecclesiarum, 93. Pacem retinet et unitatem, 35, 36. Cujus sanctitas de Sacramentis colligitur, 28. Qui sunt de parte alicujus non possunt esse de Ecclesia catholica, 58. Ecclesiam non esse apud recentiores hæreticos, iisdem argumentis probari ac contra Donatistas, *annot. p.* 118. Ecclesia ædificium est, 67. Comparata ædificio, schisma ruinoso parieti, *annot.* 15, *p.* 2. Ecclesia mons Sion, 54. Utrum per mundum intelligatur Ecclesia, *Mon.* 256. Ecclesia Paradisus merito dicitur, et quare, 39. Hortus conclusus, fons signatus, *ibid.* Sponsa, *ibid.* Non solum commemorandæ sunt ejus dotes, sed et de sanctis ejus membris agendum, quæ sita sunt in sacramentis et nominibus Trinitatis, 38; *ibid. not.* 15; et fides credentium ac professio, 38. Quomodo defendi debeat. *Hist. Coll.* 341. Donatistæ hanc perisse, et in sua parte tantum remansisse jactabant, *Hist.* 11. Petilianus Ecclesiam vitiis privatorum periisse affirmat, *Mon.* 299. Catholica vindicatur a calumnia Donatistarum quod crudeliter egisset in Donatistas, 39. Oblatio pro Ecclesia orbe diffusa, *ibid.*

Ecclesiæ hæreticorum. Has ut non necessarias rejicit Christus, *annot.* 86, 87, *p.* 9.

Ecclesia Templum. Qui sedendi in Ecclesia potestatem habeant, 73, *ibid. not.* 18.

Ecclesiæ ornamenta et vasa pretiosa. De iis fuse Balduinus, *annot.* 125, 126.

Elamitæ. Dicuntur Chori-Castrorum, 55; *ibid. not.* 32; *annot.* 32, *p.* 55.

Electio. Suffragium populi in electione episcopi, 17.

Eleemosyna. Eleemosynæ imperatorum haud repudiandæ, 56.

Emeritus episcopus Cæsariensis Donatista, auctor sententiæ in Maximianum, *Hist.* 16. Gesta Augustini cum ipso, *Hist. Collat.* 366. Post collationem iterum victus ab Augustino, *Hist.* 21.

Encolpius, pseudo-episcopus Romam missus a Donatistis, 32; *Hist.* 12.

Epictetus Centumcellensis. Adest Concilio Arelatensi I, *Hist.* 7.

Episcopus. Episcopi nomen, honor, officium, *annot.* 39, *p.* 43. Suffragio totius populi eligitur, 17. Ordinatur ab episcopis vicinis, *ibid.* An necessario primas a primate, *ibid. not.* 1; *annot.* 7, etc., *p.* 18. Episcopi in primo sacerdotio constituti, eorumque supra presbyteros [illegible], *Præf.* 3. Episcopalem ordinationem manuum impositione perfici, *Præf.* 4. Episcopi apices et principes omnium, 14. *Vide, not.* 46. Episcopi sunt judices in Ecclesia, 105, 106, *annot.* 32, *p.* 106. Deo debent famulari, 57. Prædicatio verbi Dei, munus episcoporum proprium, 105, 106; *Præf.* 4. Eorum erat tantum concionari, baptizare, etc. *Hist.* 14; *annot.* 80, *p.* 105. Actus episcopalis manuum impositio, 106. Episcopum civem urbis, non peregrinum esse convenit, 54

Episcopi dejecti sine causa, 44. Inter pœnitentiæ tormenta servati, *ibid.* Pœnitentia ad laicorum conditionem episcopi rediguntur, *annot.* 59, *p.* 43. Alia est episcoporum inter sese communio, alia laicorum cum episcopo et inter se, 106. Collegium episcopale, quid., *annot.* 37, *p.* 5. Collegium episcopale Catholicis et Schismaticis commune non est, 5. Episcopi Catholici offerunt Donatistis ut episcopatus retineant, etiamsi victi fuerint, *Hist. Coll.* 351. Superbia episcoporum taxatur, 58. Aulicos episcopos reprehendit Balduinus, *annot. p.* 126, 127.

Episcopatus. Multitudo episcopalium sedium in Africa, *Geogr.* 27, 28.

Epistolæ Formatæ. Quid, *annot.* 33 *et seq.*, *p.* 32. Quibus episcopi sibi invicem communicant, 32. De iis quid dicat Balduinus, *annot.* 133, 134.

Evandrus Episcopus Ursini. Sedet in concilio Romano sub Miltiade, 23.

Evangelium. Testamentum voluntatis divinæ, 81, 82. Judex controversiarum, 82.

Eucharistia. Pignus salutis æternæ, tutela fidei, et spes resurrectionis, 90. Altare sedes corporis et sanguinis Christi, *ibid.* Ibi corpus et sanguis Domini per certa momenta habitat, 91. Calices Christi sanguinis portatores, 92. In celebratione mysteriorum offerri dicitur pro una Ecclesia ubique diffusa, 39. Vinum Deo in sacrificium offertur, 62. Eucharistiam projicere quam impium, 45 Quam grave crimen eam fundere, 42. Canes quibus projecta dominos reos dente vindice laniaverunt, *ibid.* Corporis Christi realem in Eucharistia præsentiam agnoscit Optatus, *Præf.* 3.

Eugenius Carthaginensis. Ejus vita et laus, *Geogr.* 31.

Eunomius episcopus cum Olympio missus Carthaginem, ut pronuntiaret ubi esset Catholica, 23. Confirmat synodi Romanæ judicium, 24; *Hist.* 5, 6.

Evodius episcopus. Legatus ad Imperatorem, *Mon.* 303.

Excommunicatio. Non potest fieri nisi in reum accusatum et convictum, 106.

Exorcismus. Quid operetur, *annot.* 43, *p.* 75. Ante baptismum fugat spiritum immundum cum quo nascuntur omnes, 75. Impietas exorcizandi fideles, 44, 45, 75 et 82. Qui fidelem exorcizat et baptizatum, male dicere Deo recte dicitur, *annot.* 23, *p.* 3. De Exorcismo Balduinus, *annot.* 152.

F

Fasir. Dux Circumcellionum, 62.

Fastidiosus Arianus. Ejus contra Donatistas testimonium. *Mon.* 333.

Fausta. Domus Faustæ in Laterano, ubi habetur concilium Romanum, 23; *Hist.* 5.

Faustus Tuburbitanus. Adest concilio Arelatensi 1, *Hist.* 7.

Felicianus Mustitanus. Ordinator Maximiani, *Hist.* 16. Damnatus a proconsule, *ibid.* Ecclesiam nihilominus, *ibid.* Receptus a Primianistis, 17. Adest concilio Cabarsussitano, *Mon.* 205. Damnatur in Bagaitano, *ibid.* 207. Libellus peregrini in illum, *Mon.* 207.

Felix diaconus Carthaginensis. Ob famosam adversus Imperatorem epistolam reus, 17. *Vide ibid. not.* 92. Eadem, *Hist.* 3. De eo, *annot. p.* 126, *et not.* 94, *p.* 17.

Felix episcopus Aptungitanus *vel* Autumnitanus. Ordinator Cæciliani, 17. Accusatur traditionis a Donatistis, 18. Cognitio causæ ejus coram Æliano proconsule, 25, 26. Traditionis reus non fuisse probatur, *Hist.* 2. Sententia proconsulis in gratiam Felicis, *Hist.* 6. Judicium ab Æliano latum in ejus gratiam a Catholicis recitatum, *Mon.* 324. De purgatione Felicis coram Æliano, quæ refert Balduinus, *annot.* 129, 130. De die et anno quo absolutus est ex Albaspinæo, *annot.* 141. De ejus absolutione, *annot.* 40, 41, *p.* 25.

Felix Episcopus a Florentia. Sedet in concilio Romano sub Miltiade, 23.

Felix Idicrensis Episcopus Donatista. Sævit in Catholicos, 43. De castimonialibus facit matres, *ibid.* Incestat virginem, *ibid.* Detrudit Donatum catholicum episcopum ad pœnitentiam, *ibid.*

Felix a Rotario episcopus. Adest concilio Cirtensi, 15.

Felix a tribus Tabernis. Sedet in concilio Romano sub Miltiade, 23.

Felix Zabensis episcopus Donatista. Sævit in Catholicos, 41.

Felix pseudo-episcopus Romæ ex parte Donati. Adest Collationi Carthaginensi, *Hist.* 12; *Hist. Collat.* 349.

Fidentius episcopus partis Majorini, 22. Accusator Cæciliani, *Hist.* 9.

Fides Deo commendat, 1. Præcipua fidei capita, *ibid. et* 2. Necessaria in suscipiente ad Baptismum, *annot.* 40, etc., *p.* 83. Fides suscipientis Baptismum concurrit cum Trinitate ad regenerationem, 38. De fidei virtute, 87, 88.

Filuminus. Suffragator Donati, 25; *Hist.* 5.

Firmus Maurus. Mauritaniæ tyrannidem invadit, *Hist.* 15. Rogatistas vexat, *ibid.* Hujus mors, *ibid.*

Florianus a Sinua *seu* Cesena. Sedet in concilio Romano sub Miltiade, 23. De eo Balduinus, *annot. p.* 127, 128.

Florus. In Numidia sævit in Christianos tempore Diocletiani, *Hist.* 1.

Flumen-Piscensis. De eo episcopatu vide, *annot.* 40, 41, etc., *p.* 41.

Fons. Ecclesiæ dos, et quo sensu, 37. Hæretici fontem non habent, quia non habent symbolum catholicum, 37, 38.

Fortis episcopus e parte Donati. Hujus litteræ ad Silvanum et Cirtenses in gratiam Nundinarii, *Hist.* 7.

Fortunatus episcopus Cæsariensis. Adest concilio Arelatensi 1, *Hist.* 7.

Fortunius Carthaginensis antistes tempore Theodori papæ, *Geogr.* 31.

Fortunius Donatista. Ejus Collatio cum sancto Augustino, *Hist.* 18.

Forum-Claudii. Urbs episcopalis, 23, *not.* 97.

Frater. De hoc nomine inter Christianos, *annot.* 125. Nomen fratris schismaticis convenit, et quare, 71. Fratres sunt quos iisdem visceribus genuit una mater Ecclesia, *ibid.* Fratres omnes sunt quibus spiritalis una nativitas, etsi diversi sint actus, 38, 39.

Fulgentius Ruspensis. Locus Optati a Fulgentio citatus, *annot.* 133.

G

Gallia. Immunis a persecutione sub Constantio, 22. Judices de Gallia petiti ab Africanis, *ibid.*

Gaudentius episcopus Pisarum. Sedet in concilio Romano sub Miltiade, 23.

Gaudentius Thamugadensis Donatista. Hujus furor, *Hist.* 22.

Genethlius Carthaginensis. Restituto succedit, *Hist.* 14. Ad annum usque 390 pervenit, *Geogr.* 31.

Geographia. De nostra Africæ Geographia, *Præf.* 6.

Getulicus, episcopus catholicus dejectus a Donatistis, 48.

Gildo Tyrannus. Tyrannidem occupat in Africa, *Hist.* 16, 17. Ejus mors, *ibid.* 17.

Gratia. Perficere est a Deo, 44. Quid de Gratia sensit Optatus, *Præf.* 3.

Gratianus imperator. Lex ejus in Rebaptizantes, *Hist.* 15; *Mon.* 203.

Gratus Carthaginensis. Successor Cæciliani ante annum 347, *Hist.* 13; *Geogr.* 31. Gratias agit Deo de unitate procurata in Africa, *Hist.* 14.

Gregorius comes. Donatistas reprimit, 67; *Hist.* 13. Donati in eum convitia, *Hist.* 13.

Gregorius incerti loci episcopus. Adest concilio Arelatensi 1, *Hist.* 7.

Gregorius Magnus. Ejus de Donatistis epistolæ, *Mon.* 334, 335, 336.

Gregorius Portuensis. Adest concilio Arelatensi, *Hist.* 7.

H

Hæretici. Eorum descriptio, *annot.* 79, 80 *et seq.*, *p.* 8, 9. Mœchi recte dicuntur, 74, 77. Desertores symboli et fidei secundum Optatum, 11; *Præf.* 3. Symbolum falsaverunt, 11. Soli habent varia et falsa baptismata, 12. Apud hæreticos non sunt Sacramenta cum catholicis communia, 8, 9. Nec apud ipsos Ecclesiæ dotes, *ibid.* Hæretici a schismaticis differunt, et in quo, 10. Sacramenta administrare nequeunt, 11. Fugiendi, 73, 74. Horum sermo ut cancer serpit, 74, 75.

Honor. Honore privare, genus homicidii, 44, 45, 46, 47, 48.

Honorius imperator. Lex ejus adversus irruentes in Ecclesias, *Hist.* 17; *Mon.* 208. Item de Rescripto quod Donatistæ a Juliano impetrarant publicando, *Mon.* 208, 209. Leges quatuor in Rebaptizantes, *Hist.* 19, 20; *Mon.* 215, 216, 217. Edictum unitatis, *Mon.* 218. Lex de mulcta in Donatistas, *ibid.* 289. Leges renovatæ in Donatistas, *Hist.* 19, 20; *Mon.* 221, 222, 223, 224. Ejus leges in Donatistas post collationem, *Hist.* 20, 21, 22; *Mon.* 326 *et seq. usque ad pag.* 330, *Hist. Coll.* 365.

Humilitas, in agnoscendis peccatis.

I

Iꝛ. In hoc nomine notæ continentur plurimorum nominum, 52; *ibid*, *not.* 20; *annot.*, *p.* 131.

Idola. Lacus detrilti, 77. In iis nulla virtus, 77, 78; *annot.* 68, *p.* 77.

Digitized by Google

Ignatius Antiochenus. De hujus epistolis, *annot.*, *p.* 131.

Imago. De imagine Imperatoris, *annot.* 43, 44, *p.* 69. Imaginem Imperatoris in altari ponere sacrilegum, 69, *ibid. not.* 43. De imagine Imperatoris, quam calumniabantur Donatistæ ponendam in altari a Macario, *annot.*, *p.* 132, 135.

Imperator. Imperatori quantus honor debitus, 56. Super Imperatorem nullus nisi Deus, *ibid.*

Impositio manuum. Duplex olim, *annot.* 128. Episcopalis et in pœnitentiam, 19. In Baptismo Christi, quæ, 76, 77. Manus impositio confirmatoria, *annot.* 56, 76. Manuum impositio in episcopis, clericis imponi non debet, 23. *V. ibid. not.* 10. Qui perperam manus imponunt, eversionis velamen obtendunt, 3; *ibid. not.* 22. Manus impositio eversionis velamentum in hæreticis, et quo sensu, *annot.* 18, *p.* 3. De qua manus impositione intelligendum sit decretum concilii Romani, secundum Balduinum, *annot. p.* 127, 128. Et secundum Albaspinæum, *ibid.* 137, 138, 139.

Ingentius Scriba, decurio Ziquensium. Testis in causa Felicis Aptungitani, 26, *ibid. not.* 49; *Hist.* 6. Ejus dolus ut Felicem traditionis crimine infamaret, *Hist.* 2. Epistolam Cæciliani adulterat, *ibid.* 2 *et* 3. Eam adulterasse convincitur et fatetur, *ibid.* 6. Propterea in carcerem conjectus, *Hist.* 6. Ad comitatum missus, *Hist.* 6, 9.

Innocentius, Romanus pontifex. De ejus litteris ad Africanos, *Mon.* 219.

Invocatio Nominis Dei. Sanctificat et emundat, 95. Tractatus ecclesiastici ab ea incipiunt, et per eam finiunt, 103, 106.

Israel. An in regno Israel vera fuerint sacrificia, *Hist. Coll.* 359, 360, 361, Schismaticos fuisse Israelitas, *ibid.* 261, 362.

J

Januarius Flumen-Piscensis Donatista. Sævit in catholicos, 41.

Jerosolyma. De hujus excidio, *annot.* 131.

Juda. Sacrificiorum Judæ et Israel ac Samaritanorum discrimen, *Hist. Coll.* 360, 361, 362.

Judæi. De iis dicitur ab Ezech. : *Dereliquerunt fontem aquæ, et foderunt sibi lacus detritos*, 77. Quomodo id intelligendum, *ibid.*

Judicia Transmarina. Quod episcopi ad judicia transmarina pergere facile non debeant, *Mon.* 219.

Julianus Apostata, imperator. Apostatam se edictis suis fieri testatus est, 40. Favit Donatistis et idololatris, 40, 41; *annot. p.* 131. Donatistis libertatem concedit, *Hist.* 14. Hujus rescriptum in gratiam Donatistarum, *Mon.* 201. Mors ejus, 41.

Juramentum. In nomine solius Dei jurandum. 45.

L

Laici. Qui nulla sunt in Ecclesia dignitate suffulti, 13.

Lampadius Utinensis. Adest concilio Arelat. 1, *Hist.* 7.

Lectores, habebant olim penes se codices sacros, *Hist.* 2.

Lemellense Castellum. Oppidum Sitifensis Mauritaniæ, 41 *et ibid. not.* 42.

Leontius comes. Unitatis assertor in Africa, 51, 67; *Hist.* 13.

Libellus supplex a Donatistis oblatus Constantino, 22; *ibid. not.* 73 *et* 79, *Hist.* 5.

Liberius Emeritensis. Adest concilio Arelat. 1, *Hist.* 7.

Libertas. Hominis est bonum velle, et in eo quod bene voluerit currere. 43, 44.

Limatensis civitas. *V. not.* 53, *p.* 14.

Lotio pedum. Figura Baptismi, 82.

Lucianus, episcopus Carthaginensis, 10. Prædecessor Mensurii. *Geogr.* 30.

Lucianus, episcopus partis Majorini, 22. Accusator Cæciliani. *Hist.* 9.

Lucianus, pseudo-episcopus Romanus ex parte Donati, *Præf.* 1; *Hist.* 12.

Luciferiani. De Luciferianis, *Hist. Coll.* 355.

Lucilla. Fœmina factiosa, 16. Correpta ab archidiacono Cæciliano quod os martyris nondum vindicati libaret ante spiritalem cibum, *ibid.* A communione se sejungit, 17, 18. Suffragatur ordinationi Majorini qui domesticus ejus fuerat, 19. Eadem, *Hist.* 3 *et* 4. De ea Balduinus, *annot.* 126. Et Albaspinæus, *ibid.* 134.

M

Macarius. Missus in Africam ad eleemosynas elargiendas unitatem procurat, 51; *ibid. not.* 4, 55, 59; *Hist.* 13. Falso accusatus quod imaginem afferret quam in altari poneret, 69. Imputari ei non debent quæ aspere gesta sunt pro unitate. 42, 50, 51. Vindicatur ejus factum multis exemplis a Donatistarum calumniis, 63 *et* 64. Persecutio dici non potest id quod fecit, 64. Populum allocutus est et communicavit non ut episcopus, sed ut laicus, 105, *Hist.* 14. Non debuit a communione laicorum removeri, quia minister erat Dei, 106, 107. Etiamsi reus fuisset, accusatore silente, non potuit excommunicari, *ibid.* De ejus causa Balduinus, *annot. p.* 131. De eo et Paulo, *ibid. not.* 67, *p.* 7.

Macrobius, pseudo-episcopus Romanus ex parte Donati et scriptor, 27; *Hist.* 12. Quando sederit. *Præf.* 1.

Majorinus, Carthaginensis episcopus partis Donati. 10, 11. Avus Parmeniani, hoc est, prædecessor Parmeniani intermedio Donato, 10 *et not.* 99; *annot.* 96, *p.* 10. Exivit a Cæciliano et recessit a cathedra Petri et Cypriani, *ibid. et not.* 5. Schismatis reus, *annot.* 96, *p.* 10. Lector cum Cæcilianus esset diaconus, 19. Domesticus Lucillæ, *ibid.* Adversus Cæcilianum ordinatus a Traditoribus pseudo-episcopus Carthaginensis, 16, 19, *Hist.* 3, 4; *Geogr.* 31. De tempore ordinationis hujus, *Hist.* 4. De hujus ordinatione Albaspinæus. *annot.* 134.

Maledictio. Maledicere Deo quid, 3.

Mammarius, presbyter Donatista. Accusator Cæciliani, *Hist.* 9.

Mamertinus, Elosatium episcopus. Adest conc. Arelat. 1, *Hist.* 7.

Marcellinus comes. Quis et qualis, *Hist. Collat.* 348, 349. Præses et judex in Collatione Carthaginensi, *Hist.* 20, 21. Ejus sententia, *ibid.* 21; *Hist. Collat.* 363. In eum Donatistarum calumniæ, *Hist.* 21. Mors ejus, *ibid.* 21.

Marcellus Memorialis. Auctor breviarii actorum Collationis Carth., *Mon.* 230. Ejus Præfatio, *ibid.*

Marcianus unus ex episcopis qui concilio Carthaginensi contra Cæcilianum interfuerunt. Ejus sententia, *Mon.* 176.

Marcion, hæreticus. Ex episcopo apostata factus inducebat duos Deos et duos Christos, 11 *et* 74, *et not.* 36. Hujus hæresis et nomen in Africa nota non erant Optati tempore, 8. De eo observatio Balduini, *annot.* 132, 133.

Marculus, Donatista. Pseudomartyr Donatistarum, 63; *ibid. not.* 99.

Marinus, episcopus aquarum Tibilitanarum, 14. Negat se tradidisse in concilio Cirtensi, *Hist.* 13. Traditionem confitetur, 15.

Marinus, Arelatensis episcopus. Sedet judex in causa Cæciliani Romæ, 23; *Hist.* 5. Concilio Arelatensi adfuit, *Hist.* 7. Concilii præses, *ibid.* 7. De eo Balduinus, *annot.* 127.

Martialis, Pertusensis. Adest concilio Cabarsussitano, *Mon.* 206. Damnatus in Bagaitano, *ibid.* 207.

Martianus Sullectinus. Adest concilio Cabarsussitano, *Mon.* 205, 206. Damnatur in Bagaitano, *ibid.* 207.

Martyres. Vindicatus martyr quid, *annot.* 87, 88, *p.* 17. Os martyris libare, *not.* 83, 84, *p.* 16. Qui non comprehensi sese offerunt, pro martyribus haberi non debent, *Hist.* 2. Pseudomartyres qui seipsos occidebant aut præcipitabant, 61. Pseudomartyres qui non sunt in bello occisi, 64. Sine confessione nominis Christi, sed in vindictam præceptorum Dei, 65. Qui non amant pacem, *ibid.* De pseudomartyribus Donatistarum, *Hist. Coll.* 365. Canon adversus pseudomartyres. *Mon.* 202.

Mascula, Numidiæ urbs. *V. not.* 48, *p.* 14.

Maternus. Agrippinensis episcopus. Romæ sedet judex in causa Cæciliani, 23; *Hist.* 5.

Maternus, Coloniensis. Adest conc. Arelat. 1, *Hist.* 7.

Mauricius, imperator. Ejus rescripta contra Donatistas, *Hist.* 22.

Mauritaniæ Tingitana et Cæsariensis, *Geogr.* 26. Sitifensis quando provinciam peculiarem constituit, *ibid.* 34. Harum descriptio et limites, *ibid.* 26 *et* 27.

Maurus, Uticensis. Ob episcopatum emptum excommunicatus, *Hist.* 2.

Maxentius. Indulgentiam mittit Christianis, 17, *ibid. not.* 98. Ab eo libertas Christianis in Africa restituta, et quando, *Hist.* 4. De eo et ejus indulgentia in Africam missa Balduinus, *annot.* 126. In eum famosus libellus, 16 *et* 17.

Maximianistæ. Maximianistarum origo, *Hist.* 15. Concilia Carthaginense et Cabarsussitanum in eorum gratiam, *ibid.* 15 *et* 16; *Mon.* 205. Damnati in Bagaitano, *ibid.* 16. Multi ad Primianistas redeunt, *ibid.* Acta Primianistarum in Maximianistas inquirunt Catholici, *Hist.* 13; *Mon.* 213. Maximianistarum causa in Donatistas allegata, *Mon.* 212, 230. De Maximianistis errorem cujusdam reprehendit Balduinus, *annot.* 130, 131. De eis, *Hist. Coll.* 346.

Maximianus, diaconus excommunicatus a Primiano, *Hist.* 15; *Mon.* 205. Ordinatus post concilium Cabarsussitanum episcopus Carthaginensis, *Hist.* 16. Damnatus in Bagaitano concilio, *ibid.*; *Mon.* 207. Et de sede expulsus, *Hist.* 16.

Maximianus, Bagaiensis episcopus. Ex Donatistarum schismate ad Ecclesiam conversus episcopatu cedit. *Mon.* 212, *ubi vide notam.*

Digitized by Google

Maximianus, episcopus Pudentianus. Donatistam episcopum pretio corruptus ordinat, *Mon.* 334, 335.

Maximinus. Donatista licet conversus quia ex laico reprehensibiliter ordinatus a Leone jubetur dignitate pelli, *Mon.* 333.

Maximinus, Sinitensis episcopus Donatista. Ab Augustino refutatus, *Hist.* 18. Petit collationem, *ibid.* 20. Amplexus est sponte catholicam Ecclesiam, *ibid.* 18.

Maximus, episcopus Ostiensis. Sedet in concilio Romano sub Miltiade, 23.

Memoriæ Sanctorum. Quid, 33, *et ibid. not.* 31. Memoriæ Apostolorum Romæ, *ibid.* De communione cum memoriis Apostolorum, *annot.* 47, *etc.*, *p.* 33; *not.* 28, *p.* 40; *not.* 93, *p.* 63. Locus Pauli de Memoriis Sanctorum intellectus, *ibid.* 130.

Menalius. Turbas excitat in Africa, *Hist.* 9. Thurificator oculorum dolorem fingit ne accusetur, 14. De eo, *annot.* 54, *p.* 14.

Mensurius, Carthaginensis antistes. Tempus quo Carthaginensem sedem obtinuit, *Geogr.* 30. Ejus sententia de codicibus non tradendis et de iis qui se ultro offerrent ad martyrium, *Hist.* 1 *et* 2. Libros sacros non tradidit, sed prudentia sua servavit, *ibid.* 2. Hujus circa visitandos in carcere confessores cautio, *ibid.* 2. Citatus ad palatium, 17. Res Ecclesiæ commendat senioribus, 18. Jussus reverti moritur in itinere, 17. Eadem, *Hist.* 3. Hujus innocentia probatur a Catholicis, *Mon.* 319, 320.

Merocles, Mediolanensis episcopus. Sedet in concilio Romano sub Miltiade, 23. Adest conc. Arelat. 1, *Hist.* 7. De eo Balduinus, *annot.* 128.

Metatores. Qui, 61, *ibid. not.* 87; *annot. p.* 132 *et p.* 61, *not.* 86.

Metropoles ecclesiasticæ. Urbibus metropolibus in Africa affixæ non erant, *Geogr.* 25. Excipe Carthaginem, *ibid.* 25.

Miggin, Elephantariensis. Adest concilio Cabarsussitano, *Mon.* 205, 206. Damnatur in Bagaitano, *ibid.* 207.

Milevis, olim Mileum, urbs Numidiæ, 1, *not.* 1. A Melita distinguenda, *annot.* 123. De episcopis Milevitanis, *ibid.*

Miltiades, episcopus Romanus. Sedet judex in causa Cæciliani, 23; *Hist.* 5. An datus a Constantino judex, *annot.* 137. Hujus sententia in gratiam Cæciliani qua judicium Romanum clausum est, 24. Invitatus ad synodum Arelatensem venire non potuit, *Hist.* 7. Misit legatos, *ibid.* Ad eum missi Canones, *ibid.* Epistolam synodicam illi scripsit concilium, *ibid.* 8. De Miltiade Balduinus, *annot.* 127.

Ministri Ecclesiæ. Malus minister valide baptizat, 38. Ministri inferiores, 13, 14.

Mitella seu Mitra. Quid, 43; *annot.* 55, 56, *p.* 43. Mitellæ Virginum professarum et matronarum, 43, 94; *ibid. not.* 54. Ad signum sunt non remedium castitatis, 94, 95. Non est præcepta, 95, 96. De Mitellis Balduinus, *annot. p.* 133 *et p.* 94, *not.* 55.

Mitra. *V.* Mitella.

Montenses seu Campitæ. Ita dicti Donatistæ Romæ, et cur, 34 *et ibid. not.* 77; *Hist.* 12; *annot.* 130.

Monumenta. De monumentis veteribus ad Donatistarum historiam pertinentibus ad finem librorum Optati adjectis judicium, *Præfat.* 5, 6.

Mundi finis. Illum putabant antiqui venturum simul cum fine imperii Romani, *annot.* 131.

N

Naaman. Naaman Syri lepra peccati figura, 88. Ejus lotio et mundatio baptismi pariter figura, *ibid.*

Nabor a Centurionis episcopus. Adest concilio Cirtensi, 15.

Nasutius, episcopus Donatista. Accusator Cæciliani, 22; *Hist.* 9.

Natalis, presbyter ecclesiæ Urgelitanæ. Adest concilio Arelatensi 1, *Hist.* 7.

Nomen Dei. Invocatio nominis Dei sanctificat et emundat, 93. Tractatus ecclesiastici ab eo incipiunt et per id finiunt, 103, 106.

Notarius. Quæ dignitas, *Hist. Coll.* 349.

Notoria seu notaria. Quid sit, *Hist. Coll.* 339, 360.

Novatiani. In quo convenirent cum Donatistis, *Hist. Coll.* 343. De Novatianis, *ibid.* 344, 357. De iis Albaspinæus, *annot.* 136.

Numidia. Africæ provincia. *Geogr.* 23. Numidiæ duæ quæ unam tantum provinciam constituebant, *ibid.* 23, 24. Hujus descriptio et limites, *ibid*, 26.

Nundinarius, Diaconus. A Silvano Cirtensi episcopo suo dissentit, *Hist.* 3. Silvanum coram Zenophilo Traditorem probat, *Hist.* 10. Hujus scripta de concilio Cirtensi, 14.

Nuptiæ. Nuptiarum ritus, *annot not.* 62, 63, *p.* 94; *not.* 64, 65 *et* 70, *p.* 95.

O

Oblationes panis in altari, *annot.* 2, *p.* 90, *et not.* 10, 11, 16, *p.* 90. Oblatio offertur Deo pro una Ecclesia toto orbe diffusa, 39. Oblationes pro eulogiis, *not.* 49, 50, *p.* 57.

Octavum, oppidum in Numidia, 60, *ibid. not.* 76.

Officia, pro Officialibus, *annot.* 71.

Oleum. De Oleo sancto, *annot*, 65, *p.* 7. De oleo peccatorum fugiendo, *ibid. not.* 68. Quo sensu accipiendum illud : *Oleum peccatoris non unget caput tuum*, *annot.* 132. Olei utilitates, *annot.* 92, *p.* 62.

Olympius, episcopus missus cum Eunomio in Africam, ut pronuntiaret ubi esset Catholica, 25. Confirmat synodi Romanæ judicium, 25; *Hist.* 6.

Optatus Gildonianus. Hujus mores et facta, *Hist.* 16, 17. De eo Balduinus, *annot.* 124; *Hist. Coll.* 346.

Optatus Milevitanus. Plures hujus nominis in Africa, *annot.* 112. Ab iis diversus Optatus Milevitanus, *ibid. et* 123. Milevitanus in Africa non Melitensis episcopus, 112 *et* 123. Afer, 1; *Præf.* 1. Quo tempore vixerit et scripserit, *ibid. et p.* 2; *annot.* 123, 124, 125, 126 *et* 130. Cur Parmeniani librum refellendum susceperit, 5. Ejus elogia, *Præf.* 1 *et* 2, *annot.* 112. An Sanctis adscriptus in Martyrol. et quo fato, *ibid.* 2. Occasio operis ejus, *ibid. et annot.* 124. Hujus divisio et singulorum argumenta librorum, 7; *Præf.* 2. De septimo ejus libro, num subditicius sit, *ibid.* 2 *et* 3. *Annot.* 123, 124. Utilitas librorum Optati, *Præf.* 2; *annot.* 113. Hujus doctrina, *Præf.* 3. Stylus, *ibid.* 4. Scripturæ explicandæ methodus, *ibid.* 4; *annot.* 120, 121. Ejus sententia de baptismo hæreticorum, *annot.* 128. Errat circa appellationem Donatistarum, 21, *not.* 28. De ejus opere judicium, *annot.* 112. De eo Balduinus, *Hist. Coll.* 346. In ejus opere lacuna, *annot.* 128. De variis ejus editionibus et de hac postrema, *ibid. fuse sub proprio titulo.* Manuscripti codicis librorum Optati, *Præf.* 4, 5. Monumenta hujus libri olim et nunc adjecta, *ibid.* 5 *et* 6. De Optato Veterum testimonia, *post Præfationem.* Scripta nundinarii ad finem librorum Optati descripta, 14, 15.

Oratio Dominica. Recitabatur ad altare, 44.

Ordinatio. Ordinatio episcopalis manus impositione perficitur ex Optato, *Præf.* 4. Diaconus in episcopum ordinatus, *ibid.* Ordinatio a traditoribus facta rata esse declaratur a synodo Arelatensi, *Hist.* 8. An baptizati in schismate vel hæresi ad ordines promoveri possint, et ea de re concilio rum Africæ, *Hist.* 17; *Mon.* 208, 210, 211. An Donatistæ ad Ecclesiam redeuntes cum Ordinibus suis susciperi debeant, et quid ea de re statutum, *Mon.* 204. *Ibi vide notam.* Schismatici quando cum honoribus suscepti, *ibid.*; *Hist.* 17. Ordinatio episcopi Carthaginensis a solis vicinis episcopis absentibus Numidis, 17. An Donatistæ reordinarint, *annot.* 140, 141.

Oresius Massiliensis. Adest conc. Arelat. 1, *Hist.* 7.

Oriens. Ad Orientem conversio baptizandorum post exorcismum, *Annot.* 55, *p.* 86.

Orientalis episcopus Burdegalensis. Adest conc. Arelat. 1, *Vist.* 7.

Ornamenta Ecclesiæ. Ex auro et argento, 17, 18.

Oscula. Communionis signa, 74.

P

Pallæ. Quid Veteribus, 96 *et ibid. not.* 87.

Pardus Arpitanus. Adest conc. Arelat. 1, *Hist.* 7.

Parmenianus Carthaginensis episc. Donatista. Quis, et quæ scripserit, *Annot.* 112. Donato succedit in sede Carthaginensi circa annum 226. *Præf.* 2. Peregrinus a Donatistis Afris in eorum sectam inductus et ordinatus episcopus Carthaginis, 36 *et* 37, *ibid. not.* 99 *et* 1, *p.* 55; *Præf.* 2; *Annot.* 49, *p.* 6. Qui ejus ordinatores et quales, 58. Moritur circa annum 390, *Geogr.* 31. De eo, *Annot.* 99, *p.* 37; *Hist. Coll.* 346. Scripsit in Catholicos, 5. Cujus generis sint ea quæ in libro Parmeniani, *ibid.* Multa dixit pro Catholicis, 5, 6. Alia quæ ad Catholicos non pertinent, 6. Quædam pro Catholicis et Donatistis, *ibid.* Argumenta librorum Parmeniani, 7. De ejus operibus. *Præf.* 2.

Partenius episcopus catholicus, dejectus a Donatistis 48.

Paulus apostolus, Stabularius et quo sensu, 94, *ibid. not.* 56.

Paulus *Cirtensis.* Traditionis arguitur, *Hist.* 2. Hujus mors. *ibid.* 3.

Paulus comes. Missus cum Macario in Africam ad eleemosynas largiendas unitatem procurat, *Hist.* 13.

Pax. Pax a Christo hominibus antequam in cœlum ascenderet data, 2. Pax Dei simul et hominum, *ibid.* Pax si non turbaretur non esset schisma, *ibid.* Pax Ecclesiæ propria, *not.* 6, *p.* 2. Quantum sit bonum pacis, 35, 36. Quam desideranda et servanda, 35. Qui non amat pacem non potest esse martyr, 65. A schismaticis turbatur, *annot.* 8, *p.* 2.

Peccator. Peccatores in Ecclesia tolerari debent, 101, 102. Peccator cujus oleum timendum et sacrificium repudiandum, 72, 73.

Peccatum. Nullus sine peccato nisi solus Deus, 44, 76, 100. Bono unitatis sepeliénda peccata, 101.

Pelagius. Quo tempore hæresim promulgarit, *Hist. col.* 366 *et* 367. Concilia in eum habita, *ibid.* 367, 368.

Persecutio. Descriptio persecutionis Ethnicorum in Christianos, 64, 65. Ad quæ in persecutione compulsi fuerint fideles a gentilibus, 51. Nulla persecutio a catholicis in Donatistas excitata, *ibid.* Non sunt vexati Donatistæ nisi ob furorem Circumcellionum, 59, 60 et 61. Priores injuriis suis milites provocarunt, 62. Quod a comitibus operariis factum Ecclesiæ imputari non debet, *ibid.* Excusantur exemplo Mosis, Phinees, Eliæ, qui vi unitatem procurarunt, 62, 63, 64. Alia tamen sunt tempora ante Evangelium, alia post, 64.

Persecutio Diocletiani. Ejus descriptio, *annot.* 125. Quando cœpta, 13; *ibid. not.* 36; *præf.* 1. Quid in ea contigerit, 12, 13, 14. De hujus edicto in Christianos, *præf.* 5. Quam sæva in Christianos persecutio Diocletiani, *Hist.* 1. Præsertim in Africa, *ibid.* 1. Hujus proprium malum quod codices sacros et instrumenta sacra Christiani tradere cogerentur ut igni comburerentur, *ibid.* Quando hæc persecutio deferbuerit, 14 et *ibid. not.* 58. Quando sedata et finita, 17, *ibid. not.* 97.

Petilianus Constantiniensis episcopus ex parte Donati. De ejus epistolis quas refellit Augustinus, *Hist.* 19. Ejus liber de unico baptismo, *ibid.* 19.

Petrus. Caput apostolorum, 31; *præf.* 3; *annot.* 22, *p.* 31. Unde Cephas appellatus, 31; *ibid. not.* 23; *annot.* 121 *et* 130. Hujus cathedra, 31; *annot.* 29, *p.* 12 *et not.* 20, *p.* 31. Et successores, 31, 32. An claves solus acceperit, *annot.* 88, *p.* 9. Præferri Apostolis meruit et claves regni cœlorum communicandas cæteris solus accepit, 101, 102. Peccatum Petri docet pro bono unitatis tolerandos malos, 102. Quam grande peccatum Petri, *ibid.* An Romam iverit, *annot.* 120, 121. Petri et Pauli memoriæ Romæ, 35; *ibid.*, *not.* 51, 52; *annot.* 51, *p.* 33.

Photinus hæreticus temporis Optati. Filium Dei tantummodo hominem dixit non Deum, 75. Quando mortuus, *præf.* 1.

Pœnitentia. In pœnitentia imponitur manus et pœnitentibus genua figere imperatur, 48. Non debet imponi pœnitentibus pro æqualibus criminibus æquale pœnitentiæ tempus imponendum, 49. Non debet imponi episcopis et clericis, 45. Hoc facere est homicidii genus, *ibid.* Tempore persecutionis episcopis lapsis non est imposita pœnitentia, 48. Episcopos et clericos non sine injuria ad pœnitentiam adigi olim potuisse, *Præf.* 4; *annot. p.* 137 *et seqq.*, *not.* 21, *p.* 18. De pœnitentia quid senserit Optatus, *Præf.* 4.

Pollutus. Quo sensu intelligendum quæ tetigerit pollutus polluta sunt, 92, 93. Quomodo polluantur homines, *ibid.*

Possiacum colloquium. De eo Balduinus, *Hist. Collat.* 340.

Prætextatus Assuritanus. Ordinator Maximiani, *Hist.* 16. Damnatus a Primianistis et a proconsule, *ibid.* Ecclesiam retinuit, *ibid.* Receptus a Primianistis, *ibid.* 17. Adest concilio Cabarsussitano, *Mon.* 205, 206. Damnatus in concilio Bagaitano, *Mon.* 207. Libellus in eum, *ibid.* 207.

Praxeas. Hæreticus, 8. Argumentabatur Patrem passum, 74, 80 et 81. Hujus baptisma vanum, 81. De eo observatio Balduini, *annot.* 152, 153.

Presbyteri. In secundo sacerdotio constituti, *Præf.* 3.

Primates. Primates in Africa iidem qui metropolitani, *Geogr.* 25. Senior cujusque provinciæ episcopus hujus primas erat, *ibid.* 25. Utrum melius antiquitati quam sedi primatus annexus, *ibid.* 26.

Primatus. Donatistis ad Ecclesiam redeuntibus denegatus, *Hist.* 22.

Primianus Carthaginensis. Antistes ex parte Donati, *Hist.* 15. Succedit Parmeniano, *Geogr.* 31. Damnatus a concilio Carthaginensi, *Hist.* 15. Deinde in Cabarsussitano, *ibid.* *et Mon.* 205 *et* 206. Absolutus in Bagaitano, *Hist.* 206, 207. In eo defecit series Carthaginensium præsulum ex parte Donati, *Geogr.* 31. De eo, *Hist. Coll.* 339.

Primianistæ. Acta Primianistarum in Donatistas inquiruntur a Catholicis, *Hist.* 15, 17; *Mon.* 213.

Primosus Carthaginensis episcopus Catholicus. Reparati successor, *Geogr.* 31. Questus de occisis Catholicis, 41.

Primus Filius Januarii. Diaconus occisus a Donatistis in Castello Lemellensi, 41.

Principes. An principes ad judicandas causas ecclesiasticas jus habeant, *annot.* 113, 114, 115.

Priorius (Philippus). De ejus editione operum Optati, *Præf.* 4. Hujus notæ in Optatum cujus pretii, *ibid.* 4.

Proculeianus episcopus Donatista Hipponensis. Ejus cum Augustino concertatio, *Hist.* 17. Ab eo suscepti indigni, *ibid.* 18.

Prophetæ. Non omnia dixerunt ad nostra tempora pertinentia, 77, 78.

Proterius episcopus Capuæ. Sedet in concilio Romano sub Miltiade, 23.

Purpurius Limatensis episcopus. Homicida, 14. Cædere minatur, *ibid.* Quomodo Secundum repræsserit, *Hist.* 2. Homicidii accusatus in concilio Cirtensi, *ibid.* 3. Accusat Secundum traditionis, 15; *Hist.* 3. Ei minatur exitium, 15; *Hist.* 3. Hujus consilium nequitiæ plenum adversus Cæcilianum, 18, 19. Idem, *Hist.* 4. Hujus litteræ ad Sylvanum et Cirtenses in gratiam Nundinarii, *Hist.* 10. Cupas et acetum e templo Serapis aufert, *Hist.* 10. De eo, *annot.* 52, *p.* 14.

Q

Quintasius Calaritanus. Adest concilio Arelat. I, *Hist.* 78.

Quintianum. Urbs Rhetiæ, 23, *not.* 96.

Quodvultdeus Carthaginensis. Ejus ordinatio et sors, *Geogr.* 31.

R

Rebaptizatio. Fidelium rebaptizatio illicita, 3, 75. Propter rebaptizationem Donatus damnatus in synodo Romana, 23. Leges in rebaptizantes, *Hist.* 19, 20; *Mon.* 215, 216, 217.

Reges. Honor regibus debitus, 56.

Reliquiæ. Quid de Reliquiarum cultu sit traditum ab Optato, *Præf.* 3.

Reordinatio. An Donatistæ reordinarint, *annot.* 140, 141.

Reparatus Carthaginensis. Tempus ordinationis ejus, *Geogr.* 31. Concilium ab eo habitum, *ibid.* Depositus ob defensionem capitulorum, *ibid.* In exsilium missus ibi moritur, *ibid.*

Respublica. Respublica est in Ecclesia, 56, *ibid. not.* 40.

Restitutus Carthaginensis. Grato succedit in sede Carthaginensi, *Hist.* 14. Adest concilio Ariminensi, anni 359, *Geogr.* 31.

Restitutus episcopus. Ordinatus a Primianistis adversus Salvum Membresitanum, *Hist.* 16.

Restitutus Londinensis. Adest Conc. Arelat. I, *Hist.* 7.

Reticius Augustodinensis episcopus. Sedet judex Romæ in causa Cæciliani, 23; *Hist.* 3. Adest conc. Arelatensi I, *Hist.* 7. De eo Balduinus, *annot.* 127, 128.

Rigaltius. Hujus laus et de edendo Optato consilium, *Præf.* 4.

Rogatistæ. Donatistarum secta a Rogato Mauro, *Hist.* 15. Eorum dogmata, *ibid.*

Romana Ecclesia. Cæterarum mater, *Præf.* 3. Multas habuit basilicas primis temporibus, *ibid.* 4.

Romanus pontifex. Hujus prærogativæ, *annot.* 113, 114, 127. Romanorum pontificum successio a Petro ad Siricum, 31, 32. Horum successio argumentum veræ Ecclesiæ, *annot.* 118, 119 *et p.* 31, *not.* 24, 25; *Hist. Col.* 357, 358, 359. Errores Calvini circa hoc caput, *ibid.* 119, 127, 130.

Romani episcopi. Pseudo-episcopi Donatistarum Romæ, *Hist.* 12.

Romanum imperium. Ecclesia est in imperio Romano, 56. In imperio Romano sacerdotia sancta et pudicitia et virginitas quæ in barbaris non sunt, 56, *ibid. not.* 43.

Ruinart (Theodericus). Hujus notæ in Notitiam ecclesiasticam Africæ quanti faciendæ, *Præf.* 6.

Russiccade. Urbs ubi sita, *not.* 49, *p.* 14.

S

Sabellius. Hæreticus, 8. Vult Filium in persona Patris cognosci, 11. De eo, *Hist. Coll.* 213.

Sabinus episcopus Terracinæ. Sedet in concilio Romano sub Miltiade, 23.

Sacerdotium. Triplex sacerdotii gradus exponitur, *annot.* 42, 43, *p.* 13, 14. Diaconi in tertio, presbyteri in secundo sacerdotio constituti, 13, 14. Episcopi apicem sacerdotii tenentes, 14. In Ecclesia catholica est, 38.

Sacramenta Ecclesiæ. Cum hæreticis minime communia, 8, 9. Ab hæreticis administrari non possunt, 11, 12. A Catholicis administrata irrita esse censebant Donatistæ, *Hist.* 11. An sint apud hæreticos, *annot.* 80, *p.* 8.

Sacramentorum minister. Operarius est non Dominus, non per eum, sed per se sacramenta sancta sunt, 83, 84. Non ipsi sed Trinitati et fidei assignandus effectus baptismi, 80. Quicumque fuerit minister, ratum est baptisma, 82, 83. Licet pollutus et peccator non polluit, 92. Deus est qui baptizat, 83. Non minister, *ibid. et seqq.*

Sacrificium. Celebratio sacrificii Missæ ex Optato, *Præf* 3. Deo sacrificium ex vino offertur, 62. Sacrificium unitatis purum et sanctum, 69. De sacrificio, *annot.* 65, *p.* 7. Sacrificia regni Judæ legalia, non item regni Israel et Samariæ, *Hist. Coll.* 360.

Sæculum. Pro mundo, *annot.* 4, *p.* 2.

Salvius Ausaphensis. Adest concilio Cabarsussitano, *Mon.* 205 *et* 206. Damnatur in Bagaitano, *ibid.* 207.

Salvius Membresitanus. Ordinator Maximiani, *Hist.* 15. Accusatus pluries coram proconsule a Primianistis, *ibid. et* 16. Damnatus in concilio Bagaitano, *Mon.* 207. Ab Ecclesia expulsus et ludibrio habitus, *ibid. Hist.* 16.

Samaritani. Horum lis de religione et templo cum Judæis, *Hist. Coll.* 360 *et* 361. Causa cadunt judice Ptolemæo, *ibid.* 361.

Sanctitas. Nulla est in hominibus perfecta sanctitas, 43, 44.

Schisma. Quid sit, *annot.* 61, *p.* 6. Separatio a radice matris Ecclesiæ, 11, 12. Hujus origo, *ibid.* Schismatis mala, 3 *et* 4. Schismatis auctores qui, 2, *not.* 9. Quam grave malum schisma et divisio, 20, 35. *Annot.* 58, 61, *p.* 20. De schismatis crimine, *p.* 115, 116. Quomodo revincendum, *ibid.* 116, 117. Hæreticorum et schismaticorum discrimen, *not.* 43 *et seqq., p.* 5, 6. Pœnarum in schismaticos exempla, 20 *et* 21. Egregia schismatis Africani descriptio, 65, 66.

Schismatici. Schismatici qui, 10, 11. Recedentes ab episcopo et novam constituentes cathedram schismatici sunt, *ibid.* In quo differunt ab hæreticis, 11, 12, 81; *annot.* 51 *et seq., p.* 6. Inconsolabiles Deo lacrymas faciunt, 2. Falsi vates ruinosum exstruentes parietem, *ibid.* 66, 67. Auctores Schismatis qui, 2, *ibid. not.* 9, 10, 11, 12. Mala a schismaticis invecta, 3, 4. Fratres dici possunt etsi nolint, 4. Comparantur ramis et palmitibus abscissis, 37. Comparantur ramis ab arbore divisis et panno discisso, 65 *et* 66. Eadem habent sacramenta, eamdem fidem, eamdem orationem Dominicam cum Catholicis, 12 *et* 66. Pacem annuntiant et non est pax, 66. Cur ad unitatem quærantur a Catholicis, 99, 101. De recipiendis schismaticis in honoribus suis, *Hist. Coll.* 352.

Scorpianus hæreticus, 74, 75. Quid per hunc intelligat Optatus, 74, *ibid. not.* 39.

Scorpiani. De iis quid, ignoratio Balduini, *annot.* 132, 133.

Scriptores Africani. Quam laudati, *annot.* 111 *et* 112.

Scriptura. Hujus auctoritas in definiendis controversiis, *annot.* 133.

Secundus episcopus Prænestinus. Sedet in concilio Romano sub Miltiade, 23.

Secundus Tigisitanus Numidiæ primas. Quam vanus, *Hist.* 2. Ejus epistola ad Mensurium, *ibid.* Quomodo jactantiam ejus retuderit Purpurius Limatensis, *Hist.* 2. Quomodo sibi timens collegas suos traditionis reos ab omni pœna immunes esse passus sit, *ibid.* Præest concilio Cirtensi, 15; *Hist.* 3. Interrogat collegas, *ibid.* Accusatur traditionis a Purpurio, *ibid.* Causam traditorum Deo dimittit, *ibid.* Visitatores mittit Carthaginem, *Hist.* 4. Carthaginem cum Numidis venit ad ordinationem episcopi, *ibid.* 4. Damnat Cæcilianum, *ibid.* Ordinat Majorinum, *ibid.*

Sedere. Quinam sedendi habeant in Ecclesia potestatem, 16, *ibid. not.* 75. Judices episcopi sedent in conciliis: accusati stant erecti, 16. *Vide ibid. not.* 75. Absolutionis indicium, *annot.* 64, 65, *p.* 15.

Seniores. Quibus commendata fuerant Ecclesiæ ornamenta, 18; *annot.* 95, *p.* 17.

Septiminius proconsul Africæ. Ejus decretum adversus Donatistas, *Mon.* 214. Alterum hujus decretum de actis conficiendis. *Mon.* 307.

Sepultura. In domo Dei sepultura passim concedi non debet, 61. Sepultura in Ecclesia negata, *annot.* 80, 81, *p.* 61.

Silvanus Cirtensis. Lucernam et capitulatam argenteam etiamnum diaconus ultro tradit, *Hist.* 2. Quomodo ordinatus episcopus reclamante clero et populo Cirtensi, 3 *et* 10. Pecuniam ad ordinandum presbyterum recipit, *Hist.* 3, 10. Ejus cum Nundinario diacono rixæ, *Hist.* 3, 10. Gesta quibus eum traditorem fuisse constat, *ibid.* Cupas aufert e templo Serapis, *ibid.* In exsilium pellitur, *ibid.*

Silvester comes. Rogatus ut vim a Donato prohiberet, 61.

Simplicianus Mediolanensis. Consulitur ab Africanis, *Mon.* 208.

Sion. Sion Ecclesia, 54.

Siricius summus pontifex. Quando ad sedem Romanam evectus, *Præf.* 1. Consulitur ab Africanis, *Mon.* 208.

Solon Officialis. Testis in causa Felicis Aptungitani, 26; *ibid. not.* 52; *Hist.* 6.

Spiritus. Dos una Ecclesiæ, 36; *ibid. not.* 96.

Spiritus immundus. Omnis qui nascitur, quamvis de parentibus Christianis nascatur, sine spiritu immundo esse non potest, 75. Per exorcismum fugatur, *ibid.*

Stennius episcopus ab Arimino. Sedet in concilio Romano sub Miltiade, 23.

Successio episcoporum. Qui successione ista carent, sunt schismatici, 10, 11. Successio episcoporum, argumentum veritatis Ecclesiæ, *Hist. Coll.* 357, 358.

Superbia. Superbia est se sanctum existimare, 44.

Superius Stationarius. Testis in causa Felicis, 26; *ibid. not.* 47; *Hist.* 5.

Surgentius, episcopus Procofeltensis, forte *Vici Biltensis*. Adest concilio Arelatensi, 1, *Hist.* 7.

Symbolum. Christianorum omnium idem symbolum, *Præf.* 3. Catholicum hæretici non habent, 37.

Symbolum *Trinitatis*. Quid, *annot.* 113, 114.

T

Tres tabernæ. Hodie Cisterna, 23, *not.* 97.

Taurinus comes. Operarius unitatis, 51. Jussit militem armatum ire in Circumcelliones ad compescendum eorum furorem, 60.

Termatius presbyter Bastigensium. Adest concilio Arelatensi, 1, *Hist.* 7.

Tertullianus. Hujus dictum de sanguine Martyrum, *Hist.* 1. De Tertulliano, *annot.* 78, *p.* 8.

Testamentum. Evangelium est Testamentum Christi, quod in dubiis consuli debet, *annot.* 133.

Theasius episcopus. Legatus catholicorum ad Imperatorem, *Mon.* 305.

Theodorus Aquileiensis. Concilio Arelatensi 1 adfuit, *Hist.* 7.

Theodorus Usulensis. Adest concilio Cabarsussitano, *Mon.* 205, 206. Damnatur in Bagaitano, *ibid.* 207.

Theodosius *junior*. Ejus Lex in Donatistas, *Hist.* 22.

Theophilus episcopus Beneventanus. Sedet in concilio Romano sub Miltiade, 23.

Aquæ Tibilitanæ seu Tibilis. Urbs de qua *vide not.* 50, *p.* 14.

Tichonius. Hujus de concilio Donatistarum contra iterationem Baptismi testimonium, *Hist.* 11.

Tigisis, urbs Numidiæ, *vide not.* 65.

Tilius (Joannes), ejus laus, *Hist.* 337, 338, 339.

Tipaza, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, 42, *not.* 47.

Tractatus. Quid, *annot.* 23, *p.* 74 *et not.* 1, *p.* 79. In Ecclesia habiti ab episcopo, 106. Incipiunt a nomine Dei et ejusdem nomine terminantur, *ibid.*

Tractoria. Quid, *Hist. Coll.* 218.

Traditio. De auctoritate Traditionum, *annot.* 116, 117.

Traditio sacrorum codicum. Traditionis codicum sacrorum crimen, 12, 13. A quibus et quando commissum, *ibid.* Proprium persecutionis Diocletianeæ malum, *Hist.* 1. In Africa potissimum grassatur, *ibid.*

Traditores. Traditionis crimen elevatur a Pseudo-Optato, 107, 108 *et seq.* Qui fuerint traditores, *Hist.* 2. Concilii Arelatensis Canon adversus traditores, *Hist.* 7. In eo cautum ne quis traditionis accusetur nisi ex actis publicis, *ibid.* Et ne ordinatio ab ipsis facta irrita habeatur, *ibid.* Traditores ab Ecclesia pellendi, 107, 108. Non item filii Traditorum, 100 et 101. Traditionis rei et convicti ad Deum dimittuntur, 15.

Trinitas. Trinitatis nomina, quid, *annot.* 14, *p.* 38. Baptisma in Trinitate conficitur, 80 et 81. Trinitas omnia operatur et complet, 81. Præstat effectus baptismi, 81. Trinitas operata est in creatione, *ibid.* Tres personæ initio Genesis designatæ, *ibid.*

Tripolitana. Provincia Africæ, *Geogr.* 23. A cæteris distincta, *ibid.* 23. Quando Hispaniæ attributa, *ibid.* 23. Hujus descriptio et limites, *ibid.* 26.

Tunica nuptialis. De ea, *annot.* 75, *p.* 89.

Tyrus. Carthago dicitur apud Isaiam, 56, *ibid. not.* 46.

U

Umbilicus. Dos dicitur Ecclesiæ a Parmeniano et altare 37. Rejicitur ab Optato, *ibid.* Symbolum Trinitatis in Ecclesia catholica, 38.

Unctio. Species communionis, *annot.* 52, *p.* 76. Unctionis sacerdotalis sanctitas, 45, 46. Auferri non potest, 46. De Unctione Christi, 75, 76.

Unitas. Ecclesiæ, 65. Quantum bonum Unitatis, et qua ope retinendum, 35, 36. Unitatem habere præstat cum consortio malorum, quam propter eos hanc abrumpere, 101, 102.

Urbanenses Donatistarum factio, *Hist.* 15.

Urbanus Carisus. In hujus domo habitum Concilium Cirtense, 14.

Urbanus Formensis episcopus Donatista. Sævit in Catholicos, 42, De castimonialibus facit matres, 43.

Digitized by Google

Ursacius comes. Sub Constantino in Africa Donatistas repressit, 67; *Hist.* 10, 11, 12, 13.

V

Valentinianus Senior imperator. Quando electus, *Præf.* 1. Quando et ubi mortuus, *Præf.* 1. Hujus lex in Donatistas, *Hist.* 15; *Mon.* 202.

Valentinus, hæreticus, 8. Carnem subducens Filio Dei, 11, 74 et 77. De eo observatio Balduini, *annot.* 133.

Valerius Melzitanus. Damnatus in concilio Bagaitano, *Mon.* 207.

Vasa sacra, *annot.* 94, 95, *p.* 17.

Velamen. Quid secundum Optatum, 5, 4. Eversionis velamen apud Ezechielem, *ibid.* Velamina altarium, 96.

Venerius Mediolanensis. Consulitur ab Africanis episcopis, *Mon.* 210.

Victor Carthaginensis antistes. Tempore Martini, *Geogr.* 31.

Victor Garbensis episcopus. Adest concilio Carthaginensi, 15. Romam missus interventor ex parte Donati, 33, 34; *Hist.* 12. Primus illuc missus a Donatistis, 34.

Victor Legensis. Adest concilio Arelatensi I, *Hist.* 7.

Victor Russicadensis episcopus, 14. Tradidisse se confitetur, 15; *Hist.* 3; *Mon.* 175.

Victor Uticensis. Adest concilio Arelatensi I, *Hist.* 7; *Mon.* 183.

Victorinus Carcabianensis. Adest concilio Cabarsussitano, *Mon.* 205 et 206. Damnatur in Bagaitano, *Mon.* 207.

Victorinus Petabionensis episcopus, 8. *Vide ibid. variantes lectiones*, t. Contra hæreticos scripsit, 8. De eo, *annot.* 75, *p.* 8.

Vincentius Rogatista, episcopus Cartennensis. Rogati successor in sede et schismate, *Hist.* 15.

Virginitas. Quid de virginitate senserit Optatus, *Præf.* 4. Professio virginitatis spiritale nubendi genus est, 94, 95. Virginitas voluntatis res est, non necessitatis, 94 et 95. Virginitatem professæ, *not.* 54, *p.* 94; *annot.* 53, 54, *p.* 45, *et not.* 50, 52, *p.* 93, 94. Mitellas gestant, *ibid.* Quæ semel virginitatem professæ sunt, non debent iterum cogi ut eam proliteantur de novo, 93, 94, 95. Nec virgines ad pœnitentiam detrudi, *ibid.* De virginibus sanctimonialibus, Balduinus, *annot. p.* 133.

Vitalis Verensis. Adest concilio Arelatensi I, *Hist.* 7.

Vitellius Afer Donatista. De ejus libro, *Hist.* 14.

Vitulamina, Quid, *annot.* 60, 61, p. 77. Unde ista vox, Sap. IV, vers 3, 77, *not.* 60, 61.

Z

Zabe, Urbs Mauritaniæ Sitifensis, 41, *ibid. not.* 39.

Zenophilus proconsularis. Acta coram eo de Silvani traditione, *Hist.* 10.

Zephirinus. Urbicus episcopus, 8. In hæreticos scripsit, *ibid.* De eo, *annot.* 76, p. 8.

Zeugitana. Africa proprie dicta, *Hist.* 23.

Zoticus episcopus a Quintiano. Sedet in concilio Romano sub Miltiade, 23.

INDEX RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

OPERA S. ZENONIS.

PROLEGOMENA. 9-253
Epistola dedicatoria. 9
Balleriniorum præfatio. 11
Dissertatio de genuinis Zenonis tractatibus et de ejusdem ætate. 25
Proœmium. — Variis Criticorum censuris ac difficultatibus recensitis, ac separatis subinde certo codicum indicio suppositiliis tractatibus, qui potiorum difficultatum origo fuerunt, quicquid de cæteris genuinis hac in dissertatione statuendum est, proponitur. *Ibid.*
Caput primum. — Unum esse auctorem tractatuum XCIII quos ab undecim additiliis separavimus, statuitur, 33
§ I. — Proponuntur argumenta ex codicibus petita. *Ibid.*
§ II. — Argumentum ex stylo. Proferuntur exempla ex iis præsertim tractatibus quos Constantius adjudicat Hilario. Hunc Auctor alicubi imitatus ostenditur. 34
§ III. — Aliæ objectiones explosæ. 38
Caput II. — Demonstratur Auctorem scripsisse quarto sæculo, eidemque omnia congruere quæ in omnibus tractatibus continentur. 40
§ I. — Expenditur insignis locus ubi quadringenti ferme anni ab Auctore recensentur. Arbitraria editorum Veronensium emendatio notatur. Cardinalis Baronii objectio aliis exemplis diluitur; ac S. Philastrii testimonium arbitrarie item emendatum in editione Fabricii, ex fide codicum restituendum ostenditur. Alia quædam ejusdem loci verba considerantur. *Ibid.*
§ II. — Auctor contra Arianos disserens, sæculoque quarto proinde adjudicandus, pluribus testimoniis convincitur. Editorum Veronensium responsio contrita. 44
§ III. — Aliæ quarti sæculi hæreses ab Auctore impugnatæ ætatem ejus confirmant. 50
§ IV. — Novum argumentum ex publica urbana Ecclesia petitum. Editorum Veronensium ac Baronii objectiones dilutæ. Alia conjiciuntur ex publicis Episcopi concionibus, quibus Gentes quoque aderant, et ex magna catechumenorum frequentia qui quotannis baptizabantur in paschate. 51
§ V. — Interdicta Gentibus templorum ædificatio, et publicus nihilominus idololatriæ cultus, de quibus Auctor meminit, ætatem ejus post medium quartum sæculum certioribus limitibus definiunt. Baronii objectio explosa. Quid circa ethnicum cultum a Juliani obitu decretum ad annum usque 391. 54
§ VI. — Auctor non tam Lactantium, sed et Hilarium imitatus, post medium quartum sæculum vixisse demonstratur. 58
§ VII. — Insignis Auctoris locus de captivorum redemptione cum aliis duobus S. Ambrosii mirifice congruens, spectare ostenditur captos a barbaris post Hadrianopolitanam pugnam an. 378. Auctoris ætatem prorogari non posse ultra quartum sæculum statuitur. 59
§ VIII. — Objectio de persecutionibus et martyribus disjicitur. Brevis historia persecutionum quarti sæculi. 62
Caput III. — Probatur auctorem Tractatuum esse Zenonem, episcopum Veronensem. 65
§ I. — Memoratos tractatus huic Zenoni semper attributos, et codicibus et antiquis testibus et Veronensis Ecclesiæ traditione ostenditur. *Ibid.*
§ II. — Vulgare præjudicium de S. Zenonis ævo sub Gallieno, quod unum hactenus constitutis opponitur, ad examen revocatur; Baronii Ughellique sententia de duplici Zenone, quorum alter sub Gallieno floruerit, alter quarto sæculo tractatuum auctor sit, omnino nova. Unus tantum Zeno episcopus Veronensi Ecclesiæ ex omnibus documentis agnitus, unde Baronius sententiam retractavit. Præjudicii memorati origo et fundamentum. 69
§ III. — Zenonem vixisse quarto sæculo convincitur ex S. Ambrosii epistola ad Syagrium. Id ipsum statuit antiquus Ordo episcoporum Veronensium quem ex diptychis manasse palam est. 70
§ IV. — Coronati Notarii narratio qua Gallieni imperatoris ætas Zenoni attribuitur, expensa, fabulis scatere ostenditur. 76
§ V. — S. Zenonis ætas certis finibus clausa, quacum omnia convenire monstrantur. 77
Dissertatio altera, Zenonianæ doctrinæ vindicias complectens. 81
Proœmium. — De Zenonianorum tractatuum præstantia pauca quædam præmonentur. *Ibid.*
Caput primum. — Quædam de æterna Verbi Dei generatione S. Zenonis formulæ a Petavii censura vindicantur, earumdemque sententia exponitur. 84
§ I. — Proponitur Petavii censura. *Ibid.*
§ II. — S. Zenonis testimonia quibus Nicænum dogma adversus Arianam hæresim diserte asseritur, indicantur. 86
§ III. — Objecti a Petavio textus expenduntur. Interpretatio Bulli proposita et expensa. 88
§ IV. — Vera Zenonianæ locutionis interpretatio exponitur. 95
§ V. — Eadem Zenonianæ locutionis interpretatio alia

Digitized by Google

ratione explicatur apertius, atque statuitur. 97
§ VI. — Explicatur quædam difficilis Zenonis locutio, unde proposita interpretatio mirifice confirmabitur. 101
§ VII. — Antenicænorum Patrum a Petavii censuris breves vindiciæ. 105
§ VIII. — Marius Victorinus a Petavii censura vindicatus. 111
Caput II. — Quo consilio S. Zeno de æterna Filii Dei generatione haud scribendum duxerit, quosque fidei tractatus, et quas formulas reprehenderit. 114
Caput III. — Variæ Zenonis de Incarnatione Christi formulæ vindicantur. 118
Caput IV. — De priorum parentum peccato quid Auctor tradiderit. 121
Caput V. — Quam recte de divina gratia S. Zeno senserit. 123
Caput VI. — Num S. Zeno de fide vel charitate loquens excesserit. 126
Caput VII. — De secundis nuptiis et de Christianorum cum infidelibus conjugio. 129
Caput VIII. — Singulare S. Zenonis testimonium de quibusdam energumenis expensum. 138
Caput IX. — Quid Auctor senserit de novissimo judicio. 140
Caput X. — Sententia S. Zenonis de justarum animarum statu post mortem. 142
Dissertatio tertia, de Actis S. Zenonis et de ejusdem cultu. 145
Procemium. *Ibid.*
Caput primum. — De Actis S. Zenonis ad mortem usque. *Ibid.*
§ I. — Conjecturæ de Zenonis patria. *Ibid.*
§ II. — Episcopatus S. Zenonis initia, ordinatioque ejus VI Idus Decembris peracta statuitur. Ejusdem in convertendis Gentibus felicitas. In Arianis refellendis quantum laboraverit. Verone ab illo conversa. 148
§ III. — Nova Ecclesia Veronæ ædificata. De Zenonis clero. Duplex virginum species Veronæ. Monasterium Veronæ primum in toto Occidente a Zenone institutum. Crapulæ et ebrietas in martyrum festis sublatæ. 152
§ IV. — S. Zeno ob miracula celeber. De ejusdem emortuali die. 153
Caput II. — Controversia de martyrio S. Zenonis utrinque expensa. 157
§ I. — Proponuntur argumenta pro vindicando S. Zenonis martyrio, et contraria refelluntur. *Ibid.*
§ II. — Afferuntur argumenta contrariæ sententiæ. 161
Caput III. — De iis quæ post S. Zenonis obitum insigniora feruntur. 169
Caput IV. — De antiquissimo ac late pervagato S. Zenonis cultu. 174
§ I. — Antiquitas et propagatio cultus ad eximia sanctorum merita cognoscenda quantum conferant. Cultus S. Zenonis apud Veronensem Ecclesiam primum exponitur. *Ibid.*
§ II. — Cultus S. Zenonis in aliis Italiæ civitatibus quantum propagatus sit. 176
Monumenta de S. Zenone. 189
Admonitio. *Ibid.*
Sermo Coronati Notarii de Vita S. Zenonis. 199
Rhythmus de S. Zenone. 204
Historia translationis S. Zenonis. 207
Missæ S. Zenonis. 213
Selecta ex Officio S. Zenonis loca. 218
Testimonia selecta de S. Zenone. 223
Indices operibus S. Zenonis facem præferentes. 231
Index primus, Tractatuum S. Zenonis secundum ordinem præsentis editionis. *Ibid.*
Index II, exhibens ordinem Tractatuum antea vulgatum collatum cum novo. 233
Index III, Tractatuum S. Zenonis secundum mss. omnium ordinem. 235
Index IV, Codicum et editionum quibuscum tractatus S. Zenonis collati sunt. 238
Epistola nuncupatoria Augustini Valerii cardinalis ad Sixtum V, pontificem maximum, præmissa editioni Veronensi anni 1586. *Ibid.*
Præfatio Bagatæ et Baptistæ Peretti in eamdem editionem Veronensem anni 1586. 239
Notitia litteraria in Zenonem, auctore Schœnemanno. 243

TRACTATUS S. ZENONIS.

Liber primus. Tractatus primus. — De fide. 253
Tract. II. — De spe, fide et charitate. 269
Tract. III. — De Justitia. 280
Tract. IV. — De pudicitia. 288
Tract. V. — De continentia. 301
Tract. VI. — De patientia. 311
Tract. VII. — De humilitate. 318
Tract. VIII. — De timore. 322
Tract. IX. — De avaritia I. 325
Tract. X. — De avaritia II. 332
Tract. XI. — De avaritia III. 337
Tract. XII. — De spiritu et corpore. 338
Tract. XIII. — De Circumcisione. 345
Tract. XIV. — De spirituali ædificatione domus Dei. 354
Tract. XV. — De triplici genere sacrificiorum. 362
Tract. XVI. — De resurrectione. 369
Lib. II. Tractatus primus. — De Genesi. 385
Tract. II. — De Genesi. 389
Tract. III. — De Genesi seu de æterna Filii Dei generatione. 392
Tract. IV. — De Genesi seu de æterna Filii Dei generatione. 396
Tract. V. — De fide seu de æterna Filii Dei generatione. 398
Tract. VI. — De eo quod scriptum est : *Cum tradiderit regnum Deo et Patri.* 402
Tract. VII. — De nativitate Domini I. 407
Tract. VIII. — De nativitate Domini II. 412
Tract. IX. — De nativitate Domini et majestate. 415
Tract. X. — De Abraham I. 418
Tract. XI. — De Abraham II. 420
Tract. XII. — De Abraham III. 425
Tract. XIII. — De somnio Jacob. 428
Tract. XIV. De Juda. 434
Tract. XV. — De Job. 439
Tract. XVI. — De Suzanna. 443
Tract. XVII. — De Jona propheta. 444
Tract. XVIII. — De natali S. Arcadii. 450
Tract. XIX. — In illud Geneseos : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* 456
Tract. XX. — In eumdem locum Geneseos. 457
Tract. XXI. — De psalmo centesimo. 458
Tract. XXII. — In Isaiam I. 462
Tract. XXIII. — In Isaiam II. 464
Tract. XXIV. — In Isaiam III. 465
Tract. XXV. — In Isaiam IV. 466
Tract. XXVI. — In Isaiam V. *Ibid.*
Tract. XXVII. — In Isaiam VI. 467
Tract. XXVIII. — In Isaiam VII. 471
Tract. XXIX. — In Isaiam VIII, seu de adventu Christi in mundum. 472
Admonitio in Tractatus sequentes. 473
Tractatus XXX. — Invitatio ad Fontem I. 476
Tract. XXXI. — Invitatio ad Fontem II. *Ibid.*
Tract. XXXII. — Invitatio ad Fontem III. 477
Tract. XXXIII. — Invitatio ad Fontem IV. 479
Tract. XXXIV. — Invitatio ad Fontem V. 480
Tract. XXXV. — Invitatio ad Fontem VI. *Ibid.*
Tract. XXXVI. — Invitatio ad Fontem VII. 481
Tract. XXXVII. — Invitatio ad Fontem VIII. 482
Tract. XXXVIII. — Ad neophytos post baptisma I. 483
Tract. XXXIX. — Ad neophytos post baptisma II. 486
Tract. XL. — Ad neophytos post baptisma III. 487
Tract. XLI. — Ad neophytos post baptisma IV. 489
Tract. XLII. — Ad neophytos post baptisma V. 491
Tract. XLIII. — Ad neophytos post baptisma VI. De duodecim signis. 492
Tract. XLIV. — Ad neophytos post baptisma VII. 496
Tract. XLV. — De die Dominico Paschatis I. 500
Tract. XLVI. — De Pascha II. 502
Tract. XLVII. — De Pascha III. 503
Tract. XLVIII. — De Pascha IV. 504
Tract. XLIX. — De Pascha V. *Ibid.*
Tract. L. — De Pascha VI. 506
Tract. LI. — De Pascha VII. 507
Tract. LII. — De Pascha VIII. 508
Tract. LIII. — De Pascha IX. *Ibid.*
Tract. LIV. — De Exodo I. 509
Tract. LV. — De Exodo II. 510
Tract. LVI. — De Exodo III. 511
Tract. LVII. — De Exodo IV. 512
Tract. LVIII. — De Exodo V. 513
Tract. LIX. — De Exodo VI. 514
Tract. LX. De Exodo VII. 515
Tract. LXI. — De Exodo VIII. 516
Tract. LXII. — De Exodo IX. 517
Tract. LXIII. — De Exodo X. 518
Tract. LXIV. — De Exodo XI. 519
Tract. LXV. — De Exodo XII. 520
Tract. LXVI. — De Exodo XIII. *Ibid.*
Tract. LXVII. — De Exodo XIV. 521
Tract. LXVIII. — De Exodo XV. *Ibid.*
Tract. LXIX. — De Daniele in Pascha I. 522
Tract. LXX. — De Daniele II. 523
Tract. LXXI. — De Daniele III. 524
Tract. LXXII. — De Daniele IV. *Ibid.*
Tract. LXXIII. — De Daniele V. 525

Digitized by Google

Tract. LXXIV. — De Daniele VI. 525
Tract. LXXV. — De Daniele VII. 526
Tract. LXXVI. — De Daniele VIII. *Ibid.*
Tract. LXXVII. — De Daniele IX. 527
Appendix prima, complectens : 1° Potamii tractatus duos et epistolam unam ; 2° S. Hilarii interpretationem quinque psalmorum ; 3° S. Basilii Cæsareensis tractatus quatuor. 527
Monitum editoris. *Ibid.*
Ballerinianorum observationes primæ Zenonis operum Appendici præmissæ. 529
Annotationes Francisci Sparaverii in Opera Zenonis. 535
Appendix secunda, complectens duos de sermonibus et martyrio S. Zenonis libros, cum duplici dissertatione ipsis subjuncta, auctore Francisco Bonacchi. 599
Liber primus. — De sermonibus S. Zenonis. *Ibid.*
Caput primum. — Rationes dubitandi an S. Zeno sermonum qui ipsius nomine inscribuntur sit auctor. *Ibid.*
Caput II. — Sermones S. Zenonis antiquitus noti. 600
Cap. III. — Sixti Senensis de sermonibus S. Zenonis judicium consideratur. 601
Caput IV. — De annis quadringentis aut amplius in sermone de Continentia illapsis 603
Caput V. — Tillemontii errores in redarguendo Baronio. 604
Caput VI. — De styli diversitate a Sixto Senensi et aliis recentioribus in sermonibus D. Zenonis notata. 607
Caput VII. — Sermones S. Zenonis, ubi contra Arii errores agit, temporibus ejusdem S. Zenonis conveniunt. 608
Caput VIII. — De eminentissimi Bellarmini judicio circa sermones S. Zenonis. 610
Caput IX. — Philippi Labbe de S. Zenone dissertatio exponitur. 611
Caput X. — De Dupinio et Cambefisio. 613
Caput XI. — Unus est S. Zeno Veronæ episcopus. *Ibid.*
Caput XII. — Nulli alii sermones de quibus agitur quam sancto Zenoni sunt adscribendi. 617
Liber II. — De martyrio S. Zenonis. *Ibid.*
Caput primum. — Probatur S. Zenonis martyrium ex veteribus Veronensis Ecclesiæ monumentis. *Ibid.*
Caput II. — Monumenta Ecclesiæ Pistoriensis S. Zenonem martyrem demonstrant. 619
Caput III. — Externis auctoritatibus probatur martyrium S. Zenonis. 621
Caput IV. — Romani Martyrologii auctoritas martyris nomen S. Zenoni decernit. 622
Caput V. — Quam fidem mereatur Vita S. Zenonis a Coronato quodam notario conscripta, in qua S. Zeno consessor dicitur. 623
Caput VI. — Explicatur Panvinius, qui libro quarto Antiq. Veron. dicit, Ecclesiam Veronensem antiquitus S. Zenonem non coluisse uti martyrem ; et Aloysium Lippomanum primum fuisse qui officium S. Zenonis tanquam pontificis Martyris ordinaverit. 624
Caput VII. — De martyrologio Usuardi a Molano correcto, et de martyrologio Romano antiquo, et de aliis martyrologiis. 625
Caput VIII. — Ea expenduntur quæ contra S. Gregorii auctoritatem aliqui auctores, Dupinius præsertim et Tillemontius, objiciunt. 627
Caput IX. — Quam leviter Dupinius et Tillemontius S. Zenonem non martyrem, sed confessorem jactitent. 629
Caput X. — Examinantur reliqua quæ Papebrochius refert pridie Idus Aprilis, quibus S. Zeno confessor asseritur. 630
Caput XI. — Quæ de S. Zenonis martyrio superius digesta sunt brevi colliguntur epilogo. 632
Dissertatio de S. Zenonis epocha. 631
Caput primum. *Ibid.*
§ I. — Iterum scribendi occasio et finis. *Ibid.*
§ II. — Prima ratio Epochæ S. Zenonis Arianis temporibus posthabendæ. 633
§ III. — Arii errores præcipui. *Ibid.*
§ IV. — Recensitos errores unde Arius hauserit. 634
§ V. — Ebionis errores circa filii divinitatem. *Ibid.*
§ VI. — Dositheus seu Artemon. 635
§ VII. — De Paulo Samosateno. *Ibid.*
§ VIII. — Arii errores a S. Alexandro Patriarcha enumeratos Ebionis, Artemæ ac Pauli Samosateni erroribus conformes. 637
§ IX. — Arius circa suos errores inconstans et varius. 639
§ X. — Propriæ Arii Arianorumque verborum formulæ suis in explicandis erroribus. 640
§ XI. — Errorum hactenus recensitorum ætas ad Gallienum usque. 642
§ XII. — D. Zenonis textus adducuntur qui contra Arii errores facere putantur. 643
§ XIII. — Mysterii SS. Trinitatis notitiam ab ipso Ecclesiæ initio, præcipue vero tertio Ecclesiæ sæculo floruisse. 644
§ XIV. — D. Zenonis sententiæ, quibus Arianis contraire ipse S. Pater creditur, considerantur. 647
§ XV. — Tractatus septimus lib. secundi, in quo S. Zeno præcipue in hæreticos agit, speciali consideratione perpenditur. 650
§ XVI. — Hæresum, quas S. Zeno commemorat notitia circa Gallieni tempora communis. 653
§ XVII. — An S. Zeno alias Arianis tributas formulas impugnarit. 657
§ XVIII. — De formulis Arianorum propriis nusquam meminit S. Zeno. 662
§ XIX. — SS. Patres Ario posteriores, Arii et Arianorum proprias formulas suis in operibus exprimunt. 664
§ XX. — Nullum argumentum ex eo quod in operibus SS. Patrum vel innuantur vel refellantur recentiores hæreses, erui potest ad ipsorum SS. Patrum epocham constituendam. 668
§ XXI. — Tractatus fidei quos S. Zeno commemorat libro primo, sermone primo de fide, de Arianorum formulis intelligendi non sunt. 668
Caput II. — Plura e sermonibus S. Zenonis argumenta petunt doctissimi Ballerinii, ut ejusdem epocham quarto sæculo adstruant : potioribus circa Arianorum errores capite primo consideratis, alia sequentibus paragraphis expenduntur. 685
§ I. — De aliis hæresibus quarto sæculo exortis non agit S. Zeno. *Ibid.*
§ II. — Tractatus XIV, lib. I, occasione novæ Ecclesiæ Veronæ constructæ a D. Zenone habitus quartum sæculum non indicat. 689
§ III. — Quæ S. Zeno tractatu decimo libri primi de Veronensium largitionibus profert, quibus multos redemptos fuisse ait, non indicant captos a barbaris post Hadrianopolitanam pugnam. 695
§ IV. — Recte conjicit Baronius ex sermone decimo libri primi in editione ultima Veronensi, S. Zenonem *longe ante imperatorum Christianorum tempora claruisse*, eo quod ibi S. Zeno dicat in nummis excudi solere signum idololatriæ, eademque idola quæ colerentur in templo. 698
§ V. — S. Zeno tract. XLV libri secundi quartum sæculum non indicat. *Ibid.*
§ VI. — Quadringentorum annorum numerus in tractatu quinto S. Zenonis libri primi, de Continentiæ anachronismus est tabellariorum vitio in ms. illapsus, accurate satis a Baronio, Peretto et Bagatta emendatus. 699
Caput III. 709
§ I. — Ex S. Ambrosii epistola ad Syagrium Veronensem episcopum, S. Zenonem quarto sæculo vixisse probari non potest. *Ibid.*
§ II. — Antiquus ordo episcoporum Veronensium minime probat S. Zenonem quarto sæculo vixisse : quinimo ipsum tertio sæculo vixisse confirmat. 713
§ III. — De narratione Coronati Notarii, seu Vita S. Zenonis a Coronato notario descripta, quid sentiendum sit. 722
Caput IV. — Iis quæ contra S. Zenonis epocham tertio sæculo manutenendam facere videbantur sublatis, eadem nunc tertio sæculo confirmanda variis rationibus suscipitur. 733
§ I. — S. Zenonis, episcopi Veronensis et martyris, epocha ex iis quæ circa ipsius sermones sunt observata atque etiam observanda sunt, tertio sæculo statuenda ostenditur. *Ibid.*
§ II. — Traditio constans atque continuata S. Zenonem tempore Gallieni floruisse demonstrat. 735
Dissertatio altera, in qua perpenduntur rationes quas Ballerinii pro et contra S. Zenonis martyrium afferunt. 739
§ I. — Num S. Ambrosius in testem vocari possit contra S. Zenonis martyrium. *Ibid.*
§ II. — Discutiuntur ea quæ ad elevandam S. Gregorii magni auctoritatem opponuntur, qui S. Zenonem martyrem appellat. 740
§ III. — De aliis post sanctum Gregorium scriptoribus qui S. Zenonem martyrem affirmant. 745
§ IV. — De traditione et mss. antiquis Ecclesiæ Veronensis et Pistoriensis, festa S. Zenonis celebrantium. 746
§ V. — Quo ritu aliæ Ecclesiæ festa S. Zenonis celebrarunt. 751
§ VI. — De aliis monumentis et veteribus mss. 752
§ VII. — Auctores, mss. et monumenta quæ S. Zenonis martyrium asserunt. 756
Judicium. 760

OPERA S. OPTATI.

PROLEGOMENA. 759
Præfatio Dupinii. *Ibid.*

Digitized by Google

I. — De Vita Optati. 761
II. — De libris Optati. 762
III. — De hac nova Optati librorum aliorumque ad Donatistas pertinentium monumentorum editione. 766
VETERUM TESTIMONIA de Optato et ejus libris. 769
HISTORIA DONATISTARUM. 771
Origo Christianæ religionis in Africa. Persecutiones in Christianos. Sacrorum codicum traditio. Comprehensi Christiani in civitate Abitinensi et in carcerem conjecti. De visitandis caute martyribus. De causa Felicis Aptungitani. Nomina episcoporum concilii Cirtensis. *Ibid.*
Purpurius homicidii accusatus, plures traditiones, omnium absolutio. Origo schismatis. Lucillæ adversus Cæcilianum rixæ. Ordinatio Cæciliani in episcopum Carthaginensem. Visitator Ecclesiæ Carthaginensi datus a clericis Secundi. Concilium septuaginta Numidarum Carthagini. Damnatio Cæciliani. Litteræ Synodi ad Cæcilianum. Constantinus Cæcilianum pro legitimo episcopo agnoscit. Judicium post lites : Cæcilianus innocens pronuntiatus, in Donatum sententia lata. 777
Quid post synodum Romanam in Africa gestum. Novi Donatistarum tumultus, ipsorum ad imperatorem querelæ. Gesta apud Ælianum proconsulem de innocentia Felicis Aptungitani. Epistolis indicit concilium Arelatense Constantinus. Nomina episcoporum, canones adversus traditores et de baptismo hæreticorum. Epistola synodica concilii Arelatensis. Appellatio ad imperatorem. Judicium imperatoris in gratiam Cæciliani. 784
De Donato Carthaginensi. Leges Constantini de Donatistis. Gesta coram Zenophilo. Preces Donatistarum ad Constantinum, quibus annuit. Catholicorum a Donatistis vexatio, leges in gratiam Catholicorum. Dogmata Donatistarum. Concilium Donatistarum adversus iteratum baptisma. Episcopi Donatistarum in urbe Roma. Circumcellionum furor. Duo canones in Donatistas. 792
Status Ecclesiæ Africanæ post restitutam unitatem. Libertas a Juliano Donatistis reddita. Leges in Donatistas, horum divisio. Rogatistarum et Maximianistarum schisma. Concilium Bagaiense contra Maximianum et ejus asseclas. Primianistarum actio adversus Salvium Membresitanum. 804
Gildonis tyrannis. Lex Honorii in invasores Ecclesiarum. Decreta conciliorum de promovendis ad clerum aut relinquendis in eo Donatistis. De scriptis Augustini contra Donatistas. Psalmus abecedarius. Liber contra epistolam Donati. Epistola ad Maximinum. Proculeianus invitatus ab Augustino ad collationem. Collationes S. Augustini cum Donatistis. Liber contra partem Donati, etc. Admonitio Donatistarum de Maximianistis. Catholici Donatistas ad collationem invocant : hinc irritatio Donatistarum. Edictum de Unitate ab Honorio latum. Unitas facta Carthagini. Edicta de convocatione episcoporum ad collationem. Gesta collationis. Lex Honorii, post collationem, contra Donatistas. Horum calumniæ in Marcellinum. Mors Marcellini. Gesta Augustini cum Emerito. Concilium Donatistarum. 810
Donatistarum schisma debilitatum. De Gaudentio Thamugadensi. Lex Theodosii Junioris in Donatistas. Reliquiæ Donatistarum ad sextum usque sæculum. 822
GEOGRAPHIA SACRA AFRICÆ. — Africæ descriptio et divisio. De primatibus Africæ. Carthaginensis antistitis prærogativæ. Multitudo episcopatuum in Africa. Historia urbis Carthaginensis. Carthaginenses episcopi. Descriptio provinciarum Africæ. 824
ADMONITIO in tabulam geographicam. 871
NOTITIA LITTERARIA de Optato. 875

S. OPTATI DE SCHISMATE DONATISTARUM LIBRI SEPTEM.

LIBER PRIMUS. — Qui in persecutione fuerint traditores; schismatis causæ, locus, auctores. 883
LIBER II. — Declaratur quæ sit una et vera Ecclesia catholica, et ubi et apud quos maneat, et quinque dotes Ecclesiæ in Catholica esse magis quam in ea parte quam sibi schismatici facere voluerunt; et quod impie novacula pœnitentiæ raserint capita sacerdotum, et quod homicidia fecerint, et illa quæ ad salutem credentium procurata fuerant aut canibus dederint aut abjecerint. 941
LIBER III. — Quatuor causæ quibus effectum est ut non sine asperitate unitas fieret : Prima, quod basilicas schismatici non necessarias fecerint, et rebaptizationem intulerint; secunda, quod Donatus Carthagini provocaverit ut unitas fieret; tertia, quod Donatus Bagaiensis circumcelliones collegerit, ut operarios unitatis impediret; quarta, sine voluntate Dei nihil esse factum ex his quibus putant aliqui unitati faciendum esse convitium. 987
LIBER IV. — In hoc libro indicio Dei ostenduntur qui sint hoc tempore peccatores; et quia Deus per Jeremiam irascitur Judæis, non Christianis; et quia idola sunt lacus detriti, non Macarius aut Taurinus, sicuti Parmeniano visum est. 1029
LIBER V. — In baptismate homines non operantur : Deus lavat, et Christus ejus dat quod in baptismate accipitur. Quod rebaptizati regnum Dei possidere non possint, et quod perdiderint vestem nuptialem. 1043
LIBER VI. — In hoc sexto libro ostenditur episcopus partis Donati contra legem fregisse altaria, et inconsiderate conflasse, et passim vindidisse vasa dominica, et lavisse quæ lavanda non erant, et mitellas puellis mutasse, de quibus nulla scriptura legitur. 1063
LIBER VII. — Traditores qui necessitate, non voluntate peccaverint, non grave peccatum habuisse; tales, bono unitatis in communione recipi potuisse. 1081
PRÆFATIONES Francisci Balduini ad primam editionem Optati. 1103
ANNOTATIONES Francisci Balduini. 1133
Annotationes in librum primum. *Ibid.*
Annotationes in librum secundum. 1149
Annotationes in librum tertium. 1152
Annotationes in librum quartum. 1156
Annotationes in librum quintum. 1157
Annotationes in librum sextum. 1158
Annotationes in librum septimum. 1160
ALBASPINÆI OBSERVATIONES in S. Optatum. *Ibid.*
Observatio prima. — De erroribus et criminibus Donatistarum. *Ibid.*
Observatio II. — Quomodo congruerent aut differrent Novatiani et Donatistæ. 1164
Observatio III. — Nonnulla quæ in hac historia sunt obscura. *Ibid.*
Observatio IV. — An Melchiades datus fuerit judex a Constantino in causa Donatistarum. 1166
Observatio V. — De manus impositione quæ est in sententia Melchiadis. 1167
Observatio VI. — Ex antiquæ disciplinæ rationibus eadem explicatio confirmatur. 1170
Observatio VII. — Objectiones quædam solvuntur. 1172
Observatio VIII. — An quosdam reordinarent Donatistæ. 1174
Observatio IX. — Solvuntur quædam contra proximam observationem. 1175
Observatio X. — De concilio Arelatensi. 1176
Observatio XI. — De die et consulibus judicii proconsularis quo Felix Aptungitanus purgatus fuit. 1178
MONUMENTA VETERA ad historiam Donatistarum pertinentia. 1179
Rescriptum Juliani imperatoris in gratiam Donatistarum. *Ibid.*
Constitutio Valentiniani Senioris in rebaptizantes. 1180
Constitutio Gratiani in rebaptizantes. 1181
Statutum Hipponensis concilii de Donatistis clericis in numero laicorum recipiendis. 1185
Epistola Cabarsussitani concilii a Donatistis Maximianensibus habiti contra Primianum, Donatistam Carthaginensem. *Ibid.*
Sententia concilii Bagaiensis a Donatistis episcopis cccx pro Primiano habiti in Maximianum ejusque ordinatores ac socios pronuntiata. 1189
Supplex libellus Peregrini presbyteri et seniorum Ecclesiæ Mustitanæ regionis Primianistarum, adversus Maximianistas. 1191
Decretum Carthaginensis concilii de parvulis a Donatistis baptizatis. 1192
Theodosii Majoris constitutio in hæreticos. *Ibid.*
Lex Honorii adversus irruentes in Ecclesias. *Ibid.*
Lex Honorii de rescripto quod Donatistæ a Juliano impetrarant 1194
Concilii Carthaginensis legatio ad consulendum Anastasium et Venerium, de parvulis apud Donatistas baptizatis. 1195
Carthaginense concilium de reconciliandis Donatistis. 1197
Concilii Milevitani decretum de Maximiano, episcopo Bagaiensi. 1199
Carthaginensis concilii decretum de conveniendis Donatistis. 1200
Forma conventionis Donatistarum. *Ibid.*
Libellus ab eodem Carthaginensi totius Africæ concilio datus Septimino proconsuli. 1201
Concilii Carthaginensis adversus Donatistas ad Honorium imperatorem legatio, et Commonitorium legatis datum. 1202
Honorii lex in rebaptizantes. 1204
Ejusdem lex in eosdem. 1205
Tertia lex ejusdem in eosdem. 1206
Quarta lex ejusdem in eosdem. 1208

Digitized by Google

Lex Honorii de edicto unitatis per Africam proponendo. 1211
Decretum concilii iterum Carthagine habiti in basilica regionis secundæ. *Ibid.*
Lex Honorii mulctam statuentis in Donatistas. 1212
Decretum alterius concilii Carthaginensis de plebibus vel diœcesibus ex Donatistis conversis. 1213
Occasio legum subsequentium. 1215
Leges Honorii quibus pœnas adversus Donatistas aliosque hæreticos latas renovat. 1216
GESTA COLLATIONIS Carthagini habitæ Honorii jussu inter catholicos et Donatistas. 1223
Præfatio Massoni. *Ibid.*
Præfatio Baluzii. 1224
Liber oblatus ad altare S. Stephani voto Fulcherii canonici. 1225
Nomina et sedes episcoporum utriusque partis electorum ad collationem habendam. 1227
Notitia episcoporum memoratorum qui Collationem Carthaginensem susceperunt. 1229
Præfatio Marcelli Memorialis ad Severianum et Julianum. 1231
Capitula Gestorum. *Ibid.*
Gesta primæ Cognitionis. 1257
Gesta secundæ Cognitionis. 1353
Gesta tertiæ Cognitionis. 1363
Sententia cognitoris. 1418
LEGES IN DONATISTAS.
Lex Honorii mulctam pecuniariam Donatistis imponentis. 1420
Alia lex ejusdem in eosdem. 1424
Alia lex ejusdem imperatoris, qua contra Donatistas gesta anno 411 sub Marcellino cognitore, eo quamlibet mortuo et invidiose cæso, plenam fidem et firmitatem obtinere declarantur. 1428
Alia lex ejusdem imperatoris. 1430
Lex Theodosii Junioris, in qua inter hæreticos quibus nusquam in Romano solo conveniendi orandique locus relinquitur enumerantur Donatistæ. 1431
FRAGMENTA DE DONATISTIS.
Fragmentum Leonis papæ I. 1434
Fragmentum Fastidiosi Ariani. *Ibid.*
Fragmentum S. Petri Chrysologi, archiepiscopi Ravennatis. *Ibid.*
Fragmentum Cassiodori. *Ibid.*
Fragmenta Gregorii Magni. 1435
HISTORIA CARTHAGINENSIS COLLATIONIS, AUCTORE FRANC. BALDUINO. 1439
Epistola Balduini Joanni Tilio episcopo Meldensi. *Ibid.*
Monitum lectori. 1441
Incipit Historia collationis. 1447
NOMINA EPISCOPORUM quæ recitata sunt in collatione. 1506
INDEX ANALYTICUS Operum S. Zenonis. 1511
INDEX analyticus Operum S. Optati. 1529

FINIS INDICIS RERUM.

Digitized by Google